



1.630

del nos
pleito
apre

M P S

Sfurtado

Q. & comp.

Bazm de Arbide en nre de pedro de los Rios en el pleito con la ciudad de Toledo sobre el rreparo de la puente de guadarrama. Digo que para presentar en otro pleito mi pte tiene necesidad de que se le de un traslado de dos autos que dieron los lic.dos Salto de molina y castillo de busto alcaldes mayores que fueron de la dha ciudad de que por mi pte fue apelado y las ss.as que por V. Alta se dieron en rrazon dellos de vista y rrevista = al A. Pido y supp.co m.de se dia a mi pte lo contenido en esta peticion lo qual quiero para presentar en otro pleito que pende ante los del Vro consejo signado en publica forma citandose para ello a la pte de la dha ciudad sobre que pido justicia y para ello &c.a

Arbide

de la Librería de Villasilla

Fr. Joan Gonzalez

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE



OPTATA DIV ARTICVlatio, et illustratio Oxoniensis Libri Primi Sententiarum Doctoris Subtilissimi P. F. Ioannis Duns, Scoti, Sacratissimi ordinis Minorum ac Theologorum Principis. Cum fidelissima integritate, et puritate litteræ textuali seiusdem ad articulorum præclarum D. Thomæ modum redactæ: cum cuiuslibet articuli commentarijs, ac disputatis difficultatibus, nec non et controuersiis, quæ circa textum Scoti cum excitantur.

OPVS INTRES TOMOS DIVISVM TOMVS SECVNDVS.

Reuerendissimo Presuli, et undequaque Preclarissimo uiro P. N. fratri Bernardino de Sennis totius ordinis minorum dignissimo Generali Ministro, ac in monarchia Seraphica sanctissimi P. N. Francisci, legitimo successori, eiusq; vniuersi Minoritici gregis Protopastori.

DICATVS

AVCTORE FRATRE MATHÆO DE SOSA Olisipponensi, Prouinciæ Sancti Jacobi Patre, et actuali diffinitore, Lectore Jubilato, ac Generalis Minoritarum Achademiæ apud Salamanticenses per multos annos Sacræ theologiæ Primario Professore

Nunc autem eiusdem Prouinciæ Prouinciali Ministro.

et omes theologos debemus honorare et uenerari sicut eos, qui ministrant nobis Spiritum et uitam. ex testamento. S. P. N. F.

Salmanticæ, ex Officina DIDACIA CVSIO. Anno 1629.





TOMVS SECVNDVS

Libri primi, textus Scoti articulati, & per commentarios illustrati, necnon difficultatibus plurimis enucleati.

DIPUTACIÓN PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL PALENCIA

TASSA.

YO Lazaro de Rios Angulo, Secretario del Rey nuestro Señor, que por su mandato hago oficio de Escriuano de Camara, de los que en su Consejo residen, certifico que auiendose visto por los Señores del dicho Real Consejo, vn libro en dos tomos intitulado, sobre el primero de las Sentencias del Doctor subtilissimo fray Iuan Escoto, compuesto por el Padre fray Mateo de Sosa, de la Orden de sa uFranciſco, Prouincial de la Prouincia de Santiago, que con licencia de los dichos Señores fue impresso, tassaron cada pliego del del dicho libro à quatro marauedis, y à este precio, y no mas mandaron se venda, y que esta tassa se ponga al principio de cada libro de los que se imprimieren, y para que dello conste doy la presente. En Madrid à seys dias del mes de Febrero de 1629. años.

Lazaro de Rios.

Tiene este segundo tomo con principios y tablas, trecientos y veynte y siete pliegos, que montan 1308. marauedis en papel, segun su tassa.

Cum Priuilegio Regali, & facultatibus Ordinis, & Ordinarij.

Index mendorum huius tomi ſecundi.

PAG. 1. in titulo præfationis, præfactio. dic Præfatio. pag. 2. li. 10. Pater in. d. Paternitas. p. 7. col. 1. lin. 23. terminis. dic terminus. p. 11. col. 1. li. 42. addicerent dic. adiicerẽ. ibid. quia dic. qui. p. 13. col. 1. li. 50. Eccleſia. dic. Eccleſiam. pag. 14. col. 1. lin. 19. arguſit, dic. arguũ. ibid. col. 2. lin. 24. Patris. dic. Patrem. p. 15. col. 1. lin. 14. Geneſim. dic. Geneſi. p. 20. col. 1. lin. 3. efficito. dic. efficit. ibid. lin. 4 quomodo in baptiſmo. dic. quomodo poteſt in baptiſmo ibid. lin 11. is. dic. ea. p. 45. col. 2. lin. 49. ſicut increatis. dic. ſicut contingit increatis. p. 55. col. 2. lin. 30. non eſt potentia. dic. non eſt in potentia. p. 58. col. 2. lin. 31. filij. dic. ideo filij. pa. 71. col. 1. lin. 1. fuerit reijci. dic. fuerunt reiectæ. p. 72. col. 2. lin. 52. intellectus. dic. intellectio. pa. 76. col. 2. lin. 43. ſe. dic. ſed. p. 74. col. 1. lin. 51. qui. dic. quod. p. 84. col. 1. lin. 1. actiua. dic. actiuũ. p. 85. col. 1. lin. 8. ſed. dic. ſe. p. 88. col. 1. li. 44. articuli. dic. articuli primi. p. 96. col. 2. lin. 41. quia nõ eſt. d. quia eſt. p. 97. col. 1. lin. 46. creatã. di. increatã. ibi. co. 2. li. 28. de quibus eſt. dic. de quid eſt. p. 100. col. 2. li. 6 terminare. di. terminari. p. 110. co. 1. li. 34. terminare. di. terminari. p. 113 col. 1. lin. 33. artificioſa. dic. artificioſe. ibi. lin. 52. ſpeciphica. dic. ſpeciphicæ. p. 115. col. 1. lin. 10, hinc modi. dic. huiuſmodi. p. 116. col. 2. li. 8. determinatu. dic. determinato. p. 122. col. 1. li. 6. neceſſes. dic. neceſſe. p. 125. col. 2. lin. 20. identitati. dic. identitatis. ibi. l. 41. præfecta. dic. præfacta. p. 130. col. 2. lin. 15. nonnullis. dic. nonnulli. p. 133. col. 1. lin. 24. habet. dic. habeat. ibi. co. 2. lin. 22. hæc non reipſa. dic. hæc reipſa. p. 151. col. 1. lin. 5. natura. dic. natura rei. p. 154. col. 2. lin. 27. cum ens. dic. ens. ibi. col. 2. lin. vlt. Gallaad ad. dic. Gallaad. p. 155. col. 1. lin. 23. ſolas. dic ſolus. ibi. lin. 30. cẽſura. dic. cenſuram. ibi. maioræ. dic. maiori. ibi. colu. 2. lin. 44. arcanam. dic. Arianam. p. 161. col. 1. lin. 45. colore. dic. calore. p. 163. col. 2. lin. 25. noueque. dic. non æque. p. 171. col. 2. lin. 47. equis. dic. equus. p. 176. col. 2. lin. 10. ea. dic. eo. p. 187. col. 2. lin. 30. aſsiſtit. dic aſſitit. p. 190. col. 1. lin. 25. idem. dic. eandem. p. 191. col. 1. lin. 30. compoſita. dic. compoſitionem. p. 192. col. 2. lin. 15. habens. dic. habenas. ibid. lin. 51. diſtinguit. dic. diſtingaitur. pa. 194. col. 2. lin 49. realiter. dic. formaliter. pa. 196. col. 1. lin. 27. eas. dic. ea. p. 200. col. 1. lin. 25. fatere. dic. facere. p. 202. col. 1. lin. 2. expreſſe etenim. dic. expreſſa eſt enim. p. 204. col. 1. lin. 1. terminus. dic terminis. p. 206. col. 1. lin. 9. communicabilium. dic. incommunicabilium. p. 207. col. 2. lin. 43. intelligitur. dic. non intelligitur. p. 216. col. 1. lin. 8. perſonam. dic. perſona. pag. 231. col. 2. lin. 9. hoc. dic. hæc. p. 251. col. 1. lin. 45. nullam. dic. nullum. pa. 256. col. 1. lin. 12. ſimpliciter. dic. ſimplicior. p. 258. col. 2. lin. 13. diuerſitas in. dic. diuerſitas conſiſtit in. p. 266. col. 1. lin. 31. diſtinctum, &c. dic. diſtincte, &c. p. 268. col. 1. lin. 37. ſunt per ſe. dic. non ſunt per ſe. p. 292. col. 1. lin. 47. extrahit. dic. contrahit. p. 296. col. 2. lin. 4. differentia. dic. de differentia. p. 343. co. 2. lin. 41. talem. dic. tale. p. 337. col. 1. lin. 2. genuitate. dic. grauitate. p. 314. col. 2. lin. 47. longiores. dic. longiori. p. 350. col. 1. lin. 16. prædicta. dic. prædicati. ibid. col. 2. lin. 10. quia cognoſcatur. dic. quia vt cognoſcatur. p. 452. col. 2. lin. 13. in obiecto. dic. in adiecto. ibid. lin. 48. quæ. dic. qua. p. 453. col. 2. lin. 43. non tantum vt. dic. non tantum rationis vt. p. 463. col. 2. lin. 22. exiſtendi. dic. exiſtintenti. p. 464. col. 1. lin. 46. informari. dic. informare. p. 509. col. 1. li. 15. coreto. dic. certo. p. 674. col. 1. lin. 9. prædicetur. dic. prædicatur. pa. 628. col. 1. lin. 17. inditus. dic. in dutus. p. 642. col. 2. lin. 32. perueniunt. dic præueniunt. pa. 643. col. 2. lin. 12. item. dic. en. p. 646. col. 1. li. 4. ceſſare. dic. ceſſaret. p. 647. col. 2. lin. 9. infra. dic. intra. p. 686. col. 1. li. 22. eſſentiali. dic. eſſentialiter. p. 730. col. 2. lin. 1. cuncta. dic. cognita. ibid. l. 48. idem. dic. item. pa. 738. col. 1. lin. 51. vt. dic. ideo. p. 741. col. 1. lin. 4. paſsiuus. dic. peſitiuus. p. 750. col. 1. lin. 19. quartum. dic. quintum. ibi. lin. 30. ex neceſsitate. dic. ſed ex neceſsitate. p. 765. col. 1. lin. 46. non. dic. nunc. p. 772. col. 2. lin. 28. actiua. dic. paſsiua. p. 774. col. 1. lin. 33. incommunicabiles. dic. communicabiles. ibi. lin. 34. vt coniunctæ. dic. ergo, vt coniunctæ. p. 776. col. 1. lin. 39. vere. dic. vix. pa. 812. col. 2. lin. 39. ſpirauam. dic. ſpiratiuam. p. 856. col. lin. 13. viſione. dic. diuiſione. p. 854. col. 1. lin. 1. miſsiones. dic. miſsionis. p. 865. col. 2. lin. 17. rem. dic. creaturam. pa. 913. col. 2. lin. 17. diuiſio. dic. diuiſo. ibi. lin. 20. diuiſio. dic. diuiſo. p. 917. col. 2. lin. 47. notionale, dic. naturale. p. 1125. col. 2. lin. 41. rationale. dic. notionale.

Cum his correctionibus hic liber conuenit cum ſuo originali, pro fide ſubſcripſi. Salmanticæ. *M. Gonzalus Korreas, Corrector.*



LIBER PRIMVS SENTENTIARVM.

IN QVO

TEXTVS SCOTI, SIMVL ET

Commentarij ſuper omnes textuales articulos, necnon difficultates, quæ excitantur ex textu, continentur.

TOMVS SECVNDVS.

PRAEFACTIO

Ad quæſtiones ſacroſancti myſterij ſáctiſsimæ Trinitatis.

AD ſupremum omnium catholicæ fidei Sacramentum, à ſæculis in Deo abſconditum, & ineſabile ſacroſanctæ Trinitatis arcanũ, nõ ſolùm anguſtiſsimo humanæ cogitationis palmo inſcrutabile: verùm & Angelicæ mẽtis perſcrutantis acumine, nullatenus comprehenſum, inueſtigandum non proprij ingenij capti amore, ob rerum quarundam naturalium terminos adeptos, perſpicuis rationũ demonſtrationibus adinuentis, ſic nos ſuperbire, aut gloriari oportet: vt lucubrationum noſtrarum ſtudia, huius inacceſsibilis myſterij inſcrutabilem altitudinem, ſolertibus perſpicacitatis diſcurſibus, demonſtrare præſumant. Quinimo cum ſapientiſsimo Salomone diuinam aſiſtricem diuinæ ſedis ſapientiam poſtulemus, quæ nobiſcum ſit, ac nobiſcum laboret: vt

eius micantis aſsiſtentiæ ſplendore illuminata mens noſtra (veluti diuus Auguſtinus in huius tractatus exordio docet) illud ineffabile, ineffabiliter valeat adumbrare. Vbi namq; loquitur fides, ingenium ſileat, tacitat Philoſophia: quia naturæ terminis veritas hæc non capitur. Vt etèniminquit D. Ciprianus ſermone de Chriſti baptiſmo: Certè ſibi ſoli nota eſt Trinitas, & ſolus Pater ſcit Filium: Patremq; nouit Filius, neque ab alio, niſi eo reuelante, eſt cognitus. *In huius ergo diuinimagiſterij ſchola Cathedraticus eſt Pater, qui ſemel loquendo, Verbo ineffabili ſuo dicit, & docet omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, qui in eo ſunt reconditi ab æterno. Filius item, tanquam Pater in pectoris Paraphraſtes, nobis diuina arcana aperit, & reuelat. Atque Spiritus ſanctus, qui nos diuinæ Sapientiæ doctrina replet, & imbuit. Et vtinam per corda omnium noſtri fiat diuinorum munerum diſpenſatio, adſitq; lucubrationibus noſtris ipſiuſmet Dei largitas immenſa: vt qui eiuſdem maieſtatem in ſumma vnitate trinam, & in Trinitate indiuiſam humiliter inueſtigamus: enixi fidei regulis, diuinæq; reuelationi, & authoritati Eccleſiæ adhærentes, aliqualem huius myſterij congruentem rationem, vel potius declaratione comparare valeamus.* D. Ciprian

De hoc myſterio Patres antiqui latiſsimè diſputarunt. Inter Græcos D. Athanaſius in omnibus ferè libris, & operibus ſuis. D. Greg. Niſen. in quatuor orationibus de hoc myſterio. D. Naciancenus etiã in quatuor orationibus de Theologia. D. Baſilius lib. contra Eunomium. D. Chriſoſtomus in orationibus de viſione Eſaiæ D. Damaſcen. lib. 1. de Fide. Ex Latinis autem D. Hilarius lib. 12. de Trinit. & lib. de Synodis. D. Auguſt, 15. libris de Trinit. & ſæpe alibi. Tertulian. lib. contra Praxeam. D. Fulgentius li. ad obiectiones Arianorum, & omnes alij. Doctores verò ſcholaſtici cum Magiſtro, nempe D. Bonauent. Ricardus, & alij in hoc tit à diſtinctione 2. q. 4. vſque ad diſtinctionem 26. Scotus autem ibi à dicta diſtinct. 4. vſque ad diſtinctionem 35. intra quas diſtinctiones plures alias cõmiſcet difficultates, quas per diſtinctionum diſcurſum videbimus. Quem ſequuntur omnes Scotiſtæ in ordine, & ſententia. D. autem Thomas prima par. à q. 27. vſque ad quæſtionem 45. cuius ordinem ſequuntur omnes diſcipuli, & comentatores ipſius.

D Atanaſ. D Gregor. D. Nazian D. Baſilius D Chriſoſt. D. Damaſ. D. Hilar. D Auguſt. Tertulian. D. Fulgent Magiſter. D Bonauẽ. Ricardus. D. Thomas Scotus.

TEXTVS

TEXTVS SCOTI.

QVÆSTIO QVARTA

De diuinis productionibus.

DISTINCTIO SECVNDA.

Quæstio hæc erat in antiquo textu 6. in ordine, sed ob maiorem distinctionem hic mutatur ordo.

CIRCA istam distinctionem, in qua Magister agit de essentia Dei, & eius vnitate, & personarum pluralitate, sequitur quæstio quarta de pluralitate Personarum, & productione earum. Circa quod quæruntur quinque.

¶ Primo. Vtrùm in Diuinis possit esse aliqua productio intrinseca?

¶ Secundo. Vtrùm productum in Diuinis sit ex se necessarium, & sine mutatione?

¶ Tertio. Vtrùm à quibusdam recte probetur, dari productionẽ intrinsecam in Diuinis?

¶ Quartò. Vtrũ intellectus, prout est principium productiuum, sit in Deo, secundùm veram rationem sui?

¶ Quinto. Vtrùm rationes, quibus probatum est in Diuinis dari productionem ad intra, sint demonstrationes?

ARTICVLVS I.

Vtrũ in Diuinis possit esse aliqua productio intrinseca?

A. AD primùm sic proceditur, & videtur, quod in Diuinis non possit esse aliqua productio intrinseca, vel quod essentia Diuina non possit stare in aliquo, & ipsum esse productũ. Et arguo primò sic. Nullum productum est ex se necessarium: sed quidquid subsistit in essẽtia Diuina est ex se necessarium: ergo, &c. Probatio maioris per quinque vias *Videbitur, quæ erunt argumenta prosequenti articulo, ibiq; soluetur.*

B. Secundò præterea ad principale sic: si est productum: ergo depẽdet. consequens est falsum: ergo antecedens. Probatio consequentiæ, quia si nullo modo dependet productum à producente: ergo vtrumque ex æquo haberet naturã: & ex hoc vltra, non magis præexigeret productum ad sui productionẽ, & esse, quod producens præhaberet suam naturam, quàm è conuerso, quod est contra naturam productionis.

C. Tertiò præterea principaliter sic: quia aliæ mutationes, quæ non ponunt de ratione sui tantam imperfectionem, quantam ponit generatio, non possunt esse in Diuinis: ergo nec generatio. Consequẽtia patet, quia remouetur à Deo, quidquid est imperfectionis. Probatio antecedentis, quia latio, & alteratio secundum Aristot. 8. Phisicor.

non ponunt tantam imperfectionem, quanta ponit generatio, quia multa entia perfecta poſſunt alterari, vel localiter ferri, quæ non poſſunt generari: ſed nõ cõceditur in Deo loci mutatio, vel alteratio: ergo nec generatio.

D. Sed contra eſt *quia ſecundum* Auguſtinum 5. de Trinitate cap. 14. Pater eſt principium totius diuinitatis. Non niſi per productionem, ergo, &c.

E. Reſpondeo dicendum, *quod* quia (ſicut dixi) pluralitas declaratur ex productione. Ideo primo reſpondeo ad quæſtionem de productione, quæ *in antiquo textu* erat ſexta in ordine, & dico quod in diuinis eſt, & poteſt eſſe productio. Quod probo ſic. Quidquid ex ratione ſua formali eſt principium productiuũ ſufficiens, illud in quocunque eſt à ſe, & ſine inperfectione, in eo eſt principium productiuum. Iſtud totum ſcilicet intellectus habens obiectũ actu intelligibile ſibi præſens ex ratione ſua formali eſt principiũ productiuum notitiæ genitæ: & hoc ſecundum proportionem ſuæ perfectionis. Sed in Deo eſt illud ſecũdum veram rationem ſui. Ergo verè eſt ibi productio notitiæ genitæ.

Concluſio.

1. ratio quâ probatur cõcluſio.

F. Aliter poteſt argui, & melius, ſic: Quidquid de ratione ſua formali eſt principium producendi illud in quocunque eſt à ſe, in eo eſt principium perfecte producendi. Sed memoria perfecta ſiuè (quod idem eſt explicando) intellectus habens obiectum intelligibile ſibi præſens ex ratione ſua formali eſt principiũ productiuum notitiæ genitæ: & patet, quod memoria talis eſt in aliqua perſona diuina & à ſe: quia aliqua eſt in producta. Ergo illa perſona poterit pertale principium perfectum perfecte producere. Vel ſic *poteſt argui.* Omne ſuppoſitum habens à ſe quodcumque ſufficiens principium producendi poteſt producere productum adæquatum illi principio: aliquod ſuppoſitum diuinum habet à ſe principium ſufficiẽs producendi, quod eſt memoria perfecta, igitur, &c. Maior & minor declarantur conſequenter.

G. Vlterius conſequenter arguo. Nulla productio perfecta per memoriam perfectã poteſt eſſe perfecta, niſi ſit notitiæ adequatæ illi memoriæ, ſiue illi intellectui, reſpectu talis obiecti. Memoriæ autem, ſiue intellectui perſonæ diuinæ, cum ſit infinita, nulla notitia adæquatur reſpectu diuinæ eſſentiæ infinitæ vt intelligibilis, niſi infinita: quia intellectus ille eſt comprehenſiuus illius obiecti infiniti: igitur aliqua perſona diuina per memoriã poteſt producere notitiam infinitam. Sed illa erit in natura diuina: quia nihil aliud eſt infinitũ: ergo in diuinis per memoriã poteſt eſſe productio ad intra. Sed ſi poteſt eſſe: igitur eſt. Tum quia ibi omne poſsibile eſt neceſſarium: tum quia illud principiũ eſt productiuum per modum naturæ: igitur neceſſario agit. Cõſequẽtia patet, quia non poteſt impediri, nec ab aliquo alio dependet in agẽdo: omne enim agens ex neceſsitate naturæ, neceſſario agit, niſi impediatur, vel ab alio dependeat in agẽdo. Maior primi ſyllogiſmi apparet: quia quod principio productiuo ex ſe non conueniat, quod in illo ſit productiuum, non poteſt eſſe, niſi propter alterũ duorũ; vel propter imperfectionẽ eius in illo, vel quia vt in illo acceptũ eſt per productionẽ adæquatã illi principio: ſicut eſt de potentia generatiua, ſi ſit in Filio & vt ſpiratiua, ſi ſit in Spiritu Sãcto. Vtrũque autem iſtorũ excluditur per hoc quod dicitur in maiori à ſe: quia nihil habet à ſe principium

pro-

productiuum, nisi habeat illud sine imperfectione, & etiam non cõmunicatum per productionem adæquatam competentem tali principio.

Maior secundi syllogismi, quæ fuit minor primi syllogismi, probatur, quia omni memoriæ creatæ hoc cõpetit, non autem vnde creata siue imperfecta, quia imperfectio nunquam est ratio producendi, siue communicandi esse, quia hoc competit ex perfectione, non ex imperfectione. Conclusio absolutè illata scilicet, quod memoria in prima persona Diuina est principium communicandi sibi, concludit propositum: quia non est principium productiuum, nisi per modum naturæ, talis autem producendo, non est nisi ad intra. Alio modo concludit magis propositum: quia est principium productiuum notitiæ genitæ. Igitur ad intra: & tunc debet maior sic accipi. Quidquid de ratione sua formali est principium alicuius secundum rationem eius formalem, in quocumque illud est à se, illud est principium productiuum talis. Tertio modo, maximè concludit propositum maior secundi syllogismi, quia declaratur sic; sicut non est perfecta memoria respectu alicuius intelligibilis, nisi illud obiectum sit præsens in ratione actus intelligibilis, quantum potest esse præsens, vt intelligibile illi, ita non est perfecta proles talis memoriæ, nisi sit actualis notitia tanta illius obiecti, quanta potest competere tali intellectui respectu talis obiecti, & illam voco adæquatam intellectui respectu talis obiecti. Igitur in quocumque est istud, quod est intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens, ibi est productiuũ notitiæ genitæ. Sed in Deo est istud secundũ verã rationẽ sui, igitur illi conuenit productiuũ notitiæ genitæ.

Idem potest argui de voluntate, quia voluntas habens obiectum actu cognitum, sibi præsentatum ex ratione sua est productiua amoris perfecti producti. 2. ratio.

Secundo principaliter ad cõclusionem principalem, arguo sic: obiectũ, vt est in memoria, producit se ipsum, vt est in intelligentia, vel est ratio producendi se ipsum vt est in intelligentia. Quod autem obiectũ, habeat esse vtrobique secũdum quid, vel ab eis differens hoc est imperfectionis, quia si memoria esset perfecta, & intelligentia perfecta, obiectum esset simpliciter vtrobique idem vtrique, ergo ablata omni imperfectione, reseruando illud quod est perfectionis simpliciter obiectum, idem simpliciter memoriæ gignet aliquid in intelligentia, cui est simpliciter idem. Quod est propositum. I.

Præterea tertio sic: in qualibet conditione entis, quæ non est ex ratione sua imperfecta necessitas, est simpliciter perfectionis. Igitur in productiuo, quia illud non dicit de se imperfectionem. Respõsio, quæ non est imperfecta, nec dicit respectum ad imperfectum, quia necessitas in tali respectiuo requirit necessitatem in imperfecto ad quod est. Probatio antecedentis: quia sicut necessarium est conditio perfectionis entis in quantum ens, ita etiam perfectionis in quolibet diuidente ens, quod non est ex se necessario imperfectum, siue limitatum: sicut enim quando ens diuiditur per oppositа, alterum diuidentium est perfectionis in ente, alterum imperfectionis: ita in quolibet, quod est imperfectionis cuiuslibet diuisio- 3. ratio. K.

nis illud membrum est possibile: quod est perfectum est necessariũ, sic actualitas in necessitate. Producens autem, in quantum tale non includit imperfectionem. Ergo nõ est producens perfectum in ratione producentis, nisi sit necessario producens. Producens autem primum non potest esse necessario producens aliud à se ad extra, sicut dicetur distinctione 8. quæstione vltim. Ergo ad intra. Similiter arguitur de productione naturali: quia productio naturalis est prima productio. Ergo competit primo producenti. Non autem competit primo producẽti ad extra, vt patebit alias. Ergo ad intra. Negatur antecedens, vt naturalis distinguitur contra artificialem: siue natura contra propositũ. Nec sic conceditur à Philosopho, sed vt naturalis concomitatur intellectualem, & voluntariam. Sic ponitur ad extra per eos.

Dist. 8. q. vlt. & dist 30. & 39. & alibi.

L. Præterea quarto sic: Relationes oppositæ de secundo modo relationorum possũt competere eidem naturæ limitatæ, sicut eidem voluntati competit ratio motiui, & mobilis quando voluntas mouet se, sed relationes producentis, & producti licet magis repugnent, quam relationes mouentis, & moti, tamen sunt relationes eiusdem modi secundum Philosophum, quinto Metaph. capit. de ad aliquid, ibi enim pro exemplo ponit calefactiuum, & calefactibile pro primis: Patrem, & Filium, siue genitum, & eum, qui genuit, pro secundis. Ergo relationes producentis, & producti sunt compossibiles in eadem natura maxime illimitata. Confirmatur ratio, quia sicut voluntas est quodammodo illimitata quatenus fundat relationes oppositas: ex hoc scilicet quod virtualiter continet illud, ad quod formaliter habendum, est in potentia: ita multo magis essentia simpliciter illimitata potest simpliciter fundare relationes oppositas eiusdem modi, licet magis repugnantes, quales sunt relationes producentis, & producti, plus enim excedit infinitas Diuinæ essẽtię illimitationẽ qualemcunq; cuiuscúque entis creati; quàm repugnantia quarumcumque relationum secundi modi excedat repugnantiam quarumcumque aliarum relationum eiusdem modi. Confirmatur etiam ratio, quia omnia relatiuè opposita æqualiter includunt contradictionem. Ergo si aliqua secundi modi non includunt contradictionem, igitur nec alia.

4. ratio.

Text. com. 20.

Tenendo igitur quatuor rationes *positas*, & præcipue duas primas pro conclusione affirmatiua quæstionis, respondeo ad argumenta in oppositum. M.

Ad primum negando maiorem, cum probatur *illis quinque vijs, quæ ponuntur in sequenti articulo, ibi erit responsio ad omnes.* N.

Ad secundum principale dico, quod non sequitur, est ab alio. Ergo dependens. Cum probatur, concedo, quod æquè independenter est natura in producente, & producto. Cum arguitur ex independentia, quod non est præexigentia. Nego consequentiam, quia dependentia sequitur entitatem formalem dependentis, ab illo, à quo dependet. Quando igitur habet eamdem entitatem, non est ibi dependentia: potest tamen ibi esse præexigentia, si vnum suppositum habeat illud ab altero. O.

Ad tertium, & vltimum dico, quod mutationes aliæ à generatione, ex ratione sua formali, sunt imperfectiores generatione, quia termini earum inducti sunt imper-

imperfectiores generatione. Et ideo ex ratione terminorum inductorum imperfectorum habent maiores imperfectiones, quàm termini generationis; tamen aliæ mutationes, quantùm ad illud, quod præsupponunt, nõ requirunt tantã imperfectionem in subiecto, quantam requirit generatio. Et hoc vt est mutatio: quia generatio requirit in subiecto entitatem in potentia: & hoc adesse simpliciter: aliæ mutationes non. Ad propositum applicando dico, quod generatio non trãsfertur ad diuinam, secundùm illud quod præsuponit generatio: puta subiectum mutabile, quod est imperfectionis: quia vt est mutatio, nõ est in diuinis: sed transfertur ad diuinam, in quantũ generatio est productio, sub ratione, qua est productio termini: quia terminis eius est perfectior terminis aliarum mutationum. Et sic bene potest per generationem accipi essentia, tanquã terminus perfectissimus in diuinis: licet non possit per aliquam aliam mutationẽ accipi aliquis alius terminus aliarum mutationum: quia hoc concluderet compositionem & imperfectionem: quia terminus cuiuslibet alterius mutationis esset accidens componibile cũ subiecto.

Expositio art. 1. quæstionis 4. distinctionis. 2.

QVATVOR quæstionum sequentium huius distinctionis mutat° est ordo. Ita quod hæc quarta, quæ de diuinis productionibus agit, erat olim in veteri textu sexta in ordine. Sequens verò, quæ numerum productionum inuestigat, septima erat. Quæ autem sexta nunc est, quæ scilicet numerum diuinarum personarum inquirit, quinta solebat esse. Quæ tandem in hac nostra articulatione est septima, & composibilitatem vnius essentiæ cum pluralitate personarum speculatur, fuerat quarta. Hic igitur ordo quæstionum huius distinctionis mutatur iuxta ordinem resolutionis ipsarum. Nam quamuis à Doctore sub textu antiquo, dicto ordine proponantur: ibi tamen inuerso ordine, omnes insimul resoluuntur in vna, & eadem mole quæstionis. Nam primo sextam quæstionem resoluit, secundo septimam, tertio quintam, & tandem quartam. Sumpto igitur resolutionis Scoticæ ordine in hac quarta quæstione agitur de diuinis productionibus. Nam huius mutatæ resolutionis reddit Doctor rationem in textu, quia scilicet pluralitas declaratur ex productione: Et ideò prius respondet ad quæstiones de productione, quàm ad quæstiones de pluralitate personarũ. In hoc ergo primo articulo quæritur, an in diuinis possit esse aliqua productio intrinseca? Conclusio est affirmatiua, quæ duo concludit, scilicet, & posse esse productionem in diuinis: & illam esse de facto. Et quamuis videatur Doctor plus respondere, quam quæritur: eo quod ad quæstionem de possibili respondet per conclusionem non solùm de posse; sed etiam de facto: non quidem superfluit responsio. Quia quidquid in Deo potest esse ad intra: profecto non potest non esse ibi de facto. Et ideo, quia à negatione facti concluditur negatio possibilitatis in Deo: ideo Doctor respondet in Deo, & posse esse, & de facto dari productionem intrinsecam.

Hanc conclusionem probat quatuor efficacissimis rationibus, quarum efficacia ita plures decepit, vt crediderint Scotum illis, conclusionem prædictam intendisse naturaliter demonstrare. Sed re vera prout in 5. art. patet, ipse Doctor ostendit demonstrationes non esse: & vt hoc probet, earũ efficaciam soluit ibibem. 2

Verum enimuero quantumuis ibi à Doctore soluantur, sunt tamen in se nihilominus magni roboris, & optimè conclusionem confirmant. Prima est quia principium quod ex ratione sua formali est productiuum, in quocunque est, à se, & sine imperfectione: in 3

Optimæ rationes Scoti ad probandas diuinas productiones.

eo productiuum erit. Intellectus autem habens obiectum sibi vnitum in ratione intelligibilis ex ratione sua formali est principium productiuum notitiæ genitæ, &c. Quæ ratio optima est, huic tamen rationi superadduntur aliquæ probationes, quæ ipsam corroborant. Et quamuis ponantur inferte in textu: sũt attamẽ additiones ex fragmentis operum Scoti, ab eius discipulis ibi accumulatæ. Quare in aliquibus antiquioribus textibus, habetur hæc, & similes additiones pro littera cancellata, licet eis eadem habeatur fides, ac si esset pura littera textualis. Qua de causa intra textum habentur. Sunt igitur prædictæ probationes superadditæ subtilissimæ, & optime primam rationem declarant: quæ non minus fieri potest de voluntate, quàm de intellectu, vt Doctor notat ibidem. Ab illa igitur linea, & §. *Aliter potest argui, & melius*, vsque ad illa verba, *Igitur illi cõuenit productiuum notitiæ genitæ*, est additio. Secunda ratio habetur ibi §. *Secundo principaliter ad conclusionem*. Quam rationem sequuntur tertia, & 4. quæ omnes examinandæ sunt infra in art. 5. quia difficultatem inuoluunt. Et ideo earum expositionem illuc remitto.

ARTICVLVS II.

Vtrùm productum in Diuinis sit ex se necessarium, & sine mutatione.

A. AD secundum sic proceditur, & videtur, quod productum in Diuinis non sit ex se necessarium: quia nihil simul est ex se necessarium, & ab alio: sed quod est productum, si est necessarium, est necessariũ ab alio: ergo non à se. Maiorem huius syllogismi probo: quia si est necessarium ex se: ergo est necessarium, circumscripto omni alio: si autem est necessarium ab alio, non est necessarium, illo circumscripto.

Secundo præterea: quia omne productum possibile fuit produci; alioquin impossibile produci esset productum: ergo omne productum aliquam possibilitatẽ includit. Sed omnis possibilitas repugnat necessario ex se: ergo, &c.

B. Tertio præterea sic: terminus productus est aliquo modo posterior producente: quia non potest intelligi productio sine aliquo ordine priori, & posteriori: in illo priori, in quo producens intelligitur, nõ intelligitur productum: quia tunc nõ esset prius: ergo intelligitur in illo priori productum non esse; & in signo posteriori intelligitur esse: ergo mutatio.

C. Quarto præterea: quia essentia Diuina, circumscripta productione, non habet illud productum: habet enim illud productum per productionem: ergo per illam fit essentia Diuina de non habente illud, habens illud: & ita mutatio.

D. Quinto præterea: quia generatio videtur esse essentialiter mutatio, sicut species essentialiter includit genus: productio autem ad esse per modũ naturæ est generatio: igitur illa non potest intelligi sine mutatione.

E. Sed contra est; quia Filius habet entitatem formaliter *necessariam*, & eamdẽ cũ producente: igitur, &c.

F. Respondeo dicendum: quod dubium est, quæ sit differẽtia inter necessitatem Filij, secundum Theologos, & creaturæ necessario productæ, secundùm Philosophos. Et respõdeo: quod Philosophi ponentes creaturas necessario produci, habẽt dicere, quod ipsæ haberent entitatem, qua formaliter essent necessariæ: sed in illa entitate dependerent à causa necessario producente. Filius autem (vt dictum est) habet entitatem formaliter necessariam, & eamdem

Vide Auer. 7. meth. Cõmen. 3.

eamdem cum producente. Creatura igitur, ſi eſſet ex ſe neceſſario, nõ poſſet non eſſe circumſcripto omni alio, cuius circumſcriptio nõ implicat contradictionem: tamen, circumſcripta cauſa alia, à ſe per incõ poſsibile, poſſet non eſſe: Filius autem non poſſet non eſſe, circũſcripto omni alio ſecundum entitatem à producto: quia non poteſt non eſſe, niſi circumſcripta perſona producente, quæ non eſt aliud, ſecundum entitatem, à producto. Vnde ſi Pater creaturam naturaliter produceret, & neceſſario produceret eã formaliter neceſſariam, tamen non eſſet tunc neceſſaria tanta neceſsitate, quanta eſt nunc Filius neceſsarius. Stat ergo de Filio, quod ſit à ſe formaliter neceſſarius: & tamen ab alio producente, cũ quo habet eãdem entitatem neceſſariam.

Concluſio.

G. Ad primum argumentum, cum *ſcilicet* probatur primò per neceſſarium ex ſe, & ex alio, dico, quòd ſi idem genus cauſæ importetur per hæc duo, ex ſe & ex alio, verum eſt, quod nihil ſic eſt neceſſarium ex ſe & ex alio: ſi autem aliud genus cauſæ importetur, puta per illud ex ſe cauſa formalis, & per illud ab alio, cauſa effectiua, vel productiua, non eſſe inconueuiens, idem eſſe neceſſarium ex ſe vno modo, & ab alio alio modo. Cùm probatur maior primi ſyllogiſmi, dico, quod neceſſarium ex ſe formaliter, nõ poteſt nõ eſſe, circumſcripto quocũque alio, cuius circumſcriptio non includit in compoſsibilitatem, ponendo illud eſſe: ſed ex ſe neceſſarium formaliter, ſequitur poſſe non eſſe, circumſcripto quocumque alio per incompoſsibile, ſicut ex vno incõpoſsibili, ſequitur aliud incompoſſibile: ita de Filio.

H. Ad ſecundum dico, quod poſsibile logicum differt à poſsibili reali, ſicut patet per Philoſophum 5. meth. cap. de potentia; poſsibile logicum eſt modus cõpoſitionis formatæ ab intellectu, illius quidẽ cuius termini non includunt contradictionem: & ita hoc modo poſsibilis eſt hæc propoſitio, Deum poſſe produci, & Deum eſſe Deum. Sed poſsibile reale eſt, quod accipitur ab aliqua potentia in re, ſicut à potentia inhærente alicui, vel terminata ad illud, ſicut ad terminum. Filius autem non eſt poſsibilis, poſsibilitate reali, nec poſsibilitate inhærente alicui, nec terminata adipſum: quia poſsibilitas, ſiue actiua, ſiue paſsiua eſt ad aliud in natura: ſicut patet per diffinitionem potentiæ actiuæ, & paſsiuæ. 5. & 9. meth. quod eſt principium tranſmutandi aliud, vel ab alio, in quantum aliud. tamen Filius eſt terminus potentiæ productiuæ, quæ abſtrahit à ratione potẽtiæ effectiuæ: etſi illa potentia dicatur ſimpliciter potentia, terminus illius potentiæ poteſt dici ſimpliciter poſsibile; ſed poſsibilitas illa nõ repugnat formaliter neceſſario: ſed poſsibilitas, de qua Philoſophi loquuntur de potentia actiua, & paſsiua propriè, repugnat neceſsitati ex ſe.

Ariſt. 5. meth. c. de pot. tex. com. 17

5. meth. tex. com. 17. 9. meth. text. com. 2.

I. Ad tertium, cùm dicitur ibi eſſe ordo: ergo intelligitur prima Perſona, non intellecta ſecunda. Reſpondeo, quod non neceſſario, prima intellecta, intelligitur ſecunda Perſona cum prima Perſona, ſi illa prima Perſona eſt abſoluta; ſed nõ ſequitur ex hoc, quod ſi prima Perſona intelligitur eſſe, ſecunda Perſona intelligatur non eſſe: ſicut non ſequitur, illud animal, quod eſt in homine, intelligitur, non intellecto rationali: igitur intelligitur non eſſe rationale. Cum autem infert mutationem ex terminis oppoſitis; accipit, ac ſi intelligeretur productũ nõ eſſe, quando producens eſt; quod falſum eſt: abſtractionem enim ſine

mendacio (quæ est non considerando illud, à quo fit abstractio) commutat in abstractionem mẽdacem, quæ est considerando illud nõ esse, a quo fit abstractio.

Aristot. 2. Phis. text. comm. 18.

L. Ad quartum dico, quod illa Persona non esset in essentia sine productione: habet enim essentiam per productionem. Non sequitur ergo, essentia de se non habet personã: ergo essentia de non habente fit habens; sed sequitur, ergo essentia de ratione sua non habet illam: vel nõ includit illam personã. Quod patet, si persona est relatiua. Probatio: quia tunc est aliquid, excepto relatiuo, secundum August. 7. de Trin. cap. 1. vel 6. quia relatio non est de ratione absoluti: ipsa autem in quãtum essentia habet illam productionem, siue per productionem habet personã, in qua subsistit: quæ tamen persona, vel productio non est de ratione essentiæ. Nõ autẽ sequitur mutatio ex hoc, quia aliquid ineſt alicui, quod nõ est de ratione eius: sed mutatio requirit, quod aliquid insit alicui, cui prius infuit oppositũ quod non habetur in proposito.

De hoc vide clariu. 1 dist. 2. q. 2.

Ad quintum dico, quod in gene ratione in creaturis concurrũt duæ rationes, scilicet, quod ipsa est mutatio, & est productio: vt est mutatio est forma subiecti mutati: vt est productio, est termini producti vt via: istæ rationes non includunt se essẽtialiter, etiam in creaturis: diuersa enim respiciunt. Primo ergo sine cõtradictione potest intelligi ratio productionis, sine ratione mutationis, & ita generatio trãsfertur ad diuinam sub ratione productionis, licet non sub ratione mutationis.

I

Expositio 2. art. quæstion. 4. distinct. 2.

1. IN hoc articulo subtiliter ostendit Doctor ex productione verbi non sequi non esse ita necessarium, sicut Pater est necesse esse. Quia, etsi Verbum sit à Patre productum: non tamen dependet ab illo. Nam dependentia est inter duo, quorũ illud quod dependet non intelligitur posse manere circumscripto, vel secluso illo à quo dependet. Sicut si per impossibile circumscriberetur Deus: non potest intelligi creaturam esse. Quia si illo circũscripto adhuc creatura esset: profecto ad sui esse non dependeret à Deo. In hoc igitur consistit independentia Verbi à Patre, quod circumscripto omni alio à Verbo: semper intelligitur esse Verbum, nam eadem numero natura, quæ est in Patre, est in Verbo. Et ideo non posset circumscribi Verbum, quin circũscriberetur Pater. Posset tamen circumscribi creatura, quin circumscriberetur Deus, etiam si creatura à Deo necessario esset producta. Cũ ergo omnis necessitas Patris & Filij, qua scilicet Pater & Filius sunt necesse esse, sit à Diuina natura, que ex se est necesse esse: ideo manente Verbo & circumscripto omni alio, quod non est eius formalis entitas: maneret quidem in Verbo eadem natura, quam nunc habet: quæ est idem esse quod est in Patre: & idem necesse esse quod est in Patre. Ex quo plane constat Filium non depẽdere à Patre: quia esse diuinum, quod habet à Patre, est idem esse quod est in Patre, dependentia verò non est eiusdem ad se, sed vnius recipientis aliquod esse distinctũ ab illo esse, quod est in illo, à quo depẽdet: ex quo prouenit differentia assignata in textu, quæ est inter creaturam necessario productã, & Verbũ. Quod si Deus produceret necessariò aliquid ad extra: ita quod, sicut ponebant Philosophi, creaturæ essent à Deo necessariò productæ, sicut ad intra, Verbum productum est: adhuc creaturæ illæ dependerent à *Deo*, sic illas necessariò causante. Quia habent distinctum esse ab esse Dei: & ideo per impossibile circumscripto *Deo*, non essent, eo quod totum earum esse dependet à productione Dei. At vero esse diuinum Verbi, non depẽdet à productione Patris, quia est idem, quod est in Patre. Et sic etiam productione præcisa, omne esse diuinum

Quid sit prie dependere vnum ab alio.

Quare filius in diuinis à Patre non dependeat.

Requiritur distinctio vnius ab altero ineſſe naturæ, ad hoc vt inter eos sit dependentia.

diuinum, quod habet verbum præsup ponitur iam completissimè & perfectissimè esse; licet non intelligatur pro tunc Verbo cõmunicatum. Hoc enim habet Verbum per productionẽ Ex quibus concluditur diuersitas necessitatis: quia creatura nec esset necessaria ex se, nec à se. Non primum quia ex ratione sua formali ens necessarium non esset. Nec secundũ, quia omnem necessitatem haberet à causa eam necessario causantẽ. Verbum autem est ens necessarium ex se, hoc est ex sua ratione formali; & essentia, quã in se habet, quæ est eadem Patris. Nõ tamen est necessarium à se: quia hanc necessitatem cum essentia habet communicatam à Patre. Ex quo sequitur saluari optimè productionẽ Verbi à Patre sine aliqua dependentia producti à producente.

DIFFICVL. XXXXVI.

Vtrũ in deo sit pluralitas personarum

§. 1.

Referũtur errores & hæreses infidelium.

1. AMETSI nunc temporis, circa huius ineffabilis mysterij certitudinem, nulla aperta sit nobis cum Hæreticis colluctatio: sed bene de modo procedendi diuinarum personarum, deque alijs sanctæ Triados proprietatibus speculatiuæ cõtrouersiæ inter Catholicos agitatæ tractatum hũc, statuta iam fide, perficiant: non propterea perfectus: & integer remaneret: nisi famosiorum Hæresum, quæ ab Ecclesiæ primordijs incendium in ipsa Dei Ecclesia excitarunt: at earum labefactationem nõ longo sermonis interualo adijcerent. Quia tamen circa hoc pũctum plera videre optauerit, legat Bellarminum tom. 1. lib. 1. de Christo, & in ei⁹ viginti capitibus reperiet, quod desiderat.

Gẽtiles plures Deos colebant.

2. Christicolis demptis, ferè omnes mundi nationes hoc sacrum mysterium negauerunt. Gentiles etenim Philosophi, solo naturæ lumine ducti (vt visũ est in difficultate 45.) vnum Deum esse ab effectibus syllogisticè intulerũt. Sed hunc Deum in pluribus personis existere, nullatenus agnouerũt. Quinimo, & eius Trinitatis personarũ Euãgelizantium prædicationem, veluti amentiam, & stultitiam irridebant. Iudæi verò Dei vnitatem per fidem, & supernaturalem reuelationẽ credebant, Personarum autem pluralitatem communiter ignorabant. Ac proinde, qui post Euangelij promulgationem, adhuc in Iudaica perfidia pertinaciter perseuerant, plures personas negant esse in Deo, quia existimant Trinitatẽ personalem pugnare cum fide, antiquitus, suis parẽtibus reuelata. Et ideo Paulum, Christum Dominum, Filium Dei, consubstantialemque Patri prædicantem, vt blasphemum persequebantur. Vnde de Gentilibus, & Iudæis dixit ipse: *Prædicamus Iesum Christum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Iudæis igitur in hoc pũcto Mahometici in suo Alcorano adhærent, licet Christum sanctum, & à Deo missum esse fateantur.

Pagani & Iudæi & Mahometici Trinitatem negantes.

1. hæresis

3. Inter Christianos attamẽ, qui Euangelium credunt, & Patrem, & Filium, ac Spiritum sanctum confitentur, extiterunt antiquitùs nõnulli, qui ità de ipsis diuinis personis hæretizare cæperunt, vt Trinitatis veritatẽ fide reuelatam dogmatibus falsis præuerterent. Quatuor igitur extiterunt hæresum classes: quarũ prima, cæteris multò antiquior fuit, quę quamuis fateretur, Filium simul cum Patre esse verũ Deum, Patrique consubstantialem: & Spiritum sanctum similiter Deum, & eiusdem esse subsantiæ cum Patre, & Filio: in Deo nihilominus vnam tantũ esse personam aiebat. Quæ tamen persona, prout ex tempore naturam assumpsit humanam, Dei Filius dicebatur. In se vero atque in quantum est rerũ creatarum principium, & vnicus gubernator, & rector, dicitur Pater. Et tãdem quatenus ex tempore creaturas intellectuales sanctificat: vocatur Spiritus Sanctus. Ac proinde concedebat error iste Christum Dominum re ipsa & per,

Hæretici ponentes in Deo vnam personam.

& personaliter insimul esse Patrem,& Filium,& spiritum Sanctum. Et ex cõ sequenti non minus Patrem,& spiritũ
D.Hilar. Sanctum Crucis mortis patibulum subijsse, passosque fuisse, quam Filium. Vnde Patripassiani à Patris passione, huius hæresis sectatores vocati sunt,vt inquit Diuus Hilarius, 4. de Trinitate.

4. Huius attamen hæresis plures familiæ extitere diuersis nominibus à suis dogmatizãtibus capitibus appellatæ. Errorem namque istum dogmatizare cæperunt circa annum incarnationis Dominicę 186. Montanistæ cuiusdam
Mõtanistæ Montani sectatores, qui etiam vocati
Eusebius. sunt Kataphrigæ,eo quod ex gẽte Phri
Epiphanius gia ortum habuerunt. Hos memora-
Kataphrig. uit Eusebius lib. 5. histor. cap. 14. & 18.
Noetiani. si vero Epiphanio hæresi 7. fidem præ-
Tertulian. bemus, primi huius hęresis inuentores
Hermogen. fuere Noetiani, à quodam Noeto Assiatico hanc nomenclaturam ducẽtes.
D. Aug. Si verò Tertuliano lib. de præscriptio
Donatiani. nibus aduersus Hæreses. cap. vlt. cre-
Sabeliani. dimus, Paraxeas fuit primus inuentor;
Sanderus. vel saltim ex Asia hanc hæresim attu-
Samosateni lit in Europã, à quo Praxeiani eius dis-
Nicephor. cipuli sunt vocati. Hermogeniani quo
Photinus. que Hermogenem magistrum suum
Deistæ. sectantes, vt refert D. Augustinus lib.
Trinitarij. de Hęresibus capit, 41. ac Donatiani à
Seruetus. Donato in Africa, teste Epiphanio Hę
Belarmin. resi 48. fuerunt item huius erroris se-
Blandiata. quaces. Sed Sabelius Afer Pentapoli-
Sosinus. tanus, & Noetij discipulus in Africa te
Franc.dau. ste Augustino hæresi 41. & Sandero 7.
Paul. Alc. de visibili monarchia hæresi 50. hunc
Caluinus. ita dogmatizauit errorẽ, vt autor eius
Lutherani. habeatur, & eius professores Sabelliani, tanquam Sabellianæ hæresis sectato
Brentiani. res appellati sint. Post Sabellium autẽ
Melantoni Paulus Samosetanus, à quo Samosetani,
Zuingliani vt inquit Nicephorus lib. 6. histor. c. 27. dicti sunt: ac Photinus Episcopus Sermiensis, teste Epiphanio hæresi 71. surexerunt, qui etiam hunc profitebãtur errorem.

5. His quoque nouissimè anno videlicet à nato Domino 1564. aggregati sũt quidam appellati Deistæ, seu Trinitarij, qui quamuis tres hypostases (naturæ hypostasis ignorantes vt constat) in Deo admitterent: tres tamen personas ibi esse negabant. Sed peruersius omnibus insanus ille adolescens Michael Seruetus, natione Hispanus in scholis Lutheranorum nutritus anno 1555. Contra ipsum Lutherũ eo quod Sabelianam hæresim nõ profiteretur, conspirauit, & surrexit ita vt sibi totius orbis prophetæ titulum arroganter subripere non erubuerit. Qui tandem (vt testis est Bellarminus in Genuense vrbe furiosus & impatiens dolore acerbissimo igne crematus est. Ipsum tamen sequuti sunt Georgius Blãdrata, Paulus Alciatus, Zelius Socinus, Frãciscus Dauid, ac plures in Trãsiluaniæ partibus. Contra ipsos autem Caluinus scripsit. Et quidem consurgunt hoc tempore vndique Lutherani, Brentiani, Melanchtonici, Zuinglliani, Caluinistæ, & alij Septentrionales Hæretici contra Seruetum, ac Deistas, ita vt per omnem Germaniam, Galliã, Coloniam, & Saxoniam libri ipsorũ volitent contra Seruetum, Arianos, Samocetanos, & quidem omnes in hanc hæresim destruendam, ac si Catholici essent, irruunt. Licet Belarminus in præfactione ad primũ librum de Christo, Erasmum, Lutherum, & quosdam alios ex quibusdam verbis eorum in prædictæ hæresis damnatione quodãmodo cõprehendi ostendat. Sed quidquid sit de hoc puncto nostra non interest ventilare. Sat enim est ad intentum, ipsos in cõfessione suæ fidei profiteri, Deũ simul esse Trinum, & vnũ, vt dicamus absolutè non controuerti hodie cum Hæreticis huius sacri mysterij certitudinem.

6. Suam igiur hæresim varijs Sacræ paginæ testimonijs persuadebat Sabellius, sed interea potissimum est illud Ioannis cap. 14. *Pater in me manens ipse facit opera. Et iterum qui videt me videt & Patrem.* & alia huiusmodi, quæ Patrem in Filio esse testantur. *Ioannis 14*

7. Secunda hæresis per oppositum concedebat tres esse diuinas personas numero distinctas, earum tamen consubstantialitatem negabat, sed tres naturas, & substantias diuinas in tribus personis esse dicebat. Cuius hæresis sectatores Tritheitæ apellabantur. Eius tamen Hęresiarcha, si Nicephori, & Suidæ scriptis credendum est, fuit quondam

2. Hæresis negans vnitatem deitatis in personis.

quondam Philoponus, ſed Caluini ætate hunc ſuſcitauit errorem Valentinus Gentilis. Quia hæc tamen hæreſis nullo (ſaltem apparente) ſcripturæ teſtimonio nitebatur: poſt modum ab eodem Valentino deſerta eſt, & eius ſectator in Arianiſmũ delapſus.

Triteitæ. Nicephor. Suidas. Philopon. Valẽtinus.

8. Tertia hæreſis tres perſonas Patris videlicet & Filij & ſpiritus Sancti confeſsit. Sed proceſsionis earum actiones quaſdam ad extra, eſſe dicebat ac proinde illis produci effectus à ſua cauſa ſubſtantialiter diſtinctos. Propterea que Filum Dei alterius naturæ, & eſſentiæ à natura & eſſentia Diuina Patris eſſe dicebat. Cum autem ſola diuina natura (quam eſſe ſolius Patris putabat) æterna ſit, dixit Filium non æternum eſſe: ſed puram quandã ſpiritualem creaturam, longe atamen cæteris excellentiorẽ, de nihilo ante omnia à Deo creatam, non tamen ex æternitate: & ideo Filium per infinitum tempus in diuina Patris cogitatione apprehenſum, præceſsiſſe, ante quam eſſet creatus. Quia tamen in ſcriptura ſacra habetur expreſſe Filiũ Dei eſſe Deum: hoc concedebat ſub hac diſtinctione: non quidem eſſe Filium Dei per eſſentiam Deum, ſed per participationem, ſicut Iob C. 36. Angeli Filij Dei vocantur, dum dicitur ibi: *Vbi eras quando me laudabant aſtra matutina, & iubilabant omnes filij Dei?* Addebat autem hæc hæreſis propter illud Ioann. 1. Verbum ſolum carnem ſumpſiſſe inanimẽ in vtero Virginis, & carni, loco animæ, ſuã vniuiſſe ſubſtantiam, quamobrem per incarnationis myſterium, filium Dei factum fuiſſe hominem, ſed non eiuſdem rationis nobiſcum, ſiquidem anima rationali carebat: eo quod verbi ſpiritualis ſubſtantia eius vicẽ ſuppleuerat. Spiritum autem Sanctum affirmabat de nihilo eſſe creatum a Filio: ac ideo ſicut Filius Patri erat inferior, ſic Filius ſpiritui Sancto erat ſuperior. Hanc perniciosiſsimam hæreſim, quæ longo tẽpore Eccleſia Dei infecit, inuenit maledictus Arius, qui circa annũ 314. vigebat, vt refert D. Auguſtinus de hæreſibus, *ad quod vult Deum*, hæreſi 49. A quo Ariani eius diſcipuli ſunt vocati.

3. hæreſis Arij negãtis verbi di uinitatem.

Iob.

Arius. D. Auguſt Ioannes 10

9. Confirmabat hanc hæreſim Arius pluribus ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, præſertim ex illo Ioannis 10. & 15. *Quia Filius omnia habet à Patre, & audit à Patre*, & iuxta illud Ioannis 14. *Quia Pater maior me eſt.* Item ex alijs locis, quibus oſtendi videtur, ſolum Patrem eſſe Deum, non autem Verbum. Vtpote ex illo Ioannis 17. Vbi hæc ait Chriſtus Dominus: *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcãt te ſolum Deum verum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum.* In quibus verbis diſtinguit Chriſtus ſe a Patre, ac ſi oſtendat Patrem ſolum eſſe Deum, Filium vero eius creaturam ab eo miſſam in mundum. Quod item probãt ex illo 2. Chorint. 1. vbi inquit Apoſtolus. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Ex quibus manifeſte videtur oſtendi ſolum Patrem eſſe Deum, ſiquidem Apoſtolus ipſum ſolum Deũ appellat. Quod ex alijs ſimilibus locis probatur.

Ioannes 17.

2. Cho: int.

10. Hoc idem authoritatibus Patrum probant Ariani, & præſertim ex pluribus dictis D. Ignatij in epiſt. ad Philippenſes enim, probat ex illis verbis Deuteronomij *Dominus Deus tuus vnus eſt*, Patrem eſſe vnum, & ſolum Deũ, & in huius confirmationem in medio epiſtolæ introducit Chriſtum in tentatione deſerti dicentem Satanæ illa verba, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Qui Chriſtus ibi introductus ab Ignatio in hæc verba prorumpit. *Scio eum, noui vnum ſolum, cui non denego ſeruire: à quo tu apoſtata factus es. Non ſum Anthiteus* (hoc eſt contrarius Deo) *Confiteor eius eminentiam.* Ex quibus inferũt ex Chriſti Domini confeſsione ſolum Patrem eſſe Deum, cui ſolummodo debetur cultus Deificus, ſeruitus, & obſequium. Et in epiſtol. ad Epheſios, inquit ipſe Ignatius, *Medicus autem noſter eſt ſolus verus Deus*, & infra, *habemus autem medicum, etiam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Item idem Ignatius in epiſt. ad Tercenſes inquit. *Non eſt ipſe ille, qui eſt ſuper omnia Deus, ſed Filius ipſius.* Ex quibus, & alijs verbis D. Ignatij videtur ſequi Chriſtum non eſſe Deum, ſed eius creaturam, quod idem probãt ex alijs ſanctorum Patrum teſtimonijs.

10.

Beat. Ign.

11. Quarta hæreſis ab Ariana diſsentit in eo

11. Hæreſis negans Diuinitatẽ Spiritus Sancti Macedon. D. Auguſt

in eo quod Filium Patri substātialem esse concedat. Ille autē consentit, quatenus spiritum Sanctum creaturam esse proteruit. Quam dogmatizauit Macedonius, vt refert D. Augustin. hæresi 52. ex quo Macedoniani vocati sunt eius discipuli: qui etiam dicebantur semi-ariani, eo quod cum Ario tenebant, spiritum Sanctum creaturam esse: licet crederent Verbum esse verum Deum, quod negabat Arius. Hanc hæresim confirmabant ex locis sacræ scripturæ, quæ videntur ostendere spiritum Sanctum fuisse a Deo creatum, vt habetur ex illo Amos c. 4. iuxta versionem 70. Interpretum. *Ego Dominus firmans tonitruum, & creans spiritum,* & Ro- *Amos.* manor. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitib⁹ in enarrabilibus.* Ex quo arguit quod si spiritus Sanctus esset Deus, non indigeret gemitibus, ad consequendam veniā peccatorū: sed ipse, cū Deus esset, sine postulatione, aut gemitu, peccatoribus veniam indulgeret. Quod confirmant ex alijs verbis eiusdem capitis, nempe *Accepistis spiritum filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Nam si De⁹ est (inquit Macedonius) ad quid clamat, aut quid postulat? Ipse enim potest, quod precatur concedere: & quidem, si id concedere nō potest, & pro peccatorum indulgentia clamat ad Deum, ipse Deus non est. Hoc item confirmant, ex illo 4. ad Galatas: *Misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Item probant ex illo Ioann. 14. & 15. vbi spiritus Sanctus dicitur esse missus a Patre, & Filio. Sed mitti est inferioris a superiori: quia in mittente importatur autoritas, & imperium: in misso autem declaratur subiectio, & seruitus: ergo spiritus Sāctus est inferior, & minor Patre, & Filio, Sed quod minus est Deo, non est Deus sed creatura illius: ergo spiritus Sanctus non est Deus, sed creatura Dei,

Hæc, & alia similia argumenta fabricabant huius erroris fautores.

§. 2.

De fide concluditur trinitas Personarum, & vnitas essentia in Deo.

IN oppositum autem est fides Catholica, quæ prædictis quatuor hæresibus sequentibus quatuor propositionibus aduersatur. 12. *Conclusio.* 13.

Difficultatem ergo concludendo dico 1. aduersus hæresim Sabelli, quod hæc est propositio vera de fide. *In Deo sunt tres personæ realiter distinctæ, scilicet Pater & Filius & spiritus Sanctus.* Veritas hæc constat ex vtriusque testamenti testimonijs, & Ecclesiæ definitione & Sanctorum Patrum attestantiū authoritate. Primo ergo probatur ex illo Geneseos 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ex quibus verbis in Concilio Prouintiali Ser- *Genesis 1.* miensi iussu Constantini Imperatoris anathematismo 13. sic diffinitur. *Si quod scriptum est, faciamus hominem, non Patris & Filium & spiritum Sanctum dicere, sed ipsum ad semetipsum asserit dixisse Deum, anathema sit.* Hunc propterea locum omnes ferè Patres intelligunt de Sanctissimo Trinitatis mysterio, vbi denotatur vnitas Deitatis, & Trinitas personarū, nā postquā ostēditur Trinitas dū dicitur, *faciamus ad imaginē nostrā,* optimè declaratur vnitas Deitatis, dū cōcluditur, *Et creauit Deus hominē ad imaginem suam.* & iterum *Ad imaginem suam creauit illum.* Et iterum *Masculum & fœminam creauit eos.* Vbi ostenditur apertè Tres personas per indiuisibilē actionē hominē condidisse; nā licet vtatur sacer textus in singulari verbo *Creauit* Vt ostendat vnica & indiuisibilè creatione Deum ad extra omnia condere, atquè ideo indiuisibiliter hominem creatum esse à Deo: tamen simul tres personæ ab huiusmodi indiuisæ actionis creandi veluti vna indiuisibilis causa concurrunt.

Declaratur ergo diuinitatis vnitas in illo verbo singulari *Creauit.* Manifestatur tamen personarum creantium Trinitas in trina repetitione verbi

Creauit

Creauit. Ac ſi dicatur Pater *creauit*, Verbum *Creauit*, & ſpiritus Sanctus *Creauit* & omnes tres ſimul *Creauit*: non tamē creauerūt: quia non diſtinctis, ſed vnica & indiſtincta actione diuina Trinitas creat. Hunc ergo locum de hac diuina perſonarum Trinitate explicat. D. Athanaſius in oratione contra Idola circa finē. D. Baſilius, Origenes & D. Chriſoſtomus ſupra hūc locum. D. Epiphanius in lib. Anchorato. D. Ambroſius in lib. de dignitate humanæ conditionis D. Augustinus in lib. de geneſim ad litteram ſupra hūc locum. D. Theodoret. q. 19. in geneſim. Rupertus lib. 2. in geneſis cap. 1. & plerumque omnes hunc locū de hoc myſterio explicant. Item probatur ex illo Geneſis 18. vbi dicitur Deum apparuiſſe Abrahamo, & quidem tres Angelos ſuſtinentes locū diuinarum trium perſonarum ſibi apparuiſſe: Abrahamum vero propter eſſentiæ vnitatem eos adoraſſe, ac ſi vnus eſſet dicens. *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas.* Et tandem probatur ex illo Eſaiæ ſexto, vbi Seraphim propter Trinitatem perſonarum ter clamabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & propter eſſentiæ vnitatem in ſingulari dicebāt *Dominus Deus Sabaoth.*

D. Atan. *D. Baſil.* *Origenes.* *D. Chriſ.* *D. Epi.* *D. Ambr.* *D. Auguſt* *D. Theod.* *Geneſis. 10.* *Eſaiæ.*

15. Pluribus alijs locis veteris teſtamenti probatur hæc veritas: & illam probant noſter Nicolaus de Lyra, Paulus Burgenſis, & plures alij ex illis primis verbis Geneſis, *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: Vbi in textu Hæbreo habetur, *In principio creauit Heloim cœlum & terram*. Quod nomen *Heloim* eſt in plurali & quidem pluralitatem perſonarum ſignificat. Petrus Galatinus in lib. 2. de arcanis cap. 9. adducit plura alia teſtimonia Sacræ paginæ, quibus ex veteri teſtamento hanc veritatem probat contra Iudæos, quæ videre licet: late etenim & pulchre hoc ſacroſanctum myſterium ibi confirmat & explicat.

Nicolaus. *Burgenſis.* *Geneſis 1.* *Pet. Gal.*

16. Probatur 2. huius propoſitionis veritas ex noui teſtamēti expreſsis teſtimonijs, vbi Chriſtus Patrem appellat alium à ſe: alietas autem diſtinctionē dicit. Patet Ioannis 5. vbi inquit ipſe Dominus. *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me: qui miſsit me Pater, ipſe teſtimonium perhibet de me.* Et Ioannes 8. *Solus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater: & in lege veſtra ſcriptum eſt; quia duorum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſsit me Pater.* Quibus verbis ſe, & Patrem duas perſonas appellat Chriſtus. Item clarius habetur Matth. cap. vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* & 1. Ioannis 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt*, ſcilicet in eſsētia, & tres perſonæ. Et Appocalypſis ca. 4. ſupra citata verba Eſaiæ repetit Euangeliſta dicens, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui venturus eſt.* Quæ verba in reuelatione audiuiſſe teſtatur.

Ioannis 5. *Ioannis 8.* *Mathæi vl 1. Ioann. 5* *Appocal. 4*

17. Probatur 3. ex pluribus ſacrorū Cōciliorum diffinitionibus, vt patet ex Conſtantinopolitano 1. cap. vltimo, & Niceno in ſymbolo fidei antea ab Apoſtolis edito vbi dicitur expreſſe, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum treſeſſe perſonas. Et in Cōc. Epheſino 1. paulo ante Anathematiſmos, & Calcedonenſi actione 1. & Lateranenſi in cap. *Firmiter*, & in cap. *Damnamus* de ſumma Trinitate, & fide Catholica, & in ſymbolo Athanaſij à Sixto 1. epiſt. 1. decretali, & in Concilio Tridētino ſeſſ. 3. & in fere pluribus alijs Generalibus, & Prouincialibus Concilijs, quę hanc Perſonarum trinitatem confitētur in Deo.

Concil cōſt. *Concil. N.* *Simb. Fidei* *Concil. Ep.* *Conc. Lat.* *c. firmiter.* *c. damnam⁹* *Epiſt. decr.* *Conc. Trid.*

18 Probatur tandem authoritatibus Patrum, & 1. ex D. Dionisio de diuinis nominibus cap. 1. vbi in quit, itaque *In omnibus ferme Theologica tractatione ſummam diuinitatem ſanctè celebrari videmus, vt ſingularem quidem, atque vnicam, propter ſimplicitatem, & vnitatem illam impartibilem: vt Trinitatem vero, propter ſupereſſentialis fœcunditatis, in ſuppoſitis tribus expreſsionem, &c.* His ſimilia verba habet cap. 3. de myſtica Theologia. Item D. Ignatius diſcipulus ſancti Ioannis Apoſtoli in epiſt. ad Philipenſes ait. *Non in vnum trinominen, neque in tres incarnatos, ſed in tres eiuſdem honoris credendum eſſe dicit*, & in epiſt. ad Antiochenos ait: *Abijcite omnem Gentilem, & Iudaicum errorem, vt nec multitudinem introducatis Deorum, nec prætextu vnius Dei negetis Chriſtū.*

D. Dioniſ. *D. Ignatius*

Moyſes

Moyses enim Dei famulus fidelis dicens: Dominus Deus tuus Deus vnus est, & vnũ & solum prædicans Deum, continuo confessus est & Dominum nostrum dicens, Dominus pluit super Sodomam & Gomorram, à Domino ignem, & sulfur. Hoc idem profitentur & attestãtur D. Ireneus lib. 3. contra hæreses Cap. 6. & 10. Origenes lib. 1. periarchon cap. 1, D. Iustinus in lib. de recta fidei explicatione, & in Appologia ad Antonium, Clemens, Alexandrinus lib. 1. pedagogi, Tertulianus lib. 4. aduersus Marcionem, cap. 25. & lib. aduersus Praxeam cap. 10. D. Atanasius in simbolo fidei, & lib. 7. in epist. ad Romanos, D. Hilarius in libris, quos edidit de Trinitate, D. Hieronymus in quæstionibus supra Genesim, & sæpissime alibi D. Augustinus in libris de Trinitate, D Ambrosius de fide orthodoxa contra Arianos, Gregorius, Chrisostomus, & omnes alij Sancti Patres, tàm Græci, quàm Latini, hoc sacrum mysterium orationibus mirificis, contra Sabelianos defendunt.

D. Iren. Origenes. D. Iustin. Clem. Al. Tertulian. D. Atan. D. Hilar. D. Hieron. D. August. D. Ambr. D. Gregor. D. Chrys.

18. Dico secundo aduersus hæresim Tritheitarum, quod hæc propositio est vera de fide, *In tribus diuinis personis est vna numero indiuisa, & indistincta natura, vna substãtia, & vna essentia.* Propositio hæc, vltra quòd satis probata est in difficultate præcedente, vbi diuinæ naturæ vnitatem probauimus: modo in conclusione 1. vlterius probatur. Siquidem tam Scripturæ testimonia, quam Conciliorum difinitiones, quàm etiam Sanctorum Patrum authoritates, quæ supposite rum Trinitatem probant, insimul Dei vnitatem in tribus suppositis existentem confitentur.

2. cõclusio.

§ 3.

De fide concluditur, Filium Dei esse Deum consubstantialẽ Patri, & ei coæternum non creatum, sed genitum.

19. DIco tertio aduersus hæresim Arianorum, quod hæc propositio est vera de fide. *Filius Dei est verus Deus cõsubstantialis Patri, & ei coæternus, genitus, & non creatus:* Hæc veritas probatur ex vtriusque testamẽti testimonijs, & difinitione Ecclesiæ, & Sanctorum Patrũ authoritate. Sed primo loco cõtextuãtur plura veteris testamenti testimonia in nouo, ita quod de Christo dicantur in isto, quæ in illo attestantur de Deo primo igitur dicitur Exo. c. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægipti,* & Deuteronomij 32. *Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus,* hæc autem contextuantur in epist. Iudæ cap. vnico, vbi dicitur, *Iesus populum de Ægipto saluans, secundo eos qui non crediderunt perdidit.* Item Numeri 21. dixerunt Iudæi ad Moysem, *Cur eduxisti nos de Ægipto, &c? Quamobrem Dominus immisit in populũ ignitos serpẽtes.* Hoc idẽ Christo Apostolus tribuit 1. Chorint. 10. dum inquit, *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.* Item Psal. 67. de Deo Israel dicitur. *Dominus in eis, in Sina in sancto. Ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem, accepisti donà in hominibus.* Hoc idem de Christo affirmat Paulus ad Ephesios 4. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dixit. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Et psalmo 101, *Tu Domine initio terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt Cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes.* Quæ omnia applicat Christo Paulus ad Hæbreos cap. 1. dum inquit, *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbẽ terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei, & ad Angelum quidem dicit, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros in flammam ignis. Ad filium, tronus tuus Deus in sæculum sæculi. Et tu in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt tu autem permanebis, &c.*

Exodi 2. Iudæ epist. Num. 21. 1. Chor. 10. Psalmo 27. Ad Eph. 4 Psalm 101 Ad hebr. 1.

Præterea contextuatur illud Esaiæ 4. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Hæc eadem verba, quæ Esaias de Deo Israel dixit: dicunt Matth. ca. 3. Marc. 1. Luc. cap. 1. & Ioannes c. 1. de Christo Domino. Item idẽ Esaias c. 45 *Ego Dominus, & nõ est alius, in me metipso iuraui, quia mihi curbabitur omne genu.* Hoc idem de Christo inquit Apostolus ad Romanos

Esaiæ 20. Matth. 3. Marci. 1. Lucæ. 1. Ioannes. 1. Esaiæ. 45. Ad rom 14

Romanos 14. ait enim, *Omnes stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim vivo ego dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Item idem Isaias capit. 41. ait *Dominus ego sum primus, ego nouissimus.* Hoc habetur Apocalypsis capite primo de Christo Domino: *Ego sum Alpha, & Omega, ego sum primus, & nouissimus, & viuens, & fui mortuus.* Itē Malachiæ tertio, dicitur, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparauit viam ante faciem meam*: hoc habetur expresse de Christo, Lucæ 1. vbi cecinit Zacharias, *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Hæc quidem, & alia similia veteris testamenti elogia dicta de Domino Deo Israel, applicantur in nouo testamento Christo Domino, tanquam vero Deo Israel. Ex vtroque etenim testamento eius contestatur diuinitas, & ostenditur esse Dei Filium, eiusdemque Deitatis cum Patre.

Esaiæ 41. *Apocal. 1* *Malach. 3.* *Lucæ 1.*

21. Alia sunt testimonia veteris testamenti, quæ habentur, de filio Dei expresse attestantium, ipsum esse verum Deum: nam Isaiæ cap. 9. dicitur: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis:* Vbi expresse vocatur Deus Christus Dominus, secundum naturam, qua est Patri consubstantialis. Item Baruch cap. 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur ad eum, hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit Iacob dilecto suo, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*: Quē locum D. Ciprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 5. de Deo incarnato intelligit, sic etiam intelligunt D. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 2. D. Hilarius lib. 5. de Trinitate in fine D. Naciācenus oratione 4. de Theologia. D. Chrisostomus orat. quod Chtistus Deus. D. Basilius lib. 4. in Eunomium prope finem: D. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 33. D. Theodoretus supra hunc locum Baruch, D. Cirillus lib. 10. in Iulianum, & plures alij ex hoc loco Iudæos conuincunt, Christum esse verū Deum, Deique consubstantialem filium. Quod item probatur Zachariæ 12. vbi ait Dominus Deus, *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem, spiritum gratiæ, & precum, & aspicient me, quem confixerunt*: Qui locus intelligitur ad litteram de Christo affixo Cruci: & tamen loquitur ibi Deus Israel de se. Ex quo colligitur ipsum Deum Israel in carne passibili sibi hypostaticè vnita, fuisse Cruci affixum.

Isaiæ. 9. *Baruch .3* *D. Ciprian.* *D. Ambrosius* *D. Hilar.* *D. Nacian.* *D Chrisost.* *D. Basili.* *D. Aguſ.* *D. Theod.* *D. Cirillus* *Zachariæ 12.*

22. Secundo probatur ex nouo testamēto, nam Ioan. 1. dicitur, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & cap. 10. *Ego, & Pater vnum sumus.* Quo testimonio vtuntur omnes Patres contra Arianos, vt probent vnam essentiam, & Deitatem esse Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & ipsius Ioan. cap. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*, & ibi: *si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis.* Itē ibidem dicit, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Item est illud testimonium Thomæ Ioan. 20. qui mittens manum in latus Christi Domini inquit, *Dominus meus, & Deus meus*: Sed clarius Apostolus ad Rom. 9. *Ex quibus Christus est secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*: Præterea ad Philippenses 2. *Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Item ad Titum 2. loquens de Christo ait: *apparuit gratia Saluatoris nostri Dei*, & 1. Ioan. 5. *Vt simus in vero filio eius, hic est verus Deus, & vita æterna*, & ad Hæbreos 1. ipsum vocat Pater æternus Deum, dum dicit illi, *Tronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui*, & 1. Ioannis vltimo, *Vt maneatis in vero filio eius, hic est vere Deus*, & ad Titum 2. inquit Paulus, *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.* Alia plura sunt vtriusque testamenti testimonia, quæ refert Bellarminus, to. 1. libr. 1. de Christo, capite quarto, quinto, & sexto: vbi solutiones Hæreticorū optime confutat ex doctrina sanctorū Patrum.

Ioan. 1. & 20. *Ioan. 14.* *ibidem* *Ioan. 20.* *ad Rom. 9.* *ad Philip. 2.* *ad Titum 2* *Ioan. 5.* *ad Hæbr. 1.* *Ioan. vlt.* *ad Titum 2.* *Bellarm.*

23. probatur tertio hæc eadem veritas ex illis quatuor Conciliis Generalibus, quæ, vt quatuor Euangelia veneratur Ecclesia, scilicet ex Niceno primo, Constantinopolitano primo, Ephesino primo, & Calcedonensi, in quibus damnata est hæresis Ariana,

ex illo Symboli, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri.* Item in quinta synodo capit. primo, vbi diffinitur, tres personas esse vnius essentiæ: & cap. 11. anathematizatur Arius, & Eunomius. Item in 6. synodo Generali, actione 17. & in 7. synodo, actione 7. & in 8. synodo actione vltima: in Concilio Lateran. capit. 1. in Conc. Vienen. Vnde extat Clementina vnica, *De summa Trinitate, & fide Catholica*, in Concilio Florent. sessione vnica de decreto processionis Spiritus sancti, & in Concil. Trid. session. 3. & in omnibus alijs Concilijs Ecclesiæ Generalibus, & Prouincialibus deffinitur hæc veritas.

Con. Nic. *Constantin.* *Ephesin.* *Calcedon.* *5. synod.* *6. synod.* *7. synod.* *8. synod.* *Conc Lat.* *Cõ. Vien.* *Clem. vnica* *Cõc. Flor.* *Conc. Trid.*

24. Probatur quarto, hæc eadem veritas authoritatibus Sanctorum Patrum, & præsertim ex D. Ignatio in epistola ad Philippenses, vbi ait: *Si quis dicat vnum esse Deum, & confiteatur Christum Iesum, sed eundem nudum esse hominem putet, huiusmodi serpens est, fraudem, & errorẽ prædicans in exitium hominum, & est eiusmodi inops sensu cognomento Ebion,* & in epistola ad Antiochenos ait: *omnis, qui annunciat vnum solum Deum, & tollit Christi diuinitatem, is est diabolus, & hostis omnis iustitiæ,* & in epistola ad Policarpum inquit, *Expecta Christum filium Dei in tempore, qui omni tempore caret, palpabilem, omnemque contactum fugientem, vtpote incorporeum.* Item Diuus Iustinus in libro de recta fidei explicatione ait, *Vnus, re vera est vniuersitatis huius Deus, qui in Patre, Filio, & Spiritu Sancto agnoscitur, cum namque ex substantia sua Pater Filium genuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit, iure optimo, quæ vnam habent, eamdemque essentiam, vna atque eadem dignantur diuinitate.* Et infra probat Filium, & Spiritum sanctum non esse creaturas, sed vnum Deum creatorem cum Patre. In Apologia autem ad senatum ait: *Porro Filius eius, qui solus proprie dicitur Filius Verbum simul cum illo ante creaturas existens, & nascens, quoniam per eum primitus condidit, & ornauit,* & in Dialogo, cum Triphone prope finem docet Patrem, & Filiũ verè esse duos, & tamen vnius essentiæ. *Inquit enim virtutem eam à Patre, nullo pacto disiungi, & secerni posse,* & infra, *Virtutem istam, quam Deum sermo Propheticus vocat, non ita, vt solis lumen nomine tantum numerari, verum numero quoque aliud quodam esse, supra explicui virtute, nam dicens de Patre genitam, non per recisionem, veluti abessentia Patris dispartitam, prout omnia alia diuisa, & secta non eadem sunt, quæ antea fuerunt, quam scinderentur.*

D. Ignat. *D. Iustin.*

25. Ab Antenagora in Apologia ad Antonium probatur eadem veritas, dum inquit: *Filius Dei ratio, & Verbum est Patris in forma, & efficacia, ab ipso namque, & per ipsum facta sunt omnia, quod vnum sint Pater, & Filius, & quod Filius sit in Patre, & Pater in Filio.* Et infra, *Primum germen Patris est Filius, non tanquam factum, à primordio enim Deus mens æterna existens, habuit in se ipso rationem, & verbum.* Et rursus subdit: *Quis igitur non obmutescat, si Atheos vocari nos audiat. Qui dicimus Deum Patrem, & Filium Deũ, & Spiritum Sanctum illorum, & vnione virtutem, & in ordine ad distinctionem demonstrantes?* Hoc idem testatur expresse Diuus Irenæus libro tertio capite sexto, dicens: *Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli, eum, qui non esset Deus deffinitiuè, & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus: neque Dominum appellassent aliquem ex persona sua, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium eius:* Et libro quarto, capite vndecimo inquit: *Ipse igitur Christus cum Patre viuorum est Deus, qui & loquutus est Moysi, & qui patribus manifestatus est.*

Antenagor *D Irenæus*

26. Præterea Origenes lib. 7. in epist. ad Romanos, exponens caput 9. hæc profert. *Miror quomodo quidam legentes quod Apostolus dicit, vnus Deus Pater, ex quo omnia, vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia: negent, Filium Dei, Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere videantur. Et quid de hoc loco Apostoli facient, in quo aperte Christus super omnia Deus esse præscribitur? Sed non aduertunt, qui hæc ita sentiunt, quod sicut Dominum Iesum Christum, non ita vnum esse Dominum dixit, vt ex hoc Deus Pater non esse Dominus dicatur: ita etiam Deum Patrem, non ita vnum Deum esse dixit, vt Dei Filius Deus non credatur. Vnus autem vterque est Deus.* Item Tertulianus libro quarto contra Praxeam inquit: *Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus*

Origenes *Tertulian.*

ſolus, ex quibus Chriſtus, qui eſt Deus ſuper omnia benedictus in æuum omne.

27. Porro D. Ciprianus tractatu de Idolorum vanitate, vltra medium, hoc ipſum teſtatur, dum inquit, *Vnus omnium Dominus eſt Deus, neque illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cum ſola omnem teneat poteſtatem.* Et infra concludit, *Hic eſt Deus noſter, hic Chriſtus eſt.* Item D. Hieronymus ſuper cap. 4. ad Epheſios ait. *Si, vt exiſtimant Ariani, Deus Pater eſt, Deus ſolus, eadem conſequentia ſolus erit Dominus Ieſus Chriſtus, & nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus: ſed abſit, vt nõ ſit, vel in dominatione deitas, vel in deitate dominatio vnus eſt Deus, & vnus eſt Dom. quia Patris & Filij dominatio, vna diuinitas eſt.* Itẽ D. Auguſt. lib. 7. de Trinitate cap. 9. nominatim excludit Arianos, qui Filium verum Deum eſſe negabant, & diſputationem concludens ait, *Nunc æqualitas Trinitatis, & vna, eademque ſubſtantia, quantum breuiter potuimus, demonſtrata eſt.* Hoc idem omnes ſancti Patres, pro prima concluſione citari, teſtantur, atque omnes alij Eccleſiæ Doctores, ex quibus conſtat hæc veritas, non ſolum probata, ſed contra Hæreticos, illam calumniantes, euidenter oſtenſa ex ſacræ paginæ teſtimonijs, contra quos integerrime redarguunt, eorum falſa dogmata mirabiliter confutando.

D. Cip. ian

D. Hieron.

D. Auguſt

§. 4.

De fide concluditur, Spiritum ſanctum eſſe verum Deũ, Patri, & Filio cõſubſtantialem.

28. DIco quarto, aduerſus hæreſim Macedonij, quod hæc eſt propoſitio vera, & certa de fide, *Spiritus ſanctus eſt verus Deus, Patri, & Filio conſubſtantialis.* Probatur hæc veritas, ex veteri teſtamento, præſertim, 2. Regum cap. 23. vbi dicitur: *Hæc ſunt verba nouiſſima, quæ dixit Dauid, ſpiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam, dixit Deus Iſrael mihi loquutus eſt fortis Iſrael dominator hominum.* Ex quibus clare patet, Spiritum ſanctum eſſe Deum, ſiquidem illum ipſum, qui dicitur ſpiritus Domini, appellat ſacer text. Deũ. Itẽ contextuatur illud Eſaiæ cap. 6. *Dicit Dominus exercituum Iſaiæ, vade dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere.* Et in cap. vltimo Actorum, vbi dicitur, bene Spiritus ſanctus loquutus eſt per Eſaiam dicens, *Vade ad populum iſtum, & dic eis, aure audietis, non intelligetis. &c.* Vbi oſtenditur manifeſtè, quod idem Deus, qui Iſaiæ loquutus eſt olim eſt Spiritus ſanctus, ex quo profitetur, Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, quod idem probatur ex omnibus locis veteris teſtamenti, quibus probatum eſt ſupra in concluſione prima, tres diſtinctas perſonas in vnitate eſſentiæ, & naturæ eſſe in Deo. Quod item habetur ex illo Sapiẽtiæ primo: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Replere, & in orbem terrarum ſolius eſt Dei, qui eſt vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

2. Regum.

Iſaiæ. 6.

Actor. vlt. 2

29. Secundo probatur, hæc eadem veritas ex pluribus noui teſtamenti teſtimonijs, & præſertim ex illo Actorum quinto, vbi dixit Petrus ad Ananiam. *Cur tentauit Satanas, cor tuum mentiri Spiritui ſancto? Non mentitus es hominibus, ſed Deo.* Et ex illo Matthæi vltimo. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* Vbi ly, *in nomine* denotat identitatem naturæ diuinæ, cuius authoritas, & poteſtas eſt eadem, & vna in tribus. Item 1. Ioann. cap. 5. vbi dicitur: *Tres ſunt, qui teſtimoniũ dãt in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt:* & infra, *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt:* Ac ſi dicat: magis credendum eſt Deo, præbenti teſtimonium ſuæ trinitatis in vnitate eſſentiæ, quam hominibus, vtpote hæreticis ipſarum perſonarum diuinitatem negantibus. Item ad Titum tertio dicitur, *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti.* Et Ioannis tertio. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum Dei.* Ex quibus locis egregiè argumentatur.

Actor. 5.

Matth. vlt

1. Ioann 5.

Ad Titũ 3

Ioannes 3.

Diuus Nacianceus his verbis, *Non est Deus adorandus Spiritus sanctus, quomodo me Deum per Baptismum efficiet?* Ac si dicat, quomodo in Baptismo sanctificare, & Deum per participationem efficere, qui non est Deus per essentiam.

30. *D. Nacianc.*

Probatur tertio eadem veritas ex diffinitione Ecclesiæ in omnibus Conciliis supracitatis, in quibus trinitas personarum, & Verbi diuinitas diffinitur, & præsertim in Concilio Constantinopolitano primo aduersus Macedonium celebrato capit. vltimo his verbis, *Credimus in Spiritum sanctum Dominum viuificatorem ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio æqualiter adorandum, & conglorificandum.* Item in Concilio Niceno dicitur in Symbolo fidei, *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur.* Et in Concilio primo Ephesino paulò ante anathematismos, & in concilio Lacedemonensi, actione 5. in 2. editione, hoc idem definitur expresse.

Concil. cõst. *Concil. N.* *Concil. Ep. Calcedonẽs.*

Quarto, hæc veritas probatur omnibus authoritatibus omnium Sanctorum Patrum, qui citati sunt pro conclusione tertia, qui simul probant diuinitatem Verbi, & Spiritus sancti, & præsertim ex Tertuliano lib. contra Praxeam, vbi hæc inquit: *Ecce dico aliũ esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum.* Male accepit Idiotes quisque aut peruersus hoc dictum, quasi *Diuersitatẽ sonet, & ex diuersitate separationem protendat, Patris, & Filij & Spiritus sancti: necessitate autem hoc dico cum eundem Patrem, & Filiũ, & Spiritũ contendunt aduersus œconomiam Monarchiæ adulantes, nonta men diuersitatem alium Filium à Patre, sed distributione, &c.* vbi alia præclara ponit, quibus Spiritus sancti diuinitatẽ contra Hereticos probat.

31.

§. 5.

Soluuntur argumenta Hæreticorum.

32. AD argumenta ergo pro hæresibus in oppositum fabricata: & primo ad illa, quæ sunt pro prima hæresi Sabellij facillimè respondetur, quod sufficit vnitas Deitatis ad hoc, vt Pater sit in Filio, & opera Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sint vnius principij: procedunt enim ab vno Deo, vt ab vno indiuiduo Deitatis. Vnde prouenit illud commune Theologorũ Axioma, quod omnia opera ad extra sũt indiuisa: nã distinctorum suppositorũ vna potest esse essẽtia, vna potestas, & vna virtus. Cum ergo visio beata immediate terminetur ad diuinam essentiam, eanquã ad obiectum formaliter beatificum, & vna sit essentia Patris, & Filij: hinc dicit Christus, *qui videt me, videt & Patrẽ*, ac si diceret, qui videt meam essentiã, videt essentiam Patris.

Ad arg. Sabelli.

Ad argumenta autem pro tertia hæresi Arij respondetur, quod Christus Dominus est verus Deus, & verus homo. Ex hoc autem, quod est verus Deus, adhuc non est à se, sed à Patre iuxta illud symboli *Deũ verò de Deo vero.* Vnde omnia, imò & ipsam diuinam essentiam habet a Patre: iuxta illud, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*: & in his nulla est minoratio, aut inæqualitas: sed significatur, quod vna persona procedit ab altera. Quatenus autem est verus homo, est minor Patre, & subiectus Patri, & obediens Patri. Et in hoc sẽsu inquit, *Pater maior me est.* Quæ omnia præclarè tradidit D. Athanasius in symbolo dicens: æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

33. *Ad argum. Arij.*

Illud vero, quod dicitur ex D. Ioan. *Vt cognoscant te solũ Deũ verum* facile soluitur, considerata vnitate Dei, diuina etenim vnitas excludit omnẽ aliã Deitatem, prout in difficultate præcedente probatum est. Et sic vnus solus est Deus, qui quidem pluralitatem Deorũ excludit: non tamen pluralitatẽ personarum. Vnde sic Christus Patrem alloquitur. *Hæc est vita æterna, vt cognoscat te solum Deũ verũ, & quem misisti Iesum Christũ*, qui tecũ est idẽ, & solus Deus: ego enim secundum diuinitatẽ sum eiusdem solius naturæ, in qua tecum & cum Spiritu sancto, summus vnus & solus Deus. Cuius Trinitatis vnitatem declarat, quatenus coniungit vitã æternã consistere in visione Dei, & Iesu

Iesu Chr. scilicet Verbi incarnati, quẽ misit Pater in mũdũ. Ponitur igitur illa particula *solũ* ad excludẽdos plures Deos, non tamẽ plures personas: quia in visione vnius solius Dei Trini in personis vita æterna consistit. Vel aliter, & magis Theologicè respondeo, quod cum in Christo Domino sit duplex natura, diuina, & humana, & secũdum quod homo, non sit obiectum visionis beatæ: sed solum secundũ quod Deus: tunc quatenus homo Patrem Deum alloquitur dicés; Pater, non cõstitit visio beata, quæ vita æterna est, in visione meæ humanitatis: sed in visione solius Deitatis, quæ est sola vna in te, & in me, qui etiam cum sim homo, sum Deus tecum, quem misisti; Iesus Christus: non ero quatenus homo, quia vt sic, sum tibi inferior: sed quatenus Deus eadem Deitate, qua vnus solus est Deus, vitam æternam hoc est visionem beatam, vt obiectum beatificũ termino.

34.

Ad illud vero Apostoli optime respondetur per ea, quibus supra n. 26. & 27. Origenes, & D. Hieronymus Arianos redarguũt probando, quod si ex eo quod Apostolus ibi, & alibi vocat Patrem, *Deum*, & Christum, *Dominum*, sequeretur Christum non esse Deum: eadem consequentia sequitur, quod Pater, eo quod ab Apostolo solum dicitur Deus, non esset Dominus, sicut (secundum ipsos Arianos) Filius eo quod soluni dicitur Dominus, nõ est Deus. Concludunt ergo ipsi & alij Patres Dominationem, simul & Deitatem vnicam, & indiuisam esse in Patre & Filio, atque ideo Patrem, & Filium insimul esse vnum Deum, & vnum Dominum. Quod idem ad alia similia argumenta Scripturæ respondendũ est.

35.

Ad authoritatem vero Dini Ignatij respondeo obcæcationem Hæreticorum tradidisse eos in reprobũ sensum, ita vt non viderint in eadem epistola a se allegata, alia verba eiusdem Ignatij, quibus luce clarius testatur, Verbum æqualiter, & simul esse Deũ cum Patre, dum ex citatis verbis Deuteronomij *Dominus Deus tuus vnus est*, hæc inquit de Verbo *Vnus quoque: & Filius Deus, Verbum, vnigenitus, qui est in sinu Patris*, quando igitur vnitatem diuinitatis Patri appropriat: non ab eadẽ vnitate Verbum excludit: sed illud insimul cum Patre, esse vnum Deum, fide irrefragabili confitetur. Quod autem refert de verbis Christi introducens illum cum Satana loquentem: non aduersatur huic veritati: sed Christi duplicem ostendit naturam, Diuinam scilicet, qua dixerat esse Deum, sicut Pater est Deus: humanam vero, qua est homo, & Deo inferior. Sæpe etenim constat Christum, secundum quod est homo, Patrem sic alloquutum fuisse, vt patet ex illo Matthæi cãpit. 27. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*: & ibi patrem orabat dicés: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste: sed non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et sæpissime alibi, vbi tanquam inferior orat ad Patrem, & ei inferioritatis obsequium præstat. Quæ omnia, & similia plane intelligenda sunt de inferioritate humanitatis ad Deum: & ita secundum quod homo, veluti subditus, & inferior Patri reuerentiam debitam exhibebat.

Matthæi 26. cap. & cap. 27.

Qualiter Christus sit Patri inferior.

36.

Verba D. Ignatij contra hæreticos cõuertũtur.

Illa autem verba eiusdem Ignatij, quæ referunt Ariani, contra ipsos ferrum conuertunt. Hæc etenim sunt verba omnia, quæ ibi habentur. *Medicus autem noster, est solus verus Deus vnigenitus, & inuisibilis, Dominus omnium, vnigeniti Pater, & genitor: habemus autem medicum etiam Iesum Christum, ante sæcula Filium vnigenitum, & in principio verbum.* Hæc quidem verba Ignatij (vt ex illis patet) clare genitorem, & vnigenitum Deum appellant ex æquo: Atque ideo circa mentem Ignatij, locus ambigendi non restat, nec aliqua ansa ex illis datur hæreticis. Nam quod videtur deinceps, distinguere de Iesu Christo, hoc congruit sacræ passioni ipsius: qua, secundum quod homo, mortuus est, & eius passio fuit nobis singularis medicina salutis. Inquit ergo Ignatius, quasi distinguens Verbum præcise, vt vnigenitum Patris, a se ipso, vt incarnatum in Christo: ac si diceret verbũ quatenus Deus, & vnigenitus Patris est nobis medicus, sicut eius genitor, efficienter nobis salutem gratiæ conferens: quia causa effectiua iustificationis soli Deo potest competere. Quatenus vero

Christus vt Deus est causa efficiẽs nostræ salutis; vt homo autẽ est causa meritoria illius.

opera humana Chriſti, noſtram merue runt ſalutem in Cruce, etiam nobis extitit ſalubernimus medicus. Si etenim Deus, ſecundum quod Deus, ſolũ eſt cauſa principalis efficiens noſtræ ſalutis: Chriſtus Dominus ſecundum quod homo, fuit cauſa meritoria eiuſdem ſalutis; & ideo differentia ab Ignatio aſsignata, in hoc conſiſtit (vt credo) quod Deus tam genitor, quam genitus, hoc eſt tam Pater, quam Filius, eſt noſter medicus principaliter, & efficienter, noſtram cauſans ſalutem; Chriſtus autem Dominus, ſecundum quod homo, medicus quoque eſt eamdem ſalutem meritorie cauſans.

37. Ad illud vero eiuſdem Ignatij in epiſtola ad Tarſenſes, reſpondeo non negaſſe hũc ſanctum Doctorem, Chriſtum eſſe Deum, qui eſt ſuper omnia: cum paulò infra, de Chriſto dicat, illum non eſſe hominem nudum, ac purum; hæc namque ait: *Quomodo ergo huiuſmodi homo eſt purus, ex Maria demum habens initium, vt eſſet, & non potius Deus Verbum, & Filius vnigenitus, de quo dictum eſt, In principio erat Verbum?* Loquitur ergo D. Ignatius, diſtinguendo diuina ſuppoſita Patris, & Filij, contra Sabellium, qui Patrem, & Filium vnam perſonam eſſe dicebat: & oſtendit Filium non eſſe Patrem, & Patrem non eſſe Filium. Vt autem hoc oſtenderet, vtitur modo loquendi Pauli Apoſtoli, qui quædam appropriat vni perſonæ, & quædam alteri; ac ita de Patre dicit Paulus, *Vnus eſt Pater ex quo omnia*: de Filio autem ait, *Vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia*, quem modum loquendi ſequitur Diuus Ignatius, vt diſtinguat Patrem a Filio, & ideo dicit non eſſe Filium illam perſonam, de qua dicitur eſſe ſuper omnia: ſed eſſe aliam perſonam diuinam de qua dicitur, quod per ipſum ſunt omnia, iuxta illud Ioannis primo, *Omnia per ipſum facta ſunt*: & ideo inquit Ignatius, non eſt Chriſtus ille, qui eſt ſuper omnia, ac ſi dicat; non eſt perſona Patris: ſed eſt Filius eius, per quẽ facta ſunt omnia, cum hoc tamen ſemper ſaluo, quod ſicut antea addixerat, Filius eſt Deus ſicut Pater.

Ad alia verba eiusdẽ D. Ignatij.

Oſtenditur diſtinctio Patris & Filij contra Sabellium.

1. *Chorint. cap. 8.*

Ioannes 1.

38. Ad argumenta pro 4. hæreſi Macedonij & primo ad illud Proph. Amos, ex quo deducunt hæretici Spiritũ ſanctum eſſe creaturam, reſpondent D. Naciancenus in oratione 5. de Theologia, quæ eſt in ordine 37. & D. Athanaſius in epiſtola ad Serapionem & D. Baſilius lib. 3. contra Eunomium, ibi non loqui Prophetam de Spiritu ſancto: ſed ibi ſpiritum ſignificare ventum: & ideo dicitur hunc ventum creatum eſſe a Deo. Ad illud autem de clamoribus, & gemitibus Spiritus ſancti, dupliciter poteſt reſponderi: vel quidem, quod ibi non eſt intelligendum, loqui textum ſacrum, de ipſa perſona Spiritus ſancti: ſed de ſpiritu gratiæ creato, quo iuſtus orat, & gemit, & clamat ad Deum, pro venia peccatorum: de quo ſpiritu loquitur Eccleſia, dum in quadam collecta ſic Deum precatur, *Spiritum nobis Domine gratiæ tuæ benedictionis infunde.* Et hæc eſt optima illorum verborum interpretatio, a pluribus approbata. Aliter vero intelligitur de ipſa tertia ſanctiſsimæ Trinitatis perſona. Et tunc explicant prædicta verba D. Nazianzenus oratione 36. & Diuus Auguſtinus libro primo contra Maximinum Arianum, de ſenſu cauſatiuo, ac ſi dicatur, quod Spiritus, qui vbi vult ſpirat: ſpirat quidem in nobis adiuuando nos, vt gemitibus, lachrymis, & clamoribus poſtulemus, & deprecemur a Deo veniam peccatorum.

Ad argum Macedonij

Reponſ. D. Nazianc. & D. Baſlius & D. Athanaſ.

Spiritus pro gratia ſumitur.

Expoſitio D. Nazian D Auguſt.

39. Ad illud vero quod infert ex miſſione Spiritus ſancti reſpondeo, quod mitti in diuinis non importat ordinem ſuperioris, & inferioris: ſed proceſsionem vnius perſonæ, ab altera: & ſic illa perſona dicitur mitti ab altera, quæ procedit ab illa. De quare plura dicũtur infra in quæſtione de miſsione diuinarum perſonarũ in diff. 76. & 77.

ARTIC.

ARTICVLVS III.

Vtrùm à quibuſdam rectè probetur dari productionem intrinſecam in Diuinis?

A. 

A tertium ſic proceditur: & videtur, quod à quibuſdam Doctoribus rectè probetur dari productionẽ intrinſecam in diuinis: *nam* arguit aliter quidam Doctor ſic, prima perſona cõſtituitur per relationem ad ſecundam, & non niſi per relationem originis: ergo oportet ponere in diuinis diuerſa ſuppoſita, quorum vnum ſit ab alio. Prima propoſitio probatur: quia prima perſona eſt relatiua ad ſecũdam: et ſi nõ conſtitueretur per illam relationem, ergo accideret ſibi relatio illa: quia adueniret illi perſonæ cõſtitutæ: quod eſt inconueniens.

Iſte Doctor eſt Henricus quolibt 6. qſt. 1.

B. Secundo præterea, arguit ſic, virtus ſumme actiua ſumme ſe diffundit: ſed nõ diffunderet ſe ſũme, niſi produceret aliquod ſummũ, quod non fuit niſi communicando alicui ſummam naturam: ergo, &c.

C. Tertio præterea, arguũt alij per rationem boni: quia bonũ eſt de ſe communicatiuum: ergo ſumme bonũ ſumme cõmunicatiuũ: non niſi ad intra: quia nihil aliud poteſt eſſe ſummum bonum: ergo, &c.

Ricardus 5 tri. & S. Bonauent. diſtinct. præſenti queſt. 1.

D. Quarto præterea, ſimiliter arguitur de ratione perfecti: quia perfectũ eſt, quod poteſt producere ſibi ſimile, ex 1. Meth. & 4. Metheor. ergo primum agens, quod eſt perfectiſsimum, poteſt producere ſibi ſimile: ſed perfectius eſt, quod poteſt producere ſibi ſimile vniuoce, quã æquiuoce: quia productio æquiuoca eſt imperfecta: ergo, &c.

Im probæm text. com. 14.

Sed contra eſt: *quia* oportet probare, quod ſumme ſimile vniuoce, ideſt in vnitate naturæ, eſſet producibile. E.

Reſpondeo dicẽdũ: quod iſtæ rationes nõ declarant propoſitũ per manifeſtius, neque fideli, neque infideli: tenendo igitur quatuor rationes præcipuas, *in primo artic. poſitas*, & præcipue duas primas pro concluſione affirmatiua quæſtionis, reſpondeo ad argumenta in oppoſitum. F.

Cõcluſio.

Ad primũ, quãdo accipit, quod prima perſona conſtituitur per relationem, ſi vult perſuadere infideli, accipit minus notum principali propoſito: minus enim notum eſſet tali, ſcilicet infideli, per ſe ſubſiſtens conſtitui per relationem, quam productionem in Diuinis eſſe. Si etiam vult perſuadere fideli; adhuc procedit ex minus noto: quia quod productio eſt in Diuinis, eſt euidẽs, quod ſit articulus fidei: non autem eſt ita euidens, hoc eſſe articulum fidei, quod prima perſona conſtituatur per relationem. Et cum probatur, quod aliter illa relatio adueniret perſonæ conſtitutæ, & ita illa relatio eſſet accidens: probatio non videtur valere: quia ſimili modo poſſet argui de ſpiratione actiua, de qua omnes tenent, quod non conſtituit perſonam. Et cum arguitur vltra, quod diſtinctio non eſt ibi niſi per relationes originis; hæc non eſt ita manifeſta ſtatim ex fide ſicut concluſio, quã intendit oſtendere: nec etiã eſt neceſſaria ad propoſitũ in communi: quia & ſi aliter eſſet ibi diſtinctio, poſſet tamen ſaluari origo. G. H.

Ad ſecundum, cum arguitur, quod ſumme actiuum eſt ſumme diffuſiuum ſui, reſpondeo, quod verum eſt, quantum poſsibile eſt aliquid diffundi: ſed oportet probare,

quod posſibile eſſet aliquod diffundi, ſiue communicari in vnitate naturæ.

I. Ad tertium de ratione boni per idē: quia oporteret probare, quod communicatio eiuſdem rei, vel naturæ, eſſet poſsibilis: quia ad impoſsibile includens contradictionem, non eſt potentia, nec communicatio bonitatis.

L. Ad quartum ſimiliter, perfectum eſt natum producere ſummum ſibi ſimile; verum eſt, ita ſummum ſibi ſimile, ſicut poteſt produci. Oportet igitur probare, quod ſummum ſimile in vnitate naturæ, eſſet producibile, *ſicut dictum eſt.*

Expoſitio articuli 3. quæſt. 4. diſtinctionis 2.

REfert Doctor in textu huius articuli quatuor rationes, quarum duæ priores ſunt Henrici, & duæ poſteriores Ricardi. Quibus Doctores iſti intendunt probare productionem intrinſecā eſſe in Deo. Has autem reijcit Doctor, non quia veritatem non contineant: ſed quia propoſitum per manifeſtius nō declarāt. Nec etenim fideles, neque infideles, dictis rationibus conuincūtur, ad productionem huiuſmodi cōcedendam. Cuius rationem reddit Doctor, hic ſolutione ad primum: quæ clarius habetur infra in difficultate ſequenti. Prædictas igitur quatuor rationes aliorū Doctor ſoluit ibidem; & quo ad probationem productionis diuinæ ſe remittit ad quatuor rationes, quibus ex mente propria in articulo primo dari intrinſecam productionem in Deo probauit. Littera ſatis perſpicua eſt, & expoſitione non eget.

DIFFICVL. XXXXVII.

Vtrùm in Diuinis pluralitas perſonarum ex intrinſeca productione proueniat?

§. 1.

Proponitur ſtatus controuerſiæ, & ratio dubitandi argumentis ſuadetur.

REiectis iam Hæreticorum erroribus, fidelibus autem incontraſtabili fide credentibus diuinæ naturæ vnitatem, & perſonarum trinitatem: inter Catholicos Theologica difficultas inueſtigat, an tres Diuinæ perſonæ ſint improductæ, an vero quædam illarū ſint verè productæ, & per veras, & reales productiones procedant, atque ideo pluralitas perſonarum in Deo, ex productione intrinſeca prouenia? Cuius dubitandi ratio poterat eſſe deſumpta ex duplici modo, quo poteramus concipere perſonas eſſe in Deo, vel quidē ita vt tres perſonæ, nullo inter ſe habito originis ordine, immediate ſine productione, aut proceſsione in diuina natura ſubſiſtant, vel ſecundo quod vna tantum perſona ſit improducta, quæ alijs naturam diuinam, quam à ſe habet, per productiones communicet. Horum igitur prius rationi magis conſonum eſſe: ſecundum vero diuinæ celſitudini derogare, nonnullis ſuadetur argumentis. I.

Primo, quoniam omne productum procedens, eſt diuerſum ab eo, à quo procedit, quia proceſsio importat relationem procedentis ad principium, a quo procedit: et ex conſequenti diuerſitatem: non enim eſſe poteſt relatio eiuſdem ad ſe ipſum: intra Deum autem, nulla admittitur eſſe diuerſitas quia eſt ſumme ſimplex, cui diuerſitas omnino repugnat: ergo in Deo nulla perſona poteſt eſſe producta ab alia, nec ab illa procedere. 2. 1. *argum.*

Secundo,

3. Secundo, nam procedere ab alio repugnat ratione principij: nõ enim saluari potest ratio principij in eo, quod ab alio principio procedit. Deus autẽ
2. argum. primum principium est, & causa omnium productorum: ergo in Deo repugnat esse processionem vnius ab alio.

4. Tertio, quia si in diuinis est aliqua productio, vel illud, quod producitur, & procedit per illã, est vere Deus, aut
3. argum. non. Si hoc secundum dicatur: ergo procedens in diuinis, est creatura: quia inter creaturam, & Deum, medium esse non potest, & tunc incideremus in damnatam hæresim Arij, qui Verbum, & spiritum Sanctum creaturas esse dicebat. Si autem primum dicatur, hoc idem videtur inferri: quia Deus est ens necessarium ex se ipso: quod autẽ producitur non est ex se, sed ab alio, a quo videlicet producitur, & procedit. Et ex consequẽti habetur, quod illud productum, Deus esse non potest. Quod confirmatur, quia omne productũ possibile fuit produci: ergo omne productum possibilitatem producendi includit. Sed possibile, & necessarium sunt opposita. Ergo cum Deus sit ens necessarium, nulla in eo productio esse potest.

5. Quarto vbicunque est processio producti à producente, ibi necessario est dependentia illius ab illo. Nã ab illo, a quo aliquid est productũ
4. argum. habet suam essentiam, & naturam: à quo autem habet suam essentiã, & naturam, dicitur dependere, tanquam ab eo, sine quo suum esse non haberet: quia constat productum à producente suum esse habere. Sed repugnat diuinæ perfectioni, vnam personã ab alia dependere: siquidem Deus dependens aliqualiter, esset Deus imperfectus, & ex conquenti non esset Deus: ergo repugnat in diuinis esse productionẽ personarum.

6. Quinto, nam producens est in aliquo prioritatis genere prius producto ergo in illo priori in quo est prius producto, est producens, & non est pro-
5. argum. ductũ: ergo productum transit de non esse producti, ad esse productũ: ergo mutatur de non esse, ad esse. Sed Deo repugnat mutari, quia est essentialiter immutabilis: ergo Deo repugnat productio, & processio. Ibi autem est productione sequi mutationẽ, probatur: quia non est transitus de contradictorio in contradictorium, sine mutatione: ergo non est transitus de non producto, ad productum, sine mutatione producti.

Tandẽ probatur ex eo quod videtur non posse saluari productionem in diuinis, sine labe hæresis Ariani, quia 7.
6. argum. produci est quoddam fieri: ergo quod producitur, est quod fit: & ex consequenti est quid factum. Actio enim qua producẽs producit quoddã facere est: ergo quod producitur à Patre, est factum à Patre. Sed hoc dicebat Arius, contra quem symbolum fidei diffiniuit, verbum non esse factum: ergo &c. Argumenta hæc sunt cæteris fortiora ad suadendum in Deo non esse personarum productionem, & ex consequẽti pluralitatem personarum in Deo non esse ratione productionum.

§. 2.

Proponitur vera Scoti, & omnium Catholicorum doctrina.



8. IN oppositum autem est litera textualis in hac quæstione 4. ar. 1. vbi ex D. Augustino hæc profert Doctor. *Pater est principiũ totius diuinitatis non nisi per productionem*, & infra inquit. *Quia pluralitas declaratur ex productione, ideo primo respõdeo ad quæstionẽ de productione, & dico quod in diuinis est, & potest esse productio.* Tenet D. Tho. 1. parte q. 27. art. 1. est D. Thomas quæ sententia communis inter Catholicos certa in fide. Pro cuius intelligẽtia primo obseruare oportet, quod cũ Deus sit numen excelsum, longè superans nostram scientiam: ac ideo cõceptibus à creaturis desũptis inuestigari debeat (vt inquit Paulus ad Rom. Ad Rom. 1. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*) hinc est, quod ea, quæ sunt in Deo, nõ sunt à nobis scruranda instar infimarũ, sed supremarum creaturarum, vt inquit

D. Thomas loco citato. Cum vero inter creaturas, corporeæ ab intellectualibus excedantur: non instar corporearum productionum, sed intellectualiũ debemus productiones, & processiones diuinas proportionaliter contemplari. Et quia productio in creaturis intellectualibus, vt puta in Angelis, & in hominum mẽtibus, est per intellectũ, & voluntatem: datur enim productio verbi per intellectum, & amoris, per voluntatem: ideo ad modum talium productionum, debemus productiones diuinas speculari. An vero productiones diuinæ in se ipsis sint per intellectum, & voluntatem nec ne? infra in difficultatibus sequentibus ventilabitur. Ex his ergo ad intellectualem naturam accedendo.

Instar productionum Angelorũ & mentis humanæ, speculantur productiones diuine.

9. Supponendum est, Angelos, & homines per intellectum verbum mentis producere, & per voluntatem amorẽ: namqualiter huiusmodi productiones verbi, & amoris sint increatis, vt ex eis ad increatas elligendas peruenire possimus? in difficultate sequenti inuestigabitur. Nunc autem ad præsentis intelligentiam, talium creaturarũ productionũ, quas esse supponimus, imperfectiones nonnullas, quas in se includunt, & diuinis repugnãt, operepretiũ erit de medio tollere. Ad quod est insuper obseruandum secundo ex Doctore in hac quæstione art. 4. (quod etiam dixerat Aristoteles 6. metaph. c. 1. & 1. Ethicor. c. 1.) quod actiuum, & factiuum sunt differentiæ accidentales potentiæ productiuæ. Id est (vt explicat Pater Herrera in 1. disputat. 5. q. 2. notabil. 4.) accidit potentiæ productiuæ, quatenus productiua est, quod sit actiua, vel factiua. Potentia enim productiua solum dicit posse producere, & per consequens productio solùm præcisè vt sic terminatur ad productum: si autem tale productum natum sit recipi in externa materia, vt calor productus ab igne receptus in aqua: tunc huiusmodi productio erit factio, & potentia productiua erit factiua. Si vero productum non sit natum recipi in externa materia: sed recipitur in ipso producente: vt contingit in verbo mentis, quod producit intellectus, & in se iterum recipit: tunc productio ista est actio, & potentia sic productiua est actiua. Si autem productũ illud esset subsistẽs, non posset recipi in ipso producente: cum hoc quod est recipi sit tãtum accidentis, & non substantiæ, quæ alicui inhærere non potest: & hac de causa productio, qua producitur, non esset actio, neque productum actum. Etsi hoc productum simul habeat esse eiusdem naturæ, cum producente, & ideo nõ potest esse in externa materia, quia idem non potest à se ipso separari, & extra se poni: ac propterea productio qua producitur non esset factio, nec tale productum factum, neque potentia, quæ ipsum producit esset factiua nec actiua: tunc in toto rigore loquẽdo talis potentia erit præcisè productiua, & eius productio erit præcisè productio, & productum per eam, erit præcisè productum.

Aristotiles.

Actiuum, & factiuũ sunt differẽtiæ accidẽtales potentiæ productiuæ.

Herrera.

Ex hoc ergo videndum est, qualiter imperfectionibus sublatis productio reperiatur in Deo: nam cum procedens in diuinis sit subsistens, & in simul eiusdem naturæ cum producẽte, hinc est, quod nec productum diuinũ est actum, nec est factum: nec eius producti potest dici fieri, nec agi, sed præcisè produci: nec potentia, à qua procedit, est actiua, nec factiua, sed præcisè productiua. Ratio ergo præcisa quare diuina productio non est actio, est quia productum per eam non est accidens, sed subsistens. Ratio verò, ob quam non est factio, est quia non est distinctæ naturæ à producẽte, sed eius dem naturæ cum illo. 10.

Diuina productio nec est actio nec factio.

Nec valet si dicas, quod cum agere & facere sint differentiæ diuidentes productionem; necessariò vnum ex illis debet cõpetere cuilibet productioni; quanuis enim animal vt sic possit concipi secundum præcisam rationem animalis: non ideo potest dari aliquod animal in re ipsa, quod nõ sit rationale, aut irrationale. Similiter quãuis ratio productionis possit considerari, secundum suum formalẽ cõceptum, vt abstrahit ab actiuo, & factiuo: non tamen potest dari in re ipsa aliqua productio, quæ non sit actio, aut factio. Non, inquam, valet hæc obiectio; nam ibi arguitur a differentijs essentia 11.

sentialibus ad accidentales, quales dixit Scotus istas: quod argumentum nō obstat contra datam doctrinam: quia quanuis in differentijs essentialibuscō cludat: non tamen in accidentalibus. Nam quamuis non possit dari animal, quin sit homo, aut brutum, quia istæ sunt differentiæ essentiales animalis: potest tamen dari corpus, quin sit albū aut nigrum, aut alterius coloris (saltim per Dei potentiam) cum huiusmodi colores sint differentiæ accidentales corporis. Et ratio a priori est, quia differentiæ essentiales sunt in eadem serie prædicamentali sui generis: & speciem constituunt cum ipso genere ita vt absque ipsis differentijs, nequeat dari in rerum natura aliquod ens completeperfectum: attamen differentiæ accidentales sunt alterius prædicamēti, a prædicamento sui subiecti: & cum supponant subiectum constitutum in esse complete perfecto: non componunt cum illo vnum per se, sed per accidens. Vnde prouenit, quod sublatis differentijs accidentalibus, possit manere subiectum in esse perfecto: sublatis vero differentijs essentialibus, nequeat esse aliquod ens in esse specifico, & perfecto. Cum igitur factiuum & actiuum non sint differentiæ essentiales, sed accidentales productionis: hinc est, quod potest dari, & datur de facto in Deo productio, quæ est vere, & formaliter productio: quæ tamen nullo modo sit actio, aut factio. Et ideo productum per illam est vere, & formaliter productum: absque eo quod sit aliquo modo factum aut actum.

§. 3.

Qualiter differant principiū & causa?

12. PORRO est iterum obseruandum, hæc nomina *causa*, & *principium* antiquitus ita fuisse confuse accepta: vt vnum pro alio sæpissimè fuerit vsurpatum: & quidem significatum eorum nō esse diuersum, videtur insinuasse Aristoteles, qui 4. Metaph. c. 2. ait ita comparari inter se causam, & principium, sicut ens, & vnum. Cum ergo ens, & vnum conuertibiliter dicantur ad inuicem, sic de principio, & causa videtur dicendum, secundum ea, quæ alijs locis circa hoc idem Philosophus affirmare videtur. Et ex inde arbitror in Græca consuetudine, ita hæc nomina indifferenter assumi in vsu fuerit: vt ipsimet sancti Patres, Patrem Filij appellasse causam, Patrem vero & Filium causam Spiritus sancti non dubitauerint. Vt videre est in D. Damasceno lib. 1. de fide c. 8. & 11. & D. Athanas. in actis Nicenæ Synodi, & Nacianceno oratione 29. de dogmate, & constitutione Episcopi. Latini vero nullatenus nomine causæ in hoc mysterio vtuntur: quod nos etiam obseruare debemus, non solùm ne in verbis cum Hæreticis conueniamus: sed quia in re ipsa principium latius patet, quā causa, vt inquit D. Tho. 1. p. q. 33. ar. 1. ad primum, & ex eodem Aristotele potest sumi: nā 5. Metaph. c. 1. postquam enumerauit varios modos principij, sic concludit. *Totidem autem modis, & causæ dicuntur; omnes enim causæ principia sunt:* quibus verbis ostendit principium esse superius ad causam, prout plerique Aristotelem commentantur.

Non dubitarūt Sancti Patres appellare Patrē causam Filij.

D. Damas.

D. Atanas.

D. Nazian

D. Thomas

13. Principium ergo sic describitur à Philosopho ibidem, *Principium est primū, vnde aliquid est aut fit, aut cognoscitur.* Quæ descriptio in ratione principij, vt sic, duo importat. Vnum est, quod principium præsupponatur ad illud, cuius est principium, & sit prius illo: quod notatur per ly *primum*. Alterum autem est, quod non sufficit hæc prioritas: sed est necessaria connexio, & consequutio vnius ab alio, quod insinuat ly, *vnde aliquid est*: nam frater antiquior non est principium sui fratris iunioris, quanuis sit prior illo: quia nulla inter eos est connexio. Præterea dicta descriptio distinguit triplex genus principij, nam vnum est principium cognitionis, quod vocatur etiam principium complexum, vt sunt præmissæ respectu consequentiæ. Et ideò propositiones per se nobis primo notæ dicūtur prima principia. Et hoc denotatur per ly *cognoscitur*. Aliud est principiū

Aristotil.

Quid sit principium

Triplex genus principij

à quo aliquid per se oritur, vt ex principio necessario, non tamen per positiuum influxum, sed solum per necessariam per se habitudinem. Sic priuatio ab Aristotele inter principia rerum naturalium connumeratur. Et hoc principium includitur in descriptione illa quatenus dicitur, quod est primum *vnde aliquid est*: aliud tandem est genus principij, quod vltra prædictam necessariam per se habitudinẽ dicit, esse principium per positiuum influxum, & communicationem sui esse: quia tamen iste modus respectu rerum creatarum semper est cum dependentia & causalitate: quem quidẽ modum, & non alium diuinæ productionis, cognouit Aristoteles, ideo dixit illã particulam *aut fit*. Nos autẽ vt comprehendamus sub hac diffinitione diuinũ principium, pro illa particula *fit* dicemus, *producitur*, & sic *principium est primum vnde aliquid est, aut producitur, aut cognoscitur*.

14. *Principiũ est aliquid communius quã causa.*

Ex dictis ergo infertur, quod principiũ in rigore sumptum, dicit necessariam connexionẽ & habitudinẽ vnius ad aliud. Item quod principium est quid cõmunius quã causa, etiam secũdum Aristotelem. Nam principium etiam dicitur de eo, quod non influit in aliud, vt priuatio; causa verò minime. Item principium conuenit entibus rationis, quale est priuatio; causa verò non item. Cõparato ergo principio intota sua latitudine ad causam: facilime cognoscitur principium cõmunius esse, quam causam. Attamen loquendo de tertio genere principij, id est de principio positiuo, per se verè dante, seu communicante aliquod esse illi producto, cuius est principiũ est ita difficile inuenire aliquam differentiam inter principium, & causam, vt non possit cognosci talis differẽtia lumine naturæ, quia in solo sanctissimæ Trinitatis mysterio reperitur talis principij modus. Nam relictis multis diffinitionibus causæ, hanc communiter recipiũt Philosophi, nimirũ, causa est principiũ per se, influens in aliud. Quia tamen hæc diffinitio causæ videtur non minus conuenire principio positiuo, quam causæ; ideo alij recentiores vt excluderent à ratione causæ principium, quod est mere principium, addunt prædictæ diffinitioni hæc verba, *& à quo aliquid per se dependet*, hoc est, quod illud aliud, in quod causa influit, pendet ab ipsa causa. Præterea principium vt sic, à causa distinctum, non influit in aliud: nam in diuinis productum, non est aliud à producente: quia *aliud* denotat distinctionem naturæ: sed communicat naturam suã producto, qui est alius à producente. Nam *alius*, masculine sumptus, denotat distinctionem personalem, quæ cũ id entitate naturæ reperitur in Deo.

Quid sit causa.

In diuinis productionibus est principium non tamẽ causa

15.

Porrò dependere vnum ab alio, optime secernit rationem principij, à ratione causæ. Quamuis enim à prima fronte videatur omne illud depẽdere ab alio, quod habet esse ab illo: nihilominus non reperitur dependentia in omni habente esse ab alio. Vt autem ea, quæ ore loquimur, mẽte capiamus hæc summopere aduertite, quod scilicet ad causalitatem requiritur, vt illud esse, quod causa per se primo influit in effectum, sit causatum ab ipsa causa & per consequens quod sit distinctum esse à proprio esse, quod causa in se habet: nam vnum esse non causat se ipsum. Hoc autem quod est habere esse distinctũ ab esse suæ causæ est proprie dependere ab illo. Eiusdem enim ad se ipsum non est dependẽtia. Hoc igitur, quod est dare esse distinctum ab esse proprio, quod influens in se habet, est propriè causare & efficere. Et è conuerso tunc proprie res producta pendet à suo producente, quãdo esse, quod ab illo habet, manat ab esse distincto, quod habet in se ipso producens. Et hoc esse quod productum habet à producente, sine tali influxu esse non potest.

Cuasa infert dependẽtiã effectus ad se principium verò non infert aliquam depẽdẽtiam producti adse.

16.

Quia tamen in processionibus diuinis non ita contingit: nam illud esse quod per se primo cõmunicatur personæ Productæ per processiones, nõ est aliud esse, ab ipso esse personæ producentis, sed est idemmet esse numero, quod est in persona producente: & hoc est singulare, admirabile in illis diuinis processionibus: ideo ita vna persona procedit ab alia, vt tamen

In diuinis productionibus nulla est depẽdentia.

ab illa

ab illa accipiat esse omnino independens: quia recipit ipsum met esse numero, quod est in persona producente: neque obstat, quod relationes diuinæ distinctæ sint in suo esse: quia in diuinis processionibus non communicatur per se primo aliquod esse relatiuum, sed absolutum, ad quod relatio consequitur. Pater enim generans Filium, primo, & per se communicat Filio suammet naturam. Relatio vero requiritur tanquam proprietas necessaria ad constituendam personam, vt suo loco dicemus. Sicut in generatione humana, quod per se primo, & formaliter communicatur, est natura humana, & humanum esse; ad illam tamē cōsequitur personalitas: ratio ergo productionis principaliter pensanda est, ex formali esse per se primo communicato, qnale est esse naturæ.

Ex notatis colligitur, quod vt tertij generis principium, videlicet productionis, etiam cōueniat principio diuinarum productionum, prout à causa condistincto, debet considerari sine omni prorsus dependentia: vnde in ipsa descriptione Aristotelica sine hac particula (quam vt dixi alij superadūt) importatur hæc differētia causæ, à principio. Nimirum quia ibi ponitur, quod causa est, quæ influit in aliud. Influxus autem in aliud ex se dependē tiam manifestat: quia est alteritas naturæ in effectu, quæ dependet à causa distinctam numero naturam habente. Qua propter in diuinis non cōcedimus, esse aliud & aliud: bene tamen alium & alium. Quia stat inter alium & alium, hoc est inter personam, & personam, esse communicationē naturæ à principio producente, in terminū productum: absque eo quod sit influxus inter aliud, & aliud, hoc est, inter producens permodum causæ, & productum per modū effectus, vbi distinctio naturæ necessario reperitur.

In diuinis non concedi tur esse aliud, & aliud sed alium, & alium.

§. 4.

Semel admisso in diuinis esse productionē, ratione ostenditur necessario vnam personam esse ab alia.

Supposito ergo saluari rationē veræ productionis, sine eo quod productū sit factum seu actum: & veram rationē principij, absque eo quod principium sit causa, seu ab eo productum tanquā effectus, vel aliquo alio modo dependeat: nō difficile erit, ex productionibus creatis, sublatis imperfectionibus, diuinas productiones sine omni prorsus ratione causalitatis, aut dependētiæ effectus ad causam concipere. Ad plenam attamen huius veritatis notitiam, nostra interest obseruare, in huiusmodi productionibus, aliquā necessario esse personam diuinam omnino improductam: quod Doctor probat infra in quæst. 6. huius distinctionis ar. 2. à qua secunda, & tertia persona producantur. Hoc namque præter quā est de fide (diffinitur in Cōcil. Niceno, & in Symbolo Athanasij in illis verbis *Pater à nullo est factus, nec creatus nec genitus*, & ab eodē Athanasio in Epistola de synodo Antiochena circa finē & in Concilijs Toletanis 6. & 11. in confessionibus fidei, & habetur expresse ab omnibus fere Patribus, præsertim à Nacianceno oratione 39. Damasceno lib. 1. de Fide cap. 9. Augustino 5. de Trinitate cap. 6. & sæpe alibi & Basilio lib. 1. contra Eunomium, & Hilario libro 4. de Trinitate, & lib. 9. Ratione manifestum est. Nam semel admisso, quod in diuinis est productio alicuius diuinæ personæ: necessario persona vna est ab alia producta. Illa igitur, quæ producit, si etiam est producta ab alia, necessario deueniendum est ad vnam, cuius non sit alia productiua, quia si non sistendum esset in vna improducta, proculdubio in infinitum procederetur: quod admitti non debet.

17.

Ostenditur dari vnam personā improductam.

Symbolum Athanasij

Sinodus Antiochena.

Conc. Tol.

D. Nacian cenus.

D. Damasc

D. Augusti

D. Basilius

D. Hilar.

18.

Verum enim verò posses dicere: in diuinis esse hunc Deum indiuiduum Deitatis, præintellectum antecedēter ad personas: & prout sic, posse intelligi esse principium primæ personæ, absquè eo, quod procedatur in infinitum; atquè ideo nulla esset persona improducta: siquidem illud indiuiduum Deitatis persona non esset. Huius tamen solutionis impugnatio est facillima, desumpta ex distinctione reali, necessario requisita inter producens & productum

Productio personæ nō potest cōpetere huic Deo in diuiduitatis

ductum. Cum ergo hic Deus à qualibet persona producta realiter distinctus non sit (aliàs enim persona producta non esset hic Deus) ideo non potest primam personam producere: & sic relinquitur vnam necessariò esse in diuinis improductam personam.

19. Demum præter hanc personam improductã, alias esse productas in Deo, vltra quod est definitum de fide (in Concil. Florentino, & in pluribus alijs Cõcilijs, & tradunt sancti Patres, inter quos sunt præsertim diuus Hilarius 4. de Trinitate prope finẽ, & lib. de synodis explicat 4. confessionis fidei n. 26. Athanasius in orat. cõtra Gregales Ricardus de S. Victore lib. 5. de Trinitate cap. 3. & 4. Fulgentius lib. ad obiectiones Arianorum in principio & ad sextam obiectionem) rationibus tamen diuersis à Doctoribus scholasticis probari intenditur: nam D. Thomas 1. par. quæst. 34. ar. 4. ad 4. & Henricus quodlib. 6. quæst. 1. id probant: quia si in Deo esset plusquam vna persona improducta: essent procul dubio plures Dij; cuius rationis fundamentum est desumptum ex illo celebri huius mysterij Axiomate, *Quod in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Huius autẽ Axiomatis fũdamentũ est, quia sinõ esset origines, quib⁹ in diuinis vna persona procederet, ac produceretur ab alia, sine quibus originibus, dari non possent tales relationes: profecto non essent plures personæ in Deo: quia non est alia ratio distinctionis in Deo, nisi relatiua personarum constitutio. Ex eo ergo quod plures personas in Deo fides Catholica profitetur; fateri debemus non aliter plures esse posse: nisi quia aliquæ per reales productiones procedunt.

Conc. Flor.
Hilarius.
D. Athan.
Ricardus.
Fulgencius
D. Thomas
Henricus.

20 Hanc tamen rationem non approbat Doctor in hac quæstione 4. ar. 3. Non quia vera nõ sit: sed quia nõ declarat propositum per manifestius fideli, nec infideli: quia quando accipitur in ea, quod persona constituitur per relationem: si vult hoc persuadere infideli, accipit minus notum, quam est principalis propositio, quæ probatur Minus enim notum est in fideli personam per se subsistentem constitui in ratione personæ per relationem, quã aliquas personas in diuinis esse productas: si autem hoc vult persuadere fideli; adhuc procedit ex minus noto: quia quod productũ sit in diuinis, est per se notum, eo modo quo sunt per se nota principia Theologiæ: nempe quia est articulus fidei; est enim euidẽs quod est articulus fidei, quem firmiter credimus, quia Fidei non potest subesse falsum. Non tamen est euidens esse articulũ Fidei, quod persona cõstituatur per relationem.

Infirmatur ratio supra dicta Henrici.

Deficit igitur illa ratio Henrici, 21.
quia adhuc sibi restat probandũ, diuinas personas per absoluta non posse distingui, vt ex pluralitate diuinarum personarum probet necessitatem productionum: hoc ergo probat Henricus, quia natura non potest communicari pluribus suppositis per absoluta, nisi per diuisionem ipsius naturæ, scilicet per modum totius vniuersalis: vt patet in natura humana, quæ est diuisa in Petro, & Paulo, & reliquis indiuiduis; vel per modum totius integralis, sicut totum diuiditur in partes. Hæc tamen eadem communicatio repugnat diuinæ naturæ, vt constat: quia inferebatur prima sequela a D. Thoma illata, quod scilicet plures personæ essent plures Dij, sicut plura humana suppositа, ob talem communicationem naturæ, sunt plures homines, & lignum in plures partes partitum, plura sunt ligna: ergo nequeunt diuinæ personæ per absoluta cõstitui: ergo necessario constituuntur per relationes; sed tales non sunt sine productionibus: ergo ex pluralitate personarum infertur a posteriori productionum necessitas.

Alia ratio Henrici, & D. Tho.

Sed huius probationis alium defectum inuenit Scotus. Nam esto, quod non posit ibi esse distinctio per absoluta, sed per relationes: vnde infertur, relationes illas esse originis, vt ex illis productiones in diuinis necessario esse probetur? 22.

Infirmatio rationis præ dictæ

Sed pro Henrico respondere possem, quod infertur ex adæquata trimembri diuisione relationis. Omnis enim relatio realis, secundum Philosophũ, fundatur in actione, & passione, cui correspondet relatio originis, vel in 23.

respõsio pro Henrici.

vnitate

vnitate naturæ:vel in menſura, & mẽſurabali. Ex his autem ſola relatione originis poteſt eſſe ratio conſtitutiua perſonæ; quia reales relationes vnitatis ſupponunt, relata iã eſſe diſtincta per aliud,vt referantur:quia nihil poteſt referri ad ſe ipſum: vnitas tamen naturæ non diſtinguit, imo eſt ratio conuenientiæ, qua referuntur ad inuicem extrema diſtincta, quæ in ipſa vnitate naturæ cõueniunt: ergo prius debent diſtingui diuinæ perſonæ, ad hoc, vt per relationes vnitatis naturæ referantur: aliàs enim omnis identitas naturæ, cum talibus relationibus non compatitur.Relatio quoque menſuræ,& menſurabilis, non habet locũ in diuinis,propterDei immenſitatem, & infinitatem. Ex quibus relinquitur ſolam relationem originis ibi poſſe diſtinguere diuinas perſonas. Si etenim origines non diſtinguerent, & conſtituerent perſonas diuinas: cum cõſtet ex fide, Patrem genuiſſe Filium: tunc origines,& relationes acciderent perſonis iam conſtitutis, & per alia diſtinctiua diſtinctis, & daretur in Deo aliquod accidens, quod dici non poteſt.

24. *Aliaconfutatio prædictæ rationis Henrici.*

Verum ex hoc adhuc non corroboratur ratio Henrici, quia non eo preciſe, quod relationes originis ſunt in diuinis,eſt perſonarum diſtinctio: ſed ex eo quod relationes conſtitutiuæ ſunt quædam incommunicabiles ſubſiſtentiæ: nam vt optimè Scotus redarguit,ſpiratio actiua eſt vera relatio originis;&tamen non conſtituit Patrem, aut Filium, in quibus eſt,in eſſe perſonæ:nec Patrem diſtinguit à Filio, cum ſit vna,& eadem relatio vnius ſpiratoris in vtroque. Nec propterea inferebatur benè, quod ſi relationes originis ſupponerent perſonas conſtituras,accideret illis per modum accidentis, quia eadem ſpiratio actiua ſupponit conſtitutas perſonas Patris, & Filij,& non ob id eſt aliquod accidẽs in Deo: quia talis relatio eſt perfectiſsime eadem ſuo fundamento,quodeſt in duabus perſonis.

25. *Quatuor rationibus efficacioribus probat Scotus productiones eſſe in Deo.*

Ex his ergo, & alijs, quibus Doctor vbi ſupra confutat inſufficientiã prædictæ rationis, & aliorum trium, quibus Henricus probare intẽdebat, duas diuinas perſonas eſſe productas, oſtẽditur manifeſte veriratem hanc alijs indigere probationibus efficacioribus, vt ratione,ſuppoſitis fidei principijs,id poſsit conuinci. Quare vtitur Doctor ad hoc probandum quatuor rationibus in primo articulo poſitis,quibus productiones eſſe in Deo probat, & in ſuper infra in quæſtione 6. huius diſtintionis ar.2. in corpore,alijs tribus rationibus probat diuinam naturã cõmunicari ſuppoſitis per productiones.

26. *Oſtenditur contra calumniantes quatuor rationes prædictas non eſſe demonſtrationes.*

Quia tamen oportet deſtruere quorundam calumniam imponentiũ Doctori,ipſum rationibus ſuis intendiſſe euidenter productiones diuinas demonſtrare: aduertendum eſt ex eiuſdem littera infra in quæſtionis huius artic.5. in corpore,nullam ex illis eſſe demonſtrationem.Hæc etenim aſſerit: *Tandem oportet rationes ad iſtam quæſtionem ſoluendam, non eſſe demonſtrationes,* & ſic vt ibi patet,huiuſmodi rationes à ſe factas ad id probandum,ſoluit ipſe:cuius ratio eſt,quia in his,quæ ex principijs creditis inferuntur,non poteſt dari vera,& euidens demonſtratio. Euidentia enim concluſionis in euidentiam principiorum refunditur. Bene tamen poteſt dari euidentia Theologica,qua ex principijs firmiter creditis, aliqua concluſio demonſtatiue infertur.

§. 5.

Statuuntur concluſiones huius difficultatis.

27. 1. *concluſ.*

HIS præhabitis difficultatem concludendo, dico 1. quod in diuinis poteſt eſſe, & eſt productio intrinſeca, qua vna perſona procedit ab alia. Concluſio eſt de Fide, quam probant innumera teſtimonia ſacræ Scripturæ, præſertim ex nouo teſtamento,vt patet ex locisciatisſupra in difficultate præcedente,ad probandũ pluralitatem perſonarũ in Deo: vbi inſimul earum proceſsiones probantur. Item probatur ex diffinitione Eccleſiæ in Concilijs ibi citatis.

Probatur præterea authoritatibus Sanctorum

28. *D. Aug. idem.* Sanctorum Patrũ, præsertim D. augst. 5 de Trinitate cap. 14. vbi ait *Patrem esse principium totius diuinitatis.* Sed hoc non potest esse nisi per productionẽ: ergo &c. Idem Augustinus lib. 15. de fide ad Petrum, Naciancen. contra Sabellium, *D. Nazia. D. Hieron.* D. Hieronymus super Egeum Propheram cap. 2. *D. Anselmus* D. Anselmus libro vnico de Trinit. Quod idem reliqui sancti patres attestantur.

29. *1. exquat. Rationibus Scoti.* Probatur quoque ratione conclusio ab Scoto in art. 1. huius quæstionis, vbi quatuor rationibus eam confirmat; quarum prima est, quia quidquid ex ratione sua formali est principiũ productiuum, in quocunque est sine imperfectione, in eo est principium perfecti producendi. Sed memoria perfecta, id est, intellectus habens obiectum intelligibile sibi præsens, ex ratione sua formali est principium productiuum notitiæ genitæ. Ergo vbicũque fuerit talis memoria perfecta, ibi erit principium perfecte producẽdi: sed in Deo secundum rationem sui, est omne illud, scilicet intellectus, & obiectum intelligibile, quale est diuina essentia sibi præsens. Ergo in Deo vere est productio notitiæ genitæ. Ex quo sic arguitur; omne productum ad intra in Deo est Deus, quia est quid infinitum. Ergo notitia genita, seu Verbum productum, est Deus. Hæc & aliæ tres rationes, quas ponit Doctor in loco citato, latissimè exponuntur à Lycheto, & a reliquis Scoti discipulis: nos tamen earum efficaciam, infra in Commentario ad quintum articulum huius quæstionis explanabimus, & ex inde manifestior erit huius conclusionis probatio.

30. *2. conclu.* Dico secundo, quod pluralitas diuinarum personarum prouenit in Deo ex productionibus intrinsecis. Conclusio est de fide, quatenus est de fide, in Deo esse personarũ productiones. *Genesis 20.* Probatur primo ex illo Genesis cap. 20. vbi dicitur, *Pluit Dominus à Domino*, quo loco vtuntur plures Sãcti ad probandum processionem Verbi à Patre, qua est Deus de Deo, lumen de lumine, & insinuatur in alijs veteris testamenti testimonijs. Sed clarius habetur in nouo testamento, vt patet ex illo *Matth. 11.* Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, & ex illo Ioan. 8. *Ego ex Deo processi*, & cap. 17. *Spiritus sanctus, qui à Patre procedit*, & Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in se met ipso, ita dedit Filio vitam habere in se met ipso*, & cap. 7. *Ego scio eum, quia ab ipso sum*, & cap. 10. *Quod dedit mihi Pater, maius est omnibus.* *Ioan. 8. & 17. & 5. & 7. & 10.*

31. Item probatur ex diffinitione Ecclesiæ, nam in Conc. Niceno, in Symbolo fidei dicitur de Verbo, *Et ex Patre natum, ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, genitum non factum, &c.* Et de Spiritu Sancto dicitur, *Qui ex Patre, Filioque procedit, &c.* Et in omnibus fere Concilijs OEcumenicis, in quibus cõfitetur Ecclesia personarum Trinitatem, ibi quoque earum processiones definit: sed clarius in cap. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica, vbi hæc habentur. *Pater & Filius, & Spiritus sanctus tres quidem personæ, sed vna essentia, vna substantia, seu natura simplex omnino: Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab vtroque: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens.* *Conc. Niceanum.* *C. firmiter.*

32. Tertio, hoc idem attestantur sancti Patres: nam D. Basilius lib. contra Eunomium, qui negauit ordinem processionum in Deo inquit. *Non intellexit, aut vltro occultauit, quod est quædam ordinis species, non ex nostra positione consistens, sed ad naturæ consequentiam contingens. Veluti ignis ad lucem, quæ in ipso est: in his enim priorem causam dicimus: posterius autem id, quod ex ipsa est, non interuallo inter se disparantes: sed ratione causam priorem causato intelligentes. Qua igitur ratione ordinem in Deo probat?* Vbi notandum est, quod loco principij ponit causam: quia Diuus Basilius loquitur more Græcorum, de quibus supra notauimus, num. 12. indistinctè loqui de principio, & causa, & vnum pro alio sumere, non quod cum Hæreticis sentiant: sed quia nomen causæ, apud illos idem est, quod principium. *D. Basil.*

33. Præterea patet ex Diuo Iustino in lib. de vera, & recta fide, vbi sequentibus verbis, aperte docet, diuinam Trinitatem personarum ex processionibus prouenire, nam inquit. *Vnus vere est Deus omnium, qui in Patre, Filio, Spirituque sancto cognoscitur. Quoniam enim ex sua natura, & essentia, Pater Filiũ genera uit, & ex* *D. Iustin.*

& ex eadem proceſsit, profectuſque eſt Spiritus, iure, ac merito ea, quæ vnius, eiuſdemq; eſſentiæ ſunt, vnius etiam, atque eiuſdem habentur diuinitatis. Et infra ait, *Nulla ratio communitatem Patris cum Filio, ac Spiritu Sancto, etiam ſi Pater ingenitus ſit, diuellere vllo modo poterit:* & in Dialogo cum Triphone ait. *Filium vocans Patris virtutem, virtutem ortam eſſe à Patre eius dixi, & poteſtate & conſilio, nõ deciſione, & deliberatione, quaſi eſſentia Patris diuidatur.* Ac rurſus ibidem de Filio affirmat dictum eſſe illud Geneſis: *Pluit Dominus a Domino.* Videantur pro hac concluſione D. Dioniſius, lib. de miſtica Theologia capit. 2. Clemens Romanus lib. 8. Conſtit. Apoſtolicar. cap. 18. D. Ignatius in epiſtol. ad Antiochenos, & in epiſtol. ad Philadelp. & in epiſt ad Philippenſ. D. Irineus lib. 3. cap. 9. Orig. in Commentarijs ad cap. 9. epiſt. ad Roman. Clemens Alexan. lib. 1. pedagogi cap. 6. Gregorius Thaumaturgus in cõfeſsione fidei quæ extat in Tomis Cõciliorum, ante quintam Synodum, D. Dioniſius Alexandrinus in decretis Nicenæ Synodi, Tertulianus cõtra Praxeam, D. Cyprianus lib. 2. ad Quirinũ cap. 6. Naciancenus oratione de Filio, D. Auguſt. 4. ſupra Geneſ. cap. 34. & reliqui omnes Patres confitentur diuinam naturam, non niſi per origines, & productiones, a Patre communicari Filio, & à Patre, & Filio communicari Spiritui Sancto.

D. Dioniſ.
Clemens Romanus.
D. Ignat.
Origenes.
Clem. Alex.
Greg. Thaumaturg.
Auguſt.
D. Dioniſ. Alexãdrin.
Tertulian.
D. Cypria.
Naciance.
D. Auguſti.

34. Ratione autem probatur a Doctore prædicta concluſio infra in quæſtione 6. huius diſtinctionis articulo 2. vbi tres ponit rationes, quibus (poſtquam alias Henrici reijcit) cõcluſionem probat, quarum tertia ſic formatur: quia ſcilicet eſſentia, vna actu exiſtens, non videtur ex ſe immediatè habere plures modos eſſendi. Sed ſi ponãtur pluraſuppoſita ingenita, & improducta, ſequitur diuinam eſſentiam ex ſe immediate habere plures modos eſſendi. Hoc autem nõ ſequitur, ſi productiones in diuinis conſtituantur. Conſtat autem, quod eſſentia diuina nõ habet plures modos eſſendi immediatè, ſine productione: ſed tantum vnum modum eſſendi ſine productione, ſcilicet eſſe ingenitum: & alios duos mediantibus productionibus. Quæ ratio declaratur, quia diuina eſſentia immediate, & ſecundùm ſe, tantum habet, quod ſit ſuum eſſe, & ſuum abſolutum exiſtere. Suum autem eſſe, & ſuum abſolutum exiſtere, immediatè tantum eſt in vnico modo eſsẽdi: vt igitur pluralificetur modus perſonaliter eſſendi in Deo, requiritur neceſſario productio, ſine qua nõ triplex modus perſonaliter exiſtẽdi erit in Deo: atque ideõ neceſſario requiritur ad pluralitatem perſonarum, quod in Deo ſit intrinſeca productio.

§. 6.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

35. AD argumenta autem in oppoſitum, & ad prim. ũ negatur maior, nam id, quod procedit ſecũdum proceſsionem ad extra, oportet eſſe diuersũ ab eo, a quo procedit; minime tamen id, quod procedit ad intra: hoc enim, quanto magis perfectum eſt, tanto magis eſt vnũ cum eo, à quo procedit, vt inquit D. Th. q. 37. art. 1. ad 2. Quamuis enim concedamus productum eſſe diſtinctũ à producente, non tamen ideò admittere poſſumus, vnũ eſſe diuerſum ab alio, ſeu differre ab illo. Nã vt ait Ariſtot. 5. Metaph. cap. 9. & lib. 10. cap. 5. & optime notat Suarez 1. tom. ſuæ Metaph. diſp. 7. ſect. 3. num. 6. & in 1. p. 3. lib. 3. cap. 13. n. 4. cum D. Th. 1. p. q. 31. art. 2. hæc tria diſtinctio, differentia, & diuerſitas non idem ſignificãt. Illa enim dicuntur differre, quæ habent diſtinctas formas: differentia etenim formarum diſtinctionem importat. Cum autem in diuinis ſit tantum vna forma, ſcilicet, vna Deitas, iuxta illud ad Philippenſes 2. *qui cum in forma Dei eſſet* &c. hinc eſt quod procedens non differt a producente. Item diuerſitas hoc addit ſupra differentiam, quod cum differentia tantum importet diſtinctionem formarum, vt dictum eſt, duæ formæ, quæcumque ſint, quamtumuis ſimiles, vt ſunt duæ albedines dicuntur differre, diuerſitas autem addit

Ad 1. arg.
D. Tho.
Ariſtoteles
Suarez
D. Thom.
Diſtinctio differentia, & diuerſitas nõ idẽ ſignificant.

dit, quod sit tantum hæc talis distinctio inter formas dissimiles: quare relatio dissimilitudinis in rigore vocis, idem est, quod relatio diuersitatis. Vnde cũ producens, & procedens in diuinis nõ solum contineant eamdem formã numero, quare non differunt: sed etiam vnũ assimiletur alteri in natura, ideo non sunt diuersæ. Vnde hæc duo nomina, scilicet differre, & diuersificari, maximè sunt cauẽda in hoc mysterio: distinctio verò precisè (vt inquit Valonius informalitatibus Scoti fol. 2.) est inter duo positiua existentia, quorum vnum non est aliud, nihil hæsitans, an hæc duo sint formæ, vel personæ, ac per consequens, cum vnum correlatiuum non sit aliud, vnde Filius est alius à Patre: inter Patrem, & Filium (& idẽ dico de Spiritu sancto) est realis distinctio, quamuis non sit diuersitas, aut differentia: quia vt inquit Cayetanus supra diuum Thomam, loco citato, necessitas distinctionis in diuinis probatur ex natura oppositionis relatiuæ. Vnde ad probationem negatæ maioris dico, relationem non necessario importare diuersitatem, bene tamen distinctionem.

Valon.

Caieta.

36. *Ad 2.*

Ad secundum dico, quod principiũ primũ non præsupponit aliud principium, respectu illarum productionũ, respectu quarum est principium: alias enim iam primum non esset: Deus autem, vt Deus, est primum principium omnium productionũ ad extra, & ideo Deus, vt Deus, nõ præsupponit aliud principium, à quo procedat, eo modo, quo ad extra producit: quia ad extra producit, vt causa, ad intra autem nulla est productio causalis. At qui Deo, qui est principium productiuum ad extra, non repugnat productio personalis, qua vnum suppositum est ab alio. Repugnat tamen illi diuinæ personæ, quæ est primum principium omnium productionum ad intra, procedere ab alio principio, quia tunc iam non esset primum principiũ. Non tamen repugnat alijs personis præsupponere illud principium, à quo producuntur, nimirum, nõ repugnat Filio, & Spiritui sancto ab alio procedere: quia Spiritus sanctus non est principium productionis ad intra, Filius autem etiã si sit principium productionis Spiritus sancti: non tamen est primum principiũ diuinarum productionum, si quidem aliud principium supponit, à quo procedit. Ex quibus relinquitur, solũ Patrem esse primum principium productionis ad intra: Deum autem, prout Deus est, qui omnibus tribus personis æque existit, esse primum principium productionum ad extra.

Principium primum nõ præsupponit aliud primum ad producendum

Deus est primũ principium ad extra, Pater autem ad intra.

37. *Ad 3.*

Ad tertium dico, quod illud, quod procedit, est Deus: ad impugnationẽ autem respondeo, quod istæ duæ præpositiones *ex*, & *à*, licet gramaticè idẽ significare videantur: tamẽ logicè seu theologicè per ea, quibus adiungũtur distinctum significatũ important: nam præpositio *ex*, adiungitur rationi formali, & rei formalitatem importat. At vero præpositio *á* adiungitur rationi originali, à qua aliquid ducit originẽ. Vnde homo, v.g. genitus ex se est formaliter homo, id est, ex formalitate, & natura sua: non tamen est a se homo, quia non est improductus, sed est a Patre, qui eum produxit. Sic similiter dicendum est, quod productũ in diuina productione est ens necessariũ ex se, id est, ex sua natura, & ratione formali intrinseca, qua essentialiter, & formaliter est Deus: non tamen est ens necessarium â se: quia sola prima persona improducta est a se, eoquod nulla alia habet originem, sed est ab alio, scilicet a Patre, a quo ducit originem. Vnde licet præpositio *ex* posset accipi, respectu originis: & sic idem esset habere esse *ex se*, & *à se*: & tunc diceretur forsan nullum productum esse ens necessariũ *ex se*: non tamen est ita proprius, & cõueniens iste modus loquendi: sed optimè distinctè loquimur dicendo, quod Verbum est ens necessarium ex se, & non a se sed ab alio.

Verbum est ens necessarium ex se sed non à se

Ad confirmationẽ respondeo, possibile sumi tripliciter. Primo prout conuertitur cum contingenti: & sic omne possibile opponitur necessario. Secundo, prout dicit connexionẽ prædicati cum subiecto in virtute causæ: & hoc quidem includit carentiam actus realis existentiæ: sic omnes creaturæ, quæ possunt esse, sunt possibiles in Deo antequam realiter producantur, & existãt. Tertio sumitur possibile pro non repug-

38. *Possibile sumitur tripliciter.*

repugnantia actus essendi, & hoc possibile potest vocari illatiuum, ea precise ratione, qua dicimus, quod de facto ad posse valet consequentia, & sic omne, quod est, est possibile esse, quia nō repugnat esse: dico ergo, quod productum diuinum non includit aliquā possibilitatem primo modo, quia est summè necessarium, neque secundo modo, quia in nullo instanti temporis, aut naturæ, fuit persona producēs, quin esset persona producta. Tertio verò modo, libenter concedo, productum diuinum esse possibile: nam sicut ista est bona consequentia, Deus est: ergo potest esse; sic & ista, persona est producta, ergo possibile est produci. In hoc enim sensu loquitur Scotus, dum inquit in littera, quod potest esse productio intrinseca in diuinis.

39. Ad quartum patet solutio ex notatis supra, quod scilicet dependentia producti á producente reperitur solum, vbi productum recipit à producente esse distinctum ab ipso esse, & natura producentis: quod in diuinis productionibus non contingit.

40. Ad vltimum respondetur, aliud esse, aliquid esse prius alio; aliud vero, aliquid præintelligi prius alio. Primū, si dicatur absolutè, & non addatur ei aliqua particula, nimirum *natura*, *vel origine*, semper supponit pro prioritate temporis. Et sic in creatis, Pater est prior Filio, absolutè loquendo: non tamen relatiuè, id est, in ratione Patris, quia relatiua sunt simul natura. Secundum verò, potest supponere pro prioritate naturæ: & sic dicimus, quod in homine, animal præintelligitur, prius quàm rationale: vel in homine animal est prius natura, quàm rationale. Potest etiam supponere pro prioritate originis, & sic in diuinis, nō potest absolutè concedi, quod producens est prius producto: bene tamen, quod producens præintelligitur prius producto: aut est prius origine producto. Iuxta quam distinctionem respondendum est ad primum entymema: videlicet in nullo instāti reali esse producens absque producto: quamuis bene intelligatur producens prius producto. Negatur tamen secunda consequentia, & tertia: quia ad transitum, & mutationem, non sufficit, quod vnum intelligatur priùs alio: sed requiritur, quod tale mutatum sit in aliquo instanti reali, in quo ante mutationē nō erat.

Aliud est esse prius alio, aliud, aliquid præintelligi prius alio,

Et similiter ad instāriam dico, quod abstracta productione in diuinis, adhuc erit productū, & procedens: quāuis posita tali abstractione, non intelligatur aliquod productum: quia non bene arguitur de non intelligi, ad non esse. Et ideo ibi non est transitus realis á contradictorio in contradictorium: sed ab intelligi sic, ad intelligi sic: secūdum præcisiones intellectus, quæ non inferunt talem transitum. 41.

Ad confirmationem respondetur, negando antecedens: quia produci, vt sic, nō est fieri, sicut nec productio est factio: quamuis enim factio supponat productionem, & potentia factiua productiuam: non tamen è cōuerso: & sic stat aliquid esse productum, quin sit factum, qualiter est in diuinis, vt ex supra notatis satis constat. 42.

Produci non est fieri, nec productio est factio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm intellectus, pro vt est principium productiuū, sit in Deo, secundum verā rationem sui?

A. AD quartum sic procēditur & videtur, quod intellectus, prout est principium productiuum, non sit in Deo, secundum veram rationem sui: nā contra *primam* rationem *factam pro conclusione in articulo primo*, in isto, vt declaretur, & maiorem rationis cōcedo: sed ad minorem diceretur, quod illud totum (scilicet intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens) nō est ex se principium productiuum. sed tantum, quādo intellectus potest habere ex se notitiam productam: hoc autem est, quando potest habere notitiam aliam à se, qua perficiatur: & ideo non videtur, quod ibi debeat poni

principium productiuum. Et confirmatur iſta ratio, primo, quia notitia genita fruſtra poneretur. Secundo, quia impoſsibile eſt eam poni. Primum probatur, in nobis eſt neceſſario notitia genita, quia per eam intellectus perficitur, qui ſine ea eſſet imperfectus: intellectus autem infinitus, licet habeat obiectum ſibi præſens, tamen non formaliter perficitur per notitiam genitam, ſed per notitiam ingenitam eãdem ſibi realiter, qua etiam formaliter intelligit: ergo, &c.

B. Secundo præterea, ſecũdum ſcilicet impoſsibilitatem, probo dupliciter. Primo, quia productiuum, vel producens, habens productum adæquatum, non poteſt aliud producere: ergo cum totum illud, intellectus habens obiectum actualiter ſibi præſens, habeat in intellectu paterno notitiam ingenitam ſibi adæquatam, quaſi productam ex ſe: quia aliquo modo ſecundum rationem intelligendi, poſterior eſt tali præſentia obiecti; videtur quod nullam virtutem vlteriorẽ habeat, ad producendam notitiam diſtinctam aliam ab iſta.

Tertio præterea: *impoſsibilitas* ſecundo probatur: quia intellectus eſt potentia actiua, non factiua, vt dicitur 9. Methaph. igitur ſi poteſt producere productum, poteſt producere in ſe illud, & non extra ſe; alioquin non haberet rationem actiui, vt diſtingitur cõtra rationem factiui: iſte igitur intellectus, qui nõ poteſt producere notitiam in ſe, non poteſt producere aliquam notitiam, vt videtur.

9. metb. text. com. 16.

C. Sed contra eſt, quia ſi in intellectu noſtro eſſet creata, vel ſubſtantialis notitia ſui: ſecumdum quod quidam intelligunt Auguſt. de notitia condita. 14. de Trinitat. Tunc licet intellectus non poſsit habere notitiam genitam, qua cognoſcat ſe formaliter: tamen in alio intellectu, puta Angelico, vel humano beato, in patria, poſſet gignere notitiam ſui in ratione obiecti: quia ſic gignere competit ſibi vnde eſt in actu, licet non ſit receptiuus: & etiam ſi poſſet habere aliquod obiectũ actu intelligibile ſibi præſens, poſſet aliquam notitiam gignere impaſſo aproximato: ſiquod tale ſit: aut per ſe ſtantem, ſi haberet virtutem gignendi aliquid per ſe ſtans: ergo ab intellectu diuino, circumſcripta ratione recepti ui notitiæ; ſi remaneat ratio productiui notitiæ, & hoc per ſe ſtãtis, poterit talis notitia gigni, licet non recipiatur in intellectu; qui eſt principium gignendi.

Her. quodlib. 1. q. 9. & Varr. in 1. diſt. 3. q. 1. cap. 7. & 10.

D. Reſpondeo dicẽdum; quod iſtas rationes *Pro parte contraria poſitas* excludendo, confirmo rationem, & ad excludendum reſponſionem, *Quæ erit in ſequenti articulo*, ad minorem in ſe dico, quòd intellectus noſter, reſpectu genitæ notitiæ habet potentiam receptiuam, & iſta potẽtialitas eſt imperfectionis: quia eſt potentialitas paſsiua. Nihil autem facit hoc ad rationem principij productiui: quia nulla imperfectio formaliter eſt de ratione principij productiui: & maxime quando principium productum poteſt in ſe eſſe perfectum. Habet etiam intellectus noſter rationem principij productiui, reſpectu notitiæ genitæ: & hoc eſt ex perfectione eius, quatenus actus primus virtualiter continet illum actum ſecundum. Primum iſtorum, ſcilicet, recipere intellectionem, patet quod conuenit intellectui poſsibili: de ſecũdo non eſt ita certum, an conueniat poſsibili, vel agenti? De hoc alias inquiretur. Nunc autem hoc indiſtincte acceptum de intellectu, quod

In quodl. q. 15. & in 1. reportatio- num diſti. 35. & in 1. q. collatio- num.

quod est principium productiuum notitiæ genitæ,satis putoverũ &dis putabitur dist.3.parte 3.quæstionis 2.&intellect⁹ sic est in Deo,quia habet intellectum,secundum omnem rationem intellectus, quæ non ponit imperfectionem.Tũc arguo sic: quandocunque in aliquo cõcurrũt duo per accidens,scilicet,ratio agẽdi,& patiendi,vbi illud, quod est ratio agendi, est per se, si separetur à ratione patiendi, & ponatur per se,nihil minus est ratio agẽdi,quod patet ex 2. Phisic. text. Comment. 3.& 86. de medico sanante se: si separetur medicina ab infirmitate, nihilominus erit ratio sanandi:igitur si separentur prædicta duo in intellectu ab inuicem, remanente eo, quod erat per se ratio principij productiui,adhuc erit ratio producẽdi quãtumcunq; non sit ibi potentialitas passiua,recepta. Exemplum huius patet *supra* §. *sed contra.*

In Quodl. d.15.& 1. Report. di. 35.& 1.q. collat.

E. Ad primum argumentũ, ex hoc patet, quod glossa illius minoris in se nulla est. Ad confirmationem illius glossæ per frustra,dico,quod in ordine agentium,præcipuè vbi principium actiuum de se non est perfectum, est status ad aliquod principium actiuum simpliciter perfectum: quod scilicet agens agit ex plenitudine perfectionis, & dicitur agens ex liberalitate secundum Auicen. 6. Meth.capite vltimo:nullum autem agens agit liberaliter, propter hoc, quod ex actione sua expectat perfici: sicut enim in actibus humanis, liberalis est ille, qui agit nõ expectans redditionem, ita similiter agens dicitur liberale, eo quod nullo modo perficitur à

F. productione,vel producto.

Ex hoc arguitur sic. In omni genere principij productiui, nõ includẽtis imperfectionẽ,possibile est stare ad aliquod primũ simpliciter perfectum:sed intellectus est tale principium, & voluntas similiter: ergo in isto genere potest stari ad aliquod simpliciter perfectum: sed nihil est simpliciter perfectum agens,quod non agit liberaliter secundum prædictum modum:ergo hìc est aliquod agẽs liberaliter modo prædicto, & per consequens in genere principij productiui, est aliquod principium tale, quod nullo modo perficitur per suam productionem. Talis est intellectus habens obiectum sic sibi præsens, & nullus alius est, nisi ille, qui non recipit, nec perficitur, per intellectionem, quam gignit, siue quæ in virtute eius gignitur: ergo non oportet intellectum omnem producere notitiam, vt ea perficiatur: sed oportet esse aliquem priorem producentem, non perfectibilem per productum. Et cum dicitur, tunc erit frustra,non sequitur: nam erit summum bonum: sed non est productum à producente, vt producens per ipsum perficiatur, sed ex plenitudine perfectionis producentis. G.

Ad secundum, cum arguitur de impossibilitate duco ad oppositũ: quia, etsi aliquod obiectum præsens memoriæ Patris habeat ibi aliquam notitiam actualem Patris, quasi productam, non tamen habet notitiam actualem adæquatam in Patre productam. Nulli autem principio productiuo ex se tollitur aliquid producere,vt est in aliquo, nisi intelligatur aliquod principiũ producere, vel produxisse aliqua productione adæquata virtuti talis principij productiui.Et ideo quãtũcunq; memoria,vt in Patre, habeat quasi productum,adhuc potest producere productum: sed verum est, quod cũ habuerit productum adæquatũ, nõ poterit aliud producere.

Ad tertium, cum arguitur vlterius de actiuo, & factiuo, dico, quod iſtæ differentiæ ſunt accidentales potẽtiæ productiuæ, ſcilicet actiua,
H. vel factiua: vniuerſaliter enim omnis potentia ex ſe productiua alicuius receptibilis in aliquo, in quolibet receptiuo proporcionato, vel approximato, producit, vel poteſt producere illud producibile: quod ſi producibile non ſit natum in aliquo recipi, potẽtia productiua producit illud, & non in aliquo, ſed per ſe ſubſiſtens: ſi tamen ſit potentia productiua ſufficiens ad producendum nullo alio præſuppoſito. Ita eſt in propoſito: quod Pater habet notitiam genitam, non agendo, ideſt, non producendo aliquid in ſe: nec faciendo, ideſt, non producendo aliquid diſtinctum eſſentialiter extra ſe, ſed quia productum in nullo natum eſt recipi, & intellectus eſt principium productiuum ſufficiẽs, quia infinitum, ideo producit notitiam genitam in ſe ſubſiſtẽtem: quæ eſt perſona. Et ita reſponſiones ad inſtantias ſunt declarationes primæ rationis *poſitæ in primo articulo*, & per conſequens etiam propoſiti principalis *huius quæſtionis* inſtãtia, quare intellectus meus agens non poteſt in ſe cauſare ſpeciem intelligibilem, ſaltim in patria. Alia forte reſponſio ad inſtantiam, quod vbi gignitur in eodem intellectu ſecundum eſſentiam, hoc ſufficit ſine idẽtitate ſuppoſiti ad actionem diſtinctam cõtra factionem. Exemplum, ſi intellectio in nobis eſſet conſubſtantialis, vt ſupra.

Expoſitio 4. articuli, quæſt. quartæ, diſtinctionis 2.

PRæclara eſt articuli huius doctrina, in qua ſubtiliter duo oſtendit Doctor, vt reſpondeat duplici obiectioni, quæ in argumentis habetur. Probare etenim intendebatur, intellectum diuinum cum eſſentia ſibi vnita in ratione obiecti intelligibilis, non eſſe principium productiuum. Primo quidem ab inconuenienti: quia ſcilicet eſſet fruſtrata is productio, ſiquidem intellectus Paternus nõ intelligit per Verbum productum per illam. Secundum vero ab impoſsibili, quia non eſt poſsibile intellectum, vt ſic cum eſſentia Verbum producere. Contra primum determinat Doctor, intellectum Paternum non perfici notitia genita, eo quod non intelligit per illam; ſed quod à ſuo actu eſſentiali intelligendi eſt formaliſsimè intelligẽs. Oſtendit tamen non ideo productionem Verbi eſſe fruſtraneam: ſiquidem (vt concludit in fine ſolutionis primi argumenti) productio ſummi boni eſt ex plenitudine perfectionis producentis, & quod talis plenitudo perfectionis Paternæ communicetur per diuinam productionem Verbo producto, non eſt fruſtraneũ. Licet enim Paternus intellectus nõ perficiatur notitia genita: eſt tamen ex plenitudine ſuæ perfectionis ita fœcundus, vt non poſſit illam non producere ad communicandam Verbo omnem ſuam eſſentialem perfectionem: quæ eſſentialis perfectio ex ſua intrinſeca ratione cõmunicabilis eſt per huiuſmodi productionem illi notitiæ, ſeu Verbo producto. Cuius rationẽ reddit Doctor in tex. de ſumptam ex differentia agentis liberalis, & auari. Quæ ratio optima eſt, & clare habetur ibi. I.

Probatur intellectum diuinũ non eſſe productiuũ, & reſpondetur argumẽtis.

Sed vltra hanc rationẽ alia aſsignari poteſt: quoniã nimirum Pater in creatis non producit Filium, vt perficiatur illo: quia cũ illũ in ſe recipere nõ poſſit, eo quod eſt ſubſiſtens: non quidem poteſt Filio perfici. Nec preciſe producit Filium propter conſeruationẽ ſuæ naturæ (quãuis de facto hic ſit finis generationis à natura intentus) quia poſſet Deus naturã hominis, & qualibet aliã naturã ſpecificam in vno indiuiduo conſeruare, ſicut de facto con- 2.

ſeruat

seruat naturã solis, & alias, imo & tot esse species Angelorum, quot sunt eorum individua, tenet probabilis sententia, & non quia repugnet naturæ specificæ Angelicæ in pluribus individuis existere, vt opinatus est Caietanus de ente, & essentia cap.5.quæst.9.sed adhuc cum sit possibile plura individua esse in quacunque specie Angelica, vt expresse docet Doctor in 2.dist.3.q.7. littera A. his verbis: *Tenenda est ergo conclusio simpliciter opposita, quod scilicet simpliciter possibile est plures Angelos esse in eadem specie*, quam tenet D. Thomas de spirituali creatione art.8.& 2.contra gentes cap.93.& alij: si igitur Deus posset naturam quamlibet in vno individuo conseruare: ad quid plura individua procreat indies magis, ac magis, in quacunque natura viuenti: si verũ est quod frustra fiunt per plura, quæ per pauciora fieri possunt? profecto non minus eius omnipotentia in creaturis splenderet, si in terrestribus, cuiuslibet individui vnica distincta tantã esset species, & natura, sicut de cœlestibus Angelicis, ex probabili sententia esse supponimus. Cur ergo cuiuslibet naturæ viuentis individua, alia sibi similia generant?

Caiet.

Scotus.

D. Tho.

3. *Fœcũditas naturæ viventis nunquam satiatur in producẽdo.*

Potissima ratio, quæ (meo videri) de hoc reddi potest à priori, est, quia natura viuentiũ ex se est fœcunda, & ex intrinseca sua ratione petit cõmunicari pluribus suæ fœcunditatis proli bus. Quod autẽ nũquã naturæ viuẽtis fœcũditas satietur, sed sẽper magis, ac magis postulet cõmunicari, ex eo prouenit, quod nimirũ nunquã est dabilis terminus adæquatus, qui totam naturæ fœcunditatẽ exauriat. Nõ ergo omne producens, ad hoc, vt frustra nõ producat, debet producere, vt perficiatur producto, sed optimè etiã non frustra agit, si ex fœcunditate naturæ producit.

4. *Productio Verbi diuini non est frustra.*

Ex dictis igitur ad propositũ dicendum arbitror, quod etsi intellectus Paternus non egeat perfici notitia genita, seu Verbo producto, vt ipso formaliter intelligat: neque etiam egeat huiusmodi productione ad conseruationem naturæ, cum ex se sit ens necessarium, & à se independenter existat diuinũ esse: nihilominus ideo dicitur nõ frustra esse productionẽ Verbi, quia intellectus est naturaliter fœcũdus, & Pater ex fœcunditate naturæ, quæ ab intrinseco cõmunicabilis est per productionẽ Verbũ producit. Ideo autẽ satiatur vnica productione intellectus Paternus, quia talis productionis terminus est adæquatus omni fœcũditati illius. Quod idẽ de productione Spiritus sancti per voluntatẽ dicendũ est: nõ ergo frustranea est diuina productio ex eo, quod intellectus nõ perficiatur Verbo producto. *Illa* enim dicũtur frustra ab Aristot.2.Phisic.c.6.quæ cũ sint propter aliquẽ finẽ, ipsum nõ assequũtur, cum ergo notitia producta à Deo non ordinetur ad perfectionem producentis, sed sit ex fœcũditate naturæ, & propter se ipsam, quæ est vltimus finis, & summũ bonũ, quia est ipse Deus: hinc est, quod non erit frustra, cum habeat finem consequutũ, nẽpe se ipsam productam.

Aristot.

5. Circa secundũ, hoc est circa impossibilitatẽ, quã arguẽta in principio articuli intendebant: ostendit Doctor intellectũ diuinũ esse principium productiuum, sine imperfectione: quia scilicet nulla ibi est potentialitas, sicut in intellectu creato, qui receptiuus est, & hoc clare ostendit in textu: ratio tamẽ, qua intellectus noster est productiuus, prout cõdistincta ab ea ratione, quae est receptiuus, reperitur in Deo: vt ibi probat text. *In quocunq; genere deueniẽdũ est ad aliquod principium in quo est ꝑfectus, tãquam simpliciter, &c.* An autem esse productiuũ in nobis, cõueniat intellectui agenti, vel possibili? non hic determinat Doctor: quia respectu diuini intellectus indistinctè loquitur. Ibi enim nõ est aliqua potẽtialitas, aut passibilitas, ratione cuius sit in Deo intellectus possibilis.

6. Nec est necessitas educẽdi speciẽ à phantasmatibus, sicut in nobis, vt ponatur in Deo munus intellectus agentis. Atq; ideo abstrahẽdo ab hoc duplici munere intellectus, indistinctè loquitur Doctor de intellectu diuino. De nostro autem intellectu hoc prolixè disputat in Quodlibetis quæst.15. & quãuis non clare loquatur ibi, inclinat tamẽ ad hoc, quod vterque intellectus est productiuus. Quod ex eius doctrina constat prout de intellectu agente

Scot.

40. *Intellectus agens, & possibilis, sunt productiui*

de eius mẽte tradidimus supra in prologo, in Coment. ad 1. art. 1. quæstionis: vbi enucleaui qualiter intellectus agens producit speciem intelligibilẽ impressam simul cum phãtasmatibus. Hæc etenim ibi a Doctore vere dicuntur agentia: & sic secundum eum patet, quod intellectus agens est productiuus. De possibili vero, hoc apertius habetur ab illo, prout late tradidimus supra in difficultate 25. & infra erit sermo in difficultate de productione Verbi diuini. Ex quibus cõstat, quod intellectus, vt agens, producit speciem intelligibilem impressam: at vero, vt est possibilis, producit speciẽ expressam, quæ est verbum: & ex inde concluditur, quod intellectus noster vtroque modo est productiuus.

7. Probat igitur Doctor, intellectum paternum esse principium productiuum: quia quando duo coniũguntur in aliquo principio, quorum vnum cõuenit sibi per se, & aliud per accidens: hoc secũdo sublato, potest manere primũ: & probat, quod ex duob⁹, quæ conueniũt intellectui in ratione principij productiui; hoc, quod est pati, & recipere, sibi cõuenit per accidẽs: esse autẽ productiuũ, vt actiuè productiuũ est, sibi cõuenit per se. Ex quo arguit, quod hoc potest Deo competere, quia perfectionẽ importat: sublato illo, quod imperfectionem inuoluit. Exemplũ, quod ponitur ibi in §. *Sed contra*, optimum est, videlicet, de concreta notitia consubstantiali intellectui nostro; & bene probat intentum; sed clarius patet in intellectu Angeli: nam vt habetur a Doctore in 2. distinctione 9. de cognitione Angelorum, posito, quod Angelus perfecte se ipsum cognoscat: ipse tamen Angelus in ratione obiecti potest causare notitiã sui in intellectu alterius angeli, sic in proposito, quãuis intellectus diuinus habeat notitiã ingenitam suæ essentiæ, qua ipsam essentiam formaliter intelligit: habens tamen essentiam diuinam, vt obiectũ sibi vnitum in ratione intelligibilis, poterit vere producere notitiam, quæ erit vere producta, & genita. Hæc tamen notitia non potest formaliter esse in supposito producẽte ipsam, propter duo. Primo videlicet, quia iã supponitur in ipso producente, haberi iã aliam notitiam ingenitam, per quam perfectissimè, & infinitè cognoscit essentiam. Si ergo infinitè, & adæquatissimè illam cognoscit per notitiam ingenitam, nihil sibi de illa cognoscendũ restat: atque ideo non potest per notitiam genitam iterum diuinam essentiam cognoscere. Secundo vero, quia cum talis notitia genita sit subsistens, non potest in subsistẽte recipi. Et ideo non potest Pater Verbum productum in suo intellectu recipere, vt per ipsum formaliter possit diuinam essentiam intelligere. *In* reliquis littera clara est.

Scotus.

Notitia genita in diuinis non est in supposito producente

ARTICVLVS V.

Vtrùm rationes, quibus probatum est, in diuinis dari productionem ad intra, sint demonstrabiles?

AD quintum sic procedit̃r: & videtur, quod rationes, quibus probatum est in diuinis dari productionẽ ad intra, sint demonstrationes, *Et pro argumentis sunt prima ratio posita in primo articulo, & instantiæ, quæ ex solutionibus argumentorum præcedentis articuli sumuntur.*

Sed contra est, &c.

L *Conclusio*

Respondeo dicendum: quod tandem oportet, rationes ad istã quæstionem soluendam non esse demõstrationes.

Ad primum *respondeo, quod* primæ *rationis* minor est immanifesta, secundum rationem naturalem. Cũ probatur, respõdeo, quod esse principium producendi conuenit memoriæ, non vnde memoriæ, prout memoria habet vnitatem analogiæ ad finitam, & infinitam, sed memoriæ finitæ tantum: non tamen, quod finita sit ratio formalis producendi, sed natura illa, quæ specificè circum

hæc eadem conclusio habetur apud Doctorem in quotlib. q. 14. vbi eam expressa & prolixe tuetur item in 2. dist. 3. q. 9.

circumloquimur per memoriam finitam. Concedo ergo, quod imperfectio non est ratio producendi, sed perfectio: non tamen communis finitæ, & infinitæ; sed perfectio talis, quam necessario concomitatur imperfectio aliqua. Ratio est: quia habere habitudinem naturaliter causæ productiuæ, secundum rationem naturalem, competit soli tali imperfecto: quia imperfectum nō est producibile immediatè naturaliter, nisi ab imperfecto: & non patet quando tale producibile sit imperfectum. Itaque prima instantia contra glossam minoris concedēda est: quia non ideo, non actiuum, quia non receptiuum.

Ad secundam instantiam de agēte liberali respondeo: hoc principiū productiuum non patet, quando necessario sit imperfectum, & perfectibile à producto: licet perfectibilitas illa non sit ratio agēdi.

Ad tertiam instātiam, videlicet, de producto, & improducto, respōdeo: quod non oportet perfectam memoriam esse principium producendi.

Ad quartam de agere, & facere, ad maiorem non valet responsio per glossam, quod intelligit de principio producendi, in quocunque vniuocè, non analogicè: quia ratio est contra hoc: nam vbi est analogicè, magis est principium producendi: exemplum, de calore in sole respectu caloris ignis.

Expositio 5. art. quæst. 4. distinctionis 2.

I. PRIMUS articuli littera non habetur in aliquibus editionibus inserta in textu: in alijs autē antiquioribus habetur in hac quæstione intra litteram B. & C. sub. 5. incipiente: *Secundus articulus tandem*, quæ additio fuit expurgata à mendis, & erroribus per eius discipulum Antoniū de Fantis Taruisinum, vt ipse testatur, & typis mandata Lugduni in ædibus Ioannis Crespin, Anno salutiferi partus 1530. & ibi dicitur in margine fuisse litteram *Doctoris* in manuscriptis illius inuentam, & postea ab alijs intra textum ipsius insertam, & in alijs pluribus æditionibus habetur prædicta littera, vt iacet in hoc articulo. *Anton. de Fantis.*

2 Hanc attamen litteram non inuenio in aliquibus editionibus, præsertim in illa quam edidit doctissimus P. F. Ioannes ab Incarnatio ne noster Cōpatriota in suo bene ordinato textu Scotico: & hoc non est mirum, quia ibi omnes additiones a vetustissimo Scoti Textu pœnitus aboleuit. Ex quo apparet, quaeliter huius articuli littera sit additio. Quinimo, neque sapientissimus P. F. Hugo Cauellus, nostræ almæ sancti Iacobi Prouinciæ alumnus, nunc autem Hiberniæ Pater, & Ordinis Definitor in sua egregia editione, qua etiam intra litteram Scoticam, additiones, saltim distinctis caracteribus insertas, typis mandauit, nec quidem in pura littera Scoti, nec in additionibus ad litteram, nec tandem in scholis proprijs, huius articuli meminit. Ipsum attamē nos hic, vbi illum inuenimus, collocamus. Tū quia proculdubio littera Scotica est, sicut cæteræ additiones, quæ ex manuscriptis quaternioribus ipsius Scoti fuerunt ab eius discipulis collectæ, & intra textum insertæ. Cum etiā, quia ab huius operis primordijs, statui Scoticam litteram non exanterare, & eneruare: sed omne, quod intra Scoti litteram pro textu Scotico adinuenerim, intra ipsum Scoticum textum inserere: ne videatur nouicijs nouus, aut imminutus liber Scoti: & ne etiā quærenti in nostris voluminibus (quæ Scoti litteram complectuntur) ea quæ in veteribus editionibus Scoti perlegerat: aliquid eorum deficiat. In Commētarijs attamen, vbi se offert occasio: & in nostra tabula ad hoc specialiter deputata, distinctè aduertitur, quæ nam sit pura Scoti littera, & quæ additio ad litteram. *Ioannes ab Incarnatione.* *Hugo Cabellus.*

Huius ergo articuli littera (quam,

vt Scoticam amplector) egregia est ad
Ocham. destruendam calumniam Ochami in
Alf. Tolet. 1. distinctione 2. & Alphonsi à Toleto ibidem quæst. 1. art. 3. & plurium imponentium Scoto, ipsum rationibus, quibus in primo articulo probat, productiones esse in Deo: intendisse euidenter hoc Trinitatis mysterium demonstrare. Ad hoc igitur hæc littera est satis vtilis, vt ex illa confundatur aduersariorum calumnia: & Scoti subtilitas, sine temeritatis contagio celebretur. Est ergo cõclusio huius articuli, quod rationes, quæ probant in Deo esse productionem, oportet non esse demonstrationes, quod quidem oportet, quia huius sacri mysterij nulla vera demonstratio esse potest. Vnde soluitur ibi prima ratio quaid probat, & aliæ instãtiæ, quæ sumuntur ex solutionibus rationum 4. articuli, quibus soluit Doctor argumenta, quæ sibi obiecerat cõtra dictam primam rationem, vt declararetur magis.

4. Ex his ergo solutionibus aliquas deducit instantias, quibus primam rationem (hoc est in Deo intellectum esse principium productiuum) confirmat. Has ergo instantias, & primam rationem principalem, hic soluit articulus iste: non vt rationem principalem, & prædictas instantias infirmare intẽdat; sed, vt ostendat, non euidenter, & demonstratiuè concludere, propter mysterij excellentiam. Nõ etenim improbat veritatem rationis; sed inquit, non esse secundum rationem naturalẽ manifestã: vnde, vt optime notauit Lychetus §. *Quia sicut dixi, &c.* in hac quæstione, ibi Doctor non intendit probare Trinitatem personarum via naturali, vt illi falso aduersarij imponebant: sed præsuppositio, productionem personarum esse possibilem, & dari in diuinis, tanquam articulus fidei: huiusmodi possibilitatem per suprapositas rationes intendit ostendere, tàm fideli, quàm infideli. Nec quidem hoc intendit demonstrare fideli, aut infideli per viam naturalem: quia statim sibi contradiceret: nã in Quodlibetis quæst. 14 prolixe declarat, quomodo impossibile est cuicũque intellectui creato, etiam si sit Angelicus, posse naturaliter cognoscere hoc mysterium. Quod
Lychet.

idem in 2. distinctione 3. quæst. 9. ostẽdit.

Quod igitur ibi intendit Doctor, est aliquibus rationibus (si quæ sunt possibiles) subtiliter hoc mysterium suadere: Ad quod ita subtilibus vtitur mediis, & rationibus, vt videantur, propositum euidenter concludere. Quarum subtilitate, quorumdam aduersariorũ excitata inuidia, eorum animos ita opprimit, vt falso Doctori imponere nõ dubitauerit, quod ipse dictis rationibus intendat, hoc mysterium naturaliter demõstrare, sed quidquid de hac inuidentia, secundum rationem naturalem, sit dicendum: prædicta prima ratio principalis, & aliæ tres sequentes, quas omnes ponit Doctor in art. 1. efficacissimè probant intentum.

5. *Scot. nõ demõstrat mysteriũ Trinitatis.*

Rationes ergo prædictæ sic possunt exponi. Prima itaque sic se habet. *Quidquid de ratione formali sua est principiũ productiuum illud in quocunque est a se, & sine imperfectione, in eo est principium productiuum. Istud totum, scilicet, intellectus habens obiectum actu intelligibile, sibi præsens, ex ratione sua formali, est principium productiuum notitiæ genitæ: igitur in quocunque, &c.* Huius rationis maior aliquas particulas continet, quæ indigent expositione: prima nimirum, *Quidquid de ratione sua formali est principium productiuum*: quia ista perfectio, & ratio producendi est à principio formali (vt recte notauit Lychet', cuius est hęc expositio) sequitur, quod illud tale ex tua ratione formali, & quidditatiua dicatur principiũ producendi. Ad quod est ibi optimum exemplum de calore. Quia calor in ligno dat ipsi ligno, vt possit calefacere, & ideo dicitur, quod calor est ratio formalis calefaciendi: & quod sic sit ratio formalis calefaciendi, habet ex sua ratione formali, & quidditatiua: quod ergo aliquid alteri sit ratio formalis agẽdi, vt potè supposito, in quo est: hoc habet ex sua ratione formali, & quidditatiua. Vnde quod intellectus cum obiecto sit alicui ratio formalis producendi notitiam: hoc habet ex sua ratione formali, & quidditatiua.

6. *Prima ratio Scoti declaratur.*

Lychet.

Habetur præterea in illa maiori sequens propositio. *Illud in quocunque est à se, & sine imperfectione, in eo est principiũ productiuum*: Quibus verbis intendit

7.

Doctor

Doctor loqui de productione, quæ est sine aliqua imperfectione. Illa autem tantummodò sine imperfectione est, quæ terminatur ad productũ subsistẽs, & huius ratio est, quia si productũ nõ esset subsistẽs, esset quidẽ receptibile in aliquo subiecto interno, vel externo, vtpote in ipso producẽte, sicut nostra notitia producta: quæ quia nõ est subsistẽs sed accidẽs, recipitur in intellectu. Vel in externa materia, sicut calor ab igne productus in ligno. Receptibilitas autem in quocunq; subiecto tàm interno, quàm externo, potentialitatem inuoluit, quæ necessariò imperfectionem includit. Atque ideò vt principium productiuum sit sine imperfectione: necessario debet esse productiuum alicuius subsistentis. Intelligit ergò Doctor in illis verbis citatis, quod principium productiuum, quod sine imperfectione producit, debet ex sua ratione formali producendi esse productiuum alicuius subsistentis; & per hoc omnem rationem potentialitatis, in tali principio excludit; cuius scilicet producti terminus formalis non recipitur in aliquo, sicut contingit in generatione naturali, qua generatur compositum: vbi terminus formalis, qui est ipsa forma compositi, recipitur in materia.

8. *Obijcitur contra rationem.* Verũ cõtra hoc arguitur, quod idẽ intellectus cũ eadẽ essentia sibi præsente, & vnita in ratione obiecti intelligibilis, est in Verbo sicut in Patre. Ergò ex illa ratione infertur, quod etiã pro vt in Verbo sit principiũ productiuũ, quia in eo est sine imperfectione, & ex sua ratione, formale productiuũ, sicut in Patre. Nam illud quod aliquid habet ex sua ratione formali, & sine imperfectione, hoc habet in quocunque est: ergò in Verbo in quo est intellectus in ratione memoriæ, est etiã principium productiuũ: vel prædicta ratio Scoti nihil concludit. Si autem in Verbo intellectus sic cum essentia est principium productiuum: consequẽter erit actu producens: quia in Deo idem est posse, & esse: ergò Verbum aliud Verbum producit, & de illo producto iterum idem potest confici argumentum. Cum ergo hoc repugnet, concluditur rationem prædictam nullius esse momenti.

Respondet Lychetus vbi supra cõcedẽdo quidem in Filio esse idem simpliciter principium productiuũ, quod est in Patre: quia in eo est eadem simpliciter memoria fœcunda, quæ in Patre est principium productiuum Filij, & tamen Filius, mediante illo principio, non potest producere alium Filium. Cuius ratio est, quia huiusmodi principium vt in Filio, præintelligitur habere terminum productum sibi adæquatum, scilicet ipsum Filium. Atque ideò si in Filio non haberet terminum sibi adæquatum, etiam in Filio esset verè productiuum alterius Filij. Quia autem Pater habet illud principium à se: ideò in illo priori per illud potest producere, cũ pro illo priori, prout in Patre, non habet terminum productum sibi adæquatum. Et tunc explicat illam particulam *á se* in maiori prædictæ rationis Scoti assumpta, ac si dicat, *á se* hoc est non ab alio: per quam negat posse intellectum in Filio esse principium productiuum: quia illum non habet á se, sicut Pater: sed ab alio, nempe ab ipso Patre. 9. *Responsio Lichetj.*

Doctrina tamen hæc prout expresse sonat, partim vera non est. Nam in primis dicere, quod principium productiuum notitiæ genitæ est in Verbo, non est verum. Quia principium productiuum notitiæ genitæ, vtpotè intellectus quatenus formaliter est memoria fœcunda, nõ est quid essentiale. sed notionale: ergò ita conuenit Patri, vt non possit Verbo competere. Quod confirmo: quoniam vt ex dicendis in quæstione de constitutione personarum suppono, hæc tria, nimirum, principium formale generãdi, generatio, & paternitas, non distinguũtur ex natura rei, sed per nostrum modum cõcipiendi, quo vnum ab alio instar rerũ creatarum distinguimus. Sed paternitas, aut generatio actiua, non communicatur Filio: ergò nec principium generandi. Quod vrgeo ex dicendis infra in difficultate 49. Dicere formaliter ex natura rei distinguitur ab intelligere, ea tantum ratione, quia scilicet omne notionale ex natura rei distinguitur ab essentialibus: dicere autem non distinguitur ex natura rei á principio formali dicendi: quia actus secundus in Deo, non distinguitur ex 10 *Impugnatur responsio prædicta.*

natura

natura rei ab actu primo: dicere autē in actu primo, nihil aliud eſt, quam memoria fœcunda Patris: ergo memoria fœcunda Patris non poteſt communicari, niſi cui communicatur actuale dicere. Sed licet Pater Filio communicet actum intelligendi, eo quod eſt quid eſſentiale: non tamen illi communicat actuale dicere, quia tunc etiam illi communicaret paternitatem, quā habet per hoc quod formaliter dicit: ergo non illi communicat memoriam fœcundam, aut principium formaliter productiuum notitiæ genitæ.

II. Hoc item confirmo, quia principiū productiuum, vel dicit actum primū, vel ſecundum: ſed vtroque modo implicat eſſe in Verbo: quia, ſi dicit actū ſecundum, iam dare mus, quod Verbū, aliud Verbum actu produceret. Si dicit actum primum: contra, quia nullus actus primus eſt, qui non dicat ordinē ad actum ſecundum: in intellectu vero, prout in Filio, nullus eſt, nec poteſt eſſe ordo ad actum ſecundum, ſicut nullus eſt, nec poteſt dari actus ſecundus, cum iam eſſe productiuum talis principij ſit exauſtum (vt ita loquar) per adæquatum terminum prioris productionis, ita vt ſibi repugnet per locum intrinſecum vlteriùs aliquam aliam notitiam generare. Et præterea, quia maxima imperfectio eſſet in Verbo habere potentiam, quæ importatur in actu primo, cum carentia actus ſecundi, qui ſibi repugnat.

12. *eadem memoria remote ſumpta, quæ eſt in patre eſt etiā in filio.* Propter hæc ergo, & aliqua alia, quæ ex dicta ſolutione Lycheti ſequuntur, non debet concedi idem formale principium productiuū eſſe in Filio, quod eſt in Patre. Licet bene poſsit concedi eamdem memoriam remotè ſumptam, quæ eſt in Patre, eſſe in Filio. Hoc eſt, quatenus idem intellectus, & eadem eſſentia, quæ eſt intelligibilis, eſt in vtroque: non tamen proximè, quatenus eſſentia huiuſmodi intellectum fœcundat: quia memoria proximè, & formaliter fœcunda, non poteſt non ex natura ſua in productionem prolis prorrumpere. Si autem ſemel eſt ſatiata termino adæquato: iam formaliter proximè fœcunda non eſt: quia fœcunditas dicit ordinem ad prolem, quam ex plenitudine ſuæ fœcunditatis intellectus producit. Si ergo nihil ſibi producendum reſtat: ad quid, rogo, eſt fœcunditas productiua? Profectò ad nihil, & ideo talis fœcunditas admitti non debet, niſi in Patre, qui ex huiuſmodi fœcunditate ſuæ memoriæ Verbum producit.

13. *Impugnatur Lychetus.* Quod autem exponit Lychetus, particulam *à ſe*, ideo poni, vt excludatur principium productiuum, quod non eſt à ſe, ſed ab alio, venia tanti viri, mihi nō videtur genuina expoſitio mentis Doctoris. Tunc etenim optima eſt redargutio Ochami, quod, ſcilicet voluntas, quam Verbum habet ſibi communicatam à Patre, non eſſet in Verbo principium productiuum, quo actu Spiritum ſanctum produceret: quia tale principium non eſt in Verbo, *à ſe*, ſed ab alio. Et ex conſequenti, ſi principium, quod in aliquo non eſt *à ſe* productiuum non eſt, proculdubio Verbum non eſſet principium productiuum Spiritus ſancti: quod abſit, quia eius oppoſitum expreſſe docet fides Catholica: non ergo illa particula *à ſe* excludit principium, quod eſt communicatum ab alio, à ratione veri principij productiui.

14. *Reſponſio Lycheti.* Reſpondet Lychetus, vt hoc argumentum ſoluat, quod ratio Scoti non exemplificatur, niſi de intellectu productiuo: & ibi ratio cōcludit, quod ſcilicet intellectus in Patre eſt à ſe: nam vbi non eſt à ſe, ſed ab alio, non habet rationē principij productiui, non quia productiuum non eſt, ſed quia intelligitur, habere terminū adæquatum, iā productum. Vnde huius ratio eſt, quia vbi intellectus eſt à ſe, nondum intelligitur habere terminum adæquatum productum, & ideo eſt productiuus illius: vbi autem eſt ab alio, iam ſupponitur habere terminum productū adæquatum.

15. *Reijcitur reſpōſio Lycheti.* Sed hæc ſolutio Lycheti vim difficultatis non euacuat, & præterea contradictionem ſui primi dicti inuoluit. Hoc enim ſic manifeſto, quia ſi principium non eſt productiuum, nec habet rationem vere productiui, niſi in eo in quo eſt à ſe: igitur intellectus, prout in Verbo, non eſt principium productiuum, nec habet rationē memoriæ fœcundæ, vt nuper Lychetus dicebat, quia

quia talis intellectus ibi nõ est à se, sed à Patre. Ex quibus patet manifesta contradictio huius Doctoris, qua sibi metipsi pugnat. Præterea quod argumentum de voluntate in Verbo in suo robore maneat, sic ostendo: nam ibi in maiori nõ loquitur Doctor speciatim de intellectu: sed absolutè de omni principio productiuo, vt patet: & Lycheti præfacta expositio non est nisi circa maiorem argumenti. Item quamuis in minori exemplificet de intellectu: hoc non obstat, quia in fine prædictæ rationis subdit, quod idem potest argui de voluntate. Et quidem truncũ & mancum esset argumentum Scoti, si probando ex quodam generali principio diuinas productiones: primam probatam, & secundam sine probatione relinqueret. Vrget ergo supra posita ratio Scoti, cuius maior propositio, non solùm de principio intellectus, sed de quocunque alio principio productiuo, procedit. Vnde si expositio Lycheti teneret: proculdubio voluntas in Verbo non haberet rationẽ principij productiui Spiritus Sancti: si quidem illam non à se, sed à Patre sibi communicatam habet.

Scotus.

16. Teneo ergo, quod tàm intellectus, quàm voluntas ibi habent veram rationem principij productiui, vbi eorum fœcunditas non fuerit adæquatè terminata, & satiata, arq; ideò nec in Verbo intellectus est principiũ productiuum: nec in Spiritu Sancto voluntas productiua est: benè tamen in Verbo voluntas erit principium productiuũ, licet illam non habeat à se, sed à Patre. Illa ergo particula *à se* non debet intelligi per exclusionem habendi principium communicatum ab alio: sed per exclusionem termini adæquati: ac si dicat, vbi principium non habuerit terminum adæquatũ, à se habet esse principium productiuum: quia etsi Verbũ habeat voluntatem non à se, sed à Patre, ipsa tamen voluntas à se, & non ab alio, habet quod sit principium productiuum, dummodo non fuerit adæquatè terminata. Tunc ergo (inquit Doctor) quod illud principium, vbicunque fuerit à se productiuum, hoc est, vbicunque non fuerit adæquatè terminatum, formaliter productiuum erit, &c. & sic manet exposita illa maior primæ rationis.

Eius autem minor, videlicet istud totum, hoc est intellectus habens obiectum intelligibile sibi præsens, ex ratione sua formali est principium productiuum notitiæ genitæ, sic est intellectus diuinus, &c. ista minor satis exponitur in articulo præcedẽti, vbi ostenditur, qualiter sublata ratione potentialitatis á principio productiuo: hoc est sublato illo esse receptiuo ab intellectu, ponitur sine imperfectione in Deo, in ratione precisè productiui.

17. *Prima ratio.*

Secunda ratio principalis, qua in articulo primo vtitur Doctor ad probãdum, productionem esse in Deo, sic se habet. *Obiectum vt est in memoria, producit se ipsum vt est in intelligentia, vel est ratio producendi se ipsum, vt est in intelligentia, &c.* Ad cuius intelligentiam prænoto, quod intelligentia pluribus modis sumitur: vel quidem pro potentia cognoscitiua: & tũc adhuc dupliciter: primo scilicet pro proportione superioris intellectus, quæ tantũ versatur circa æterna, & illa sine interuallo aliquo respicit. Vel secundo pro intellectu actu intelligente, hoc est actu respiciẽte obiectum, quod intelligit. Ab vtroque modo vocantur Angeli intelligẽtiæ, quia & diuina arcana, ac æterna considerant secundùm portionem superiorem iuxta illud Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, & nunquam ab actuali consideratione intelligibilium cessant. Secundo sumitur etiam pro notitia genita, hoc est pro Verbo producto: vel quidẽ recepto in intellectu, sicut contingit increatis: vel subsistẽs in se, vt est in diuinis. Hoc posteriori modo sumitur intelligentia in hac secunda ratione Scoti, ita quod Verbum diuinum in hac acceptione est intelligentia.

18. *Secunda ratio. Scoti exponitur. Intelligentia pluribus modis sumitur.*

Matth. 18.

Sic igitur debet exponi hæc ratio: *Obiectum, vt est in memoria, producit se ipsum, vt est in intellegẽtia.* Acsi dicat, quod sicut in creatis obiectum relucens in specie impressa, quæ fœcundat intellectum, & reddit illum memoriam fœcundam, producit speciem expressam quæ est Verbum & intelligẽtia, in qua ipsum obiectum relucet. Species enim impressa est comprincipium productionis, & quæ constituit intellectum in

19.

ineſſe memoriæ fœcundæ: & in hac ſpecie impreſſa relucet obiectum, vel ſi obiectum immediate ſine ſpecie impreſſa vniatur intelectui, ſicut de facto contingit (ſecundùm probabilem ſententiam in intellectu beatorum, cui immediatè vnitur eſſentia in ratione obiecti: tunc obiectum ipſum immediatè per ſe fœcundat intellectum, & ipſum conſtituit in ratione memoriæ. Hoc tamen obiectum, vnitum intelle ctui, vel immediate per ſe, vel median te ſpecie impreſſa, quod ſe habet ex parte memoriæ, producit ſe ipſum, vt eſt in intelligẽtia, hoc eſt, producit ver bum, quod eſt intelligẽtia: in quo verbo ipſum obiectum eſt, ſecundum eſſe intelligibile. Subſequitur in textu, *Vel eſt ratio producendi ſe ipſum, vt eſt in intelligentia.* Quod ponitur, vt diſtinguat duo eſſe principia, ſcilicet, principiũ *quod*, & principium *quo*: ac ſi dicat, vel memoria fœcunda, in qua includitur obiectum ipſam fœcundans eſt principium formale *quo* ſuppoſitum producit verbum: quia principium *quod*, dictæ produ tioni eſt ſuppoſitũ, quod media memoria fœcunda, tanquam principio formali *quo*, producit ipſum obiectum ineſſe intelligibili. Hoc eſt, producit Verbum, repræſentans illud obiectum.

20. Minor tunc formatur ſic. *Quod autẽ obiectum habeat eſſe ſecundum quid* (hoc eſt intelligibile) *vtrobique* (hoc eſt in ſpecie impreſſa, fœcundante memoria, & in intelligẽtia, ſcilicet in Verbo, quod eſt intelligentia) *vel ab eis differens*: vt in creatis contingit, vbi obiectũ eſt quid diſtinctum realiter a memoria, & ab intelligentia, ſiue verbo: in quibus eſt tã tum, ſecũdum eſſe repræſentatiuum, & intelligibile, *hoc eſt imperfectionis*: in diuinis enim, vbi eſt ſumma perfectio, obiectum, quod eſt diuina eſſentia, eſt idem realiter cum memoria: & idem realiter cum intelligentia, ſiue cũ Verbo: vt patet ex ſequẽtibus verbis, quæ ad horum declarationem ponuntur. *Quia ſi memoria eſſet perfecta, & intelligentia perfecta, obiectum eſſet ſimpliciter vtrobique idem vtrique: ergo ablata omni imperfectione, reſeruando illud, quod eſt perfectionis ſimpliciter*: hoc eſt tollendo obiectum eſſe diſtinctum à memoria, & ab intelligentia, ſicut in creatis contingit: *obiectum quidem ſimpliciter memoriæ erit ratio gignendi aliquid in intelligentia, cui eſt ſimpliciter idem, quod eſt propoſitum*: hoc eſt obiectum, quod eſt ſimpliciter idem memoriæ; cum intellectu gignit, id eſt quod intellectus, & obiectum, vt ſunt ſimpliciter idem, perfectè conſtituentia vnam perfectam memoriam, communicat per productionem ſe ipſum, quod eſt ſimpliciter idem intellectui, cum quo perfectiſsimam memoriam conſtituit: & ideo cõmunicat per productionem ſuummet eſſe intelligentiæ, ſiue Verbo: cui intelligentiæ, ſiue Verbo, idem obiectum, ſeu eadem eſſentia, quæ eſt obiectum, eſt ſimpliciter idem. Quæ ratio ſic expoſita efficaciſsimè intentum concludit.

21. 3. *Ratio Scoti declaratur.*

Tertia ratio Scoti ſic habetur: *In qualibet conditione entis, quæ non eſt ex ratione ſua imperfecta, neceſsitas eſt ſimpliciter perfectionis: igitur in productiuo, quia illud non dicit per ſe imperfectionem*: Ad huius rationis claritatem, præſuponẽdum eſt, quaſdam eſſe cõditiones entis, quæ ipſum diuidunt, & ei diſiunctiuè conueniunt. Iſtarum autem, ſi quædam dicũt perfectionem: neceſſariò aliæ oppoſitæ imperfectionem inuoluunt. Huiuſmodi ſunt idem, & diuerſum, infinitũ, & finitum; perfectas, & inhærẽtia, cauſatiuum, & cauſabile, & ſimilia: ex eo ergo, quod identitas dicit perfectionẽ: ideo diuerſitas imperfectionem inuoluit, & ſic eo quod infinitas perfectas, & productiuum, dicũt perfectionem: per oppoſitum finitum, inhærentia, & cauſabile, dicunt imperfectionem, & hoc eſt, quod dicitur in illa maiori: quod conditiones diuidentes ens, quæ imperfectionem non important, neceſſario dicunt perfectionem. Vnde arguitur ab vno membro diuidente ad aliud, & à negatione vnius ad affirmationem alterius, ſicut in hoc, eſt animal, & non eſt irrationale: ergo eſt rationale, ſic in propoſito; eſt conditio diuiſiua entis, & non eſt de ſe imperfecta: ergo neceſſario eſt perfecta, & ſic intelligenda eſt illa prima propoſitio dictæ rationis.

Cõditiones entis, aliæ dicunt perfectionem, aliæ imperfectionem.

22. Quod autem infertur ex illa: *Ergo in productiuo, quia illud non dicit ex ſe imperfectionẽ*, indiget exponi: quia eſſe productum,

ductũ, & esse producibile, sunt cõditiones diuidentes ens. At vero iuxta notatã doctrinã, si productiuũ dicit perfectionẽ, debet producibile imperfectionẽ inuoluere. Et tunc Verbũ quia producibile est, imperfectionem importaret. Quod dicendum non est. Non ergo videtur quod esse productiuum, dicat perfectionem, si quidem esse producibile imperfectionem non dicit.

23. *Lychetus.* Hoc optimè soluit Lychetus distinguendo de producibili: cum etenim istæ sint conditiones diuidentes ens, debet intelligi, quod non vtraq; conueniat vni naturæ, seu vnienti: quia tunc perfectio, & imperfectio de eodem respectu eiusdem esse verificaretur. Productiuum ergo, & producibile, vt diuidunt ens, sunt cõditiones, quæ non vni, sed duplici naturæ conueniunt, quatenus vnum est productiuum alterius esse, & aliud producibile secundũ esse distinctum ab esse producẽtis, à quo recipit illud, & vt sic, si vnum eorum dicit perfectionem, alterum imperfectionem inuoluere necesse est. Vnde producibile, conueniẽs alicui enti in natura distincto à productiuo, proculdubio imperfectionem dicit: quia verò indiuinis eidem prorsus naturæ conuenit esse productiuũ, & producibile: hinc est, quod etiam si perfectionẽ productiuum importet, non propterea producibile in tali natura, aliquã imperfectionem includit.

24. Huius autem ratio à priori est, quia producibile in natura distincta â natura productiui ex eo dicit imperfectionem: quia dicit dependentiam â productiuo, â quo recipit esse. Et ideò optimè arguitur à conditione productiui, quod dicit perfectionem, eo quod de se imperfectionem non dicit, sicut producibile (quod est alterum membrum diuisionis) alteri naturæ conueniens. Tunc etenim ob dependẽtiam â producente, imperfectionem importat. Cum autem in diuino producibili nulla dependentia sit: vt in difficultate 47. num. 16. ostendimus: ideò producibile diuinum imperfectionẽ non dicit: licet productiuum, eo quod productiuum est, necessariò perfectionẽ importet. An autem hæc perfectio sit formalis nec ne, an verò identica? & qualiter relationes diuinæ perfectionem includãt, vsque ad septimã quæstionem reseruo.

Quarta ratio Scoti sic se habet. *Relationes oppositæ de secundo modo relationorum, possunt cõpetere eidẽ naturæ limitatæ, sicut eidẽ voluntati competit ratio motiui, & mobilis, qua voluntas mouet se: sed relationes producentis & producti, licet magis repugnẽt quã relationes mouentis & moti; tamẽ sunt relationes eiusdẽ modi: ergo relationes producẽtis & producti sunt cõpossibiles in eadẽ natura maximè illimitata.* Hoc argumento infert Doctor afortiori possibilitatem productionũ in Deo: nã natura creata eadem potest fundare duas relationes oppositas secũdi modi, in quo modo relationis est impefectio: quia imperfectionis est fundare relationem mouẽtis, & mobilis: nam vt fundat relationẽ mobilis, includit receptiuam potentialitatem alicuius, secundum quod formaliter dicitur mobile, & nullo modo potest ibi nõ esse talis receptiua potentialitas. In relationibus autem producentis & producti, quæ pertinent ad eundẽ modum, si ibi non est efficientia, & causatio, nulla est imperfectio: quia nulla est ibi potentialitas receptiua.

25. *Quarta ratio Scoti. Relationes oppositæ põ sunt eidem naturæ limitatæ compete re, & â fortiori naturæ illimitatæ.*

Cũ ergo supponatur ex alijs rationibus, ibi sine aliqua ratione potentialitatis esse posse productionẽ: arguit afortiori Doctor, quod si in natura limitata possunt fundari duæ relationes secũdi modi includentes imperfectionẽ: multò magis afortiori poterit natura diuina illimitata fundare duas relationes producentis & producti, quæ sunt eiusdẽ modi: in quibus nulla imperfectio est, quia sublata omni receptiua potẽtialitate, possunt reperiri in Deo: & ideò sequitur, quod natura diuina, quæ est perfectissima, poterit immediatè fundare relationes producentis, & producti: & sic productiones erunt in Deo. 26.

Istæ quatuor rationes habẽtur prolixius expositæ à Tatareto, Lychero, & alijs Scotistis: nunc tamẽ hæc dicta de illis ad earũ intellectionẽ sufficiẽt, vt videatur, quod licet demonstrationes non sint, vt textus fatetur: sunt nihilominus subtiles & efficacissimæ ad suadendũ intentũ: sed duas priores earũ, inquit Doctor, ad hoc præcipuas esse.

QVÆSTIO

QVÆSTIO QVINTA.

De numero productionum.

IVXTA hoc quæro in speciali, vtrum sint ibi tantum duæ productiones intrinsecæ? circa quod quæruntur sex.

¶ Primo. Vtrùm sit plus quàm vnica productio in diuinis?

¶ Secundo. Vtrùm in diuinis sint tantùm duæ productiones intrinsecæ?

¶ Tertio. Vtrùm in diuinis, præter intellectum, & voluntatẽ, habeat essentia rationẽ principij productiui?

¶ Quarto. Vtrùm eidem principio possint competere actus essentiales, & notionales?

¶ Quinto. Vtrùm intelligere Patris sit ratio producendi Verbum?

¶ Sexto. Vtrùm dualitas diuinarum productionum, rectè à quibusdam probetur?

ARTICVLVS 1.

Vtrùm sit plus quàm vnica productio in diuinis?

A. AD primum sic proceditur, & videtur, qnod nõ sit plus quam vnica productio in diuinis, & arguo sic: quia vnius naturæ videtur esse vnus modus communicandi, secundum Auerroem 8. Phis. text. Com. 46. quod probatur per rationes suas ibidẽ. Prima, quia, scilicet, alterius materiæ est altera forma; alioquin non esset forma propria huius materiæ: & tunc quodlibet generaretur ex quolibet, & tunc vltra: materiæ vniuersaliter essent ociosæ, & superfluæ: sed materiæ correspondentes diuersis agẽtibus, & producẽtibus sunt alterius, & alterius rationis: quod patet in generatione per propagationem, & putrefactionem, quia propagatũ generatur ex semine, aliud non, sed ex alio corpore putrefacto: ergo, &c.

Secundo præterea arguitur ex opposito, inferendo, quod eadem species tunc esset à natura, & à casu. Ex quo infertur, quod homo posset generari à semine asini, & ex infinitis materijs. Probatur autem, primũ consequens esse inconueniens: quia quod fit a casu, est oppositum ei, quod fit à natura. Et præterea secundo, quia nulla species est à casu: quia, quæ cõueniunt à casu, sunt monstruosa. Hoc totum est manifestum per se: sed si natura haberet diuersos modos communicandi, tunc secundum vnum modum posset aliqua species esse à natura, & secundum alium modum communicandi posset esse à casu: ergo, &c. B.

Tertio præterea arguitur sic, ex commento illo. Generabile hoc, si generatur equiuocè, & non ex semine, aut ergo ex necessitate aut vt in pluribus, aut raro. Si de necessitate, equiuocè generatur: igitur nunquam ex semine: quod est falsum. Si autem vt in pluribus, æquiuoce de putrefactione generatur: ergo naturaliter quia quęcũq; vt in pluribus accidunt, naturaliter accidũt: ergo naturaliter generatur æquiuocè. Et vlterius sequitur, quod vt raro, propagetur ex semine, quod falsum est. Si autẽ vt rarò generatur æquiuocè: sed quæ rarò, cueniunt casu C. *Vide 4. de gene. animalium.*

casu eueniunt,& casualiter, & quæ casualia sunt, monstruosa sunt, & quæ sunt huius, non sunt eiusdem speciei, & hoc, & illud: ergo natura non est communicabilis, nisi vno modo.

D. Quarto præterea arguitur pro conclusione Cōmētatoris: quia diuersorum motuum specie 5. Phys. ergo si communicationes, vel productiones sunt alterius rationis: ergo & termini.

5. *Phys. text com. 31.*

E. Sed contra est, quia contradicit Auerroi Augustinus in epist. ad Deo gratias, vbi dicit, multa genera animaliū sine parentibus ex terra procreantur, quæ tamen pariunt coeundo ipsa sibi similia: nec quod propter diuersitatem natiuitatis interfit aliud ad naturā eorū, quæ procreata sunt ex terra: & eorū, quæ ex illis coeuntibus orta sunt. Similiter enim viuunt, & moriūtur: quamuis dissimiliter nata sint. Et *idē*, Ambrosius de incarnatione Verbi in fine.

F. Respondeo dicendū ad quæstionem de numero productionū: quod patet veritas, quod sint duæ productiones: *& amplius in sequenti articulo patebit: nunc autem*, quod conclusio Auerrois sit falsa, patet per Augst. 3. de Trinit. c. 4. & 9. & ratio Augustini ibidem est: quia generatum per putrefactionem propagat alia iterum propagantia: propagantia autem sunt vniuoca generatis à se: ergo propagata, & generata per putrefactionē sunt vniuoca. Quod si negat Auerroes assumptum, de apibus, & consimilibus animalibus, nō potest negare de plantis: quia æquiuoce genitæ, hoc est, non ex semine, postea producunt vniuocè semen, ex quo generātur plantæ aliæ eiusdem speciei. Contradicit etiam eidem August. in epist. ad Deo gratias, *vt dictum est §. sed contra*: sed & ipsemet contradicit sibi ipsi in alijs locis de hac conclusione: nā de generatione accidentiū æquiuoca patet per ipsū 2. de cœlo, & mūdo tex. com. 42. vbi concedit, quod in accidentibus, non semper est generatio ab vniuoco, & ponit exemplum de calore: patet enim, quod calor generatur ex motu, & concursu radiorum, & etiam a calore vniuoce.

1. *concl.*

2. *concl.*

In substātijs etiā patet, quia ignis generatur æquiuocè, & vniuocè: quod æquiuocè, patet 3. de cœlo, & mūdo, & Auerr. Com. 56. exitus ignis à lapide nō est de capitulo tranflationis, sed de capitulo alterationis, hoc est, nō generatur per lationem, sed per alterationē: generatur enim per motum localem ex 2. methaph. cōm. 18. & 1. Metheor. de generatione impressionum ignitarū. Itē patet de animalibus, quod multa generantur æquiuoce 12. meth. com. 18. vespæ videntur fieri de corporibus equorum mortuorū, & apes de corporibus vaccarū. Quod autem omnia prædicta generata æquiuocè sint eiusdem speciei cū generatis vniuocè, probatur: quia habēt operationes easdē, & circa eadem obiecta, & ab eisdem conseruātur, & ab eisdem corrūpuntur: eosdem enim habēt motus, siue quātū ad sursum, siue quantū ad deorsū, siue quantū ad motū progressiuū, & eadē organa motus progressiui. Ex vnitate autem motus concludit Aristot 1. de cœlo, & mundo vnitatem naturæ: & Comentator ibidem comento octauo, motus vnus non prouenit nisi ex vnitate naturæ: habent etiam hæc & illa membra eiusdem speciei, & membra leonis non differunt à membris cerbi, nisi quia anima differt ab anima: & generaliter quæcūq; media possūt cōcludere vnitatē specificā, siue sumpta ex accidentibus, siue sumpta ex

G.

Text. com.

omnibus, concludunt propositum de vniuocatione generatorum, sic & sic in vnitate specifica: contradicit etiam sibi Magister suus septimo Metaphysic. vbi vult, quod sicut aliqua eadem fiunt ab arte, & à casu, quando principium est simile in materia illi, quod esset principium motus factionis, si idem fieret ab arte: ita vult, quod quædam naturalia fiunt à natura, & à casu, & quædam non ibidem Auerroes: & incipit textus: ergo sicut dictum est: vult ibi, quod illa possunt generari sine semine æquiuoce, in quorum materia potest induci virtute cœlesti aliqua virtus similis virtuti seminis in propagatis. Patet igitur multipliciter oppositum conclusionis Auerrois, si generaliter, & vniuersaliter intelligatur. Rationes etiam suæ non concludunt, *vt videbitur in solutionibus earum infra.*

7. Metaph. tex. com. 22 23. & 31.

Tex. com. 31.

H.

Sed adhuc videtur remanere difficultas argumentorum Auerrois, licet enim eadem natura possit communicari vniuocè, & æquiuocè, non tamen ab aliquo eiusdem speciei, sed ab indiuiduo vnius speciei tantùm vniuocè communicatur: æquiuocè autem à causa superiori: natura autem diuina non cõmunicatur ab aliqua causa superiori, sed tantùm ab aliquo in eadem natura: ergo videtur, quod natura illa non habeat communicationem, nisi vnius rationis. Respondeo: natura creata non potest communicari, nisi communicatione vnius rationis à supposito illius naturæ: & ratio est, quia effectus non excedit causam: effectus autem communicatus tali supposito est natura: ergo oportet, quod principium communicandi sit natura: quia nihil perfectius ipsa natura est in tali supposito communicante: natura autem est principium communicatiuum vnius rationis: ergo supposito agenti virtute naturæ cõpetit communicatio tantùm vnius rationis. Oppositum est in proposito: quia suppositum istius naturæ potest habere principia alterius rationis in producendo, quorum vtrumque sit æquè perfectum in natura: & ideo vtrumque potest esse principium communicandi naturam: & ita hîc potest esse duplex communicatio ab illis suppositis, quæ sunt huius naturæ.

Subtilis instantia.

Subtilissima respõsio & articuli declaratio.

I.

Si instetur hîc, quod duplex est principium operandi in nobis, scilicet intellectus, & voluntas, æquè perfectum ipsi naturæ: quia idem forma secundùm vnam opinionem de potentijs animæ. Respondeo: vlterior ratio est eius, quod supponitur hîc de duplici principio communicandi naturam in diuinis, non autem in creaturis, & potest esse talis: licet in nobis sit duplex principium operatiuum, intellectus, & voluntas, & ambo sint perfecta, & possint habere perfectas operationes sibi adæquatas in ratione operationis: non tamen habent operationes adæquatas sibi in esse: hoc est, licet per intellectum nostrum possumus habere intellectionem imperfectam, sicut aliqua potest naturæ nostræ competere, non tamen intellectio ista erit perfectum ens, vt natura: quia intellectio adæquata intellectui, vt potentiæ, vel obiecto, in ratione operationis, non est adæquata intellectui, vel obiecto in esse: intellectus igitur, & voluntas in creatura, etsi sint principia producendi operationes adæquatas sibi in ratione operationis, non tamen inesse: & per cõsequẽs multo magis, nec realiter adæquatas naturæ, cuius sunt intellectus, & voluntas. Ita potest argui

Alia instãtia.

Solutio.

argui de quibuscumque principijs productiuis in creaturis: quorum distinctio stat in codē supposito alicuius naturæ. In diuinis autē, quia principium operatiuum, non tantum æquatur naturæ in ratione principij operatiui, sed etiam in essendo; operatio etiam æquatur principio operatiuo: & hoc in essendo & per consequens æquatur naturæ: similiter ergo, quia principium productiuum æquatur naturæ inessēdo; & ideo per ipsū potest cōmunicari terminus formalis adæquatus sibi; & naturæ inessendo.

L. Ad primum argumentum principale dico, quod Auerroes in Comment. 46. 8. Physicor. cuius textus incipit. Vtrùm autem vnum quodque? non loquitur expresse, nisi de homine, & quo ad hoc contradicit Auicen. 15. *De animalibus*, sicut ipse dicit ibidem. Imposuit autem Auicenæ, quod posuerit, quod homo potuerit generari æquiuoce: & tunc conclusio Auerrois vera est: nihil enim genarabile vniuocè potest generari æquiuoce, nisi sit ita imperfectum, quod causa æquiuoca, siue vniuoca sufficiat ad generationem eius: & ideo imperfecta entia possunt generari vniuoce, & æquiuocè: perfecta autem non: tamen rationes Auerrois videntur concludere, non tantùm de homine, sed de quacumque specie generabilium: & si hoc intendat, conclusio eius est falsa, *Vt probatum est in corpore articuli*, & rationes non concludunt, *vnde* ad primam respondeo, quod materia secundum Philosophum 1. Physic. & 5. meth. est, ex qua fit res, cum insit: additur cum insit, ad differentiam oppositi, ex quo transmutato, & concepto fit res, non autem ineſt rei factæ: si ergo accipit, quod forma eiusdem rationis est materiæ eiusdem rationis, propriè loquendo de materia, quæ est pars rei inexistens, concedo: sed si accipiat materiam, pro opposito, ex quo corrupto generatur oppositum, nego. Ignis enim eiusdem speciei generatur, siuè ex terra corrupta, siuè ex aere corrupto. In propagatis autem putrefactis est materia eiusdem rationis primo modo, sed non secundo modo. M.

1. *Phys. tex. com.* 82. 5. *meth. tex. com.* 2. 3 & 4

Ad secundum dico, quod non dicitur aliquid fieri raro, vel vt in pluribus, quia ipsum in se contingat frequenter, vel raro: frequentius enim lapis cadens frangit caput, quam luna eclipsetur: sed ista differentia debet intelligi per comparationem alicuius effectus ad suā causam: & dicitur ille effectus eueniens in maiori parte, qui habet causam determinatam ad suum euentum, quæ vt in pluribus producit effectum. Raro dicitur euenire, quando non habet certam causam determinatam, ad suum euentum: sed tantum prouenit ex aliqua causa ordinata ad alium effectum, impedita tamen ab illo effectu, ad quem ordinatur. Et tamen ex tali impeditione prouenit istud raro. Accipitur etiā raro, vel vt in pluribus, prout disiungit inter opposita contradictoria, non prout inter disparata disiungit.

Ad tertium, cum arguitur, generabile hoc, si generatur æquiuocè, vel non ex semine, aut igitur ex necessitate, aut in pluribus, vel raro ex necessitate: concedo, quod non. Aut ergo in maiori parte, vel rarò, concedo, quod in maiori parte comparando ad causam determinatam, & etiam, vt est distinctio inter contradictoria, comparando, scilicet effectum æquiuocū ad causam æquiuocam sub distinctione ad contradictoria: licet ra- N.

rius eueniat hoc, quod generetur, non ex semine, quam quod generetur ex semine, vt videlicet comparantur ad inuicem duo disparata. Quod autem primo modo eueniat vt in pluribus probatur: ita enim per se est sol causa ordinata ad generandū, non ex semine, sicut propagans est causa ordinata ad generandum illud ex semine. Si instatur quod si secūdo modo raro euenit: ergo á casu: non sequitur, & tamen ita arguit vlterius de casualitate, prout casualia dicuntur illa, quæ eueniunt tantùm ex causa alterius effectus impedita, & ideo, vt dicit, casualia sunt monstruosa, & nō perfecta in aliqua specie, quia propriè loquendo, casualia non eueniunt ab aliqua causa ordinata: sed causa ordinata ad productionē alterius, impedita, producit casuale.

Ad quartum, cum arguitur de motu, & termino, respondeo, quod O. ista propositio, motuum differentium specie sunt termini specie differentes, non est immediate: sed depēdet ex alijs duabus, prima est, motuum differentium specie, sunt fluxus differentes specie, vel formæ, secundùm quas sunt fluxus, differunt specie. Secunda est, forma fluens, vel forma, secundum quam est fluxus, est eiusdem rationis cum forma terminante. Vbi autem altera istarum duarum est falsa, propositio assumpta est falsa: ita est in proposito, quod forma inducta per productionem, cuius modi est essentia, non est, eiusdem rationis cum forma, quæ est fluens, vel secundum quam est fluxus, cuiusmodi est productio. Quod autē sit falsa, quando alterum illorum est falsum, patet, quia idem vbi potest acquiri per motum circulare, & rectum: qui etiam motus sunt alterius speciei, & incomparabiles, secundum Philosophum 7. Physicorum: hoc autem est, quia forma, quæ est terminus fluxus, non habet distinctionem specificam, sicut illa forma, quæ est fluens, vel secundùm quam est fluxus: qualiter autem cumque sit de exemplo, forsan opportet ibi exponere Philosophum, & tenere, quod vbi fluens secundum circulum, & lineam rectam sint eiusdem rationis, in quantum vbi fluens, licet rectum, & circulare, quæ accidunt lineæ, seu magnitudini, supra quam mouentur, non sint eiusdem rationis: & ideo quoad illa fit motus incomparabilis: non autem quo ad vbi, & vbi fluēs, perse, & ideo, nec quoad motus per se, saltem illud, ad quod hoc exemplum adducitur, verū est: quod forma fluente existente alterius rationis à forma terminante, non oportet ex distinctione motuum distinctionem concludere terminorum: in proposito autem productio est alterius rationis ab essentia terminante, vt à termino formali accepto per eam, quia productio est relatio: essentia *autem* ad se, & ideo pluralitas productionum non concludit distinctionem formalem, terminorum ipsorum. 7. *Physic. tex. comen.* 21.

Expositio articuli 1. quæstionis 5. distinctionis 2.

Stensa in quæstione 4. diuinarum productionum possibilitate, productionemque de facto esse in Deo, modo in huius articuli littera ostendit Doctor ex D. Aug. contra Auerroem, etiam in nonnullis naturis creatis viuentibus, reperiri plusquam vnicum modum producendi, & communicandi: & ponit exemplum in quibusdam plantis, &c. Littera clara est, & infra ex difficultate sequenti clarior fiet.

ARTIC.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in diuinis sint tantùm duæ productiones intrinsecæ?

A. ADsecundum sic proceditur, & videtur quod in diuinis non sint tantum duæ productiones intrinsecæ, quia Philosoph.2. Physic. distinguit naturam, & intellectum, tanquã diuersa principia actiua. Vtriusque autem ratio vere inuenitur in Deo, quia neutrum includit imperfectionem, & ad intra: quia neutrũ est productiuum ad extra: ergo præter productionem voluntatis erunt duæ aliæ productiones ad intra.

2.Phys.tex. Com.48.& c.tex.com. 49.

B. Secundo præterea, *probatur seu* hoc etiam confirmatur per Philos. 9.Meth. c.2. vbi videtur expresse dicere, quod potẽtia rationalis valet ad opposita: quia est oppositorum: sed si intellectus ex natura sui est determinatus ad opposita, & natura est determinata ad vnum: ergo intellectus habebit aliam rationem principij, quã natura.

9.Meth. tex.Com.3.

C. Tertio præterea, potẽtia volũtatis est libera: ergo productio eius est libera: ergo nõ terminatur ad vnũ; sed ex libertate sua potest esse ad opposita: sed tantũ creatura est possibilis esse, & non esse, nõ *tamen* persona diuina: ergo voluntas est tantum principiũ producendi creaturam, non personam diuinam.

D. Sed contra est, quia si non sunt tãtum duæ personæ productæ: ergo erũt plures personæ, quã tres, vel pauciores, quã tres, quod est falsum. Illæ ergo auctoritates, quæ ostendũt, tantum tres esse personas diuinas, ostendunt, quod sint tantum duæ personæ productæ.

E. Conclussio.

Respondeo dicendũ, & dico tũc ad quæstionem, quod tantum sunt ibi duæ productiones distinctæ, secundum rationes formales productionum: & hoc, quia sunt tantùm duo principia productiua, habentia formales rationes producendi distinctas. Huius causalis probo antecedens, & consequentiam: antecedens sic: omnis pluralitas reducitur ad vnitatem, vel ad paruitatem tantam, ad quantam reduci potest: ergo pluralitas principiorum actiuorum, vel productiuorum reducetur ad vnitatem, vel ad tantam paruitatem, ad quantam potest reduci: sed non potest reduci ad aliquod ptincipium vnum productiuum aliud ab istis. Probatio, quia principia productiua, quæ sunt natura, & voluntas, habent oppositos modos principiandi, quia alterum inclinatur ex se ad agendum naturaliter: alterum liberum, & in potestate sua habet producere: ita quod ad hoc ex se naturaliter non inclinatur. Si autem reduceretur ad aliquod vnum principium productiuum, illud haberet determinate alterum modum principiandi alterius istorum principiorum. Vel enim esset productiuum ex se determinate: & tunc per modum naturæ, vel non ex se determinate: sed libere: & ita per modum voluntatis: ergo non possunt reduci ad aliquod vnum principium, quasi tertium ab istis, quod scilicet in producendo neutrius istorum habeat rationẽ: nec vnum istorum reducitur ad alterũ, quia tunc alterũ secundum totum genus suum, esset imperfectum, quod falsum est, quia, cum ex eadem perfectione conueniat vtrique esse principium operatiuum, & productiuũ, & neutrum sit ex se imperfectum, in quãtum est operatiuum, quia tunc

non eſſet formaliter in Deo: ergo nec in quantum eſt productum, eſt imperfectũ: ergo non poſſunt reduci ad paruitatem maiorẽ, quam ad dualitatẽ principij, ſcilicet productiui per modũ naturæ, & principij productiui per modũ volũtatis.

F. Hæc autem duo principia, ſecundũ rationes principiandi, debẽt poni in primo, quia in ipſo eſt omnis ratio principij, quod non reducitur ad aliud principiũ prius, igitur ſunt tantum duo principia productiua alterius rationis in primo producti uo. Hæc autem ſunt productiua ad intra: probatio, memoria perfecta eſt productiua ad intra per modum naturæ ex ſolutione præcedente, quia intellectus perfectus, ſicuti in quantum eſt potentia operatiua natus eſt intelligere obiectum, quantum eſt ipſum noſcibile: ita in quantum eſt potentia productiua notitiæ genitæ, natus eſt eſſe principiũ tantæ notitiæ, quãta poteſt eſſe obiecti. Intellectus autem in primo, etiam vt eſt principiũ productiuũ, eſt ſimpliciter perfectus, quod patet quia nõ reducitur ad aliud principiũ prius, & omne imperfectũ reducitur ad perfectũ prius ſe. Hoc etiã obiectum primũ intellectus eſt infinitũ intelligibile: ergo intellect°, vt eſt principiũ productiuũ: natus eſt eſſe principiũ produẽcdi notitiã infinitam. Similiter arguitur de voluntate, reſpectu omnis obiecti infiniti. Aliter arguitur, & reddit quaſi in idem ſic, quia quodlibet principium productiuum, quod non reducitur ad aliquod principiũ prius, natũ eſt habere productionẽ ſibi adæquatam, igitur principiũ productiuũ, quod eſt voluntas, natum eſt habere productum ſibi adæquatũ, & principium productiuũ, quod eſt natura, natũ eſt habere ſibi productum adæquatum. Hæc principia productiua ſunt infinita: igitur producta eis adæquata non poſſunt eſſe, niſi infinita. Omni potentia autem in primo non poteſt habere obiectum poſsibile infinitum, quia tũc creatura poſſet eſſe infinita: nihil autem infinitum eſt formaliter, niſi Deus, ex quæſtione illa præcedenti vtrùm Deus ſit infinitus? ergo iſta principia ſunt productiua aliquarum in natura diuina. Vlterius ſequitur, ſi nõ ſunt ibi, niſi duo principia productiua alterius rationis: ergo tantum ſunt duæ productiones numero. Probatio huius, & conſequentiæ primæ: quia vtrumque principium productiuum habet productionẽ ſibi adæquatam, & coæternam: ergo ſtante illa non poteſt habere aliam.

Nota quod cõſequentia primæ cauſalis probatur hic.

G. Contra, quia probatio illa nõ videtur valere, quæ adducitur ad oſtendendum, dualitatem in principijs productiuis nõ poſſe reduci ad vnitatem, nam principiare neceſſario, & contingenter, ſunt oppoſiti modi principiandi, & diuerſi: & tamẽ hæc dualitas reducitur ad vnitatẽ: & concedo, quod illud vnũ habet determinate alterũ iſtorũ modorũ duorũ, illũ ſcilicet, qui eſt perfectior, & prior: ita diceretur in propoſito, quod ad principium, quod eſt natura, quia illud eſt prius in ratione principiãdi, reducitur volũtas licet habeat oppoſitũ modũ principiandi. Ad hoc dico, quod quando duo principia habẽt modos oppoſitos, quorũ neuter reducitur ad alterũ, vt ad prius natura, licet poſsit ibi eſſe aliqua prioritas, quaſi originis: nunc autẽ neutrũ iſtorum principiorum includit aliquam imperfectionem, non magis in quantum productiuũ, quã in quantũ operatiuũ: nec ergo vnũ ad alterũ reducetur, vt ad prius natura, nec ambo ad tertiũ, propter idẽ: quia neutrũ eſt imper-

imperfectum: & etiam quia illud tertium esset principium secundum rationem alterius istorum: quia inter ista non est medium in principiando: & ita ambo reducerentur ad tertium, vnum reduceretur ad aliud, & idem ad se ipsum.

H. Memorandum quod tota materia dist. 23 versatur circa antecedēs huius causalis. Ideo altercatio circa antecedens differatur, vsq; illuc, vel hic, tota tangatur. Secundum melius fiet, si hic mouetur quæstio, an productiones præcisè distinguā tur, secundum distinctionem principiorum formalium producendi. Solutio huius quæst. dependet ex his, an essentia, vt essentia, sit principiū cōmunicandi essentiam. Itē an idem principiū formale producēdi possit esse respectu distinctarūpro ductionū. Itē tertio, qualis sit distinctio principiorū producendi: quod pertinet ad quæstionem de distinctione attributorum. Nota, quod pro solutione huius quæstionis, sit hæc propositio, quidquid rationis eiusdē existēs, ad plura eiusdē ratio nis se extēdit, nō determinatur ex se adquot talia se extēdit, probatur in habitudine naturæ cōmunis ad suppolita & causę, & effect°; ex hoc sequitur, quod nec natura diuina in quātū cōmunis determinat sibi numerū suppositorū, nec in quantum principium producendi: si est tale principiū determinabit sibi numerum principiatorū: igitur si est certus numerus personarum, erit, quia principiū productiuū distinguitur. Sic soluitur ad duo prima dubia. Tertio requirit probationē per adæquationē vnicæ productionis prin cipio vnius rationis, quo modo in prima productione est duplex prin cipiū, quo: quo modo essētia solanō est sufficiens quo communicādi se, quomodo aliquid quasi posterius

Diffusius vide in 2. q. de his.

1. instantia cōtradicta.

potest esse principiū quo communicādi, quasi prius in perfectione, quomodo non est æquè essentia in quolibet, quasi radix omniū, sed Filius est prima notitia, & Spiritus Sā ctus primus amor, & quasi cōcomita tur essentia: distinct. 13. *hæc distinctius in proprijs artic. infra videbūtur.*

Nunc autem contra vltimam pro I. positionē prædictæ deductionis arguo. Quæro enim, vnde probatur il la propositio, quæ dicit, quod stante vno actu adæquato potentiæ, ipsa non potest simul habere alium si intelligat adæquatum, secundùm extensionem petitur principium, si secundum intensionem videtur falsum: nam licet visio Verbi adæquætur potentiæ intellectiuæ animæ Christi: tamen potest nosce re actu ellicito aliud intelligibile à se. Patet etiam, quod Deus nouit se notitia adæquata intellectui suo secundùm intensionem: & tamen nouit alia à se: si igitur ista est de ac tu adæquato potentiæ operatiuæ, quod compatituralium, multo magis videtur de potentia productiua: quia eius productum, vel productio non est potentia productiua, sicut operatio est in potentia operatiua.

L. Item sic, principium non est prin cipium, in quantum principiatum iam intelligitur positum inesse, sed *2. instātia.* in quantum est prius principiato. Vt autem est prius principiato, non aliter se habet per hoc, quod principiatum ponitur in esse: ergo si isto non posito posset esse principium alterius, pari ratione videtur, quod isto posito, simul potest esse principium alterius, quia isto posito, principium in quantum principium (hoc est in quantum prius principiato) nullo modo aliter se habet. Solutio istarum duarum rationum, & declaratio

Quare in 1. reportationum q. illā, & in quott q. 2. & in collationibus, & alibi.

rationis illius, contra quam fiunt, & probatio conclusionis, ad quam illa ratio adducitur, videlicet, quod sunt tantum duæ productiones, dimittātur, vsque ad distinct. 7. quæst. illa, an possint esse plures filij in diuinis.

M. Ad argumēta, quæ probāt, quod non sunt tātùm in Deo duo principia productiua, *Respondeo.*

N. Ad primum. Cum, *videlicet*, primo arguitur de natura, & intellectu, quod sunt duo principia productiua distincta, per Philosoph. 2. Physicor respondeo, quod Philosoph. parum loquutus est de voluntate, vt distinguitur contra intellectum, sed communiter in ratione principij actiui coniunxit intellectum ad voluntatem: & ideo in 1. Phys. vbi distinguit ista principia actiua in naturam, & intellectum, non debet intelligi, vt intellectus distinguitur cōtra volūtatem: vt patebit statim, sic enim concurrit cum voluntate, cōstituendo vnum principium, respectu artificialium. Hoc patebit respōdendo ad instantiam Philosophi de 9. meth. ad quam *in sequenti solutione.*

1. Phis. tet. Com. 49.

O. Ad secūdum dico, quod intellectus cōparatur ad suā naturā, & ad suam propriam operationem, cuius est principium elicitiuum, & productiuum aliquo modo: & comparatur ad operationes aliarum potentiarum, respectu quarum est potentia directiua, vel regulatiua. Si primo modo accipiatur: dico, quod est merè natura, & in eliciendo, & in producendo, quemcunque enim actum intelligendi producit cum obiecto præsente in memoria, merè naturaliter producit, & quamcūque operationem operatur, merè naturaliter operatur. Voluntas autem respectu operationis propriæ vt productiua, habet oppositū modum producendi, & hoc satis apparet per Philosoph. 9. meth. ca. 4. vbi tractat quomodo potentia rationalis, & irrationalis reducūtur ad actū, & arguit, quod potentia rationalis quæ ex se est ad opposita, non potest ex se exire in actum: tunc enim simul exiret in opposita, quia simul est oppositorum.

9. Meth. ca. 4. tex. com. 10.

Et ex hoc cōcludit, quod præter illam potētiam rationalem oportet ponere illam potentiam rationalem determinatiuam, per quā determinetur, & illa determinata non potest exire in actum. Et ex hoc sequitur, quod intellectus, si est oppositorum, sic est oppositorum per naturæ modū, quod quātū est de se, necessariò est oppositorū: nec potest se determinare ad alterūillorū, sed requirit alterum determinās, quod libere potest exire in alterum oppositorum. Hoc est appetitus secūdum eundem, vel prohæresis. Exēplum. Sol habet virtutem producē di opposita, scilicet liquefactionē, & coagulationem. Vnde, si essent duo passa approximata, quorū alterum esset liquefactibile, & alterū coagulabile, Sol de necessitate naturæ, haberet ellicere illos duos actus in illis: & si idem esset approximatum, quod simul natum esset recipere opposita ista, Sol de necessitate simul produceret opposita vel neutrū. Est ergo potentia Solis mere naturalis, licet, oppositorū: quia est illorum mere ex se, ita quod nō potest determinare se ad alterum tantū: talis potentia est intellectus, vt intellectus est præcise, respectu oppositorum intellectorum: & non est ibi aliqua determinatio ad alterum tantùm illorum, & non ad reliquum, nisi quatenus voluntas concurrit: Philosophus autem communiter loquitur de intellectu secundùm quod cum voluntate constituit,

P. *Vbi supra.*

tuit vnum principium, respectu artificialium, & non, vt est naturaliter elicitiuus suæ operationis. Et ideò est, quod aliquando cõtra naturam distinguit intellectum, aliquãdo artem, aliquando propositum, idem intelligens per omnia.

Q. Ad tertiũ, cum *videlicet* vltimo dicitur de voluntate, quod est principium, respectu creaturarũ, dico, quod per prius naturaliter volũtas Dei est principium productiuũ alicuius producti sibi adæquati, quam sit productiuum non adæquati: adæquatum infinito est infinitum, & ita creatura est secundarium volitum, & productum à volũtate Dei.

Expositio articuli 2. quæstionis 5. distinct. 2.

POSTQVAM in articulo primo obiecerat Doctor, plus quam vnam productionẽ reperiri posse, & esse in Deo: in hoc secundo numerum productionum determinans, probat ibi tantùm esse duas productiones, scilicet, per intellectum, & volũtatem: per quarum primam producitur Verbum: per secundam autem Spiritus Sanctus. Quod latè, & subtiliter probat ibi. Sed quia in sequenti difficultate istius, & præcedentis articuli doctrina enucleanda est: non hic in eius expositionibus immoramur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in diuinis, præter intellectum, & voluntatem, habeat essentia rationem principij productiui.

AD tertium sic proceditur, & videtur, quod in diuinis præter intellectum, & voluntatem habeat essentia rationem principij productiui? obijcitur enim contra deductionem *factam in præcedenti articulo sic.* Natura ex se est principiũ determinatum ad agendum: in diuinis autem intellectus, vnde intellectus, non tantùm videtur esse principium determinatum ad agendum: sed etiam natura, vt est quodammodo prior intellectu, quasi radix, & fundamentum, sicut essentia quælibet videtur esse fundamentum potentiæ: ergo nõ tãtùm intellectus, sed etiam ipsa essentia debet poni habere rationem principij illius, quod est natura, vt distinguitur contra voluntatem. A. B.

Sed contra est, quod essentia sola non est sufficiens communicãdi se.

Respõdeo dicendum, quod hoc totum intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens habet tationẽ memoriæ perfectæ in actu primo, quæ scilicet est immediatũ principiũ actus secundi, & notitiæ genitæ. In hoc autem principio, quod est memoria, concurrũt duo, quæ constituunt vnum principium totale, videlicet essentia in ratione obiecti, & intellectus, vt potentia; quorum vtrumque per se est, quasi partiale respectu productionis adæquatæ huic totali principio. C. *Conclusio.*

Ad argumentum: cum igitur arguitur, quod ratio naturæ non tantum competit intellectui, sed essentiæ, respondeo, quod totale principium includens naturam, vt obiectum, & intellectum, vt potentiam, habẽtem obiectum sibi præsens, est principium productiuum: quod est natura, & principium completum producendi per modum naturæ: si- D.

essentia, vt obiectum, non haberet rationem principij in productione Verbi: quare magis diceretur Verbum essentiæ, quam lapidis, si ex sola infinitate intellectus, vt principij productiui, posset produci Verbum infinitum, quocunque alio obiecto præsente.

Expositio articuli 3. quæst. 5. distinct. 2.

LIttera textualis est satis perspicua, in qua Doctor concedit, diuinam naturam esse principium productionis Verbi diuini: non quidem immediatè, eo modo, quo natura in creatis est principium generationis: sed in ratione obiecti vniti intellectui paterno. Essentia igitur, & intellectus simul, constituunt vnum adæquatum principium productionis. Atque ideo verum est dicere, quod verbum procedit ab essentia, non vt cunque: sed quatenus, vt vnita intellectui, illum fœcundat in ratione memoriæ, quæ est formaliter adæquatū principium productiuū generationis Verbi diuini. Ad huius autem articuli, & duorum præcedētium claritatem, mouetur sequens difficultas.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm personæ productæ immediate procedant per naturam diuinam: an verò per intellectum, & voluntatem?

§. 1.

Proponuntur sententiæ Ricardi, & Durandi.

1. SVppositio ex difficultate 46. in Deo tres esse personas, & ex difficultate 47. primam earum esse improductam, alias verò duas productas esse; hic cōsequenter ipsarum personarum productarum principium intelligamus. An scilicet vnica, vel pluribus productionibus, ab eodem: vel à distinctis principijs procedat? Hæc etenim omnia Doctor in tribus articulis præcedentibus resoluit. *Prima sententia Ricardi.*

Nonnulli tribuunt Ricardo de sancto Victore, quod asserat vtriusque personæ vnicum tantùm esse principium productiuum, & hoc principiū esse voluntatem. Ab hac tamen sententia illum pro viribus alij liberare intendunt. Et ideo quia forsan sententia Ricardi non est: nec aliquid affert vtilitatis, supersedendum est illi.

2. Durandus verò in 1. distinct. 6. q. 2. & dist. 10. q. 2. tenet, nec Filium procedere per intellectum, nec Spiritum Sanctum per voluntatem: sed proximè vtrumque ex natura ipsa diuina, secundum rationem naturæ, procedere: in tātum quod si per impossibile in Deo non esset intellectus, & voluntas: adhuc in Deo esset generatio filij, & processio Spiritus Sancti. Quadam tamen appropriatione, quia scilicet, in creatis prior est productio per intellectū, quam per voluntatem, Filij processionem tribui intellectui, & processionē Spiritus Sancti tribui voluntati. In quā sententiam inclinat Gregorius Arimi nensis in 1. dist. 7. quæst. 1. art. 2. & dist. 10. quæst. 1. art. 1. 2. *Secunda sententia. Durandus. Gregorius.*

3. Probat autem Durandus suam sententiam argumentis nonnullis, & primo, quia actus intellectus, & voluntatis sunt intelligere, & velle, qui quidē actus sunt essentiales, & ex consequēti communes omnibus personis, & inter se non diuersi: sed processiones diuinæ non sunt essentiales, nec communes: sed inter se realiter distinguūtur eadem distinctione, qua distinguūtur ipsæ personæ producentes, & productæ: ergo processiones diuinæ nō sunt actus intellectus, & voluntatis.

4. Secundo, quia non minus cōuenit fœcunditas Deo, quam creaturis: esset etenim imperfectio in Deo excedi à creatura in aliquo, quod ex se perfectionem includit: fœcunditas autem ad

ad producẽdum, proculdubio perfectionem importat: ſed creaturæ ſunt fœcundæ propriè per ſuam naturam, quę etiam, ſecluſo intellectu, & voluntate, producunt ſibi ſimile in eadẽ ſpecie: ergò Deus fœcundus eſt propriè per ſuam naturam, vt per ipſam, ſeclu ſo intellectu & voluntate, producat.

5. Quod autem nó ſit duplex, ſed vna productio, tertio in ordine ſic arguitur, quoniam vnius naturæ, vnius tantùm eſt modus ſe cõmunicandi, quod quidẽ ſi verum eſt in eis naturis, quæ habent vnitatem ſpecificam, à fortiori verificabitur in natura, quæ eſt perfectiſsimè vna numero: ſed diuina natura eſt vna numero, & indiuiſa: ergò nõ poteſt habere duplicem, ſed vnicum modum ſe communicandi. Et ex conſequenti; non per duo principia, qualia ſunt intellectus, & volũtas: ſed per vnicum principium, quod eſt ipſa diuina natura, procedent perſonæ.

6. Quarto tandem: quia multiplicitas productionum ſumitur ex multiplicitate terminorum formaliũ: ſed in productionibus diuinis, vnicus tãtùm eſt terminus formalis, ſcilicet diuina eſſentia, quæ eſt vnica, & indiuiſa, tàm communicata Verbo, quàm Spiritui Sancto: ergò vtriuſque vnica erit productio. Alia inſuper ſunt argumenta, quæ habentur in textu in 1. art. huius quæſt. 5. vbi iuxta Auerrois doctrinã probatur non poſſe pluſquam vnam productionẽ vnius naturæ eſſe. Quæ argumenta ad diuinam naturam applicata, illius, non plures, quam vnicam productionem eſſe, probare intẽdũt: quæ quia ibi habentur clara, & optimè ſoluta à Doctore, non repetuntur hîc.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, quæ eſt communis, & eius fundamẽta explanãtur.

7. IN oppoſitũ ergo eſt Doctor Subtilis in textu, qui loquendo de numero productionum in art. 2. huius quintæ quæſtionis in corpore hæc profert. *Dico tunc ad quæſtionem quod tantum ſunt ibi duæ productiones diſtinctæ, ſecundum rationes formales productionum. Et hoc quia ſunt tantum duo principia producti ua habentia formales rationes producendi diſtinctas.* Et infra ait, talia principia eſſe intellectum, & voluntatem. In tertio autem articulo tenet; naturam diuinam non eſſe principium diuinarũ productionum, niſi per modum obiecti, & vt ſic eſſe principium partiale, ſimul cum intellectu, vnum totale adæquatum principium complens. Hoc idem tenet diſt. 27. quæſt. 3. per totam, & in Quodlibetis quæſt. 2. Hanc ſentẽtiam tenent etiã Seraphicus Pater noſter Bonauentura, de Verbi proceſſione in 1. diſt. 27. quæſt. 1. & de proceſſione Spiritus Sancti diſt. 10. per plures quæſtiones. Diuus Thomas 1. p. q. 27. art. 3. Alexander Alenſis 1. p. q. 42. memb. 2. & q. 43. memb. 3. Ricardus in 1. diſt. 1. art. 1. Gabriel diſt. 7. quæſt. 2. Marſilius quæſt. 6. art. 2. atque omnes veteres Theologi Scotiſtæ, Thomiſtæ, ac Nominales: & ex recentioribus, dempto nemine, cuncti duplicem tantum productionem diuinam non immediatè per naturam, ſed per intellectum, & voluntatem catholici confitentur.

D. Bonau. *D. Thom.* *Alexand.* *Alenſ.* *Ricardus.* *Gabriel.* *Marſilius.*

8. Pro huius difficultatis intelligentia primo obſeruare oportet, quod quia vt alibi notauim⁹, nõ per infimarũ, ſed per ſupremarũ creaturarũ productionem, diuinas productiones inueſtigare debemus: cũ duplex ſit genus creaturarum, vnum ſcilicet corporearum, & aliud ſpiritualium: ideò inſtar iſtarum & non illarum, debemus diuinas productiones intelligere: cum ſpirituales creaturæ in perfectione longè corporeas antecellant. Cum verò ex naturis creatis, non omnes, ſed tãtum corporeæ, ſint, quæ proximè, & immediatè fœcundantur ad producendam prolem, vt inductiuè patet: ſpirituales vero naturæ, quales ſunt Angeli, non ſic: quia Angelus non producit Angelum: ſed quidquid producunt Angeli, eſt per intellectum & voluntatẽ: ideò quia non debemus tribuere Deo modum productionis creaturarum corporearum, per conſequens non poſſumus

Productiones diuinæ à creaturis ſpiritualibus dignoſcuntur.

mus ei concedere earum modum fœcũditatis: nimirum immediatè per ipsam naturã, cum talis modus, ita magnæ imperfectionis sit, vt etiã spiritualibus creaturis non conueniat, sed per intellectum & volũtatem: in quo productionis modo creaturæ spirituales longe superant corporeas. Quia tamẽ in Angelo, seu in anima rationali, intellectus & voluntas (secundum omnes) sunt principia inter se, & ab essentia Angeli distincta: cuius oppositum reperitur in diuino intellectu, & voluntate, vbi (secundum quosdam) nulla distinctio ex natura rei inueniri potest: ideò est distincta difficultas hic, & illic: nam si intellectus est idem cũ essentia, non videtur esse distinctum principiũ ab essentia: atque ideò productio immediata per intellectum videtur consequenter esse immediata per essentiã. Sed reuera apud omnes Theologos datur inter diuinam naturam, & intellectum seu voluntatẽ sufficiens distinctio ad hoc, vt productio dicatur formaliter esse immediatè per intellectum, & non per naturam, seu essentiam.

In Deo datur sufficiens distinctio, vt productiones fiant per intellectũ, & voluntatẽ, & non per essentiam.

9. *Scotus.*

Propterea est obseruandum, quod Scotus in Quodlibetis quæst. 1. littera K. describens diuinam essentiam ait, quatuor esse de eius quidditate, & sunt hæc, nimirum vita intellectualis, ens infinitum, & existentia. Vnde Scotistæ grauissimi sumpsere motiuum, vt dicerent intellectum, & voluntatem esse de quidditate Dei. Attamen vt optimè explicat Tataretus supra illam citatam Doctoris quæstionem, in dicta descriptione non ponitur *vita intellectualis*, vt denotet intellectum aut voluntatem, esse de quidditate Dei: sed dicitur intelluctualis ab intellectualitate, & à tota natura intellectuali. Et hæc expositio est accomodatissima litteræ Scoti: nam incitata quæstione littera K. hæc ait: *Quæcunque substantia est intellectualis, intellectualitas est intra rationem essentialem eius: sicut in speciali patet in homine, in cuius ratione ponitur rationale: & per consequens in ista, intellectualitas quæ per se intelligitur per rationale, est idem homini essentialiter: ergo cum Deus verissimè sit intellectualis, eius intellectualitas erit idem essentialiter eius essentiæ.* Supra quæ verba Lychetus in eadem quæstione, vt respondeat huic difficultati, postquam in prima solutione plura prolixè dixerat: in secunda (quæ est eadem expositio Tatareti) subdit: quod sicut anima est natura intellectualis, quæ est de essentia hominis: & nihilominus intellectus & voluntas, quæ ab anima pullulant, non sunt de essentia hominis: sic entitas intellectualis est de essentia Dei: non tamen intellectus & voluntas. Et sic (inquit Lychetus) si in aliquibus inueniatur dictum, quod intellectus, & voluntas sunt de essentia Dei, exponatur vt hic. Et quod Doctor non intelligat, quod sint de essentia Dei, patet: quia vult in primo distinct. 2. parte 2. quæst. 4. quod sint principia formalia omninò diuersarum rationũ. Quã expositionem, vt veriorem, obiter amplector: & ex professo rationibus tuẽdam vsque ad proprium locum remitto.

Descriptio diuinæ essẽtiæ.

Tataretus.

Intellectualitas est de quidditate Dei, non tamen intellectus.

Lychetus.

10. Porrò hanc esse verissimam mentẽ Doctoris, manifestatur in alijs Verbis eiusdem infra in dist. 26. quæst. vnica art. 8. solutione ad secundum, vbi postquam dixerat, intellectum, & voluntatem nõ esse propriè attributa Dei, sed ad ipsa attributa præsuponi (ex quibus quidam Scotistæ colligebant intellectum, & voluntatem esse de essentia Dei) idemmet Doctor, vt tolleret omnem rationem dubitandi, sic se ipsum declarat. *Vel aliter declaratur, & melius, quia hæc essentia, vt hæc essentia præcedens omnem quasi qualitatem, est intellectualis, & volitiua essentia: ita quod sicut rationalitas non est attributum homini, sic nec intellectualitas huic essentiæ.* Quibus Verbis manifestè manet cõfirmata expositio Lycheti, & Tatareti: iuxta quã dico, quod intellectus (& idem est de voluntate) dupliciter potest capi: primo pro intellectualitate: secũdo prout est potentia. Priori modo est ita essentialis *Deo*, sicut rationalitas homini: at qui vt sic potius dicetur intellectualitas, quam intellectus, prout optimè notauit Lychetus in 1. dist. 10. quæst. vnica §. *ad aliud contra*, vbi notat, quod essentia diuina, & intellectus, seu voluntas, non sunt alterius, & alterius rationis, nec distinguuntur formaliter, quia intellectualitas est de essentia Dei.

11. Secũdo vero modo prout tradit ipse Lychetus ibidem, & dist. 8. quæst. 3.

&

& in quodlib. quæst. 1. intellectus, & essentia sunt alterius, & alterius rationis: & quamuis non sint propriè attributa secundum Scotum: adhuc tamen distinguũtur ab essentia ex natura rei, vt in quæst. de dist. attributorum, seu relationum ostendam. Præterea intellectus, & voluntas inter se formaliter ex natura rei distinguuntur, vt docet idem Lychetus ibidem, & dist. 2. q. 7. §. respondet hoc ibi, & in multis alijs locis. Quod est expressũ Scoti in hac, & in præcedente quæstione. Videatur pro hoc Pater Herrera in primo disp. 15. quæst. 3. notabili 5.

Lychetus.

Herrera.

12. Ex dictis infero, quod cum intellectus & voluntas, vt principia productiua sint, distinguantur ex natura rei ab essentia: benè itat, processiones diuinas posse esse immediatè, non per naturam, & essentiam ipsam: sed per intellectum & voluntatem. Secundo infero, quod cum intellectus, & voluntas adinuicè formaliter ex natura rei distinguantur: & sint distincta principia habentia distinctas rationes formales producendi, vt docet Scotus: hinc productio vnius erit distincta à productione alterius: quia à pluralitate principiorum sumitur pluralitas productionum. Tertio infero, quod vt constet esse tantum duas processiones, prius debet constare esse indiuinis tantum, hæc duo principia productiua. Hoc enim his verbis docet Doctor in secũdo articulo huius quæstionis. *Tantum sunt duæ productiones, quia sunt tantum duo principia.* Et hanc causalem, *quia*, ipse acutissimè probat.

13. *Duo tantũ sunt principia productiua. scilicet, determinatum, & liberum.* Quod nos, vt etiam de eius mẽte explanare possimus, est demũ tertio obseruandum, duo esse agentia inter se, ita immediatè opposita, vt necessariò omne agens ad vnum illorum reduci debeat. Hæc sunt agens determinatũ, & agens liberum. Agẽs determinatum est illud, quod ex ratione suæ intrinsecæ, & formali, est determinatum ad determinatam operationem. Et ratio est, quia agit per determinatam formam ad taliter operãdum. Et quia huiusmodi determinatio non potest competere, nisi agẽti ex natura, eo quod per naturam determinatur: ideò agens determinatum, cum agente naturali cõuertitur. Et præterea quia hæc determinatio naturalis imponit necessitatem agenti, ratione cuius dicitur agens naturale, agere secundum vltimum de potentia: ideò hoc tale agens naturale, est etiam agẽs necessarium. Huiusmodi agens, & reperitur increatis tã in creatura materiali, qualis est ignis, quam etiam in spirituali, in qua principium sic agendi, est intellectus.

Agens attamen liberum est illud, quod ex sua ratione formali, & intrinseca natura, est indeterminatũ ad operandum, licet ab alio sibi proueniat determinatè agere. Habet etenim hoc agens liberum triplicem libertatem. Prima est essentialis, quæ consistit in hoc, quod est voluntatem determinare se ipsam, & hoc ita seruatur in omni libero, vt ista libertate sublata, nulla tenus principium liberum remanere possit. In hoc etenim principium liberum à naturali differt: quod hoc à natura ex sua intrinseca forma est determinatum ad vnum quasi passiuè: illud verò non est sic determinatum passiuè ab aliqua forma intrinseca, sed ipsum se determinat actiuè, aduolẽdum scilicet, & ad productionem amoris. Secunda libertas vocatur contrarietatis, vel communius, quoad specificationem actus: & quidem contrarietatis vocatur, quia in principio importat indifferentiam ad duo cõtraria, & ad quodlibet illorum potest se determinare voluntas: quia propositis voluntati albo, & nigro, non magis est determinata ad vnum, quam ad aliud: & ideò prolibito suæ libertatis potest voluntas (quæ est vnicum principium liberum) se determinare ad volendum vnum, seu alterũ, & ad sic, vel sic agere circa obiectum sibi propositum. Tertia est libertas contradictionis, quæ aliter solet dici libertas quoad exercitiũ: Quæ sic dicitur, quia importat in principio indifferentiam ad duo contradictoria: vtpotè ad album, & nõ album, hoc est ad velle album, vel non velle albũ, seu ad agere, & non agere. Inter has autem duas vltimas libertates hæc est perspicua differentia, quod scilicet libertas contrarietatis semper respicit positiua, & eius indifferentia inter positiua versatur: propterea quæ à quolibet, ad quod se determinat, specificatur actus illius: & ideò vocatur libertas quoad

14. *Triplex libertas voluntatis, scilicet essentialis, contrarietatis, & cõtradictionis.*

Libertas cõtrarietatis, & cõtradictionis differũt duplicitèr.

quo ad ſpecificationem actus: libertas vero contradictionis neceſſario eſt inter poſitiuum, & negationem ipſius: hoc eſt, eſt indifferes, vt poſsit exercere actū volitionis circa ſibi propoſitū obiectum: vel non exercere illum: & ideo dicitur libertas quoad exercitiū. Ex his autem tribus libertatibus, ſola prima cum neceſsitate compatitur. Et hæc qualiter in proceſsione Spiritus Sācti reperiatur, ſuo loco dicemus.

15. *Liberum principium non reperitur in creaturis materialibus, benetamen in ſpiritualib.*

Hoc tamen, quod dictum eſt de libero principio, aperte oſtenditur, non poſſe competere materialibus creaturis: quia huiuſmodi creaturæ ex ſua intrinſeca, & formali ratione ſunt agentia determinata, naturalia, & neceſſaria, in quibus, nec conſultatio intellectus, nec libertatis indifferentia eſſe poteſt: ſed bene in creaturis ſpiritualibus eſt principium liberum agendi, vtpotè voluntas; quæ tunc libera eſt in operando, quando conſultatio intellectus operationem eius præcedit. Cum igitur Deus ſit natura intellectualis, vt ex notatis conſtat: vtrumque principium, videlicet naturale, & liberum, quæ ſunt intellectus, & voluntas, in ſe continet: & non poteſt aliud principium in ſe, vltra iſta duo principia, continere. Quod ſic probat Doctor loco citato: quia ſi in diuinis eſſet aliquod principium producēdi, vltra iſta duo: profecto ad aliquod principium productiuum deberet reduci: ſed nō poteſt reduci ad aliquod, quod non ſit vnum iſtorum: quia ex adæquata diuiſione principij productiui conſtat, quod omne principium vel eſt productiuum ex ſe determinatè, vel nō ex ſe determinatè: intra quos terminos contradictorios, non eſt dare medium: & tunc, ſi eſt in natura intellectuale principium ex ſe determinatè agēs, procul dubiò eſt intellectus agens per modum naturæ: ſi verò eſt principium productiuum, non ex ſe determinatè agens, eſt voluntas per modum libertatis: ergo non poteſt tale principium non reduci ad principium naturale vel liberum. Nec aliquod aliud principium ab eis diſtinctum in Deo excogitari poteſt: & ex conſequenti relinquitur in Deo tantùm eſſe duas productiones, ſiquidem in Deo tantum ſunt duo principia productiua, nempe intellectus & voluntas.

Deus principium naturale, & liberum continet in ſe, & nullum aliud.

§. 3.

Statuuntur concluſiones huius difficultatis.

16. 1. *Concl.*



Is præhabitis, difficultatem concludendo dico primo, quod in Deo nulla eſt productio immediatè per naturam, ſed per intellectum, & voluntatem. Concluſio hæc in tantum eſt vera, & fidei conformis, vt ſententia Durandi ei oppoſita non ſolùm ſit falſa, verum & temeraria, ac errori proxima: ſic tenent ex recentioribus Pater Herrera in 1. diſputat. 5. quæſt. 3. conc. 2. Suarez 1. part. 3. lib. 1. cap. 5. num. 4. Gregorius de Valent. 1. parte diſput. 2. quæſt. 1. puncto 3. & plures alij. 1. pars huius concluſionis probatur ex ſacra Scriptura, nam Ioannis 1. dicitur, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum eſt*: vbi vocatur Filius Dei Verbum. Itē vocatur Sapiētia Prouerb. 8. vbi de ſe inquit, *Ego ſapientia habito in conſilio*. Et Eccleſiaſtici 24. *Ego ex ore altiſsimi prodiui*, & alia ſunt teſtimonia, quæ Dei Filium Patris genitam Sapientiam, & Verbum paterni intellectus eſſe teſtātur. Item de Spiritu ſancto dicitur 1. Ioann. cap. 3. 4. & 5. quod eſt charitas. Vnde de duabus productis perſonis hæc inquit D. Auguſtinus lib. 9. de Trinitate cap. 12. *Sicut Dei Verbum Filium eſſe nullus Chriſtianus dubitat: ita Charitatē eſſe Spiritum ſanctum*. Si igitur Filius Dei vere eſt ſapientia, & Verbum Patris, & Spiritus ſanctus charitas, & amor Patris, & Filij: vnde (rogo) eſt Sapientia, & Verbum, niſi ab intellectu, aut vnde eſt amor, niſi â voluntate?

P. Herera. Suarez. Greg. de Valen.

Ioann. 1.

Prouerb. 8.

Eccleſ. 24.

1. Ioan. c. 3

D. Aug.

17. *D. Chriſoſ.*

Prtærea omnes ſancti Patres hoc modo Dei Filium, Verbum propriè eſſe teſtantur, & Spiritum ſanctum amorem. Sic enim D. Chriſoſtomus hom. 1. in Ioan. inquit, *Prætera Verbum ipſum appellauit. Cum enim nos docturus eſſet, hoc Verbum*

Verbum vnigenitum esse Dei Filium: nec passibilem quispiam naturam suspicaretur, præoccupata Verbi appellatione, omnem aufert suspitionem. Hoc idem habet in homilia 3.& 4.& alibi, vbi sæpe de Filio Dei verè esse Verbum Paterni intellectus testatur. Item Diuus Augustinus explicans illud Ioannis primo, 15. de Trinitate cap. 11. supra illud: *In principio erat Verbum*, hæc ait, *hoc nomen Verbū magis significat Verbum mentale nostrum, quam Verbum vocale, & magis Verbū Dei quam Verbum mentale nostrum.* Videantur pro hac conclusione Diuus Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 5. Diuus Basilius, & fere omnes in Homilijs supra illud *In principio erat Verbum*. Item Diuus Ireneus lib. 2. contra Hæreses cap. 28. Damascenus lib. 1. de Fide c. 9. Diuus Theodoretus lib. 2. apud Græcos, D. Anselmus in Monologio cap. 43.

D. Aug. *D. Cyrill.* *D. Basil.* *D. Ireneus* *D. Damas.* *D. Theodo.* *D. Ansel.*

18. Secunda autē pars conclusionis probatur, videlicet, quod sententia Durādi sit temeraria, & errori proxima: nā in re grauissima, & supernaturali, singularis sententia, atque communi Sanctorum Patrū cōsensui, & sacræ Scripturæ modo loquēdi oppolita, est temeraria, & errori proxima: sed sententia Durandi est huiusmodi, vt ex testimonijs, & auctoritatibus citatis, compertum est: ergo, &c.

19. *Secunda cō clusio.* Dico secundo, quod in diuinis sunt duæ productiones. Hæc conclusio est de fide, & probatur illis locis Sacræ Scripturæ, quibus in præcedente difficultate probatur, esse processionē Filij, & Spiritus Sancti: atque ex auctoritatibus sanctorum Patrum id attestantiū. Probatur insuper ratione desumpta ex duplicitate principij productiui. In Deo etenim, & est intellectus, & est voluntas: sed hæc sunt duo principia productiua inter se formaliter distincta, vt ostensū est: ergò in Deo sūt duæ productiones. Consequentia patet, quia in diuinis ratio facti sumitur â potentia facientis.

20. *Tertia conclusio.* Dico tertio, quod in diuinis nulla productio esse potest, quæ non sit per intellectum, & voluntatem, atq; ideò non potest esse aliqua productio intrinseca vltra productionem Verbi, & Spiritus Sancti. Conclusio hæc ex nuper notatis constat, vbi ostendimus tātum esse duo principia productiua in Deo: nam ex pluralitate principiorū arguitur pluralitas productionum: sed in diuinis, nec est, nec potest esse aliud principium productiuum, vltra intellectum & voluntatem, quorum quodlibet ad vnicum productum adæquatè terminatur: ergo, &c.

§. 4.

Soluuntur argumenta in oppositum.

AD argumenta in oppositum, & ad primū respōdeo: quod Verbum diuinum non producitur per actum intelligendi, nec Spiritus Sanctus per actum volendi, vt ex dicendis in sequenti difficultate suppono: isti enim actus, vt probat argumentum, & nos amplius in sequenti difficultate ostendimus, essentiales sunt: & per cō sequens tribus personis conueniunt. Verbum autem producitur per actum intellectus, qui est dicere, & non est intelligere; & Spiritus Sāctus per actum voluntatis, qui est spirare, non tamen velle, aut diligere. Dicere autem & spirare, non sunt actus essentiales, sed notionales: ac propterea non conueniūt tribus personis: sed dicere conuenit Patri, & spirare Patri, & Filio: neuter vero Spiritui Sancto. Imo dico, vt non tantum iuxta nostram Scoticam sentētiam: sed etiam vt secundùm communem loquendi modum, Durando respondeamus: quod in Deo potest intelligi duplex intelligere, & duplex velle, nimirum intelligere, & velle essentiale: & intelligere, & velle notionale. Primum intelligere, & velle conuenit exæquo tribus personis. Secundū vero intelligere, & velle minimè, sed per intelligere notionale, quod tantū conuenit Patri, producitur Verbum: & per velle notionale, quod tantum cōuenit Patri, & Filio, producitur Spiritus Sanctus.

21. *Ad primū argumentū* *Verbū per actum dicēdi, & Spiritus Sāctus per actum spirādi, producuntur.* *In diuinis datur duplex intelligere, & duplex velle, aliud essentiale, & aliud notionale.*

Ad secundum dico: quod creaturæ corporeæ sunt fœcūdæ immediatè per naturam, secluso intellectu, & voluntate: non vero creaturæ spirituales.

22.

Istæ

Istæ namq; immediatè per intellectũ, & voluntatem sunt fœcũdæ, vt ex primo notabili patet. Fœcunditas autem per intellectum, & voluntatem perfectionem importat: quia ab omni materialitate eximitur. Fœcũditas verò immediata per naturam, est materialitate commixta, & ideò imperfectionem inuoluit. Illa igitur fœcunditas, & nõ ista, Deo tribuenda est.

23. Ad tertium respondetur, quod vnius naturæ, quæ est immediatũ principium productionis, vnicus tantũ est modus communicandi se: secus verò si non sit immediatũ principiũ producendi. Tũc enim vnius naturæ potest multiplex esse potentia, quæ sit immediatum principium productionis: atque ideò in natura diuina, quæ non est immediatum principium communicandi se, est intellectus & volũtas, quibus immediatè communicatur Filio, & Spiritui Sancto.

24. *Actio specificatur â termino distinctionem tamen sumit â principio agente.*

Ad vltimum dico: quod quamuis actio specificetur à termino, hoc est: quia terminatur ad ipsum, non tamen sumit suam distinctionem ab illo, sed à principio, sic vel sic agente. Quod manifestum est in creatione Adami, & generatione Caimi, vbi terminus formalis est eadem natura specifica in vtroque producto: & nihilominus generatio vnius, & creatio alterius, maximè distant, ratione distinctorũ principiorum, à quibus sunt. Imò & idem homo genitus, & iterum post mortem reproductus à Deo, eundem terminũ formalem in vtraque productione importat. Quantum autem differant inter se Patris generatio, & Dei reproductio, nemo nescit. Quanuis igitur eadem met natura diuina communicata sit Filio, & Spiritui Sancto: non propterea vnica, sed duplex distincta est Filij, & Spiritus Sancti productio. Quod alijs pluribus exemplis illustrari potest: nam ignis generari potest ab igne, & à sole percutiente speculum, & plura animalia immunda ab alijs eiusdem naturæ generantur, quæ etiam possunt media putrefactione produci.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm eidem principio possint competere actus essentialis, & notionalis?

A. IN quartum sic proceditur, & videtur, quod eidem principio non possint competere actus essentialis, & notionalis. Est enim dubium de istis actibus produtiuis, quomodo sint istorum principiorum, quorũ sunt actus essentiales. Cum enim actus distinguant potentias, secundo de anima, videtur, quod istis potentijs, quibus conueniũt actus essentiales, non competant actus notionales, siue productiui. *2. de Anima text. com. 33.*

B. Sed contra est, quia Pater vt habet notitiam actualem, quasi elicitam, & actum secundum, est in actu intelligentiæ, cuius est enim intelligere actuale: ergo vt sic non gignet Verbum, sed vt est in actu memoriæ, id est vt habet obiectum intelligibile præsẽs intellectui suo. In hoc enim intelligitur actus primus quasi præcedens actum secundum, &c.

C. Respondeo dicẽdum ad hoc dubium, & dico, quod memoria in Patre est principium operatiuum Patris quo, scilicet vt actu primo Pater formaliter intelligit: vt in actu secundo est eadem memoria Patri principium productiuum, quo Pater existens in actu primo producit vt in actu secundo notitiam genitam, & actus primus prior est priority originis actu secundo. Non fundatur igitur actus productiuus super actum essentialem, qui consistit in actu secundo: videlicet qui est operatio, quasi super ratio-

1. *Concluſ.* rationem formalem eliciendi illum actum ſecundum: ſed quod ammo-
2. *Concluſ.* do præexigit illum actum, quia actus primus, qui eſt operatiuus, & productiuus, eſt ratio perficiẽdi ſuppoſitum in actu ſecundo; qui eſt operatio ſuppoſiti, in quo eſt quodã ordine prius, antequam intelligatur produci illud, quod producitur: operans enim, & producens per idem principium, prius eſt operans, quam producẽs. Exemplum, ſi lucere poneretur aliqua operatio in luminoſo, & illuminare poneretur productio luminis à luminoſo, lux in luminoſo eſſet à principio quo, & reſpectu operationis, quæ eſt lucere, & reſpectu productionis, quæ eſt illuminare, nec tamẽ lucere, quod eſt operatio, eſſet ratio formalis illuminationis, quæ eſt productio, ſed eſſet ibi ordo, quaſi effectuum ordinatorũ ad eamdem cauſam cõmunem amborum, a qua immediatius procedit vnus effectus, quam alius.

D. Ita in propoſito, ad eũdem actũ primum, qui eſt memoria Patris ordinẽ quẽdã intelliguntur habere intelligere, quod eſt operatio Patris, & dicere, quod eſt producere Patris reſpectu notitiæ genitæ: non
3. *Concluſ.* talem tamen ordinem, quod intelligere Patris ſit cauſa, vel principium elicitiuum dicere Verbi.

E. Sed quod immediatius intellige re ſit, quaſi productum â memoria
4. *Concluſ.* Patris, quam dicere, vel quam Verbum ſit productum ab eodem. Non igitur eſt ibi talis ordo, qualem ponit opinio *Henrici in ſexto articulo*
5. *Concluſ.* *confutanda*, in ratione obiecti præſuppoſiti, vel ratione principij formaliter agentis: ſed tantùm ordo prior, quaſi producti ad productum reſpectu eiuſdem principij communis ad quaſi productum, & vere productum, & tunc.

Ad argumentum, ad illud, *videlicet*, ſecundi de anima de diſtinctione potentiarum per actus, poteſt dici, quod quaſi producere, & producere ſunt actus eiuſdem rationis, ſi enim illud, quod non producit, ſed quaſi producitur eſſet realiter diſtinctum à producente, eſſet vere productum. Igitur, quod modo ſine productione inſit, tamen virtute principij, quod eſſet productiuum eius, ſi poſſet diſtingui; & pro tanto dicatur, quaſi productiuum non variat formaliter actum ab illo, quo produceretur, ſi eſſet producibile. F.

Alia reſponſio eſſet, de intelectu agente, & poſsibili, ſed modo tranſeo, quia non dixi adhuc, cui intellectui conuenit producere notitiam, vt principio partiali: hoc dicetur infra, ſed nunc de intellectu indiſtinctè locutus ſum. G.

Dicetur de hoc infra diſtin. 3. q. 7. vel 9. & in quodl. q. 15 & in q. colat. & lib. de anima, & alibi.

Expoſitio art. 4. quæſtion. 5. diſtinct. 2.

DEterminat Doctor in textu, eidem principio poſſe competere actus eſſentiales, & notionales. Intelligere etenim actus eſſentialis eſt: dicere vero eſt notionalis. Quorum prior competit toti Trinitati: poſterior autem non niſi Patri poteſt competere: & tamen vterque iſte actus conuenit eidem principio, nimirum eidem intellectui, qui & eſt operatiuus, & productiuus. Atque ideo quatenus operatiuus eſt, ſibi competit intelligere: quatenus vero eſt productiuus, ſibi competit dicere. Hæc igitur eſt manifeſta textualis concluſio, à qua nemo dubitare poteſt. 1.

Circa eam tamẽ dubium quoddam exurgit contra ea, quæ ſupra notauimus in quæſtione quarta, articulo quinto in noſtris comentarijs ad articulum, numero 10. & ſequentibus: vbi contra Lychetum probatur, 2.

non poſſe concedi idem principium productiuum eſſe in Filio, quod eſt in Patre: neque in vtroque eſſe eamdem memoriam proximè fœcundam. Contra quod videtur militare quædam huius textus doctrina. Nam ſi memoria in Patre eſt principium operatiuũ Patris, quo ſcilicet actu intelligit, vt ibi dicitur: profecto hæc eadem memoria erit in Verbo: imo & in Spiritu Sancto: quia intelligere eſt quid eſſentiale, & commune tribus perſonis: igitur memoria, quæ eſt principium huius actus intelligendi, nõ minus eſt in Verbo, quàm in Patre: cuius oppoſitum nos ibi oſtendimus.

3. Verùm hæc littera textualis nullatenus fauere poteſt ibi impugnatæ expoſitioni Licheti, nec profecto nobis aliqualiter contradicit. Hic etenim præclarè Doctor difficultatem enucleat, dum inquit, vtriuſque actus, ſcilicet productiui, & operatiui, vnicum poſſe eſſe principium: quod eſt vnus, & idem met intellectus: quem, etſi memoriam appeller, non ibi loquitur de memoria, prout eſt ab intelligentia cõdiſtincta. Nam in hoc art. §. *ſed contra* aperte ex diuo Auguſtino, intelligentiam à memoria condiſtinguit: dum ait, *Quòd Pater habet notitiam actualem, & actum ſecundum*, hoc eſt, intelligit, *pro vt eſt in actu intelligentiæ, cuius eſt omne intelligere actuale*, & infert: *ergo vt ſic non gignit Verbum.* Quia intellectus, vt intelligentia eſt, non eſt principium productiuum, & ſubdit. *Sed, vt eſt in actu memoriæ, id eſt, vt habet obiectum intelligibile præſens intellectui ſuo.* Quia tantum intellectus, vt eſt memoria, eſt productiuus. Ex qua diſtinctione intelligentiæ videlicet, & memoriæ, ſatis conſtat, nec memoriam in rigore ſumptam, eſſe principium intelligendi, nec intelligentiam eſſe principium producendi: quod manifeſtè patet ex ſequẽti articulo, vbi docet Doctor, ita vtrũque actum formaliter diſtingui, quod nec intelligere pendet à dicere, nec dicere ab intelligere. Vnde & ſi memoria late ſumpta, quatenus eſt idẽ, quod intellectus, ſit principium operatiuũ, & productiuum: hoc eſt intelligendi, & dicendi: nihilominus memoria fœcunda, prout diſtinguitur ab intelligentia, non eſt principium intelligendi in Deo: quia vt ſic eſt proximum principium producendi: quod tantum reperitur in Patre, vt ibi dictum eſt.

Exponitur Scotus.

Qualiter autem intelligentia, & memoria differant, in ſequenti difficultate oſtenditur, ex qua apertiùs conſtabit, quod eſſentia in ratione intelligibilis fœcundat intellectum, ad hoc vt fiat memoria productiua prolis. In ratione verò obiecti actu intellecti, terminat operationem intellectus, hoc eſt, actum intelligendi illius in ratione intelligentiæ: quia igitur intellectus cum eſſentia ſibi præſente in ratione obiecti ſic, vel ſic, ſibi vnita, & eſt memoria, & eſt intelligentia: ideo Doctor hic abſolutè dicit, memoriam eſſe principium operationis, ſumendo memoriam pro intellectu, vt habet ſibi vnitam eſſentiam abſolutè abſtrahendo à modo, quo ſibi vnitur. Hæc etenim eſt quædam communis ratio, quæ conuenit, tàm intelligentiæ, quã memoriæ ſtricte ſumptæ. Quæ deinceps per rationes differentiales, in intelligẽtiam, & ſtrictam memoriam diuiditur. 4.

In hoc igitur ſenſu loquitur Doctor, dum inquit in textu, quod eadem memoria eſt principium operationis eſſentialis, & productionis notionalis, ac ſi dicat: quod idem met intellectus cum eſſentia ſibi vnita in ratione obiecti eſt principium operandi, & producendi, hoc eſt, intelligendi, & dicẽdi: vt ex cõtextu præſentis articuli patet, cũ poſtea memoriam ab intelligentia condiſtinguat. Et clarius in ſequẽti articulo inquit. *Sed contra eſt, quia verbum non gignitur ab intelligentia, ſed à memoria: quia licet in Patre concurrant memoria, & intelligentia, & voluntas: Pater non gignet Verbum formaliter intelligentia, vt quo, ſed memoria.* 5.

ARTICVLVS V.

Vtrùm intelligere Patris ſit ratio producendi Verbum?

A. *Dicetur de hoc infra diſtin. 3. q. 7. vel 9. & in quodlib. q. 15. & in q. colat, & lib. de anima & alibi.*

AD quintum ſic proceditur, & videtur, quod Pater producat Verbum

Verbum eodem actu, quo intelligit: nam contra ista, *quæ in præcedenti articulo dicta sunt*, instatur, & primo sic. Intelligentia est in Patre sub propria ratione intelligentiæ: & propria perfectio intelligentiæ, vt intelligentia, est Verbum: ergo verbum est intelligentia Patris, vt Patris est, quod est negatum.

Secundo præterea, Augustinus, B. 15. de Trinitate, capite 13. Verbum est visio de visione: ergo actualis notitia est ratio gignendi Verbum.

Tertio præterea, non videtur C. differentia inter memoriam, & intelligentiam in Patre: ergo non videtur, aliud esse improbare Patrem, vt intelligentiam, esse principium Verbi; & Patrem, vt memoriam: idem igitur aprobas, & improbas.

Quarto præterea, seu quarta in- D. stantia est, quare Pater isto actu producit notitiam genitam, & non illo: non videtur ratio, cùm vterque sit actus secundus, & principietur virtute eiusdem actus primi.

Sed contra est, quia verbum E. non gignitur ab intelligentia, sed à memoria, secundum Augustinum, 15. de Trinitate capite 7. vel 15. ergo, licet in Patre concurrant memoria: & intelligentia, & voluntas, Pater non gignet Verbum formaliter intelligentia, vt quo, sed memoria, vt autem habet notitiam actualem quasi elicitam, & actum secundum, est in actu intelligentiæ, cuius est omne intelligere actuale, ergo vt sic non gignet Verbum; sed vt est in actu memoriæ, id est, vt habet obiectum intelligibile præsens intellectui suo: in hoc enim intelligitur actus primus, quasi præcedens actum secundum, qui est actu intelligere.

Respondeo dicendum, quod illud intelligere ex ratione sua, est 1. Concluſ. operari Patris, & non est producere: productione autem, siue dictione producit, sicut aliquid calefactione calefacit formaliter, cuius non est alia causa prior. Quod autem dicis, idem esse principium istorum duorum actuum, non altercando modo de intellectu agente, & possibili, potest concedi, quod ex plenitudine perfectionis potest cõpetere alicui, quod operetur, & producat aliquid aliud à se: magis tamen hoc patebit, quando dicetur, quod dicere nõ est aliquis actº intelligẽdi formaliter: est tamẽ aliquis actus intellectus: nullus autem actus intelligendi formaliter est productiuus, sed aliquis alius actus formaliter naturaliter præcedens, vel subsequẽs potest esse productiuus, qualis est actus dicendi: *quod autem intelligere Patris non sit ratio formalis producendi Verbum, probatur primo illa ratione, qua facta est, §. sed contra.* F. 2. Concluſ.

Secundo sic, productio magis G. conuenit actui primo, vt principio productiuo, quam actui secundo: quia operationes perfectæ de ratione sui sunt finis, & non sunt gratia aliorum finium: ergo intellectio, vt est operatio Patris, non est ratio formalis productiua alicuius termini, sed tantùm actus primus, cuius virtute elicitur illa operatio, erit principium productiuum. Tertio sic, si intellectio Patris actualis est ratio formalis producendi Verbum: adhuc obiectum, vt præsens intellectui Patris, vt habenti rationem memoriæ erit principium prius productiuum notitiæ genitæ: quia in nobis apparet, quod illud est natũ immediatius gignere, quam actus intelligendi: ergo ali- I.

quod verbum prius erit genitum à Patre, vt à memoria, quàm vt ab ipsa intelligentia noscente.

H. Confirmatur, quia per te essentia, quasi operatur actum intelligendi essentialem in intellectu Paterno: ipsa igitur, vt præsens intellectui est sufficiens principium quo, respectu intellectionis actualis, sed quod non sit quasi principium quo, respectu eius, vt in Patre: hoc est, quia illa intellectio Patris est improducibilis, igitur respectu notitiæ actualis producibilis, est ipsa simpliciciter principium quo, & ita ipsum Verbum non producitur per notitiam actualem, vel intellectionem actualem Patris, vt per rationem formalem productiuam, sed per ipsam memoriam. Præterea, omnis intellectio, cum eius esse sit in fieri, habet principium, vel quasi principium, cuius esse non sit in fieri, quia aliàs esset processus in infinitum: alicuius igitur intellectionis puta, A. obiecti necesse est, principium, vel quasi principium, esse tantum memoriam, ita quod non hoc totum intellectus intelligens: aliàs ista non esset prima intellectio: sed omnes intellectiones, A. & in intellectu eiusdē rationis, sunt eiusdem rationis: quidquid autem est perfectum principium primi inspecie, potest esse principium cuiuscumque, & immediate: igitur memoria perfecta potest esse immediatum principium, vel quasi principium omnis intellectionis, A. igitur memoria Patris potest esse principium immediatum Verbi: igitur necessario est. Contra igitur non sic: sic se habet memoria Filij ad intelligentiam Filij, sicut memoria Patris ad intelligentiam Patris.

I. Præterea, Verbum est illius immediatius Verbum declaratiuum, à quo immediatius exprimitur: ergo si ratio elicitiua verbi sit actualis notitia, vt in intellectu Patris formato, vt ait *Henricus sequenti articulo confutandus*, sequitur, quod Verbum sit immediatius verbum intellectionis Patris, quàm essentiæ Patris, quod videtur inconueniens, quia tunc esset aliud prius verbum, quod esset declaratiuum essentiæ Patris immediate, vel oporteret dicere, quod illa essentia non posset declarari immediatè per aliquod verbum, quod videtur inconueniens, cùm secundum Augustinum 15. de Trinitate, notitia formata ab ea re, quam memoria continemus, est verbum: primum obiectum memoriæ diuinæ est essentia, vt essentia. Præterea, si actualis intellectio Patris esset genita, vel producta, produceretur virtute essentiæ, non iam cognita, sed vt prior omni cognitione. Hoc patet, tum secundùm veritatem, quia aliàs esset processus in infinitum in actibus intelligendi, quia semper erit dare actum intellectus ante actum intelligendi. Tum secundùm istum, qui supra dixit, quod in Patre actum intelligendi essentiam operatur ipsa essentia in intellectu ipsius: ex hoc arguo sic: actualis notitia essentiæ non potest esse formaliter alterius rationis per hoc, quod est ab alio communicata, & non ab alio sic communicata: quia tunc Deitas esset formaliter alterius rationis in personis, quia illam vna habet à se, & non alia: ergo, & actualis notitia essentiæ est eiusdem rationis in Patre, & Filio: quod igitur natum est esse principium quo, respectu vnius, si esset principiabile, idem erit principium respectu alterius, si principiatur.

C. 10. & 14.

cipiatur.

K. Ad primum argumentum dico, quod Pater formaliter eſt memoria, intelligentia, & voluntas. Auguſtinus 15. de Trinitate, capite 6. ſiue 15. de paruis in illa Trinitate, quis audeat dicere, Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum intelligere, niſi per Filium, vel diligere, niſi per Spiritum Sanctum, per ſe autem meminiſſe tantummodo, vel ſui, vel Filij, vel Spiritus Sancti. Sequitur, quis hæc in illa Trinitate, vel opinari, vel affirmare præſumat, ſi enim ſolus ibi Filius intelligat, vt intelligentia ſit, & ſibi, & Patri, & Spiritui Sancto: ad illam abſurditatem redditur, quod Pater non ſit ſapiens de ſe, ſed de Filio. Hæc ille. Intelligit igitur, quod Pater formaliter eſt memoria ſibi, intelligentia ſibi, & voluntas ſibi, & in hoc eſt diſſimilitudo inter perſonas, & partes imaginis in nobis ſecundum ipſum. Cum igitur dicitur proprius actus intelligentiæ eſt verbum. Nego: imo de ratione Verbi eſt, quod ſit notitia genita. Dices, ſufficit, quod ſit notitia declaratiua: nego, intelligendo per declaratiuum relationem rationis, vt eſt intelligibilis ad intellectum: talis enim relatio eſt notitiæ declaratiuæ actualis Patris, qua Pater formaliter intelligit ad notitiam habitualem Patris, vt eſt memoria. Ita, quod obiectum præſens intellectui Patris declaratur æquè perfectè per notitiam actualem Patris, ſicut per notitiam actualem, quæ eſt Filius, & tamen notitia actualis Patris non eſt Verbum, quia nihil poteſt eſſe formaliter in Patre, niſi non genitum.

L. Ad ſecundum vero cùm dicitur, quod eſt notitia de notitia, reſpondeo, quod ipſe met Auguſtinus exponit ſe 15. de Trinitate, capite 11. ſimillima eſt viſio cogitationis viſioni ſcientiæ. Et eodem capite 12. ſiue 32. de paruis, tunc enim eſt Verbum ſimillimum rei notæ, de qua gignitur, & imago eius, quando de viſione ſcientiæ, viſio cogitationis exoritur. Iſtæ conſtructiones ſunt intranſitiuæ, nam, ſicut viſio cogitationis nihil aliud eſt, quàm cogitatio, ita viſio ſcientiæ nihil aliud eſt, quàm ſcientia: idem igitur eſt de viſione ſcientiæ naſci viſionem cogitationis, quod de ſcientia naſci cogitationem: ſcientia autem eſt forma habitualis perficiens memoriam ſecundùm eũdem 15. de Trinitate capite 15. ſiue 38. vbi dicit, ſi poteſt eſſe in anima ſcientia ſempiterna, ſempiterna non poteſt eſſe eiuſdem ſcientiæ cogitatio. Illud ſempiternum ſecundùm eum pertinet ad memoriam, non ſempiternum ad intelligentiam: nihil igitur aliud vult dicere viſionem de viſione, notitiam de notitia, niſi actum ſecundum, qui eſt viſio, vel cogitatio in intelligentia, naſci de actu primo, qui eſt in memoria, quæ eſt viſio habitualis, vel ſcientia ſecundum eum.

M. Ad tertium cùm dicitur de differentia memoriæ, & intelligentiæ, dico, quod illi aduerſarij nõ ponunt differentiam realem inter intellectum, & voluntatem Patris: & tamen habent concedere tantam differentiam, quod alterum poteſt eſſe principium alicuius productionis, cuius alterum nõ poteſt eſſe principiũ elicitiuum formale: Filius enim producitur formaliter per modum naturæ, ſed non producitur formaliter per modum voluntatis: igitur, licet non differant realiter memoria, & intelligentia Patris: eſt tamen tanta differentia

inter illa, quod alterum posset poni principium elicitiuum alicuius productionis, cuius reliquum non ponatur principium elicitiuum formale. Talis differentia patet secundum Augustinum 15. de Trinitate capite 8. & vbi prius: talis est enim, quod si Pater esset memor aliter nocens, non autem intelligens, non esset perfectus secundum Philosophum 12. meth. non obstante illa identitate memoriæ ad intelligentiam, siue recordationis ad intellectionem.

2. met. c. 5.

Ad quartum dico, quod hæc est immediata contingens, calor calefacit, & ista immediata necessaria, calor est calefactiuus, quia inter extrema neutrius istorum inuenitur aliquod medium: ita dico, quod ista est per se, operatio, in quantum operatio, est non productiua, quia operationes, vt operationes sunt finis, & perfectiones operantis: productio autem, vt productio est, non est perfectio producentis, sed habet terminum productiuum extra essentiam producentis, vel saltim non includitur formaliter in persona producentis. Quare igitur actus secundus, quo Pater intelligit, vel operatur formaliter non producitur. Respondeo *per ea, quæ dicta sunt in corpore articuli.*

N.

9. met. ten com. 16.

M.

Expositio 5. articuli, quæstionis 5. distinctionis 2.

DIFFICILEM assumit Prouinciam Doctor in textu huius articuli: vbi inuestigat rationem formalem actus dicendi: & determinat nullatenus includere rationem actus intelligendi: sed quia de hoc inter vtramque scholam extat celebris controuersia: ideo ad eius resolutionem exactam, sequés difficultas mouetur.

DIFFICVLTAS II.

An Verbum diuinum procedat per actum intellectus, qui est dicere, ab actu intelligendi formaliter distinctum?

§. 1.

Proponuntur sententiæ Aureoli, Durandi, & D. Thomæ.

I.

CIRCA hanc celebrem cõtrouersiam duæ inter alias referuntur sententiæ, quarum prima est Aureoli (quem refert Molina loco infra citando) qui ponebat verbum non esse aliud, quàm ipsum obiectum cognitum, & intellectũ, quod existit à parte rei: non tamen prout sic existit: sed prout apparet in anima. Secunda vero est Durandi in 1. dist. 27. quæst. 1. qui opinabatur, verbum (loquendo de verbo creato, de increato enim, vt visum est in difficultate præcedente, neutiquam per intellectum, sed per naturam produci autumabat) nec quidem per actum dicendi, nec per actum intelligendi esse productum: sed esse ipsum met actum intelligendi, & ita inquit, nullam actionem intellectus importari per dicere: sed dicere esse ipsum verbum, & intelligere. Atque ideo dicere nihil aliud est (secundum ipsum) quàm intellectum, seu mentem loqui, & intelligere. Intellectus enim loquutio, intelligere est: sed quia huiusmodi opiniones sunt omni fundamẽto inanes, merito

Sententia Aureoli.

Sententia Durandi.

merito fuerit reijci à Doctoribus.

Sāctus verò Th.1.p.q.27.ar.5.& q. 34.ar.3.& 1.cōtra gentes c.53.& 4.cōtra gentes cap.11.& 12. & de veritate q.4.art.2. videtur tenere actum dicendi non distingui ab actu intelligendi,& Verbum non produci per actum dicendi ab actu intelligendi distinctū, sed per actum dicendi,sic actum intelligendi essentialiter includentem, vt homo includit animal:ac ideò Verbū per actum intelligendi procedere affirmat,prout illum eius discipuli comentantur. Sequūtur hāc sententiam Cayetanus 1.part.quæst.27.art.2. Capreolus in 1.dist.27.quæst.2.conclusione 1.& 3. Canarienlis 1.part.q.27. art.2.disp.vnica,Vañez ibidem art.1. dub.2. Zumel art.1.sua q.4.& omnes Thomistæ. Ex Iesuitis autem Molina 1.part.q.27.art.1.disp.8.memb.2.3.& 4.Suarez 1.par.3.lib.1.cap.7.& 8.Vazquez art.5.disp.112.c.3. Valentia 1.p. disp.2.q.1.puncto 3.§.*His autem.* Quæ sententia pluribus argumentis probatur:& primo,quoniā vnius potētiæ vnicus est actꝰ: sed intellectus est vnica potentia: ergo habebit vnicum actū. Sed intelligere est actus intellectus diuini:ergo cum Verbum diuinum producatur per actum intellectus diuini, Verbum consequēter producitur per intelligere.

2. *Sententia D.Tho.* *Cayetanus.* *Capreolus.* *Canarienſ.* *Vañek.* *Zumel.* *Molina.* *Suarez.* *Vazquez.* *Valent.*

Secundo, nam si Pater æternus per impossibile non intelligeret,non quidem produceret Verbum diuinum: ergo intelligere conducit formaliter ad productionē Verbi:& ex consequenti Verbū diuinū per actū intelligēdi producitur. Antecedēs probatur:nā intellectus,qui non intelligit,nō potest dicere:quia si non intelligeret, quid diceret?ergo si per impossibile Pater nō intelligeret, non diceret Verbum.

3.

Tertio,quia quæcūq;actio intellectꝰ diuini est visio: sed Verbū producitur per actionē intellectus diuini:ergo producitur per visionē: visio autem diuina est ipsum intelligere:ergo Verbum diuinum producitur per intelligere.

4.

Quarto, arguit Suarez,quia productio Verbi supponit intellectū paternū in actu ad intelligendū:cōstitutio autē illa non est tantū in actu 1. sed maxime in actu 2. ergo dicere Patris absolute tu vt constituto in actu 2. intelligendi est:ergo est ab intelligere, vel illud in se includit. Minor probatur, quia actus primus vt includit potentiā receptiuam,seu actuabilē,includit imperfectionē:ergo nō tribuitur Deo cū proprietate. Cōfirmatur:nā in Deo nō est intellectiua potentia,formaliter,& propriè,sed est purissimus actus intelligendi per se subsistens: ergo eo ipso quod dicere paternū est per facultatē intelligendi,vt talis est, debet esse per intelligere vt intelligere est. Cōsequētia patet, quia facultas intelligendi in Patre æterno,nōest,nisi ipsum intelligere per essentiam.

5.

Quinto tandem,quia Pater æternus præconcipitur à nobis antecedēter ad Verbum:ergo præcōcipitur perfectus Deus:ergo perfectè intelligēs, quia intelligere est de perfectione Dei: ergo Verbū procedit ab illo,vt est sic intelligens, quia procedit ab illo, vt est perfectè Deus. Sed dicet Scotus, intelligere præsupponitur in Patre antecedēter prioritate originis ad Verbi productionē solū materialiter, & idēticè,sicut cætera atributa, & perfectiones diuinæ supponuntur esse in Patre: non tamē formaliter, ita vt aliqualiter conducat ad productionem Verbi:ac propterea intelligere nō pertinere ad rationē constitutiuam Patris:sicut nec bonitas,nèc sapientia aliqualiter Patrē constituit. Tunc contra hanc solutionē: quoniā Pater supponitur perfectè intelligens per tē:sed obiectū diuini intelligere est essentia intellectui diuino vnita in ratione obiecti, seù in ratione speciei intelligibilis: ergo Pater præconcipitur intelligens diuinā essentiam sibi vnitam in ratione obiecti, seu speciei intelligibilis. At qui nihil aliud est productio Verbi, quàm actus Paterni intellectus constituti in ratione principij productiui per essentiam sibi vnitam in ratione speciei intelligibilis: ergo nō tantùm materialiter seu identicè,sed formaliter ipsa Verbi productio est intelligere.

6.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia & nōnulla eius fundamēta explanātur.

7. IN oppositum autẽ est littera textualis in art.4.in corpore, vbi Doctor hæc ait. *Ordinem quendam intelliguntur habere intelligere, quod est operatio Patris, & dicere, quod est producere Patris respectu notitiæ gentæ, non talem tamen ordinem, quod intelligere Patris sit causa vel principium elicitiuum dicere Verbi: sed quod immediatius intelligere sit quasi productum â memoria Patris, quam dicere. Non igitur est ibi talis ordo prior in ratione obiecti præsuppositi, vel ratione principij formaliter agẽdi: sed tantum ordo prior quasi producti ad productum, respectu eiusdem principij communis ad quasi productum, & verè productum.* Hoc idem docet Doctor infra dist. 27. q. 1. & in Quodlibetis quæst. 1. & quæst. 4. ad principale argumẽtum, & alibi sæpe: sequuntur eum Basolis ibidẽ. Guillelmus Rubionis in 1. dist. 6. quæst. 2. art. 3. §. *ex hoc apparet.* Tataretus dist. 2. quæst. 7. parte 2. §. *quartum dictum.* Lychetus eadem quæst. 7. Maironis dist. 27. quæst. 1. Vigerius dist. 2. quæst. 7. §. *ista opinio.* Anton. Andræas ibidem, §. *isti igitur.* Pater Rada prima parte controuers. controuers. 8. & controuers. 12. art. 3. Pater Herrera in 1. disp. 10. q. 5. 6. & 7. Faber in 1. disp. 16. c. 2. & omnes Scotistæ dempto nemine.

Basolis. Rubionis. Tataretus. Lychetus. Maronis. Vigerius. Ant. Andreas. Rada. Herrera. Faber.

8. Pro huius sententiæ claritate, & difficultatis resolutione primo obseruare oportet, qualiter distinguantur actus diuini intellectus: ex eorum namque distinctione quæstionis resolutio pendet. Vnde notandum est, quod dixit Doctor in citata littera, actum intelligendi, & actum dicendi seruare ordinem inter se. Quis autem sit iste ordo facile considerari potest, si ordinẽ dupliciter capiamus. Alius est enim ordo superioris & inferioris, seu includentis & inclusi, qui reperitur inter hominem & animal: nam si iste talis ordo sit inter huiusmodi actus, vt volunt Thomistæ, necessarie vnus infert alterum, sicut homo infert animal. Et quia inquit Scotus, quod intelligere immediatius est quasi productum â memoria Patris, quàm dicere: consequenter videtur, quod eo quod dicere est posterius & mediatius, quàm intelligere, sicut homo est posterius quã animal: sic sicut homo formaliter includit animal, dicere includit formaliter intelligere. Et ita ordo iste in hac considerationẽ facilime concluderet Thomistarum intentum. Aliter ergo secundo consideratur iste ordo, nõ quod vnus actus sit principium, seu ratio agendi alterius, sed sic adinuicem independẽter se habent, vt vnius ratio neutiquã ad alterius rationẽ pertineat, sed præcise est ordo: quia vterque actus est ab vno met principio, nempe ab eodem intellectu. Quod potest quodam familiari exemplo illustrari: nam sicut duo filij vnius patris dicunt ordinem inter se: non quidem taliter quod vnus sit principium, aut ratio producendi alterius: quia vnus non infert alium, sed tantum ordinem cuiusdam conueniẽtiæ, in hoc quod ambo respiciũt idem principiũ commune, à quo vterq; est productus: & qui antiquior est ætate, est immediatius productus à Patre quã alter. Sic in proposito isti duo actus se habẽt, nõ inquã, quod ambo sint eiusdem rationis, sicut duo filij: sed quia & si sint diuersarum rationum, ab eodẽ tamen principio sunt. Itaq; vt inquit Doctor, vnus actus istorũ non est principium aut ratio agẽdi alterius: & ideò nõ seruant inter se ordinẽ prioritatis, & posterioritatis, quẽ seruãt includẽs & inclusum: sed tãtũ est inter istos act' quidã ordo, seu cõuenientia in eo præcise quod vterque est ab eodem principio ad vtrumque communi: & intelligere immediatius est quasi productũ à Patre (vt vtar verbis Scoti) quam dicere: & ideò præcise erit intelligere prius in Patre, quam dicere, quia essentialia sunt priora notionalibus, & intelligere est essentiale, dicere vero notionale.

Ordo duplex est, alter superioris, & inferioris, alter conuenientiæ.

Vocatur autem à Doctore intelligere quasi productũ, & dicere verè productum, non quia intelligere sit quasi productum, aut dicere verè productũ: sed vt exemplificaret in aliquo principio communi ad duos effectus, quorũ vnus aliter, quam alius, ab eodem principio habet esse. Intelligere etenim formaliter operatio est, & concretum cuiusdam qualitatis, quæ est formalis intellectus, vt infra patebit, & quãuis sit à potentia vitaliter operatiua, & ipsum intelligere in se sit vitalis operatio, non tamẽ est aliquid productum, aut

9. *Actus intelligẽdi in Deo dicitur quasi productus.*

aut productio alicuius: sed est effectus formalis formæ productæ per veram actionem, quæ forma est verbum: hoc loquēdo in creatis. In diuinis etenim, intelligere non est per Verbum (vt infra dicetur) sed est actus essentialis intellectus diuini. Nec quidē dicere est verè productum formaliter, sed causatiue: quia actio non est acta: productio autem est actio quædam, per quā Verbum producitur: & ideò terminus huius actus dicendi est verè productus, Ipse tamen actus dicendi in se, non est productus, sed productiuus sui termini, nempe Verbi, quod est verè productum.

10. Porrò secundo est obseruandū qualiter verbum creatum ab intellectu procedat, vt exinde cōmodius ad productionē Verbi diuini peruenire possimus. Verbum ergo creatum est productum à duplici principio, nempe ab intellectu & obiecto: intellectus etenim fit fœcundus, & prægnatur specie impressa intelligibili repræsentante obiectum: quæ species est veluti semen in generatione prolis. Intellectus igitur sic prægnatus specie, vel etiam obiecto immediatē sibi vnito (vt in visione beatorum contingit) dicitur memoria fœcunda: quæ vt sic est in actu primo ad prorumpendum in actus secundos: sic ergo fœcūda memoria per actionem, quæ est de genere actionis, producit speciem expressam: ita quod ista actio, per quam talem speciē producit, est formaliter dicere, seu actus dicendi; qui actus dicendi, nullatenus est actus intelligendi, sed ab eo realiter distinctus, ita vt possit dari iste sine illo. Species autem expressa producta per huiusmodi actū, est naturalis imago, & similitudo eiusdē obiecti, quod repræsentabatur in specie impressa, quæ fœcundauerat intellectum in ratione memoriæ. Hæc ergo species expressa sic producta est formalis visio, & forma seu ratio formalis intelligendi, & notitia genita, & conceptus productus, & vera proles memoriæ, & formalissimum verbum mentis. Hoc igitur verbo seu hac forma, iterum informatur intellectus, & percipit obiectū repræsentatum in illa: & hoc percipere, est quodam respicere: hoc autem respicere, est vitaliter operari; & hoc vitaliter operari, est formaliter intelligere.

Qualiter formatur Verbum creatum.

Verbū mentis in nobis multis nominibus appellatur. Intelligere formaliter quid sit.

In hoc igitur verbo producto plures respectus cōsiderare debemus, scilicet ad intellectum, vt ad principium productiuum, & actiuum: & ad ipsum intellectum, vt ad principium receptiuum: quia in illo recipitur verbum. Rursus dicit respectum ad obiectum, veluti ad principium naturaliter effectiuum: quia obiectum est naturaliter efficiens, eo quod ab ipso effectiuè naturaliter dimanat species impressa, quę expressam effectiuè naturaliter producit: & insuper alio respectu respicit obiectum, relatione videlicet repræsentantis ad repræsentatum, sicut imago naturaliter respicit suum prototypum. 11.

In Verbo creato multi respectus inueniuntur.

Hæc igitur resolutoriè dicta de productione verbi creati, nobis aperte indicāt diuini Verbi productionē. Nam si imperfectiones tollamus: idem prorsus dicendū est de productione istius, quod de productione illius. Imperfectio est igitur in productione verbi creati, quod obiectum regulariter non vniatur immediatè per se ipsum potē tiæ: sed per speciem, quæ cum sit accidens, petit recipi in esse passiuo intellectus. Hac tamen imperfectione sublata, intellectus Paternus, qui nec passiuus, nec receptiuus est, habet sibi vnitam essentiam in ratione obiecti: non mediante specie aliqua, sed per se ipsam immediate. Item imperfectio est, quod intellectus noster producat Verbum, quod in se sit accidēs: & eo quod accidens debeat recipi in esse passiuo potentiæ, vt in subiecto: & ideò tanquam in subiecto recipiatur in intellectu. Sed hac imperfectione sublata, intellectus Paternus producit Verbum, quod est subsistens: & ex eo quod subsistens est, & intellectus non est passiuus, non potest in illo subiectari, nec recipi. Rursus imperfectio est, quod actus dicendi nostri intellectus sit actio, quæ infert causalitatem agentis, & dependētiam in effectu, & subiectiuè est in agente: hac ergo imperfectione sublata, diuinum dicere non est actio, vt patuit ex difficultate 47. n. 9. & 10. sed merum producere. Nec in 12.

Verbū creatum inuolauit aliquas imperfectiones, quibus sublatis intelligitur Verbum increatū per creatum.

Patre est causalitas: nec in Verbo dependentia: nec dicere Patri inhæret, sed identicè est in illo. Præterea, est imperfectio, quod intellectus noster formaliter intelligat per verbum, tanquã per formam, seu rationem formalem intelligendi: quia imperfectionis est habere potentiam perfectibilem per aliquid quomodolibet à se distinctũ, quo formaliter operetur: atque ideo hac imperfectione sublata, intellectus Patris non intelligit per Verbum: quia de facto supponitur esse perfectissimè actu intelligens, antecedẽter ad ipsius Verbi productionem: Vnde licet Verbum diuinum, sicut creatum, sit notitia, & sapientia genita, proles memoriæ, conceptus productus, & verbum diuinæ mentis: non tamen est intellectio formalis, seu forma intelligendi, sicut verbum creatum.

13. *Verbũ diuinũ nõ dicit eosdem respectũ, quos dicit verbũ creatum.*

Ex his colligitur Verbum diuinum non dicere eosdem respectus, quos dicit verbum creatum, eo quod aliqui eorum imperfectionem inuoluunt. Respicit ergo Verbũ diuinum intellectũ paternũ, & Patrẽ, tanquã principiũ à quo, & per quod est productum per actum dicendi: sed non respicit intellectum tanquam sui receptiuum, sicut verbum creatum, quia in illo recipi non potest. Item respicit obiectum, nimirum essentiam, prout in Patre vnitam intellectui paterno, tanquam suũ comprincipium, relatione, qua respicit Patrem: non tamen respicit obiectum relatione illa, qua verbum creatum respicit illud, scilicet repræsentãtis ad repræsentatum: quia verbũ creatum transcendentaliter respicit obiectum, quod in se continet, non formaliter, sed repræsentatiue: Verbum autẽ diuinum eamdem numero essentiam, quæ est suæ productionis obiectum, & comprincipium prout in Patre, in se formaliter continet, & est formaliter idem cum illa, eiusdem autem ad se ipsum non est relatio, nec distinctio. Licet enim sit Patris imago, non tamẽ est imago essentiæ, nisi prout essentia in Patre est idem, quod Pater, qui vt sic est imago illius ea ratione, qua est Verbum imago Patris.

14. Quia tamen ex notatis supponitur intellectum paternum prius præconcipi intelligentem, quàm dicentem, & huius difficultatis resolutio (vt supra dixi) pendet ex distinctione huiusmodi actuum: est summopere aduertẽdũ, quod in creatis intelligere, & dicere realiter distinguntur: potest etenim dari intelligere sine dicere: quia si Deus immediate, & adæquate produceret verbum creatum in intellectu hominis (quod possibile esse de mente Doctoris ostendimus supra in difficultate 26.) intellectus ille vere informaretur tali verbo creato à Deo, & illo formaliter intelligeret obiectũ repræsentatum in eo. Tũc ergo daretur in isto intellectu proprium, & formalissimum intelligere, sine eo quod diceret: siquidem verbum, quod ipse debebat dicere, non à se, sed à Deo productum est. Ex quibus duo colligũtur, & scilicet quod intelligere non includit dicere, si quidem iam damus intelligere sine dicere: & prætetea, quod dicere non includit intelligere, si quidẽ dicere est antecedẽter ad intelligere, sicut productio formæ præcedit effectum formalem eiusdem formæ productæ.

Dicere & intelligere in creatis realiter distinguũtur, nec vnum alterum includit.

15. Ad hoc autem vt videamus, an eodem modo in diuino intellectu distinguatur dicere ab intelligere, sicut in creatis notauimus. Tertio obseruandũ est, quod intelligere nostrum, & intelligere diuinum maxime differunt inter se: nam intelligere, & dicere nostrum habent se veluti actio, & terminus actionis: dictio enim in nobis est productio verbi mentis, & quia nos non possumus intelligere sine verbo: quia verbum est nobis ratio formalis intelligendi: ideò ipsum intelligere, potest dici quasi terminus dictæ actionis dicendi, eo saltim, quia mediante proprio termino huius actionis, qui est verbum, intellectus formaliter intelligit. Vnde quamuis possimus intelligere sine dictione, in casu quo (vt supra notauimus) Deus produceret verbũ immediatè, & adæquatè in nobis: non tamen possumus intelligere sine verbo à nobis, vel à Deo producto: sicut non potest dari effectus formalis sine forma. Et hinc prouenit, quod intelligere nostrũ essentialiter pendet à verbo tanquam effectus formalis à forma, non

Intelligere nostrũ, et intelligere diuinum maxime differunt.

Intelligere nostrũ non potest fieri sine verbo mẽtis.

non tamen pendet ab actione dicendi: sed illã naturaliter præsupponit, quatenus via naturæ, verbum sine dicere non habetur: sed si habetur, hoc quidẽ supernaturaliter est per Dei miraculũ verbi productionem supplentis sua immediata creatione. At qui in Deo non sic se habent dicere, & intelligere, quia cum intelligere competat Deo quatenus Deus est, & Deus ex eo, quod Deus sit formaliter intelligens, & non per Verbum, sicuti nos: consequenter intelligere diuinum, nec pendet à Verbo sicut intelligere nostrum, nec multo minus pendet ab actu dicendi. Et ex cõsequenti si in diuinis non esset Verbũ, adhuc esset intelligere: & à fortiori etiam si in diuinis non esset dicere, adhuc esset intelligere. Non tamen ideò dicere, & intelligere diuinum distinguntur realiter, vt patet ex conclusione prima, quia infinitas essentiæ identificat notionalia essentialibus.

16. *Intelligere nec in Deo nec in nobis præsupponitur ad dicere formaliter.*

E conuerso autem intelligere, nec in nobis, nec in Deo formaliter præsupponitur ad dicere. In nobis quidẽ perspicuè patet: quia effectus formalis non supponitur ad sui causam. In Deo autem hoc idem est dicendum, quia licet intelligere cõueniat Deo, vt Deus est: non tamen conuenit Patri vt Pater est: nam eà solummodo ratione intelligere diuinum præcedit dicere in Patre, quia in diuinis essentialia sunt priora notionalibus. Et hinc concluditur veritas doctrinæ Scoticæ, quod scilicet quamuis intelligere prius competat diuino intellectui, quàm dicere: non tamen ex hac prioritate infertur, quod dicere aliqualiter dependeat ab intelligere: quia quamuis vterque actus, intelligendi scilicet, & dicendi, cõueniat eidem principio, nulla tamen est subordinatio inter istos actus; sed vterque æque ab eodem principio est, quamuis vnus immediatius, & prius illi conueniat, quam alter: sicut in diuinis prius est esse Deum, quàm esse Patrem: qua ergo ratione est Deus, intelligit, & qua ratione est Pater, dicit. Hoc semper tamen saluo, quod dicere, quatenus formaliter dicere est, nullatenus ab intelligere pendet.

§. 3.

Resoluitur prius cõpetere Patri, vt Pater est dicere, quam intelligere, & statuũtur alia fundamenta pro sententia Scoti.

VERVM hoc firmius confirmatur: nam etsi secundum Doctorem sit certum, quod intelligere prius competit Patri, quàm dicere, est adhuc tamen sub lite inter ipsius Doctoris discipulos, an in Patre, prout in Patre, prius sit dicere, quam intelligere? Nam plures tenent, quod quamuis in diuinis intelligere absolutè præcedat dicere: tamẽ prout in Patre reduplicatiue loquendo, dicere est prius, quàm intelligere, sicut in homine prout in homine, prius est rationale, quàm animal. Cuius sententiæ fundamentum est: quia in composito, prout in tali composito, prior est forma, quàm materia: quamuis absolutè loquendo, prior sit materia, quàm forma: nam materia, prout in composito, habet esse à forma: ergò forma est prior quàm ipsa materia, prout in tali composito illi dat esse. Hæc quidem ratio quæ generalis est, & communis ad omne compositum seu constitutũ, magis confirmatur ad intentum difficultatis, per hanc peculiarem. Quia in diuinis idem est Patrem esse, quod Patrẽ dicere, seu generare: quia per dicere constituitur formaliter Pater in esse Patris: sed prius est Patrem esse, quam Patrem intelligere: ergò prout in Patre prius est dicere, quàm intelligere. Per oppositũ verò alij grauissimi Scotistæ tenent intelligere, etiam prout in Patre, esse prius quàm dicere. Cuius sententiæ fundamentũ est desumptum ex Doctore in hoc primo distinctione 1. quæst. 2. 17.

Vbi ait, quod Pater prius origine est beatus, quàm generet: sed beatitudo competit Patri per intelligere: ergò Pater prius origine intelligit, quã generet. Et hæc auctoritas ratione cõfirmatur: quia omnis perfectio essentialis

lis,nullum dicens ordinem ad creaturas, eſt prius quacunque notionali: ſed intelligere eſt perfectio eſſentialis in Deo: ergò præcedit in Deo omnia notionalia. ergò etiam prout in Patre præcedit actum dicendi, qui notionalis eſt.

18. Hæc ſunt fundamẽta dictarum opinionum, in quibus nobis immorãdum non eſt: eſt ergo vtraque probabilis, quamuis prima mihi probabilior videatur. Vnde ad fundamentum ſecundæ, relictis alijs pluribus ſolutionibus, reſpondeo cum Lycheto in 1. diſt. 1. quæſt. 2. §. *dico ergo*, quod auctoritas Scoti debet intelligi de generatione paſſiua, non vero de actiua. Hæc enim eſt differentia, quod generare, vt actiuè ſumitur, conſtituit Patrem in eſſe Patris: at vero generari paſſiue ſumptũ, conſtituit Filium in eſſe Filij. Bene ergo concludit argumentum, quod Pater prius origine eſt beatus, quàm Filius ſit genitus: quia pro illo priori originis, quo eſt Pater, & non dum concipitur eſſe Filium: iam Pater eſt Deus, & ex conſequenti beatus, & intelligẽs, non tamen eſt prius Deus, & beatus, & intelligens, quàm Pater; & ideò nõ eſt prius intelligens, quàm dicẽs, ſed è contra quatenus Pater, eſt prius dicens, quàm intelligens, quia quatenus Pater ſibi formaliter competit dicere, intelligere vero materialiter. Vnde ſi negaretur de Patre intelligere, dicẽdo Pater non eſt intelligens, iſta propoſitio eſſet falſa: non tamen ibi eſſet contradictio in adiecto, nec eſſet impoſſibilis per locum intrinſecum: quia eſt propoſitio de prædicato materiali negato, quæ nullam implicationem inuoluit ex terminis. At vero iſta propoſitio, Pater non dicit, non ſolum eſt falſa, ſed contradictionem in adiecto inuoluit, & eſt per locum intrinſecum impoſſibilis: eſt enim de formali prædicato negato, ex quo ſequitur per locum intrinſecum, quod ſi Pater non diceret, non eſſet Pater. At vero per locum extrinſecum infertur, quod ſi nõ intelligeret, non eſſet Pater diuinus: quia Deus non poteſt non intelligere: quia tamẽ ea quæ alicui conueniũt per locum extrinſecum, poſſunt ab eo præcindi: quæ vero conueniunt per locum intrinſecum, minime præcindi poſſunt: ideò etſi Pater per impoſſibile non intelligeret, adhuc eſſet Pater, quia adhuc diceret: non tamen è contra.

Lychetus.

19. *Intellectus diuinus, & eſt productiuus, & operatiuus, primo modo producit ſecundo modo intelligit.*

Porrò eſt iterum obſeruandum, intellectum diuinum, & eſſe operatiuũ, & eſſe productiuũ. Quatenus tamen operatiuus eſt, intelligit: quatenus autem productiuus eſt, dicit. Quia tamẽ tã intelligere, quã dicere ſupponũt potentiam & obiectum: & in diuinis in vtroque actu eadem ſit potentia, & idẽ obiectum: nam eſt idem intellectus in ratione principij, & eadem eſſentia in ratione obiecti. Hinc oritur difficultas non minima, vnde ſcilicet habeatur differentia inter vtrumque actum, cum intelligere & dicere, ſint ab eodem intellectu, & ab eadem eſſentia vnitis in ratione vnius adæquati principij? Quam differentiam nobis tradit Doctor præclare in 4. art. huius quæſtionis §. *ſed contra*, ex Diuo Auguſtino 15. de Trinitate capit. 7. vbi diſtinguit hoc principium adæquatũ, quatenus eſt memoria, & quatenus eſt intelligẽtia. In quo autem differentia conſiſtat explicuit Doctor ipſe: ſed clarius Lychetus vbi ſupra §. 1. *ibi*, vbi diſtinguit eſſentiam vnitam vel in ratione obiecti intelligibilis, vel in ratione obiecti actu intellecti. Eſſentia namq; diuina vtrunque habet, & quidem intelligibilis eſt, & vt ſic fœcundat intellectum, & ipſum reddit memoriam fœcũdam, & perfectam, quæ per actum dicendi producit Verbum: nam ab intelligibili obiecto, vt à principio, quo producitur notitia ipſius obiecti. Et rurſus ipſa met eſſentia habet eſſe obiectum actu intellectum: non quidem quatenus vt intelligibilis, ſe quatenus vt actu intellecta vnitur intellectui diuino: & prout ſic redditur diuinus intellectus, intelligentia, quæ in actuali operatione intelligendi conſiſtit. Ex his ergo oritur differentia vtriuſque actus, quod ſcilicet intelligere, eſt ab intelligentia: dicere vero à memoria, cuius differentiæ ratio ſatis comperta eſt ex dictis. Ex quibus ſequitur, quod intelligentia eſt in tribus perſonis: memoria vero, prout ab intelligẽtia condiſtincta, non eſt niſi in Patre.

Eſſentia diuina, vt obiectum intelligibile cõſtituit memoriam fœcundã, vt actu intellectũ conſtituit intelligentiam.

Sed

20. Sed obſtabit ex Doctore in artic. 4. huius quæſtionis in corpore, ipſum dixiſſe, quod memoria in Patre eſt principium operatiuum Patris, quo ſcilicet Pater formaliter intelligit: & eadem memoria eſt principium productiuum, quo ſcilicet Pater exiſtens in actu primo, producit in actu ſecundo notitiam genitam: ergo non eſt diſtinctio talium actuum pœnes memoriam, & intelligentiam: ſed vterque actus eſt à memoria. Reſpondeo vltra ea, quæ ibi in comentario eiuſdem articuli ad huius dubij expoſitionem notaui, quod memoria, & intelligentia, vt hic accipiuntur, habent ſe, non tãquam duæ rationes oppoſitæ: ſed tanquam quid commune, & quid ſpeciale: intelligentia enim poteſt dici memoria: memoria autem non poteſt dici intelligentia: nam ad rationem memoriæ, requiritur eſſe obiectum intelligibile præſens intellectui: ad rationem verò intelligentiæ, vltra hoc requiritur, quod tale obiectum non tantùm ſit intelligibile, ſed etiam actu intellectum: cum autem omne intellectum ſit intelligibile, non tamen omne intelligibile ſit intellectum: ideo omnis intelligentia (quæ eſt obiecti intellecti) eſt memoria (quæ eſt obiecti intelligibilis) non tamen è contra, memoria (quæ eſt obiecti intelligibilis) eſt intelligentia (quæ eſt obiecti intellecti.) Quamobrem operatio, ſcilicet intelligere, eſt ab intellectu, non quatenus intellectus tãtùm eſt memoria: ſed quatenus etiam eſt intelligentia: productio verò, nempe dicere, eſt ab intellectu, vt præciſè eſt memoria: nõ autem, vt eſt intelligentia, ita quod, ſi memoria Patris non eſſet ſub actu intelligentiæ, adhuc eſſet perfectiſſimũ principium productionis. Ex quibus duo inferuntur: & ſcilicet, primum, qualiter maneat diſtinctio de memoria, & intelligentia à Doctore aſsignata, illuſtris: & quidem ſecundo, qualiter principium producendi non includat intelligentiam, nec producere includat operari, nec intelligere includat dicere.

Memoria, & intelligẽtia in Patre habent ſe, ſicut quid cõmune, & ſpeciale.

21. Hac ergo expoſitione tollitur ratio dubitandi deſumpta ex verbis Scoti, ex quibus patet memoriã, & eſſe principium producendi, & intelligendi: intelligentiã verò nullatenus ad principium producendi pertinere: ſed hic non eſt ſumenda memoria, quatenus eſt proximè, & perfectè fœcunda, vt ſic etenim (prout latè notauimus in comentario ad quartum articulum) memoria condiſtinguitur ab intelligentia: ſed quatenus eſt quoddam principium commune ad vtrumque actum, iuxta ea, quæ ibi aduertimus. Atq; ideo memoria, prout eſt vtriuſque actus principium, & ab vtroque abſtrahit, poteſt quidem in qualibet diuina perſona reperiri: prout autem eſt proximè, & perfectè fœcunda, & ab intelligentia condiſtincta, non niſi in Patre, in quo eſt formale principium producendi, reperitur.

22. Demùm ad huius difficultatis pleniorem claritatem tandem prænotat Tataretus §. *Ad primum reſpondeo*, & Lychetus, loco proximè citato, ſequẽtes propoſitiones ſecundùm Scotum eſſe ad propoſitum veras. Prima propoſitio eſt, ſuppoſitum potens producere, ſeù producens non dicitur actus primus, aut ſecundus producendi, ſed ratio formalis producendi exiſtens in ſuppoſito, qualis eſt in Patre memoria fœcunda, dicitur actus primus: quia ſuppoſitum, nempe Pater, mediante illa producit; ipſe verò actus dicendi, ſeu productio, qua ſuppoſitum producit, & dicit, eſt actus ſecundus. Secunda propoſitio: Duplex eſt principium productiuum immediatum: vnum eſt *vt quod*, alterum verò *vt quo*, primum eſt ſuppoſitum, ſcilicet Pater: ſecundum eſt ipſe actus primus Patris, nempe memoria fœcunda. Tertia propoſitio: in principio productiuo totali, *vt quo*, duo conſtitutiua concurrunt, ſcilicet intellectus, & eſſentia in ratione obiecti intelligibilis: & quodlibet iſtorum habet rationẽ principij, quaſi partialis reſpectu notitiæ adæquatæ. Quarta propoſitio. Hæc duo concurrunt ad rationem principij, ſeù memoriæ, æquè primo, & neutrum ante alterum. Quibus compendioſe notatis facillimè reſoluuntur, quæ ſupra diximus.

Tataretus. Lychetus.

Quatuor propoſitiones Tataretti notandæ

§. 4.

Statuuntur concluſiones huius difficultatis.

23. 1.*Concluſ.* IS præhabitis difficultatem concludendo dico primo, quod dicere, & intelligere in Deo, ſunt duo actus eiuſdem met intellectus, realiter idem, formaliter tamen ex natura rei diſtincti. Concluſio hæc quoad primam, & ſecundam partem eſt communis apud omnes. Quoad tertiam verò, eſt expreſſa Scoti. Prima igitur pars probatur, quia in Deo, tàm memoria, quàm intelligentia ad eundem pertinent intellectum: ſed dicere eſt actus memoriæ; intelligere verò eſt actus intelligentiæ, vt ex notatis patet: igitur dicere, & intelligere, ſunt duo actus intellectus diuini. Secunda pars probatur ex identitate reali, quæ eſt inter eſſentiam, & relationes: cum enim dicere ſit relatio, & intelligere pertineat ad eſſentiam, conſequenter dicere, & intelligere ſunt realiter idem. Tertia autem pars, in qua controuerſia conſiſtit, probatur, quia dicere in ſua ratione formali includit rationem principij producti-ui, à quo eſt: intelligere verò non, niſi rationem principij operatiui: atque ita dicere eſt mera productio, & intelligere eſt mera operatio. Sed productio, & operatio, ex ſuis rationibus formalibus, ex natura rei formaliter diſtinguntur: ergo, &c. Secundò probatur, quia eſſentialia in Deo formaliter ex natura rei diſtinguntur à relationibus, ſeu notionalibus: ſed intelligere eſt eſſentiale in Deo, dicere autem eſt notionale, & relatiuum: ergo diſtinguuntur formaliter ex natura rei. Probatio huius maioris pendet ex illa celebri quæſtione de diſtinctione formali relationum ab eſſentia, infra diſputãda in difficultate 5. Ex cuius reſolutione prædicta maior ſupponitur vera.

Dicere, & intelligere in Deo ſunt idem realiter, & diſtinguũtur formaliter.

Dicere eſt productio, intelligere autem eſt operatio.

24. Tertio, probatur hæc eadem tertia pars concluſionis, quoniam Pater æternus toto actu, quo Verbum produxit, diſtinguitur à Verbo: ergo talis actus, nec eſt formaliter intelligere, nec aliquo modo ipſum intelligere formaliter includit: ſed actus, quo Verbum producitur, eſt dicere (vt infra patebit) ergo dicere, & intelligere formaliter diſtinguntur. Prima conſequentia probatur, quia Pater non diſtinguitur à Filio, per illud, quod eſt commune ſibi & Filio: intelligere vero eſt commune Patri, & Filio: ergo Pater à Filio nõ diſtinguitur per intelligere: dicere vero non conuenit Filio, & Patri: ac propterea per dicere diſtinguitur Pater à Filio: ergo actus, per quem diſtinguitur Pater à Filio, eſt formaliter diſtinctus ab eo actu, quo conuenit cum Filio: ergo, cùm conueniat cum Filio in actu intelligendi, conſequenter actus ille, quo à Filio diſtinguitur, qui eſt dicere, formaliter ex natura rei eſt diſtinctus ab intelligere.

25. Reſpondebit tamen Thomiſta, Patrem non toto actu, quo Verbum producit, diſtingui à Filio. Sed cõtra, quia actus, quo Pater producit Filium, eſt ſimpliciſsimus, & indiuiſus: ergo, vel Pater diſtinguitur à Filio toto actu, quo ipſum producit, vel nullo modo diſtinguitur ab eo.

26. Reſpondet Zumel: quod licet actus ille ſit ſimpliciſsimus ſecundùm rem, attamen ſecundum rationem includit multa, vtpote intelligere, & dicere, & relationem ad Verbum, tanquam ad productum, &c. Dicit ergo, quod ille actus, quo Pater producit Verbum, diſtinguit Patrem à Verbo, non ſe toto, nec ratione ipſius intelligere, ſed ratione relationis, quam importat. Sed contra, quia actus generandi, ſecluſa omni intellectus operatione, & ratione, in re ipſa diſtinguit Patrem à Filio: ergo, ſi ſecundùm rem actus eſt ſimpliciſsimus, non includens diuiſionem in re; proculdubio ſecundùm rationẽ ſe toto diſtinguit: ergo parum refert, quod ſecundùm rationem plura includat ad hoc, vt diſtinguat Patrem à Filio: vel fateri debes Filium à Patre re ipſa non diſtingui per actum illum: ſed tantùm per huiuſmodi actum diſtingui à Filio ratione. Nec valet ſi dicas, in ipſo met actu eſſe diſtinctionẽ fundamentalem, qua diſtinguitur relatio, ſeu ratio dicendi ab intelligere.

Actus generandi diſtinguit in re Patrẽ à Filio.

Tunc

Tunc enim inferri videtur, fundamẽtaliter tãtũ distingui Patrem à Filio, & nõ actu: si enim actu distinguitur à Patre: da mihi in hoc simplicissimo actu rationem aliquam ex natura rei distinctam actualiter ab illa ratione intelligendi, quæ conuenit Patri, & Filio. Hanc ergo rationem voco dicere: & hæc consequenter formaliter distinguitur ab intelligere, non tantum fundamentaliter, sed formaliter & actu.

27. *Secunda cõclusio. Verbum diuinum non producitur per actũ intelligendi.*

Dico secundo, quod Verbum diuinum non producitur per actum intelligẽdi. Cõclusio est expressa Scoti, vt patet ex littera, quæ probatur primo, quoniam Verbum diuinum non producitur per intelligere tanquam per principium *quo*, nec tanquã per actionẽ de genere actionis: ergo nullo modo procedit per intelligere: nõ enim est cogitabilis alia ratio, quæ actui intelligendi in tali productione conuenire possit. Antecedens probatur, & primo quod non concurrat vt principium *quo*: quia tale principiũ est præcise memoria fœcunda, vt ex D. Augustino notauit Scotus: sed memoria fœcunda non includit actum intelligẽdi. ergo. &c. Nec etiam concurrit tanquam per actionẽ degenere actionis: quia intelligere non est actio, sed qualitas, seu operatio: nam actio necessariò terminatur ad aliquid à se distinctũ, quod habet esse ex vi ipsius actionis. Intelligere autem, sicut quæcunq; alia operatio, nõ sic terminatur ad aliquid de nouo habens esse: sed tantum terminatur ad obiectum, quod secundum omne esse reale, iam supponitur existere antecedenter ad ipsum intelligere: & ex vi talis intelligere, tantum habet denominationem quandam extrinsecã, qua est intellectum, quæ denominatio nihil ponit in re ipsius obiecti. Vnde eleganter distinxit Scotus actionem ab operatione: quia nimirũ per actionem realem, necessariò aliquid habet esse de nouo, ad quod talis actio terminetur, eo quod fit quidam influxus realis, & quoddam reale fieri, ad quod necessariò ex parte effectus aliquod nouum esse reale in facto esse consequitur. Operatio autem non ad aliquid à se distinctũ terminatur, sed tantùm respicit per vitalem tendentiam obiectum: ex quo in obiecto tantummodo sequitur extrinseca denominatio, vt dictum est.

Actio terminatur ad aliquem terminum per ipsam productum, secus operatio.

Probatur secundo conclusio: quia, vt supra notatum est, si per impossibile Pater non intelligeret, adhuc posset Verbũ producere: ergo productio Verbi formaliter nõ includit intelligere, nec Verbũ producitur per actũ intelligẽdi: antecedẽs pluſquã supra probatũ est, nũc etiã ostẽditur: quia si per impossibile Pater nõ intelligeret, adhuc haberet sufficiẽtissimũ principiũ producendi: haberet etenim memoriam fœcundam, quæ est intellectus cũ essentia sibi præsente in ratione obiecti intelligibilis, vt præcise intelligibilis: sed essentia, vt præcise intelligibilis est, non actu intelligitur: quia tunc nõ esset præcise intelligibilis, sed etiam intellecta: ergò si per impossibile Pater nõ intelligeret, adhuc haberet sufficientissimũ principiũ producendi.

28. *Pater Æternus produceret, etiam si non intelligeret.*

Rursus tertio probatur conclusio: quia diuinum intelligere conuenit tribus personis: sed producere Verbum non potest competere nisi Patri: ergò per intelligere non potest esse productio Verbi. Respondent Thomistæ, quod in Deo est duplex intelligere, vnum videlicet essentiale, quod conuenit tribus personis: aliud vero notionale, quod non conuenit nisi soli Patri. Sed cõtra: nam vel ille actus intelligendi notionaliter, & essentialiter consideratus, est formaliter ex natura rei, vnus & idem actus, vel est alius & alius actus. Si secundum dicas, habetur intentum: quia secundum Scotum teneo, dicere, & intelligere esse duos actus formaliter distinctos, & vnum nõ includere alterum, & Verbum diuinũ produci per vnum independenter ab altero: & ex consequenti intelligere essentiale, non concurrere ad productionem Verbi: nam intelligere istud terminatur ad rem intellectam: productio vero Verbi ad Verbum productũ tanquam ad terminum rei intelligibilis, & intellectus. Quod autem intelligere notionale, quod fingunt Thomistæ, dari non possit, probatur: quia tũc aliquid intelligeret Pater, quod non intelligeret Filius: nam notionaliter intelligere, etiam est intelligere, & ex

29.

con-

conſequenti plus intelligeret Pater, quàm Filius, ſi quidē notionaliter intelligit, quod notionaliter non intelligit Filius. Si autē dicas, quod eſt vnus & idem actus formaliter intelligere notionale, & eſſentiale: contra, quia implicat eundem actum formalem ex natura rei formaliter indiſtinctū, eſſe productiuum, & non eſſe productiuū: & implicat habere terminū productū, & non habere terminum productum. Vel ergo talis actus formaliter nullo modo eſt intelligentia: vel intelligere, quomodocunque conſideretur, eſt productiuum: ergo etiam tunc intelligere eſſentiale prout conuenit tribus perſonis, eſt productiuum. Sed tu concedis intelligere eſſentiale, quod conuenit tribus perſonis, productiuū non eſſe: ergo neceſſariò debes concedere, quod intelligere nullatenus pertinet ad Verbi productionem.

30. Vltimo probatur concluſio ex Diuo Auguſtino 15. de Trinitate vbi inquit, quod Verbum nō gignitur ab intelligētia, vt à principio *quo*, ſed â memoria: ergo licèt in Patre concurrant memoria, & intelligentia: Pater nihilominus non gignet Verbum intelligentia, ſed memoria. Sed vt intelligit eſt in actu intelligentiæ: ergo vt intelligens eſt, non gignet Verbum: atque ideò intelligere nullatenus pertinet ad productionem Verbi.

31. Verum enim verò poſſet difficultas vrgere contra concluſionem: nam Paternus intellectus in ratione memoriæ habet ſibi præſentem eſſentiam ſecundum omne eſſe, quod pertinet ad eius quidditatem: ſed diuina eſſentia, ſecundum quod eſt eſſentia Dei, eſt de ſua quidditate actu intelligens: ergo intelligere actuale eſſentialiter pertinet ad Verbi productionem. Conſequentia manifeſtè apparet, quia quidquid quidditatiuè pertinet ad rationē memoriæ fœcundæ, eſſentialiter conducit ad Verbi productionem: at qui diuina eſſentia, non minus pertinet ad rationem memoriæ, quàm intellectus ipſe, prout viſum eſt ſupra nume. 22. ergo quidquid eſt de quidditate eſſentiæ, pertinet eſſēntialiter ad productionem Verbi. Cum igitur actu intelligere ſit de quidditate eſſentiæ Dei, eſt cō ſequenter de quidditate productionis Verbi Diuini.

32. Argumentum hoc forſan petit impugnationem illius opinionis Henrici, quæ infra habetur à Doctore in ſequenti articulo textuali. Ibi enim Hēricus ponebat Verbi productionē eſſe quandam conuerſiuam notitiam, qua intellectus informatus, notitia ſimplici reflectitur ſupra ſe ipſum, & ſic cognoſcit ſe intelligentem eſſentialiter. Cuius declarationis impugnatio ſubtiliter ibi habetur à Doctore, & ideò illuc differtur, nunc autem dico, in argumēto iſto non minimam æquiuocationē aſſumi: nam eſto, quod diuinum intelligere eſſet de quidditate Dei (de quo ſupra in difficultate 48. n. 9. oſtendimus non pertinere ad Dei quidditatē, niſi prout eſt idem quod intellectualitas) adhuc tamen nō conuinceret: quia intelligere adhuc in Deo, eſſentialiter poſtulat principium, & obiectum: ita quod ſine quocunque iſtorum concipi nequit: principium autem diuini intelligere eſt intellectus; obiectum verò eſt diuina eſſentia. Diuina ergo eſſentia, præciſe ſumpta ex parte obiecti, non includit in conceptu ſuo formali intelligere: quia tunc ſecundum eandem formaliſsimam rationem habebit rationē potētiæ & obiecti: quod quidē in intelligibile eſt: atque ideò diuina eſſentia, prout præciſe habet rationem obiecti, neceſſario conditinguitur â principio, nempe ab intellectu: & ideò in præciſa ratione obiecti nequit includere rationem principij per modum potentiæ: & ex conſequēti non concipitur eſſentia vt actu intelligens: nec vt actu intelligens objicitur intellectui: quia tunc poſſemus quærere, per quod principium eſſentia vt ſic, intelligeret: cum ſupponamus eſſe vt ſic ab intellectu tanquam à principio condiſtinctam. Licet ergo de quidditate Dei eſſet actu intelligere, non ob hoc clauderetur hic actus intelligendi in præciſa ratione eſſentiæ, vt præciſe eſt obiectū intellectus diuini: quia tunc nulla directa cognitio reperiri poſſet in intellectu diuino reſpectu ſuæ eſſentiæ: ſed omnis cognitio eius eſſet reflexa: quia non poſſet reſpicere eſſentiam, niſi vt actu intelli-

Eſſentia diuina ſub eadem ratione formali nequit eſſe intellectus, & obiectū.

telligẽtem, & sic semper intelligeret se intelligere. Requiritur ergo ad hoc vt intelligere esset de quidditate Dei, quod intellectus diuinus esset de quidditate Dei, & ex quidditate sua, actu suam essentiã intelligeret. Ex hoc ergo, adhuc posito intelligere esse de essentia Dei, saluaretur productionem Verbi non esse per intelligere: quia ad hoc intellectus ille esset operatiuus, & productiuus. At qui in veriori sententia, qua loco citato ostendimus intelligere, non esse de quidditate & essentia Dei, facilius euacuatur prædicti argumẽti efficacia: & cõuincitur diuinũ intelligere, tantum materialiter se habere ad Verbi productionem.

33. *Tertia conclusio.* Dico tertio, quod Verbũ diuinũ procedit formaliter per actũ dicendi, ab actu intelligendi distinctũ. Conclusio est Scoti expressa, & satis probatur ex duabus prioribus: ex quibus sic arguitur: Verbum diuinũ procedit per actũ diuini intellectus: sed non per actum intelligẽdi, sed per aliũ actum ab actu intelligendi formaliter ex natura rei distinctum: ergo per actum dicẽdi: cũ nullus alius actus intellectus sit ab actu intelligendi formaliter distinctus, nisi dicere.

§. 5.

Soluuntur argumenta Thomistarum.

34. *Ad primũ argumentũ pro sententiã. D. Thom.* AD arguméta autem pro prima sententia, & ad primum dico, quod intellectus tàm diuinus quàm humanus habet duo, & scilicet esse potentiam productiuã, & esse potentiam operatiuam. Nam licet sit vna & eademmet potentia: nihilominus duo munera, penes quæ duplicem habet actũ, exercet, & etenim intelligit, & producit. In Deo igitur intellectus in ratione intelligentiæ habet formaliter esse operatiuum: in ratione autem memoriæ habet quod sit productiuus. Non ergo inconuenit eandem potẽtiam duplicẽ facultatem (vt ita loquar habere) qua scilicet & agat, & operetur: nam vt agit, formaliter dicit, & vt operatur, formaliter intelligit.

35. Ad secundũ respondeo, quod etsi Pater æternus per impossibile nõ intelligeret, adhuc Verbũ produceret: quia intellectus non dicit, quia intelligit, quod ita in vniuersum est verũ, vt etiã intellectus creat⁹ nõ dicat, quod intelligit, aut quia intelligit: sed vt intelligat. Atq; ideò naturaliter loquẽdo in creatis, hæc est vera causalis, saltim mediate: intellectus intelligit, quia dicit: non vero è cõtra: quia causa intelligendi est verbũ, quod effectiuè pẽr dicere habet esse. In diuinis verò, quia intellectus nõ intelligit per Verbũ: ideò nec ista est vera causalis, intellectus intelligit, quia dicit: nec ista, intellectus dicit, quia intelligit: quia nec dicere pendet ab intelligere, nec è contra intelligere pendet à dicere.

Intellectus creatus intelligit, quia dicit, sed non è cõtra: non autẽ sic se habet in diuinis.

Ad tertiũ negatur, quod quæcũque actio intellectus diuini est visio, imo dico, quod nulla actio diuini intellectus, seu proprius loquẽdo, nulla productio, in rigore est visio: quia intelligere, seu videre diuinum nõ est actio, nec productio, sed mera operatio. Atq; ideò Verbũ nõ producitur per visionẽ, sed per productionẽ, visio etenim nõ terminatur ad aliquid productũ, sed ad obiectũ, quod ab illa extrinsecè visũ denominatur. Si autẽ obijcias D. Aug. 5. de Trin. c. 13. vbi inquit, quod Verbũ est visio de visione. Respõdeo, D. Aug. intelligẽdũ esse, loqui instar verbi creati, quod est formaliter visio seu intellectio formalis, qua intellectus formaliter intelligit: & tũc ipsum Verbũ est visio. Est autẽ de visione, hoc est ab intellectu, qui causatiuè est visio, sicut etiã solet appellari ratio sæpe à D. Tho. & ab alijs, eo quod est potẽtia & principiũ rationis. Sumendo ergo vnã visionem formaliter, & aliam causatiuè, ista est vera, Verbum est visio de visione, scilicet est visio formalis, de visione causatiuè. Hoc tamen intelligendũ est de verbo creato, quod dicitur intellectio, seu visio formalis intellectui: at tamẽ Verbũ diuinũ, vt benè notauit P. Herrera q. 5. fol. ad vlt. non est intellectio. Cuius ratio non assignatur ab eo: est tamẽ, quia Verbũ creatũ ideò est intellectio formalis, quia est forma & ratio intelligendi in nobis: at qui cũ Verbũ diuinũ nõ sit ratio intelligẽdi, quia Deus ex se, & nõ per Verbũ intelligit,

36. *Nulla productio diuina dicitur visio.*

Verbũ diuinum nõ eſt intellectio, ſeu viſio bene tamẽ verbũ creatũ.

ideò Verbũ diuinũ non eſt intellectio nec viſio. Ex quibus infertur quod in verbo, duo poſſunt conſiderari, primũ nimirum ipſum eſſentiale eſſe verbi, quod in eo formaliter conſiſtit, quod ſit naturalis imago, & ſimilitudo obiecti, & proles memoriæ. Secundũ autẽ, quod per accidens conuenit ipſi verbo, vt præciſe verbũ eſt, eſt eſſe formã, & rationem formalẽ intelligẽdi. Hoc autem ſecundum diceret imperfectionem in Deo: eſſet enim imperfectio Deum indigere verbo ad intelligendum; ac ideo non reperitur in Verbo diuino, bene tamẽ in omni verbo creato. Primum autem tam in verbo diuino quam in creato reperitur.

Verbũ creatũ duo importat, quorum primũ in Verbo increato reperitur.

37. *Ad quartũ argumẽtũ.*

Ad quartũ, quo Suarez oppoſitã ſententiã probat, reſpondeo, quod productio verbi ſupponit intellectũ Paternũ in actu intelligentem: & quidẽ in actu primo & ſecundo, quia quãuis ſemper in actu ſecundo intelligat, neceſſario ad actũ ſecundũ, ſaltim ordine præcõceptionis præintelligitur eſſe in actu primo, eo quod omne, quod eſt, poteſt eſſe: & potentia intelligens poteſt intelligere. Hæc autẽ ſuppoſitio, qua productio Verbi ſupponit intellectũ intelligentẽ, non eſt formalis, ſed materialis, vt dictũ eſt. Intellectus itaque Patris & eſt in actu primo, & in actu ſecũdo intelligẽs: & inſuper eſt in actu primo & ſecundo ad producendũ. Sicut ergo actus ſecundus intelligendi ſupradicto ordine præcõceptionis eſt ab intellectu, vt in actu primo ad intelligendũ: ſic actus ſecũdus, quo producitur verbum, eſt ab intellectu in actu primo ad producendum. Et ſic ſeruata proportione, quilibet actus ſecundus ſupponit actũ primũ ſuum: non tamen actus ſecundus dicendi, aliqualiter reſpicit actũ primũ intelligendi. Ad confirmationẽ reſpondeo, quod etiã ſi in Deo intellectus ſit puriſſimus actus per ſe ſubſiſtens eadẽ ſubſiſtẽtia Dei, & non ſit potentia, prout potẽtia actũ excludit: nihilominus in eodẽ puriſſimo actu ſunt cõpoſsibiles formalitates diſtinctæ, quæ ibi ob infinitatẽ idẽtificãtur realiter. Non enim officit realis identitas puriſſimi actus, qua infinitũ idẽtificat ſibi omne cõpoſsibile, formalitatibus perfectionum quæ ſunt in Deo. Eodem enim argumento poterat controuerti, & improbari diſtinctio formalis attributorũ, quæ etiam ſeruatis formalitatibus diſtinctis in entitate reali, ſunt idem actus puriſſimus in Deo; & quia in poſterũ erit ſpecialis difficultas, illuc remittitur eius reſolutio: Nunc tamen obiter hanc formalẽ diſtinctionem in eodem actu puriſſimo concedendo, facile ſoluitur argumentum.

Omnis actus ſecundus, etiam in diuinis, præſupponit ſuum actum primum.

38. Ad quintũ bene reſponſum eſt ibi. Ad impugnationẽ vero ſolutionis negatur minor, quia quamuis eſſentia ſit vnita intellectui, vt obiectũ diuini intelligere, quatenus intellectus intelligit: hoc tamen non eſt in ratione ſpeciei, aut obiecti intelligibilis: ſed vt dictum eſt in ratione obiecti actu intellecti. At vero ipſamet eſſẽtia eſt obiectum diuini dicere, vt vnita præciſe in ratione ſpeciei intelligibilis: & vt ſic intellectus cum eſſentia eſt memoria fœcunda, & ſufficiens principiũ producendi.

DIFFICVLTAS L.

Vtrùm ſecunda diuinarum proceſſionum, per quam procedit Spiritus Sanctus, & eius productio ſit actus voluntatis nullum actum volendi, ſeu diligendi includens?

§. 1.

Proponitur prima ſententia D. Thomæ, & ſecunda Scoti, & fundamentum illius.

1. Difficultas hæc breuiſsimo ſermonis interualo reſoluetur: tota etenim pendet ex præcedente: quia idem quod de intellectu reſpectu productionis Verbi diuini reſoluitur, ſeruata proportione, reſpectu productionis Spiritus Sancti, de voluntate aſſerere neceſſum eſt. Eſt ergo communis Thomiſtarum opinio cum D. Tho. 1. p. q. 27. art. 5. (inter quos præſertim ſunt Caietan. ibidem, Canarienſis in eodem art. diſp. vnica 3. p. Bazquez diſp. 112. cap. 3.) aſſerentium

1. *Sententia D. Thom. Caietanus. Canarienſis. Bazquez.*

tium Patrem & Filium per volitionē, & dilectionem, qua mutuo se diligūt, producere Spiritum Sanctum. Ad cuius opinionis confirmationem, non alia refert argumenta adducere, quam ea quæ fabricata sunt ad probandum productionem verbi esse per intellige re: Hæc enim non minus probant actū productiuū voluntatis, amorē includere, quàm actū productiuū intellectus, dependere ab intelligere.

2 In oppositum autē est Doctor Subtilis, qui vltra quod vt conformiter ad suam sententiam loquatur, idem sentit de voluntate respectu productionis diuinæ personæ, quod de intellectu affirmauerat in artic. 4. & 5. huius quæstionis: specialius tamen loquendo de productione Spiritus Sancti in quodlibet. quæst. 14. litera R. hæc profert. *Hæc licet non sit naturalis, tamen est omnino necessaria; & hæc est motio voluntatis, & hæc est duplex: scilicet ad amare simplex, & etiam ad amorem procedentem, & hæc duplex motio voluntatis correspondet duplici motioni naturali, quæ dicta est in intellectu ad intelligere, & dicere.* Sequūtur Doctore omnes Scotistæ dēpto nemine.

3 *Voluntas, & est productiua ac operatiua, tàm in diuinis, quàm in creatis.*

Pro huius difficultatis resolutione primo obseruare oportet, quod voluntas sicut, & intellectus, est operatiua, & productiua potentia, & hoc tàm in creatis quàm etiam in diuinis. Increatis enim voluntas cū obiecto sibi præsente (quod quidem obiectum supponitur ab intellectu cognitum, quia nihil volitum quin præcognitum) & ab intellectu sibi ostenso, constituitur in actu primo in ratione potentiæ productiuæ, & sic constituta in actu primo prorumpit in actum secūdum productionis, producendo amorem, seu volitionem formalem: Postea hunc amorem seu hāc volitionem recipit in se, & operatur vitaliter: quæ vitalis operatio formaliter est velle, seu volitio actualis, & diligere: & hoc velle, seu volitio actualis, est amare, seu amoris impetu ferri in rem amatam, nēpe in obiectū cognitū, & sibi ostensum. Vnde sicut forma intelligendi est verbū, seu intellectio formalis: sic forma volendi, est amor, seu volitio formalis. Quare volūtas non dicitur formaliter productiua, quia vult: sed quia producit volitionē: dicitur tamē formaliter operatiua, quia talē volitionē, seu amorē in se formaliter cōtinet, & ipso amore fertur in rē amatā. Vnde sicut dictū est de verbo, etiā dicimus, quod accidit volitioni esse productā à voluntate: cum etiā posita immediatè produci à Deo suplente omnē rationem causæ efficientis.

In Deo autē, quia velle est ita essen- 4
tiale, sicut intelligere: ita enim essentialiter diuina essentia se diligit, sicut essentialiter se intelligit: & producere amorem est notionale sicut dicere: consequenter cū essentialia absolute præcedant notionalia: prius in diuina volūtate est velle, quā amorē producere. Et quamuis in sensu reduplicatiuo oppositū sit dicendū de verbi productione vt in præcedēte difficultate notauimus, quia scilicet in Patre prius est dicere, quàm intelligere, prout in Patre: hoc tamē dicendū non est de Patre & Filio, respectu Spiritus Sancti, qui antecedenter ad spirationē actiuā, & productionē Spiritus Sācti, præsupponuntur personæ constitutæ in esse cōpleto. Hæc nāque differentia est inter vtrāque productionē: quia videlicet Pater æternus, non est formaliter Pater, nisi quia formaliter dicit Verbū: & quia debet præsupponi persona in esse personæ ad personā, vt intelligentē: ideo Pater, vt Pater, prius dicit, quā intelligat, sicut prius est persona, quā vt hæc persona intelligat. At vero productio Spiritus Sancti actiuè sumpta, non cōstituit personā in esse personæ: sed iā personas producentes, constitutas in esse personali supponit: Atque ideo non est prius, huiusmodi personas, etiā reduplicatiue, producere amorē, quā velle. Nā in cōstitutis personis, essentialia sunt priora notionalibus. Propterea que priùs est, Patrē & Filiū formaliter velle, & diligere suā essentiā, & se ad inuicē diligere amore improducto, & essentiali, quā per actū notionalem, qui vocatur spirare, seu producere amorem, qui est Spiritus Sanctus, tertia Sanctissimæ Trinitatis persona.

Spiratio actiua præsupponit velle essentiale in Patre & Filio.

In diuinis: ergo productio actiua 5
amoris vocatur spiratio actiua, productio vero passiua eiusdē amoris, vocatur spiratio passiua: principium autem

tem *quod* actiuè spirandi, vocatur spirator, principium vero *quo*, est voluntas cum essentia sibi præsenti, & ostensa per intellectum. Rursus terminus, *qui* spirationis est amor, & hic talis amor est Spiritus Sanctus: terminus vero *quo* spirationis, est diuina essentia, vt tali amori communicata.

§. 2.

Aliud ponitur fundamẽtum, & resoluitur difficultas.

Vnitas principii quod sumitur ab vnitate principii quo.

EST demum iterum obseruandum: quod quamuis Pater, & Filius sint duæ personæ realiter distinctæ, nihilominus in ratione spirandi, induunt rationẽ vnius principij *quod*. Et ratio est: quia vnitas, seu multiplicitas principij *quod* sumitur ab vnitate, seu multiplicitate principij *quo*, vel ab vnitate rationis formalis agendi. Quia igitur principiũ *quo*, seu ratio formalis agendi diuinæ spirationis, est vna & indiuisa voluntas: ideò & si personæ producentes sint plures: induunt nihilominus rationem vnius principij *quod*. Vnde prouenit, quod licet possunt sane, adiectiue loquendo, dici duo spirantes: non tamẽ ob id substantiue dici poterũt duo spiratores: sed bene iuxta fidem dicitur vnus, & idẽ spirator. Cuius ratio est: quia participium adiectiuè sumptum denotat, & denominat substantiuũ, cui adiungitur. Vnde cum sint duo substãtiua nomina, nempe duæ personæ producentes, optime possunt dici duo spirantes: non tamẽ hoc substantiuũ spirator respicit personas, vt plures, sed vnam rationẽ spirandi denominat ab vno principio, & si in duabus personis tale vnicum principium existat.

Pater & Filius sunt vnus spirator Spiritus Sancti.

Conclusio.

His præhabitis difficultatẽ hãc breuiter concludẽdo, dico: quod Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio per actum volũtatis productiuum, qui dicitur spiratio, nullum actum volendi, aut diligẽdi includentẽ in se: cum formaliter ex natura rei à tali actu volendi aut diligendi distinguatur. Conclusio hæc est expressa Scoti, vt patuit in littera eius, & probatur eisdem rationibus, quibus in præcedente difficultate probatum est, Verbum produci per dicere, & non per intelligere: quia nõ est in hac aliqua peculiaris difficultas, quæ non sit in illa.

ARTICVLVS VI.

Virùm dualitas diuinarum productionum rectè à quibus dam probetur?

A.

Sic probat, & declarat Henr. quot lib. 6. q. 1. & q. 2. quot libet. 6. & in summa art. 54.

AD sextũ sic proceditur, & videtur, quod dualitas diuinarũ productionũ rectè à quibusdam probatur: *hoc enim* declaratur ab aliquibus sic, actus notionales fundantur super actus essentiales immanentes. Sed tantùm sunt duo actus essentiales manẽtes intra, qui sunt intelligere, & velle: ergo tantùm sunt duo actus notionales fundati super eosdẽ essentiales: qui sunt productiui ad intra.

B.

Præterea confirmatur ratio, quia actus notionales fũdati super actus essentiales, ęquantur eis, & ideò nõ possunt plurificari actus notionales fundati super eundem actum essentialem. Sed cõtra est, vt patet in fra ex impugnatione trium articulorum, quos ponunt illi.

C.

Id est ab Henrico.

Respondeo dicendum, quod *ad probandam dualitatem diuinarũ productionum* ab aliquibus, modus ponitur iste, & colligitur ex multis dictis opinantis sparsim in pluribus locis, quod tàm intellectus, quàm voluntas quocunque habent se propter separationẽ illorum à materia, postquã habuerint esse in actu suo primo simplicis intelligentiæ, aut volitionis, sunt supra se conuersiui, & super actus eorum simplices, & super obiecta eorum per actus cõuersiuos intelligendi, & vollendi: intellectus enim non solùm intelligit verum simplici intelligẽtia, sed etiã intelligentia cõuersiua, intelligẽdo

se

se intelligere: & conuertendo se super obiectum intellectum, & super actum simplicem intelligendi, & super se intelligẽtem per actum suũ cõuersiuũ: quia intellectus notitia secunda, quæ est in verbo, nõ solũ scit, & intelligit rem, sed sic scit, & intelligit eã, vt sciat sed scire, & intelligere eam. Similiter voluntas nõ solum vult bonum simplici volitione, sed etiam volitione conuersiua, volẽdo se velle, conuertendo se super obiectum volitũ, & super actum volendi simplicem, & super se volentem per actum suum conuersiuum. Sed ista cõuersio partim vno, & eodem modo conuenit intellectui, & voluntati, & partim alio, & alio modo. Quod enim ambæ se conuertunt, vt sunt nudæ, puræ, & solæ potentiæ, hoc vno, & eodem modo conuenit eis, quantum est ex parte ipsarum se conuertentium: ambæ enim se solas conuertunt sua vi actiua, quæ æqualiter eis conuenit. Sed alio, & alio modo quantum est ex parte obiectorum ad quæ se conuertunt. Intellectus enim postquam est conuersus ad illa, ad quæ conuersus est, se habet vt potentiale quoddam, & purum potentiale: & hoc quia intellectus nudus, & purus, natus est recipere ab illis sicut proprium passiuũ à suo proprio actiuo naturali, quod quidem actiuum est idem intellectus informatus notitia simplici informationem notitiæ genitæ declaratiue. Voluntas autem postquam est conuersa ad illa, ad quæ conuersa est, se habet, vt actiuum quoddam, & hoc vt voluntas nuda, & pura nata est exprimere de illis (sicut proprium actiuum de proprio passiuo: cuius modi est eadem voluntas informata amore simplici) amorem quendam incentiuum. Qui est Spiritus Sanctus in diuinis, qui habet esse a producentibus ipsum, non per informationem eius, de quo est, quasi subiectiuè, nec per aliquam impressionem factam eidem secundum modum, quo Verbum, siue Filius procedit à Patre per quandam quasi informationem, siue impressionem factam intellectui Paterno conuerso, vt sit sicut notitia declaratiua de notitia simplici: sed per quandam quasi exclusionem, vel expulsionẽ, aut progressum, aut magis proprie loquendo per quandam expressionem producti, de eo de quo subiectiuè producitur.

Ex parte ergo intellectus causatur actus dicendi à notitia simplici in intellectu nudo cõuerso supra se, & supra notitiam suam simplicem: ita quod intellectus informatus notitia simplici est principiũ actiuum, & elicitiuũ actus notionalis intellectus, ipse autem nudus intellectus cõuersus nõ est nisi quasi principiũ passiuum, de quo quasi de materiali producitur Verbũ quasi per impressionẽ: ex parte autẽ volũtatis causatur actus notionalis ab ipsa volũtate nuda conuersa supra se, & super amorẽ suum simplicem, & super ipsam voluntatẽ informatã amore simplici: ita quod voluntas nuda cõuersa est principiũ actiuũ, & elicitiuum actus notionalis voluntatis, ipsa verò voluntas informata amore simplici est principium quasi passiuũ, de quo quasi de materiali producitur Spiritus Sanctus, secundum quandam expressionem. D.

Et hinc apparet differentia intellectus, vt intellectus, & intellectus vt natura: quia intellectus, vt in Patre existens in actu intelligendi suam essentiam, quem actum ipsa essentia operatur in ipso intellectu suo, vt est quasi in potentia ad notitiam essentialem E.

ſecundum rationem intelligendi, fœcundus eſt fœcunditate naturali ad producendum de ſe ipſo ſibi ſimile, ad quod eſt, quaſi in potentia, per hoc quod eſt actu ſub illa notitia eſſentiali: intellectus enim vt eſt quædam notitia eſſentialis ſecundum actum eſt natura, & principium actiuum, quo Pater de eodem intellectu, vt eſt intellectus purus, & tantùm intellectus, vt de puro paſſiuo format notitiam, quæ eſt Verbum: quæ ſecundum rem eſt eadem notitia cum illa, de qua formatur, differens ſolum ab ea, in quã tũ procedit ab ea, vt manifeſtatiua, & declaratiua ipſius, & per omnem eundẽ modũ debemus intelligere Verbũ formari in nobis. Cognitũ enim primo ſui ſimplicem notitiã imprimit intellectui noſtro repreſentãdo ſe illi vt pure paſſiuo, & ſub illa ratione, qua eſt intellectus. Intellectus autem ſic perfectus ſimplici notitia per obiectum cognitum, quod in ſe continet expreſſiue, factus eſt fœcundus, & principium actiuum, vt natura imprimens in ſe ipſum, vt intellectus tantùm, & principium paſſiuum ad formandum in ſe notitiam declaratiuam de notitia ſimplici. Et ſecundum hoc, quando dicitur Verbum formari per intellectum, & quod intellectus ſit informatione eius actiuus, hoc intelligitur de intellectu informato ſimplici notitia: per hanc enim, vt per rationẽ formalẽ agendi intellectus eſt principiũ actiuũ, & neceſſario prior eſt ratio eius, vt intellectus eſt paſſiuus reſpectu notitiæ ſimplicis, quã recipit ab obiecto, quam ratio eiusſecũ dũ quã eſt natura, & actiuus per notitiã ſimplicem inhærentẽ: & ideò ordine rationis prius habet eſſe, vt eſt intellectus, quam vt eſt natura, & fundatur actus notionalis, quem agit, vt natura, ſuper actum eſſentialem, quem patitur, vt intellectus, ſcilicet ſuper notitiam ſimplicẽ obiecti, quam recipit, vt eſt nudus.

Modus ponitur iſte, & colligitur ex multis dictis illius Doctoris ſparſim in pluribus locis: formatur enim Verbum (ſecundum eum) ſic in nobis, quod cognitum primo ſic ſimplicem notitiam imprimit intellectui noſtro repreſentando ſe illi, vt pure paſſiuo, & ſub illa ratione, qua eſt intellectus. Intellectus autem ſic perfectus ſimplici notitia per obiectum cognitum, quod in ſe continet expreſſiue, factus eſt fœcundus, & principium actiuum, vt natura imprimens in ſe ipſum, vt eſt intellectus tãtùm & principium paſſiuum, ad formandam in ſe notitiam declaratiuam de notitia ſimplici, & ſecundũ hoc quãdo dicitur Verbum formari per intellectum, & quod intellectus ſit informatione eius actiuus. Hoc intelligitur de intellectu actu informato ſimplici notitia per hanc enim, vt per rationem formalẽ agendi, intellectus eſt principiũ actiuũ, & neceſſario prior eſt ratio eius, vt intellectus eſt paſſiuus, ſcilicet reſpectu notitiæ ſimplicis, quam recipit ab obiecto, quam ratio eius, ſecundum quam eſt natura, & actiuus per notitiam ſimplicem inhærentem: & ideò ordine rationis prius habet eſſe, vt eſt intellectus, quàm vt eſt natura, & fundatur actus notionalis, quem agit, vt natura, ſuper actum eſſentialem, quem patitur, vt intellectus, ſcilicet ſuper notitiam ſimplicem obiecti, quam recipit, vt eſt nudus. Qualiter autem intellectus, vt eſt natura, ſit principium actiuum, reſpectu intellectus, vt puri, & nudi ad producendum, declarat ſic: quia tam

F. *Ad maiorẽ expreſsione opinionis Henrici ponitur hæc additio licet videatur eadem fere priori.*

tam intellectus, quàm voluntas in quocunque habent esse per separationem illius à materia, postquã habuerint esse in actu suo primo simplicis intelligentiæ, aut volitionis, sunt supra se cõuersiui, & super actus eorum simplices, & super obiecta eorum per actus conuersiuos intelligendi, & volendi: intellectus enim non solùm intelligit verũ simplici intelligentia, sed etiam intelligentia conuersiua intelligendo se intelligere, & conuertẽdo se super obiectũ intellectum, & super actum simplicem intelligendi, & super se intelligentẽ per actũ suum conuersiuum. Quia intellectus notitia illa secunda, quæ est in verbo non solũ scit, & intelligit rem, sed sic scit, & intelligit eam, vt sciat se scire, & intelligere eã. Similiter voluntas non solũ vult bonũ simplici volitione, sed etiam volitione conuersiua, volendo se velle, conuertẽdo se super obiectum volitum, & super actũ volendi simplicem, & super se volentem per actum suũ conuersiuũ. Sed ista conuersio partim vno, & eodem modo conuenit intellectui, & volũtati, & partim alio, & alio modo: quod enim ambæ se conuertunt, vt sunt nudæ puræ, & solæ potentiæ, hoc vno, & eodem modo conuenit eis est quãtũ, ex parte ipsarũ se conuertentium: ambæ enim se solas cõuertunt sua vi actiua, quæ equaliter eis conuenit: sed alio, & alio modo, quantum est ex parte obiectorum ad quæ se conuertunt. Intellectus enim postquam est conuersus ad illa, ad quæ conuersus est, se habet vt potẽtiale quoddã, & purum potentiale, & hoc quia intellectus nudus, & purus natus est recipere ab illis, sicut propriũ passiuum à suo proprio actiuo naturali, quod quidem actiuum est idem intellectus informatus notitia simplici informatione notitiæ genitæ: voluntas autem postquam est conuersa ad illa, ad quæ cõuersa est, se habet vt actiuum quoddam, & hoc vt voluntas nuda, & pura nata est exprimere de illis, sicut proprium actiuum de suo proprio passiuo, quod est eadem voluntas informata amore simplici, nata est exprimere amorem incentiuum.

Applicando ad propositum in diuinis intellectus, vt in Patre existens in actu intelligendi suam essentiam, quem actum ipsa essentia operatur in ipso intellectu suo, vt est quasi in potentia ad notitiam essentialem secũdùm rationem intelligendi, fœcundus est fœcunditate naturali ad producendum de se ipso sibi simile, ad quod est, quasi in potentia per hoc, quod est actu sub illa notitia essentiali: intellectus enim vt est quædam notitia essentialis secundùm actum est natura, & principium actiuum quo Pater de eodem intellectu, vt est intellectus purus, & tantùm intellectus vt de principio passiuo format notitiã, quæ est Verbũ, quæ secundùm rem est eadem notitia cũ illa, de qua formatur, differens solùm ab ea in quantum procedit ab ea, vt manifestatiua, & declaratiua ipsius. Ex parte ergò intellectus causatur actus dicendi a notitia simplici in intellectu nudo conuerso supra se, & supra notitiam suam simplicem, ita quod intellectus formatus notitia simplici est principium actiuum, & elicitiuum actus notionalis intellectus. Ipse autem nudus intellectus conuersus nõ est nisi quasi principium passiuum, de quo quasi de materiali producitur Verbum, quasi per impressionem. Ex parte autem volũtatis causatur actus notionalis ab ipsa voluntate nuda cõuersa supra se, G.

& supra amorem suum simplicem, & supra ipsam voluntatem informatam amore simplici: ita quod voluntas nuda conuersa est principiũ actiuum, & elicitiuum actus notionalis voluntatis, ipsa vero voluntas informata amore simplici, est principiũ quasi passiuum, de qua quasi de materiali producitur Spiritus Sanctus: non per informationem eius, de quo est quasi subiectiue: neque per aliam impressionem factam eidem secundum modum, quo Verbum seu Filius procedit à Patre, per quandam quasi informationem siue impressionem factam intellectui Paterno conuerso: vt sit sicut notitia declaratiua de notitia simplici. Sed per quandam quasi excusionem vel expulsionem, aut progressum, aut (magis proprie loquendo) per quãdam expressionem producti ab eo, de quo subiectiue producitur. Sic itaq; patet modus quo secundum istam opinionem fundatur actus notionalis super actum essentialem, & quomodo diuersimodè in intellectu, & voluntate.

H. *Prima conclusio.* Ista opinio ponit tres articulos quos non credo esse veros. Primus est, quod quãdo intellect⁹ vt nudus conuersus supra intellectum formatũ notitia simplici, formatur ab eo notitia genita. Hoc improbo sic: quatuor ponit articulos: prim⁹ est: quod Verbũ diuinũ generatur per impressionem. Secundus est, quod est per impressionem in intellectum vt conuersum supra se. Tertius est, quod notitia essẽtialis est ratio formalis gignendi notitiam declaratiuam. Quartus est, quod generatur per impressionem in intellectum, vt nudum. Improbationem articuli dimitto vsque ad dist. 5. vbi propriè haberet locum.

I. *Impugnatio opinionis Henr.* Contra secundum articulum arguo tripliciter, primo, quod in intellectum sic conuersum, non imprimatur Verbum: secundo quod non sit necessaria talis conuersio ad gignitionem Verbi: tertio quod nulla sit talis conuersio. Primum arguo sic intellectus, &c. intellectus nõ cõuertitur, nisi vt est in aliquo supposito: quia conuersio ponitur actio, & actiones sunt suppositorũ. Tũc quæro cuius suppositi sit, vel cuius personæ est, vt conuertitur super intellectum formatum? quia si vt conuertitur, est persona Filij, & præcedit per te ista cõuersio generationem Verbi: ergo ante generationẽ Verbi sunt duæ personæ, quod est hæreticum. Si autem vt cõuertitur super intellectum formatum, est ipsius Patris, tunc arguo sic: cuius est vt cõuertitur, eius est vt notitia genita formatur (vt probabo) igitur intellectus, vt est Patris, formatur notitia genita: ergo notitia genita est ipsius personæ Patris, quia cuius personæ est intellectus, vt formatur, eiusdẽ est notitia qua formatur. Assumptum probandum probo sic: cuius est, vt conuertitur super intellectum formatum, eius est, vt habet intellectum formatum pro obiecto actu præsente. Ergo eius est, vt ab illo obiecto formatur: probatio huius cõsequentiæ, passiuum proportionatum dispositum, & approximatũ actiuo sufficienti proportionato, natum est immediatè perfici ab illo actiuo, per Philosophum 9. meth. cap. 4. quoniam autem possibile, &c. Tũc enim aliquid est in potentia proxima, quando nihil oportet addi, subtrahi, vel minui ad hoc quod actus insit intellectus: autem nudus vt conuersus, & habẽs intellectum formatum, vt obiectũ prẽsens, est passiuum dispositum proportionatum, & approximatum intellectui informato, vt obiecto sufficienter actiuo: ergo intellectus nudus

Vt in proœmio meth.

9. Meth. c. 4. tex. com. 10. & 12.

nudus,vt conuersus nulla facta variatione circa ipsum esse substantiæ vel cuiuscũque entitatis,vt sic, formatur notitia genita: & sic probatur prima consequentia.Hic posset poni vna responsio, quod intellectus nudus,videlicet de quo formatur notitia genita, communicatur Filio per actum producendi notitiam genitam,per hoc,quod de se ipso actualiter formatur illa notitia:siue ex hoc,quod est quasi materia informata notitia genita,habet in persona genita. Sed contra istã responsionem sunt duo argumenta prima,quæ ponuntur dist. 5.quæst. vlt.contra opinionem de quasi materia, quæ ibi specialiter improbabitur.

K. *Impugnatio 2. dicti Henr.* Secundo arguo sic, intellectus Patris habẽs obiectum sibi prẽsens, est naturale principium non solum operatiuum respectu intellectionis Patris, sed etiam productiuum respectu notitiæ genitę: igitur circunscripta reflexione,esset principium productiuum.

L. *Impugnatio 3. dicti Eiusdem.* Tertiũ probo sic,si per cõuersionẽ nihil intelligitur esse in intellectu, quod nõ intelligeretur ibi esse non intellecta conuersione: igitur conuersio nihil est ibi.Si autem aliquid intelligitur esse in intellectu, quod sine ipsa non intelligeretur quæro quid? Non præsentia obiecti,non perfectio potentiæ,non tãdem determinatio potentiæ ad actum, vel exercitium actus,sicut aliqui ponunt voluntatem in nobis conuertere intelligentiam ad memoriam.Patet, quod voluntas non conuertitur ad gignitionem Verbi diuini. Item conuersio ista non est actio,quæ est operatio:quia non intellectio,nec volitio,nec actio productiua alicuius.

M. *Secunda cõclusio.* Secundus articulus est,quod intellectus informatus notitia actuali essentiali est principium actiuum & elicitiuum notitiæ genitę,hoc in probo sic, *vt improbatum est in articulo 5.*

Secundus etiam articulus est falsus in nobis: tùm quia notitia confusa non potest esse principium elicitiuum notitiæ distinctæ,sicut nec imperfectum potest esse principiũ elicitiuũ productionis alicuius perfecti: tùm quia illa notitia actualis confusa esset simul cum notitia actuali distincta,& ita duo actus elicitisimul,vel actus confusus,quando nõ esset,generaret actum distinctũ: tùm quia omnis actus intelligendi secundus est genitus à memoria, vt memoria est in actu primo proportionali sibi:puta perfectus à perfecto, imperfectus ab imperfecto, sicut dist. 3.q.7. patebit. N.

O. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est, quod conuersio intellectus nudi super se formatum est necessaria,ad hoc vt intellectus nudus formetur ab intellectu formato.Hoc nõ video, quia intellectus Patris habens obiectum sibi præsens est naturale principiũ, non solum operatiuum,respectu intellectionis Patris,sed etiam productiuum,respectu notitiæ genitæ: ad huc ergo circunscripta illa reflexione esset principium productiuum.

P. *Quarta conclusio. Cap.26.* Tertius articulus etiam est falsus in nobis: quia verbum perfectissimum erit in Patria secundum Augustinum 15.de Trinitate, & tamen non erit illud verbum genitum per actũ reflexum siue conuersiuum super actum primum, vt iste dicit, vt per illum sciat quis se scire,vel intelligere. Quod autem nõ erit notitia reflexa,probatur: quia verbum perfectissimum creatum nõ habet pro obiecto suo primo aliquod creatũ sed increatum.

Q. *5.Cõclusio.* De quarto articulo patet manifeste, quod in hoc videtur sibi ipsi con-

cõtradicere sic opinans, quod probatur sic: quia, quod de intellectu, vt nudo formetur Verbum, & tamẽ non imprimatur intellectui, vt habenti notitiam essentialem, non videntur simul stare: quia sub qua ratione est proximum de quo, & in quo. Sed prius dixit quod est, quasi in potentia ad Verbũ per hoc quod est in actu sub notitia essentiali.

Ad argumentum, *& confirmationem satis patet ex confutatione articulorũ sic opinantis, & per ea, quæ dicta sunt articulo quarto & quinto.*

Expositio sexti arciculi quæstionis quintæ distinctionis secundæ.

1. EROLIXA est huius arti culi litera, sed satis subtilis, in qua Doctor propo nit declarationem Henrici, & ipsam impugnat. Intendebat etenim Henricus declarare, & probare in Deo tãtum esse duas productiones, per intellectũ scilicet, & voluntatem, ex eo quod actus notionales fundãtur supra essentiales: & ait, quod cum actus essentiales sint tãtùm duo: tantummodo duo erunt notionales, & sic duæ productiones tantùm. Hoc autem sic explicat: quia scilicet cum intellectus, & voluntas sint potentiæ auersæ à materia, non indigent aliquo organo, sicut potentiæ sensitiuæ: & quia immateriales sunt, ideò sunt reflexiuæ supra se, & supra suos actus. Intellectus ergo consideratur (secũdum Henricum) nude sumptus, & in actu simplicis intelligentiæ, & vt reflectitur supra se, vt est in actu simplicis intelligentiæ. Primo modo abstrahitur intellectus à notitia, & consideratur tanquam tabula rasa. Secundo modo concipitur tam in actu simplicis intelligentiæ, seu simplicis notitiæ, & intellectionis, quo cognoscit diuinam essentiam: & tunc intelligit, quæ intellectio est essentialis communis tribus personis, & vt sic est in actu primo ad productionem Verbi. Tertio consideratur, quatenus vt nudus reflectitur supra se, & conuertitur ad se, quatenus est intelligens per notitiam simplicem: hoc est, quod intellectus habita illa simplici notitia, & intellectione obiecti, postea vertitur supra se, cognoscẽdo se ipsum, & supra cognitionem simplicem, illam cognoscẽdo, & supra obiectum cognitum relucens in cognitione simplici: quia notitia secunda, nimirum intellectione conuersiua, quæ est in Verbo, intellectus non solùm intelligit rem: sed sic intelligit illam, vt etiam intelligat se intelligere eam. Hac ergo conuersiua & reflexiua cognitione Verbum producitur, quod idem eodem modo philosophatur Henricus de volũtate proportione seruata.

Tenet ergo Hericus, quod Verbum est elicitiuè à notitia simplici, per quã intellectus est in simplici intelligentia, & quod est ad talem notitiam per actionem conuersiuam, qua intellectus, vt nudus, reflectitur supra se, vt intelligentem essentiam: ac ideò Verbum est ab intellectu informato notitia simplici: & ita Verbum est declaratiuum obiecti, & intellectus, vt informati notitia simplici: vnde Verbum nihil aliud est, quàm cognitio, qua v.g. scio me scire. 2.

Ex his ergo inquit Henricus, quod actus notionales, vtpotè notitia conuersiua, & amor conuersiuus, fundantur super essentiales, nimirum super simplicem notitiam, & amorem simplicem: sed huiusmodi actus essentiales tantùm sunt duo: ergo notionales, videlicet productiones, duæ erunt tãtùm. 3.

Sequitur in textu. *Ista opinio ponit tres articulos, quos non credo esse veros*, quibus additur, *Quatuor ponit articulos*. Littera deinceps est clara, in qua Doctor Subtiliter impugnat opinionem Henrici, contra singulos eius articulos arguendo. 4

QVÆST.

QVÆSTIO SEXTA.

De Trinitate diuinarum Personarum.

HVIVS hoc quæro, vtrùm sint tantùm tres Personæ in essentia Diuina, circa quod quæruntur duo.

¶ Primo. Vtrùm in diuinis sint tãtum tres personæ?

¶ Secundo. Vtrùm possit ostendi vnam trium personarum esse improductam, sicut ostẽditur vnitas Dei?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in diuinis sint tantum tres Personæ?

A. AD primum sic proceditur, & videtur quod in diuinis non sint tantùm tres Personæ & arguo: primo sic, relationes oppositæ sunt æqualis dignitatis: ergo si relatio primi producentis tantùm constituit vnam personam, corespõdebit sibi alia relatio, tantùm constituens personã productam, & ita tãtũ erit vna persona producta.

B. Secundò præterea, duabus relationibus productorũ corespondẽt duæ producentium, & æque distinguũtur ista extrema inter se, sicut illa inter se: ergo si istę duę relationes constituunt duas personas, & aliæ duæ constituunt alias duas, & ita erunt quatuor personæ diuinæ.

C. Tertiò præterea, potentia finita durans in infinitum potest habere effectus infinitos, sicut patet de sole secundũ viam Philosophi 2. de generatione: ergo potẽtia infinita potest habere infinita producta simul: consequentia probatur: quiasi potentia finita simul nõ potest in tot, in quot successiue, hoc est propter finitatem, propter quam pro nunc adæquatur sibi iste effectus: ergo potentia infinita inquot potest succesiue, intot potest simul.

2. De generat. Henr. con. 56. & circiter.

D. Sed contra est, quod ostenditur Matth. vlt. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et 1. Ioan. 5. tres sunt qui testimonium dant, &c. Et Augustinus de fide ad Petrum c. 2. & ponitur in littera.

E. Respondeo dicendum ad istam quæstionem, cum quæritur de Trinitate Personarũ in diuinis, quod sunt tantũ tres Personæ in essentia diuina. Quod probatur sic, sunt tãtum duæ productæ, & tantum vna improducta: ergo tantum tres sunt personæ. Circa primam propositionẽ probo primo, quod sint duæ productę. Secũdò, quod nõ plures. Ad probandũ, quod sunt duę personæ productæ, primo probo, quod est aliqua persona producta actu intellectus, & hoc sic. Intellectus vt est perfecta memoria, idest habens obiectũ actu intelligibile sibi præsens, per aliquem actum sui est productiuus termini adæquati, scilicet infiniti, ex præcedente quęstione: nihil autẽ se ipsum producit, primo de Trinitate: ergo quod producitur actu intellectus, aliquo modo distinguitur à producente: essentialiter non distinguitur: quia essentia diuina, & quæcunq; essentialis perfectio intrinseca sibi est indistingui bilis, ex quæstione de vnitate Dei: igitur distinguitur personaliter productum à producente: ergo est aliqua persona producta actu intellectus. Consimiliter arguitur de producto, actu voluntatis. Quod autẽ persona producta actu isto, & illo, sit

Conclusio.

ſit alia,& alia probo: quia non poteſt eadē perſona produci duabus productionibus totalibus ſufficientibus,hæc autem productio alia eſt ab illa ex quæſt. præcedenti: ergo hac& illa non producitur eadē perſona, ſed duæ.Probatio maioris,ſi idem produceretur duabus productionibus totalibus, vtraq; acciperet eſſe ſufficiēter: ſed ſi ſufficiēter acciperet eſſe à producēte hac productione,haberet ſuū eſſe perfectè, nulla alia productione poſita:igitur,non poteſt accipere eſſe per aliam productionē: quia tunc nō eſſetſine illa. Vlterius,quod nō poſsūt eſſe plures perſonæ productæ, quā iſtæ duæ:probo ſic.Nō poſſunt eſſe plures productiones adintra: quod aliqualiterſuadebatur in quæſt.præcedēti, ſed differatur vſque ad diſt. 7.finaliter declarandū. Hoc igitur ſit certum nunc, quod tantùm ſunt duęproductiones adintra,nulla autem iſtarū poteſt terminari niſi ad vnam perſonam:quia perſona producta eſt terminus adæquatus illi productioni: ergo, &c. Nunc reſtat probare, quod vna tātū ſit non producta *de quo in ſequenti articulo.*

F. Ad argumenta principalia,& ad primum:cum arguitur,æque nobiles ſunt: ergo tot. Falacia eſt figuræ dictionis cōmutādo quale in quot, &ratio defectuscōſequētiæ eſt iſta: nō enim eſt propter nobilitatē,vel ignobilitatē relationis,vel rationis principij,vel principiati,quod multiplicetur,vel nō multiplicetur:ſed deratione principij eſt vnitas,licet imprincipiatis poſsit eſſe pluralitas:quia ſemper eſt reductio pluralitatis ad vnitatē:& ideò ſtāte æquali nobilitate poteſt eſſe multiplicatio,vel diſtinctio in relationibꝰ productorū:licet nō in relationibꝰ producentiū aſe. Alia eſt reſpōſio:quia licet ibi quælibet relatio vnius rationis ſit de ſe hæc: tamē à pluribus relationibus productiui poteſt forſan abſtrahi vnū cōmune,puta productiuum:& ita à pluribus relationibus producti,poteſt abſtrahi vnū commune, puta productum: & ſi igitur eſt vna relatio in cōmuni,ſi eſt commune abſtrahibile, quæ dicitur in communi relatio perſonæ producētis:ſunt tamen duæ relationes producentis ſic, & ſic, ſicut duæ correſpōdentes eisproductæ ſic, & ſic.

Ad ſecundam rationem concedo,quod relationibus ex parte producentiū, vel productiui, correſpōdēt relationes ex parte productorum,& tot:ſed non ſequitur,ſi relationes producti diſtinguūtur ſic,vt ſintin diſtinctis ſupoſitis:ergo,& relationes producentis. Cuius ratio aſignatur: quia relationes producti poſsūt diſtingui propter diſtinctas rationes producēdi,quæ ſūt in producente, licet ſit idem ſuppoſitum producēs:ſicut productio artificialis,& naturalis diſtinguntur per principia productiua,ſcilicet per artem,& naturam: licet iſta cōcurrāt in eodē ſuppoſito: relationes autē producti nō poſſunt ita cōcurrere in eodē ſuppoſito, & vna perſona: ſed ſunt diſtinctæ perſonaliter:quia productum eſt perſe ſubſiſtēs,& ſuppoſitum. Alia ratio patet ex ſuperiori ratione in ſolutione quæſtionis: quia non poteſt idem produci duabus productionibus totalibus: & ideò relationes producti nō plurificātur,in eodem,licet relationes producentis poſsint plurificari.

Ad tertium, potentia finita non poteſt habere ſimul duos terminos adæquatos in produci:licet poſsit habere vnum inproduci, & aliū in producto eſſe:potentia autem infinita habet terminum ſuū intra ſe ſemper in produci, & iſte eſt adæqua-

G.

H.

quatus, & ideo non poteſt habere plures.

Expoſitio 1. art. quæſtionis 6. diſtinctionis ſecundæ.

QVia in frõte huius tractatus in difficultate videlicet 46. materia huius articuli prælibatur: & perſonarum Trinitas, quam hîc Doctor determinat, ex ſacræ ſcripturæ elogijs, & ex Eccleſiæ oraculis, ac Patrum tiſtimonijs, cõtra hæreſeos com probatur: non reſtat hic aliquid de nouo enucleandum circa cõcluſionem, quia Doctor concludit, *quod ſunt tantum tres perſonæ in eſſentia diuina.* Sed quo ad probationem huius cõcluſionis vtitur hîc efficaciſsima ratione: quia ſcilicet ſunt tãtũ duæ perſonæ productæ, & vna improducta: ergo &c. quod ſint tantum duæ perſonæ productæ hîc probat ex duplici principio, intellectus nimirum, & volũtatatis: quod ex quæſtione 4. ſupponit, quæ ratio eleganter concludit intentum. Eſſe vero vnam perſonam improductam, in ſequenti articulo probat. Quia tamen vtraque propoſitio latè in difficultate 47. remanet confirmata, non hic immorandi eſt locus.

ARTICVLVS II.

Vtrũ poſsit oſtendi vnam triũ perſonarum eſſe improductam ſicut oſtenditur vnitas Dei.

A. AD ſecundum ſic proceditur, & videtur, vt dicit vnus Doctor, quod illud, *ſcilicet vnam trium perſonarum eſſe improductam*, oſtenditur, ſicut oſtenditur vnitas Dei. Hoc etiam probat per Hilarium cap. 5. de Synodis, vbi vult, quod qui dicit duos innaſcibiles, confitetur duos Deos.

Secundo præterea, quodlib. 55. quæſtione 2. vbi arguit ad propoſitum: innaſcibilitates eſſent eiuſdẽ rationis, & plures proprietates eiuſdem rationis in eadem natura ſingulari ſcilicet Deitate, quod eſt impoſsibile, ſiue fuerint abſolutæ, ſiue relatiuæ, patet in creaturis. B.

Tertio præterea, perſona improducta eſt primum principium: ergo non plura prima principia. C.

Quarto præterea, in ſolutione facit argumentum Ricardi 5. de Trinitate cap. 4. prima non ab alia eſt potens per eſſentiam, quia habet in ſe omne poſſe. D.

Quinto præterea *citatus Doctor*, plura ſuppoſita abſoluta non poſſunt eſſe in hac natura: quia natura nõ eſt in pluribus ſuppoſitis abſolutis ſine diuiſione naturæ: erunt igitur plura ſuppoſita relatiua, aut igitur relatione mutua inter ſe, aut ad alia, ſed ſi plura eſſent ſuppoſita nõ producta, non diſtinguuntur relatiue ad alia ſuppoſita: quia nõ relatione ad alia ſuppoſita producẽtia: quia nulla ſunt, ex hipoteſi: nec producta, quia ad illa haberent relationem eandem, ſicut modo Pater, & Filius habent eandem relationem ſpirationis actiue ad Spiritum Sanctum: ergo relationes inter ſe diſtinguerentur, & hoc relatione originis, quod eſt propoſitum. E.

Sed contra eſt: quia ratio innaſcibilis non dicit aliquam perfectionem ſimpliciter, ex qua perfectione ſimpliciter poſſet concludi vnitas innaſcibilis, ſicut ex perfectione infinita concluditur vnitas diuinę eſſentiæ. F.

Reſpondeo dicendum, quod iſtę probationes *prædicti Doctoris* non videntur ſufficientes: prima non quia vnitas Dei probatur ex hoc, G.

quod

quod diuina infinitas non diuiditur in plures essentias, non autem ita manifestum est, quod ratio ingeniti, vel innascibilis non sit in pluribus suppositis, *vt probatum est §. sed cõtra.* Aliter *ergo* persuadeo cõclusionẽ intentam, *scilicet personam immproductam esse vnam*: sic, quidquid potest esse in pluribus suppositis, & non potest determinari ad certum numerũ suppositorũ per aliud à se, quantũ est de se potest esse in infinitis, & si est necesse esse est in infinitis: quia quidquid, potest ibi esse, est: sed ingenitum si potest esse in pluribus suppositis, nõ determinatur ab aliquo, in quot suppositis sit, quia determinari ab alio ad esse in suppositio vel in suppositis est cõtra rationẽ ingeniti. Igitur de ratione sua potest in infinitis. Et si potest esse, est: quia esse ingenitum est ex se necesse esse: cõsequens est in possibile: ergo illud ex quo sequitur. Secundo sic, nunquam pluralitas ponenda est sine necessitate: nulla autem necessitas, nec ad se, nec ad extra cogit plures esse innascibiles: ergo est tantum vnus. Tertio, quia essentia vna actu existens, non videtur ex se immediatè habere plures modos essendi: oppositum sequitur, si plura essent suppositа ingenita: non autem sequitur modo: quia essentia diuina non habet plures modos essendi immediatè sine productione, sed tantùm vnum modum essendi sine productione, & alios duos mediantibus productionibus.

2. Concl.

3. Phys. 32.

G. Ad Primum argumentum: quod similiter auctoritas Hylarij dicit, quod ita est, nõ tamẽ probat esse ita

H. Ad secundum, quod negationes eiusdem rationis sunt tot in isto, quot sunt passiua eiusdem, innascibilitas est negatio. aliter relationes plures in eodẽ. 3. lib. dist. 3.

I. Ad tertium, nunc tres personæ sunt vnũ principium omnium aliorum.

K. Ad quartum, quod omne posse est respectu cuiuscunq; possibilis, nec potest ista ratio colorari, sicut coloratur de omnipotentia, quæ est de vnitate Dei, patet quare non, &c.

L. Ad quintum, cum accipit in ratione sua, quod plures personæ absolutæ non possunt esse in eadẽ natura, qualiter est hoc notius conclusione, qui enim poneret plures personas ingenitas, nõ diceret eas formaliter constitui aliquibus relationibus: ergo accipere contra eum, quod non possunt esse plures personæ absolutę, videtur non accipere manifestius conclusione. Cum vltra dicitur, quod non distinguuntur relationibus inter se: quia hoc non esset nisi per relationes originis: hãc consequentiã oportet probare: concesso enim illo, quòd non sit distinctio nisi per relationes originis, cito haberetur propositum.

Expositio 2. art. quæstionis 6. distinctionis 2.

INTENDEBAT Henricus eadem ratione probari vnitatem improductæ personæ, qua Dei vnitas demonstratur. Quodargumentis in principio articuli positis suadebat. Doctor vero duo hic facit: & quidem primo Henrici sententiam improbat; & secũdo aliter tribus efficacibus medijs improductæ personæ vnitatem ostendit. Hæc attamen in difficultate 47. sunt satis enucleata: & hic in littera solutiones textuales ad argumenta Henrici perspicue patent.

DIFFICVLTAS LI.

Vtrùm processio Verbi diuini sit generatio?

§. I.

§. 1.

Proponitur status controuersiæ, & ratio dubitandi probatur.

1. VIVS, & sequentis difficultatis materia potius ad distinctionem 13. iuxta textualis literæ ordinẽ spectabat, quàm ad præsentem locum. Verum quia à fere omnibus Theologis nunc iuxta D. Thomæ seriem, hîc, vbi de diuinis productionibus agitur, harum distinctarum productionum rationes formales inuestigantur: nos etiam accomodatũ scholasticorum ordinem insequentes: hic earum inuestigationem recusare iure debito non valemus.

2. Et certè si Scripturæ Sacræ, & quorundam Sanctorum Patrum vestigia sequeremur, ineffabilis generationis mysterium potius silentio, quàm lingua proferre, fas esset. Isaias enim quasi huius eloquiũ subterfugiens inquit in cap. 53. *Generationẽ eius quis enarrabit*, *Isaiæ.* quẽ sequens D. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 5. inquit. *Mihi impossibile est generationis istius nosse mysterium, vox filet, mẽs deficit, non tantum mea, sed etiam Angelorũ.* *D. Ambro.* Verum licet hoc inscrutabile Sacramentum non possit naturalibus viribus comparari, nec etiam fidei reuelatione rectè intelligi, nã vt Greg. Arim. in 1. dist. 13. quæst. 1. & Marsilius q. 16. dicũt: impossibile est in hac vita citra peculiarem aliquam reuelationẽ, per tales, quales nos scimus, diuinæ generationis rationem exponere: nihilominus ipsius fidei reuelatione enixi omnis quisque catholicus pro viribus in huius celebris difficultatis consequutionem incumbit. *Grego. Arimin.* *Marsilius.*

3. Ratio ergo dubitãdi, quæ obstat generationi Verbi diuini, videtur esse: quia generatio, non nisi per naturam esse potest: cum igitur, vt ex difficultate 48. constat, Verbi productio, non sit immediatè per naturam, sed per potentiam, nimirum per intellectum, cõsequenter videtur dicendum, generationem nõ esse: ac propterea Verbum diuinum, quamuis concedatur esse verè Verbum, eo quod procedit per intellectum in ratione memoriæ fœcundæ, non tamen genitus erit, nec Filius. Hoc autem probatur primo generali quadam ratione. Nam omnis generatio importat mutationem, cum adquirat nouũ esse, quod antea nõ habebat, sed Verbũ diuinũ non potest mutari: quia Deus immutabilis est: ergo processio Verbi diuini non est generatio.

4. Secundo specialius probatur, quoniam omne genitum est simile generanti: sed Verbum diuinum non assimilatur generanti, scilicet Patri: ergo non est genitũ. Minor probatur: quia si Verbum diuinum assimilaretur Patri, vel hoc esset in natura, vel in relatione: quia nihil aliud est in Patre, nec in Filio, nisi natura & relatio: sed nec assimilatur Patri in natura: quia importat eandem numero naturam Patris: similitudo vero est relatio vnius ad aliud, quæ necessario est inter duo: eiusdem enim ad se ipsum nulla relatio esse potest: ergo nec eiusdem naturæ ad se ipsam, erit aliqua similitudo. Nec quidem assimilantur relatione: quia Paternitas, & Filiatio, sunt relationes oppositæ, & consequenter disquiparantiæ & dissimiles, in quibus nulla assimilatio esse potest: nec Verbum propterea Patri assimilari.

5. Tertio: quia Verbum creatum non dicitur genitum ab intellectu creato: ergo nec Verbum diuinum ab intellectu diuino. Antecedẽs patet: quia Verbum creatum accidens est: & nullum accidens generatur à substantia: cum generans, & genitum debeant in eadem specie constitui, eo quod debent esse in similitudine naturæ. Consequentiam vero probo: quia ideò Verbum diuinum dicitur genitum, quia procedit per intellectum in ratione memoriæ fœcundæ: in quo differt à Spiritu Sancto, qui ideò non dicitur generari: quia per talem memoriam non procedit: sed Verbum creatum etiam procedit per memoriam fœcundam, sicut & increatum: ergo cum Verbum creatum non sit genitum, nec etiam Verbum diuinum genitum erit.

Quarto

6. Quarto tandem probari potest ex comparatione ad Spiritum Sanctum: quia videlicet Spiritus Sanctus nō est genitus: ergo nec Verbum. Antecedēs est certum in fide, vt patet ex illo symboli, *Spiritus Sanctus non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Consequentiam vero probo: quia non minus assimilatur Spiritus Sanctus spiratori in natura diuina, quàm Verbum in eadē natura assimilatur Patri: sed tota ratio generationis est similitudo in natura, qua genitum in natura generanti assimilatur: ergo si Spiritus Sanctus non est genitus, nec profecto Verbum genitum esse potest. Maior probatur: quia cum eadē sit natura in Patre, quæ est in Filio, & in Spiritu Sancto, nō minus assimilatur Spiritus Sanctus Patri & Filio, quàm Verbū assimilatur Patri.

§. 2.

Ponitur vera, & catholica sententia cum suis fundamentis.

7. IN oppositum autem est litera textualis infra in dist. 9. q. vnica art. 1. in corpore, vbi inquirendo in titulo, an generatio Filij sit æterna, vt de fide supponit productionem Filij esse generationem, & sic hæc ibi inquit Doctor. *Ad quæstionem dico, quod sic, quia generatio non est ibi sub ratione mutationis, sicut dictum est dist. 5. q. 2.* & paucis interiectis verbis subdit, *sed tantum est ibi generatio productio in ratione substantiæ per modum naturæ.* Hoc idē tenet multis alijs in locis. Tenet D. Thom. 1. p. q. 27. ar. 2. in corpore, & est communis omniū catholicorum consensus.

Scotus.

D. Thom.

8. Vt autem difficultas explanetur, primo obseruare oportet, generationem dupliciter posse sumi, scilicet lato modo, & in rigore. Generatio primo modo considerata est, quæuis mutatio materiæ vnius formæ in aliam: seu melius est mutatio de non esse ad esse? Et hîc non intelligimus per nō esse, quod sit nihil: tunc enim generatio esset creatio: sed per non esse intelligimus subiectū cum priuatione illius esse, quod per generationē adquirit. Et quamuis generatio hoc modo etiam possit cōpetere accidentibus, quatenus subiectum completum in esse specifico substantiali, vt potè homo, transit de non esse albi ad esse albi: tamen cum in tali subiecto non supponatur aptitudo ad esse albi: sed tantum potentia merè passiua, quæ est potentia neutra, & non naturalis: non mutatur tunc homo de priuatione ad formam, sed de negatione essendi albi ad esse album. Ac ideò non loquimur hic de istis mutationibus, sed sumitur generatio isto primo modo pro mutatione substantiali materiæ, ex priuatione alicuius formæ ad illam formam; & generatio vt sic, tam viuentibus, quàm non viuentibus cōpetit: nō enim minus generatur in ligno ignis ab igne, quā in viuētibus vnū ab alio eiusdem naturæ & speciei. Secūdo vero sumitur generatio minus latè pro productione viuentis à viuente.

Generatio sumitur dupliciter, late, & stricte.

9. Porrò aliter iuxta triplicem modū potest considerari productio viuentis à viuente, prout notauit D. Bonauēt. in 1. dist. 13. q. 2. ad primum, atque etiā Alexander Alensis 1. p. q. 43. memb. 1. Ricardus in 1. dist. 13. art. 1. q. 3. Primo in quā modo patuit productio viuentis à viuente in Adamo, quem Deus de limo terræ produxit, cuius principiū fuit voluntas Dei creantis. Secundus modus fuit in productione Euæ, quæ fuit formata ex costa Adami etiam viuentis, cuius principium, saltim materiale, fuit ipsius Adami costa. Tertio modo productus fuit Abel ex Adamo & Eua, cuius principiū fuit natura ipsa viuentium generantiū. Ex his ergo tribus modis productionis, solus tertius est generātio: quia non est per naturam, & per modū naturæ. Secundus autem, à generatione excluditur, quia nō est per naturā, sed per principium præternaturam, vt inquit Seraphicus Doctor. Primus autē etiam nō est generatio: quia est per principiū liberū, & nō naturale. Et ex hac differentia sumunt prædicti Doctores rationē, quare Verbum est vere genitum, non autē Spiritus Sanctus, vt ex sequēti difficultate patebit. Generatio igitur in rigore, quā in præsenti inquirimus, in tertio tātū prædictorūm modorū reperitur.

D. Bonau.

Alexāder Alens. Ricardus.

Productio viuentis à viuente tripliciter sumitur.

10. Demū hāc generationē sic in rigore con-

conſideratam communiter diffiniunt Doctores cum D.Thoma 1.p. quæſt. 27.ar.2.& 4.contrà gentes cap.11.per hoc quod *ſit origo viuentis à viuente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*. Cuius diffinitionis ſingulæ partes indigent explicari. Prima ergo particula, ſcilicet, *origo*, denotat proceſsionem, vnde origo idem eſt, quod proceſsio: *viuentis à viuente*, duo importat, primum eſt diſtinctionem procedentis à principio, à quo procedit, id eſt, geniti à generante. Cum enim nihil poſsit ſeipſum generare, conſequẽter ſi eſt proceſsio, & generatio debet eſſe vniusab alio, & ideo neceſſario diſtinctionẽ vtriuſque includit. Secũdum autem eſt, quod tam genitum, quàm generans ſit viuens. Quam ob rem excluduntur à ratione generationis omnia non viuentia. Tertia particula, ſcilicet, *à principio conjuncto*, hoc eſt, poſito aliquo principio formali, quo fiat generatio. Hoc quidem, ſi partiale eſt, erit ſemen, vel receptiuum ſeminis: ſi verò adæquatum, erit vtrumque ſimul vnitum, quod eſt integrum principium naturæ. Quarta autẽ particula, nempe, *in ſimilitudinem naturæ*, denotat, quod genitum aſsimiletur generanti in natura. Quomodo autem iſta ſimilitudo intelligenda ſit, non æqualiter ſentiunt Doctores. Pro quo videndа ſunt, quæ in difficultate ſequenti circa hoc pũctũ Vazquez, & alij interpretantur: & quæ nos ibi reſoluimus.

Diffinitio generationis explicatur.

11 Aliter nõ pauci Doctores hanc generationis deſcriptionẽ exponũt, ſeu alias Ariſtotelis adducunt, in quo longum tẽpus conſumunt: nã Durandus in 1. diſt.4.q.1.n.8. inquit, *genitũ eſſe illud, quod ab alio accipit eſſe, & naturam, modo naturæ*. Et ſic optimè generationẽ diffinitã eſſe exiſtimat. Lõgiori tamẽ ſermone Ioan. Maior in 1.d.13.q. 1. poſt mediũ, vt creatã, & creatas generationes ſub diffinitione vnica cõprehenderet, ait: quod *generatio eſt productio, non de nihilo, alicuius viuentis cognoſcentis, ab aliquo eiuſdem naturæ numero, vel ſpecie: ſiue res habeat eſſe poſt non eſſe, ſiue ſemper habeat eſſe. Sic, ſcilicet, quod res productа, quando eſt generatio, poteſt ſic facere in productione ſicut res generans.* Diffinitionem iſtam nõnulli ob

Durandus

Ioan. Maior.

eius prolixitatem reijciunt: ſed reuera amplectendã eſſe exiſtimo. Quamuis etenim diffinitionis metas excedat, ſaltim eſt optima diffinitionis expoſitio, vt ex omnibus eius particulis conſtat; nam cum in generatione diuina genitũ non habeat eſſe poſt non eſſe, ideo illã particulam addidit, & alias ſimiles, vt generationẽ diuinam ſub diffinitione generationis comprehẽdi exponeret: ſed quia in ſequentibus de generatione latior erit ſermo: hîc non plus in eius explanatione immoramur, ſed quę dicta ſunt ſufficiẽt ad difficultatis præſentis intentum.

§.3

Concluditur difficultas, & ſoluuntur argumenta in oppoſitum.

HIS præhabitis, difficultatem concludẽdo dico, proceſsionem Verbi diuini vere, & formaliter eſſe generationẽ. Concluſio eſt de fide, quæ probatur vtriuſque teſtamenti elogijs. Et primo ex illo *Iſaiæ* 53. iam citato loco, *generationem eius quis enarrabit?* Vbi etſi fateatur inſufficientiam ad narrãdum, & inueſtigandum modum generationis æternæ quoad quæſtionem *de quibus eſt*: nihilominus fide irrefragabili confitetur huiuſmodi generationem eſſe, & eius exiſtentiam ſupponit, quoad quæſtionem an eſt: dum ipſam timet, aut recuſat narrare. Probatur inſuper ex illo Pſalmi 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, & Pſalmi 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*. Quod teſtimonium D. Paulus ad literam c.5. ad Hebræos, de Verbo intelligit. Ex nouo autem teſtamento, patet ex illo Ioan.1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, & iterum *vnigenitum qui eſt in ſinu patris, &c.*

12 *Concluſio.*

Iſaiæ

Pſal.2.

Pſal.109.

Ad Hebr.

Ioan.1.

Item probatur ex definitione Eccleſiæ, & primo ex omnibus ferè Cõcilijs generalibus præſertim ex Niceno in illis verbis in Symbolo fidei, *& ex Patre natũ, genitũ nõ factũ, &c.* & in c. firmiter

14 *Conc. Nic. Cap. firmiter. Sym. Ath.*

miter de summa Trinit.de fide Catholica,vbi hæc habentur,*absque initio semper,ac sine fine, Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens,&c.*& ex Symbolo Athanasij, *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.*

14. *Greg. Nazian.* Probatur tertio Sanctorum auctoritate, & primo ex Nazianzeno oratione 4.de Theologia, quæ in ordine est 36.vbi ait:*Domusque Israel omnis cognoscat hunc Dominum eumdem,ac Christum, à Deo esse. Hic enim, qui genitus est,& bona voluntate genitoris,&c.* *Elias Cretensis.* Et Elias Cretensis in orationem primam eiusdem Nazianzeni,§. *cum contra,*ait,*generatio propria est,cum ex generantis essentia,id quod gignitur, quantum ad essentiam genitori simile producitur.* *D. Ansel.* Item Diuus Anselmus in 2.solutione ad obiectiones Arrianorum inquit: *Quis Filium dicat, & genitum nesciat? quis Patrem valeat credere,quem non consideret genuisse.* Videantur pro hac conclusione Diuus Athanasius in oratione quinta contra Arrianos, Diuus Chrysostomus in Paulum ad Hebræos primo,Tertulianus contra Praxeam capite 7. Diuus Basilius primo contra Eunomium, Diuus Cyrillus Dialogo secundo de Trinitate,Diuus Augustinus lib.1.de Symbolo ad Cathecumenos,Rufinus in Psalmum secundum,Diuus Ambrosius 4.de fide cap.4 Eusebius lib.1 de præparatione Euangelica cap.8.& plerumque omnes alij sancti Patres tam Græci,quam Latini.

D. Athan. *D.Chryso.* *Tertulian.* *D.Basilius* *D. Cyrill.* *D. Augu.* *Rufinus* *D. Ambr.* *Euseb.*

15 Ratione tandem probatur conclusio, ex diffinitione supra posita generationis. Processio namque Verbi est origo viuentis, à Patre viuente maximè coniuncto: tum quia est per actum immanentem, tum etiã quia est de substantia eiusdem Patris, & non solum similis in natura, verum & idem perfectissima identitate eiusdem naturæ cum Patre: sed hæc constituunt perfectissimam,& veram generationem; igitur verbi processio perfectissima, & vera generatio est.

16 *Ad 1. arg.* Ad primum argumentum (nam ad rationem dubitandi patet ex difficultate) respondetur negando maiorem; nam, vt supra dictum est, in diuinis productionibus non est mutatio,quia non est transitus de non esse ad esse, & eodem modo loquendum est de generatione, quo ibi loquimur de productionibus vt sic.

17 *Ad 2. Filius assimilatur patri in natura,sed non in relatione.* Ad secundum negatur minor. Ad cuius probationem dico: quod Filius assimilatur Patri, non in relatione, sed in natura diuina. Et verum est, quod similitudo est relatio,ac per cõsequens importat distinctionem: quã quidem distinctionem realem fides confitetur inter Patrem, & Filium. Non igitur requiritur distinctio in ratione assimilandi:sed inter ea,que per talem rationem assimilantur. Imò potius perfectiùs in vnitate numerica, quàm in specifica,fundatur relatio similitudinis:quia cum talis relatio fundetur in vnitate naturæ:quanto magis natura fuerit vna,tãto magis erit perfecta similitudo. Ex quo prouenit, q̃ cum natura diuina sit vna numero in Patre,&Filio:perfectius &excellẽtius assimilatur Filius Patri in diuinis,quã in humanis,vbi est vnitas specifica naturæ.

18 *Ad 3. Intellectus dupliciter assimilat Verbum obiecto.* Ad tertium respõdeo, intellectum vt sic esse quidem potentiam naturalem,& ex consequenti assimilatiuam: dupliciter tamen assimilat verbũ obiecto,vel quidem in esse intelligibili, vel in esse reali.Primo modo conuenit intellectui creato assimilare, non tamen secundo:quia intellectus creatus non est productiuus substantiæ, sed accidentis:& ideo productum per illum non est genitum,quia non assimilatur in esse reali, sed tantum in esse intelligibili:intellectus vero diuinus vtroque modo habet assimilare, nam & producit Verbum simile producenti in esse reali, quia productum est subsistens in eadem natura producentis:& est imago ipsius per modum verbi,ita quod Verbum diuinũ, & est verè verbum, sicut creatum,& est verè genitum,quod non habet verbum creatum.

Ad vltimum ex difficultate sequenti resultabit solutio. 19

DIF-

DIFFICVLTAS LII

Vtrum processio Spiritus Sancti sit generatio? & qualiter distinguantur istæ processiones?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ.

1 NErè difficultas hæc ita profunda quàmplurimis visa est, vt ex grauissimis Ecclesiæ Patribus, & ex Scholasticis Doctoribus, nonnulli ea oppressi assuerint nullam huius differentiæ rationem assignare posse. Inter quos D. Damascenus 1. de fide cap 10. inquit: *Et quidem generationem, & processionem inter se differre, compertum habemus. Cæterum quid huius differentiæ modus sit, prorsus nos fugit.* Et Diuus Nazianzenus in oratione 5. de Theologia hæc profert. *Quæres itaque, quæ hæc est processio? quin tu rationem vnigeniti Patris mihi explices: & ego vicissim tibi, & Filij generationem, vel vt naturæ eius interpres expediam: & spiritus processionem apperiam, vt ambo insaniamus Dei secreta rimantes.* Quod quidem alij Patres exponere recusarunt difficultatis pelagus fugientes. Doctores verò Scholastici, non etiam omnes illud ingredi ausi sunt: nam Magister in 1. distin. 13. & quidam Nominales, inter quos sunt Gabriel ibidem quæst. 1. & Ioannes Maior distin. 16. art. 2. omnem huius differentiæ rationem, insufficiẽtem esse fatentur. Sed his non obstantibus, plerique sancti Patres hanc difficultatem inuestigant, & circa huius differentiæ varias nobis resolutiones tradiderunt: quorum vestigia insequẽtes Scholastici reliqui tam recentiores, quã veteres, vnusquisque pro sui ingenij acumine, rationes varias inuenerunt.

D. Dam.

D. Naziã.

Magister. Gabriel. Ioan. Maior.

2 Necessitas tamen huius difficultatis ventilandæ (vt quidam aiunt) proueniet ex satisfaciendo argumento Hæreticorum quorumdã, quorũ Principes sunt Macedoniani, qui vt inæqualitatem diuinarum personarum perfide, & pertinaciter tuerentur, sic arguebant (teste D. Athanasio in epist. de spiritu Sancto ad Serapionem) aut spiritus Sanctus procedit à solo Patre, aut à solo Filio, aut ab vtroque simul. Si primũ, ergo erit Filius Patris sicut Verbum, & ipsius Verbi diuini frater. Si secundum, ergo erit Filius ipsius Filij, & nepos Patris. Si tandẽ tertiũ, ergo erit vterque eius parẽs: & cũ nõ possit vterque esse Pater, alter erit Pater, & alter erit mater. Deducebant autem hæc absurda, ex eo quod si Spiritus Sanctus esset similis, & æqualis in eadem natura cum Patre, sicut Filius, non minus debet esse genitus, quam ipse Filius: quia generatio inita similitudine naturæ consistit. Si autem genitus esset: necessario aliquod existis absurdis sequi dicebant. Vel assignanda est ratio diuersitatis inter processionem Verbi, & spiritus sancti, quare prima sit generatio, non tamen secunda. Quo argumento conuictus Abailardus concedebat spiritum Sanctum nõ esse de substantia Patris: quia si esset substantia Patris, necessario esse illius Filius. Attamen fatebatur esse Patri cõsubstantialem. Sed hæc duo, vt cõstat, & vt benè notauit D. Bernardus in epistola 190. non cohærent inter se.

Error Macedonianorum. Athan.

Abailardus.

§. 2.

Referuntur nonnullæ rationes Sanctorum Patrum, quibus indicare intendunt differentiam generationis, & spirationis.

3  Ndubitabiliter ergo iuxta fidem, suppositò Spiritum Sãctum genitum non esse, etsi verè sit de substantia Patris, & Filij, non minima fuit olim Patrum fatigatio in assignanda ratione, quare non est genitus sicut Verbum, cum vterque in eadem

numero natura Patris subsistat. Nam
Mens D. Basil. Diuus Basilius lib.5. de Spiritu Sancto cap.12. non aliam rationem inuenisse videtur, nisi quia tunc Spiritus Sanctus diceretur esse eiusdem Filij filius, & ita in Trinitate essent multi, vel fortè infiniti Filij. Diuus vero
D. Athan. Mens. Athanasius loco nuper allegato, hanc reddit rationem: quia videlicet inter homines, qui filius est, etiam est Pater alterius: & qui est Pater, est alterius Patris Filius, & quicunque filius habet in se partem Patris decisam in semine: ita vt ipse filius possit per aliam partem sui, etiam in semine decisam, alium generare. In Deo autem non ita contingit: quia *Deus* non habet naturam diuisam, nec diuisibilem: & ideo Pater non generat Filium a se diuinum (quamuis bene distinctum) ita vt Filius rursus alium filium possit generare. Quia ergo Filius in diuinis non est pars Patris: sed integer, est integri Patris splendor, & naturalis imago: ideo non gignit, sicut genitus est. Ac propterea Pater ita est Pater, vt nullo modo possit esse Filius, & Filius ita est Filius, vt nullo modo possit esse Pater. Et hæc est ratio Athanasij, quare Filius cum sit genitus non possit generare Spiritum Sanctum: & cum Spiritus Sanctus procedat à *Filio*, ex hoc genitus esse non potest. Istæ rationes potissimè inter Græcos Patres circa hoc punctum inuentæ sunt.

4 Verum ex latinis Diuus Augustinus tres præcipuas huius difficultatis rationes insinuat. Primam tradit 5. lib. de Trinitate cap. 4. scilicet, ideo Verbum est Filium, & genitum, non vero Spiritum Sanctum: quia Verbum exit à *Patre* vt natum, at vero Spiritus Sanctus à Patre, & *Filio* non vt natus, sed vt datus. Secundam reddit
Mens D. Augustin. 15. de Trinitate cap. 26. nempe, quod quia Verbum procedit ab vno, ideo est genitum, & *Filius*. Quia vero Spiritus Sanctus procedit a duobus, videlicet à Patre, & *Filio*: ideo non est genitus, nec *Filius*. Et ratio huius rationis est, quia qui procedit in quantum Filius à duobus, procedit ab vno tanquam à Patre, & ab alio tanquam à matre: & iste modus generandi in diuinis esse nequit. Tertiam tandem rationem habet nono de Trinitate capite 12. scilicet, quia Verbum procedit per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem. De ratione autem productionis per intellectum, est terminare ad conceptum, seu Verbum: conceptus autem, seu Verbum, est proles. Atqui amor, cum procedat per voluntatem, non est proles illius. Ex istis autem tribus rationibus Diui Augustini secundam amplectitur D. Anselmus in Monologio cap. 53. *D. Anſel.*

5 At vero Diuus Bernardus in citata epistola 190. alia via incedens, inquit: quod quamuis Spiritus Sanctus *Mens D. Bernardi.* sit de substantia Patris, non ideo est genitus, quia non omne quod est de substantia alicuius, continuo ipsum, à cuius substantia est, habet genitorem. Et adducit exemplum de vermibus, qui sunt de substantia hominis, absque eo quod sint hominis filij. Ricardus *Mens Ric. S. Victoris* vero de Sancto Victore lib. 6. de Trinitate cap. 18. vsque ad 21. aliam assignat rationem. Ait etenim: quod de ratione *Filij* est, quod sit imago *Patris*. Et hæc ratio præcipue attenditur in generatione, vt genitum accipiat à Patre naturam, cum eadem virtute, & potentia communicandi eam. Quia igitur Verbum diuinum ratione tuæ processionis, ita accipit naturam à *Patre*, vt ipsum Patrem tanquam imago illius repræsentet, & naturam sibi à Patre communicatam possit Spiritui Sancto communicare: ideo Verbum diuinum est genitum. Quia tamen Spiritus Sanctus, nec ex vi suæ processionis est *Patris* imago, nec naturam sibi à Patre, & *Filio* communicatam potest alteri personæ cõmunicare, ideo genitus non est. Hæc sunt principalio ra placita Sanctorum Patrum: quæ quãuis Catholicam veritatem contineãt, & quoda n modo vtriusque processionis aliqualem insinuent differentiã: non tamen rationi dubitandi satisfaciunt, aut soluunt nodum difficultatis.

(6.)

§.3

Examinantur prædictæ rationes Patrum.

6 *Examinatur ratio D. Basilij.*

HOC quidem, discurrendo per singulas prædictorum Patrũ rationes, perspicue constat: nam in primis ratio D. Basilij difficultatem euacuare non potest: quia hîc nõ est quæstio de modo dicendi, sed de re ipsa: vt sic enim, vel Spiritus Sanctus est genitus, vel non: si primum nulla causa reddi potest, cur Filius non appelletur. Si vero secundum, inquirenda est ratio, ob quam Verbum sit Filius, non vero Spiritus Sanctus. Et hæc quidem non sufficit, vt sumatur ex eo quod multi filij, vel forsan infiniti essent in Trinitate, nisi adderemus, quod Verbum nõ esset adæquatus terminus generationis Paternæ. Hac enim ratione posset sequi, quod si adæquatus terminus diuinæ generationis non esset, non solum ipse Filius alium filium posset generare: sed etiã Pater ipse plures posset habere filios. Ex adæquatione igitur termini producti posset hæc ratio D. Basilij stare, quia, scilicet, si Spiritus Sãctus etiam esset Filius sicut Verbum, neuter esset adequatus terminus generationis diuinæ: & ex consequẽti posset diuina generatio iterũ atq. iterũ ad plures, & forsan infinitos Filios terminari, sicut generatio creata terminatur ad plures, eo quod nullus secus eam terminat adæquate.

7 *Examinatur ratio. D. Athan.*

Nec ratio D. Athanasij efficax est: nam ab eo quæro, si ex eo Verbũ Dei est Filius, & genitum, quia non accipit partem naturæ Patris, sed integram: & rursus illam etiam integram cõmunicat Spiritui Sãcto: quare Spiritus Sanctus nõ erit similiter filius, & genitus, sicut Verbũ? Certè si ideo in humanis Filius est genitus, quia accipit partem naturæ, quam iterum potest alteri Filio communicare: similiter si Filius totam naturam, quam accipit â Patre, communicat Spiritui Sancto: etiam ipsum generat, sicut Pater, qui Filio communicat totam suam naturam, generat illum. Nam quod iterum Spiritus Sanctus alium Filium generare non posset, non tollit ab eo rationem veri Filij. Quia etsi aliquis homo impotens ad generandum esset ab alio genitus, hic Filius esset sui pa Patris, etiam si non posset ipse esse Pater alterius filij. Imò hoc idem in eadem diuina generatione apparet. Nã etsi Verbum diuinum non produceret Spiritum Sanctum, ita quod Spiritus Sanctus nõ procederet â Filio, sed tantum â Patre: adhuc Verbum esset ita verè genitum, sicut defacto genitũ est. Quia Filiatio est, quæ formaliter illum constituit in esse geniti: in filiationis autem conceptu, non includitur actiua spiratio: quam obrem, etsi actiua spiratio non esset in Verbo: nihilominus Verbum verè, & formaliter genitum esset.

8 *Examinantur tres rationes. D. Aug.*

Præterea nec quidẽ rationes D. Augustini soluunt difficultatem. Nam ego libenter fateor Verbum esse Filiũ quia natum, non Spiritũ Sanctũ, quia natus non est. Sed quæstio nostra hoc inuestigat, quare scilicet, hic nõ sit natus, benè tamen illud. Nam nasci, & generari idem prorsus est in sensu legitimo. Quærimus ergo exquo proueniat Spiritui sancto non nasci, sicut nascitur Verbum? & hoc non soluit prædicta prima ratio D. August. De secũda autem ratione ipsius non dubito verã esse, & difficultati aliqualiter respondere: sed adhuc illam nõ euacuat. Primo quia ex eo ipsam non approbat Scotus loco infra citando, quod idem principium formale producendi non variatur ob dualitatẽ suppositorũ: & consequenter quamuis Spiritus Sanctus procedat â Patre, & Filio: cum idem sit principium formale producendi in vtroque, non variatur actio productiua. Vnde est, quod quamuis Spiritus Sanctus procedat â Patre, & Filio, ab illis tamen producitur, non tanquam â duobus, sed tanquam ab vno principio. Pater autem, & mater in crearis, non generant per modũ vnius principij, sed sunt duo distincta principia generantia. Quamuis igitur Spiritus Sanctus gigneretur a Patre, & Filio: non ideo vnus se de-

bebat habere vt Pater,& alter vt mater,quia Filius procedit à Patre,& matre vt à duobus principijs integrantibus vnum totale,& adæquatum: attamen Spiritus Sanctus, etsi genitus esset, procederet quidem à Patre, & Filio, tanquam ab vno indiuisibili principio, sicut de facto procedit. Non ergo ex prędicta Diui Augustini ratione tollitur, quod Spiritus Sanctus verè genitus sit. Item non satisfacit eadem ratio. Quia non valet argumentum ab humanis ad diuina: quamuis enim in humanis contingat,quod duorum parentum producentium vnus sit Pater, & alter mater: vnde hoc etiam ponendum est in diuinis? profecto sicut non seruato naturæ ordine, Filius in diuinis est ab vno, quamuis in humanis sit à duobus: non minori ratione potuit esse à duobus, quin ab vno tanquam à Patre,& ab altero tanquam à matre procederet:quamuishoc in creatis ita esse contingat.

9 Tertia autem ratio ipsius D.Augustini melius duabus prædictis difficultati respondet. Sed nihilominus illam non soluit exæquo. Quamuis enim verum sit, quod quia Verbum diuinum producitur per intellectum, generatur: non tamen hoc prouenit ex eo, quod productio intellectus vt sic terminetur ad prolem. Nam quamuis verbum nostrum dicatur vera proles memoriæ: hoc non est per veram generationem: cuius diffinitionem, & quidditatem hic inuestigamus. Nam aliàs verbum nostrum etiam esset genitum, & verè filius:quod nemo sanè mentis vnquam dicit. Quamquã enim dicatur proles, & eius productio partus: hoc est,per quandam assimilationem, & appropriationem ad generationem. Quia sicut mater semine fœcunda fit, & filium parit, qui est eius proles, sic intellectus specie intelligibili fit fœcundus, & quasi parit, hoc est, verbum producit, quod propterea dicitur eius proles. Non ergo eo quod de ratione productionis per intellectum,sit terminari ad conceptum,seu verbum, vt sic præcise, Verbum diuinum est genitum,non tamen Spiritus Sãctus: sed alia efficacior ratio reddi debet.

10 *Examinatur ratio D. Bern.*

Nec quidem ratio Diui Bernardi est ad rem. Quia difficultas non procedit de eo,quod est præcise de substantia alicuius: sed de eo, quod est substantiæ viuentis à viuente, à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Exempla autem de vermibus non sic se habent. Nam tinea quæ est de substantia panni, quamuis sit viuens, non tamen procedit viuens à viuente: pediculi autem qui procedunt de substantia hominis, quamuis sint viuentes à viuente: non tamen à principio coniuncto, nec in similitudine naturæ procedunt. At vero Spiritus Sanctus est viuens à viuente, à principio coniuncto in similitudine naturæ. Cur ergo magis Verbum,quàm Spiritus Sanctus erit Filius?

11. *Examinatur ratio Ricardi.*

Ratio vero Ricardi omnibus prædictis præstantior aliquibus visa est, quatenus, scilicet, in ratione imaginis Filij rationem constituit. Verum hoc adhuc admisso,non ex omni parte sufficiens est. Quatenus enim asserit rationem imaginis consistere in hoc quod est posse Filium naturam sibi à Patre comunicatam alteri communicare,sicut ipsemet Pater: mihi non probatur. Nam si ratio imaginis cõstitueret verã rationem Filij(quod nos infra examinabimus) adhuc ista ratio imaginis optimè saluaretur,absque fœcunditate communicandi naturam. Nam si vnus met homo generet duos homines,quorum vnus sit potens ad generandum, & alter impotens: non minus dicetur filius iste quam ille, quia in esse absoluto hominis, & in ratione imaginis, non minus vnus, quam alter producenti assimilaretur. Ergo parum refert ad rationem geniti, habere esse communicatiuum suæ naturæ, vel non. Hoc amplius vrgeo. Nam si ratio ista teneret,deberet quidem esse, quia in hoc quod est communicare naturam, Filius assimilaretur Patri in eodem principio formali communicandi eam: hoc enim totum videtur includi in ratione imaginis secundum Ricardum consideratæ. In hoc autem

autem quod Verbum producat Spiritum Sanctum, non aſsimilatur Patri, in tali principio formali: quia principium formale generandi eſt memoria fæcunda, ratione cuius Pater communicat Filio ſuam naturam. Atqui in Filio non eſt talis memoria fæcunda, vt proximum principium producendi: & ideo quamuis communicet ſuam naturam Spiritui Sãcto: hoc eſt, per aliud principium formale, nempe per voluntatem. Ergo non conſiſtit ratio Filij in hoc, quod eſt poſſe communicare ſuam naturam. Quia tunc Verbum non eſſet Filius, quia non aſsimilatur Patri in tali principio formali producendi, & communicandi naturam. Quod tandem manifeſtatur, quia ſi Spiritus Sanctus produceret aliam perſonam, verè communicaret ipſi ſuam naturam: ſed non ideo eſſet Filius. Ergo non conſiſtit ratio filiationis in hoc quod eſt poſſe cõmunicare naturam. Quia ergo Filiatio eſt relatio ad Patrem, conſequenter in tantum aliquis eſt Filius, in quantum habet Patrem quem reſpicit: & in tantum habet Patrem reſpicere, in quantum tali modo habet eſſe ab illo: & nõ in quantum habet poſſe, ſuum eſſe alteri communicare.

§.4.

Proponuntur quatuor opiniones Scholaſticorum.

12 Vlſo ergo, quod poſitis his Sãctorum Patrum rationibus differentiæ inter vtramque productionem, adhuc difficultas nõ ſoluitur, neceſſario ad Scholaſticos Doctores, qui illam inueſtigarunt, recurrendum eſt. Omiſsis tamẽ pluribus vijs, quas referunt Scotus, & alij Doctores, eſt prima ſententia Durandi in 1. diſtin. 6. quæſt. 2. num. 15. & ſequentibus, qui ait tria poſſe conſiderari in productione diuinarum perſonarum. Quorum primum eſt habitudo virtutis diuinæ productiuę ad actum producendi. Secundum, ſuppoſita producentia, & producta. Tertiũ, ordo productionũ. Sed quia iſta tertia conſideratio non eſt ad rem, illam omittimus. Dicit ergo Durãdus, quod ſi primo modo conſiderentur diuinæ productiones, tunc quælibet productio eſt per modum naturæ. Cuius ratio eſt, quia illud, quod procedit â virtute agẽte ex neceſſitate immutabilitatis, hoc eſt à principio determinato ad vnum, ſic quod aliter ſe habere nõ poteſt: hoc tale procedit per modum naturæ: ſed vtraque perſona diuina ſic producitur: ergo vtraque procedit per modum naturæ. Maior patet, quia modus naturæ in hoc differt à modo voluntatis, in eliciendo actũ, quod principium naturale non poteſt non agere: principium vero voluntarium eſt indifferens ad oppoſita, & poteſt agere, & non agere. Si autem ſecundo modo conſiderentur dictæ productiones, Verbum producitur per modum naturæ, & Spiritus Sanctus per modũ voluntatis. Et ratio eſt, quia quod producitur per modum naturæ, producitur ab vno tantum, & non à pluribus eiuſdem ordinis, quorum quodlibet eſſet perſe ſufficiens ad totum perfectè producendum. Quæ vero fiunt per voluntatem, poſſunt fieri à pluribus agentibus eiuſdem gradus, & ordinis, quorum quodlibet eſſet perſe ſufficiens ad totum producendum. Et ponit exemplum de duobus trahentibus nauem, quorum alter ad totum ſufficeret. Cum igitur Verbum procedat tantum ab vno, nempe à Patre: Spiritus autem Sanctus à duobus, ſcilicet, à Patre, & Filio, ita quod æque perfectè producit alter, ſicut vterque ſimul: ideo Spiritus Sanctus dicitur produci per modum voluntatis, Verbum autem per modum naturæ.

1. Sentent. Durandi.

Aliter vero Alexander Alenſis 1. part. quæſt. 43. memb. 1. & Ricardus in primo diſtinct. 13. art. 1. quæſt. 3. conſtituunt diſcrimen inter productiones Spiritus Sancti, & Verbi, ex aſsignata doctrina de triplici modo procedendi relata ſupra in difficultate precedente, numero nono. Ex qua colligunt proceſsionem Filij eſſe generationem, quia eſt per intelle-

13 *2. Sentent. Alexandr. Ricardus.*

intellectum, & ex consequenti per modum naturæ: processionem vero Spiritus sancti, ideo generationem nõ esse, quia est per voluntatem. Et quidem hæc sententia ex parte soluit difficultatem, licet vt iacet, sit diminutè exposita. Nam vt infra videbimus, formalissima ratio differentiæ à distinctione huius duplicis principij desumenda est. Et in hoc sensu egregiè loquitur D. Bonauentura in 1. distinct. 13. quæst. 2. ad primum, & dist. 4. 1. num. 8. Vbi docet quod ideo processio verbi est generatio, quia est ab intellectu per modũ naturæ: non vero processio Spiritus Sãcti, quia est a voluntate, per modũ voluntatis. Quæ quidem Seraphici Patris sententia ab infra statuenda Scoti doctrina, non discedit, nec Alexandri, aut Ricardi opinio, ab illa dissentit.

D. Bonau

14

Cayetanus vero 1. part. quæst. 27. art. 4. quem sequuntur Zumel ibidem ar. 4. conc. 4. sub § *decima ratio*, Molina ibidem tom. 2. ar. 4. § *his ita constitutis*, Suarez 1. part. tract. 3. lib. 11. cap. 5. & omnes ferè Thomistæ asserũt quod de ratione processionis per intellectum, ex vi talis processionis est, quod productum procedat simile principio producenti: quod autem procedit per voluntatem ex vi suæ processionis, non procedit simile principio producẽti. Cum igitur verbum procedat per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem: hinc est, quod Verbum ex vi suæ processionis procedat simile Patri, & per consequens sit genitum, non tamen Spiritus Sanctus, quia quamuis procedat similis in eadem Deitate, nõ tamen hoc habet ex vi suæ processionis, ac per cõsequens dicunt addendam esse hanc particulam *ex vi suæ processionis* diffinitioni generationis iam traditæ, *& sic generatio est origo viuentis à viuente, à principio coniuncto in similitudine naturæ ex vi suæ processionis.* Cui ergo processioni hæc diffinitio conuenit, est generatio: sed conuenit processioni Verbi, & non processioni Spiritus Sancti. Ergo hac ratione colligitur Verbum esse genitum, non vero Spiritum Sanctũ. Hanc sententiam dicunt Thomistæ plures esse D. Thomæ 1. part. quæst. 27 art. 4. sed reuera Sanctus Doctor ibi tantum docet, quod differentia istarũ processionum in hoc consistit, quod processio, quæ est per intellectum, est secundum rationem similitudinis: et in tantum potest habere rationem generationis, in quantum omne generans generat sibi simile. Processio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid. Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit, vt genitum, vel vt Filius: sed magis procedit vt spiritus, quo nomine quædam vitalis motio, & impulsio designatur. Hæc D. Thomas: ex quibus non inuenio, posse colligi prædictam particulam a Cayetano generationis diffinitioni superadditam.

2. Senten. Cayeta. Zumel. Molina. Suarez.

D. Thom.

15.

Quarta sententia est Bartholomei de Torres Episcopi Canarien sis super 1. part. quæst. 27. art. 4. quem sequutus est Bañez ibidem dub. principali §. *hæc sententia nobis placet*, & nouissimè Gabriel Vazquez disp. 113, c. 7. quæ sententia asserit, illam particulam *in similitudine naturæ*, non solum intelligendam esse de similitudine specifica naturæ, vt contingit increatis, aut etiam numerica, qualis est in diuinis: quatenus, scilicet, filius est eiusdem naturæ cum Patre: sed illam similitudinem intelligendam esse, vt etiam sit Filius similis Patri, quatenus est imago illius: & ita in ratione imaginis consistit ratio formalis geniti: sic et igitur Spiritus Sanctus procedat vt similis in natura, à Patre, & Filio: non tamen est imago Patris, & Filij, & ideo nõ generatur ab eis. Quia tamẽ Verbum non solum procedit simile Patri, in eadem Patris natura, sed etiam est imago illius: ideo est verè genitum, & verè Filius. Hæc sententia partim conuenit cum modo dicendi Ricardi: ab illo tamen differt, quatenus nullam aliam differentiam videtur ponere inter dictas processiones, nisi procedere per modum imaginis, vel non procedere per modum imaginis: quæ differentia potius sumitur ex parte terminorum, quàm ex eisdem processionibus formaliter

4. Senten. Canarien. Bañez. Vazquez.

maliter sumptis. Nam si terminus, qui procedit similis in natura, est imago producentis: tunc eius processio est generatio, si vero talis terminus, quãuis sit similis in natura, nõ est imago producẽtis, nõ est eius processio generatio. Hanc ergo sententiam tuetur Vazquez, & cum Canariensi prædictã sententiã Cayetani argumentis impugnat: sed hanc suam probant auctori-
16 tate D. Athanasij, & aliorum Patrum, & ratione.

Probat igitur de ratione Filij, quatenus Filius, & genitus est, non solum
D. Athan. esse produci similem in natura, sed etiam vt imaginem producentis ex D. Athanasio in epist. de decretis Nicenæ Synodi: vbi hæc ait. *Si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaueris: quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies.* Ex quo infertur solo
D. Nazia. imaginis nomine exprimi Filij proprietatem, & generationem. Item D. Nazianzenus orat. 4. Theologiæ, quæ est in ordine 36. sic inquit: *Breuis, & cõpendiosa faciliſque Paternæ naturæ declaratio est Filius: omne enim quod genitum*
17 *est, genitorem suum tacita quadam voce*
D. Ansel. *diffinit.*

Item D. Anselmus in Monologio cap. 53. idem confirmat, dum ait. *Quid ergo cum hic amor pariter habeat esse à Patre, & Filio, & sic similis ambobus, vt nullatenus dissimilis sit illis, sed omnino idem sit, quod illi: numquid filius eorum, aut proles existimandus est?* Cui interrogationi respondet: *Sed sicut Verbum mox, vt consideratur, se prolem esse eius, à quo procedit, euidentissimè probat, promptam præferendo parentis imaginem: sic amor aperte se prolem negat: quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplãti eius, ex quo est, similitudinem: quamuis ipsum considerata ratio doceat, omnino id ipsum esse, quod & Pater, & Filius.* Ex quibus Patrum auctoritatibus, non solum probatur à Vazquio rationem generationis in eo consistere, quod genitum sit generantis imago: verum etiam hanc rationem imaginis
18 in qua generatio consistit, non Spiritui Sancto, sed Verbo competere.

Hoc autem ratione probat. Nam in creaturis, ex quibus hæc omnia vsurpantur, omnis Filius est patris imago: quod adeo verum est, vt etiam in equi uocis genetationibus, qualis est generatio muli, reperiatur: nam quilibet filius per se habet, quod sit aliquo modo Patris imago, vt ex eo bene cognito, Pater etiam cognoscatur, & quamuis pater repræsentet filium, quatenus ipsum fecerit cognoscere, non tamen est imago illius: quia imago est similitudo habens origi nẽ ab eo, quod repræsentat. Cum ergo de ratione imaginis etiã esse dicatur similitudo producta ad repræsentandum id, â quo procedit: hinc est, quod ratio imaginis ad generationem, & non ad aliam productionem pertineat: & sic in sola ratione imaginis potest differentia vtriusque processionis reperiri. Quia ergo Spiritus Sanctus non est hoc modo Patris imago, sicut Verbum: ideo non est genitus, sicut illud.

§. 5.

Ponitur vera Scoti sententia, & nõ nulla eius fundamenta explanantur.

IN oppositum autem est li 19
tera textualis infra in dist. 13. q. vnica art. 10. in corpore, vbi hæc profert Doctor. *Ad quæstionem respondeo. quod productiones se ipsis formaliter distinguntur, generatio enim formaliter seipsa est generatio, & spiratio se ipsa formaliter est spiratio: ita quod non oportet quærere, quibus distinguntur! quia tota ratio formalis vnius est non eadem toti rationi formali alterius.* Et postquã has differentias vtriusque productionis assignat, vt reddat rationem, quare vna est generatio, non tamen altera, hæc ait: *præcise igitur dicetur illa generatio naturalis, quia illa habitudo inter producens, & productum, est naturalis: & naturalitas huius habitudinis est ex parte naturalitatis ipsius producentis, quia producit principio naturaliter inclinato ad agendum: & hoc modo non spirat Pater.* Et paucis interiectis verbis ait: *Et ibi cõ muniter concurrrit ex parte agentis inclinatio*

natio naturalis, siue forma naturalis, quæ est principium generandi: Hæc omnia Scotus, qui plura & præclara de hac difficultate per totam citatam quæstionem enucleat. Sequuntur Doctorem Basolis ibidem §. 4. *opinio*, Guillelmus Rubionis quæs. 1. §. *ad hoc diuersorum*. Vigerius ibidem. §. *ad quæstionẽ respondeo*, Lychetus per totam quæstionem, Antonius Andreas ibidem §. dico ergo. Pater Rada 1. p. contro. 14. ar. 2. conclu. 8. & sequenti ar. P. Herrera in 1. disp. 11. q. 10. conclusion. 4. Philippus Faber dist. 13. q. vn. disput. 40. cap. 2. & reliqui Scotistæ tam recentiores, quam veteres.

Basolis. Rubionis. Vigerius. Lychetus. Ant. And. Rada. Herrera. Faber.

20. Pro huius sententiæ & totius difficultatis claritate, ex resolutione. 1. obseruare oportet, tribus modis loquendum esse de productionibus istis. 1. videlicet, quatenus inter se ad inuicem comparantur. 2. originatiue, hoc est respectu principiorum, à quibus originantur. 3. tandem terminatiue, videlicet, respectu terminorum productorum, ad quos tales productiones terminantur. Primo modo comparantur inter se ipsæ productiones, scilicet, generatio, & spiratio, secundum quod præcise, generatio & spiratio sunt, id est, secundum suas præcisas rationes formales. 2. autem modo comparãtur secundum quod ab intellectu, & voluntate, vt sunt principia productiua, & taliter productiua, originem ducũt. 3. vero, secundum quod comparantur ad personas productas, ita tamen, quod vna terminatur ad personam genitam, & altera ad spiratam personã. Loquendo ergo de ipsis productionibus inter se, ait Doctor verbis citatis, quod se ipsis formaliter distinguntur, hoc est, quod quælibet secundum totum, quod formaliter continet, distinguitur ab altera: & sic se totis distingũtur. Ac ideò non est quærenda aliqua alia ratio, quare Filius sit genitus, non tamen Spiritus Sanctus: nisi quia productio, qua Verbum procedit, est generatio: productio autem, qua producitur Spiritus Sanctus, est spiratio: spiratio etenim & generatio, se ipsis formaliter distinguntur: licet benè originatiuè loquendo hæc formalis vtriusque processionis distinctio, à distinctis principijs sit sumenda, vt ex litera constat, & infra patebit.

Productiones diuinæ tripliciter considerãtur.

Consideratio generationis, & spirationis sic comparãtur inter se ad inuicem formaliter distinguuntur.

Cayetanus verò loco citato prope finem sui comenti, vt aduersetur Scoto, notat, aliqua se ipsis distingui, dupliciter cõtingere posse. Primo vt denotet distingui per rationes in se intrinsece includentia: hoc est per rationes formales, formaliter constituentes & distinguentes. Sic multa, quæ in aliquo superiori, seu communi conueniunt, dicuntur se ipsis distingui: idest non per aliquid extrinsecum, sed per intrinsecum, quod in se ipsis habent: vt videre est in homine & equo. Secũdo vero, vt importet adæquatas essentias, sublata omni ratione conuenientiæ, inter se esse distinctas. Et quæ hoc modo se ipsis distinguntur, dicuntur distingui se ipsis, primo, hoc est, quod tota sua ratione distinguntur. Inquit ergo Cayetanus, quod generatio, & spiratio distinguntur se ipsis, non hoc vltimo modo, sed illo priori: quia istæ processiones cõueniunt in multis prædicatis quidditatiuis: vt potè quod processiones diuinæ sũt, & immateriales, & similibus. Doctor verò subtilis ait, hoc vltimo modo distingui se ipsis: quoniam tota ratio formalis vnius est non eadem toti rationi formali alterius. Quia vero videtur posse abstrahi vnum conceptum communem vtrique processioni, nimirum quod vtraque est diuina, & vtraque est vera productio: intelligeda est propositio Scoti iuxta ea, quæ ipse tradit infra in distin. 26. q. vn. art. 10. vbi docet, quod conuenientia est duplex, vna per intellectum, & altera secundum aliquã realitatem, quam ea quæ conueniunt, includunt in se. Ac si dicat, primam conuenientiam esse conceptum formalem, quem format intellectus sæpissimè ab eodem modo se habẽdi: secundum autem esse conceptum obiectiuum, idest rationem eiusdem realitatis, quam abstrahit intellectus à rebus, in quibus est inclusa, & illam concipit ab eis abstractam.

21 *Cayeta.*

Generatio & spiratio distinguntur forti se totis.

22 Inquit ergo Doctor, quod licet aliquis conceptus communis possit haberi, qui dicatur in quid de generatione, & spiratione diuina, imo forte qui dicatur in quid de paternitate diuina, &

Non datur aliqua realitas com-

munis generationi, & ſpiratio ni, formali ter ſumptis bene tamẽ aliquis conceptus communis, ſicut datur conceptus communis perſonæ creatæ, & increatæ.

& creata: tamen nulla realitas poteſt eſſe in diuinis aliquo modo diſtincta ex parte rei, à qua ſumatur iſte conceptus dictus inquid, quæ realitas ſit determinabilis per aliam realitatem, ſicut conceptus communis intellectus eſt determinabilis in intellectu per alium cõceptum. Dico igiiur (inquit ipſe) quod non ſunt duo primo diuerſa, quantum ad intellectum, quin poſſit intellectus abſtrahere ab eis aliquẽ conceptum realem communem, ſed ſunt primo diuerſa quantum ad realitatem, & realitatem: ita quod nullum vnum gradum realitatis includunt, quæ ſit quaſi potentialis, & determinabilis per proprias differentias, vel quaſi proprias: ſicut albedo, & nigredo includunt realitatem aliquam eiuſdem rationis. Et tunc illa propoſitio tantum debet intelligi de ipſis realitatibus, quæ primo conſtituunt, quantum ad non conuenientiam in aliqua realitate vna formali, quam formaliter includant ambæ. Hactenus Scotus, cuius ſunt omnia prædicta verba huius §. fideliter recitata. Ex quibus conſtat generationem, & ſpirationem dupliciter poſſe intelligi interſe conuenire. Primo quidem ſecundum illum cõceptum formatum per intellectum abſtractum ab eis, quo quidem intellectus abſtrahit rationem quamdam cõmunem productionis, qua tam generatio, quàm ſpiratio eſt productio, qui quidem conceptus etiam poteſt dici obiectiuus, eo modo, quo conceptus entis eſt obiectiue vniuocus Deo, & creaturis, non in aliqua realitate, aut natura communi: ſed in quadam ratione, quę tam in Deo, quam in creaturis reperitur, de quo vniuocationis gradu infra in diſtin. 3. quæſt. 1. art. 2. latior erit ſermo. Et hunc vniuocationis gradum reperiri inter generationem, & ſpirationem, inſinuat *Doctor* in verbis relatis, quatenus concedit poſſe haberi aliquem conceptum cõmunem, *qui dicatur inquid de generatione, & ſpiratione diuina: imò fortè qui dicatur inquid de paternitate diuina, & creata.* De paternitate autem diuina, & creata, prædicatur conceptus communis vniuocus in eodem gradu vniuocationis, in quo prædicatur ens de Deo, &

Generatio, & ſpiratio dupliciter interſe conuenire dicuntur.

creaturis, vt patet ex eodem Doctore in pluribus ſuæ doctrinæ locis.

Secundo vero modo, quæ diſtingũ 23
tur ſeipſis, intelliguntur conuenire poſſe ſecundum conceptum obiectiuum vnius realitatis, & naturæ, ſicut duæ ſpecies, quæ ſub eadem generica natura ſunt, in realitate aliqua conuenire dicuntur. Quod exemplificat Doctor in albedine, & nigredine, quæ includunt realitatem aliquam eiuſdem rationis, nempè eamdem naturam coloris. Primo igitur modo generatio, & ſpiratio non diſtinguntur ſeipſis: quia (vt inquit Doctor) talis conceptus cõmunis vtrique haberi poteſt: & ideo quoad hunc formalem conceptum intellectus, non diſtinguntur ſe totis. Secundo autem modo diſtinguntur ſeipſis, & ſe totis, ſicut duæ vltimæ differẽtiæ, quæ in nulla realitate, aut formalitate conueniunt. Sicut ergo inter duas vltimas differentias dabilis eſt vnus conceptus formalis vtrique communis, deſumptus ab eo quod vtraque habet ex munere naturam contrahere ad eſſe ſpecificum: ſic eſt dicendum de iſtis productionibus, quod ſeipſis primo formaliter diſtinguntur, hoc eſt ſe totis, ita vt omnem realitatem vtrique communem excludant: quamuis in hoc quod eſt, per vtramque produci perſonam diuinam, æque conueniant.

Verum arguere poteris: ex eo quod 24
vtraque proceſsio, ſiue productio, eſt formaliter infinita: ſed infinitas eſt realitas quædam: ergo generatio, & ſpiratio formaliter in aliqua realitate conueniunt. Huius tamen argumenti maior eſt falſa, quia nec generatio, nec ſpiratio, prout vtraque eſt formaliter productio origo, ſeu relatio, eſt formaliter infinita, nec finita: ſed vtraque eſt merè negatiue non finita: prout latè infra in loco proprio iuxta Doctoris mẽtem deffenditur. Inſtabis tamẽ, quod quamuis eſſe infinitas, aut finitas, ſit ſub iudice: certum eſt nihilominus vtramque productionem eſſe diuinam: ergo ambæ includunt diuinitatẽ. Sed diuinitas eſt realitas quædam: ergo formaliter in eadem realitate conueniunt. Ad hoc reſpondeo, quod eſſe diuinum conuenit vtrique productio

Generatio & ſpiratio formaliter nec ſunt finitæ, nec infinitæ.

ni identicè, non tamen formaliter: Et ita nec generatio, nec ſpiratio formaliter includit eſſentiam diuinam, nec eius diuinitatem, vt inquit Scotus in multis locis, & præſertim in citata diſtinct. 13. quæſtio. vn. ar. 11. his verbis, *productio non includit formaliter eſſentiã.* Difficultas autẽ hæc procedit de realitate formaliter incluſa in huiuſmodi productionibus. Sic enim loquendo inquit, quod *tota ratio formalis vnius eſt nõ eadem toti rationi formali alterius.* Dicuntur igitur generatio, & ſpiratio productiones diuinæ, non quia diuinitas eſſentiæ, aut eſſe diuinum includatur in rationibus formalibus illarum: ſed quia ſunt proprietates naturæ diuinæ, & origines, quibus diuinæ perſonæ procedunt. Quæ propterea identificantur realiter: non tamen ſecundum ſuas rationes formales prout ab eſſentia diſtinctæ, realitatem aliquã vtrique communem in ſuis conceptibus formalibus includunt.

§. 6.

Aſsignatur triplex differentia iſtarum proceſsionum, ſcilicet, ex rationibus earum formalibus, & per ordinem ad ſua principia, & per ordinem ad terminos.

25. *Quomodo intelligatur illa maxima, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

AT qui ſi tertio inſtes ex illo communi principio, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; ſed generatio & ſpiratio ſunt eadem in vni tertio, nimirum in eadem diuinitate: quinimo & in eodem Patre, qui eſt in ſimul pater, & ſpirator: ergo ſunt eadem inter ſe. Eſt in promptu ſubtiliſsima Doctoris ſolutio, inquit etenim ibidem artic. 10. quod quando comparantur duo ad tertium illimitatum, ſecundum illud, ſecundum quod comparantur ad tertium: non ſequitur ex vnione eorũ in tertio vnio eorum inter ſe. Et ponit hoc exemplum: ſi ego ſum cum Deo nunc Salmaticæ, & Papa eſt cum Deo nunc Romæ: non ſequitur hæc conſequentia, ego & Papa ſumus ijdem vni tertio, nempè vni Deo, ea identitate, qua Deus nobis in time aſsiſtit: ergo ſumus ijdem inter nos. Quod nõ ſequitur, quia Deus eſt præſens omnibus locis & illimitatus: Atque ideò ſi plura ſint ſimul cũ Deo: non tamẽ ſequitur, quòd vnum cum alijs ſint ſimul inter ſe. Si tamen Deus limitatus eſſet, reneret cõſequẽtia, quia vni loco diffiniretur: in quo ſi eſſet Papa cum Deo: ego neceſſario eſſem ſimul cum Papa, ſi etiam eſſem cum Deo. *Ita dico in propoſitio* (inquit Doctor) *quod Pater habet in ſe, duplicem fœcunditatem perfectè: vtraque autem productio correſpondet præciſe ſuæ fœcunditati: & ideo Pater reſpectu duarum productionum eſt illimitatus: & ideo non ſequitur, quod ſi vtraque productio conueniat Patri, ambæ conueniant inter ſe.* Ex quibus conſtat differentia inter generationem, & ſpirationem deſumpta ex rationibus formalibus ipſarum productionum, quatenus ad inuicem comparantur. Nam ex eo, quod ſe totis primo diſtinguntur, conſtat vtramq; eſſe omnino diſtinctæ rationis formalis: & conſequenter, quod ſi vna eſt generatio: hoc neceſſario alteri eſſe negandum: Alias enim iam non ſe ipſis primo, aut ſe totis diſtinguerẽtur. Et per conſequens ſi perſona procedens per vnã eſt verè & formaliter genita: perſona procedens per alteram genita eſſe non poteſt: cum autem productio Verbi ſit generatio, & Verbum formaliter genitum, vt ex præcedente difficultate habemus: conſequenter productio Spiritus Sancti, quæ ab illa ſe tota diſtinguitur, non erit generatio, nec Spiritus Sanctus genitus: & ideò hanc formaliſsimam rationem aſsignat Scotus, quare vna ſit generatio, nõ tamen altera. Quare autem illa magis, quàm iſta, ſit generatio? Reſpondet: quia illi conuenit ex ſua ratione formali generationem eſſe, non tamen iſti. Si autem amplius quæratur, quare eſſe generationem conuenit productioni Verbi ex ſua ratione formali? reſpõdet, quod hoc non oportet quærere, niſi

Ratio. Scotica.

Differẽtiæ inter generationẽ, & ſpirationẽ ex quẽdo de ipſis ad inuicem cõparatis.

nisi, quia generatio se ipsa formaliter est ipsa generatio, & productio Spiritus Sancti est spiratio: & ex rationibus formalibus earum impossibile est generationem esse spirationem, vel è conuerso. Et sic de istis processionibus secundum se sumptis loquitur Doctor.

26 *Consideratio generationis, & spirationis in ordine ad sua principia.*

Porrò loquendo de ipsis productionibus originatiuè, hoc est, comparatis ad principia à quibus originãtur, hæc inquit Doctor subtilis in eodem art. 10. citatæ quæstionis vnicæ distinctionis 13. *Et tamen principiatiuè, seu originatiuè distinguntur à suis principijs* (hoc est, sumunt distinctionem, à distinctione principiorum) *intellectu, scilicet, & voluntate, quæ non tantum distinguntur ratione, sed intellectus formaliter non est voluntas ex natura rei.* Et si dicas, quod intellectus, & voluntas debent identificari propter infinitatem: Respondet Doctor continuo, quod cum infinitas addita alicui non variet rationẽ eius formalem, ideo intellectus infinitus non est formaliter voluntas infinita. Si verò inquiras, vnde proueniat intellectui esse principium generationis? respondet in articu. 10. prædictæ quæstionis, quod præcisè dicitur illa productio generatio naturalis, quia illa habitudo inter producens, & productum, est naturalis: & naturalitas huius habitudinis est ex parte naturalitatis ipsius producentis. Si vero amplius inquiramus, quare est ista naturalitas in ipso producente? Respondet, quia producit principio naturaliter inclinato ad agendum, quod est intellectus: & hoc modo non spirat Pater. Itaque ratio formalis generandi ex parte principij secũdum Scotum est, quia ibi concurrit ex parte agentis inclinatio naturalis, siue forma naturalis, quæ est principium generandi.

27 *Cur intellectus generat, & non voluntas. Lychetus.*

Ratio ergo formalissima, quare intellectus est potentia generatiua, non vero voluntas est, quia ille est naturaliter inclinatus ad agendum, non tamẽ ista. Et hoc ita est verum, vt hæc dixerit Lychetus in citato loco §. *non dicitur.* Dicitur naturalis, quia habitudo, quæ idem est, quod generatio ipsa, dicitur naturalis, & ex hoc dicitur naturalis, quia Pater generans, naturaliter inclinatur ad generationem Filij: & quod naturaliter inclinetur, hoc habet à ratione formali producẽdi, putà à memoria fæcunda, & hæc est optima responsio, Hæc Lychetus. Ex quibus constat, quod supra dicebamus num. 11, videlicet, sententiam Seraphici Doctoris D. Bonauenturæ non differre à litera textuali Scoti, quia Doctor Seraphicus rationem huius differentiæ sumit ex parte principij naturaliter inclinati ad agendum, & agentis per modum naturæ: quod hîc Doctor subtilis concedit, & pro sententia propria statuit loquendo principiatiuè, & originatiue, vt dictum est. In quo etiã Alexander Alensis, & Ricardus conueniunt. Cum ergo Pater, & Filius spirantes non inclinentur naturaliter ad productionem Spiritus Sancti: hinc originatiue prouenit, quod processio Spiritus Sancti non sit generatio. Et sicut in Verbi productione, Pater habet, quod naturaliter inclinetur ad generationẽ Filij à ratione formali producendi, quæ est memoria fæcunda: hinc in Spiritus Sancti productione, hoc quod est non naturaliter inclinari ad talem productionem, prouenit ex eo, quod ratio formalis producendi non est memoria fæcunda, sed voluntas. Et hęc est optima ratio differẽtiæ inter generationem, & spirationẽ originatiue ad sua principia comparatas.

D. Bonau. Alexan. & Ricard. non dissentiũt ab Scoti sententia loquendo de productionibus principiatiue.

28

Adhuc tamen huius rationis ratio potest inquiri: videlicet quare intellectus in ratione memoriæ fæcundæ sit ratio formalis generandi, non vero voluntas? etsi respondeamus cũ Scoto, quia hæc est hæc, & illa est illa: hoc est, quia memoriæ fæcundæ competit formaliter esse rationem generandi, non vero voluntati fæcundæ: & quod non est quærenda alia ratio. Contra, quia tunc etiam intellectus noster in ratione memoriæ fæcundæ, esset ratio formalis, & formale principium generandi: quod falsum est. Ergo aliam rationẽ assignare debemus: sequela enim est euidens: quia nõ minus dicitur noster intellectus memoria fæcunda, quàm diuinus: ergo si hoc, quod est esse principium generationis, conuenit intellectui diuino, quia memoria

fæcunda

fæcunda formaliter est: idem proculdubio in nostro intellectu reperiri debet, cum formaliter memoria fæcunda sit.

29. Respondet sapientissimus Magister meus Pater Herrera in 1. disp. 10. q. 7. notab. 3. quod in processione Verbi duo reperiuntur, vnum scilicet, quod est processio diuina (processio inquã diuina modo supra expositio n. 24. non quod essentiam diuinam formaliter includat, sed quod est proprietas naturæ diuinæ) alterum vero est, quod est processio per intellectum in ratione memoriæ fæcundæ. Non ergo vnum istorum sufficit ad rationem generationis, sed vtrumque simul. Nam ab eo q̃ est per intellectum, productio est assimilatiua producti in aliquo esse: quod etiam competit nostræ memoriæ, quę producit verbũ naturaliter simile obiecto in se contento, vel saltim in specie, quam habet, & illud producit in esse intelligibili, quod verbum est expressiuum eiusdem obiecti. Ex eo autem quod est productio diuina, producit tale Verbum subsistens in eadẽ natura. Cum ergo ad generationem requiratur, quod genitum sit subsistens, & procedat à principio assimilatiuo, & naturaliter inclinato ad producendum: hinc est, quod ex eo simul quod sit productio diuina per intellectũ, habet terminare ad productum simile in eadem natura: & per cõsequens quod sit generatio. Et hinc sumitur ratio, ob quam verbum nostrum non est genitum, videlicet quia non est per intellectum productiuum alicuius subsistẽtis, bene tamen Verbum diuinum. Ponitis ergo differentijs inter istas productiones inter se ad inuicem, ac etiam originatiuè respectu principiorum cõparatas, restat vt terminatiuè, idest in ordine ad personas productas, ipsas consideremus.

Herrera.

Differẽtia inter intellectũ creatũ & increatum, quare hic generet non tamen ille.

30. Loquendo ergo tandem de generatione & spiratione in ordine ad suos terminos, expresse reijcit Scotus istã considerationem, in eadem dist. 13. q. vn. art. 1. his verbis. *Contra: emanationes nõ habent esse per terminos: igitur, nec distinctionem. Antecedens patet, quia habent ex se esse formaliter: Consequentiam probo, quia ab eodem habetur esse & distinctio. Nec valet* (inquit Doctor) *illud Philosophi. 5. phisicor. vbi dicit, quod motus distinguntur per terminos: Nam motus non distinguntur penes terminos, nisi quia formæ fluentes sunt eiusdem rationis cum formis terminantibus, sed hic non est fluxus eiusdem rationis cum termino, nec etiam via, quasi fluxus eiusdem rationis cum terminis formalibus: quia terminus formalis, hic est essentia: illa autem productio, quæ est quasi via, est relatio.* Hactetus Scotus: cuius verba indigent explicari: subtilissima enim sunt, & subtilissimam afferẽtia doctrinam. Vt eam vero Lychetus exponit, adducit exemplum in calefactione & frigefactione, quæ ita distinguntur sicut calor & frigus. ad quæ terminantur. Et non accipitur hic calefactio pro actione, quę est respectus, sed pro motu, hoc est pro ipso calore, qui successiuè acquiritur. Motus enim diffinitur per hoc, quod sit actus entis in potentia secundum quod in potentia: quia ergo calor infieri, & in motu est eiusdem rationis cum calore in facto esse, hinc, inquit Doctor, quod forma fluens est eiusdem rationis cũ forma terminãte: & ideo motus isti, hoc est, istæ formæ, vt sic fluẽtes, sunt eiusdem rationis cum formis terminantibus. Cæterum in præsenti non est hic fluxus eiusdem rationis cum termino, quia via ista non est motus: nec est eiusdem rationis cum termino formali: quia terminus formalis est essentia: ista autẽ via est generatio, quæ est relatio: relatio vero & essentia sunt diuersæ rationis. Nec etiam cum termino producto, scilicet, Verbo: quia fluxus, qui est via ad terminum, est ipse terminus, quatenus est in esse perfecto, & successiue acquirit esse perfectum: vt de calefactione dictum est. Generatio autem non sic est Verbum: ergo generatio non habet esse à termino, nec per consequens distinguitur penes terminum.

Considerationegenerationis, & spirationis in ordine ad nos terminos.

Motus distinguũtur per terminos, quomodo sit intelligendum.

Lychetus.

31. In supradictis ergo verbis, clare Doctor demonstrat non sumendam esse differentiam istarum productionum à terminis productis, sicut ponebãt Varronis, & Ægidius in prædicta dist. 13. quod ego quidem intelligo, ita vt loquatur Doctor à priori, non tamen à posteriori: nam à priori verissimum est,

Varronis. Ægidius.

est, quia productio supponitur ad terminum: ergo supponitur habere esse ante terminum: ergo etiam distinguitur ante terminum. Consequentia patet per rationem Doctoris, quia ab eodem habetur distinctio, à quo habetur esse. Quod autem productio supponatur ad terminum, manifestũ est, quia terminus habet esse productione, nõ vero è contra. Aposteriori autem, sicut per effectus distinguitur causa: sic per terminum potest distingui generatio. Et tunc illa productio erit generatio, cuius terminus fuerit genitus. Vnde à posteriori probatur productionem verbi esse generationem formaliter: quia Verbum est formaliter Filius. à priori vero è contra probatur, Verbum esse Filium Patris, quia eius productio est formaliter generatio.

§. 7.

Tres posteriores sententias non discedere à sententia Scoti ostenditur.

32 *Sententiæ Caieta. & Canárien. non discedunt à sententia Scoti in his sunt expressæ ipsius.*

EMum est obseruandum secundo, reiecta Durandi sententia, omnes alias, videlicet, secundam, tertiam, & quartam si benè intelligantur expressas esse Scoti. Et deo non vt diuersas interse, nec vt aduersarias Doctori, sed vt concordes, & domesticas à nobis esse tractandas. De quinta satis constat, siquidem ipsius literam in ea retulimus, & etiam de secunda nuper numer. 27. hoc idem ostendimus. Tertiã vero, & quartam hæc eiusdem Scoti verba, suas esse demonstrant. Nam in distin. 10. quæst. vnica art. 2. solutione ad primum hæc profert. *Dico quod illa diffinitio naturæ probat, quod Spiritus Sãctus non producitur vt similis ex vi productionis suæ. Et verum est, quod non est imago Patris, sicut Filius, qui ex vi productionis suæ, procedit vt similis Patri.* Ex quibus infertur, non fuisse primum inuentorem tertiæ sententiæ Cayetanum, nec quartæ Episcopum Canariensem, vt falso ipsis tribuitur: siquidem ante illos longissimo tempore subtilis Doctor easdem, & eosdem modos loquẽdi nos docuit, dicendo, videlicet, Filium, vt Filium, procedere vt similem Patri ex vi suæ productionis, non vero spiritum Sanctum. Et deinceps istã similitudinem, quæ ex vi productionis habetur, non tantum in vnitate naturæ, sed in ratione imaginis consistere.

Ex quibus colligo absque ratione, & inconsiderate quintam sententiam, quam literaliter pro Scoto proposuimus, à dictis Auctoribus non approbari: nam prædicti omnes, aliquibus Scoti subtilitatibus aliquantulum subtilizarunt: & eius doctrinam sibi ita parẽti sunt, vt eius partem quisque vt propriam, prolixo tamen sermone ornatam tradiderit: non vero capiẽdo omnem rationem differentiæ, ab Scoto inuentam. Sed reuera subtilissimus Doctor, qui nihil prætermisit dicendum, rem istam absque vlla difficultate nobis enucleatam reliquit. Nam supposito, quod tam Verbum, quàm Spiritus Sanctus, vnusquisque procedit, & originatur, vt viuens à viuente, & vterque procedit à principio cõiuncto, & omnes tres personæ assimilãtur in natura diuina, quærit Doctor, quare Verbum sit genitum, non tamẽ Spiritus Sanctus? 33

Respondet in relatis verbis, quod, quia verbum ex vi productionis suæ procedit vt simile: non vero Spiritus Sanctus. Et hic finitur tota acuties Cayetani putando se difficultatem omnino euacuatam reliquere. Scotus vero vlterius progreditur interrogando, quare procedit simile in natura Verbum potius, quàm Spiritus Sãctus ex vi suæ productionis, cum etiam spiritus Sanctus ex vi productionis suæ procedat similis in Deitate, cum ex vi talis productionis procedat Deus? respondet idẽ Scotus, quia ista similitudo non tantum fundatur in vnitate diuinæ naturæ, in qua benè æquiparantur tres personæ: sed etiam in ratione figuræ, & imaginis. Et tunc dicit, *verũ esse, Spiritum Sanctum non esse imaginem Patris, sicut Filius est imago illius,* & ideo 34

Spiri-

Spiritum Sanctum non esse genitum, sicut Verbum. Hanc responsionem ab Scoto adeptus est Canariensis, quem sequuntur Bañez, & Vazquez, qui ita est ea contentus, vt asserat nihil difficultatis remanere.

Canariẽsis. Bañez. Vazquez.

35. Verum enim vero Scotus in eã nõ sistit, sed viterius quærit: quare magis procedit Verbum ex vi productionis, simile in ratione imaginis, quàm Spiritus Sanctus? Respondet idem Scotus, quod quia productio Verbi, & productio Spiritus Sancti differunt formaliter se ipsis primo, ita vt tota ratio formalis vnius sit non eadem toti rationi formali alterius: & per cõsequẽs cum competat productioni Verbi tendere in productum ita simile in ratione imaginis, hoc necessario non potest alteri productioni, qua procedit Spiritus Sanctus, competere. Etsi tandem quæramus, quare potius competat productioni Verbi tendere in productum ita simile, & consequenter esse generationem, quàm spirationi? respondet Doctor, non esse quærendam aliam rationem, loquendo de ipsis productionibus inter se formaliter ad invicem comparatis: nisi quia hæc est hæc, & illa est illa: sicut non est quærẽda alia ratio quare rationale nõ est in habile: nisi quia hoc est hoc, & illud est illud, cum sint primo diuersa, quæ se totis formaliter differunt. Ratio igitur præcisa huius differentiæ sumenda est ex formalitatibus ipsarum productionum: ratione quarum Verbum est genitum, non autem Spiritus Sanctus. Vnde & si Spiritus Sanctus ex vi suæ productionis procedat similis in natura diuina: quatenus quidquid habet, habet ex vi suæ productionis sibi communicatum a Patre & Filio: hoc tamen non habet ex ratione formali talis productionis, sed ex ratione materiali ipsius. Non etenim procedit similis producenti in eadẽ natura, quia productio, per quam procedit, scilicet spiratio, ex sua ratione formali sit formaliter assimilatiua, aut productiua alicuius similis in natura: sed quia talis productio est productio diuini producentis, & diuini producti: & eo quod diuinum producens non potest producere ad intra nisi productum diuinum in eadem numero natura subsistens. Hæc autem ratio materialiter se habet ad rationem præcisam productionis. Ex quo prouenit, quod talis productio ex sua præcisa formalitate, non sit assimilatiua sui producti. At qui productio Verbi, non tantum ex ratione materiali, sed ex ipsa sui formalitate habet esse assimilatiuã. Quare & si vtraque diuina persona ex vi suæ productionis habeat esse *Deum*: Adhuc tamen particula *ex vi suæ productionis*, dupliciter subintelligi potest, vel quidem insensu materiali, vel insensu formali: vnde, vt dixi, cũ Spiritus Sanctus ex vi suæ productionis habeat naturam diuinam: ex vi talis processionis, habet in eadem natura assimilari Patri & *Filio*. Sed hoc ita ex vi suæ processionis habet, vt non formaliter, sed materialiter, ex vi talis processionis competat sibi: Verbũ autem diuinum, non solum materialiter ex vi suæ processionis habet assimilari Patri: sed ex ratione formali ipsius processionis Patri assimilatur.

Et si Spiritus Sanctus ex vi suæ productionis procedat similis, non tamen ex ratione formali talis productionis.

36. Hoc igitur modo facillime intelligenda est ratio textualis Scoti: quod scilicet, harum productionum differẽtia est vtriusque productionis formalitas: nam ex sua formalitate habet verbi productio, se tota ab spiratione distingui. Et ex eo quod se tota ab spiratione distinguitur, non potest spirationi formaliter competere, quod formaliter productioni Verbi conuenit. Ex eo autem quod productio Verbi est formaliter ex sua ratione, non tantum materiali, sed formali, assimilatiua producti, in esse naturæ, & in esse imaginis, est formaliter generatio. Ergo ex totali distinctione harum formalitatum, excluditur spiratio à ratione generationis.

37. Non igitur probe reprehendunt Canariensis, & Vazquez modum dicẽdi, quem Ferrara, & Cayetanus (vt dictum est) ab Scoto sumpserunt, quatenus inquiunt, quod cum Spiritus Sanctus habeat esse Deum ex vi suæ processionis, consequenter *ex vi eiusdem processionis* habet assimilari Patri, sicut Verbum Patri assimilatur: nam dicta particula, *ex vi suæ processionis*, non quomodolibet accipienda est, sed iuxta

Qualiter intelligatur particula ex vi suæ processionis.

iuxta Scoticum sensum, nempè ex ratione formali eiusdem productionis. Et tunc prædictus modus dicendi hoc modo expositus nullatenus à Vazquio impugnatur: quia etsi Spiritus Sanctus ex ratione materiali suæ productionis habeat esse similem Patri, & Filio: non tamen eis ex ratione formali eiusdem processionis assimilatur. Verbum autem diuinum procedit simile Patri ex vi suæ processionis, non quomodolibet: sed ex ratione formali ipsius. Et hæc est optima, & adæquata differentia, loquendo de ipsis productionibus ad inuicem formaliter comparatis.

38 Verum super addita differentia, quam ex verbis Scoti posuimus, sumpta ex ratione imaginis, quam deinceps Canariensis. Bañez, & Vazquez sibi vsurparunt: non est intelligenda in eodem met sensu, quo ipsi exponunt. Nam si rationem imaginis ea ratione similitudinis naturæ condistinguunt, per hoc, quod importet quamdam repræsentationem accidentalis figuræ: ab eis quæro, an repræsentatio ista habeat se admodum imaginis artificialis, an vero ad modum imaginis naturalis? & quidem primum non dicent, quia artificialis imago artificiosa repræsentat protoypum. Si autem secundum intelligant, videntur hanc rationem imaginis constituere in Filio, non vt præcisè est Filius, sed vt est Verbum. Quia de ratione verbi est, quod sit naturalis imago, & similitudo obiecti. Et tunc idem prorsus est assimilari in ratione imaginis, quod assimilari in ratione speciei. Non enim minus assimilatur species obiecto, quàm Verbum. Sed hac ratione in creatis, nulla esset similitudo Filij ad Patrem: quia nullus Filius in creatis est Verbum sui Patris. Non igitur videtur hanc rationem imaginis in hac repræsentatione consistere: sed tantum in repræsentatione vnitatis naturæ numericæ, aut specificæ. Quam obrem in humanis, ideo Filius dicitur naturalis Patris imago, quia ex ratione formali suæ processionis procedit, vt perfectè similis Patri in natura. Et in hoc sensu loquutus est Scotus loco supra citato numero trigesimo secundo quando dicit, quod Spiritus Sanctus, non est imago Patris sicut Filius, quia ex vi productionis suæ, & ex ratione formalitatis processionis non procedit, vt similis Patri. Quod confirmatur ex Diuo Augustino in Deuteronomium quæstione quarta, vbi hoc ait: *Si Patri Filius similis sit, etiam imago rectè dicitur* Ex quo constat hanc rationem imaginis in ista natura, & similitudine consistere. Verum, quia tunc idem argumentum fieri posset iterum de Spiritu Sancto: est constituenda hæc ratio, non tantum in absoluto esse naturæ: sed in ratione aliqua respectiua, qua Filius Patrem repræsentet. Non etenim omnis ratio similitudinis est ratio imaginis: sed aliqua peculiaris ratio respectiua, per quam aliquid est imago alterius: alias enim quilibet homo ab alio non genitus esset imago illius: quia habet cum illo eiusdem naturæ specificam vnitatem. Vnde si hæc ratio imaginis, vt Philippus Faber, & alij putauerunt, in sola naturæ similitudine consisteret: à fortiori de Spiritu Sancto affirmandum esset, esse veram Patris imaginem, & ex consequenti ab eo genitum, & verè eius Filium: cuius oppositum fides docet.

D. Augu.

§.8.

Quæ ratio imaginis ad rationem generationis requiratur exponitur.

39 NON igitur consistit hæc ratio imaginis in repræsentatione illa, quam Canarien sis ponebat: neque tantum in naturæ similitudine, vt Faber, & alij cogitarunt: vtraque etenim ista loquutio inconuenientia affert non pauca: sed intelligenda est ratio imaginis ex modo processionis ipsius. Ex quo prouenit productum genitum, esse imaginem naturalem, repræsentantem suũ producens. Ad cuius intelligentiam prænoto rationem productionis sumendam esse ex modo producendi: constat enim productiones aliquas formaliter esse distinctas: & tamen earum terminos formaliter non distingui. Hoc explico in productione caloris, seu (inquam) in productione ignis: nam ignis ab igne genitus, non differt formaliter specifice ab igne à sole immediate producto: & nihilominus vtriusque ignis productiones longè differunt interse: nam prima est generatio vniuoca, non tamen secunda. Item productio caloris in subiecto formaliter distinguitur à productione caloris extra subiectum: nam prima est alteratio, secunda vero creatio: vtriusque tamen effectus, nempè calores, nõ sunt distincti formaliter. Similiter si homo posset hominem creare, & etiã alium hominem generare, vtraque productio terminaretur ad homines formaliter indistinctos, & vterq; esset similis in natura suo producenti, non tamen vterque esset imago producentis: quia non vtriusque productio esset generatio. Vt etenim generatio sit, debet modo naturali produci, & ex eo quod modo naturali producitur, resultat in producto ratio repræsentationis, qua suum producens repræsentat: non solum tanquam indiuiduum eiusdem specificæ naturæ; sed tanquam suum producens, à quo modo naturali in eadem natura habet originem, & quod tanquam suum naturale exemplar imitatur. Et hæc est formalissima ratio imaginis, in qua genitum generanti assimilatur, de qua loquutus est Doctor loco citato. Hæc etenim imago ex vi, & ratione formali suæ processionis habet assimilare genitum generanti. Quæ quidem ratio sic, & non aliter exposita, amplectẽda est.

In quo consistit ratio imaginis ad generationem requisitæ.

40 Ex dictis colligo rationem imaginis ex parte termini inferre quidem rationem generationis ex parte productionis: non quod à priori proueniat productioni generationẽ formaliter esse ab imagine: sed quia à posteriori infertur, quatenus generatio formaliter ad imaginem terminatur. Atque ideo non est sumenda ratio generationis ab imagine: sed è contra, ratio imaginis à generatione: quamuis benè à posteriori inferatur, illam productionem generationem formaliter esse, quæ terminatur ad productum, quod est naturalis, & substantialis imago sui producentis. Et hoc modo ratio imaginis ex parte termini producti, optimè ad formalẽ rationẽ generationis cõducit, quidquid Faber, & Suarius contradicãt: nã expresse in citatis verbis Scotus id asseuerat, & ratio ipsius id cõfirmat: quia ex eo probat Spiritum Sanctum non esse imaginem Patris, sicut Verbum, quia ex vi, & ratione formali suæ productionis non procedit similis Patri, sicut Verbum: quod quidem ideò est formaliter Filius, & imago Patris, quia ex ratione formali suæ productionis, procedit simile Patri.

Imago ex parte termini infert rationem generationis à posteriori.

41 Patet ergo hanc rationem imaginis non intelligendam esse sicut illam explicat Vazquius: non etenim est aliud, quam quidam respectus, quo productum respicit suum producens: non solum secundum eam rationem similitudinis, qua vtrumque in eadem natura habet formaliter esse: tũc enim Spiritus Sãctus etiã esset imago Patris: sed quatenus in tali natura ab eo habet originẽ modo naturali ipsi⁹ productionis: & illud tãquã suũ naturale exẽplar imitatur. Ex quo infero, hũc respectũ, seu relationem imaginis, non fundari

prx-

Ratio imaginis requisita ad generationē, non est intelligenda eo modo quo Vazqui. illam intelligit

præcisè in eiusdem naturæ similitudine, vt Vazquez dicebat: nec quidem esse ipsam similitudinem naturæ, vt alij exponebant: sed fundari in origine ipsa passiuè sumpta, qua productum procedit simile in natura suo producenti. Nam sicut ineffectu, relatio ad causam fundatur in ipso esse producto, quod habet a causa, quia hinc modi relationes in actione, & passione fundantur. Sic in persona genita relatio ad personam generantem fundatur in ipso genito esse, per modum passionis quem habet à generante. Distinguitur tamen ab aliis relationibus effectus ad causam: quia inhuiusmodi effectibus non reperitur ordo vniuocus eiusdem naturæ, sed sæpe æquiuoce producuntur effectus à causis naturæ distinctæ, vt aurum â sole, &c. At vero persona genita refertur ad personam generantem tanquam productum eiusdem naturę ad illud, à quo in similitudine naturæ, modo naturali, & ex ratione formali suæ processionis, habet originem. Et sic genitum repræsentat formaliter suum generans, qua tenus ad ipsum refertur, tanquam ad illud, à quo, in eadem natura modo naturali, & per modum naturæ habet originem. Et hæc est ratio imaginis, quæ ad generationem conducit, sicut Lychetus in primo distinctione 8. quæstione 3. §. *contra, in illo instanti.*

42 Ex quo contra Vazquium secundo infero, non dici vnum filium magis Filium Patris, aut matris, quàm alterum: quia neuter est magis imago illius. Non enim sumitur ratio imaginis (vt Vazquez dicebat) ex accidentali similitudine, qua vnus filius in vultu, & aspectu, seu alijs indiuiduantibus conditionibus, magis Patri assimilatur, quàm alter: hæc enim ratio imaginis in pluribus filijs deficeret. Contingit enim per quam sæpe filios in hac accidentali similitudine, ita Patri esse dissimiles, vt potius aliorum hominum, quàm suorum parentum filij videantur, vt experientia docet. Quod si in hac apparenti similitudine ratio imaginis consisteret; & in ratione huiusmodi imaginis esset posita filiatio: proculdubio huiusmodi filij parentibus dissimiles ratione veræ filiationis essent orbati, quod quam ridiculum sit, nemo nescit. Non est igitur, in quo vera ratio naturalis, & substantialis imaginis, qua filius assimilatur Patri, possit consistere, nisi in prædicto respectu, quo Patrem repræsentat, tanquam suum prototypum, à quo in eiusdem naturæ similitudine ex ratione formali suæ processionis, & modo naturali, habet originem.

Dubium tamen occurrit, an Verbum diuinũ ea ratione, qua est verbũ, sit etiam formaliter filius? & ratio dubitandi est, quia Verbum, vt Verbum, habet esse imaginem. Si ergo Verbum, vt Verbum, procedit, vt filius, consequenter habet rationem imaginis, qua tenus Verbum. Et cõsequenter (prout tetigi supra) Filius, qui in creatis non est Verbũ, non haberet rationẽ imaginis. Et tũc imaginis ratio nõ ad rationẽ generationis vtcumque, sed ad rationem generationis diuinæ tantum modo pertineret. Circa quod Diuus Thomas 1. part. quæst. 35. art. 2. asserit, ideo Verbum esse imaginem, quia procedit, vt Verbum: de cuius ratione est similitudo speciei ad id, à quo procedit. Vnde concludit, Verbum esse Filium eadem ratione, qua Verbum est. Quæ diui Thomæ sententia vera est. Nam Verbum eadem prorsus distinctione, qua procedit vt Verbum, procedit vt Filius, & eadem actio, quæ est dictio, est formaliter generatio. Et ideo Verbum eadem relatione refertur ad generantem, qua refertur ad dicentẽ. Habetur expresse ex Diuo Augustino 7. de Trinitate, vbi hæc inquit *eo quippe filius, quo Verbum, & eo Verbũ, quo Filius.* Ex quo deducitur prædicta conclusio, quod, scilicet, eadem ratione, qua est Verbum, est Filius. Tenet expresse Doctor infra in distinctio. 27. quæst. 2. art. 3. Sed tunc ad rationẽ dubitandi respondeo, Verbum diuinum aliter esse imaginem Patris, quã Filium increatis. Nam increatis Filius tãtummodo Patrem repræsentat, iuxta ea quæ enucleata sunt, tanquam suũ producens in eadem natura ex ratione formali suæ productionis: Ver-

43

D. Thom.

Verbum diuinum est filius eadẽ prorsus ratione, qua est Verbum

bum autem diuinum hoc idem habet: & præterea habet rationem veri & formalis Verbi producti. Vnde licet hæc non sit in Verbo distincta ratio imaginis, quia non est bis aut duplex Patris imago: est tamen vnamet ratio, quæ duplici titulo est Patris imago: in quo rationem imaginis creatæ excedit. Est enim Verbum, in quo tanquam in imagine naturali, resplendet obiectum: & est vere Filius, qui tanquam vera imago Patrem repræsentat. Et tam vt Verbum, est genitus: quàm vt Filius: atque ideo à Diuo Augustino sæpissime vocatur sapientia genita. Quamuis enim in creatis Verbum genitum esse non possit, quia intellectus creatus non est productiuus alicuius subsistentis in eadem natura: in diuinis tamen Verbum est vere genitum, quia intellectus, ex eo quod principium assimilatiuum est, modo naturali producit, & dicit. Verbum: & ex eo, quod est productiuus Verbi subsistentis in eadem natura, generat illud: & ideò Verbum diuinum est genitum. Quia ergo Verbum diuinum eadem indiuisibili actione procedit vt Verbum, & vt subsistens in natura diuina: ideò eadem indiuisibili actione, qua procedit vt Verbum, procedit vt Filius: licet repræsentet Patrem vt Verbum, & vt Filius, & vtroque modo sit Patris naturalis imago.

44. Ex his latè expositis facile colligitur ratio differentialis vtriusque processionis diuinæ: quia enim Spiritus Sanctus procedit vt amor, & non vt Verbum, non habet rationem geniti, vt Diuus Thomas loco nuper citato exposuit. Nec etenim tanquam Verbum est Patris imago, nec quidem ex ratione formali suæ processionis procedit modo naturali, & ideo non repræsentat Patrem tanquam naturalis imago, sicut Filius. Superfluum tamen est addere diffinitioni generationis suprà positæ, illam particulam *ex vi suæ productionis*, aut illam scilicet *per modum imaginis*. Nam vtraque optime sub intelligitur, si dicta diffinitio ad modum suprà positum explicetur, sine eo quod multiplicentur verba.

Spiritus Sanctus cur nõ dicatur genitus? D. Thom.

Sic ergo debet intelligi dicta diffinitio, *est origo*, hoc est *processio*, *viuentis à viuente*, vt excludat non viuentia à ratione generationis, *à principio coniuncto*, hoc est à principio naturaliter inclinato ad generandum, & per naturalem formam, seu inclinationem determinatum: per quod principium communicatur in creatis pars naturæ decisæ in semine: in diuinis autem tota integra natura, vt dictum est. *In similitudinem naturæ*, hoc est in vnitatem naturæ, & in ratione imaginis, quæ ex ratione formali talis processionis habetur.

Definitio generationis exponitur.

§. 9.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

45. HIS præhabitis, difficultatem concludendo dico primo, quod Spiritus Sanctus non est genitus, nec eius productio generatio. Conclusio est de fide, quæ probatur pluribus Sacræ Scripturæ locis. Et primo ex illo Ioannis 1. vbi loquendo de Filio Dei inquit, *vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre*. Vbi notandum est, quod particula *quasi* non est diminuens, aut nota similitudinis, sed Phrasis Hæbraica, quæ veritatem ipsam formaliter significat. Quod confirmatur ex illo eiusdem capitis *Vnigenitus, qui est in sinu Patris &c.* Vbi ostenditur Patrem non plures, sed vnicum & Vnigenitum habere Filium. Nam dicitur ab Euangelista ibi *Deum nemo vidit vnquam. vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narrauit*. Et idem Ioannes capit. 3. inquit. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret*. Et prima sua canonica capit. 4. inquit. *Filium suum Vnigenitum misit*. Ex quibus sequitur, Spiritum Sanctũ genitum non esse. Si etenim genitus esset: non quidem diceretur Filius, vnigenitus Patris. Nec obstat quod

1. Concluſ. Spiritus Sanctus nõ est genitus. Ioan. 1.

Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

mu

multoties Christus Dominus vocetur ab Apostolo Primogenitus Dei, vt potè, *primogenitus omnis creaturæ*, ad Colocenses 1. & alibi, *primogenitus in multis fratribus*. Nam D. Ambrosius 1. de fide cap. 4. hanc soluit obiectionem, dum inquit. *Cum Verbum dicitur primogenitum, genitum dici propter consubstantialitatem, Primo, propter æternitatem*, vel iuxta communiorem modum exponendi verba prædicta, non intelligitur, Christum quatenus præcise est diuina persona, Primogenitum esse, sed quatenus homo. Vnde D. Cyrillus Alexand. in epist. ad Ioann. Anthiochenum, quæ habetur in Concil. Ephesino tom. 5. capit. 9. inquit. *Christum Dominum vocari vnigenitum, quatenus est Deus: Primogenitum autem, quatenus est homo.*

Ad Colo. 1
D. Ambr.
D. Cyr. Alex.

46. Probatur secundo, ex omnibus Cõcilijs Generalibus, & Prouincialibus, & præsertim ex symbolo Apostolorum vbi dicitur, *& in Iesum Christum vnicum Filium eius*. Quod clarius in eodem symbolo positum est in Concil. Niceno, *& in Iesum Christum Filium eius vnigenitum*. Item ex symbolo Atanasij habetur, *Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*, quod omnia Concilia attestantur, & firmissima traditione, & confessione Ecclesiæ hæc veritas comprobatur.

Symb. Apostolor.
Cõc. Nicæ.
Symb. Atanasij.

47. Eamdem veritatem testantur omnes Sancti Patres, qui eam supponendo, modum ipsius inuestigant, vt patet ex illo citato loco Nazianzeni. *Quæres itaque, quæ est hæc processio: quin tu rationem Vnigeniti Patris mihi explices*. Videndi sunt pro hac conclusione D. Athanasius Dialogo 3. contra Anomæos, D. Basilius homi. 2. contra Sabelianos, & Anomæos. D. Damascenus lib. 1. de fide, cap. 10. Diuus Augustinus libr. 3. contra Maximinum cap. 14. Acasius in epist. ad Cyrillum, Anastasius Sinaita, lib. de rectis fidei dogmatibus, D. Bernardus vbi supra serm. 1. Penthecostes, & reliqui sancti Patres.

D. Nazian.
D. Atana.
D. Basilius
D. Damas.
D. August.
Acasius.
Anastasius Sinaica.
D. Bernar.

48. Item probatur ratione, & primo omnibus rationibus suprapositis, quas Sancti Patres adducunt ad probandum processionem Spiritus Sancti, generationem non esse, sicut processio Verbi est generatio. Omnes etenim licet intentum non euidenter concludant, aut difficultati ex æquo satisfaciant (vt ibi notauimus) nihilominus hanc conclusionem, videlicet Spiritum Sanctum, non esse genitum, optimè manifestant. Probatur insuper ex diffinitione generationis supra tradita & exposita: quæ nullatenus adaptari potest processioni Spiritus Sancti: Nam generatio est â principio coniuncto, hoc est naturaliter inclinato ad agendum, & assimilatiuo producti producenti: sed voluntas, quæ est principium spirationis, non est tale principium inclinatum, nec assimilatiuum, vt ex notatis constat: Ergo spirationi non potest: competere ratio generationis. Nec valet si dicas ex Diuo Thoma, etiam voluntatem agere ex inclinatione, & ex impulsu, quo ad diligendum impellitur: nam hoc iam est negatum in difficultate 50. vbi cum Doctore ostendimus, productionem amoris, non esse ex voluntate inclinata & propensa. Voluntas etenim non impellitur, nisi per ipsum amorem, quem (in creatis) recipit in se, & eo fit propensa & inclinata, ad obiectum, quod per talem amorem formaliter diligit. Ex quo deducitur, quod ante huius amoris productionem non est propensa & inclinata. Cum ergo in diuinis voluntas non producat Spiritum Sanctum, qui est verus amor, per actum dilectionis, sed per præcisam spirationem, quæ est præcise productio: hinc est quod ad huiusmodi productionem non concurrit, vt principium naturaliter inclinatum, quod propterea assimilatiuum non est, nec modo naturali producitur.

49. Probatur item ratione Doctoris: 49.
ait enim in citato articu. 10. quæstionis vnicæ distinctionis 13. quod illa præcise dicitur generatio naturalis, cuius habitudo intra producens, & productum, est naturalis, & naturalitas huius habitudinis est ex parte naturalitatis ipsius producen-

tis: quia producit principio naturaliter inclinato ad agendum. Sed hoc modo non producitur Spiritus Sanctus, quia est productus per voluntatem, quæ non est principium naturaliter inclinatum ad agendum, sed ab intrinseco liberum, vt constat, & in proprio loco latius exponetur: ergo, &c.

50. 2. *Conclus.* Dico secundo, quod generatio, & spiratio se ipsis primo formaliter distinguntur, ita quod tota ratio formalis vnius est non eadem toti rationi formali alterius. Conclusio est expressa Scoti, vt patet in litera, & satis per discursum corporis difficultatis exposita. Hãc conclusionẽ sic probat Pater Rada ex D. Augustino supra citato loco, quinto, videlicet, de Trinitate cap. 9. & 14. vbi inquirens, cur spiritus Sanctus non sit Filius, cum exeat à Patre, sicut Verbum? respondet inhũc modum quæstionem soluendo, *exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus.* Quod idem concludit 15: de Trinitate cap. 27. ex quo Pater Rada infert Doctorem sanctum distinctionem personarum, in formalem emanationum distinctionem, refundere. Quod ibidem probat ratione, nam generatio ex se ipsa formaliter est generatio, & spiratio ex se ipsa formaliter est spiratio, & ex rationibus formalibus earũ impossibile est generationẽ esse spirationem, quocumque alio, etiam per impossibile secluso: ergo non oportet quærere, quibus distinguantur productiones huiusmodi, cum tota ratio formalis vnius sit non eadẽ toti rationi formali alterius. Contra quod si arguas, quod processiones, seu emanationes istæ non sunt à se, sed ab alio, nempe à suis principijs: ergo non distinguntur à se, sed ab ipsis principijs; quia à quo aliquid habet entitatem, ab illo habet vnitatem, & distinctionem, quæ ad vnitatem consequitur. Respondet, & optimè, quod differentiæ vltimæ non sunt à se ipsis effectiuè, quia nihil producit se ipsum vt sit: sunt tamen ex se ipsis formaliter, & ideo se ipsis formaliter primo distinguntur. Ab eo autem, à quo aliquid habet esse effectiuè, non distinguitur, nisi tantum extrinsecè, quia ab eo habet extrinsece vnitatem: intrinsece enim vnitatem habet à se, & à suo esse formali: & ex consequenti ab eodemmet suo esse formali, habet intrinceſe, & formaliter principium distinctionis. Ex hoc ad propositum patet, quod licet productiones huiusmodi originatiuè à suis principijs distinguãtur: formaliter nihilominus ex se ipsis habent intrinsecum principium distinguendi, ita quod nihil formaliter inclusum in vna formaliter includitur in alia.

Rada. Processiones diuinæ se ipsis formaliter distinguntur

Dico tertio, quod ratio differentiæ generationis, & spirationis, formaliter sumitur ab ipsarum formalitatibus, quarum vna se tota formaliter ab altera est distincta: originatiue autem sumitur ab intellectu, & voluntate, prout sunt earum principia. Conclusio est Doctoris, quam tenuit Diuus Bonauentura vt supra patuit, quę satis habetur probata, & exposita ex supra notatis à numero 26. quæ ne iterum repetantur, ibi videnda sunt. 51. 3. *Conclus.*

Dico quarto, quod etsi ratio differentialis generationis, & spirationis non sumatur à priori ex distinctione terminorum productorum per ipsam: optimè tamen à posteriori ex ratione imaginis (à nobis expositæ) ex parte personæ productæ infertur eius productionem esse generationem: & ideo Spiritum Sanctum non esse genitum, sicut Verbum, quia imago non est sicut illud. Conclusio quoad omnes partes est expressa Doctoris. Quoad primam etenim habetur in distinctione 13. quæstione vnica arti. 1. quoad cæteras vero, in distinctio 10. quæst. vnica artic. 2. Probatur ergo quoad primam partem ratione ipsius, quia emanationes nõ habent esse per terminos: ergo nec distinctionẽ. Antecedens patet, quia habent ex se esse formaliter antecedenter ad ipsos terminos, prius etenim concipiuntur productiones, quam termini. Consequentiam vero probo, quia ab eodem habetur esse, & distinctio. Nec valet si contra ex Phylosopho arguas, quod motus distinguntur per terminos: nã motus non distinguntur 52 4. *Conclus.*

penes

penes terminos, nisi quia formæ fluentes sunt eiusdem rationis cum formis terminantibus. Sed hîc non est fluxus eiusdem rationis cum termino, nec etiam via, quasi fluxus eiusdem rationis cum terminis formalibus, quia terminus formalis hîc est essentia: illa autem productio, quæ est quasi via, est relatio. Ergo &c. vide huius Scoticæ rationis expositionem supra in n.30. & 31. vbi ostendimus huius conclusionis partem ex legitima interpretatione verborũ Scoti: secunda autem pars probatur satis ex verbis eiusdem Doctoris citato loco, vbi à posteriori probat Spiritus Sancti processionem non esse generationem, quia nõ est imago Patris sicut Filius. Sic enim argoit, quia Spiritus Sanctus non producitur vt similis ex vi productionis suæ, nec procedit ex vi talis productionis, vt similis Patri, sicut Filius, ideò non est imago Patris sicut Filius. Probatur itẽ conclusio quoad hanc partem ex D. Aug. c.7. de Trinitate, vbi hæc inquit. *Nata sapientia in vno eorum, quo quod nata est, & Verbum, & imago, & filius intelligatur.* Et authoritatibus Sanctorũ adductis à Vazquio in eius confirmationem: & rationibus, quas ipse & Canarensis adducunt: dummodo tamen ratio imaginis intelligatur modo à nobis exposito à n.39. ad numerũ 42. iuxta quam expositionem, & non aliter, eorum rationes ad probationẽ huius Scoticæ conclusionis admittimus. Nã si in alio sensu suam sententiam, vt singularem prædictis argumentis Vazquius roborare intendat: optime illa soluit Suarez, & ideò non est hîc in confutationem aut solutionem eorum infructuose immorandum.

53. Dico quinto, bene intelligi differẽtiã generationis, & spirationis ex eo, quod per primam ex vi suæ productionis, productum producenti assimiletur: dummodo prædicta particula intelligatur, non quomodolibet, sed ex ratione formalitatis processionis. Cõclusio est Doctoris, & satis exposita in supra notatis num.35. Ex qua habetur Diuum Thomam, Cayetanum, Ferrariensem, & alios non aliquid contra textualem Scoti Conclusionem asseruisse: licet diminutè prædictam particulam exposuerint, ita vt ex diminuta interpretatione ansam dederit Cayetanus aduersariorum argumentis. Quæ tamen optimè, ex nostra expositione, manent soluta, prout exprædicto numero constat.

5.Conclus.

§.10.

Soluuntur argumenta in oppositum.

54. D. Argumenta in oppositum, & primo ad hæresim Macedonianorum dico, quamuis Spiritus Sanctus procedat a duobus, non tamen procedit ab illis, sicut à distinctis principijs, sicut contingit in creatis in filio respectu patris & matris: sed tanquam ab vno principio, hoc est, ab vna voluntate, & sub vna ratione formali spirandi procedit à Patre & Filio. Et sic argumentum eorum, quoad hoc nihil concludit: non enim ex illo inferetur absurdum aliquod ex ibi illatis: Quia si procedit â Patre & Filio per modum vnius, nec est Filius Filij, & nepos Patris: neque ab vno tanquam à Patre, & ab alio tanquam â matre procedit: sed ab vtroque tanquam ab vno spiratore. Quod autem intendunt quærere circa illarum productionum differentiam: iam habent ostensum ex supra notatis. Ad Abailardum vero respondetur, non omne, quod est de substantia Patris, esse genitum, vt in exemplis D. Bernardus illustrat.

Ad argumenta. Ad errorẽ Hæretico.

55. Ad Durandum vero, quatenus probat productionem Spiritus Sancti esse per modum naturæ, quia est necessaria: Respondeo, necessitatem duplicem esse. Alia est enim necessitas, quæ opponitur contingentiæ, & sic nullum contingens est necessarium. Secunda verò, quæ opponitur libertati, & hæc conuertitur cum naturali. Sic nullum neces-

Ad argumẽta Dur. Necessitas duplex altera opponitur contingentiæ, & altera libertati.

sarium potest esse liberum: quia necessarium hoc modo omnem rationem libertatis excludit. Primo igitur modo saluatur libertas cum necessitate, non tamen secundo modo. Et ideo benè stat spiritum Sanctum non procedere per modum naturæ, sed liberè: benè tamen necessario, quatenus necessitas omnem contingentiam excludit. Non tamen stat, Spiritum Sanctum procedere per voluntatem liberè, & necessario, quatenus necessario, idem est, quod per modum naturæ.

56 *Libertas triplex, essentialis, contrarietatis, & cõtradictionis.*

Ad probationem vero maioris dico, voluntatem triplicem libertatem habere, primam, videlicet essentialẽ, secundam contrarietatis, seu quoad specificationem, tertiam contradictionis, seu quoad exercitium, vt alibi latiori sermone exponitur. Prima ergo libertas consistit in hoc, quod voluntas seipsam determinet, & non est determinata per formam intrinsecam, sicut agentia naturalia. Secunda in indifferentia ad duo opposita, vt ad velle dulce, vel amarum, seu ad velle sic, vel sic. Tertia in indifferentia ad affirmatiuum, & eius negationem, vt ad velle, seu non velle. Ex his tribus libertatibus secunda, & tertia omnem necessitatem excludunt. Prima tamen optimè potest cum necessitate saluari. Dico ergo, quod modus naturæ nõ differt per illud, quod est necessario produci à modo voluntatis: nam principium voluntarium, seu liberum, secunda, & tertia libertate, consistit in indifferentia ad opposita: non tamen principium voluntariũ præcisè seu liberum prima libertate cum hac indifferentia compatitur. Et hæc libertas reperitur in productione Spiritus Sancti, qui libere, & necessario procedit.

Ad argumenta tertiæ, & quartæ sententiæ non respondeo, quia vtramque, vt nostram complectimur, quamuis non in eis vltimam rationem differentiæ, vt illi, constituamus. Debent igitur huiusmodi sententiæ iuxta modum à nobis traditum, & expositum intelligi, vt conformiter ad superostẽsam doctrinam Scoti accipiantur. Si autem secus intentum probare intendant: sufficienter soluuntur argumenta Cayetani ab Auctoribus quartæ sententiæ: & argumenta eiusdem quartæ sententiæ à Suario. 57

Ad argumentum vero vltimũ præcedentis difficultatis, cuius solutionẽ hucusque distulimus, facile respondetur ex huius resolutione: nã cõceditur antecedens, & consequẽtia negatur. Ad cuius probationẽ, dico quod spiritus Sanctus non assimilatur Patri ex ratione formali suæ processionis: sed quasi materialiter, ex eo quod est terminus intrinsecæ productionis diuinæ voluntatis, cuius terminus non potest esse aliquid, quod non sit Deus. Vnde dico, quod tota ratio generationis cõsistit in similitudine naturæ communicatæ ex vi productionis, & ratione formali ipsius: ex cuius vi habet terminus productus esse imaginem. Quia ergo Spiritus Sanctus ex ratione formali suæ processionis, non procedit similis Patri, non est eius imago: nec ex consequenti est eius Filius, aut eius processio generatio. 58 *Ad vltimũ argumentũ præcedentis difficultatis.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

De compossibilitate vnius essentiæ cum pluralitate personarum.

Circa secundam partem huius distinctionis, in qua Magister agit de pluralitate personarum quæruntur sex. *Qu. hæc in antiquo textu. erat 4. in ordine*

Primo

¶ Primo. Vtrum cum vnitate essentiæ stet pluralitas personarum?
¶ Secundo. Vtrum ponatur aliqua distinctio inter rationem essentię, & rationem suppositi?
¶ Tertio. Vtrum distinctio, quæ reperitur inter rationem essentiæ, & rationem suppositi sit realis?
¶ Quarto. Vtrum ratio personæ sit per se essentia?
¶ Quinto. Vtrum proprietas personalis sit formaliter necesse esse?
¶ Sexto. Vtrum aliqua sophismata cõcludant non stare pluralitatem personarum cum vnitate essentiæ?

ARTICVLVS I.

Vtrum cum vnitate essentiæ stet pluralitas personarum.

A AD primũ sic proceditur, & videtur, quod cum vnitate essentiæ non stet pluralitas personarum, & arguitur sic, quia quæcumque vni, & eidem sunt simpliciter eadem, inter se sunt eadẽ simpliciter, & additur simpliciter, ad excludendum idẽtitatem secundum quid, quia si sunt eadem eidem non simpliciter, sed secundum quid: vel si eadem simpliciter, sunt eadem solum secundum quid, non oportet illa esse simpliciter eadem. Sed personæ diuinæ sunt simpliciter, & omnino idem essentiæ diuinæ, quæ in se, & omnino est simpliciter eadẽ: ergo &c. Maior patet, tum quia per eam tenet omnis forma syllogismi perfecti (quæ forma de se est euidẽs) quia in præmissis notãtur extrema in medio coniungi, & ex hoc solum concluditur identitas extremorũ inter se in conclusione. Tum quia oppositum prædicati destruit subiectum, quia non sunt eadem omnino inter se, non sunt simpliciter eadem alicui eidem simpliciter. Minor probatur: quia essentia diuina propter summam simplicitatem, est quidquid habet secundum Magistrũ dist. 2. & secundum August. lib. 11. de ciuitate Dei cap. 10. Similiter alia pars minoris patet, quia ipsa est in se omnino simplex, & indiuisibiliter: ergo &c.

7. Topic. c. 32. 1. Elenc. c. 4. & 1. Physico. com. 17. & 4. meth: tex. com. 3. & 1 priorũ implicite habetur communiter allegatur.

Secundo præterea sic, essentiale, & accidentale diuidunt totum ens: quidquid ergo est in aliquo, aut est idem sibi essentialiter, aut accidẽtaliter: sed, quod distinguit personas non est accidentale essentiæ, quia nihil sibi accidit, ergo est sibi idem essentialiter: sed quod essentialiter est idẽ essentiæ multiplicato illo multiplicatur essentia: ergo si sunt plures personæ, sunt plures essentiæ. B

Tertió præterea, nihil est ponendum in entibus, & maximè in summo bono, quo non posito, nihil perfectionis deficit in vniuerso, sed aliqua persona diuina non existere in diuina essentia nihil perfectionis deesset in vniuerso: ergo pluralitas taliũ non est ponenda in Deo. Probatio minoris, si secunda persona nõ esset, quidquid perfectionis est in ea, esset in persona alia: & ita nihil perfectionis deesset in vniuerso, si ipsa non esset, quia quidquid perfectio simpliciter est in vna, est in alia: subtracta vna, & manente alia, nihil perfectionis tollitur ab vniuerso. Dices, quod non sub omnimodo quidquid perfectionis est in vna est in alia. Cõtra, iste modus habendi, vel essẽdi, aut est perfectio, aut nõ: si sic, erit in Deo, & per cõsequẽs persona prima nõ erit simpliciter perfecta, quæ nõ habebit illũ modũ: si nõ, ergo stat argumẽtũ, quod non stante secũda persona, manet tota eius perfectio in persona prima: ergo nihil perfectionis deperditur ab vniuerso ammota persona secunda. C D

Quartó præterea, si sunt plura necesse esse, quæro quibus formaliter

distinguitur, sint A. & B. sed, quod plura sint, necesse esse includit cōtradictionem: quia aut rationes, quibus distinguuntur, sunt necesse esse, & necessitate essendi; & tunc erunt duo necesses esse, quæ etiam conueniunt in necesse esse & per consequens per necesse esse non distinguuntur. Si autem illæ rationes sunt possibiles: ergo illa, quæ istis distinguuntur, non sunt necesse esse.

E

Sed contra est, quia illud est possibile, quod non includit contradictionem: sed non includit contradictionem, quod sit vna essentia in tribus personis, quia contradictio est secundum idem, hic autem non est contradictio secundum idem, quia hic est vnitas essentiæ, & Trinitas personarū relatiuarum: ergo &c.

F

Conclusio. Respondeo dicendū ad ista quæstionē, quod simul stant vnitas essentiæ, & pluralitas personarum, quæ apparet ex solutione quæstionis præcedentis, quia ibi simul est pluralitas cum ista vnitate. Ad hoc autem aliqualiter declarandum, notandum est, quod sicut repugnantia repugnat ex suis propijs rationibus, ita non repugnantia, siue compossibilitas est ex proprijs rationibus cōpossibilitū: ad videndum autem istam compossibilitatem videnda est ratio extremorum, scilicet, naturæ & suppositi, vbi notandum, quod natura non se habet ad suppositum sicut vniuersale ad singulare: quia in accidentibus inuenitur singularitas sine ratione suppositi. In substantia etiā: nostra enim natura attoma assumpta est à verbo

Dama.li.3 secundum Damascenum, non tamē suppositum nostræ naturæ. Neque se habet natura ad suppositum, sicut quo, ad quod: nam cuicumque quo correspondet proprium quod vel quis, & ita sicut natura est, quo ita habet proprium quod vel quis, quod non contrahitur ad suppositum. Et sicut suppositum est quod, vel quis, ita habet suum quo proprium, quo subsistit, & tamen suppositum concomitanter de necessitate est singulare, & non potest esse, quo respectu alterius: quia est subsistens non potens esse actus alicuius subsistētis. Cō sistit ratio suppositi induplici in cōmunicabilitate: vbi sciēdum, quod communicabile dicitur aliquid, vel per identitatem, ita quod illud, cui communicatur, sit ipsum: vel per informationem, ita quod illud, cui cōmunicatur sit ipso, nō ipsum. Primo modo vniuersale cōmunicatur singulari, & secundo modo forma materiæ. Natura igitur quæcumque, & quantum est ex se, & de ratione naturæ, est communicabilis vtroque modo, videlicet, pluribus suppositis quorum quodlibet sit ipsum, & etiā vt quo, tanquam forma, qua singulare, vel suppositum sit ens quiditatiuè, vel habens naturam: suppositum autem est incommunicabile duplici incommunicabilitate sibi oppossita.

In quo consistat ratio suppositi.

Doctrina subtilissima ex intent. Philosophi

A

G

Ex his declaratur propositum, & primo sic: natura quæcumque est cō municabilis in pluribus per identitatem: igitur natura diuina est communicabilis. Hoc etiā patet ex quæstione proposita, non est autem diuisibilis ex quæstione de vnitate Dei, igitur communicabilis, sine diuisione: hoc etiam arguitur sic, natura diuina, & quidquid est naturæ, vt natura est, est perfectio simpliciter: omnis perfectio simpliciter est communicabilis pluribus: ergo, &c. Minorē prob, operfectio simpliciter est, quæ melius est, ipsum esse, quam non ipsum. Anselm. Monolog. cap 15. Quod sic intelligitur, quod perfectio simpliciter est melius quocumque sibi incompossibili, in quolibet supposito absolute considerato, hoc est non determinando, in qua natura illud sit subsistens: sed si natura diuina determinaret se ad subsistentiam

Quid sit perfectio simpliciter.

tam incommunicabilem, ipsa in nullo esset melior quocumque sibi incomposibili, nisi in illa subsistētia, ad quam se determinaret: quia cuilibet alij subsistētiæ esset incomposibilis: igitur non esset perfectio simpliciter. Item, perfectio simpliciter est, quantum est ex se, quolibet sibi incōposibili melior cuilibet supposito absolutè sumpto secundum rationem suppositi: natura diuina non est sic melior hipostasi: igitur, &c. Minorē probo: ipsa ex se determinat sibi vnicam subsistentiam: igitur ipsa in se est incōmunicabilis cuilibet alteri subsistentiæ, etiam præcisè acceptæ, vt est subsistentia altera, non considerando, scilicet, quod sit in altera natura. Et vltra, igitur ipsa ex se non est melior alteri, vt est altera subsistentia. Probatur prima consequentia: quia sicut ex se determinat sibi vnicum, ita repugnat sibi quodlibet alterum incōposisibile illi: ex hypothesi, natura diuina determinat sic nō tā tū subsistentiā, qua sit in vna natura: quia cum hoc staret Trinitas: sed subsistentiam hanc vnicam, & vt hanc in ratione subsistentiæ, non cōsiderando tantum, quia in hac natura. Secunda cōsequentia probatur: quia sicut est incomposibile huic, ita non est melius huic, quam quodcumque sibi incomposibile.

Hoc etiam arguitur ex parte rationis suppositi: quia enim suppositum de ratione sui est incommunicabile simpliciter, & ideo ratio suppositi, non est perfectio simpliciter modo prædicto, non oportet illā rationem includere quamlibet rationē entis, per identitatem: & ita potest stare alia ratio distincta a suppositi. Si autē possunt stare duæ rationes distinctæ suppositi: igitur, & duo suppositа distincta, etiam sine diuisione naturæ: ergo &c. Hoc propositū quarto sic declaratur ex infinitate, quæ est conditio naturæ, & hoc sic forma, quæ est aliquo modo illimitata in perficiendo materiam sine sui distinctione, & extensione qualicumque, potest perficere plures partes materiæ. Exemplum, anima intellectiua, quæ non est limitata ad perficiendū hanc partem corporis organici sine sui diuisione, & extensione qualicūque, vel per se, vel per accidēs, potest perficere aliā partē corporis organici: ista enim proprietas, videlicet, quod forma nō distinguatur, & tamē perficiat plures partes corporis, vel materiæ, non competit animæ ratione imperfectionis: quia ipsa ponitur forma perfectissima inter omnes formas naturales: omnes autem formæ imperfectiores carent isto gradu in perficiendo: omnes enim limitantur ad perficiendum: nec perficiunt plures partes materiæ sine extensione per accidens. Ex hoc arguo sic: si talis vnitas sit cum pluralitate, & nō ex imperfectione illius, quod est vnū: igitur subtracto omni eo, quod est impefectionis ex vtraque parte, potest stare perfecta vnitas cum pluralitate. Sed, quod anima perficiat materiam, hoc est imperfectionis in ea, quod etiam illa plura perfecta sint partes eiusdem totius, hoc est etiam imperfectionis. Si igitur tollatur ab anima hoc, quod est perficere materiam, & à pluribus illis distinctis hoc, quod est esse partes vnius totius, remanebit forma habens perfectam vnitatem: sed non informans materiā, sed dans totale esse, & hoc pluribus distinctis, quæ non erunt partes vnius totius, sed erunt per se subsistētes: & tunc erit vna natura dans totale esse pluribus supppositis distinctis: ergo essentia diuina, quæ est penitus illimitata, à qua aufertur quidquid est imperfectionis, potest dare totale esse pluribus suppositis distinctis.

Ad primum argumentum principale dico: quod maior sic est intelligenda:

genda: quæcumque aliqua identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate inter se sic sunt eadem: quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundum illam identitatem, qua sunt eadem medio: & medium in se sic sit idem. Et per hanc propositionem sic intellectã tenet omnis forma syllogistica: omissa enim altera conditione, vel vnitatis medij in se, vel extremorum ad medium, non est syllogismus, sed paralogismus accidentis. Cum accipitur in minore, quod quidquid est in essentia diuina, est idem illi essentiæ, non est verum, intelligendo de identitate formali: & ideò non potest cõcludi formalis identitas extremorum inter se: quamdiù autem stat formalis distinctio relationum suppositi, stat formalis distinctio suppositorum. Et si dicas, quod saltim ex identitate reali eorum ad essentiam, concludam identitatem realem eorum inter se: dico: quod essentia non habet identitatem realem vnicam, scilicet subsistentiæ, prout personæ, vel personalia, vt extrema vniuntur in essentia: & ideò non potest concludi identitas subsistens, vel subsistentiæ, per rationem identitatis eorum in essentia, vt in medio.

K Ad secundum principale dico: quod accidentale aut accipitur pro extraneo, aut accipitur pro eo, quod quasi perficit aliquid accidentaliter, quod præ existit in se perfectum. Si secundo modo, dico quod non omne ens omni enti, in quo est, est essentiale, vel accidentale: est enim mediũ inter essentiale & accidentale, vt contrahens: sicut differentia contrahit genus, quæ nec est essentiale, nec accidentale, accipiendo hoc modo, & sic in diuinis, nihil est accidentale, sed præter essentiam est aliquid, non essentiale. Si autem accipitur accidẽtale primo modo, quidquid non est de ratione eius formali, sed extraneũ, licet non proprie sic dicatur accidentale: sic differentia esset accidentalis respectu generis: & hoc modo accipit Philosophus accidentale pro extraneo infallacia accidentis: sic potest dici accidentale alicui, quidquid est extraneum, vt illud cõparatur ad aliquod tertium: & isto modo non est inconueniens distinctiua personarum accidere essentiæ: quia sunt extra rationem eius. *Philosop.*

Ad tertium dico, quod si in maiori, per illud, si, intelligatur conditio possibilis, maior est vera, & minor falsa: nulla enim positione possibili posita, potest deesse secunda persona in diuinis: quoniam summum bonũ, & summa perfectio deesset, si ipsa deesset. Et si probes, quod si illa deesset, summa perfectio esset in Patre, dico, quod si illa deesset, summa perfectio deesset: & si illa deesset, & Pater non deesset, summa perfectio adesset: & ita ipsam deesse, & Patrem esse, includit contradictionem. Si autem in maiori, per ly, si, ponatur positio incomposibilis dico, quod maior est falsa: illud enim ponendum est in summo bono, quod non potest poni non esse sine positione incomposibilis. L

Ad quartum, & vltimum dico: quod illa ratio de necesse esse debet sic intelligi: quidquid est ex se necesse esse, habet ex se esse actualissimũ: ita quod per nihil qualecumque aliud à se expectat aliquam actualitatem essendi: & ideò ex se est indiuisibile: quia si posset diuidi: tunc ab illis, per quæ diuideretur, expectaret aliquam actualitatem essendi, quam haberet in illis diuisis: & oportet illa distinguentia necesse esse, quod essent formaliter necessitates essendi: quia essent vltimæ actualitates, & necessitates in illis diuersis necesse esse: sine quibus illa non haberẽt actualissimam entitatẽ: quia diuisibile, non habet actualissimam entitatem, M

sine

siue existentia m actualissimam, antequam intelligatur in aliquibus illorum, in quæ diuiditur.

Expositio primi articuli quæstio. 7. distinctionis 2.

1. ROBAT Doctor compossibilitatem Trinitatis personarum, cum eiusdē naturæ, & essentiæ numerica vnitate, quatuor rationibus. Duæ priores sunt exparte naturæ, & tertia exparte suppositi, & quarta est quædam declaratio desumpta ex infinitate naturæ diuinæ. Prima igitur ratio stat in hoc, quod quælibet natura est pluribus communicabilis per identitatem: ergo & natura diuina, cum sit perfectissima, communicabilis erit: sed vt patet ex quæstione de vnitate Dei, natura diuina est indiuisibilis: igitur est comunicabilis sine sui diuisione: & sic vnitas naturę cum cōmunicabilitate ipsius ad tria supposita compossibilis est. Hanc rationē posset quis improbare arguendo contra primum antecedens. Quia omne communicabile creatum est diuisum in illis, quibus communicatur: Ex eo etenim quod leo v.g. aut homo cōmunicatur pluribus suppositis: tot sunt leonitates, seu humanitates realiter distinctæ in illis, quot supposita sunt: ergo quodcumque communicabile est vniuersale partitū, & diuisum in pluribus: vel saltim communicabile, vt abstrahit à creato, & in creato, non est communicabile per identitatem. Vnde falsa est propositio illa, quod quelibet natura est communicabilis per identitatem.

2. Respondeo, identitatem ibi non esse intelligendam realem aut numericam: sed specificam, seu formalem, abstrahentem ab vniuersali & singulari, quæ est vnitas minor vnitate numerali: Quam vnitatem in qualibet natura creata reperiri, tenet Doctor in 2. distinct. 3. quæst. 1. & 7. metap. quæst. 18. quem omnes Scotistæ sequuntur, & ex Thomistis Cayetanus de ente, & essentia q. 7. cap. 4: Hac igitur vnitate identificatur natura creata, cum indiuiduis in quibus est: ita quod, cum quolibet indiuiduo, in quo est talis natura, est positiue realiter eadem: quia humanitas Petri, est eadem realiter Petro: non tamen talis natura est vna & eadem realiter positiue in pluribus indiuiduis aut suppositis, sed plurificatur in illis: est tamen in illis vna & eadem priuatiue: vnitas enim priuatiua est illa, secundum quam aliquid nō habet vnitatem sibi conuenientem propter aliqua extrinseca distinguentia, & diuidentia ipsum: circumscriptis tamen ipsis diuidentibus, natum est habere propriam vnitatē eo modo quo dicimus, quod materia prima, quæ est in Petro, & Ioanne, non habet vnitatem identitati, quia materia petri distinguitur à materia Ioannis, ratione distinctarum formarum, sub quibus est: quibus tamen circumscriptis, materiæ vtriusque manerent vna, & eadem iuxta illud primi Physicor. & primi de generatione, quod scilicet materia omnium generabilium, & corruptibilium est vna & eadem, quod debet intelligi non positiue, sed priuatiue modo exposito.

Datur vnitas formalis naturæ minor vnitate numerali.

3. Huiusmodi tenent grauissimi Scotistæ intelligendam esse mentem Doctoris, circa hanc vnitatem formalem naturæ. Quem exponendi modū approbant Antonius Andreas 7. metaph. quæst. 16. Ant. Tubeta, seu Trombeta ibidem, quæst. 8. Monlorius in disput. de rebus vniuersis cap. 5. Pater Rada 2. p. controuersiarū controuersia 3. ar. 1. & plures, alij. Hoc igitur supposito inquit Doctor in ratione præfecta, quod quælibet natura est communicabilis pluribus per identitatem, vel loquendo de identitate, qua est positiue realiter eadem suo indiuiduo, vel de vnitate ipsius naturæ, qua priuatiue est eadem omnibus quibus communicatur. Quæ vnitas, seu identitas optime compatitur cum diuisione per extrinseca, nempe cum eo quod vnitas hæc naturæ à differentijs indiuiduantibus diuidatur. Hoc ergo antecedente supposito, infert Doctor, natura diuinam, quia perfectissima est, à fortiori communicabilem esse per perfectissimam

An. Andr. Trombeta, Mōlorius, Rada.

simam identitatem, quę est numerica: qua est vna, & eadē in suppositis, quibus communicatur. Quod rectè probat ex vnitate indiuisibili Dei: & sic manet prima ratio exposita.

4 Sed tunc insurgit difficultas, ex eo quod dixit Doctor, ꝙ quæcūque natura est pluribus communicabilis: nā ex hoc videtur sequi, quod natura solis, sit pluribus communicabilis: quod est contra mentem Philosophorum.

Lychetus. Ab hac tamen difficultate breuiter se euadit Lychetus in quæst. 4. huius 2. distinctionis §. *sed circa*, & est communis Theologorum sententia, quod solis naturæ communicari non implicat, & ideo in pluribus suppositis esse potest. Sed vrgentius dubium excitatur circa eamdem primam rationem Doctoris: nam si natura diuina est pluribus communicabilis, quātum est ex natura sua: sequitur communicabilem esse suppositis infinitis, ex ratione prædicta: nam vt ex eodem Doctore habetur in quodlibetis quæst. 2. quod est indeterminatum ad plura eiusdem rationis, nisi aliunde determinetur, quantum est ex parte sua, potest esse in infinitis. Si ergo diuina essentia ex se est indeterminata ad plura suppositа, consequenter ex se potest esse in suppositis infinitis, nisi aliunde determinetur. Si autem potest esse in illis

5 (infert Doctor) ergo actu est in infinitis suppositis.

Ad huius dubij solutionem prænoto duplicem esse rationem, qua diuina essentia determinatur ad certum numerum suppositorum. Prima est desumpta ex duplici ratione formali producendi. Nam ex eo, quod in diuinis est tantum duplex principium communicandi naturam, nimirum intellectus, & voluntas: hinc est, quod non potest plusquam duplici modo communicari: ita quod intellectus est ita determinatus ad productionem Filij, quod est impossibile aliam productionem habere, etiā ipsa circumscripta: & ita volūtas diuina est determinata ad productionē spiritus Sancti, quod sibi repugnet aliam productionem, etiam ipsa circumscripta, habere. Cuius rationem reddit Doctor in citata quæst. 2. Quodlibetali, quia videlicet, non potest esse essentia in persona producta, nisi de necessitate sit in persona improducta. Et si quæratur, vnde est determinata tantum ad vnam personam improductam, ita quod nō possit esse in pluribus improductis? Respondet Lychetus, quod â se met ipsa, quia est talis natura: quod est simpliciter impossibile ipsam posse esse in pluribus suppositis improductis. Cuius rationem nō reddit: sed nos illam latè tradidimus supra in difficult. 47. â nu. 17. Ex quo deducitur, quōd cum tantum sit in diuinis vnica improducta persona, & duplex ratio formalis communicandi naturam personis productis: duplex tantummodo potest ibi esse persona producta, & ex consequenti in duabus personis productis, & vna improducta, potest diuina natura solummodo reperiri. 6

Sed tunc vrget argumentum, quia etsi tantum sit duplex ratio formalis communicandi diuinam naturam: posset nihilominus secundum quam libet existis rationibus formalibus distinctis communicari pluribus suppositis eiusdem prorsus rationis. Sicut in creatis natura v.g. hominis, quę habet vnicum modum, & vnicam rationem formalem communicandi se: potest nihilominus communicari pluribus eiusdem naturæ suppositis. Non ergo inconuenit ad intentum argumenti, in diuinis esse tantum duplicem rationem formalem communicandi naturā, ad hoc vt eadē natura secundū eādem rationem formalem generationis v.g. pluribus communicetur personis: & secundum alteram rationem formalem cōmunicandi, scilicet, spirationis, etiam alijs pluribus suppositis communicabilis sit. Et ex consequēti secundum hanc duplicem rationē formalem communicandi infinitis suppositis comunicabilis sit. Ad hoc tamen soluendum est in promptu secunda ratio ex duabus, quas ad huius dubij solutionem prænotaui, quæ est etiam Doctoris in 2. quæst. quodlibetali, videlicet, quod ex eo diuina natura in pluribus suppositis, quàm in tribus esse non potest: quia cuiuslibet rationis formalis prædictæ terminus, est terminus adæquatus. Et ideo nec intellectus

Quare natura diuina non sit in pluribus quam in tribus suppositis.

Essentia diuina non nisi in tribus suppositis esse potest.

ctus poteſt plura verba producere, nec voluntas plures amores ſpirare. Sed generationis, ſeu dictionis, vnicus eſt *Filius*,& vnicum Verbum: & ſpirationis vnicus eſt amor,& vnicus Spiritus Sanctus: quia illa producta ſunt adæquata potẽtijs productiuis,& ſemper ſunt in actuali produci, & in ſimul in producto eſſe: quia intellectus adæquate inceſſanter Verbũ producit,& voluntas amorem, quia tam Verbum adæquat omnem productiuã virtutem intellectus,quàm amor omnem ſpiratiuam virtutem voluntatis. Et ex hoc prouenit diuinam naturam, non plus,quàm tribus perſonis communicabilem eſſe.

7. Secunda autem ratio textualis ſtat in hoc, quod omnis perfectio ſimpliciter eſt communicabilis. Natura autem diuina, & quidquid eſt naturæ (hoc eſt attributa & quæcumque,quæ ad eſſentiam pertinent) eſt perfectio ſimpliciter: ergo &c. Duo igitur hîc oſtendit Doctor,primum quidẽ quid ſit perfectio ſimpliciter: ſecundũ vero,quod ex eo quod natura diuina ſit perfectio ſimpliciter,inferatur communicabilem eſſe,adhuc ſtante eius indiuiſibilitate & identitate. Primũ quidem clare explicat Doctor in textu, ꝙ ſcilicet perfectio ſimpliciter eſt illa, quæ in quolibet melior eſt,quam non ipſa, hoc eſt, melior eſt ipſa, quàm quodcumque ſibi incompoſsibile.

8. Ad huius autem clariorem intelligentiam,prænotare oportet,perfectionem duplicem eſſe: alia etenim vocatur perfectio ſimpliciter,quia ex ſe ita perfectio eſt, vt ſi in ſummo conſideretur,omnem imperfectionem excludit, vt optime explicauit Lychetus: ſic entitas veritas,bonitas,ſapientia,& ſimilia ſunt perfectiones ſimpliciter. Quia ſi huiuſmodi perfectiones inſummo ente conſideretur, nihil ſibi admixtum imperfectionis includũt. Secũdũ vero eſt perfectio ſecũdum quid, quæ quidem limitata eſt ex ſe: & hæc, & ſi in ſummo ente ſibi poſsibili reperiatur, ſemper nihilominus imperfectionem inuoluit, quia ſemper includit limitationem, & dependentiam effectus à cauſa: hoc modo ſunt perfectiones, humanitas, natura Angelica, riſibilitas, albedo, dulcedo, & ſimilia: quia quãtumuis Angelica natura in gradibus perfectionis magis, ac magis accreſcat: numquam tamen perueniet ad aliquẽ ſummum perfectionis gradum, qui dependentiam, & limitationem excludat: atque ideo ſemper imperfectionẽ inuoluit. Quia nec Deus, qui eſt illimitatus & prorſus indépendens, poteſt formaliter eſſe Angelus, aut homo, aut riſibilis: nec poteſt formaliter eſſe albus, aut dulcis &c. Sicut eſt formaliter ens, & formaliter bonus, verus, ſapiens, iuſtus &c. Hac ergo vtriuſque perfectionis aſsignata differentia, ſequitur deſcriptionis Anſelmi expoſitio in textu poſita: ſecundum quam perfectio ſimpliciter eſt illa, quæ in quolibet ſuppoſito eſt melior ipſa, quàm non ipſa. *D. Anſel.*

Quid ſit perfectio ſimpliciter.

Quid ſit perfectio ſecũdum quid.

9. Hic aduertitur, ſuppoſitum duplici ter conſiderari poſſe. Vel quidem primo ſecundum præciſam rationẽ ſuppoſiti, vel ſecundo iuxta particularem rationem talis ſuppoſiti. In prima ratione conueniunt omnia ſuppoſita, tã creata, quàm increata: in ſecunda vero, non ſic, ſed vnumquodque penes naturam, in qua eſt, differt ab alio: vt ſuppoſitum lapidis, plantæ, hominis, Angeli, & Dei. Hæc enim omnia ſuppoſita, ita differũt, quod aliquid eſt bonum vni, quod alteri bonum eſſe non poteſt. Melius enim eſt ſuppoſito Corui, vt talis naturæ, eſſe nigrum, quàm album: & è contra, colũbæ melius eſt eſſe albam, quàm nigram: & melius eſt lapidi eſſe durum, quam ſapientẽ &c. De ſuppoſito igitur iuxta primam cõſiderationem, loquitur Doctor, dum inquit quod perfectio ſimpliciter eſt: illa, quæ in quolibet ſuppoſito, & ſecundum præciſam conſiderationem ſuppoſiti, melius eſt ipſa, quàm non ipſa: quia ſi de ſuppoſito ſecundo modo loqueretur, melius quidem eſt equo eſſe inhibilem, quam iuſtum: quia primum eſt ſuæ naturæ conueniens, non tamen ſecũdum. Abſolute igitur de ſuppoſito, vt à rationibus particularibus abſtrahente, prædicta definitio intelligenda eſt, iuxta ea quæ dicũtur in textu, ſcilicet. *Inquolibet ſuppoſito abſolute conſiderato, hoc eſt, non determinando in qua natura illud ſit ſubſiſtens.* *Suppoſitum duplici ter conſiderãtur.*

Porrò

10. Porro alia particula, scilicet, *melior est ipsa, quam non ipsa*, non est intelligenda contradictorie, ita vt sit melius habere perfectionem, quam eius negationem. Tunc etenim omnis entitas esset perfectio simpliciter: quia omnis entitas est melior sua negatione: eo quod vniuersaliter loquendo, melius est esse, quàm non esse. Sed intelligenda est particula illa contrariè, ac si dicat, melius est illam habere, quã habere quodcumque positiuum ei contrarium, & sibi incompossibile. Sic explicant Lychetus, Basolis, Tataretus, Rada, Herrera, & omnes ferè Scotistæ: & aperte habetur in textu, dum dicitur. *Quod sic intelligitur, quod perfectio simpliciter est melius, quocumque sibi incompossibili.* In quocumque enim suppositio, melius est habere sapientiam, quàm ignorantiam: & melius est habere misericordiam, quàm immanitatem, seù crudelitatem, & melius est esse personã veracem, quam mendacem: non tamen in quocumque suppositio est melius esse album, quam nigrum, aut esse dulce, quam amarum: quia nigredo est melior coruo, quam albedo: & amaritudo est melior absinthijs, quam dulcedo: quia illud est alicui melius, quod est suæ naturæ conformius.

Lychetus. Basolis. Tataretus. Rada. Herrera.

11. Ex eo igitur, quod perfectio est melior suppositio, in quo est, quam illi esset quodcumque sibi positiuè incompossibile, dicitur perfectio simpliciter. Quibus de perfectione simpliciter prænotatis, formatur. secunda ratio Doctoris ad probandum naturam diuinam non esse vnica subsistentia incõmunicabili, seu vnica hypostasi contentam, sed pluribus communicabilẽ esse. Quia si diuina natura determinaret se ad vnam subsistentiam incommunicabilem, ita quod per illam esset tantum in vnico supposito: non esset alicui melior ipsa, quam quodcũque sibi incompossibile, nisi in illa subsistẽtia, ad quã se determinaret: quia cuicumque alteri subsistentiæ esset incõpossibilis: ergo non esset perfectio simpliciter: quia communicabilitas est de ratione perfectionis simpliciter, vt patet ex eius descriptione. Quod dicendum non est, quia imperfectionem aliquam secũ involueret. Ex quo concludit Doctor, diuinam naturam, eo quod perfectio simpliciter est, pluribus suppositis communicabilem esse, etiam stante eius indiuisibili numerica vnitate: quæ ratio latè probatur in textu.

Essentia diuina pluribus suppositis est communicabilis.

12. Tertia autem ratio textualis sumitur ex parte suppositi: cuius efficacia consistit in hoc, quod hypostasis, seu suppositalitas, cum sit incommunicabilis subsistentia, non potest esse perfectio simpliciter: quia (vt dictũ est) de ratione perfectionis simpliciter est communicabilem esse: Ex eo autem quod non est perfectio simpliciter, nõ includit omnem rationem entitatis, quæ est in Deo, per identitatem: & sic vna subsistentia incommunicabilis, aliam non includit. Qua propter, nec paternitas includit filiationem, nec filiatio spirationẽ passiuam, nec è conuerso: & possunt sic huiusmodi subsistentiæ reperiri in Deo, quod vna alterã non includat. Si igitur possunt in Deo manere istæ suppositalitates realiter distinctæ, sine diuisione naturæ: possunt consequenter manere suppositia constituta per illas, etiam realiter distincta. Et sic patet, quod non repugnat naturæ diuinæ simplicissimæ, perfectissimæ, & singularissimæ, pluribus suppositis communicabilẽ esse: quod in ista ratione intenditur.

Suppositalitas in Deo nõ dicit perfectionẽ simpliciter.

13. Quarta tandem ratio textualis est, quoddã argumentũ à fortiori desumptum ex animæ rationalis exemplo. Si etenim illa, cum sit vna & eadem indiuisa forma, potest pluresdistinctas partes corporis organici informare: quanto facilius intelligi debet posse eamdẽ infinitam naturã in pluribus esse suppositis? Litera clara est in hoc exẽplo, & applicatione illius, solutioneſque argumentorum ibi aperte eorum difficultatem euacuant. Verum difficile est in littera huius articuli illud, quod Doctor in eius corpore præ notauit ad probationem conclusionis, videlicet, suppositum in duplici incommunicabilitate consistere. Ad cuius solutionem mouetur sequens difficultas.

(?)

DIF-

DIFFICVLTAS LIII.

Vtrum suppositum seu persona, consistat in aliquo positiuo?

§. 1.

Referuntur prima sententia Henrici, & secunda Thomistarum.

1 ETsi frequentius difficultas hæc in lib.3.dis.1.vbi de vnione humanitatis ad diuinã hypostasim agitur, soleat vẽtilari: hîc nihilominus merito à pluribus Doctoribus disputatur: vbi etenim de proprietatibus personalib⁹ agimus: iurè optimo ratione personalitatis inquirimus. Est itaque difficultas hæc non solũ inter Thomistas, & Scotistas, verũ, & inter eosdem met Scotistas, nimis circa DD. mentẽ cõtrouersa inqua, relictis quãplurimis opinionibus, quas referũt Cayetanus, & Medina 3.p.q.4.ar.2. famosiora DD placita, erit opus referre. Prima ergo sententia asserit, naturã, & suppositũ sola ratione distingui, ex modo, scilicet, nostri intellect⁹ distinctè cõcipiẽtis naturã in abstracto, vel in cõcreto. Per hoc enim q̃ illã cõcipit in abstracto, est natura, si vero in cõcreto concipiatur, suppositũ erit. Et ex cõsequenti nõ est cõcedendũ in re ipsa aliquid superaddere rationẽ suppositi naturæ suppositabili. Sententiãhãc tenuisse videtur omnes Philosophi, qui nostræ fidei mysteria ignorarunt, vt aduertit Suarez in 2.to.suæ Metap.disp.54.sec.2.& (q̃ mirũ est) & etiã ex Theologis eã docete ausi sunt, Hericus quodlib.4.q.4.& Durandus in 1.dist.34.q.1.

Cayeta. Medina.

1. Senten. Henrici.

Suarez. Henri. Durandus

2 Poterit tamẽ hæc sententia suaderi 1.ex Aristo.7.metap.c.11.vbi diffinit, *quod in his, quæ sunt per se, idem est quod quid est, & id cuius est*: sed natura est de quidditate suppositi: natura enim Petri, est de quidditate Petri: ergo idẽ est natura, & suppositum met: si quæ distinctio reperitur ibi, non est in re, sed per intellectum.

Aristo.

3 Secundo prbatur ratione quadã, quæ est fundamentũ prædictæ sententiæ: nam suppositum v.g. Petrus, nihil aliud est, quãhoc suppositũ, ex hoc corpore, & ex hac anima cõstans: sed hoc ipsum est eius humanitas: & quidquid præter hoc cogitetur in substãtia Petri non potest concipi, nec probari: ergo humanitas Petri, & Petrus, solũ ex nostro modo concipiendi distinguntur, nullatenus vero ex natura rei.

Cæteri tamen Theologi vnanimiter sentiunt, non tantũ ex nostro modo concipiendi, sed ex ipsa rei natura, suppositũ, & naturam distingui. Quia tamen datur latitudo inter distinctiones ex natura rei, non omnes ibi æquale distinctionẽ admittunt. Cum enim distinctio sit passio entis, & consequatur ad ipsam, ita vt interduo entia realia, realis adsit distinctio, non vero vbi extrema realia non sunt: hinc est, q̃ illi, qui sentiunt suppositũ addere super naturam realitatem aliquam positiuam, inter naturam, & suppositũ, distinctionẽ realẽ admittunt. Et quidem adhuc de distinctione reali, non idem est modus loquendi, apud omnes. Nã Zumel loco citando, conc.3. inquit, suppositũ, & naturã distingui realiter: sed subdit, non dico: *quod distinguantur realiter, sicut duæ res, quorũ vna nihil includit alterius, qualis est distinctio inter Petrũ, & Paulũ: sed distinguntur realiter, quia aliquid reale includitur in supposito, quod non includitur in natura.* Medina vero vbi infra conc.2.ait valde cõsentaneum esse diuinæ Theologiæ, quod suppositũ, & natura singularis distinguantur tanquã duæ res distinctæ. Videndũ est igitur in hac controuersia, quid addat suppositum, seu persona supra naturam, & qualis distinctio sit vnius ad aliud.

4

Zumel.

Medina.

Thomistæ omnes in D.Th.3.p.q.4. ar.2.in corpore, & art.1.ad 3. tenent, naturã habere à suppositato entitatem aliquam positiuam, qua suppositatur formaliter: ideoque suppositũ de suo formali conceptu hanc realitatem positiuã importare, & eã addere supra naturã. Sic Cayetanus, & Medina ibidẽ, Ferrara 4.contra gentes c.43. Capreolus in 3.dist.5.q.3.cõc.2. Bañez 1.p.q.3.ar.3.conc.2. Zumel ibidẽ sua q.vni. & ex Iesuitis Suarez 2.tom. suæ metaph. disputa.34.section. 2. num.10. vsque ad finem sectionis, & section.3. & 4. Vazquez 1.par. disputatione 127.

5

2. Senent. D. Thomæ Cayeta. Medina. Ferrara. Capreolus. Bañez. Zumel.

Suarez. Vazquez.

n.2.&cõmuniter omnes. Quã sentẽtiã nõ paucis fulciunt argumẽtis. Primo ergo probatur à Cayetano (& est eius quintũ argumentũ in ordine) si Verbũ diuinũ assumpsisset Angelum, aut hominẽ præexistentẽ, cuiuslibet personalitas corrũperetur, vt D.Thom.& omnes Doctores fatentur: sed corrũpi, nõ est nisi entiũ: nihil enim moritur nisi viuens,& similiter nihil corrũpitur, nisi ens: ergo personalitas, seu suppositalitas, nõ est negatio, sed aliquod ens positiuum.

6 Secũdo sic arguit Medina,& est suæ tertiæ cõc.4.probatio: fides docet ex doctrina Sanctorũ, q̃ personalitas Verbi in Christo Domino supplet personalitatẽ humanã: ergo personalitas humana non est negatio. Patet cõsequẽtia; quia alias Verbum suppleret nihil: negatio enim nihil est.

7 Tertio sic arguit Bañez (& est secũda ratio, quã secũdã conclusionẽ suadet) persona diuina cõstituitur inesse personæ per aliquid reale positiuũ: ergo, & persona creata. Probatur consequẽtia, nã persona vnico cõceptu, quãuis analogo, dicitur de persona creata,& increata.

8 Quarto arguit Zumel (& est vltima probatio suæ 2.conclu.) omnis natura est propensa in suã subsistentiã,& personalitatẽ: sed appetitus naturalis, & realis, necessario debet esse in naturã aliquã positiuam realem: ergo personalitas est quid positiuum,& reale.

9 Quinto,& vltimo sic probat Suarez dictã sententiã) & est 4.argumẽtũ, quo oppositã impugnat) nã ex opposito sequitur humanitatẽ Christi esse tã cõpletã substantiã omni ex parte, sicut personã Pauli: sed hoc est falsũ: ergo &c. Sequela probatur, nã substãtia, in genere substãtiæ, nõ cõpletur per negationẽ: humanitas autẽ Christi, nihil minus habet, quã persona Pauli, nisi negationẽ: ergo nõ est minus substãtia cõpleta, quã persona Pauli. Nec valet si dicas, quod ob cõcomitantiã, & additionẽ Verbi, nõ est ita cõpleta: quia q̃ illi sit aliquid additũ, scilicet, Verbũ, non tollit complementum eius: nã res nõ fit incõpleta per additionem, sed per ablationem: nam per additionẽ potius fit plusquam completa.

§.2.

Ponitur vera Scoti sententia, & nonnulla eius fundamenta explanantur.

IN oppositũ autem est litera textualis in 1.art.huius q.7. in corp. vbi hæc inquit Doctor. *Suppositũ cõcomitanter, de necessitate est singulare, & nõ potest ẽs equo, respectu alterius: quia est subsistẽs nõ potẽs esse actus alterius subsistẽtis. Cõsistit ratio suppositi induplici incõmunicabilitate.* Circa hãc literã inter Scotizãtes nõ adhuc cõstat, quid Doctor senserit: nec ipsi interse cõformiter hanc difficultatem determinãt, eo q̃ ex verbis ipsius diuersæ sententiæ colligi videãtur. Nõnullis etenim prædictis, & alijs Thomistarũ argumentis, conuicti eorũ sententiã probabiliorem recẽsent, inter quos sunt P.Rada 1.p.cõtr. 22.ar.2.§. *sed sententia opposita*, & alij. Pater vero Herrera,& plerũq; omnes, illã probabilẽ iudicãt, ipse, scilicet, in 2.dist.5.q.3.cõ.2.in cuius fauorẽ citat Seraphicũ P.N.D.Bonauẽturã, cuius dignissima auctoritas nos inuitat ad hui⁹ sententiæ probabilitatem cõcedendã, ac etiã Ricardũ, Alexandrũ Alensem 3.p.q.4.memb.6.vsque ad 8. Alij vero nõ per positiuũ, sed duplicem negationem suppositari naturã affirmant, vt sunt Bassolis in 3.dis.1.q.1.ar.1. Maironis ibidem q.11. Aureolus apud Capreolũ in 3.dist.5.q.3. Tatharetus ibidem dis.1.art.3.& in quodlibetis q.19 & ex Nominalibus OKã in eodem 3. q.1.Marsilius ibidem ar.1.Gabriel dis. 1.q.1.quã sentẽtiã etiã probabilem reputãt P.Rada,& P.Herrera vbi supra, ac doctissimus Magister meus P.Ioannes de Ouãdo in 3. dis.1.q.3.ar.3.fui Cõtenti fol.29.Faber in dist.12. cap. 3. Ex his autem duabus vijs, vtramque probabilem esse tenet Doctor in 3. distinctione 1.quæst.1. sub litera D. & nullam assertiuè defendit: sed secũdam videtur sibi amplecti, non assertiuè, sed sub quadam mediocritate,& quasi confitens se non aliquid determinatè circa illã asserere, dum ait, *Non asserendo, potest mediari inter istas vias, nec concedendo cum prima via aliquam entitatem positiuam esse in natura intellectuali, &c. nec cum secunda concedendum est, quod sola negatio dependentiæ ad personã extrinsecam, sit complectiuum formale in*

Rada. Herrera. D Bonauẽ Ricardus. Alex and⁹ Baßolis. Maironis. Aureolus. Tatharet. OKam. Marsilius. Gabriel. Rada. Herrera. Ouando. Faber.

ratione

ratione perſonæ &c. Ex quibus tria habemus circa ſentẽtiã Doctoris. Et quidẽ primũ, vtrãque ſentẽtiã (vt dixi) probabilẽ eſſe: & ex cõſequẽti neutrã deuiare ab eius mente. Secũdũ eſt, circa neutrã ſe aſſertiuè determinaſſe. Tertiũ tãdẽ, q̃ etiã non aſſertiuè, ſed probabiliter quãdãſententiã mediã inueniſſe, quã ipſe ibi explicat latè. Et ex conſequenti infero nullũ, etiam puriſsimũ Scotiſtam, ab Schola Doctoris deuiare, quantũuis ad vnam, ſeu alterã, aut ad mediam ſententiam inclinet.

11 Quo ſuppoſito, iam alij ſubtilius inter præcedentes mediã elegerũt ſentẽtiã, nõ admittẽtẽ cũ priori, naturã per aliquã ſibi additã entitatem, ſeu poſitiuã realitatẽ, ſuppoſitari: nec concedẽtẽ cũ poſteriori formaliter per meras negationes id fieri. Ponitur ergo naturã ſuppoſitari per quẽdã modũ ſubſtãtialẽ, qui quãuis non ſit realitas, ſeu entitas ſuper addita ſubſtantiali naturæ, nihilominus modus realis poſitiuus eſt. Et quãmuis formaliter nõ ſit negatio: optimè per duplicẽ negationẽ exponitur: qui quidẽ modus formaliter nihil aliud eſt, quã vltima ſolitudo naturæ. Quod tetigit Doctor dum inquit ſub lit. L. eiuſdẽ nuper citatæ quæſtionis, §. *ad primã probationẽ cũ aſſumitur, quod per ſe exiſtẽtia in natura intellectuali eſt perſonalitas, nego, vniuerſaliter, accipiendo perſe vt prius, vt ſcilicet, diſtinguitur cõtra ineſſe alij: quia ad perſonalitatẽ requiritur vltima ſolitudo, ſiue negatio dependentiæ actualis, & aptitudinalis ad perſonã alterius naturæ.* Hunc modũ dicendi vt probabiliorẽ amplectitur Lychetus in 3. diſt. 1. q. 1. §. *hæc ſecunda ratio,* quatenus ait, formaliter perſonalitatẽ eſſe quid poſitiuũ, nõ tamẽ eſſe ſubſtãtiã, aut accidẽs formaliter, ſed eſſe aliquid ſubſtantiæ: quã ſententiam deffẽdũt Herrera vbi ſupra conc. 4. & Ouãdo loco citato concl. 2.

Lychetus. Herrera. Ouando.

12 Pro huius tamen difficilis cõtrouerſiæ clara intelligẽtia, primo obſeruare oportet, eſſentiã, exiſtentiã, ſubſiſtentiã, hypoſtaſim, ſeu ſuppoſitalitatẽ, & perſonalitatẽ, interſe differre. Eſſẽtia etenim, vt ſic, nõ includit exiſtẽtiã, nec exiſtẽtia ſubſiſtentiã: nec ſubſiſtẽtia, vt ſic præciſe includit hypoſtaſim: hypoſtaſis autẽ ratione ſuppoſiti dicit: ſuppoſitalitas autẽ nõ eſt perſonalitas, benè tamẽ è contra: omnis perſona dicit perſonalitatẽ, & ſuppoſitalitatẽ, & hypoſtaſim, & omnis hypoſtaſis ſupponit ſubſiſtẽtiã, & omnis ſubſiſtẽtia exiſtentiã, & omnis exiſtentia eſſentiã. Eſt itaque eſſẽtia, vt ſic, ipſa rei diffinitio abſtractiuè cõſiderata, abſtrahẽdo, ſcilicet, ab omni prædicato nõ eſſentiali. Vnde cũ abſtractiua cõſideratio nõ pendeat ex obiecti exiſtentia, ſicut intuitiua: hinc fit, quod de obiecto exiſtentia tamen abſtracta, imò & de obiecto non exiſtente, ſed tantũ habẽte merũ eſſe eſſentiæ in potentia obiectiua Dei, poteſt dari huiuſmodi abſtractiua notia: ac ideo peremptis vniuerſis naturæ indiuiduis, & exiſtẽtijs: adhuc eſt dabilis cognitio abſtractiua eſſentiæ.

Quid ſit eſſẽtia.

Quid ſit exiſtentia.

13 Exiſtentia vero eſt modus quidã intrinſecus realis cõſtituens formaliter eſſentiã in eſſe reali: ita quod implicat eſſentiã realitatẽ aliquã habere abſque exiſtentia. Eſt enim illud, quo eſſentia formaliter eſt extra nihil, & extra ſuas cauſas atque in rerũ natura, & quo tandẽ eſſentia eſt formaliter res. Vnde fit, quod quãuis exiſtentia ſit primũ prædicatum accidentale eſſentiæ; tamen loquendo in eſſe reali, exiſtentia eſt de quidditate eſſentiæ. Hoc intelligitur de exiſtentia creata, nã exiſtẽtia diuina, vt ſupra in ſuo loco reſoluimus, eſt de quidditate ipſius eſſẽtiæ, etiã in præciſo eſſe eſſẽtiæ: In creatis tamẽ, etſi non ſit de quidditate eſſentiæ in præciſo eſſe eſſẽtiæ: eſt nihilominus de eius quidditate in eſſe reali. Cuius oppoſitum miror docuiſſe Patrẽ Herrera in 2. diſt. 5. q. 3. conc. 1. & 3. Non enim videtur loqui cõſequenter ad ea, quæ docuerat in quæſt. 1. eiuſdem diſputationis. Vt etenim Doctor aſſerit in quodlibetis q. 1. litera I. vita intellectualis eſt idem formalirer eſſentiæ, ſeu cum eſſentia: quia includitur in ratione, & cõceptu formali illius: quem ſequitur Pater Rada 1. p. cõtrouer. 4. ſub explantatione opinionis Doctoris notabili 4. vbi dicit, quod illud eſt formaliter ex natura rei idem alteri, quod eſt de conceptu formali illius. Vnde quia rationale eſt de conceptu formali hominis, eiuſque diffinitionẽ

intrat,eſt idem formaliter illi. Sic in propoſito,quia exiſtentia eſt de conceptu formali eſſentiæ in eſſe reali,eſt eadem formaliter illi.

14 *exiſtentia conuenit ſubſtantiæ & accidenti,& inquolibet ſuppoſito multæ exiſtentiæ reperiũtur.*

Ex quibus infero,quod exiſtẽtia nõ magis conuenit ſubſtantijs, quã accidentibus. Si enim quælibet eſſentia in eſſe reali eſſentialiter pẽdet ab exiſtẽtia,non minus conſtituitur accidens in eſſe reali ab exiſtentia,quã ſubſtantia,& conſequenter nõ magis conuenit iſti,quã illi. Ex quibus patet plures exiſtẽtias cõpoſibiles eſſe in eodẽ ſuppoſito. Tot enim ibi eſſe poſſunt exiſtẽtiæ,quot poſſunt eſſe entitates in eſſe reali: & ex conſequẽti albedo, ſciẽtia, quantitas,& cætera accidẽtia, quæ Petro v.g. inhærent,non ipſius Petri exiſtentia: ſed propria vnũ quodque exiſtentia,exiſtit,& habet eſſe reale.

15 *Subſiſtere tribus modis accipitur.*

Subſiſtentia vero ſecundũ ſuã præciſam,& formaliſsimam rationẽ (omiſsis varijs pluriũ Doctorũ placitis) nihil aliud eſt,quam per ſe exiſtentia. Vnde ſubſiſtere a Philoſophis tribus præſertim modis accipitur. Primo quidem pro eſſe per ſe,prout opponitur cõtra eſſe in alio tanquã in ſubiecto in hæſionis. *In* hoc ſenſu loquutus eſt Scotus in §. nuper citato,dum dicit, *Cum dicitur,quod illius exiſtentia,eſt per ſe exiſtentia: concedo ſecundum,quod per ſe exiſtere diſtinguitur contra meſſe: quod conuenit accidenti.* Quo pacto omnis ſubſtantia,ſiue prima,ſiue ſecunda tã cõpleta, quã incompleta, ſubſiſtere dicitur. Et ſic non tantũ ſubſtantiæ ipſæ, quæ formaliter,& directè in ſerie ſubſtantiæ collocantur: ſed etiam ſubſtantiarũ partes,& modi ſubſtantiales, & quæcumque ad prædicamẽtum ſubſtãtiæ reductiuè, aut indirectè, aut identicè, aut quomodolibet pertinent, ſubſiſtunt. Secundo vero modo ſubſiſtere ſumitur, prout opponitur contra eſſe in aliquo, a quo in ſuo eſſe dependet. Et hoc quidem modo, negamus ſecundas ſubſtantias ſubſiſtere: quia ita ſunt in primis, vt ab illis in ſuo eſſe dependeant: ac etiam formas ſubſtantiales, quæ educuntur de potentia materiæ: quia natura ſua, niſi in materia, eſſe nõ poſſunt: hoc modo ſubſiſtere non admittimus. Et ipſi materiæ primæ, ſecũdum opinionẽ eorum, qui dicunt eſſe purã potentiam, eo quod ſine forma, nec per abſolutam Dei potentiã, eſſe poſsit, hęc ſubſiſtentia nõ conceditur. Imò nec ſubſtantias quidem ſingulares finitas,& completas, ſecũdũ quod in abſtracto concipiuntur, vtpotè humana naturã, ſcilicet, humanitatẽ, etiã in ſingulari cõſideratã, hoc modo ſubſiſtere intelligimus: quia ab aliquo ſuppoſito in ſuo eſſe dependet. Quemadmodum fide credimus humanam Chriſti naturam à Verbo pendere ad ſuum eſſe ſubſiſtentiæ. Vnde, nec ipſa Chriſti humanitas hac ſubſiſtẽtia ſubſiſtit. Hac tamen ſubſiſtentia verè ſubſiſtit anima rationalis, non ſolum vt ſeparata, ſed etiam in corpore, ſeu in toto cõpoſito exiſtens: quia cum independenter à corpore,& toto compoſito creatur (quamuis deſtinetur ad ipſum) cõſequenter in ſuo eſſe, nec à corpore, nec à cõpoſito pendet: & ideo hac ſecunda ſubſiſtentia, ſubſiſtit.

16

Sed cõtra, quia videtur ex dictis manifeſta contradictio: nã humanitas formaliter in conceptu ſuo includit animam rationalẽ: ergo ſi anima rationalis ſe ſola ſeparata, aut etiã coniuncta corpori in humanitate ſubſiſtit: à fortiori humanitas iſta hoc ſecundo modo ſubſiſtendi ſubſiſtet. Hæc obiectio facile ſolui poteſt prænotando, humanitatẽ ſupponere pro coniunctione, & nexu organici corporis cũ anima rationali, ex quibus tanquã ex partibus eſſentialiter cõponentibus, vna ſingularis tertia entitas reſultat. Hæc autẽ entitas dependẽter ſe habet, ita vt, nõ poſsit niſi in proprio, ſeu alieno ſuppoſito ſubſiſtere: atque ideo (vt infra patebit) ſi Verbum diuinum humanitatẽ dimitteret: per nullam potentiam etiam abſolutã poſſet per ſe exiſtere ſine propria, aut aliena perſonalitate. Quamuis enim Suarius in 2.tom. ſuæ metaph. diſp. 34. ſect. 2. n. 20. dicat de potentia abſoluta Dei, naturam poſſe conſeruari ſine ſubſiſtẽtia, aut ſuppoſito proprio, ſeu alieno: & quidẽ Lychetus (et hoc mirum eſt mihi) confirmat in 3. diſputatio. 1. quæſtione. 1. §. *dico primo*, dum inquit ſe non habere pro conuenienti, quod Deus faceret naturam humanam ſingularem in ſe manere abſque aliqua perſonalita-

Opinio de entium poſſe Deum cõſeruare naturam ſingularem, ſine perſonalitate propria, aut aliena. Suarez. Lychetus.

nalitate: nihilominus, vt verius, & cõformius literæ Scoti oppositũ tueor. Atque ita si in prædicto casu Verbum humanitatẽ dimitteret, proculdubio sine aliqua noua actione, aut creatione pullularet, & emanaret ex ipsa natura propria personalitas, qua formaliter esset persona, & personata subsisteret. Ex hoc ergo, quod natura sic dependenter ad suppositũ habet esse: habetur naturam, à se non subsistere: sed à suppositi subsistentia. Quod autem anima rationalis prædicto secundo modo subsistat, nõ infert in ipsa natura, quam componit, huiusmodi modum subsistendi: quia talis subsistentia animæ conuenit, eo quod independenter ab aliquo habet esse. Hoc autẽ naturæ deficit: quia non potest habere esse, nisi in suppositio alieno, seu proprio: & ideo dependenter à suppositio habet esse. Quãuis enim eius pars principalis, scilicet, anima rationalis, ex se subsistere habet propter indepẽdentiam ad sui esse: nihilominus natura, quæ vtriusque partis cõponentis, nexum, & substantialem vnionem importat: non potest se sola conseruari sine subsistentia suppositi: quia entitas ex duplici parte resultans, nempe humanitas, ex sua intrinseca ratione petit subsistere personaliter: & ideo dependenter à tali subsistentia habet esse: & ex consequenti, nõ potest prædicto secundo modo subsistendi subsistere.

§. 3.

Expẽditur in quo consistat rigorosa subsistentia, in quo ve hypostasis, seu suppositum.

17 *Quid sit subsistentia in rigore.*

TErtio tamen sumitur subsistentia pro perfecto esse, & existere perse, quod omnem ordinẽ & potentiã ad intrandũ veram cõpositionẽ per modũ partis excludit. Quo pacto animã rationalẽ subsistere non admittimus: quia quamuis in suo esse à corpore non dependeat, vt dictũ est: tamen veluti pars vera, cũ ipso corpore totũ cõponit: quod quidẽ subsistere in hac consideratione nõ admittit. Hæc ergo subsistentia supponit naturam cõpletã, & totale esse naturæ, & ip sam vltimate cõplet, & actuat: est enim idẽ subsistere, quod perse independenter existere, & per se stare: perse autẽ existere, aut perse stare, idẽ est, quod non accipere hunc modũ per se stãdi ab alio, sed illũ à se habere. Et ista subsistentia formaliter est quidã modus positiuus realis, quo natura prædicto modo, perse, & à se, independenter ab alio habet esse reale, & realiter positiue subsistit. Hic autẽ modus realis positiuus, qui subsistentia est (vt optimè aduertit Pater Ouãdo loco citato pag. 56. co. 1. abstrahit ab hoc, quod est subsistere communicabiliter, vel incõmunicabiliter: quod etiam fatetur Suarez disp. prædicta 34. sect. 5. n. 1. dicens quod incommunicabilitas non est de ratione subsistentiæ vt sic. Verũ est tamen, quod subsistẽtia hæc non re ipsa, necessario debet esse cõmunicabilis, vel incommunicabilis, sicut animal, necessario debet esse rationale, vel irrationale, si existat in re: quia genus non datur in re, nisi in specie, neque species, nisi in indiuiduo. Sicut ergo, non obstante, quod alterum illorũ necessario debet animali competere in re ipsa, non inde tollitur, quin animal secundum se prẽconcipiatur antecedenter ad differentias, & secundũ suũ conceptum formalem ab illis abstrahat, & possit concipi sine illis. Sic non obstante, quod subsistẽtia, necessario debeat esse communicabilis, vel incõmunicabilis in re: hoc nõ tollit, quin subsistentia in se sit prior communicabilitate, & incommunicabilitate, ab illisque abstrahat: ac per consequens, quin possit vt sic secundum se concipi: in quo conceptu præcisæ, & formalis rationis subsistentiæ, nec intret communicabilitas, nec incommunicabilitas. Hæc est expressa mẽs Scoti in dist. 25. q. vni. ar. 2. lit. D. vbi ait subsistere esse indifferens ad subsistere absolutum, & relatiuum, quod idem est.

Ouando.

Suarez.

Subsistentia de se nec est communicabilis, nec incõmunicabilis.

Ex hoc concedit Doctor in 3. lib. dist. 1. q. 2. lit. A. essentiam, & Deitatẽ se ipsa antecedẽter ad personalitates, subsistere: ita quod subsistentia Dei, vt sic, communicabilis est: quia illa omnes tres personæ subsistunt, ea

18 *Datur in Deo subsistentia communicabilis.*

ratione, qua quælibet illarum eſt formaliter Deus. Vnde ſubſiſtentia hæc differt à ſubſiſtentia creata, imo, & à ſubſiſtentijs diuinis perſonalibus, per rationem cõmunicabilitatis: quia qua tenus hæc communicabilis eſt, diſtinguitur ab alijs, quæ incommunicabiles ſunt. Vna ergo dumtaxat eſt ſubſiſtentia cõmunicabilis, illa, videlicet, qua Deus abſolute ſubſiſtit. Cæteræ vero, tam diuinæ perſonales, quàm omnes creatæ ſubſiſtentiæ, incommunicabiles ſunt. Ab incommunicabili vero, & à communicabili ſubſiſtentijs, eſt abſtrahibilis præciſus conceptus ſubſiſtentiæ, qui tantum importat modum perſe completè, & independenter exiſtendi, ſeu perſe ſtandi, quo quidem modo natura ſingularis, completiuè, & perfectiſsimè, habet eſſe in rerum natura. Ex quo habetur, Deum etiam, vt abſolutè ſubſiſtit, perfectiſsimum eſſe hoc modo habere. Atque ita ſi in rebus creatis, aliqua natura ſubſtantialis ſingularis hoc modo etiã ſine incommunicabilitate ſubſiſteret procul dubio non minus perfectè, & formaliter ſubſiſteret, quã ſi ſubſiſteret incõmunicabiliter, ſicut de facto ſubſiſtit. Quia incommunicabilitas non intrat formalem conceptum ſubſiſtentiæ vt ſic: non tamen ſubſiſteret perſonaliter: quia de ratione perſonalitatis eſt incommunicabilitas: haberet tamen, quidquid reale poſitiuum eſt in perſona. Hoc fit manifeſtum in Deo, qui non minus perfectè ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta, qua ſubſiſtit, vt Deus, quàm ſubſiſtentijs incõmunicabilibus, quibus perſonaliter ſubſiſtit. A fortiori hoc diceretur de natura: quia natura creata, ſi cõmunicabiliter ſubſiſteret, vel ſaltim non incommunicabiliter, haberet omnem modum poſitiuum realem, quem nũc habet perſona: & tantum ſibi deficeret incommunicabilitas, quæ negatio eſt. At vero in *Deo*, naturæ abſolutè ſubſiſtenti quaſi adueniunt ſubſiſtentiæ incommunicabiles perſonales, quæ quamuis incommunicabilitatem importent, ſunt nihilominus entitates poſitiuæ, & veræ origines, & relationes diuinæ. Si igitur huiuſmodi ſubſiſtentijs perſonalibus abſtractis, *Deus* perfectiſsimè ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta: a fortiori, ſingularis natura creata non minus perfectè ſubſiſteret, omni ratione incomunicabilitatis ſublata, à ratione formali, ſeu modo ſubſiſtendi, qua nunc de facto incommunicabiliter in eadem ſubſiſtentia ſubſiſtit.

19 *Cur ſubſiſtentia abſoluta in Deo eſt communicabilis, & creata in creaturis eſt incõmunicabilis, ac etiã increata relatiua.*

Porrò ſi quæras, vnde proueniat ſubſiſtentiæ abſolutæ Dei communicabilem eſſe, & ſubſiſtentijs creatis, eſſe incommunicabiles? Reſpondeo (alijs relictis rationibus) hoc prouenire ex infinitate, vel finitate, ſeu etiã nõ finitate naturæ, ſeu (inquam) ipſius ſubſiſtentiæ: nã quia diuina natura, & eius abſoluta ſubſiſtentia, eſt formaliter infinita, & formaliter illimitata: ideo *Deus* perfectiſsimè ſubſiſtit tali ſubſiſtẽtia, abſque eo quod ad eam conſequatur incommunicabilitas: quinimo ipſi naturæ diuinæ, vt ſic abſolutè ſubſiſtenti naturaliter, neceſſario, & exintrinſeca fæcunditate ipſius naturæ conuenit tribus ſuppoſitis communicabilẽ eſſe. Attamen ſubſiſtentiam creatam, eo quod nõ eſt infinita, nec illimitata, cõſequitur incõmunicabilitas, ita vt nequeat amplius cõmunicari. Qua etiã ratione poteſt dici, ſubſiſtentias perſonales in diuinis incommunicabiles eſſe, quia formaliter infinitæ nõ ſunt. Ex eo enim quod incommunicabiles ſunt, probat Scotus infinitas non eſſe: quia ſi infinitæ eſſent, profectò perfectiones ſimpliciter eſſent. De ratione autem perfectionis ſimpliciter, eſt cõmunicabilitas, prout latè tradit Doctor in 1.artic.huius 7.quæſtionis, & nos ibidem in commentarijs noſtris expoſuimus. Ex quo deducitur, ideo incommunicabiles eſſe, quia perfectiones ſimpliciter, & formaliter infinitæ non ſunt.

20 *Quid ſit hypoſtaſis.*

Hypoſtaſis vero nomen eſt Græcũ cuius ethymologiam exponunt nonnulli latiſsimè, quam ego aliqualiter admitto. Quamuis enim dicant conuerti cũ ſubſiſtẽtia: hoc debet intelligi, quatenus ſubſiſtẽtia perſonalis eſt: nõtamẽ loquẽdo de ſubſiſtẽtia vt ſic, quia (vt nuper diximus) ſubſiſtẽtia in ſuo cõceptu formali non includit incommunicabilitatem, & ideo abſoluta Dei ſubſiſtentia nõ eſt hypoſtaſis:

quia

quia in Deo, licet concedamus tres subsistentias personales,& vnam absolutam,non ideo quatuor hypostases admittimus.Est ergo hypostasis idem quod subsistentia incommunicabilis. ex quo vnio humanitatis ad diuinam personam, tanquam ad hypostasim, vocata est vnio hypostatica. Duo igitur dicit hypostasis,dixit etenim subsistentiam positiuam, & incommunicabilitatem,quæ ad ipsam consequitur. Non quidē,quod ista duo sint duæ formalitates distinctæ:quāuis etenim concipiamus subsistentiam,vt sic, abstrahentem à communicabili,& incōmunicabili,non quidem abstrahimus conceptum aliquem realem à duplici realitate,vel formalitate,seu à duabus rationibus formalibus, quibus positiue contrahitur,eius instar modi, quo genus contrahitur per differentias: sed concipimus ibi quandam conuenientiam conceptus formalis:quo intellectus intelligit præcisam rationē subsistendi,in illo prædicto modo per se stando,vel existendi consistere. Incommunicabilitas autem non propterea addit formalitatem aliquam supersistentiæ personali,ab ipsa subsistentia distinctam:sed est quædam negatio, quæ conuenit naturæ ratione subsistētiæ. Negatio etenim non potest alicui competere,nisi ratione alicuius affirmationis:sicut irrationale,non est aliqua differentia cōtrahens animal,quia animal,non nisi per positiuas differentias contrahitur:sed conuenit equo v.g ratione inhibilitatis,quæ est positiua differentia eius,& sic de omni negatione in vniuersum est verum. Nec sufficit hæcceitas,qua natura singularis est hæc,vt ratione huius affirmationis sibi conueniat negatio communicabilitatis:nam tunc humanitas Christi Domini,quæ habet hanc hæcceitatem,qua singularis,realiter,& formaliter est,esset consequenter persona: quia sibi negatio competeret tanquā consequuta ad huiusmodi affirmationem: quod falsum est. Vnde necessario fatēndum erit incommunicabilitatem ratione alterius affirmationis naturæ competere. Hæc ergo affirmatio nihil aliud est,quā subsistētia personalis,quæ formalissimè,prout ab absoluta communicabili distinguitur, nihil aliud dicit,nisi quod modus ille perse indepēdēter existēdi,& perfectissimè perse standi,est modus solitarie existēdi. Et hic modus solitarie existendi explicatur per duplicem negationē communicabilitatis,qua natura singularis fit incommunicabilis,vt quo,& vt ꝙ. Et hic talis modus formaliter est hypostasis. Hoc probatur ex Doctore infra in distin.23.quæst.vnica art.11. in cōrpore,vbi ait, personalitatem esse modum positiuum explicatum per duplicem negationem: vel quidem significare negationem per connotare duplex positiuū,scilicet, naturam, & modum habendi naturam.

Negatio nulli conuenit nisi ratione alicuius affirmationis.

Inquo ratio suppositi consistat.

21. *Quid sit suppositum.*

Suppositalitas autem idem prorsus est,quod hypostasis:& sic in cōcepto suo formali dicit incommunicabilem subsistentiam:ita quod subsistentia,quæ (vt dixi)est modus positiuus realis per se existendi (qui modus est vltimæ solitudinis,ad quē duplex negatio cōmunicabilitatis consequitur) est formaliter suppositū,seu ratio suppositi,aut suppositalitas:quæ ratio nō nisi in natura substantiali reperiri potest. Quæ natura,si cōpleta,& integra natura est, & habet per se existere, prout existere distinguitur cōtra esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis,sicut humanitas Christi perse existit etiam in Verbo:& habet per se existere in suppositio proprio,vel alieno à subsistentia incommunicabili ipsius suppositi:& vt sic idem est perse existere suppositaliter,quod incommunicabiliter subsistere. Cum ergo importet suppositalitas,scilicet,hunc modū realem positiuum subsistendi,& duplicem negationem communicabilitatis, quę ad ipsum modum consequitur,& perquam huiusmodi subsistentia explicatur:saluatur medietas opinionū: quod, scilicet, ratio suppositi non addit supra naturam singularem aliquam entitatem realem positiuam: nec quidem meram negationem: sed modum realem positiuum, qui formaliter,nec est entitas realis, nec negatio alicuius entitatis, sed modus rei, ad quem prædicta negatio ex necessitate intrinseca ipsius modi consequitur.

Suppositalitas non est entitas sed modus entitatis.

Esse quidem rationem ſuppoſiti, ſeu ſuppoſitum pro formali, modum realem, & non entitatem realem, conſtare poteſt ex differentia, quæ eſt inter rem, & eius modum: nam modus rei, non eſt res, nec entitas, nec ens, nec aliquid: tunc etenim in infinitum procederemus inueſtigando cuiuslibet modi ſuum modum, ſicut cuiuslibet rei eius modū inquirimus. Et hoc voluit dicere Lychetus loco citato, quando admittē do ſuppoſitalitatem eſſe quid poſitiuum: negauit formaliter eſſe accidens, ſeu ſubſtantiam: quod quidem negare non poſſet, ſi ſuppoſitalitas eſſet formaliter ens, ob adæquatam diuiſionem entis in accidens, & ſubſtantiam. Dixit ergo, quod ad ſubſtantiam reducitur, & cum illa identificatur: quia modus rei ad eiuſdem rei prædicamentum reducitur, & pertinet indirectè. Vndè præclarius hoc illuſtrauit Ioānes Ballonis in formalitatibus ſuis de mente Scoti, in impreſsione Parriēſi, fol. 149. pag. 1. dicendo, quod modus non eſt ens, ſed entis, nec eſt res, ſed rei. Acſi aperte oſtendat modum perſe nihil aliud eſſe, quam entis, ſeu rei circumſtantiam (vt ita loquar) quia non potuit directè explicare, quid eſſet modus: & ideo in recto ipſum non diffiniuit, ſed in obliquo, per eius fundamentum, ipſius modi intelligibilitatem exponit dicendo, non eſſe formaliter ens, ſed entis, & ideo ad prædicamentum talis entis, cuius eſt, reductiuè, & indirectè pertinere. Ex quo conformiter loquendo docet Syrectus in eiſdem formalitatibus pag. 142. quod modus de ſe nullam rationem formalem dicit, & ideo eſt inconceptibilis perſe: quia neceſſario, vt concipiatur, debet concipi cum illo, cuius eſt modus: ac propterea non diſtinguitur à re, cuius eſt modus, diſtinctione aliqua poſitiua reali, aut formali: quia nō valet dicere, modus præciſa re, cuius eſt modus, formaliter eſt aliqua entitas: ſed benè negatiuè diſtinguitur modus formaliter, à re cuius eſt modus, dicendo, videlicet, hoc formaliter nō eſt illud, aut hoc realiter nō eſt illud. Nam modus à re inſeparabilis, qualis eſt exiſtentia, formaliter negatiuè diſtinguitur â re, cuius eſt modus. Et ſic valet dicere: exiſtentia formaliter eſt non eadem eſſentiæ: non tamen valet dicere, exiſtentia diſtinguitur formaliter ab eſſentia: quia quādo extrema, entitates poſitiuæ nō ſunt, nō datur inter ea poſitiua diſtinctio: ſed negatiua, ſeu non identitas. Modus vero ſeparabilis â re, cuius eſt modus, qualis eſt ſubſiſtentia incommunicabilis increatis (vt patet in Chriſti Domini humanitate, quæ ſine ſubſiſtentia eſt) datur realis diſtinctio negatiua, dicendo ſubſiſtentia realiter non eſt eadem naturæ. Cum ergo dicamus rationem cōſtitutiuam ſuppoſiti, eſſe modum quē dam realem poſitiuum, non ideo concedimus eſſe aliquam entitatē de nouo additam illi, qua natura eſt talis, vel talis: ſed tantum eſſe modum quē dam, realiter poſitiuum, quo natura eſt nunc realiter, & aliter poſitiuè modificata, quàm antea erat.

Lychetus.

Ioan. Ballonis.

Modus in trinſecus non eſt ens, ſed entis, nec diſtinguitur poſitiue à re, cuius eſt modus.

Syrectus.

§. 4.

Oſtēditur quid ſit perſona, & quid prima ſubſtantia.

23

PErſonalitas tandem nihil formale addit ſupra rationem ſuppoſiti, ſed formaliter eſt idem cum illa. Vnde in ſenſu formali hæc tria, videlicet, hypoſtaſis, ſuppoſitū, & perſona, ſunt idem. Differunt tamen ſuppoſitum, & perſona materialiter: hypoſtaſis vero materialiter, & formaliter, vtrumque, nempe ſuppoſitum, & perſonam, complectitur. Atque ideo ſuppoſitum, & perſona, vtrūque formaliter eſt hypoſtaſis, & materialiter eſt hypoſtaſis: non tamen ſuppoſitum eſt perſona, licet benè perſona ſit ſuppoſitum. Differunt igitur, ſuppoſitum, & perſona, quia hæc tantummodo in natura intellectuali reperiri poteſt: illud vero in quacumque natura ſubſtantiali eſt. Vnde ad vtriuſque differentiam ſic poſſunt deſcribi: *Suppoſitum eſt ſubſtantialis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia*, perſona vero, *eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia.* Ex qui-

Quid ſit perſona, & quomodo à ſuppoſito diſtinguatur.

Diffinitiones ſuppoſiti & perſonæ.

quibus constat, nullã differentiã esse in conceptu formali, quia vtrumque pro formali dicit incommunicabilem subsistentiã: benè tamen pro materiali, videlicet, quia persona intellectualem tantumodo naturã postulat, suppositum vero quamlibet substantialem.

24 Ex his verò quædam sequuntur cõcreta, quæ prædictis abstractis correspondent. Pro quo secundo obseruare oportet, his seu sæpissime nominibus vti Doctores, quorũ aliqua synonima sunt, cætera vero tanquam includens & inclusum se habent. Priora sunt singulare, indiuiduum, & vnum numero, quæ quidem quamquam nonnulli distinctis significatis accomodent (inter quos est Zumel, vbi supra notab. 1. dicens, quod singulare dicit naturã incommunicabilem cum respectu ad superiora: indiuiduum vero dicit naturam incommunicabilem singularẽ, cum negatione diuisionis, per ordinẽ ad inferiora: quæ distinctio, non mihi displicet) re tamen vera, vt optimè notauit Tatharetus lib. prædicamentor. cap. de prædicamento substantiæ quæstione vnica scibili tertio, idem prorsus significant, & ipsa, ac eorum significatum, in quolibet prædicamento inueniuntur. Sic tamen diffinitur singulare, aut indiuiduum, seu vnum numero, est cui repugnat diuidi in plures partes subiectiuas, de quibus prædicetur. Conuenit tamen indiuiduo, seu singulari, huiusmodi repugnantia, ex entitate quadam positiua, qua formaliter, & positiuè est tale. Hãc entitatẽ vocauit Scotus hoc nomine hæccei-tas, quia per illam natura est hæc, & nõ datur sine reali existentia, quia eadem ratione, qua natura est hæc, & singularis, realiter à se habet existere.

Zumel.

Tatharet.

Quid sit singulare, seu indiuiduũ, & quomodo inter se conueniant

25 Posteriora vero sunt, prima substantia, suppositum, & persona. Et quamuis Suarez in sua metaphysica dispu. 34. citata sect. 1. n. 4. & 9. & alij arbitrẽtur, quod hæc tria in creatis idem significant, licet in diuinis sint distincta: falluntur (meo videri) in primo. Nam tam in diuinis, quàm in creatis, hęc tria distinctos formant conceptus, diuersaque significata important. Conueniunt ergo hæc tria inter se, in hoc quod est tantum in prædicamẽto substantiæ inueniri posse, in quo differũt à prioribus, quę etiam reperiuntur in accidentibus. Prima itaque substantia tria importat, scilicet, subsistere, substare, & relationem dicere ad secundã substantiam, respectu cuius dicitur prima. Ex istis autem, substare sumitur dupliciter, primo proprie se stare, iuxta modum, quo supra de illo loquimur, & sic idem est, quod subsistere. Secundo pro potentia passiua, ad standum sub accidentibus. Qua quidem interpretatione vtuntur plures dicentes, primam substantiam eo substare, quia accidentibus substat. Ex his ergo subsistere, & substare primo modo, perfectionem dicunt, substare vero secundo modo, & relatio ad secundam substantiam, imperfectionem inuoluunt. Priora sunt de essentia primæ substãtiæ, scilicet, subsistere, & per se stare. Posteriora vero minime, sed illi ex modo finitatis conueniunt. Ex quo colligitur à Deo, & creaturis posse abstrahi conceptum primæ substantiæ imperfectionibus sublatis, quæ vt sic præcisè loquendo rationem suppositi non includit, sicut nec subsistentia, vt sic incommunicabilis est. Atque ideo Deus, vt est indiuiduum Deitatis, est formaliter prima substantia, eadem prorsus ratione, qua formaliter subsistit. Et ideo licet in creatis omnis prima substantia sit suppositum, eo quod omnem subsistentiam creatam consequitur incommunicabilitas: non tamẽ eo præcisè, quod est prima substantia, est suppositum, sicut subsistentia, non eo præcisè, quod est subsistentia, est incommunicabilis.

Prima substantia, suppositum, & persona, diuersos conceptus important.

Prima substantia.

Quid sit, & quomodo perfectionẽ & imperfectionem inuoluat.

Deus dicitur prima substantia.

26 Ex his infero naturam humanam Christi Domini, non esse primam substantiam, quamuis sit singularis, & indiuidua, & de se hæc realiter existens à se, prout docet Scotus in 3. distin. 1. quæst. 1. litera D. in quo deceptus est Pater Ouando loco citato pag. 29. colum. 1. dicens: quod substantia benè potest esse prima, & singularis, etiam si sit alteri vnita, cuius oppositum certum est apud omnes, pro quo videndus est Suarez 2. tom. metaph. dispu. 34. sect. 1. num. 7. Quamuis enim benè possit natura singularis, & à se realiter

Ouando

Suarez.

existens, substantialiter alteri vniri: nihilominus tamen hæc talis natura non erit prima substantia: hoc enim concedere absit. Nam cum prima substãtia includat formaliter subsistẽtiã: daretur tunc Verbum diuinum naturam subsistentem assumpsisse, quod nullus Catholicorum admittet. Cum enim subsistentia creata sibi coniunctam ab intrinseco habeat incommunicabilitatem, necessario, vbi est subsistentia, suppositum erit: & tunc Verbũ assumptisse diceretur suppositatã naturã: & in errorẽ Nestorij incideremus, & vnionem accidentalem duorũ suppositorum in Christo Domino cõcederemus, quod fides Catholica prohibet. Nec ipse citatus Pater Quando concedit Verbum naturam assumpsisse subsistentem, quamuis admittat antecedens, ex quo hæc necessaria consequentia infertur. Natura igitur Christi Domini, non solum habet suppositari à Verbo, sed etiam ab eo habet subsistere.

Christi humanitas nõ est prima substantia.

27 Ex his patet, quod omnis persona est suppositum, & hypostasis, & omne suppositum, & hypostasis est prima substantia, & omnis prima substantia, est indiuiduũ, seu singulare, & vnum numero: non tamen è contra. Ratio igitur, qua suppositum, seu persona, ac prima substantia, increatis distinguitur â natura singulari præcise, est subsistẽtia incommunicabilis, quæ vt expositum manet, nihil aliud est, quam modus realis positiuus subsistẽdi, cum duplici negatione communicabilitatis, vt quo, & vt quod. Et hæc ratio, seu hic modus, & non aliud, est, quod suppositum addit suppra naturam singulare. Ex quo prouenit, quod si Verbum diuinum naturam singularem, quam assumpsit, modo dimitteret: necessario resultaret in illa sine aliqua noua actione alicuius agentis, talis modus, qui est propria, & naturalis personalitas, vt docet Scotus, dum oppositum pro inconuenienti arguit lit. D. & non inconuenit modum positiuum illum de nouo esse in natura, sine actione noua: quia cum non sit entitas, aut ens perse producibile, non potest perse terminare aliquam actionem. Et ex eo quod non potest actionem aliquam terminare, nec Deus actionem aliquam habere potest productiuam, quæ ad huiusmodi modum, seu subsistentiam terminetur, omne enim quod per actionem fit, ens necessario formaliter debet esse: & ideo, quod ens formaliter non est, perse im producibile est. Quod non est mirũ in bona Philosophia. Si etenim ad relationem (saltim intrinsecus aduenientem) non est perse motus, vt patet ex Philosopho 5. physicor. text. comment. 10. prout Doctor exposuit in 3. distinct. 1. quæst. 1. litera. K. sed ad productionem fundamenti, & termini, relatio comproducitur, etiam si relatio sit entitas positiua; à fortiori ad modum rei, qui entitas non est, sed entitatis modus, non est per se motus, & ideo per se non producitur, nec est producibilis: sed ad productionẽ substantiæ completæ singularis, realiter existentis, comproducitur modus solitarie subsistendi, quem illa duplex negatio consequitur, & qui per illam duplicem negationem rectè exponitur. Quando vero natura sic singularis ad alterius hypostasis vnionem assumitur, vt in Christo contingit: tũc quia incompossibilis est propria hypostasis, seu subsistentia naturæ cum hypostasi, & subsistẽtia Verbi, non resultat in tali natura propria personalitas: quia præuenitur personalitate & hypostasi Verbi assumentis illam. Ibi tamen adhuc in Verbo existens naturaliter appetit hypostasim propriam: ita quod eo præcise, quod dimitteretur à Verbo per simplicem emanationem, resultaret in ipsa natura talis modus solitarie existendi, ex eo quod sola, & sine Verbo cui erat vnita, existeret. Et hic talis modus solitarie existendi est formaliter subsistentia incommunicabilis, & formalissima ratio suppositi. Ex hoc ergo quod natura singularis sine Verbo, existeret, verè subsisteret per quid positiuum vltra propriã existentiam: hoc tamen positiuum (vt dixi) non est entitas, aut ens, sed entis, hoc est modus entis.

Aristote.

Personalitas non fit aliqua actione per se terminata ad ipsã se pullulat ex natura singulari.

Demum ex hoc manifestè exponitur vis cuiusdam argumenti Doctoris infra ponendi contra sententiam Thomistarum, quod, scilicet, non est

28 dabilis

dabilis aliqua entitas positiua, quæ vnioni, & assumptioni Dei resistat. Si igitur ratio suppositi à Deo assumi nõ potest, consequenter, non est aliqua entitas positiua. Quæ doctrina mihi verissima est, & consequentia efficax, quam aduersarij non soluunt, vt infra patebit: verum non militat contra hanc nostram sententiã. Modus enim entitas non est, & ideo assumi non potest: quia ex eo aliquid assumptibile dicitur, quia ea ratione, qua est terminus actionis diuinæ, obedientiam habet, vt à diuina hypostasi assumatur. Cum igitur modus, perse terminus actionis diuinæ nõ sit: consequenter, non subiacet assumptioni, nec potest à Deo assumi. Stat ergo rationem suppositi, & quidem inassumptibilem esse, quia ens nõ est: & etiam positiuũ esse, quia est entis; & illo formaliter ens, & natura subsistit.

29 *Quid sit duplex negatio communicabilitatis suppositi.*

Verum enimvero, quia sæpe de duabus negationibus communicabilitatis, loquitur Doctor, & nos hucusque cũ illo: operæ prætiũ erit has negationes in sẽsu Scotico intelligere. Distinguit igitur Doctor inter tres depẽdẽtias, aptitudinalẽ, scilicet, actualẽ, & potẽtialẽ. Depẽdentia actualis est coexigentia vnius ad aliud, secundum actualem modum existendi, veluti natura humana Christi Domini, quæ actualiter depẽdet à Verbo, eam actualiter terminante, in quo actualiter existit. Quamuis enim à se ipsa existat (vt dictum est) tamen in realiter existendo, pendet actualiter à Verbo, tanquam ab illo, in quo realiter existit. Aliud est enim existere à se, & aliud existere in se. Primum habet dicta natura, non tamen secundum, & ideo actualiter dependet à Verbo. Dependẽtia potentialis est secundum non repugnantiam. Et cum omne creatum non repugnet Deo: hinc est quod omne creatum habet talem dependentiã à Deo: & hæc quidem dependentia idem est, quod potentia obediẽtialis. Ob eam enim, omnia quæ non dicunt repugnantiam, subduntur Deo. Vnde persona creata non habet hanc potentiam, quia sibi repugnat à Deo assumi, non ex defectu potentiæ Dei: sed ex repugnãtia personæ creatæ: sibi enim implicat alteri communicari, cum incommunicabilitatem essentialiter includat. Natura autem creata singularis dicit hanc dependentiam, & ita à Deo potentialiter dependet, hoc est, est in potentia, vt à Deo actualiter dependeat. Dependentia vero aptitudinalis est illa, qua res, quantum est de se, semper esset in actu, si ab aliquo nõ impediretur. Sic lapis, & quodlibet aliud graue, dependet à centro aptitudinaliter: in quo esset, si actu non detineretur.

His tribus dependentijs cognitis, inquit *Doctor*, quod cum persona sit intellectualis naturæ incommunicabilis subsistentia: ista incommunicabilitas, est negatio, & carentia alicuius dependentiæ. Nam communicatio vnius ad alterum per vnionem, fit per dependentiam ad ipsum, sicut de facto humanitas in Christo communicatur Verbo dependendo ab illo, tanquam à substentante, & suppositãte se: ergo cum nequeat esse suppositum, & dependere ab aliquo, nec etiam ab ipso Verbo in ipso genere substentationis: consequenter (inquit Doctor) negatio huiusmodi dependentiæ est ratio formalis constitutiua personæ, seu suppositi. Et subdit, quod non sufficit negatio dependentiæ actualis ad rationẽ personæ: quia tũc anima separata esset persona, quia actualiter, non depẽdet à corpore, nec ipsi vnitur. Nec ideo requiritur negatio dependentiæ potentialis: tunc enim nulla natura creata esset nunc personata per propriam personalitatem: cum omnis talis natura, adhuc quę improprio supposito actu existit, habeat hanc dependentiam potentialem, ea ratione, qua est in potentia obedientiali respectu Dei. Restat ergo, quod ad rationem personæ sit necessaria negatio dependẽtiæ actualis, & insimul negatio dependentiæ aptitudinalis: quia, videlicet, natura personata, seu personabilis propria personalitate, non est aptanata depẽdere ab aliquo. Acsi dicam, cum natura non habeat aptitudinem ad alienam personalitatẽ, nec ab illa sic aptitudinaliter depẽdeat: dicitur habere negationẽ talis aptitudinalis depẽdentiæ. Hæc ergo negatio, simul

30

Negatio quomodo dicatur personam constituere.

cum

cum negatione actualis dependentiæ complent rationem personæ, non vt præcise negationes sunt, sed vt consequuntur necessario ad modum positiuum subsistendi, ex quibus negationibus, & tali modo cõstaturvna integra, & formalis ratio, incõmunicabilis subsistentiæ, quæ formaliter suppositum inesse suppositi constituit.

§.5.

Statuũtur conclusiones huius difficultatis.

31 *1. Conclus. Natura, & suppositum realiter negatiue distinguuntur.*

HIS præhabitis, difficultatem concludendo dico primo, quod natura, & suppositum, non solum distinguntur ratione, sed realiter negatiue. Prima pars huius cõclusionis est communis. Secundam vero statuo, loquendo de supposito, & natura creatis: de diuinis etenim in difficultate sequẽti, particularius agetur. Primam igitur partem docet fides Catholica in 6. Synodo actione 6. tomo 3. circa finem, vbi dicit, *Ideo Hæretici errant, quia nihil agunt, quam vt ostendant naturam, & hypostasim idem esse: quæ sanè inter se diferre, veri Ecclesiæ Catholicæ alumni cognoscunt.* Quæ verba sunt D. Epiphanij. Sic loquuti sunt D. Damascenus lib. 3. de fide cap. 3. & alij: quorum, & aliorum Sanctorum Patrum auctoritate conclusio satis probata est.

6. Synodus D. Epiph.

32 Sed iterum eam rationem sic probo, non quidem ratione naturali, sed supposito incarnationis mysterio. Nã secundum fidem, in re ipsa humanitas singularis fuit assumpta, & vnita hypostaticè Verbo diuino: non fuit autem assumptum suppositum creatum: ergo necessario aliqua distinctio plusquam rationis datur inter naturã, & suppositum. Sed eadem est ratio de humanitate, ac de omnibus creatis naturis substantialibus: ergo natura, & suppositum, non sola ratione distinguntur.

33 Secunda autem pars conclusionis est contra Patrem Herrera in 2. disp. 5. quæst. 3. conclu. vltima, cuius oppositum expresse docet: & non alio fundamento probat, nisi quia non est ponẽda pluralitas sine necessitate cogẽte: sed nulla necessitas cogit nos ad ponẽdam talem distinctionem realem, cum sufficiat formalis non identitas, sicut de essentia, & existentia in præcedenti quæstione dixerat: ergo, &c. Sed venia tanti viri, alias supientissimi, conclusio hæc pro se posita, veritatem cõtinere haud potest, & eius probatio est satis friuola. Vtrumque etenim euidenter, ex eiusdem verbis manifesto: nam ipse in suis scriptis sæpe ait, ex Doctore: quod inter ea, quæ sic se habẽt, quod vnum ab altero separari potest, ita vt vno destructo alterum in rerũ natura maneat, est realis distinctio: sed sic se habent natura singularis, & suppositum: ergo realiter distinguntur. Minor de fide constat: nã secundum fidem est certum, naturã singularem humanam esse à Verbo assumptam sine proprio supposito: ergo iuxta eãdem fidem consequenter infertur, suppositum esse realiter separabile à natura singulari, manente ipsa natura realiter existente. Quod idem de quacũque natura adhuc personata dicendum est siquidẽ: si Deus nunc naturam Petri v.g. subsistentis assumeret: necessario maneret talis natura assumpta sine supposito Petri, & sic suppositũ realiter à natura separatur: sed vbi est realis separatio, seu separabilitas, mediat realis distinctio: ergo &c. Nec argumentum in oppositum aliquid probat: quia hìc nos cogit necessitas ponendi realem distinctionem: vbi necessario realem separabilitatem iuxta fidem confiteri debemus. Quod autem talis distinctio realis, positiua non sit, sed negatiua, seu realis non identitas: ex eo patet: quia suppositum pro formali non dicit aliquam entitatẽ realem, vt supra notauimus, sed modum entitatis realis: inter modum autem, & rem, cuius est modus, non est positiua distinctio, sed non identitas: ergo &c. Quod autem arguitur de distinctione formali, inter essentiam, & existentiam, nihil concludit: quia existẽtia in separabilis est ab essẽ-

Confutatur opinio P. Herrera.

tia

tia:nam ad deſtructionem exiſtentiæ, realiter deſinit eſſe eſſentia:& ſic non poteſt vno deſtructo alterum remanere, niſi in eſſe obiectiuo Dei. At vero ſuppoſitum ſeparabile eſt à natura, itaut eo deſtructo,ipſa realiter exiſtés poſsit manere.

34 2.*Concluſ. Probabile eſt naturã creatã per entitatem poſitiuam perſonari.*

Dico ſecundo,probabile eſſe,etiam de mente Scoti,naturam creatam per aliquam entitatem realem poſitiuam perſonari. Hanc cõcluſionem quoad ſui aſſertionem ſatis probant argumẽta pro ſecunda ſententia facta: nobis ergo tantum nunc reſtat probare Scotum eam probabilem iudicaſſe. Hoc autem patet ex eodem in hoc primo diſtin.23.quæſt.vnica art.1.in corpore, vbi hæc profert:*Teneo,quod perſona non ſit nomen ſecundæ intentionis,ſed primæ,& tunc non tantum negationem communicabilitatis importat:ſed etiam poſitiuum aliquod.* Quibus verbis clarè oſtendit Doctor,probabile eſſe perſonalitatem in poſitiuo conſiſtere. Et hìc iuxta mentẽ Thomiſtarum,concedit poſſe conſiſtere perſonalitatem in entitate poſitiua,iuxta quem ſenſum citati Scotiſtæ hanc ſententiam probabilem cenſent. Et in eodem ſenſu de illa loquitur D.Bonauentura.

35 3.*Concluſ. Probabile eſt naturã creatã per negationẽ perſonari.*

Dico tertio,probabile eſſe iuxta Scoti ſententiam, rationem cõſtitutiuam ſuppoſiti,ſeu perſonæ,conſiſtere non in poſitiua aliqua entitate,ſed in duplici negatione communicabilitatis, videlicet,dependentiæ actualis,& aptitudinalis. Concluſio eſt Doctoris expreſſe in loco nuper citato, vbi hæc ait:*Et fortè non dicit formaliter exiſtentiam:ſed tunc de formali ſignificato eſt tantum duplex negatio, dans intelligere duplex poſitiuum.ſcilicet,naturam,& modũ habendi naturam,*& infra,*ſi autem tantũ formaliter importat negationem:tunc conſtat exiſtentiam in natura intellectuali: & ſic ſtat pro illo,quod eſt incommunicabile.* Ex quibus verbis manifeſtè conſtat, non aſſertiuè loqui Scotum de conſtitutiua ratione perſonæ in hac, aut in præcedente concluſione: ſed problematicè ſe habendo,vtramque determinat probabilem,nobis prolibito quamcumque illarum ſequendam relinquens. Vnde non probè loquutus eſt Faber reprehendendo Scotiſtas, qui

Faber.

præcedentem concluſionem, vt probabilem iuxta Scoti mentem tuentur: & hanc nõ pro aſſertiua,ſed probabili eius ſententia proponunt: cum reuera hìc non magis ad vnam,quàm ad alteram inclinare compertũ ſit: in tertio autem ſententiarum, & vbiliber hanc concluſionem tertiam docet, non aſſertiuè,ſed probabiliter,illam fundamentis,& rationibus tueatur.

Probatur tamen hæc concluſio,ipſius Scoti rationibus. Nam iſta entitas poſitiua,quæ additur naturæ,vt ipſam ſuppoſiter,vel eſt aſſumptibilis à Deo in vnitate ſuppoſiti,vel non. Primum dici non poteſt:quia ſuppoſito,vt ſuppoſitum eſt,repugnat alteri vniri,ſeu communicari:,iuxta traditam ſuppoſiti diffinitionem. Si ſecundum dicas,inquiro,à quo effectiuè haberet eſſe talis entitas? non ab eo, quia Deus ſibi ipſi reſiſteret,& eſſet contrarius ſibi creãs creaturam,quæ ſuo reſiſteret creatori,& quæ iam non ſubiectetur ipſius potentiæ aſſumenti naturam ad vnionem hypoſtaticam. Si autem ab alio: iam ergo deſtrueretur vnitas primæ cauſæ:quod implicat. 36

Item,quia ſequitur,quæ iam aſſumta eſt à Verbo, careret illa entitate poſitiua,quæ tamen ponitur vltima, & quaſi actualiſsima,& determinatiſsima in tali natura:& ex conſequenti, cum huius modi entitas ſit in ſe perfectio naturæ humanæ:aliqua proculdubio perfectio humanitati Chriſti deficeret. Et ideo ſecundum quod homo non haberet Chriſtus omnem perfectionem humanam,quam quilibet alter homo habet. Inquit tamẽ Doctor, *Etſi non videatur inconueniens concedere naturam iſtam carere ea, arguo quod iſta natura non poſſet dimitti ſibi,quin oporteret dari ſibi aliam realitatem ab ea,quã habet.ſcilicet,perſonalitatem:vel remaneret non perſonata,quia tunc non eſſet perſonata,ſine illa realitate, & illam nunc non habet:ergo oportet iſtam de nouo illi naturæ dimiſſæ dari.* Cum ergo impoſsibile ſit,ſecundum eumdem Scotum, naturam dimiſſam manere ſine perſonalitate propria:arguit ab impoſsibili, hoc modo:impoſsibile eſt naturam humanam v.g.poſſe ſe ſola exiſtere ſine perſonalitate aliena, ſeu propria:ergo ſi 37

natu-

natura assumpta à Verbo nunc dimitteretur ab ipso: necessario Deus produceret de nouo illam realem entitatem positiuam, qua naturaliter personatur: vt tunc dimissa personaretur: si quidem non potest esse persona sine tali positiua realitate. Vel ergo Deus necessitaretur ad productionem talis realitatis, & sic aliquid ad extra necessario ageret: vel talem naturam non posset dimittere. Ab hoc ergo impossibili probat Doctor intentum: videlicet, naturã singularem huiusmodi per duas prædictas negationes personari: quia eo præcise, quod dimitteretur natura personaretur in se ista duplici negatione actualis, & aptitudinalis dependentiæ.

38 *Solutio Medinæ, & eius impugnatio.*

Hanc Scoti rationem soluere intendit Medina dicendo, quod si Verbum humanitatem sibi vnitam dimitteret, in eodem instanti absque aliqua noua creatione, seu actione statim resultaret personalitas: sicut lapis ablato impedimento descendit, & sicut ex sole resultat splendor, & ex homine risibilitas. Hæc tamen solutio, maiorem difficultatem assumit: nam constituendo personalitatẽ esse entitatem realẽ, & hoc modo consequi ad naturam: tunc haberet seu veluti propria passio ad subiectum, sicut se habet ad hominem risibilitas: cum ergo propria passio sit perfectio subiecti, consequenter personalitas propria est perfectio naturę. Et tunc supraposita Scoti consequentia infertur, quod, scilicet, aliqua perfectio deficit humanitati Christi, quam habet humanitas Petri. Et præterea impugnatur solutio hæc: nam cũ propria passio pullulet, & dimanet ab essentia, ineuitabiliter per physicam emanationem, eo præcise, quod ponitur essentia', naturali sequela ponitur passio eius, nec Deus eius emanationem impedire potest, sicut nec potest impedire risibilitatem dimanare à rationali: ergo nec etiam consequenter potest impedire propriam personalitatem emanere à natura. Et ex consequenti illam personatam assumpsit, quod ab sit.

39

Cayetanus vero vim rationis cognoscens aliter respondet, dicendo, scilicet, verum esse, quod resultaret tunc propria personalitas: sed hoc non per modum passionis, sed per modum effectus. Atqui hæc etiã solutio licet acuta, non euacuat vim argumenti: quia tunc posset Deus non concurrere ad istum effectũ: vel daretur effectus, ad quem Deus non concurreret: & sic iterum, sicut supra infertur, destrui vnitatem primæ causæ. Concedit Cayetanus, quod si Deus nõ cõcurreret ad istum effectum: maneret natura sine tali entitate: sed consequeretur ad ipsam quidam actus essendi. *Solutio Cayetan. & eius impugnatio.*

Sed contra, & inquiro à Cayetano, 40 vtrum ille actus essendi sit quid distinctum à natura, vel non. Si primum: ergo si Deus non concurreret ad istam entitatem, maneret natura sine illa: & sic semper fit idem argumentũ. Si autem non est quid distinctum: ergo probatur conclusio contra Thomistas, nẽ pè naturam non personari per aliquã entitatem positiuam â se distinctam. Vel quidem aliter impugnatur ista solutio: nam vel actus ille essẽdi, qui tunc ad naturã consequeretur, est sufficiens illam suppositare, & personare, vel non. Si primum: ergo actus ipse essendi est, per quem suppositatur natura: & non illa entitas, ad quam Deus si vellet, posset non concurrere: & tũc non per illam entitatem positiuam habet suppositari. Si secũdum, ergo etiã posito tali actu essendi, manet natura impersonata, in rerum natura existẽs, quod impossibile esse Doctor supponit.

Probatur præterea conclusio, quia 41. illa est ratio constitutiua alicuius, sine qua concipi non potest: sed posita duplici negatione prædicta, rectè intelligitur persona, & illa sublata, intelligi non potest: ergo &c.

Dico quarto, quod ratio formalis 42 suppositi, seu personæ, est subsistentia incommunicabilis, quæ non est formaliter aliqua entitas realis positiua, aut mera negatio, sed modus quidam realis positiuus, cum negatione duplicis dependentiæ actualis, & aptitudinalis. Conclusio est expressa Scoti, vt patuit in litera, vbi vtrumque, scilicet, subsistentiam, & incommunicabilita-

4. *Conclus. Persona in quo formaliter constat secundum Scot-*

bilitatem ad rationem formalem personæ pertinere ostendit: sed expressius in hoc primo distinct. 13. quæst. vnica artic. 1. in corpore, vbi hæc inquit: *Per hoc, de quacumque via data, patet quod si persona dicat existentiam in abstracto, & modum habendi naturam in concreto, est formaliter positiuum: & tunc persona est formaliter existentia incommunicabilis habens naturam intellectualem.* Hæc Scotus: quibus clarè nostram cõclusionem, & sententiam exprimit, & quod ibi vocat subsistentiam, existentiam, non nocet veritati sententiæ: sed vtitur modo loquendi, quo sæpe loquitur: eius instar modi, quo Boetius vocauit individuam substantiam, vel subsistentiam, hanc rationem personæ. Et ita in hoc quod Doctor illam appellet existentiam, vel subsistentiam, non est aliqua ratio dubitandi circa mentem Scoti: interdum etenim vnum pro alio sumit, & indifferenter de subsistentia, & existentia loquitur. Hæc ergo conclusio, quæ media est inter duas præcedentes, vtramque conciliat, & Scoti mẽti plus alijs adhæret, & rei difficultatem exæquo euacuat. Eam tenent Pater Herrera, & Pater Ouando locis citatis, & probatur: nam sicut se habet existere ad essentiam existentem, sic subsistere ad rem subsistentem, & incommunicabiliter subsistere ad personam: sed existere est modus realis positiuus essentiæ existentis: ergo incommunicabiliter subsistere, est modus realis positiuus rei subsistentis, seu personæ. Probatur insuper hæc conclusio omnibus rationibus factis pro sententia Thomistarum, quatenus probant positiuum aliquid esse constitutiuum personæ. Contra ipsos tamen probatur eadem conclusio rationibus positis ad probandum hoc tale positiuum, non esse entitatem aliquam realem: sed realem modum entitatis, quod optimè ex argumentis precedentis conclusionis habetur.

43 Quod autem in illis inferebatur, hunc modum necessario per simplicem emanationem pullurare ab ipsa singulari natura, & ex consequenti, vel esse passionem illius, vt dicebat Medina, & ibi impugnatum est: vel esse per modum effectus, vt Cayetanus dicebat, & nos consuetus animus etiam: non militat contra nostram conclusionem: quia modus iste, neque vt passio, nec vt effectus, ad naturam consequitur: sed vt modus quidam conformis suæ naturali aptitudini. Cum enim natura, & habeat aptitudinem naturalem ad subsistendum in supposito proprio, & potentiam obedientialem ab subsistendum hypostasi Verbi: hinc disiunctiuè se habet, ita vt per nullam potentiam, etiam absolutam, possit sine vno, aut altero supposito existere. Sed quando existit in alieno, præuenitur à Verbo, ne propria subsistentia pullulet: hac tamen præuentione sublata iuxta suam naturalem aptitudinem, non sicut passio, nec sicut effectus, sed sicut modus rei, subsistentia incommunicabilis, ab ipsa natura pullulat, & ad eam consequitur.

44 *5. Concluſ. Ratio perſonæ tradita conuenit tam creatæ quam increatæ.*

Dico quinto, quod hæc ratio personæ, prout in conclusione quarta difinitur, non minus conuenit personæ creatæ, quã increatæ: sed ab vtraque abstrahitur ratio personæ communis creatæ, & increatæ: de qua conclusione agetur latius in quæstionibus de constitutione personarum. Nunc autem probatur conclusio, ex eo, quod persona diuina etiam constituit in incommunicabili subsistentia, sicut creata: in conceptu enim præciso personæ non dicit relationem: prout expresse docet Scotus infra distinctione 25. quæst. vnica, vbi hæc inquit: *Persona de prima ratione sua non dicit relationem, nec substantiam, & hoc nec primam, nec secundam.* Differt tamen persona increata à creata: quia subsistentia huius est modus entis, non tamen entitas: at vero subsistentia illius est vera entitas, & vera realitas ab essentia formaliter distincta.

§. 6.

Soluuntur argumenta primæ, & secundæ opinionum.

AD

45 AD argumenta autem in oppositum, & ad primum proprima opinione, respõdeo: quod cum Aristoteles fidei mysteria ignorauerit, non nulla, quæ ipsi fidei aduersantur, docuisse videtur: & sic non inconuenit ipsum nullam distinctionem posuisse inter naturam, & suppositum, cuius separabilitatem in sacro incarnationis mysterio, fides Catholica docet. Et sic licet non consequutus fuerit naturam posse à supposito proprio separari: non exinde infertur, huiusmodi fide supposita, nos eius sentẽtiæ alligari. Et ideo etsi ad hunc sensum (in verbis prædictis) non possit exponi: hoc parum refert, quia in his, quæ docet fides, vera Philosophia est quodlibet ipsius fidei principium.

46 *Ad 2.* Ad secundum respondetur, suppositũ Petri aliud esse, quam natura vnita ex corpore, & anima: nam humanitas, etiam singularis, & individua, habet esse distinctum ab esse suppositi: atque ideo stat, humanitatem esse sine supposito. Cum ergo tertia entitas resultans ex vnione animæ, & corporis, non sit præcisè aliud, quàm humanitas: hinc est, quod suppositum Petri plus dicit, quàm talem entitatem, resultantem ex vnione corporis, & animę. Dicit etenim vltra talem entitatem, quæ est humanitas, subsistentiam incommunicabilem, quæ est, modus realis positiuus, per quem formaliter suppositum habet esse. Distinctio autem inter hunc modum, & entitatem prædictam, quæ est humanitas, non pendet ex nostro intellectu concipiẽte: sed realiter, & ex ipsa rei natura prædictus modus est distinctus ab humanitate, prout in prima conclusione ostendimus.

47 *Ad 1. pro 2 opinione.* Ad argumenta vero pro secunda sententia, quatenus probare intendũt, personalitatem esse entitatem aliquã realem à natura singulari distinctam, & ad primũ respondeo, ibi non esse propriè corruptionem: hæc enim formaliter fit per introductionem nouæ formæ, quia per eius aduentum corrũpitur præexistens, iuxta illud Philosophicum Axioma, quod *generatio vnius est corruptio alterius*: Et ideo loquendo de hac corruptione rigorosa, rectè infert argumentum. Attamen in proposito casu esset desitio vnius modi subsistendi, seu existendi in supposito, per aduentum alterius: desineret enim natura esse solitariè, & independenter in subsistentia naturali, & propria: & inciperet esse concomitanter, & dependenter in alieno supposito. Quod nihil aliud est, quàm amittere actualem modum sibi connaturalẽ, per acquisitionem alterius supernaturalis.

Corruptio quomodo causetur.

48 *Ad 2. Verbum dupliciter intelligitur supplere humanitatem assumptum* Ad secundum dico: quod Verbum supplere personalitatem naturæ humanæ, potest intelligi dupliciter. Primo terminando eius depedentiã, substentandoque illam, per diuinam hypostasim, & dando illi vnum ex duobus modis existendi, quos tantum potest habere, nempe existere in alio cõcomitanter, quando per se solitarie nõ existit. Secundo autem supplendo personalitatem propriam naturæ: ponendo, scilicet, eamdem entitatem, seu modum, quem poneret personalitas propria, si ibi esset. Primo ergo modo concedimus Verbum diuinum supplere personalitatem naturæ humanæ: & sic nihil contra nos: quia hoc non concludit supplere negationem, aut positiuum: sed substentare naturam, quæ si esset in proprio supposito, à se subsisteret. Secundo vero modo negatur supplere prædictam personalitatem: quia si supponit personalitas pro negatione, nõ est ibi, quid suppleat: quia tunc, vt probat Scotus, natura adhuc vnita alteri solitariè existeret: quia haberet à Verbo negationem communicabilitatis, quam suppleret. Si autem supponat pro modo illo positiuo: tũc non supplet personalitatem, quatenus modus est: quia personalitas Verbi est verè realis entitas positiua: sed quatenus per talem modum natura naturaliter subsisteret: præbet enim persona Verbi humanitati perfectissimum subsistere.

Ad tertium dico, quod persona, secundum quod abstrahit à creata, & increata, dicit vnicum conceptum vtrique communem: & huiusmodi conceptus consistit in subsistentia incommunicabili, vt ex conclusione 5. habetur.

49 *Ad 3.*

tur. Et licet pro formali persona dicerat duplicem negationem: adhuc talis conceptus adaptaretur, tam creatæ, quàm increatæ personæ. Nam vt optimè Doctor concludit in nuper citato articulo quæstionis vnicæ distin. 25. persona de formali significato adhuc in diuinis, non dicit relationem, aut essentiam, sed incommunicabilè subsistentiam (si in modo positiuo consistat) vel ipsam incommunicabilitatè subsistentiæ (si consistat in duplici negatione) & ita vtroque modo abstrahit à relatione, & essentia. De formali enim significato, tantum hanc duplicem negationem, seu modum subsistè tiæ incommunicabilis importat: de materiali autè dicit in diuinis v.g. Patrem, seu Filium: de secundo autem materiali dicit relationè: de tertio vero materiali, dicit essentiam. Licet igitur persona, vt sic, de diuina, & creata vniuocè, seu analogicè dicatur, benè potest de vtraque verificari loquendo de conceptu formali personæ: etsi pro materiali, diuina persona relationem, & entitatem positiuam importet, non vero persona creata.

Persona diuina triadicit de materiali, & vnũ de formali.

49 Ad quartum respondeo, sufficientissimè ferri appetitum naturalem, in modum sibi connaturalem, qualis est propria personalitas. Et hoc non solum tenet in nostra sententia, qua personalitatem modum positiuum esse tuemur: sed etiã sustineri potest prædictum appetitum humanitati inesse ad propriam personalitatem, etiam si propria personalitas in duplici negatione cõsisteret. Quia nõ inconuenit naturam appetere solitudinem, quæ propriè est negatio concomitantiæ alterius, seu cõmunicabilitatis illius. Sed melius soluitur argumentum tenendo esse modum connaturalem positiuum, ad quem natura naturaliter inclinatur.

50 Ad quintum, & vltimum facilis est solutio in nostra sententia, quatenus modum positiuum subsistendi admittimus. Tunc enim libenter concedo Suario, humanitatem Christi non esse tam completam substantiam omni ex parte, sicut personam Pauli, quia sibi deficit hic proprius modus, & cõnaturalis subsistendi: qui quidem est modus realis, substantialis positiuus. At verò stando in probabili sententia, videlicet, personalitatem in duplici negatione cõsistere, tunc adhuc soluitur argumentum, admittendo Christi humanitatem esse tam completam substantiam, quoad omnia positiua, sicut est Pauli persona. Si etenim personalitas in negatione consistat: non inconuenit hoc Suario concedere. Sed non video, quid contra hanc sententiam alicuius momenti inferat. Tunc enim dicetur ad eius argumentum, quòd persona Pauli habet plus, quàm Christi humanitas, incommunicabilitatem, quæ formaliter ipsum constituit in esse suppositi. Dummodo enim talis incommunicabilitas sufficit ipsum inesse suppositi constituere: parum refert, quod negatio sit, dummodo tamen per illam habeat esse suppositum, quod Christi humanitas, vt vnita habere non potest.

ARTICVLVS II.

Vtrum ponatur aliqua distinctio inter rationem essentiæ, & rationem suppositi.

AD secundum sic proceditur, & videtur, quod non debet poni aliqua distinctio inter rationem essentiæ, & rationem suppositi: quia illud, quo Pater distinguitur à Filio sit. A. A. inquantum, A. aut est idem essentiæ, aut aliud. Si aliud, hoc est inconueniens. Si inquantum. A. est idem: igitur, inquantum distinguit, est idem. & per consequens essentia distinguit.

A

B Secundo præterea: idem, & aliud circa ens, sunt immediate oppositæ: ergo &c.

Tertio præterea: quia A. inquantũ A. est ens, vel res: quæro, quæ res, vel quod ens: si essentia, habetur propositum: si res, & non essentia: ergo alia res.

C Sed contra est: quia Augustin. 7. de Trin. c. 1. vel 6. *ait* omnis essẽtia, quæ relatiue dicitur, est aliquid excepto relatiuo. Et c. 3. si Pater nõ est aliquid ad se, non est omnino, quæ relatiuè dicatur ad aliquod. Est igitur essentia in re ad se, & non ad aliquid, & in re Pater, inquantum Pater, relatiuè dicitur: non est autem formaliter eadem entitas ad se, & non ad se: igitur &c.

D Respondeo dicendũ: quod restat vlterior difficultas: non enim videtur intelligibile, quod essentia nõ pluraficetur, & suppositæ sint plura, nisi aliqua distinctio ponatur inter rationem essentiæ, & rationem suppositi: & ideo ad saluandum istam cõpossibilitatẽ *in articulo præcedenti* prædictã, oportet videre de illa distinctione. Et dico sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris: quod ratio, qua formaliter suppositum est incõmunicabile, & ratio essentiæ, habent aliquam distinctionem præcedentẽ omnem actum intellectus creati, & increati, & probo sic: primum suppositum habet realiter entitatem communicabilem: alioquin non posset eam communicare: habet etiam realiter, entitatem incommunicabilẽ: alioquin non esset positiuè & in entitate reali suppositum: & intelligo sic realiter, quod nullomodo per actum intellectus considerantis, imó quod talis entitas esset ibi, si nullus intellectus consideraret: & sic esse ibi, si nullus actus consideraret, dico esse ante omnem actum intellectus. Nom est autem aliqua entitas ante omnem actum intellectus: ita quod non per actum intellectus, sic est illa entitas communicabilis, & alia entitas sic est per se incommunicabilis: ita, scilicet, quod sibi contra dicat communicari ante actum intellectus: & sic est, quod non præcise per intelligere est aliqua distinctio inter hanc entitatem, & illam: ergo &c. Si dicas, quod ante omnem actum intellectus Patris, non est aliqua distinctio: sed est entitas omnino vnius, & eiusdem rationis. Contra, igitur entitatem istã vnius rationis totam communicat Pater; & ita nullam entitatem positiuam in se habet Pater, quam non cõmunicat Filio: ergo communicat ei paternitatem, sicut essentiam. Secundo arguitur sic: distinctio vna in intellectu est penes diuersum modum concipiendi idem obiectum formale: & siue concipiendo grammaticè, vt homo, & hominis: siue logicè, vt homo, & humanitatis. Alia maior distinctio est in intellectu concipiendo duobus actibus duo obiecta formalia: & hoc siue illis correspondeãt diuersæ res, vt intelligendo hominẽ, & asinum: siue vna res, vt concipiendo colorẽ, & disgregatiuum: ex hoc arguo sic: Pater intelligens se in illo primo signo originis, aut intelligit essentiam, & A. proprietatem, vt diuersa obiecta formalia: aut præcise vt idem obiectũ sub alio, & alio modo cõcipiẽdi: secũdo modo nõ: quia tunc non esset maior differentia inter Deum, & relationem, quàm concipiendo Deum, & Deitatem; & ita non conciperet, A proprietatem magis incommunicabilem: quàm Deitatem incommunicabilem: nam homo non est incõmunicabilis, si humanitas est communicabilis: necè conuerso: ita in proposito similiter, tunc non magis esset intellectus Patris in essentia diuina beatus, quàm in A. quæ dicitur proprietas Patris, nec magis in A quàm in proprietate Filij: & ita in duobus obiectis, *vt in*

Conclusio.

pra-

proprietatibus Patris, & Filij, primo esset beatus. Etsi detur primus modus, quod paternus intellectus habeat essentiam, & A. tanquam duo obiecta formalia: tunc, arguo sic. Intellectus ille nihil intelligit, nisi intuitiue, quia vt patebit distinct. 3. quæst. 3. omnis intellectio abstractiua, & non intuitiua, est aliquo modo imperfecta. Cognitio autem intuitiua est obiecti, vt obiectum est præsens in existentia actuali: & hoc in se, vel in alio eminente cōtinēte totā entitatēipsius. Ergo, quæ cognoscuntur intuitiue vt obiecta formalia distincta: vel vnū eminēter in alio, vel vtrūque secundum propriam existentiam, terminat actum, vt est eius: nihil autem intrinsecum personæ diuinæ propriè continetur in aliquo eminenter: quia tunc esset ens per participationem illius continentis: igitur, quæcumque intrinseca sunt diuersa obiecta formalia intuibilia secundum propriam existentiam actualem, terminat intuitionem, vt obiecta: & ita habent aliquam distinctionem ante actum intelligendi. Si dicas, quod essentia de se facit vnum conceptum in intellectu Patris: sed circa illam potest intellectus paternus facere diuersas rationes, & præcise secundo modo distinguntur essentia, & A. in intellectu paterno, & non primo modo. Contra, quidquid intellectus causat, sine actione obiecti circa obiectum præcise (hoc est virtute propria intellectus, & hoc loquendo de obiecto, vt habet esse cognitum in intellectu præcise, & de intellectu, vt considerans est illud) est præcise relatio rationis: nunc autem illa ratio, quam facit essentia de se, patet, quod est absoluta: aliter non beatificaret intellectum Patris: ergo præter istam rationem absolutam, nulla est alia in re ante actum intellectus: alias haberetur propositum. Nulla etiam est alia per se in intellectu Patris, nisi per actum intellectus negotiantis, & non per impressionem factam ab obiecto: quia non imprimis per te, nisi vnum conceptum: ergo quælibet ratio alia à ratione absolutæ essentiæ, erit precise relatio rationis: ergo proprietas Patris, quæ est incommunicabilis, erit relatio rationis: quod est inconueniens.

Ad primum argumentum respondeo, & dico, quod nec verum est, A. inquantum, A. esse idem essentiæ: nec, A. inquantum, A. est aliud ab essentia: & hoc intelligendo illud, quod sequitur reduplicationem, inquantum, accipi secundum rationem suam formaliter: & cum hoc etiam esse rationem formalem inhærentiæ prædicati, sicut dixtinxi superius in talibus sermonibus in quæstione de vnitate obiecti fruibilis. Hoc etiam patet in exēplo: homo enim, et nō homo sunt oppositā immeditata: & tamen formaliter de aliquo cum reduplicatione neutrum dicitur: sicut album, nec inquantum album, est homo, nec inquantum album est nō homo. E

Ad secundum dico: quod non sequitur, sunt immediate oppositā: ergo alterum prædicatur de quolibet, cum inquantum: ita quod ratio subiecti sit formalis ratio inhærentiæ alterius partis contradictionis: sed sufficit, quod alterum contradictoriorum vere insit cuilibet subiecto: licet non per se ratione subiecti. Si autem accipiatur, ly inquantum, primo modo, vt tantum notet, A. accipi secundum suam rationem formalem: dico, quod à quocumque modo formaliter acceptum est idem essentiæ: licet non sit formaliter idē essentiæ, sed tunc non sequitur, A. formaliter acceptum est idem essentiæ: A formaliter distinguit: ergo essentia distinguit. Sed est fallacia figu- F *Dist.1.q.2 art.1.*

rę dictionis, mutando hoc aliquid in qualquid.

G Ad tertiũ respodeo: cõcedo, quod est ens, & res: & hoc vtroque modo accipiendo ly inquantum: quia si aliquod prædicatum per se primo modo inest alicui, inerit sibi eodem modo per se: siue illud subiectum sit res distincta à quocumque, quod est extra rationem eius: siue contineatur per identitatem in aliquo, quod est extra rationem eius: continentia enim talis nõ tollit rationẽ formalẽ, nec ea, quæ insunt primo modo per se. Sed cum quæris, quod ens? Dico, quod ens, quod est, A. sicut si substantia est per se ens, si quæras quod ens, descendendo subente? est per se substantia, nõ aliud. Vltra si quæras, est ne per se essentia? Dictũ est, quod non: & amplius hæc vide in articulo quarto.

Expositio 2. articuli quæstionis 7. distinctionis 2.

COncluditur in hoc articulo constituendam esse inter essẽtiam, & relationem, distinctionem aliquam ex natura rei, ante omnem considerationem intellectus, quæ distinctio ex sequẽti dificultate patebit.

ARTICVLVS III.

Vtrum distinctio, quæ reperitur inter rationem essentiæ, & rationem suppositi, sit realis.

A AD tertium sic proceditur, & videtur, quod distinctio, quæ reperitur, inter rationem essentiæ, & rationẽ suppositi, sit realis, *& hoc sine argumentis.*

B Sed contra est: quia non illud, quo Pater est Pater, est aliud ab essentia: sed idem secundum August. 11. lib. de ciuitate Dei capite decimo. ideo, simplex dicitur Deus, quoniam, quod habet, hoc est, excepto, quod relatiue quæcumque persona ad alteram dicitur, &c, *vt infra.*

C Respondeo dicẽdum: quod oportet videre, qualis sit ista differentia, quæ ponitur præcedere omnem actum intellectus: dico, quod tam in rebus, quã in intellectu, differentia maior manifesta est: ex illa frequentor concluditur differentia minor, quæ est immanifesta sicut ex differentia creaturarum concluditur differentia Idearum in intellectu diuino, sicut patet per August. 83. quęstionũ, quæstione 46. in re autem manifesta est distinctio rerũ, & hoc duplex suppositorũ, scilicet, & naturarũ. In intellectu manifesta est differentia duplex, modorum, scilicet, concipiendi, & obiectorum formalium. Ex his 1. *Conclus.* concluditur differentia hic intenta, quæ est immanifesta: & nimirũ, quia minima est distinctio in suo ordine, idest, inter omnes, quæ præcedũt intellectionẽ. Cõcluditur autem ex differentia reali sic: distinctio diuinorum suppositorum est realis: cum igitur non possit idem eodem formaliter conuenire realiter, & differre realiter, concluditur aliqua differentia essentiæ, in qua suppositа conueniunt, ab illis rationibus, quibus suppositа distinguntur. Similiter ex differentia obiectorum formaliũ, quorum neutrum continetur in aliquo eminenter, & hoc in intellectu intuiuê considerante cõcluditur aliqua differentia ante actum intellectus eorũ, quæ cognoscuntur intuitiuè Sed numquid hæc distinctio dicetur realis? Respondeo: non propriè realis actualis, intelligendo sicut cõmuniter dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerum, & in actu: quia 2. *Concluſ.*

in

in vna perſona non eſt aliqua differẽ
tia rerum propter ſimplicitatem diui
3.Conclus. nã: & ſicut non eſt realis actualis, ita
non eſt realis potentialis: quia nihil
eſt in potentia, quod non ſit in actu:
Iſte Author eſt Varro lib.1. d.3. q.2.& D. Bona.d.5. q.1. potest autem vocari differentia ratio
nis, ſicut dixit Doctor quidam: non
quod ratio accipiatur pro differen-
tia formata ab intellectu: ſed vt ratio
accipitur pro quidditate, ſecundum
4.Concluſ. quod quidditas eſt obiectum intelle
5.Concluſ. ctus. Vel alio modo poteſt vocari dif
ferentia virtualis, quia illud, quod ha
bet talẽ diſtinctionẽ inſe, non habet
rem, & non rem, ſed eſt vna res ha-
bens virtualiter, ſiue eminenter, qua
ſi duas realitates: quia vtrique realita
ti, vt eſt in illa re, competit illud pro-
priũ, quod ineſt tali realitati, ac ſi ip-
ſa eſſet res diffinita: ita enim hæc rea
litas diſtinguit, ſicut ſi iſta eſſet vna
res, & alia. Vel propriſsimẽ dicatur, ſi
cut poſſumus inuenire multos gra-
dus in vnitate: in primo minima vnitas
eſt vnitas aggregationis: in ſecundo
gradu eſt vnitas ordinis, quæ aliquid
addit ſupra vnitatẽ aggregationis: in
tertio eſt vnitas per accidens, vbi vl-
tra ordinem eſt informatio, ſicut ac-
cidentalis, vnius ab altero eorum,
quæ ſunt ſic vnum: in quarto eſt vni-
tas perſe cõpoſiti ex principijs eſſen
tialibus, per ſe actu, & perſe potẽtia:
in quinto eſt vnitas ſimplicitatis, quę
eſt vere identitas, quidquid enim eſt
ibi, eſt realiter idem cuilibet, & non
1.Concluſ. tantum eſt illi vnum vnitate vnio-
nis, ſicut in alijs modis. Ita adhuc vl-
tra omnes eſt identitas formalis; vo-
co autem identitatem formalem vbi
illud, quod dicitur ſic idem, includit
illud, cui ſic eſt idem, in ratione ſua
formali, & percõſequẽs per ſe primo
modo: In propoſito, aut eſſentia non
includit in ratione ſua formali pro-
prietatem ſuppoſiti, nec é conuerſo:
7.Concluſ. & ideo poteſt concedi, quod ante
omnem actum intellectus eſt realitas
eſſentiæ, quæ eſt communicabilis, &
realitas ſuppoſiti, qua ſuppſitum eſt
incommunicabile: & ante actum in-
tellectus hæc realitas formaliter non
eſt illa, vel non eſt eadem formaliter
illi, ſicut prius expoſitum eſt, quod
eſt formaliter eſſe idem.

D

Numquid igitur debet concedi
8.Concluſ. aliqua diſtinctio? Reſpondeo, melius
eſt vti iſta negatiua, hoc nõ eſt forma
liter idem, quàm hoc eſt ſic, & ſic di-
9.Concluſ. ſtinctum. Sed nonne ſequitur, A. &
B. non ſunt idem formaliter; ergo
ſunt formaliter diſtincta? Reſpon-
deo, quod non oportet ſequi: quia
formalitas in antecedente negatur;
& incõſequẽte affirmatur. Breuiter
igitur dico, omittendo illa verba de
diſtinctione rationis: & de diſtinctio-
ne virtuali: non quia ſint maledicta:
ſed, quia non oportet eis vti: dico,
quod in eſſentia diuina ante actum
intellectus eſt entitas, A. & entitas B.
& hæc nõ eſt formaliter illa: ita quod
intellectus paternus cõſiderans, A. &
conſiderans, B. habet ex natura rei,
vnde iſta compoſitio ſit vera, A. non
eſt formaliter B. non autem præciſo
ex aliquo actu intellectus circa, A. &
B. Iſta differentia manifeſtatur per
exempla. primo, ſi ponatur albedo
ſpecies ſimplex nõ habens in ſe duas
naturas, eſt tamẽ in albedine aliquid
realiter, vnde habet rationẽ colocis,
& aliquit vnde habet rationẽ differẽ
tiæ: & hæc realitas formaliter non eſt
illa realitas: nec e conuerſo formali-
ter: imò vna eſt extra realitatem alte-
rius formaliter loquendo, ſicut ſi eſ-
ſent duæ res: licet modo per identi-
tatem iſtæ duæ realitates ſint vna res.
Hoc exemplum licet aliqualiter ſit ſi
mile ad propoſitum, quantũ ad hoc,
ſcilicet, quod identitas realis non ne
ceſſario concludit identitatem for-
malem cuiuslibet, quod eſt in ſubie-
cto eodem, ad quodlibet, quod eſt in
ipſo: non tamen eſt omnino ſimile,
quia aliqua cõpoſitio eſt in albedine,
licet nõ rei, & rei: tamẽ talis, qualis nõ

conceditur in Deo propter non idē tatem formalem. Vbi autem nonidē titas formalis aliorum incodē requi rat aliquam cōpositionem, & poten tialitatē: & vbi non: dicitur dist. 8. q. de attributis, & in quæstione illa, an Deus sit ingenere. Posset etiam poni exemplum de toto quātitatiuo subtrahendo illa, quæ sunt imperfectionis, & ponendo illa, quæ sunt perfectionis: sed in pluribus esset dissimile, quàm simile: ideo omitttantur.

E Ista autē distinctio, siue non formalis identitas, quæ probata est prius per duas, vel tres rationes, potest etiā probari per duas, vel tres auctoritates Aug. 7. de Trinit. c. 1. vel 6. omnis essentia, quæ relatiue dicitur &c. *vt habentur in præcedenti articulo §. sed contra.* Item in eodem c. 2. vel 12. non eo verbum, quo sapientia: quia verbum non ad se dicitur: sed tantū relatiuè ad eum, cuius Verbum dicitur: sicut Filius ad Patrem: sapientia vere eo quo essentia. Intelligit ergo Augu. quod sicut Pater non eo quo est Pater, est sapientia, & essentia: ita non eodem est Pater, & Deus. Et ex hoc concluditur c. 14. de minoribus: qua propter, non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater: aut ille ingenitus, ille autē genitus: ideo non est vna essentia: quia his omnibus relatiua eorum ostenduntur: vterque autem vna sapientia, & vna essentia. Est igitur secundum ipsum talis nō identitas relationis ad absolutum in diuinis, quod si vnum erit quo, respectu alicuius, alterum non erit quo, respectu eiusdem esse, aut quo conuenit alicui secundum eius rationē formalem: ergo vnum eorum non est de ratione formali alterius: sed extraeam: & perconsequens nō est idē formaliter alteri: quia sic supra exposita est ratio eius, quod est non esse formaliter ita.

F Idem ibidem cap. 8. & 31. nam substantia non erit sustantia, quia relatiuum erit. Et sequitur: absurdum est, vt substanria relatiuè dicatur. Deduc igitur, & è conuerso est absurdum. Hic potest introduci illud dictum Doctoris illius de duplici prædicatione formali, videlicet, & per identitatem, quod benè exponit ista via.

Et tamen ex hoc non sequitur simpliciter diuersitas, vel non identitas realis essentiæ, & relationis: non enim illud, quo pater est Pater, *vt dictum est, §. sed contra,* est aliud ab essentia, sed idem secundum August. 11. lib. de ciuitate Dei cap. 10. ideo simplex dicitur Deus, quoniam, quod habet, hoc est excepto, quod relatiuè quæcumque persona ad alteram dicitur, nec est ipsa. Sicut Pater habet Filium, & non est Filius: sed quidquid habet Pater in se, ad quod per cōsequēs non dicitur relatiue; illud est ipsę vera identitate, licet non formali.

G *Iste Doctor est S. Bonuaent. vbi supra.*

Expositio 3. articuli quæstionis 7. distinctionis 2.

MEDIAM inuenit Doctor distinctionem inter identitatem ex natura rei, & distinctionem realem, quam formalem vocauit: & hanc inter essentiam, & relationes esse constituit. Cū etenim, vt ex præcedenti art. patet, ante intellectus considerationem, aliquam distinctionem ibi admittat: & ex hoc concludat, quod hæc realis nō sit: quinimo compossibilis sit cum identitate reali: illam quidem formalem ex natura rei esse concludit. Sed quia hanc distinctionem in Deo ponere, Thomistis omnibus, & alijs Theologis recentioribus, quasi sacrilegum visum est: ideo vtriusque articuli præclaram doctrinam in sequenti difficultate enucleabo.

(.˙.)

DIF-

DIFFICVLTAS LIIII.

Vtrum inter essentiam, & relationes diuinas detur aliqua distinctio formalis, actualis ex natura?

§.1.

Reiecto errore Gersonis, & Porretani refertur prima opinio Durandi.

IN Scoticæ profunditatis Occeano, non quidem periculoso, sed satis inuidiæ murmure, difficili, nauigat intellectus: dum huius difficultatis celeberrimæ promontorium circumualatum aduersariorum vndis fluctuantibus, transuadatur, vbi pestilentis quorumdam aeris zelo, irruentiũ ventorum flatibus comminantibus, veritas agitatur: & temeritatis naufragium, Scoti subtilitatem iudicant, & nobis furiosè hostes improperant, ita vt Scholam Scoticam circa hoc, iam iam labefactatam, eiusque principem in erroris pelagus lapsum (proh dolor) non dubitent celebrare. Ad aduersariorum tamen quorumdam immodestiam temperandam, & aliorum cõtra Scotum excitatam rabiem cohibẽdam, maiorum vestigia insequens, diuino fouente numine scopũ veritatis attingam, & inuidis subtilitatem Scoti cam patefaciam. 1

2 Reiecta ergo in hac difficultate Gersonis, ac Gilberti Porretani sententia, tanquam damnata in Concilio Remẽsi sub Eugenio Tertio: quæ (vt referunt D. Bernardus sermo. 80. super Cantica, & D. Bonauentura in 1. dist. 33. q. 2. & alij) aiebant, relationes diuinas extrinsecas esse diuinæ essentiæ, ipsique esse affixas, quasi extrinsecus. Fuit opinio Durandi in 1. dist. 33. q. 1. n. 23. & 34. & q. 2. & in 3. dist. 1. q. 2. relationes diuinas differre aliquo modo realiter saltim secũdũ quid, & cum determinatione: ita tamen, quod distinctionem inter relationes, & essentiam realem appellat. Ad cuius sententiæ defensionem quatuor dicit, primum, scilicet, quod non datur aliqua distinctio formalis ex natura rei media inter distinctionem realem, & rationis, in quo aduersatur Scoto, & sentit cum D. Thoma. Secundum, quod ante omnẽ operationem intellectus, relationes diuinæ distinguntur ab essentia, in quo aduersatur D. Thomæ secundum plurium Thomistarum sententiã, & Scoto consentit. Tertium, quod inter relationes, & essentiam, non est distinctio realis, qualis est inter rem, & rem: & in hoc cum omnibus Catholicis sentit. Quartum denique, quod distinctio, quæ est inter relationes, & essentiam, realis dicenda est, non tamen vtcumque, sed instar illius, quæ mediat inter rem, & modum rei. Et in hoc quarto dicto consistit singularis Durandi sententia.

Error Gersonis, & Gilberti Porretani in Conc. Remensi damnatus.

D. Bernar.

D. Bonan.

Sententia Durandi.

Primum dictum sic probat Durandus: quia omne ens sufficientissimè diuiditur in ens reale, & rationis: ergo omnis distinctio est realis, vel rationis. Consequentia patet, quia distinctio est passio entis: ergo totuplex erit distinctio, quotuplex fuerit ens. Secũdum dictum probat ratione Scoti suo loco ponenda. Tertium dictum probat, quia alioquin sequeretur relationes in Deo esse quid creatum, aut plures esse Deos. Quartum dictũ, in quo eius sententia ab alijs secernitur, confirmat. Primo ex verbis D. Damasceni 1. de fide cap. 9. vbi proprietates diuinas, modos existendi naturæ appellat, hæc dicens: *Quo fit, vt omnia, quæ Pater habet, Filij sint, hoc vno excepto, quod ingenitus non est. Quæ quidem vox, nec naturæ discrimen, nec dignitatem, atque auctoritatem, sed existentiæ modum indicat.* Et infra cap. 11. inquit. *in solis autem proprietatibus, atque quantum ad causam, & ea quæ à causa proficiscuntur, ac personæ perfectionem, hoc est existendi modum, discrimen animaduertimus.* Quod idem in cap. 13. loquendo de proprietatibus affirmat sequentibus verbis. *Quæ quidem non eiusmodi sunt, vt naturas declarent, sed mutuam personarum interse affectionem, atque existendi modum.* Ex quibus locis Damasceni probat Durandus suã sententiam. 3

D. Damas.

§.2.

Refertur opinio Thomistarum, & aliorum cum quatuor argumentis eorum.

4 Duns autē Thomas 1.p.q.28.ar. 2 asserit inter essentiā, & relationes, ac etiam inter essentiā, & personas, nullā esse distinctionem ex natura rei: sed tantū inter prædicta admittit distinctionem rationis ratiocinatæ, vt Thomistæ exponunt Hoc idem tenet in 1.dist.23.q.1. & de potentia q.8.ar.2.& alibi, quem sequūtur Cayetanus 1.p.q.39.ar.1. Soto.us in 4. dist.49. quæst.3.ar.1.post quartam cōclusi. Canariēsis de Trin.q.2.ar. 2.dis. 3.Bañez ibidem dub.3.Zumel ibi q.2. conc.1. Capreolus in 1.dist.33.q.1.ar. 3.ad argumenta Scoti. Gerardus ibi q. 2 ar.3. Ayala q.1.art.4. Soncinas q.1. conc.3. Toletanus q.2.ar.2.conc.3.& art.3.contra Scotum, Greg.q.1.art.2. Franciscus à Christo q.1.pagin.163.& cæteri Thomistæ. Ex Neutralibus vero Molina 1.p.q.28.art.2.disp.5. Suarez lib.4.de Trinit.c. 4. in 1.p. Vazquez 1.p.disp.120.c.4. Gregor.de Valentia 1.p.disp 2.q.13.puncto 1.qui quidem omnes in hoc vno conueniunt, quod est, nullam distinctionem reperiri actualem ex natura rei ante intellectus considerationem inter essentiam, & relationes; non tamen omnes in huius opinionis defensione æqualem immodestiam in modo loquendi, & scribendi eructant. Quidam etenim suam pro viribus opinionem corroborant, & nostram, efficacius, quo possunt, impugnāt: sed adid nō gladio linguę, aut calami nouacula: sed rationis, & discursus efficacia vtuntur. Alij verò cōtra omni modestia postposita, verbis, & iniurijs irruunt in Scotum, ac si victoria disputandi in verborum contumelijs triumpharet. Mehercle, vltra quod euaginata ratio hostiū subtilitati Scoti nō nocet, verborū exorbitans impetus contra ipsos irruentes conuertitur. Quorū iniuriā in nobis ab eis illatā religiosè, & patienter sufferimus, cōtenti tantummodo defensione nostræ subtilis sentētiæ, & impugatione alterius, non lingua dolosa, sed veri discursus subtilitate inuenta.

2.Opinio D. Thomæ. Cayet, Sotus. Canarienſ. Bañez. Zumel. Capreolus. Gerardus. Ayala. Soncinas. Toletat. Grego. Franc. à Christo. Molina. Suarez. Vazquez. Valentia.

Hanc ergo sententiā pluribus eius Auctores fulciunt argumentis, & primo probatur ex Cōc. Florentino sess. 18. vbi sic dicitur: *Diuina substantia, & persona, re quidē idem sunt, secundū autem modū intellectionis nostræ videntur differre*, & sess.19. loquēdo de essentia, & persona ait: *Haud quaquam putare debetis, quod rediffer ant, quādo quidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur*, & sess. vltima, hæc habētur: *Diuinam substantiam à tribus hypostasibus, non re, sed ratione differre.* Idē diffinitū est in Cōcil. Lateranensi, & habetur in c. *damnamus*, & in c. *firmiter*, de summa Trinit. & fide Catholica, vbi dicitur: quod Deus est vnus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, omnino idem.

5 1. *Argumētum contra Scotum. Conc. Flo.* *Conc. Lat. c. firmiter. Cap. damn.*

Ratione autem primo sic arguunt 6 nam diuina essentia, secundū rationē essētiæ, est simpliciter, & omnibus modis infinita: ergo formaliter comprehendit absolutum, & relatiuum: ergo relatio est idem formaliter ex natura rei cū essentia. Cōsequētia probatur, quia magis infinita est illa entitas, quæ in sua ratione formali comprehendit absolutum, & relatiuum, quàm illa, quæ solum comprehendit absolutū: sed essentia diuina est infinita in summo gradu, ita quod supra illā alia magis infinita imaginari non possit: ergo formaliter vtrumque comprehendit. Sed, quod formaliter cōprehēditur ab aliquo, est de formali conceptu illius: ergo relationes sunt de conceptu formali essentiæ: & ex consequenti ab essentia sunt formaliter indistincta.

2. *Argumētum contra Scotum.*

Tertio in ordine, est argumentum 7 Molinæ: quia si relationes diuinæ ex natura rei distinguerētur formaliter ab essentia, aliquid esset in Deo, nempè Pater, constitutum ex rationibus formalibus distinctis interse formaliter, videlicet, ex essentia, & relatione: ex quibus non secus tanquam ex rationibus formalibus, formaliter interse distinctis, constaret, quàm Angelus ex genere, & differentia, tanquam ex rationibus formalibus interse distinctis constat. Hoc autem manifestè pugnat cum simplicitate diuina, simplicius, nam-

3. *Argumētum contra Scotum.*

namque quidpiam eſſet, ſi alteram tantum rationem formalē haberet, quàm habēs duas rationes formali diuerſitate diſtantes interſe. Si ergo excogitari poteſt Pater æternus ſimplicior habens vnam rationem formalem, quàm habens duas formalitates diſtinctas, & ſumma ſimplicitas debet tribui diuinis perſonis: proculdubio dicendum eſt, Patrem non duplici ratione formali, ſed vna tantum conſtare.

8 *4. Argumētum contra Scotum.*

Quarto, mordicus arguit Vazquez c.4.n.18. reducens ad formam argumenti diffinitionem Concilij Remenſis (vbi damnatus fuit error Gilberti Porretani) contra Scotum hæc dicens: plurimum valet contra Scotum celebris diffinitio Concilij Remenſis quā c.2. retulimus. Primo, quia ſi, vt diffiniuit Eugenius, inter relationem, & eſſentiam ratio non debet diſtinguere, efficitur, vt formaliter ex natura rei non diſtinguantur. Cum enim Eugenius diffiniuit, ne ratio diſtinguat: intellexit ſecundum phraſim Gilberti, quam c.1. commemorauimus, rationē & conſiderationem, non mathematicam, ſed Theologicam, quæ eſt ex natura rei. Secūdo, quia damnatur à Bernardo modus ille loquendi Gilberti: *Pater eſt Deitas, ideſt, eſt Deus: eſt bonitas, ideſt bonus:* eo quod putaret Gilbertus neceſſarium, addere explicationem illam, *ideſt Deus, ideſt, bonus*, vt propoſitio eſſet vera: diſpliceret etiam ei diſtinctio, quam inter perſonam, & eſſētiam diuinam Scotus conſtituit: etenim ex hac Scoti ſententia eodem modo ſequitur addendum eſſe eandem explicationem, *ideſt*, Deus, vt prædicta propoſitio, *Pater eſt Deitas*, formaliter ſit vera. Nam iuxta ſententiam Scoti, Pater ex natura rei, potius eſt Deus, quàm Deitas, ſiquidem à Deitate differt ex natura rei, & formaliter: & propoſitio illa ſine explicatione, in ſenſu formali, & ex natura rei, non eſt vera. Tertio ſi magis probati diſcipuli Gilberti, poſt Concilij diffinitionem dicebant, inter relationem, ſeu perſonam, & eſſentiam non eſſe diſtinctionem in intelligendo, ſed in nominando, vt ca.2. explicauimus (inquit Vazquez) efficitur ſolo noſtro modo cogneſcendi, qui varijs vtitur nominibus, non autē conſideratione, Theologica, quæ tēdat ad rem ipſam vt eſt in ſe, aliquā ibi poſſe diſtinctionē inueniri. De illa vero Gilberti Porretani ſententia, ſeu errore, & de conformitate ſententiæ Scoti cū illo hæc dixerit Vazquez in diſp.116.cap.4. inquiens, maiorem diſtinctionē poſſuiſſe Scotum inter eſſentiam, & attributa (quod idem reſpectu relationū intelligit) quam Gilbertum: nam de ipſa eſſentia nuſquam negauit Gilbertus (inquit Vazquez) eſſe ſuam ſapientiā: at vero Scotus non ſolū dicit Patrem aut perſonā diuinā non eſſe ex natura rei ſuā eſſentiam, & ſapientiā: ſed etiā eſſentiam Dei non eſſe ſuam ſapientiam, & intellectū, &c. Quid vero actū fuerit cōtra Gilbertū in Cōcilio Remēſi, & qualiter illa propoſitio fuerit dānata, *Deus nō eſt ſua Deitas*, oſtēdemus diſp.120.c.2. quomodo etiā inſententia Scoti, idem modus loquendi, quē Gilbertus aſſerebat, ſequatur, ibidem monſtrabimus, eadē enim ratione phyloſophari debemus de diſtinctione relationis ab eſſentia, atque attributorum interſe, & ab ipſa eſſentia: & idem abſurdum vtrobique ſequitur. Hactenus ſunt verba Gabrielis Vazquez quibus, & alijs inferre conatur Scotum, in errorem Gilberti Porretani fuiſſe lapſum: quinimo maiorem diſtinctionē poſuiſſe in Deo quam iniquiſsimum illum Porretanum Hæreticum, vt etiā de Scoto dicatur, *& cum iniquis reputatus eſt.*

§. 3.

Formantur alia quinque argumenta Gregorij de Valentia, & in ſuper tria Thomiſtarum.

9 *5. Argumētum contra Scotum.*

QVinto arguit Grego. de Valētia, & antequā argumento rationis vtatur, euaginato calami gladio iaculat Scotū his verbis puncto 1. §. *quibus non obſtantibus. Hæc opinio Scoti aliquibus videtur, non modo falſa, ſed etiam parum fidei conſentanea, idque non immerito*, quia cum

in cap. *Damnamus*, negatur essentiam diuinam esse quartam rem in diuinis, simpliciter, & absolutè reijci videtur omnis opinio, secundum quam propriè loquendo, oportet concedere essentiam diuinam esse rem quartã realiter distinctam. *Ergo Scoti opinio planè videtur in coloco ab Ecclesia reiecta, ac proinde (vt minimum) est parum consentanea fidei.* Maior patet ex ipsius Ecclesiæ diffinitione, quæ simpliciter negat essentiam esse rem quartam, & simul concedit essentiam simpliciter etiam esse ipsas tres personas, & è contra. *In* qua loquutione, cum essentia in abstracto significata prædicetur de personis, non obscure significatur sensus identicus re ipsa. Atque adeo pugnat prorsus cum hac Ecclesiæ diffinitione, ea opinio, secundũ quam propriè loquendo, negare oportet, personas esse ipsam essentiam, & affirmari, quod sit res distincta ab illis. Minor vero probatur: nam vbi re ipsa est actu, hæ & alia quidditas: est actu aliud, & aliud ens, transcendentaliter: cum vocabulum cum ens significet formaliter essentiam & quidditatem, sicut vocabulum homo, humanitatem, vt patet ex principijs positis in Metaphysica. Rursus vbi est aliud ens, eo ipso est alia res, cum res, & ens transcendẽtaliter conuertantur: ergo de primo ad vltimum opinio Scoti, quæ admittit re ipsa actu esse aliam quidditatem personæ diuinæ, & aliam quidditatẽ essentiæ, proprie loquendo cogitur admittere duas res esse personam diuinã & essentiã. Hactenus sunt verba Gregorij de Valencia, quæ fideliter retuli, vt ipsis respondeam in fine difficultatis: & vt si quæ maior efficacia in eius verbis consistat, non minuatur argumenti robur ex mutatione Verborum.

10 Confirmat autem idem Valẽtia hãc rationem ex eo, quod quidditas personalis, vt secundum Scotum est alia, non est alia per solum conceptum rationis: est tamen propriè secũdum eundem Scotum alia. Ergo superest vt sit alia quidditas realiter: ac proinde realiter distincta. Patet hoc totum: nã sicut inter ens reale, & rationis non est mediũ, ita nec inter modũ alietatis (vt sic dicã) siue distinctionis realis, vel rationis: cum enim distinctio sit passio entis, non latius patere potest distinctionis modus, quãm modus entis. Ex quo rursus sequitur, impossibile esse dare mediam distinctionem, inter realẽ, & rationis: quæ, scilicet, nec in ambitu distinctionis realis, nec in ambitu distinctionis rationis comprehendatur, vt benè etiam deducit Durandus. Sed dicet aliquis, illa diffinitione Ecclesiæ non reijci omnem omnino distinctionem realem essentiæ, & personæ, sed eã quæ debeat dici rei à re: qua re Scotũ, qui non ponit distinctionẽ realem, vt rei à re, nihil ab illa Ecclesiæ diffinitione alienum dicere. Ego vero (inquit Valentia) contra primum objcio, quod vtcumque Scotus illam suam distinctionem ex natura rei appellet, vere de illa verificatur, quod sit realis transcendentaliter, vt ante probatum est: quo circa videtur ea etiam distinctio in illa Ecclesiæ diffinitione reiecta: siquidem ibi absque vlla limitatione, aut exceptione modi, quo ille loquatur, simpliciter Ecclesia negat esse realem distinctionem, essentiæ, & personæ.

Prosequitur præterea Greg. de Valentia prædicti argumenti confirmationem, diro uerborum mucrone nostram denuo sententiam feriens, hanc inferendo consequentiam: *Est ergo sententia Scoti omnino aborrens ab Ecclesiæ diffinitione.* Quis talia vidit, inter Catholicos, in argumento Theologico, contra totam grauissimam, celeberrimam, Catholicam, & semper Ecclesiæ pedisequã, sapientissimorũ Doctorũ Scoti sequentium Scholam, hanc sententiam, defendentium, tam iniquam consequentiam syllogistice ex Theologicis præmissis inferre? Miror profecto, quod in tã sancta in omnique modestia, & humilitate fundata religione sacra ab his duobus viris alias doctissimis, hic improperandi in Scholasticis disputationib⁹ introductus fuerit stillus. An ne ex grauissima Thomistarũ familia de fuerũt Magistri doctissimi, & acutissimi qui (si liceret) cũeiusmodi improperio, & cõtumelijs, suã tueretur lẽtétiã? quin imo, & in domo propria, absq eo q extra Gallaad ad resinã quærerẽt

II

nonne

nonne à ſapientiſsimo Magiſtro, & modeſtiſsimo, grauiſsimo, & vndequaque celebri Doctore Patre Suario, & à pluribus alijs huius præclariſsimæ familiæ Doctoribus poterant Gabriel Vazquez, & Gregor. de Valentia, eruditionem, & ſubtilitatem ſimul cum modeſtia adipiſci? profecto ab hinc circiter trecentos annos viguit Scoti ſententia circa hãc diſtinctionẽ formalem: & illico inceperunt inſurgere aduerſarij contra eum. Atqui ſapientiſsimi veteres difficultatem, non injurijs, ſed diſcurſibus ventilabant. Contra quendam, qui primus dixit opinionẽ Scoti ſibi viſam eſſe periculoſam in fide, iure optimo cõqueritur Illuſtriſsimus Dominus Rada noſtræ familiæ decus, & digniſsimus Archiepiſcopus Tramenſis 1. par. controuer. 4. §. *propter hæc*, vbi noſtræ iuſtiſsimæ querimoniæ, contra eum hæc protulit verba. *Certè ipſe ſolas contra Theologorum Principem Scotum non facit opinionem, nec multi alij cum eo: præſertim cum Scoti ſententiam ab eius diebus Vniuerſa Pariſienſis Schola ſemper amplexa fuerit, necnon, & Louanienſis, atque Romanienſis Academia, & in Vniuerſa talia apud omnes viros doctos, ſit celebris & famoſa, & eam amplectantur grauiſsimi Doctores* (qui referuntur infra) *prætera Cayetanus accerimus Scoti propugnator, numquam eam damnauit, nec aliquis antiquorum: ipſe primus hoc dicere auſus eſt cõtra tot inſignes, & Catholicos Doctores?* Hactenus ſapientiſsimus Rada: qui ſi ſua ætate videret acriorem Vazquij, & Valentij cenſura, maiore iure prædicta in dies magis, ac magis eius creſceret quærimonia.

Rada.

12 Sic igitur ſupra poſitum argumentum confirmat Valentia. Quomodocumque illam diſtinctionem appellet Scotus ex illius poſitione ſequitur, in re quidem tam perfectam diſtinctionem eſſe inter perſonalitatem diuinã, & eſſentiam, quam eſt inter ipſas perſonalitates, ſeu perſonas diuinas. At hoc manifeſtè eſt contra illam Eccleſiæ diffinitionem: *Ergo ſententia Scoti eſt omnino aberrens ab Eccleſiæ diffinitione.* Minor cum cõſequentia eſt clara. Maior probatur, nam ſi dicas cum Scoto, perſonalitatem non eſſe aliam rem, quia non poteſt ſeparari: ſemper tamen manebit, quod diſtinctiua perſonalitatis & eſſentiæ, ſunt tam perfecta, quam diſtinctiua perſonarũ inter ſe. Ergo cum ponat actualẽ diſtinctionem in re ipſa: tam perfecta erit diſtinctio perſonæ & eſſentiæ, quam perſonarum, & perſonalitatum inter ſe. Cõſequentia patet & antecedens probatur, quia diſtinctiua perſonarum, ſunt tres illæ relationes: diſtinctiua autem perſonalitatis, & eſſentiæ, ſecundum Scoti opinionem, ſunt ex natura rei quidditas relationis, & quidditas eſſentiæ. At negare non poteſt, quin quidditas eſſentiæ, & quidditas Filiationis, ſint tam perfectè diſtinctiua, quã paternitas & filiatio inter ſe: cum in diuinis nihil ſit maius & minus, vt patet ex ſimbolo Athanaſij. Ergo vtrobique ſuntæ que perfecta diſtinctiua.

13 Neque vero (inquit Valentia) poterat Scotus rectè hic dicere, quãuis ſint vtrobique æque perfecta diſtinctiua: tamen non vtrobique æque perfectè diſtinguere, quia non poſſunt ſeparari ad inuicẽ eſſentia & relatio, & propterea non eſſe inter ipſa diſtinctionẽ realem, vt rei are. Hoc in quam dicinõ poteſt (ait ipſe) nam ſequeretur diſtinctionem realem inter perſonas nõ eſſe vt reài re. Patet, quia ſimiliter, nec vna perſona poteſt vllo modo ſeparari ab altera, cũ altera, in altera ſit intimè: iuxta illud, *ego in Patre, & Pater in me eſt.* Quare nullomodo videtur Scotus potuiſſe defendere, quim ſecundũ ſuã ſententiam æque perfectè diſtinguatur in diuinis realiter eſſentia à perſona, atque perſona, à perſona, quod eſt contra fidem.

14 Sexto præterea arguitur, & eſt ſecundum Valentiæ, quo forſam intẽdit probare Scotum etiam quaſi in Arcanam hæreſim incidiſſe: dum contra ipſum ex eius ſententia infert aliquid intra Deum eſſe creaturam, ſic enim arguit contra Scoti ſententiam. Si diuina eſſentia & perſonalitas ante omnẽ operationem intellectus actu diſtinguntur, conſequens erit, vt ſit aliquid ad intra in diuinis, quod ſit creatura, & non Deus. Ad iſtud conſequens eſt erroneum, vt patet. Ergo & illa ſententia, ex qua id ſequitur, peor-

Sextum argumentum contra Scotum.

prorsus est reijcienda. Maior probatur. Nam si loquamur de quidditate personalitatis, illa quidditas iuxta ipsorum opinionem, intrinsecè, & secũdum se, non est quidditas essentiæ diuinæ, siquidem est alia ex natura rei. Ergo intrinsecè non est Deus. Ergo intrinsecè est creatura. Prima consequẽtia patet, quia nihil est intrinsecè Deus nisi intrinsecè sit essentia diuina, quæ est intrinseca Deo. Secunda vero consequentia patet, quia inter Deum, & creaturam nullum est medium.

15 Item septimo arguitur (& est tertium argumentum Valentiæ) quoniam sequitur etiam ex illa sententia personam diuinam non esse simpliciter ens infinitum. Consequens est falsum: ergo &c. Maior probatur, quia constaret ex duobus finitis simpliciter: & certum est ex duobus finitis, nõ posse constitui aliquid infinitum simpliciter. Id autem probatur, tum, quia, neque quidditas essentiæ haberet perfectionẽ personalitatis, neque quidditas personalitatis, perfectionem essentiæ, & sic tum essentia, tum personalitas (ex quibus constat diuina persona) esset quodã finitum. Duo enim modi sunt habendi perfectionem alicuius. Vnus est secundum actualem identitatem: & iste non haberet hic locum, si personalitas, & essẽtia nõ sũt actu idẽ. Alter est secundum eminentiam: & iste potest habere in proposito locũ. Nam quod eminenter est aliud, perfectiùs est illo. Sed in diuinis nihil est magis, aut minus: ergo non potest in diuinis aliquid habere eminenter perfectionem alterius. Confirmatur, nã dato quod aliqua ratione posset concedi essentiã habere eminenter perfectionẽ personalitatis, aut ècõtra personalitatẽ habere perfectionẽ essentiæ: impossibile tamen est omnino, vt essẽtia habeat eminenter perfectionem personalitatis, & vicissim personalitas perfectionẽ essentiæ: nam tunc idem secũdum idem, esset perfectius, & imperfectius alio. Quare secundum illam opinionẽ Scoti, nulla ratione potest defẽdi, quin alterutrum saltem istorũ esset finitum. Et sic aliquid in diuinis ad intra esset creatum, & finitum.

7. Argumẽtum contra Scotum.

16 Octauo arguitur (& est postrema ratio prædicti Auctoris) si quidditas essẽtiæ, & quidditates trium personalitatum, ex natura rei ante omnem operationem intellectus, actu distinguntur: quæro, an sint omnes istæ quidditates infinitæ, vel nulla infinita, vel aliqua finita, & aliqua nõ? Primũ non potest dici, vt patet ex argumento proximè facto. Si autem secundum, vel tertium dicatur: sequitur, vel aliqua, vel omnia esse finita in diuinis ad intra, atque adeo creata. Quare hæc sententia Scoti (inquit Valentia) vehementer videtur obstare Trinitatis mysterio: præcludit enim viam potissimam illud defendẽdi ab impossibilitate. Nã præcipua difficultas in hoc mysterio, est quod ex pluralitate, & distinctione reali personarum, illico videtur sequi personas distinctas nõ esse simpliciter infinitas, cũ alterius alteraperfectione careat. Cui difficultati non possumus aliter respondere, nisi dicamus eas idẽtificari actu re ipsa in quidditate essẽtiæ, atque eatenus alterius perfectionem participare, & ea ratione omnes illas esse infinitas. Tãtummodo enim esset impossibile, vt plura sint infinita simpliciter in nullo tertio identificata. Patet hanc ratiocinandi viã perclusi, prorsus ab illa sententia Scoti.

8. Argumẽtum contra Scotum.

17 Vltra præfactas rationes arguit Auctor iste ex auctoritatibus Patrum, & Euangelij testimonio, & primo ex D. Dionysio 2. c. de diuinis nominibus p. 1. vbi perpendens illud Ioan. c. 10. *Ego & Pater vnũ sumus*, inquit, *neminẽ arbitror ex ijs qui in diuinis eloquijs rectissima, piaque intelligentia sunt enutriti, huic sententiæ contradictorum, quod diuina omnia iuxta exactissimam rationem, toti diuinitati insunt.* Et infra, *quod si quis dixerit confusionẽ personarum, hac ratione introduci non potuit persuadere.* Patet ergo D. Dionysium testari diuinam essentiam omnia diuina, & ex consequenti personalitates in sua ratione includere, & sibi identificare. Item D. Athanasius oratione contra Gregales Sabelli hæc ait. *Vniuersa plenitudo, & integritas diuinitatis est Pater vt Pater, & Filius vt Filius.* Et infra, *idem de Spiritu Sancto existimandum*, & serm. 4. contra Arrianos Paulo post initium inquit, *Necesse est vt cogites ipsam Deitatẽ, & proprieta-*

9. Argumẽtum contra Scotum. D. Dionys. Ioan. 10.

D. Athan.

prietatem Patris essentiam Filij constitue re. Item D. Nazianzenus oratione in sancta lumina inquit: *Vnum in tribus, diuinitas est, & trià vnum, in qnibus diuinitas est: vesſ vt magis proprie dicam, quæ diuinitas est.* Vbi videtur diuinitatem propriè esse ipsa tria suppositа, atque adeo sola ratione ab eis distingui. Item Diuus Augustinus 7. de Trinitate cap. 6. ait: *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.* Et infra, *non aliquid aliud eius essentia esse est præter istam Trinitatem: tamen tres personas eiusdem essentiæ, vel tres personas vnam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona.* Imò hoc ipsum reuera Christus docuisse videtur cum Ioannis capite 10. affirmauit, se, & Patrem vnum quodam esse, secundum naturam siue essentiam. Quod certè, verum minimè esset, si personæ ab essentia distinguéretur reipsa actu, vllo modo.

D. Nazia.

D. August

18

Ex Thomistis autem Cayetanus, & alij sic arguũt, omnis actualis distinctio ex natura rei fundatur super actuali oppositione ex natura rei. Sed inter relationes, & essentiam nulla est actualis oppositio ex natura rei: ergo &c. Maior est Arist. 10. Metaph. tex. 24. quam probat Dominicus de Bañez dub. 3. ex illo communi Axiomate Theologico: *In diuinis omnia sunt idem vbi non obuiat relationis oppositio.* Minor vero probatur inductione: nam ibi non est oppositio contradictoria, neque priuatiua, quia in his oppositionibus alterum membrum est negatio formaliter: nec ibi est oppositio contraria, quia alterum contrariorum semper est defectiuum, vt patet ex 10. Metaph. textu 16. Quod nec sit relatiua oppositio patet, quia, & si relationes ad inuicem opponantur, non tamen inter illas, & essentiam, est talis relatiua oppositio.

10. Argumentum cõtra Scotũ.

Arist. 10. Metap.

19

Præterea vndecimo in ordine sic arguitur. Distinctio formalis ex natura rei est maior distinctio, distinctione reali: sed essentia, & relationes non distinguntur realiter secũdum Scotũ, ergo à fortiori, nec distinguntur formaliter ex natura rei. Maior probatur, quia distinctio per intimiora, est maior distinctione per minus intima. At distinctio formalis ex natura rei quam ponit Scotus, s est per intimiora, quam distinctio realis, quia est per prædicata primi modi dicendi per se: distinctio autem realis est per minus interna, nẽpè per principia materialia. Magis enim distant homo, & equs quam Petrus, & Paulus: quia illi formaliter, isti autem tantum materialiter distinguntur: ergo &c.

11. Argumentum cõtra Scotũ.

20

Duodecimo arguit Gregor. Arimenensis in 1. distinctione 8. quæstion. 1. quia accipit diuinitatem præcisè per se absque quocumque alio, & tunc sic, vel diuinitas sic sumpta est sapientia, vel non. Secundum non est dicendum: ergo primum: ergo sic est Deus sapiens secundum rationem Deitatis. Vel ergo Deus est sapiens sua sapientia, vel distincta sapientia à Deo. Sed si distingueretur sapientia formaliter à Deitate, non esset Deus sapiens sua sapientia: ergo non distinguitur Deitas à sapiẽtia ex natura rei. Sed eadem distinctione, qua distinguuntur essentia, & sapientia, distinguntur quidem essentia, & relationes: ergo essentia, & relationes non distinguntur ex natura rei.

12. Argumentum cõtra Scotum

§. 4.

Ponitur vera Scoti sententia, quam non posse intelligi de distinctione virtuali ostenditur.

21

IN oppositum autem est litera textualis in ar. 3. huius septimæ quæstionis in corpore vbi Doctor hæc ait: *In proposito autem, essentia non includit in ratione sua formali proprietatem suppositi, nec è conuerso. Et ideo potest concedi, quod ante omnem actum intellectus: est realitas essentiæ, quæ est communicabilis, & realitas suppositi, quod suppositum est incommunicabile: & ante actum intellectus, hæc realitas formaliter non est illa, vel non est eadem formaliter illi.* Sequuntur Doctorem

Basso-

Basolis. *Maironis.* *Rubionis.* *Tatharet.* *Lychetus.* *Bargius.* *Vigerius.* *Ant. And.* *Trombeta.* *Adan.* *Rada.* *Ouando.* *Herrera.* *Philip. Faber.* *OKcam.* *Gabriel.* *Marsilius.* *Durandus.* *Salas.* *D. Bonauë* *Bachonius.* *Ferrariẽsis* *Palacius.* *Ægidius.*

Basſolis in 1.diſtin.33.q.1.art.3.Maironis diſtinct.2.queſt.13.& diſtinct. 33. quæſt.2.Guillelmus Rubionis in 1.diſ. 2.q.5.ar.2.conc.4.Tatharetus ibi q.7. p.2.§.*conſequenter*.Lychetus diſt.2.q. 4.per totã,elegantiſsimè Bargius ibidẽ pag.98.colum.4.&.pag.99. colum.1. lit.E.Vigerius in 1.diſt.2.q.7.§.*ſecundo oportet*.Antonius Andreas diſtin.2. & 8.Antonius Trombeta in ſuis formalitatibus.Adam Godan in 1.diſt.33 q.1.ar.1.Rada 1.p,controuer.4.conc. 3.Franciſcus de Ouando in 1.diſtin. 8.propoſitione 4.Herrera in 1.diſt.8. q.13.Philippus Faber in 1.diſput.20. capit.3.4.5.& 6.& omnes alij Scotiſtæ,dempto nemine.Item ex Nominalibus OKam in 1.diſt.2.quæſt.1.lit.G. & latius q.11.lit.F. Gabriel ibidem q. 1.art.1.notab.3.& q.11.art.2. conc.2. Marſilius in 1.q.6.art.2. concluſione 4.cui fauet Durandus in 1.diſtin. 33. q.1.art.3.num.23.& diſtin.34. quæſt. 2.& in 3.diſtin.1.quæſt.2.num. 14.ad finem,pro qua etiam ſententia citantur à Ioanne de Salas Seraphicus Doctor SanctusBonauentura,Bachonius Ferrarienſis,& Palacius.Quam ſentẽtiam probabilem,& ſine periculo aliquo poſſe defendi tuetur ſapientiſsimus noſtræ ætatis Theologus Ægidius Luſitanus de Beatitudine tom.1.lib.5. q.12.art.3.§.5.& ſequẽtibus,& plures alij illam probabilem iudicant,& ſaltem qui illam non tenent,ab omni nota,& cenſura immunẽ eſſe defendũt. Sed eſt expreſſa ſententia D.Bonauenturæ in 1.diſt.5.q.1.vt infra patebit.

22 In huiuſmodi tamen ſententiæ explicatione,& intelligentia, non æquè omnes citati Scotiſtæ conueniunt:nã Pater Herrera loco citato concluſione 3.& alibi ſequens Bargium tenet huiuſmodi diſtinctionẽ formalem ex natura rei(cuius primus inuentor,& Auctor eſt Scotus)nullo modo eſſe actualem,ſed tantum virtualẽ. Quæ diſtinctio virtualis(vt ipſe fatetur)nomine tantũ differt à diſtinctione rationis ratiocinatæ,quã Thomiſtæ admittunt.Fundamentum huius ſententiæ, vltra ea,quæ pro ſententia Thomiſtarum poſita ſunt,eſt:quia maior diſtinctio reperitur inter paternitatem,& ſpirationem actiuam,ſecũdum ipſum Scotum,quam inter eſſentiam diuinã, & relationes.Sed paternitas,& ſpiratio actiua diſtinguntur formaliter,actualiter.Ergo relatio,& eſſẽtia minus quam formaliter actualiter dingũtur. Sed diſtinguntur pluſquam diſtinctione rationis ratiocinantis.Ergo diſtinguntur formaliter virtualiter, ſeu ratione ratiocinata,quod idẽ eſt. In oppoſitũ tamen ſunt cæteri omnes Scotiſtæ:& nouiſsimè Philippus Faber c. 6.ſub n.65.infine,reprehẽdit hunc modũ conciliandi ſententiam Scoti cum D.Thoma ſecundũ expoſitionẽ Cayetani:quod(vt ipſe ibi inquit)eſt omnino falſum:& ad hoc aduertit lectorẽ, vt diligenter legat,& ponderet textũ Scoti,& rationes eius,quæ omnino cõcludunt diſtinctionem actualem formalem precedentem omnem operationem intellectus, ne dum creati,ſed diuini:& terminari ad eſſentiam,& relationes vt proprijs exiſtentijs exiſtentes.

23 *Oſtenditur nonpoſſe intelligi ſententiã Scoti de diſtinctione virtuali.*

Quinimo ſapientiſsimus Ægidius vbiſupra §.1.n.3.oſtendit quam alienus ſit à mente Scoti huiuſmodi modus exponẽdi,quem adhibet Bargius: & in q.5.eiuſdem lib.5.art.2.§.1.nu.7. & art.3.§.1.n.9. hoc exactè,& euidenter oſtendit.Probat autem in duobus circa Scoti ſententiam principaliorẽ deficere.¶ Primo quidem: quia putat opinionem Scoti coincidere, cum illa,quæ eſſentiam diſtinguit à relatione diſtinctione virtuali . In quo quam longè ſit à mente Scoti ipſe oſtẽdit in dicto art.2.§.1.num. 11. &12. ſed clarius ex ipſis Scoti verbis,quæ in ſui fauorem adducunt,hoc euidenter habetur.Hæc enim ait Doctor:*Vel alio modo poteſt vocari differentia virtualis, quia illud,quod habet talem diſtinctionem in ſe,non habet rem,& rẽ:ſed vna res habẽs virtualiter,ſiue eminenter quaſi duas realitates:quia vtrique realitati,vt eſt in illa re,conuenit illud proprium,quod eſt tali realitati,ac ſi ipſa eſſet res diſtincta , ita enim hæc realitas diſtinguitur,& illa non diſtinguitur,ſicut ſi iſta eſſet vna res: & illa alia.* Ex quibus cõcludit Ægidius non eſſe audiendũ Bargiũ,& alios in dicta diſtinctione,quatenus illãcõcilia re intẽdũt cũ opinione Thomiſtarũ dicẽtes de diſtinctione virtuali,& no de actuali

actuali loquutum fuisse Doctorem. In secundo quoque notat hunc Auctorẽ deficere, quatenus putat apud Scotum nõ identitatem formalem quam ponit inter essentiam, & relationem non coincidere cum distinctione formali positiua.

24 Hæc attamen duo, in quibus aduertit Ægidius Auctorem istum deficere, videntur colligi ex Doctore in citato 3. ar. huius quæstionis. Nam primum, videlicet, quod distinctio ista non sit actualis, sed virtualis, videntur ostẽdere hæc nuper relata verba, *vel alio modo potest vocari differentia virtualis, &c.* Secundũ vero colligi videtur ex alijs ipsius Doctoris verbis ibidẽ, vbi hæc ait: *Numquid igitur debet concedi aliqua distinctio? Respondeo, melius est vti ista negatiua: hoc non est formaliter idem, quam hoc est sic, & sic distinctum.* Ex quibus Scoti verbis colligebat Bargius, & distinctionem istam formalem inter essentiam, & relationes, nec quidẽ esse actualem, sed virtualem: & non esse distinctionẽ positiuã formalem, sed negatiua, seu non identitatem formalem.

25 Verum contra eos stat cõmunis Scotistarum consensus, & ipsius articuli textualis contextus. De primo etenim manifestè patet Doctorem ibi non cõcessisse distinctionem virtualem, sed actualem. Nam prædicta verba de distinctione virtuali ab Scoto admissa, non referuntur ad formalem distinctionem, quam inter essentiam, & relationes concedit: sed ad actualem realem, quam ibi inter esse negauit. Nam in prædicto art. §. *respondeo dicendum*, hanc distinctionem inquirit, dicens, *quod oportet videre qualis sit ista differentia, quæ ponitur præcedere omnem actum intellectus?* Cui interrogationi plura respondet. Primo enim hæc ait, *ex his concluditur differentia hic intẽta, quæ est minima distinctio in suo ordine*: hoc est inter eas, quæ præcedunt omnem actum intellectus. Legitimè enim cathegoricè respondet quæsito. Deinceps post quam hanc distinctionem ibi esse probauit, sic inquirit: *Sed nũquid hæc distinctio dicetur realis*, quia cum sit ante omne opus intellectus, videtur esse realis: sed subdit: *Respondeo non est proprie realis actualis intelligendo sicut communiter dicitur realis, actualis, illa quæ est differentia rerum, & in actu: quia in vna persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem diuinam.* Et loquendo de hac distinctione reali, admisit posse dici, non potentialẽ realẽ, *quia nihil est ibi in potentia* (inquit) *quod non stet in actu*, & subdit tunc, *vel alio modo potest vocari, differentia virtualis &c.* Hoc est virtualis, vt opponitur illi, quã negauit esse realem actualem, aut potentialem. Et de hac loquitur, dũ distinctionem virtualem ibi admittit, vt ex contextu patet. Continuo enim ait: *quia illud quod habet talem distinctionem in se* (hoc est essentia, & relatio, quæ habent distinctionem ante omne opus intellectus) *non habet rem, & rem, sed est vna res habens virtualiter, siue eminenter quasi duas realitates: quia vtrique realitati, vt est in illa re, competit illud proprius quod in est tali realitati, ac si ipsa esset res distincta.*

Patet igitur non loqui Doctorem de distinctione formali ex natura rei, quãdo distinctionem virtualem admittit: sed de virtuali, prout opponitur reali actuali, secundum horum textualium verborum expositionem. Sic intelligunt Doctorẽ plerumque omnes Scotistæ, pro quo videndi sunt Lychetus loco citato §. *respondeo non est propriè*, & Ægidius vbi supra. Constat igitur distinctionem formalem quam Scotus inter essentiam, & relationes constituit ex natura rei, non quidem virtualem, aut fundamentalem esse: sed actualem: quamuis etenim realem actualem negauerit: formalem nihilominus actualem statuit. Et sic in Schola Scoti, vel non est admittenda distinctio ex natura rei formalis, inter essentiã, & relationes: vel si admittitur, necessario actualis esse debet. Vt ex rationibus infra pro conclusione ponendis compertum est.

26 *Non potest saluari sententia Scoti nisi admittendo distinctionẽ formalem actualẽ, & nõ tantum virtualem.*

Circa secundum vero, videlicet, hìc non esse concedendam distinctionem formalẽ, sed formalẽ non identitatẽ: est in promptu textus, vbi Scotus oppositũ docet. Nã in eodẽ ar. 3. in corpore §. *ista autem* indifferenter loquitur de distinctione, & de non identitate, vt ostenderet vnũ pro alio vsurpari: hæc enim ait: *Ista autem distinctio, siue*

27

ne non formalis identitas, quæ probata est, &c. Nec obstat allegata eius verba pro parte contraria: quia in eis non negat Doctor veram distinctionem esse: sed inquit, *melius esse vti illa negatiua, hoc non est formaliter idem.* Cuius rationem reddit Guillelmus de Rubione vbi supra §. *hæc conclusio.* Vbi inquit ideò potiùs à Doctore vocari non idē titatem, quam distinctionem: non quidem, quia vera distinctio non sit: sed ne daret ansam malè intelligentibus, vt ex inde contra ipsum arguerent cō cessisse distinctionem realem (ac si prophetice videret quosdam huius ætatis calumniatores) hæc sunt verba Rubionis, *non autē debent dici formaliter distingui propter malum intellectum quo aliquis posset intelligere diuersitatem huiusmodi in re extra. Et hoc est propter quod Doctor licet dicat Deitatem, & proprietatem esse non idem formaliter, non tamen quod formaliter distinguntur.* De quo videndus est Ægidius ibidem n.7. Ob modestiam igitur loquendi de Deo, hoc meliori modo vtitur Scotus, appellādo, videlicet, distinctionem formalē, non identitatem, non tamen, quod ibi non sit idem non identitas, quod distinctio: licet alibi (vt infra patebit) distinctio, & non identitas non sint idem. Nam distinctio est inter positiua: non identitas vero, est inter ea quorum vnum est positiuum, & alterum non item. In proposito autem, tam essentia, quam relatio, positiuæ sunt: cur ergo earum formalis non identitas, non erit formalis distinctio?

In sententia Scoti nō tantum datur, nō idē titas formalis, sed formalis distinctio inter essentiam & relationes.

§. 5.

Radicitus explanatur formalis distinctio, quam Scotus inuenit.

28 POrro iam habitō, quod in hac Scoti sententia est necessario stauendum, ac defendendum, inter essentiā, & relationes, non tantum dari formalem non identitatem, sed etiam dari positiuam distinctionem: & hanc non tantum virtualem, aut fundamentalē esse, sed actualem, formalem ex natura rei, ante oē actū intellectus: restat nūc nobis inuestigandū, quæ sit ista distinctio in se, & qualiter reperiatur in Deo? Pro cuius intelligētia primo obseruari oportet, quod ens æquiuocè, vel analogicè (cuius ventilationem omitto Dialecticis) secundum Phylosophū 6. Metap. cap. 2. textu Commento 8. diuiditur prima sui diuisione in ens in anima, & ens extra animam, vt quidam commētantur: vel in ens in rebus, & ens in mēte, vt alij volunt: per ens in anima, seu in mente, intellexit Aristot. ens rationis: quia tale ens omne esse habet beneficio intellectus. Per ens vero in rebus, seu extra animam intellexit omne illud, quod ante omnem operationem intellectus habet esse. Cum enim omnis recta diuisio sit bimembris, vt in plurimū vtitur Phylosophus in diuisionibus, duobus membris cōtradictorijs, vt per ea sit adæquata diuisio: nā cum sub vno genere sæpe contingat quam plurimas esse species, vna quidem per differentiam positiuam assignatur, & cæteræ sub quadam negatione ei oppositā amplectuntur. Sic dicimus, quod substantia, alia est corporea, alia incorporea: & sub incorporea includuntur quam plurimæ distinctæ species Angelorum, & spirituum. Similiter dicimus corpus, aliud animatum, aliud inanimatum: item viuens, aliud sensibile, aliud insensibile: itē animal, aliud rationale, aliud irrationale. Non ergo istæ differentiæ negatiuæ sunt constitutiuæ specierū, sed ponuntur vt exactè comprehendantur plura sub vno membro diuisionis.

Aristot.

Prima entis diuisio, in ens in anima, & extra animam.

29 Hoc pacto in data diuisione entis per ens in anima, & extra animam, seu non in anima, primum membrū positiuum est ens rationis, secundum vero negatiuum extenditur ad omnia entia, seu ad omnes entitates, quæ non sunt entia rationis: hoc est ad omne illud, quod ante opus intellectus habet esse. Et hoc vocauit expressis verbis Aristot. loco citato ens in rebus, seu ens non in mente.

30 Secūdo obseruandū est, quod cū idē, & diuersum sint passiones entis, totuplex erit genus distinctionis, quotuplex fuerit genus entis. Cum autē, vt nuper notauimus, ens prima sui diuisio

Prima diuisio distinctionis in distinctionē rationis, & ex natura rei.

diuisione, non diuidatur in ens reale & rationis: sed in ens in anima, & ens extra animã, seu in ens in rebus, & ens in mente: consequenter distinctio, prima sui diuisione, nõ diuiditur in distinctionẽ rationis, & realem: sed in distinctionem rationis, & in distinctionem ex natura rei. Prima solum reperitur inter entia rationis, vel quæ sola ratione differunt. Secunda vero reperitur inter omnia, quæ habent esse in rebus, & ex natura rei non sunt eadem: quia autem hoc ens extra animam, seu in rebus plura sub se includit, nẽpe ens reale, rẽ, realitatẽ, entitatẽ, formã, formalitatẽ, imo & modũ rei: hæc enim omnia habent esse in rebus ante omnem operationẽ intellectus: ideò distinctio ex natura rei, ad hæc omnia extenditur, & inter hæc omnia versatur. Distinctio igitur est inter duo, quorum vnum non est aliud. Et hæc prima sui diuisione alia est rationis, & alia ex natura rei.

31. *Quid sit distinctio rationis.* Distinctio rationis est illa, quæ pendet ex operatione intellectus. Et hæc subdiuiditur in distinctionẽ rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Prima est illa, quæ nullum habet in rebus fundamentum: sed intellectus id quod nullo modo est multa, suo actu collatiuo efficit multa. Hac distinctione quodlibet à se ipso potest distingui. Nã in hac propositione Petrus est Petrus, intellectus actu suo collatiuo cõparando eundem Petrum ad se ipsum, modo illum efficit prædicatũ, & modo subiectum, ac si essent multa. Et ideò vocatur hæc distinctio rationis ratiocinantis: quia solũ esse distinctionis habet ex pura ratiocinatione distinguentis. Secunda vero distinctio rationis habet aliquod fundamentũ in re propter earundem rerum virtutem, quo pacto distinguimus in eodem colore vim calefactiuã, & exsiccatiuam: quia etsi calor sit vna, ac eadem qualitas ex natura rei, tamen idem efficit calefaciendo, & exsiccando, ac si ex natura rei essent distinctæ qualitates: & hæc distinctio: ideò vocatur rationis ratiocinatæ: quia non ex mera ratiocinatione distinguentis, sed ex fundamento ipsius rei, quæ ratione distinguitur, habet esse.

32. Distinctio verò ex natura rei est illa, quæ est in ipsis rebus, secluso omni opere intellectus negociantis, & qua aliquid ab alio distinguitur, præcisa omni operatione intellectus. Hæc autem subdiuiditur iuxta omnes diuisiones eorum, quæ præter opus intellectus habent esse. Diuiditur ergò distinctio ex natura rei in distinctionẽ ex natura rei realem, & in distinctionem ex natura rei, non realem. Prima est illa, quæ reperitur inter rem & rẽ, quarum neutra est per identitatem realem altera: qua distinguuntur Petrus, & Paulus. Secunda verò, vt optimè illam diuisit Fonseca lib. 5. Metaphysicæ capit. 6. quæstione 6. sectione 2. est triplex. Nam alia est formalis, alia modalis, & alia potentialis: distinctio formalis adhuc est duplex, alia est enim formalis essentialis, & alia pura formalis. Prima datur inter plures essentias, seu entitates essentiales. Sic omnes species sub vno genere contentæ ex natura rei formaliter essentialiter distinguuntur, sic distinguuntur equs, & homo: quia habent distinctas essentias: imo & his similia, etiam distinctione reali distinguuntur, quando vna talis species non est eadem alteri per identitatem realem. Et hoc dico propter actionem & passionem, quæ secundũ Thomistas, sunt idem realiter, quamuis hac distinctione formali essentiali distinguantur.

Triplex est distinctio ex natura rei.

Fonseca.

33. *Quid sit distinctio pro formali.* Distinctio verò pura formalis est illa, qua distinguuntur suis rationibus formalibus obiectiuis, ea quæ sunt idem realiter, vnum tamen non est de conceptu formali, & quidditatiuo alterius. Sic distinguuntur rationale, & risibile, homo & animal, & quodlibet inferius & superius, seu includens, & inclusum: licèt vt infra videbimus, inter hæc sit distinctio formalis non mutua. Hæc ergo est illa celeberrima distinctio formalis, cuius primus inuentor, & Auctor est Scotus, quam etiam si confundere intendant Thomistæ cum distinctione rationis ratiocinatæ: & dicant omnem distinctionem ad realem, vel rationis reducendam esse: proculdubio longe diuersa est vna ab alia. Intendunt tamen vnam cum alia confundere: quia

vt inquit Fonseca ibid.q.7.sect.3.bimembrem diuisionem sequuti sunt prisci scolastici, atque etiam ipse D. Thom. Ex quo inquit non esse reijciendã hãc bimembrem diuisionem distinctionis in realem,&rationis,sed amplectendã eo quod ad communiorem vsum reseruanda videatur:præsertim cum vsque ad Scotum, non alia pœne sit audita distinctio. Vnde quia Scotus perspicuitati consulẽs eam solam distinctionem, quam solus intellectus facit,cæpit appellare rationis: consulto recentiores quidam Thomistæ (inquit Fonseca)quasi controuersiam han componentes, sic explicare cæperunt distinctionem rationis,vt eam quæ sola operatione intellectus efficitur, rationis ratiocinantis vocandã existimauerint: eam vero,quæ ex ipsa conditione rerũ nascitur, rationis ratiocinatæ, hoc est naturæ rerum conformatæ, appellauerint.Hanc ergo quidam existimant esse distinctionem formalem ex natura rei:& quod mirum est,etiam ex nostratibus nonnulli has distinctiones sic conciliare intendunt. Sed reuera falluntur prorsus loquẽdo de distinctione formali actuali,quam Scotus inuenit;de fundamentali autem,seu virtuali, secus dicendum iudico. Sic tamen concludit Fonseca,*diuisio superior,quam Scotus trimembrem fecit, est illustrior & ad vsum accomodatior.* Vbi confitetur illustrem Scoti distinctionem quam plures ex suis,& ex familia Thomistarum negarunt.

34. Hæc igitur distinctio formalis, non interplures formas,sed interpluresformalitates,est. Nam plures formæ,etiã accidentales vt putà dulcedo & albedo,sunt plura entia,& plures res,cum sint sub diuersis generibus spẽcies cõpletæ:aut etiam sub vno genere vt albedo,&nigredo.At verò distinctio ista pura formalis, non est inter plura entia,& plures res:sed inter plures entitates,aut realitates,seu conceptibilitates realitatum.Ex quibus infertur aliã esse distinctionem formarum, & aliã distinctionem formalem: quarũ vna alteram non infert, quia inter duas albedines est distinctio formarum, quia sũt duæ formæ realiter distinctæ: non tamen est distinctio formalis: quia vtraque habet eandem quidditatem formalem. Inter risibile verò & rationale, non est distinctio formarum: quia vtrũque est vna inseparabilis res: est tamẽ distinctio formalis, quia neutrum est de conceptu formali quidditatiuo alterius.Non tamen datur inter risibile,& rationale distinctio formalis essentialis: quia hæc non nisi in distinctis speciebus, vbi sunt distinctæ essentiæ,reperitur. Risibile verò, & rationale, non ad distinctam speciem pertinent, sed ad eandem:quia propria passio reductiuè,indirectè, & identicè pertinet ad speciem sui subiecti: licèt nec propria passio sit de cõceptu formali subiecti: nec subiectum sit de conceptu formali propriæ passionis. Ex quo inter ea resultat distinctio formalis, non quidem essentialis, sed pura formalis, quæ est propria distinctio formalis ex natura rei Scoti.

35. *Quia sit distinctio ex natura rei modalis.*

Distinctio verò ex natura rei modalis,quæ etiam dicitur ab Scoto formalis negatiua, est illa,qua entia per modos suos, qui non sunt formaliter entia,sed tantũ modi,distinguuntur.Hos modos diffuse subdiuidit Fonseca:sed quia inter eos nonnullas entitates cõmiscet,nos aliter modum,prout ab entitatibus condistinctum, diffinientes, dicimus, quod huiusmodi distinctio modalis ex natura rei,extra Deum reperitur inter essentiam, & existẽtiam: inter substantiam, & perfectatem, & inter accidens, & inhærentiam, & similia.

36. *Quid sit distinctio ex natura rei potentialis.*

Distinctio autẽ ex natura rei potentialis est illa,qua distinguuntur ea,quę quanuis actu non sint ex naturâ rei diuersa,sunt tamen in potentia,vt sint diuersa. Sic distinguitur arbor à fructu, quẽ habet in virtute.In hieme enim rosa non habet esse in rerum natura:sed tantum in virtute suæ causæ:& percõsequens non est quid actu distinctũ ex natura rei ab arbore,in cuius virtute est.Quia tamen est in potentia vt sit in rerum natura,& perconsequẽs in potentia,vt sit distincta ex natura rei,imò & realiter ab arbore:ideò hæc vocatur distinctio ex natura rei potentialis. Et forsã,hęc distinctio coincidit cũ distinctione virtuali,quatenus scilicet nõ est inter entitates actu habẽtes esse in rerũ natura:

natura: sed inter entitates, quarum vna habet esse in virtute alterius: atque ideò ex natura rei, non actu, sed virtualiter, seu potentialiter distinguitur. Et hæc distinctio ex natura rei, non actualis, sed virtualis, nō miror, quod etiam inter distinctiones rationis ratiocinatæ numeretur, & cum illa coincidere aliqui affirment. Minimè verò si talis distinctio esset actualis, scilicet inter entitates actu habentes esse in ipsis rebus. Ad hanc distinctionem potentialem reducit Fonseca partes integrantes eiusdem totius omogenei: quia dum in eo sunt, non sunt entitates in actu, quamuis sint partes in actu. Sed quidquid de hoc sit, in isto exemplo, non habet locum ista distinctio; præcipuè tenēdo cum Scoto in tertio dist. 22. q. vnica, totum integrale, etiā omogeneum, à suis partibus simul sumptis realiter esse distinctum.

37. *Valonis. Qualiter se habeant diuisio, distinctio, & non identitas.* Tertio obseruandum est, quod vt optimè ex Doctore aduertit Ioannes Valonis in suis formalitatibus Scoti impressione Parisiensi fol. 2. pagina 1. hæc tria: diuisio, distinctio, & non idēitas, habent se tanquam superius & inferius. Omnis enim diuisio est distinctio, & omnis distinctio est non identitas, non tamen ê conuerso. Et ratio est: quia diuisio est tantum inter plures res quantas. Cum enim diuisio (si rigorosè loquamur) sit passio quantitatis, & passio soli proprio subiecto conueniat: consequenter in sola quantitate reperitur: vnde quando datur inter partes entitatiuas, & non quantas quantitate molis, potius dicitur separatio, quā rigorosa diuisio. Diuisio itaque, seu separatio, semper est inter rē, & rem. Distinctio verò, non semper infert diuisionem, aut separationē: quia sæpissime est inter extrema, quæ nec diuidi, nec separari possunt. Hoc tamen habet distinctio, quod requirit vtrumque extremum positiuum. Non identitas verò, non tantum reperitur inter extrema positiua, sed etiam inter habitum, & priuationem, & aliqua extrema, quorum vnum est entitas positiua, & alterum non sic. Hoc modo cæcitas non est eadem visui, & modus nō est idem rei, cuius est modus. Quia tamen Scotus nonnunquā vtitur nomine non identitatis pro distinctione, vt visum est supra n. 27. ideò loquēdo in diuinis, ea quæ sunt non idem formaliter: proculdubio formaliter distinguuntur: quia ibi, non est aliqua priuatio, seu modus, cuius non identitas ex defectu vnius extremi positiui, distinctio non sit: sed quidquid est in Deo, præter modum, qualis est infinitas, entitas positiua est. Ex quo à priori constat quod quidquid in Deo relatiuum est non idē formaliter Deitati, est procul omni dubio distinctū formaliter à Deitate. Atque ideò semel probato quod diuinæ relationes sunt formaliter non eædem diuinæ essentiæ: habetur ex consequenti, quod distinguuntur formaliter ab essentia.

§. 6.

Expēditur elegans modus Rubionis exponēdi distinctionem formalem Scoti.

DEMVM hanc distinctionē pure formalē ex natura rei, quā Scotus primo inuenit, nouēque omnes, etiam ex Scotizantium familia, penetrarunt. Sed inter cæteros præstantius (meo videri) ipsam explicuit Guillelmus Rubionis, vetustissimus Scoti discipulus, & eius doctrinæ accerrimus propugnator vbi supra §. *quarta & vltima cōclusio*, vbi inquit: quod hæc distinctio est quædam non identitas in primo modo dicendi per se. In primo autē modo dicendi per se (prout supra in difficultate 40. n. 17. notauimus) tantummodo prædicatur diffinitio, seu pars diffinitionis de diffinito, vtpotè animal, seu rationale, seu vtrumq; simul, de homine. In secūdo autem modo dicēdi per se, prædicatur passio propria de subiecto, & mod' de re, cuius est modus, seu quidquid quomodolibet ab essētia profluit, quod tamē cū illa realiter est idē: sic visibilitas, quę est eadē realiter homini, & dimanat ab eius essētia, in secundo modo dicendi per se prædicatur de illo. Quo facile percipietur, quid sit distinctio formalis

38.

malis ex natura rei. Quæ videlicet eſt illa, quæ eſt inter ea, quorum vnum, quamuis in ſecundo modo dicendi per ſe dicatur, & prædicetur de altero: nequaquam tamen in primo modo dicendi per ſe, vnum eſt de conceptu alterius, aut prædicatur de illo, nec è conuerſo.

39. Ad huius euidentiam aduertit prædictus Guillelmus, quod per iſtam nõ identitatem, ſeu diſtinctionem in primo modo dicendi per ſe, non eſt intelligenda aliqua diuerſitas in re extra (hoc eſt realis) inter iſta, quæ ſic diſtinguuntur. Sed tantum eſt intelligenda diſtinctio diffinitionum, ſeu conceptuum obiectiuorum: quorum ſignificata, licet ſint vna, & eadem res, conceptus tamen diffinitiui illius rei, ſic ſunt diuerſi, quod vnus, non eſt alius, & ſignificatum vnius, diſtinguitur à ſignificato alterius. Atque ideò licet res ſignificata per Deitatem, & Paternitatem, ſit vna & eadem totaliter in diſtincta: tamen hæc eadem res vt ſignificatur, per conceptum diffinitiuum, ſeu diſcriptiuum Deitatis, diſtinguitur à ſignificato alterius conceptus diffinitiui paternitatis. Et ideò quia ex hoc quod ipſa res ſignificata per priorem conceptum, vtpotè eſſentia, ſeu Deitas, eſt talis, qualem requirit, ſeu exprimit diffinitio, ſeu deſcriptio Deitatis: ideò non requirit, aut exigit diffinitionem, ſeu deſcriptionem Paternitatis ex præciſa, & formali diffinitione Deitatis: licet de facto aliun de ſibi proueniat, vtpotè ex fœcunditate eiuſdem Deitatis, ſeu naturæ diuinæ, quæ relationes exigit, & ex infinitate ipſius Deitatis, quæ realiter idẽtificat ſibi omne ſecum compoſsibile: & ex hoc (inquit Rubionis) dicuntur iſta in primo modo dicendi per ſe eſſe diſtincta: vocando illa eſſe diſtincta, vel non eadem in primo modo dicendi per ſe, quæ ſunt diuerſi cõceptus: quorum vnus nec exigit aliũ, nec res vt ſignificata per vnum, requirit, quod ſit eadem cum re ſignificata per alterum. Requirit dico (inquit Doctor iſte) ex parte talium conceptuũ: quia benè aliunde requirit, & eſt repugnantia, tàm in re (quia eſt infinita) quàm in ſecundo modo dicendi per ſe (quia relatio dimanat ab eſſentia, & neceſſariò realiter identificatur cum illa) non eſſe vnam rem per tales conceptus huiuſmodi importatam.

Hoc modo (concludit Rubionis) intendit Doctor Subtilis ponere, diuinam eſſentiam eſſe non eãdem formaliter cum relationibus originis, nec etiam cum attributis: ſicut per contrarium vocat formaliter eadem, quorũ vnum cadit in diffinitione alterius. Iſta enim duo ſimul ſtant, videlicet quod aliqui conceptus ſint eiuſdem rei: & tamen quod vnus non ponatur, in diffinitione alterius. Hactenus ferè Guillelmus Rubionis, cuius egregium, & inſignem modum exponendi mentem Scoti, non multi adepti ſunt: licet eum optimè tetigerit dominus Rada in citata controuerſ. 4. pag. 53. notab. 3. & pag. 54. §. *cognita natura*, vbi inquit, quod non identitas ſeu diſtinctio formalis eſt inter ea quę habent diſtinctas rationes formales obiectiuas, ſeu diſtinctos conceptus obiectiuos, ita quod vnus non includit alium, in ſua ratione formali. Et quod hæc ſit expreſſa mens Doctoris, patet ex ipſo, qui nobis ſuam mentem apperuit in citato art. 3. §. *reſpondeo dicendum*, vbi hæc profert. *Poteſt autem vocari differentia rationis ſicut dicit Doctor quidam, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu: ſed vt ratio accipitur pro quidditate, ſecundum quod quidditas eſt obiectum intellectus.* Doctor autem iſte quem ibi citat, eſt Sanctus Pater Bonauentura, vt qui dam volunt: vel vt alij, eſt Doctor Varronis. Vterque tamen ibi in margine apponitur: iſte quidem in lib. 1. diſt. 3. quæſtione 2. Seraphicus autem Doctor in 1. diſt. 5. q. 1. cuius eſt hæc celebris doctrina ibidem §. *notandum autẽ*. Sumitur ergo formalitas ibi pro ratione quidditatiua, quæ habetur per diffinitionem, quæ ratio antecedit omnẽ actum intellectus, tanquam obiectum illius. Et loquẽdo de hac ratione quidditatiua, ſeu de hoc conceptu obiectiuo, ſeu de hac diffinitione, quæ rei cõpetit in primo modo dicẽdi per ſe, inquit Doctor, quod ante omnẽ actum intel-

40.

Bonauent. Varronis.

intellectus, nõ ſolum creati, ſed etiam diuini, in eademmet indiuiſibili re, quæ eſt Deus, dantur plures rationes, ſeu conceptus, ac formalitates. Quia vna eſt formalitas Deitatis ſeu eſſentiæ, & alia Paternitatis, & alia filiationis, & alia ſpirationis: & quod iſtæ formalitates huiuſmodi relationum ex natura rei diſtinguuntur ab eſſentia, vel ſunt non idem formaliter formalitati eſſentiæ.

41. Verum enim verò horribile difficultatis monſtrum viſum eſt aduerſarijs, hoc, quod eſt ponere hos duos conceptus obiectiuos, habentes ex natura rei diſtinctas quidditates, & formalitates in eadem re ante omne opus intellectus. Non enim capiunt poſſe in eademmet re eſſe plures entitates formaliter, ex natura rei actu diſtinctas: ſed exiſtimant eo ipſo, quod diſtinguantur ex natura rei, per neceſſariam conſequentiam in res diſtinctas tranſire. Quibus adde quod Scotus huiuſmodi rationes obiectiuas, ſeu formalitates, expreſſe vocat realitates, dum in hoc artic. 3. §. *reſpondeo dicendum* in fine hæc ait. *Et ideò poteſt concedi quod ante omnem actum intellectus eſt realitas eſſentiæ, & realitas ſuppoſiti: & hæc realitas formaliter non eſt illa*. Ex quo augetur difficultas, quomodo enim poterit vna eademmet res, eſſe plures realitates actu diſtinctæ ex natura rei formaliter, manẽte identitate realitatum?

§. 7.

Traditur, vnde proueniat diſtinctas quidditates formales, neceſſariò identificari realiter.

42. AD huius tamẽ illuſtrationem inueſtigandum eſt, quæ nam ſit ratio identitatis realis inter eſſentiam, & relationes, & vnde proueniat inter eas formalis diſtinctio. Ad quod iuxta ea, quæ ex Scoto notat Lychetus diſtin. 8. quæſtione 3. §. *intendit ergo Doctor*; & nos ſupra difficultate 43. numero 33. & difficultate 44. numero 18. aduertendum eſt, quod infinitas eſt modus intrinſecus Dei. Et ex eo quod talis modus eſt: non variat quidditates, aut formalitates, quæ ſunt in Deo: benè tamen realiter identificat diuinæ eſſentiæ omne quod eſt cum illa compoſsibile. Nam etſi relatio eſſet formaliter infinita (cuius oppoſitum infra in difficultate propria tuemur) non tolleret, quod inter eſſentiam formaliter infinitam, & relationem etiam formaliter infinitam, eſſet formalis diſtinctio ex natura rei. Quia vt ibi de diuinis attributis cum Scoto concludit Lychetus, eſto quod omnia ſint formaliter infinita: inter ipſa tamen attributa inter ſe, & in ordine ad eſſentiam, eſt formalis diſtinctio ex natura rei, & ſic diſtinguuntur formaliter ex natura rei bonitas infinita à ſapientia infinita: & vtraque etiam formaliter ex natura rei diſtinguitur ab eſſentia infinita, vt ex dicendis infra ſub diſtinctione octaua quæſtione 3. ſub propria difficultate ſuppono. Cuius ratio eſt, quia ratio formalis bonitatis infinitæ, non eſt de ratione formali ſapientiæ infinitæ, nec vtraque ſeu altera, eſt de conceptu formali eſſentiæ, ſeu è contra: & ideò ſunt obiecta formalia, & formaliter diſtincta ex natura rei, quæ exiſtunt diuinæ eſſentiæ realiter identificata. *In difficultate 68.* *In difficultate 67.*

43. Multo ergo à fortiori relatio, quæ formaliter infinita non eſt, diſtinguitur formaliter ab eſſentia: & non dico à fortiori, eo quod infinitas tollat aliquam rationem diſtinctionis formalis: ſed quia infinitas eſt ratio identitatis realis; & vbi eſt minus de infinitate, quodammodo videtur eſſe minus de idẽtitate, vel non tot rationes identitatis. Cum ergo attributa diuina ſint formaliter infinita, & eſſentia etiam formaliter infinita: non obſtante eorum formali infinitate: ad huc diſtinguuntur ex natura rei formaliter: à fortiori dicendum eſt, quod relationes, quæ formaliter infinitæ nõ ſunt, ſed tantum ratione infinitatis eſſentiæ realiter identificantur cum illa, ab ea formaliter diſtinguuntur. Nõ

tamen ex hoc inferas, relationes magis diſtingui ab eſſentia, quam attributa: ſed tantum inferre debes, quod duplici titulo, ſeu duplici ratione infinitatis, realiter identificantur attributa cum eſſentia: quia ſcilicet tàm attributum, quàm eſſe eſſentiæ eſt infinitum: relatio vero non hoc duplici titulo infinitatis: quia ipſa formaliter infinita non eſt, ſed præciſe ratione infinitatis eſſentiæ, realiter identificatur cum illa: quia ſola infinitas eſt ratio realis identitatis. Ex quo cõtra quoſdam Scotiſtas infertur, quod nihil attinet ad realem identitatem, ſeu diſtinctionem formalẽ relationis cum eſſentia, quod relatio ſit formaliter infinita, aut non. Quoniam ad rationẽ omnimodæ realis identitatis, ſufficit infinitas formalis eſſentiæ: & poſita quacunque formali infinitate, non tollitur diſtinctio formalis relationis & eſſentiæ. Atque ideò poſita infinitate realiter identificante eſſentiæ omnia ſibi compoſsibilia: remanent talia ſic identificata cum ipſis diſtinctis formalitatibus, quas haberent, ſi ſic identificata non eſſent.

44 Huius ratio à priori eſt: quia infinitas non eſt entitas, ſed modus, ſeu gradus intrinſecus perfectionis entitatis, ipſi entitati aduenies, vt locis citatis oſtendimus: & ideò non variat quidditates eorum, quæ identificat illi entitati, cuius eſt modus: & ob hoc, etiam poſita identificatione infinitatis: manet diſtinctio formalis identificatorum. Cuius ratio eſt: quia infinitas non identificat formaliter, cum non variet quidditates formales: ſed realiter, quia de ratione infiniti eſt, quod ſibi omne compoſsibile realiter identificet. Et ex hoc patet ad illud aſſumptum ex Doctore, quatenus ſcilicet has formalitates vocauit realitates. Nam licet infinitas, plures realitates, ſeu entitates, quæ aliàs eſſent diſtinctæ res, ſi infinitas eas non identificaret, realiter identificet, ipſæ tamen realitates, ſeu entitates, quoad ſui formalitates, & obiectiuos conceptus, manent formaliter diſtinctæ. Et ideò non dixit Doctor abſolutè, quod hæc realitas non eſt illa: ſed reſtrictè, quod hæc realitas formaliter non eſt illa: acſi diceret, formalitas huius realitatis, nõ eſt formalitas illius: quia infinitas, has realitates, realiter identificans, non tollit diſtinctionem formalem earum: quia earum quidditates, & formalitates non variat: tollit tamen omnem diſtinctionem realem.

Egregia ex poſitio verborũ Scoti.

45. Hoc eleganter notauit Lychetus vbi ſupra dicens: quod infinitas eſt gradus intrinſecus, aduenies quidditati: & ideò nec variat rationem formalem eius, nec tollit diſtinctionem formalem: vt patet de intenſione caloris vt octo, quæ aduenit calori ſecundum ſuam quidditatem, quam gradualiter intendit: ſed formaliter non variat ipſius caloris quidditatem, quantumuis intenſus etiam in ſummo ſit gradus ille. Vide quæ de hoc diximus locis ſupra citatis.

46. Ratio igitur, ob quam eſſentia, & relationes identificantur realiter, non eſt alia, niſi quia eſſentia eſt formaliter infinita, de cuius ratione eſt identificare ſibi realiter omne ſecum compoſsibile: & quia relationes compoſsibiles ſunt vnitæ, ſeu vnitiuè (vt vtar verbis Scoti) cum eſſentia: ideò ipſas neceſſariò realiter ſibi identificat. Et ex eo quod hæc eadẽ infinitas eſt modus, & gradus intrinſecus, de cuius ratione eſt, non variare rationes formales, ſeu quidditates eorum, quæ identificat: ideò in realiter identificatis, non identificat eorum formalitates. Et ex conſequenti, ea quæ aliàs ex ſe ipſis, & ex ſuis diffinitionibus, formaliter ſunt non idem, ſeu formaliter diſtinguuntur, etiam poſita infinitate, ratione cuius realiter identificantur: remanent diſtinctæ formaliter, ſeu formaliter ſunt non idem. Ex quo concluditur, quod ex infinitate prouenit, & eſſe realiter idem, & diſtingui formaliter. Primum quidem, quia eſt gradus infinitæ perfectionis, realiter identificans. Secundum vero: quia ex eo quod gradus, ſeu modus eſt, non variat formalitates eorum, quæ identificat. Cum ergo eſſentia, vt ſic, & relationes vt ſic, habeant diſtinctas diffinitiones, & obiectiuos conceptus, ſeu quidditates vt patet:

Ratio quare relationes identificantur cum eſſentia.

patet:quia illa eſt ad ſe, iſtæ vero ad aliud: ſequitur, quod etſi ratione infinitatis,realiter identificẽtur: adhuc manẽt formaliter diſtinctæ.Sic intelligũt rationẽ diſtinctionis formalis, & identitatis realis inter eſſentiam & relationes,grauiſsimi Scoti diſcipuli: præſertim Maironis in 1.diſt. 8. quæſt.7.ad tertium, Bargius ibidem quæſt. 4. ad tertium dub. Scoti, Lychetus diſt.8. quæſt.3. ad ſecundum Caietani,P.Rada 1.p.controu.4.cõcluſione 4.in impugnatione ſolutionis Caietani.

Maironis. Bargius. Lychetus. Rada.

47. Et quod hæc ſit expreſſa mens Doctoris, apperit ipſe infra in diſt. 5.q.2. a.5.ad 2.vbi hæc ait:*Propter enim infinitatem vnius rationis, quidquid poteſt eſſe cum ea,eſt idem perfectè ſibi. Perfectio enim identitatis excludit omnem compoſitionem, & quaſi compoſitionem, quæ idẽtitas eſt propter infinitatem, & tamen infinitas non tollit formaliter rationes, quin hæc formaliter non ſit illa.* Quod idẽ tenet Doctor in diſt. 8.quæſt.4.& in Quodlibet. quæſt.5. & alibi ſæpe. In hoc igitur conſiſtit controuerſia inter noſtram, & Thomiſtarum ſcholam: quod ſcilicet nos ponimus cum Doctore infinitatem eſſe rationem identificandi realiter, non vero formaliter,relationes cum eſſentia. Thomiſtæ vero exiſtimant infinitatẽ identificare omnia, quæ ſunt in Deo, non tantum realiter,ſed etiam formaliter,vt patet ex Caietano de ente, & eſſentia cap.6.quæſt. 12. & ex alijs fere.Et ratio huius differentiæ inter has opiniones à priori eſt:quia Thomiſtæ ponũt infinitatem eſſe de ratione formali Dei : & quia ratio formalis identificat formaliter ea, quæ ſunt in ipſo, cuius eſt ratio formalis:ideò credũt infinitatem formaliter identificare omnia, quæ ſunt in Deo, & ex cõſequẽti, idẽtificare formaliter relationes cum eſſentia. Nos autem cum Doctore,nõ quidem concedimus infinitatem eſſe rationem formalem Dei, nec ad eius rationem formalem pertinere: ſed eſſe modum, ſeu gradum intrinſecum illius, vt patuit ſupra ex difficultate 44. vbi ex profeſſo hoc latè probauimus. Et quia talis modus non variat rei quidditates : ideò licet ponamus identitatem realem ratione infinitatis, nõ tamen concedimus identitatem formalem eſſe ibi, vt dictum eſt. Et in hoc puncto conſiſtit diuerſitas opinionum,& ſtat omnis punctus huius difficultatis.

In quo differant Scotiſtæ, & Thomiſtæ circa punctum huius difficultatis.

§. 8.

Proponitur & reſoluitur,quæ relationes realiter diſtinguantur adinuicem cum tamen omnes ſint idem realiter cum eſſentia.

48. AT qui ex dictis, quædam famoſa difficultas inſurgit, videlicet, quo modo eſt poſsibile, quod Paternitas, filiatio, & ſpiratio paſsiua diſtinguantur realiter adinuicem:& tamen ſint idem realiter eſſentiæ diuinæ? Ratio enim dubitandi eſt: quia ſi in vno tertio, nempe in eſſentia,identificantur, eſſentia etenim eſt realiter eadem Paternitati filiationi,& ſpirationi : videtur conſequenter, quod huiuſmodi relationes non diſtinguantur realiter inter ſe. Ab huius dubij ſolutione facile ſe eximit Rubio nis vbi ſupra §.*& ſi quæras*, his verbis: *Dico quod hoc eſt a viatore inintelligibile,niſi ſit fidei lumine illuſtratus,vnde hoc ſolum, meo iudicio, eſt ad intelligendum impoſsibilius per naturam, & difficilius, quàm alia, quæ ſunt fidei,omnia ſimul ſumpta.* Tamen hoc dubium intendit ſoluere Lychetus in 1.diſtin. 2. quæſt.4. §. *occurrit tamen*, dicendo:quod ideò maior diſtinctio eſt inter Paternitatem & Filiationem, quàm inter Paternitatẽ & eſſentiam:quia Paternitas, propter infinitatem eſſentiæ,tranſit in identitatem realem ipſius: vt vero cõparatur ad filiationem non poteſt tranſire in realem identitatem eius.Cuius rationem reddit, quia nec filiatio eſt formaliter infinita, nec ſimiliter Paternitas, vt probat Doctor in Quodlibetis quæſt. 5. & nos infra ſuo loco:ſi enim per impoſsibile iſtæ proprietates non includerẽtur in eſſentia : eſſent omninò diſtinctæ: quia nec paternitas eſſet ratio alicuius conuenientiæ cum Filiatione, nec è contra.

49. Sed hæc ſolutio nonnullas inſtantias patitur, & prima eſt: quia cõmiſcet fidei infallibilem veritatem, cum probabili ſentẽtia Theologica. De fide etenim eſt, diuinas perſonas, & earum conſtitutiuas relationes, & proprietates realiter diſtingui. Sub opinione tamẽ eſt, an huiuſmodi proprietates, ſeu relationes, ſint formaliter infinitæ, aut nõ? Etſi pars affirmatiua huius diſiunctiuæ eſſet vera, videlicet, quod dictæ proprietates eſsẽt formaliter infinitæ: proculdubio ex ſolutione Lycheti inferretur, diuinas perſonas, & earum proprietates perſonales, realiter diſtinctas non eſſe, quod fidei aduerſatur. Non ergo fidei infallibilis veritas debet ex probabili opinione dependere: atque ideò non mihi ſequenda videtur prædicta Lycheti reſpõſio. Præterea, quia aſſumptum, quo eam probat, nihil videtur probare: nã quod dicit, quod ſi per impoſsibile iſtæ proprietates non includerentur in eſſentia, eſſent omninò diſtinctæ: quia nec paternitas eſſet ratio alicuius conuenientiæ, cum filiatione, nec è contra: etiam poteſt verificari de Paternitate, reſpectu eſſentiæ: quia ſi per impoſsibile Paternitas non eſſet incluſa in eſſentia, & identificata cum ipſa, eſſet omninò ab eſſentia diſtincta: quia minor conuenientia eſt inter relationem & abſolutum, quam inter ipſas relationes, etiamſi ſint oppoſitæ: quia iſtæ ad vnum ſaltim prædicamentũ pertinent, in quo conueniunt, non tamẽ illud.

Veritas fidei infallibilis non dependet ex probabili opinione.

50. His adde: quod non omnes tres relationes perſonales ſunt oppoſitæ: quia etſi Paternitas Filationi opponatur, non tamen vna, ſeu altera opponitur ſpirationi: non ergo ex rationibus oppoſitionis ſunt omnes relationes primo diuerſæ. Quod autem relatiuum, & abſolutum plus diſtinguatur, quàm ipſæ relationes inter ſe: optime probat Pater Rada 1.par. controuer. 13. art. 2. notabil. 1. ſub explanatione Doctoris Subtilis: vbi oſtendit, quod relatiuum, & abſolutum maxime diſtãt, eo quod diſtinguuntur in genere generaliſsimo ſuorum prædicamentorum: ergo principia, per quæ diſtinguũtur, ſunt inter ſe maximè diſtincta. Sed hæc ſunt entitas abſoluta & relatio: nam illa inſtituit abſolutum, & hæc relatiuum: ergò relatio, non ſolum eſt ratio diſtinguendi vnum relatiuum ab alio: ſed etiam à fortiori eſt ratio diſtinguendi relatiuum ab abſoluto. Ex quo infirmatur prædicta reſponſio Lycheti, quia ſi per impoſsibile Paternitas non includeretur in eſſentia ratione infinitatis illius, eſſet ab illa magis diſtincta, quã à Filiatione. Et tandem tertio, huiuſmodi ſolutio impugnatur: quia etiam ſpiratio actiua non eſt formaliter infinita, ſicut Paternitas & Filiatio: ſi ergo ratione non formalis infinitatis, Paternitas & Filiatio diſtinguuntur realiter adinuicem, no obſtante quod ſint idẽtificata realiter cum eſſentia: & ideò adinuicem realiter diſtinguũtur: quia ipſæ in ſe non ſunt formaliter infinitæ: hoc idem infertur, dicendum eſſe de ſpiratione actiua, & Paternitate: quia etiam ſpiratio actiua non eſt formaliter infinita, ſicut Paternitas: ſed oppoſitum eſt verum & catholicum: quia in eodem ſuppoſito Patris eſt cõpoſsibilis, & realiter eadem ſpiratio actiua cum paternitate: ergo ſolutio illa nulla eſt, licet videatur acuta.

Relatiuum & abſolutum magis diſtãt, quã relatiua interſe.

Aliter ergo prædictam difficultatẽ ſoluo, prænotando, quod in relationibus diuinis, non ideò vna eſt alteri incompoſibilis: quia formaliter infinita non eſt, aut quia relatio eſt: vtrumq; enim conſtat in ſpiratione actiua, quæ & eſt relatio, & eſt non infinita, & tamen eſt compoſsibilis cum Paternitate in eodem ſuppoſito: ſed quia aliquibus relationibus, ex proprijs, & peculiaribus rationibus formalibus earum, quatenus ſcilicet tales relationes ſunt, competit eſſe inter ſe incõpoſsibiles in eodem ſuppoſito. Tales ſunt relationes producentis & producti, eo quod ex oppoſitione relatiua earum, ſequitur in compoſsibilitas in eodem ſuppoſito, vt Paternitas, & Filiatio. Nam cum nihil à ſe ipſo poſsit produci, & ſi in eodem ſuppoſito ſimul eſsẽt Paternitas, & Filiatio reſpectu eiuſdẽ, vnum & idem ſuppoſitum eſſet generans ſe, & genitum à ſe, quod implicat: ideò Paternitas, & Filiatio diuinæ ſunt in compoſsibiles in eodem ſuppoſito. Similiter ſunt incompoſsibiles ſpira-

51. *Solutio ſupra poſiti dubij quare relationes perſonales diſtinguuntur realiter adinuicem, etiamſi ſint realiter idẽ cum eſſentia.*

spiratio passiua,& Paternitas, seu Filiatio. Est enim spiratio passiua in cõpossibilis cum Paternitate: quia si in Patre simul esset, in quo iam supponitur etiam esse spirationem actiuam: iam Pater esset spirator sui ipsius, & spiratus à se ipso:&tunc fit idem argumentum,quod factum est de Paternitate & Filiatione. Imo dico, quod etiãsi per impossibile in Patre non esset spiratio actiua, adhuc non esset compossibilis spiratio passiua,cum præcisa Paternitate in eodem suppositο. Et ratio est:quia tunc,iam Pater non esset persona inproducta,& sic procederemus in infinitum, inquirendo aliquam aliã personam inproductã,quæ esset principium omnis productionis diuinæ:& etiam cum hac persona esset in compossibilis spiratio passiua. Ex quo cõcluditur ratio,ob quam spiratio passiua,est cum paternitate in compossibilis in eodem suppositο.

52. Est autem spiratio passiua in compossibilis cum Filiatione, non solum quia in Filio est spiratio actiua, cum qua incõpossibilis est passiua,sicut de incõpossibilitate in Patre dicebamus: sed dico,quod etiam, si in Filio nõ esset spiratio actiua,adhuc cum Filiatione esset incompossibilis passiua spiratio. Quoniam si in Filio esset Filiatio, & spiratio passiua:esset quidem Filius bis productus: quia haberet duas relationes,ratione quarũesset bis terminus duplicis totalis productionis. Hoc autem manifestè implicat, quia per filiationem habet adæquatam productionem,per quam sibi adæquatè communicatur natura diuina: & ideò nihil sibi communicandum restaret per spirationem, vt posset bis esse productus. Ex quo, in doctrina Scoti, habemus, quod etiam si per impossibile Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, adhuc realiter distingueretur ab ipso, vt patet infra in difficultate 72. quia adhuc incompossibiles essent simul in eodẽ suppositο, Filiatio & spiratio passiua. Hanc doctrinam partim tetigit Pater Rada loco nuper citato notabili 2. Ex quibus ad difficultatẽ respõdeo (omissa solutione Lycheti)quod ideô Paternitas, Filiatio & spiratio passiua distinguũtur realiter inter se, etsi sint realiter identificatæ cum essentia: quia cum essentia nullam incompossibilitatem habent,ex rationibus communibus,aut peculiaribus:adinuicem tamẽ sunt incompossibiles inter se ex suis formalibus, & peculiaribꝰ rationibus: vt visum est. Ex quo prouenit earum adinuicem realis distinctio, etiam stante earundem reali identitate cum essentia. Et hæc est genuina huius dubitationis resolutio.

Resolutio prædicti dubij.

Relationes diuina distinguuntur realiter, quia ex se sunt adinuicem incompossibiles.

§. 9.

Qualiter in diuinis prædicentur relationes de essentia, & è contra, & quid sit formalis identitas, explicatur.

EX notatis infero, quod quia diuina relationes identificantur realiter cum essentia, & inter se adinuicem realiter distinguuntur, sequitur, quod prædicentur de essentia, & essentia de ipsis, non solum in concreto, sed etiam in abstracto consideratis: non tamen adinuicem ipsæ relationes prædicantur: quia non prædicatur aliquid de aliquo, cum quo formaliter, aut realiter, non est idem: sed quæ prædicantur, prædicantur in eodem sensu, in quo identificantur. Vnde istæ prædicationes sunt veræ in sensu reali, essentia est Paternitas, essentia est spiratio, essentia est filiatio. Et ratio huius veræ prædicationis est: quia posita quacunque abstractione, nõ tollitur ab eis ratio identitatis. Nõ tamen istæ sunt veræ, Paternitas est Filiatio, aut Filiatio est spiratio passiua, nec è contra: quia inter huiusmodi relationes adinuicem consideratas nulla est identitas formalis, nec realis. 53.

Essẽtia prædicatur de relationibꝰ, & è cõtra: non tamen relationes prædicãtur adinuicem de se ipsis.

Ex inde sequitur, quod quædã sunt in diuinis prædicationes veræ in concreto, & in abstracto, vt Deus est sapiens,& Deitas est sapientia: itẽ Deus est Pater,& Deitas est Paternitas. Quædam vero, nec sunt veræ in concreto, nec in abstracto, vt patet in istis, Pater est Filius, aut Paternitas est Filiatio. 54.

Aliquæ prædicationes in diuinis sunt veræ in abstracto & in cõcreto: aliquæ vero non.

Aliæ vero ſunt veræ in concreto, non tamen in abſtracto, nam iſta eſt vera Pater eſt ſpirator, iſta tamen eſt falſa, Paternitas eſt ſpiratio. Nam licet hæc ſit realiter vera, Paternitas eſt ſpiratio non abſtrahendo ab infinitate eſſentiæ, ratione cuius, iſtæ duæ relationes realiter identificantur Patri: quia eadem idētitate, qua ſunt realiter idem, poſſent realiter adinuicem prædicari: tamen hîc ſumuntur ſecundum ſuas rationes formales abſtractè conſideratæ, præciſa omni infinitate eſſentiæ; & vt ſic inter ſe non habent aliquam rationem identitatis: quia abſtrahitur omnis ratio infinitatis. Et tunc omni ratione identitatis per abſtractionem ſublata, non eſt, vnde hæc propoſitio, Paternitas eſt ſpiratio actiua, poſsit eſſe vera: & ideò eſt propoſitio falſa. Et ex hoc ſequitur per oppoſitū, quod iſta propoſitio, ſapientia eſt bonitas, & aliæ ſimiles, quamtumuis abſtrahantur ab identitate, quam habent, ratione infinitatis eſſentiæ: adhuc eſt vera, quia facta quacunque abſtractione, adhuc ex proprijs rationibus formalibus ſunt formaliter infinitæ, & ratione propriæ infinitatis identificantur, ita vt iſtæ propoſitiones ſint veræ, etiam in abſtracto, bonitas eſt iuſtitia, ſapientia eſt miſericordia, & aliæ ſimiles. Quod ſecus eſt in Paternitate & ſpiratione actiua: quia cum ex ſe ipſis formalem infinitatem non habeant, non habent vnde identificentur, ſi ſemel ab eſſentia abſtrahantur.

55. *Diffinitio identitatis formalis.*

Vltimò obſeruādum eſt, vt ea, quæ de diſtinctione formali ex natura rei dicta ſunt, omninò maneant enucleata, quod ex verbis Doctoris in hoc 3. art. ſub §. *reſpondeo dicendum*, vt exactè diſtinctio formalis intelligeretur per contrapoſitionem ad identitatem: ſic diffiniuit identitatem formalem. *Voco autem identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur ſic idē, includit illud, cui ſic eſt idē in ratione ſua formali.* Ex quib⁹ Scoti verbis, quædā parui pōderis rixa exorta eſt inter quoſdam eius diſcipulos: nam cum certum ſit apud omnes, inter ſuperius & inferius eſſe diſtinctionem non mutuam, vel rationis ratiocinatæ, vt volunt Thomiſtæ: vel formalē eſt natura rei, vt nos cum Scoto ſentimus, quidā ſentiunt, inferius eſſe idem formaliter ſuo ſuperiori: alij vero è contra, ſuperius eſſe idem formaliter ſuo inferiori: v. g. cum homo ſit formaliter animal, quidam ſentiunt, animal eſſe idē formaliter homini. Alij vero è contra, hominem eſſe idem formaliter animali. Primum ſentiunt Pater Rada citata controuerſ. 4. notab. 2. & plures alij. Cuius ratio eſt: quia id, quod eſt de cōceptu formali alicuius, eſt idem formaliter illi: non tamen illud, quod non eſt de conceptu formali alicuius eſt idem formaliter illi: ſed ſuperius eſt de conceptu formali inferioris, non vero è contra: quia animal eſt de conceptu formali hominis, non tamen ê conuerſo: ergo ſuperius eſt idem formaliter ſuo inferiori, & non ê contra. Secundum tenēt Lychetus in 1. diſt. 2. quæſt. 4. §. *ex hac litera*, & Pater Herrera vbiſupra, ac plures alij, qui intelligentes verba Scoti ad literam tenent, quod inferius eſt idem formaliter ſuo ſuperiori, non tamen è contra: quia inferius includit in ſua ratione formali ſuperius: non tamen ſuperius includit in ſua ratione formali inferius: homo enim includit animal, animal autē nō includit hominē. Doctor autē in citatis verbis expreſſe inquit, quod illud eſt idē formaliter alicui, quod includit in ſua ratione formali illud, cui eſt ſic idem, hoc eſt formaliter. Et hoc ratio probat: quia cōpoſitū habet formalitatem à ratione formali, quam includit: ſed eſt idem ſuæ rationi formali: ergo eſt idem illi rationi formali, quam includit, & non è cōtra. Vtraque ſententia eſt probabilis, & conformis verbis Scoti: & ideò nihil determinate in eis diffinio, ſed vtranque Scotiſtarum arbitrio reſeruo. Mihi tamen, ne perplexus eſſem in eis, ſecundam vt magis conformem literæ Doctoris eligerem.

Superius, & inferius quomodo ſint idē formaliter, nō concordant Scotiſtæ.

§. 10.

Statuuntur tres concluſiones vtriq; ſchola communes.

56. *Prima concluſio.*

His præhabitis, difficultatem concludendo, dico primo: inter eſſentiam & relationes diuinas

uinas, atque diuinas perſonas, eſſe veram identitatem realem: ita vt oppoſitum aſſerere, ſit hæreſis manifeſta. Cõclulio hæc quoad principalen. ſui partem eſt expreſſa Doctoris, prout viſum eſt ſupra ſub num.25. quæ probatur ex expreſsis diffinitionibus Eccleſiæ. Probatur primo, ex Concil. Later. ſub Innocent. III. quod habetur in ca. *firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, vbi hæc habẽtur: *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod vnus ſolus eſt verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtãtia, ſeu natura ſimplex omninò.* Quod manifeſtius habetur in cap. *Damnamus eiuſdem tituli*, vbi ſic dicitur. *Nos ſacro approbante concilio credimus, & confitemur cum Petro, quod vna quædam ſumma res eſt incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres ſimul perſonæ, ac ſigillatim quælibet earundem. Et ideò in Deo ſolummodo Trinitas eſt, non quaternitas, quia quælibet trium perſonarum, eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura diuina.* Et paulò infra, *& ſic eadem res eſt Pater, & Filius, necnon Spiritus Sanctus.* Item in Concil. Remẽſi celebrato anno Domini 1148. ſub Eugenio Papa III. contra errores Gilberti Porretani, inter alios canones hic habetur. *Credimus & confitemur, ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritũ Sanctum æternum eſſe, nec aliquas omninò res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſit Deus.* Item probatur ex Concil. Florentino Seſsione 18. vbi dicitur: *Diuina ſubſtantia, & perſona re quidem idẽ ſunt.* Rurſus Seſsione 24. *Pater cum ſumma ſubſtantia nedum indiuiſibilis ſit à ſubſtantia, & hypoſtaſi, in diſtinctè percipitur: propterea, quia non re ſed ſola ratione, Paterna hypoſtaſis à ſubſtantia ſeiungitur.* Vbi intelligendum eſt, per ly ratione, ad ſenſum, quo ſupra num.40. Doctor explicuit, quatenus, inquit, quod poteſt vocari diſtinctio, quæ eſt inter eſſentiam, & relationes, *differentia rationis, nõ quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu: ſed quatenus ratio accipitur pro quidditate, ſecundum quod quidditas eſt obiectum intellectus.* Sic enim intelligenda ſunt verba Concilij, ita vt diffiniat non re ipſa, hoc eſt realiter, ſed ratione modo expoſito ibi eſſe diſtinctionem.

Concil. Lateran. Innocent. 3. Cap. Firmiter.

Cap. Damnamus.

Concil. Remenſe, Eugen. 3.

Concil. Florent.

Diſtinctio rationis inter eſſentiã & relationes quomodo intelligatur.

Probatur hæc eadem concluſio ex communi conſenſu omnium Sanctorum Patrum, qui hanc identitatem realem, ſummam & perfectiſsimam, & ſimpliciſsimam, inter eſſentiã, & perſonas ſeu relationes, confitentur. Sic Diuus Bernardus lib. 5. de Conſideratione probat hanc identitatem his verbis. *Aut ſi dinidere quis conetur, vel perſonas à ſubſtantia, vel proprietates à perſonis: neſcio quomodo Trinitatis ſe profiteri cultorẽ poſſit, qui in tantam rerum numeroſitatem excesſerit.* Et rurſus, *quaternitas orbem diſterminat: non ſignat Deitatem: Deus Trinitas eſt: Deus trium ſingula perſonarum: ſi quartam diuinitatem adijcere placet: interim ego, hanc, quæ Deus non eſt, perſuaſi mihi minime adorandam.* 57.

D. Bernar.

Dico ſecundo, quod tres relationes diuinæ, quæ ſunt cõſtitutiuæ perſonarum, putà Paternitas, Filiatio, & ſpiratio paſsiua, inter ſe adinuicem realiter diſtinguuntur. Concluſio, ſuppoſita veritate trium perſonarum, eſt ita de fide, ſicut eſt de fide in Deo Patrem, Filium, & Spiritum Sanctũ eſſe tres perſonas realiter diſtinctas. Probatur ex Concil. Florentino, vbi dicitur, quod *in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Et in cap. *Firmiter, de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, vbi diffinitur, *quod ſancta Trinitas ſecundum proprietates perſonales diſcreta eſt.* Et ex Concil. Toletano II. in confeſsione fidei, vbi hæc habentur. *Hæc ergo ſancta Trinitas, quæ vnus eſt Deus, neque recedit à numero, neque capitur numero, in relatione enim perſonarum cernitur numerus: in diuinitatis vero ſubſtantia, quid numeratum ſit, non cõprehenditur.* Ex quibus ſic conficitur argumentũ. Perſonæ diuinæ diſtinguũtur realiter per proprietates perſonales: ergo à fortiori realiter diſtinguuntur, ipſæ proprietates, per quas diſtinguuntur: quia ſi equis, & homo ſpecie diſtinguuntur per rationale, & inhibile; à fortiori diſtinguuntur ipſum inhibile, & rationale. 58.

Secunda cõcluſio.

Concil. Florent.

Cap. Firmiter.

Concil. Toletan.

Dico tertio, quod licet Paternitas, & ſpiratio actiua ſint duæ relationes reales exiſtentes in Deo: non tamen diſtinguũtur realiter poſitiue, nec realiter negatiuè, id eſt non ſunt non idẽ 59.

Tertia concluſio.

realit-

realiter. Et hoc idem dicendum est de Filiatione,& spiratione actiua: bene tamen realiter distinguuntur spiratio actiua,& spiratio passiua. Conclusio hæc quatuor habet partes,quarum prima constat: quia secundum communem Theologorũ consensum, in Deo sunt quatuor relationes reales, quarũ vna est spiratio actiua. Secunda ab omnibus,vno dempto Durando, recepta est: quæ probatur ex Concilio Lateranensi in cap. *Firmiter, de Summa Trinitate & fide Catholica*, vbi diffinitur, quod in Deo solùm est Trinitas, id est tres res realiter distinctæ, & non quaternitas: vbi non solum loquitur Concilium de Trinitate personarum, vt respondebat Durãdus: sed expresse damnat quaternitatem rerum realiter distinctarum. Sed si spiratio actiua realiter distingueretur à Paternitate, essent in Deo quatuor res realiter distinctæ: ergo, &c. Constat igitur dictas duas relationes non distingui realiter positiuè: de qua distinctione reali sine dubio procedũt verba Concilij. Quod idem simili argumento probatur de spiratione actiua respectu filiationis.

Concil. Lateranens.

60. *Ostenditur contra aliquos spirationem actiuam nulla distinctione reali, nec negatiua distingui à paternitate.*

In tertia tandem parte non est æqualis consensus Theologorum: nam Pater Herrera in 1. disp. 8. quæst. 14. conclusione 5. & infra, tenet spirationem actiuam, & Paternitatem esse non idẽ realiter, seu distingui realiter negatiue. Conclusio tamen nostra quoad hãc partem communior est, & cõformior doctrinæ Scoti, accomodatiorque Cõciliorum verbis, & Sanctorum Patrum testimonijs. Illam ergo ratione sic probo: nam illa distinctio realis negatiua, vel rigorosè sumenda est, vel tantum ob modestiam loquendi in diuinis, sicut diximus de distinctione formali negatiua, quam non identitatem formalem, ob modestiam loquendi vocat Scotus, vt supra notauimus. Si Primo modo illam accipiamus, certum est nõ dari distinctionem realem negatiuam inter duo positiua, sed inter vnum positiuum, & aliud negatiuum: seu inter vnam entitatem positiuam, & aliquid, quod positiuè non est entitas. At qui vtraque relatio positiua entitas est: ergo quomodocunque distinguantur, debent non negatiuè, sed positiuè distingui. Si autem secundo modo accipiamus istam non identitatem realem tunc idem est distingui realiter negatiue, seu esse realiter non idem, quod positiue realiter distingui, prout ostẽdimus supra num. 27. vbi iuxta verba Scoti notauimus, vtrunque posse dici, & quidem distingui, & esse non idem: sed melius esse vti ista negatiua, sunt non idem. Ergo si Paternitas, & spiratio actiua realiter negatiuè distinguuntur: proculdubio distinguuntur etiam realiter positiuè: quia vtraque est entitas positiua realis. Sed si realiter distinguuntur, sequeretur dari quaternitatem rerum in Deo, quod admittendum non est: ergo nulla distinctio realis, aut realis non identitas, potest concedi inter huiusmodi relationes.

61. Vltima pars prædictæ conclusionis est satis manifesta, quia *inuinis*, vt excitato Concilio Florentino, Patet, *omnia realiter sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*: sed spiratio actiua, & passiua sunt relationes oppositæ: ergo realiter distinguuntur.

§. II.

Statuuntur aliæ tres conclusiones pro sententia Scoti contra Thomistas, & alios.

62. *Quarta conclusio.*

DICO quarto, quod distinctio formalis ex natura rei, quam ponit Scotus, nullo modo opponitur perfectissimæ simplicitati. Conclusio est expressa Scoti in hoc 1. dist. 5. quæst. 2. art. 5. ad secundum, vbi hæc profert. *Non est igitur ex istis, quasi compositum: & ideò nihil est ex eis quasi cõpositum ex actu & potentia: sed est vnũ simplicissimum ex istis, quia vna ratio est perfecte, imo perfectissime eadem alteri: & tamen non est formaliter eadem, non enim sequitur, sunt perfecte eadem, etiam identitate simplicitatis: ergo sunt formaliter eadem, &c.* Ex quibus verbis duo ostẽdit Doctor, quæ requiruntur ad excludendum simplicitatem. Primum scilicet, quod ea quæ simplicitatem excludunt, non sint adinui-

Nota quomodo dist. ex natura rei formalis non opponitur simplicitati.

inuicem sibi perfectissimè eadem ratione, cuius requiritur vnio extremorum inter ea, quæ tollunt simplicitatē: quia omnis compositio realis, quæ simplicitati opponitur, est coniunctio entis adens. Cum ergo relationes diuinæ & essentia, inter quas Doctor concedit distinctionem ex natura rei formalem, non sic vniuntur, aut coniunguntur: quia non sunt entia, aut entitates realiter distinctæ, quod necessariò requirebatur, vt sic vnirentur, aut coniungerentur: sed sunt perfectissimè realiter eadem sibi, non per vnionem, sed per vnitatem: ideò non est inter eas aliqua compositio, sed omnis identitas, quæ cum perfectissima simplicitate compatitur. Quia tamen inter cōponentia metaphysica, quæ simplicitati opponuntur, datur etiam identitas realis, protinus addidit aliud secūdum requiri ad hoc, vt illa formaliter distincta, simplicitatem non excluderent: quod scilicet ea, quæ sic sunt realiter idem, & tantum formaliter distinguuntur, habeant se per modum actus & potentiæ. Ex quibus duobus concludit distinctionem ex natura rei formalem, quam ponit in Deo, non excludere eius simplicitatem, nec realiter, nec metaphisicè: quia & quidem sunt relationes cum essentia realiter perfectissimè idem: & licet distinguantur formaliter, non habent se per modum actus, & potentiæ.

Deus dicitur summe simplex, ac etiam Trinitas, non obstante distinctione formali ex natura rei inter essentiam, & relationes.

63. Probatur hæc conclusio autoritate Diui Augustini 11. de ciuitate Dei, ca. 10. vbi hæc ait: *Quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est: & hoc est, quod illud, de quo genitum est: quæ duo Patrē & Filium dicimus, & vtrumque hoc cum spiritu suo vnus est Deus: qui Spiritus Patris, & Filij, Spiritus Sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris literis nuncupatur.* Quibus verbis Sanctus Doctor ostendit discretionem diuinarum personarum, quæ fit per proprias notiones non opponi diuinæ simplicitati: sed adhuc simplicissimam Dei substantiā, etiam cum discretione per huiusmodi proprietates, manere. Vnde continuo subdit: *Alius est autem, quàm Pater, & Filius: quia nec Pater est nec Filius* (quod ait de Spiritu Sancto) *sed alius dixi, non aliud, quia & hoc pariter simplex, pariter q; bonum est in commutabile, & coæternum: & hæc Trinitas vnus Deus est, nec ideò non simplex, quia Trinitas.* Vbi per *aliud* intelligit naturam, & per *alius* intelligit personam: & condistinguit euidenter naturam à persona: ita vt de vno affirmet quod de alio negat. Affirmat enim, quod Spiritus Sanctus est alius à Patre & Filio, & negat, quod est aliud à Patre, & Filio: ac si dicat: est vna persona distincta ab illis: non tamen ab illis in natura distinguitur. Et cū hoc necessariò sit ante omnē actum intellectus: consequēter necessariò ante omnem actum intellectus nostri, imò & diuini, est aliquid, per quod distinguatur persona diuina à natura, ita vt verificetur dictū Augustini, quod scilicet Spiritus Sanctus est alius, & non aliud à Patre, & Filio. Quod quidem fit per proprietates personales: quia diuinæ personæ non se totis differunt, aliàs enim non essent idem in Deitate: nec ipsa Deitate, vt constat: ergò non est aliud, per quod differant à parte rei ante operationem intellectus, nisi proprietas personalis: ergò proprietas personalis est illa, per quā à parte rei Spiritus Sanctus est alius à Patre, licèt nō sit aliud à Patre. Et ex consequenti natura diuina, & proprietas personalis, à parte rei ante omnem actum intellectus sic se habent, quod per primam Spiritus Sanctus à parte rei, non est aliud à Patre, & Filio: & per secundam, est alius à Patre & Filio: igitur istæ duæ rationes ante omnem actum intellectus ex natura rei distinguuntur, vt infra amplius probabitur: sed non obstante hac distinctione, adhuc manet omnimoda simplicitas in Deo: ergo distinctio ex natura rei, quam ponit Scotus, non opponitur perfectissimæ simplicitati.

D. Augus.

64. Probatur iterum ex eodem Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 10. vbi sic arguit contra illum. *Si potest Deū Patrem concedere simplicem, & tamen esse sapientem, & bonum, &c. quanto magis vnus Deus potest esse simplex, & tamen Trinitas: ita quod tres personæ non sint partes vnius Dei.* Ex qua autoritate arguit Doctor infra dist. 8. quæst. 4. quod si attributa

buta diuina non distinguerentur ex natura rei ab essentia ante actum intellectus: hoc argumentum esset ridiculum. Nam tunc sic argueret D. Augustinus: pluralitas rationis attributorum stat cum simplicitate diuina: quia non facit compositionem cum illa: ergo neque personæ, quæ realiter distinguuntur, faciunt compositionem in Deo, neque tollunt simplicitatem in Deo. Hoc autem argumentum parum probaret, si diuina attributa tantum distinguerētur per intellectum ab essentia: quia non valet arguere à minori distinctione, ad maiorē: & ideò nō valet. Pluralitas distinctorum per intellectum, & ratione, non facit compositionem: in aliquo: ergo neque pluralitas distinctorum realiter facit compositionem: & opponitur simplicitati: ergò necessarium est, quod attributa à parte rei habeant aliquam distinctionem ante opus intellectus in persona diuina, & tamen hæc distinctio nō tollat simplicitatem, ad hoc vt argumentum rectè concludat, dicendo. Inter alia quæ etiam distinguuntur ante opus intellectus, nō datur compositio, sed summa simplicitas: ergò neque pluralitas personarū hanc simplicitatem tollit. Hæc conclusio ex sequentibus manifestius probata erit.

Hoc argumētum amplius examinatur in fra in difficultat. 67.

65. *Quinta conclusio.* Dico 5. quod essentia, & relationes diuinæ distinguuntur plusquā ratione etiam loquendo de distinctione rationis ratiocinatæ: & plusquā distinctione fundamentali, potentiali, aut virtuali. Conclusio hæc quoad omnes sui partes patet ex probatione sequentis. Sed specialius quoad secundam partē, tertiam, & quartam, constat satis ex notatis supra num. 23. vsque ad 27. & nu. 36. Prima autem pars, etiam habetur ex supra dictis num. 31. & 33. ex quibus sic arguitur. Etsi distinctio rationis ratiocinatæ non sit ex mera operatione intellectus distinguentis, sed in re, aliquod fundamentum supponat: nihilominus, nullatenus est distinctio absq; eo quod intellectus operatio, tali fundamēto supposito, interueniat. Sed ante omnē operationem intellectus Paternitas in Deo est aliquid distinctum ab essentia: ergo plusquam distinctione rationis ratiocinatæ distinguitur Paternitas ab essentia. Minor probatur: quia ante omnem operationem intellectus, alicui supposito conuenit essentia, cui repugnat per locum intrinsecum, quod conueniat Paternitas: sed quæ sic se habent ante operationem intellectus, quod vnum eorum cōuenit alicui, cui alterum per locum intrinsecum conuenire repugnat, ante omnē operationem intellectus distinguuntur: ergo, &c. Maior probatur manifeste: quia essentia cōpetit Filio, cui per locum intrinsecum Paternitas conuenire repugnat.

§. 12.

Ostenditur distinctio ex natura rei inter essentiam, & relationes, octo ingentibus auctoritatibus D. Aug. probata.

66. *Sexta conclusio.* DICO sexto, quod inter essentiam, & relationes, seu personas, est distinctio actualis formalis ex natura rei, seu non identitas formalis actualis ex natura rei, quod idem est, vt ex supra notatis num. 2. satis patet. Conclusio hæc est expressa Scoti vt patet in litera, & eorum quos pro eius sententia allegabimus. Quæ probari poterat eisdem locis Concilio rum, quæ nobis aduersarij obijciunt: sed ex eorum solutionibus, ipsorum vera intelligentia fit manifesta, ex quibus nostra conclusio comprobatur.

67. *Prima insignis auctoritas Diui Augustini, ad probandum distinctionem ex natura rei inter relationes, & essentiam.* Nunc autem pluribus Sancti Augustini auctoritatibus confirmatur, & in primis 7. de Trinitate capit. 1. vbi hæc profert: *Quid autem absurdius, quam imaginem ad se dici? Aut si non id ipsum est imago & verbum, quod est virtus, & sapientia: sed illa relatiue dicuntur, hæc autem ad se, non ad aliud incipit, non ea sapientia quam genuit sapiens esse Pater: quia non potest ipse ad eam relatiuè dici, & illa ad eum relatiuè non dici. Omnia enim quæ relatiuè dicuntur adinuicē dicuntur?* Et infra continuò subdit, *restat itaque, vt etiam essentia Filius relatiuè dicatur*

tur ad Patrẽ. Ex quo conficitur inopinatiſſimus ſenſus, vt ipſa eſſentia nõ ſit eſſentia, vel certè cũ dicitur eſſentia, non eſſentia ſed relatiuum indicatur: quomodo cum dicitur Dominus, nõ eſſentia indicatur, ſed relatiuum quod refertur ad ſeruũ. In quibus præclarisverbis Sanctiſsimus Doctor perſpicue declarat diſtinctionem inter eſſentiam, & relationes eſſe ex natura rei, ante omne opus intellectus. Nam nihil abſurdius inquit, eſſe quam verbum ſeu imaginem eſſe, & non eſſe per relationem. Vnde ab incõuenienti infert, quod ſi ratio perſonalis Verbi non eſſet relatio conditincta ab eſſentia, tũc quoddã inopinatiſsimum abſurdum ſequeretur, quod ſcilicet Filius etiam relatiuè ſit Filius per eſſentiam: hoc eſt quod per eſſentiam dicatur ad Patrem. Ex quo aliud maius abſurdum infert (quod quidem vocat inopinatiſsimũ ſenſum) quod ſcilicet ipſa eſſentia, non ſit eſſentia: ſed cum dicitur eſſentia, intelligatur dici relatiuum. Et hoc infert ex hac præmiſſa. ſi Filius eſſentia reſpicit Patrem, & dicitur ad Patrem: ergò eſſentia, non eſt eſſentia, ſed relatio. Conſequentia eſt euidens: quia Filius formaliter reſpicit Patrem, & dicitur ad Patrem relatione: ergò ſi eſſentia eſt, qua Filius dicitur ad Patrem, proculdubio eſſentia eſt relatio: ſi autem eſſentia relatio eſt, iam eſſentia non eſt eſſentia: quia vt eſſentia ſit, debet eſſe quid abſolutum. Cuius ratio eſt, quia abſolutum eſt cõmunicabile: relatio autem incommunicabilis. Sed eſſentia eſt communicabilis: ergò eſſentia non eſt relatio, vel ſi relatio eſt, iam nõ eſt eſſentia, quod expreſsit in illis verbis. *Quomodo cum dicitur Dominus, non eſſentia indicatur, ſed relatiuum, quo refertur ad ſeruum.* Vnde ad huius cõfirmationem ſic proſequitur. *Cum autem homo dicitur vel aliquid tale, quod ad ſe, non ad aliud dicitur: tunc indicatur eſſentia. Homo ergo cum Dominus dicitur, ipſe homo eſſentiâ eſt, Dominus verò relatiuè dicitur: homo enim ad ſe dicitur, Dominus ad ſeruum.* Vbi luce clariori exemplo intentum oſtendit, ponens in Domino duplicem rationem, vnam ſcilicet, qua eſt homo, & alteram, qua eſt Dominus. Primam abſolutam vocat. Secundam verò relatiuam, & inquit, quod prima homo eſt homo: ſecunda verò homo eſt Dominus. Ex quo ſic ad propoſitum in Filio infert eſſe duplicem rationem, & formalitatem, vnam ſcilicet, qua eſt Deus, & alteram, qua eſt Filius. Primam, inquit, eſſe eſſentiã: ſecundã verò, eſſe relationem. Et quod iſtæ duę rationes in re ipſa nõ ſint vna & eadem, ſed diſtinctæ: euidenter infert nempe, quia tunc ex oppoſito, Filius eſſentia eſſet Filius, & eſſentia formaliter diceretur ad Patrem, & formaliter eſſentia reſpiceret Patrem: & ex conſequenti, eſſentia, non eſſet eſſentia, ſed relatio. Quod his verbis ibidem illuſtrat. *Hoc autem vnde agimus, ſi eſſentia ipſa relatiuè dicitur, eſſentia ipſa non eſt eſſentia. Huc accedit, quia omnis eſſentia, quæ relatiuè dicitur, eſt etiam aliquid excepto relatiuo, ſicut homo Dominus, homo ſeruus, &c. Homo autem, equus, &c. ad ſe dicuntur, & ſubſtantiæ ſunt, vel eſſentiæ. dominus vero & ſeruus, ad aliquid relatiue dicuntur. Sed ſi non eſſet homo, id eſt aliqua ſubſtantia, non eſſet qui relatiue dominus diceretur, &c. Quapropter ſi & Pater, non eſt aliquid ad ſe ipſum, non eſt omnino qui relatiuè dicatur ad aliquid.*

Secunda auctoritas D. Auguſt. ad probationẽ eiuſdẽ diſtinctionis.

68. Ex his & ſequentibus verbis manifeſtè oſtendit Diuus Auguſtinus in diuina perſona duplicem rationem actu diſtinctam ex natura rei reperiri, qua ex natura rei Pater, verbi gratia, & eſt Deus, & eſt Pater: nam ſi non eſſet eſſentia, qua eſt Deus, non eſſet quid referretur: etſi non eſſet relatio qua eſt Pater, non eſſet quo referretur. Vnde per primam rationem abſolutè ad ſe ipſum dicitur, hoc eſt quatenus Deus, & eſſentia. Per ſecundam autem dicitur relatiuè, hoc eſt quatenus perſona. Et ſicut à parte rei eſt Deus & perſona, ita quod à parte rei vnum formaliter non eſt aliud: ſic à parte rei ipſæ rationes, quibus eſt Deus, & perſona, à parte rei ſunt diſtinctæ, & vna formaliter non eſt altera.

69. Hoc item alia auctoritate ipſius Diui Auguſtini ibidem probatur: hæc etenim profert. *Quod ſi, & Pater qui genuit ſapientiam, ex ea fit ſapiens, neque hoc eſt illi eſſe quod ſapere, qualitas eius, eſt Filius, non proles eius, & non ibi erit iam ſumma*

Tertia auctoritas D. Auguſ. ad probationẽ eiuſdem diſtinctionis.

ma simplicitas. Sed absit, vt ita sit, quia verè ibi est summe simplex essentia: ergo est ibi esse quod sapere. Quod si hoc est ibi esse, quod sapere: non per illam sapientiam quam genuit, sapiens est Pater: alioquin non ipse illam, sed illa eum genuit. Quæ verba, sunt summopere consideranda: in ipsis etenim argumento efficacissimo probat D. Augustinus conclusionem nostram, & sumit sapientiam attributalem ex parte essentiæ, quatenus omnia essentialia à notionalibus cõdistinguit. Et vt probet, Patrẽ non esse sapientem Verbo, quod sapientiam genitam vocat: manifestat euidenter distinctionem sapientiæ genitæ ab ingenita. Ex quo euidenter concludit distinctionem ex natura rei inter Verbum, & essentiam. seu inter personalitatem Verbi, & essentiam. Nam sic arguit: si Pater est sapiens sapientia genita: tunc iam Verbum, seu sapientia genita, non est eius proles, aut Filius, sed eius qualitas. Et tunc non erit in Patre summa simplicitas: quia per aliquid à se realiter distinctum, esset sapiens, & ex consequẽti per aliquid realiter à se distinctum, habet esse: quia sibi idem est esse quod sapere, hoc est vtrunque sibi essentiale, prout essentiale à notionalibus condistinguitur. Assumptum probatur: quia Verbum, seu sapientia genita, realiter distinguitur à Patre: ergò ex natura rei in sapientia genita reperitur aliqua formalitas, seu ratio formalis, quæ distinguitur, seu non est eadem cum sapientia, qua Pater formaliter est sapiens: quæ consequentia euidens est: nam hæc est Pater formaliter sapiens, illa autem repugnat Patri esse sapientem: ergo hæc formaliter non est illa. Et ex consequenti datur non identitas, seu distinctio formalis inter sapientiam genitam, & illam rationem, qua Pater formaliter est sapiens: sed eo est sapiens, quo habet esse: quia, vt inquit Diuus Augustinus, idem est sibi sapere & esse: quod loquitur de essentia: ergo inter essentiã, & sapientiam geniram, quæ est Verbum, datur distinctio, seu non identitas formalis. Quod confirmat, & declarat his verbis, ibidem capit. 2. quæ paucis interiectis habentur. *Et quia in illa simplicitate, non est aliud sapere, quam esse, eadem sibi sapientia est quæ essentia. Pater igitur & Filius, simul vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia. Sed non Pater, & Filius simul ambo vnum Verbum: quia non simul ambo vnus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur, ita & Verbum ad eũ, cuius Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum. Ea quippe Filius quo Verbum, & eo Verbum quo Filius. Et propterea, non eo Verbum, quo sapientia: quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relatiue ad eum, cuius est Verbum, sicut Filius ad Patrem. Sapientia vero eo quo essentia.*

Quarta auctoritas D. Augus. ad probationẽ eiusdem distinctionis.

Perpendite verba, & ponsate mysteria. Plura etenim hic nobis Sanctus Doctor enucleat. Et quidem primo nobis ostendit sapientiam, qua Pater est sapiens, eadem vnitate, qua sibi cõpetit, essentia sibi competere. Vbi non nocet distinctioni attributorum ab essentia, quam infra sub distinctione 8. in difficultate 67. etiam de mente Doctoris statuimus: sed ostendit in Deo non esse triplicem sapientiam, aut triplicem magnitudinem, aut triplicem veritatem, sicuti est triplex relatio personalis. Sed quidem sicuti in tribus personis est vnica, & indiuisa essentia, sic est vnica, & indiuisa sapientia, & vnica & indiuisa magnitudo, & vnica & indiuisa veritas: licet hæc attributa inter se, & ab essentia etiam distinguantur: prout suo loco de expressa mente ipsius D. Augustini ostendimus. Sic ergo concludit. *Pater igitur, & Filius simul sunt vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia.* Ex his igitur facta comparatione ad relationes personales, ostendit, quod licêt Pater, & Filius sint vna sapientia, sicuti sunt vna essentia: non tamen sunt vna ratio personalis: quia tunc Pater esset Verbum, & Verbum esset Pater. Ostendit tamẽ quod ratio, qua Verbum est Verbum, est ad aliud: ratio vero, qua Verbum est sapiens, est ad se. Has igitur rationes ostendit, ex natura rei, esse distinctas, sicuti ex natura rei, Pater non est sapiens, ea ratione, qua Verbum genuit, aut qua Verbum est Verbum: quia tunc Pater esset Verbum. Nec quidem Verbum esse Verbum ea ratione, qua est

70.

sapiens:

sapiens: quia ea ratione, qua est sapiens, est Deus, eo quod sibi, ex eo quod habet essentiam, conuenit sapientia, quia omnia attributa sibi sunt communicata cum essentia. Et tunc euidenter condistinguit rationem Verbi ab essentia, quatenus dicit ibidem: *Et propterea non eo Verbum quo sapientia: quia Verbum, non ad se dicitur, sed tantum relatiuè ad eum cuius est Verbum, sicut Filius ad Patrem: sapientia verò, eo quo essentia: & ideò quia vna essentia, vna sapientia. Quoniam verò, & Verbum sapientia est, sed non eo Verbum quo sapientia: Verbum enim relatiuè, sapientia verò essentialiter intelligitur.* Hæc profecto verba exactè difficultatem resoluunt, & hanc distinctionem enucleant, & cõclusionem nostram manifestè confirmant, quibus partim vtitur Scotus, in citato articulo 3. §. *ista autem distinctio*, vt dictam conclusionem iuxta expressam mentem Diui Augustini esse euidenter probaret.

Quinta auctoritasque cõtinet quę dam verba D. Augus. maxime no tãda pro dis tinctione formali.

71 Alius item insignis locus eiusdem Augustini habetur in eodem lib. septimo de Trinitate cap. 2. qui omia prædicta confirmat. Hæc enim ait: *Id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia, vt sit Filius & imago. Et hæc duo cum dicuntur, in vno eorum, eo quod est nata, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur, & in his omnibus nominibus non ostendatur essentia: quia relatiuè dicuntur. At in altero, quod est sapientia, quoniam & ad se dicitur se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstretur, & hoc eius esse quod sapere. Vnde Pater, & Filius simul vna sapientia, quia vna essentia, & sigillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia.* Quid clarius potuit Sanctus Doctor suam mentem patefacere? Profecto, essentiam, & relationem duo vocat, & inquit, quod sapientia nata, seu genita, quæ est Verbũ, & imago seu Filius, quocunque istorũ nominum exprimatur, non exprimitur quidem tanquam quid significatum in essentia: quia & esse genitum, & esse Verbum, & esse imaginem, & esse Filiũ, hæc omnia nomina significant quid, quod non essentia, sed relatiuum dicit. At vero sapientia, quia ad se dicitur, demonstratur conuenire alicui, eo quod sibi conuenit essentia. Ostendit igitur manifestè ex natura rei ante omne opus intellectus esse distinctionem inter relationem & essentiam. Nam si Verbũ non est Verbum: quia est sapiens à parte rei: nec à parte rei est sapiens, quia est Verbum: consequenter ex natura rei, alia est ratio, qua formaliter est Verbum, & alia, qua formaliter est sapiens, & habet essentiam. Ratio autem, qua formaliter est Verbum, est relatio: ratio verò qua habet esse essentiale, & est sapiens, est essentia: ergo formaliter ex natura rei relatio, & essentia distinguuntur.

Sexta auctoritas D. Augustini proeadẽ distinctione.

Item alia est non minus insignis auctoritas eiusdem Diui Augustini in eodem lib. 7. de Trinitate capit. 2. quæ ad præcedẽtem subsequitur. Inquit enim: *Quapropter non quia Pater, non est Filius, & Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideò non vna essentia: quia his nominibus relatiua eorum ostenduntur. Vterque autem simul vna sapiẽtia, & vna essentia, vbi hoc est esse, quod sapere: non autem simul vterque Verbum aut Filius: quia non hoc est esse, quod Verbum esse, aut Filium esse: sicut iam satis ostendimus ista relatiuè dici.* Perspicue in his verbis probatur prædicta distinctio, qua posita, neq; vnitas essentiæ destruitur, neque personarum distinctio confunditur. Nam etsi Pater, & Filius sint vna sapientia, eo ipso quod sunt vna essentia: hæc vnitas essentiæ non tollitur ab eis, ex eo quod nec Pater est Filius, nec Filius est Pater. Quia dantur in Filio duo esse (vt loquar ipsius Augustini verbis) & quidem vnum, quo habet esse essentiæ, & aliud, quo habet esse Filij, seu Verbi. Ac si aperte dicat, habet duas rationes formales, seu duas quidditates, vnam scilicet, qua est Deus, & hæc est essentia, & aliam qua est Filius seu Verbum, & hæc est relatio, quod clare inquit dicens: *quia non hoc est esse, quod Verbum esse, aut Filium esse, sicut iam satis ostendimus ista relatiuè dici.* Vnde manifestum fit, quod sicut à parte rei omni intellectu, tàm creato, quàm diuino cessante, in diuinis, & est Deus, & est Filius: & etiam ex natura rei Filius cessante omni intellectu, & est idẽ cum Patre, quatenus Deus, & distinguitur à Patre, quatenus Filius, sic consequenter etiã à parte rei omni intellectu cessãte, alia est ratio quidditatiua, qua Filius est Deus, & idem cum Patre: & alia est ratio quid

Septima elegans D. August. auctoritas ad propositum.

ditatiua, qua Filius est Filius, & distinctus à Patre: ergo ex natura rei cessante omni intellectu secundum Diuum Augustinum, ratio qua Filius est Deus distinguitur ab ea, qua est Verbum. Hęc autem, vt ipse inquit, est relatio, illa verò essentia: ergò secundum ipsum actu formaliter ex natura rei, distinguitur relatio ab essentia. Et hac distinctione posita, & non aliter infert Diuus Augustinus, quod *non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, ideò non vna essentia.* Nisi quia ratio essentiæ, in qua sunt idem, est ex natura rei distincta, à relationibus, quibus Pater est Pater, & Filius est Filius, & vnus distinguitur ab alio. Quia etsi in istis rationibus distinguantur, ita quod vnus non sit alius: nihilominus in alia ratione, nempe in essentia, quæ est ab illis relationibus formaliter distincta, sunt idem: & ideò inquit, *quod non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, ideò non sunt vna essentia.* Cuius rationem reddit: *quia his nominibus relatiua eorum ostenduntur. Vterque autem simul, vna sapientia, & vna essentia.* Et continuò has duas rationes distinguit dum inquit, loquendo de esse essentiæ: *quia non hoc est esse, quod Verbum esse, aut Filium esse.*

73 Est præterea alia eiusdem Diui Augustini præclara auctoritas, qua præcedentes confirmat, nam in lib. vndecimo de Ciuitate Dei capit. decimo hæc ait: *Neque enim propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus Filius, aut solus Spiritus Sanctus. Non enim sola est ista nominis Trinitas, sine substantia personarum, sicut Sabelliani hæretici putauerunt. Pater qui genuit simplex est, Filius, qui genitus est, pariter simplex est, & hoc est illud, de quo genitus est. Sed ideò simplex dicitur quoniam quod habet, hoc est: excepto, quod relatiuè quæque persona ad alteram dicitur. Nam vtique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius, & Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad se ipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet: sicut ad se ipsum dicitur viuens, habendo vtique vitam, & eadem vita ipse est.* In his verbis prorsus continentur ferè omnia, quæ in cæteris allegatis eiusdem Sancti Doctoris, enucleata sunt. In his autem specialius Trinitatem personarum in simplicitate eiusdem essentiæ reperiri manifestat: ostendit tamen rationem simplicitatis, ab identitate essentiæ prouenire. Et distinguit hanc rationem essentiæ ab esse relatiuo, quo Pater est Pater, dum inquit: *sed ideò simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est: excepto, quod relatiue quæque persona ad alteram dicitur.* Em ergo quo pacto Sanctissimus Doctor distinguit in qualibet persona rationem essentiæ, qua vnus Deus simplex est, & rationem relationis qua persona in esse personæ habet esse, & refertur ad aliam. Mehercle innumeras alias ipsius Diui Augustini possem auctoritates adducere: nam totus septimus liber de Trinitate egregiè nostram conclusionem confirmat: & alibi ipse, & alij Sancti Patres, pro ipsa faciunt. Sed quia esset satis prolixum in argumentis ab auctoritate amplius immorari, non plures auctoritates adduco. Nec quidem his allegatis, & relatis nostram tâm ad longum munirem sententiam, si veterum vestigia sequerer: quia tamen recentiores Iesuitæ totam suorum argumentorum machinam in auctoritatibus fundant: nobis est opus nostram conclusionem etiam auctoritatibus fulciri, & Sanctorum testimonijs niti, ne in schola Scotica, simul cum subtilitatibus discursuum, Sãctorum Patrum robur deficiat, & ipsorum auctoritatum munimen.

Octaua auctoritas D. Augustini ad idem.

§. 13.

Solutiones quarundam prædictarum auctoritatũ confutantur.

74 VERVM enim verò aduersarij, quasdam ex allegatis auctoritatibus Diui Augustini, retorquere intendunt, ita vt in oppositæ sententiæ sensum exponant, vt inde nostram possint labefactare: & præsertim illam quę posita est supra n. 69. quã etiã in textu posuerat Doctor. Illam etenim conatur soluere Grego. Arimin. in 1. dist. 3. asserẽs quod illæ particulæ *eo* & *quo*, quibus

Solutio Arimin. & eius impugnatio.

bus vtitur Diuus Augustinus, non debent intelligi relatiuè, aut nominaliter, sed aduerbialiter, ita quod, idem est *eo*, & *quo*, ac si dicatur reduplicatiuè *in quãtum*, aut *quateneus*, & sic reddit hũc sensum. Filius, non eo est verbum, quo est essentia, ac si dicatur: Filius in quantum Verbum non est essentia. Quia hac reduplicatione facta, reddit hũc sensum, Filius, vt Filius, & in quantum Filius, significat relationem: & ad hunc modum significandi, sufficiens est distinctio rationis. Hæc tamen solutio nullius ponderis est: quia vt patet ex citatis verbis Diui Augustini, expresse habetur ab illo, illas duas particulas, *eo* & *quo*, esse quædam nomina adiectiua, quæ relatiuè dicuntur ad alia substantiua: ac si dicat, Verbum est Deus essentia, & Filius relatione. Essentia autem & relatio, sunt duo nomina substantiua: ad hæc autem substantiua referuntur illa duo adiectiua: ac si dicatur, ea ratione, qua Verbum est Deus, nempè essentia, non est Verbum: aut è contra, ea ratione, qua Verbum est Filius, nempè relatione, non est Deus. Et hic est genuinus sensus dictorum verborum, vt ex præcedentibus, & consequentibus luce clarius constat.

75 *Solutio Capreoli, & eius impugnatio.*

Aliter ergo quidã cũ Capreolo in primo distinctione 33. quæstione 1. ad secundam rationem Scoti contra tertiam conclusionem, non possunt non conuinci prædicta Diui Augustini auctoritate, qua dicunt, non solùm, probari distinctionem formalem inter essentiam, & relationes, sed etiam posse inferri ex eis distinctionem realem. Vnde aiunt dictam auctoritatem expositione indigere. Dicunt ergo, quod multa prædicata possunt vni, & eidem competere, & de eo verificari: etsi solum ipsa ratione distinguantur: præcipuè quãdo prædicata dant intelligere modum in quo illa duo identificata realiter distinguuntur, vt contingit in proposito. Quoniam alia prædicata competunt essentiæ, & alia relationi: ad quod sufficit distinctio rationis, ratione cuius verificatur de essentia, quod communicabilis sit, de relatione verò quod sit incommunicabilis. Verum hæc responsio, nec Diui Augustini verbis satisfacit, nec vim argumenti ex ipsis fabricati disoluit. Primo enim contra Capreolum ostendo, quod si ex huiusmodi verbis infertur realis distinctio inter relationes & essentiam: ad minus fateri debet, neutiquam verba prædicta cum sola distinctione rationis posse saluari. Non etenim expositio auctoritatis alicuius sancti debet in sensum contradictorium reduci: quia mentis expositio non potest esse ipsius mentis contradictio. Si igitur maiorem distinctionem, quam nos inferimus ex ipsis verbis colligi, nobis concedit Capreolus: cur ad minimam distinctionem, quæ est rationis, ipsa verba poterit retorquere? Profectò ex illis euidenter distinctio ante omnem operationem intellectus infertur. Quod autem hæc sit realis, tanquam res à re, nullatenus indicant: quia ibi omnem simplicitatem cum tali distinctione in compossibilem admittunt prædicta verba. Satis igitur est ex prædictis verbis inferri distinctionem formalem ex natura rei, actu inter relationes & essentiam reperiri, ad hoc vt prædicta Augustini verba, sint ad vnguem exposita.

Secundum autem, quod ad huiusmodi expositionem assumit, est manifestè falsum. Non etenim sufficit rationis distinctio ad destruendam contradictionem prædicatorum, ita vt per hãc distinctionem tantummodo possint de vno inuariato subiecto, verificari oppositæ prædicata. Si igitur ex natura rei formaliter, est idem prorsus essentia, quod relatio: minimè possunt duo prædicata contradictoria de hoc vno, & eodem verificari: & ita non potest dici, quod vna & inuariata ratio ex natura rei sit communicabilis, & incommunicabilis. Nã vel tantum per intellectum, & non ex ipsa rei natura sibi conuenit esse cõmunicabilẽ, & incõmunicabilẽ, vel etiã ante omnem operationẽ intellectus, hoc ex natura rei sibi conuenit. Si primum dixeris, tunc benè possent huiusmodi prædicata per solam distinctionem intellectus sibi conuenire: sed tunc manifestum absurdum inferretur, quod scilicet omni intellectu cessante, in Deo nõ esset communicabilitas, aut incõmunicabilitas. Et ex consequenti à parte rei, nec esset persona incommunicabilis, neque communicabilis natura, quod

76

quam absurdum sit nemo nescit. Si autem secundum dixeris, aliud manifestius sequeretur absurdum, quod scilicet eadem omninò formalitas, esset eadem, & non esset eadem: quia si esset cõmunicabilis, & incommunicabilis, esset affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, videlicet esset eadem, quia communicabilis, & non esset eadem, quia incommunicabilis, eo quod communicabilitas, & incommunicabilitas, eidem respectu eiusdem simul conuenire repugnat.

77 Nec quidem valet responsio, quod ista distinctio rationis ratiocinatæ supponit fundamentum in re ipsa, & ideò fundamentaliter à parte rei distinguuntur relationes & essentia, actualiter verò non à parte rei, sed per intellectum: & sufficit hæc fundamẽtalis distinctio, vt saluentur verba D. Augustini. Nam contra, quia Diuus Augustinus expressè posuit à parte rei essentiã, & relationes actu esse distinctas. Inquit enim quod Filius etsi eodem sit Verbum, quo Filius, non tamen eodem est Verbum quo Deus. At illud, quo Filius est Verbũ, est actu ex natura rei in ipso Verbo: & illud, quo Verbum est Deus, est etiam actu ex natura rei in illo: aliàs enim Verbum non actu esset Verbum, aut non actu esset Deus: sed fundamẽtaliter esset Verbum, & fundamentaliter esset Deus: & tantum per intellectum actualiter esset Verbum & Deus, quod dicendum non est. Si igitur actu est Deus, & actu est Verbum, & non eo est Verbum quo Deus: proculdubio actu distinguũtur rationes, quibus est Deus & Verbũ.

78 *Solutio Caietani, & eius impugnatio.* Caietanus verò aliter ad prædictam auctoritatem D. Augustin. respondet 1. parte quæst. 28. art. secundo dicens, quod essentia, & relationes differunt formaliter. Hoc tamen formaliter intelligit de diffinitione, ita vt diffinitio rei sit, quod quid est: ac ita, idem est distinguuntur formaliter, quod distinguuntur diffinitione. Vnde explicat Diuum Augustinum, quod scilicet Pater, aut Verbum, non est eo Verbum, quo est Deus, ac si dicat: quod aliud est, quod quid est Deitatis, & quod quid est Paternitatis: seu quod alia est diffinitio Deitatis, & alia est diffinitio Paternitatis. In quo optimè dixerat Caietanus, si illico in expositione sui dicti, non ipsum dictum destrueret. Inquit enim, quod illud quod quid est, & diffinitio, quæ est ratio distinctionis, est tantum per intellectum, & sic idem est differre formaliter, seu diffinitione, quod differre ratione; eo quod talis diffinitio sit opus intellectus. Sed hæc responsio quam aliena sit à bona philosophia facillime potest ostendi: nam apud omnes est certum, quod diffinitiones quidditatiuæ rerum, non solum habent esse ab intellectu, sed à parte rei: sunt etenim conceptus obiectiui, in quibus partes adinuicem compossibiles, vt iam componentes vnam quidditatem, sunt obiecta intellectus, & ideò diffinitio, & quod quid est essentiæ, & relationum, non habent esse solum per operationem intellectus, sed ex parte rei: quia conceptus, & diffinitio debent correspondere rei, ad hoc vt sint verus conceptus & vera diffinitio: aliàs enim esset fictitia. Si igitur à parte rei essentia, & relatio diffinitione non differrent: necessariò per intellectum in eis fingeretur distinctio. Vnde diffinitio quidditatiua rei, ex parte ipsius rei habetur obiectiue, antequam intellectus, secundo intentionaliter, illam componat.

§. 14.
Ex Ecclesia, & Concilijs probatur formalis distinctio.

79 *Probatur 6 cõclusio ex Concilijs, & Ecclesia* SECVNDO loco probatur prædicta sexta conclusio, ipsius Ecclesiæ diffinitione, in pluribus Concilijs quorum verba si rectè perpendantur, multo fortius nostram sententiam confirmant, quam allata Concilia ab aduersarijs, & nobis obiecta, illam impugnant. Quoniam in cap. *extra, de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, sic dicitur: *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam, indiuidua, & secundum proprietates discreta.* Ex quibus sic arguitur. Idem, & diuersum ante operationẽ intellectus ex natura rei, actu opponuntur, & dicũt distinctas quidditates. Ergo

Cap. Extra

Primũ argumentum ex Concilio Lateranen.

Ergo ratio, per quam aliqua ex natura rei sunt idem, distinguitur actu ex natura rei, à ratione, per quam illa talia ex natura rei sunt discreta, seu distincta. Sed iuxta verba Concilij essentia est ratio, in qua identificantur personæ; proprietates verò sunt rationes quibus distinguuntur ipsæ personæ: ergo proprietas, & essentia actu ex natura rei ante operationẽ intellectus formaliter distinguuntur.

80

Secundum argumentũ ex Concilio Toletano.

Hoc idem habetur ex Concilio Toletano Secundo, quod in principio hæc habet verba: *Hæc ergo Sancta Trinitas, quæ vnus & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero: in relatione enim personarum, numerus cernitur, in diuinitatis vero substantia, quod enumeratum sit non comprehenditur: ergo hoc solo, numerum insinuant, quod adinuicem sunt: & in hoc, numero carent, quod in se sunt.* Perspicue profecto his verbis ostendit Concilium distinctionem ex natura rei esse inter essentiam & relationes: si quidem reddẽs rationem vnitatis, & Trinitatis diuinæ: ait substantiam diuinitatis, hoc est essentiam, esse rationem omnis identitatis, quæ est in personis: relationes verò esse rationes distinctionis trium personarum. Non enim solum diffinit Concilium, in Deo esse vnitatem, & Trinitatem, quod fides credit: sed Theologicè ostendit rationes talis identitatis, & Trinitatis, diffiniẽs rationem identitatis, esse essentiam, & rationem distinctionis esse relationẽ. Ex quo sequitur, quod sicut ex natura rei personæ diuinæ sunt eædem actu in essentia, & actu distinctæ relationibus: sic ex natura rei ipsa essentia & relationes, sunt actu distinctæ. Quibus accedit, quod quæ tantum habent esse, seu distinguuntur per intellectum, non dicuntur in se ipsis, sic vel sic esse: sed sic, vel sic intelligi. Vnde diceret Concilium, quod per essentiam intelliguntur personæ, esse idem, & per relationes intelliguntur esse distinctæ: non tamen diceret absolutè, quod per primam rationem sunt idem, & per secundam sunt distinctæ: quia esse rei, non pendet ab intellectus consideratione. Sed in verbis Concilij habetur, quod à parte rei sunt idem in essentia, & distinctæ in relatione: hæc enim ait: *ergo hoc solo numerum insinuant, quod adinuicem sunt*: hoc est in hoc solo quod sunt distinctæ relationibus, ostenditur numerus trium personarum: *Et in hoc numero carent, quod in se sunt.* Vbi demonstratur quod ea ratione, qua in essentia sunt eædem, carent numero Trinitatis: quia in essentia sunt vnus Deus: si igitur iuxta verba Concilij per relationes à parte rei sunt distinctæ personæ actu, & à parte rei sunt idẽ Deus actu in essentia: ergo à parte rei actu distinguuntur essentia, & relationes.

81

Tertiũ argumentum ex Concilio Florentino,

Habetur item confirmata hæc veritas in Concilio Florentino in literis sanctæ vnionis, decreto de processione Spiritus Sancti, vbi hæc habentur: *Omnia quæ Patri sunt, ipse Pater vnigenito suo, gignendo dedit, præter esse Patrem.* Ex quibus verbis sic conficitur argumentum. Vel Pater dando in re ipsa Filio essentiam suam, dedit ei in re ipsa Paternitatem, vel non, si primum dixeris contradicis expresse Concilio, quod expresse affirmat non dedisse Filio Paternitatem, & dedisse ei essentiam. Si vero secundum dicas, ergo necessariò fateri debes in re ipsa Paternitatem actu distingui ab essentia: si quidem in re ipsa Pater actu dedit Filio vnum, & actu non dedit aliud. Si autem dicas dedisse Filio aliquid tantum ratione distinctum à Paternitate, quàm sibi retinuit. Cõtra, quia tunc ex natura rei, & in re ipsa, ante operationem intellectus, vtrumque dedit Pater suo vnigenito, & quidem essentiam, & insimul Paternitatem. Et ex consequenti cessante operatione omnis intellectus, Filius à parte rei habet Paternitatem insimul cum essentia, quæ ex natura rei actu est eadem cum essentia, quam sibi dedit Pater. Hoc autem falsum est & nimis absurdũ, stando in verbis Cõcilij: ex quibus manifestè habetur Patrem in re ipsa dedisse Filio suam essentiam, & in re ipsa non dedisse Filio suã Paternitatem. Ex quibus euidenter infertur essentiam à Paternitate actu esse distinctam ex natura rei.

82

Quartũ argumentum desumptũ ex his quæ canit Ecclesia.

Tandem accedit illud communiter ab Ecclesia receptũ, & canonizatũ, quod ipsa in præfactione festi Sãctissimæ Trinitatis sic canit: *In essentia vnitas, & in personis proprietas adoratur.* Vbi

eſſentiam a proprietatibus perſonalibus manifeſtè diſtinguit. Et ingens abſurdum eſt, hæc omnia quæ Concilia, & Eccleſia abſolutè diſtincta eſſe profitentur, velle ſaluare eſſe diſtincta, ex diſtinctis conſiderationibus intellectus: cuius operatione ſublata, nec proprietas plus diſtingueret, quàm eſſentia, neque eſſentia, pluſquam proprietas, identificaret perſonas: ſi quidem ſublata conſideratione intellectus ex natura rei actu (ſecũdum ipſos) eſt formaliter idem eſſentia, & proprietas. Hæc (quæſo) argumenta ex Concilijs de prompta deleant aduerſarij, ſi poſſunt, eorum verborum puritatem ſaluando: ſicut nos infra, Cõcilia ab ipſis tàm acriter nobis obiecta, in noſtræ ſententiæ confirmationem, ſeruata eorum germana expoſitione, conuertimus.

§. 15.

Ratione probatur formalis diſtinctio.

83 *Primũ argum. ex ratione adprobandam 6. concluſionem.*

TErtio loco probatur ſupradicta 6. Cõcluſio ratione. Quoniam diuina eſſentia in Patre actu eſt entitas ex natura rei, formaliter, ac per ſe cõmunicabilis, & ineoformaliter exiſtens, & hoc ſecluſo, omni actu cuiuslibet intellectus: Paternitas autem in Patre actu eſt entitas per ſe, & formaliter, & ex natura rei incõmunicabilis, ita quod per ſe ſibi repugnat cõmunicari, & hoc etiam ſecluſo omni opere intellectus. Ergo diuina eſſentia, & Paternitas actu, non ſunt idé formaliter ex natura rei, aut actu ex natura rei formaliter diſtinguntur. Antecedens eſt indubitabile, conſequétiam probo: quia entitas formaliter, & ex natura rei communicabilis, & entitas formaliter ex natura rei incommunicabilis, non ſunt euiſdem rationis formalis: ergo ſunt, non idem formaliter, vel formaliter diſtinguuntur.

84 Huic euidenti rationi reſpondet Caietanus 1.p.quæſt.39.a.1. negando conſeqentiam: Ad cuius probationem reſpondet, valere quidem in entitatibus creatis, minime tamẽ in increatis: quamuis enim vna res creata ob ſui limitationem, non poſsit eſſe cõmunicabilis, & incommunicabilis: diuina tamen eſſentia, ob ſui eminentiam, & infinitatem, formaliter eſt communicabilis, & incommunicabilis. Hæc tamen ſolutio Caietani difficultatem non euacuat, nec rationẽ ſoluit: quia ſi in diuinis cõmunicabile & incõmunicabile nõ ſunt diuerſæ rationes formales: ergo in diuinis eadem omninò eſt ratio formalis cõmunicabilis entitatis, & incõmunicabilis entitatis: igitur Pater cõmunicando Filio ſuã eſſẽtiam, neceſſario ei cõmunicauit ſuam Paternitatem: quia neceſſario cõmunicando ei eſſentiã, non potuit nõ cõmunicare ei rationem formalem eſſentiæ. Ergo ſicut Filius eſt Deus formaliter Deitate, ſeu eſſentia à Patre ſibi cõmunicata, conſequẽter eſſet formaliter Pater, Paternitate ſibi cũ eſſentia à Patre cõmunicata. Hoc tamẽ nõ ſolũ eſt falſum, ſed manifeſta hæreſis: ergo etiam in diuinis communicabile, & incommunicabile ſunt diuerſæ rationes formales. *Solut. Caieta. & impugnatio.*

Præterea cõtra ipſum Caietanũ, quia diuina eſſentia, etſi ſit formaliter infinita, non tamẽ præuertit aut deſtruit rationes formales abſoluti, & relatiui. Si etenim illas deſtrueret, tunc eſt in promptu argumentum: quia infinitas aut eminentia, diuinæ eſſentiæ, aut confundit rationes formales ipſius eſſentiæ, & relationum, aut etiam ipſa infinitate, & eminentia poſita, manẽt prædictæ rationes formales, ita vt abſolutũ ſit abſolutũ, & reſpectiuũ ſit reſpectiuũ. Si hoc ſecundum dicas, habetur intentum: ſi autem primum: ergo à parte rei actualiter formaliter verum eſt dicere, quod eſſentia eſt relatio, & relatio, eſt eſſentia: item quod relatiuum eſt abſolutum, & abſolutum eſt relatiuũ. Ex quibus iſtæ conſequẽtiæ inferũtur: ergo Pater formaliter eſt Pater per eſſentiam, ſi quidem eſſentia eſt formaliter, & actualiter relatio: ergo Pater differt à Filio per eſſentiam, ſi quidem differt à Filio per Paternitatẽ: ergo Filiatio eſt ratio cõmunicabilis Patri, & Filio, ſi quidem filiatio formaliter eſt eſſentia: ergo relatio in 85

diui-

diuinis est ratio conuenientiæ in tribus personis, & essentia est ratio distinctionis trium personarum, si quidē relatio est absolutum, & essentia est relatio. Istæ & aliæ similes cōsequētiæ inferuntur contra Caietanum ex præfacta solutione ipsius.

86 Item contra eundem Caietanum sic instо: quia illa continentia eminentialis diuinæ essentiænon tollit, quin sint incōpossibilia duo prædicata contradictoria: quia talia prædicata, vbicūq; sint, tàm in ente finito, quàm in infinito mutuo se expellunt, & mutuo se destruūt: quia admittere duo contradictoria de vno, & eodē etiam infinito, verificari, est manifestam repugnantiā admittere: nam vt patet ex cōditione, & natura cōtradictoriorum explicata ab Aristot. 4. Methaph. & ab omnibus in vniuersum admissa, nihil aliud est cōtradictoria de eodem verificari, quàm quod detur affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto, & secundum idem: est autem impossibile, quod idem prædicatum affirmetur de eodem subiecto secūdum idem, & negetur de eodem secundum idem: ergo impossibile est, quod essentia diuina eminenter sit communicabilis, & incommunicabilis: ergo repugnat quod simul contineat eminēter, siue virtualiter formaliter (vt vtar verbis Caietani) communicabilitatem pluribus, & eminenter, siue virtualiter formaliter, contineat incommunicabilitatem. Ergò conditio, & natura contradictoriorum, non solum in natura finita, & limitata, sed etiam in natura infinita, & illimitata, qualis est diuina essentia, debet saluari. Huc accedit, quod etsi diuina essentia radicaliter contineat relationes, quatenus est radix omniū emanationū diuinarū: non tamē de ipsa verificātur formaliter prædicata, quæ de ipsis emanationibus, formaliter verificantur. Licèt enim risibile radicaliter sit in ipso rationali: non tamen de rationali verificatur formaliter, quod de risibili. Vnde communicabilitas, quæ diuinæ essentiæ formaliter conuenit, non potest formaliter relationibus conuenire. Nec incommunicabilitas, quæ relationibus conuenit potest essentiæ formaliter conuenire, etsi radicaliter in ipsa essentia relationes contineantur. Non enim radicalis, aut eminentialis continentia alicuius, infert prędicationem formalem ipsius.

87 Ex quo iterum sic vrgeo Caietanum: quia virtualiter, & actualiter, sunt termini incompossibiles respectu eiusdem: ita quod quando aliquid continetur in alio virtualiter, ex consequenti formaliter actualiter non continetur in ipso. Quod enim rosa in hieme virtualiter contineatur in arbore: infert necessariò ipsam formaliter non contineri in arbore, quia esse formale, & virtuale, tanquam actus, & potentia se respiciunt: atque ita sicut potentia dicit carentiam actus, sic actus excludit potentiam: non ergo possunt insimul essentia, & relatio esse formaliter, & virtualiter communicabiles, vel formaliter, & virtualiter incommunicabiles. Si etenim virtualiter, communicabiles, aut incommunicabiles sunt, procul dubio formaliter communicabiles, aut incommunicabiles non sunt, & è contra.

88 *Solutio aliorum, & eius impugnatio.* Propter hoc argumentum aliter alij ex aduersarijs, inter quos est Bañez vbi supra dubio 3. ad secundum, dixerunt, quod essentia diuina, & relatio, aliter sunt idem formaliter, & aliter virtualiter. Sunt etenim idem formaliter actualiter ex natura rei, sunt tamen distinctæ virtualiter, & fundamentaliter ex natura rei. Atque ideò ex natura rei, non sunt formaliter, & virtualiter idem: sed formaliter idem, & virtualiter distinctæ: per intellectum tamen sunt formaliter, actualiter distinctæ. Sed ista solutio facillimo negotio potest reijci, quoniam distinctio virtualis non sufficit ad verificanda contradictoria, quæ ipsi rei actualiter insunt, si enim à parte rei, relatio, & essentia sunt formaliter idem, actualiter: & à parte rei essentia est formaliter actu communicabilis: relatio verò est à parte rei formaliter incommunicabilis: à parte rei formaliter, & actualiter reperiuntur in Deo communicabilitas, & incommunicabilitas: ergo à parte rei formaliter actualiter distinguūtur cōmunica-

bilitas, & incõmunicabilitas in Deo. Ergo debent à parte rei verificari de distinctis rationibus formaliter actualiter, quæ sunt in Deo, quia duo contradictoria de eadem formali ratione verificari non possunt. Non ergo sufficit distinctio virtualis ad hoc vt possint duo contradictoria, quæ actualiter formaliter insunt Deo, de vna & eadem ratione formali, quæ est in Deo verificari, quantumuis ipsa virtualiter sit distincta.

89. Ita supra positum nostrum argumẽtum aduersarios opprimit, vt quisque pro viribus studeat ipsum soluere. Vnde alij ipso oppressi, aliter illud soluunt. Sed quia nimis prolixum esset omniũ respõsiones referre, quæ parui põderis sunt, liceat silẽtio prætermittere. Non tamẽ potest nõ in lucẽ prodire quædam (suo videri) famosa solutio, qua Gabriel Vazquez disputatione 120. cap. 6. (postquam alias despicit) omnem prædicti argumenti efficaciã extenuare existimat. Reprehendit nãque Canarienſem, eo quod dixisset sufficere distinctionẽ rationis, vt duo contradictoria, vtpotè communicabile, & incommunicabile, de Deo dicãtur. Non quidem eo, quod dixerit distinctionem rationis sufficere: sed quia ampliauit hanc distinctionẽ rationis ad eam quæ facta est actu per intellectum, siue ad illam, quæ fieri potest. In hoc etenim secundo Canarienſem reprehendit sic dicens: *Quare non debuit Canarienſis asſerere ob ſolam diſtinctionem rationis, quæ poteſt eſſe, etſi actu facta non ſit, contradictoria poſſe de illis actu enũtiari.* Vnde recurrit Vazquez ad distinctionem rationis actualis per intellectum: quæ forsan, non est alia, quam distinctio rationis ratiocinantis. Et hanc profecto sufficere, vt duo contradictoria dicantur de Deo, hæc indicant eius verba. *Quod ſi Deum, vt eſt, nominaremus, & intelligeremus: ſicut vno conceptu ſimpliciſſimo, quidquid eſt in eo, videremus: ſic etiam vno verbo, aut nomine, alijs beatis exprimeremus, in quo nulli eſſent termini contradictorij.*

90. Non possum non mirari, quod hic vir doctissimus, hoc tam strenuum argumentum, quod ipse maximè vrgens esse fatetur, solutione tàm futili, & falsa (alijs fortasse validioribus à se reiectis) solutũ esse crediderit. Quid enim interest, nostri intellectus creati formata distinctio ad veram diuinarum personarum constitutionem? Quod si etenim ante actualem prædicti intellectus cõsiderationem, personæ diuinæ, verè personæ sunt, & verè per incommunicabiles subsistẽtias cõstitutæ: procul omni dubio, antequam intellectus actualiter hanc incommunicabilẽ sub sistentiam consideret in re ipsa, per eã diuina persona incommunicabilis est. Rursus eget ne diuina essentia actuali intellectus nostri cõsideratione, ipsam concipienti vt communicabilem tribus personis, ad hoc vt in re ipsa, tribus personis communicabilis sit? Profecto hoc ingens præomnibus esset absurdum. Si igitur nec persona incõmunicabilis est, nec essentia cõmunicabilis, ex actuali cõsideratione intellectꝰ: necessariò ante talem actualem considerationem, in re ipsa datur in Deo cõmunicabilitas, & incõmunicabilitas: sed ante considerationẽ actualem intellectus, communicabilitas, & incõmunicabilitas, quæ dantur in re ipsa, sunt duo prædicata cõtradictoria, quæ ibi reperiuntur: ergò absurdum est dicere, quòd si Deum, vt est in se, nominaremus, & intelligeremus: sicut vno conceptu simpliciſsimo, quidquid est in eo videremus: sic etiam vno verbo aut nomine illum exprimeremus, in quo nulli essent termini contradictorij: vt Vazquez affirmat. *Impugnatio ſolutionis Vaz.*

91. Tunc etenim sequeretur quod si nõ nominaremus, aut actualiter intelligeremus personas in Deo: ibi à parte rei personæ non essent. Quia nulla esset à parte rei ratio, aut proprietas personalis. Nulla enim esset incommunicabilis subsistentia, si quidem vt incõmunicabilis sit, pendet ab actuali intellectus consideratione. Item nec esset idẽtitas personarũ in Deitate: quia à parte rei essentia non esset eadem illis, eo quod non esset à parte rei communicabilis illis: sed ista communicabilitas, ex actuali consideratione intellectus penderet: si quidem si essentiam, aut personam intelligeremus sicuti est: nec esset ibi communicabilitas, aut incõmunicabilitas: quia ibi nulli termini contradictorij sunt secundum Vazquium, sed

sed illosibi esse prouenit ex actuali nostri intellectus cõsideratione. Quæ quidem quã ridicula absurda sint, nemo ignorat: & non solum absurda, verum audacter prolata verba contra diffinitionem Concilij Florentini, quod nobis obijcit ipse vt infra patebit, & nũc patet breuiter in Sessione 18. eiusdem Concilij, vbi hæc habentur. *Quemadmodum diuina substantia, & persona differunt inter se, non est opus in præsenti dicere, cum præsertim in hoc minimè forsan differamus. constat enim ipsas differre simpliciter, vt commune differt à proprio, vt Magnus Basilius ad suum Fratrem Gregorium scribit.* Viderit ergo Vazquez hanc simpliciter differentiam inter essentiam, & personas seu relationes, quæ differentia non est per actualem considerationem intellectus iuxta expressam mentem Concilij, sed quia ex natura rei interse ipsa simpliciter differũt, vt commune & proprium. In quibus Concilij verbis nunc obiter transeo vsque ad solutionem primi argumenti, vbi eiusdẽ Concilij verba nobis à Vazquio, & alijs obiecta, in eorum cõfutationem, & nostræ sententiæ confirmationẽ cõuerto.

Concil. Florentin.

§. 16.

Probatur eadem distinctio formalis alijs rationibus, & statuitur septima conclusio.

92 *Secunda ratio pro sexta conclus.*

SECVNDA ratio ad prædictæ sextæ conclusionis probationem sic se habet. Implicat eandem omnino rationem formalem ex natura rei esse rationem conuenientiæ, & differentiæ respectu eiusdem. sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, actu conueniunt in essentia, & actu realiter distinguuntur in relationibus: ergo relationes & essentia actu non sunt vna, & eadem omninò ratio formalis: ergo actu sunt distinctæ rationes formales, seu actu sunt non idem formaliter.

93 *Ratio Rubionis ad probationẽ 6. conclus.*

Tertia ratio est Rubionis: quoniam descriptio seu difinitio significãs rem increatam, esse Paternitatẽ, nõ cadit in definitione significanti, rem ipsam esse Deitatem, nec è conuerso diffinitio seu descriptio Deitatis, cadit in diffinitione Paternitatis. Sed ex distinctis diffinitionibus obiectiuis necessario infertur distinctio formalis actualis: ergo, &c. Maior probatur, quoniã si diffinitio, seu descriptio Deitatis caderet sub diffinitione Paternitatis, requireret per se primo, quod Deitas, quã per se primo significat, per se primo esset Pater: & ex cõsequẽti, nulli alteri possit competere descriptio Deitatis, cui non competeret descriptio paternitatis. Et ex consequenti, cuicunque personæ diuinæ competit, quod sit Deus, verè cõueniret, quod esset Pater. Hoc autem est falsum: quia tam Filius, quã Spiritus Sanctus realiter à Patre distinctus, est Deus: ergo si aliquid à Patre realiter distinctum est Deus: sequitur propositum, videlicet quod Pater sit à Deo indistinctus. Hoc non sibi conuenit ex diffinitione Deitatis: si enim ex diffinitione Deitatis repugnaret Patri à Deo distingui, & esset necessariò secum idem: cuicunque quod est Deus repugnaret distingui à Patre, quod est falsum: ergo, &c.

94

Confirmatur ab eodem, quia non sequitur: ita res est iste Deus: ergo est iste Pater: ergo Deo ex descriptione Deitatis, non repugnat distingui à Patre, siue à re vt significata per descriptionem Patris. Consequentia est euidens: quia si descriptio Deitatis requireret per se primo modo, quod res, quam significat, esset Pater, nulla res posset poni Deus, nisi Pater. Et ita benè sequeretur: ista res est Deus, ergo Pater: sicut quia descriptio hominis requirit, quod omnis res, quam significat sit animal rationale: ideò omnis homo est animal rationale: quare, &c. Antecedens est euidens, quia Filius, & Spiritus Sanctus est Deus: ergo si Paternitas ingreditur diffinitionem Deitatis, consequenter Filius, & Spiritus Sanctus est Pater. Rationem istam ipsius Rubionis verbis hîc posui, vt vetustissimi huius Doctoris subtilitas in verbis & modo arguendi patefieret. Plures aliæ rationes ad probationem huius 6. conclusionis habẽtur in textu, & apud reliquos Scotistas, quas ibi videri licet.

95 *Septima cõclusio.*

Dico septimo, quod etsi inter essen-

Distinctio inter essentiam, & relationes nō est specifica sed pure formalis.

tiam, & relationes detur distinctio formalis actualis ex natura rei, vt ex conclusione præcedente haberur, hæc tamen distinctio, non est formalis specifica, quam dicimus dari inter Paternitatem & spirationem actiuam, sed est distinctio pure formalis, iuxta ea, quæ notauimus supra n. 35. Conclusio hæc est conformis doctrinæ Scoti, quæ probatur quoad primam partem, quia diuinæ relationes, & emanationes pertinent ad idem prædicamentū ad quod essentia pertinet: ita quod si diuina essentia collocaretur in aliquo prædicamento, necessario ad ipsum reduceretur relatio, eo quod ab ipsa essentia dimanat. Sicut etenim risibile ad idem prædicamentum, in quo directè ponitur homo, reducitur, sic si diuina essentia ad aliquod prædicamentum pertineret, ad ipsum reduceretur relatio: quia etsi habeat distinctam formalitatem, & quidditatem: non tamen distinctam speciem importat: & ideò non distinguitur ab essentia distinctione formali specifica, aut essentiali: sed tātum distinctione pure formali, prout supra num. 34. nuper citato exposuimus. Alteram verò partem, videlicet, Paternitatem, & spirationem actiuam non solum pure formaliter, sed specificè esse distinctas, ratio Doctoris supra posita in difficult. 52. n. 22. manifestat. Nam quæ se totis formaliter distinguūtur: specificè distinguuntur: sed sic se habent generatio & spiratio: ergo, &c. Nec officit realis idētitas earum in Patre: quia etiam actio & passio, secundum probabilem opinionem sunt idē motus realis, & nihilominus specie, imò & genere distinguuntur. Quamuis ergo Paternitas, & actiua spiratio sint realiter idem in Patre, sicut & in Filio, eadem actiua spiratio, & filiatio sunt realiter idem: non tamen vna ab alia dimanat, nec cōnexionem aliqualem inter se habent, qualem habent relationes & essentia, eo quod istæ dimanant ab illa. Et ideò licet inter relationes, & essentiam sit tantum distinctio purè formalis: inter Paternitatem verò & spirationem actiuam, non solum distinctio purè formalis: sed specifica, & essentialis distinctio reperitur. Ex quā conclusione infertur maiori distinctione distingui paternitatē, & spirationem actiuam, quam relationes & essentiam, quod intendebat Pater Herrera: non tamen adhuc paternitatem, & spirationem distingui realiter etiā negatiuè, vt ipse volebat, sed vtranq; distinctionem manere sub latitudine distinctionis formalis actualis ex natura rei.

Spiratio actiua paternitas, & filiatio essentialiter distinguūtur.

§. 17.

Soluuntur argumenta Durandi.

IAM ad argumenta pro parte contraria liceat respondere, & primo ad argumenta Durandi, quatenus contra nostram sententiam militant, respondeo, in primis nullam esse distinctionem realem inter personas, seu relationes & essentiam, etsi ipsæ relationes in Deo haberent rationem modi. Vnde ad probationem primi dicti ipsius respōdeo, per ea quæ dicta sunt supra à num. 28. vsque ad nu. 30. quod ens prima sui diuisione, non diuiditur in ens reale & rationis, sed in ens in anima, & ens in rebus. Hoc est, vel est ens ex natura rei, vel ens rationis. Et consequenter omnis distinctio vel est in anima, vel in rebus, ac si dicatur, quod omnis distinctio, vel est rationis vel ex natura rei.

96 *Ad argum. Durandi.*

Ad tertium dictum Durandi (quod est contra Scotum, nam secundum dictum eius est Scoto conforme) respōdeo, negando sequelam: quia relatio abstractè sumpta tāquam distincta ab essentia, & Deitate, & in se præcisè, & formaliter considerata, nec formaliter est Deus, nec formaliter est creatura: est tamen per identitatem realem realiter Deus. Sed argues, quod omne, quod est, vel est Deus, vel creatura: igitur idem dicendum est de relatione. Respondeo, quod maxima illa debet intelligi absolutè, & non restrictè addita particula formaliter: quia sufficit identicè esse vnum, seu alterum. Vnde valet, omne quod est, vel est Deus, vel creatura, identicè seu formaliter: non tamen necessariò debet esse formaliter Deus vel creatura. Et sic concedo, quod relatio est Deus identicè: nego

97

Omne quod est, vel est Deus, vel creatura, identicè, vel formaliter, non tamen absolutè formaliter.

nego tamen quod formaliter eſt Deitas ſiue Deus: vnde ruit illatio Durandi, in diuinis ſcilicet eſſe plures Deos, eo quod ſunt plures relationes diſtinctæ à Deitate.

98 Ad quartum dictum Durandi reſpondeo, quod dato, quod relationes eſſent modi eſſentiæ, & non entitates: adhuc non ideò diſtinctio inter eas, & eſſentiam erit realis: quia ſub diſtinctione formali includitur formalis diſtinctio modalis, quæ reperitur inter eſſentiam, & exiſtentiam in creatis. Et iſta diſtinctio ſufficeret tunc ſine aliqua diſtinctione reali: quia modus iſte (eſto quod relatio eſſet modus) non eſt ſeparabilis ab eſſentia, ſicut ſubſiſtentia creata ſeparabilis eſt à natura ſingulari: & ideò non diſtinguitur realiter ab eſſentia, ſicut ſubſiſtentia creata à natura.

99 *Relationes diuinæ quo modo dicantur modi eſſentiæ.* Ad auctoritatem verò Damaſceni, dico, non probare oppoſitum eius, quod nos hic aſſerimus. Nam eſto quod relationes diuinæ eſſent verè modi eſſentiæ, prout modus contra entitatem diſtinguitur, iuxta ea quæ dicta ſunt ſupra in difficultate 53. numero 22. adhuc tamen non infertur realis diſtinctio inter relationes & eſſentiam. Quia vt dictum eſt, increatis, exiſtentia, quæ eſt modus eſſentiæ, non diſtinguitur realiter ab illa. Sed reuera relationes non ſunt modi, ſed veræ entitates habentes proprias formalitates & quidditates. Vocantur verò modi à Damaſceno, quia per illas habet eſſentia triplicem modum incommunicabiliter ſubſiſtendi. Et quia huiuſmodi incommunicabiles ſubſiſtentiæ non ſunt de conceptu formali, & quidditatiuo eſſentiæ, ſicuti eſt exiſtentia abſoluta, prout vidimus ſupra difficultat. 40. numero 23. ideò vocantur modi illius, quemadmodum in creatis exiſtentia, quæ non eſt de conceptu formali eſſentiæ, eſt eius modus: ſicut igitur exiſtentia, quæ eſt modus eſſentiæ, non realiter, ſed formaliter modaliter diſtinguitur ab eſſentia: ſic relationes, quæ non ſunt de conceptu eſſentiæ, dicuntur eſſe modi illius, & diſtinguuntur ab illa formaliter ex natura rei. Et hoc eſt quod voluit dicere Damaſcenus, & non aliud.

§. 18.

Soluuntur argumenta adducta ex Concilio Florentino pro ſecunda ſententia.

AD argumenta verò pro ſecunda ſententia Thomiſtarum, & ad primum ex Concilijs deſumptum, & præſertim ad illa verba Concilij Florentini, multipliciter ſolet reſponderi. Sed dico primo, quod prædicta verba, etſi aliquid contra noſtram concluſionem probarent: adhuc non vt diffinitio Concilij nos cogerent: ſed tanquam ſententia quædam grauiſſimorum Theologorum in Concilio diſputantium, quæ licet ſint magnæ auctoritatis, non tamen vt diffinitio Concilij veniunt veneranda. Quia non diffiniendo, ſed diſputando, ſunt ibi talia verba prolata, vt optimè notauit Pater Rada. Ad cuius euidentiam eſt aduertendum: quod in quarto volumine Conciliorum habetur quodam generale Concilium Ferrarienſe, & Florentinum, non quod ſint duo Concilia, ſed vnum & idem, quod inchoatum fuit Ferrariæ, & concluſum Florentiæ ſub Eugenio Quarto anno à Chriſti Domini ortu 1439. cui præfuit ipſe Pontifex, & aſſiſtit Imperator, cuius iuſſu congregati ſunt, cum ſuo Patriarcha nonnulli grauiſsimi viri ex Græcis, & ex Latinis ſimiliter: vt inter ſe nonnulla ad fidem pertinentia ſcholaſtica diſputatione conferrent. Ad quod elegerunt viros præclaros, qui ex vtraque acie proponerent, & defenderent, quæ ſub controuerſia erant: vt exinde veriori ſententiæ acquieſcerent. Elegerunt igitur Græci Marcum Epheſium, Latini verò Ioannem Philoſophũ: quibus (vt ex contextu conſtat) videtur tãquam reſoluens, aſtitiſſe Andreas præſul Colocenſis.

100. *Ad argum. pro ſecunda ſententia Thomiſt. ad Concilium Florentin.*

Qualiter cõtet verba Cõcilij non eſſe diffinitionẽ ſed ſententiam primatim in diſputationibus controuerſam.

Fuit attamen hæc diſputatio ventilata non publicè, ſed priuatim, quod teſtantur verba hæc, quæ habentur pagina 833. columna ſecunda, *Cum autem quid agerent, aut proferre neſcirent* (id eſt Græci)

101

Græci) *Imperatorem rogarunt, vt à Summo Pontifice impetraret, vt his, quos ex suis eligerent, cum totidem Latinis priuatim agerent, ea ratione adductis fore, vt modum ipsum, benignitate Dei excogitarent. Cui quidem sententiæ Imperator acquiescens, voluit, vt statim disputatores eligerent, qui cum Latinis disputarent.* Vide ergo quomodo, quæ hic dicta sunt, non per diffinitionem, sed in priuata disputatione concluſa fuerint. Et prosequitur ibi Relator Concilij: *Conuocata igitur sessione, absentibus ob valetudinem Imperatore ac Patriarcha* (id est Græcorum) *Ioannes ille in Philosophia, & Dialectica præclarissimus, pro Latinis ita dixit.* Multa notatu digna ibi proposuit Ioannes, sed deueniendo ad rem dixit Marcus Græcus. *Vt illud Magni Basilij dictum magis dilucidetur, quæro ex te (Pater Reuerende) an diuina substantia, & persona, sint idem, ac Verbo ex Patre, Patrisque simul substantiam, significant, vel secundum Doctores inter se differãt?*

Propositio, & interrogatio Marci Græci.

Cui interrogationi continuò vt ibi habetur, sic respondet Ioannes Latinus. *Diuina substantia, & persona (Pater Reuerende) re quidem sunt idem: secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur: nam persona ex substantia proprietatibusque consistit, quæ tametsi ratione, ac secundum nostram intelligentiam (vt supra dictum est) differant, ipsa tamen substantia cum personis communicat, proprietates vero nequaquam communicabiles sunt. Quod quidem ex relationis vi creditur euenire, quemadmodum etiam Doctores vestri, præsertim Sanctus Gregorius Theologus in Epiphaniæ sermone tenet. Nam si proprietas communicabilis esset, proprietas, non esset proprietas, vt igitur personæ differant inter se, necesse est, vt hypostaticæ personalesq; proprietates incommunicabiles sint.*

Responsio Ioannis Latini.

102 Legant aduersarij hæc omnia, & ex contextu eorum, quæ ex hoc Concilio nobis obijciunt, velint nolint, duo tenentur colligere: & quidem his verbis nihil diffinitum haberi: sed tantum fuisse vnius classis sententiam, quæ vnum firmiter stabiliuit, videlicet *substantiam, & personas re quidem esse idem.* Aliud autem nempe *differre secundum modum nostræ intellectionis*, non stabilitum esse, sed manere sub dubio, quatenus ait, quod *differre videntur*: nam quod differre videtur, non pro certo statuitur, sed refertur sententia eorum, qui sic differre, affirmant. Secundum est, quod hæc talia verba, cuiuscunq; auctoritatis sint: nostram adhuc conclusionem manifestè probarent. Duo etenim, quæ nos dicimus, ibi concludit, prædictum dictum Ioannis: primum scilicet, quod relationes seu personæ & essentia, re ipsa sunt idem. Secundum vero, an distinguantur ex nostro modo concipiẽdi, non asserit, sed refert communem sententiam, quatenus ait, *differre videntur.* Imò ex sequentibus verbis nostram sententiam aperte probat, quatenus inquit, distingui *ratione.* Hoc enim nihil aliud est, quàm ex natura rei distingui, prout egregie sic explicuit Scotus in textu, & nos de eius mente vidimus, & notauimus supra numero 40. *Non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu: sed vt ratio accipitur pro quidditate, secundum quod quidditas est obiectum intellectus.* Et forsan hic Ioannes Latinus, qui longo tempore post Scotum extitit: hunc modum loquendi à Diuo Bonauentura, & ab Scoto accepit.

Ex verbis concilij nobis obiectis, potest etiã Scoti sententia comprobari.

Et quod hæc sit formalissima mens prædictorum verborum Concilij ex contextu habetur expresse: quia ponit differentiam ex ipsa rei natura inter essentiam, & relationes, dum inquit: *ipsa tamen substantia cum personis communicat.* Non quod ex nostra consideratione dependeat, hoc esse communicabile: sed quod à parte rei est, vt verba prædicta exprimunt. Et subdit, *proprietates vero nequaquam communicabiles sunt.* Vbi notandum est, quod non dicit incommunicabiles intelliguntur, sed *nequaquam communicabiles sunt*: si ergò incommunicabiles sunt proprietates in se ipsis, & essentia in se ipsa communicabilis, profecto non dependet ex nostra consideratione, earum communicabilitatis, aut incommunicabilitatis distinctio: sed habetur à parte rei ex rationibus ipsarum: si quidem tales rationes sunt ibi à parte rei, & non per intellectum. 103

Nec nocet expositioni prædictæ, quod ibi addatur illa particula *ac intelligentia.* Nam ex hoc nihil habetur contra nos: quia postquam vnum certum ac firmum Ioannes Latinus statuit, scilicet, essentiam & personam esse idem reali- 104

realiter: loquendo tamen de diſtinctione, qua diſtinguũtur, iuxta vtriuſque ſcholæ, ſcilicet, Diui Thomæ, & Scoti ſententias, reſoluit ipſa poſſe diſtingui. Ac ſi dicat, diſtinguuntur vel ratione, prout ratio accipitur pro quidditate, ſecundum quod quidditas eſt obiectum intellectus, vt ſentit Scotus, vel intelligentia ipſa, vt volunt Thomiſtæ. Hoc etenim non determinamus in hoc Concilio, ſed ſub iudice has duas opiniones relinquimus. Quod enim hic tantum determinatè aſſerimus, quod ad fidem pertinet, & hoc Concilium diffinit, eſt, ibi eſſe identitatem realem. Quem ſenſum verba, *creditur*, & *videntur*, manifeſtant. Vel ſi hæc interpretatio non placet: dic, quod particula *ac*, eſt coniunctiua duorum diuerſorum, qualia ſunt ibi *ratione*, *ac intelligentia*. Nam ſi *intelligentia* eſſet nomen ſynonimum *rationis*, non diceret *ratione*, *ac intelligentia*: ſed diceret *ratione*, *ſiue intelligentia*. Sic ergò interpretari debet, quod diſtinguuntur *ratione*, quatenus ratio ſumitur pro quidditate, ſecundum quod quidditas eſt obiectum intellectus, vt docet Scotus. *Ac intelligentia*, quia eo quod ex ſe diſtinguuntur rationibus obiectiuis, & quidditatiuis, intellectus illas ſic diſtinctas cognoſcere poteſt.

105. Quod autem hæc ſit mens prædictorum verborum patet ex diſtinctione, quam inter communicabilitatem ibi à parte rei, poſuit Ioannes ille in verbis citatis. Sed hoc clarius patefacit Marcus Epheſius, qui continuò poſt prædicta verba Ioannis, hæc ſequentia, vt eius propoſitionis mẽtem exponeret, protulit. *Quemadmodum diuina ſubſtantia, & perſona differant inter ſe: non eſt opus in præſentia dicere, cum præſertim in hoc minimè forſan differamus. Conſtat enim ipſas differre ſimpliciter, vt commune à proprio, vt Magnus Baſilius ad ſuum fratrem Gregorium ſcribit, &c.* Quid clariùs potuit Marcus Græcus in Cõcilio, verbis prædictis (quibus reſponſionem Ioannis, quaſi reſumens explicuit) noſtram confirmare ſententiam niſi ponendo ibi eſſe diſtinctionem ſimpliciter, hoc eſt non pendentem ex intellectus conſideratione: ſed ex ipſis eſſentiæ, & relationum rationibus obiectiuis, & quidditatiuis?

Verba Marci Græci habita in Concilio Florẽ.

106 Præterea hanc Concilij expoſitionẽ confirmant verba Andreæ Præſulis colocenſis, qui quaſi diſputationum Præſes, iudicans vtriuſque altercationem, ſic inter ipſos profert ſententiam, prout habetur ibidem Seſſione 19. Hæc dicens de Ioanne. *Bene, & ſcite, quæ Pater hic Reuerendus loquutus eſt*: Et Marco dixit: *Tuque Pater præſantiſſime, acutiſſime reſpondiſti: At in generum æquiuocatione, ac ambiguitate verſari videmini. Nam in communi tum Græcorum, tum Latinorum Doctorum Theologia multum differt, ſimpliciter proferre diuinam ſubſtantiam: vel Patris Filiique ſubſtantiam: haud quaquam tamen ex eo putare debetis, vt re differant, quando quidem ſola ratione ac intelligentia differre creduntur.* Quæ verba clarius ea quæ ſunt à nobis enucleata, confirmant: nam ibi dicitur, quod in omni Theologia vtriuſque Eccleſiæ, ſcilicet Latinæ, & Græcæ, multum differt ſimpliciter proferre, diuinam ſubſtantiam, vel proferre ſubſtantiam Patris aut Filij, hoc eſt perſonas Patris aut Filij: eo quod inter ſubſtantiam diuinam, & perſonas Patris, & Filij datur diſtinctio ſimpliciter, ratione cuius multũ in vtraque Theologia differt proferre vnum, aut aliud: quia vnum commune eſt ſeu communicabile, & aliud proprium, ſeu incommunicabile. Ex hac tamen ſimpliciter differentia eſſentiæ, & perſonalitatis, monemur, ne ex inde putare debeamus ibi eſſe diſtinctionem realem: quia ibi non eſt, niſi prædicta diſtinctio rationis quidditatiuæ, quæ eſt formalis ex natura rei, vt manet expoſitum. Vnde reſoluitur, quod ex verbis ſic contextuatis eiuſdem Concilij, vt patuit, tota aduerſariorum machina ruit. Tum quia nihil diffinitur in verbis Concilij nobis obiectis: cum etiam: quia etſi illa altercatio Theologorum eſſet Concilij diffinitio, noſtræ potius fouet ſententiæ, quam ei aduerſatur.

Diuiſio, & reſolutio diſputationis habitæ in Concil Florẽt. per Andream Colocenſem.

§. 19.

§. 19.

Satisfit aliis duobus argumentis aduersariorum.

107 *Ad argumentum ex cap. Damnamus.*

AD argumẽtum verò desumptum ex cap. *Damnamus, de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, dico, illam particulam, *idem omninò*, necessariò intelligi de identitate reali, non verò de formali. Quia in eodem sensu resoluit Concilium, in quo præcedentia verba contra hæreticos diffinita fuerunt. Contradicentibus etenim identitatem realem inter essentiam & personas, profert Cõcilium in dicto capite *Essentiam esse vnam summam rem, quæ veraciter est Pater, & Filius & Spiritus Sanctus*. Et deinceps: *Et ideò in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina*. Vbi tantummodo intenditur quaternitatem rerum in Deo destruere: & ideò diffinitur non esse essentiam rem aliquam quartam à tribus personis distinctam: sed esse rem omninò idem in realitate cum tribus personis. In hoc enim, & non in alio sensu, diffinitur, quod, *id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omninò*, ac si dicat quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vna, & eadem res, quatenus sunt vna substantia, seu essentia, seu natura. Nihil tamen se intromittit Concilium in distinctione formali, quæ prædictam quaternitatem non infert, & optimè cum identitate reali compatitur. Et quod hæc sit mens huiusmodi verborum, ex alijs eiusdem capitis manifestè colligitur: hæc enim profert. *Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: non tamen aliud: sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omninò, vt secundum orthodoxam, & catholicam fidem consubstantiales esse credantur*. Quorum verborum expositio facilis est: nam *aliud* denotat naturam: *alius* verò suppositum exprimit. Inquit ergò Concilium, quod etsi sint tria suppositа, sunt nihilominus vna natura, cum qua sunt realiter idem, ea reali identitate, quæ requiritur, vt sint consubstantiales, quæ est realitas vnius essentiæ, cum qua sunt realiter idem. Et ideò ad hunc sensum loquendo, dicitur, quod sunt idem omninò, hoc est realiter in eadem essentia, in qua sunt consubstantiales diuinæ personæ. Et sic, & non aliter, debet intelligi prædicti capitis diffinitio: quæ nihil hæsitans de distinctione formali, nihil profecto contra ipsam decreuit.

Explicatur diffinitio ex c. Damnamus desumpta.

108 *Ad secundum argumentum ex ratione,*

Ad secundum argumentum, quod est prima ratio, concesso antecedẽte, negatur consequentia. Ad eius tamen probationem etiã antecedens negatur ob duplicem rationem. Prima quidem, quia cum relatio in diuinis formaliter nullam perfectionem, aut infinitatem importet, vt in proprio loco ostendemus: consequenter, quamuis essentia includeret relationem in suo conceptu formali: non ideò maiorem infinitatem diceret, quàm si illam in tali conceptu non includeret. Secunda autem ratio est: quia adhuc admisso, quod relationes perfectionem infinitam formaliter dicerent, vt volunt Thomistæ: essentia non ideò est summè infinita, quia includit in conceptu suo formali omnem perfectionem infinitam. Tunc enim idem argumentum fieret de attributis, quæ in se ipsis sunt formaliter infinita. Est ergo de ratione formaliter infiniti, non quod in sua ratione formali includat omnem perfectionem simpliciter: sed quod illam includat per perfectissimam idẽtitatem realem. Et sic licet essentia non includat talem perfectionem relationis vel attributi in sua ratione formali, adhuc erit perfectissimè, & simpliciter infinita, ac si relationem, & attributum in suo conceptu formali includeret: quia infinitas essentiæ per illorum additionem non creseeret, eo quod infinito nulla additio fieri potest.

Essentia diuina quo modo dicatur summè infinita.

109 *Ad tertiũ argu. quod est Molinæ.*

Ad tertium argumentum, quod est Molinæ, dico: quod diuina persona (vt infra in propria quæstione exponemus) verè constituitur ex essentia,

tia, & hypostasi, tanquam ex duabus rationibus formalibus ex natura rei actu formaliter distinctis. Qua stante distinctione, adhuc persona sic cõstituta, est simplicissima: nam vt ex conclusione quarta habemus, nullatenus summæ simplicitati opponitur formalis distinctio. Ex quo infertur, quod non esset simplicior Pater, si duabus prædictis formalibus rationibus non constaret, quàm modo ipsis constando: quia simplicitas neutiquã constitutioni, sed compositioni opponitur. Compositio autem nulla ibi reperiri potest: tùm ob summam identitatem realem, quæ cum compositione, incompossibilis est: cum etiam, quia omnis compositio quamtumuis minima, metaphisica videlicet ex genere, & differentia, quæ reperitur in Angelis, fit ex rationibus distinctis, quarum vna est potentia, & alia actus. In Deo autem nulla ex dictis rationibus formalibus constituentibus personam, habet se per modum potentiæ aut actus, quod, vt de mente Scoti ex posuimus, ad compositionem requiritur: licet ergò in Angelis compositio fit, hanc in persona composita admittere, ne fas esset.

Persona diuina est sũme simplex & nullo modo composita.

congregat ad alicuius hæretici damnationem: ad hunc modum veniunt intelligenda, quæ ibi diffiniuntur, quo, scilicet, dogmata talis hæretici intelligantur esse abiurata. Dixit ergo Gilbertus: *Naturam diuinam Deum non esse, sed formam, qua Deus est, quemadmodum humanitas homo non est, sed forma, qua est homo.* Ex quo dixisse constat, inter Deum & Deitatem esse distinctionem realem, sicut inter humanitatem, & hominem. Quod autem inter humanitatem & hominem distinctio realis sit, in sacro Incarnationis mysterio compertum est. Si quidem ibi concedimus, Verbum humanitatem assumpsisse, non verò hominem: eo quod homo in singulari (de quo hic loquitur) suppositum inassumptibile à Verbo includit: & hominis suppositum ab humanitate realiter distingui, plusquam à nemine potest negari, eo quod vnum ab alio separabile sit, nos supra in difficultate 53. num. 31. satis ostendimus.

Dogma Gilberti Porretani.

§. 20.

Suadetur, quis fuerit error Gilberti? & ostenditur nequitia imponentis illum Scoto.

IIO

Ad quartum argumẽtũ, quod est Vazquij

AD quartum argumentum, quod est argumentum Vazquij ex pluribus eius collectum, respondeo, diffinitionem Eugenij in Concilio Remensi intelligendam esse in eo sensu, in quo Gilberti error damnatur. Vnde prius videndum est, quid Gilbertus Porretanus dogmatizauerit, vt exinde oppositum eius dogmatis intelligatur fuisse in Concilio diffinitum. Nam vt moris est in Ecclesia in Concilijs, quæ

III

In quo sensu intelligatur Gilberti hæresis, & quomodo distinctioni formali traditæ non aduersetur.

Et quod in hoc sensu intellecta fuerit in dicto Concilio hæresis Porretani; manifestant verba Patrum ipsius Concilij, & Diui Bernardi: quæ contra illum diffiniunt, *Non aliud esse Deũ & aliud Deitatem, & aliud sapientiam, &c.* Particulam verò *aliud*, in hoc Trinitatis mysterio, alietatem realem inter rem, & rem importare, est omnibus Theologis manifestum. Vnde infertur, quod si in hoc sensu non intelligeremus, loquutum fuisse Gilbertum, non haberemus ex Concilij Patribus efficacia argumenta ad destructionem eius erroris, prout optimè notauit Ægidius Lusitanus in primo tomo de Beatitudine lib. 5. quæstione 2. articulo 4. §. 9. In hoc igitur sensu in quo Gilbertus distinctionem realem inter Deum, & Deitatem, seu sapientiam dogmatizauerat: in eodem damnatur à Concilio eius hæresis, & diffinitur ibi, nullam distinctionem inter esse realem, inter Deum & Deitatem, aut sapientiam, aut etiam relationem, &c. nihil omninò hæsitans de distinctione formali ex natura rei, quam nos cum Doctore Subtili ibi interesse defendimus.

In

112 *Vazquez falſum opponit Scoto circa diſtinctionem formalem.*

In hoc ergo deceptus eſt Vazquez, qui credens ibi inter hominem, & humanitatem poſuiſſe Gilbertum hanc diſtinctionem tantum formalem: ſic credidit tantummodo eandem diſtinctionem formalem per ſimilitudinem inter Deum, & Deitatem, ſapientiam aut relationem poſuiſſe: et hanc diſtinctionem formalem ex natura rei propterea exiſtimat damnaſſe Concilium. Sed re vera ibi Vazquez mentē Concilij non intellexit: quia etſi intelligere clare potuerit, ſicut alij ſapientiſsimi intellexerunt; ipſe tamen noluit intelligere, vt benè ageret. Nec quidem obſtant illa à ſe ſummopere ponderata verba Concilij, *ne ratio inter relationem, & eſſentiam diſtinguat.* Quia ſi ibi etiam rationis diſtinctionem prohiberet: profecto contra ipſum Vazquium (qui inter eſſentiam, & relationem actualem rationis diſtinctionem conſtituit) facile prædictæ diffinitionis mucronē concertare valeremus. Sicut ergo nec verbis illis diſtinctionem prohibet rationis: ſic nec formalē diſtinctionē ex natura rei actualē, inter relationes, & eſſentiā tollit, ſed ſolā diſtinctionem realē, quam hæretizabat Gilbertus, damnauit.

113 Vtitur ergo Concilium illa particula, *ne ratio diſtinguat*, ad tollendam diuiſionem, quam inter caſus nominatiui, & ablatiui ponebat Gilbertus, aſſerendo veram eſſe hanc propoſitionem, *Deus Deitate eſt Deus*: non tamen iſtam *Deus eſt Deitas*. Et quia hæc diuiſio caſuum per rationem fit; ideò, vt hanc diuiſionem tolleret, & oſtenderet, non minus iſtam eſſe veram, Deus eſt Deus, quam iſtam, Deus eſt Deitas, & ſimiliter iſtas, Deus eſt Pater, & Deus eſt Paternitas: quæ omnes ob identitatem realem ſunt veræ: ideò prohibet, ne ratio diuidens caſus nominatiui, & ablatiui inter Deū, & Deitatē, dicendo *Deus Deitate eſt Deus*, ſeu inter eſſentiam, & relationē, diſtinguat.

114 In illo verò, quod ait Vazquez, veriſsimam Scoti ſententiam cum damnata Gilberti propoſitione coincidere: eo quod ibi infert addendam eſſe eandem explicationem, *id eſt Deus*, vt prædicta propoſitio *Pater eſt Deitas*, ſit vera: muniat, quo potuero armis ſuſtinentiæ, & patientiæ in principio difficultatis promiſſæ: pro huius viri contumelijs reſiſtendis. Qui etenim alibi Diuum Chryſoſtomum Eccleſiæ lumen diuinitus micans, D. Theodoretum, & alios Eccleſiæ patres, ſimilis erroris nota inficere auſus eſt, vt patet in prima parte diſp. 37. cap. 2. & 6. non mirum quod contra ſubtilem Scotum, aliàs Beatum, ſic irreuerenter loquatur, & teſtimonium ei falſum imponat. Iuſtiſsimam igitur quærimoniæ iracundiam monaſticæ fraternitatis habens patienter cohibens dico, Vazquium neutiquam intellexiſſe adhuc Scoti ſententiam. Ad cuius euidē tiam perpendantur error Gilberti, & catholica Scoti ſententia, vt vtriuſque longiſsima differentia omnibus pate fiat. Gilbertus enim abſolutē negauit hanc propoſitionem *Deus eſt ſapientia*: & conceſſit hanc, *Deus eſt ſapiens*. Cuius fundamentum erat: quia cum ſapientiam non ſolùm formaliter, ſed etiam realiter à Deo diſtingueret, non erat aliqua identitas, nec realis, ratione cuius verificaretur ſapientia de Deo: & ideò hanc eſſe falſam aiebat, *Deus eſt ſapientia*, ſeu *Deitas*, &c. & hanc hæreſim damnauit Concilium.

115 Doctor verò ſubtilis, etſi diſtinctionem formalē inter Paternitatē, & eſſentiam poſuerit (nullā etenim inter Deum & Deitatē admiſit) inter ipſas tamen omnimodā identitatē realē cōſtituit. Atque ideò has omnes propoſitiones veras eſſe catholicè tenet: vtpotè Deus eſt ſapientia, Deus eſt Paternitas, Deitas eſt Paternitas, & ſimiles, quæ licet in ſenſu formali verę nō ſint: quia in illis prædicatū non eſt de conceptu formali ſubiecti, nec è cōuerſo: omnes nihilominus in ſenſu idētico, & reali ſunt veræ, quod negabat Gilbertus, quem propterea damnauit Cōcilium. Iſta autē propoſitio, *Deus eſt Deitas*, non ſolū in ſenſu reali, & idētico, ſed etiā in ſenſu formali eſt vera: quia prædicatū in illa eſt de conceptu formali ſubiecti, & tantum diſtinguit ab eo in modo ſignificandi, quia ſcilicet vnum eſt inconcreto, & alium in abſtracto.

Quod

116 *Differentia, inter rationem mathematicã, & Theologicã, in quo consistat.*

Quod autem de Gilberti discipulis pro argumento assumit, nihil prædictis obstat, imò ipsa confirmat. Nam inter rationem Mathematicam, & Theologicam, hæc est differentia: quod prima tantum habet abstrahere à rebus aliquas rationes, eius instar modi, quo Mathematicus quantitatem â materia abstrahit. Secunda vero, non sic abstrahit, sed res ipsas, vt sunt in se ipsis considerat: atque ideo dicebat Gilbertus (prout eius discipuli ipsum interpretabantur) non solum distingui Deitatem à Deo: de his enim tantum loquuti sunt (vt probat Ægidius) ratione Mathematica, sed Theologica: hoc est, distinguendo ibi duas res esse. Huic ergo hæresi abrenuntiarunt Gilberti discipuli conuicti decreto Eugenij, & sic falsi sunt non ibi interesse distinctionem aliquam rationis Theologicæ, hoc est, distinctionem realem. Nihil tamen de ratione Mathematica, qua abstrahitur ratio, verbi gratia, Paternitatis ab essentia, in qua realiter continetur, & à qua formaliter est distincta, Gilberti discipuli hæsitarunt. Cætera, quæ Vazquez nobis improperando accumulat, consulto omitto, ne amplius debita patientia prouocetur.

§. 21.

Respondetur argumentis Gregorij de Valentia.

117 *Ad 5. arg. Valentiæ.*

Ad Argumenta autem Valentiæ, quæ non minus in modo loquendi nos prouocant (in Scotum illatis iniurijs prætermissis) respondeo, & in primis ad primum, quod erat argumentum quintum in ordine. Dico, facile solui ex solutione ad primum argumentum vbi supra, numer. 107. expositum dictum capit. *Damnamus.* Ibique ostendimus non inferri ex opinione Scoti dari quaternitatem rerum, ibi damnatam. Doctor enim, etsi formalem distinctionem inter essentiam, & relationes constituat, nihilominus easdem relationes cum essentia esse omninò eandem rem pro viribus profitetur, vt ex supra allegatis verbis eiusdem facile constat. Ex quibus habetur, quod &si distinctas quidditates ibi esse affirmet: non tamen ibi distincta entia esse concedit: & ideò non est ibi aliud ens, & aliud, licèt sit alia entitas, & alia. Vndè nec est alia res & alia, licèt sit alia realitas, & alia, quia ad distinctionem entium requiritur distinctio realis existentiæ: quia quodlibet ens sua peculiari reali existentia existit: ad distinctionem vero entitatum non requiritur talis distinctio realis existentiæ. Quia quamuis ibi tot existentias cum Lycheto possimus cõcedere, quot sunt entitates formales: ibi est sermo de existentia prout essentiam, seu quidditatem consequitur. Et ita qualis fuerit entitas, talis erit existentia: hanc enim existentiam, etiam creaturis habentibus esse obiectiuũ immẽte diuina concedimus cum Scoto. Existentia vero realis est modus realiter habendi esse. Quia igitur in diuinis omnia realiter sunt vnum esse, & vnum absolutum existere, quatenus omnia existunt vnica deitatis existentia: ideò in diuinis non sunt plura entia, sed vnum ens, quamuis sint ibi plures entitates. Nihil ergo ex argumento Valentiæ contra Doctorem habetur, quia distinctio quidditatum, & entitatum non infert distinctionem rerum, aut entium.

118 *Ad 1. confirmation.*

Ad confirmationem eiusdem respondeo, ibi benè concedi à Doctore aliam, & aliam quidditatem, quæ ex natura rei, sunt alia & alia, tanquam duæ formalitates ex se ipsis, hoc est, ante operationem intellectus distinctæ. Non tamen ex indè sequitur esse duas quidditates realiter distinctas, vt infert Valentia: nam realis distinctio non solum requirit pluralitatem realitatum, sed rerum. Ibi autem plures esse prorsus negamus: sed in eadem indiuisibili re plures formalitates admittimus. Illud autem vulgare axioma, quòd ibi assumit Valentia, non scilicet, dari medium inter distinctionem realem, & rationis, sicut non datur medium inter ens rea-

le & rationis : satis responsum est supra, num. 96. ad primum dictum Durandi ; & latius à numer. 28. vsque ad 30.

119 *Ad 2. confirmationem.*

Ad secundam confirmationem eius dem negatur sequela , quia personalitates ipsæ inter se , sicut & personæ diuinæ, realiter distinguntur : At verò personalitates ab essentia non realiter , sed formaliter ex natura rei sunt distinctę. Ad probationem vero sequelæ , seu maioris , dico cum Doctore , personalitatem non esse aliam rem ab essentia : nec tam perfecta distinctiua esse ipsarum, quàm distinctiua personarum inter se. Quia distinctiua personarum inter se sunt ipsæ personalitates primo diuersæ ; & primæ entitates incommunicabiles , quarum vna nec formaliter, nec realiter , est alteri eadem : Distinctiua autem relationis, & essentiæ , sunt quidditates quædam non primo diuersæ , sed realiter eadem : & ideò licèt vna non prædicetur formaliter de altera: identicè tamen & realiter vna est altera: ergò etsi distinctio relationis , & essentiæ sit ante operationem intellectus ex natura rei, actualis : non tamen est tam perfecta distinctio personæ, seu relationis & essentiæ , quàm personarum , seu personalitatum inter se. Probatio igitur antecedentis Valentiæ falsitatem continet , quia distinctiua personarum sunt ipsæ tres relationes , eo primo diuersæ , quia per se primo incommunicabiles : distinctiua autem personalitatis & essentiæ, sunt duæ quidditates , quarum vna communicabilis , & altera incommunicabilis est, & ideò nullam oppositionem important , nec incompossibilitatem, quam includunt distinctiua personarum . Ex quibus insufficientia consequentiæ constat , quod , scilicet, tam perfectè distinguntur quidditas essentiæ , & quidditas filiationis , quàm Paternitas , & filiatio: quòd est planè falsum. Nec symbolum Athanasij adducitur ad propositum, quia ibi comparat filium ad Patrem , non vero essentiam ad relationem : & ideò cum ipso symbolo stat magis distingui relationes inter se, quã ab essentia.

Distinctiua personarum inter se, differũt à distinctiuis ipsarũ & essẽtiæ.

Ad sextum argumentum , quod est secundum Valentiæ, respondeo, quid ditatem sumi dupliciter , vel primo prout cum essentia conuertitur, & tũc distinctio quidditatum est essentialis, quæ solum inter distinctas essentias versatur. Et de hac forsan quidditate intellexerunt grauissimi Scotistæ quidam , quando negauerunt distinctionem formalem in ferre distinctionem quidditatum, concedentes quidem inter relationes & essentiam esse distinctionem formalem , nequaquam vero quidditatiuam . Secundò vero sumitur quidditas pro ratione conceptibili , qua res est per diffinitionem, seu descriptionem secundum se, ante operationem intellectus , conceptibilis : Et hanc concedit Scotus cum formalitate conuerti , vt ex ferè omnibus eius locis in hac difficultate allegatis manifestum est. Loquendo igitur de hac secunda acceptione , non solum concedimus cum ipso distinctionem formalem , sed etiam quidditatiuam actualem, inter relationes & essentiam. Ex qua non infertur, quod relatio sit alia essentia & natura, ab ipsa diuina essentia : sed tantum, quod est formalitas seu quidditas, sub qua relatio est diffinibilis & conceptibilis ex se ipsa , sine eo quod sit de conceptu formali formalitatis essentiæ , aut essentia sit de formalite & conceptu formali illius . Hoc tamen non infert, quod relatio non sit intrinsece Deus , eo quod formaliter à Deitate distinguatur . Quia vt sit intrinsecè Deus , non requiritur formalis identitas inter relationem & Deum : sed sufficit , quod sint idem realiter . Si autem instes , quod saltem prout formaliter relatio concipitur ab essentia condistincta , non est Deus : Dicò, nunquam ita posse abstrahi ab essentia realiter condistincta , quin concipiatur realiter eadem illi : Et ideò quantumuis iuxta propriam formalitatem abstrahatur : necessario nihilominus concipitur esse Deum, quia necessario concipitur realiter esse idẽ cũ essentia:

120 *Ad 6. arg.*

Quidditas dupliciter sumitur.

Inter relationes & essentiam datur distinctio quidditatiua.

essentia: licèt concipiatur hoc sibi nõ formaliter ex sua quidditate prouenire: sed ab identitate reali cum essentia, vnde concipitur non formaliter esse Deum, sed intrinsecè realiter, & identicè.

121 *Ad 7. arg.* Ad septimum eiusdẽ Valentiæ, quia sophisticè plura conculcat, & nihil ex eis benè concludit, respondeo singula disoluendo, & primo dico, personam diuinam esse simpliciter infinitam, nõ formaliter ratione personalitatis, quę, vt ex dicendis suppono, formaliter infinita non est: sed ratione essentiæ, ex qua & personalitate insimul constituitur. Et ideò est falsum dicere, quod est constituta ex duobus finitis. Ex nullo etenim finito constare supponimus: sed ex vno infinito, quod est essentia, & alio formaliter, non infinito, nec finito, quod est relatio. Nec ad id necessum est, essentiam habere formaliter, aut eminenter perfectionem, aut infinitatem relationis: quia hæc, vt diximus, nulla est formaliter infinita, aut finita: & sic nullibi continetur: nec essentia in relatione, nisi identicè contineri potest. Relatio verò, & si ex se formaliter infinita nõ sit, nihilominus continetur radicaliter & identicè in essentia. Vndè & si relatio in se non sit formaliter infinita, est tamen infinita realiter & identicè, infinitate essentiæ. Nam infinitas essentiæ realiter identificat sibi relationem, manẽtibus adhuc cum reali identitate distinctis formalitatibus essentiæ, & relationis. Sequela igitur de persona finita manet improbata omninõ.

Relatio diuina nec est finita formaliter nec infinita, sed non finita.

122 *Ad 8. arg.* Ad octauum, quod est eiusdem Autoris, respondeo, quod nec sunt omnes istæ quidditates formaliter infinitæ, nec omnes formaliter finitæ, nec aliqua finita & aliqua non. Et sic argumẽtum est friuolum: quia non per adæquatam diuisionem interrogat. Primum enim est falsum, quia, vt nuper dixi, relationes non sunt formaliter infinitæ. Secundum etiam falsum est, quia intra Deum nulla quidditas, siue formalitas est finita. Et tandem propter idem, tertium quoque est falsum. Aliud ergo membrum huic diuisioni, vt adæquata esset, defecit, scilicet, quod vel aliqua quidditas est formaliter infinita, & alia formaliter non infinita. Tunc enim affirmatiuè responderem. Quia in Deo est essentia, quæ est formaliter infinita, & relatio, quæ non est formaliter infinita. Inanis igitur est consequentia, quam ibi infert Valentia, & nullatenus ex præmissis illata, quatenus ait: *Quare hæc sententia Scoti vehementer videtur obstare Trinitatis mysterio.* Nam profecto hæc vehemens consequentia, non video vnde possit inferri, nisi ex odio vehementi, ne dicamus ex vehementi Scoti sentẽtiæ ignorantia. Doctor etenim nusquã aliquod extribus membris præfactæ diuisionis, ex quibus tanquam ex præmissis hæc vehemens consequentia infertur, concesit. Nec aliquis vnquam Scotista illud somniauit concedere. Vndè solum ex propria vehemẽti imaginatione, potuit Valentia consequentiam illam vehementer inferre.

§. 22.

Soluuntur reliqua argumenta Thomistarum ab auctoritate, & ratione.

123 *Ad 9. arg.* AD nonum argumẽtum ex Auctoritatibus Patrum, & Euangelij testimonio desumptum, respondeo, auctoritates omnes illas intelligẽdas esse iuxta ibi allegata verba Euangelij, nẽpè, *Ego & Pater vnum sumus*, id est, Ego & Pater sumus vna natura, in qua omnia, quę sunt in Deo, realiter sunt idem. Et sic loquitur Dyonisius dicens: *Quòd diuina omnia iuxta exactissimam rationẽ identitatis realis in sunt diuinitati.* Quod idem asseruit Athanasius, & non aliter intelligenda est eius authoritas, aut illa Nazianzeni. Et eui dẽter infertur hæc solutio ex allegatis verbis D. Augustini, quæ si Valẽtia perpenderet, non ex illis argueret contra nostram sentẽtiam: Ipsa etenim illum manifestè condemnant. Nã D. Augustinus expræsè negat distinctionẽ realẽ inter essentiam, & personam, & affirmat esse realiter idem, dum inquit: *Nõ aliud est Deo esse, & aliud personã esse, sed omninò idem.* Ex quo infertur quod in eo sunt omninò idem, in quo non

Aliud & aliud, ac alius, & alius, indiuinis diuersa importãt.

sunt aliud Deo, esse, & aliud personã esse. Sed *aliud* ibi denotat distinctionẽ realem & naturæ, prout ipse Sanctus Doctor sæpe exprimit, dum inquit: in Deo, non esse aliud & aliud, bene tamen alium & alium: quia est phrasis Theologica communiter ex Concilijs, & Patribus accepta, q̃ aliud & denotat distinctionem realem naturæ & naturæ: alius vero & alius denotant distinctionem realem personarũ, manente eadem identitate naturæ. In hoc igitur sensu docuit D. Augustinus essentiam & personam, non esse aliud & aliud, quia non sunt alia, & alia res, aut alia, & alia natura. Et in eodem sensu asserit, quod sunt omnino idem: quia in quo non sunt realiter aliud, & aliud, sunt omnino realiter idem. Et hoc nostra prima conclusio cum Scoto profitetur.

124 *Ad 10. argumentum*

Distinctio realis non petit fundari super actualem oppositionem

Ad decimum argumentum Thomistarum dico, non omnem distinctionem actualem ex natura rei fundari in actuali oppositione ex natura rei: quia distinctio ex natura rei formalis est tãtum inter eas quæ licet ex se ipsis, & ex suis formalitatibus, formaliter distinguantur, sunt nihilominus compossibilia, & realiter interse identificata in vno. Nec huius oppositum vnquam docuit Aristoteles: quinimo etsi distinctio ex natura rei esset realis, vt aduersarij intendebant, adhuc non est necessum, quod realis distinctio fundetur supra actuali oppositione: quia inter Petrum, & Paulum, nulla est oppositio, & nihilominus inter eos est realis distinctio. Imò dico, quod etiam in diuinis datur realis distinctio sine oppositione. Nam vt infra in propria difficultate patebit, etsi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, realiter distingueretur ab ipso: quia filiatio, quæ constituit Filium inesse suppositi, est sufficienter distinctiua illius ab Spiritu Sancto, cui relatiuè non opponitur. Ad illud vero Axioma, quod *in diuinis omnia sunt vnum*, &c. ibidem respondebitur satis. Nunc autem prout ad præsens attinet, dico: quod procedit de identitate reali, non vero de formali: & sic vbi non est oppositio relatiua, non est realis distinctio. Quam obrem, nulla distinctio realis est inter relationes, & essentiã: quia inter illas, nulla est oppositio.

Ad vndecimum dico, distinctionẽ formalem ex natura rei esse multò minorem distinctione reali, quia cũ identitate reali comparitur. Causa enim (vt inquit Pater Rada) ob quam vna distinctio est maior alia, non est eo q̃ per magis, aut minus intima fiat: sed absolutè loquendo, illa est distinctio maior alia, quæ aliam infert distinctionẽ. Quia vero distinctio realis infert distinctionem formalem, non tamen distinctio formalis ex vi sua infert realem, ideo maior distinctio est realis, quàm formalis. Quæ solutio prædicti Patris, intelligenda est de distinctione formali, non specifica, sed numerica. Quod sic manifesto, nam Petrus, & Paulus realiter distinguntur, & sunt formaliter specifice idem, eo quod quidquid includitur in conceptu formali vnius, includitur in cõceptu formali alterius. Non ergo omnis distinctio realis infert formalem specificam. Si autem sumatur ex parte Petri, quædam formalitas numero distincta à formalitate, quæ est in Paulo, eo quod humanitas Petri, numero distinguitur ab humanitate Pauli, & ideo hæc humanitas nõ est illa, nec realiter, nec hoc modo formaliter, quatenus, scilicet, hæc formalitas numero non est illa: tunc optimè potest substineri prædicta solutio Patris Rada. Absolutè tamen loquendo dico, nec distinctionem formalem specificam inferre distinctionem realem, nec realem inferre specificam formalem. Primum probo, quia secundum probabilem sententiam actio, & passio sunt idè motus realis, vt alibi dixi: & nihilominus sunt duo genera generalissima distincta, quæ longè plusquam specie differunt. Secundum patet, quia Petrus, & Paulus realiter distinguntur, & nihilominus sunt in eadem specie formaliter idem. Non igitur vna distinctio infert aliam ex natura rei, nec ê conuerso. In proposito tamẽ distinctio pure formalis, quæ est inter essentiã, & relationes, est multo minor distinctione reali, quia nõ fit per intimiora: non enim per distinctas essentias, aut species fit: sed habetur ex distinctis conceptibilitatibus obiectiuis,

125 *Ad 11. argumentum*

Distinctio dicitur maior alia, quia aliam infert.

Distinctio formalis specifica nõ infert realẽ nec realis specificã formalem.

obiectiuis, quæ in eadem omnino re, ex natura rei habent esse.

Ad duodecimum respondeo, quod
126 difficultas ibi assumpta de attributis infra sub distinctione octaua ex professo resoluta habetur. Nunc vero ex ibi dicendis suppono, Deum esse sapientē sua sapientia, quæ vt sit sua, sufficit vt realiter sibi illam idētificet. Vnde etiā stante distinctione formali inter sapiē tiam, & essentiam, verum est dicere, quod Deus est sua sapientia sapiens. Admisso ergo, eadem distinctione distingui relationes ab essentia, qua attributa distinguntur ab ipsa: nihil concludit contra nos hoc argumentum Gregorij.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum ratio personæ sit per se essentia?

A AD quartum sic proceditur, & videtur, quod ratio personæ sit per se essētia. Sic enim obijcitur, est per se res, & nō per se essentia ergo per se alia res: & vltra, ergo alia res. Probatur prima consequentia: nā circa ens, idem, & aliud sunt immediate opposita: ergo si est per se res, est per se eadem essentiæ: & ita per se essentia, vel per se alia res. Secunda consequentia probatur, quia per se non est determinatio distrahens.

B Secundo præterea, probatur prima consequentia, & est ad principale. Si enim est per se res: aut per se res, quæ est essentia: aut per se res, quæ non est essentia: si est per se res, quæ est essentia: ergo est per se essentia. Si est per se res, quæ non est essentia: ergo est per se res alia ab essentia.

C Tertio præterea: essentia est per se res, & proprietas est per se res: & non sunt per se eadem res: ergo sunt per se duæ res: & ita vtrumque est per se res alia ab altera.

D Sed contra est: quia, etsi inter contradictoria absolutè sumpta, vel absolutè dicta de quocumque non est medium, ita, quod si proprietas est res, est res eadem, vel alia: verum est, quod eadem: sed tunc non valet consequentia, quod sit per se eadē vel alia.

E Respondeo dicendum: quod *Conclusio.* vltra si quæras *de proprietate personali*, est ne per se essentia? dictum est quod non. Si infers, ergo est alia res. Fallacia est consequentis: non est per se hæc res, & est per se res: ergo est alia res: quia in antecedente negatur per se identitas: & in consequente identitas simpliciter sumpta: & ita destruit antecedens.

F Ad primum argumentum licet posit conclusio primi argumenti distingui, quod ibi esset alietas perfectatis, vel perfectas alietatis: & primo modo negaretur ly per se per negationem inclusam in alietate: secundo modo affirmaretur, quod præcederet vim negationis: & per consequens primo modo concluso primæ consequentiæ concederetur: sed tunc secunda consequentia peccaret secundum consequens à destructione antecedentis: secundo modo prima consequentia peccaret secundum consequens. Tum quia nō videtur bene logicè dictum, quod negatio, si qua includatur in alietate, posit aliquid attingere præter terminum respectus, & formam, in qua, vel secundum quam, notatur esse alietas. Nec videtur benè logicè dictū, quod ly per se, quod dicit modum inhærentiæ, & per consequens determinat compositionē, posit negari per negationem aliquā in prædicato. Ideo potest dici aliter, quod in cōsequēte primę cōsequētiæ tantum potest haberi de vi sermonis

vnus ſenſus, ſcilicet, quod hoc prædicatum eſſe rem aliam ab eſſentia per ſe inſit proprietati. Et iſte ſenſus eſt falſus: quia ſic, benè ſequitur falſum illud, quod infertur in ſecunda conſequentia. Ideo ſimpliciter nego primam conſequentiam, cum duæ propoſitiones in antecedente ſint veræ, & conſequens falſum. Ad probationem conſequentiæ dico: quod idem, & diuerſum non ſunt immediata circa quodcumque prædicatum, vt perſe dictũ de ſubiecto, imò nec contradictoria ſic ſunt immediata, nec enim homo eſt perſe albus, nec per ſe eſt non albus: tamen inter contradictoria abſolute ſumpta, *vt dictum eſt §. ſed contra*, vel abſolutè dicta de quocumque, non eſt medium. Ita ſi proprietas eſt res eadem vel alia, verum eſt, quod eadem: ſed tunc valet conſequẽtia, quod ſit per ſe eadem vel alia.

G Ad ſecundum antecedens poteſt diſtingui ſecundum compoſitionẽ, & diuiſionem, & in ſenſu compoſitionis neutrũ datum eſt. Sicut enim non eſt dandum, quod ſit perſe eſſentia, vel per ſe non eſſentia, ita nec alterum membrum illius diſiunctiuæ, cum accipitur in ſenſu compoſitionis. Nec ex hoc negantur ambo contradictoria: quia ſi accipias de incomplexis, habetur, quod neutrum illorum dicitur per ſe de ſubiecto. Si vis habere contradictoria complexa, dico: quod erũt iſta, aut proprietas eſt per ſe res, quæ eſt eſſentia, aut non eſt per ſe res quæ eſſentia, & hæc negatiua eſt vera. Sed non infertur, ergo eſt per ſe res, quæ non eſt eſſentia: ſicut non ſequitur, homo non eſt per ſe albus, igitur per ſe non eſt albus. In ſenſu diuiſionis danda eſt affirmatiua pars diſiunctiuæ, ſcilicet, proprietas eſt per ſe res, quæ eſt eſſentia: ſed non ſequitur vltra, ergo eſt per ſe eſſentia: quia ex identitate reali infertur identitas formalis: nã antecedens in ſenſu diuiſionis tantum notat identitatem realem, per ly quæ eſt. Aliter poteſt diſtingui antecedens prædictum, vt per implicationem illam, quæ eſt, intelligatur inhærentia formalis, vel tantum identica. Primo modo neutra pars eſt danda: quia neutrum oppoſitotũ per ſe inhæſt illi rei, quæ per ſe dicitur de proprietate. Secundo modo eſt danda pars affirmatiua. Sed non ſequitur vlterius propoſitum propter poſitionem conſequentis. Hæc ſecunda diſtinctio non habetur ex vi ſermonis: quia illa compoſitio implicata non determinatur per aliquid, quod notat eam dicere formalem inhærentiam: ſed tantum identicam. Prima diſtinctio habetur ex vi ſermonis: & licet ly, quæ eſt, non notet in ſenſu compoſitionis formalem inhærentiam, tamen ex vnitate extremi, vbi eſt quaſi ſpecificatiua, & determinatiua coſtructio, habet eſſẽtiã denotari perſe ineſſe ſubiecto.

Ad tertium patet: dicitur, quod nec per ſe ſunt eædem res, nec per ſe duæ res, ſed bene amoto illo ſincathegoremate, ſcilicet, ly per ſe, affirmatiua eſt vera, ſcilicet, ſunt eædem res. H

Ait gloſſa antiqui tex. quod hæc ſolutio 3. argumenti eſt additio aliorũ.

Expoſitio 4. articuli quæſtionis 7 diſtinctionis 2.

I NON inueſtigat Doctor in hoc articulo rationem cõſtitutiuã diuinæ perſonæ, de hoc etenim alibi latè diſputat: ſed vt conformiter ad præfactam diſtinctionem aſsignatam inter relationem, & eſſentiam loqueretur, vt difficultas maneret exacte ſolura: põderat cuiuſdã illationis inefficaciã, in cui⁹ ſolutione ſubtilẽ tradit doctrinã. Illatio antẽ intendebat probare rationẽ cõſtitutiuã perſonæ, vtpote proprietatem relatiuã, ita ex natura rei cum eſſẽtia identificari:

vt

vt verum sit dicere, quod talis proprietas est perse essentia. Hæc autem propositio ab inconuenienti probatur: ex eo etenim quod si non esset essentia, esset realiter ab essentia distincta. Ad cuius probationem ponitur hæc sophistica ratio. Si ratio personæ, seu proprietas personalis, non esset perse essentia, necessario esset perse alia res: Ergò absolutè esset alia res distincta realiter ab essentia. Hæc autem secunda consequentia fidei aduersari videtur, tunc enim quaternitas daretur in Deo, & quatuor res diuinæ: quodquàm falsum sit, nemo Catholicus nescit.

2 Illa vero prior consequentia, ex qua hæc secunda infertur, sic probatur. Idem & diuersum sunt immediate opposita: ergò cum proprietas personalis sit perse res, vel est perse res eadem essentiæ: & ita est perse essentia: vel est perse alia res distincta ab essentia. Quod autem ex eo quod sit perse alia res, inferatur absolutè esse aliam rem ab essentia, probatur: quia ly perse nõ distrahit rationem identitatis, vel diuersitatis. Huius primæ rationis, sunt potius probationes secunda & tertia ratio, quã argumenta specialia. Vtriusque enim illatio est sicut in prima, quod vel proprietas personalis est perse essentia, vel est perse alia res ab essentia. Et cum non sit concedendum esse aliam rem ab essentia: videtur colligi, esse perse essentiam. Ex quo contra ea, quæ dicta sunt in secundo & tertio articulo, & in nostra difficultate 54. non est distinctio ex natura rei inter essentiam, & proprietatẽ personalem.

3 Huius rationis solutio stat in hoc: quod particula, *perse*, ita distrahit prædicatum à subiecto, vt illa posita, iam sit dare medium inter ea, inter quæ sine tali particula dari non poterat. Nã inter idem & diuersum, imò inter contradictoria absolutè sumpta, non datur medium. Inter ipsa tamen contradictoria, medium dari potest, si addatur illa particula *perse*. Quod manifestum est in hoc exemplo. Vel enim homo est albus, vel non est albus: quia absolute loquendo, inter hæc contradictoria non est medium: & sic necessario vnum seu alterum homini debet competere. Si tamẽ sic dicatur, vel homo perse est albus, vel perse non est albus: tunc nec vna, nec altera propositio vera est. Non enim prima est vera, quia albedo non perse competit homini: nec quidem secunda, quia si negatio albedinis perse competeret homini: albedo homini repugnaret, sicut equo repugnat rationale, quia perse est irrationalis. Quod namque alicui perse competit, semper & necessario competit. Si ergò homini perse competit non esse album: albedo sibi inesse repugnat. Datur igitur medium inter propositiones huiusmodi, quia particula perse, ita prædicatum distrahit à subiecto, vt ab eo re moueat illud quod sine illa, ex vi adæquatæ disiunctionis, necessario ei debebat cõpetere.

Inter contradictoria datur medium, cum hac particula perse.

Cum ergo proprietas personalis non sit de conceptu formali diuinæ essentiæ, nec è contra diuina essentia sit de conceptu formali huiusmodi proprietatis: ideò nec ista est vera in sensu formali, proprietas est perse essentia; nec ista, essentia est perse proprietas personalis. Ex quo quando infers, proprietas personalis non est perse essentia, ergò est perse alia res distincta ab essentia: negatur cõsequentia. Quia ly perse distrahit prædicatũ, ita vt nec vno, nec altero modo, possit essentiæ competere, quia nec essentia est de cõceptu formali proprietatis; atque ideò hæc non est vera propositio, proprietas est perse essentia, nec perse est alia res distincta ab essentia: quia formalis distinctio, qua distinguitur ab essentia, non infert distinctionem realem duarum rerum: & ideò nec est perse essentia, nec est perse alia res ab essentia. Si tamen absolutè enunciaretur illud dilema absque illa particula, perse: necessario vna, seu altera vera esset. Et tunc ex his duabus propositionibus, videlicet, vel proprietas est eadem res, quæ est essentia, vel est alia res, quæ est essentia: prima est vera & secunda est falsa. Solutiones argumentorum secundi & tertij hoc idem confirmant, quæ clare habentur in textu.

4 *Proprietas non est perse essentia: nec essentia est perse proprietas.*

ARTICVLVS V.

Vtrum proprietas perſonalis ſit formaliter neceſſe eſſe.

A AD quintum ſic proceditur, & videtur, quod proprietas perſonalis ſit formaliter neceſſe eſſe: quia arguitur, aut, A. & B. (intelligendo hîc per ipſa duas proprietates perſonales) aut ſũt formaliter neceſsitates eſſendi, aut non.

B Secundo præterea, ipſi, A. inquantum, A. aut repugnat poſſe deficere, aut non. Si ſic: A. ergo inquantum, A. eſt neceſſarium: & ita cui ineſt formaliter, eſt ei ratio neceſſario eſſendi. Si non: igitur per nihil aliud poteſt ipſi, A. inquantum, A. repugnare. Igitur per nihil tollitur, quin ipſi, A. præciſe inquantum, A. ſit compoſsibile deficere: ergo ſemper præciſe ſumptum eſt poſsibile deficere: ergo repugnat neceſſario ex ſe.

C Sed contra eſt: quia pro alia via videtur fatere illud, quod habetur 18. diſt. huius, & alibi, quod, ſcilicet, neceſsitas eſt conditio exiſtentiæ: cũ igitur in diuinis non plurificatur exiſtentia, quare plurificatur neceſsitas?

D Reſpondeo dicendum: quod per hoc, *quod dictum eſt ad vltimum argumentum tertij articuli*, tenet illa ratio ſuperius poſita in quæſtione de vnitate Dei ex ratione neceſſe eſſe, quæ tacta fuit quæſtione 1. huius ſecundæ diſtinctionis, quod neceſſe eſſe non diuiditur in plura: quia, A. & B. ſi non eſſẽt formaliter neceſsitates eſſendi, antequam etiam intelligerentur in aliquo illorum, in quibus neceſſe eſſe diuiditur, cũ ſint vltimæ actualitates, ſine quibus illa actualitas cõmunis non eſſet neceſſe eſſe, requireret aliquo modo aliquid aliud à ſe, per quod eſſet. Sed hoc non concludit de diuerſis perſonis in eadem entitate neceſſaria: nam illa entitas ex ſe neceſſaria non expectat aliquam actualitatem ab ipſis diſtinguentibus perſonas: quia non diuiditur per illa diſtinguentia perſonas: & ita diſtinguẽtia perſonas non ſunt quaſi vltimæ actualitates, quibus talia entia exiſtunt. Concedi ergo poteſt, quod nõ ſunt formaliter neceſsitates eſſendi. *Concluſio.*

E Ad primum argumentum, *vt dictum eſt*, concedi poteſt: quod non ſunt formaliter neceſsitates eſſendi: nec ſequitur, igitur poſsibiles: quia per identitatem ſunt illa vna neceſsitas eſſendi. Sed ſi A. & B. eſſent in diuerſis, oporteret dicere, quod, A. & B eſſent formaliter neceſsitates, vel entitates poſsibiles: quia nõ poſſũt eſſe eædẽ alicui entitati ex ſe neceſſariæ: illa enim entitas cõmunis, cui eſſent eædem, eſſet quaſi potentialis ad exiſtendum, vt præintelligitur, ante illam rationem contrahentem, vel diuidentem.

F Ad ſecundum, *ad factam, videlicet, loco ſecundi argumenti obiectionẽ*, quære ſolutionem.

Additio veterũ diſcipulorum Scoti quæ continuo ſic habetur in antiquo text, eiuſdẽ

Reſpondetur, quod nec repugnat nec nõ repugnat cũ ly in quantũ: ſed ſine ly inquãtum, dico, quod nõ ſunt poſsibiles ipſa relationes: ſed ſunt neceſſe eſſe, & hoc per identitatẽ ſed nõ formaliter: nec nõ formaliter ſunt poſsibiles. Relationes enim diuinæ abſtrahunt à neceſſe eſſe, & poſsibili. Vel aliter poſſet dici, quod vnicum eſt neceſſe eſſe radicale, & à ſe, de quo ſupra quæſtione prędicta fuit ſermo. Plura autem ſunt neceſſe eſſe formaliter ex ſe, licet ab alio: quia quod libet reale ad intra. Et ſic pluribus conuenit formalis neceſsitas eſſendi, quã formalis infinitas. Vide quæſtione 7. & 8. quodlib. & 8. diſt. huius primi, & alibi ſæpe in doctrina huius primi, & alibi ſæpe in doctrina huius, benè ponderando: quia ſingulares

laris difficultas. Franciſcus diſt. 8. primi conſla. q. 1. contradictione 10. & 24. diſ. 3 eiuſdē. q. 4. ar. 1. p. 3. tenet expreſſe, proprietates poſitiuas, etſi nō formaliter infinitas, ſic tamen eſſe neceſſe eſſe: cū quo videtur ſentire Doctor iſte tractatu de primo principio cap. 4. vide benè ibi, & ea quæ notaui ad hæc. Pondera ordinem illorum modorum in diuinis, & cogita benè maſticando pro, & contra. Nō ab re Doctor omiſsit inſtantiæ ſolutionē, ſicut poſuit, vacat, ſuper argumento in originali correcto. M.

Expoſitio 5. articuli quæſtionis 7. diſtinctionis 2.

1 HIC accipit Doctor proprietates perſonales, vt ex natura rei formaliter condiſtinctæ ſunt ab eſſentia, & de illis, vt cōdiſtinctis inquirit, vtrum ſint entitates formaliter neceſſariæ, ſicut diuina eſſentia eſt ex ſe neceſſe eſſe, & ens neceſſarium. *In* qua litera admixta eſt additio deſumpta ex manuſcriptis ipſius Doctoris, & ab eius diſcipulis antiquo textui ſuperaddita. Ex qua ſumitur hæc ratio in oppoſitum, quæ habetur in textu §. *ſed contra*, atque ſolutio ſecundi argumenti, quam Scotus non poſuit, ſed diſcipulis quærere iubet. Et ideo iam ex ipſius doctrina ſolutionem quę ſitam, intra textum inſertam collocarūt. Reſoluitur ergo in textu, proprietates perſonales per ſe ſumptas, prout formaliter ab eſſentia condiſtinctas, non eſſe neceſſitates eſſendi, licet realiter prout cum eſſentia ſunt res eadē, importent eamdem neceſſitatem, quā importat eſſentia.

Proprietates perſonales ſolum identice ſunt neceſſe eſſe.

2 Cuius cōcluſionis duplex redditur ratio, prior in dicto, §. *ſed contra*, ſecunda vero in corpore articuli, prior quidem ſatis acuta eſt, nam neceſſitas exiſtentiam reſpicit, non vero eſſentiam. Quamuis etenim rerum creaturum eſſentiæ habeant eſſe obiectiuum æternum, ex quarum, videlicet, cognitione (ſecundum Thomiſtas) ipſum-

Neceſſitas eſt conditio ſolum exiſtentiæ Dei non tamen exiſtentiæ creaturæ.

met Verbum diuinum producatur: nihilominus non ob hoc dicitur aliqua creatura neceſſe eſſe: quia cuiuslibet exiſtentia eſt contingens: & quidem neceſsitas eſt conditio exiſtentiæ: ita vt illa tantummodo res ſit neceſſe eſſe, cuius exiſtentia non accidit eſſentiæ, ſed eſt de quidditate illius. Ex quo prouenit, quod cum tantummodo diuina exiſtentia ſit de quidditate eſſentiæ, & cæteræ exiſtentiæ creatæ eſſentijs accidant: ſola diuina exiſtentia eſt ens neceſſarium ex ſe, & ſuum neceſſe eſſe. Ex hoc igitur concludit ratio prædicta, quod cum neceſsitas ſit conditio exiſtentiæ, & in diuinis non multiplicetur exiſtētia (quāuis etenim ſub ſiſtētiæ relatiuæ pluri ficentur) exiſtentia tamen, quæ eſt abſoluta ratio eſſendi, qua Deus neceſſario eſſentialiter habet eſſe, non multiplicatur: ſed vna, & eadem indiuiſa in tribus ſuppoſitis, ſicut vna, & eadem indiuiſa eſſentia, eſt in illis.

Ex quo facillimè deducitur conſequentia, quod licet in Deo ſint tres proprietates perſonales: non ideo eſt 3
in illo triplex neceſsitas, ſed vna & eadem, qua eſt formaliter Deus, & formaliter, ac quidditatiue exiſtit. Et ideo quælibet proprietas perſonalis, vt ab eſſentia formaliter condiſtincta, non eſt formaliter neceſſe eſſe: ſed benè realiter eadē prorſus neceſsitate, qua eſſentia, cum qua realiter identificatur, eſt ex ſe neceſſe eſſe.

Secunda autem ratio eſt, qnia neceſſe eſſe non diuiditur in plura. Vide ra 4
tionē hanc, quæ clarè habetur in text. Ex qua Doctor concludit intentum, quod, ſcilicet, poteſt concedi, quod proprietates diſtinguentes, & conſtituentes perſonas, non ſunt formaliter neceſsitates eſſendi. Nec tamen exinde infertur, contingentes aut poſsibiles eſſe, quia identitas realis cum eſſentia, quæ formaliter eſt neceſſe eſſe, excludit omnē rationē contingentiæ, & poſsibilitatis: res etenim eadē non poteſt eſſe neceſſaria, & poſsibilis: ſed ab vna ratione poteſt ſibi formaliter conuenire neceſsitas, quin ſecundum aliā ſibi realiter identificatam conueniat.

Ex ratione ergo prima ſupra poſita infertur, Doctorem non abſolute tres,

ſed vnicam exiſtentiam conceciſſe in Deo. Expreſſe etenim Doctoris ſentétia, vt patet in litera huius articuli, quod exiſtentia non plurificatur in Deo. Quæ eſt etiam expreſſa ſententia D. Thomæ 3. part: quæſt. 17. art. 2. ad 3. quam credo eſſe communem, loquendo in legitimo ſenſu. Exiſtentia enim eſt idem, quod eſſe: & ſicut in Deo eſt vna implurificabilis eſſentia, & exiſtétia eſt de quidditate eſſentiæ, eſt conſequenter vna implurificabilis exiſtétia, & vnũ implurificabile eſſe Dei. In hoc igitur ſenſu neminẽ credo cõcedere pluſquã vnã exiſtentiã, ſicut non cõceditur pluſquam vna eſſentia, ſed vt hæc clarius perpendãtur, & loca Scoti in oppoſitum à Vazquio adducta, in vero ſenſu poſſint intelligi: ſequẽs difficultas occaſione huius articuli excitatur.

DIFFICVLTAS LV.

Vtrum, vltra quod in Deo eſt vna exiſtentia abſoluta, ſint etiam concedendæ aliæ tres exiſtentiæ relatiuæ.

§. 1.

Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum duplici ſententia diuerſorum Doctorum.

1 1. Senten. Difficultas hæc ad omnem æquiuocationem tollendam mouetur. Circa illã etenim in æquiuoco laborarunt nonnulli: quidam nãque ita relatiuas exiſtentias admittebant, vt in diuinis exiſtentiam plurificari, abſolutè aſſerere non dubitauerint. Alij vero per oppoſitum, ita vnã abſoluram exiſtentiam in Deo eſſe cõcedunt, vt abſolutè omnem aliam exiſtentiam, à Deo abſoluendam eſſe affirment. Quæ duæ ſententiæ tãquam extremæ vitioſæ mihi videntur. Primã igitur ſententiam iſtarum tenuit Cayetanus 1. pa. quæſt. 29. ar. 4. & quæſt. 2. art. 2. quam aliqui tribuunt Ricardo in 3. diſtinct. 1. ar. 1. quæſt. 2. ad primũ & alijs. Et ſic probari poteſt: quoniam exiſtentia eſt qua aliquid in rerum natura habet eſſe reale: ſed in diuinis vltra Dei eſſentiam, ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ, quarum quælibet habet ſuũ eſſe reale, diſtinctũ ab eſſe reali aliarum perſonarum: ergo in diuinis vltra exiſtentiam eſſentiæ, ſunt aliæ tres exiſtentiæ.

Cayetanus Ricardus.

2 Secundo, quia tot ſunt in Deo exiſtẽtiæ, quot ſunt res diſtinctæ: ſed diuinæ perſonę ſũt tres res diſtinctæ: ergo ſunt tres res diſtinctis exiſtentijs exiſtẽtes. Et ex conſequenti in diuinis vltra exiſtentiam eſſentiæ, ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ.

3 Tertio, quia in diuinis ſunt tres ſubſiſtentiæ: ergo, & tres exiſtentiæ. Antecedens eſt manifeſtum: ſiquidem ſubſiſtentia incommunicabilis eſt ratio conſtitutiua perſonæ: & ex conſequẽtia vbi ſunt tres perſonæ, neceſſario per locum intrinſecum infertur eſſe tres ſubſiſtentias. Conſequentia vero probatur, quia ab inferiori ad ſuperius valet conſequentia: ſed ſubſiſtentia eſt inferior ad exiſtentiam: valet enim dicere ſubſiſtit, ergo exiſtit, quamuis non è contra: ergo à pluralitate ſubſiſtentiæ, valet ad pluralitatem exiſtentiæ: & ſic valet, ſunt tres perſonæ, ergo ſunt tres ſubſiſtentiæ: ergo tres exiſtentiæ.

4 2. Sentent. Durandus Capreolus Cayetanus Vazquez. D. Thom. Valonis. D. Damaſ. Secundam oppoſitam ſententiam tenuerunt Durandus in 1. diſt. 1. quæſt. 2. Capreolus ibidem quæſt. vnica ad ſolutionem argumentorum Aureoli, & etiam tribuitur Cayetano 1. par. q. 28. ar. 2. Tenet illam Vazquez 1. part. d. 126. cap. 2. quã ait eſſe D. Thomæ 3. p. q. 17. ar. 2. ad 3. & de potentia q. 2. ar. 6. & q. 8. ar. 2. Ex noſtris autẽ illã tenuit Ioãnes Valonis in formalitatibus Scoti pag. 152. Quam ſentẽtiam probat Vazquez primo Auctoritatibus Patrũ. Nã D. Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 11. aſsignans differentiam inter diuinas perſonas per origines ait: *Ac penes perſonalem perfectionem, hoc eſt, exiſtendi modum.* Et ponderat Vazquez, quod non dixit penes perſonales exiſtentias, ſed penes exiſtendi modum: ex quo infert non eſſe plures exiſtentias: ſed vnius exiſtentię eſſe plures modos exiſtẽdi, nempe in hac & illa perſona.

Item

5 Item probatur ex Ricardo de Sancto Victore, qui decimoquinto de nominis ethymologijs inquit: *Inuenimus namque quod plures illæ in diuinitate perſonæ, quamuis habeant vnum, & idem, per omnia indifferens eſſe, quod pertinet ad identitatem ſubſtantiæ: poſſunt tamen ſecundum originalem cauſam mutuam differentiam habere.* Sed exiſtentia idē eſt, quod eſſe: ergo in *Deo* nō eſt pluſquam vna exiſtentia. *Ricard. de S. Victore.*

6 Præterea triplici ratione ſuam ſententiam probat Vazquez, & primo quia ſi humanitas, & quæuis natura creata, dicitur habere vnam tantum exiſtentiam, hoc eſt, vnum actum exiſtendi, ſiue ſit in alio, ſiue per ſe ſubſiſtat: & ex eo ſolum quod per ſe exiſtat, non dicitur habere nouum actum exiſtendi, nec nouam exiſtentiam, etiam perſonalem: ſed nouum modum exiſtendi: cum tamen modus exiſtentiæ per ſe ab exiſtentia ſubſtantialiter differat, ſicut ſubſiſtentia, quando ab ea ſeparari poteſt; multo magis conſequitur vnam perſonam diuinam, ex eo quod exiſtat exiſtentia ſubſtantiali eſſentiæ & præter eam habet proprietatem perſonalem, quæ eſt modus exiſtendi, & ab ea ſolum ratione diſtinctus, non haberet duplicem exiſtentiam, etiam ſecundum noſtrum modum intelligendi, ſed eamdem, quam habet alia perſona, alio tamen modo.

7 Secūda ratio eſt, quia ſi in Deo eſſēt tres exiſtentiæ relatiuæ, hoc eſt, tres actus exiſtendi, eſſent etiam tres diſtinctiones relatiuæ: ergo abſolutè ſine illo additamēto *relatiuæ*, tres relationes concedi deberent. Nam ſicut concedimus tres res abſque vlla limitatione, eo quod res eſt tranſcendens: eodem modo concedi deberent tres exiſtētiæ & durationes abſque vllo additamento. Cum enim exiſtentia, ex ſententia aduerſariorum, nihil aliud ſit quā entitas aliqua actualis: & entitas idem ſit quod res actu: ſequitur tres eſſe durationes, ſi tres etiam res, & entitates cōcedunt.

8 Tertia ratio eſt. quia ex oppoſita ſententia ſequeretur eſſe in *Deo* concedendas tres æternitates, quod eſt contra ſymbolum Athanaſij, *non tres æterni, ſed vnus eternus*: vbi planè ſumitur nomē *æternus* non adiectiuè, ſed ſubſtantiuè pro æternitate. Nam ſi ſunt tres durationes ſine principio, & fine, & ſine ſucceſsione, ſequitur eſſe tres æternitates: hæc enim eſt diffinitio æternitatis.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur.

IN oppoſitum autem eſt litera textualis in hoc 5. art. §. *ſed contra*, vbi 9 aduerſus primam ſententiam hæc ibi ſunt verba: *Neceſsitas eſt conditio exiſtentiæ: cum igitur in diuinis non plurificatur exiſtentia, quare plurificaretur neceſsitas?* Et aduerſus ſecundam ſententiam hæc inquit Doctor infra diſtinct. 11. huius primi quæſt. 2. art. 2. ſolutione ad 2. *Dico, quod tam ſecundum quidditatem, quam ſecundum eſſe manet ibi relatio, quocumque enim modo manet ſecundum quidditatem, manet ſecundum eius eſſe: quod eſt eſſe ad aliud: quia quidditas relationis non poteſt eſſe ſine eſſe ad aliud: quia intelligendo relationem ſine eſſe ad aliud, non intelligitur relatio.* Vbi accipit Doctor eſſe pro exiſtentia. Sed clarius contra vtramque ſententiam prædictam in quodlibetis quæſt. 4. Y. hæc profert. *Reſpondeo eſſe in diuinis poteſt accipi, vel pro eſſe ſimpliciter, vel pro eſſe incommunicabili: ſimpliciter non eſt ibi niſi vnum eſſe, ſicut ſæpe dictum eſt per Auguſtinum, vt eſſentia. Eſſe autem incommunicabile, ſiue hypoſtaticum, eſt ibi aliud, & aliud, ſicut alia, & alia perſona.* Sequūtur Doctorem Lychetus in 1. diſtinct. 8. quæſt. 3. ſub. §. *occurrit* in fine, vbi ad quæſtionem, an in Deo tot ſint exiſtentiæ, quot attributa, inquit, nullum eſſe inconueniens, imò quod eſt ſimpliciter neceſſarium, ponere in Deo plures exiſtentias. Pater Herrera in 1. diſtinct. 8. quæſt. 11. Faber diſp. 26. cap. 1. Suarez 3. par. tom. 1. diſtin. 11. ſect. 2. & omes recentiores Scotiſtæ. Ex veteribus autem non ita expreſſe illam tuentur, quia difficultas moderna eſt, & tunc temporis nondum fuerat in ter- *Lychetus. Herrera. Faber. Suarez.*

terminus ad propriam quæstionem redacta.

10 Breuis huius difficultatis resolutio ex duobus tantummodo pendet. Primum, scilicet, ex intelligendo qualiter in Deo posuerit Scotus existentiã plurificari, & ideo plures existentias relatiuas constituit. Secundum vero ex intelligendo quomodo etiã, hoc stante, adhuc sit verum, quod existentia, qua *Deus* formaliter est necesse esse, plurificari non possit: vt absque aliqua contradictione sit Doctoris litera, & sententia huius articuli pure exposita. Vt igitur primum exacte enucleatum maneat, primo obseruari oportet, existentiam esse actum cuiuslibet entitatis habentis esse in rerum natura. Atque ideo, quidditas, seu essentia, & esse, tanquam concretum, & abstractum se habent: ita quod esse nihil aliud sit quam quidditas existens. Ex quo prouenit, quod quamlibet entitatem sua sequitur existentia: ita quod nulla entitas, aut quidditas sit in rerũ natura, nisi per existentiã habeãt esse: cũ existentia sit illud, quo entitas quælibet actualiter extra nihilũ habet esse. Ex quo secundo prouenit, quod cum existentia ad entitatẽ sequatur, instar modi illius: consequẽter, ita suæ entitatis, seu quidditatis immitetur naturã: vt qualis fuerit entitas, talis existentia sit. Vnde si entitas fuerit absoluta, etiã existentia absoluta erit: si vero relatiua, item relatiua erit existentia. Eodem prorsus modo, quo entitas, cũ alia entitate est eadẽ, seu ab illa distinguitur: sic existentia idẽtificatur cum ea, ab illaque distinguitur.

Quid proprie sit existẽtia & cui conueniat.

11 Ex hoc ad propsitum, intelligendũ est secundum Doctorem, quod relationes diuinæ dupliciter possunt considerari: vel quidem realiter, quatenus identicè idem sunt cum diuina essentia: vel secundo fomaliter, prout ab essẽtia sunt quędã entitates, siue quidditates formaliter distinctæ. In prima igitur consideratione, sicut relationes cum essentia, sunt vna, & eadẽ res: sic cum illa sunt vnum, & idem esse, & vna, & eadem existentia. At vero in secunda consideratione, tot sunt existẽtiæ, quot sũt entitates, aut quidditates in Deo. Quod non tantum (inquit Lychetus) posse concedi, sed necessario concedendum esse, eadem prorsus necessitate, qua concedimus, illas plures entitates esse actu in re ipsa ante operationem intellectus ab essentia distinctas. Eadem namque necessitate, qua conceduntur habere esse peculiaria, & propria aparte rei, debemus concedere habere suas proprias existentias: quia idem prorsus est esse quod existere. Vnde si entitates fuerint absolutæ, vt sunt bonitas, sapientia, & cætera attributa: consequenter huiusmodi attributorũ existentiæ absolutæ erũt. Et quia plura sunt ibi attributa: plures ibi existentias concedere necessũ esse, inquit Lychetus. Si vero entitates sic formaliter ab essẽtia distinctæ fuerint relatiuæ: consequenter existentiæ ipsarum entitatum relatiuæ erunt.

Qualiter intelligatur plures in Deo esse existentias.

12 Ex hoc manifestè colligitur, non rãtum tres existentias relatiuas in diuinis concedẽdas esse: sed tot, quot sunt ibi relationes actu ex natura rei ab essẽtia distinctæ. Atque ideo non minus existit per propriam existentiam, spiratio actiua in Patre, & Filio, quam Paternitas, seu Filiatio. Existẽtia etenim relationis non sumitur ex eo, quod relatio sit subsistens incõmunicabiliter: hoc enim ad subsistentiam pertinet, de quain difficultate sequenti fiet sermo, non vero ad existentiam. Vnde parum refert, quod paternitas, aut filiatio, incommunicabiles sint, ad hoc vt plurificetur existentia relatiua. In quo decepti sunt magnopere quidam Scotistæ, & alij primæ sententiæ Auctores, credentes ibi ideo existẽtiam esse, quia subsistentia existentiã infert: quam obrem ob triplicem tantum subsistentiam relatiuam, triplicẽ tantum existentiam relatiuam in *Deo* esse affirmant. Hoc namque est manifestè falsum. Quia quamuis subsistentia inferat existentiam, eo quod illam supponit in natura, cuius est subsistentia: hoc tamen non prouenit ex eo, quod subsistentia est: & ideo existentia non prædicatur de subsistentia tanquã superius de inferiori: sed quia est modus naturæ substãtialis realis, quæ realis esse nõ potest sine existentia, & adeo sicut subsistẽtia, necessario supponit

Sunt plusquam tres existentiæ relatiuæ in Deo.

ponit & infert naturam realem, cuius sit subsistentia: sic supponit & infert existentiam tanquam modum, quo talis natura habet esse reale.

13. Ad hoc autè sufficit in diuinis subsistentiæ relatiuæ, inferre existentiam absolutam, qua natura diuina est formaliter & essentialiter natura realis. Et sufficit, quod hæc talis existentia sit vna: siquidem natura diuina vna numero sufficit ad triplicem incommunicabilem subsistentiam. Ex quo euidēter concluditur, non ex eo esse concedendas tres existentias relatiuas, quia conceduntur tres personæ realiter subsistentes, vt ferè omnes Auctores primæ sententiæ existimant, in quo magnopere sunt decepti, & optimè eos cōfutat Vazquez: licèt immerito hāc sententiam sic intellectam Scoto tribuat. Quòd autem hæc & nō alia sit eorum intelligentia, ex eo patet, quia non cōcedunt plus quàm tres existentias relatiuas in tribus personis. Quæro igitur ab eis, quare spirationi actiuæ (quæ est vera & realis relatio, & actu existens in re) propriam denegant subsistentiam? non enim numeratur existentia propria huiusmodi relationis ab eis, sicut numerantur existentiæ relationū personalium. Profectò non ob aliud, nisi quia Auctores citati, tantùm constituunt existentias in personis, in quibus sunt subsistentiæ incommunicabiles, quibus tres personæ realiter distinguntur.

14. Hæc igitur intelligentia, est penitus aliena & auersa à legitima mente Scoti. Quare secundum ipsum intelligendum est, ideò præcisè esse concedendas existentias relatiuas, quia relationes diuinæ sunt entitates reales habentes esse in re, ante omnem operationem intellectus. Et quia repugnat entitates aliquas esse in rerum natura, sine proprijs existentijs, quibus actualiter habent esse: ideò diuinarum relationum relatiuas concedimus existentias. Et ex consequenti tot erunt in Deo relatiuæ existentiæ, quot sunt relationes reales, realiter habentes esse in Deo, & formaliter ab ipsa essentia diuina distinctæ. Cùm igitur vltra tres relationes incōmunicabiles sit in Deo etiam actiua spiratio (omitto innascibilitatem, an sit peculiaris relatio, aut notio à paternitate distincta, vsque ad proprium locum) necessario etiam debemus concedere existentiam spirationis actiuæ. Imò secundum Lychetum vbisupra, tot existentiæ in Deo sunt admittendæ, quot attributa inter se & ab essentia formaliter distincta in Deo concedimus.

Quòd autem hæc sit mens expressa Scoti in litera satis compertum est, nā in verbis citatis ex distinct. 11. inquit: *Secundum esse manet ibi relatio. Quocumque enim modo manet secundum quidditatem, manet secundum eius esse, quod est esse ad aliud: quia quidditas relationis non potest esse sine esse ad aliud.* Ac si apertè dicat, quod quamlibet quidditatem consequitur sua existentia: & quidditatem relatiuam, non potest non consequi sua relatiua existentia. Huius autem ratio fundamentalis est, quia esse relationis, secundum suam rationem formalem, non transit in esse absolutum essentiæ, sicut nec quidditas relationis formaliter transit in quidditatem essētiæ. Et ideò esse & existentia relationis formaliter distinguitur ab esse & existentia essentiæ; licèt si realiter consideretur, sicut quidditas relationis trā sit in quidditatem essentiæ, quia est eadem realiter illi: sic esse relationis transit in esse essentiæ, quia est idem realiter ipsi. 15.

Porrò secundo est obseruandum quod licèt existentiæ attributorum & relationum sint plures, non tamē omnes inter se & cum existentia absoluta essentiæ æqualem numerum constituunt; quia non est inter illa, æqualis distinctio. Numerus enim ex pluribus vnitatibus constat, & ideò qualis fuerit vnitatum distinctio, talis erit numerus. Ex quo prouenit, quod cum omnia attributa inter se & ab essentia formaliter ex natura rei distinguantur: sicut etiam inter se & ab essentia paternitas & spiratio actiua, siuè filiatio & eadem spiratio actiua: ac ipsæ tres relationes incommunicabiles, non inter se, sed respectu essentiæ: inter quæ omnia tantummodo interuenit formalis distinctio ex natura rei: & ex consequenti poterit tantummodo inter ea concedi numerus existentiarum, non absolutē 16.

Numerus existentiarum in Deo qualis debeat cōcedi.

absolutè, quia numerus absolutè distinctas realiter vnitates importat: sed cum additamento, dicendo in Deo esse plures existentias formaliter tãtum ex natura rei distinctas, cuius pluralitatis numerus determinatus haberi nõ potest, nisi prius habeatur numerus attributorũ. At verò existẽciæ relationũ communicabilium, quia sunt realiter distinctę, sicut ipsæ relationes, possunt absolutè numerari, & dici tres existentiæ reales, realiterque distinctæ, non tamen sic possunt cum existentia absoluta essentiæ numerum quaternarium constituere: quia cum illa realiter idẽtificantur, & variaretur numerus triũ vnitatum realiter distinctarũ per aliam vnitatem, cum qua identificantur realiter. Quibus quidem primum punctũ satis positum est.

Existentiæ relatiuæ cõstituunt numerum inter se, non tamen, cũ existentia absoluta cõparatæ.

17 *Necessitas quomodo intelligitur esse cõditionẽ existentiæ.*

Tertiò obseruandum est, quòd vt ex litera textuali habetur, necessitas essendi est conditio existentię. Quòd sic debet intelligi, quod, videlicet, illud ens est necessarium, seu contingens, cuius existentia est necessaria vel contingens: atque ideò ex conditione existentiæ sumitur conditio entitatis: ita vt si existentia entitatis fuerit contingens, cõsequenter entitas contingens erit: si verò existentia fuerit necessaria, etiam entitas erit necessaria. Et huius ratio à priori est, quia cum existentia sit, qua entitas habet esse in rerum natura, illa entitas erit necessaria in rerum natura, cuius existentia necessaria est. Omnis autem existentia, quæ aduenit entitati, seu quidditati, aut essentiæ, est illi contingens, & non necessaria: quia supponit essentiam in aliquo esse, in quo existentia nõ dum est. Et ideò omnis existentia creata aduenit creaturæ, quia ipsa creatura, secundum præcisum esse essentiæ, supponitur habere esse obiectiuum in mente diuina: Et quia potest esse, & non esse: ideò aduenit illi, & contingens est. Quia ergo tantum diuina existentia absoluta est de conceptu formali, & quidditatiuo essentiæ, ita quod si diuina essentia concipiatur non existens, essentia diuina non est: ideò solùmmodo existentia diuina absoluta est ex se existentia necessaria: & ideò sola diuina essentia, quæ ex se necessario existit, est ex se formaliter ens necessariũ, & ex se est necesse esse.

Ex hoc aperte intelligitur propositio supradicta Scoti, quod scilicèt *necessitas est conditio existentiæ*, hoc est, quod ideò essẽtia est necesse esse, quia ex se, & sua ratione formali, & quidditatiua, & essentiali, formaliter existit. Quærit autem Doctor in hoc quinto articulo, an proprietas relatiua sit ex se ipsa necesse esse? ad quod respõdet, quod non potest plurificari necessitas essendi, nisi plurificetur existentia. Et quia in Deo non multiplicatur existẽtia, eo quod tantum est ibi vna existentia, non multiplicatur necessitas essendi: atque ideò relationes diuinæ, prout sunt ab essentia condistinctæ, non sunt per se entitates necessariæ, aut necesse esse. Prout vero cum essentia realiter identificantur, sunt necessariæ, eadem necessitate, qua essentia, ratione suæ essentialis existentiæ, est necesse esse. Ex quo non licet inferre, quod si ex se, vt sic, ab essentia formaliter condistinctæ, non sunt necesse esse: ergò erunt contingentes. Quia hanc consequentiam præuenit Doctor in textu dicendo: non ideò, adhuc vt sic distinctas, esse possibiles, aut contingentes, quia ratione identitatis realis cum essentia, sunt necessariæ entitates: & implicat idem esse necessarium & contingens, seu possibile. Sed si strictius formalizetur inquirendo, qualiter se habeant prout sic reduplicatiuè ab essentia distinguntur? Dico, quod tũc erunt non necessariæ mere negatiuè loquendo: non tamen ideò erunt positiuè contingẽtes, aut possibiles. Et si ex nuper notatis arguas, quod quælibet entitas, seu quidditas attributalis, aut relatiua in Deo habet propriam existentiam: sed talis existẽtia non est contingens, quia nullum contingens est in diuinis: ergò quælibet entitas talis est necessaria, & ex se formaliter necesse esse: & sic erũt plures entitates necessariæ, seu plura necesse esse in Deo: atque ideò plurificatur in Deo necessitas, sicut plurificatur existentia.

18 *Necessitas essendi non multiplicatur in Deo, nisi existentia multiplicetur.*

Respondeo, quod & si quælibet entitas formaliter distincta in Deo habeat propriam existentiam: non tamen talis existentia est ex se formaliter neces-

19

se

se esse: quia & si non sit possibilis, nec contingens, non tamen ob id est formaliter necessarium, sed idēticè: quod (vt dixi) sufficit, vt non possibilis, nec contingens dicatur. Omnis ergo necessitas sibi prouenit ab existentia essentiæ, cum qua identificatur, sicut cū essentia. Sicut igitur absque eo quod plurificetur essentia, sunt plures entitates in Deo, quarum quælibet est idēticè & realiter Deus: sic absque plurificatione existentiæ essentialis, & absolutæ, sunt plures existentiæ in Deo, quæ idenricè & realiter sunt vnum necesse esse diuinum, & vnum reale esse Dei, & vna realis existentia.

20 Ex quibus omnibus deducitur veritas literæ textualis, quod scilicèt, & si in diuinis sint plures existētiæ relatiuę, aut attributiles, vnica tamen & imp lurificabilis est existentia, ratione cuius Deus, & quæcumque, quæ quomodolibet sint, sunt in Deo, sunt vnum necesse esse. Et hæc existentia, seu hoc esse, nullatenus plurificari potest, quantumuis & fiat alicuius particulæ additamētum: quia hoc esse, relatiuum non est, aut attributale: & ideò nec relatiuè, nec attributaliter potest plurificari: sicut nec additaméto cuiuscunque particulæ, plurificatur essentia: sed ad huc in tribus realiter distinctis suppositis, remanet vna & eadem indiuisa. Sic igitur diuina existentia, quæ est de essentia essentiæ, in tribus personis, & in omnibus relationibus & entitatibus attributalibus Dei, est vna indiuisibilis & imp lurificabilis prorsus, & vt ū omnino esse, cui per locum intrinsecum, etiam quolibet posito additamento, plurificari repugnat. Quibus manet secundum punctum satis enucleatum.

§. 3.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

21 1. Concluſ. His ergò præhabitis, difficultatem concludendo, dico, primo, in Deo esse tres existentias relatiuas realiter distinctas: conclusio hæc est expressa Doctoris in citato loco 4. q. Quodlibetalis, vbi inquit, quod esse in diuinis potest sumi pro esse incommunicabili, siuè hypostatico: sed in diuinis est triplex esse incommunicabile & hypostaticum realiter distinctum, & hoc est relatiuum, quo triplex persona diuina constituitur: ergò in Deo est triplex existentia relatiua.

In Deo ſūt tres exiſtē tiæ relatiuæ.

Secundo probatur, quia existentia est modus intrinsecus quidditatis, seu entitatis, ita consequens entitatem, vt nequeat entitas esse in re ipsa absque existentia: sed in diuinis sunt tres entitates relatiuæ realiter distinctæ, quibus tres diuinæ personæ constituuntur: ergò in diuinis sunt tres existentiæ relatiuæ, realiter distinctæ. Quia si tres relationes diuinæ constitutiuæ personarum, sunt tres reales entitates, & realiter distinctæ, proculdubio, necessario ad quamlibet earum consequitur sua relatiua existentia, qua actualiter habet esse. 22

Dico secundò: quod licèt in Deo detur alia existentia relatiua spirationis actiuæ, vltra prædictas: hæc tamen non auget numerum cum illis, ita vt sint quatuor existētiæ relatiuæ in Deo. Cōcluſio hæc est necessario statuēda conformiter ad literam Doctoris. Et plusquam supra num. 14. est satis exposita & probata; probatur amplius quoad primam partem argumento desumpto ex ratione & verbis eiusdem. Nam secundum ipsum in distinction. 11. q. 2. artic. 2. ad 2. vt in litera patuit. *Quocumque modo manet relatio secundum quidditatem, manet secundum eius esse*, siuè existentiam, *quod esse, est esse ad aliud, quia quidditas relationis non potest esse sine esse ad aliquid, quia intelligendo relationem sine esse ad aliud, intelligitur relatio.* Sed spiratio actiua est vera relatio in Patre & Filio: ergò eo modo, quo est in illis secundum quidditatem, manet secundum suum esse, siuè secundum suam existentiam: Et ex consequenti in Patre & Filio, in quibus manet, & est secundum suam quidditatem relationis: manet cum sua existentia relatiua talis relationis. 23 2. Concluſ.

Secunda pars eiusdem conclusionis est manifesta, quia vt habetur ex supra notatis num. 16. non augetur numerus 24

merus, nisi per additionem vnitatis eiusdem rationis cum præexistentibus vnitatibus: sed existentia relatiua spirationis actiuæ non habet vnitatem realiter distinctam ab vnitatibus triũ existentiarum relatiuarum personalium, quæ interse realiter distinguntur, vt patet: quia non distinguitur realiter â Paternitate, nec à Filiatione, cũ quibus in Patre & Filio est composibilis: ergò cum illis non ponit in numero. Et sic non possunt in rigore concedi quatuor existentiæ relatiuæ, sed tantum tres: & alia quæ est realiter eadem duabus illarum. Vndè si quatuor existentiæ relatiuæ enumerentur, non erit numerus quaternarius verus in rigore: sed lato modo, quatenus ex quatuor vnitatibus quomodolibet interse distinctis componitur.

25 *Tertia conclusio.* Dico tertiò, quod in diuinis totsunt existentiæ ex natura rei formaliter distinctæ, quot sunt quidditates, seu entitates interse & ab essentia distinctę formaliter ex natura rei. Conclusio hæc est conformis doctrinæ Scoti, & manet exposita supra, numer. 12. & seqq. Habetur expresse à Lycheto in loco citato, qui sequentibus verbis, hanc cõtra se infert consequentiam, & illam soluit: *Verba Lycheti.* *Ergò si attributa distinguntur formaliter: sequitur, quod in Deo erunt plures existentiæ ex natura rei. Respondeo, quod hîc nullum video inconueniens esse. imò hoc est simpliciter necessarium, ponere in Deo plures existentias ex natura rei distinctas. Esset tamẽ inconueniens ponere plures existentias realiter, & essentialiter distinctas.* Probatur hæc conclusio, quia vt aduertit in prædictis verbis Lychetus, vbicunque sunt entitates ex natura rei actu distinctæ: est simpliciter necessariũ concedere existentias, quibus sint actu in rerum natura: quia, vt sæpè dictũ est, existentia est id, quo entitas in re ipsa actualiter habet esse. Sed diuina attributa, actu formaliter ex natura rei distinguntur interse, & ab essentia, prout obiter ostensum est in difficultate præcedente, & amplius exprofessò sub distinct. 8. in quæstio. propria demonstrabitur. Ergò tot sunt in Deo existentiæ, quot sunt attributa, aut entitates quælibet formaliter ex natura rei distinctæ. Quæ ratio confirmatur, quia sapientia (v. g.) est actu realiter in Deo, etiam vt condistincta formaliter ab ipsa essentia: ergò per existentiã propriam in ea realiter habet esse. Consequentia est euidens, quia entitas realiter habet esse ab existentia propria: quamuis enim per hanc existentiam, realiter non distinguatur ab existentia essentiæ: per illam tamen realiter habet esse, hoc est, habet esse in re ipsa, ante operationem intellectus distinctum ab esse essentiæ, licèt realiter identificetur cum ipso esse essentiæ. Sed idem argumentum fieri potest de bonitate & misericordia, & cæteris entitatibus, quæ realiter sunt in Deo, & ex natura rei interse & ab essentia formaliter distinguntur: ergo, &c.

Dico quarto, quòd absolutè loquendo de esse Dei, in Deo est tantum vna existentia, & vnum esse, quo diuinæ personæ, & omnes relationes, ac perfectiones, & cætera, quæ sunt in Deo, existunt, & realiter habent esse. Conclusio hæc est expressa Doctoris, vt patet in litera ex verbis textualibus huius quinti articuli: vbi expressè inquit, quod existentia Dei est implurificabilis. Quæ probatur primo, ex illo Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus*: hoc est (vt omnes Doctores exponunt) Ego & Pater vnum esse habemus. Et similia testimonia scripturæ, quæ Patris & Filij vnam naturam esse testantur, vnũ quoque esse diuinum personarum profitentur. Habetur expressè ex D. Augustino 7. de Trinit. cap. 4. propè finẽ, vbi hæc inquit: *Sic enim, quia hoc illi est Deum esse, quod est esse, tam tres essentias, quam tres Deos dici, fas non est.* Et in hũc modum loquuntur omnes ferè Patres, vt præsertim videre est apud Gregorium Nissenum, lib. de differentia essentiæ & hypostaseos, D. Basiliũ Epist. 80. & plures alios.

26 *Quarta cõclusio.* *Ioan. 10.* *D. August.* *D. Nissen.* *D. Basilius*

Ratione probatur, quia in Deo est absolutè & simpliciter vna tantum essentia: ergò absolute & simpliciter est vnum tantum esse: ergò absolute & simpliciter est vna tantum existentia. Antecedens est de fide: nam prima fidei confessio in symbolis, & Concilijs omnibus, est non triplicem, sed vnam esse in tribus personis essentiam, & naturam, qua omnes tres personæ habẽt simpli-

27

ſimpliciter vnam Deitatem. Conſequentia vero eſt euidens ex ſupra notatis, quia ad vnam ſimpliciter eſſentiam, vna ſimpliciter exiſtentia conſequitur.

28 Quibus adde, quod hæc exiſtentia nõ tantum eſt modus eſſentiæ, ſicut aliæ exiſtentiæ: ſed quod eſt de conceptu quidditatiuo, & eſſentiali ipſius eſſentiæ, ita quod implicat per locum intrinſecum intelligere eſſentiam, & illam non intelligere exiſtentem, ſicut implicat intelligere hominem, & illum non intelligere rationalem. Ex quo ſic conficitur argumẽtum ſpeciale de hac exiſtentia à priori. Implicat concipere eſſentiam diuinam, quin concipiatur exiſtens, eo quod exiſtentia eſt de ratione formali illius: ergo implicat concipere perſonas, aut cætera, quæ ſunt in Deo, habere eſſentiam, quin habeant hanc eſſentiæ exiſtentiam: & eodem modo, quo implicat ipſa in Deo non habere hanc eſſentiam, implicat non habere hanc exiſtentiam: ergo ſicut implicat hanc eſſentiam plurificari in illis, & ſi interſe ſint diſtincta, ſic implicat hanc exiſtentiam plurificari in illis, quantumuis interſe formaliter, aut realiter diſtinguantur. Conſequentia eſt euidens: quia implicat multiplicari rationem formalem alicuius, quin ipſum plurificetur: ſed implicat plurificari eſſentiam, adhuc in pluribus perſonis realiter diſtinctis, ſicut implicat Deum non eſſe vnum: ergo implicat plurificari diuinam exiſtentiam, quæ eſt ratio formalis eſſentiæ.

29 Præterea probatur concluſio, quoniam ſtante diſtinctione reali perſonarum, ſaluatur in illis indiuiſibilis vnitas eſſentiæ, ita quod in eadem eſſentia ſunt Deus: ergo etiam ſaluatur in illis indiuiſibilis vnitas exiſtentiæ, ita quod eadem indiuiſibili exiſtentia, in natura diuina exiſtunt, & habent idem eſſe diuinum. Antecedens eſt de fide: conſequẽtia eſt immediatè illata ex illo: quia ex indiuiſibilitate eſſentiæ, â poſteriori infertur indiuiſibilitas diffinitionis: quod enim eſt de ratione formali vnius, eſt de eius diffinitione. Ergò cum exiſtẽtia ſit de ratione formali eſſentiæ, eſt de diffinitione illius, & conſequenter optimè ex indiuiſibilitate eſſentiæ, infertur indiuiſibilitas exiſtentiæ. Cum igitur in diuinis ſit tantum ſimpliciter vna eſſentia, eſt ibi tantum vnum eſſe ſimpliciter, & vna exiſtentia ſimpliciter, qua ſimpliciter, & abſolutè exiſtunt diuinæ perſonæ, & omnia, quæ ſunt in Deo. Vndè optimè Scotus in citata quæſt. Quodliberali, hanc exiſtentiam vocauit eſſe ſimpliciter, dum ait: *Reſpondeo, eſſe diuinis poteſt accipi pro eſſe ſimpliciter:* & ſubdit: *Simpliciter non eſt ibi niſi vnum eſſe, ſicut ſæpe dictum eſt per Auguſtinum.*

§. 4.

Soluuntur argumenta primæ & ſecundæ opinionum.

30 *Ad argumenta pro 1. ſententia & ad primum.*

AD argumenta pro prima ſententia, & ad primum dico: quod relationes hypoſtaticæ in Deo realiter diſtinguntur. Et vt ex prima cõcluſione habetur, quælibet habet ſuam propriam exiſtentiam, eo quod quælibet habet eſſe in rerum natura. Non tamen ex inde prouenit realis perſonarum diſtinctio: ſed ex eo quod tales tres relationes ſunt incõmunicabiliter ſubſiſtentes. Scat enim ſpirationem actiuã eſſe relationem realem, & habere propriam exiſtentiam, vt habetur ex concluſione ſecunda, & tamen non inferre diſtinctionem realem. Quamuis ergo in Deo tres exiſtentias realiter diſtinctas concedamus, non ex eo quod præciſe exiſtentiæ ſunt, realiter diſtinguntur. Quia ſi tales exiſtentiæ ibi (ſecundum probabilem ſententiam) non eſſent, adhuc perſonæ realiter exiſterent, & realiter eſſent diſtinctæ. Realiter quidem exiſterent exiſtentia abſoluta eſſentiæ, qua ſimpliciter habent eſſe in re ipſa, & ratione cuius habent ſimpliciter eſſe: & diſtinguerentur realiter, eo quod tales relationes ſunt ex ſe ipſis incommunicabiliter ſubſiſtentes. Vt ergo realiter exiſtant perſonæ, & realiter diſtinguantur: non indigent exiſtentijs proprijs. Habent nihilominus proprias exiſtentias relatiuas, eo quod relationes ſunt entitates quædam in actu: & entitas eſt in actu per exiſtentiam.

Ad ſecundum reſpondeo, eſſe ſub lite, an diuinæ perſonæ ſint dicendæ tres res, de quo videndus eſt Vazquez 1. par. diſp.

31 *Ad 2. arg.*

diſp.122.cap.3.propè finem, vbi ex modo loquendi Concilij Remenſis, & D. Anſelmi concedit, poſſe dici tres res cum additamento, nempè *tres res ſubſiſtentes*. Sed hic non videtur ſecurus modus loquendi,&ſi condemnari non poſſit:& ideò huius dubij,pro nunc,ſuſpẽdo iudicium: & dico,quod adhuc eo admiſſo,non plus infertur, quàm exiſtentias illas relatiuas inter ſe realiter eſſe diſtinctas:quod nos in prima concluſione concedimus: non tamen ex inde ſequitur, tales tres exiſtentias relatiuas eſſe alias ab abſoluta, ita quod cum illa ſint quatuor. Quia &ſi interſe ſint tres realiter diſtinctæ,ipſę tamẽ tres realiter identificantur cũ illa,&ſic nõ eſt alia ab illis,alietate reali,quęponat innumero.

32 *Ad tertiũ.* Ad tertium habetur ſolutio ex ſupra notatis, numer.12. vbi habetur, quod ſubſiſtentia non infert exiſtentiam, tanquam inferius, ſuum ſuperius, & ideo non valet: ſunt tres ſubſiſtentiæ: ergo tres exiſtentiæ. Sed ſubſiſtentia ſupponit exiſtentiam,eo quod ſupponit naturam realem, cuius ſit ſubſiſtentia: & natura eſt realis per exiſtentiam. Cum ergo tres ſubſiſtentiæ perſonales vnam tantum ſupponant naturam, quæ in illis ſubſiſtit,conſequenter vnam tantum ſupponunt exiſtentiam, qua talis natura realis eſt. Et ideoſicut plures ſubſiſtentiæ non inferunt plures naturas, ſed vnam:ſic vnam,& non plures exiſtẽtias inferunt.

33 *Ad argumenta pro 2.ſentẽtia.* Ad argumenta pro ſecunda ſententia, & ad primum deſumptum ex autoritatibus Patrum reſpondeo,nihil contra noſtras concluſiones probari. Ex verbis enim D.Damaſceni nonhabetur oppoſitum primæ concluſionis: quia tantum dicitur eſſe triplicem modum exiſtendi in perſonis, hoc eſt, quod diuina eſſentia triplici modo exiſtit in perſonis,licèt vnica abſoluta exiſtentia exiſtat in illis. Non tamen ideò negat relationes ipſas habere ex ſe ipſis proprias exiſtentias relatiuas. Ad auctoritatem Ricardi facile reſpondetur, perſonas diuinas habere vnum & idem eſſe ſimpliciter,& vnam ſimpliciter exiſtentiam,prout in concluſione quarta oſtẽdimus. Hoc tamen vnicum eſſe ſimpliciter, adhuc compoſsibile eſt cum triplici exiſtentia relatiua.

Ad primam rationem ipſius ſententiæ dico,quod noſtram probat concluſionem. Admitto etenim exemplum de humanitate,& ſimiliter dico,quod ſufficit exiſtentia abſoluta eſſentiæ,vt abſque alia exiſtentia in triplici perſona, per triplicem modum ſubſiſtendi exiſtat. Et ideo exiſtentiæ relatiuæ non tribuunt eſſentiæ perſonaliter exiſtere: hoc enim à ſubſiſtentijs incommunicabilibus habet. Sed ibi ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ,eo præciſè, quod tres relationes ſunt entitates in actu, & quælibet entitas, ideo formaliter eſt in actu, quia exiſtit,vt dictum eſt. 34 *Ad primã rationem Vazquij.*

Ad ſecundam rationem eiuſdem Vazquij,negatur ex tribus exiſtentijs relatiuis ſequi tres durationes,etiam cum additamento. Quia duratio tantum eſt cõditio exiſtentiæ inferentis neceſsitatem,vel contingentiam: & illa duratio eſt æterna, cuius exiſtentia eſt neceſſaria, & non poſsibilis: illa vero duratio eſt temporalis,cuius exiſtentia non infert neceſsitatem,aut neceſſe eſſe, iuxta ea,quę dicta ſunt ſupra,num.17. In Deo autem ſola exiſtentia abſoluta eſt, quæ primò, & per ſe infert neceſſe eſſe: & ideo,vt ibi dictum eſt,entitates,quęſunt in Deo, etiam ſi ab eſſentia formaliter diſtinguantur,non tamen ſunt plura neceſſe eſſe. Quia ſola exiſtentia abſoluta, cum qua ſunt idem realiter, eſt neceſſe eſſe,& ipſa omnia,quæ ſunt in Deo realiter,& identicè,ſunt vnum & idem neceſſe eſſe, quod eſt exiſtentia abſoluta, & in ſe, vt formaliter diſtinguuntur ab exiſtentia, non habent aliud neceſſe eſſe,aut eſſe contingens, aut poſsibile:& ideo non habent peculiares durationes, ſed tantum vnam & eandem durationem,qua durat exiſtentia abſoluta in æternum,eo quod eſt per ſe ſimpliciter neceſſe eſſe. 35 *Ad ſecundam ratio nem.*

Ad tertiam rationem ex ſolutione ſecundæ reſpondetur, quod ibi eſt vna æternitas,quia eſt tantum vnica ſimpliciter exiſtentia, quam æternitas reſpicit. Nam ſicut infinitas eſt circa eſſentiam, ſic æternitas reſpicit exiſtentiam, & hæc eſt vna ſimpliciter in Deo,& ideo in ipſa eſt vna tantum æternitas. 36 *Ad tertiã.*

DIFFI-

DIFFICVLTAS LVI.

Vtrùm vltra quod in Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ, sit etiam concedenda vna subsistentia absoluta?

§. 1.

Proponitur prima sententia Durandi, & aliorum, ac secunda Alexandri, & plurium.

1 *Prima sententia, quæ falsò imputatur Scoto.*

AVCTOREM Cuiusdam peregrinæ, & singularis sententiæ, constituit Scotum Gabriel Vazquez: qui legens Doctoris literam in 3. distinct. 1. quæst. 2. lit. A. & B. in eius intelligentia totaliter in re satis clara, alucinatus est, vt infra luce clarius fiet compertum. Asserit igitur hæc sententia, in Deo solummodo vnam subsistentiam, & hanc quidem absolutam esse, qua Deus essentialiter subsistit in tribus personis: relationes vero personales nequaquam subsistentias incommunicabiles importare: sed esse quædam complementa naturæ, vel tres personalitates, vel modos incommunicabilitatis, quibus constituitur, & contrahitur natura ad rationem personæ. Huius, inquam, sententiæ Auctorem, inquit Vazquez, fuisse Scotum, & alios, qui citantur ab illo, videlicet, *Durandus* Durandus in 1. distinct. 26. quæstion. 1. num. 6. & in 3. distinct. 1. quæst. 2. *Palud.* Paludanus in 3. distinct. 1. quæst. 2. infine. *Capreolus.* Capreolus quæstion. 1. artic. 3. ad argumentum Durandi contra quartam conclusionem *Ægyd. Ro.* Ægydius Rom. in 1. dist. 23. quæst. 2. artic. 3. ad 4. *Argentina* Argentina dist. 26. quæst. 1. *Albertus.* Albertus 1. part. Summæ tractatu 10. quæstion. 43. Qui omnes variè de hac difficultate loquuntur: & forsan plures ab interpretatione Vazquij longè distant: sed liberent ipsos alij ab eius calumnia: mea etenim tantum inter est Doctorem nostrum à falsa Vazquij intelligentia liberare: & vt incepto fungar munere, eius præclaram doctrinam, claram reddere. Huius sententiæ fundamentum, ait Vazquez, præcipuum esse illud: quia subsistere est perfectio simpliciter simplex, hoc est, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa: melius enim est naturam diuinam subsistere, quàm non subsistere: sed nulla relatio est perfectio simpliciter simplex: alioquin, aliqua perfectio simpliciter simplex esset in vna persona, quæ non est in alia: ergo subsistentia est absoluta, & nullo modo potest dari aliqua subsistentia relatiua.

Huic ex diametro oppositam non nulli veteres tenuerunt sententiam, vt potè Alexander Alensis 3. p. q. 1. memb. 3. & q. 7. memb. 1. art. 3. Marsilius in 3. q. 2. art. 3. dubitatione 2. circa finem. Genebrardus lib. 2. de Trinit. pagin. 85. inter quos citat Vazquez D. Bonauenturam in 3. dist. 1. ar. 1. q. 3. vbi Seraphicus Doctor nullatenus huius sententiæ meminit, & Ricardum, quia etiam oppositum eius expressè asserit, vt infra patebit. Ex recentioribus autem tenet ipse Vazquez 1. p. disp. 125. c. 3. & Valentia 1. p. disp. 2. q. 13. puncto 3. Asserit hæc sententia in Deo vltra tres subsistentias relatiuas, nullam reperiri absolutam, quæ diuinæ essentiæ conueniat, & sit communis tribus suppositis, cui ratio, aut nomen subsistentiæ conuenire possit.

2 *Secunda sententia. Alex. Ale. Marsilius. Henricus Genebrar. Vazquez. Valentia.*

Hanc sententiam tripliciter eius Autores confirmant: & quidem primo probando, non conuenire diuinæ essentiæ aliquid habens rationem subsistentiæ: quod ex eo probant, nam licèt concedere debeamus in Deo communem existentiam, quæ ita cum essentia Dei indiuidua est, vt sine illa essentia diuina sub esse possibili (sicut aliæ essentiæ) considerari nequeat: tamen per eam existentiam solùm, non completur essentia diuina nostro modo intelligèdi, vt per se esse possit, sine aliquo alio. Et ideo dicunt addere *nostro modo intelligendi*, nam secundum ipsos, diuina essentia non distinguitur ex natura rei à relatione, qua vltimo terminatur, & contrahitur ad rationem suppositi: & ideo non indiget aliquo alio à se distincto vllo modo ex natura rei, vt compleatur & per se subsistat. Sola ergo illa existentia sinè relatione considerata non facit

3

adhuc naturam diuinam esse perse, nostro modo intelligendi: sed adhuc relinquit illã aptã, vt alio modo terminetur, & habeat esse per se, nimirum relationem. Nec quidquàm refert (inquiunt) quod relatio non distinguatur ab existentia illa communi, vt nihilominus ipsa existentia dicatur per se: quia licet reuera ipsamet sit, quæ facit naturam diuinam per se esse, siquidem idem est cum relatione: tamen nostro modo intelligendi, non dum concipitur vt per se existentia, quousque relatione compleatur.

4 Secundò, probant suam sententiam, quoniam si illa existentia communis sine relatione considerata, formaliter faceret diuinam naturam per se subsistere: neutiquam posset considerari natura diuina, quin conciperetur in concreto: quare vt conciperetur abstracte, deberet cogitari sine illa existentia. Sed naturam diuinam, quantumuis illam abstrahamus, semper illam cum existentia intelligimus: ergo talis existentia, non facit esse per se, nec constituit concretum Deitatis, ratione cuius debeat poni illa communis subsistentia.

5 Tertiò, id ipsum probare intendunt quoad modum loquendi: nam Cõcilia, & Patres verè ostendunt, nullam subsistentiam absolutam dari in Deo, sed tãtum tres subsistentias relatiuas. Nam quod in Concilijs Grecè dicitur *Hypostasis*, latinè dicitur subsistentia: quia vt ex Græcis Ioannes Maxensius in sua cõfessione fidei, quæ habetur, quinto tomo Bibliotec. Sacræ, ingenuè fatetur idem omnino esse *Hypostasim*, quod *subsistentiam*, quod latissimè Vazquez ex pluribus Concilijs, & Patribus in capit. 4. ostendit, & probat. Sed *Hypostasis* nomen Græcum, non potest diuinæ essentiæ, prout à personis distinctæ, applicari, siquidem hypostasis incommunicabilitatem importat: essentia autem non est ex se incommunicabilis, quia alias, non esset vna & eadem in tribus personis. Esse autem hypostasim incommunicabilem subsistentiam, ex eo patet, quia est nomen personale, ex quo vnio hypostatica, dicitur vnio facta ad personam. Et ideo in diuinis non plusquam tres hypostases conceditur esse: quia non plusquam tres subsistentiæ, incommunicabiles videlicet, concedũtur esse in Deo: ergo &c.

Quartò, quoniam subsistentia est vltimus terminus naturæ constitutiuus personæ: ergo vbicumque fuerit subsistentia, necessario erit persona: ergò vbi fuerit vna subsistentia, erit vna persona: ergo si diuina essentia, quatenus præconcipitur antecedenter ad personas relatiuas, est subsistens ex se, consequenter ex se erit persona absoluta per talem subsistentiam absolutam: ergo in diuinis erunt quatuor personæ, quod est hæresis manifesta: vel admitendum est vnã personam absolutam communicabilem esse pluribus relatiuis, quod est ridiculum in Philosophia: & tunc quoddam ingens absurdum inferretur, quod, scilicet, in qualibet trium personarum, non vna, sed duplex esset persona. Pater etenim, & esset persona Patris, & esset persona essentiæ, seu Dei, eadem ratione, qua formaliter est Deus, quod similiter de alijs duabus personis dicẽdum esset. 6

Quintò potest hæc iterum sententia confirmari, quia si daretur subsistentia absoluta in diuina essentia: inde sequitur, quod etiam præcisis relationibus, adhuc maneret essentia diuina tanquam substantia individua, & singularis subsistens in natura intellectuali: sed hæc est diffinitio personæ tradita à Boecio: ergo si diuina essentia esset ex se absolutè subsistens, consequenter ex se esset persona, etiam prout à relationibus distincta, & vt suprà inferebamus daretur quaternitas personarum in Deo: quod satis à Concilijs & Patribus est dãnatum. 7

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

IN oppositum autem est Doctor subtilis in pluribus locis suæ doctrinæ, in quibus expressis verbis, & quidem concedit tres subsistentias relatiuas in Deo, & vltra illas vnam subsistẽtiam absolutam diuinæ essentiæ cõcedẽdam esse affirmat. Et primum habet expresse in hoc primo infra dist. 5. q. 2. vbi hæc profert: *Et ita relatio illa pullulans, cũ sit per se subsistens, ipsa pullulat, nõ vt forma essen-* 8

eſſentiæ: ſed vt nata eſſe Deus ipſa Deitate formaliter. Et in Quodlibetis, quæſt.4. ſub litera M. vtrumque expreſsè ponit his verbis: *Vno modo accipitur ſubſiſtere pro eſſe per ſe, prout excludit inhærere, & in alio eſſe vt pars in toto. Et hoc modo vnũ eſt ſubſiſtere, ſicut vnum eſt per ſe eſſe: & ſic loquuntur Authoritates Auguſtini. Alio modo ſubſiſtere eſt incommunicabiliter per ſe eſſe, & hoc modo ſunt tres ſubſiſtentes, ſicut ſunt tres perſonæ, quia tres ſubſiſtentes incommunicabiliter.* Habetur hoc idem expreſsè in nuper citato loco huius primi, his verbis: *Ita in diuinis incipiendo à primo ſigno naturæ, omninò primo occurrit eſſentia diuina: vt eſt eſſe per ſe, & de ſe, quòd non competit alicui naturæ creatæ, quia nulla natura creata habet eſſe priùs naturaliter, quàm in ſuppoſito.* In hoc quippè loco oſtendit Doctor ſubſiſtentiam abſolutam eſſentiæ, quam in Quodlibetis dixerat, dici eſſe per ſe, prout excludit inhærere, & in alio eſſe vt pars in toto. Et infra ſubdit verba ſupra relata, videlicet, quod relatio pullulans, eſt ſubſiſtens. Rurſus ſubſiſtentiam abſolutam eſſentiæ exprimit in hoc 1.diſt.in.4.q.2. Sed clarius in 3. diſtinct.1.quæſtion.2. litera A. ſic inquit: *Quia autem poteſt intelligi primus terminus iſtius vnionis eſſe perſona, aut eſſentia ſubſiſtens communis tribus.* Et litera B. *Si vero intelligatur ſecundo modo, quod primus terminus vnionis ſit ipſa natura in tribus per ſe ſubſiſtens, &c.* Et paucis interiectis verbis ſic concludit: *Eſt enim natura de ſe hæc & per ſe ſubſiſtens, licèt non incommunicabiliter. Videtur autem, quod incommunicabilitas non ſit neceſſario ratio propria terminandi iſtam dependentiam, ſed ſubſiſtẽtia ſingularis.* Quid clarius potuit Scotus oſtendere, & exprimere mentem ſuam, qua non ſolum ſubſiſtentiam abſolutam, ſed tres etiam ſubſiſtentias relatiuas in Deo eſſe affirmat?

9 Non miror Vazquium (qui in Schola Scoti tanquam alienigena, eius literam velociter tranſit) falſo imponere Doctori ſubtili ipſum conceſsiſſe ſubſiſtentiam abſolutam, & tres relatiuas negaſſe: quia vel forſan non inuenit literas textuales, quas nuper citauimus: vel ſi vidit, non perſpicaciter in meſſem alienam, manum mittere conatus eſt. Sed miror Philippum Fabrum doctiſsimum Scoti aſſeclam, ita timidè in hac difficultate fuiſſe loquutum, vt in 1.diſput.26.cap.3.nu.25. poſt quam hãc ſententiam retulit, & eius autorem, immerito Cayetanum conſtituit, dixerit: *Et ego puto hanc eſſe opinionem quoque Scoti*, ac ſi non legiſſet prædicta Verba Scoti, quibus expreſsè habetur hæc ſententia, & eam (quaſi timens falſam Vazquij impoſitionem) ſub dubio ſuæ opinionis reliquerit. Hoc igitur falſo imponit Vazquez Scoto iterũ 3.p.diſ.26.c.2.infine.

Sequuntur igitur hanc Scoti ſententiam Baſolis in 3.diſt.1.q.3.art.3.§.*contra iſtas*, Maironis in 3. diſt.5.quæſt.4.§. *quantum ad primum*. Tatheretus in 1.diſ. 11.q.7.§. *Tenendo igitur*. Lychetus in 3. diſt.1.quæſt.2.§. *ad quæſtionem*. Pater Rada 1.p. controuerſ. 24.notabili 4. Pater Herrera in 1.diſp.8.quæſt.12.concluſi. 2. Pater Fr. Ioannes de Ouando, in 3.pagin. 55. Faber vbi ſupra & capit.2. & omnes Scotiſtæ, veteres, & recentiores (dempto nemine.) Item ex Thomiſtis Caietanus 1. part. quæſtion.29.artic.4. & quæſt.2. art.2. & quæſt.39.articul.4. & 3.part. quæſtion.2.articul.2.& quæſt. 3.art.2.& 3.quam ait eſſe ſententiam D. Thomæ. Capreolus in 3.diſtin.1.quæſt. 1.artic.3. Zumel 1. part.quæſtion.3.artic.1.ſua quæſtione vnica, concluſione 1. Bartholomeus de Miranda in ſumma Cõciliorum in annotationibus ad ſextam Synodum, & reliqui omnes Thomiſtæ recentiores. Item Ricardus in 3. diſtinction.1.artic.1. quæſt.4. Durandus in 1.diſtinct.26.quæſt.1. & ex Nominalibus OKam in 3. quæſtion.1.art. 3. Gabriel in 3.diſt.1.quæſt.1.art.3.dub. 4. Almain.diſt.1.q.2.art.3.dub.vltimo. Marſil. loco ſupra citato, item ſapientiſſimus Ægydius Luſitanus 1.tom.de Beatitud.lib.5.q.4.ar.4.n.2. Ex Ieſuitis autem Mol. 1.p.q.29.ar.2.diſp.3. & Suar. 3.p.diſp.11. ſect.5. & hodiè cõmuniter inter omnes habetur. Vndè ex illa ſequẽtiũ multitudine, clarè apparet, quàm impunè hanc ſentẽtiam Valentia vocauerit ſingulare vbi ſupra §. *ſed cõtrouerſia*.

Ante quam ad difficultatis reſolutionem, aliqua prænoremus, oportet Vazquij calumniæ, pro Scoto ſatisfacere: vt ſemel habito ſecundum eius mentem, vltra ſubſiſtentiam abſolutam, alias tres dari in Deo ſubſiſtentias re-

10 *Doctores pro Scoti ſententia.*
Baſolis.
Maironis
Tatheretus
Lychetus
Rada.
Herrera.
Ioann. de Ouando.
Phil. Faber.
D.Thom.
Caietanus
Capreol.
Zumel.
Bartol. de Mirãda.
Ricardus
Durand.
OKam.
Gabriel.
Almain.
Marſilius
Ægydi.
Luſit.
Molina.
Suarez.

latiuas: ad ipſius ſententiæ intelligentiam, facilius accedamus. In illa igitur quæſtion.2.diſtinctionis 1.lib.3.vbi Vazquez illum allegat, expreſſe habentur Verba, quæ à nobis ſupra numer.8. pro Scoti litera referuntur, ſed ibi non expreſsè ponit Doctor pluſquam vnam abſolutam ſubſiſtentiam: quia tres relatiuas ex alibi dictis dari ſupponit, vt potè ex dictis in primo, & in quodlibetis, vt ſupra dicto num.8. patuit. Quòd autem ibi in tertio ſupponat dictas tres ſubſiſtentias relatiuas dari vltra abſolutam, neceſſum eſt, vt conſequenter ad ea, quæ ibi reſoluit, loquatur. Ibi tamen probat dari abſolutam ſubſiſtentiam: vt ex hoc oſtendat eſſentiam poſſe eſſe immediatum terminum incarnationis: quod de perſonis diuinis, iam de facto eſſe ſupponit. Nam ibi quærit, an potuerint tres diuinæ perſonæ aſſumere vnam numero naturam? Et reſpondet Doctor ſupponendo rationem formalem terminandi dependentiam naturæ per vnionem, non eſſe aliud, niſi ſubſiſtentiam diuinam independentem ab alio, tanquam à ſubſtante. Quod expreſsis verbis affirmat in eodem tertio, & eadem diſtinction. 1. quæſtion. 5. ſub §. *in iſta quæſtione*, litera A. his verbis: *Vndè propter iſtas rationes non poſui in prima quæſtione, Verbum poſſe terminare illam dependentiam: ſed propter ſubſiſtentiam independentem.* Quo ſuppoſito, ſupponit ibi tam eſſentiam ſubſiſtere, ſubſiſtentia independenti, quàm Verbum, & alias perſonas: ſiquidem inquit, quod Verbum non vt Verbum, ſed vt independenter ſubſiſtens, per ſubſiſtentiam independentem terminat. Atque ita, vt indubitabile, ſupponit dari tres ſubſiſtentias relatiuas, & docet dari vnam abſolutam: & omnes has ſubſiſtentias eſſe independentes: & conſequenter, poſſe terminare immediatè dependentiam naturæ.

12 Quibus ſuppoſitis, deinceps in allegato loco à Vazquio reſoluit propoſitam quæſtionem: dicendo, quod loquèndo de ſubſiſtentijs relatiuis, non poteſt vna numero natura immediatè ſimul aſſumi à tribus perſonis: quia, vt ibi probat, quælibet totaliter terminaret: & tunc eſſet contradictio, quod alia terminaret: ſiquidem nihil terminandum, aut terminabile reſtaret in illa natura iam terminata per vnius perſonæ ſubſiſtentiam: & ex conſequenti, non poſſet ab alterius perſonæ ſubſiſtentia terminari. Loquendo vero de ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ: determinat, quod benè poſſet quidem vna numero natura, quaſi mediatè, aſſumi atribus perſonis: quia ſi immediatè aſſumeretur ab eſſentia, & immediate terminaretur ad eius abſolutam ſubſiſtentiam: cum talis ſubſiſtentia communicabilis ſit tribus diuinis perſonis: ſequitur, quod ſemel immediatè aſſumpta ab eſſentia, & ab eius ſubſiſtentia terminata: conſequenter mediatè ſit aſſumpta & terminata à perſonis, ſiquidem talis eſſentia ſic ſubſiſtens, ſubſiſtit in tribus. Et ita ſupponit neceſſarium eſſe naturam terminari ad ſubſiſtentiam: vt prius probet dari abſolutam eſſentiæ ſubſiſtentiam: quàm determinet poſſe naturam immediatè ad eſſentiam terminari. Et ideò vt hanc cõcluſionem determinet: prius determinat dari abſolutam ſubſiſtentiã eſſentiæ. Si enim ſubſiſtentia independens, non eſſet neceſſario requiſita ad immediatam terminationem naturæ: non hoc ideo probaret, videlicet, dari talem ſubſiſtentiam abſolutam, vt ex inde oſtenderet naturam creatam immediatè poſſe terminari ad illam. Ex quo conſequenter habetur, quod cum ibidem determinet Chriſti humanitatem, non ad eſſentiam immediatè, ſed ad Verbi perſonam terminari: neceſſario in Verbo propriam ſubſiſtentiam relatiuam concedit, quæ poſsit talis humanitatis dependentiam terminare. Ex quo manifeſtè habetur contra Vazquiũ, non negaſſe Doctorem ſubſiſtentias relatiuas, eo quod abſolutam admiſerit.

Nunc iãpro intelligẽtia difficultatis, 13
primo obſeruandum eſt: quod quamuis Doctor dicat in quodlibetis loco ſuper citato ex illa quæſt.4. quod ſubſiſtere eſt æquiuocum ad ſubſiſtere communicabile, & incommunicabile: non proinde intelligendum eſt nõ habere rationem conuenientiæ interſe. Nã vt notauimus ſupra in diſſi.53.ânu.17.vſq; ad 19. manifeſtum eſt, vtramq; ſubſiſtentiam, cõmunicabilẽ, ſc: licèt, & incõmunicabilẽ, in hac vna ratione communi conuenire,

re, quod scilicèt, vtrumque subsistere est per se esse, & per se existere independenter ab aliquo sustentante, quatenus sic per se esse, excludit inhærenter esse, aut esse tanquam pars in toto composito, aut tanquam sustentatum in sustentante. Et per hoc â ratione subsistendi excluditur natura singularis Christi Domini, & quælibet similis: quia per se non potest esse, sed necessario in alieno, seu proprio supposito, á quo sustineatur, debet existere: nec etiam anima rationalis adhuc separata subsistit, quia vt sic, est apta nata ad existendum in alio, tanquam pars in toto composito. Sic igitur inquit Scotus, quod subsistere non est aliud, quàm per se existere, Et hocidem innuit D. Thomas prima parte, quæstion. 29. articul. 2. his verbis: *Res dicitur subsistere, ex eo quòd per se existit*. Et in hoc sensu dixit ipse Diuus Thomas, quæstione nona, de potentia, articulo quinto ad 13. *Diuinam essentiam esse secundum se subsistentem.*

D. Thom.

14 *Subsistere incommuni in quo sẽsu dicitur vniuocum & in quo, æquiuocũ, secũdũ Scotum.*

Hæc igitur ratio subsistendi æqualiter saluatur in vtraque subsistentia: quia vtraque æqualiter importat hanc independentem perseitatem, siuè per se existentiam, modo nuper exposito. Differunt tamen subsistentia absoluta, & personalis per communicabilitatem, & incommunicabilitatem. Quod igitur Doctor inquit, subsistere ad vtrumque esse æquiuocum, non loquitur de æquiuocatione significati per huiusmodi nomen subsistere: sed de æquiuocatione, qua communiter laborant in æquiuoco, qui putant, nos concedere diuinæ essentiæ, prout à personis distinctæ, subsistentiam eiusdem rationis cum subsistentia hypostatica, & personali, quæ formaliter incommunicabilis est. Et sub hac æquiuocatione intelligendo subsistere, satis confusè de subsistentia communicabili, & incommunicabili, arguunt: ac si vtraque sit hypostasis, aut forma personalis seu hypostatica. Quam ob rem Doctor ibi, vt æquiuocationem intelligentiæ solueret, distinxit, aliud esse subsistere communicabile, quod est esse per se independenter, & communicabiliter per se existere, Et hoc subsistere, inquit, essentiæ conuenire: aliud vero incommunicabile, quod relationibus conuenit, & hoc est personale: saluo tamen semper, quod hæc duo subsistere in hoc conueniunt, quod est esse per se, seu per se existere vt dictum est.

51 *Subsistẽtia absoluta in Deo quid vltra existentiam dicit, declaratur.*

Secundò obseruandum est. quod & si ista absoluta subsistentia non sit aliquis modus, aut formalitas distincta ab existentia absoluta, quæ est de essentia & quidditate ipsius essentiæ diuinæ: nihilominus habet eadem existentia absoluta, vltra quod existentia est, hanc perfectionem, quod ita est esse, quod est per se esse independenter, & cum exclusione essendi in alio per aliquam vnionem. Differentia autem vtriusque considerationis facillime ex rebus creatis, enucleari potest. Nam natura humana Christi Domini ex se ipsa existens est: Quia licet existat à se, hoc est, à sua propria existentia, à qua à se est realis: non tamen existit per se, sed in Verbo, à quo depẽdet tanquam à terminante eius dependentiam: et ideò existit à se, & subsistit à Verbo. Quando vero natura humana est in supposito proprio, tunc adhuc distinguitur existentia â subsistentia: quia existentia est illa, qua natura formaliter est realis, & formaliter habet esse extra nihilum in rerum natura: subsistentia vero est illa, qua formaliter habet esse per se independenter ab alio. Et quia est necessaria conditio subsistentiæ limitatæ, incommunicabilem esse: ideò eo ipso quod natura creata per se independẽter existit, formaliter subsistit: & eo quod subsistit, suppositum est: quia subsistens creatum non potest non incommunicabile esse, & ex consequenti esse suppositum.

16 Ex hoc planè colligitur differentia inter existentiam & subsistentiam: ex quo perspicuè patet diuinam existentiam subsistentiam esse: non eo præcissè, quo existentia est: nam existentia est tantum in Deo id, quo essentia formaliter habet esse reale, & hîc sistit omne munus existentiæ: quia secundum præcisum conceptum existentiæ nihil aliud de sua formalitate importat. Quia tamẽ hoc esse reale essentiæ non est esse vtcũque, sed per se indepẽdẽter, quia essẽtia

perfectiſsimè exiſtit, cum excluſione cuiuſlibet inhærentiæ, aut modi eſſendi in alio, tanquam pars in toto, vt inquit Scotus: ideò hæc exiſtentia, eſt etiam ſubſiſtentia. Et quia hæc ſubſiſtētia eſt, qua eſſentia in tribus perſonis communicabiliter ſubſiſtit: ideò perſonalitas non eſt, nec eſſentia eſt per illam perſonam: quia de ratione perſonæ ſeu ſuppoſiti (prout in citata difficultate 53. vidimus) eſt incommunicabilis ſubſiſtentia, & in ipſa incommunicabili ſubſiſtētia, ratio perſonæ conſiſtit. Habetur igitur, quod hæc non eſt quæſtio de nomine, vt quidam putarunt, ſed de re ipſa. Hîc etenim non quærimus vtrum exiſtentia Dei vocari debeat ſubſiſtentia, vt Suarez intelligit in dicto ſecundo, non enim pertinet hæc quæſtio ad ſolum modum loquendi: ſed in re inueſtigamus, quid ſit formaliter ſubſiſtentia, & hanc, vt ab exiſtentia diſtinctam concipimus: quam quidem diuinæ eſſentiæ, etiam prout à perſonis diſtinctæ, competere affirmamus. Aliud eſt enim in re ipſa eſſentiam habere eſſe reale: & aliud eſt, hoc eſſe reale, ita eſſe perſe, vt nullatenus pendeat ab eſſe in alio. Primum namque habet Chriſti humanitas ex ſe, non tamen ſecundum. Ex quo habetur perperam dixiſſe Valentia ſuperuacaneam eſſe iſtam difficultatem: cum re vera ſubſiſtentia abſoluta, & ſi incommunicabilis non ſit, ſicuti ſubſiſtentia perſonalis, eſt nihilominus, diſtincto modo conceptibilis, quàm exiſtentia, & aliquem nouum conceptum exiſtentiæ ſuperaddit.

17 Sed ſi ex hoc inferas, ſubſiſtentiam formaliter ex natura rei diſtingui ab exiſtentia, ſiquidem aliquid videtur de formali importare ſubſiſtentiam ab exiſtentia diſtinctum: dico, quod nulla ibi eſt diſtinctio, niſi ex mera noſtra conſideratione, quatenus vnum ab alio diſtinctum concipimus, ac ſi diſtincta eſſent: eo quod vnum, & idem eſſe, & habere eſſe id, quo eſſentia realiter, & actualiter eſt: & id, quo eſſentia habet per ſe independenter ab alio eſſe. Et quia in eadem inuariata formalitate, hæc duo reperiuntur: poteſt intellectus vnum, ac ſi ab alio eſſet diſtinctum, concipere. Sicut etiam dicimus, quod vna, & eadem Paternitas eſt generatio, & eſt relatio: ex quo intellectus conceptibus inadæquatis à creaturis deſumptis, concipit generationem, ac ſi eſſet actio à relatione diſtincta. Cuius inſtar modi ſubſiſtentiam ab exiſtentia diſtinctam concipit, ac ſi à parte rei ab ea eſſet diſtincta, ſicut in creatis contingit.

Demum eſt tertio obſeruandum neceſsitatem conſtituendi ſubſiſtentiam abſolutam in Deo, ex eo prouenire, quia ſubſiſtentia eſt vltima perfectio naturæ: & non dum perfecta completè eſt natura, quoad vſque ſubſiſtat: quia donec natura habeat eſſe per ſe independenter, non eſt completè perfecta. Si quidem eſt perfectibilis per hanc perfectionem ſubſiſtendi, & ideò pro illo priori, pro quo præconcipitur antecedenter ad ſubſiſtentiam, eſt per eam perfectibilis, & ex conſequenti dicit huiuſmodi perfectionis carentiam, vt patet in natura creata. Humanitas etenim Chriſti Domini, & ſi à ſe habeat, quod ſit realiter exiſtens: dependet nihilominus à Verbo in hoc quod eſt ſubſiſtere. Et hanc naturæ dependentiam (quæ neceſſario imperfectionem includit (terminat Verbū immediatè per ſuam perſonalem ſubſiſtentiam. Et ſi dimitteretur talis natura à Verbo, perſonaretur naturali & propria ſubſiſtentia, quæ ipſam naturam vltimatè perficeret, & ſine qua, perfecta vltimatè non eſt. Ex quo euidenter concluditur neceſsitas ponendi ſubſiſtentiam abſolutam in Deo. Nam diuina eſſentia & natura, cum ex ſe ipſa ſit fontalis plenitudo, & pelagus omnis perfectionis diuinæ: adhuc antecedenter ad relationes eſt perfectiſsima: & ideò non poteſt ſecundum ſuam præciſam rationem eſſentiæ eſſe perfectibilis per aliquid ſibi aduenientis: ſed ipſa ex ſe ante relationes, eſt in vltima actualitate completiſsimè perfecta. Si vero ex ſe non ſubſiſteret, neceſſario eſſet perfectibilis per ſubſiſtentiam ſibi aduenientem. Quia pro illo priori, pro quo præconcipitur antecedenter ad ſubſiſtentias relatiuas, à quibus actu formaliter eſt diſtincta, non ſubſiſteret. Et ex conſequen-

18 *Subſiſtētia abſolutaeſt vltima perfectio nēturæ diuinæ.*

ſequenti, pro illo priori eſſet per ſe perfectibilis per ſubſiſtentiam ſibi aduenientem: ergò proillo priori careret perfectione ſubſiſtendi, & diceret quaſi potentialitatem ad aliquod perfectiuum ſui. Hoc tamen dicendum non eſt: quia diuina eſſentia ex præciſa ratione, qua eſt eſſentia Dei, eſt actus puriſsimus nullam includens potentialitatem: ergo nec perfectibilitatem: ergo ex ſe eſt perfectiſsima: ergo neceſſario ex ſe ipſa ſubſiſtit: quia nulla res perfectiſsima dabilis eſt ſine ſubſiſtentia.

§. 3.

Statuuntur concluſiones huius difficultatis.

19 1.*Concluſ.* HIs præhabitis, difficultatem concludendo dico primo, in diuinis eſſe tres ſubſiſtentias incommunicabiles relatiuas, quibus tres diuinæ perſonæ, perſonaliter ſubſiſtunt. Concluſio eſt expreſſa Scoti, vt patuit in expreſſa eius litera contra primam ſententiam. Probatur ex pluribus Conciliorum diffinitionibus: nam in ſexta Synodo Conſtantinopolitana actione vndecima, vbi approbata fuit Epiſtola Sophronij, hæc habentur: *Igitur ſancta Trinitas numerabilis perſonatibus facta eſt ſubſiſtentijs.* Item in Concilio Conſtantinopolitano primo, capite primo diffinitur: *Diuinam Deitatem eſſe in tribus ſubſiſtentijs.* Item in ſecunda Sinodo Generali Canone primo, dicitur: *Vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs eſſe confitendam.* Idem habetur ibidem Canone quinto, & in Concilio Conſtantinopolitano actione 13. dicitur: *Trinitatem glorificamus pro tribus ſubſiſtentijs.*

In diuinis ſũt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ.

6. Sinodus. Concil. Cõſtantinop.

20 Probatur ratione, quia in diuinis ſunt tres perſonæ ſubſiſtentes relatiuæ: ergo ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Conſequentia probatur: quia perſona nihil aliud eſt, quàm incommunicabiliter ſubſiſtens in natura intellectuali: ergo ſi ſunt tres perſonæ ſubſiſtentes, quælibet illarum exiſtit propria ſubſiſtentia incommunicabili. Conſequentia euidenter infertur: quia ſubſiſtentia incommunicabilis, ideò incommunicabilis eſt, quia non poteſt pluſquam vni perſonæ eſſe ratio ſubſiſtendi: alias enim incommunicabilis non eſſet: ergò quælibet perſona ſua propria incommunicabili ſubſiſtentia in ratione perſonæ ſubſiſtit: ergo tres perſonæ relatiuæ, tribus relatiuis ſubſiſtentijs, ſubſiſtunt. Probatur inſuper, quia perſonæ diſtinguntur, & conſtituuntur relationibus: ſed vt diſtinguntur, & conſtituuntur, ſubſiſtunt, eo quod non eſt conſtitutio, aut diſtinctio perſonarum, niſi per ſubſiſtentiam: ergo relationes, quibus conſtituuntur, & diſtinguntur perſonæ, ſunt tres incommunicabiles ſubſiſtentiæ.

21 2.*Concluſ.* Dico ſecundo, vltra prædictas ſubſiſtentias relatiuas, dari in Deo abſolutam ſubſiſtentiam, qua diuina eſſentia ex ſe ipſa, prout ad perſonas, diſtincta ex natura rei præconcipitur, perfectiſſime communicabiliter ſubſiſtit: non tamen hæc abſoluta ſubſiſtentia cum tribus relatiuis auget numerum, ita vt ſint quatuor ſubſiſtentiæ in Deo. Concluſio hæc quoad primam partem, in qua eſt difficultas, eſt expreſſa Scoti & omnium, quos pro eius ſententia allegauimus, contra Auctores ſecundæ, & probatur primo, auctoritate plurium ſanctorum Patrum. Item ex Epiſtola Agat. quæ habetur in ſexta Synodo, actione quarta, vbi dicitur: *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum: non tres Deos, ſed vnum Deum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum, ſeu perſonarum vnam ſubſiſtentiam.* Sic habetur in antiquo volumine Conciliorum. Et præterea: nam D. Dioniſius de diuinis nominibus capite primo, circa finem, inquit: *Bonitatis ſubſiſtentiam ipſo eſſe ſuo eſſe omnium ſubſiſtentium cauſam*: bonitas autem ad relationes præconcipitur, ſicut eſſentia. Diuus Hilarius ſeptimo de Trinitate circiter vltima verba, loquens de Patre & Filio, hæc profert: *Naturæ virtute vterque in ſe eſt, & neuter eſt ſine altero* (& infra) *non eſt corporalium naturarum iſta conditio, vt ſibi inuicem, & ſubſiſtentiæ naturæ habeant per*

D. Dioniſ.

D. Hilari.

fectam vnitatem. Et paruis interiectis verbis hæc subdit: *Ineße autem, non aliud in alio, vt corpus in corpore, sed ita eße ac subsistere, vt in subsistente insit, ita vero ineße, vt & ipsa subsistat*. Diuus Gregorius Nissenus in enarratione vitæ Moisis folio sexto, circa finem, inquit: *Deum eße, quod vere est, & quod natura sua est*. Quod sic declarans ait: *Præter supremam eßentiam nihil verè subsistere, quia per se, & per naturam suam, nihil aliud subsistit*. Diuus Hieronymus in Epistola 57. ad Damasum ait: *Vna est Dei & sola natura, quæ vere est, id enim, quod subsistit, non habet aliundè, sed suum est*. Et infra hoc idem declarat dicens: *Verè eße eßentiæ esse subsistere*. Item D. Augustinus clarius præ omnibus hanc amplexatur sententiam, nam libro septimo de Trinitate, capite quarto, hæc ait: *Sicut enim ab eo quod est eße, appellatur essentia: ita ab eo, quod subsistere, substantiam dicimus. Absurdum est autem, vt substantia relatiue dicatur rectè. Omnis enim res, ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus: si tamen dignum est, vt Deus dicatur subsistere.* Et infra in fine capitis ait: *Vnde hoc est Deo esse, quod est subsistere: & ideò si vna essentia Trinitas, vna etiam substantia*. Quibus omnibus ostendit sanctissimus Doctor ita competere diuinæ essentiæ vnam absolutam subsistentiam: sicut ei competit esse vnam substantiam, & quod sicut Trinitas personarum per vnitatem essentiæ est vna essentia, ita per vnitatem subsistentiæ absolutæ, in qua personæ sunt idem, etiam est vna substantia.

D. Grego. Nissenus.

D. Hiero.

D. Augus.

22 Sed nunquid tres personæ ob tres subsistentias relatiuas dicentur ne tres substantiæ? Audi de hoc Augustinum ibidem, nam continuo subdit: *Fortassis igitur commodius dicuntur tres personæ, quàm tres substantiæ, sed ne nobis videar suffragari, hoc quoque requiramus, quamquam & illi si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, poßent dicere tres personas, tria prosapa. Illud autem manuerunt, quod fortè secundum linguæ suæ consuetudinem aptius dicerent, namque & in personis eadem ratio est*. Profecto non potuit clarius sanctissimus Augustinus ostendere, & esse subsistentiam absolutam, qua tres personæ sunt vna diuina substantia, sicut vna essentia, & tres relatiuas subsistentias, seu tres hypostases, quibus sunt tres personæ, quas ob triplicem subsistentiam, quidam ob consuetudinem linguæ suæ, vt inquit Augustinus, non dubitauerunt tres appellare substantias: quem modum loquēdi Augustinus haud quaquā admittit, sed inquit commodius tres dici personas, seu hypostases.

D. Augus.

23 Ratione probatur conclusio, & primo, quia diuina essentia secundum præcisum conceptum essentiæ, prout à relationibus est distincta, est vere prima substantia: ergo, prout sic verè subsistit: Antecedens est indubitabile: nam quamuis Diuus Augustinus in citato libro septimo de Trinitate, capite quarto dicat, essentiam abusiuè, & non propriè vocari substantiam: hoc ideo inquit, quia prima substantia non solum subsistit, quatenus subsistere est per se existere, modo exposito: sed quatenus prima substantia accidentibus substat. Et quia vtraque hæc ratio conuenit primæ substantiæ: ideo inquit, essentiam Dei abusiuè, & non propriè substantiam dici: quod expressis verbis, sic mentem suam declarat: *Corpus enim subsistit, & ideò substantia est: illa vero in subsistente, atque subiecto corpore, quæ non substantiæ sunt, sed in substantia, &c. Deus autem si subsistit, vt substantia propriè dici possit* (quatenus substantia accidentibus substat) *in est in eo aliquid tanquam in subiecto, & non est simplex: cui hoc sit esse, quod illi est, & quidquid aliud de illo ad illum dicitur: sicut magnus, omnipotens, bonus, & si quid huiusmodi de Deo non incongruè dicitur. Nefas est, autem dicere, vt subsistat, & subsit Deus bonitati suæ: atque illa bonitas, non substantia sit, vel potius eßentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subiecto*. Quibus verbis clarè ostendit Augustinus substantiam, & subsistere, & subesse: atque ideò subsistere etiam sumi pro existere sub accidentibus, quod idem est, quod substare. Inquit ergo, quod si intelligatur subsistere, pro sic sub accidentibus existere, non proprie, sed abusiue dicitur de Deo substantia. Cuius rationem reddit, quia Deus non subest suæ boni-

Substantia secundū Aug. dicit subsistere, & subesse.

Substantia in quo sensu dicitur abusiue de Deo.

bonitati, &c. Sicut corpus subest accidentibus. Sumendo tamen subsistere pro per se existere, in quo formalissima ratio primæ substantiæ consistit, aperte docet diuinam essentiam esse substantiam, vt ex relatis ipsius Verbis nuper ex eodem capite constat. Ex quo sic conficitur argumentum: diuina essentia est propriè & formalissimè substantia: non secunda, quia est singularissima, & indiuidua: ergo est prima substantia. Sed prima substantia per se, & à se subsistit: ergo diuina essentia per se, & à se dicit subsistentiam. Consequentia patet, quia subsistere est de ratione primæ substantiæ: & ex hoc quod natura humana Christi Domini ex se non subsistit: probauimus supra in difficultate 53. naturam huiusmodi non esse primam substantiam.

24 Probatur præterea eadem pars conclusionis: quia in diuinis antecedenter ad personas datur hic Deus in diuiduum Deitatis, cui indiuisibiliter competunt actiones ad extra, vt potè creare, iustificare, &c. Sed antecedenter ad operationes ad extra debet præsupponi completè perfectum principum quod talium operationum: prius etenim est esse, quàm operari: ergo antecedenter ad personas præsupponitur hic Deus in esse perfecto. Sed nō esset in esse perfecto, nisi per se existeret: ergo hic Deus, prout antecedenter ad personas præsupponitur, per se existit, seu subsistit, quod idem est. Dari autem huiusmodi indiuiduum Deitatis ex propria difficultate infra ponenda suppono.

Tertio idem probatur, quia diuina essentia, secundum præcisum con
25 ceptum essentiæ, est quidditatiuè, & summè perfecta: sed summo perfecto, nihil deficit perfectionis, aliàs enim non summe infinitè perfectum esset. Si tamen vt sic diuina essentia subsistens non esset ex se: deficeret sibi hæc perfectio per se existendi: ergò nō esset summè perfecta, sed adhuc perfectibilis per aliquid sibi adueniens: ergo cum hoc de diuina essentia dici non possit: consequenter non potest ei negari sua per se existentia siue subsistentia.

Secunda pars conclusionis probatur: quia quandocunque inter vnitates non est æqualis distinctio, nō omnium vnitatum vnus resultat numerus: siquidē numerus est inter vnitates æqualiter distinctas. Sed subsistentiæ relatiuæ sunt tres realiter distinctæ, àquibus non item realiter distinguitur subsistētia absoluta, imò cum illis est realiter idem: ergo ex relatiuis & absoluta subsistentia, non efficitur numerus quaternarius, nec dici potest in rigore, quod in Deo sunt quatuor subsistentiæ, sed tres relatiuæ, & vna absoluta, quamuis lato modo, & impropriè cum addito quatuor dici possint, vt potè dicendo, quod sunt quatuor subsistentiæ, quarum vna realiter identificatur cum tribus. 26

§. 4.

Soluuntur argumenta oppositarum opinionum.

27 *Ad fundamētum 1. senten.*

AD argumenta vero in oppositum, & primo ad fundamentum primæ sententiæ concedo, quod subsistere absolutum sit perfectio simpliciter simplex, & quod nulla talis perfectio in relationibus reperitur. Non tamen ex inde infertur, nullam relationem esse subsistentiam: sed benè infertur, nullam relationem esse subsistentiam absolutam, qualis est subsistentia essentiæ: & quod datur subsistentia in diuinis, quæ non est perfectio simpliciter simplex. Et hoc nos non solum admittimus, sed expresse affirmamus, vt in quæstione propria de perfectione relationum tuemur. Duplex igitur est subsistere, scilicet, communicabile, & incommunicabile. Primum quidem perfectio simpliciter est, de cuius ratione est communicari. Secundum vero, non est talis perfectio: ideo stat relationes diuinas esse verè subsistentes, & nihilominus earum subsistentias relatiuas nō esse perfectiones simpliciter: quia nullum incommunicabile est melius ipsum, quàm non ipsum.

Subsistere absolutum in Deo est perfectio simpliciter, non tamen relatiuum.

Ad

29 *Adarg.pro 2. ſentent. & ad 1. Vazquij.*

Ad argumenta pro ſecunda ſententia, & ad primum dico, diuinam eſſentiam, ita per exiſtentiam ſuam habere eſſe per ſe, vt per eam perfectiſſimè in vltima actualitate omnis infinitæ perfectionis exiſtat, atque ideo antecedenter ad relationes præſupponitur, ita completè perfecta, vt ex natura rei, & noſtro modo intelligendi, compleatur eſſentia diuina, vt per ſe ſine aliquo alio eſſe poſsit, & ſit. Quod autem adhoc ipſius perfectiſsimum eſſe per ſe, conſequantur ſubſiſtentiæ relatiuæ, non aliunde prouenit, niſi ex fœcunditate naturæ. Non quidem quia eſſentia ad hoc vt ſubſiſtat, neceſſario ſit fœcunda: ſed quia natura, quæ ex ſe neceſſario ſubſiſtit, naturaliter eſt fœcunda, & ex tali fœcunditate eſt communicabilis tribus, atqui ante talem fœcunditatem formalem (quæ vt formalis, eſt quid notionale) eſt perfectiſsimè completa in ratione per ſe exiſtendi, & ideò perfectiſsimè, & complete ſubſiſtit antecedenter ad ſubſiſtentias perſonales. Sola ergo illa abſoluta exiſtentia ante relationes conſiderata, prout abeis ex natura rei diſtincta, illas præcedit, facit naturam diuinam eſſe per ſe non ſolum noſtro modo intelligendi, ſed ex ipſius rei natura.

Natura diuina ob ſui fœcunditatem eſt communicabilis tribus perſonis.

30 Licèt ergo talis ſubſiſtentia relinquat eſſentiam aptam ob ſui fœcunditatem, vt alio modo, nempè perſonaliter, per relationem ſubſiſtat: non tamen ideò eſſentia, vt ſic abſolutè ſubſiſtens, accipit aliquod eſſe per ſe à relatione: quia non eget mendicare à relationibus aliquod eſſe, vt ſit perfectè & vltimatè per ſe. Quinimo ipſa eſſentia dat relationibus eſſe, tanquam id, à quo relationes dimanant. Quamuis etenim â relationibus, eſſentiæ proueniat modus incommunicabiliter ſubſiſtendi, ſicut ſibi prouenit ab eis eſſe Patrem & Filium, &c. hic talis modus non tribuit eſſentiæ (quæ ex ſe eſt actus puriſsimus) aliquam actualitatem, aut terminationem in ratione Dei perfectiſsimè & complectiſsimè ſubſiſtentis: ſed tantum in ratione perſonæ, quæ quodammodo aduenit Deo, prout complete eſt hic Deus ſubſiſtens ex ſe. Et vt ſic per ſe exiſtens & ſubſiſtens, completè perfectus, præſupponitur ad perſonas, à quibus non accipit aliquod eſſe ad eius perfectionem completiſsimam pertinens, & ſic non habet ab illis vltimam & completam ſui actualitatem: quinimo ipſis tanquam fontalis plenitudo, & radix omnis eſſe, dat ſubſiſtentias perſonales, quibus vt perſonæ ſubſiſtunt. Et propter identitatem eſſentiæ cum perſonis, etiam eſſentia ſubſiſtit in illis perſonaliter: licet iam ex ſe ſupponatur perfectè, & completè ſubſiſtens:

31 *Ad 2. arg.*

Ad ſecundum dico, non ſolum competere ſubſiſtentiam Deo in concreto: ſed etiam eſſentiæ quamtumuis abſtractè ſumptæ. Cuius ratio à priori eſt, quoniam ideo in creatis ſubſiſtentia conuenit indiuiduo in concreto, non verò naturæ in abſtracto (vt potè huic homini, non tamen huic humanitati) quia ſubſiſtentia eſt modus realiter à natura diſtinctus, & ab illa ſeparabilis, & ideò non conuenit illi in abſtracto, ſed in concreto, prout iam cum natura ſuppoſitum cõſtituit. At vero in Deo ita ſubſiſtentia conuenit naturæ, vt ſit de quidditate, & conceptu formali illius: atque ideò nequit natura ſine ſubſiſtentia concipi. Ex quo prouenit, quod non tantum Deo in concreto, ſed etiam eſſentiæ in abſtracto conuenit. Et ideò non egemus naturam in concreto concipere neceſſario: ſed etiam ſi illam in abſtracto concipiamus, optimè illam concipimus ſubſiſtentem, & habentem eſſe per ſe: non minus, quam ſi conciperetur in concreto. Quia hoc ſubſiſtere, non eſt conditio ſuppoſiti cõcreti, ſed naturæ perfectiſsimè habentis eſſe per ſe.

32 *Ad tertium.*

Ad tertium dico, Patres & Concilia non indiguiſſe loqui de ſubſiſtentia abſoluta, quando de hypoſtaſibus contra hæreticos diffinierunt tres eſſe in Deo. Vndè ibi loquuti ſunt de ſubſiſtentia incommunicabili, & perſonali, quæ conuertitur cum hypoſtaſi. Quia ergo huiuſmodi Concilia & Patres, abſolutè loquendo, hypoſtaſes, ſubſiſtentias appellarunt, eò quod hypoſtaſes ſubſiſtentiæ etiam ſunt, & alij Patres & Concilia, quæ pro ſecunda concluſio-

clusione allegauimus, etiam existentiã per se essentiæ, subsistentiam expresse esse dixerunt: ideò loco supra citato in quæst. 4. Quodlib. dixit Scotus subsistere esse æquiuocum: quia in æquiuoco multi laborant sumendo subsistentiam, iam pro subsistere incommunicabili, iam verò pro subsistere communicabili, iuxta sensum, in quo loquuntur. Sed semel distincta hac duplici ratione subsistendi: iam non est locus æquiuocationis, siquidem in re dicimus hypostasim esse incommunicabilem subsistentiam: per se vero existere precise esse absolutam Dei subsistentiam. Vndè quoties Concilia, seu Patres, loquuntur de subsistentia, prout est synonima hypostasis: non ibi de communicabili, sed de incommunicabili subsistentia debent intelligi. Et nos libenter hanc incommunicabilem subsistentiam, essentiæ ex se ipsa conuenire, negamus.

33 *Ad quartũ* Ad quartum respondeo, subsistentiam esse vltimum terminum naturæ creatæ, vt constitutiuum personæ, & ideò vbicumque fuerit in creatis subsistentia, erit persona: at vero in diuinis, etiam si subsistẽtia sit vltimus terminus, hoc est, completa naturæ actualitas, non tamen semper subsistentia est constitutiua personæ. Datur enim subsistentia communicabilis, quæ vltimatè & cõpletè perficit naturam, & non ipsam constituit in ratione personæ, vt visum est. Atque ideo tota illationum machina ruit in argumento.

34 *Ad quintũ* Ad quintum concedo sequelam: nego tamen exindè iterum sequi, naturam sic indiuiduam, & singularem, esse personam: nam diffinitio Boecij solet exponi, vt pro *indiuidua existentia*, dicatur incõmunicabilis subsistentia. Aliàs enim humanitas Christi ex se esset persona, eo quod ex se est indiuidua singularis existens. Habemus igitur naturam diuinam ex se esse indiuiduam singularem existentem, & subsistentem: & tamen non ideò esse personam, quia adhuc communicabilis est, quantumuis à relationibus abstrahatur: & quatenus communicabilis est, nullatenus sibi conuenit ratio personæ.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm aliqua sophismata concludãt non stare pluralitatem personarum cum vnitate essentiæ.

AD sextum sic proceditur, & videtur, quod aliqua sophismata concludant non stare pluralitatem personarũ cum vnitate essentiæ: *Hoc enim ex sequentibus sophismatibus sequi videtur, & primo sic.* Hic Deus est Pater, Filius est hic Deus, ergò Filius est Pater. Quod confirmatur, quia medio existẽte hoc aliquid, necesse est extrema coniungi. A

Secundò præterea, Deitas est Pater, Filius est Deitas, ergo, &c. B

Tertiò præterea, si saltem arguas, extrema realiter esse idem interse, quia etiam in medio sunt idem, adhuc confirmatur illa maior argumẽti principalis, per hoc, quod negare eam videtur destruere principium, ponendo, scilicèt affirmationem, & negationem esse veras de eodem. C

Quartò præterea, quia affirmatio differt ab affirmatione, cuius vnius negatio dicitur de alia, vel stat cum alia: quia neutrum est verum de affirmatione contradicente illi negationi: ergo si Deitas stat cum non paternitate, putà in alia persona, scilicet, Filij, ipsa Deitas differt à paternitate, quę nunquam stat in eodem cum paternitate. D

Sed contra est; quia quæcumque aliqua identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate interse sic sunt eadem: quia non potest concludi aliqua identitas extremorum interse, nisi secundum illam identitatem, qua sunt eadem medio, & medium in se sic sit idem. E

Respondeo dicendum: quod per hanc propositionem sic intellectam: *vt ponitur, §. sed contra & iam dictum est articulo* F

articulo primo solutione ad primum, tenet omnis formatyllogistica: omissa enim altera conditione vel vnitatis medij in se, vel extremorum ad medium, non est sylloſgimus, sed paralogysmus accidentis. Cum accipitur, quod quid est in essentia diuina, est idem illi essentiæ, non est verum, intelligendo de identitate formali, & ideò non potest concludi formalis identitas extremorum interse. Quandiu autem stat formalis distinctio relationum suppoti, stat formalis distintio suppositorum. Et si dicas, quod saltem ex identitate reali eorum ad essentiam, concludam identitatem realem eorum interse. Dicò, quod essentia non habet identitatem talem vnicam, scilicèt, subsistentiæ, prout personæ, vel personalia vt extrema vniuntur in essentia: & ideò non potest concludi identitas subsistentis, vel subsistentiæ per rationem identitatis eorum in essentia, vt in medio. Per hoc patet ad talia sophismata.

Conclusio.

G Ad primum respondeo: quod sicut in creaturis cõmune se habet, vt quale quid, singulare, vt hoc aliquid: ita hæc essentia communis personis habet rationem qualis cuius. Medium ergo hic est quale quid, & non hoc aliquid. Concluditur autem identitas extremorum in conclusione, ac si medium fuisset hoc aliquid. Similiter ibi videtur esse fallacia accidentis, & consequentis: quia ly Deus accipitur in præmissis pro alio supposito: & similiter fallacia est figuræ dictionis commutando quale quid in hoc aliquid.

H Alia responsio, vbi vnitas medij est illimitata respectu vnitatis extremorum. Exemplum & vnitatis, & quantitatis limitatis, quæ sunt simul secundum vbi, & quando cum illimitato sic vel sic, non tamen sunt sic simul interse. Aliud exemplum familiarius de anima intellectiua, & de hac parte carnis, & illa. Hæc responsio euadit, quando idem illimitatum est cum quo vel in quo: non quando hoc est hoc, nisi deficiat medio vnitas requisita in se. Sic dicit respõsio logica, quæ hic intra habetur.

Ad secundum respondeo, quod licèt Deitas non supponat pro alio supposito in maiori, & in minori: tamen est ibi fallacia figuræ dictionis commutando quale quid in hoc aliquid. Nihil aliud autem est sic commutare, quam ex vi illationis interpretari illud habere rationem huius alicuius, quod habet rationem qualis cuius. Ita sic inferens suppositum de supposito, interpretatur medium commune esse idem secundum rationem existentiæ, vel subsistentiæ: quod falsum est. I

Ad tertium concedo, quod potest inferri identitas essentialis, non formalis, vel supositiua: & ideò non debet inferri, quod Filius est Pater: quia ibi denotatur ex vi illationis, & sermonis, identitas formalis, vt hypostatica: sed sic debet inferri: Filius est idem cum eo, quod est Pater, vel Filius est idem: quod est Pater. Ad confirmationem maioris respondeo, quod de aliquo habente veram identitatem, sed non tantum vnicam realitatem formalem, necesse est idem, ratione vnius realitatis, verè prædicari formaliter de illa realitate, & de alia realitate formali formaliter non prædicari: sicut albedo, ratione alicuius realitatis, quam habet in se, conuenit cum nigredine, & ratione alterius non realiter conuenit, sed differt. Nec affirmatio, & negatio de eodem ratione eiusdem realitatis formaliter dicuntur. Ita hic, Pater ratione essentiæ est idem quidditatiuè Filio, & ratione proprietatis, non est idem formaliter, nec hypostaticè Filio, nec dicuntur affirmatio, & negatio de eodem respectu eiusdem. Et licet daretur affirmatio, & negatio eiusdem entitatis de eodem; non tamen ratione eiusdem prædicati, putà si dicatur, quod Pater non est idem quidditatiuè Filio ratione Paterni- K

tatis.

tatis, sed ratione essentiæ.

Ad quartum respondeo: quod maior posset concedi de non identitate formali, vel de non adæquata: quia vnum illorum non determinatur ad alterum: ex quo stat cum eius opposito: vel sub alijs verbis de non identitate conuertibili, & præcisa. Sed si maior accipiat distinctionem realem, simpliciter neganda est, sicut patet in albedine accipiendo propriam realitatem, vnde sumitur genus, illi ex se non repugnat differentia opposita, scilicet, nigredinis: tamen realitati, vnde sumitur differentia specifica albedinis, differentia nigredinis repugnat. Et ista responsio debet intelligi, quantum ad secundam partem maioris, quæ dicit, quod altera affirmatio stat cum negatione. Sed prima pars maioris, quæ accipit negationem de affirmatione dici posset illa maior concedi quoad illam partem, si intelligatur dici necessario, & vniuersaliter, & per rationem propriam huius, de quo dicitur: & hoc quando contradictio illa, de qua est sermo, est realis sicut rei ad non rem: non autem rationis, ad non rationis: nam tunc non sequitur, nisi distinctio rationis affirmationis ab affirmatione applicando primam partem maioris, vt vera est ad propositum, sequitur quod Filius realiter distinguitur à Patre, non autem secundum quod Deus, vel Deitas: quia de Deo non dicitur, non Pater necessario, & vniuersaliter, nec per rationem subiecti, licét secundum aliquos dicatur particulariter ratione suppositi illius subiecti.

Expositio Articuli sexti, quæstionis 7. distinct. 2.

QVATVOR Sophistica argumenta proponuntur in textu, quibus intenditur non ita re posse pluralitatem per sonarum, cum vnitate essentiæ: illa tamen optimè ibi à Doctore soluuntur. Vltra quod præbet quandam regulam generalem, vt omnis forma syllogistica argumentorum concludat: quæ habetur in §. *sed contra*, & incorpore articuli: vt potè, quod quæcumque sunt eadem alicui medio, aliqua identitate: illa talia in huiusmodi identitate inter se, sunt sic eadem, qualia sunt eadem illi medio. Cuius ratio est, quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se nisi secundum illam identitatem, qua sunt eadem illi medio. Et inquit, quod per hanc propositionem sic intellectam tenet omnis forma syllogistica. In hac autem propositione duæ sunt conditiones, vna, scilicet, quod sit vnitas medij in se: altera vero, quod sit vnitas extremorum ad medium. Et inquit Doctor, quod deficiente qualibet istarum conditionum, non est syllogismus, sed paralogismus. Hæc fere sunt verba textualia, quæ sunt expositiua illius satis vulgaris principij Philosophici, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quod quidem vt Theologi huic mysterio accomodent, non minimè laborant. Sed huius articuli resolutio, & prædicti Axiomatis vera explicatio, ex sequenti difficultate erunt compertæ.

Regula Scoti generalis ad syllogistice concludendũ.

DIFFICVLTAS LVII.

Vtrùm ex aliquo naturali principio repugnet, Trinitatem personarum simul stare cum vnitate essentiæ?

§. 1.

§. 1.

Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum tribus ſententijs diuerſorum Doctorum.

1 NON hîc inueſtigamus compoſsibilitatẽ Trinitatis perſonarum, cum vnitate eſſentiæ. Hoc namque ex difficultate 46. vt firmum fidei articulum, fides Catholica confitetur: & ſpeculatiuè reſoluit Doctor in textu in hac quæſtio. 7. artic. 1. & nos latè ibi in comment. prædicti articuli: ſed quia veritas noſtræ fidei non aduerſatur naturæ principijs: licet benè ipſam naturam, & eius principia longè exuperet: neceſſum eſt aliqua communia phyloſophica principia, & axiomata, huic ſacro myſterio adaptari, ne videamur opprimi, naturam deſtruere, aut contra naturam, aliqua ipſius naturæ principijs repugnantia introducere: vt hoc ineffabile Triadis perſonarum, & vnitatis eſſentiæ myſterium capere valeamus. Atque ideò, quia quædam, quæ in naturalibus ſyllogiſticam formam concludi inducunt, in hoc myſterio abſurda non nulla contra fidem videntur inferre, iuxta ea, quę Doctor in textu reſoluit, hæc talia naturæ principia, veritati quidem fidei non obſtare, noſtra intereſt patefacere.

2 Duo præcipuè naturalis Phyloſophiæ ſeu Logicæ principia inter alia, nobis obſtant, quorum vnum eſt illud primum principium poſitum à Philoſopho, lib. 1. Priorum capit. 1. *Quòd eſt dici de omni, & dici de nullo*. Quod ſolet exponi per quandam regulam, quam vocant ante prædicamentalem Dialectici: quòd, ſcilicet, quidquid dicitur de ſubiecto, dicitur de omni, & de quouis contento ſub illo: & quidquid negatur de ſubiecto, negatur quoque de omni, & de quolibet contento ſub illo. Vt verbi gratia, ſi ſubſtantia dicitur de animali, per neceſſariam conſequentiam informa ſyllogiſtica debet dici de homine, & de quocumque alio ſub animali contento: & ſi de animali negatur, quod ſit lapis, hoc idem neceſſario negatur de homine, & de quolibet ſub animali contento. Ex hoc ergo principio videtur concludi, non compari vnitatem eſſentiæ cum perſonarum pluralitate. Nam vltra argumenta textualia, ſic poteſt aliter argui: Deus dicitur de Filio: ergo quidquid dicitur de Deo, dicitur de Filio. Sed de Deo dicitur Pater: quia hæc eſt vera prædicatio, Deus eſt Pater: ergo Pater dicitur de Filio: & ex conſequenti Filius eſt Pater: & eodem modo quælibet perſona de altera prædicatur, ac proinde confunditur Trinitas perſonarum: & non poteſt, ſtante hoc principio naturali, cũ vnitate eſſẽtiæ reperiri.

Ariſt. Dici de omni, & dici de nullo, exponitur.

3 Item ſecundo ex eodem principio aliter ſic arguitur: quia de Deo negatur, quod habeat eſſe ab alio, eo quod ipſe eſt improductus, & non ſupponit aliquod principium, à quo producatur: ſed Deus dicitur de Filio: ergo de Filio per neceſſariam formam ſyllogiſticam, negatur, quod ſit productus. Sed vt ex difficultate 47. habetur, nequit reperiri in Deo pluralitas perſonarum ſine productione: & ideò, vt ibi viſum eſt, ex productione prouenit talis pluralitas: ergo ex hoc principio, quod eſt *dici de nullo*, cum vnitate eſſentiæ, pluralitas perſonarum incompoſsibilis eſt.

4 Tertiò, tandem ex alio principio naturali arguitur efficacius: quoniam ſecundũ Philoſophũ 3. phyſic. tex. 21. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadẽ interſe*: ſed perſonæ diuinæ ſunt realiter eadem cũ diuina eſſentia, prout ex concl. 1. diffic. 54. habetur: ergo diuinæ perſonæ ſunt interſe realiter idem: & ex conſequenti repugnat ex hoc principio naturali, diuinas perſonas interſe realiter eſſe diſtinctas, & inſimul idẽ realiter cũ eſſentia. Qua propter videtur, hoc ſtãte principio, Trinitatem perſonarũ cum vnitate eſſentiæ incompoſsibilem eſſe.

Ariſto.

5 Hoc tertio argumẽto oppreſsi, varias illius axiomatis expoſitiones DD. inueſtigant, ſed plus omnibus videtur eo oppreſſus Gab. Vazq. qui 1. p. diſp. 123. c. 2. n. 9. inquit, hoc axioma, *Quæ ſunt eadẽ vni tertio, ſunt eadẽ interſe*, verũ eſſe in omnibus rebus creatis: & ita in ipſis valere, q̃ nunquã poſsit eſſe falſum, nec cõtrariũ eius accidere: at qui in hoc Trinitatis myſterio non eſſe verũ, nec poſſe verificari: quia perſonæ diuinæ ſunt omninò ex natura rei eędẽ eſſentię, & tamẽ inter

1. Vazquij

ſe

Axioma, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadē inter se, exponitur variis modis.

se realiter distinguuntur. Ideôque axioma illud, inquit, non esse verum in vniuersum, sed in creatis: in diuinis autem quæ Aristoteles, nec vllus alius Philosophus consequutus est, opposítum docet fides. Huius autem sententiæ fundamentum est: quia ideò in creatis repugnat, quæ sunt eadem vni tertio, non esse eadem inter se: quia omnia talia sunt finita, & respectu finitorum, non potest esse identitas in tertio, & distinctio inter ea, quæ sunt eadem tali tertio. Id tamen non repugnat in diuinis, Deus enim est ens infinitum: & ideò fiat ob infinitatem illius, vt simul sit vna essentia, & relationes ab ea non distinguantur, sed summa simplicitate, cũ essentia coniungantur: & quod nihilominus inter se mutuò realiter differãt. Ex quibus iuxta hanc sententiam habetur, illud philosophicum axioma non posse in diuinis cum vnitate essentiæ, & personarum Trinitate saluari.

6 *Secũda sententia Durandi.*

Durandus verò in primo distinct. 2. quæst. 4. admittens hoc axioma in Deo etiam esse verum, sicut in creaturis: facile nihilominus se absoluit à difficultate propósita: quia cùm teneat personas esse ab essentia, quoddammodo realiter distinctas, vt visum est supra in difficultate 54. numero 2. non dubitat concedere, quod sicut personæ nõ sunt realiter eædem vni tertio, nempè diuinæ essentiæ: consequenter non sunt realiter eædem inter se. Hic tamen modus dicendi reprobatus est ibi in 1. conclusione: & ideò non est cur in eius examine immoremur.

7

Facillime hi duo auctores ab hac rixa se eximunt. Primus quidem difficultatem axiomatis subterfugiẽs, dicendo non habere locum in Deo. Secundus verò ex consequenti axiomatis concedens, quod sicut non sunt personæ realiter idem inter se: sic nec sunt idem realiter in tertio. Difficultas igitur cæteris remanet ventilanda, qui omnes, & primo admittunt dictam maximam, ita esse in vniuersum veram, vt etiam in diuinis saluetur. Et secũdo iuxta fidem fatentur diuinas personas realiter esse distinctas: & insimul realiter essentiæ esse easdem. Inter quos, quomodo cum hac distinctione, & identitate verificetur, *quod quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, vrget summopere difficultas.

8 *Tertia sententia D. Thomæ Canariensis.*

Fuit igitur tertia sententia Diui Thomæ prima parte quæst. 28. art. 3. ad primum, quem sequitur Canariensis ibidem, qui docet, quod argumentum ex axiomate Philosophi tenet vbique, vbi aliqua sunt eadem alicui, re, & ratione, non autem in his, quæ differunt ratione. Et quia diuinæ personæ ab essentia differunt ratione, quamuis realiter sint eædem illi: ideò non valet, quod quia sunt eædem realiter essentiæ, sint eædem realiter inter se. Hoc probat à simili: nam actio, & passio sunt idem motus realis: vnde licet actio, & passio sint idẽ motui: non tamen sequitur, quod actio, & passio sint idem inter se: quia actio importat respectum, à quo est motus in mobili. In passione verò importatur respectus, vt qui est ab alio. Ex quo à simili sic arguit Diuus Thomas. Nam licèt Paternitas sit idem secundum rem cum essentia diuina, & similiter Filiatio: tamen hæc duo in suis proprijs rationibus important oppositos respectus. Vnde distinguuntur ab inuicem.

9 *Quarta sententia Capreoli.*

Capreolus autem in primo distinct. 2. quæst. 3. art. 1. tenet illud axioma debere intelligi, quando ea, quæ sunt eadem vni tertio, sunt adæquatè eadem illi. Atque ideò in Deo tale principium non prohibet vnitatem essentiæ simul esse cum Trinitate personarum: quia relationes seu personæ non sunt adæquatè eædem essentiæ. Siquidem essentia est communicabilis, personæ verò incommunicabiles. Si etenim adæquatè eædem essent diuinitati, siue essentiæ: essent proculdubio communicabiles, sicut illa. Huius sententię fundamentum esse potest: quia ratio identitatis inter ea, quæ sunt eadem vni tertio, debet sumi ex eo, quod nihil est in vno, quod nõ sit in alio. Si etenim Paternitas esset in Filio, & Filiatio in Patre: non distingueretur Pater à Filio, nec Filius à Patre. Sed hoc est adæquatè vnum esse idem alicui: ergo ideò personæ non sunt inter se eædem, licet sint eædem essentiæ; quia non sunt essentiæ, eædem adæquatè.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur.

10 IN oppoſitum autem eſt litera textualis in hoc 6. art. §. *Sed contra.* Vbi hæc inquit Doctor. *Quæcunque aliqua identitate ſunt eadem alicui, illa tali identitate inter ſe ſic ſunt eadem: quia non poteſt concludi aliqua identitas extremorum inter ſe, niſi ſecundum illam identitatem, qua ſunt eadem medio.* Et infra in corpore articuli prædictam doctrinam ad propoſitum applicando, hæc profert. *Dico quod eſſentia non habet identitatem talem vnicam, ſcilicet ſubſiſtentiæ, prout perſonæ, vel perſonalia, vt extrema vniuntur in eſſentia: & ideò non poteſt concludi identitas ſubſiſtentis, vel ſubſiſtentiæ per rationem identitatis eorum in eſſentia, vt in medio.* Hanc expoſitionem Doctoris ſequuntur omnes fere Scotiſtæ, inter quos egregiè Lychetus diſtinctione 2. quæſt. 4. §. *occurrit*, Ferrara ſecũdo contra gentes cap. 9. & Caietanus 1. p. quæſt. 28. art. 3. Quam Scoti ſententiam, & prædicti axiomatis expoſitionẽ inutilem appellat Vazquez, vbi ſupra cap. 1. circiter numerum tertium: quia inquit, quod non aliter exponit illud, niſi ac ſi dicat, quod quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem in illo. Hoc autem (inquit Vazquez) quis ignoret? Sed credo, quod licet illud nemo ignoret, pauci tamen ſubtilitatem ſenſus verborum Scoti adepti ſunt.

Lychetus. *Ferrara.* *Caietanus.*

11 Vt autem Scoti expoſitio perpendatur, & illa maxima exponatur clarius, primo obſeruare oportet, quod omnia duplici ratione conſtantia poſſunt, ſecundum vnam rationem conuenire, & ſecundum aliam differre. Hoc apertè exemplificatur in homine & equo, quorum quilibet conſtat natura animalis, & ſpeciali differentia, qua in propria ſpecie conſtituitur. Vterque ergo eandem rationem genericam naturæ animalis importat: & vltra illam importat homo rationalitatem, & equs inhibilitatem, quæ ſunt rationes differentiales contrahentes illam rationem genericam animalis: per quas homo & equs conſtituũtur in proprijs ſpeciebus, & inter ſe diſtinguuntur. Quæro igitur, quomodo in his valet, quod quæ ſunt eadem vni tertio ſint eadem inter ſe, & qualiter ſunt inter ſe ijdem equs & homo? Profectò optimè reſpondetur, quod non aliter, niſi qualiter vniuntur in illo tertio, ſeu identificantur in illo, nempè in ratione naturæ genericæ animalis. Sed tunc argues, & ſic ex hoc inferre poteris: ſicut igitur homo eſt idem animali, & equs eſt idem animali, ſic homo & equs ſunt idem inter ſe. Sed homo eſt idem formaliter animali, & equs eſt idem formaliter animali: quia inferius eſt idem formaliter ſuo ſuperiori, prout notauimus ſup. in difficultate 54. n. 55. ergo equs & homo ſunt idem formaliter inter ſe eadem identitate, qua vnuſquiſque eſt idem ſuo ſuperiori, nempè animali. Sed inferius realiter, & formaliter eſt idem ſuo ſuperiori: ergo equs & homo ſunt idẽ realiter, & formaliter inter ſe, quod eſt pluſquam falſum.

12 Reſpondeo ſecundum expreſſa verba Doctoris loco citato, intelligi aliqua eſſe eadem inter ſe, non præciſe: quia ſunt eadem vni tertio, ſed quia in tali tertio vniuntur, ſeu identificantur, vt patet ex verbis citatis. Et ideò non inferendum eſt, equm & hominem eſſe eoſdem inter ſe, ſicut quilibet eorſum eſt idem animali, ſed ſicut ambo vniuntur in animali, quod eſt tertium in quo identificantur, ſic ſunt ijdem inter ſe. Et ad hunc ſenſum debet fieri illatio, quod ſicut equs & homo vniũtur in natura generica animalis, ſic in natura animalis inter ſe ſunt ijdem. Vnde aduertendum eſt, quod equs & homo ſunt idem formaliter genericè inter ſe, ſecundùm illam dumtaxat rationem, qua vniuntur in animali: non tamen ſecundum eam rationem, qua non ſunt ijdem in animali. Homo igitur eſt idem formaliter, & realiter animali, & equs ſimiliter eſt idem animali ſicuti homo. Quamuis autem non realiter, & formaliter vniantur equs & homo in animali; vniuntur nihilominus in illo formaliter formalitate rationis vnius naturæ genericæ, in qua cõueniunt, & ita ſecundum hanc vnitatem genericam, in qua vniũtur in tertio, ſunt ijdẽ inter ſe: quia

quia vero nec homo est idem animali secundum rationalitatem, nec equs secundum inhibilitatem: quia differentiæ sunt extra genus, & secundum illas homo & equs differũt ab animali, eo quod huiusmodi differentias specificas ei superaddunt: ideò in his rationibus, in quibus homo & equs non identificantur animali, nec vniuntur in illo: formaliter, & realiter differunt inter se. In illa autem ratione, in qua identificantur cũ animali, in qua scilicet formaliter genericè vniuntur: etiam formaliter genericè sunt idem inter se. Atque ideò homo & equs in eadem generica ratione animalis, in qua formaliter genericè cõueniũt, sunt formaliter genericè idem. Et sic & non aliter verificatur dictum axioma in hoc exemplo.

13. Hoc posito exemplo, facile capitur subtilis expositio Scoti. Inquit etenim, quod quæcunque aliqua idẽtitate sunt eadẽ alicui: illa tali idẽtitate, & nõ alia, sunt inter se eadem: hoc est in eadem ratione, in qua in illo tertio vniuntur, seu identificantur, sunt eadem inter se, quia omnis identitas, quæ concluditur per formam syllogisticam inter extrema, est eadem, qua ipsa extrema sunt eadem illi tertio, prout vniuntur in ipso, & qua tale tertium est idem illis. Quod ad propositum applicans inquit Doctor, quod possumus loqui de duplici distinctione, & identitate, scilicet formali & reali. De prima quidem facilè verificatur axioma in Deo: quia cum personæ ex naturæ rei formaliter distinguantur ab essentia, vt ex difficultate 54. habetur: consequenter inter se personæ ex natura rei formaliter distinguuntur: quia eo modo, quo distinguũtur à tertio & in tertio, differũt inter se. Si vero loquamur de identitate, & distinctione reali, tunc difficultas vrget: quia relationes, seu personæ sunt essentiæ realiter eædem: & inter se realiter distinguuntur. Non ergo in illis videtur verificari principium, quod quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

14. Verum hanc difficultatem soluit Doctor dicendo, quod ea ratione, qua subsistentiæ relatiuæ, seu personæ subsistentes per illas, distinguuntur, non sunt eædem realiter in essentia: quia essentia non habet identitatem realem vnicam subsistentiarum relatiuarum: prout personæ tanquam extrema vniuntur in essentia. Sunt igitur diuina suppositа eadem in essentia, secundum rationem essentiæ, non verò secundum rationes personales: & ideò secundum eam rationem, qua sunt idem in essentia, identificantur inter se. Et sic Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, eodem modo quo sunt idem in essentia, sunt idem inter se: & ideò inter se sunt vna, & eadem diuina essentia. Secundum verò subsistentias relatiuas, seu rationes personales, non vniuntur huiusmodi personæ in essentia: quia diuina essentia non habet aliquam identitatem realem identificatiuam talium relationum. Et ideò etiam posita infinitate essentiæ, manent personalitates adhuc in essentia realiter distinctæ: quia non efficit infinitas essentiæ, vt Paternitas in Deo transeat in realitatem Filiationis, nec Filiatio in realitatem Paternitatis. Sunt ergo personæ diuinæ eædem inter se, eadem identitate, qua sunt eædem in vno tertio, nempè in diuina essentia. Et quia in essentia diuina sunt idem Deus: ideò inter se sunt etiam vnus Deus, & vna essentia. Sunt tamen adhuc in vno tertio distinctæ personalitates: quia adhuc in vna essentia tales personalitates, non sunt realiter eædem, sed realiter distinctæ: quia vt dictum est essentia vna, & eadem, non habet vnitatem identificatiuam talium personalitatũ in se: & ideò inter se personæ sunt distinctæ realiter.

§. 3.

Exponitur illud principium, quæ sunt eadem vni tertio, &c. *& concluditur difficultas.*

PORRO quia adhuc posset remanere non minima difficultas, ex eo quod Paternitas est idem realiter essentiæ, & filiatio etiam est idem realiter essentiæ: & ideò ex quo vtraque est idem realiter essentiæ, videtur

15

tur inferri vtranq; inter ſe eſſe realiter idem: eſt maximè obſeruandum ſecundo pro pleniori difficultatis claritate, quod vt habetur ex verbis Doctoris ſupra relatis in litera, ex eo quod aliqua ſunt eadem vni tertio, vniuntur in illo: & ideò hoc axioma debet intelligi iuxta textualẽ expoſitionẽ, quod, quæ ſunt eadem vni tertio, vniuntur in illo, & eo modo, quo vniuntur in illo, ſunt eadem inter ſe. Vt autẽ videamus qualiter perſonalitates vniantur in Deo, eſt ſummopere aduertendum, prout notauit Lychetus vbi ſupra, quod aliter comparatur Paternitas ad eſſentiam, & aliter ad filiationem, etiamſi ſit filiatio identificata cum eſſentia. Nam eſſentia, quia infinita formaliter eſt, realiter ſibi identificat Paternitatem, atque ita Paternitas propter infinitatem eſſentiæ identificata cum illa, realiter tranſit in eſſentiã, & in realitatem illius. Quod ſimiliter de filiatione dicendum eſt. At qui ſi comparetur Paternitas ad filiationem, etiamſi vtraquè conſideretur realiter idẽtificata eidem eſſentiæ: non tamen etiam ibi adhuc inter ſe identificantur realiter: quia, cũ neutra ſit ex ſe formaliter infinita, neutra ſibi identificat alteram: & ideò, nec Paternitas tranſit in Filiationẽ, nec filiatio in Paternitatem; ſed adhuc cum eſſentia vnitæ, non inter ſe vniuntur, propter dictam rationem Lychetti, ſeu melius propter aliam, quam poſuimus ſupra in difficultate 54. à num. 49. vſque ad num. 52.

16 Ex his ergo colligo, quod non ideò præciſe aliqua ſunt eadem inter ſe: quia identificãtur vni tertio, ſed quia in vno tertio vniuntur. Licet ex eo quod ſunt eadẽ vni tertio in vno tertio vniãtur, ſecundũ eã præciſã rationẽ, qua ſunt eadẽ tali tertio: & ſecundũ hanc rationẽ qua vniuntur in tali tertio, ſunt eadem inter ſe. Sic igitur Paternitas & Filiatio, ſunt eadem realiter vni tertio: quia quælibet eſt realiter eadem eſſentiæ diuinæ: non tamen vniuntur, aut identificantur in vno tertio, niſi in præciſa ratione eſſentiæ, cum qua ſunt realiter eædem. Et ſic inter ſe ſunt eædem ſecundum præciſam rationem eſſentiæ. Et quia eſſentia non habet vnitatem realitatis identificatiuam, plurium perſonalitatum, ſecũdum proprias rationes perſonalitatum: ideò perſonalitates nõ ſunt realiter eædem inter ſe, ſecundum proprias rationes perſonaliter ſubſiſtẽdi. Aliter enim ſe habent ipſæ perſonalitates ad eſſentiam, & aliter ipſæ inter ſe ipſas adinuicem. Nam primo modo identificantur cum eſſentia, ſecundo vero modo, non ſunt adinuicẽ idem. Vnde quia omnis identitas, quam habent cum eſſentia, eſt in ratione eſſentiæ, quæ ſibi identificat illas: ideò ipſæ perſonalitates ſunt eædem inter ſe in præciſa ratione eſſentiæ in qua tantũmodo vniuntur: ſicut de ipſis perſonis dictum eſt: quia etſi perſonalitates non ſint formaliter eſſentia: ſunt tamen realiter eſſentia, & in illa ratione in qua ſunt eſſentia, conueniunt in eſſentia, & vniuntur in eſſentia, & identificantur in illa, & ſunt inter ſe realiter eædem in eſſentia. At vero quia adhuc poſita hac identitate reali eſſentiæ, ſunt diſtinctæ realiter inter ſe ipſæ perſonalitates, ſecundum rationes proprias perſonalitatum, ſecundum quas nullo modo identificantur, aut vniuntur in eſſentia, nec ſunt eædem illi: quia vt oſtendit Lychetus vbi ſupra, ſi per impoſsibile iſtæ proprietates non includerentur in eſſentia, eſſent omninò diſtinctæ: quia nec Paternitas ex ſe eſt ratio alicuius cõuenientiæ cum Filiatione, nec è contra, ſunt enim primo diuerſæ: ideò ſecundũ ſe, & ſecundum proprias rationes perſonaliter ſubſiſtendi, non ſunt eædem eſſentiæ: ſed ſecundum præciſam rationẽ eſſentię, quatenus eſſentia, eo quod infinita eſt, ſibi eas identificat: & ideò ſecũdum hanc præciſam rationem eſſentiæ, & non ſecundum ſe ipſas, ſunt eædem eſſentiæ, & ex conſequenti, etſi realiter idẽtificatæ ſint eſſentiæ, non vniũtur in illa ſecundum rationes perſonalitatum: & hac de cauſa vt ſic non ſunt eædem inter ſe.

17 Ex hoc illuſtratur Scoti expoſitio, quod ſcilicet, quæ ſunt eadem vni medio ſunt eadem inter ſe, eadem prorſus identitate, qua illi medio vniuntur, & in illo ſunt eadem. Et ideò tàm perſonæ, quàm perſonalitates, ſunt eædem inter ſe eadem identitate, qua in eſſentia ſunt eædem: & diſtinguuntur realiter eadem reali diſtinctione, qua etiam in illo medio realiter diſtinguuntur. Adhuc etenim in eſſentia perſonali-

nalitates ad inuicem realiter manent distinctæ, secundum proprias rationes incommunicabiliter subsistendi.

18 Porrò est tertio obseruandum, quod etsi mysteria fidei naturalem creati intellectus considerationem excedant: nullum tamen est fidei mysterium, quod, quoad sui esse, naturali rationi repugnet: quia si repugnaret rationi quoad sui esse, repugnaret quoq; quoad sui credibilitatem. Etsi repugnaret esse credibile, sibi repugnaret esse fidei mysterium: de cuius ratione vt sic, est quod sit credibile: incredibilia etenim non cadunt sub fide. Si igitur credibile est, consequenter est possibile, eo quod nullum impossibile sit credibile. Si autem possibile est: non repugnat rationi naturali: quia quod repugnat rationi naturali, in se ipso impossibile est. Quamuis ergo non possit naturalis ratio viribus suis huiusmodi mysteria capere ob sui altitudinem, nihilominus semel instructus intellectus fidei principijs, fide credit, quod ratione naturali consequi non valebat. Assensus attamen fidei, quem præbet veritati sibi propositæ, necessariò supponit veritatem illam esse credibilem: & ideò supponitur credibilem esse, quia supponitur esse possibilem. Nam licet talis possibilitas non cognoscatur per naturam: nihilominus debet cognosci, non repugnare naturæ. Atque ideò si naturali principio (quod verè est principium naturale) repugnet mysterium propositum, eius impossibilitatem ex naturæ principijs inuenit intellectus, & ex cognitione illius reperit ipsum non esse credibile.

Hoc manifestum fit per exemplum:
19 nam principium naturale est, *quod non possunt duo contradictoria esse simul vera*. Si igitur intellectui proponatur Patrem genuisse Filium, & non genuisse Filium, quæ sunt duo contradictoria: proculdubio ideò negabit vtriusque propositiones simultaneam veritatem: quia incredibile est vtramque simul esse veram: & ideò incredibile est vtramque simul esse veram: quia iuxta naturale principium repugnat duo contradictoria esse simul vera. Licet enim hoc principium sit naturale: vbique nihilominus, & etiam in Deo, verificatur non minus quam in creatis. Ex hoc igitur ad propositum, non est cur excludatur à diuinis illud Aristotelicum principiũ, *quod quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. Est enim principium naturale non minus vbique verificabile, quam illud de contradictorijs simul veris, aut illud de *dici de omni, & dici de nullo*. Nam si non vteremur principijs naturalibus Philosophicis in rebus fidei: non possemus scientificè theologizare de illis. Debet ergo Theologus huiusmodi principium exponere, ita vt in sano sensu in Deo verificetur: ad quod Theologicus discursus vtitur speculatione formalizante in Deo rationem aliquam, iuxta quam, hoc & quæcunque similia principia, in Deo sicut in creatis, proportione seruata, & sublatis in perfectionibus, verum sit.

His præhabitis, difficultatem concludendo dico: ex nullo naturali principio repugnare Trinitatem personarum simul stare cum vnitate essentiæ. Conclusio est Scoti in hoc 6. artic. & in primo huius septimæ quæst. quæ satis exnuper dictis probatur. Nam omne principium, & præsertim illa duo pro parte argumentorum obiecta, vtpotè *dici de omni, & dici de nullo* atque etiam, *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, non obstant simultati Trinitatis personalis, & vnitatis essentiæ in Deo; sed inter omnia principia naturalia hæc sunt potissima, quæ huic simultati obstarent, si aliquod obstaret: ergo, &c. Maior probatur præsertim de secundo, in quo est maior difficultas (de primo etenim à nemine negatur) nam diuinæ personæ seu personalitates, aut suppositæ, sunt eadem inter se eadem identitate, qua vniuntur in vno tertio, & sunt distincta inter se, eadem distinctione, qua distinguuntur in illo: ergo stante hoc naturali principio in diuinis, stat simul Trinitas personarum cum vnitate essentiæ. Antecedens manifestè patet ex subtili Scoti expositione huius axiomatis, quæ habetur ex notatis supra num. 11. vsque ad num. 17.

20 *Conclusio.*

§. 4.

Soluuntur argumenta in oppositum.

21. *Ad primũ argumentũ* AD argumenta pro parte contraria, & ad primum dico, illam regulam ante prædicamẽtalem ex illo principio naturali esse in vniuersũ verã: & ita nõ minus in diuinis, quam increatis valere: intelligendam tamen esse secundum certas regulas logicales, quas pro nunc Dialecticis reseruamus. Sed ad propositum dico, quod superius dupliciter est totum: est enim totum potentiale, & totum actuale, dicitur esse totum actuale respectu omnium, quæ sibi in primo, aut in secundo modo dicendi per se actu conueniunt: ex quibus tanquam ex partibus metaphisicis actualiter est compositũ. Et hæc talia prædicãtur de ipso toto, vel vt prædicata essentialia in primo modo dicendi per se, vel vt passiones propriæ in secundo, sic de animali prædicatur substantia, & etiam irascibile. Aliterverò dicitur totum potentiale, & est illud, quod est in potentia ad plures partes subiectiuas, sic ipsum animal est in potentia ad hominem, & equm, &c. quæ sunt quædam partes extra actualitatem ipsius animalis. Dico ergo, quod regula illa debet intelligi de superiori, prout est totum actuale, non vero, prout est totum potentiale. Et sic valet, quod omnia, quæ prædicantur de superiori, prout est totum actuale, etiam prædicantur de omni inferiori contento sub illo: quia istæ tales sunt prædicationes directæ. Quæ vero prædicantur de superiori, prout est totum potentiale, non prædicantur de omni inferiori contento sub illo, quia huiusmodi prædicationes sunt indirectæ.

22 Hoc patet per exemplum in creatis. Nam istæ sunt veræ causales: quia substantia, & irascibile prædicantur de animali, etiam prædicantur de homine: & ideò valet, homo est substantia, & irascibilis: quia animal est substantia, & irascibile, eo quod substantia conuenit animali actualiter in primo modo dicendi per se, & irascibile in secundo. Licet tamen hæc sit vera, animal est equs, non ideò hæc erit vera, homo est equs: quia equs prædicatur de animali indirectè vt pars subiectiua, de toto potentiali: huius instar modi ad propositum dico, quod Deus prædicatur de personis, tanquam superius de inferiori, quia est illis communis. Et ideò quæ conueniunt Deo actualiter, tàm per modum essentiæ, quàm per modum quasi propriæ passionis (vt ita loquar: quia diuina attributa insunt Deo sicut propria passio inest subiecto, nostro modo exponendi) etiam conueniunt cuilibet personæ. Et ideo, quia Deus est intellectualis natura, & est sapiens, & bonus, quæ sunt prædicationes directæ: ideò Filius, de quo directè dicitur Deus, est intellectualis natura, & sapiens & bonus: quia verò personæ sunt quasi partes subiectiuæ Dei, hoc est quatenus est communis ad illas, ideò ipsæ non nisi indirectè, prædicantur de Deo, sicut homo de animali. Et ideò non valet, Deus est Pater, ergo Filius est Pater, licet Filius sit Deus: sicut non valet animal est homo: ergo equs est homo, licet equs sit animal.

23 *Ad secundum argumentum.* Ad secundum respondeo, verum esse, quod Deus, vt Deus, non est productus: non tamen ideò negatur de Filio, qui est Deus, quod sit productus: quia illud principium, quod est *dici de nullo*, non debet verificari de negatione, quæ est mera negatio, sed de negatione quæ includit repugnantiam ad affirmationem. Quod euidenter de monstro: nam nulli superiori conuenit ratio differentialis inferioris sibi subordinati, sed hoc tale non conuenire, est per meram negationem, non tamen per repugnantiam: quia si repugnaret sibi, vt superius est: etiam prout est in inferiori contractum, sibi repugnaret: sic non valet, animal vt animal, nõ est rationale: ergo homo nõ est rationalis: valet tamẽ, animal vt animal nõ est lapis: ergo homo nõ est lapis. Cuius ratio est, quia in priori exẽplo, negatur de animali aliquid, quod non sibi cõuenit secũdũ se, sed benè sibi conuenit ratione differentiæ cõtrahentis illud ad esse specificum. In secundo vero

verò negatur de animali aliquid, quod ſuæ ſenſibili naturæ repugnat. Et ideò neceſſariò per formam ſyllogiſticam negatur de homine, & ſic intelligenda eſt illa regula dialectica, quod à ſuperiori ad inferius negatiuè valet conſequētia. Ad propoſitum ergo dico, quod Deo non repugnat produci, prout in difficultate 47. late oſtendimus. Nam licet non conueniat Deo, vt Deus eſt: conuenit tamen ſibi ex ratione quaſi differentiali, nempè ex proprietate conſtitutiua Filij, ratione cuius eſt verum dicere, quod Deus, eſt productus, eò quod Filius, qui eſt Deus eſt productus: ſicut valet, quod animal eſt rationale, eo quod homo, qui animal eſt, eſt rationalis.

24 *Ad tertiū argumentū*

Ad tertium ſatis habetur ſolutio ex dictis, quod ſecundum Doctorem verbis citatis in litera, quæcumque ſunt eadem vni tertio, aliqua identitate, ſunt eadem inter ſe tali identitate, qua ſunt in tertio eadem. Ex quo habetur, quod Pater & Filius, ſunt ijdem in eſſentia, & eadem identitate eſſentiæ ſunt ijdem inter ſe. Non tamē inde ſequitur, quod ſint perſonaliter ijdem, ſi quidem nec in tertio vniuntur, aut identificātur ipſæ perſonalitates.

25 *Ad fundamentum interpretationis Vazq.*

Ad fundamentum opinionis Vazquij duo oſtendo, & in primis non fuiſſe ab eo de nouo inuentum, & ſecundo illud facile ſolui. De primo patet: quia tale fundamentum habetur expreſſum in textu huius ſexti articuli ſolutione ad primum: vbi quædam additio ex manu ſcriptis Doctoris, ibi ab eius vetuſtiſſimis diſcipulis, intra cætera textualia inſerta, hæc inquit: *Alia reſponſio: vbi vnitas medij eſt illimitata reſpectu vnitatis extremorum, &c.* Et ponuntur ibi duo exempla, quæ ſupra habentur in textu dicti articuli. Sed meritò hæc ſolutio ibidem ab eodem textu reijcitur ſic. *Hæc reſponſio euadit, quando idem illimitatum eſt cum quo, vel in quo: non quando hoc eſt hoc, niſi deficiat medio vnitas requiſita in ſe.* Quæ doctrina eſt elegans, & illuſtris: nam aliter loquendum eſt de infinito ſeu illimitato reſpectu plurium, quibus intimè aſſiſtit: & hoc vocat, *cum quo*: ſeu reſpectu plurium vbi, in quibus eſt, eo quod eſt vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: & hoc vocat *in quo*. Aliter verò reſpectu plurium, cum quibus eſt idem, ita vt adinuicem prædicentur dicēdo *hoc eſt hoc*. In duobus igitur prioribus non valet, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, quando tertium ſeu medium, cui ſunt eadem, eſt infinitum ſiue illimitatum. Non etenim valet, Roma, & Salmantica ſunt duo vbi: & hoc duo vbi ſunt eadē Deo, quatenus Deus ſimul eſt in illis: ergo hæc duo vbi ſunt eadem inter ſe. Cuius ratio eſt: quia agens illimitatū eſt in pluribus locis abſque eo, quod vnus locus tranſeat in realitatem alterius, ſed manentibus ipſis eodem modo diſtinctis, ac ſi Deus non eſſet in illis: dicitur Deus in illis, & vbique eſſe. Similiter non valet, Papa, & ego ſumus ijdem vni tertio, quatenus Deus nobis intimè aſſiſtit: ergo ſumus ijdem inter nos. Et ratio textualis quare in his non valet illud principium eſt: quia nec Papa, nec mea perſona, nec hoc vbi, nec illud vbi, ſunt eadem illi tertio ſeu medio, taliter quod ſit verum dicere, *hoc eſt hoc*: quia tantummodo in huiuſmodi prædicatione, reperitur identitas. Et ideò vnitas illimitata illius medij ſeu tertij poteſt ſtare abſque vnitate extremorum, quia extrema, non verè identificantur illi: non enim eſt verum dicere, *hoc eſt hoc*, id eſt Roma eſt Deus, Salmantica eſt Deus, Papa eſt Deus, &c. ſi etenim identificatio vera eſſet huiuſmodi extremorum ad Deum, ſimiles prædicationes per identitatē eſſent veræ. Non tamen ſunt veræ dicendo, *hoc eſt hoc*, ſed dicendo, *hoc eſt in illo, vel eſt cum illo*. Et ideò in huiuſmodi extremis, nō tenet hoc principium reſpectu medij illimitati.

Subtilis Scoti doctrina vbi oſtenditur in quibus vnitas medij illimitati non infert identitatem extremorū inter ſe.

Atqui quando verificatur de extremis, quod identificantur cum medio, ſaltim identicè, dicendo *hoc eſt hoc*, vtpotè Paternitas eſt eſſentia, Pater eſt eſſentia, Filiatio eſt eſſentia, Filius eſt eſſentia, non tollit illimitata, aut infinita vnitas medij, quin illud principium etiam ibi ſit verum, quod ſcilicet quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe: & ideò etiam in diuinis tenet prædictum principium, quamuis ibi medium, ſeu tertium ſit illimitatum; & infinitum. 26

Ad fundamentum ſententiæ Diui 27

Thomæ redarguit Vazquez quandam contradictionē ex verbis eiusdem: quā Ferrara pro viribus, non esse contradictionem defendit. Sed nostra non interest hanc contradictionem malignare. Re enim vera sententia Diui Thomæ non displicet: & ratio à simili de actione & passione, ipsam sufficienter declarat: quamuis Scotus formalius rem apperuerit.

28 Ad fundamentum tandem opinionis Capreoli, & ad ipsam opinionem eius dico, ex illa sequi non aliqua quomodolibet inter se distincta, in tertio esse eadem: quia quæ adæquatè sunt eadem vni tertio, neq; excedunt tertium, neque excedūtur à tertio: & sic essent omninò idem. Quam ob rem principium illud esset frustraneum etiam increatis: esset enim propositio de subiecto non supponente: quia non essent aliqua, de quibus diceretur, quod quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: quia vbi non sunt extrema aliqua liter distincta, non fit quæstio de identitate illorum. Et sic hæc Capreoli interpretatio, nullatenus placet, nec debet admitti, quia est quædam propositio identica, nec fundamentum aliquid probat.

DISTINCTIO III.

QVAESTIO I.

De naturali cognoscibilitate Dei respectu intellectus viatoris.

CIRCA primā partem tertiæ distinctionis, in qua Magister agit de cognoscibilitate Dei, quærantur quinque. Et circa alias partes eiusdem distinctionis in sequentibus quæruntur multa.

¶ Primo quæritur. Vtrùm Deus sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu viatoris, & iuxta hoc quæruntur quinque?

¶ Primo. Vtrùm possit naturaliter haberi ab intellectu viatoris aliquis conceptus, in quo per se, & quidditatiuè concipiatur Deus.

¶ Secundo. Vtrùm possit haberi cōceptus de Deo, qui sit vniuocus sibi, & creaturis?

¶ Tertio. Vtrū cognoscatur Deus naturaliter à viatore in particulari?

¶ Quarto. Vtrùm possimus peruenire ad aliquos conceptus de Deo, qui non conueniant creaturis?

¶ Quinto. Vtrùm ea, quæ cognoscūturde Deo, cognoscantur per species creaturarum?

ARTICVLVS I.

Vtrùm possit naturaliter haberi ab intellectu viatoris aliquis conceptus, in quo per se, & quidditatiuè concipiatur Deus?

AD primum sic proceditur, & videtur, quod non possit naturaliter haberi ab intellectu viatoris aliquis conceptus, in quo per se, & quidditatiuè cōcipiatur Deus: quia Philosophus 3. de anima, Phantasmata se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum: igitur intellectus nihil intelligit, A. 3. *de anima tex. com. 30 & 39.*

git,nisi cuius phãtasmata potest per sensus apprehendere: Deus autem non habet phantasmata:ergo, &c.

B. Secundo præterea, secundo Metaphy. sicut se habet oculus Noctuæ ad lucẽ solis, sic intellectus noster ad ea,quæ sunt manifestissima naturæ:sed ibi est impossibilitas: ergo, & hîc.

2.Metaph. text.cap.1.

C. Tertio præterea,primo Physicor, infinitum,in quantum infinitum, est ignotum, & 2. Metha. infinita non contingit cognoscere:ergo nec infinitum,quia eadem videtur esse proportio intellectus ad infinitum,& ad infinita:quia æqualis excessus,vel nõ minor: quia vtrobiq́ue est infinitas.

1.Physico. tex.com.35 & 2.Met. tex.com.11 & 12.

D. Quarto præterea, Gregorius super Ezechielem: quantumcunque mens nostra in contemplatione Dei profecerit, non ad illud, quod ipse est:sed ad illud,quod sub ipso est,attingit.

Vide lib.1. Homil.8.

E. Sed contra est:quia 6.Metaph.metaphisica est theologia,de Deo:ergo &c. Similiter in actione eius,scilicet in consideratione actuali substãtiarũ separatarum,ponit Aristoteles fœlicitatem humanam 10. Ethicorum.

6.Metaph. tex.com.2. 10.Ethico. cap.10.

F. Respondeo dicendũ: quod in prima quæstione non est distinguendũ, quod Deus possit cognosci negatiuè,non affirmatiuè:quia negatio nõ cognoscitur nisi per affirmationem; 2.Perhyarm. in fine, & 4. Met. patet etiam, quod nullas negationes cognoscimus de Deo,nisi per affirmationes, per quas remouemus incompossibilia aliqua ab illis affirmationibus sicut non renouemus compositionem,nisi quia attribuimussimplicitatem,vel aliquid ad aliud:negationes etiã tantũ non summè amamus. Confirmatur etiam, quia aut negatio cõcipitur præcisè, aut, vt dicta de aliquo: si præcisè concipitur negatio, vt non lapis,hoc æque conuenit nihilo,sicut Deo:quia pura negatio dicitur de ente, & non ente: igitur in hoc non intelligitur Deus magis,quã nihil,vel chymera. Si autem intelligitur non lapis de aliquo,tunc quæro, ille conceptus subtractus,de quo intelligitur ista negatio esse vera, aut est cõceptus affirmatiuus,aut negatiuus: si est affirmatiu⁹,habetur propositũ.Si negatiuus,quæro vt prius,aut negatio cõcipitur præcisè, aut vt dicta de aliquo: si primo modo, hoc æque conuenit nihilo, sicut Deo, sicut dicta de aliquo: tunc sicut prius: & quantumcunque procederetur in negationibus,vel non intelligeretur Deus magis,quàm nihil,vel stabitur in aliquo conceptu affirmatiuo, qui est prius. Nec est distinguendum de cognitione,si est,& quia est: quia in proposito quæro conceptum simplicem, de quo cognoscatur esse per actum intellectus componentis,& diuidentis: nunquam enim cognosco de aliquo,si est,nisi habeam aliquem conceptũ illius extremi, de quo cognosco esse: & de isto quæritur hîc. Notãdũ est hîc,quod quidquid dicitur per nomẽ,est quid rei,& est includens si est: quia 4. Metaph. ratio,cuius nomen est signum, est diffinitio: tamen esse quid nominis est communius,quam esse quid rei: quia pluribus conuenit hæc ratio significari nomine, quàm esse. Vbi tamen conjunguntur,idem sunt:sicut non omnis color est albedo: tamẽ ille color, qui est albedo,est idẽ albedini. Exẽplum tamen non est omninò simile: quia color sumitur ab aliqua partiali perfectione,non sic hîc:sed totum, quod habet relationem ad nomen vt ad signum, quod totum habet relationem ad rem, vt quidditas ad suppositum: sed prius cognosco de eodem quid, relationem primam, quã secundam. Nec est in hoc solùm ordo cognitionum istarum de eodem conceptu simplici, concipien-

D.Tho.1. p.sum.q.3. art.32. Dionys. de Ang.hier. Tex.com.2 & 16.

Damasc.1. sent sic distingit vide quæst.2.huius dist.

4.met.tex. com.28.

do prius rationem vnam, quàm aliâ: sed in hoc, quod cõceptus vnus simplex est quodammodo alius, putà in multis definibilibus: quia primus est confusus, secundus distinctus: nam primus vel non exprimit partes conceptus, vel si explicat, non tamẽ distincte, sed sine cõpossibilitate, vel in compossibilitatẽ. Secundus explicat, & cognoscit compossibilitatem, & in hoc rationem in se esse verâ: & hoc, quod sic exprimit, est quid rei possibilis.

G. Nota secundo: quod de subiecto primæ scientiæ simul præcognoscitur, quid dicitur per nomen, & si est, & quid est: quia nulla scientia de suo subiecto quærit si est, vel quid est: ergo vel omninò nõ est quæsibile, vel tantum in scientia priori. Prima nulla est prior: igitur de eius subiecto primo nullo modo est quærere si est, vel quid est: igitur est conceptus simpliciter simplex: ergo ens: quia ens per se potest dubitari de compossibilitate partium conceptus. Probatur etiam, quod non Deus: quia nulla ratio simpliciter simplex habetur de Deo, quę distinguat ipsũ ab alijs entibus: igitur de quocunque tali est quæstio si est. Et demus, quod ratio in se non sit falsa: ergo Deus secundum nullum cõceptum viatori possibilem est primum subiectum Metaphisicæ. Item, quidquid probatur de ipso, continetur virtualiter primo in ratione entis: quia sicut passio simpliciter conuertibilis includitur primo in subiecto, sic etiam, & disiũcta: igitur in subiecto primo includitur primo: quia aliqua pars disiũctæ alicui enti conueniat: igitur ens primo virtualiter includit hãc, aliquod ens est primum: igitur si est, & quid est, de ista ratione ens primum includitur primo in ente: ergo, & quidquid concluditur primo de ente per rationem huius totius, vel per rationem entis: igitur Metaphisica est Theologia finaliter, & principaliter, qua sicut est principalius de substantia, quam de accidente 7. Metaph. ita vlteriori analogia principalius est de Deo: quia semper prius ordine perfectionis includitur in ratione primi subiecti particulariter pars passionis disiunctæ, quæ est perfectio simpliciter. Contra: nulla cognitio simpliciter perfectior includitur virtualiter in minus perfecta, sed è conuerso: ergò nulla cognitio possibilis viatori de Deo naturaliter est perfecta conceptu entis: igitur in illa speculatione erit fœlicitas. Si hæc ratio concludit: ergo illud, quod rationes ad primam partẽ supponunt de conceptu non simplici, negatur. Sed Henr. imò proprius conceptus de Deo est simplex per motionem effectus: sed tunc ens nõ est commune, sed analogum: & tunc prima scientia de ente erit de primo, ad quod omnia attribuuntur. *7. Metaph. tex. com. 6.*

H. Nec oportet distinguere de ly est, vt est quæstio de veritate propositionis, vel vt est, est quæstio de esse Dei: quia si potest esse quæstio de veritate propositionis, in qua esse tãquam prædicatum quæritur de subiecto ad concipiẽdum veritatem illius quæstionis, oportet præconcipere terminos illius quæstionis de conceptu simplici illius subiecti, si est possibilis naturaliter, nunc est quæstio. Nec valet distinguere de conceptu naturali, & supernaturali: quia quæritur de naturali. Nec valet distinguere de naturali loquendo de natura absolutè, vel de natura pro statu isto: quia quæritur præcisè de cognitione pro statu isto. Nec valet distinguere de cognitione Dei in creatura vel in se: quia si cognitio habeatur per creaturam, ita quod cognitio discursiua incipiat à creatura: quæro, in quo termino sistitur ista cognitio? si in Deo *D. Tho. 1. p. q. 3. a. 4.*

in

in ſe, habeo propoſitum: quia illum conceptum Dei in ſe quæro. Si non ſiſtit in Deo in ſe, ſed in creatura: tunc idem erit terminus, & principium diſcurſus, & ita nulla notitia habetur de Deo. Eſt igitur mens quæſtionis iſta, vtrum aliquem conceptum ſimplicem poſsit intellectus viatoris naturaliter habere, in quo conceptu ſimplici cõcipiatur Deus.

I. Ad hoc dicit quidam Doctor ſic: quod loquendo de cognitione alicuius, diſtingui poteſt ex parte obiecti per ſe, vel per accidens, in particulari, vel in vniuerſali. Realiter per accidens nõ cognoſcitur Deus: quia quidquid de ipſo cognoſcitur, eſt ipſe Deus: tamẽ cognoſcendo aliquod attributum eius, cognoſcimus quaſi per accidens quod eſt. Vnde de attributis dicit Damaſcen. lib.1.cap.4. quod non naturam dicunt Dei, ſed quæ circa naturam. In vniuerſali etiam, putà in generali attributo, cognoſcitur, non quidem in vniuerſali ſecundum prædicationem, quod dicatur de ipſo, in quo nullum eſt vniuerſale: quia quidditas illa eſt de ſe ſingularis: ſed in vniuerſali, quod ſibi analogicè commune eſt, & creaturæ: tamen quaſi vnum à nobis concipitur propter proximitatem conceptuum: licet ſint diuerſi cõceptus. In particulari non cognoſcitur ex creaturis: *quare autem, vide in artic. 3. quæ ſequuntur ex iſto Doctore.*

Doctor iſte eſt Henric. in ſumma, art.22.q.1. 2. & 3.

K. Item, in vniuerſali tripliciter cognoſcitur, generaliſsime, generalius, generaliter: generaliſsime habet tres gradus, cognoſcendo enim quodcũque ens, vt hoc ens eſt, indiſtinctiſsimè concipitur Deus: quia concipitur ens, quaſi pars conceptus, & eſt primus gradus. Amouendo autem hoc, & concipiendo ens, eſt ſecundus gradus: iam enim ens, vt conceptum, non vt pars conceptus, concipitur commune analogum Deo, & creaturæ. Quod ſi diſtinguatur cõceptus entis, qui Deo conuenit, putà concipiendo ens indeterminatum negatiuè, id eſt non determinabile à conceptu entis, qui conuenit creaturæ analogicè, quod eſt ens in determinatum priuatiuè: ita eſt tertius gradus. Primo modo, indeterminatum abſtrahitur, vt forma, ab omni materia, vt in ſe ſubſiſtens, & in participabilis. Secundo modo, indeterminatum eſt vniuerſale abſtractũ à particularibus, quod non eſt actu participatum in illis. Poſt iſtos tres gradus concipiendi generaliſsime, concipitur Deus generalius, concipiendo quodcunque attributum, nõ ſimpliciter ſicut prius: ſed cum præeminentia ſumma. Generaliter autem concipitur, concipiendo quodcunque attributum eſſe idem ſuo primo proprio attributo, ſcilicet eius eſſe, propter ſimplicitatem, &c. *vide præterea, quæ ſequuntur ex iſto auctore in articulo 5.*

L. Reſpondeo aliter ad primã quæſtionem, & in quibuſdam contradicam poſitioni prædictæ. Rationes enim meæ poſitionis oſtendunt oppoſitum illius poſitionis. Dico primo, *reſpondendo ad hunc primum articulum*, quod non tantum haberi poteſt conceptus naturaliter, in quo quaſi per accidens, concipitur Deus, putà in aliquo attributo; ſed etiam aliquis conceptus, in quo per ſe, & quidditatiuè concipitur Deus. Probo: quia concipiendo ſapiẽtem cõcipitur proprietas ſecundum eum, vel quaſi proprietas in actu ſecundo perficiens naturam: ergo intelligendo ſapientem, oportet præintelligere aliquod quaſi ſubiectum, cui intelligo illud quaſi proprietatem ineſſe: & ita ante conceptus omnium paſſionum, vel quaſi paſsionum, oportet inquirere conceptum aliquem quidditatiuum, cui intelligantur iſta attri-

Prima concluſio,

Secunda cõcluſio.

attribui: & ille conceptus alius erit quidditatiuus de Deo: quia in nullo alio potest esse status. Ad argumenta principalia illius quæstionis, &c.

M. Ad primum dico: quod illa comparatio Philosophi debet intelligi quantum ad primam motionem intellectus ab obiecto: ibi enim phantasmata cum intellectu agente habent vicem primi obiecti mouentis: sed non debet intelligi quantum ad omnem actum sequentem motionẽ primam: potest enim intellectus abstrahere obiectũ inclusum in aliquo primo mouente, & considerare illud abstractum, non considerãdo istud, à quo abstrahit, & considerando illud sic abstractum considerare commune sensibili, & insensibili, & in illo considerat sensibile in vniuersale, sicut est sensibile, & potest considerare istud abstractum, & aliud abstractum, cum quo fit proprium alteri, scilicet insensibili: sed sensus nõ est abstractiuus, & ideò in omni actu tàm primo, quàm secundo, requirit aliquod obiectum primum mouens, quo non se habet phantasma ad intellectum.

N. *Confutatio Commentatoris.* Ad secundum dico: quod Commentator exponit illud simile Philosophi de difficili, & non de impossibili. Et ratio sua est: quia tunc natura fecisset ociosè illas substantias abstractas intelligibiles, & non possibiles intelligi ab aliquo intellectu. Sed ista ratio eius nõ valet: tùm quia non est finis illarum substantiarum in quantum intelligibiles sunt, vt intelligantur ab intellectu nostro: & ideò si hoc non conueniret eis, non propter hoc essent frustra intelligibiles. Tùm quia non sequitur, non sunt intelligibiles ab intellectu nostro: ergo à nullo: possunt enim intelligi à se ipsis: & ideò est fallacia consequentis. Vnde licet multipliciter posset exponi auctoritas Philosophi, dico tamen: quod oculus Noctuæ non habet cognitionem, nisi intuitiuam, & naturalem, & quantum ad istas duas conditiones potest exponi auctoritas Philosophi de impossibili: quia sicut impossibile est illi oculo naturaliter, & intuitiuè considerare obiectũ illud: sic intellectui nostro est impossibile naturaliter, & intuitiuè cognoscere Deum.

Ad tertium dico: quod infinitum potentiale est ignotum: quia vnum quodque est cognoscibile, in quantum est in actu: non tamen ita est ignotum, quod repugnat sibi intelligi ab intellectu infinito. Sed non potest infinitum cognosci ab aliquo intellectu cognoscente ipsum secundum modum suæ infinitatis: modus enim suæ infinitatis est accipiendo alterum post alterum: & intellectus, qui cognosceret hoc modo alterũ post alterũ, cognosceret semper aliquod finitum, & nunquam infinitum. Intellectus tamen infinitus potest cognoscere totum illud simul, non partem post partem. Et cum arguitur de 2. Metaph. de infinitis, & infinito, dico, quod non est simile: quia cognitio obiectorum infinitorum numeraliter cõcluderet infinitatem potentiæ cognoscentis, sicut patuit in quæstione prima secundæ dist. artic. 2. ad infinitatem videlicet: quia ibi pluralitas ex parte obiecti concludit maioritatem virtutis in intellectu: sed intellectio alicuius infiniti intensiuè non concludit infinitatẽ actus: quia non oportet actũ habere talem modum, qualem habet obiectum: quia actus sub ratione finiti potest esse ad obiectum sub ratione infiniti: nisi esset actus comprehensiuus. Et concedo, quod talem actum circa obiectum infinitum non habemus nec est possibile. O.

Ad quartum *videlicet* ad Gregorium, dico: quod non habet intelligi, P.

ligi, quod contemplatio ſiſtat ſub Deo in aliqua creatura: quia hoc eſſet frui vtendis, quod eſſet ſumma peruerſio, ſecũdum Auguſt. 83. quæſtionum quæſt. 30. ſed conceptus illius eſſentiæ ſub ratione entis eſt imperfectior conceptu illiusmet eſſentiæ, vt hæc eſſentia eſt. Et quia imperfectior eſt, ideò eſt inferior in intelligibilitate: contemplatio autem de lege communi ſtat in tali conceptu communi; & ideò ſtat in aliquo conceptu, qui eſt minoris intelligibilitatis, quàm Deus in ſe, vt hæc eſſentia: & ideò debet intelligi ad aliquid, quod eſt ſub Deo, hoc eſt, ad aliquid in ratione intelligibilis, cuius intelligibilitas eſt inferior intelligibilitate Dei in ſe, vt hæc eſſentia ſingularis.

Q. Ad argumenta pro prima opinione *hoc eſt pro opinione Henrici in corpore articuli relata.* Cum arguit; quod Deus non poteſt intelligi in aliquo conceptu veriſimili communi vniuoco ſibi, & creaturis: quia eſt ſingularitas quædam. Reſpondeo, conſequentia non valet: Sortes enim, in quantum Sortes, eſt ſingularis, & tamen â Sorte plura poſſunt abſtrahi prædicata: & ideò ſingularitas alicuius non impedit, quin ab eo, quod ſingulare eſt, poſsit abſtrahi aliquis conceptus communis. Et licet quidquid eſt ibi, in re ſit ſingulare in ſe in exiſtendo, ita quod nihil contrahat aliud ibi ad ſingularitatem, tamen illud idem poteſt concipi, vt hoc in re, vel quoddammodo indiſtincte; & ita vt ſingulare, vel vt commune. Quod dicit de cognitione per accidens non oportet improbare: quia quaſi per accidens cognoſcitur in attributo: ſed non præciſe ſic, ſicut ſupra probatum eſt.

Expoſitio articuli primi, quæſtionis primæ, diſtinctionis tertiæ.

IN quibuſdã articulis primæ quæſtionis Prologi demonſtrat Doctor, non poſſe intellectum creatum naturæ viribus Deum cognoſcere. Modo autem in quinque articulis huius quæſtionis, aliquem conceptum, quo Deus naturaliter cognoſcatur, inueſtigat. Ne tamen videatur iuxta ea quæ illic reſoluit, hîc ſibi contradicere: eſt ſupponendum, quod aliud eſt rem diſtinctè cognoſcere, aliud verò cognoſcere rem cõfuſe, ſecundum aliquem ipſius quidditatiuam rationem. Nam vt cognoſcam diſtincte hominem, non ſufficit cognoſcere de homine, quod eſt ſubſtantia aut corpus: ſed neceſſum eſt adęquatam ipſius diffinitionem cognoſcere: & ita rationali non cognito, homo diſtinctè nondum concipitur. Concipitur tamen aliquid, quod ad hominis quidditatem pertinet: quia omnia prædicata quidditatiua ſibi eſſentialiter conueniunt. Et ideò cognito de homine, quod eſt ſubſtantia, habetur aliquis conceptus quidditatiuus hominis: non tamen homo quidditatiuè diſtinctè cognoſcitur. In prima ergo quæſtione Prologi reſoluit Doctor, non poſſe Deum ab intellectu creato, viribus naturæ quidditatiuè diſtinctè cognoſci. Hîc autem non hanc diſtinctam cognitionem inquirit: ſed ſpeculatur, an poſsit intellectus creatus viribus naturæ de Deo aliquem conceptũ, ſaltim inadæquatum, & quantumuis communem, dummodo ſit quidditatiuus, habere? 1

Ad hunc igitur ſenſum hanc difficultatem pertractat in hoc articulo primo quærens an talis conceptus de Deo naturaliter poſsit haberi? Et in primis excludit ab hac quæſtione viam negationis: quia negatio non cognoſcitur niſi per affirmationem, vt ibi clare probat: & ideò viam affirmationis inueſtigans, quærit, vtrum dari poſsit aliqua cognitio de Deo terminata ad aliquid, quod ſibi poſitiuè, & quidditatiuè conueniat? Nam vt ibi inquit ex 4. Metaph. *ratio, cuius* 2

ius nomen est signum, est diffinitio. Cum ergo nomen Dei sit signum sui significati: necessariò debet esse signum diffinitionis, seu quidditatis Dei: & ideò huius significati, quod est quidditatiuè res ipsa, quæ dicitur Deus, inquirit aliquem conceptum obiectiuum, naturaliter cognoscibilem ab intellectu creato viatoris, hoc est pro isto statu, in quo supponimus intellectum phantasmatibus indigere. Et non quæritur de omni ratione, quæ de hoc conuenit, sed de aliqua quidditatiua illius. Nec ibi intenditur hunc conceptum intuitiuè haberi: nam, vt ex solutione secundi argumenti patet, non de intuitiua cognitione proceditur in præsenti.

3 *Est igitur meus quæstionis* (inquit textus) *ista, verum aliquem conceptum simplicè possit intellectus viatoris naturaliter habere, in quo conceptu simplici concipiatur?* Pro huius articuli solutione ponitur in textu opinio Henrici, quæ concedebat posse quidem haberi conceptum de Deo, nõ quidditatiuum, sed in quo quasi per accidens concipiatur Deus, vtpotè conceptus alicuius attributi: & sic posse cõcipi Deum in ratione sapientis in vniuersali: quæ opinio clare habetur ibi. Sed illam reijcit Doctor §. *respondeo aliter*. Et concludit contra Henricum, *quod non tantum haberi potest conceptus naturaliter, in quo, quasi per accidens concipiatur Deus puta in aliquo attributo* (nam attributa, vt in textu ex Diuo Damasceno probatur, non naturam dicunt Dei, sed quæ sunt circa naturam) *sed etiam aliquis conceptus in quo per se, & quidditatiuè cõcipiatur Deus.* Hæc est conclusio textualis, quam probat ibi Doctor euidenter argumento de subiecto passionis: ostendens quod attributa habent se veluti passiones, seu quasi passiones in Deo: & ex consequẽti, requirunt subiectum: quia nulla passio sine subiecto esse potest. Subiecti igitur attributorum datur conceptus quidditatiuus, cui intelligantur attributa attribui: ergo ille cõceptus subiecti, alius à conceptibus attributorum, erit quidditatiuus de Deo: quia in nullo alio potest sistere intellectus.

4 Sed quis sit iste conceptus? Expresse habetur in textu sub §. *nota secundo*, vbi primam scientiam vocat Doctor Metaphysicam: & Metaphysicã ait esse Theologiam finaliter, & principaliter. Et huius scientiæ obiectum determinat esse ens, vt sic: & ideò de ente, prout præcise est ens, datur conceptus simpliciter simplex. Et hunc conceptum quidditatiuè Deo competere, ibi probat: & hanc rationem quidditatiuam de Deo ab intellectu viatoris pro isto statu naturaliter haberi concludit. Argumẽta in principio articuli, & alia Henrici, præclare solountur ibi. Quæ litera textualis in omnibus clara est: & ideò nõ debemus immorari in illa: vltra quod, quidquid supererit explanandum, difficultas 58. patefaciet.

Prima scientia est Metaphysica, & Metaphysica Theologia appellatur, cuius obiectũ est ens.

ARTICVLVS II.

Vtrùm possit haberi conceptus de Deo, qui sit vniuocus sibi, & creaturis?

A. AD secundum sic proceditur, & videtur, quod non possit haberi conceptus de Deo, qui sit vniuocus sibi, & creaturis. Nam *ex opposito* quomodo erit beatitudo nostra naturalis in cognitione Dei, ex 10. Ethicorũ? Sed videtur contra vniuocationem entis eadem difficultas: quia omnis conceptus de Deo erit minus perfectus conceptu proprio perfecto albi: quia omnis talis continetur in albedine, vt conceptus communis in speciali. Et communis est simpliciter minus perfectus, quàm specialis: quia potentialis, & pars, respectu conceptus specialis. Quomodo ergo secundum istam responsionem erit beatitudo in cognitione naturali Dei?

10. Ethico. cap. 10.

B. Secundò præterea instatur contra responsionem *primi argumenti in fra ponendam*, dupliciter. Primo arguo, quod difficultas remanet contra viam vniuocationis: quia ex duo

bus

bus conceptibus, quorum vterque eſt imperfectior verbo albi, non videturfieri conceptus perfectior illo verbo. Sed conceptus entis, vt concedit, eſt imperfectior, quàm albi vel lapidis, & conceptus infiniti ſimiliter. Probatio, quia infinitum concipitur à nobis per finitum, vt per lineam, vel aliquod tale obiectum mouens ad conceptũ paſsionis ſuæ: igitur cõceptus infiniti eſt imperfectior conceptu lineæ.

C. Tertiò præterea *arguitur, ſeu* confirmatur ratio: quia conceptus includens affirmationem, & negationem, non eſt perfectus propter negationem, aut ſaltem non eſt perfectior, quàm concipiendo affirmationem illius negationis: hoc ens infinitum non eſt aliquis conceptus alicuius poſitiui, niſi entis: ergo infinitas non facit conceptum perfectum, aut ſaltem non erit perfectior conceptus entis infiniti, quàm finiti.

D. Quartò præterea, *vel ſecundo inordine antiqui textus*, inſtatur reſpondẽdo ſic per Henr. quod licet conceptus ſimpliciter ſimplex ſit imperfectior verbo creaturæ, vt arguitur: tamen multi tales poſſunt coniungi, & vnus determinabit alium: & ille conceptus totus erit perfectior. Nec eſt hîc maior difficultas, quàm ibi, niſi in duobus. Prior, quia hîc quilibet conceptus ſiue determinans, ſiue determinabilis, ponitur proprius Deo. ibi vnus communis, & alius prius. Secundo, quod hîc, aliquis cõceptus proprius Deo conceditur imperfectior verbo creaturæ: ibi nullus. Iſtorum autem primum non eſt inconueniens: quia paſsio bene determinat ſubiectum, vt homo riſibilis, & tamen vtrumque eſt equæ commune. Secundum oportet omninò concedere propter iſtam ſecundam rationem loquendo de conceptu, id eſt de actu concipiendi, non autem de obiecto concepto.

Sed contra eſt: quia omnis inquiſitio metaphyſica de Deo procedit ſic, ſcilicet conſiderando formalem rationem alicuius, & auferendo ab illa ratione formali imperfectionẽ, quam habet in creaturis, & reſeruando illam rationem formalem, & attribuendo ſibi omninò ſummã perfectionẽ, & ſic attribuendo illud Deo. Exẽplũ de formali ratione ſapientiæ vel intellectus, vel volũtatis, conſideratur enim prius in ſe, & ſecundũ ſe, & ex hoc quod ratio iſtorum non includit formaliter imperfectionem aliquam, nec imitationem, remouentur ab ipſa imperfectiones, quæ concomitantur eam in creaturis, & reſeruata eadem ratione ſapientiæ, & voluntatis, attribuuntur iſta Deo perfectiſsime: ergo omnis inquiſitio de Deo ſupponit intellectum habere conceptum eundem vniuocum, quẽ accipit ex creaturis. E.

Reſpõdeo dicendũ ſecũdo, quod (nõ aſſerendo, quia nõ cõſonat opinioni communi) poteſt dici, quod non tantum in conceptu analogo conceptui creaturæ cõcipitur Deus, qui ſcilicet ſit omninò alius ab illo, qui de creatura dicitur; ſed in conceptu aliquo vniuoco ſibi, & creaturæ. Et ne fiat contentio de nomine vniuocationis, conceptum vniuocum dico, qui ita eſt vnus, quod eius vnitas ſufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipſum de eodem: ſufficit etiam pro medio ſyllogiſtico, vt extrema vnita in medio ſic vno, ſine falacia æquiuocationis, concludantur inter ſe vnum. Et vniuocationem ſic intellectam probo tripliciter. Primo ſic, omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de diuerſis, habet conceptum (de quo eſt certus) alium à conceptibus, de quibus eſt dubius. Subiectũ includit prædicatum. Sed intellectus viato- F. *Concluſio.*

viatoris potest esse certus de Deo, q̃ sit ens, dubitando de ente finito, vel infinito, creato vel increato: ergo conceptus entis de Deo est alius à conceptu isto vel illo: & ita neuter ex se, sed in vtroque illorum includitur: ergo vniuocus. Probatio maioris: quia nullus idem cõceptus est certus, & dubius: igitur vel alius, quod est propositum: vel nullus: & tunc non erit certitudo de aliquo cõceptu. Probo minorem: quilibet Philosophus fuit certus, illud, quod posuit esse primum principium, esse ens: putà vnus de igne, alius de aqua certus erat, quod erat ens: non autem fuit certus, quod esset ens creatum, vel increatum: primum vel non primum. Nõ enim erat certus, quod erat ens primum: quia tunc fuisset certus de falso: & falsum non est scibile. Nec quod erat ens non primũ: quia tunc non posuisset oppositum.

5. Post. ter. con. 5. Confirmatur etiam ratio; nam aliquis videns Philosophos discordare potest esse certus de quocunque eorum, quod quilibet posuit primum principium esse ens: & tamen propter contrarietatem opinionum eorum, potuit simul dubitare, vtrum sit hoc ens, vel illud: & tali dubitanti si fieret demonstratio concludens, vel destruens aliquem conceptum inferiorem, putà, quod ignis non erat ens primum, sed aliquod ens posterius primo ente: non destrueretur ille conceptus primus siue certus, quẽ habuit de ente: sed saluaretur in illo cõceptu particulari. Probatur de igne. Et per hoc probatur illa propositio suppositа in vltima consequentia rationis, quæ fuit, quod ille conceptus certus, qui est ex se neuter dubiorum, in vtroque illorum saluatur.

G. Quod si non cures de auctoritate ista accepta ex diuersitate opinionũ Philosophantium, sed dicas, quod quilibet habet duos cõceptus in intellectu suo propinquos, qui propter propinquitatem Analogiæ videntur esse vnus conceptus. Contra hoc videtur ratio: quia ex ista euasione videretur destructa omnis via probandi vnitatem alicuius conceptus vniuocam. Si enim dicis, hominem habere vnum conceptum ad Sortem, & Platonem: negabitur, & dicetur, quod sunt duo: sed videntur vnus propter magnam similitudinem. *Solutionis. Impugnatio.*

Præterea, illi duo cõceptus sunt simpliciter simplices: igitur non intelligibiles, nisi distinctè, & totaliter. Igitur si nunc non videntur duo, nec post. Item, aut concipiuntur, vt omninò disparati, & tunc mirum, quomodo videntur vnus; aut vt compàrati secundum analogiam, vel similitudinem, vel dissimilitudinem, & tunc aliqualiter, vel simul, vel prius, concipiuntur vt distincti: igitur non videntur vnus. Item ponendo illos duos conceptus, ponuntur duo obiecta formalia cognita: quomodo ergo duo obiecta formalia cognita, & vt non distincta? Præterea, si intellectus intelligeret singularia sub proprijs rationibus, quamuis conceptus duorum eiusdem speciei essent simillimi, non est dubium, quin licet sint multo similiores, quàm isti duo in proposito (quia isti duo differunt specie) adhuc intellectus bene distingueret inter tales conceptus singularium. Hæc etiam responsio improbatur dist. 8. quæst. 3. & alia responsio, quæ negat maiorem. H. *Idem habuit 8. dist. huius q. 3. contra Henric.*

Secundo principaliter arguo sic: nullus conceptus realis causatur in intellectu viatoris naturaliter, nisi ab his, quæ sunt naturaliter motiua intellectus nostri: sed illa sunt phantasmata, vel obiectum relucens in phantasmate, & intellectus agens: ergo nullus conceptus simplex fit modo I.

modo naturaliter in intellectu nostro, nisi qui potest fieri virtute istorum: sed conceptus, qui nō esset vniuocus alicui obiecto relucēti in phātasmate, sed omninò alius, & prior, ad quem iste haberet analogiam, nō posset fieri virtute intellectus agētis & phantasmatis, vt probabo: ergo talis conceptus alius analogus, qui ponitur naturaliter in intellectu viatoris, nunquā erit. Et ita nō poterit naturaliter haberi aliquis cōceptus de Deo, quod est falsum. Probatio assūpti: obiectum quodcunq; siue relucēs in phantasmate, siue in specie intelligibili, cum intellectu agēte, vel possibili cooperante secundū vltimum suæ virtutis, facit in intellectu sicut effectum sibi adæquatū conceptum suū proprium, & conceptum omniū essentialiter, vel virtualiter inclusorum in eo: sed ille alius conceptus, qui ponitur analogus, non est essentialiter, vel virtualiter inclusus in isto, nec est iste: ergo ille non fiet ab aliquo tali mouente.

K. Et formetur sic ratio, obiectum quodcunq; siue relucens in phātasmate, siue in specie intelligibili cum intellectu agēte, vel possibili cooperante secundū vltimū virtutis suæ, facit sicut effectū sibi adæquatū suum cōceptum propriū, & quidditatiuū: ille enim est proles adæquata sibi in esse cognoscibili, sicut proles similis in natura esset sibi adæquata inesse naturali. Igitur in cuiuscūq; alterius cognitionē potest, illa est imperfectior scientia: & per consequens non per se attribuitur ad illam.

L. Et confirmatur ratio: quia præter conceptū suum propriū adęquatum, & inclusa in ipso altero prædictorū duorum modorū, nihil potest cognosci ex isto obiecto, nisi per discursum: sed discursus præsuponit cognitionē istius simplicis, ad quod discurritur. Formetur ergo brebiter ratio sic: nullū obiectū facit cōceptū simplicē, & propriū sui in aliquo intellectu, & cōceptū simplicē, & proprium alterius obiecti, nisi cōtineat illud aliud obiectū essentialiter, vel virtualiter: obiectum autem creatum non continet increatum essētialiter, vel virtualiter: ergo, &c.

Secūda pars minoris, scilicet quod obiectū creatū non cōtineat virtualiter increatū, & hoc sub ea ratione sub qua sibi attribuitur, vt posterius essētialiter attribuitur priori essētialiter, probatur: quia est cōtra rationē posterioris essēntialiter cōtinere virtualiter suū prius. Et etiā patet: quod nō cōtinet essētialiter increatū, secūdum aliquid omninò sibi propriū, & nō cōmune: ergo non facit cōceptū simplicē, & proprium enti increato. M.

Tertio arguo sic, cōcept⁹ proprius alicuius subiecti est sufficiēs ratio cognoscendi de illo subiecto omnia cōceptibilia, quæ sibi necessario insūt: nullū autē conceptum habemus de Deo, per quē sufficienter possimus cognoscere omnia cōceptibilia, quę sibi necessariò insūt: patet de Trinitate, & alijs creditis necessarijs: igitur, &c. Maior probatur: quia immediatā quālibet cognoscimus, in quantū terminos cognoscimus: igitur. Patet maior de omni illo cōceptibili, quod immediatè inest conceptu subiecti: quod si insit mediate, fiet idem argumentū, sicut de medio cōparato ad idē subiectū: & vbicūq; stabitur, habetur propositū de immediatis, & vltra per illas immediatas sciētur mediatę. N.

Quarto potest sic argui. Aut aliqua perfectio simpliciter habet rationem communem Deo, & creaturæ, & habetur propositum: aut non, sed tantum propriam creaturæ, & tunc ratio perfectionis simpliciter non conuenit formaliter Deo: quod est inconueniens: aut habet rationem omninò propriam Deo, & O.

tunc sequitur, quod nihil attribuendum est Deo, quod est perfectio simpliciter: nam hoc nihil aliud est dicere, nisi quod quia eius, vt conuenit Deo, dicit perfectionem simpliciter: ideò ipsum ponitur in Deo. Et ita peribit doctrina Anselmi Monol. 15. vbi vult, quod prætermissis relationibus in omnibus alijs, quidquid melius est simpliciter ipsum, quàm non ipsum, attribuendum est Deo, sicut quodcunque non tale est amouendum ab ipso primo: ergo secundum ipsum aliquid cognoscitur esse tale. Et secundo attribuitur Deo: ergo non est tale præcise, vt est in Deo. Hoc etiam confirmatur: quia tunc illa perfectio simpliciter non esset in creatura: consequentia patet: quia nullius talis perfectionis conceptus aliquis conuenit creaturæ, nisi conceptus analogicus ex hipothesi talis secundùm se: quia analogicus est imperfectus: & in nullo est ratio eius melior non ipso: quia alias secundum illam rationem analogicam poneretur in Deo.

P. Item seu tertio sic: omnis inquisitio metaphysica de Deo procedit, &c. *vt habetur §. sed contra.* Quod si dicas, non: sed alia est formalis ratio eorum, quæ conueniunt Deo. Ex hoc sequitur inconueniẽs scilicet, quod ex nulla ratione propria eorum, prout sunt in creaturis, potest concludi aliquid de Deo: quia omninò alia, & alia ratio est istorum, & illorum: imò non magis concluderetur, quod Deus est sapiens formaliter, ex ratione sapientiæ, quam aprehendimus ex creaturis, quàm quod Deus est formaliter lapis. Potest enim conceptus aliquis alius a conceptu lapidis creati formari, ad quem conceptum lapidis, vt est idea in Deo, habet lapis iste attributionem: & ita formaliter dicetur Deus est lapis, secundum istum conceptum analogicum. Qualis autem sit vniuocatio entis, & ad quanta, & ad quæ, dicetur magis inferius in quæstione de primo obiecto intellectus.

Q. Ad istud etiam sunt alia media dist. 8. quæst. 3. contra primam opinionem *hoc est Henrici in primo articulo relata*. Arguitur etiam aliter ad hoc sic. Perfectior creatura potest mouere ad perfectiorem conceptum de Deo: igitur cum aliqua visio Dei, putà infima, non tantùm differat ab aliqua intellectione abstractiua data ipsius, quantum suprema creatura distat ab infima, videtur sequi, quod si infima potest mouere ad aliquam abstractiuam, quod suprema, vel alia circa eam, poterit mouere ad intuitiuã, quod est impossibile. Quod si dicas, tot gradus esse in intellectione abstractiua de Deo, quot sunt species creatæ: licet extremæ intellectiones non tantùm distent, quantum extremæ species: quod bene est possibile: quia quilibet gradus in intellectionibus minus distat à sibi proximo, quàm species creata mouens ad istum distet à specie mouente ad alium. Contra, differentia intellectionum abstractiuarũ non est tantũ numeralis: quia illæ causantur à causis alterius speciei, & per proprias rationes earum, non in quantũ includunt aliquid commune, sicut dicit via de vniuocatione: ergo sequitur, quod inter infimam intellectionẽ abstractiuam, & infimã intuiuã, sint plures species mediæ, quã inter infimam speciẽ entium, & supremam: vel tot. Quod si est inconueniens, & per consequẽs antecedens: ergo paucioresunt species intellectionis abstractiuæ, quàm entiũ: ergo incipiẽdo ab infima hinc inde, restat aliqua entitas superior illa, quæ causat supremam abstractiuam: igitur ista superior causabit intuiti- *Dist. præsenti quæst. 3. art.*

tuitiuam de Deo. Item quare ponerentur tot ſpecies intellectionum de eodem obiecto, ſi nulla mouet ad proprium. Item ad concluſionem principalem videtur eſſe, quod omnis multitudo reducitur ad vnam: ergo ita in conceptibus.

R. Contra iſtas rationes obijcitur, contra primam inſtatur de toto diſiuncto, cuius reſponſio ponitur dist. 8. & debilius improbatur, quam alię. Ad ſecundam, vt formatur brebiter, negatur maior: quia propter connexionem effectus poteſt aliquem conceptum facere de cauſa, licet non ita perfectum, ſicut cauſa de ſe. Conceditur enim, quod concluſio facit notitiam de principio demonſtratione, quia: ſed illa non eſt perfectiſsima notitia principij: ſed illa, qua cognoſcitur ex terminis perfectè cognitis. Quare ei non ſimiliter in conceptibus ſimplicibus effectus ſimpliciter aprehenſus cauſabit aliquam, notitiam habitualem ſimplicem de cauſa. Ad probationem maioris dico: quod licet non poſsit effectus in cauſam æquiuocam exiſtentem, ſic nec in aliquid eiuſdem rationis cum cauſa: poteſt tamē in notitiam aliquam eius, quæ eſt imperfectior, non ſolùm ipſa in ſe cauſa, ſed etiam effectu æquiuoco cauſæ, ſicut perfecto conceptu eius. Sed accipiatur maior ſic: nullum obiectum poteſt in conceptum alicuius, niſi contineat illud obiectum virtualiter, vel eſſentialiter. Hæc videtur manifeſta per rationem cauſæ, & effectus æquiuoci: & licet attribuatur ſecundum aliquos actio intellectui, non tota: quomodocunque obiectum requiritur: ſic non poteſt in conceptum perfectiorem conceptu ſibi adæquato: talis eſt proprius quidditatiuus: ergo, &c. Probatur minor: quia effectuum æquiuocorum eiuſdem cauſæ ille eſt perfectior, qui eſt ſimillimus cauſæ: talis eſt proles intellectualis, ſiue verbum perfectū huius obiecti. Maior probatur: quia tunc perfectio intelligētiæ excederet totā virtutem memoriæ.

S. Vt dictum eſt, abſolutè videtur cōcludendum, quod nullus poteſt de Deo fieri in nobis conceptus per actionem obiecti creati, qui ſit perfectior conceptu perfecto proprio illius obiecti: nec perconſequens ad quem attribuatur iſte proprius illius obiecti mouentis: imò ille cōceptus de Deo eſt imperfectior verbo huius: quia effectus æquiuocus diſimilior cauſæ. Oportet ergo ab opinione hac recedere, ſi ponatur conceptum lapidis attribui ad conceptū, quem cauſat de Deo lapis: præciſe ſaluari poteſt, quod obiectum conceptū attribuitur ad obiectū, non tamen conceptus ad conceptum: & hoc eſt bene poſsibile: quia de obiecto perfectiori, habetur conceptus imperfectior, quàm de obiecto imperfectiori. Sed quomodo eſt rationabile in eodem intellectu cōceptū proprium de Deo eſſe ſimpliciter imperfectiorem conceptu lapidis vel albi, quod neceſſariò ſequitur ad hāc opinionē, & quomodo erit beatitudo noſtra naturalis in cognitione Dei, ex 10. Ethic. *vide infra ſolutione ad primum.*

Secunda cō cluſio.

Tertia cō cluſio.

T. Ad primum argumentum reſpondeo: quod quilibet conceptus ſimpliciter ſimplex ſecundū viam vniuocationis eſt imperfectior poſitio, quam verbum albi, hoc eſt, non tantā perfectionem ponit: tamen eſt perfectior permiſiue: quia abſtrahit à limitatione: & ita eſt conceptibilis ſub infinitate. Et tunc ille conceptus, ſimplex quidem, non tamen ſimpliciter ſimplex, ſcilicet ens infinitum, erit perfectior verbo albi, & ille eſt proprius Deo: non autem ille prior communis abſtractus ab albedine. Vnde via vniuocationis tenet, quod omnis conceptus proprius

Deo est perfectior verbo cuiuscunque creati: sed alia non sic.

V. Ad secundum quoad istas instantias videtur satis congrue responderi: quia vtraque opinio conceptum non simpliciter simplicem ponit perfectiorem verbo illius, quod mouet ad perfectum: sed instantiæ arguendo factæ videntur esse contra vtranque opinionem: quia quomodocunque coniungantur, quilibet istorum conceptuum imprimitur à creatura mouente: igitur, est perfectior verbo illius creaturæ: aggregatio autem imperfectorum, quomodo faciet conceptum perfectiorem intensiue?

X. Ad tertium, quod confirmatio etiam bene instat contra illud de infinito: non ergo propter illam rationē dimittatur opinio: quia est communis difficultas vtrique, & æquè. Si analogia conceptus exponitur de conceptis, forte instantiæ benè probant, quod actus circa Deum nō est perfectissimus intensiue. Nec hoc requiritur, vt sit ibi beatitudo naturalis: sed quod coniungat perfectissimo obiecto, quantumcunque sit perfectus, siue imperfectus, vt dicitur 11. de Animalibus. Parum nosse de immaterialibus excedit notitiam aliorum. Forte enim intensiùs amari potest creatum aliquando, quàm Deus: nec tamen illud amatum nunc beatificat, sicut Deus. De hoc 4. lib. dist. 49. quomodo beatificamur in obiecto. Illud de infinito verum esset, si infinitum esset præcise modus, sub quo obiectum primum concipe retur, & non pars conceptus, vel modus, sic quod conceptus in se: sicut distinguitur in quæstione de vnitate Dei de singularitate, vt concipitur; & vt modus præcise, sub quo cōcipi potest: quemadmodum etiam certus gradus intensionis est præcise modus, sub quo videtur hæc albedo: sic autem non intelligimus ens infinitum, sed vt includens duos cōceptus: licet alter determinet alterum. Et forte ille priuatiuus finiti nihil ponit, quamuisdet intelligere positiuum, ita quod si habemus conceptum positiuum de necessario, magis perfectè positiue intelligitur hîc ens simpliciter necessarium. Sed ne forte per necessarium, nec æternum cōcipimus, nisi negationem imperfectionis, putà potentiæ aliter se habendi, vel fluxibilis, seu principij, seu finis, æternum dicit quoddam infinitum: quia duratione minime perfectior est infinitas, quàm in quantitate perfectionis, sicut infinita magnitudo, si esset perfectior, esset in infinito tempore.

Ad quartum *habetur solutio in ipso, & ex dictis satis constat.* Y.

Expositio secundi articuli quæstionis primæ distinctionis tertiæ.

CONCLVSIO huius articuli est affirmatiua, qua Doctor tuetur dari vnicum conceptum communem, non solùm analogum sed vniuocum, Deo & creaturis. Et quamuis ibi ob solitam loquendi modestiam, videatur non assertiue, sed probabiliter id defendere, quatenus §. *Respondeo dicendum*, ponit illam particulam *non asserendo*: quia nihilominus per totius articuli discursum illam assertiue affirmat, & argumenta in oppositum iuxta hanc sententiam soluit: habetur communiter hæc conclusio (vt revera est) pro expressa Scoti sententia: quam cum omni schola ipsius libenter, vt Scoti propriā tueor: quia tamē quidquid in litera eget expositione, in sequenti difficultate commodius ventilatur: ad illam quodcunque difficile huius literæ referuatur.

DIFFI-

DIFFICVLT. LVIII.

Vtrùm detur aliquis conceptus obiectiuus communis vniuocus Deo, & creaturis?

§. 1.

Duplex ſententia refertur.

1 *Prima ſententia Rabi Moiſis.*

SOLET à Metaphyſicis, imò & à Theologis non paucis, hęc difficultas commiſceri cum illa, an ens ſit vniuocum ſubſtantiæ, & accidenti: quia pluribus eadē prorſus vtriuſque viſa eſt ratio dubitandi. Immerito tamen, quoniam longè diſtat vna difficultas ab alia, ſicut finitum ab infinito. Quam ob rem Doctor ſeorſum has quæſtiones ventilauit. De propoſita ergo difficultate, quæ potius Theologica, quam metaphyſica eſt, licet inter metaphyſicas etiam ſoleat collocari, fuit prima ſententia cuiuſdam Rabi Moiſis, quem refert Diuus Thom. quæſt. 7. de potentia art. 7. & tribuitur Aureolo apud Capreolum in 1. diſt. 2. quæſt. 1. quæ aſſerit, ens eſſe merè æquiuocum Deo, & creaturis: atque ideò nullum conceptum entis dari communem in quo Deus, & creaturæ obiectiuè conueniant. Huius ſententiæ fundamētum nititur triplici ratione, quæ ſequētibus tribus argumentis profertur.

2 Primo igitur, probatur hæc ſententia, quoniam eadem eſt ratio entis, & cauſæ, vt dicuntur de Deo & creaturis. Sed cauſa dicitur æquiuocè de illis, quia Deus eſt cauſa æquiuoca, plures verò creaturæ ſunt vniuocæ: & ideò cauſa de Deo, & creaturis æquiuocè dicitur: ergo etiā ens æquiuocè dicitur de Deo, & creaturis.

3 Secundo, nam inter ea, quæ non aſſimilantur adinuicem in aliqua vnitate cōmuni, eſt æquiuocatio, in hoc etenim differt æquiuocū ab vniuocis, ſeu analogis: quia vniuoca ſunt eadē in natura: analoga verò ſaltim per ſimilitudinem. Sed inter Deum & creaturas, nō eſt vnitas naturæ cōmunis, ſi quidē eſt infinita diſtantia: nec aliqua ſimilitudo iuxta illud pſalmi *Deus quis ſimilis tibi?* ergo Deus & creaturæ, æquiuocè ſunt entia, & ens æquiuocè dicitur de illis.

4 Tertio inter ea, in quibus nulla eſt proportio, non poteſt eſſe vniuocatio, nec analogia, ſed mera æquiuocatio. At qui inter Deū & creaturas nulla eſt proportio: finiti enim ad infinitū, nulla eſt proportio: quia eſt infinita diſtantia: ergo inter Deum & creaturas nulla eſt vniuocatio, nec analogia, ſed mera æquiuocatio.

5 *Secūda ſententia Diui Thomæ.*

Diuus Thom. 1. p. q. 13. art. 5. & q. 7. de potentia art. 7. & 1. contra gentes c. 33. aſſerit ens non vniuocè, ſed analogicè dici de Deo & creaturis: & ideò non dari vnicum conceptū obiectiuum vniuocè communē creaturis, & Deo. Quē ſequuntur Caietanus ibidem, & in tractatu 6. de conceptu entis, Capreol. in 1. diſt. 2. q. 1. Iauellus q. 1. Sueſanus ibidem, Dominicus de Flādria 1. Metaph. quæſt. 2. art. 3. Soncinas quæſt. 4. Petrus Niger 1. p. clypei Thomiſtarum q. 49. Soto q. 1. in anteprædicamentis, Thom. de Argentina in 1. diſt. 25. & 26. & omnes Thomiſtæ. Item Ægidius Roman. & Durandus ibidem. Ex Ieſuitis autem Fonſeca 1. Metaph. quæſt. 1. Suarez 1. tomo Metaph. diſp. 2. ſect. 2. num. 8. & 2. tomo diſp. 28. ſect. 3. num. 16. Vazquez 1. p. diſp. 22. cap. 5, num. 9. Quæ ſententia probatur ſequentibus argumentis.

Caietanus. Capreolus. Iauellus. Sueſanus. Flandria. Soncinas. Petrus Niger. Argentin. Ægid. Ro. Durandus. Fonſeca. Suarez. Vazquez.

6 Primo, quia nihil eſt cōmune vniuocum cum his, quæ ſunt ſub extremis cōtradictorijs: quia inter contradictoria non datur medium. Sed Deus & creaturæ ſunt huiuſmodi: quia finitum & infinitum, creatum & increatum, mortale & immortale, & ſimilia, ſunt prædicta contradictoria, quę conueniunt Deo & creaturis: ergo inter illas & Deum nulla poteſt eſſe vniuocatio.

7 Secundo, quoniam ens nullam dicit naturam: quia tantùm importat quandā rationem tranſcendentalem in omnibus naturis imbibitam: ſed vniuocum, dicit naturam quandam pluribus communem, in qua quidditatiuè conueniūt: ergo ens non eſt vniuocum eis, in quibus reperitur. Tùm ſic, ſed nullus alius conceptus obiectiuus poteſt dari Deo, & creaturis communis, niſi conceptus entis: ergo, &c.

8 Tertio, quoniam vniuoca æqualiter participant rationem quidditatiuam vniuoci, ita quod non plus vnum, quàm aliud dicatur quidditatiuè tale. Ideò etenim homo eſt vniuocus Petro, & Paulo: quia non magis quidditatiuè vnus eſt homo, quâ alter. Sed ens, ſeu quilibet alius conceptus obiectiuus, poſsibilis dari communis Deo & creaturis, non æqualiter participatur à creaturis & Deo: ſi quidem vbi eſt infinita diſtantia, nulla eſt æqualitas, nec conuenientia: ergo nullus eſt dabilis conceptus obiectiuus vniuocè communis Deo & creaturis.

9 Quarto, nam ſi ens eſſet vniuocum creaturis & Deo, haberet conceptum communem præcindentem à Deo & creaturis. Sed tunc maius inferebatur abſurdum: ſi quidem daretur aliquod ſimplicius Deo, & ita Deus non eſſet ens ſimpliciſsimum: eſſet enim ille talis conceptus ſimplicior ipſo Deo, ſicut prædicatum contrahibile eſt ſimplicius ſe ipſo, prout contractum eſt. Si igitur ens, ſeu quicunque alius conceptus obiectiuus, prout præcindit à Dei quidditate, eſt ipſi Deo, & creaturis quidditatiuè, & vniuocè conueniens, & vt ſic præciſe infert maiorem ſimplicitatem quam Deus, eo quod Deus, & includit conceptum ipſius entis, & peculiarem ſuæ quidditatis: proculdubio non eſt Deus ita ſimplex, ſicut & ipſum ens, & ex conſequenti non eſt Deus ens ſimpliciſsimum, quod falſum eſt.

10 Quinto, quoniam primo diuerſa in nullo cõueniunt: ſed Deus & creaturæ ſunt primo diuerſa: alioquin enim haberent, in quo conuenirent, & in quo differrent, ſicut quodcunque compoſitum creatum: & ex conſequenti collocarentur in aliquo prædicamento, tanquam quid conſtans ex genere & differentia: ergo Deus & creaturæ in nullo conueniunt. Et ex conſequenti nullus eſt dabilis conceptus obiectiuus Deo & creaturis vniuocè communis.

11 Sexto, ſi ens diceret conceptum vniuocum Deo & creaturis, ſequitur quod aliquod eſt ens reale, quod nõ eſt Deus, & eſt prius natura Deo. Sed hoc eſt aperte falſum, quia iuxta torrentem omnium Theologorum, Deus eſt primum ens inter omnia entia realia. Sequela autem probatur: quia ille conceptus vniuocus, prout à Deo præcindit, eſt prior natura ipſo Deo, ſicut animal eſt prius natura rationali: nam ſecundum Ariſtotelem in poſtprædicamentis, illud eſt prius alio, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia. Sed illud tale ens, ſeu conceptus, vt à Deo præcindit, eſt ens reale, ſi quidem iam de ente reali ab ente rationis diſtincto hæc difficultas procedit: quia omni intellectu ceſſante ſupponitur in Deo & creaturis habere eſſe: ergo, &c.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, & aliqua fundamenta illius explanãtur.

IN oppoſitum tamen eſt litera textualis in hoc artic. 2. in corpore §. *Reſpondeo dicendum*, vbi hæc profert Doctor: *Poteſt dici, quod non tantum in conceptu analogo conceptui creaturæ, concipitur Deus, quiſcilicet ſit omninò alius ab illo, qui de creatura dicitur: ſed in conceptu aliquo vniuoco ſibi & creaturæ.* Item infra in quæſt. 3. hoc tenet, & diſt. 8. quæſt. 3. & in 4. Metaph. quæſt. 1. & in 2. Sententiarum diſt. 12. quæſt. 2. ſub litera G. Sequuntur Doctorem Guillelmus Rubionis in 1. diſt. 3. quæſt. 1. §. *his præmiſſis*, Maironis ibidẽ, §. *hic ſunt*, & quæſt. 2. prologi, Vigerius in eodem 1. diſt. 3. quæſt. 2. §. *ſecundo dico*, Tataretus eadem diſt. 3. quæſt. 1. à §. *ſecundum dictum Scoti*. Et in Metaph. quæſt. 1. & cap. de ſpecie, dub. 1. Lychetus in 1. diſt. 3. quæſt. 1. à §. *Reſpondeo aliter*, Antonius Andreas ibidem quæſt. 2. §. *quinto dico*, & 4. Metaph. quæſt. 1. Trombeta ibidem quæſt. 2. & tractatu de entis vniuocatione, & in formalitatibus art. 1. Syrectus in formalitatibus fol. 63. pag. 2. Valonis ibidem, vſque ad fol. 69. Bonetus in lib. ſuæ Metaphyſicæ capit. 6. Colonia quæſt. 117. Pater Rada 1. parte controuerſ. 21. artic. 1. Pater Herrera in 1. diſputa. 7. quæſt. 1. notabili 1. Licet ibi potius formalem, quam obiectiuum conceptum videatur admittere. Gregorius Pomi aurei in primo diſtinctione 3. quæſt. 1. art. 2. & omnes Scotiſtæ vno dempto

12 *Rubionis. Maironis. Vigerius. Tataretus. Lychetus. Ant. And. Trombeta. Syrectus. Valonis. Bonetus. Colonia. Rada. Herrera. Pomerius.*

Baſolis. dempto Baſole, qui in primo diſtinct.8. quæſt. 1. §. *propter iſtas inſtantias*, ſecundæ ſententiæ aſſentiat. Ex Nominalibus autem Scotum ſequuntur, OKam

Okam. Gabriel. Ariminen. in 1.diſtinct.2.quæſt.9. Gabriel ibidem, Ariminenſ.ibi.& diſt.8.quæſt.3.& pluresalij.

13 *Conceptus quadrupliciter accipitur.*

Pro huius difficultatis tituli claritate prænotat Vigerius vbi ſupra, quod conceptus quadrupliciter capitur. Primo videlicet pro propoſitione concepta, iuxta quod dicitur intellectū formare conceptum de aliquo complexo, veluti concipit Petrum eſſe doctum, ſeu hominem riſibilem eſſe. Et conceptus in iſta conſideratione, non ſupponit pro ipſa re, quæ concipitur, ſed pro termino complexo, quem intellectus ſic format. Secundo ſumitur pro obiecto, quod concipitur, ſiue illud ſit incomplexum, ſiue complexum. Quælibet enim res, quæ ab intellectu concipitur, vocatur hoc modo conceptus: & ideò iſte dicitur conceptus obiectiuus, ac ſi dicatur obiectum noſtri conceptus. Tertio ſumitur pro ſpecie intelligibili, eo quod eſt immediata cauſa conceptus, quatenus illum cum intellectu producit. Quarto tandem ſumitur pro notitia, ab intellectu, & obiecto ſeu ſpecie, producta, quæ eſt ipſum verbum mentis, quod propriſsime dicitur conceptus. Et differt conceptus hoc modo à conceptu in prima conſideratione: quia hic eſt incomplexus, ſicut per ſimplicem apprehenſionem concipitur, verbi gratia, homo: ille autem eſt complexus, qui vltra ſimplicium terminorum apprehenſionem, quæ eſt prima intellectus operatio, importat ſecundam, quæ eſt ipſorum terminorum cōpoſitio. Ex his omnibus acceptionibus ſola ſecunda, & tertia cadunt ſub difficultate præſenti.

14 Inquirimus enim, non de integra Dei aut creaturæ diffinitione: ſed iuxta mētem primi articuli huius quæſtionis, vbi inueſtigat Doctor, an aliquis ſimplex conceptus quidditatiuus naturaliter haberi poſſet de Deo? Et vt hūc quidditatiuum conceptum naturalis ratio conſequi valeat: prius ſcrutatur, an in creatis reperiatur conceptus aliquis, qui ſit ipſis creaturis quidditatiuus: & etiam ſit quidditatiuus ipſimet Deo? Ex hoc etenim, quòd talis conceptus Deo, & creaturis cōmunis, quidditatiuus eſt, eſt ipſis vniuocus. Et ex hoc optimè concluditur, quod ſicut naturalis ratio hunc talem cōceptum ex naturalibus adipiſcitur in creatura: conſequenter hunc eundem conceptum quidditatiuum naturaliter habere poteſt de Deo. Hūc ergo conceptum eſſe analogum creaturis & Deo, tenet ſecunda ſententia: eſſe verò æquiuocum, tenuit prima: eſſe autem vniuocum formaliter tantùm, & non obiectiuè, ſumendo conceptum in quarta acceptione, tenuerunt quidam ex noſtris: eſſe autem vniuocum, non tantùm formaliter, ſed obiectiuè, ſumēdo conceptum in ſecunda acceptione, pro ipſo obiecto, quod à nobis concipitur, tenent cum Doctore plerumq; omnes eius diſcipuli. Et hæc eſt expreſſa mens Scoti, vt patet per totius quæſtionis diſcurſum.

Pro eius tamen intelligentia primo obſeruare oportet, quod quia tripartita eſt opinantium claſis, circa prædicatum vnius ſubiecti, de quo dicimus eſſe conceptum: nam quidam hunc conceptum obiectiuum Deo, & creaturis communem, aiunt eſſe æquiuocum, vt viſum eſt in prima ſententia: alij in ſecunda tenent eſſe analogum: & tandem in tertia ipſum obiectiuum conceptum, tenemus eſſe vniuocum: non exacte poterit, hæc difficultas reſolui, niſi prius hos terminos, videlicet, æquiuocum, analogum, & vniuocum recolamus. Ad quod in primis ſuppono, reſolutiſsimā exiſtere plurium Scotiſtarum ſententiam, nullum dari in re ipſa medium inter vniuocum, & æquiuocum, accipiendo æquiuocum, & vniuocum iuxta mentem Philoſophi in prædicamentis, vt aduertit Vigerius: quia analogum ſemper ſe tenet ex altero iſtorum. Verum quia hoc potius ad quæſtionem de nomine, quam de re pertinere videtur: hic demorari non debeo, ſed cum communiori ſententia, analoga admittendo eius ſignificatum exponere. Conueniunt igitur prædicti termini æquiuocum, analogum, & vniuocum, in hoc, quod quodlibet horum habet nomen commune ad plura: ſed differunt in eo, quod non æquè omnibus conuenit res ſignificata per nomen.

15

Inter æquiuocum, & vniuocum non datur medium.

16 *Æquiuocũ quid ſit, & quotuplex ſit.*

Æquiuocum ergo eſt illud cuius nomen eſt pluribus commune: ſed res ſignificata per tale nomen, eſt illis omninò diuerſa. Et hoc æquiuocum à Dialecticis diuiditur in æquiuocum à caſu, & à conſilio, ita quod æquiuocum à conſilio eſt, quando conſulto impoſitum eſt pluribus diuerſæ rationis, & naturæ, idem nomen propter attributionem quandam vnius ad aliud, ſicut dicitur hoc nomen *canis*, de terreſtri, marino, & cœleſti. A caſu vero dicitur æquiuocum, quando nulla inſpecta ratione attributionis, pluribus idem nomen imponitur, vt nomen *Petri*, quod impoſitum eſt homini Romæ exiſtenti, & inſimul alteri, qui Salmanticæ eſt.

17 *Analogum quid, & quotuplex ſit.*

Analogum autem eſt nomen pluribus commune: ſed ratio ſignificata per tale nomen non æquè participatur ab illis: vni etenim priuſquam alteri, & illi alteri dependenter ab iſto conuenit. Huius autem analogi tres differentias egregiè Rubionis declarat vbi ſupra concluſione quarta, vbi inquit: quod tres poſſunt poni modi analogiæ, quorum primus eſt ſecundùm diuerſum modum prædicandi, idem de diuerſis: & hic modus analogiæ eſt conceptus prædicati de vno in quid, & de alio in quale accidentale. Prius enim dicitur de illo, de quo in quid dicitur, quàm de illo, de quo dicitur in quale accidentale: & per conſequens talis conceptus, eſt analogus ſecundùm prius, & poſterius prædicabilis de diuerſis. Exẽplum huius ponitur, de conceptu ſapientiæ, vel in concreto de proprio indiuiduo, & de indiuiduo alieno, vtpotè de homine, & de ſapientia in indiuiduo. Aliter enim homo dicitur ſapiens, & aliter hæc ſapientia dicitur ſapientia: ſapientia enim prædicatur de iſta ſapientia in quid, tanquam ſpecies de indiuiduo: de homine autem, quando dicitur, homo eſt ſapiens in concreto, prædicatur in quale accidentale: cùm homo denominetur ſapiens ab accidente, nempè à ſapientia realiter differente à ſe. Secundus modus analogiæ ſumptus penes diuerſum modum prædicandi, & verificandi, eiuſdem prædicabilis de diuerſis, eſt conceptus denominans vnum denominatione intrinſeca, & perconſequens per prius: alterum autem tantùm denominatione extrinſeca, & perconſequẽs per poſterius. Hoc modo dicitur ſanum de animali, & de vrina: nã de primo dicitur intrinſecè, & de ſecũdo extrinſecè. Tertius & vltimus analogiæ modus ſumitur penes inæqualem gradum perfectionis illorũ, de quibus dicitur ipſe cõceptus analogus: quia videlicet vnum illorum eſt altero perfectius, & perfectiùs participat rationem communem: vt patet in exemplo de ſubſtantia, & accidente, in quæ ens deſcendit: & perfectius participatur ab ſubſtantia, quàm ab accidente.

18 *Vniuocum eſt triplex.*

Vniuocum verò eſt cuius nomen, & ratio per nomen importata pluribus cõ uenit. Vt attamẽ Antonius Andreas notauit in ſua Metaphiſica, & poſt illum Vigerius, datur triplex vniuocum. Primum videlicet Phyſicum, ſecundũ Metaphiſicum, & tertium Logicum. Vniuocationem Phyſicam tantum reperiri affirmat, in ſpecie attoma, ſub qua nulla æquiuocatio eſt: quia in genere, iuxta illud Philoſophi 6. Phiſicorum text. 21. latent æquiuocationes: & ideò natura ſpecifica attoma eſt perfectiſsimè vniuoca: quia ſub illa nulla æquiuocatio latere poteſt. Vniuocatio autem metaphiſica eſt ſupra ſpeciem attomam, in quacunque natura, ſeu realitate, aut ratione aliqua communi, in qua plura conueniunt, ita vt primo intentionaliter à pluribus ſit abſtrahibilis talis ratio, ſecluſo quocunque actu collatiuo intellectus. Vniuocationem attamen Logicam vocat ſecundam intentionem, quæ tali naturæ communi, ſecundo intentionaliter ſuperadditur: ſicut genus ſeu ſpecies naturam communem denominat genus ſeu ſpeciem. De hoc tertio vniuoco non agimus in præſenti: quia conceptum obiectiuum inquirimus, in quo Deus & creaturæ, ante intellectus conſiderationem conueniunt. Nec de primo: quia abſurdum eſſet naturam Deo, & creaturis communem, vbi eſt diſtantia infinita, inquirere. De ſecundo vero vniuoco præſens difficultas procedit: iuxta quem ſenſum illam reſoluit Doctor intextu.

§. 3.

§. 3.

Subtilis differentia inter vniuocè prædicari, & vniuocum prædicatum, cum quatuor vniuocationis gradibus oſtenditur.

19 PORRO ſecũdo obſeruari oportet, quod prout tradidit Ioannes Vallonis in formalitatibus Scoti fol. 64. quod ſumpſit ex Doctore in 3. diſt.7.q.1.art.4. & in antepræd icamentis q.3.ad 4.ex diſt.8.q. 3. huius 1. art. 1. Aliud eſt vniuocum prædicatum, & aliud eſt vniuocè prædicari. Vniuocum prædicatũ eſt, quando conceptus obiectiuus illius, quod prædicatur, eſt in ſe vnus ex natura rei: non tamen eſt de intrinſeca ratione illius de quo prædicatur. Hoc modo album eſt vniuocũ reſpectu ligni, & hominis: quia dicit cõceptum albedinis vtriq; communẽ, in quo homo & lignum conueniunt, quia vtrũque eſt formaliter denominatiuè, albũ, non tamen eſſe album eſt de ratione intrinſeca vnius, aut alteri⁹. Similiter irraſcibile eſt vniuocum prædicatum de homine & equo: quia eſt propria paſsio animalis, vtrique conueniens. Quodcũque igitur hoc modo pluribus conuenit, de quorum intrinſeca ratione non eſt, dicitur vniuocum prædicatum illorum. Vniuocè autem prædicari, eſt quãdo illud, quod prædicatur, non ſolũ dicit vnam rationem communẽ pluribus, verum eſt de intrinſeca ratione, & quidditate cuiuslibet. Sic animal vniuocè prædicatur de homine & equo: ſeu viuens de ſenſibili, & inſenſibili: valet ergo, quod omne quod vniuocè prædicatur de pluribus, eſt vniuocum prædicatum illorum, non tamen è contra.

Vniuocum prædicatũ, & vniuocè prædicari differunt.

20 Quædam igitur ſunt in Deo, quæ illi quaſi qualitatiue, & nõ quidditatiuè cõueniunt: vt bonitas, ſapientia, & cętera attributa ſeu proprietates (quod idem dicendum eſt de relationibus) quæ in Deo non ſunt de ratione formali illius. Hæc igitur non prædicantur de Deo in quid, ſed in quale: quia quaſi paſsiones (noſtro modo loquendi) illi conueniũt: ſimiliter hæc eadem quatenus reperiuntur increatis, non ad quidditatẽ, ſed ad qualitatẽ rei pertinent: homo enim nõ eſt quidditatiuè ſapiens, aut bonus, aut Pater, aut Filius, aut perſona. Hæc igitur omnia, quæ de Deo & creaturis prædicãtur in quale, non poſſunt vniuocè prædicari de illis: licet benè quodlibet illorũ, poſsit dici vniuocũ prædicatum de Deo, & creaturis. In præſenti igitur nõ ſolũ inquirimus conceptũ obiectiuum, qui vniuocè prædicetur de Deo, & creaturis: ſed etiam cõceptum obiectiuum, qui ſit vniuocum prædicatum de illis: licet principalius iuxta intentum articuli textualis, cõceptus obiectiuus quidditatiuus inquiratur, qui vniuocè prædicatur de creaturis & Deo, & per illũ non ſolum qualitatiuè, ſed quidditatiuè in aliquo conceptu ſimplici (ſaltim imperfectè.) Deus ab intellectu viatoris naturaliter poſsit cognoſci. Ex dictis colligitur, aliter comparari huiuſmodi prędicata ad Deum, aliter vero ad ipſas proprietates, quæ quaſi qualitatiuè Deo cõueniunt. Et ſimiliter, & aliter comparantur ad hominẽ v.g. & aliter ad ipſas formas, quæ qualitatiuè homini cõpetunt. Sapientia enim vt ſic, aliter reſpicit ſapientiam increatam, & creatam, aliter vero Deum & hominem. Dico ergo, quod ſapientia prædicatur in quid de ſapientia increata, & creata, tãquam ſuperius de ſuo inferiori: ſed prædicatur in quale de Deo ſapiente, & homine ſapiente. Ex quibus iuxta notata cõcluditur, quod etſi ſapientia non dicatur vniuocè de Deo, & homine, ſed tantum ſit vniuocum prædicatum illorum: nihilominus vniuocè prædicatur de ſapientia increata, & creata, quæ Deo, & homini qualitatiuè conueniunt. Quod idem de cæteris attributis, & proprietatibus eſt dicendum.

Demum eſt tertio obſeruandum quatuor vniuocationis gradus inueniſſe Frãciſcum de Marchia in primo Sententiarum, & eos ponit Guillelmus Rubionis §. *alius modus* (licet hanc vniuocationis partitionem non admittat) quos quidem gradus deinceps plerique Scotiſtæ ſequuti ſunt tàm ex veteribus, quàm ex recentioribus: quia re vera huiuſmodi vniuocationis diuiſio optime Doctoris mentem enucleat. Primus igitur gradus vniuoci habet vnitatem rationis cõ-

21 *Quatuor gradus vniuocationis à Francisco de Marchia inuenti exponuntur.*

Primus gradus.

munis, modi essendi, ordinis essentialis, & gradus perfectionis. Et in hoc gradu vniuocationis solùmodo ponitur vniuocum physicum: quia sola species atoma habet insimul istas quatuor conditiones. Habet etenim vnam rationem suis inferioribus communè: quæ est prima conditio, in qua cum omnibus alijs tribus gradibus cõuenit, & sine qua nullum commune, vniuocum esse potest. Habet insuper in ipsis eundem modum essendi, quæ est secunda cõditio, in qua differt à quarto gradu vniuocationis, vt infra patebit. Habet etiam, quod sit ordinis essentialis: quia essentialiter, & per eundem ordinem descendit ad vnum sicut ad alium: & hæc est tertia cõditio, per quam differt à tertio gradu vniuocationis. Item habet, quod sit eiusdem gradus perfectionis: quia natura specifica in omnibus suis individuis secundum eundem gradum essentialem perfectionis est: non enim dicitur, nec dici potest, vnum individuũ perfectius essentialiter alio.

22 *Secundus gradus.* Secundus gradus vniuocationis tres tantum modo priores conditiones requirit. Est enim ille, qui habet vnitatem rationis communis, modi essendi, & ordinis essentialis. Vltima autem conditio deficit illi, nempè gradus perfectionis: quia in gradu perfectiori essentialiter reperitur in vno, quàm in alio. Huiusmodi sunt omnia genera, quæ ex differentijs sibi adiunctis, sunt essentialiter perfectiora in vna specie, quàm in alia: sicut animal, quod dicit vnam rationem communem homini & equo: & habet eundem modum essendi in illis, quia non est per prius in vno, quàm in alio: & habet ordinem essentialem: quia æquè essentialiter descendit in homine, sicut in equo. Cæterum non est in illis secundum eundem gradum perfectionis: quia animal perfectius est essentialiter in homine, quam in equo, eo quod differentia essentialis hominis est essentialiter perfectior quàm differentia equi: licet in conceptu communi, æquè essentialiter vterque sit animal.

23 *Tertius gradus.* Tertius gradus vniuocationis habet duas priores conditiones: videlicet vnitatem rationis multis communis, & vnitatem modi essendi. Tertia tamen & quarta conditio, nempè ordo essentialis, & gradus perfectionis, illi deficiunt. In isto gradu vniuocationis, numerus est vniuocè in suis inferioribus: numerus enim respectu binarij, & ternarij habet rationem communis: quia vterque est numerus, & eundem modum essendi habet: quia eodem modo est numerus in binario, quo est in ternario. Non tamen habet in illis eũdem ordinem essentialem: nam per prius descendit in binarium, quam in ternarium secundum realem existentiam: nec habet vnitatem gradus perfectionis, quia perfectius est in vno numero, quam in alio.

24 *Quartus gradus.* Quartus gradus vniuocationis solùm habet primam ex dictis conditionibus, videlicet vnitatem rationis communis: cæteræ verò illi deficiunt. Sic se habet ens respectu Dei & creaturarum, quod dicit vnitatem rationis communis illis quatenus non minus quæliuet creatura quidditatiuè est ens, quam Deus: non tamen habet ens eundem modum essendi in Deo, & creaturis: quoniã in Deo est infinitum independens: in creatura vero est finitum dependens ab ipso Deo. Nec habet vnitatem ordinis essentialis: quia ratio entis prius essentialiter descendit in Deo, quam in creatura: nec denique habet eundem gradum perfectionis: nam in Deo est infinite perfectum, in creaturis autem est multis imperfectionibus admixtũ. Ex quibus quatuor gradibus vniuocationis, primus est simpliciter vniuocus, & per accessum, vel recessum ab eo, dicuntur alij magis, vel minus vniuoci: & ideò sicut in primo gradu est maxima vniuocatio, sic in quarto gradu minima vniuocatio est.

25 *In quo sensu analogia compatiatur cum vniuocatione.* Infertur ex notatis, quod analogum tertio modo benè compatitur cum vniuoco in quarto gradu vniuocationis: & ideò potest dari conceptus communis Deo, & creaturis, qui sit simul in quarto gradu vniuocationis, vniuocus illis, & in tertio modo analogiæ, analogus, vt optimè Rubionis concludit. Verum ne terminos cõfundamus, est aduertendũ, nos non ponere in via Scoti istum quartum gradum vniuocationis, coincidere cum analogo tertio modo: sed quod dicimus est, benè se compati talem analogiam cum huiusmodi quarto vniuocationis gradu: nam ratio vniuocationis forma-

formaliter consistit in illa prima condi tione, nempè in illa vnitate rationis cõmunis, quæ cum sit transcendentalis, ex se præcise non magis petit per finitum, quàm infinitum, quasi contrahi: sed propter ipsos modos infinitatis scilicet, & finitatis in quibus per prius, & perfectiõ participatur ab vno quàm ab alio. Vnde ens secundum rationem præcisam entis, qua est sic commune Deo, & creaturis, vniuocè competit illis, eo præcise, quo dicit vnitatem rationis communis illis. At verò ex eo, quod tale ens nõ habeat eundem modum se habendi in inferioribus (in Deo enim est per prius, & in creatura per posterius) dicitur analogũ respectu Dei & creaturæ. Et sic analogia ex eo ibi reperitur: quia ibi est huiusmodi ratio diuersa, per prius scilicet, & posterius essendi: non ergo competit enti analogia secundum rationem vniuocationis. Vnde stat ens esse vniuocum, & analogum creaturis, & Deo, secundũ rationes diuersas: nam secundùm præcisam rationem entis, vniuocè prædicatur de illis: secũdum verò distinctos modos, quibus descendit in Deum & creaturas, per prius & posterius, est illis analogum.

§. 4.

Qualiter modus intrinsecus differat à differentia constitutiua, & alia notabilia expenduntur?

26 *Maxima differentia versatur inter modum intrinsecũ, & differentiam.*

QVARTO obseruandum est maximam differẽtiam versari inter modum intrinsecum, & differẽtiam contrahentem aliquod cõtrahibile: nã modus intrinsecus, nec intrat rei essentiã, nec essentiam variat. Differentia autem est constitutiua rei in propria specie: & ideò intrat essentiam rei tanquam pars formalis illius. Ex quo prouenit inter differentiã, & genus, esse veram compositionem, saltim metaphisicam: quia differentia habet se per modum actus actuantis potentialitatem generis: modus verò intrinsecus non habet rationem actus, tùm quia nõ est realitas aliqua dans aliquod esse distinctum ipsi rei, cuius est modus cum etiam quia nec eius potentialitatem suponit: atque ideò licet in Deo ponamus duplicẽ rationem scilicet entis, & infinitatis, quæ est modus intrinsecus Dei: non ob hoc admittimus in Deo compositionem aliquam: quia ibi infinitas non est differẽtia, per quam contrahitur ens: nec ens respectũ illius est in potentia, sicut genus respectu differentiæ, sed solùm est quoddam trãscendens, per quod omnia entia diuagantur.

27

Obstabis tamen contra ea, quæ dicta sunt: quia ex illis, sequi videtur, Deũ nõ essentialiter differre à creaturis: quia nõ differt ab illis in conceptu quidditatiuo entis, si quidem in illo cum eis vniuocè supponitur cõuenire: nec in infinitate, quia modus intrinsecus nõ variat essentiam rei, nec essentialiter facit differre: infinitas autem est modus intrinsecus Dei, & non essentia, aut de essentia eius, vt habetur ex difficul. 44. Sed in Deo nihil aliud reperitur, quo conueniat cum creaturis, & ab illis differat, nisi ratio entis, & ratio infiniti: ergo, &c. Hanc difficultatem optimè, præ alijs, resoluit Valloni vbi sup. fol. 158. dicẽs, quod Deus & creaturæ, non tantùm per modos intrinsecos, sed quidditatiuè formaliter distinguuntur, videlicet per suas proprias quidditates & essentias: quamuis ad nostrũ modũ intelligendi, ens videatur in illis tantũmodo per finitũ, & infinitũ distingui. Hoc manifestum fit in exemplo de decem prædicamẽtis: quamuis enim per inhærentiam, & perfectionem, quæ sunt modi intrinseci entis, distinguamus accidentia à substantia: proprias nihilominus quidditates eorũ antecedenter ad dictos modos supponimus esse, quibus dicta prædicamenta quidditatiuè, & essentialiter differant: & huiusmodi quidditates vocare solemus, naturam, cui debetur esse per se, & naturam, cui debetur esse in alio. Huius instar modi dicimus, Deũ quidẽ essentialiter, & quidditatiuè à creaturis differre: nõ per modum infinitatis, qui (vt argumentum probat) nec essentiam variat, nec essentialiter facit differre: sed per ipsam Dei naturam, cuius diffinitionis ignari, vtimur modo intrinseco infinitatis, qui tali naturę debetur: & dicimus per infinitatem à creaturis differre, supponendo tamen, per ipsam sui ipsius quidditatem

Deus, & creatura nõ solũ per modos intrinsecos, sed quidditatiuè formaliter differunt, & idem de prædicamentis est dicẽdũ.

ditatē essentialiter, & quidditatiuè differre à creaturis.

28 Est denique obseruandū non adhuc inter Scotistas constare, qualiter ista ratio cōmunis entis, Deo & creaturis conueniat, & sit in se vna: nam præterquam nonnulli (vt dixi) ponunt vnitatem cōceptus formalis tantummodo ex parte intellectus: etiam inter illos, qui hāc vnitatem obiectiuā à parte rei ante intellectus considerationem constituunt, non est æqualis consensus, vel saltim nō vna ratione se declarant. Ad resolutionem igitur huius difficultatis, videndum est, qualiter dicatur vnitas alicuius obiectiui cōceptus, ex natura rei esse cōmunis pluribus: vt exinde aperiatur verus sensus nostræ sententiæ. Tripliciter ergo aliquid est pluribus cōmune. Primo per vnitatem realem, qua per inexistētiam est in illis: quia scilicet eadem natura realis, & realiter existens, existit in pluribus: sic tantummodo natura diuina vna, & realiter eadem, in pluribus personis existit. Secundo modo dicitur esse vnum in pluribus, per indifferentiam alicuius naturæ communis pluribus inferioribus, in quibus tanquam quid contrahibile per specificas differentias, vel per indiuiduales, consideratur in illis habere esse: sic animal est in homine & in equo: seu homo in Petro, & in Paulo. In his autem non existit eadem realis natura, sicut de diuina nuper dicebamus: licet benè (iuxta ea, quæ alibi de mente Scoti exposuimus) hanc vnitatem naturæ negatiuè communem à parte rei, in omnibus inferioribus esse dicamus. Positiue autem non est vna realis natura in inferioribus suis: sed in omnibus est quædam ratio conuenientiæ obiectiua, ita quod ante considerationem intellectus, nō minus quidditatiuè equus sit animal, quàm homo: aut Petrus sit homo quàm Paulus. Et ex hac reali cōuenientia, qua scilicet à parte rei vtrunq; inferius quidditatiuè est tale, abstrahit intellectus rationem positiuè communem, eis in differentem, & sic datur vnitas communis naturæ specificæ seu genericæ. Et in istis inferioribus necessariò prædicta vnitas communis infert compositionem ex tali ratione communi & particulari: quia supponitur superius, & inferius habere se per modum potentiæ & actus, quod ad veram cōpositionē requiritur.

Communitas est triplex.

29 Tandem tertio modo est vnitas per in differentiam transcendentalem vnius obiectiui conceptus abstrahibilis ab omni, quod est (vt Antonius Andreas aduertit) & hæc non est aliqua vnitas naturæ communis, sed vnitas rationis cōmunis: non quidem rationis formatæ ab intellectu, sed rationis, prout est quidditas obiectiua, seu quidditatiuū obiectū nostri conceptus. Et non est vnitas naturæ: quia natura importat aliquā formalitatē sibi specialem, qua diffinitur sub aliqua cathegoria, seu quasi diffinitur: & ideò necessariò importat rationem, qua cum alijs conueniat, & ab alijs differat, & ex consequenti in creatis omnis natura cōposita est. At qui vnitas entis nō sic: quia est simplicissima, ita vt nihil sit simplicius illa: & ideò non importat formalitatem aliquā sibi specialem, qua diffiniri possit: quia non habet aliquid se cōmunius, per quod diffiniatur: nec habet rationem conuenientiæ & differētiæ: sed ipsum est omnibus ratio cōueniendi, & in omnibus est inhibitum absq; cōpositione aliqua in se ipso: quia omnia cōponentia, illud formaliter vel identicè includunt: & ideò in se natura non est, sed omnis naturæ principiū, hoc est primū quidditatiuum prædicatum illius.

30 Ex eo igitur, quod à pluribus habentibus esse, abstrahi possit quidam conceptus cōmunis, in quo quidditatiuè omnia conueniunt, quatenus quodlibet quidditatiuè est ens: prouenit vnitas conceptus obiectiuè communis: & quia in hoc præcisè, quod est habere esse, quidditatiuè conueniunt creaturæ cū Deo: ideò à Deo & à creaturis abstrahitur quędā cōmunis ratio, seu obiectiuus cōceptus, qui vniuocè prædicatur de illis. Ex quo non sequitur (vt dictum est) Deum cōponi ex hac ratione cōmuni entis, & ex alia particulari suæ quidditatis: nam (vt auctor formalitatū resoluit) illa peculiaris ratio quidditatis, non est aliqua realitas ab ente distincta, actuans aliqualē entis potentialitatem: sed est ipsum ens simplex diuinum, & simplex conceptus illius: quamuis, vt infra habetur in solutione quarti argumenti, non sit conceptus simpliciter simplex, eo quod est in plures conceptus alios resolubilis, resoluitur etenim conceptus Dei, in conceptū entis

entis,& in conceptum quidditatis diuinæ, seu rationis quasi contrahentis ens ad esse Dei,quam nos per infinitatē exponimus & intelligimus. Nō quod ens sit aliquid reale in Deo ab infinitate,seu illa ratione quasi contrahēte, quam per infinitatem exponimus, aliquo modo in re ipsa distinctum: sed quia in ipsamet entitate indiuisibili, quæ est Deus, est ratio præcisa entis, quæ etiam in creaturis reperitur: & est ratio Deitatis seu infinitatis, qua essentialiter à creaturis distinguitur Deus.Quæ non sunt duæ rationes ex ipsa rei natura diuersæ in Deo:quia sua essentia est suum esse,& suum esse sua entitas: sed est vna realitas,seu vna ratio realis,ex se ipsa diuersimodè conceptibilis. Et ex eo quod est ex se ipsa diuersimodè cōceptibilis: est conceptus obiectiuus,in plures obiectiuos conceptus ex se ipsa resolubilis: quorū vnus ex se est ratio conueniētiæ cū creaturis:& alius ex se,est ratio differendi ab illis.Hoc igitur tertio modo exponitur vnitas obiectiui conceptus vniuocè cōmunis Deo & creaturis, quæ in tantum ex natura rei dicitur esse cōmunis illis:in quantum ante intellectus cōsiderationem quidditatiuè, & vniuocè, prædicatur de eis.

§. 5

Statuuntur cōclusiones huius difficultatis,

31 *Prima conclusio. Ens non est æquiuocum Deo, & creaturis.*

His præhabitis,difficultatē concludendo,dico primo,quod cōceptus entis nō est æquiuocus Deo & creaturis. Conclusio est communis omnium Theologorum,& probatur:quoniam de nullo æquiuoco potest dari scientia: sed de ente,prout est Deo & creaturis cōmune, datur scientia, de illo etenim disputat Metaphysica, quā Scotus primam Theologiam vocat: ergo, &c. Quod autē de æquiuocis nulla scientia dari possit, manifestum est: quia nullam æquiuocum est diffinibile: ergo de nullo æquiuoco sunt demonstrabiles passiones,quia passio per diffinitionem subiecti tāquam per medium demonstratur.Sed de illo de quo passio demonstrari non potest, nequit dari scientia:ergo, &c.

Dico secundo,quod ens non est analogum Deo & creaturis primo,vel secūdo modo analogiæ supra in num.17.notatis.Conclusio est cōformis literæ textuali, quæ probatur in primis de primo modo analogię:quia ens nō prædicatur in quale accidentale de Deo aut creaturis:ergo non est illis analogū dicto modo.Consequētia ex ibi notatis patet: antecedens sit manifestum:quia ens est de cōceptu quidditatiuo Dei, ita vt hæc sit quidditatiua prædicatio in primo modo dicēdi per se, *Deus est ens*:& similiter creaturæ,ita quidditatiuè conuenit ens, vt hæc sit vera prædicatio,etiā in primo modo dicendi per se,quælibet creatura est ens:ergo nec Deo,nec creaturæ,cōuenit ens in quale accidentale, sed tam creaturæ quā Deo quidditatiuè conuenit, & quidditatiuè prædicatur de illis: ergo nō est eis primo modo analogum. Quod autē nec secundo modo analogū sit,ex ibidē notatis patet: quia tale analogū pluribus cōmune est illis denominatiuè coueniens,ita quod vni intrinsecē,& alteri extrinsecē cōpetat,vt patuit in exēplo de sanitate respectu vrinæ & animalis. Sed ens non minus intrinsecè conuenit creaturæ quā Deo:quia nō minus intrinsecam rationem hominis, verbi gratia,intrat,ex quo homo intrinsecè est ens:quàm dicitur respectu Dei, intrinsece esse in illo:ergo,&c.

32 *Secunda cōclusio. Ens non est analogum Deo, & creaturis, primo, & secūdo modo,*

Dico tertio, quod cōceptus entis cōmunis Deo & creaturis, est illis analogus, tertio analogiæ modo supra in nu. 17.memorato.Conclusio hæc est omnibus Scotistis cōmunis,& non cōtradicit literæ textuali, quinimo est illi satis cōformis. Eā expressè Guillelmus Rubionis defendit, & sic probat: quia nullus conceptus Deo, & creaturæ cōmunis, eis conuenit secundū æqualem gradum perfectionis: nam longe perfectior est Deus,quàm quælibet creatura,& perfectius rationem entis includit, atq; ideò per prius dicitur ens de Deo,quàm de creaturis.Sed in hac perfectiori,& priori ratione habendi ens, tertius analogiæ modus consistit,vt ex ibi obseruatis habetur:ergo,&c.

33 *Tertia conclusio. Ens est analogum Deo & creaturis 3.modo.*

Dico q'arto, quod à parte rei datur vnus conceptus obiectiuus communis Deo & creaturis: qui quidē conceptus, & est vniuocū prædicatum, & vniuocè præ-

34 *Quarta conclusio.*

prædicatur de illis. Conclusio hæc (quæ est Scoti) satis exponitur ex notatis supra sub n.19.&20. quę hic ponitur vt duplicē illius partē ostendamus. Prima igitur patet: nam quæ Deo conueniunt, & nō sunt de quidditate, aut essentia illius vtpotè quod sit bonus, sapiēs, verus, persona, & cætera, quæ nō sunt de quidditate, aut essētia ipsius Dei, sed in quale prędicātur de illo, & nō in quid, licet sint de quidditate bonitatis, aut sapiētię creatæ, aut increatæ, & ideò vniuocè prædicātur de illis, prout satis ostensum est sub num.20. similiter hæc omnia etiam sunt extra essentiā cuiuslibet creaturæ, cui conueniunt. Sed quæ non prædicantur in quid de suis inferioribus, nō vniuocè prædicantur de illis, licet sint vniuoca prædicata eorum: ergo sapientia (& idem dico de cæteris attributis, & de eis quæ Deo & creaturæ conueniūt) est vniuocum prædicatum de Deo & creaturis, licet vniuocè non prædicetur de illis. Secūda autem pars, videlicet quod detur aliquis conceptus communis vniuocus, qui vniuocè de Deo & creaturis dicatur, ex eo patet, quia ex natura rei Deus quidditatiuè est ens, & quælibet creatura quidditatiuè est ens: ergo ens prædicatur de Deo, & creaturis quidditatiuè, & in quid. Sed conceptus cōmunis, qui prædicatur in quid de pluribus, vniuocè prædicatur de illis: ergo conceptus obiectiuus entis vniuocè prædicatur de Deo & creaturis.

35 Probatur præterea cōclusio hæc quo ad hanc partem ratione Doctoris: quoniā omnis intellectus certus de vno cōceptu, & dubius de diuersis, habet cōceptū de quo est certus, distinctū à cōceptibus de quibus est dubius. Sed intellectus viatoris potest esse certus de aliquo quod sit ens, dubitando an sit Deus, vel creatura: ergo cōceptus entis est alius à cōceptu Dei & creaturæ. Maior est certa: quia idē intellectus nō potest esse certus, & dubius respectu eiusdē de eodem conceptu: quia ex hoc sequitur manifesta contradictio, quod scilicet sit certus, & non sit certus respectu eiusdē: vel igitur cōceptus ille, quo cōcipit ens, est alius à cōceptu Dei, vel nullus cōceptus ibi est certus, nec intellectus erit certus de cōceptu aliquo. Minor probatur, quoniā antiqui Philosophi certi erant Deū esse primū ens: discordabant autē in cognoscendo, quod nā ens esset: quia nonnulli folē, vt Deum habebant: alij ignē tanquam Deū adorabant, & similiter alij varios Deos habebant decepti, credētes creaturam vnam, seu alterā esse Deū: ergo isti tales erant certi primum principium esse ens: non tamen erant certi, an esset ens hoc, vel illud, videlicet creatum, vel increatum, ignis aut sol, &c. ergo aliquis potest esse certus de aliquo quod sit ens, & dubius quod sit, vel an sit tale ens creatum, vel increatū: & ex consequenti datur conceptus entis cōmunis de ente creato, & increato. Confirmatur hæc ratio: quoniā qui videret Philosophos discordare circa huiusmodi opiniones, & conuenire in eo quod Deus est ens, potest esse certus de quocūq; eorū, quod quilibet posuit primū principium esse ens: & tamen propter oppositionē opinionū eorum, potuit simul dubitare, vtrū sit hoc ens vel illud? Et tali dubitanti, si fieret demonstratio concludens, vel destruens aliquem cōceptum inferiorē, vtpotè quod ignis nō est ens primum, sed aliquod posterius primo ente: non destrueretur ille conceptus primus sibi certus, quē habuit de ente: sed saluaretur in illo conceptu particulari, probato de igne. Et tunc probatur illa propositio suppositā, quod scilicet ille conceptus certus, qui ex se neuter dubiorum, in vtroque illorum saluatur.

Quod si autem neges hanc auctoritatem Philosophorum, & ex diuersitate opinionū illorum, nihil colligi arbitraris: sed dicas, quod quilibet habet duos cōceptus in intellectu suo propinquos, qui propter propinquitatem analogiæ videntur esse vnus conceptus. Contra hoc videtur esse ratio: quia ex ista euasione videretur destructa omnis via probandi vnitatem alicuius conceptus vniuocam. Si etenim dicitur animal habere vnum conceptum ad leonem & equum: negabitur, & dicetur, quod sunt duo conceptus, licet videatur vnus propter magnam similitudinem analogiæ. Varijs solutionibus hanc rationem destruere conātur Thomistæ, quas optime Pater Rada, & alij confutant. Sed præsertim Caietanus vbi supra, huius argumenti efficaciam conatur efugere dicēs 36

hoc

hoc argumentum tãtùm probare entis conceptum esse distinctum à conceptu Dei, & creaturæ: non autẽ probare conceptum huiusmodi Deo, & creaturis esse communem. Solutio tamen hæc non euacuat argumentum: nam si ille talis conceptus non esset communis Deo & creaturis, proculdubio esset certus intellectus viatoris talem conceptum esse tantùm vnius entis, quod est Deus: & nõ dubitaret, an esset creatura: vel esset certus illum cõceptum esse entis, quod est creatura, & non dubitaret, an esset Deus. Sed est certus de communi conceptu, & dubitat de particulari: ergo datur talis conceptus cõmunis vniuocus Deo & creaturis. Plures aliæ rationes ad id probãdum solent ab Scotistis adduci: sed quia ferè omnes latè, & clare habentur in textu: non est hic in earum repetitione immorandum. Videantur ibi, ex illis enim compertum est dari conceptum vniuocũ obiectiuum Deo & creaturis, qui & est vniuocum prædicatum illorum: & in quarto vniuocationis gradu supra posito num. 24. vniuocè prædicatur de illis.

§. 6.

Soluuntur argumenta in oppositum.

37 *Ad primũ argumentũ pro prima sententia.*

AD argumenta vero in oppositũ, & ad primum pro prima sententia respondeo, multum differre inter se, Deum esse causam æquiuocam, & rationem causæ æquiuocæ prædicari de Deo: nã causa æquiuoca dicitur, quatenus producit effectus non similes sibi. At vero non propter hoc causa dicitur æquiuocè de Deo: causa enim vt sic abstrahit â causa prima, qualis est Deus, & secunda, quales sunt creaturæ. Peccat igitur argumẽtum, quia fallaciam æquiuocationis assumit.

38 *Ad secundum.*

Ad secundum dico, quod creaturæ non solùm similitudinem cum Deo important: sed vnitatem conceptus obiectiui dicunt cum eo in ratione entis vt sic. Auctoritas autem sic debet intelligi, *Deus quis similis tibi?* Id est, quis assimilabitur Deo in Deitate, in potestate, in misericordia, & in alijs attributis? Quia quantumcunq; misericordia nostra extendatur, sic à diuina exceditur, vt quasi illi dissimilis videatur: nam omnia attributa in Deo sunt formaliter, & realiter infinita: & ex eo quod infinita sunt, nulla creata bonitas aut misericordia illis assimilatur. Præcisa tamen ratione infinitatis, & prout præcisè sunt tales quidditates, abstrahendo ab illa ratione qua sunt in Deo infinita, est ab eis abstrahibilis conceptus communis vniuocus sapientiæ creatæ & increatæ, sicut de ente dictum est: nam licet sapientia vt sic non vniuocè prædicetur de Deo & homine: sed sit vniuocum prædicatum de illis: quia de eis non dicitur in quid sed in quale: nihilominus de ipsa sapientia creata & increata, prædicatur in quid, & ideò de ipsis etiam vniuocè prædicatur.

Ad tertium eadem solutione satisfacies, quia videlicet nulla proportio entitatiua est creaturæ ad Deum, quatenus inter ipsum, & illas est infinita distãtia. 39 *Ad tertiũ.* Distantia attamen infinita nõ est ibi nisi prout iam modos finitatis, & infinitatis includunt. At qui in præciso concepto entis nulla ratio infinitatis, aut finitatis includitur: & ideò huiusmodi modis finitatis, & infinitatis præcisis, non est ibi infinita distantia, nec ex consequenti entitatiua improportio.

Ad primum pro secũda sententia dico, quod inter contradictoria benè datur vniuocatio, dum modo tamen contradictio non sit in conceptu, in quo vniuocè conueniunt: nam quod contradicantur in conceptibus inferioribus, nõ tollit vniuocationem conceptus superioris. Hoc manifestè patet inter species animalis: quia rationale, & irrationale sunt contradictoria: & tamen contrahunt animal, in quo conueniunt species per rationale, & irrationale formaliter constitutæ, de quibus animal vniuocè prædicatur. Sic etsi infinitum, & finitum sint contradictoria in ratione infinitatis, & finitatis: nihilominus nulla est contradictio in ratione entis abstracti à finito, & infinito, in quo vniuocè Deus infinitus, & creatura finita conueniunt. Adde, quod nec irrationale, vt differentia contrahens, est mera negatio rationalitatis: sed sunt differen-

40 *Ad primũ pro secunda sententia.*

rentiæ plures positiuæ, vt equinitas, & leonitas, & cæteræ, quæ sub hoc nomine negatiuo comprehẽduntur: & ideò vt constituunt species animalis, quæ cum homine vniuocè conueniunt, irrationale non est contradictorium rationalis: nec similiter infinitum est mera negatio finitatis: sed quidam modus positiuus Dei, qui non, nisi per negationem finitatis exponitur, vt patet ex notatis in difficult.43.n.24.& sequentibus.

41 *Ad secundum.* Ad secundum dico, quod nec ad vniuocum prædicatum, nec ad vniuocè prædicari, requiritur vnitas naturæ: sed sufficit tantùm vnitas rationis communis obiectiuæ, quæ ab ipsis vniuocis abstrahitur. Et sic nec ens quod vniuocè prædicatur de Deo & creaturis, nec sapientia, seu bonitas, aut quodlibet simile, quod est vniuocum prædicatum illorum, prout visum est supra num. 20. dicit naturam aliquam Deo & creaturis communem. Sed satis est dicere rationẽ communem ab illis abstrahibilem exipsa natura obiecti.

42 *Ad tertiũ.* Ad tertium respondeo, quod in vniuoco physico reperitur illa æqualitas participandi rationem communem naturæ, non verò in vniuoco metaphysico, prout supra ostendimus: ibi enim datur perfectior modus participandi in vno vniuocato, quàm in alio: quamuis vterque quidditatiuè participet rationẽ illius communis vniuoci. Infinita enim distantia non aliud infert, quàm Deum infinito modo habere rationem entis, creaturam verò finite. Sed iste vterque modus scilicet finiti, & infiniti, non variat quidditatẽ entis in Deo, aut in creatura: & ideò tàm Deus quàm creatura quidditatiuè est ens, & vna communis ratio quidditatiua entis, Deo & creaturis vniuocè conuenit.

43 *Ad quartum.* Ad quartum dico ex Doctore in sequenti quæstione art.1 in corpore, hãc esse differentiam inter conceptum simplicem, & conceptum simpliciter simplicem: quod conceptus simplex est ille qui potest cõcipi ab intellectu, actu simplicis intelligentiæ, licet possit resolui in plures alios conceptus. Conceptus verò simpliciter simplex est ille, in quo vltimate sistit intellectus, & illum non potest vltra in alios conceptus resoluere. Deus ergo est conceptus simplex, non tamen simpliciter simplex: quia eius conceptus est resolubilis in conceptus entis, & infinitatis. Conceptus verò entis est simpliciter simplex: quia non est in alios conceptus amplius resolubilis. Ex hoc autem, quod Deus non sit simpliciter simplex sicut ens, non infertur Deum nó esse ens simplicissimum: quia simplicitas, qua Deus est ens simplicissimum, est quatenus simplicitas compositioni, seu compositibilitati opponitur, & prout sic, longe simpliciter est Deus quàm ens, Deus etenim repugnantiam ad omnem compositionem, aut compositibilitatẽ essẽtialiter importat, eo quod essentialiter est purissimus actus: ens verò talem repugnantiam non habet: & ideò in creatis compositionem intrat, licet enim in quantum præcisè est ens, pars compositionis non sit transcendẽtaliter tamen in partibus componẽtibus reperitur. Est ergo ens in hoc præcisè simplicius Deo, quod eius conceptus quidditatiuè intrat conceptũ Dei: Deus verò non intrat conceptũ entis: & ideò conceptus, quo Deus concipitur secundum præcise, quod est ens, est conceptus imperfectior, & inadæquatus, licet sit simplicior conceptu perfecto, quo concipitur quatenus est ens infinitum. Non igitur inconuenit concedere ens in hac consideratione esse simplicius Deo: quia hæc simplicitas non tantam perfectionem importat: quantam dicit simplicitas illa exclusiua omnis compositionis, & compositibilitatis, qua Deus est ente simplicius.

44 *Ad quintum.* Ad quintũ respondetur aliqua posse dici dupliciter primo diuersa, videlicet subiectiuè, aut obiectiuè. Primo modo cõtingit, quãdo in nulla realitate cõtrahibili per aliquas differẽtias essentiales, seu materiales cõueniũt: sicut indiuidua cõueniũt in natura specifica, seu species in generica. Secundo modo illa dicũtur primo diuersa, quæ nõ habent aliquã rationẽ abstrahibilẽ sibi communem, quæ obijciatur intellectui, secundũ quam ab ipso concipiantur in tali ratione obiecti na conuenire. Tunc dico ad argumentũ quod Deus & creaturæ sunt primo diuersa subiectiuè: quia in nulla tali realitate conueniunt: non tamen obiectiuè, si quidẽ conueniunt in ratione quidditatiua abstrahibili â seipsis, vt dictũ est.

Ad

45 *Ad sextũ.* Ad sextum respondeo in ipso argumento solutionem haberi : quia superius in quantum præcisè superius, non aliter est prius inferiori, nisi quia (vt ibi ex Arist. arguitur) à superiori ad inferius non valet subsistendi consequentia, sicut valet ab inferiori ad superius. Non etenim valet, est animal: ergo est homo: sicut valet est homo: ergo est animal. Sic igitur solummodo ens dicitur superius ad Deum, quia non valet dicere, est ens: ergo est Deus: sicut valet, est Deus: ergo est ens. Et eodem præcisè modo, quo ens est superius ad Deum, est prius illo, nõ prioritate aliqua essẽdi, aut existendi: sed prioritate præcisè prædicandi, quæ melius dicitur prioritas illatiua, qua etiam concedimus prius Deum posse intelligere, quam actu intelligere: non quidẽ, quia in Deo prius sit posse operari, quã actu operari: quia tunc daretur in Deo aliquod perfectibile dicens pro illo priori carentiam actualis perfectionis: sed quia est bona illatio de facto ad posse, non tamen de posse ad factum: & ideo valet dicere, intelligit: ergo potest intelligere, non tamen è contra.

46 Adhunc ergo modũ potest concedi, quod ens illatiuè est prius Deo, quatẽus valet, Deus est ens infinitũ: ergo est ens & nõ valet è cõtra, est ens: ergo est ens: infinitum. Non tamen ex hoc potest inferri aliqua prioritas realis in ente respectu Dei, quia ens reale existentiam dicit, aqua formaliter sibi prouenit esse reale. Existentia autẽ non conuenit enti antecedenter ad Deum : quia Deus est, qui solus essentialiter existit, & ab eo omne ens effectiuè existere habet. Quãuis igitur ens, pro vt est Deo, & creaturis comune, sit ens reale: non debet intelligi, quod sit habens realitatem: nam vt sic non dum intelligitur existens: sed dicitur ens reale, hoc est, ex natura rei, prout opponitur enti fabricato per intellectum: in eo ergo est prior realitas, in quo est prior existẽtia. Cũ ergo Deus quocunq; ordine, durationis, videlicet, & naturæ sit primũ existens, si quidem à se, & ab æterno essentialiter existit: consequenter est primum ens reale loquendo de omni prioritate. Et ideo in ipsomet Deo est primus realis conceptus entis, qui potest præcindi ab infinitate: non eo, quod est prius reale ipso Deo: sed quia à Deo, in quo primo realiter est, potest abstrahi conceptus entis secũdum rationem qua (vt dixi) superius vocatur prius suo inferiori: licet nunquã nisi in inferiori habeat esse reale, siquidem non nisi inferiori existit, & ab existentia formaliter habeat esse reale.

ARTICVLVS III.

Vtrùm cognoscatur Deus naturaliter à viatore in particulari.

AD tertium sic proceditur, & A
videtur, quod cognoscatur Deus naturaliter a viatore inparticulari. Arguitur enim quod nõ cognoscitur de Deo aliquid, nisi per simile: *tunc inquiro*, aut intelligitur de similitudine vniuocationis, aut imitationis. Si primo modo: igitur nihil cognoscitur de Deo: quia secundũ opinionem illam in nullo habet Deus similitudinem vniuocationis, cũ creatura, per quã deberet a nobis cognosci. Si secundo modo, etiam creaturæ non tantum imitantur illam essentiam sub ratione generalis attributi, sed etiam hanc essentiam, vt est hæc essentia: siuè vt nuda & vt in se est existens: ergo secundum eum, propter talem similitudinem, posset creatura esse principium cognoscendi essentiam diuinam in se, & in particulari.

Sed contra est: quia nec aliqua es- B
sentia naturaliter cognoscibilis a nobis ostendit sufficienter hanc essentiã, vt hæc: ergo, &c.

Respondeo dicendum: quod ad C
hoc dicit quidam Doctor sic: quod loquendo in particulari, non cognoscitur Deus ex creaturis: quia creatura est peregrina similitudo eius: quia tantum ei conformis est quoad aliqua attributa, quæ non sunt illa natura in particulari: igitur cum nihil ducat in cognitionem alterius nisi sub ratione similitudinis, sequitur quod

Hen. in sũ. art. 22. q. 1. 2. & 3.

Deus non cognoscitur in particulari ex creaturis. *Adhunc tamen tertium articulum*, tertiò dico: quod non cog-
Conclusio. noscitur Deus naturaliter à viatore in particulari, & proprie, hoc est, sub ratione huius essentiæ, vt hæc, & in se. Sed ratio illa posita imprecedenti opinione non concludit. Est igitur alia ratio impossibilitatis cognitionis, huius conclusionis, quod Deus (vt hæc essentia in se) nō cognoscitur naturaliter à nobis: quia sub ratione talis cognoscibilis est obiectum voluntarium, & non naturale, nisi respectu sui intellectus tantum: & ideo à nullo intellectu creato potest sub ratione huius essentiæ (vt hæc) naturaliter cognosci: nec aliqua essentia naturaliter cognoscibilis à nobis ostendit sufficienter hanc essentiam, vt hæc. Vtrùm autem sit alia ratio huius impossibilitatis, scilicèt, propter rationem primi obiecti, vt alij ponunt, illud esse quidditatē rei naturalis: de hoc in quæstione de primo obiecto intellect°.

D Ad argumentum *respondetur: quod impossibilitas cognoscendi, hanc naturam in particulari est, quia nulla*: essentia naturaliter cognoscibilis à nobis sufficienter ostendit, *vt dictum est*, hanc essentiā, vt hæc, nec per similitudinem vniuocationis, nec imitationis: vniuocatio enim non est nisi in generalibus rationibus: imitatio etiam deficit: quia imperfecta est, quia creaturæ imperfectè eum imitantur. *Vide rationem in corpore articuli.*

Expositio 3. articul. quæstio. 1. distinct. 3.

I IAM Cognito ex 2. artic. dari vnum conceptum communem vniuocum Deo, & creaturis, qui, videlicet, est conceptus entis præcisè sumpti: & ex primo articulo habeamus secūdum simplicem, & quidditatiuum conceptū sibi, & creaturis cōmunem, posse Deū naturaliter à viatore cognosci: nunc iā ad specialia accedendo quærit Doctor in textu, vtrum possit naturaliter viator cognoscere ratione particularem, quæ Deum à creaturis distinguit, hoc est, qua Deus formaliter est sua essentia. De quo refertur in textu opinio Hērici, aqua cō clusio Doctoris discedit, non quidem in veritate conclusionis: apud omnes etenim est certa, & infallibilis conclusio, quod naturaliter nequit Deus ab intellectu creato cognosci secundum rationē suæ essentiæ: sed huius duplicis sententiæ diuersitas in assignanda ratione huiusmodi impossibilitatis: vnde scilicet, prouenerat intellectui creato, & præsertim viatoris (de quo hic contenditur) non posse Deum viribus suis in particulari cognoscere: nam Henricus inquit hoc ideo non posse intellectū viatoris: quia Deus in particulari, nō nisi per creaturæ similitudinē potest cognosci. Creatura attamen, nō nisi in aliqua perfectione qualitatiua, quæ attribuitur Deo, est Dei similitudo. Quia enim homo est sapiens, & sapientia est perfectio simpliciter, ideò illā attribuimus Deo. Perfectiones autē attributales, non Dei quidditatem, sed eius qualitatē, seu qua si qualitatem important. Ex hoc igitur, quod nulla sit creatura, quæ quidditatis diuinæ possit esse similitudo: prouenit viatoris intellectum nō posse Dei quidditatem in particulari cognoscere.

Doctor vero hanc Henrici rationem reijciens, aliam præbet, quæ clare habetur in textu: sed magnam induit difficultatem. Videtur enim omnem impossibilitatē ponere ibi se habere ex parte obiecti, & nullam ex parte intellectus: nam si obiectum eo quod voluntarium est, non se intellectui viatoris manifestat, & ideo non ab eo cognoscitur: videretur dicendum, quod si semel se tali intellectui per modum obiecti vniret, intellectus illud naturaliter intelligeret. Et ex consequenti nullum lumen gloriæ ex parte intellectus, non solū cōprehensoris, sed etiā viatoris, requiri infertur. 2

Verum tamen Scoti ratio est illustris: hīc enim non agimus de intuitiua Dei visione, sed de abstractiua cognitione illius. De intuitiua etenim late ostendimus contra Durandum supra in difficult. 32. non posse intellectum naturæ viribus, Deum intuitiuè videre, 3

etiam

etiam si sibi in ratione obiecti esset vnitus, vt patet ex ibi notatis, nu. 23. & qualiter lumen gloriæ ex parte intellectus requiratur, satis ostendi in difficultate 23. pre totam. Abstractiuè igitur Dei quidditatem cognoscere, est eius essentiam contemplari, sicut intellectus cognoscit elephantis essentiam, quem forte nunquam intuitus est. Non igitur (inquit Doctor) est intellectui viatoris diuinitatis abstractiua cognitio impossibilis præcisè, quia non est creatura, ex qua tanquam ex similitudine cognoscatur: sed etiam quia Dei quidditas, est voluntarium obiectum, quod non vnitur naturaliter intellectui. Esto etenim quod nulla sit creata essentia, quæ Dei naturam representet: si diuina essentia intellectui viatoris esset non voluntarium, sed naturale obiectum, ipsam in particulari abstractiue cognosceret: quia tunc naturaliter intellectui vniretur, & naturaliter ipsum moueret: atque ideò hæc est potissima ratio impossibilitatis prædictæ: licèt alias etiam dari rationes, ibi non negauerit Doctor.

4 In solutione argumenti habetur doctrina celebris, ℣, scilicèt, nec via vniuocationis, nec imitationis, haberi potest hæc Dei cognitio. Primum quidem: quia in specialibus, nulla est vniuocatio inter creaturas, & Deum. Secundum vero: quia nulla est creatura, quæ Dei imitetur naturam, nisi imperfectissime, ita vt illam intellectui viatoris representare non possit.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm possimus peruenire ad aliquos conceptus de Deo, qui non conueniant creaturis?

A AD quartũ sic proceditur, & videtur, quod nõ possimus peruenire ad aliquos cõceptus de Deo, qui non conueniant creaturis: quia dicitur de sũmo bono, vel de summo ente, quod illud dicit modũ intrinsecũ entis, & includit virtualiter aliquos conceptus: *ergo, &c.*

B Sed cõtra est: quia cũ dico ens infinitũ, non habeo conceptũ, quasi per accidens ex subiecto, & passione, sed conceptũ per se subiecti in certo gradu perfectionis, scilicet, infinitatis.

Respõdeo dicendũ, quod dicitur in præcedenti opinione, quod perfectissimũ, quod possumus cognoscere de Deo, est cognoscere attributa, reducẽdo illa in esse diuinũ propter simplicitatẽ diuinã. *Adhunc tamen quartũ articulũ,* quarto dico: quod ad multos conceptus proprios de Deo possumus peruenire, qui non cõueniũt creaturis, cuius modi sunt cõceptꝰ omniũ perfectionũ simpliciter in sũmo: & perfectissimus cõceptus, in quo quasi in quadã discriptione perfectissimè cognoscimus Deũ, est cõcipiendo omnes perfectiones simpliciter, & in summo. Tamẽ cõceptus perfectior, & simplicior nobis possibilis est cõceptus entis simpliciter infiniti: iste enim est simplicior, quã cõceptus entis boni, vel entis veri, vel aliquorũ similiũ: quia infinitum nõ est quasi attributũ, vel passio entis, siuè eiꝰ, de quo dicitur: sed dicit modũ intrinsecũ illius entitatis. Ita quod cũ dico ens infinitũ, nõ habeo conceptũ, quasi per accidens, ex subiecto, & passione. *vt §. sed contra dictũ est:* sed cõceptũ per se subiecti in certo gradu perfectionis, scilicèt, infinitatis: sicut albedo intensa nõ dicit cõceptũ per accidens, sicut albedo visibilis: imò intensio dicit gradũ intrinsecum albedinis in se: & ita patet simplicitas huius conceptus, scilicèt, ens infinitũ. Perfectio autẽ istius conceptus multipliciter probatur: tũ quia iste cõceptus inter omnes à nobis conceptibiles virtualiter plura includit: sicut enim ens includit virtualiter bonũ, & verũ in se, ita ens infinitũ includit verũ infinitũ, & bonũ infinitũ, & omnẽ perfectionẽ simpliciter sub ratione infiniti. Tũ quia demõstratione, quia, vltimo cõcluditur esse de ente infinito, vel esse infinitũ de aliquo ente, sicut apparet ex q. 1. 2. dist. Illa autẽ sunt perfectiora, quæ vltimo cognoscũtur demõstratione, quia, ex creaturis: quia propter

C *Hẽr. vbi s.*

Conclusio.

Vide 8. dist. tin. q. 4. de hoc.

eorum remotionem à creaturis difficillimũ est ea ex creaturis cognoscere.

D Ad argumentum respondeo: quod si summum intelligatur comparatiue, sic dicit respectum ad extra, sed infinitum dicit conceptum ad se Si autem intelligatur absoluté summũ, hoc est, ꝙ ex natura rei nõ possit excedi, perfectio illa expressius cõcipitur in ratione infiniti entis: nõ enim summũ bonũ indicat in se, vtrũ sit finitũ, vel infinitum.

E Ex hoc apparet improbatio illius, ꝙ dicitur in precedẽte opinione: cognitio enim esse diuini sub ratione infiniti est perfectior cognitione eius sub ratione simplicitatis: quia simplicitas cõmunicatur creaturis: infinitas autẽ nõ secundum modũ, quo conuenit Deo.

Expositio 4. art. quæst. 1. dist. 3.

HVIVS articuli litera est non minus clara, quam præclara, in qua impugnatur opinio Henrici dicentis, nullos conceptus naturaliter haberi posse de Deo, præter attributales: & manifestat Doctor contra ipsum plures etiã vltra attributales, qui creaturis non possunt competere, ab intellectu viatoris de Deo haberi posse: non enim competit creaturis infinitas: quam tamen Deo competere, intellectus viatoris consequitur naturaliter, prout patuit late per ea, quæ dicta sunt supra in distinctione secunda quæstione 2. per totam, sed specialius ab articulo octauo, vbi pluribus vijs naturaliter probat Dei infinitatem: & nos ibi in commentarijs vsque ad articulum decimum nonnulla ad propositum obseruauimus. Naturaliter igitur adipiscitur intellectus viatoris, diuinæ infinitatis conceptum: non ergo solummodo, vt aiebat Henricus, attributales conceptus habet de Deo: sed aliquem simpliciorem, qui quamuis non sit de quidditate Dei: est tamen eius modus intrinsecus, qui cũ essentia non facit conceptum, quasi per accidens, hoc est, quasi qualitatis, sicut conceptus attributorum: sed est gradus perfectionis quidditatiuæ essentiæ, ad cuius euidentiam optime conducit exemplũ de gradibus intensionis albedinis ibi positum. Ex quo deducitur simpliciorem esse conceptũ, quo dicitur Deus ens infinitũ, quam illud, quo dicitur sapiens, bonus, verus, &c. Vide quæ de hoc gradu infinitatis obseruauimus supra in difficul. 44. à nu. 14. vsque ad num. 18. vbi habes huius articuli materiam sufficienter expositam.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm ista, quæ cognoscuntur de Deo, cognoscantur per species creaturarum.

AD quintũ sic proceditur, & videtur, quod ista, quæ cognoscuntur de Deo, non cognoscantur per species creaturarũ: quia cognoscitur Deus ad modũ extimatiuæ: sicut enim extimatiua in brutis sub intentionibus sensatis suffodiẽdo cognoscit intentiones nõ sensatas, vt nociui, & proficui: sic intellectus sub specie creaturæ, quæ nõ repræsentat, nisi creaturam, ex suo acumine suffodit ad cognoscendũ ea, quæ sunt, & dicuntur de Deo per speciem alienã ex creaturis: & hoc omnibus tribus modis prædictis pro opinione *Henrici in primo articulo relato.* A

Sed cõtra est de illa suffosione: quia suffodiendo, nũquam illud, quod non subest illi suffosioni, inuenitur per suffosionẽ: non autem subest conceptui creaturæ aliquis cõceptus, vel species representans aliquid proprium Deo, quod sit omninò alterius rationis ab eo, quod conuenit creaturæ, vt probatũ est per secundã rationem in secundo articulo: ergo per suffosionẽ nullus talis conceptus inuenitur. B

Respondeo dicendum: quod adhoc dicit quidã Doctor sic: quod generaliter, aut concipitur Deus concipiendo, quodcũque attributum esse idem suo primo proprio attributo, scilicẽt, eius esse, propter simplicitatem: nec per speciem propriam cognoscitur Deus: quia nihil est, eo simplicius, sed admo- A C

admodum extimatiuæ, &c. quæ *habentur loco argumenti in principio articuli, ad hunc tamen quintum articulum*. Quinto dico: quod ista, quæ cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per species creaturarũ: quia siue vniuersalius, & minus vniuersale cognoscantur per eandem speciem minus vniuersalis, siue vtrumque habeat speciem intelligibilem, sibi propriam: saltem illud, quod potest imprimere, vel causare speciem minus vniuersalis in intellectu, potest etiam causare speciem cuiuscunque viatoris: & ita creaturę, quę imprimunt proprias species in intellectu, possunt etiã imprimere species transcendentium, quæ communiter conueniunt eis, & Deo: & tunc intellectus propria virtute potest vti multis speciebus simul ad concipiendum illa simul, quorum sunt istæ species, putà speciem boni, speciem summi, speciem actus, ad concipiendum summum bonum, & actualissimum, quod apparet sic per locum à minori. Imaginatiua enim potest vti speciebus diuersorum sensibilium, ad imaginandum compositum ex illis diuersis, sicut apparet imaginando montem aureum. Et ex hoc apparet improbatio illius, quod dicitur in præcedenti opinione, de illa suffosione, *vt ponitur. §. sed contra.*

Hic Doctor est Heri. ar. 22. q. 1. 2. & 3.

Conclusio.

D Ad argumentum illud, & quod adducitur simile de extimatiua, dico: quod videtur adduci falsum ad confirmationem alterius falsi: quia si maneret ouis in propria natura, & in eodem affectu naturali ad agnum, mutaretur tamen ouis, vt esset similis lupo, per miraculum in omnibus accidentibus sensibilibus, putà colore, figura, sono, motu, & huiusmodi: agnus fugeret ouem sic mutatã: sicut fugeret lupum: & tamen in oue sic mutata, non esset intentio nociui, sed proficui, & conuenientis: & ita extimatiua agni non suffoderet ad inueniendum intentionẽ conuenientis sub speciebus sensibilibus: sed præcisẽ, ita moueretur secũdum appetitum sensitiuum, sicut accidentia sensibilia mouerentur.

Si dicas, quod intentio ibi conuenientis non multiplicatur, quia non sunt talia accidentia conuenientia tali intentioni: & intentio conuenientis non multiplicatur siue accidentibus sibi conuenientibus. E.

Hoc nihil est: quia si agnus hic fugeret lupum propter perceptionem nociui conceptum ab extimatiua, & illa non multiplicatur, cum accidentibus istis sensibilibus: quia non est cum eis talis intentio, stante isto casu: ergo aut hìc non est suffosio agni ad intentionem nociui, quæ nulla est, aut hic non fugeret per suffosionẽ: ergo nec aliàs. F.

Expositio articul. 5. quæstionis 1. distinct. 3.

OSTENSO In præcedentibus articulis, quos, & quales conceptus possit intellectus viatoris habere de Deo: modo consequenter restabat videndum, per quas species huiusmodi conceptus habere possit: cũ conceptus & cognitio, non nisi ab obiecto, seu speciebus eius vicem gerentibus, esse valeat. Deum autem speciem propriam non habere respectu intellectus viatoris, est certum: nam & si possit Deus speciem representantem se, & suam essentiam creare, illamque intellectui beati infundere, prout visum est supra in difficultate 24. illud tamen pertinet ad visionem beatam, quæ est intuitiua cognitio. Et an etiam ad abstractiuã deseruire possit: non est huius loci ventilare. Semper enim est verũ, quod per talem speciem desuper in intellectu cõprehensoris, vel viatoris creatam, nõ naturaliter, sed supernaturaliter Deus cognosceretur. Hic autẽ viã naturalis cognitionis inquirimus, & supponẽdo nullã speciẽ naturalẽ, aut naturaliter representatiuã esse diuinæ essentiæ (nam etiam si species produceretur à Deo, nõ naturaliter, sed libere Deum representaret, ad nutũ videlicet voluntatis illius, prout

in cirata difficultate,oſtenſum eſt)inueſtigare oportet, per quas ſpecies intellectus poſsit in Dei cognitionem venire. Doctor autem in textu concludit non per alias, niſi per ſpecies creaturarum id fieri. Quia ſicut in creaturis ſunt prædicata quædam magis,aut minus vniuerſalia, vt potè in homine eſt animal,corpus,ſubſtantia, &c. quorum quædam ſunt magis, & minus vniuerſalia: ſic talium prædicatorum ſpecies,ſunt vniuerſales magis,& minus. Et ſicut homo in intellectu imprimit ſpecies ſuorum prædicatorum vſque ad ſubſtantiam: ſic poteſt imprimere ſpecies ſuorum tranſcédentium, vt potè quod eſt ens,bonum, verum,vnum,&c.quę conueniũt Deo, vt ex præcedentibus patet.

2 His igitur ſpeciebus habitis, poteſt intellectus naturali virtute vti eis, vel ſeorſum, vel ſimul ſumptis, ad hoc vt per illas concipiat primum ens, ſummum,bonum, verum,vnum, & ſimilia. Quia intellectus ex pluribus ſpeciebus componit ſecundum conuenientiam vnius ad aliam,conceptum, quo Deum cognoſcit. Ad quod adducit Doctor exemplum de imaginatiua, quæ habet ſpeciem,verbi gratia auri, & aliam ſpeciem montis. Quis ergo prohibet imaginatiuã hæc duo componere,& montem aureum imaginare? Si hoc ergo imaginatiua poteſt:à fortiori poterit intellectus,qui habet ſpeciem boni, & ſpeciẽ ſummi,& entis,& actus,&c.ſimiles ſpecies componere, cognoſcẽdo per illas, quod Deus eſt ſummum bonum,& actualiſsimum ens,&cætera. Et ita concluditur Deum,per ſpecies creaturarum, naturaliter ab intellectu viatoris cognoſci.

Quod autem obſtat Henricus de ſuffoſsione, improbatum eſt in textu,quia ſcilicet ſuffodiendo, nunquam illud, quod non ſubeſt ſuffoſsioni, inuenitur per ſuffoſsionem,& cætera. Et ad illud exemplum de æſtimatiua bruti primè reſpondet Doctor, quod aſſumitur falſum ad alterius falſi probationem. Quia ſi maneret ouis in propria natura, & in eodem affectu erga agniculum ſuũ, mutatis tamen figura, & extrinſecis accidẽtibus per miraculum in figuram & accidentia lupi: procul dubio agnus fugeret ab oue,tanquam à lupo: & tamen in oue ſic quoad figuram mutata, non eſſet intentio nociui,ſed proficui, & conueniẽtis: & ita æſtimatiua agni non ſuffoderet ad inuemendam intentionem conueniẽtis ſub ſpeciebus ſenſibilibus: ſed præciſsè,ita moueretur ſecundum apetitũ ſenſitiuũ, ſicut mouerent accidẽtia ſenſibilia talis figuræ, in quã mutata eſt ouis. Cętera perſpicuè patent in textu. 3

QVAESTIO SECVNDA.

De primo cognito à nobis naturaliter pro iſto ſtatu.

VXTA HOC, quæro ſecundo de primo cognito à nobis naturaliter pro iſto ſtatu? ad *hanc* ergò ſecundam quæſtionem, *veluti præambulam*, dico: quod triplex eſt ordo intelligibilium in propoſito, vnus eſt ordo originis, vel ſecundum generationem: alius eſt ordo perfectionis: tertius eſt ordo adęquationis. De duabus primis primitatibus habetur 9.Meth. cap.7. quæ ſunt priora ſecundum generationem, ſunt poſteriora ſecundum ſubſtantiam. De tertia autem primitate habetur, prim. poſt. in diffinitione vniuerſalis: quia primo dicit ibi præciſionem, & adæquationem. De tertia primitate, ſcilicet, adæquationis dicetur inſequenti quæſtione. Loquendo igitur de primo ordine, ſcilicèt, originis, videndum primo,de cognitione actuali, ſecundo, de cognitione habituali, tertio de virtuali. Circa hanc ergo quæſtionem quæruntur quatuor.

9. Meth. tex.cõ.15.

1. Poſter. com.11.

¶ Primò. Vtrùm via originis primo cognitum à noſtro intellectu cognitione actuali confuſſa ſit ſpecies ſpecialiſsima.

¶ Secundò. Vtrùm via originis primo

mo cognitum à noſtro intellectu cognitione actuali diſtincta ſit cõmuniſsimum.

Tertiò. Vtrùm via originis primo cognitum à noſtro intellectu cognitione habituali, ſeu virtuali, ſit communius.

Quartò. Vtrùm Deus ſit primo cognitum à nobis naturaliter pro iſto ſtatu.

ARTICVLVS I.

Vtrùm via originis primo cognitum à noſtro intellectu cognitione actuali confuſa ſit ſpecies ſpecialiſsima?

A AD primum ſic proceditur, & videtur, quod via originis primo cognitum á noſtro intellectu cognitione actuali confuſa nõ ſit ſpecies ſpecialiſsima: quia 1. phyſ. dicitur: quod confuſa, ideſt, magis vniuerſalia, ſunt prius nota nobis: quod probat: quia pueri primo appellant omnes homines Patres, & omnes Fœminas Matres: poſtea diſcernunt vnum quod q; : ergo prius cognoſcunt Patrẽ ſub ratione hominis, quàm ſub ratione huius hominis; hoc eſt actualiter cõcipi cõceptus priores ſeu cõmuniores.

B Secundò, præterea hoc idẽ probat Auice. de eo, quod videtur à remotis: quia prius cognoſcitur aliquid ſub ratione corporis, quã animalis; & prius ſub ratione animalis, quàm hominis: & prius hominis, quã huius hominis.

C Tertiò, præterea hoc etiam videtur: quia in arguendo, via compoſitiua eſt ante quam reſolutiua: ergo ita eſt in intelligibilibus ſimplicibus.

D Sed contra eſt: quia ſecundũ Auicennã. 1. Methap. c. 3. Metaphyſica eſt vltima in ordine doctrinæ: ergo principia omniũ aliarũ ſcientiarum poſſunt cõcipi, & termini illarum, ante principia Metaphyſicę: ſed hoc non eſſet, ſi oporterer primo concipi actualiter cõceptus cõmuniores, quã conceptus ſpecierum ſpecialiſsimarũ: tunc enim oporteret ens, & huiuſmodi, primo cõcipi: & ita magis ſequitur Metaphyſicã eſſe primam in ordine doctrinæ: ergo, &c.

Reſpondeo dicendũ: quod quantũ E ad primum præmitto duo, quorũ primũ eſt, quòd alius eſt conceptus ſimpliciter ſimplex, & alius eſt cõceptus ſimplex, qui nõ eſt ſimpliciter ſimplex: cõceptum ſimpliciter ſimplicẽ voco, qui non eſt reſolubilis in plures cõceptus: vt conceptus entis, vel vltimæ differẽtiæ. Conceptus ſimplex, ſed non tamẽ ſimpliciter ſimplex, eſt quicunq; poteſt concipi ab intellectu actu ſimplicis intelligentiæ: licèt poſsit reſolui in plures conceptus ſeorſum conceptibiles: ſicut eſt cõceptus diſiniti, vel ſpeciei. Secundo præmitto, quod aliud eſt cõfuſe intelligere, & aliud confuſum intelligere: confuſum enim idẽ eſt, quod indiſtinctũ: & ſicut eſt duplex indiſtinguibilitas ad propoſitum, ſcilicet, totius eſſentialis in partes eſſentiales, & totius vniuerſalis in partes ſubiectiuas: ita eſt duplex diſtinctio duplicis totius prædicti ad ſuas partes. Confuſum igitur intelligitur, quando intelligitur aliquid indiſtinctum altero prædictorũ modorum: ſed confuſe dicitur aliquid concipi, quando concipitur, ſicut exprimitur per nomen: diſtincte vero, quando concipitur, ſicut exprimitur per diſinitionem. His præintellectis, primo pono ordinem originis in cognitione eorum actuali, quæ concipiuntur confuſe: & quoad hoc dico, quod primum actualiter cognitũ cõfuſe eſt ſpecies ſpecialiſsima, cuius ſingulare efficaci', & fortius prẹmouet ſenſum; ſiuè ſit audibile, ſiuè viſibile, ſiuè tangibile: quodcunq; enim indiuiduũ fortius mouet ſenſum, cuius ſpecies eſt primo cognita cognitione confuſa: & hoc ſuppoſito, quod ſingulare ſit in debita proportione prẹſens ſenſui. Vndè ſiponas aliquẽ caſum, in quo ſenſus nõ primo ſentit naturã ſpecificã, ibi non

1. Phyſ. 3. com. 5.

Concluſio.

ſtatim patet, ſi eſt rubeus, vel viridis color: & per conſequens intellectus per illam ſenſationē, non ſtatim apprehendet naturā ſpecificā propter indebitā proportionē ſingularis ad ſenſum; vel propter imperfectionē virtutis, quā excedit hæc viſibilitas naturæ talis, vt naturæ, vel propter defectū in medio luminis, vel huiuſmodi, vel propter nimiā diſtantiā. Per hoc patet ad hanc inſtantiam: duo oculi in eadem diſtantia ad rubeū, vnus ſtatim percipit ruborē, alius cōfuſē: igitur in proportione debita nō ſtatim ſētitur natura ſpecifica.

Reſpondeo: debita vni non eſt debita alteri propter improportionē in illo paſſo. Contra, ſi vſq; ad A. gignit ſpeciē ruboris, & vltra A. ſpeciē coloris, vel confuſe repræſentantem: ſint iſti oculi vltra A. neuter videbit ruborē diſtincte. Reſpōdeo (quidquid ſit de medio) ſiuè vbiq; ſpecies propria, ſiuè vltra aliquā diſtantiā ſpecies confuſa, ſaltem in oculo minus diſpoſito, cæteris paribus, confuſior ſaltē vltra determinatā diſtantiā, non poſsit ſub propria ratione intelligi; de quo aliàs. Loquor enim modo de illis, quæ certū eſt poſſe intelligi ſecundū omnē opinionem: & probo concluſionē poſitā ſic. Cauſa naturalis agit ad effectū ſecundū vltimū potentiæ ſuæ, quando non eſt impedita: igitur ad effectū perfectiſsimū, quem primo poteſt producere, primo agit. Omnia autē concurrentia ad iſtū actū intellectus ſunt cauſæ mere naturales: quia præcedunt omnem actū voluntatis, & non ſunt impeditæ, vt patet: ergo primo producunt perfectiſsimū cōceptū, in quem poſſunt illæ. Si enim aliquis alius eſſet, putà, conceptus alicuius cōmunioris, ille eſſet perfectiſsimus, in quem iſta poſſent. Et cū cōceptus illius cōmunioris ſit perfectior cōceptu ſpeciei ſpecialiſsimæ, ſicut pars eſt imperfectior toto, ſequeretur, q̄ illa non poſſent in conceptū illius ſpeciei: & ita nunquam cauſarent conceptū illū. Ordo in generationibus reſpōdet hīc per imperfectū vt mediū: alioquin primo cauſaretur ab obiecto conceptus diffinitiuus: quia in illū poteſt obiectū: vel nunquam cauſabit. Quare non primo cauſatur conceptus diffinitiuus? quid perfectionis adquiritur alicui cauſæ illius cōceptus per diſcurſum in diuidēdo? Reſpōdeo, cōceptus diſinitiuus eſt conceptus explicatiuus pluriū partialiū; ideò oportet vtrumq; præintelligi ſaltem natura, & in nobis tempore: quia nobis vnus conceptus, nobis ex partialibus. Secundò ſic, *vt habetur, §. ſed contra.* Tertiò, quia ſi oporteret præconcipere conceptus vniuerſaliores ante cōceptū talis ſpeciei: tūc ſuppoſito caſu de ſingulari actualiter mouente ſenſum, & intellectu exiſtente abſoluto: oporteret ponere magnū tempus, ante quam conciperetur ſpecies illius ſingularis primo præſentari: quia prius oporteret intelligere omnia prædicata communia dicta in quid de illa ſpecie ſecundū ordinem. Ex hoc apparet cauſa, quare intellectus intelligit prius vniuerſāle intelligibile, quàm aliud: licèt ſpecies plurium ſint ibi præſentes: hoc enim non eſt à voluntate: cū tunc non habeat intellectus actū intelligendi: ſed huius cauſa eſt, quia ſingulare vnius fortius mouet, quàm ſingulare alterius: hoc dictū eſt cognitione confuſa. Sed comparādo totum ordinem confuſe concipiendi ad totū ordinem diſtincte concipiendi, quis prior eſt? *Vide reſponſionem inſequenti articulo.*

Argumentum efficaciſsimū Doctoris, quo probatur ſatis concluſio.

Ad primū argumentū dico: quod ſicut eſt duplex cōfuſum, ſcilicet, totū vniuerſale, & totū eſſentiale: ita vtrumque in ſuo ordine eſt primū. Sed ſimpliciter primū eſt illud, quod eſt primū in ordine confuſe cognoſcendi: quia proceſſus naturalis ab imperfecto ad perfectū eſt per medium. Confuſe autem cognoſcere eſt, quaſi medium inter ignorare, & diſtincte cognoſcere: & ideo cōfuſe cognoſcere, eſt ante quodcunque diſtincte intelligere. Et quod dicit de puero, concedo, quod ſpecies

præ

præintelligitur ante singulare: quia dixi, quod species est primum intelligibile. Sed ratio non concludit de genere, sed de specie: prius enim naturaliter actualiter concipitur albedo, quàm color in ordine cognitionis confusæ: quia color sub ratione coloris noncognoscitur, nisi sub maiori abstractione, quàm sit abstractio albedinis ab hac albedine, & illa: abstractio autē maior est difficilior, quia est à minus sēsibilibus.

H Ad secundum Auicen. dico: quod quando obiectum nō est debite approximatum, non mouet ad cognoscendum se sub perfectissima ratione, sed sub alia imperfecta: & tunc intellectus sequens sensum talis obiecti, oportet, quod sit talis obiecti vniuersalis, cuius sensus erat sub ratione singularis: sed quādo obiectum est in debita proportione, vt possit mouere sensum sub ratione sua propria & perfecta, tunc intellectus sequens sensum talem, habet notitiam talis naturæ, prius sub ratione specifica confuse, quàm sub ratione generis confusē: non quod ratio realis imperfectior, a qua sumitur gē⁹, sit ratio remouendi, quādo plus distat: & perfectior, a qua sumitur differentia, sit ratio mouendi, quando minus distat: imò ratio actiua efficaciter est ratio agendi a distantiori: sed forma specifica est perfectior ratio assimilandi a distantia magna, & est ratio perfectior assimilandi a distantia proportionata: igitur color nullam sic gignit speciē? non sequitur, sed tantum non hic. Sed tunc hæc albedo, vel hęc nigredo. Sed tunc quomodo esset de specie intelligibili vniuersalioris, & minus vniuersalis? Dici potest, quod vtraq; gignitur ab eodem phantasmate: aliter nullius, vt virtualiter contenti in inferiori se, est gignitiuum speciei intelligibilis: quia per se est intelligibile sic: non species sensibilis: quia nec sic est sensibile: quia sensus est existentis, vt existens.

I Contra, per te sensus non est singularis, sed naturæ in singulari. Item, si ponatur propria species sensibilis, & proprium phantasma albedinis, & aliud proprium coloris: sed non potest poni proprium quātitatis, nec entis: quia hæc sub ista differētia excedunt genus sensibilium: nec possunt, vt huius relucere in phantasmate, & ramē ipsorum causantur propriæ species intelligibiles: non igitur a diuersis phantasmatibus, nec ab ipsismet, vt distinctis ibi virtualiter existentibus: quia sub istis rationibus non sunt ibi repræsentatiuæ: nec aliter quam repręsentatiue: patet. Conceditur illud, quod vtraque gignitur ab eodem phantasmate, vt prius.

Ad tertium dico: quod vtrobique K proceditur ab includente ad inclusum, ita in simplicibus, sicut in complexis: sed in simplicibus includens est inferius, in complexis vero includens est primum respectu conclusionis.

Expositio primi art. quæs. 2. dis. 3.

ET si totius 2. quæst. materia, potius ad naturales Philosophos, I quā ad Theologos pertineat: in primo enim libro Physicorum disputari solet de primo cognito nostri intellectus: nō tamen ideo Philosophis naturalibus, est huius quæstionis speculatio penitus reseruanda, sed hîc à nobis necessario exponenda. Quæ igitur circa illam Doctor pertractat in hoc articulo, non sunt ibi tam clare enucleata, vt expositione non egeant. Præbet ergo ad eius resolutionē, præclaram illā distinctionem de conceptu simplici, & de conceptu simpliciter simplici: & insuper illam, de cognitione distincta, & confusa: ad cuius literæ intelligentiam prænotare oportet duplicem esse notitiam: quædam enim est confusa, quædā vero distincta. Cognitio confusa dicitur cognitio alicuius totius, non cognitis eius partibus. Cognitio vero distincta est alicuius totius per suas partes: quarum exempla patent.

Cognitio confusa, & cognitio distincta definiuntur.

Aliud est ergo cognoscere obiectum confusum, & aliud cognoscere obiectū

Aliud est cognoscere confusum, & cognoscere confuse, & aliud est cognoscere distincte, & cognoscere distincte.

confuse: & similiter aliud est cognoscere obiectum distinctum, & aliud est cognoscere obiectum distinctè: nam confuse & distincte cognoscere, appellat supra confusionem seu distinctionem notitiæ, quatenus se habet ex parte potentiæ cognoscitiuæ. Cognoscere autē confusum seu distinctum, appellat supra notitiā, quatenus se habet ex parte obiecti cogniti. Cognoscere igitur confusum, nihil aliud est, quam cognoscere aliquod totum: quia (vt inquit Doctor) confusum idem est quod indistinctum. Quando igitur cognosco hominem seu Petrum, tunc cognosco confusum, quādo autem cognosco aliquam partē eius, vt potè animam rationalem, seu materiam primam, tunc cognosco distinctum. Confuse vero cognoscere est cognoscere rem secundum, quod significatur per terminum, sicut quando cognosco Petrum per simplicem huius termini notitiam, vt ipsum video, vel aliquo alio sensu intueor. Distinctè vero cognoscere est cognoscere rem secundum quod per diffinitionem seu demostrationem significatur, vt quando cognoscitur homo per hoc, quod est animal rationale. Ex quibus colligitur bene stare, quod confusum cognoscatur distinctum, & è contra, quod distinctum cognoscatur confuse: seu etiam quod confusum cognoscatur confuse, & distinctum, quod cognoscatur distinctè. Quæ per exemplum patent, nam quando cognoscitur homo per diffinitionem, cognoscitur confusum distinctè, quando verò cognoscitur pars diffinitionis simplex, non cognita eius diffinitione, vt potè si cognoscatur rationale, seu anima, cognoscitur distinctum confuse. Quando vero cognoscitur homo non cognita diffinitione illius: tunc cognoscitur confusum confuse: quando autem cognoscitur rationale per discriptionem suæ quidditatis, seu ens, cognoscitur distinctum distinctè.

3 *Totum est duplex, actuale, & potentiale.*

Præterea totum, quod cognoscitur, est duplex, scilicet, actuale, & potentiale, quod vocauit Doctor essentiale, & vniuersale. Animal enim respectu suorum prædicatorum essentialium, est totum essentiale & actuale, quia actualiter in se continet talia prædicata, sicut totum continet partes. Ipsum vero animal in ordine ad sua inferiora est totum vniuersale, & potentiale: quia prædicatur de illis, & est per eorum differentias perfectibile. Duplex igitur est notitia confusa respectu istius duplicis totius. Quædam est actualis confusa, & quædā potentialis confusa. Confusa actualis est, quando cognoscitur aliquod totum actuale, non cognitis eius partibus essentialibus: sic cognoscitur homo, non cognito animali, & rationali. Cognitio autem confusa potentialis est, qua cognoscitur vniuersale, non cognitis eius inferioribus: sic cognoscitur animal nō cognito homine, & equo. Istis autem notitijs confusis correspondēt aliæ notitiæ distinctæ. Nā alia est cognitio distincta actualis, qua cognoscitur aliquod totum per suas partes essentiales, sicut cognoscitur homo per animal rationale: alia vero est cognitio distincta potentialis, qua cognoscitur vniuersale per sua inferiora, vt cognoscitur animal per leonem, equum, & cætera.

Notitia cō fusa duplex, actualis, & potētialis.

Notitia distincta est duplex, actualis, & potētialis.

His positis intelligetur præsentis articuli difficultas, in qua nulla est controuersia circa modū cognitionis, qualis videlicet, sit cōfusa, & qualis distincta: sed semel habito, apud omnes dari cognitionē distinctam & confusam, actualē & potentialē modo exposito: inquiritur, vtrū notitia actualis confusa reperiatur circa rē singularē, aut vniuersalē, vel circa magis vniuersale, aut minus. V.g. repræsentato singulari, vt potè Petro, & proposito visui: quærimus, sub quaratione prius ab intellectu intelligatur: anscilicet, sub ratione Petri, vel sub ratione hominis, an vero sub ratione animalis, vsq; ad ens: vel è conuerso, prius intelligatur sub ratione entis, & deinceps procedat intellectus vsq; ad singulare. Hoc in textu resoluit Doctor in fine corporis secūdi articuli, dicens: *Quod cōparando totū ordinē confuse concipiendi ad totum ordinē distincte concipiendi, totus ordo cōfuse concipiendi prior est, & ideo primū in illo ordine est simpliciter primum*, ideſt, primo cognitū. Ex his igitur omnibus cōcludit Doctor primo cognitum nostri intellectus loquendo de cognitione actuali cōfusa, via originis, esse speciem atromā, cuius singulare seu individuū efficacius & fortius præmouet sensum. In quo aduersatur Diuo Thomæ, qui prima parte quæst.

4

D. Thom.

quæst. 85. art. 3. & in opusculo de ente, cap. 1. (quem fere omnes Thomistæ sequuntur) tenet vniuersalia ora à nobis prius cognosci, quam minus vniuersalia: & sic ens esse primo cognitum nostri intellectus, eo quod est vniuersalissimum omnium. Doctor vero (vt visum est ibi) resoluit oppositum tenendo inter vniuersalia, speciem attomam esse primo cognitum cognitione actuali confusa, quod probat triplici ratione principali. Et consulto dixi inter vniuersalia, nam absolutè loquendo, secundum ipsum, primo cognitum à nobis hac via est singulare.

Ad huius euidentiam prænotanda
5 sunt hæc textualia verba: *His præintellectis, primo pono ordinem originis in cognitione eorum actuali, quæ concipiuntur confusè, & quod ad hoc dico, quod primum actualiter cognitum confusè, est species specialissima, cuius singulare efficacius, & fortius præmouet sensum.* Ex quibus verbis vnum habetur expressè, & aliud expressè colligitur. Habetur enim expressè, quod inter vniuersalia, species specialissima est primo cognitum nostri intellectus: colligitur tamen, quod comparando singulare ad vniuersale, singulare est primo cognitum: nam si ratio quare Scotus asserit speciem specialissimam esse primo cognitum, est quia eius singulare efficacius mouet sensum: à fortiori sentit, quod tale singulare est prius cognitum, quàm species. Et hoc expressè ostendit Doctor ibidem. §. *respondeo debita vniri.* Vbi exponit supradictum conclusionē his verbis: *Loquor enim modo de illis, quæ certum est posse intelligi secundum omnem opinionem, & probo conclusionem positam sic,* &c. Vbi manifestè ostendit, quod quando asserit speciem specialissimam esse primo cognitum hoc est: loquendo de vniuersalibus, quæ secundum omnem opinionem ab intellectu cognoscūtur: singulare enim cognosci ab intellectu, non est certum apud omnes, vt patet. Sequuntur ergo hanc Scoti sententiam
Tatharet. Tatharetus, ibidem, & 1. physicorum quæst. 1. §. quantum ad secundum, vbi ait, quod singulare est primo cognitum nostri intellectus, & dubio 2. inquit, quod inter vniuersalia, species specialissima, cuius singulare fortius mouet
Budeus. sensum, est primo cognitum, Budeus, & Buridanus, hoc loco, & reliqui Scotistæ. Item ex Nominalibus OKam, in in 1. dist. 3. quæst. 5. & Gregorius dist. 3. quæst. 3. Item Durandus in 2. dist. 3. q. 7. & ex Iesuitis Fonseca 1. tomo suæ Methaphysicæ lib. 1. quæst. 3. sect. 8. §. *atque hæc obiter*. Argumentorum solutiones patent in textu.

Buridana. OKam. Gregorius Durandus Fonseca.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm via originis primo cognitum à nostro intellectu cognitione actuali distincta, sit communissimum?

AD secundum sic proceditur, & videtur, quod via originis primo cognitum à nostro intellectu cognitione actuali distincta, non sic communissimum: quia secundum Auice. 1. Meth. cap. 3. Metaphysica est vltima in ordine doctrinæ: ergo principia omnium aliarum scientiarum possunt concipi, & termini illarum ante principia Metaphisicæ: sed hoc non est, si oporteret primo concipi actualiter conceptus communiores: ergo, &c. A.

Sed contra est: quia Metaphysica, secundum *eundem* Auicen. ibidem, est prima secundum ordinem sciendi distinctè, &c. B.

Respondeo dicendum secundo de cognitione actuali distinctæ conceptorum, & dico: quòd est è conuerso: *quàm de cognitione confusa articulo præcedenti dictum est*: quia primum sic cōceptum est communissimum: & quæ sunt propinquiora sibi, sunt priora, & quæ sunt remotiora, posteriora sunt. Hoc sic probo: quia ex secundo præmisso, *in articulo præcedenti*, nihil concipitur distincte, nisi quando concipiuntur omnia, quæ includuntur in ratione eius essentiali: ens includitur quidditatiue in omnibus conceptibus quidditatiuis inferioribus: ergò nullus conceptum C. *1. Conclus.* *2. Conclus.* *9. Meth. 1. fine.*

ceptum ſimpliciter ſimplicem: ergò poteſt concipi diſtincte ſine alijs,& alij non ſine eo diſtincte concepto: ergo ens eſt primus conceptus diſtincte cõceptibilis. Ex hoc ſequitur, quod ea, quæ ſunt ſibi propinquiora, ſunt priora: quia cognoſcere diſtincte habetur per diffinitionem, quæ inquiritur per viam diuiſionis incipiendo ab ente vſque ad conceptum difiniti. In diuiſione autem prius occurrunt conceptus communiores, deinde genera,& differentiæ, in quibus concipitur diſtincte conceptus inferior. A ſecundo probo idem: quia Metaphyſica, ſecundum Auicenam vbi prius, eſt prima ſecundum ordinem ſciẽdi diſtincte: quia ipſa habet certificare principia aliarum ſcientiarum: ergo eius cognoſcibilia ſunt primo diſtincte cognoſcibilia.

Vt inquit, Ariſt. 2. poſter. cõ. 17.

D Sed comparando totum ordinem confuſe concipiendi, ad totum ordinem diſtincte concipiendi, quis prior eſt? Dico, quod totus ordo confuſe concipiendi prior eſt: & ideo primum in illo ordine eſt ſimpliciter primum. Et hoc probatur ex autoritate prædicta Auicenæ de ordine Metaphyſicæ ad alias ſcientias ſpeciales.

3. Concluſ.

E Ad argumentum *reſpondeo*: quod nec in hoc contradicit ſibi Auicena, qui ponit Metaphyſicam in ordine doctrinæ vltimam, & primam in ſciendo diſtincte: quia ſicut patuit ex quæſtione vltima illa de propoſitione per ſe nota, principia aliarum ſcientiarum ſunt per ſe nota ex conceptu confuſo terminorum, ſed ex Metaphyſica ſcita. Poſtea eſt poſsibilitas inquirendi quiditatem terminorum diſtincte, & hoc modo termini ſcientiarum ſpecialium non concipiuntur, nec principia earum intelliguntur ante Metaphyſicam: ſic enim multa poſſunt patere metaphyſico Geometræ, quæ non erãt nota prius Geometræ ex conceptu confuſo.

Diſt. 2. q. 2

F Exemplum, Geometer, in quantum Geometer, non vtitur pro principijs per ſe notis, niſi illis, quæ ſtatim ſunt euidentia ex confuſo conceptu terminorũ, qualis occurrit primò ex ſenſibilibus, putà, linea eſt longitudo, &c. non curans ad quod genus pertineat linea, putà, vtrum ſit ſubſtantia, vel quantitas: ſed modo cognita Geometria, & alijs ſcientijs ſpecialibus, ſequitur Metaphyſica de conceptibus cõmunibus, ex quib⁹ poteſt fieri redditio per viam diuiſionis ad inquirendum quidditates terminorũ in ſcientijs ſpecialibus: & tunc ex illis quidditatibus ſic cognitis diſtinctius cognoſcuntur principia ſpecialium ſcientiarum, quã prius cognoſcebantur. Cognoſcuntur etiam multa principia, quæ non erant prius nota ex terminis confuſe cognitis. Et hoc modo patet, quomodo Metaphyſica eſt prima, & quomodo non eſt prima.

Expoſitio 2. articul. quæſtionis 2. diſtinct. 3.

LITERA Huius articuli manifeſte patet. Per oppoſitum namq; ad ea quæ in primo articulo dicta ſunt de cognitione actuali confuſa: hic de actuali diſtincta Doctor reſoluit. In vtroque enim articulo ponitur duplex ordo originis cognitionis noſtræ. Nam alia eſt via confuſe cognoſcendi, & alia cognoſcendi diſtinctè, vt viſum eſt ſupra. De priori actum eſt in præcedenti articulo, vbi reſoluitur, quod loquendo de cognitione confuſa, incboatur noſtri intellectus cognitio à ſingulari fortius præmouente, & ex illo ad ſpeciem attomam, cuius indiuiduum eſt ipſum ſingulare: & ſic procedendo peruenit vſque ad communiſſimum, quod eſt ens, cuius conceptus eſt ſimpliciter ſimplex, & ideò ab eo nõ valet ſubſiſtendi conſequentia. De poſteriori autem via, quæ eſt per ordinem diſtinctè cognoſcendi: incipit ordine in verſo noſtra cognitio, nempè a communiſſimo, quod eſt ens, vſque ad ſingula-

gulare, seu individuum speciei atomæ. Et hoc est, quod concluditur in secundo articulo, cuius litera ex notatis in cõmentario ad primum, est satis perspicua.

ARTICVLVS III.

Vtrùm via originis primo cognitum à nostro intellectu cognitione habituali, seu virtuali sit communius?

A AD tertiũ sic proceditur, & videtur, quod via originis primo cognitum à nostro intellectu cognitione habituali, seu virtuali, non sit communius. Quia si vnus conceptus virtualiter includat omnes istos, prius perficiet sub ratione conceptus prioris, & vniuersalioris, quàm sub ratione conceptus particularis: quare non similiter in actuali cognitione?

B Sed contra est: quia si vna forma includat virtualiter omnes, ipsa quasi prius perficiet materiam sub ratione substantiæ, quàm sub ratione corporis, & semper in via generationis imperfectius erit prius: quia proceditur à potentia ad actum: ergo, &c.

C Respondeo dicendum: quod quantum ad notitiam habitualem, siuè virtualem, primo expono, quid intelligo per terminos: habitualem notitiam voco, quando obiectum sic est præsens intellectui in ratione intelligibilis actu, vt intellectus statim possit habere actũ elicitum circa illud obiectum. Voco virtualem, quando aliquid intelligitur in aliquo, vt pars intellecti primi, non autem vt primum intellectum, siuè vt totale terminans intellectionem: sicut cum intelligitur homo, intelligitur anima in homine, vt pars intellecti, non vt intellectum primum, siuè totale terminans intellectionem. Hoc satis propriè vocatur intellectum virtualiter: quia est satis proximum intellecto in actu; non enim posset esse actuale intellectum, nisi esset propria intellectione intellectum, quæ esset ipsius primi, vt termini totalis. Quantum ad istam notitiam habitualem, vel virtualem. *Conclusio.* Dico: quod communiora sunt prius nota via originis, vel generationis: quod probatur: quia sicut diuersæ formæ perficientes idem perfectibile, ordine quodam natæ sunt immediatius, & immediatius informare illud, vel perficere: ita si eadem forma contineat in se virtualiter perfectionem illarum formarum ordinatarum, quasi consimili ordine naturę perficiet illud perfectibile: sicut forma substantiæ, corporis, &c. essentialiæ formæ in aliquo, per prius informaret forma substantiæ, & deinde forma corporis, &c. Ita si vna forma includat virtualiter omnes illas, ipsa quasi prius perficiet materiam sub ratione substantiæ, quã sub ratione corporis: & semper in illa via generationis imperfectius erit priꝰ: quia proceditur à potentia ad actum, *vt dictum est §. sed contra*: Ergo sicut conceptus plures communiores, & minus communes habituales, & virtuales, nati sunt perficere intellectum, via generationis, vel originis: ita quod imperfectior est semper prior, ita si vnus conceptus virtualiter includat omnes istos prius perficiet sub ratione conceptus prioris, & vniuersalis, quàm sub ratione conceptus particularis.

Ad argumentum respondeo: quod híc ordinata secundum naturam simul duratione: non sic ibi: sed successiuè potentius fortius mouentis impedit alia, tunc mouere ibi: non sic híc. Hoc de ordine originis, siuè generationis.

D

Expositio 3. articul. quæstionis 2. distinct. 3.

CONCLVSIO huius articuli est, quod communiora, sunt prius nota via originis quantum ad notitiam habitualem, vel virtualem.

In

In qua litera valde distincte proceditur: nam primo exponit Doctor, quid sit notitia habitualis, & virtualis: & secundo his terminis declaratis, statuit conclusionem prædictam. Tertiò tandem illã probat ratione, & exemplo de pluribus formis perficientibus idem perfectibile, quæ omnia constant ex ibi clare dispositis.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm Deus sit primo cognitum à nobis naturaliter pro isto statu.

A AD quartum sic proceditur, & videtur, quod Deus sit primo cognitum à nobis naturaliter pro isto statu: quia vnum quodque, sicut se habet ad esse, sic ad cognitionem 2 Meth. sed Deus est primum ens: ergo primum cognitum. 2. *Meth.3. com.4.*

B Secundò præterea: nihil perfectè cognoscitur, nisi Deo perfectè cognito: ergo nihil simpliciter cognoscitur, nisi Deo simpliciter cognito. Consequentia apparet: quia in his, quæ sunt per se, sicut maximum ad maximum, sic simpliciter ad simpliciter, & è conuerso, ex 2. Thopic. 2. *Thop.c. 29.*

C Tertiò præterea: perfectissimus actus potentiæ est circa obiectum simpliciter primum: perfectissimus autem actus, scilicèt, speculatio, in qua consistit fœliciras, est circa Deum 10. Ethic. ergò Deus est simpliciter primũ obiectum cognoscibile. 10. *Ethic. cap.10.*

D Sed contrà est: quia omnis nostra cognitio oritur à sensu, 1. Metphaphis. & 2. post. in fine: ergò Deus, qui est à sensibus remotissimus, non est primo cognitus ab intellectu nostro. 1. *Metha.*

E Respondeo dicendum, quoad secundam quæstionem, *& istum articulum*: quod secundum opinionem *in primo articulo quæstionis primæ relatam*, distinguendum est de modo concipiẽdi naturaliter, & rationaliter. Primo modo, Deus est primum obiectum intelligibile à nobis ex creaturis: quia naturalis cognitio procedit ab indeterminato ad determinatum: indeterminatum negatiuè est magis determinatum, quàm priuatiuè: indeterminatum ergo præconcipitur illi, & illud indeterminatum priuatiuè secundum cognitionem nostram præconcipitur determinato: quia ens, & res prima impressione imprimunt in animanostra, secundum Auicen. 1. Methaphys. capit. 5. ergo indeterminatum negatiuè omnino primum est obiectum nostro intellectui. Rationaliter autem est Deus posterius creatura, obiectum cognitum secundum tres gradus. Primo generalissimè, deinde generalius, & vltimo generaliter: quia primò concipitur hoc bonum: deinde bonum vniuersale abstractum secunda abstractione, putà, quod est indeterminatum priuatiuè: deinde bonum prima abstractione abstractum, quod, scilicèt, est indeterminatum negatiue: quia via ratiocinatiuæ deductionis, prius oportet cognoscere illud, à quo fit abstractio, quàm abstractum. Exponitur primum membrum, scilicet, naturaliter, quommodo est cognitum primo: quia Deus, vt est sic primo cognitum, non distinguitur ab alijs propter simplicitatem: & quia non est primum cognitum, nisi tantum quoad duos primos modos gradus generalissime concipiendi, quorum neuter pertingit ad aliquam rationem determinantem illud attributum Deo. Qualiter autem posset esse primum cognitum, & non distingui ab alijs per intellectum cognoscentem, exemplificatur. Sicut oculus primo videt lucem, licèt non distincte discernat de ipsa propter subtilitatem, sicut discernit de colore per lucem. *Opinio Hẽriq. vbisu.*

Quòd autem dicit ista opinio recitata, & hoc quantum ad quæstionem de indeterminato negatiuè, & priuatiuè: si intelligat de primitate F

origi-

originis, contra dixi in primo membro *huius* secundæ quæstionis. Et cum arguitur, quod indeterminatum negatiue est magis indeterminatum, quàm indeterminatum priuatiuè, nego de indeterminatione, ad propositum loquendo, qualis, scilicet, est in primo intellectu: quia indeterminatum negatiuè est singulare, & tale non est magis indeterminatum, quàm indeterminatum priuatiue. Indeterminatio autem negatiua, scilicét, repugnantia ad determinari, & si sit aliquo modo maior, quàm indeterminatio priuatiua, non tamen tale indeterminatum prius occurrit intellectui: quia tale non est confusum obiectum, sed distinctum cognoscibile, sicut prius dictum est. Quod arguit etiam in secundo membro, quod notitia rationali Deus sit vltimum cognitum, quia prius cognoscitur illud, a quo fit abstractio, quam abstractum: hoc non est verum, nisi ponendo abstractionem, quendā discursum a notiori ad aliud: ita quod illud, a quo fit abstractio, est primo cognitum: & aliud cognitum per ipsum: & si ita intelligat abstractionem, talis cognitio per abstractionem non est prima cognitio abstracti: si enim ita cognoscatur Deus per creaturam, oportet aliquem conceptum præhabere de Deo, adquem discurritur: quia discursus præsuponit alium conceptum determino ad quem est. Vel igitur propositio, quam accipit, est falsa: vel si sit vera, concludit, Deū esse prius cognitum, ante quam cognoscatur rationabiliter, quod forte concederet. Quod etiam addit, quod Deus vt est primum cognitum a nobis naturaliter, non distinguitur ab alijs: quia non concipitur in aliquo, in quo distinguatur a creatura: in hoc videtur contradicere sibi ipsi: prædixit enim, quod est primum cognitum ab intellectu naturaliter, vt est indeterminatum negatiuè, & dicit, quod in hoc conceptu non distinguitur a creatura: quia iste non conuenit creaturæ.

Nunc igitur de ordine perfectionis distinguo (*de ordine enim originis satis in articulis præcedentibus dictum est*) quod perfectius intelligibile a nobis potest intelligi dupliciter: aut simpliciter, aut secundum proportionem. Exemplum, visio aquilæ de sole est simpliciter perfectior respectu solis, quam visio nostra, videlicet, respectu candelæ: & tamen visio nostra perfectior est proportionaliter, hoc est, plus habet ipsa de ratione visionis secundum proportionem aduisibilitatem candelæ, quàm visio aquilæ habeat de ratione visionis, respectu visibilitatis solis: ista distinctio habetur a Philosopho. 11. de animalibus, vbi vult: quod licet de immaterialibus habemus minimam cognitionem, quod est intelligendum proportionaliter: tamen illa est desiderabilior cognitione magna, quæ potest haberi de materialibus, quæ est magna incomparatione ad illa cognoscibilia. Loquendo ergo de ordine perfectionis simpliciter, dico, quod perfectissimum cognoscibile a nobis, etiam naturaliter, est Deus. Vnde in hoc etiam ponit Philosophus felicitatem naturalem, 10. Ethicorum: & post ipsum species specialissima perfectior in vniuerso: & deinde species proxima illi: & sic vsque ad vltimam speciem: & post omnes species specialissimas genus proximum abstrahibile ab specie perfectissima: & sic semper resoluendo. Et ratio omnium istorum est, quia attingere actualius obiectum est intellectio perfectior simpliciter: quia habet æqualem perfectionem ex parte intellectus cumquacumque alia intellectione, vel non minorem: & habet perfectionem multo maiorem ex parte obiecti: quæ duo, scilicet, perfe-

G

1. *De partibus animaliū c. 5.*

1. *Concl. 1.*

10. *Eth. c. 10.*

2. *Conclu.*

3. *Conclu.*

perfectio potentiæ, & perfectio obiecti, sunt causa perfectissimæ cognitionis, siuè intellectionis. Si autem loquamur de notitia perfectiori, secundum proportionem ad cognoscibile, dico, perfectiora sensibilia, & sensus efficacius mouentia sunt perfectius cognoscibilia secundum proportionem: quia intellectus noster plus attingit ad illa secundum gradus cognoscibilitatis eorum: & quæ sunt remotiora ab illis sunt minus cognoscibilia, secundum proportionem suæ cognoscibilitatis. Probatur igitur, quod Deus est primum cognitum, hoc est, perfectissimum, quod concedo. Sed non primum adæquatum. Ad argumenta huius quæstionis.

4. Conclu.

5. Conclu.

H Ad primum dico: quod consequentia non valet, scilicet, est primum ens: ergo est primum cognitum a nobis: licèt sequatur, est primum cognoscibile, quantum est de se. Et ita debet intelligi veritas, de qua loquitur Philosophus, secundo Methaphysicæ, sicut res se habet ad entitatem, sic ad veritatem. Pro euidentia rei in se, siuè pro intelligibilitate rei ex parte sui: non oportet autem quod res sicut se habet ad entitatem, sic se habeat ad cognosci: nisi intelligatur cognosci ab illo intellectu, qui respicit intelligibilia omnia secundum gradum proprium intelligibilitatis eorum: qualis non est noster intellectus, sed maximè cognoscit sensibilia.

I Ad secundum dico: quod consequentia non valet, nisi in causis præcisis. Quod patet in exemplo: si eclipsis est cognoscibilis ex duplici causa per duas potentias, scilicèt, per sensum, & intellectum habentem demonstrationem, nunquam cognoscitur perfectissimè nisi cognito principio demonstrationis perfectissimæ: non tamen sequitur: ergo nunquam cognoscitur nisi cognito principio demonstrationis: habet enim aliam causam, qua cognosci potest, quia ista non est præcisè causa: tamen per aliam non potest ita perfectè cognosci, sicut per istam: quia est à causa, scilicet, demonstratio, qua potest cognosci ab intellectu, est perfectior causa cognitionis suæ, quàm alia, quæ potest cognosci per sensum. Ita est in proposito, quælibet creatura præter causam cognitionis suæ, quæ est essentia diuina, habet aliam causam illius cognitionis, scilicèt, essentiam propriam, quæ nata est gignere notitiam sui: nunquam tamen per motionem suam, ita perfectè cognoscitur res, sicut per essentiam diuinam. Non igitur sequitur ab effectu ad causam arguendo: si perfectissime, perfectissime: ergo si simpliciter, simpliciter: quia illud, quod perfectissimè sumptum potest esse causa præcisa perfectissime in genere: sumptum tamen simpliciter non est causa præcisa effectus in genere.

Ad tertium dico: quod maior K est vera, loquendo de primitate perfectionis: sed non de primitate adæquationis. Exemplum, numquam est visio circa aliquid sub ratione coloris præcisè: ita quod non sub ratione huius, vel illius coloris, putà, albi vel nigri: nisi illud videatur à remotis, vel imperfectè. Visio autem alicuius sub ratione coloris præcisè non est perfectissima, sed imperfectissima. Cum dicitur perfectissima operatio potentiæ est circa primum obiectum eius, verum est: non primum adæquatione: sed primum perfectione: quod, videlicet, est perfectissimum contentorum sub primo obiecto adæquato. Et ideo dicit Philosophus, 10. Ethicorum, quod declaratio perfectissima est in operatione circa optimum omnium eorum, quæ

10. Ethic. cap. 4.

quæ ſunt ſub potentia, hoc eſt circa optimum contentũ ſub obiecto adæquato illius potentiæ. Probatur igitur iſta ratio, quod Deus eſt primo cognitum, hoc eſt perfectiſsimum: quod concedo: ſed non primum adæquatum, de quo in ſequenti quæſtione.

Expoſitio quarti articuli quæſtionis ſecundæ diſtinctionis tertiæ.

1 OPINIONEM Henrici primo proponit Doctor in textu, & illam efficaciter improbat, ac deinceps articuli difficultatem reſoluit: ad cuius intelligentiam ex textualibus eſt notandum, quod triplex eſt prioritas, quædam enim eſt prioritas originis, alia perfectionis, & alia adæquationis. Prioritas originis eſt illa qua intellectus prius incipit cognoſcere: prioritas verò perfectionis, eſt qua perfectius obiectum cognoſcitur: prioritas tandẽ adæquationis, eſt qua potentia cognoſcit ſuum obiectum adæquatum. Vndẽ de primo cognito intellectus prioritate originis, iam patuit ex primo & ſecundo articulis: primo cognitum autẽ ſecundum prioritatem perfectionis, eſt Deus; primo cognitum denique ſecundum prioritatem adæquationis, eſt ens communiſsime ſumptum.

Prioritas eſt triplex originis, perfectionis, & adæquationis,

2 Porrò ordo perfectionis eſt duplex videlicet vnus ſimpliciter, & alius ſecũdum proportionẽ: & ideò aliud eſt primo cognitum ſimpliciter, & aliud ſecũdum proportionem. Deus eſt primo cognitum ſimpliciter, loquendo de prioritate perfectionis: quia ſimpliciter eſt perfectiſsimum omnium entium: non tamen eſt primo cognitum ordine proportionis: quia illud eſt primo cognitũ ſecundum proportionem, quod perfectiori modo attingitur à potentia. Sic dicimus, quod ſol eſt primo viſus ordine perfectionis ſimpliciter: ſed lux candelæ eſt primo viſa ſecundum proportionem. Atque ideò communiter dicitur quod viſio, qua aquila videt ſolem, eſt perfectior ſimpliciter, quã illa, qua ego video candelam: & ſecundum ordinem proportionis, viſio, qua ego video candelam, eſt perfectior illa, qua aquila videt ſolem: quia perfectiori modo candela attingitur à viſu meo, quàm ſol ab aquilæ viſu.

Ordo perfectionis duplex.

Deus eſt primo cognitu ordine perfectionis.

Verùm vt ſciatur qualiter intellectus à ſenſibilibus moueatur, præliuare oportet, quod quia intellectus, ſecũdũ, quod eſt tabula raſa, id eſt qui tenuerit expers omni habituali cognitione, quidquid cognoſcit, accipit à ſenſibus: hinc eſt quod illud, quod immediatius percipitur à ſenſu, hoc prius cognoſcitur ab intellectu. Omne autẽ quod percipitur à ſenſu, eſt medio aliquo accidente: quia viſus non videt niſi medio colore: & ſic de alijs ſenſibus dicẽdũ eſt. Igitur immediatius approximãtur accidẽtia ſenſui, quã ſubſtãtia. Sed quia nõ omnia accidẽtia per ſe ipſa percipiũtur in abſtracto: non enim video albedinẽ, ſed albũ: & album in cõcreto includat ſubiectum includens albedinem: hinc eſt, quod licet immediatius accidẽs approximetur ſenſui, quam ſubſtantia: non tamẽ ideò per ſe ipſum, prius à ſenſu percipitur quã ſubſtantia. Ad cuius intelligentiam, plurimum valet illa diſtinctio de duplici principio, *quod*, & *quo*: nam ſicut principium *quod* intelligens eſt ſuppoſitum, principium autem *quo* eſt potentia: ſic eſt duplex cognitum. Aliud eſt enim cognitum, *quod* & aliud eſt cognitum *quo*. Cognitũ *quod* eſt illud, quod per ſe terminat cognitionem: cognitum verò *quo*, eſt illud, quod eſt medium, quo illud cognoſcitur. Dico ergo, quod primo cognitum *quod*, eſt ſingulare ſubſtãtiale: quia illud eſt, quod cognoſcitur, & per ſe cognitionem terminat: accidens autem, medio quo ſingulare ſubſtantię à ſenſu cognoſcitur, eſt primo cognitũ *quo*. Ex quibus reſoluitur huius articuli doctrina in textu, quod ſcilicet Deus eſt primo cognitum ſimpliciter via perfectionis: non tamen via proportionis: quia non ſub eſt accidentibus, quibus proportionetur ſenſibus, à quorum miniſterio pendet intellectus viatoris cognitio.

3

Cognitũ eſt duplex quod & quo, primũ eſt ſubſtantia, ſecũdum eſt accidens.

QVAESTIO III.

De obiecto adæquato intellectus viatoris.

IVXTA illud, quod tactum est quarto articulo secundæ quæstionis de obiecto adæquato intellectus & præciso, quæruntur nouem.

¶ Primò. Vtrùm obiectum adæquatum nostri intellectus sit quidditas rei materialis?

¶ Secundò. Vtrùm Deus sit obiectum naturale primum, hoc est adæquatum, respectu intellectus viatoris?

¶ Tertiò. Vtrùm ens sit vniuocum dictum in quid de omnibus decem prædicamentis?

¶ Quartò. Vtrùm ens sit vniuocum dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus?

¶ Quintò. Vtrùm ens prædicetur in quid de aliquibus differentijs?

¶ Sextò. Vtrùm ens sit obiectum adæquatum nostri intellectus?

¶ Septimo. Vtrùm posset poni, quod verum sit obiectum adæquatum nostri intellectus?

¶ Octauo. Vtrùm eo ipso, quod ens secùdum suam communissimam rationem est obiectum adæquatum nostri intellectus, Deus naturaliter á nobis possit cognosci?

¶ Nonò. Vtrùm summum bonum sit obiectum primum, siue adæquatum nostræ voluntatis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm obiectum adæquatum nostri intellectus, sit quidditas rei materialis?

A. AD primum sic proceditur, & videtur, quod obiectũ adæquatũ nostri intellect⁹ sit quidditas rei materialis: quia potentia proportionatur obiecto: triplex autem est potentia cognitiua, quædam omninò separata in essendo, & in operando, vt intellectus separatus: alia coniuncta materiæ, & in essendo, & in operando, vt potentia organica, quæ perficit materiam, & non operatur, nisi mediante organo a quo in operando non separatur, sicut nec in essendo. Alia est coniuncta materiæ in essendo, sed nõ vtitur organo materiali in operando, vt intellectus noster. Istis correspondent obiecta proportionata: nã potentiæ omninò separatę, vt primę, correspõdere debet quidditas omninò separata à materia. Secũdæ, singulare omninò in materiale. Tertiæ: ergo correspondet quidditas rei materialis, quæ si sit in materia, tamen cognoscitur non vt in materia singulari.

Vide Diu. Thom. 1.p. sum. q. 77. & 88.

B. Secundo præterea: quia licet agẽs factiuũ posset esse dissimile obiecto, quod est ibi passum: tamen operans in cognitiua operatione oportet assimilari obiecto, circa quod operatur: quia nõ est passum, sed magis agens assimilãs: omnes enim antiqui cõcordant in hoc, quod cognitio fit per assimilationẽ: nec Aris. in hoc eis contradicit: igitur hic requiritur nõ tan-

2. de anim. tex. co. 62.

tantùm proportio, sed similitudo.

C. Sed contra est: quia intellectus existens eadem potentia cognoscit quidditatem substantiæ immaterialis: sicut patet secundum fidem de anima beata: potentia autem manens eadem non potest habere actum circa aliquid, quod non continetur sub suo primo obiecto: ergo, &c.

D. Respondeo dicendum: quod in ista quæstione est vna opinio, quæ dicit, quod obiectū intellectus nostri est quidditas rei materialis. Ratio ponitur ad hoc *ea quæ posita est pro argumento in principio articuli.* Sed istud non potest sustineri à Theologo, *propter rationem positam*, §. *sed contra.* Quod si dicas eleuabitur *intellectus*, per lumen gloriæ, ad hoc quod cognoscat illas substantias immateriales. Contra: obiectum primum habitus continetur sub primo obiecto potentiæ: vel saltem non excedit: quia si habitus respicit aliquod obiectum, quod non continetur sub primo obiecto potentiæ, sed excedit: tunc ille habitus non esset habitus illius potentiæ, sed faceret eam non esse illam potentiam, sed aliam. Cōfirmatur ratio: quia cum potentia in primo signo naturæ, in quo est potētia, habeat tale obiectum primū, per nihil posterius natura præsupponēs rationem potentiæ potest fieri aliud primum obiectum eius: omnis autē habitus naturaliter præsupponit potentiam. Si dicas, quod hæc etiam opinio poneretur a Philosopho, puta si poneret, quod intellectus noster propter sui infinitatem inter intellectus, & propter coniunctionem eius cum virtute phantastica in supposito cognoscente, habet ordinem immediatum ad phantasiam: sicut phantasia habet ordinem immediatum ad sensum cōmunē: & ideò sicut phantasia nō mouetur ab aliquo, nisi quod est obiectum sensus communis: licet alio modo idem obiectū cognoscat: ita dicitur, quod intellectus noster non tātum propter statum aliquem, sed ex natura potētiæ, non posset aliquid intelligere, nisi abstrahibile à phantasmate. Contra hoc arguitur tripliciter. Primo sic: quia desideriū naturale est in intellectu cognoscente effectum ad cognoscendum causam: & in cognoscēte causam in vniuersali est desiderium naturale: ad cognoscendum illam in particulari, & distincte: desiderium autem naturale non est ad impossibile ex natura desiderātis: quia tunc esset frustra: ergo non est impossibile intellectui ex parte intellectus cognoscere substantiam immaterialem in particulari: ex quo cognoscit materiale, quod est effectus eius. Et ita primum obiectum intellectus non excludit illud immateriale. Secundo sic: nulla potentia potest cognoscere obiectum aliquod sub ratione communiori, quàm sit ratio sui primi obiecti, quod patet primo per rationem: quia tunc illa ratio primi obiecti non esset adæquata. Etiam patet per exēplum: visus non cognoscit aliquid sub ratione communiori, quàm sit ratio coloris, vel lucis: nec imaginatio aliquid sub ratione communiori, quàm sit ratio imaginabilis, quod est primum obiectum eius: sed intellectus cognoscit aliquid sub ratione communiori, quàm sit ratio entis materialis: quia cognoscit aliquid sub ratione entis in communi: alioquin Metaphisica nulla esset scientia intellectui nostro. Prætereà tertio, & reddit in idē quasi cum secundo, quidquid per se cognoscitur à potentia cognitiua, vel est eius obiectum primum, vel continetur sub illo obiecto: ens autē vt est cōmunius sensibili, per se intelligitur ab intellectu nostro, alias metaphisica nō esset magis scientia trāscēdēs quā physica: ergo nō potest ali

Opinio hæc est D. Tho. 1.p.sum.q. 12.art.1.

Prima conclusio.

Vide 2. de anim. text. com. 150. & 161.

1. cap. text. com. 32. & 2. cap. text. com. 50. & 59. & 3. de anima text. com. 60. & 2. Metaph. cap. 1.

quod esse primum obiectum intellectus nostri, quod sit particularius ente: quia tunc ens in se nullo modo intelligeretur à nobis. Videtur igitur, quod falsum supponitur in dicta opinione de obiecto primo: & hoc loquendo de potentia ex natura potentiæ. Ex hoc apparet, quod si per viã istius opinionis soluatur prima quæstio *in articulo secundo disputanda*, dicendo quidditas sensibilis est obiectum primum intellectus, & ideò nõ intelligitur vel ens immateriale, solutio nititur falso fundamento.

Secunda cõclusio.

E. Ad primum respondetur: quod cõgruentia etiam illa, quæ adducitur pro illa opinione, nulla est. Potentia enim, & obiectum non oportet assimilari in modo essendi: se habent enim vt motiuum, & mobile: & ita se habent vt dissimilia: quia actus & potentia. Sunt tamen proportionata, quia ista proportio requirit dissimilitudinem proportionatorũ, sicut cõmuniter dicitur in omni proportione: sicut patet de materia, & forma, parte & toto, causa & causato, & cæteris proportionabilibus. Igitur ex modo essendi talis potentiæ non potest concludi similis modus essendi in obiecto.

F. Ad secundum respondeo: quod aliud est loqui de modo essendi ipsius potentiæ in se, & aliud est loqui de ipsa, in quantum est sub actu secũdo, vel dispositione proxima ad actũ secundum, quæ est aliud à natura potentiæ. Nunc autem quod potentia cognoscens assimilatur cognito, verum est, per actum suum cognoscendi, qui est quædam obiecti similitudo, vel per speciem disponentem de proximo ad cognoscendum. Sed ex hoc concludere, ipsum intellectum in se habere naturaliter modum essendi similem modo essendi obiecti, vel è conuerso, est facere fallaciam accidentis, & figuræ dictionis. Sicut non sequitur, æs assimilatur cæsari: quia per figuram inductam: igitur æs in se habet similem modum essendi modo essendi cæsaris. Vel magis ad propositum: oculus videns per speciem obiecti assimilatur obiecto: ergo visus habet similem modum essendi modo obiecti. Et ita vlterius, sicut quædam visibilia habent materiam, quæ est causa corruptionis, & contradictionis, vt mixta quædam carent materia tali, vt corpora cœlestia: ita erit quidam visus in materia tali, quidam sine materia tali: vt quoddam organum tale, & quoddam non tale. Vel adhuc magis ad propositum, idea in mẽte diuina, quæ est similitudo obiecti, est immaterialis: igitur propter illam congruẽtiam non videtur congruum arctare intellectum ex natura potentiæ ad obiectum sensibile, vt non excedat sensum, nisi tãtùm in modo cognoscendi.

1. de anima 2. & 3. & 1. de gen. in simili habetur.

Expositio primi articuli quæstionis tertiæ distinctionis tertiæ.

1 DIVISE per nouẽ huius quæstionis articulos speculatur Doctor, quod nam sit obiectũ adæquatum intellectus viatoris, licet in aliquibus aliquas peculiares difficultates determinet. Et quia huius quæstionis, variæ fuerunt Scolasticorũ solutiones, quæ omnes non possunt commodè, ad vnum articulum reuocari: claro distinctionis ordine, seorsum alienas sententias in proprijs articulis examinat, & improbat: & deinceps propriam in proprio articulo statuit. In hoc igitur primo non determinat, quod sit nostri intellectus adæquatum obiectum, sed cõfutat opinionem affirmatiuam, qua dicebatur obiectum adæquatum nostri intellectus pro hoc statu, esse quidditatẽ rei materialis.

Tenuit

2 D. Thom.

Tenuit attamen hanc sententiam D. Thom. 1. p. quæst. 12. a. 4. sed expressius ibidem quæst. 85. a. 1. in corpore, vbi habet eadem prorsus verba, quæ hîc in textuali articulo pro argumentis habetur. Diuum Thom. sequuntur fere omnes Thomistæ, & plures cum Caietano se in eius defensione fatigant. Fundamentū ergo huius sententiæ est: quia obiectum proportionatur potentiæ, & in tantum obiectum est magis, aut minus cōmune, in quantum potest à potētia attingi. Color enim ideò est obiectū adæquatū potentiæ visiuæ: quia visus potest illū attingere, & non potest amplius ad aliud obiectum, quod non comprehendatur sub colore, se extendere. Sic in præsenti philosophandum est, videlicet, quod illud est obiectum adæquatū intellectus viatoris (de quo hic proceditur) quod ab eo potest attingi, & vltra quod nō potest amplius se extendere. Intellectus autem viatoris, cum per phantasmata intelligat, non potest intelligere nisi mediante sensuum, & ex consequenti non nisi sensibilia percipit. Sensibilia autem materialia sunt, & ita omnia obiecta intellectus pro hoc statu, in materia, & sub materia existūt: ab ipsis igitur omnibus quasi abstrahitur quædam ratio cōmunis, quæ est quidditas rei materialis, & hæc est, quæ indeit rationē obiecti adæquati intellectꝰ viatoris, nō prout in hac vel illa materia singulari: sed secundum rationem communem, qua ambit omnia, quæ in materia sunt.

3

Ex hoc igitur fundamento sic suā sententiam probat D. Thom. quoniā illud est adæquatum obiectum potētiæ, quod proportionatur potentiæ: sed intellectui nostro, non aliud proportionatur, nisi quidditas rei materialis pro hoc statu: ergo quidditas rei materialis erit obiectū adæquatum intellectus nostri pro hoc statu. Maior est philosophi, minor vero probatur ex distinctione illius triplicis modi cognoscendi, quæ habetur in textu pro parte eius sententiæ.

4 *Quidditas rei materialis non est obiectū adæquatum intellectus.*

Doctor vero cōcludit oppositū dicēs, *quod istud non potest sustineri à Theologo*, cuius ratio à priori est illa, quæ habetur in §. *Sed contra*, qua euidēter prædicta sententia confutatur: nam potentia inuariata, & in se manens eadem, non potest attingere obiectum, quod non contineatur intra latitudinem sui obiecti adæquati: sed intellectus beati manet idem inuariatus in patria, qui erat in via: & tamen ibi cognoscit quidditatem substātiæ immaterialis, qualis est diuina essentia, & sunt aliæ substantiæ immateriales, vt puta Angeli, quos videt in patria (de fide etenim creditur ibi Deum videre) quæ quidem substantiæ non comprehenduntur intra ambitum quidditatis rei materialis: ergo obiectum adæquatum intellectus viatoris, non est quidditas rei materialis.

Potētia nō attingit obiectū, quod sub obiecto eius adæquato non continetur.

5

Sed si ad hoc respondeatur (inquit Doctor) quod illud ideò potest intellectus beati: quia est per lumen gloriæ supernaturaliter eleuatus: & ideò nō quatenus intellectus talis, sed quatenus eleuatus est, potest res immateriales cognoscere. Hæc quidē solutio est satis friuola: nā tunc videtur concedi, quod res immaterialis est obiectum habitus luminis gloriæ, non vero intellectus: & tunc quod sit friuola responsio patet: quia obiectum habitus continetur, sub obiecto adæquato potentiæ, vel saltim non excedit illum: nam si habitus respicit obiectum non contentum sub adæquato obiecto potentiæ: tunc ille habitus non esset habitus illius potentiæ: sed extraheret illam à ratione talis potentiæ in aliam, ipsam mutando. Quæ instantia est illustris: nam si non potest oculus hominis directè, & perspicaciter solem videre ob imbecillitatem potētiæ visiuæ, & illi desuper præbeatur concursus specialis, quo eleuetur potentia visiua, ad solem perspicaciter intuendū, quo posito solem, ita perspicaciter videat, sicut quodcunque aliud obiectum visui proportionatum: hoc procul dubio est, quia sol intra spheram obiecti adæquati visiuæ potentiæ continetur. Si etenim ille concursus auditui præberetur, quantūlibet eleuaret auditum, non ipsum proportionaret huiusmodi visioni: non ob aliud, nisi quia nullum visibile est intra obiectum adæquatum auditus, & ille cōcursus eleuans, non extrahit auditum à ratione talis potentiæ: & ideò illum nō potest visiuam potentiam reddere.

Obiectū huius continetur sub obiecto adæquato potētiæ.

Pari igitur passu, de lumine gloriæ est dicendum: quod cum nō extrahat intellectum à ratione potentiæ verè intellectiuæ: consequenter quantumlibet eleuans

6

uans illũ non poterit intellectũ reddere potẽtẽ intelligere aliquid, quod intra latitudinẽ sui adæquati obiecti nõ contineatur. Ex quo sic per oppositũ conficitur argumẽtũ. intellectus eleuatus lumine gloriæ, cognoscit rem immaterialẽ: sed habitus luminis gloriæ nõ extrahit intellectum à ratione talis potentiæ: ergo res immaterialis, vt sic cognita ab intellectu, continetur sub obiecto adæquato nostri intellectus: & ex consequenti obiectum adæquatum intellectus viatoris non est quidditas rei materialis.

7 *Proportio quæ ratione requiratur inter obiectum, & potentiam.*

Aliter probat Doctor in textu cõclusionem negatiuam prædictæ sententiæ, quoniam suppositum Diui Thomæ est, quod improportio, quam habet obiectũ immateriale ad potentiam intellectiuã, sit improportio in modo essendi, & similitudinis: quia in his duobus proportio obiecti ad potentiam esse debet: & hoc est falsum, nam proportio non est relatio similitudinis: imò semper dicit aliquam dissimilitudinẽ. Sed si intelligas, quod obiectum debet proportionari potẽtiæ, cui est adæquatum in ratione motiui & mouentis, vel in ratione viralis mutationis: vt sic benè conceditur ab Scoto proportionem requiri inter obiectum adæquatum, & potentiam. Pluribus ergo vijs Doctor improbat prædictam sententiam, quibus Caietanus prorsus respondet ad omnes, & responsio sua est vtique doctrinalis, & vera, sed non satisfacit argumẽtis Doctoris.

8 Dicit itaque Caietanus obiectum adæquatum esse duplex, intensiue videlicet & extensiue: illud dicitur obiectum adæquatũ intensiue, quod continet illa, quæ quidditatiuè cognoscuntur ab intellectu: tale obiectum est quidditas rei materialis: & de obiecto hoc loquitur Diuus Thomas, quando ait, non cognosci ab intellectu viatoris, nisi quidditas rei materialis. Obiectum autem extẽsiue adæquatum est illud, quod continet sub se simpliciter omnia cognoscibilia â tali potentia. Et hoc modo obiectum intellectũ nostri est ens vt ens, & de hoc multis in locis loquitur D. Thomas: quod continet in se quidditatem rei materialis. His ergo notatis ratio Scoti (inquit Caietanus) militat de obiecto adæquato extensiue. Responsio tamen ista nullatenus subtilitatem Scoticæ rationis infirmat. Doctor enim Theologicè disputat, & rationibus textualibus manifestat, intensiue, & extensiue obiectũ adæquatum intellectus neutiquam esse posse quidditatem rei materialis, & argumenta in oppositum optimè soluit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus sit obiectum naturale, seu primum, hoc est, adæquatum, respectu intellectus viatoris?

AD secundum sic procedi- A.
tur, & videtur, quod Deus sit obiectũ naturale primum, hoc est adæquatum respectu intellectus viatoris: quia ex præcedenti quæstione articulo quarto, Deus est primum, hoc est perfectissimum inter omnia cognoscibilia: primum autem in quocunque genere est causa essendi alijs in illo genere, ex secundo Metaphys. sicut primum calidum est causa caloris omnibus alijs: ergo Deus est causa cognoscẽdi omnium aliorum: igitur est primũ intellectus.

Secundo Præterea sic, vnum B.
quodque sicut se habet ad esse, sic ad cognitionem: sed nihil est ens per participationem nisi ab ente imparticipato: igitur non cognoscitur, nisi priùs cognito ente imparticipato.

Tertio præterea hoc confirma- C.
tur, per Augustin. octauo de Trinitate capite 3. de magnis, vel octauo de paruis: non diceremus aliquod aliquid esse melius alio, cum verè iudicamus, nisi esset impressa nobis notio ipsius boni. Videtur autem ibi dem loqui de bono indeterminato negatiuè, de quo in eodem capite dicit: vide ipsum bonum, si potes,

&

& Deum vtique videbis. Quod non videtur verum, nisi de bono indeterminato negatiuè, quod scilicet non est determinabile, quale est primum bonum.

D. Sed contra est: quia primum obiectum primitate adæquationis recipit prædicationem omnium contentorum sub eo: Deus autem non: ergo, &c.

E. Respõdeo dicendum, quod est alia opinio, quæ ponit, Deum esse primum obiectum intellectus, cuius rationes fundamentales sunt illę, quæ adductæ sunt ad primã partẽ quæstionis arguendo ad principale, quæ *scilicet positæ sunt in principio huius articuli*: & propter easdem ponit Deũ esse primum obiectum voluntatis: quia habet rationem volendi omnia alia, sicut adduxit auctoritatem Augustin. 8. de ciuitate Dei, cap. 6. de magnis, vel 17. de paruis: cur ergo alium diligimus? &c. & sequitur, nisi formam, vbi videmus, quid sit iustus animus, diligeremus: nullo modo eum diligeremus, quem ex ista diligimus. Contra istam opinionem arguitur sic. Primum obiectum naturale alienæ potentiæ habet naturalem ordinem ad illam potentiam: Deus non habet naturalem ordinem ad intellectum nostrum sub ratione motiui, nisi forte sub ratione alicuius generalis attributi, sicut ponit illa opinio: ergo nõ est obiectum primum, nisi sub ratione illius attributi. Vel secũdum illam opinionem, quam prius tenui, quod Deus non intelligitur nisi sub ratione entis, non habet talem ordinem nisi sub tali conceptu vniuersali, sed particulare: quod non intelligitur nisi in aliquo communi, non est primum obiectum intellectus: sed magis illud commune: ergo, &c.

Opinio Hẽric. quodli. 15. q. 9. & quodlib. 13 quæst. 9.

F. Præterea, certum est, quod Deus non habet primitatem adæquationis propter communitatem, ita quod dicatur de omni obiecto per se intelligibili à nobis: ergo si aliquã habet primitatem adæquationis, hoc erit propter virtualitatem: quia scilicet virtualiter continet omnia in se per se inteligibilia: sed propter hoc nõ erit obiectum primũ adæquatum intellectui nostro: quia alia entia mouent intellectum nostrũ propria virtute. Ita quod essentia diuina non mouet intellectum nostrum primo ad se, secũdo ad omnia alia cognoscibilia cognoscẽda. Sicut autem prędictum est in quæstione de subiecto Theologiæ, essentia diuina, ideò est primum obiectum intellectus diuini: quia ipsa sola mouet intellectum diuinum ad cognoscendum se, & omnia alia cognoscibilia ab ipso intellectu. Per easdem rationes probatur, quod nõ potest poni primum obiectum intellectus nostri substantia in communi propter attributionem omnium accidentium ad substantiam: quia accidentia habent propriam virtutem motiuam intellectus: ergo substantia non mouet ad se, & ad omnia cognoscibilia. Ad quæstionem igitur respondeo: quod nullum potest poni primum obiectum intellectus nostri naturale propter adæquationẽ talem virtualem, propter rationem tactam contra primitatem obiecti virtualis in Deo, vel in substantia. Ad argumenta principalia istius quæstionis.

Conclusio.

G. Ad primum dico: quod non semper perfectissimum est causa respectu imperfectorum, comparando imperfecta ad quodcunque tertium: sicut perfectum album non est causa visibilitatis omnibus visibilibus: aut si est causa non tamen præcisa adæquata: etsi maxime motiuum non tamen præcisum, & adæquatum. Primum autem obiectum intellectus, de quo loquimur in ista quæstione,

debet esse primum, & adæquatum potentiæ.

I. Ad secundum *seù* ad secundam rationem dico: quod si rectè arguitur, debet inferri, quod nullum ens participatum potest cognosci nisi ab ente imparticipato: & non debet inferri, quod non potest cognosci nisi per rationem entis imparticipati cogniti: tunc enim sunt quatuor termini: quia ponitur in conclusione esse cognitum per ens imparticipatum, qui terminus non fuit in propositione secunda. Et ratio realis istius defectus assignari informa arguendi dicta est prius in respondendo ad primum argumentum secundæ quæstionis huius distinctionis articulo 4. quia etsi cognoscibilitas sequatur proportionaliter entitatem, non tamen ita est de cognosci, nisi comparando ad illum intellectū, qui cognoscit quodlibet secundum gradum suę cognoscibilitatis. Ita dico hic, quod licet entitas participata cōcludat de necessitate cognoscibilitatem participatam, & ita participatum, habeat cognoscibilitatem per cognoscibile imparticipatum non tamen habet cognosci per cognoscibile imparticipatum, vt cognitum: sed vt causam dantem sibi esse, & hoc tactum est in argumento quoddam defrui, quæst. 4. primæ distinctionis.

K. Ad tertium, *hoc est*, ad illud octaui de Trinitate dico, quod loquitur ibi de notitia boni in communi, quæ naturaliter impressa est, hoc est de facili imprimitur in intellectu à singularibus: quia in quolibet intentiones vniuersales facilius occurrūt primo. Hoc probo per ipsum, qui eodem libro capite quarto de magnis, vel 18. de paruis, dicit. Habemus enim regulariter infixam humanæ naturæ notitiam, secundum quam statim quidquid tale aspicimus, hominem esse cognoscimus, vel hominis formam: & sicut secundum istam notitiam hominis, quam dixit infixam nobis, regulariter, hoc est, faciliter à sensibilibus abstractam, iudicamus de quocunque, vtrum sit homo, vel non: ita etiam per idem possumus iudicare eminentiam in humanitate, si illa esset in occurrentibus: sicut iudicamus de occurrentibus, hoc esse melius alio. Quod apparet de notitia impressa albedinis, per quam non tantùm iudicamus occurrens esse album, sed hoc esse albius altero. Ita dico hic, quod illud bonum, de quo loquitur cap. 3. cuius notitia impressa est naturaliter intellectui, est bonum in communi; & per illud iudicamus de occurrentibus, hoc illo esse melius: & quod loquatur de bono indeterminato priuatiuè, & non de bono indeterminato negatiuè, in quo bono indeterminato intelligitur Deus: videtur per hoc, quod ibi enumeratis multis particularibus bonis, dicit, bonum hoc, bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, vide ipsum bonum si potes, hoc est, tolle illa cōtrahentia rationem boni ad creaturas, & vide rationem boni in communi, & in hoc videbis Deum, sicut in conoeptu communi, in quo potest naturaliter à nobis videri, & non in particulari vt hæc essentia.

Consimiliter intelligendum est L. illud, quod præmittit ca. 2. vel 3. vbi dicit: cum audis, Deus est veritas, noli quærere, quid est veritas: statim obijciunt se phantasmata. Hoc intelligo sic: quando conceptus vniuersalis abstrahitur à singulari, quanto est vniuersalior, tanto difficilius potest intellectus diù sistere in tali conceptu: quia vt prædictum est, quandocunque intelligimus vniuersale, phantasiamur eius singulare. Et illud vniuersale diutius, & facilius possumus intelligere, quod est similius singulari relucenti in phantasmate:

mate: & quia vniuerſaliſsima ſunt remotiora ab ipſo ſingulari, ideò difficilius eſt ſtare in conceptu illorum vniuerſaliſsimorum: concipiendo ergo Deum in conceptu vniuerſaliſsimo, noli quærere, quid hoc eſt, noli deſcendere in aliquem conceptum particularem, in quo ille vniuerſalior ſaluatur, qui particularior propinquior eſt phantaſmati. Deſcendendo etiam ad talem, qui magis relucet in phantaſmate occurrenti, ſtatim amittitur illa ſerenitas veritatis, vel ſinceritas veritatis, in qua intelligebatur Deus: quia ſtatim intelligitur veritas contracta, quæ nõ cõuenit Deo, cui conueniebat veritas in cõmuni concepta, non contracta.

Expoſitio ſecũdi articuli quæſtionis tertiæ diſtinctionis tertiæ.

TRIBVS argumentis in principio articuli propoſitis probare intendebat Henricus in quodlibet. 15. quæſt. 9. & quodlib. 13. quæſt. 9. ſententiam ſuam, qua tenet, Deum eſſe obiectum adæquatum noſtri intellectus (ibi etenim & in tota quæſtione, & alibi, obiectum adæquatum vocatur primum, hoc eſt primitate adæquationis) & eiſdem rationibus conuictus Henricus, ponit etiam Deum eſſe obiectum adæquatum voluntatis. Hanc tamen ſententiam, quoad vtrunq; reiicit Doctor in textu, ſed quoad principalem partẽ, illam improbat efficaciter ratione poſita in §. *Sed contra*: quia ſcilicet obiectũ adæquatum ſeu primum primitate adæquationis, recipit prædicationem omnium contentorum ſub ſe: nam ex eo quod albedo continetur ſub colore, qui eſt obiectum adæquatum viſus, valet dicere, albedo eſt color. Ac ſi dicat Doctor, quod obiectum adæquationis eſt obiectũ prædicationis: quia ex eo quod obiectum adæquatum continet ſub ſe omne obiectum particulare, quod eſt à ſua potentia attingibile, prædicatur de illo. Sed Deus non recipit prædicationes omnium intelligibiliũ: non enim valet dicere de quolibet intelligibili, quod eſt Deus: ergo, &c. Ex his Doctor quæſtionem reſoluit dicens, quod nullum poteſt poni adæquatum obiectum intellectus noſtri naturale propter adæquationem virtualem, quam ponebat Henricus, ratione cuius aiebat, Deũ eſſe adæquatum obiectum noſtri intellectus. Circa quod litera clara eſt, & in ſolutionibus argumentorum, præclara continetur doctrina.

Obiectum adæquationis dicitur obiectũ prædicationis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ens ſit vniuocum dictum in quid de omnibus decem prædicamentis?

A. AD tertium ſic proceditur, & videtur, quod ens non ſit vniuocum dictum in quid de omnibus decem prædicamentis: nam contra iſtam vniuocationem entis arguitur multipliciter. Primo per Philoſoph. 3. Meta. quia ſecundum ipſum, ens non eſt genus: quia tunc ſecundum ipſum ibidem, differentia non eſſet ens: ſi autem eſſet commune dictum in quid de pluribus differentibus ſpecie, videretur eſſe genus: ergo, &c. *3. Metaph. text. com. 10.*

B. Secundo præterea: idem etiam in 4. Metaphyſ. in principio, vbi vult, quod ens dicitur de entibus, ſicut ſanum de ſanis, & quod Metaphyſica eſt vna ſcientia, non quia omnia illa, de quibus Metaphyſica eſt, dicantur ſecundum vnum, ſed ad vnum, ſcilicet, non vniuocè, ſed analogice: ergo ſubiectum Metaphyſicæ nõ eſt vniuocum, ſed analogum. *4. Metaph. tex. com. 2.*

C. Tertio præterea: idem 7. Metaph. dicit, quod accidentia non ſunt entia *7. Metaph. text. com. 14. & 15.*

tia, sicut Logici dicunt non ens esse ens, & non scibile esse scibile, & sicut vas dicitur salubre: in omnibus istis exemplis non est vniuocatio eius, quod dicitur de pluribus: ergo, &c.

D. Quarto præterea: Porphirius, si quis omnia entia vocet, æquiuoce (inquit) nuncupabit.

Ca. de spe.

E. Quinto præterea: primo Phisicor. principium est contra Parmenidem, & Melissum, quod ens multipliciter dicitur: & arguit: quod si omnia sint vnum ens: ergo omnia sunt, vel hoc vnũ ens, vel illud: quod non sequeretur, si ens esset vniuocum: sicut non sequitur, omnis homo est vnus homo: ergo iste vnus homo, vel ille, est vnus homo.

1. Phis. tex com. 13.

F. Sexto præterea per rationem: si ens esset vniuocum ad decem genera: ergo descenderet in ista per aliquas differentias. Sint igitur duæ tales differentiæ A. & B. aut igitur istæ includent ens quidditatiuè, & tunc in conceptu cuiuslibet generis generalissimi includitur negatio: aut ista non sunt entia, & tunc non ens erit de conceptu entis.

G. Sed contra est: quia ens sufficienter diuiditur tanquam in illa, quæ includunt quidditatiuè ipsum, in ens increatum, & in decem genera, & in partes essentiales decem generum: ergo, &c.

H. Respondeo dicendum: quod omnia genera, & species, & indiuidua, & omnes partes essentiales generũ, & ens increatum, includũt ens quidditatiuè, quibus ens est sic vniuocũ. Quod autem suppositi communitatem entis in quid ad omnes conceptus quidditatiuos prædictos, hoc probatur de omnibus, illis duabus rationibus positis in prima quæstione huius distinctionis art. 2. ad probãdum communitatem entis ad ens creatũ, & ad ens increatum. Quod vt pateat, pertracto duas aliqualiter, primo sic. De quocunque enim prædictorum conceptuum quidditatiuorum contingit intellectum certum esse, ipsum esse ens, dubitando de differentijs contrahentibus ens ad talem cõceptum, vtrum sit tale ens, vel non: & ita conceptus entis, vt conuenit illi conceptui, est alius ab illis conceptibus inferioribus, de quibus intellectus est dubius, & inclusus in vtroque inferiori conceptu: nam differentiæ illæ contrahentes præsupponunt eundem conceptum entis communem, quem contrahunt. Secundam rationem pertracto sic, sicut est argutum: quod Deus non est a nobis cognoscibilis naturaliter, nisi ens sit vniuocum creato, & increato. Ita potest argui de substantia, & accidente: cum enim substantia non immutet immediatè intellectum nostrum ad aliquam intellectionem sui, sed tantùm accidens sensibile: sequitur, quod nullum conceptum quidditatiuum habere poterimus de ea, nisi sit aliquis talis, qui possit abstrahi à conceptu accidentis: sed nullus talis quidditatiuus abstrahibilis est à conceptu accidentis, nisi conceptus entis: ergo, &c. Hoc autem, quod suppositum est, in ratione ista de substantia, quod non immutat intellectum nostrum immediatè ad actum circa se; Probatur sic: quia quidquid præsentia sua immutat intellectum, absentia illius potest naturaliter cognosci ab intellectu, quando non immutatur: sicut apparet 2. de anima, quod visus est tenebræ perceptiuus, quando scilicet lux non est præsens: & ideò tunc visus non immutatur. Igitur si intellectus naturaliter immutatur à substantia immediatè ad actũ circa ipsam, sequæretur, quod quando substantia non esset præsens, posset naturaliter cognosci non esse præsens: & ita naturaliter posset cognosci in

Conclusio.

2. de anima tex. c. 103.

ci,in hostia consecrata,non esse substantiam panis: quod est manifeste falsum. Nullus igitur cõceptus quidditatiuus habetur naturaliter de substantijs immediatè causatus à substantia:sed tantùm causatur, vel abstractus, primo de accidente, & illud non est,nisi conceptus entis.

I. Respõdeo:quod probatio improbat cognitionem substantiæ intuitiuam:quia de illa maior est vera: non de abstractiua, quæ non deficit propter absentiam realem obiecti: nec igitur absentia percipitur. Itẽ, quod accipitur de sensu,dubium est, quomodo sensus, cum non retineat speciem in absẽtia obiecti, nec recipiat speciem tenebræ, poterit tenebram cognoscere.

K. Contra:primo, cognitio abstracti ua necessariò præsuponit aliquando habere realem præsentiam illius, à quo ipsa deriuatur:vel speciem, quæ est eius principium: qui autem videt Eucharistiam, nunquam realẽ præsentiam obiecti causati mediatæ intellectionis abstractiuæ habuit. Alius, qui vidit alium panem, habuit; igitur primus non habuit cognitionem abstractiuam panis: secundus habebit. Quod statim contra experientiam est: quia vterque potest similem actum intelligendi panem experiri in se. Si proterue negetur,esto ille primus postea vidit alium panẽ; igitur poterit postea in cognitionẽ abstractiuam panis, in quam prius non potuit: oppositum experitur iste in se. Similiter enim se habet nunc vt prius. Item qui potest obiectum absens cognoscere abstractiuè, potest illud præsens in existentia sua cognoscere intuitiuè: igitur si substantia cognoscitur abstractiuè, igitur præsens intuitiuè: & tunc absentia. Ad instantiam de sensu dicit, quod tenebra cognoscitur arguitiue, non auisu,sed sic à potentia arguente, oculus respicit, & non est cæcus, nec tamen videt:igitur tenebra est. Patet: aliqua præmissarum prætermissa,non sequitur conclusio: nulla trium propositionũ est nota visui, vt cognoscenti ipsam, vel coniunctionem,vel diuisionem extremorum: quia nec tertia,de qua plus videtur: quia non cognoscit actum suum, quando in est, nec priuationem, quando actus non inest. Exponitur Arist. visus est tenebræ perceptiuus: quia priuatio sui obiecti est causa non immutationis visus,& sic percipitur tenebra:nõ visu: sed ab aliqua potentia vtente priuatione actus in visu pro præsentia. Per idem concluditur etiam propositum de partibus essentialibus ipsius substantiæ: si enim materia non immutat intellectum ad actum circa ipsam, nec forma substantialis: quæro,quis conceptus simplex in intellectu habetur de materia, vel de forma? Si dicas, quod aliquis conceptus relatiuus,puta partis, vel conceptus per accidens, puta alicuius proprietatis materiæ vel formæ. Quæro, quis est conceptus quidditatiuus, cui iste per accidens, vel relatiuus attribuitur? Etsi nullus quidditatiuus habetur,*quod* nihil erit:cui attribuitur iste conceptus per accidens? nullus autem quidditatiuus potest haberi,nisi impressus, vel abstractus ab illo,quod mouet intellectum,putà ab accidente: & ille erit conceptus entis, & ita nihil cognosceretur de partibus essentialibus substantiæ, nisi ens sit commune vniuocum eis, & accidentibus.

Ad primum argumentum, tertij Metaph. quamuis non oportet dicere,quod argumenta illa concludant; quia Philosophus intendit ibi arguere, ad oppositas partes quæstionum, quas disputat, sicut ipsemet præmittit in proœmio: duo autem opposita non possunt concludi, nisi alterum

L. 3. *Metaph. Commẽta.*

terum argumentum sit sophisticum, vt Commentator eius dicit in primo argumento ad primam quæstionem, ibi disputatam esse falaciam cõsequentis. Si contraria pertinent ad eandem scientiam : ergo non contraria, non pertinent ad eandem scientiam: quamuis etiam istud argumentum in speciali non oportet teneri, quod concludat : infert enim ibidem, quare si vnum est genus, aut ens, nulla differentia, neque vnum neque ens erit. Quæro, aut intendit inferre, quod non per se primo modo erit differentia, ens, vel vnum : & sic conclusio non est conueniens de vno : aut intendit inferre negatiuam absolutè: & tunc non valet consequentia, non enim si rationale est differentia respectu animalis, sequitur, quod rationale non est animal: sed quod non est per se primo animal. Tamen tenendo, quod argumentum valeat, concludit oppositum magis, quam propositum : remouet enim ab ente rationem generis, non propter æquiuocationem : imò si esset æquiuocum ad decem genera, esset decem genera : quia idem conceptus (quocunque nomine significetur) habet eandem rationem generis. Sed remouet rationem generis ab ente propter nimiam communitatem : quia videlicet prædicatur per se primo de differentia aliqua : & per hoc potest concludi, quod ens non sit genus.

M. Ad secundum, ad aliud *videlicet*, quod dicitur de quarto Metaphisic. dico, quod Philosophus 10. Metaph. concedit ordinem essentialem inter species eiusdem generis : quia ibi vult, quod in quolibet genere est vnum primum, quod est mensura aliorum. Mensurata autem habent essentialem ordinem ad mensuram: & tamen non obstante attributione, quilibet concederet, vnum esse conceptum generis: alias genus non prædicaretur in quid de pluribus differentibus specie : si enim genus non haberet conceptum alium à conceptibus specierum, nullus conceptus diceretur de pluribus in quid : sed tantùm quilibet de seipso : & tunc nihil prædicaretur, vt genus de specie: sed vt idem de eodem. Consimiliter Philosophus dicit, septimo Phisicorum, quod in genere latent æquiuocationes, propter quas non potest fieri comparatio secundum genus: non enim est æquiuocatio quãtum ad Logicum, qui ponit diuersos conceptus : sed quantum ad realem Philosophum est æquiuocatio; quia non est ibi vnitas naturæ. Ita igitur omnes auctoritates, quæ sunt in Metaphysica, & Physica, quæ essent de hac materia possent exponi propter diuersitatem realem illorum, in quibus est attributio : cum qua tamen stat vnitas conceptus abstrahibilis ab eis: sicut patuit in exẽplo. Concedo tamen, quod totum illud, quod accidens est, attributionem essentialem habet ad substantiam, & tamen ab hoc, & ab illo potest conceptus vnus communis abstrahi.

10. *Meta. tex. com. 4.*

7. *Physico. tex. com. 31*

N. Ad tertium *scilicet*, ad illa, quæ dicuntur de septimo Metaphysic. dico, quod litera vltimi §. de illa materia soluit omnes auctoritates Philosophi præhabitas, quæ incipit, palam autem illud, &c. Ibi enim dicit Philosophus, quod primo, & simpliciter diffinitio, & quod quid erat esse, substantiarum est, & non solum, sed aliorum similiter est, non tamen primo. Et probatur hoc ibi, quia ratio significans idem nomini est diffinitio, si illud cuius est ratio sit per se vnum : vnum vero dicitur, sicut & ens : & intellige per se ens. Ens autem hoc quidem, hoc aliquid, aliud quantitatem, a-

liud

liud qualitatem ſignificat. Quod verum eſt de ente per ſe: quia ens per ſe in quinque libris diuiſit in decem genera. Igitur quodlibet illorum eſt vnum per ſe: ita ratio iſtorum eſt diffinitio, & hoc concludit ibi. Quapropter erit hominis albi ratio, & diffinitio: alio verò modo albi, & ſubſtantiæ: quia ſubſtantiæ per ſe & primo: albi ſimiliter, & per ſe, ſed non primo: albi hominis ſecundum quid, & per accidens. Vnde & in illo capitulo tractat principaliter de tali ente per accidens, cuius modi eſt homo albus, quod eius non eſt diffinitio. Ens igitur, vel quid, vel diffinitionem habere, quodcunque iſtorum ſimiliter dicitur de accidente, ſicut de ſubſtantia, ſed non æque primo, & non obſtante ordine poteſt benè eſſe vniuocatio.

4. Metaph. tex. com. 26 tex. com. 15

O. Ad quartum *hoc eſt*, ad Porphirium, ipſe allegat Ariſtotel. dicendo æquiuocè, inquit (ſcilicet Ariſtoteles) de quo ibi loquitur, non inuenitur autem vbi hoc dixerit in Logica: in Metaphyſica autem dicit, quod iam allegatum eſt, & expoſitum. Si quis autem vellet pertractare auctoritatem Porphirij, quo modo ratio eius ex auctoritate Ariſtotel. valet ad propoſitum ſuum, poſſet exponi: ſed nolo immorari.

Nam in 4. Met. co. 2. oppoſitū dicit philoſ. quod ens nō dicitur, æquiuocè, ſed analogicè.

P. Ad quintum *nempe*, quod arguitur de primo Phyſicorum dico: quando ad opinionem illam Parmenidis, & Meliſi deſtruendam principium eſt accipere, quod ens dicitur multipliciter, non æquiuocè, ſed multipliciter, hoc eſt de multis, ad inquirendum, de quo illorum intelligatur: ſicut ſi diceretur omnia eſſe vnum animal: contra eos eſſet diſtinguere animal, & quærere, de quo animali intelligunt, aut omnia eſſe vnum hominem, aut vnam equum. Cum dicitur, quod argumentum Philoſophi non valet contra eos, ſi ens eſſet vniuocum; reſpondeo, quod conſequentia iſta (deſcendendo ſub prædicato ſtante confuſe tantum) non tamen formaliter: ſed ex fallacia figuræ dictionis, & fallacia conſequentis. Tamen ſi ipſi intellexerunt, ſicut Philoſophus imponit eis, quod omnia ſunt vnum non loquendo de vno confuſe, ſed de aliquo vno determinato, bene ſequitur ad antecedens, ſic intellectum, quod omnia ſunt hoc vnum, vel illud vnum.

Ad ſextum reſpondetur *ex ſolutione argumenti articuli quinti*.

Q.

Expoſitio tertij articuli quæſtionis tertiæ diſtinctionis tertiæ.



ATE & ſubtiliter diſputat Doctor huius articuli materiam in textu, ex quibus concludit ens eſſe vniuocum ad decem prædicamenta, vtpotè ad ſubſtantiam, & accidentia. Quæ concluſio ſatis probatur ex eis, quæ enucleata ſunt ſupra in difficultate 58. vbi latè oſtenditur dari conceptum obiectiuum vniuocum, & vniuocè dictum entis de Deo, & creaturis. Afortiori etenim infertur communitas, & vniuocatio ipſius entis ad creaturas, ſi quidem ad Deum, & creaturas vniuocum eſt. In reliquis quæ continentur in textu eſt litera clara, & ex notatis ſatis expoſita.

ART.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ens sit vniuocũ dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus?

A. AD quartũ sic proceditur, & videtur, quod ens sit vniuocũ dictũ in quid, de omnib⁹ per se intelligibilib⁹: quia de quocunque conceptuum contingit intellectum certum esse, ipsum esse ens, dubitando de differentijs contrahentibus ens ad talem conceptũ, vtrum sit tale ens, vel non: & ita cõceptus entis, vt conuenit illi conceptui, est alius ab illis conceptibus inferioribus, de quibus intellectus est dubius, & inclusus in vtroque inferiori conceptu: nam differentiæ illæ contrahentes præsupponunt eundẽ cõceptum entis communem, quem contrahunt.

B. Secundò præterea: *potest argui ratione secunda posita in corpore præcedentis articuli.*

C. Sed contra est: quia si vnum includit ens, non includit præcisè ens: quia idem tunc esset passio sui ipsius: ergo includit ens, & aliquid aliud. Sit illud, A. aut igitur illud, A. includit ens, aut non? Si sic, vnum bis includeret ens: & esset processus in infinitum, vel vbicunque stabitur, illud vltimum, quod est de ratione vnius, & non includit ens, vocetur, A. vnum ergo ratione entis inclusi non est passio, & per consequens illud aliud inclusum, quod est, A. est primo passio, & est tale, quod non includit ens quidditatiuè: & ita quid quid est primo passio entis, ex hoc non includit ens quidditatiuè.

D. *Prima conclusio.* Respondeo dicendum, quantum ad hoc, & dico, quod ens non est vniuocum dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus: quia non est de differentijs vltimis, nec de proprijs passionibus entis: nam differẽtia vltima dicitur, quia non habet differentiam: quia non resoluitur in conceptum quidditatiuum, & qualitatiuum, determinabilem, & determinantem: sed est tantùm conceptus eius qualitatiuus, sicut vltimum genus habet tantùm conceptum quidditatiuum. Primum videlicet de differẽtijs vltimis dupliciter probo, primo sic: si differentiæ includant ens vniuocè dictum de eis, & non sunt omninò idem: ergo sunt diuersa aliquid idem entia: talia sunt propriè differentiæ, ex quinto, & decimo Metaphysic. ergo differentiæ illæ vltimæ proprie erunt differentes: ergo alijs differentijs differunt. Quod si illæ aliæ includant ens quidditatiuè, arguitur de eis sicut de prioribus: & ita erit processus in infinitum in differentijs vel stabitur ad aliquas omninò non includentes ens quidditatiuè, quod est propositum: quia illæ solę erunt vltimæ. Secundo sic, sicut ens compositum in re componitur ex actu, & potentia in re: ita conceptus compositus per se vnus componitur ex conceptu potentiali, & actuali: siue ex conceptu determinabili, & determinante: sicut igitur resolutio entium compositorum stat vltimo ad simpliciter simplicia, scilicet, ad actum vltimum, & potentiam vltimam, quæ sunt primo diuersa: ita quod nihil vnius includit aliquid alterius (alioquin hoc non esset primo actus, nec illud primo esset potentia: quod enim includit aliquid potentialitatis, non primo est actus.) Ita oportet in conceptibus omnem conceptum, non simpliciter simplicem, & tamen per se vnum, resolui

Tex. com. 12.

reſolui in conceptum determinabilem, & determinantem: ita quod iſta reſolutio ſtet ad conceptus ſimpliciter ſimplices, ſcilicet, ad conceptum determinabilē tantūm: ita quod nihil determinans includat: & ad conceptum determinantem tātum, qui ſcilicet, non includit aliquem conceptum determinabilem: ille cōceptus tantum determinabilis eſt conceptus entis, & determinans tātum eſt conceptus vltimæ differentiæ: ergo iſti erunt primo diuerſi, ita quod vnum nihil includit alterius.

E. Secundum ſcilicet propoſitum de paſsionibus entis probo dupliciter, primo ſic: paſsio per ſe ſecundo modo prædicatur de ſubiecto, primo Poſt. ergo ſubiectum ponitur in diffinitione paſsionis, ſicut additum, ex eodem primo, & ſeptimo Metaphyſic. ens igitur in ratione ſuæ paſsionis cadit, vt additum: habet enim paſsiones proprias, vt patet per Philoſophum, quarto Metaphyſic. cap. 3. vbi vult, quod ſicut linea, in quantum linea, habet proprias paſsiones: & numerus, in quantum numerus: ita ſunt aliquæ paſsiones entis, in quantum ens: ſed ſi ens cadit in ratione earū, vt additum: ergo non eſt per ſe primo modo in ratione quidditatiua earum. Hoc etiam confirmatur per Philoſophum primo Poſteriorum capit. de ſtatu Principiorum, vbi vult, quod prædicationes per ſe non conuertuntur: ita quod ſi prædicatum dicatur de ſubiecto per ſe, non è conuerſo dicetur ſubiectum de prædicato per ſe, ſed per accidēs: ergo ſi iſta eſt per ſe ſecundo modo, ens eſt vnum: hæc, vnū eſt ens, nō eſt per ſe ſecundo modo, ſed quaſi per accidens: ſicut iſta propoſitio eſt per accidens, risibile eſt homo. Secundo ſic: ens ſufficienter diuiditur tanquam in illa, quæ includunt quidditatiuè ipſum, in ens increatum, & in decem genera, & in partes eſſentiales decem generum: quidquid ſit de iſtis, ſaltem non videtur habere plura diuidentia quidditatiuè, quin ſint in iſtis: igitur ſi vnum, vel verum, includat quidditatiuè ens, vel erit aliquod decem generum, vel cō tinebitur ſub aliquo iſtorum. Sed non eſt aliquod decem generum: patet, nec ex ſe eſt ens increatum: quia conuenit entibus creatis. Igitur eſſet ſpecies in aliquo genere, vel principium eſſentiale alicuius generis: ſed hoc eſt falſum, quia omnis pars eſſentialis in quocunque genere, & omnis ſpecies cuiuſcunque generis, includit limitationem: & ita quodcunque tranſcendens eſſet de ſe finitum: & per conſequens repugnaret enti infinito. Nec poſſet dici de ipſo formaliter: quod eſt falſum, quia omnia tranſcendentia dicuntur perfectiones ſimpliciter, & conueniunt Deo in ſummo. Tertio argui poteſt, & in hoc *etiam confirmatur prima ratio ad concluſionem iſtam per ea, quæ poſita ſunt, §. ſed contra*, adhuc tamen breuiter, ens eſt vniuocum omnibus: ſed conceptibus non ſimpliciter ſimplicibus eſt vniuocum in quid dictum de eis: ſed ſimpliciter ſimplicibus eſt vniuocus, vt determinabilis, vel vt denominabilis, non autem vt dictum eſt de eis in quid: quia hoc includit contradictionem. *Secunda concluſio.*

F. Ad primum argumentum reſponderur, quod illæ rationes non concludunt vniuocationem entis in quid, quoad differentias vltimas, & paſsiones. De prima oſtenditur: quia licet intellectus ſit certus de aliquo tali, quod ſit ens, dubitando vtrum ſit hoc vel illud, tamen non eſt certus, quod ſit ens quidditatiuè, ſed quaſi prędicatione per accidens. Vel aliter, & melius ſic: quilibet talis conceptus eſt ſimpliciter ſimplex: & ideò non poteſt ſecundum aliquid con-

1. Poſt. tex com. 6. 7. Metaph. tex. com. 4. 17. & 19. 4. Metaph. cap. 3. com. 5.

1. Poſter. tex. co. 35.

concipi, & ſecundum aliquid ignorari, ſicut patet per Philoſophum 9. Metaphyſic. in fine, de conceptibus ſimpliciter ſimplicibus, quod non eſt circa eos deceptio, ſicut eſt circa quidditatem complexorũ. Quod nõ eſt intelligendum, quaſi intellectus ſimplex formaliter decipiatur circa intellectionem quidditatis: quia in intellectione ſimplici, non eſt verũ, vel falſum: ſed circa quidditatem cõpoſitam poteſt intellectus ſimplex virtualiter decipi. Si enim iſta ratio eſt in ſe falſa, tunc includeret virtualiter propoſitionem falſam: quod autem eſt ſimpliciter ſimplex, non includit virtualiter, nec formaliter propoſitionem falſam: & ideò circa ipſum non eſt deceptio, vel enim totaliter attingitur, vel non attingitur: & tunc totaliter ignoratur. De nullo igitur ſimpliciter ſimplici conceptu poteſt eſſe certitudo ſecundum aliquid eius, & dubitatio ſecundum aliud. Tertio etiam modo poteſt reſponderi ad primam rationem, quod ille conceptus, de quo eſt certitudo, eſt alius ab illis, de quibus eſt dubius: etſi ille conceptus certus ſaluatur in alterutro illorum dubiorum, verè eſt vniuocus, & cum alterutro illorum concipitur, ſed non oportet, quod inſit vtrique illorum in quid: ſed vel ſic, vel eſt vniuocus eis, vt determinabilis ad determinantes, vel vt denominabilis ad denominantes. Vnde breuiter ens eſt vniuocum omnibus, *eo modo quo dictum eſt in fine corporis articuli.*

9. Metaph. tex. 10. vlt.

G. Ad ſecundum (*ſi fiat*) per hoc etiam patet, ad ſecundam *videlicet* rationem ſupra poſitam: quia tale ſimpliciter ſimplex ignotum eſt omninò, niſi ſecundùm ſe totum concipiatur.

Expoſitio quarti articuli quæſtionis tertiæ diſtinctionis tertiæ.

PLVRA ſunt intelligibilia, de quibus omnibus diſputat Doctor, vt ex eis concludat, quandam rationem communem omnibus, eſſe obiectum adæquatum noſtri intellectus. Cõſiderandum eſt igitur ad huius articuli intelligentiam, in compoſito, vt potè in Petro, plura reperiri, & ſcilicet, quæ ſunt in linea recta eius prædicamenti, vt putà ens, genus, ſpecies, & indiuiduum: & quæ ſunt indirectè in illa, ſcilicet differentiæ eſſentiales, quæ contrahunt genera ad eſſe ſpecificum: ſeu materiales, quæ determinant ſpeciem ad eſſe indiuiduit: ac etiam ſunt paſſiones entis, videlicet verum bonum, vnum & cætera. Quæritur modo in textu, an ens de iſtis omnibus quidditatiuè dicatur? Concludit Doctor, *quod ens non eſt vniuocum dictum in quid, de omnibus per ſe intelligibilibus.* Et primã concluſionem iſtam euidenter probat de vltimis differentijs: ſecundo eandem confirmat etiam alia triplici ratione de paſſionibus entis. Quæ omnia præter quã quod clara ſunt in litera textuali, fient clariora infra in difficultate 59.

Individuum plura in ſe continet, de quibus ens prædicari poteſt.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ens prædicetur in quid de aliquibus differentijs?

A. AD quintum ſic proceditur, & videtur, quod ens non prædicetur in quid de aliquibus vltimis differentijs: quia ſi rationale includit ens quidditatiuè, & quælibet differentia conſimilis, quæ ſcilicet ſumitur à parte eſſentiali, non ab vltima realitate

tate eius: ergo adendo talem differentiâ generi, erit nugatio, eo quod ens bis dicetur: ergo, &c.

B. Sed contra eſt: quod ſicut ens dicitur in quid de illa parte eſſentiali, à qua ſumitur differentia talis ſpecifica, ita dicitur in quid de tali differentia in abſtracto.

C. Reſpondeo dicendum: quod ad videndum, quomodo hoc ſit verum, *quod ſcilicet ens* prædicatur per ſe primo modo de differentia aliqua: cum tamen prædictum ſit, quod ens non prædicatur per ſe primo modo de differentijs vltimis, diſtinguo de differentijs, quod aliqua poteſt ſummi à parte eſſentiali vltima, quæ eſt res, & natura alia ab illo, à quo ſumitur conceptus generis: ſicut ſi ponatur formarum pluralitas, & genus dicatur ſummi à parte eſſentiali prio ri, & differentia ſpecifica à forma vltima: tunc (*vt dictum eſt*) ſicut ens dicitur in quid de illa parte eſſentiali, à qua ſumitur differentia eſſentialis ſpecifica: ita dicitur in quid de tali differentia in abſtracto: ita quod ſicut hæc eſt in quid, anima intellectiua eſt ens, accipiendo eundem conceptum entis, ſecundum quem dicitur de homine, vel de albedine: ita hæc eſt in quid, rationalitas eſt ens: ſi rationalitas ſit talis differentia: ſed nulla talis differentia eſt vltima: quia in tali continentur plures realitates aliquo modo diſtinctæ tali diſtinctione, vel non identitate, qualem dixi quæſtione prima de Trinitate ſecundæ diſtinct. eſſe inter eſſentiam, & proprietatem perſonalem, vel maiori: ſicut alias explanabitur. Et tunc talis natura poteſt cõcipi ſecundum aliquid, hoc eſt ſecundum aliquam realitatem, & perfectionẽ; & ſecundũ aliquam ignorari: & ideò talis naturæ conceptus non eſt ſimpliciter ſimplex: ſed vltima realitas, ſeu perfectio realitatis naturæ, à qua ſumitur vltima differentia, eſt omninò ſimpliciter ſimplex: Iſta realitas non includit ens quidditatiuè, ſed habet conceptum ſimpliciter ſimplicem. Vnde ſi talis realitas ſit, A. hæc non eſt in quid, A. eſt ens. Sed eſt quaſi per accidens: & hoc ſiue, A. dicat illam realitatem, ſeu differentiam in abſtracto ſumptam a tali realitate. Dixi igitur prius *in præcedenti articulo*, quod nulla differentia ſimpliciter vltima includit ens quidditatiuè: quia eſt ſimpliciter ſimplex: ſed aliqua differentia ſumpta à parte eſſentiali (quæ pars eſt vna in re alia à natura, à qua ſumitur genus) illa differentia non eſt ſimpliciter ſimplex, & includit ens in quid: & ex hoc quod talis differentia eſt ens in quid, ſequitur quod ens non eſt genus propter nimiam communitatem entis: nullum enim genus dicitur de aliqua differentia inferiori in quid nec de illa, quæ ſumitur a forma, nec de illa, quæ ſumitur ab vltima realitate formæ, ſicut patebit diſtinctione octaua, quod ſemper illud, à quo ſumitur conceptus generis ſecundum ſe, eſt potentiale ad illam realitatem, à qua ſumitur conceptus differentiæ: ſiue ad illam formam, ſi differentia ſumatur â forma. Etſi arguas contra iſtud, *ſicut in principio articuli*.

Prima concluſio.

Secunda cõcluſio.

De his vide 8. diſt. q. 3. clarius.

Tertia concluſio.

D. Ad argumentum dico: quod quando duo inferiora ad tertium ſic ſe habent, quod vnum denominat alterum, illud commune particulariter denominat ſe ipſum ſine nugatione: ſicut albedo, quæ eſt inferior ad ens, denominat animal, quod eſt inferius etiam ad ens ſine nugatione: & ideò ſicut eſt denominatiua iſta, animal eſt album, ita ens, quod eſt ſuperius ad album, poteſt denominare animal, ſiue ens particulariter ſumptum pro animali, putà ſi iſtud ens

denominatiuum esset entale, hæc esset vera, aliquod ens est ens tale: sicut enim ibi concedo denominationem accidentalem sine nugatione: nec tamen idem omninò denominat se ipsum eodem modo conceptum: ita hic, animal rationale est sine nugatione: nam in animali includitur ens quidditatiuè, & in rationali denominatiuè: & sicut rationalitas est ens quidditatiuè: ita rationale denominatur ab ente: igitur hîc esset nugatio, animal rationalitas, non autem hîc, animal rationale: sicut esset hîc, animal albedo, non autem est nugatio hîc, animal album.

Expositio quinti articuli quæstionis tertiæ distinctionis tertiæ.

DISTINGVIT Doctor in textu differentiam vltimam à se ipsa, vt sic vel vt sic considerata; & ponit rationale, verbi gratia, etsi videatur vltima differentia, quatenus est constitutiua speciei attomæ: etiam nihilominus est quidditatiuè ens: licet ens de vltimis differentijs, vt visum est in præcedenti articulo, non prædicetur in quid. Huius autem ratio, & cætera quæ sunt in his duobus articulis, dubia, in sequente difficultate soluentur.

DIFFICVLT. LIX.

Vtrùm ens prædicetur in quid de Deo, & de omnibus quæ sunt intelligibilia extra Deum?

§. 1.

Status controuersiæ proponitur, cum sententia Thomistarum.

ENS de Deo prædicari in quid, est inter fere omnes Theologos, & Philosophos certum: & hæc tanquam conclusio communis, & à nullo negata, à pluribus statuitur, vt videre est apud Patrem Rada prima parte controuersia 21. articulo secundo concluſ. 1. sed forsan non viderat dictus Pater Lychetum, qui in primo distinct. 3. quæst. secunda ℣. ad vltimum, quod facit, hæc ait. *Dico primo, quod non est simile de Deo, & creatura: quia ens non est de intrinseca ratione Dei, cum conceptus eius sit simpliciter posterior.* Quæ sententia singularis est, & eius probatio (venia tanti viri, aliàs sapientissimi) satis friuola. Nam vt supra notauimus in difficultate 58. numero 44. & 45. nullum sequitur inconueniens, nec diuinæ derogat excellentiæ, conceptui entis, prioritatem cuiusdam communis concedere: & ideò non est cur hîc prædictæ rationi amplius satisfaciam, nec cum Lychero eius auctore, de hoc punto contendam. 1

Rada.

Reijcitur Lychetiopinio ponẽs nõ esse ens de intrinseca ratione Dei.

Habito attamen ex difficultate citata dari conceptum entis communem vni uocum, & vniuocè dictum de Deo, & creaturis: hæc ad illam, ex textualibus sub sequitur difficultas. Nã dato quod ibi, in conclusione quarta ostendimus, hanc vniuocationem conceptus communis, non solum reperiri in ente, sed etiam in alijs, quæ reperiuntur in Deo: non enim solum ens vniuocè dicitur de Deo & creaturis, verum & persona vniuocè prædicatur de diuina, & creata, & sapientia similiter de creata, & increata vniuocè dicitur, & alia attributa cum formis creatis vniuocè dicto modo conueniunt: modo autem generaliter de omnibus quærimus, an quidditatiuè sint entia, & ens quidditatiuè prædicetur de illis, ita vt non solum ea, quæ sunt in recta linea prædicamentali, sed etiam vltimæ 2

timæ differentiæ, & modi intrinſeci, ac propriæ paſsiones entis, ita claudantur ſub ente, vt ens quidditatiuè prædicetur de illis.

3 *Prima ſententia Thomiſtarum.* Caietanus in tractatu de ente, & eſſentia quæſt. 3. tenet ens de omnibus intelligibilibus prædicari in quid, atque ideò vltimam differentiam eſſe quidditatiuè ens, quod idem de modis intrinſecis, & entis paſsionibus, opinatur eſſe dicendum. *Caietanus. Ferrara. Soncinas. Valentia.* Idem ſentit Ferrara primo contra gentes cap. 26. Soncinas 4. Metaph. quæſt. 9. Gregor. de Valentia prima parte diſp. 1. quæſt. 5. puncto 1. & ferè omnes Thomiſtæ, imò ex noſtris hãc ſententiam tuetur *Baſſolis.* Baſſolis in 1. diſtin. 8. quæſt. 1. *ſub §. propter iſtas inſtantias*, in alio minori §. ibi incluſo, quod incipit *tertio videtur dicendum.* Probatur hæc ſententia ſequentibus argumentis: primo ſcilicet, quoniam de quo non dicitur ens quidditatiuè, illud quidditatiuè, & formaliter eſt nihil: ſed quod quidditatiuè, & formaliter eſt nihil, non eſt intelligibile: ergo quodcunque intelligibile eſt quidditatiuè, & formaliter ens: & ex conſequenti ens prædicatur in quid de omnibus intelligibilibus.

4 Secundò: quia entitas in abſtracto, ſiue realitas vel quidditas, prædicantur de naturis entium in abſtracto acceptis, vt de humanitate, & ſic de alijs: ergo ſimiliter concretum prædicatur de cõcreto, & de omnibus, quæ inconcreto habent eſſe: ergo valet dicere, quod verum quidditatiuè eſt ens, & ſimiliter bonum, rationale, infinitum: & ex conſequenti de ſuis proprijs paſsionibus, de modis intrinſecis, & de vltimis differentijs ens prædicatur in quid.

5 Tertiò: quia quærenti de qualibet re quid ſit: benè reſpõdetur, quod eſt ens: res etenim ad conuertentiam cum ente, & cætera tranſcendentalia prædicãtur, ita vt valeat dicere, ſi eſt, ergo eſt res: ergo aliquid: ergo ens. Sed quidquid eſt intelligibile quidditatiuè eſt aliquid: ergo quidditatiuè eſt res, & quidditatiuè ens.

6 Quartò: nam ſi de aliquo ente non prædicaretur ens quidditatiuè, maximè de vltimis differentijs: ſed de ipſis quidditatiuè prædicatur: ergo, &c. Maior ſupponitur vera ex ſententia oppoſita, minor verò probatur: quia genus prædicatur per ſe primo de differentijs: & vna differentia ſuperior de alia: iſtæ enim ſunt bonæ prædicationes, rationale eſt animal, rationale eſt ſenſibile: ſed animal eſt quidditatiuè ens: ergo rationale eſt quidditatiuè ens. Conſequentia tenet, per illam regulam anteprædicamẽtalem, quod quidquid prædicatur de ſuperiori, prædicatur quoque de inferiori, &c.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur.

7 IN oppoſitum autem eſt litera textualis in quarto articulo huius quæſtionis in corpore, vbi Doctor hæc profert, *quantum ad hoc dico: quod ens nõ eſt vniuocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus: quia non eſt de differentijs vltimis, neq; de proprijs paſſionibus entis*, Sequitur Doctorem Guilielmus Rubionis in 1. diſt. 3. quæſt. 4. art. 2. §. *hoc præmiſſo* concl. 2. Antonius Andreas eadem dicta quæſ. 3. §. *contra hoc eſt argumentum*, Lychetus ibidem, §. *nunc reſpondendum*, Vigerius ibidem, §. *quantum ad ſecundum articulum*, Pater Rada prima parte controu. 21. art. 2. Gregorius Pomerius in 1. diſt. 3. quæſt. 1. art. 7. Syrectus in formalitatibus folio 78. & Vallonis ibidem, & omnes Scotiſtæ, vno dempto Baſſole. Item ex Ieſuitis Vazquez prima parte diſp. 77. capit. 5. ideò negat ens proprias paſsiones habere: quia fateri conuincitur, nunc bonum & verum non eſſe eſſentialiter entia: quia ſubiectum nõ prædicatur eſſentialiter de proprijs paſsionibus. Item Suarez primo tomo Metaph. diſp. 3. ſect. 2. num. 12. ideò tenet non prædicari ens in quid de ſuis paſsionibus: quia credit, paſsiones entis, realitates non eſſe, ſed quaſdam negationes. In hoc attamen illi duo Doctores nobiſcum ſentiunt, quod, ſcilicet, eſt, nõ prædicari ens quidditatiuè de paſsionibus ſuis. *Rubionis. Andreas. Lychetus. Vigerius. Rada. Pomerius. Syrectus. Vallonis. Vazquez. Suarez.*

8 Vt autem prædicta ſententia illuſtretur, & difficultas reſoluatur, primo obſeruare

seruare oportet, quod in specie est duplex conceptus, prout Doctor aduertit in textu. Alter determinabilis, qualis est conceptus generis, & alter determinantis, qualis est conceptus differentiæ, vt in homine animal est determinabile, & rationale est determinans. Item in rebus, quæ non constant genere & differentia, quia nullum genus habent supra se, sicut sunt Deus, & genera generalissima, constituuntur ex ratione entis, & aliquibus modis intrinsecis, qui habent se in hoc, quod est determinare, ad modum differentiæ, quamuis differentiæ non sint. Tales sunt in Deo infinitum, in substantia autem esse per se, in accidente verò esse in alio. Similiter individuũ constat conceptu speciei, qui habet rationem determinabilis, & cõceptu differentia individualis, qui habet rationẽ determinantis. Est tamen differentia inter modos intrinsecos respectu entis, & differentias respectu generis: quia genus, quomodocũque concipiatur, omninò est extra differẽtias: ens verò quia est transcendens, diuagatur per omnia entia, & sic nullum est in rerum natura in quo aliquo modo non includatur.

Conceptus speciei alter est determinabilis, alter determinans.

Modus intrinsecus dicitur conceptus determinans.

9 Dubium est tamen, quænam differentiarum sint vltimæ? Ex cuius dubij resolutione pendet intelligentia sententiæ Scoti: nam pluribus visum est differentiam speciei attomæ, ab eo vocari vltimam: alijs verò visum est differentias individuales à Doctore vocari vltimas. Sed reuera ab hoc dubio nos Doctor ipse absoluit in corpore secundi articuli, vbi mentẽ suam manifestat, & quid per differentias vltimas sit intelligendum, patefacit.

10 Pro cuius claritate est obseruandum secundo, differentiam dupliciter posse sumi primo videlicet prout est altera par essentialis compositi Metaphysici: quæ est realitas, & natura quædam, distincta à genere, quod extrahit, & cũ quo essẽtialiter cõpositũ cõstituit, & cõponit. Et hoc modo nulla differentia etiãsi sit speciei attomæ constitutiua, vtpotè rationale, vocatur differentia vltima à Doctore: hæc namque differẽtia, etiam per aliam differẽtiam, à cæteris differt: atque ideò in se vltima non est, quamobrem de ipsa ens prædicatur in quid.

Differẽtia dupliciter sumitur, & quæ illarũ sit vltima, de qua ens in quid non prædicatur rectè expouitur.

Cuius rationem reddit Doctor in textu: quia sicut ens dicitur in quid de illa parte essentiali in concreto, à qua sumitur differentia specifica essentialis: ita dicitur in quid de tali differentia in abstracto: ita quod sicut hæc est in quid, anima intellectiua est ens, accipiendo eundem conceptum entis, secũdum quem dicitur de homine: ita hæc est in quid, rationalitas est ens. Ac si dicat Doctor, quod sicut homo, non solum eo præcise, quod est animal, quidditatiuè est ens: sed etiam secundum formalem conceptum, quo est rationalis, est quidditatiuè ens: sic illa ratio, qua formaliter est rationalis, etiam in abstracto sumpta, quidditatiuè est ens: quia quidditatiuè est realitas, & natura quædam constituens hominem in esse quidditatiuo, essentiali, & specifico, sub directa linea prædicamentali, qua homo formaliter, etiam prout specie distinctus ab equo, quidditatiuè est ens.

Non ergo aliqua talis differentia, est vltima, quod probat Doctor: quia in omni tali differentia cõtinentur plures realitates aliquo modo distinctæ, tali videlicet distinctione, qualis reperitur in Deo, inter relationes, & essentiam, quæ (vt habetur ex difficultate 54.) est formalis positiua ex natura rei. Tunc ergo potest concipi talis natura, vtpotè, rationalitas, secundum aliquam realitatem, & secundum aliquam ignorari: & ideò talis naturæ conceptus non est simpliciter simplex, sed vltima realitas, seu perfectio realitatis talis naturæ (inquit Doctor) à qua sumitur vltima differentia, est omninò simpliciter simplex. Sumitur ergo secundo modo differentia, non prout est natura contrahens genus, sed prout est ratio differentialis talis naturæ, quæ contrahit genus. Hæc fient manifesta exemplo: nam rationale potest considerari dupliciter, vel primo, vt est conceptus essentialis contrahens animal in homine: vel quatenus ipsum rationale est quoddam ens etiam compositum ex ratione differentiæ in communi, & ex ratione differentiæ vt talis: sicut albedo est color, & est talis color. Per rationem ergo differentiæ in communi, conuenit cum omnibus alijs differentijs, nempe in hoc quod est facere

II

differ-

differre ab alijs,& in hoc quod est constituere formaliter in esse quidditatiuo. At vero illud, per quod differt ab alijs differentijs,erit differentia ipsius differētiæ.Et de isto, quod est differētia ipsius differentiæ,potest fieri idem discursus, quoad vsque deueniamus ad aliquā differentiam,quæ sit simplex, & non composita:quia aliàs dabitur processus in infinitum.Et hoc idem, quod dico de rationali,quod est differentia attoma,possumus dicere de sensibili,quod est differentia intermedia, & de quacunq; alia differentia.

12 *Differētia vltima est simpliciter simplex.*

Vnde colligitur,quod quādo Doctor loquitur de differentijs vltimis, nō sunt intelligendæ vltimæ differentiæ in ordine ad seriē prædicamentalē: sed illa dicitur vltima, quæ vltimo quodcunq; quomodo libet cōpositum, facit differre.Et hæc est conceptus simpliciter simplex, quia nō est in alios cōceptus amplius resolubilis: & ista vltima differentia (inquit Doctor) non est quidditatiuè ens, & de illa ens non prædicatur in quid: & hoc, siue talis differentia sumatur in cōcreto,siue in abstracto. Cuius rationem reddit,quia illa differentia,quæ est conceptus simpliciter simplex, non includit ens in quid:quia ergo differētia sumpta pro altera parte essentiali compositi, includit plures realitates,in quarum conceptus resoluitur: ideò non est cōceptus simpliciter simplex,nec propterea,est vltima differentia: & ideò quidditatiuè est ens, & ens in quid prædicatur de illa.

13 *Ens non est genus respectu suorum inferiorum*

Ex quo præterea infert Doctor, quod ens nō est genus propter suam nimiam communitatem, & transcendentiā, qua de huiusmodi differentijs contrahentibus genera,prædicatur in quid. Nullum autē genus dicitur in quid de aliqua differentia inferiori:animal enim non prædicatur de rationali in quid: quia omne genus est extra differentias.Cum igitur ens non sit extra huiusmodi differētias, quia quælibet quidditatiuè est ens: ideò non est genus respectu suorū inferiorū.

§. 3.

Resoluitur dubiū, vtrum ens habeat positiuas, & reales proprietates.

PORRÒ, quia Doctor etiā excludit passiones proprias à quidditatiuo conceptu,entis est tertio obseruandum non ibi loqui de cuiuscunq; generis,aut speciei passionibus:sed tantummodo de passionibus entis, de quibus concludit ens non quidditatiuè,sed per accidens prædicari. Circa has attamen passiones non est concors Scolasticorum sententia: quibusdam etenim, vtpotè Vazquio, & Suario,videtur hæc quæstio de subiecto non supponente: nullas etenim dari à parte rei positiuas entis passiones,aperte sentiunt in locis citatis.Quinimo & plurium aliorum videtur sententia asserens ens non habere reales passiones positiuas:sed omnia illa, quæ attribuuntur enti tanquam passiones eius,addere solummodo ipsi entinegationem aliquam, vel respectum rationis.Sic videntur sentire D. Thom. quæst. 1. de veritate art. 1. & quæst. 21. art.1. & alibi, & Caietanus 1.p. quæst. 54.art.2.Iabellus 4. Metaphys. quæst.2. Soncinas ibidem, quæst. 1.ad secundū, & quæst.17.& 19. ad septimum,& lib.5. quæst. 14. Soto cap.de proprio quæst.2. ad secundum, Fonseca 4. Metaph. c.3. cap. 2. Cuius sententiæ fundamentum est,quia vt aliqua sit vera, & realis proprietas alterius,aliqua requiruntur,quæ proprietatibus entis deficiunt, & ibi ad hoc quatuor cōditiones aducit Suarez, quas nunc non refero:quia hoc ventilare,potius ad Logicos,& Metaphysicos, quàm ad Theologos pertinet:alij putent illi, si quidem pro nunc non est nostri muneris: sed tantùm breuiter cum Doctore resolutorie supponere, ens habere reales, & positiuas proprietates formaliter ex natura rei ab ipso distinctas, quæ tamen in se quidditatiuè, & essentialiter non sunt entia.

D.Thomas *Caietanus.* *Iabellus.* *Soncinas.* *Soto.* *Fonseca.* *Vazquez.* *Suarez.*

14 *Ens habet passiones ab ipso ex natura rei positiue distinctas.*

15 Sumitur huiusmodi assertio ex eodem Doctore in articulo quarto huius quæstionis §. *Secundum scilicet*, & ex distinctione octaua quæst.secunda,& in secūdo dist.3.quæst.1.& alibi. Cuius fundamentum est desumptum ex Philosopho quarto Metaphy.capit.3. vbi vult, *quod sicut linea, in quantum linea, habet proprias passiones, & numerus in quantum numerus: ita sunt aliquæ passiones entis, in quantum ens.* Ex quo concludit Doctor, quod ens habet proprias passiones. Confir-

matur præterea ex generali ſententia omnium, qui has paſsiones enti tribuũt, videlicet vnum, verum, & bonum: quæ non ſunt paſsiones confictæ ab intellectu, ſed verè & realiter enti conueniunt: & ſunt extra conſiderationem intellectus in ipſo ente. Et poteſt hoc fieri manifeſtum: quia ſcientia non demonſtrat de obiecto ſuo reali, niſi proprietates reales: ſed Metaphyſica eſt vera ſcientia de ente, demonſtrans de ſuo obiecto has paſsiones, ſeu proprietates: ergo huiuſmodi paſsiones ſunt veræ & reales. Et hoc apertè docuit Philoſophus quarto Metaphyſic. cap.1. dicens, *hanc ſcientiam contemplari ens, quatenus ens, & ea quæ illi perſe inſunt.*

16 Demum, quot ſint paſsiones entis, non eſt apud omnes conſtans, nam communiter ſex tranſcendentia numerantur, videlicet, res, ens, bonum, verum, aliquid, vnum. Et exinde videtur colligi ens quinque paſsiones habere: tot ſunt etenim prædicata, quæ conuertuntur cum illo. At qui ex huiuſmodi trãſcendẽtibus numeratis, duo potius ſunt ſynonima entis, quàm proprietates illius: nam *res* nihil aliud dicit, quàm formalem quidditatem entis, prout ab ente rationis diſtinguitur. *Res* enim realem eſſentiam entis ſignificat: ex quo patet non eſſe proprietatem illius. Præterea, *aliquid* videtur tantùm ſignificare ens ipſum, prout præcise diſtinguitur contra nihil: atque ideò hæc tria *ens res*, & *aliquid* habent idem prorſus ſignificatum in re, licet per diuerſos reſpectus, ens dicatur aliquid, prout diſtinguitur contra nihil, & res prout habens eſſe ex natura rei extra operationem intellectus. Concluditur, ergo in re ipſa tres tantummodo eſſe proprietates entis, quæ ipſi tranſcendentaliter inſunt, quales ſunt vnum, bonum, & verum. Quod enim iſtæ tres paſsiones inter ſe ex natura rei ſint diſtinctæ, & realiter identificentur cum ente, facile percipi poteſt: nam ens non eſt formaliter eo verum, quo eſt vnum: nec eſt formaliter vnum, quo eſt bonũ: nec eſt formaliter ens, quo eſt vnum, aut bonũ, aut verũ: nam ſecundum rationem veri eſt formaliter obiectum formale intellectus: & ſecundum rationem boni, eſt formaliter obiectum formale voluntatis: ita quod nec ens ſub ratione entis ab aliqua iſtarũ formaliter potẽtiarũ attingitur: nec ſub ratione veri attingitur à voluntate: nec ſub ratione boni ab intellectu. Indurt igitur diſtinctas formalitates, ſeu rationes formales, ſub quibus formaliter attingitur, & non attingitur à potentia. Ex quibus facillime percipi poteſt diſtinctio formalis ex natura rei inter ens, & ſuas proprias paſsiones, & inter ipſas proprias paſsiones ad inuicem.

Res, & aliquid potius ſunt ſynonima entis, quam paſsiones eius.

Paſsiones entis ſunt tãtum tres, ſcilicet, verum, bonũ, & vnum.

Ens ſub ratione entis eſt obiectũ intellectus, & voluntatis, ſed ſub ratione veri, & boni.

17 *Ratio ob quã ens de ſuis paſsionib⁹ nõ prædicatur in quid.*

Quia igitur eſt contradictio in adiecto aliquid eſſe quidditatiuè, & formaliter idem cum eo, à quo quidditatiuè, & formaliter eſt diſtinctum: ideò eſt eadẽ contradictio, quod ens prædicetur in quid de huiuſmodi paſsionibus, à quibus quidditatiuè, & formaliter eſt diſtinctum: quod namque quidditatiuè prædicatur de aliquo, quidditatiuè identificatur cum illo: quoniam propter identitatem quidditatiuam vtriuſque, vnum quidditatiuè prædicatur de altero. Si igitur proprietates entis non ſunt de quidditate illius, nec ipſum ens eſt de quidditate illarum, ſi quidem adinuicẽ formaliter diſtinguuntur: proculdubio infertur facillime ens in quid non prædicari de paſsionibus ſuis: ſi quidẽ quidditatiuè non continetur in illis.

18 *Ens, & eius paſsiones realiter identificantur. Prædicatio eſt duplex identica, & formalis & rurſus quælibet ſub diuiditur.*

Verum enim vero eſt denique obſeruandum inter ens, & ſuas proprietates intereſſe identitatem realem, ratione cuius conuertuntur, & adinuicem prædicantur: ſicut inter cæteras paſsiones, & ſubiecta datur realis identitas alia eſt enim prædicatio identica, & alia formalis. Identica adhuc eſt duplex, alia ſcilicet in qua idem prædicatur de ſe ipſo, eiſdem prorſus terminis: ſicut patet in hac, homo eſt homo. Alia verò in qua prædicatum eſt idem ſubiecto ſecundum rem, licet formaliter differat abillo: ſic quæcunque prædicatio paſsionis de ſubiecto eſt identica, vt rationale eſt riſibile: & in diuinis attributa, quæ admodum propriæ paſsionis conueniunt eſſentiæ, prædicantur identicè de illa propter realem identitatem eorundem cum ea: & ideò iſta eſt identica prædicatio, eſſentia eſt bonitas. Rurſus prædicatio formalis eſt illa, in qua prædicatum dicit formam, ſeu formalitatem ſubiecti. Et hæc adhuc eſt

duplex

duplex,alia ſcilicet quidditatiua ſeu eſſentialis, in qua prædicatum eſt de quid ditate ſubiecti, & de illa prædicatur in quid, ſic ſunt omnes prædicationes in primo modo dicendi per ſe. Alia autem eſt formalis denominatiua, in qua ſcilicet prædicatum non eſt de quidditate ſubiecti, nec de illo prædicatur in quid, ſed in quale: & eſt veluti forma qualificans ſubiectum in ſecundo modo dicendi per ſe. Sic propria paſsio prædicatur de ſubiecto, vt rationale eſt riſibile, & in diuinis attributa prædicãtur de eſſentia. Ex quibus colligitur benè ſe compati inter eadem reſpectu eiuſdem, prædicationem identicam, & formalem denominatiuè: ſi quidem hæc prædicatio, diuina eſſentia eſt bonitas, ſeu eſt bona, vtrunque habet: eſt etenim identica & formalis denominatiua, non tamẽ quidditatiua, quia bonitas non eſt de quidditate eſſentiæ. Huius inſtar modi de ente, & eius paſsionibus eſt dicendum, quod ſcilicet, quamuis identicè, & formaliter denominatiuè prædicetur de illis: non tamen quidditatiuè, aut in quid de eis poterit prædicari, ſi quidem de earum quidditate non eſt.

Ens in quo ſenſu dicatur prædicari in quid de differentijs eſſentialibus.

§. 4.

Statuuntur concluſiones huius difficultatis.

19 *Prima concluſio.*

His præhabitis, difficultatẽ concludẽdo dico primo, quod ens prædicatur in quid de Deo, & de omnibus generibus, ſpeciebus, & in diuiduis creaturarum. Cõcluſio eſt Scoti, & communis, & facile conſtat: nam quoad primam partem oſtẽditur ex eo quod Deus eſt ens primum, & ſummũ, vt non ſolum Theologi, verum, & naturalium Philoſophorum ratio naturalis conſequitur: ſed primum ens quidditatiuè eſt ens: ergo, &c. De reliquis autem creaturis euidenter conſtat, quia interroganti quid eſt quæcunq; illarum, optimè reſpondetur, quod eſt ens.

20 *Secunda cõcluſio.*

Dico ſecundo, quod ens non includitur quidditatiuè in vltimis differẽtijs, nec in quid prædicatur de illis: benè tamẽ prædicatur in quid de omnibus differentijs, quæ ſunt partes eſſentiales cõpoſiti, tàm de ſupremis, quàm intermedijs, quàm etiam atomis, & indiuidualibus. Concluſio hęc eſt expreſſa Scoti, & quoad vtranque parteni expoſita in ſupra notatis à num. 10. vſque ad 12. eſt ibi probata: prima autem in qua eſt difficultas probatur nunc amplius ratione Doctoris, quoniam ſi differentiæ vltimæ includunt ens quidditatiuè dictum de illis: & non ſunt omninò idem: ergo ſunt diuerſa aliquid idem entia: talia ſunt propriè differentia ex quinto & decimo Metaphyſicæ: ergo differentiæ illæ vltimæ propriè erunt differentes: ergo alijs differentijs differunt: quod ſi illæ aliæ includant ens quidditatiuè: arguitur de eis, ſicut de prioribus, & ita erit proceſsus in infinitum in differentijs: vel ſtabitur ad aliquas omninò non includentes ens quidditatiuè, quod eſt propoſitum: quia illæ ſolæ erunt vltimæ. Prædicta ratio confirmatur, & declaratur ſic: nam omne, cui quidditatiuè competit eſſe ens, vel eſt ens in communi, vel in particulari: at quæ vltimæ differentiæ non ſunt ens in communi: quia tunc quodlibet ens, quod quidditatiuè includit in ſe rationem entis, eſſet vltima differentia, quod eſt manifeſte falſum. Si ergo ſunt entia in particulari, tunc contra: quia quodlibet quidditatiuè ens in particulari habet rationem conceptus entis in quantum contrahibilis, ſeu communis, & rationem differentiæ in quantum contrahentis ſeu determinantis: ergo in differentijs vltimis (ſi quidditatiuè ſunt entia) datur ratio entis communis, in qua cum reliquis entibus conueniunt: & ratio differentiæ, per quam ab illis differant. Tunc ſic inſurgo, & idem argumẽtum conficio de illa differentia, qua differunt ab alijs, primo inquirendo, an talis differẽtia quidditatiuè ſit ens, vel non? Si ſic, ergo etiã debet conuenire cum alijs in ratione entis, & differre ab illis per aliam differentiam: & de hac differentia iterum eodem modo inquiro, & argumentor, ſicut de prioribus: vel ergo dãdus eſt proceſsus in infinitum, vel deueniẽdum eſt ad aliquam vltimam differentiam, cuius conceptus ſit ſimpliciter ſimplex. Tunc igitur de illa loquitur Doctor: & euidenter concludit, quod non eſt quid

ditatiuè ens. Secundo principaliter eandem partem conclusionis probat ibidē, scilicet in quarto articulo, *sicut ens compositum in re, componitur ex actu, & potentia in re, &c.* quæ ratio est ibi clara in textu.

21. Secunda pars conclusionis probatur euidenter ex litera Doctoris in articulo quinto in corpore (cuius literam pono propter nonnullos grauissimos Scotistas, qui huic conclusionis parti non assentiunt) hæc etenim inquit ibi. *Ad videndum quomodo hoc sit verum* (quod scilicet ens) *prædicatur per se primo de differentia aliqua, cum tamen prædictum sit, quod ens non prædicatur per se primo modo de differentijs vltimis, distingo de differentijs: quod aliqua potest sumi à parte essentiali vltima, quæ est res, & natura alia ab illo, à quo sumitur conceptus generis, sicut si ponatur formarum pluralitas, & genus dicatur sumi à parte essentiali priori, & differentia specifica à forma vltima. Tunc sicut ens dicitur in quid de illa parte essentiali à qua sumitur differentia essentialis specifica: ita dicitur in quid de tali differentia in abstracto. Ita quod sicut hæc est in quid, anima intellectiua est ens, accipiendo eundem conceptum entis, secundum quem dicitur de homine, vel de albedine: ita hæc est in quid, rationalitas est ens, si rationalitas sit talis differentia. Sed nulla talis differentia est vltima, quia in tali continentur plures realitates aliquo modo distinctæ tali distinctione, vel non identitate, qualem dixi in quæstione prima de Trinitate distinct, secundæ esse inter essentiam, & proprietatem personalē, vel maiori, sicut aliàs explanabitur.* Hactenus Doctor. Circa quorum verborū intelligentiam, miror quosdam eius discipulos dubitare, si quidem aperissime hanc prædictæ conclusionis partem manifestant: & quia eius probationes clare habentur in textu, non hîc expedit eas repetere. Ex illis tamen habetur, quamlibet differentiam, siue illa sit intermedia, siue suprema, siue attoma, siue individualis, esse quidditatiuè ens, dummodo non sit conceptus simpliciter simplex: quia tunc iam esset vltima differētia, in prima parte conclusionis comprehensa.

22. *Tertia conclusio. Ens nō prædicatur in quid de modis intrinsecis.* Dico tertio, quod ens non prædicatur in quid de modis intrinsecis. Cōclusio hæc latissimè manet probata supra in proprio loco, vbi ostendimus, modum intrinsecum non esse formaliter ens, sed entis in obliquo. De quo videndus est Ballonis in formalitatibus folio 149. vbi late hoc probat. Et nos hic iterum probare possumus ex ratione supra posita differentia vltima, quæ modo intrinseco etiam poterit adaptari.

23 *Quarta conclusio. Ens nō prædicatur in quid de passionibus suis.* Dico quarto, quod ens nō prædicatur in quid de passionibus suis. Conclusio est expressa Scoti in 4. art. huius quæst. & ab eo duplici ratione probatur ibidē, quæ conclusionem euidenter ostendūt, & quia clare habentur in textu, non hic repetuntur. Ex ipsis tamen, & alijs, quæ notantur in textu hæc iterum conficitur ratio: nam si vnum, v.g. quod est passio entis, quidditatiuè includit ens, vel igitur includit ens præcise, vel ens, & aliquid aliud: si primum dicas, ergo idem est passio sui ipsius, & se ipsum causat, quod est falsum. Consequentia autē patet: quia propria passio dimanat, & causatur à subiecto. Si vero dicas secundum, vel illud aliud, quod includit præter ens est etiam quidditatiuè ens, vel nō. Si primum, ergo vnum bis includit ens, & erit processus in infinitum, sicut antea dicebamus: vel stabitur ad aliquod vltimū, quod sit de ratione vnius, quod non includit quidditatiuè ens. Tunc igitur sic argumentor, vnum ratione entis inclusi, non est passio: ergo illud aliud inclusum erit passio, vt probatum manet: sed illud aliud inclusum non est quidditatiuè ens, vt etiam probatum manet, propter vitandum processum in infinitum: ergo passio entis non est quidditatiuè ens. Probatur insuper hæc conclusio: quoniam ens per verum differt à bono, ita quod formalitas veri non includitur in formalitate boni, si quidem ens verū formaliter est obiectum formale intellectus, non tamen volūtatis: ergo aliquid formale, & quidditatiuum est in vero, quod quidditatiuè, & formaliter nō est ens. Consequentia patet, quia ens non potest per suam met quidditatē formaliter esse idem, & diuersum ab aliquo.

24 *Quinta conclusio. Ens est vniuocum prædicatum vltimarū differentiarū, & omnium de quibus quid nō prædicatur.* Dico quinto, quod licet ens non prædicetur vniuocè de vltimis differentijs, & modis intrinsecis, & proprijs passionibus, est tamen vniuocum prædicatū illorum. Conclusio hæc quoad veranque partem est Doctoris, & quoad primam expressa in litera textuali, vbi Doctor inquit, non esse vniuocum prædicatum in quid de illis: nam vniuocum prædi-

prædicatum in quid, idem eſt, quod vni uocè prædicari, prout notatum eſt in difficultate 58. numero 27. & probatur quoad hanc partem cóclusio, quoniam illud prædicatur vniuocè de aliquibus, quod de illis prædicatur in quid, iuxta notata in citato numero prædictæ difficultatis: ſed vt ex præcedentibus concluſionibus conſtat, ens non prædicatur in quid de vltimis differẽtijs, & modis intrinſecis, & paſsionibus proprijs; ergo nec vniuocè prædicatur de illis.

25 Secunda vero pars concluſionis, ex obſeruatis in nuper citata difficultate, ſatis patet: quoniam vniuocum prædicatum eſt illud, quod in quale prædicatur de pluribus, eo quod eſt extra quidditatiuam rationem ipſorum: ſed ens prædicatur in quale de iſtis, ſi quidem ad conuertentiam prædicantur, & non quidditatiuè: ergo, &c.

26 *Sexta concluſio. Ens identicè, & formaliter denominatiuè de omni perſe intelligibili prædicatur.*

Dico ſexto, quod de omnibus intelligibilibus, de quibus ens non prædicatur in quid, prædicatur quidem identicè, & formaliter denominatiuè. Concluſio eſt communis apud Scotiſtas, & à nemine poteſt negari: ſi quidem vltima differentia, modus intrinſecus, aut entis proprietates, nequeũt ſeorſum reperiri, ſed realiter identificata cum aliquo, quod quidditatiue eſt ens, ex qua reali identitate ſibi prouenit identica prædicatio: ex eo autem quod prædicatum non eſt de quidditate illorum, de nominatiua eſt predicatio, quæ erit formalis reſpectu illorum, quæ denominãtur ab ente; nam modus intrinſecus non denominatur formaliter ens, licet identicè bene ſit ens: & ſic hæc concluſio in hoc ſenſu debet intelligi, quod omnia intelligibilia, quæ non ſunt quidditatiuè entia, ſunt identicè. Ex his verò ea, quæ ſunt formaliter entia: non ſunt formaliter quidditatiuè entia, ſed formaliter denominatiuè.

§. 5

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

27 *Ad primũ argumentũ pro prima ſententia.*

AD argumenta pro prima ſententia, & ad primum, quod eſt Baſolis dico, antecedens eſſe falſum, quia ad formaliter nihil non ſufficit negatio quidditatiuæ, ſeu eſſentialis prædicationis entis: ſed requiritur omnimoda negatio entis: quia formaliter nihil, opponitur alicui quomodolibet enti: & ideò quodcunque quomodolibet ens non eſt formaliter nihil. Cum ergo multa ſint intelligibilia, vtpotè vltimæ differentiæ, modi intrinſeci, & entis proprietates, quæ ſunt realiter entia, licet ens formaliter quidditatiuè nõ prædicetur de illis: ideò nullum iſtorũ poteſt dici eſſe formaliter nihil. *Ad nihilũ quid formaliter requiratur.*

Ad ſecundũ dico, tãtũ inferri ex illo, quod ſicut ens prædicatur de vero, ſic entitas de veritate, & ex hoc nihil concluditur contra cóclusiones oppoſitas: quia habetur ens etiam in concreto prædicari de vero in quale, & non in quid. 28

Ad tertium concedo, quod quærenti de re quid ſit? Bene reſpondetur, quod quidditatiuè eſt ens: quia res, ens, & aliquid, idem prorſus ſunt, vt patet ex notatis ſupra numero decimo ſexto. Si tamẽ quæratur de vero quid ſit? Bene reſpondetur, quod eſt paſsio entis, non tamen quod quidditatiuè eſt ens: de vltima autem differentia, ſeu modo intrinſeco, & de ipſis paſsionibus entis, reſpondetur de quolibet iſtorum, quod eſt realiter, & identicè ens, non tamen quidditatiuè. 29

Ad quartum reſpondeo, quod rationale non eſt vltima differentia, & ideò quidditatiuè eſt ens: quia ens prædicatur in quid de differentia, quæ eſt altera pars eſſentialis compoſiti, quia talis differentia non eſt vltima. Et adhuc ad argumentum dico, falſum eſſe, quod genus prædicatur per ſe primo in quid de talibus differentijs, aut vna differentia de alia. Primum patet: quia genus eſt extra differentias, vt ex Doctore notauimus: ergo non poteſt per ſe primo prædicari de illis: quia quod per ſe primo prædicatur de aliquo, quidditatiuè cõtinetur in illo. Nec per eãdẽ rationẽ differentia ſuperior de inferiori dicitur in quid, quia illa eſt quidditatiuè idẽ cũ genere: & ex cõſequenti extra differentias inferiores, extra quas eſt genus. Vnde eſt, quod hæc nõ eſt quidditatiua prædicatio, rationale eſt animal, nec iſta rationale eſt ſẽſibile: ſed vtraq; in homine 30 *Genus non prædicatur in quid de differentijs nec differentia ſuperior de inferiori*

est identica: quia in homine hæc omnia identificantur realiter. Licet ergo genus quidditatiuè sit ens, non tamen ex hoc differentia contrahens illud, vtpotè rationale, quidditatiuè est ens. Aliunde igitur habet rationale, & quælibet similis differentia, quod quidditatiue sit ens, videlicet ex eo quod est natura, & compositum resolubile in plures conceptus, & non conceptus simpliciter simplex. De vltimis igitur differentijs non prædicatur ens in quid, licet differentia, quæ est altera pars essentialis compositi, quidditatiuè sit ens.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ens sit obiectum adæquatum nostri intellectus?

A. AD sextum sic proceditur, & videtur, quod ens nõ sit obiectum adæquatũ nostri intellectus: quia distinctæ potentiæ habent distincta obiecta formalia ex 2. de anima: sed intellectus, & voluntas sunt distinctæ potentiæ: ergo habent distincta obiecta formalia, quod nõ videtur posse sustineri, si ens ponatur primum obiectum intellectus; ergo, &c.

B. Sed contra est: quia in ente concurrit duplex primitas, scilicet, communitatis, & virtualitatis: nam omne per se intelligibile, aut includit essentialiter rationem entis, vel continetur virtualiter, vel essentialiter in includente essentialiter rationem entis.

C. Respondeo dicendum: quod nullum potest poni primum obiectum intellectus nostri naturale, propter adæquationem talem virtualem, propter rationem tactam *in secundo articulo*, contra primitatem obiecti virtualis in Deo, vel in substantia, vt *ibidem dictum est*: vel igitur nullum ponetur primum obiectum, vel oportet ponere primum adæquatũ propter communitatẽ in ipso. Quod si ens ponatur æquiuocum creato, & increato, substantiæ, & accidenti: cum omnia ista sint per se intelligibilia nobis, nullum videtur per se poni obiectum intellectus nostri, nec propter virtualitatem, nec propter communitatem. Sed ponendo illam positionem, quam posui in prima quæstione huius distinctionis de vniuocatione entis, potest aliquo modo saluari aliquod esse primum obiectum intellectus nostri. Ad quod intelligendum primo declaro, *in tertio, quarto, & quinto articulis*, qualis sit vniuocatio entis, & ad quæ est; & secũdo ex hoc ad propositum. Quantum ergo ad articulum istũ principalem dico, quod ex quatuor rationibus, quæ *habentur in quarto articulo*, sequitur, cum nihil possit esse communius ente, & ens non possit esse commune vniuocum dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus (quia non de differentijs vltimis nec de passionibus suis) sequitur, quod nihil est primum obiectum intellectus nostri propter communitatem in quid ipsius ad omne per se intelligibile: & tamen hoc non obstante dico, quod ens est primum obiectum intellectus nostri: quia *vt dictum est §. sed cõtra*, in ipso concurrit duplex primitas, scilicet, communitatis, & virtualitatis: nam omne per se intelligibile, aut includit essentialiter rationem entis, vel continetur virtualiter, vel essentialiter in includẽte essentialiter rationẽ entis: omnia enim genera, & species, & indiuidua, & omnes partes essentiales generum, & ens increatum, inclu-

Prima conclusio.
Secunda cõclusio.

includunt ens quidditatiuè: omnes differentiæ vltimæ includuntur in aliquibus istorum essentialiter, vel quidditatiuè: omnes passiones entis includuntur in ente, & in suis inferioribus virtualiter: igitur illa, quibus ens non est vniuocum in quid, includuntur in illis, quibus ens est sic vniuocum: & ita patet, quod ens habet primitatem communitatis ad prima intelligibilia, hoc est ad conceptus quidditatiuos generum, specierum, indiuiduorum, & partium essentialium omnium istorum, & entis increati: & habet primitatem virtualitatis ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus, hoc est, ad conceptus qualitatiuos differentiarum vltimarum, & passionum propriarum.

D. Ex his *etiam, quæ dicta sunt in quarto articulo*, apparet, quomodo in ente concurrat duplex primitas, scilicet primitas communitatis in quid ad omnes conceptus non simpliciter simplices: & primitas virtualitatis in se, vel in suis inferioribus ad omnes conceptus in se simpliciter simplices: & quod ista duplex primitas concurrens sufficiat ad hoc, quod ipsum sit primum obiectum intellectus, licet neutrum habeat præcise ad omnia per se intelligibilia. Hoc declaro per exemplum: quia si visus esset per se cognoscitiuus omnis coloris, & omnium passionum, & differentiarum coloris in communi, & omnium specierum, & indiuiduorum: & tamen color non includeretur quidditatiuè in differentijs, & passionibus coloris: adhuc visus haberet idem obiectum primũ, quod modo habet: quia discurrendo per omnia, nihil aliud esset sibi adæquatum: igitur tunc non includeretur primum obiectum in omnibus per se obiectis quidditatiue: sed quodlibet per se obiectum vel includeret ipsum essentialiter, vel includeretur in aliquo essentialiter, vel virtualiter includente ipsum, & ita in ipso concurreret duplex primitas, scilicet, communitatis ex parte sui, & primitas virtutis in se, vel in suis inferioribus: & ista duplex primitas sufficiet ad rationem primi obiecti talis potentiæ.

Ad argumentum respondetur in sequenti articulo solutione ad primum. E.

Expositio sexti articuli quæstionis tertiæ distinctionis tertiæ.

RESOLVIT Doctor in hoc articulo obiectum primum primitate adæquationis, esse aliquid omnibus intelligibilibus commune: ex vniuocatione autem entis ad omnia intelligibilia, concludit ens esse nostri intellectus adæquatum obiectum, ad omnia etenim intelligibilia vniuocum est. Nam ad quædam est vniuocũ in quid, de quibus vniuocè prædicatur, vt patuit ex articulo secundo quæstionis primæ huius distinctionis, & ex nostra difficultate 58. ex ibidem autem notatis, atque ex difficultate 59. conclusione quinta, & ex articulis textualibus 4. & 5. huius tertiæ quæstionis, constat de alijs, vtpotè de vltimis differentijs, & de modis intrinsecis, ac passionibus suis, de quibus prædicatur in quale, esse vniuocum prædicatum eorum. Nunc ergo ex istis omnibus infert Doctor, quod nihil potest esse communius ente: & ideò non obstante, quod non prædicatur in quid de omnibus intelligibilibus, sufficit esse vniuocum prædicatum eorum, de quibus non prædicatur in quid, sed in quale. Sic igitur huius articuli difficultatem resoluit: *Hoc non obstante dico, quod ens est primum obiectum* (hoc est adæquatum) *intellectus nostri*. Cuius rationem reddens ait, quod in eo duplex primitas adæquationis concurrit, & scilicet cõmunitatis quidditatiuę, qua

quà sub se omnia, de quibus prædicatur vniuocè, comprehendit: & virtualitatis qualitatiuæ, qua videlicet sub se omnia, de quibus est vniuocum prædicatum, amplectitur: quia quod non est quidditatiuè ens, continetur in aliquo, de quo ens prædicatur in quid. Quæ latè, & subtiliter probatibi, & ex illis conclusionem prædictam patefactam ostendit. Plura alia ad huius articuli intelligentiam necessaria, satis in prima nostra huius operis difficultate, prælibata habentur.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm posset poni, quod verũ sit obiectum adæquatum nostri intellectus?

A. AD septimum sic procedit ur, & videtur, quod posset poni, quod verum sit obiectum adæquatum nostri intellectus, primo sic, distinctæ potentiæ habent distincta obiecta formalia, ex secundo de anima: sed intellectus, & voluntas sunt distinctæ potentiæ: ergo habẽt distincta obiecta formalia: quod non videtur per se subsistineri, si ensponatur primũ obiectum intellectus: sed si verum ponatur bene possunt assignari distincta obiecta formalia: ergo, &c.

2. de anima tex. co. 33. & 36.

B. Secundò præterea sic, ens est cõmune de se ad sensibile, & intelligibile: obiectum autem proprium alicuius potentiæ est obiectum eius sub aliqua propria ratione: ergo ad hoc, quod ens sit proprium obiectum intellectus, oportet, quod determinetur, & cõtrahatur ad ens intelligibile: per aliquid ergo, & per excludatur ens sensibile. Sed tale contrahens videtur esse verum: quod dicit de se rationem manifestatiui, vel intelligibilis: ergo. &c.

Tertiò præterea sic: obiectum non est proprium alicuius potentiæ, nisi secundum quod est proprium motiuum illius potentiæ: non mouet autem aliquid potentiam, nisi secundum quod habet aliquam habitudinem ad eam: ens autem secundum quod absolutum, & non habens aliquam habitudinem ad intellectum, non est primum, & immediatum obiectum: illud aute secundum quod ens formaliter, habet habitudinem ad intellectum, est veritas: quia secundum Anselm. de veritate veritas est rectitudo sola mẽte conceptibilis: ergo, &c.

C. Sed contra est: quia obiectum habitus naturaliter non præcedit obiectum potentiæ: sed primum obiectum Metaphysicæ, quæ est habitus intellectus, est ens, quod est prius naturaliter vero: & non verum, quod est passio entis, est subiectum Metaphysicæ: ergo, &c.

D. Respondeo dicendum: quod his visis de ente *in præcedentibus articulis*, restat vlterior dubitatio, vtrum posset poni aliquod aliud transcendens primum obiectum intellectus nostri, quod videtur habere æqualem communitatem cum ente. Et videtur quod sic, & hoc vno modo: quod verum sit obiectum adæquatum, & primũ intellectus nostri hîc, & non ens: quod tripliciter probatur *in principio articuli.*

E. Sed contra istam conclusionem de veritate arguo sic: primum obiectum, hoc est, adæquatũ, vel adæquatur secundam communitatem, vel secundum virtutem, vel secundũ istam duplicem primitatem concurrẽtem: verum autem nullo istorum modorũ adæquatur intellectui: ens autẽ adæquatur, vt patuit: ergo, &c. Probatio primæ partis minoris. Verum non dicitur in quid de omnibus per se intelligibilibus: quia non dicitur in quid de

de ente, nec de aliquo inferiori ad ens. Secunda pars minoris probatur cum tertia: quia inferiora ad verũ, licet includant ipſum eſſentialiter, nõ tamen includũt omnia alia intelligibilia virtualiter vel, eſsẽtialiter: quia hoc verũ, quod eſt in lapide: non includit eſſentialiter, vel virtualiter lapidẽ: ſed è conuerſo, illud ens, quod eſt lapis, includit veritatem: & ita de quibuſcunque alijs entibus, & eorum veritatibus. Item verum eſt paſſio entis, & cuiuslibet inferioris ad ens: ergo intelligendo ens, & quodcunque inferius adens, præciſe ſub ratione veri, non intelligitur niſi per accidens, & non ſecundum rationem quidditatiuam: ſed cognitio cuiuſcunque ſecundum rationẽ quidditatiuam, eſt prima, & perfectior cognitio de eo, ex ſeptimo Metaphyſic. cap. 1. Ergo nulla cognitio de aliquo præciſe ſub ratione veri eſt prima cognitio obiecti: & ita nec veritas eſt prima ratio præciſe cognoſcendi obiectum. Confirmatur ratio ex ſecundo Priorum: cum ſcientia mulæ, vt mula, ſtat ignorantia huius mulæ, vt hæc: ſicut ergo comparando obiectum ad habitum, inferius extraneatur à ſuo ſuperiori, de quo ſuperiori eſt primo ille habitus, ita multo magis extraneabitur ſubiectum ſuæ paſsioni, comparando, ſiue ad habitum, ſiue ad potentiam.

7. Metaph. cap. 1. text. com. 4.

Concluſio. 2. Priorum cap. 2.

G. Ad rationes in oppoſitum reſpondeo, ducendo illas ad oppoſitum. Primam ſic: quia ſicut voluntas non poteſt habere actum circa ignotum, ita non poteſt habere actum circa obiectum ſub ratione formali aliqua obiecti, quæ ratio eſt penitus ignota: ergo omnis ratio, ſecundum quam aliquid obijcitur voluntati, eſt cognoſcibilis ab intellectu: & ita non poteſt eſſe prima ratio obiecti intellectus illa, quæ diſtinguitur contra rationem volibilis, ſiqua ſit talis. Item, intellectus ponit differentiam inter bonum & verum, & etiam conuenientiam: ergo, &c. Hoc etiam probatur: quia de quibuſcunque paſsionibus entis habetur æquè diſtincta notitia: ita de bono ſub ratione boni, ſicut de vero ſub ratione veri: quia ſecundum Auicen. quinto Metaphyſic. capite vltimo, ſi aliqua ſcientia eſſet de omnibus cauſis, illa eſſet nobiliſsima, quæ eſſet de cauſa finali: cuius ratio ſecundum multos eſt bonitas: non ergò omnia obijciuntur intellectui ſub ratione veri, ſi bonum ponitur primum obiectum voluntatis. Quomodo veritas (efficaciſsima ratio) eſt per ſe volibilis? cum ipſa non habeat bonum pro primo prædicabili nec virtuali reſpectu ſui, nec etiam inferius continens ipſum eſſentialiter, vel virtualiter. Secundam rationem etiam duco ad oppoſitum, *& ſimiliter tertiam, vt infra in proprijs earum ſolutionibus videbitur.*

2. de anima text. com. 146.

Ad primum, ergo argumentum, ad illud *videlicet*, quod accipitur in argumento de diſtinctione obiectorum, reſpondeo: quod potentiæ diſparatæ tripliciter ſe habent adinuicem, aut ſunt omninò diſparatæ, & condiſtinctæ, vel ſubordinatæ: & tunc vel in eodem genere, ſicut cognitiua ſuperior, & inferior: vel in alio genere potentiarum, ſicut cognitiua ad ſuam appetitiuam. Primo modo potentiæ diſparatæ habent omninò obiecto diſparata: quia nulla earum, ex quo sũt diſparatæ, eſt per ſe operatiua circa obiectum, circa quod alia. Tales ſunt ſenſus exteriores inter ſe, vt viſus, & auditus, &c. Secundo modo potentiæ diſparatæ habent obiecta prima ſubordinata, ita quod ſicut potentia ſuperior poteſt habere per ſe actum circa quodcunque, circa quod poteſt

H.

I.

test potentia inferior, in obiectum primum potentiæ superioris continet sub se primum obiectum potentiæ inferioris: alioquin non esset illud obiectum adæquatum potentiæ superiori. Vnde primum obiectum visus secundum suam communitatem continetur, vt inferius, sub primo obiecto sensus communis. Tertio modo potentiæ sic se habent, quod si appetitiua adæquaretur cognitiuæ in operando circa quæcunque obiecta, idem esset obiectum primum vtriusque, & sub eadem ratione formali ex parte obiecti. Si autem appetitiua habet actum circa aliqua cognoscibilia, & circa aliqua non: tunc obiectum appetitiuæ erit inferius ad obiectum cognitiuę. Ad propositum, intellectus, & voluntas cadunt sub tertio membro, etsi voluntas ponatur habere actum circa omne intelligibile, ponetur idem esse obiectum tàm voluntatis, quàm intellectus, & sub ratione eadem formali. Si verò non, sed quod voluntas tantùm habeat actum circa intelligibilia, quæ sunt finis, vel entia ad finem, & non circa mere speculabilia, tunc ponetur obiectum voluntatis aliquo modo particulare respectu obiecti intellectus: sed semper stabit, quod ens est obiectum intellectus.

I. Ad secundum, secundam etiam rationem duco ad oppositum: quia obiectum proportionatum potentiæ superiori est commune ad obiectum proportionatum potentiæ inferiori ex prædicta distinctione: & ita ens secundum quod abstrahens à sensibili, & insensibili, est verè proprium obiectum intellectus: quia intellectus tanquam potentia superior potest habere actum tàm circa sensibile, quàm circa insensibile. Vnde ista abstractio, quæ videtur esse non appropriatio, est sufficienter appropriatio respectu potentiæ superioris: & est circa vtrunque obiectum per se, qualis est intellectus: & licet sub ente sic in communi contineatur sensibile, non tamen ipsum in communi est sensibile, hoc est, obiectum sensus: sed tantùm intelligibile adæquatum intellectui: quia non oportet relatiuum proprium inferioris esse proprium superioris: tale dicit hoc, quod est sensibile, quod conuenit qualitati alicui, & omni, & soli: sed intelligibile, etsi conueniat alicui enti, ita quod non sensibile, non tamen omni soli: imò nulli soli, nisi enti in communi: non vt est hoc aliquid, vt quoddam intelligibile singulare, sed vt est commune ad omne intelligibile: & hoc secundum modum aliquem communitatis prædictum, &c. Per hoc respondeo ad rationem, quod communitas entis ad sensibile, & insensibile, est ratio appropriandi ipsum potentiæ operatiuæ.

Ad tertium, tertiam deduco ad oppositum: quia rationem obiecti dico esse illam formam, secundum quam obiectum est motiuum potentiæ, sicut ratio actiui, vel agendi, dicitur esse illa forma, secundum quam agens agit: talis autem ratio obiecti non potest esse respectus ad potẽtiam: & isto modo loquitur Philosophus 2. de anima vbi assignans primum obiectum visus, dicit quod illud, cuius est visus vt obiecti, est visibile, non per se primo modo, sed secundo modo: ita quod ipsum ponitur in ratione visibilis. Si autem formalis ratio obiecti potentiæ esset respectus ad talem potentiam, tunc obiectum primum visus esset visibile per se primo modo: quia tũc ipsa visibilitas esset ratio formalis obiecti: & tunc facile esset assignare pri-

K.

2. de anima tex. 66. 66.

prima obiecta: quia obiectum primum cuiuscunque potentiæ esset correlatiuum ad talem potentiam, putà visus visibile: auditus audibile quomodo Philosophus non assignauit prima obiecta potentiarum, sed sicut aliqua absoluta, putá visus colorem: auditus sonum, &c. Vnde si verum dicat formalem respectum obiecti ad intellectum (de quo aliàs) sequitur oppositum propositi: ex hoc enim sequitur, quod ratio illa non sit ratio formalis obiecti, sed aliqua alia ab ea. Patet igitur ex dictis, quod nihil potest poni ita conuenienter primum obiectum intellectus, sicut ens: neque aliquod virtuale primum, neque aliquid aliud transcendens: quia de quolibet alio transcendente probatur per eadem media, per quæ probatum est de vero.

Expositio septimi articuli quæstionis tertiæ distinctionis tertiæ.

NON se offert in hoc articulo aliquid exponendum: in eo etenim clare probat Doctor, nõ posse verum, esse obiectum adæquatum nostri intellectus, sed ens, vt ex præcedenti articulo statuerat: quod nunc euidenter demonstrat. Rationes autem seu argumenta, quæ oppositum in principio articuli suadebant, subtiliter soluit, & aduersus oppositum opinantes retorquet. Quorum solutiones, etsi habeantur ad longum, non ideò confusionem aliquam, sed solidam, & claram doctrinam continent. Licet ergo verum, & ens conuertantur: adhuc secundum formalitates suas, ita distinguuntur, vt possit vnum esse obiectum intellectus, non vero aliud.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm eo ipso quod ens secundum suam communissimã rationem est obiectum adæquatũ nostri intellectus, Deus naturaliter à nobis possit cognosci?

AD octauũ sic proceditur, & videtur, quod eo ipso, quod ens secũdum suam communissimam rationem est obiectum adæquatum nostri intellectus, Deus (sub illo cõtẽtus) naturaliter a nobis possit cognosci: quia si ens secundum rationem suam cõmunissimam sit primum obiectũ intellectus, quare non potest quodcunq; contẽtum sub ente naturaliter mouere intellectũ, sicut fuit argutum in prima ratione ad primã quæstionẽ in prologo? Et tunc videtur, quod Deus naturaliter posset cognosci a nobis, & substãtiæ omnes immateriales, quod negatũ est de omnibus substantijs, & de omnibus substantiarũ partibus essentialibus: quia dictũ est, quod non concipiuntur in aliquo conceptu quidditatiuo, nisi in conceptu entis. A.

Quæst. præced. & q. 1. prolog.

Sed cõtra est: quod Augus. innuit 15. de Trinit. cap. vlt. quæ causa (inquit) cæ ipsam lucẽ, acie fixa, videre possis, nisi vtiq; infirmitas, &c. B.

Respondeo dicendũ: quod obiectum primum potentiæ assignatur illud, quod adæquatur potentiæ in ratione potentiæ: non autẽ, quod adæquatur potentiæ, vt in aliquo statu: quẽadmodũ primũ obiectũ visus nõ ponitur illud, quod adæquatur visui existẽti in medio illuminato lumine can- C.

candelæ præciſe: ſed quod natũ adæquari viſui ex ſe, quãtũ eſt ex natura ſui. Nunc autem, vt probatũ eſt prius contra primam opinionem ad quæſtionẽ de primo obiecto intellectus, hoc eſt adæquato, quæ ponit quidditatem rei materialis eſſe primum obiectum, nihil poteſt adæquari intellectui noſtro ex natura potentiæ in ratione primi obiecti, niſi cõmuniſſimum: tamen pro ſtatu iſto ei adæquatur in ratione motiui quidditas rei ſenſibilis: & ideò pro ſtatu iſto nõ naturaliter intelliget alia, quæ non continentur ſub illo primo motiuo.

Prima concluſio.

Si quæritur, quæ eſt ratio iſtius ſtatus? Reſpondeo: ſtatus non videtur eſſe niſi ſtabilis permanentia legibus diuinæ ſapientiæ firmata. Stabilitum eſt autem illis legibus ſapientiæ, quod intellectus noſter non intelligat pro ſtatu iſto, niſi illa, quorum ſpecies relucent, in phantaſmate: & hoc ſiue propter pœnam originalis peccati, ſiue propter naturalem concordiam potentiarum animæ in operando: ſecundum quod videmus, quod potentia ſuperior operatur circa idem, circa quod inferior. Etſi vtraque habeat operationem perfectam, & de facto ita eſt in nobis, quòd quodcunque vniuerſale intelligimus, eius ſingulare actu phantaſiamur: iſta tamen concordia, quæ eſt de facto pro ſtatu iſto, non eſt ex natura noſtri intellectus, vnde intellectus eſt: nec etiam vnde in corpore eſt: tunc enim in corpore glorioſo neceſſariò haberet ſimilem concordiam: quod falſum eſt. Vndecunque igitur ſit iſte ſtatus, ſiue ex mera voluntate Dei, ſiue ex mera iuxſtitia punitiua, ſiue ex infirmitate, quam cauſam Auguſtin. *vt viſum eſt*, §. *ſed cõtrà*, innuit, decimoquinto de Trinitate capite vltimo, quæ cauſa (inquit) cur ipſam lucem acie fixa videre non poſsis, niſi vtique iniquitas: ſiue in quam, hæc ſit totalis cauſa, ſiue aliqua alia, ſaltem non eſt primum obiectum intellectus, vnde potentia eſt, quidditas rei materialis: ſed eſt aliquid commune ad omnia intelligibilia: licet primum obiectum adæquatum ſibi in mouendo pro ſtatu iſto ſit quidditas rei ſenſibilis.

Secunda cõcluſio.

Etſi dicas, dato, quod ens commune ſit ei obiectum adæquatum pro ſtatu iſto, non tamen mouerent ſubſtantiæ ſeparatæ pro ſtatu iſto, niſi in maiori lumine, quàm ſit lumen naturale intellectus agentis. Iſta ratio nulla videtur, tùm quia ſi tale lumen requiritur, non eſt ratio ex parte intellectus noſtri, vnde talis potentia, quare modo non poſsit habere tale lumen: eſt enim de ſe receptiuus talis luminis: alioquin manẽs idem, nunquam poſſet illud idem recipere. Tùm quia quãdo aliqua duo agentia concurrunt ad aliquem effectum, quanto vnum illorum plus poteſt ſupplere vicem alterius, tanto minor perfectio requiritur in alio: quandoque autem nulla, ſi illud ſupplet totam vicem eius. Sed ad mutationem intellectus poſsibilis concurrit obiectum, & lux: ergò quanto obiectum eſt perfectius, & magis poteſt ſupplere vicem luminis, tanto ſufficit minus lumen: ſaltem non requiritur maius. Sed primum intelligibile eſt maximè lux: ergò maximè poteſt ſupplere vicem luminis obiecti intelligibilis: ergò quantum eſt ex parte ſua, ſi contineatur ſub primo obiecto adæquato intellectui noſtro pro ſtatu iſto, non eſt defectus ex parte luminis, quin poſsit mouere intellectum noſtrum.

D.

Ad argumentum *ſeu rationem dubitandi ſatis in corpore articuli reſponſum eſt.*

Expo-

Expositio art. 8. quæst. 3. dist. 3.

1 INgens difficultas in hoc articulo, ex resolutione præcedentium excitatur. Si etenim ens est vnuocũ Deo & creaturis, & secũdũ rationẽ huius vnuocationis, est nostri intellectus adęquatũ obiectũ: & potentia potest naturaliter ferri in quodcunq; obiectũ contentũ, sub suo adæquato obiecto: consequenter videtur de primo ad vltimum, Deũ per se naturaliter ab intellectu viatoris secũdũ rationẽ Deitatis cognosci. Hæc attamen difficultas partim est resoluta in prima nostra difficultate huius operis supra in prologo: sed quia nunc denuo à Doctore resoluitur ex distinctione duplicis obiecti, videlicet termi natiui, & motiui: in cuius resolutione doctrinã tradens mirabilẽ, mirabiliter dubitationem euacuat, & difficultatem enucleat non possumus non eius subtilitatem clariorem reddere.

2 Meminit igitur Doctor suæ doctrinæ, qua supra in primo articulo huius quæstionis, contra D. Thomam probauit, quidditatẽ rei materialis, aut sensibilis non esse obiectũ adæquatũ nostri intellectus. Nunc vero in præsenti articulo tria facit: & quidẽ primo ostẽdit, qualiter obiectũ adæquatũ, nullo habito respectu ad statum, debeat absolute adæquare potẽtiæ. Secũdò, qualiter pro isto statu quidditas rei materialis seu sensibilis, sit obiectũ adæquatũ motiuũ, nõ vero adæquatũ terminatiuũ nostri intellectus. Et tãdẽ tertio obseruat, vndeproueniat pro isto statu intellectui, nõ posse nisi à sẽsibilib⁹, ad sui cognitionẽ moueri.

3 Circa primum ergo est dupliciter consideranda potentia, vel quidem primo secundum se, & secundum suam facultatem operatiuam, vel secundo pro vt alicui statui subest, & ponit exemplum Doctor in potentia visiua, vt patet in textu. Intellectus ergo primo modo consideratus est potentia capax omnis intellectionis cuiuscunque intelligibilis, quia vt sic nullo habito ordine ad conditionẽ status, absolutè est potentia intellectiua cuiuslibet intelligibilis. Atque ideò, vt sic illud erit obiectũ adęquatum eũ intellectus, quod ad omnia intelligibilia fuerit cõmunissimũ: siquidem omnibus adæquare debet, vt potentiæ omniũ intellectiuæ adęquet. Et hoc tale est ens, non solũ reale, sed vt reale & rationis amplectitur, prout in prima difficultate de mente Doctoris ostendimus. Secundò, autẽ modo consideratur potẽtia pro statu aliquo, cuius cõditionibus subiacet: sic capitur intellectus, prout in hoc statu, in quo viatores sumus, residet cũ anima simul in corpore sub sensuũ mœnijs. Et quia vt ex 1. art. textuali primæ quæstionis prologi dictũ est, & ibi in nostro cõmentario expositũ, non potest intellectus naturaliter cognoscere, nisi ea quę sunt sensibilia, vel in sensibilibus cõtinentur: quæ medijs phantasmatibus specie intelligibilem causant: ideò pro hoc statu, in quo via sensuũ, & non aliter intellectus cognoscit: nõ potest naturaliter, quodcũque intelligibile sub suo obiecto adæquato contentũ, vt putà Deum, aut substãtias separatas, cognoscere, vt Doctor ibi concludit.

Potẽtia dupliciter cõsideratur.

Obiectũ adæquatum intellectus rectè expẽditur pro quolibet statu suo.

4 Hoc tamen, quod est non posse naturaliter attingere omne intelligibile pro hoc statu: non officit adæquationi obiecti. Quia vt ex 2. art. eiusdẽ quæstion. 1. prologi habetur, non derogat excellentiæ intellectus, habere excellentissimũ obiectũ, quale est Deus, intra sui adęquati obiecti latitudinẽ, cuius cognitionis distinctæ, naturaliter elicitiuus non sit. Stat ergo non posse intellectũ naturaliter intelligibile aliquod, scilicet, Deũ, cognoscere: & nihilominus Deum sub obiecto adæquato intellectus includi. Cuius ratio à priori in hoc articulo traditur à Doctore: quia videlicet adæquatio obiecti respicit potentiã absolute in ratione potẽtiæ: attingentia tamẽ illius subiacet conditioni status, sub quo intellectus non, nisi per sensuum ministerium, operatur, & sic manet expositũ primum dictum Doctoris in textu.

5 Secũdũ autẽ dictũ ex primo infertur, quoniã ex hoc q nõ potest intellectus, nõ nisi ministerio sensuũ operari in hoc statu: nõ potest nisi sensibilia, aut quę in sensibilibus includuntur, pro hoc statu cognoscere. Atque ideo etsi intellectus pro hoc statu, alia non sensibilia intelligat, nõ tamen nisi à sensibilibus, ad eorũ intellectionem mouetur. Vndẽ hic optime applicat Doctor distinctionẽ illam celebrem suam, de obiecto motiuo, & terminatiuo: ita quod ideò quidditas

rui sensibilis seu materialis potest dici obiectum adæquatum notiuũ intellectus pro hoc statu, quia pro tali statu, nõ nisi à sensibilibus, seu materialibus potest ad cognitionem moueri. At qui loquendo de obiecto terminatiuo, quod ab intellectu cognoscitur, & ad quod eius cognitio terminatur, nõ est nisi ens cõmunissime sumptũ, etiã pro hoc statu, propter rationes hîc, & in primo, & sexto, huius quæstionis artic. assignatas.

6 Circa tertium attamẽ Scoti dictum, vrgentior difficultas se offert. Vndè videlicet proueniat intellectui pro isto statu, non nisi à sensibilibus ad sui cognitionem moueri, & ideò nõ posse naturaliter Deum cognoscere? Et primo pro hac difficultate supponit Doctor, vt certum, hanc impossibilitatem intellectui prouenire ratione status huius. Quid autem sit status iste, optime illum describit, dicens quod non videtur esse aliud *nisi stabilis permanentia legibus diuinæ sapientiæ firmata*. Ex quo habetur quod status iste viatoris, ex diuinis legibus pendet, & ideò vt Doctor resoluit, non ex natura intellectus: quia tunc nec ali patria Deum videre posset, nec præcise ex eò, quod est corpori coniunctus, est impotens ad aliqua extra sensibilia intelligere: quia tunc intellectus coniunctus corpori glorioso, phantasmatibus indigeret, quod falsum esse asserit Doctor in textu. *sed quia* (inquit Doctor) *stabilitum est illi legibus sapientiæ, quod intellectus noster non intelligat pro statu isto, nisi illa quorum species relucent in phantasmate.* Sed tunc difficultas vrget, vnde namque prouenit intellectui hæc prohibitio, videlicet non posse aliquid nisi per sensibilia intelligere.

Stat⁹ quid sit.

7 Hanc difficultatem non determinat Doctor assertiue: sed plures sententias adhibet, & ex omnibus intentum principale articuli huius cõcludit. Est enim quorundam opinio, quod fuit hæc lex potentijs huiusmodi imposita, à mera voluntate Dei. Alia inquit, quod fuit prohibitio facta in pœnam originalis peccati. Sed hæc mihi non placet, quia seque queretur ex illa hominem antepeccatũ Originale, in statu innocentiæ naturaliter potuisse omnia intelligibilia, & ipsum Deum cognoscere, siquidem non indigebat eius intellectus specie sensibili, ad hoc vt obiectum quodcũque, sub suo adæquato obiecto contentum, cognosceret: quod dicendum non est. Alia opinio est, quod imbecillitas, seu infirmitas lapsæ naturę perpeccatũ, reddidit intellectũ incapacẽ intellectionis, quæ non sit sensuũ ministerio cõparata. Hanc viam tradidit Diuus Augustinus, vt Doctor refert in textu. Sed ex illa, idẽ inconueniens, quod ex secunda, videtur sequi. Alia tandem ait, quod non nisi propter naturalem potentiarum cõcordiam hoc contingit: quatenus videlicet potentia inferior superiori subditur: & potẽtia superior operatur etiam circa idem, circa quod operatur inferior, licèt vtraque habeat operationem perfectam respectu eiusdem: sicut intellectus perfectè intelligit lapidem, quẽ perfectè oculus videt.

Intellectus noster cur pro hoc statu à sensibilibus moueri dicatur?

8 Hæc profecto sententia plausibilior & verior cęteris, mihi esse videtur. Doctor tamen aduertit hanc naturalem cõcordiam, non esse ex natura intellectus, aut ex eo quod intellectus est corpori coniunctus propter rationes supra factas ad hoc probandum: sed vt supra dixerat ex legibus diuinæ sapientiæ iuste, & conuenienter sic ordinãtis hanc subordinationem, & dependentiam vnius potentiæ ad aliam, ob conformitatem duarum naturarum, spiritualis videlicet, & corporeæ: quæ quia substantialiter in vna natura integra vniuntur: & quælibet seorsum distinctas facultates habet operatiuas, concorditer & vniformiter operentur, per subordinationẽ, & dependẽtiam vnius operationis ad aliã. Vndè mihi persuadeo, quod nõ obstante, quod per peccatũ magna potentiarũ rebellio est ad inuicem excitata: nihilominus etiã si peccatũ nõ esset, adhuc potentiarũ concordia seruaretur, ob cõueniẽtẽ spiritus & corporis, ac intellectus & sensuũ coformitatẽ: & ideo in quocũque statu, dũmodo in via sit corporis & animæ substantialis coniunctio, necessario necessitate quadam vniformitatis naturæ, deberi seruari prædictã potẽtiarũ concordiã. Et ideò quanuis ex ipsius intellectus natura, aut præcise ex coniũctione intellectus cũ corpore, hęc cõcordia potẽtiarũ non sit, vt asserit Doctor: dicitur nihilominus cõcordia naturalis, eo ꝙ est naturis istarũ potẽtiarũ à legibus

bus diuinis præfixa, & non nisi per miraculum, potest prædictus cognoscendi ordo mutari.

9 Prædictarum ergo opinionum nullã assertiue sibi eligit Doctor: sed ex qualibet (vt dixi) infert inuentum. Inquit enim: *Vndecunque igitur sit iste status, siue ex mera voluntate Dei, siue ex mera iustitia punitiua, siue ex infirmitate, quam fecit iniquitas, siue inquam, hæc sit causa totalis, siue aliqua alia: saltem non est primum obiectum intellectus, vndè potentia est quidditas rei materialis, sed est aliquod commune ad omnia intelligibilia: licèt primum obiectum adæquatum sibi in mouendo pro statu isto sit quidditas rei sensibilis.* Ex quo concluditur, ideo Deum non posse pro hoc statu ab intellectu viatoris naturaliter cognosci, licèt contineatur sub obiecto adæquato terminatiuo illius: quia, scilicet, sub motiuo eius obiecto, quod est res sensibilis, contineri haud potest.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm summum bonum sit obiectum primum, seu adæquatum nostræ voluntatis.

A AD nonum sic proceditur, & videtur, quod summum bonum sit obiectum primum, seu adæquatum nostræ voluntatis: quia secundum Augustinum, 8. de Trinitate, capit. 4. vel 8. si noteris per te persoicere bonum, perspexeris Deum, & si amore inhæseris, continuo beatificaberis: beatitudo non est in bono vniuersali, siue indeterminato priuatiuè. Et 8. de Trinitate, capit. 3. de bono & voluntate, nudeat cum alia nõ amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo, non amare bonum ipsum, vnde bona sunt.

B Secundò præterea ibidem capit. 6. vel 10. vel 26. Vnde iusti esse potuerũt, nisi inhærendo ipsi formæ, quam intuentur: vtinde formentur: formari autem forma iustitiæ nõ est ab vniuersali intellecto. Ita etiam 3. de Trin. capit. 6. vel 27. cur ergo alium diligimus, &c.

Tertiò præterea: quia voluntas C non est vniuersalium: tùm quia tendit in rem, vt in se: dilectio *enim* est motus animi ad res. Tùm, quia tam quod amor amicitiæ, quàm amor concupiscentiæ, est alicuius secundum existentiam realem præsentem, vel possibilem. Tertiò, *quia* appetitiua singularis, vt singularis tantum, non habet cognitiuam vniuersalium propriam sibi.

Sed contra est Augustinus c. 6. vel 16. 9. Trin. vbi tractans de dilectione alicui°, D qui creditur esse iustus, statim inquit. Amor ille, quo in eum ferebar offensus, & quasi repercussus, atque ab indigno homine ablatus, in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaueram; hoc est, si dilexi iustitiam, & ipsum, quia credidi in ipso esse iustitiam, si inueniam eum iniustum, resilit voluntas ab eo: sed adhuc stat dilectio ipsius iustitiæ, vt obiecti. Istud intelligendum non est de iustitia aliqua particulari, sed de communi ratione iustitiæ, quæ amatur propter se, & quodcũque, in quo est ista propter illam.

Respondeo dicendum: quod primis principijs practicis in intellectu E correspondet in voluntate aliqua volitio, quæ est principium bonitatis moralis, sicut illa principia sunt principia veritatis practicæ in intellectu. Patet etiam, quod quæcumquæ ratio boni, vel appetibilis potest intelligi in vniuersali: & si sic ostendatur voluntas, non video quare voluntas non possit habere actum, circa proprium obiectum sibi ostensum. Est igitur hæc iustitia indeterminata priuatiuè, secundum quam de mente iusta iudicamus, & propter quam dilectam diligimus mentem, quam credimus iustam esse, & 1. Concluſ.

dum non sumus iusti, minus diligimus iustitiam incommuni, quàm oportet: quia diligimus quadam volitione, siuè complacentia simplici, quæ non sufficit ad esse iustum: sed oportet eum diligere volitione, & amore efficaci: qua, videlicet, volens eam diligit in se, eam obseruans, tanquam vitæ suæ regulam. *Licèt autem* summum bonum magis sit amandum: quàm bona participata: non tamē bene probat ratio, quod
2. *Conclu.* ipsum summum bonum sit primum amatum primitate adæquationis.

F Ad primum argumentum per idem etiam, *quod visum est*, dico: quod ratio bene probat, quod ipsum summum bonum magis est amandum, quàm bona participata: non tamen probat, quod sit primum amatum primitate adæquationis: quia & si ipsum sit ratio bonitatis in alijs: & ideò ratio amabilitatis eorum: non tamen ipsum, vt amatum, est ratio aliorum amatorum: potest enim aliquid aliud amari, non ipso amato: sicut in fruendo vtendis patet, & vtendo fruendis. Et ista intentio Augusti. colligitur ex 6. vel 16. 9. libr. *vt dictum est*, § *sed contra*.

G Ad secundum, quod in illa auctoritate, forma vbi videbimus, quid sit iustus animus, debet intelligi iustitia ipsa incommuni, sicut forma hominis incommuni est illa, vbi, siuè per quam videmus, quod requiritur ad esse hominis, vel ad esse hominem, & propter quam formam iudicamus illud, quod occurrit esse vel non esse hominem, secundum ipsum in eodem capite quarto, vel decimo: nisi ergo hanc formam iustitiæ incommuni diligeremus, non diligeremus illum, quem credimus esse iustum, quem ex ista forma diligimus. Sicut si non diligas formam hominis incommuni, nunquam occurrens propter formam hominis dilectam diliges.

Ad tertium respondeo *ex dictis in corpore articuli*. Ad illam Metaphorā, quod dilectio est motus animæ ad res, dico: quod verum est causaliter: quia voluntas imperat coniungi rei desideratæ in se: non autem formaliter, nisi quia voluntas est actiua respectu sui actus, sed non circa rem sub ratione maiori existentem, quàm apprehenduntur ab intellectu: imò desiderium, & intellectio abstractiua sunt rei secundum rationem æque existentis sicut & non existētis, ex parte obiecti: ita visio & fruitio præsentis. Sed desiderium mouet effectiuè ad rem, quæ est in fieri: non sic intellectio abstractiua. Ad secundum dico, quod homo in vniuersali ostensus amatur amore amicitiæ, & propter illud amatur hic homo: sicut etiam iustitia in vniuersali concupiscitur: & ita hæc iustitia huic. H

Expositio noui articuli, quæstionis tertiæ distinctionis tertiæ.

I CONCLVSIO huius articuli titulo responsiua est, quod licèt summum bonum sit magis amatum, quam cætera bona, quæ sunt bona participata: & ideò sit primum amatum primitate perfectionis amabilitatis: non tamen exinde probatur, quod ipsum summum bonum sit primum amatum primitate adæquationis: quæ conclusio probatur in textu ex Diuo Augustino, & argumenta ad oppositum, optimè sunt ibi soluta. Quæ omnia clare patent.

QVAES-

QVAESTIO QVARTA.

De cognitione naturali intellectus viatoris.

VLTIMO quantum ad materiam istam de cognoscibilitate quæro, vtrũ aliqua veritas possit naturaliter cognosci ab intellectu viatoris: & circa hoc quæruntur septem:

¶ Primò. Vtrùm per exemplar adquisitum in nobis habeatur omnino certa, & infallibilis notitia veritatis de re.

¶ Secundò. Vtrùm de principijs perse notis, & de conclusionibus possit naturaliter haberi certitudo infallibilis.

¶ Tertiò. Vtrùm de cognitis per experientiam possit naturaliter haberi certitudo infallibilis.

¶ Quartò. Vtrùm de actibus nostris possit naturaliter haberi certitudo infallibilis.

¶ Quintò. Vtrùm aliqua veritas certa, & sincera possit naturaliter cognosci ab intellectu viatoris, absque lucis increatæ speciali illustratione.

¶ Sextò. Vtrùm possit cõcedi, quod veritates infallibiles videntur in regulis æternis.

¶ Septimò. Vtrùm tres rationes pro opinione opposita in primo articulo relata, aliquid veri concludant.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per exemplar adquisitum in nobis, habeatur omnino certa, & infallibilis notitia veritatis de re.

A AD primum sic proceditur, & videtur, quod per exemplar adquisitum in nobis non habeatur omnino certa, & infallibilis notitia veritatis de re: *hoc enim* dicitur esse omnino impossibile, & probatur triplici ratione. Prima ratio sumitur ex parte rei, de qua exemplar est extractum. Secunda ex parte subiecti, in quo est. Tertia ex parte exemplaris in se. Prima ratio est talis: obiectum illud, à quo abstrahitur exemplar, est mutabile: ergo non potest esse causa alicuius immutabilis: sed certa notitia alicuius veritatis de aliquo habetur sub ratione immutabilis: ergo nõ habetur per tale exemplar. Hæc dicitur ratio esse Diui Augustini 83. quæstionum, quæst. 9. vbi vult, quod à sensibilibus non est expectanda sincera veritas: quia sensibilia sine intermissione mutantur.

Secundò præterea, *seu*, secunda ratio talis est. Anima de se est mutabilis, & passiua erroris: ergo per nihil mutabilius ea potest rectificari, ne erret. Sed tale exemplar in ea est mutabilius, quàm sit ipsa anima; ergo illud exemplar non perfectè regulat animam, ne erret. Hæc dicitur esse ratio Augustini de vera Religione. Lex omnium artium, &c. B

Tertiò præterea, *vel* tertia ratio. Notitiam veritatis certam, & infallibilem nullus habet, nisi habeat, vnde posset discernere verum à verisimili; quia si non potest discernere verum à falso, vel verisimili, potest dubitare se falli, sed per exemplar prædictum creatum non potest discernere verum à verisimili: ergo, &c. Probatio minoris, talis species (*idest exemplar creatum, quia* exemplar creatum est species vniversalis causata à re) potest repræsentare se tanquam se: vel alio modo se tãquã obiectum: sicut est in somnijs. Si repræ- C

sentat se tãquam obiectum: falsitas est. Si se tanquam se, veritas est. Igitur per talem speciem non habetur sufficiens distinctiuum, quando repræsentat se, vt se, & quando se obiectum: & ita nec sufficiens dictintiuum veri à falso.

D Sed contra est: quia Augustin. 2 Soli loquiorum. spectamina disciplinarũ quisque verissima esse nulla dubitatione concedit. Et Boetius de hebdomadibus, communis animi cõceptio est, quam quisq; probat auditam. Et Philosophus 2. Metap. (tex. com. 1.) prima principia sunt omnibus nota, sicut Ianua in Domo: quia Ianua neminem latet, licèt interiora Domus lateant.

E Respondeo dicendum: quod in ista quæstione est opinio vna talis, quod inter intentiones generales est perse ordo naturalis, & de duobus, quę sunt ad propositum, loquimur, scilicet, de intentione entis, & veri: intentio prima est entis: quod probatur per illud de causis propositione quarta. Prima rerum creatarum est esse. Et in commento primæ propositionis: esse est vehementioris adherentiæ. Etiam probatur ratione: quia entitas est absoluta: veritas dicit respectum ad exemplar. Ex hoc sequitur, quod ens possit cognosci sub ratione entitatis, licèt non sub ratione veritatis. Hæc etiam conclusio probatur ex parte intellectus: quia ens potest concipi simplici intelligentia: & tunc concipitur illud, quod verum est. Sed ratio veritatis nõ concipitur, nisi intelligentia componente, vel diuidente: compositionem autem, & diuisionem præcedit simplex intelligentia. Si igitur in quæstione proposita quęratur de notitia entis, siue eius, quod est verum, dicitur: quod intellectus ex puris naturalibus potest sic cognoscere verum. Quod probatur, quia inconueniens est naturam esse ex parte propriæ operationis secundum Damasc. & hoc magis est inconueniens in natura perfectiori, & superiori secundum Philosophum in 2. de cœlo, & mund. de stellis: quia magnum inconueniens esset stellas habere virtutem progressiuam, & non habere instrumenta naturalia ad progrediendum. Igitur cum propria operatio intellectus sit intelligere verum, videtur inconueniens, quod natura non concesisit intellectui illa, quæ sufficiũt ad hanc operationem. Sed si loquamur de cognitione veritatis, respondetur, quod sicut est duplex exemplar creatum, & in creatum, secundum Platonem in Thimeo: exemplar creatum est species vniuersalis causata à re: exemplar increatum est idęa in mente diuina: ita est duplex conformitas ad exemplar, & duplex veritas, vna est conformitas ad exemplar creatum, & isto modo posuit Aristot. veritates rerum cognosci per conformitatem earum ad speciem intelligibilem: & ita videtur Augustin. ponere 9. de Trinitate, capite sexto, vbi vult, quod rerum notitiam specialem, & generalem ex sensibilibus collectam habemus, secundum quam de quocumque, occurrente veritatẽ iudicamus, quod ipsum sit tale, vel tale. Sed quod per tale exemplar acquisitum in nobis habeatur omnino certa, & infallibilis notitia veritatis de re, hoc dicitur esse omnino impossibile. Et probatur triplici ratione, *posita in principio articuli*, secundum istos. Existis *igitur rationibus* concluditur, quod certam scientiam, & infallibilem veritatem, si contingat hominem cognoscere, hoc non contingit ei aspiciendo ad exemplar àre per sensum acceptum, quantuncunque sit depuratum, & vniuersale factum: sed requiritur, quod aspiciat ad exemplar increatum.

Opinio Hẽri. in sum. ar. 1. q. 2.

1. com. 50. & 59.

Et tũc modus ponitur iste. Deus, nõ vt cognitũ, habet rationẽ, exemplaris, ad quod aspiciendo sincera veritas est: est enim cognitũ ingenerali attributo: sed est ratio cognoscẽdi, vt nudũ exẽplar, & propria ratio essẽtię creatę. Qua F

liter

liter autem posſit esſe ratio cognoſcendi, & nõ cognitum: ponitur exemplum: quia ſicut radius ſolis deriuatur quandoque quaſi obliquato aſpectu à ſuo fonte, quandoque directo: & eius quod videtur in radio primo modo deriuato, licèt ſol ſit ratio videndi, non tamen vt in ſe eſt viſus: eius autem, quod videtur ſecundo modo in radio, ſol eſt: ita ratio cognoſcendi, quod etiam eſt cognitum. Ita igitur lux increata Angelicum intellectum, quaſi directo aſpectu, illuſtrat: & tunc vt viſa, eſt ratio videndi alia in ipſa: intellectum autem noſtrum pro ſtatu iſto viæ quaſi obliquato aſpectu illuſtrat, ideò eſt intellectui noſtro ratio videndi, & non viſa. Ponitur autem qualiter habet triplicem rationem reſpectu actus videndi, ſcilicèt, lucis acuentis, & ſpeciei immutantis, & caracteris, ſiuè exemplaris configurantis. Et ex hoc concluditur vltimo, quod requiritur ſpecialis influentia, quia ſicut illa eſſentia non videtur à nobis naturaliter in ſe; ita etiam, vt illa eſſentia eſt exemplar reſpectu alicuius creaturæ, non videtur naturaliter ſecundum Auguſt. deuidendo Deum: in eius enim poteſtate eſt videri: ſi vult, videtur: ſi non vult non videtur. Vltimo additur, quod perfecta notitia veritatis eſt, quando duæ ſpecies exemplares concurrunt in mente, vna inhærens, ſcilicet cauſata: alia illapſa, ſcilicet, non cauſata in mente lucenda. De iſtis autem duabus ſpeciebus rei, confecta vna ratione ad intelligendum rem, cuius eſt mens, concipit verbum perfectæ veritatis.

Contra iſtam opinionem oſtendo primo *in hoc articulo*, quod iſtæ rationes non ſunt rationes fundamentales alicuius opinionis veræ, nec ſecundum intentionem Auguſtin ſed pro opinione Academichorum. Secundò oſtendo, quomodo illa opinio Academichorum, quæ videtur concludi per iſtas rationes, falſa ſit. Tertiò reſpondeo ad illas rationes, quatenus minus concludunt. Primò, iſtæ rationes non videntur concludere impoſsibilitatem certæ cognitionis naturalis. Prima, quia ſi obiectum continue mutatur, non poteſt haberi aliqua certitudo de ipſo ſub ratione immutabilis, imò nec in quocumque lumine poſſet certitudo haberi: quia certitudo non eſt, quando obiectum alio modo cognoſcitur, quàm ſe habet: ergo non eſt certitudo, cognoſcendo mutabile, vt immutabile; patet etiam, quod antecedens huius rationis, ſcilicet, quod ſenſibilia continue mutantur, falſum eſt: hæc enim eſt opinio, quæ imponitur Eraclito, 4. Metaphyſicor. Similiter, ſi propter mutabilitatem exemplaris, quod eſt in anima noſtra, non poſſet eſſe certitudo, cum quidquid ponatur in anima ſubiectiuè, ſit mutabile, etiam ipſe actus intelligendi erit mutabilis: & ita ſequitur, quod per nihil in anima rectificatur anima, ne erret. Sequeretur etiam, quod ipſe actus intelligendi, cum ſit mutabilior ipſa anima, in qua eſt, nunquam erit verus, nec veritatem continebit: quod eſt falſum. Similiter ſecundum opinionem iſtam, ſpecies cauſata inhærens concurrit cum ſpecie illabente: ſed quando aliquid concurrit, quod repugnat certitudini, non poteſt certitudo haberi: ſicut enim ex altera de neceſſario, altera de contingenti, non ſequitur concluſio, niſi de contingenti: ita ex certo, & incerto concurrentibus ad aliquam cognitionem non ſequitur concluſio certa. Idem etiam patet de tertia ratione: quia ſi ſpecies illa abſtracta à re concurrat ad omnem cognitionem, & poteſt iudicari, quando illa repræſentat ſe, tanquã ſe; & quã do ſe tãquam obiectũ: ergo quantum cumque aliud concurrat, non poteſt haberi certitudo, per quam determinatur verum à veriſimili: iſtæ igitur rationes videntur concludere omnem

1. *Concl.*

Com. tx. 22

1. *Priorum c. 21.*

incertitudinem, & ita sequitur opinio
2. Conclus. Academicorum. Quod autem ista conclusio non sit secundum mentem Augustini probo ex *auctoritatibus positis, §. sed contra*, ex quibus tribus auctoritatibus arguitur, *in sequentibus tribus articulis, vide ibi. Item idem* Augustinus. 15. de Trinitate, capit. 31. Si aliquis dicat scio me viuere, falli non potest, etiam quotiescunque reflectendo supra primum scitum. Et ibidem, si quis piam dicat volo esse beatus, quo modo non imprudenter respondetur, forte falleris. Et si dicat, sciome hoc velle, & hoc me scire, scio iam his duobus, & tertium potest addere, quod hæc duo sciat, & similiter infinitum numerum pergere. Et ibidem, si quispiam dicat errare nolo, non ne siue erret, siue non erret, cum errare nolle verum erit, & alia, inquit, reperiuntur, quæ contra Achademicos valent, qui nihil sciri ab homine posse contendunt. Et sequitur ibidem, sunt inde libri tres nostri, primo nostræ conuersionis tempore scripti, quos qui poterit, & voluerit legere, lectosque intellexerit, nihil eum profecto, quæ ab eis contra perceptionem veritatis argumenta multa inuenta sunt, permouebunt. Item eodem 14. cap. 15. illa, quæ sciuntur vti nunquam etiam excidere possint, quoniam præsentia sunt ad naturam ipsius animæ, pertinēt: cuius modi est illud, quod nos viuere scimus. Et sic patet *primum*, scilicèt, quomodo rationes illæ non concludunt, falsum est contra Augustinum.

H Quantum ad secūdum, vt in nullis cognoscibilibus locum habeat error Academicorum, videndum est, qualiter de tribus cognoscibilibus, scilicet, de principijs perse notis, & de conclusionibus, secundo de cognitis per experientiam, tertio, de actibus nostris, possit naturaliter haberi certitudo in-
3. Conclus. fallibilis, *quod infra in tribus articulis sequentibus patebit.* Nota igitur, *pronunc*, quod quatuor sunt conditiones, de quibus est nobis necessaria certitudo, ideſt, de scibilibus simpliciter, de scibilibus per experientiam, de actibus nostris, & de cognitis, vt nunc à nobis per sensus. Exemplum de primo, triangulus habet tres, &c. Exemplum de secūdo, Luna eclypsatur. Exemplum de tertio, vigilo. Exemplum de quarto, illud est album. Primum, & tertium, tātum egent sensu, vt occasione: quia simpliciter est certitudo, si omnes sensus errarent. Secundum & quartum, tenent per illud, scilicet, quod frequenter euenit à non libero, habet illud pro causa naturali: ex hoc sequitur propositum tam in secūdo, quàm in quarto: aliquando additur propositio necessaria. Itaque autoritates Augustin. dimittes vsque ad articulum secundum, qui est ad rem, vel qui est solutio, & *ad sequentes.* Primum est manifestum, tertium est perse notum, aliàs non iudicaretur, quod esset perse notum. Secundum, & quartum habent infinitas perse notas, quibus inde iunguntur aliæ ex pluribus sensibus, quantum ad tertium existis respōdendum est ad illas tres rationes.

Ad primum argumentum, seu ad primam, ad illud de mutatione obiecti, antecedens est falsum: nec est opinio Augustin. sed Heracliti, & discipuli sui Crathili, qui nolebant loqui, sed mouere digitum, vt dicitur, 4. Metaphysic. *sequebātur eam.* Et etiam conse- 4. Met. 3. com. 72.
quentia non valet, dato quod antecedens esset verum: quia adhuc secundum Aristot. posset haberi certa cognitio de hoc, qnod omnia continue mouentur. Nō sequitur etiam, si obiectum est mutabile: ergo quod gignitur ab eo, non est repræsentatiuum alicuius sub ratione immutabilis: quia mutabilitas in obiecto non est ratio gignendi: sed natura ipsius obiecti, quod est mutabile genitum: igitur ab ipso repręsentat naturam perse: igitur

I

si

si natura vnde natura habeat aliquam immutabilem habitudinem ad aliud: illud aliud per suum exemplar, & illa natura per suum exemplar repræsentantur, vt immutabiliter vnita. Et ita per duo exemplaria genita à duobus mutabilibus non in quantum mutabilia, sed in quantum naturæ, potest haberi notitia immutabilis vnionis eorum. Contra, quamuis obiectum, non in quantum mutabile, gignat, si tamen est mutabile, quomodo eius ad aliquid est habitudo inmutabilis? Respondeo, habitudo est immutabilis sic, quia inter extrema non potest esse habitudo positis extremis, licèt per destructionem extremi, vel extremorum destruitur. Contra, quomodo est propositio affirmatiua necessaria, si identitas extremorum potest destrui?

K Respondeo, quando res non est, nõ est identitas eius realis: sed tunc si est in intellectu, est identitas, vt est obiectum intellectum, & necessaria, secundum quid: quia in tali esse extrema nõ possunt esse sine identitate: tamen illa potest non esse, sicut extrema possunt non esse intellecta: igitur propositio est necessaria in intellectu nostro secundum quid: quia immutabilis infallam: sed simpliciter necessaria, non nisi in intellectu diuino: sicut nec extrema habent identitatem simpliciter necessario in aliquo esse, nisi in illo esse intellecto. Patet etiam, quod per repręsentatiuum in se mutabile potest repræsentari aliquid sub ratione immutabilis: quia essentia Dei sub ratione immutabilis repræsentat intellectui creato aliquid omninò mutabile, siuè illud sit species, siuè actus. Hoc patet per simile: quia finitum potest repræsentare aliquid sub ratione infiniti.

L Ad secundum dico: quod in anima potest intelligi duplex mutabilitas, vna ab affirmatione in negationem, & è conuerso, putà ab ignorantia ad sciẽtiam: vel à non intellectione ad intellectionem, alia à quasi contrario incontrarium, putà, à rectitudine ad deceptionem, & è conuerso. Anima autem (quoad quæcumque obiecta) est mutabilis prima mutabilitate, & per nihil formaliter in ea existens tollitur ab ea talis mutabilitas. Sed non est mutabilis secunda mutabilitate, nisi circa ista complexa, quæ non habent euidẽtiam ex extremis: circa illa vero, quæ sunt ex extremis euidentia, mutari non potest secunda mutabilitate, quia ipsi termini apprehensi sunt causa necessaria conformitatis compositionis ad ipsos terminos. Igitur si anima est mutabilis à rectitudine in errorem absolutè, non sequitur, quod per nihil aliud à se possit rectificari: quia saltim rectificari potest per illa obiecta, circa quæ nõ potest intellectus errare, apprehensis terminis. *Her. quod lib. 5. q. 16*

Ad tertium, si aliquam apparentiã M haberet, magis concluderet contra opinionem illam, quæ negat speciem intelligibilem: quia illa species, quæ repræsentat se tanquam obiectum insomnis, est phantasma, non species intelligibilis: igitur si intellectus solo phantasmate vtatur, per quod obiectum est sibi præsens, & non alia specie intelligibili, non videtur, quod per aliquid, in quo obiectum sibi relucet, posset discernere verum à verisimili. Sed ponendo speciem intelligibilem in intellectu non valet ratio. Quia intellectus non potest vti illa prose, vt pro obiecto: quia non contingit vti illa in dormiendo. Si obijcias, quod phantasma potest repræsentare se, vt obiectum: igitur intellectus propter illum errorem virtutis phantasmaticæ potest errare, vel saltim ligari, ne posset operari, vt patet in somnis, & fræneticis. Potest dici, quod si ligetur quando est talis error in virtute phantastica, non tamen errat intellectus: quia tunc non habet aliquem actum. Sed quomodo sciet intellectus? vel erit

intellectus certus: quando non errat virtus phantastica, quam tamen non errare requiritur adhoc, vt intellectus non erret? Respondeo, ista veritas quiscit in intellectu, quod potentia non errat circa obiectum proportionatum, nisi indispositasit: & notum est intellectui virtutem phantasticam non esse indispositam in vigilia, tali in dispositione, quæ facit phantasma repræsentare se, tanquam obiectum: quia perse notum est intellectui, quod intelligens vigilat: & ita quod virtus phãtastica non est ligata in vigilia, sicut insomnis.

N Sed adhuc instatur contra istã certitudinem dictam de actibus hoc modo. Videtur mihi, quod videam, vel audiam, vbi tamen non video, vel audio: ergo de hoc non est certitudo. Respondeo, quod aliud est contra negantem aliquam propositionem, ostendere eam esse veram, aliud est alicui admittenti eam ostendere, quomodo sit

4. Metap. 3. com. 9. vera. Exemplum 4. Metaph. vbi contra negantes primum principium, nõ inducit Philosophus illud inconueniens, quod opiniones contrariæ simul essent in anima, quia, hoc ipsi concederent, sicut præmissam: sed inducit eis alia inconuenientia manifesta eis, licèt non in se, sed recipientibus, primũ principium ostendit, quomodo sit notum primum principium, quia ita notum est, quod oppositũ eius non possit euenire in mẽte. Quodprobat: quia tunc possent opiniones contrariæ simul ineſſe, talis cõclusio est magis ibi inconueniens: quàm hypotesis. Ita hic si contendis mecum nullam propositionem esse perse notam; nolo disputare tecum. Constat enim, quod tues proteruus: quia non es persuasus, sicut patet in actibus tuis, quomodo obijcit

4. Metap. 3. com. 10. 18. & 14. Philosophus 4. Metaphys. somnians enim de aliquo, quasi de proximo obtinendo, & postea vigilans, non prosequitur sicut prosequeretur, si ita esset proximus vigilando ad illud consequẽdum. Si autem admittas aliquam propositionem, esse perse notam, oportet, quod possit cognosci: & circa quodcumque potest potentia in disposita errare, sicut patet in somnis: igitur adhoc quod aliqua cognoscantur esse perse nota, oportet, quod possit cognosci, quando potentia est disposita, & quando non: & per consequens potest haberi notitia de actibus nostris, quod potentia est, ita disposita, quod illa sunt perse nota, quæ apparent sibi perse nota.

Dico tunc ad formam illius cauilationis, quod sicut apparet somnianti se videre, ita posset sibi apparere oppositum vnius principij perse noti speculabilis: & tamen non sequitur, quin illud principium sit perse notum: ita non sequitur, quin illud sit perse notum audienti, quod audiat: quia circa vtrumque potest potentia indisposita errare: non autem potentia disposita: & quando sit disposita, & quando non, hoc est perse notum: alias non posset cognosci aliquam esse perse notam: quia non posset cognosci, quæ esset perse nota: vtrum illa cui intellectus sic dispositus, vel sic, assentiret. O

Videalias solutiones istarum rationum pro alio sensu in articulo.7.

Expositio primi artic. quæstion.4. distinction.3.

IN prima huius distinctionis quæstione tractauerat Doctor de naturali cognitione intellectus viatoris respectu Dei. In secunda autem de naturali primo cognito intellectus eiusdem. In tertia vero de obiecto adæquato illius, vt visum est. Modo autem circa certitudinem cognitionis ipsius intellectus viatoris versatur, & de veritatibus, quas pro hoc statu naturaliter scire potest, determinat. Quia tamen pleraque hîc se offerunt ventilanda, proprius ad materiam de gratia pertinent: longioris sermone de his, in 2. libr. nostræ articulationis, & expositionis Scoti I

(Deo

(Deo dante) agemus. Hîc autem quæ circa literę claritatem desiderantur, breuiter, & præcisè adijciam.

2 In hoc ergo articulo primo, proponit Doctor opinionem Henrici, quæ asserit, nullam veritatem sinceram haberi posse via naturali per exemplar. Quam opinionem obscure, & prolixe proponit Doctor in textu, & efficaciter improbat. Stat igitur opinio Henrici in hoc quod asserit, nihil posse intellectum nostrum pro hoc statu certitudinaliter cognoscere: nisi respiciendo ad regulas æternas, & ad idæas, ac diuina exemplaria. Et sic tenet huius articuli negatiuam partem: videlicet nullã veritatem sinceram, & certam posse à viatore cognosci, respiciendo tantum ad exemplar creatum, sed necessario debere respicere ad exemplar increatum, vt illam cognoscat. Quam opinionem probat Henricus tribus argumentis positis infronte articuli: quæ sunt rationes depromptæ ex parte obiecti, & ex parte animæ intelligentis, & ex parte ipsius exemplaris creati. Contra hanc tamen sententiam insurgit Doctor in textu soluendo argumenta prædicta, & exponendo non nullas auctoritates Diui Augustini in sensum contrarium, ab eo, ad quem adducuntur ab Henrico.

3 Ad intelligentiam vero huius obscuræ sententiæ, quam obscuritas Henrici reddit confusam, est prænotandũ, quid per exemplar creatum, aut increatum intelligat: & videndum, quod sicut accipitur ex Platone in Timæo, duplex est exemplar, scilicet, creatum, & increatum, vel vt alij vocant factum, & non factum, siuè creatum, & non creatum. Exẽplar creatum est species vniuersalis causata à re. Exemplar autem increatũ est hoc idem, prout in mente diuina, quod solet dici Idæa creaturæ, seu exemplar diuinum: eo quod iuxta suam Idęã, Deus operatur ad extra, & respiciendo exemplar creaturæ, quod in se habet, ipsam ad extra in rerum natura existentem creat. Duplex ergo est conformitas ad duplex exemplar, & ex hac duplici conformitate, est duplex veritas cognoscibilis. Est itaque vna conformitas ad exemplar creatum: & isto modo posuit Aristoteles veritatem rerum cognosci per conformitatem earum ad speciem intelligibilem. Ita videtur sentire Diuus Augustinus 9. de Trinitate cap. 6. vbi vult: *Quod rerum notitiam specialem & generalem ex sensibilibus collectam habemus: secundum quam de quocunque occurrente, veritatem iudicamus, quod ipsum sit tale, vel tale.* Alia autem conformitas est ad exemplar increatum, scilicet, respiciẽdo ad ipsum, vt rem in ipso exemplari repræsentatam intelligat. His habitis inquit Henricus, omninò impossibile esse, quod per tale exemplar creatum, & acquisitum in nobis, habeatur omnino certa, & infallibilis notitia veritatis de re: sed necessario haberi talem notitiam infallibilem, per increatum exemplar.

D. Augus.

Exemplar duplex, creatũ, & increatũ, siue factũ, & non factum.

Conformitas duplex, sicut & exemplar.

4 Hanc suam sententiam probat triplici ratione. Prima sumitur ex parte rei, ex qua extractum est exemplar. Secunda, ex parte subiecti nempè animæ intellectiuæ, in quo est. Tertia, ex parte exẽplaris in se. Ex quibus concludit, quod si contingat hominem cognoscere infallibilem veritatem, & certam scientiã habere de illa: hoc non contingit ei aspiciendo exemplar à re per sensum accepta, quantumcunque sit depuratum, & vniuersale factum. Sed requiritur, quod aspiciat ad exemplar increatum, & tũc modus ponitur iste. Deus vt cognitus habet rationem exemplaris, ad quod aspiciendo, sincera veritas est; est enim cognitum generali attributo, sed est ratio cognoscendi, vt nudum exemplar, & propria ratio essentiæ creatæ. Qualiter autem possit esse ratio cognoscendi, & non cognosci ipse: ponitur exemplum: quia sicut radius solis deriuatur quandoque quasi obliquato aspectu, quandoque directo: & eius, quod videtur in radio primo modo deriuato, licèt sol sit ratio videndi: non tamen, vt in se est visus: eius autem, quod videtur secundo modo in radio, sol est, ita ratio cognoscendi, quod & iam est cognitus. Ita igitur in præsenti, lux increata, Angelicum intellectum, quasi directo aspectu illustrat, & tunc vt visa est ratio videndi alia in ipsa. Intellectum autem nostrum pro statu viæ, quasi obliquato aspectu illustrat: & ideò est intellectui nostro ratio videndi non visa.

5 Hæc sic explicata est Henrici opinio,

nio, contra quam quatuor facit Doctor in textu. Primò enim arguit contra cõclusionem illius. Secũdò, ostẽdit, quod eius rationes non sunt rationes fundamentales alicuius opinionis veræ, nec secundum intentionem Diui Augustini, sed esse rationes pro opinione Academicorum. Tertiò, patefacit qualiter rationes prædictæ Diui Augustini aliã ipsius intentionem concludunt, quam putat Henricus, sed hoc in septimo articulo facit. Et tandem quartò, soluit Henrici argumenta, & rationes. Ex quibus contra ipsum concludit posse intellectum viatoris naturaliter per exemplar creatum habere certam, & infallibilem notitiam veritatis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm de principijs per se notis, & de conclusionibus possit naturaliter haberi certitudo infallibilis?

A AD secundum sic proceditur, & videtur, quod de principijs per se notis, & de conclusionibus, non possit naturaliter haberi certitudo infallibilis: quia in ista notitia principiorum, & conclusionum nunquid non errabit intellectus, si sensus decipiantur omnes circa terminos?

B Sed contra est, per Philosophum, 4. Metaphysic. vbi vult, quod oppositum primi principij, scilicet, huius, impossibile est idem esse, & non esse, non potest venire in intellectu alicuius: ergo, &c.

4. Meth. 2. cõ. 8. & 9.

C Respondeo dicendum: quantum ad certitudinem de principijs, & dico sic. Quod termini principiorum per se notorum talem habent identitatem, vt alter notus euidenter necessario alterum includat: & ideo intellectus õponens illos terminos, ex quo apprehendit eos, habet apud se necessariam causam conformitatis illius actus cõponendi ad ipsos terminos, quorum est compositio: & etiam causam euidentem illius conformitatis: & ideò necessario patet sibi conformitas illa cuius causam necessariam, & euidentem apprehendit in terminis: igitur non potest esse in intellectu apprehensio terminorum, & compositio eorum, quin stet conformitas illius compositionis ad terminos: sicut non potest stare albedo, & albedo, quin stet similitudo. Hæc autem conformitas compositionis ad terminos est veritas compositionis: Ergò non potest stare compositio taliũ terminorum, quin sit vera: & ita non potest stare perceptio illius compositionis, & perceptio terminorum, quin stet perceptio conformitatis compositionis ad terminos: & ita perceptio veritatis; quia prima percepta euidenter includunt perceptionem illius veritatis. Confirmatur ratio ista per simile per Philosophũ 4. Meth. (*vt visum est, §. sed contra*) vbi vult, quod oppositum primi principij, scilicet, huius, impossibile est, idem esse, & non esse; non potest venire in intellectu alicuius: quia tunc essent opiniones contrariæ simul in mẽte: quod vtique verum est de opinionibus contrarijs, idest, repugnantibus formaliter: quia opinio opinans esse de aliquo, & opinio opinans non esse de eodem, sunt formaliter repugnantes. Ita arguam in proposito repugnantiam aliquam intellectionum in mente, licèt non formalem: si enim stat in intellectu notitia totius, *& partis*, & cõpositio eorum: cum ista includant (sicut causa necessaria) conformitatem compositionis ad terminos: si stat in intellectu hæc opinio, quod ista compositio sit falsa, stabunt notitiæ repugnantes, non formaliter: sed notitia vna stabit cum alia: & tamen vna erit causa necessaria oppositæ notitiæ ad illam; quod est impossibile. Sicut enim impossibile est albũ, & nigrũ stare simul: quia sunt contraria formaliter: ita impossibile est simul stare album, & illud, quod

1. Conclu.

quod eſt præciſa cauſa nigredinis, ita neceſſaria, quod non poteſt ſtare ſine ea abſque contradictione.

D Habita euidentia, vel certitudine de principijs primis, patet: quomodo habetur de concluſionibus illatis ex eis propter euidentiam formæ ſyllogiſmi perfecti: cum certitudo concluſionis tantummodo dependeat, ex certitudine principiorum, & ex euidentia illationis: *nam* quod conuenit omnibus alicuius ſpeciei, ſequitur naturam ſpecificam: igitur cum quiſque habeat certitudinem infallibilem de principijs primis, & vlterius cuilibet eſt naturaliter euidens forma ſyllogiſmi perfecti, ſicut patet ex diffinitione ſyllogiſmi perfecti primi Priorum: ſcientia autem concluſionis non dependet, niſi ex euidentia principiorum, & ex euidentia ſyllogiſticæ illationis: igitur cuilibet naturaliter ſcita poteſt eſſe quæcumque concluſio demonſtrabilis ex præmiſsis per ſe notis.

2. Conclu. 1. poſt. 3. com. 5.

1. Prior.

E Ad argumentum reſpondeo, quod quantum ad iſtam notitiam intellectus non habet ſenſus pro cauſa, ſed tãtum pro occaſione: quia intellectus non poteſt habere notitiam ſimplicium, niſi acceptam à ſenſibus. Illa tamen accepta poteſt ſimplicia virtute ſua componere, & ſi ex ratione talium ſimplicium fit complexio euidenter vera, intellectus virtute propria, & terminorum, aſſentiet illi complexioni: non virtute ſenſus, à quo accipit terminos exterius. Exemplum: ſi ratio totius, & ratio maioritatis accipiuntur à ſenſu, & intellectus componat iſtam, omne totum eſt maius ſua parte: intellectus virtute ſua, & iſtorum terminorum, aſſentiet indubitanter iſti complexioni: & non tantum, quia vidit terminos coniunctos in re: ſicut aſſentit iſti: ſortes eſt albus: quia vidit terminos in re vniri: imò dico, quod ſi omnes ſenſus eſſent falſi, à quibus accipiuntur tales termini, vel (quod plus eſt) ad deceptionem aliqui ſenſus eſſent falſi, & aliqui ſenſus veri: intellectus circa talia principia non deciperetur: quia ſemper haberet apud ſe terminos, qui eſſent cauſa veritatis, vt potè ſi alicui cæco nato eſſent impreſſæ miraculoſe inſomnijs ſpecies albedinis, & nigredinis, & illæ remanerent poſt inuigilia, intellectus abſtrahens ab eis componeret iſtam: album non eſt nigrum: & circa iſtam non deciperetur intellectus: licèt termini accipiantur à ſenſu errante: quia ratio formalis terminorum, ad quam deuentum eſt, eſt neceſſaria cauſa veritatis huius negatiuæ.

Expoſitio 2. articul. quæſtion. 4. diſtinct. 3.

ILLA, quæ in primo articulo, generaliter circa materiam cognitionis certæ, & infallibilis veritatis, Doctor tractauerat: in iſto & ſequentibus articulis in particulari determinat. In iſto autem de vera cognitione primorum principiorum, & concluſionũ illatarum ex illis, diſtinctè & clarè reſolui t, naturaliter poſſe habere intellectum viatoris certam notitiam veritatis primorum principiorum per terminos: terminis etenim eorum cognitis, neceſſario cognoſcũtur principia: ideò namque ſunt per ſe notæ, quia non poteſt eſſe in intellectu apprehenſio terminorum, & compoſitio eorum, quin ſtet conformitas illius compoſitionis ad terminos, ſicut non poſſunt ſtare duę albedines, quin ſtet ſimilitudo earum. Hæc autem conformitas compoſitionis ad terminos, eſt veritas compoſitionis: & ideò inquit Doctor, quod intellectus hanc veritatem cognoſcit, ex eo quod cognoſcit terminos primorum principiorum, & eos componit. Ex euidentia autem, vel certitudine de primis principijs patet, quomodo demonſtractiuè adquirit ſcientificam cognitionem concluſionum illatarum ex ipſis.

Intellectus pro hoc ſtatu poteſt habere notitiam certã primorum principiorum.

Conformitas compoſitionis eſt veritas cõpoſitionis.

ARTI-

ARTICVLVS. III.

Vtrùm de cognitis per experientiam posſit naturaliter haberi certitudo infallibilis.

A AD tertium sic proceditur. & videtur, quod de cognitis per experientiam non posſit naturaliter haberi certitudo infallibilis iuxta Augustin. 83. quæstionum quæstione 9. vbi vult, quod à sensibilibus non est expectanda sincera veritas : quia sensibilia sine intermissione mutantur: *ergo, &c.*

B Sed contra est, quod Augustinus etiam concedit certitudinem eorum, quæ cognoscuntur per experientiam sensuum. Vndè dicit 15. de Trinitate, *cap.* 12. absit à nobis, vt ea quæ didicimus, quod sensus corporis, vera esse dubitemus: per eos quippè didicimus cœlum, & terram, & ea quæ in eis nota sunt in nobis, quantum illi, qui nos, & ipsa condidit innotescere nobis voluit : si igitur non dubitamus de veritate eorum, & non fallimur, vt patet : ergo certi sumus de cognitis per viam sensus : nam certitudo habetur, quando concluditur dubitatio, & deceptio.

C Respondeo dicendum, de secundis cognoscibilibus, scilicèt, de cognitis per experientiam, & dico: quod licèt experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de pluribus : nec quod semper, sed quod pluries; tamen expertus infallibiliter nouit, quod ita est, & quod semper, & in omnibus. Et hoc per istam propositionem quiescentem in anima, quidquid euenit vt in pluribus ab aliqua causa non libera, est effectus naturalis illius causæ. Quæ propositio nota est intellectui, *licet*, accepisset terminos eius à sensu errante, quia causa non libera non potest producere, vt in pluribus effectum, ad cuius oppositum ordinatur, vel ad quem ex forma sua non ordinatur: sed causa naturalis *ordinatur* ad producendum oppositum effectus casualis, vel non ad illum producendum: ergo nihil est causa casualis respectu effectus frequenter producti ab eo: & ita si non est libera, est naturalis. Quod autem iste effectus euenit à tali causa producente, vt in pluribus, hoc acceptum est per experientiam; quia inueniendo nunc talem naturam cum tali accidente; nunc cum tali, inuentum est, quod quantumcumque esset diuersitas accidentium talium, semper istam naturam sequebatur talis effectus: ergò non per aliquod accidens per accidens illius naturæ; sed per naturam ipsam in se consequitur talis effectus. 2. *Phis.* 3. *com.* 4.

Conclusio.

D Sed vlterius notandum, quod quandoque accipitur experientia de conclusione, putà, quod luna frequenter eclipsatur, & tunc supposita conclusione, quia ita est, inquiritur causa talis conclusionis per viam diuisionis, & quandoque deuenitur ex conclusione experta ad principia nota ex terminis : & tunc ex tali principio noto ex terminis potest conclusio prius tantũ per experientiam nota certius cognosci, quàm in primo genere cognitionis: quia vt deducta ex principio per se noto : sicut illud est per se notum, quod opacum inter luminosum, videlicet, & perspicuum impedit luminis multiplicationem ad tale perspicuũ. Et si inuentum fuerit per diuisionem, quod terra est tale corpus inter solem & lunam, scietur certissime demonstratione propter quid, & non tantum per experientiam : sicut sciebatur illa conclusio ante inuentionem principij. Quandoque autem est experientia de principio, ita quod non contingit amplius per viam diuisionis vlterius inuenire principium notum ex terminis, sed statur in aliquo vero, vt in pluribus, cuius extrema expertum est frequenter vniri, putà, quod herba talis

speciei est calida. Nec inuenitur aliquod mediũ aliud prius, per quod demõstretur passio de subiecto propter quid, sed statur in isto, sicut in primo noto propter experientiã. Tunc licèt incertitudo & fallibilitas remoueãtur per illam propositionem, effectus vt in pluribus alicuius causæ non liberæ est naturalis effectus eius: tamẽ iste est vltimus gradus cognitionis scientificæ; & forte ibi nõ habetur necessaria cognitio actualis vnionis extremorũ, sed aptitudinalis: sic enim passio esset res alia absoluta à subiecto, & posset sine cõtradictione separari à subiecto: & expertus non haberet cognitionẽ: quia ita est: sed quia aptum natũ est inesse.

E Ad argumentum *satis responsum est in articulo primo solutione ad Primum:*

Expositio articuli 3. quæstion. 4. distinct. 3.

Experientia facit habere infallibilem certitudinẽ veritatis.

DOctrinalis satis est articulus iste, & notatu dignissimus, in quo Doctor duo cõcludit. Primum scilicèt, per experientiam optimè posse haberi infallibilem certitudinem veritatum: quod euidenter probat ibi ratione illa, *quod quidquid euenit vt in plurimum ab aliqua causa non libera, est effectus illius causæ, &c.* Secundum vero est, quod quando de vno, & eodem obiecto est conclusio scientifica, & experientia simul, vt potè quando experientia constat, quod luna pluries eclipsatur, si deinde per demonstrationem, de hoc conclusio scientifica habeatur: tunc idem certius cognoscetur. Quia licèt sit certitudo experiẽtiæ infallibilis: est nihilominus certior via cognoscendi demonstratiuè. Nam licet vna propositio vera, non sit verior altera: modus tamen cognoscendi illam habet latitudinem, quatenus videlicet certioribus mediis cognoscitur. Media autem certius cognoscendi sunt demonstrationes, quæ eandem fallibilitatem excludunt. Vide quæ de hoc dicuntur in textu, sunt enim clarissimè tradita & notata.

(.?.)

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm de actibus nostris possit naturaliter haberi certitudo infallibilis.

A AD quartum sic proceditur, & videtur, quod de actibus nostris non possit naturaliter haberi certitudo infallibilis: quia verum secundum Augu. necessarium, vel immutabile est supra mentem ergo &c.

B Sed contra est: quia etiã patet, quod Augustinus concedit ibidem certitudinem de actibus nostris 15. lib. de Trinitate cap. 12. vel 13. siuè dormiat, siuè vigilet, viuit: quia & dormire, & in sõnis videre, viuentis est. Quod si dicas, viuere non esse actum secundum, sed primum: sequitur ibidem: si aliquis dicat scio me viuere, falli nõ potest, &c. *Vidè pro hoc, quæ dicta sunt articulo primo incorpore.*

C Respondeo dicẽdum de tertijs cognoscibilibus, scilicèt, de actibus nostris, & dico; quod est certitudo de multis eorum, sicut de principijs per se notis, vt patet 4. Meth. vbi dicit Philosophus de rationibus dicentium, omnia apparentia esse vera: quòd istæ rationes quærunt, vtrum nunc dormiamus: an vigilemus? ponunt autem idẽ omnes dubitationes tales: omniũ enim rationẽ, hic dignificãt esse subdit & rationẽ quærunt, quorũ non est ratio; demonstrationis enim principij, non est demonstratio: igitur per ipsum ibidem, nos vigilare, est per se notum, sicut principium demonstrationis. Nec obstat, quod est contingens; quia (sicut dictum fuit alias) ordo est in contingentibus, quod aliqua est prima, & immediata. Alioquin vel esset processus in infinitum in contingentibus, vel aliquid cõtingens sequeretur, ex causa necessaria; quorum vtrumq; est impossibile. Et sicut est certitudo de vigilare

Conclusio.

In q. 3. prologi, & 4. Meth. q. 2. & in quot. q. 7. & in dist. 8. ad finem, & alibi sæpè.

vigilare, sicut de per se noto, ita etiamde multis alijs actibus, qui sunt in potestate nostra: vt de me intelligere de me audire, & sic de alijs, qui sunt actus perfecti: licet enim non sit certitudo quod videam album extra positum, vel in tali subiecto, vel in tali distantia: quia potest fieri illius in medio, vel in organo, & multis alijs vij: tamen certitudo est, quod video, etiam si illusio fiat in organo, quæ illusio in organo maxima illusio videtur esse, putà quando actus sit in organo ipso non ab obiecto præsente, qualis natus est fieri ab ipso præsente: & ita si potentia haberet actuum suum posita tali illusione, vel pasione, & verè esset illud ibi, quod visio dicitur, siue sit actio siue passio, siue vtrumque. Si autem illusio fieret, non in organo proprie, sed in aliquo proximo, quod vnde organum: sicut si non fieret illusio in concursu neruorum, sed in ipso occulo fieret impressio speciei, qualis nata est fieri ab obiecto: adhuc visus videret, quia talis species, vel quod natum est videri, in ea videretur, quia haberet sufficientem distantiam respectu organi visus, quod est in concursu istorum neruorum, vt patet per Augustin. 11. de Trinitate, cap. 2. quod reliquiæ visorum remanentes in oculo oculis clausis videantur: & per Philosophũ de sensu & sensato, quod ignis, qui generatur ex elauatione oculi violenta, & multiplicatur vsque ad palpebram clausam videtur, istæ sunt veræ visiones: licet non perfectissimæ, quia hic sunt sufficientes distantiæ specierum ad organum principale visus.

De sensu, & sui facto, c. 2.

D

Sed quomodo habetur certitudo eorum, quæ absunt actibus sensus, putà, quod aliquod extra est album, vel calidum, quale apparet? Respondeo aut circa tale cognitum opposita aparent diuersis sensibus, aut non, sed omnes sensus cognoscentes illud habent idem iudicium de eo. Si secundo modo tunc certitudo habetur de veritate talis cogniti per sensus, & per illam propositionem præcedentem, quod euenit, vt in pluribus ab aliquo, est effectus naturalis eius, si non sit causa libera: ergo cum ab isto præsente euenit vt in pluribus talis immutatio sensus, sequitur, quod immutatio, vel species genita sit effectus naturalis talis causæ: & ita tale extra erit album, vel calidum, vel tale quale natum est præsentari per speciem genitam ab ipso, vt in pluribus. Si autem diuersi sensus habent diuersa iudicia de aliquo viso extra: putà visus dicit baculum esse fractum, cuius pars est in aqua, & pars in aere, & tactus potest experiri contrarium, visus etiam semper dicit solem esse quantitatis minoris, quàm est: & omne visum à remotis esse minus, quam sit: in talibus est certitudo quod verum sit: & quis sensus erret per propositionẽ quiescentem in anima certiorem omni iudicio sensus: & per actus plurium sensuum concurrentes, ita quod semper aliqua, propositio rectificat intellectũ de actibus sensus, quis sit verus & quis fallat. in qua propositione intellectus non dependet a sensu sicut a causa, sed sicut ab occasione. Exemplum, intellectus habet hanc propositionem quiescentem, nullum durius frangitur ad tactum alicuius molis sibi cedẽtis: hæc est, ita per se nota ex terminis, quod etiam si essent accepti a sensibus errantibus, non potest intellectus dubitare de illa propositione, imo oppositum includit contradictionem, Sed quod vaculus sit durior aqua: & quod a qua sibi cedat, hoc dicit vterque sensus, tam visus, quã tactus: sequitur igitur, quod baculus nõ est fractus, sicut sensus visus iudicat ipsum fractũ & ita quis

quis ſenſus errat, & quis nõ circa fractũ baculi, intellectus iudicat percertius omni actu ſenſus.

E. Similiter ex alia parte, quod idẽ quantum, applicatum quãto, omninò eſt æquale ſibi: hoc eſt notum intellectui, quantumcunq; notitia terminorum accipiatur à ſenſu errante: ſed quod idem quantum poſsit applicari, viſo propinquo, & remoto, hoc dicit tàm viſus, quàm tactus: ergo quantum viſum, ſiue propè, ſiue à remotis, eſt æquale: igitur viſus, dicens hoc eſſe minus, errat. Hæc cõcluſio concluditur ex principijs per ſe notis, & ex actib⁹ duorũ ſenſuũ cognoſcentium, vt in pluribus ita eſſe. Et ita vbicunque ratio iudicat ſenſum errare, hoc iudicat non per aliquam notitiam præciſe acquiſitam à ſenſibus, vt à cauſa ſed per aliquam notitiam occaſionatam à ſenſu, in quo non fallitur, etiamſi omnes ſenſus fallãtur, & per aliquã aliã notitiã acquiſitã a ſenſu, vel à ſenſibus, vt in pluribus, quæ ſciuntur eſſe vera per propoſitionẽ ſæpe allegatã, ſcilicet, quod euenit, vt in pluribus, &c. Nota ergo, quod notitia principij eſt immutabilis à veritate in falſitatẽ: non aliter, quia ſimpliciter eſt corruptibilis: ſic ſpecies intelligibilis eſt delebilis, vt phãtaſma: ſed immutabilis à vera repræſentatione in falſam. Similiter obiectum licet ſit corruptibile, tamẽ eſt immutabile a vera entitate in falſam: & ideò eſt conformatiuum notitiæ ſibi, ſeu cauſatiuum notitiæ veritatis ſuæ in eſſendo: quia entitas vera immutabilis in falsã virtualiter continet notitiam veram immutabiliter conformem entitati ſuæ.

F. Ad argumentum autem, intellige in ratione veritatis euidentis: quia hanc de ſe cauſat immediate: nõ autem ſecundum eius euidentiam ſub eſt menti, vt poſsit appetere vera, vel falſa: ſicut verum probabile menti ſubeſt, vt ipſa poſsit facere illud appetere verum, vel falſum quærendo rationes hinc inde, per quas probetur, & improbetur. Sic intelligendum eſt, quod mens non iudicat de vero immutabili, ſed de alijs: quia dictando, quod hoc ſit verum: hæc eſt actus iudicandi, & eſt in poteſtate mentis reſpectu probabilis, non autem reſpectu neceſſarij: nec tamen minus perfectè aſſerit de neceſſario, quod ipſum ſit verum. Et hæc aſſertio apud Ariſtotel. poteſt dici iudicium. Sic patet quomodo de concluſione neceſſaria mens iudicat: quia non eſtſtatim euidens ex ſe; ideò nõ determinat euidentiam ſui ipſius mẽti. Poteſt etiam mens rationes ſophiſticas adducere contra eam per quas diſentiat, non ſit contra primum notum quarto Metaphyſic. poteſt in mentẽ venire. Sed Auguſtin. vult in tantum eſſe in poteſtate iudicantis, quod non neceſſario determinetur ab alio.

Vt inquit Ariſtel. 1. Prior. 9. 10 & 1. Poſt. tex. co. 17.

4. Metaph. tex. com. 8.

Expoſitio quarti articuli quæſtionis quartæ diſtinctionis tertiæ.

LATE diſputat Doctor huius articuli materiam. Verum tamen quamuis latè tractata, clara nihilominus eſt reſolutio eius: & ideò expoſitione non eget. Concludit tamen ibi, quod de pluribus actibus noſtris certitudo infallibilis eſſe poteſt. Subtilis eſt litera, cuius nec apicem debet ſtudioſus Scoti diſcipulus prætermittere.

ARTICVLVS V.

Vtrùm aliqua veritas certa, & ſincera poſsit naturaliter cognoſci

gnosci ab intellectu viatoris absque lucis increatæ speciali illustratione?

A. AD quintũ sic proceditur, & videtur, quod nõ possit aliqua veritas, certa, & sincera naturaliter cognosci ab intellectu viatoris absque lucis creatæ speciali illustratione: quia Augustin. 9. de Trinitate cap. 8. Sed intueamur (inquit) inuiolabilem veritatem, ex qua perfectè, in quantum possumus diffiniamus, non qualis sit vnius cuiusque mens hominis, sed qualis esset, sempiternis rationibus debeat. Et ibidem. Alijs omninò regulis supra mentẽ nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nos meptisos, vel improbare cõuincimur, cũ aliquid rectè approbamus, vel improbamus. Et ibidem, artemq; ineffabiliter pulchram talium figurarum, super aciem mentis simplici intelligentia capiẽtes. Eodem lib. cap. septimo, in illa igitur æterna veritate, ex qua tẽporalia facta sunt omnia, formam secũdum quam sumus, &c. Aspicimus atque inde conceptã rerum realem notitiam, tanquam verbum apud nos habemus.

B. Secundo præterea libro duodecimo capite secundo, & tertio, sed sublimioris rationis est iudicare de istis corporalibus, secundum rationes incorporales, & sempiternas. Item eodẽ libro capite decimoquarto, non autem solum rerum sensibilium in locis positarum sine spacijs localibus manẽt intelligibiles in corporalesq; rationes, &c. Et quod intelligat ibi de rationibus æternis verè in Deo, & non de primis principijs videtur, per hoc quod ibidem, dixit, quod paucorum est ad illas peruenire. Si autem intelligere de primis principijs non est paucorum ad illa peruenire, sed multorũ: quia omnibus sunt nota.

C. Tertio præterea lib. 14. capite 15. loquens de iniusto, quod rectè multa laudat, & vituperat in moribus hominum, ait, quibus ea tandem regulis iudicat, &c. & in fine subdit, vbi ergo scriptæ sunt, nisi in libro illo lucis illius, quæ veritas dicitur, liber ille lucis est intellectus diuinus. Igitur vult, quod in illa luce iniustus videat, quæ sunt iuste agenda: & quod per aliquid impressum ab illa, videt: quia ibidem dicit. Vnde omnis lex iusta describitur, & in cor hominis, qui operatur iustitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo, transfertur, sicut imago ex annulo, & in ceram transita: & annulum non relinquit. Igitur in illa luce non videmus, á qua imprimitur in cor hominis iustitia: illa autem est lux increata. *1. Poster. tex. com. 5. & 25. & 2. Metaph. tex. com. 1.*

D. Quarto præterea, secundo confessionum. Si ambo videmus verum, nec tu in me, nec ego in te; sed ambo in ea (quæ supra mentem est) incommutabili veritate: Multæ autem sunt auctoritates Augustini. in multis locis ad probandum hanc conclusionem.

E. Sed contra est Apostolus ad Romanos primo, inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sed istæ rationes æternæ sunt inuisibilia Dei: ergo cognoscuntur ex creaturis: ergo ante visionem istarũ habetur certa cognitio creaturarum.

F. Respondeo dicendum, circa hunc articulum, quod primo contra conclusionem opinionis *in primo*

mo articulo relata, arguo sic, *& deinde soluo quæstionem*, quæro quid intelligit per veritatem certam, & sinceram? Aut veritatem infallibilem, absque scilicet dubitatione, & deceptione: & est probatum prius, & declaratum *in præcedentibus articulis*, quod illa potest haberi ex puris naturalibus. Aut intelligit de veritate, quæ est passio entis: & tunc cum enspossit naturaliter cognosci: ergo, & verum, cum sit passio eius. Etsi verum: ergo, & veritas per abstractionem: quia quæcunque forma potest intelligi, vt in subiecto, potest etiam intelligi vt in abstracto in se, & in abstracto à subiecto. Aut tertio intelligit per veritatem conformitatem ad exẽplar: etsi ad creatum, patet propositum: si autem ad exemplar increatum, conformitas ad illud non potest intelligi, nisi illo exẽplari cognito: quia relatio nõ esset cognoscibilis, nisi cognito extremo: ergo falsum est, quod ponitur in opinione *illa* scilicet, exemplar æternum esse rationẽ cognoscendi non cógnitum. Præterea secundo sic: intellectus simplex, quod intelligit confuse, potest cognoscere diffinitiue, inquirendo diffinitionẽ illius cogniti per viam diuisionis; hæc cognitio diffinitiua videtur perfectissima pertinens ad intellectum simplicem: ex tali cognitione perfectissima terminorũ, potest intellectus perfectissime cognoscere principiũ, & ex principio cõclusionem: & in hoc cõpleri videtur notitia intellectualis. Ita quod non videtur cognitio veritatis necessaria haberi vltra veritates prædictas. Item tertio, aut lux ęterna causat aliquid prius naturaliter actu, aut non? Si sic, aut ergo in obiecto, aut in intellectu. Non in obiecto, quia obiectũ in quãtum habet esse in intellectu, non habet esse reale, sed intentionale: igitur non est capax alicuius accidentis realis. Si in intellectu: igitur lux increata nõ immutat ad cognoscendum sinceram veritatẽ, nisi mediãte effectu suo: & ita æque perfectè videtur opinio communis ponere notitiam in lumine increato; sicut ista opinio: quia ponit eam videri in intellectu agẽte, qui est effectus lucis increatæ, & perfectior, quàm esset illud lumen accidentale causatum. Si autem nihil causat ante actum: aut ergo sola lux causat actum, aut lux cum intellectu & obiecto. Si sola lux: ergo intellectus agens nullam habet operationẽ in cognitione sinceræ veritatis: quod videtur inconueniẽs: quia ista operatio est nobilissima intellectus nostri: ergo intellectus agens, qui est nobilissimus in anima, concurret aliquo modo ad istam actionem. Item actus intelligendi non magis determinatur esse vnius hominis, quàm alterius: & sic superflueret intellectus agẽs: quod non est dicendum, cum eius sit omnia facere, sicut possibilis omnia fieri, tertio de anima. Similiter etiam, secundum Philosophum tertio de anima intellectus agens correspondet, in ratione actiui, possibili in ratione passiui: ergo quidquid recipit possibilis, ad illud aliquo modo se habet actiuè intellectus agens. Hoc etiam inconueniens, quod illatum est, concluditur ex opinione prædicta per aliam viam: quia (secundum sic opinantem) agens vtens instrumento non potest habere actionem excedentem actionem instrumenti: igitur cum virtus intellectus agentis non possit in cognitionem sinceræ veritatis, lux æterna vt ens intellectu agente, non poterit in cognitionem, vel in actionẽ istius cog

Vide Sanctũ Thom. 1. pa. sum. q. 44. a. 5.

3. de anima lex. co. 17. & 18.

7. Metaph. tex. com. 4.

1. Post. c. 5

gnitionis sinceræ veritatis: ita quod intellectus agens habeat ibi rationem instrumenti.

G. Si dicas, quod lux increata cum intellectu, & obiecto causet istam veritatem sinceram. Hæc est communis opinio, quæ ponit lucem æternam, sicut causam remotam, causare omnem certam cognitionem, vel veritatem, vel igitur erit ista opinio inconueniens: vel non discordat a communi opinione: *pro nunc ergo vsque ad sequentem articulum, vbi de hoc longior erit sermo.*

H. Respondeo: *quod* licet Deus voluntarie coagat ad hoc, quod intellectus terminos componat, vel nō: tamen cum composuerit, vt illa cō positio sit conformis terminis, hoc videtur necessario sequi rationem terminorum, quam habent in intellectu Dei causante illos terminos in esse intelligibili. Et ex isto appareret, qualiter non est necessaria specialis illustratio ad videndum *in regulis æternis*: quia Augustin. non ponit in eis videri, nisi vera, quæ sunt necessaria ex vi terminorum: & in talibus est maxima necessitas, tàm causæ remotæ, quàm proximæ respectu effectus, putà tàm intellectus ad obiecta mouētia, quam illorum obiectorum ad veritatem complexionis de eis. Et licet etiam non sit tanta necessitas adperceptionem illius veritatis, quod oppositum includat contradictionem: tamen necessitas est ex parte causæ proximæ coasistente sibi causa remota: quia termini apprehensi, & compositi nati sunt naturaliter causare euidentiam conformitatis compositionis ad terminos: etiamsi ponatur, quod Deus coagat terminis ad istum effectum influentia generali, non tamē necessitate naturali. Sed siue sit influentia generalis, siue (quod plus est) necessitas naturalis influendi terminis ad hunc effectū: patet, quod non requiritur illustratio specialis. Assumptum de intentione Augustin. patet per ipsum 4. de Trinitate cap. 15. vel 25. vbi loquitur de Philosophis in fidelibus, non nulli eorum potuerunt aciem mentis vltra omnem creaturā trāsmittere, & lucem incommunicabilis veritatis, quantulacunq; ex parte attingere, quod Christianos multos ex fide interim sola viuentes non dum potuisse derrident. Igitur vult, quod Christiani credita non vident in regulis æternis: sed Philosophi vident in illis necessaria multa. Idem 9. de Trinitate cap. 6. vel 15. non qualis sit vnicus cuiusq; hominis mens, &c. quasi diceret, contingentia non vident ibi, sed necessaria. Et in eodem 4. lib. cap. 16. vel 36. arguit contra istos Philosophos, num quid quia verissime disputant, & documentis certissimis persuadent æternis rationibus omnia temporalia fieri: propterea potuerunt in ipsis rationibus perspicere, vel ipsis colligere, prout sunt animalium genera: quæ semina singulorum in exordijs, &c. Non ne ista omnia non per illam incommutabilem sapientiam, sed per locorum, ac temporum historiam, quæsierunt, & ab alijs experta atque scripta crediderunt: ergo intelligit, quod per regulas ęternas non cognoscuntur illa contingentia, quæ tantum per sensus cognoscuntur, vel per historias creduntur: & tamen specialis illustratio magis requiritur incredendis, quàm in cognoscendis necessarijs, imò ibi maxime remouetur illustratio specialis, & sufficit sola generalis.

Ad argumenta, ad omnes *scilicet*, auctoritates D. Augustini in oppositum patet ex dictis, *& in sequenti articulo dicendis*, & secūdum I. ali-

aliquem Doctorum (seu ibi dicendorum) modorum, videndi exponi possunt auctoritates Augustini, quæ occurrunt de ista materia.

Expositio quinti articuli quæstionis quartæ distinctionis tertiæ.

DIFFICVLTATEM primi articuli hic distinctius prosequitur Doctor. Ibi namque maiorem partem textus in referenda opinione Henrici consumpsit: hic autē ipsam Henrici opinionem efficacius improbat, & difficultatem articuli enucleat, & resoluit dicens: *quod non est necessaria specialis illustratio ad cognoscendum in regulis æternis, &c.* Quia iuxta verba Augustini, confiteri oportet, quod veritates infallibiles videntur in regulis æternis, iuxta illud Apostoli, *inuisibilia Dei, &c.* Nec ad hoc intelligendum requiritur illa puritas mentis & corporis: cum multi philosophi viderint in regulis æternis, sine fide, veritatem sinceram: sed puritas debet intelligi ex parte intellectus: quare paucorum est habere intellectiones per se, & multorum cōceptus per accidens. Hanc distinctionem intellectorum non inducit illustratio specialis, sed euenit à naturalibus melius dispositis: naturalia etenim meliora, hominem indicant sapientiorem. Et isto modo intelligit D. Augustinus 9. de Trinitate cap. 6. de videnti in monte aerem nubilosum inferius, & sincerum superius, & sic conceditur, quod in obiecto remoto cognito, cognoscuntur veritates sinceræ in luce æterna. Obiter tangitur in textu qualiter creaturæ cognoscantur in Deo: sed quia hæc late enucleauimus supra in difficultate 32. non debent iterum repeti, nec expositio nostra amplius dilatari. Tùm quia litera est perspicua, de qua videndi sunt Tataretus, & Lychetus in quæstione ista: tùm etiam, quia sufficit hæc magna textualis digressio, & interruptio materiæ Trinitatis, ad quam redire optamus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm possit concedi, quod veritates infallibiles videntur in regulis æternis?

AD sextum sic proceditur, & videtur, quod non debeat concedi, quod veritates infallibiles, vidētur in regulis æternis. Si enim non videmus istas veritates, vt in intellectu diuino: quia non videmus intellectum diuinum, quomodo dicemur videre in luce increata, ex hoc quod videmus in tali luce æterna secundum quid, quæ habet esse in luce increata, sicut in intellectu cognoscente? A.

Secundò præterea: quia tunc magis videtur, quod diceremur videre in Deo volente: vel in Deo, vt volūtas est, quam in Deo, vt lux est: quia voluntas diuina, est principium immediatum cuiuslibet actus ad extra. B.

Tertiò præterea: nam quid igitur dicit August. 12. de Trinitate cap. 14. quod paucorum est peruenire mentis acie ad rationes intelligibiles? & 83. Quæstionum quæst. 46. non nisi puræ animæ ad illas pertingunt: ergo, &c. C.

Sed contra est, *quia ait* Augustin. 12. de Trinitate capit. 14. quod ratio quadrati corporis manet incorruptibilis, & immutabilis, &c. Non autem manet talis nisi, vt est obiectum secūdarium intellectus diuini: ergo, &c. D.

Respondeo dicendū, quod propter verba August. oportet cōcedere, quod veritates infallibiles videntur in regulis æternis. Vbi primo nota, quod potest ly. In. accipi obiectiue, & hoc quadrupliciter, vel sicut in obiecto proximo, vel sicut in continēte obiectum proximū, vel sicut in eo, virtute cuius obiectum proximum E. *Prima conclusio.*

mouet, vel ſicut in obiecto remoto. Ad intellectum primi, dico quod omnia intelligibilia, actu intellectus diuini habent eſſe intelligibile, & in eis omnes veritates de ſe relucent: ita quod intellectus intelligens ea, & virtute eorum intelligens neceſſarias veritates de eis, videt in eis, ſicut in omnibus, iſtas veritates neceſſarias. Illa autem, in quantum ſunt obiecta ſecũdaria intellectus diuini, ſunt veritates: quia conformes ſuo exemplari, intellectui, ſcilicet diuino, & ſunt lux: quia manifeſtatiuæ: & ſunt immutabiles ibi, & neceſſariæ. Sed æternæ ſunt ſecundum quid: quia æternitas eſt cõditio exiſtentis: & illa non habent exiſtentiam, niſi ſecundum quid. Sic ergo primo poſſumus diuidere in luce æterna: hoc eſt in obiecto ſecundario intellectus diuini, quod eſt veritas, vel lux æterna modo expoſito. Secundus modus patet ſimiliter: quia intellectus diuinus continet iſtas veritates, quaſi liber: ſicut dicit illa auctoritas Auguſtini de Trinitate 14. cap. 15. quod iſtæ regulę ſcriptę ſunt in libro lucis æternæ, id eſt, in intellectu diuino, in quantũ continet veritates iſtas. Et licet ille liber non videatur, videntur tamen illæ quidditates, vel veritates, quæ ſunt ſcriptæ in illo libro: & ea tenus poſſet dici intellectus videre veritates in luce æterna, hoc eſt in illo libro, ſicut in continente obiectum. Et hoc ſecundum, ſecundũ modum, vel etiam in illis veritatibus, quæ ſunt lux æterna ſecundum quid, ſicut in obiectis videmus. Et hoc ſecundum primum modum, & alter iſtorum modorum videtur eſſe de intellecto Auguſtini 12. de Trinitate c. 14. *vt viſum eſt*, §. *ſed contra*.

Secunda cõcluſio.

Tertia concluſio.

F.

Iuxta hoc etiam poſſet dici, quod quantum ad tertiũ modum, videmus in luce æterna ſicut in cauſa proxima obiecti in ſe: nam intellectus diuinus producit iſta actu ſuo in eſſe intelligibili, & actu ſuo dat huic obiecto eſſe tale, & illi tale. Et per conſequens dat eis talem rationem obiecti, per quam rationem primo mouent intellectum ad cognitionem talẽ certã. Et quod proprie poſſet dici intellectũ noſtrũ videre in luce ęterna: quia lux eſt cauſa obiecti: apparet per ſimile, quia proprie dicimur intelligere in ordine intellectus agentis: cum tamen illud lumen non ſit, niſi cauſa actiua, vel faciens obiectum in actu, vel virtute cuius obiectum mouet, vel vtrũque. Iſta igitur duplex cauſalitas intellectus diuini, qui eſt vera lux increata, videlicet, quod producit obiecta ſecundaria in eſſe intelligibili, & quod eſt illud, virtute cuius obiecta ſecũdaria etiam producta mouẽt, vt actualiter intellectum, poteſt quaſi integrare vnum tertium membrum de cauſa propter quam dicamur videre in luce æterna. Vltimo *etiam*, modo poteſt concedi, quod cognoſcuntur veritates ſinceræ in luce æterna ſicut in obiecto remoto cognito: quia lux increata eſt primum principium entiũ ſpeculabilium, & vltimus finis rerum practicarum. Et ideò ab ipſa ſumuntur principia, tàm ſpeculabilia, quàm practica: & ideò cognitio omnium, tàm ſpeculabilium, quàm practicabilium per principia ſumpta à luce ęterna, vt cognita eſt perfectior, & purior cognitione ſumpta per principia in genere proprio (ſicut dictum eſt in quæſt. de Theologiæ ſubiecto) & eſt eminentior alia quacũque: & hoc modo cognitio omniũ pertinet ad Theologum. Cognoſcere enim triangulũ habere tres, vt eſt quædam participatio Dei, & habens talem ordinem in vniuerſo, quo quaſi exprimit perfectionem Dei, hoc eſt nobiliori modo cognoſcere triangulum habere tres, quam per rationem trianguli: & ita cognoſcere, quod temperate viuendum ſit propter beatitudinem vltimã

Quarta cõcluſio.

Quinta cõcluſio.

con-

consequendam, quæ est attingendo Dei essentiã in se, est perfectius cognoscere istud cognoscibile practicũ, quam per principium aliquod in genere moris, puta per hoc, quod honeste viuendum sit. Et isto modo loquitur Augusti. de luce increata, vt cognita 15. de Trinita. cap. 27. vbi se ipsum alloquens ait. Nẽpe ergo multa vera vidisti, eaq; discreuisti ab illa luce, quæ tibi lucente vidisti, attolle oculos ad ipsam lucẽ, & eos in eã fige, si potes. Sic enim videbis, quid distet natiuitas verbi Dei, à processione doni Dei. Et paulo post: hæc & alia similiter certa oculis tuis interioribus lux ista monstrauit. Quæ igitur est causa, cur acie fixa ipsam videre non possis? nisi vtiq; infirmitas &c. Ex dictis patet ad omnes auctoritates Augusti. in oppositum, *in precedente articulo adductas*, & secũdum aliquem dictorum modorum videndi, exponi possunt auctoritates Augusti. quæ occurrunt de ista materia.

G. Ad primum argumentum, quòd huic *rationi* respondet tertium membrum, quod illa, vt sunt obiectum secundarium intellectus diuini, nõ habent esse, nisi secundum quid. Operatio autem verè realis, non competit præcise alicui enti secundum quid, virtute sui: sed si aliquo modo competit sibi, hoc oportet esse virtute alicuius cui cõpetit esse simpliciter. Igitur istis obiectis secundarijs non cõpetit mouere intellectum præcise, nisi in virtute esse intellectus diuini, quod est esse simpliciter: & per quod ista habent esse secundum quid. Sic igitur in luce æterna secundum quid, sicut in obiecto proximo videmus: sed in luce increata videmus secundum tertium modũ, sicut scilicet in causa proxima, cuius virtute obiectum proximum mouet.

H. Ad secundum respondeo, *quod* intellectus diuinus in quantum aliquo modo prior est actu voluntatis diuinæ, producit ista obiecta in esse intelligibili. Et ita respectu istorũ videtur esse causa mere naturalis: quia Deus non est causa libera respectu alicuius nisi quod præsupponat ante se aliquo modo voluntatẽ, seu actũ voluntatis. Et sicut intellectus, vt prior actu voluntatis, producit obiecta in esse intelligibili: ita vt prior causa videtur cooperari illis intelligibilibus ad eorũ effectum naturalem: vt scilicet apprehensa, & cõposita, causent apprehensionis conformitatem ad se. Videtur igitur, quod contradictionem includat, aliquẽ intellectũ talem cõpositionem formare, & cõpositionem non esse cõformem terminis. Licet possibile sit illos terminos non concipere: quia licet Deus volũtarie coagat ad hoc quod intellectus terminos cõponat, vel nõ: tamen cũ cõposuerit, vt illa cõpositio sit conformis terminis, hoc videtur necessario sequi rationẽ terminorũ quã habẽt ex intellectu Dei causante illos terminos in esse intelligibili.

I. Ad tertium respõdeo, *quod* ista puritas non debet intelligi à vitijs: quia 14. de Trinit. ca. 15. vult, quod iniustus videt in regulis æternis quid in his sentiendũ sit. Et 4. lib. cap. præallegato vult, quod philosophi viderũt veritatem in regulis æternis sine fide. Et quæst. eadem vult, quod nullus potest esse sapiens, siue cognitione. Id earũ, eo modo, quo Platonem forsan concederet esse sapientẽ. Sed ista puritas debet intelligi eleuando intellectum ad considerãdum veritates, vt relucent in se, non tantum vt relucẽt in phantasmate. Vbi considerandum quod res sensibilis extra causat phãtasma cõfusum, & vnum per accidẽs in virtute phantastica repræsentans scilicet rem secundum quantitatem, figuram, colorem, & alia accidentia sensibilia. Et sicut phantasma repræ-

sentat tantum confuse, & per accidens, ita multi percipiunt tantũ ens peraccidens, veritates autem puræ præcisè sunt tales ex propria ratione terminorum, in quantum illi termini abstrahuntur ab omnibus peraccidens coniunctis cum eis, non enim hæc propositio: omne totum est maius sua parte, primò vera est. vt totũ est in lapide, vel ligno: sed vt totum abstrahitur ab omnibus, quibus coniungitur peraccidens: & ideò intellectus, qui nunquam intelligit totalitatem, nisi in conceptu accidentis, putà in totalitate lapidis, vel ligni, nũquam intelligit sinceram veritatem huius principij: quia nunquam intelligit præcisam rationem termini, per quam est veritas. Paucorum igitur est pertingere ad rationes æternas: quia paucorũ est habere intellectiones per se, & multorum est habere conceptus tales per accidẽs. Sed isti non dicũtur distingui ab alijs per specialem illustrationẽ, sed per meliora naturalia: quia habent intellectũ magis abstrahentem, & perspicatiorem, vel propter maiorem inquisitionem, per quam æquè ingenuosus peruenit ad cognoscendum illas quidditates, quas alius non inquirens non cognouit. Et isto modo intelligitur illud Augustin. de vidente in monte, & vidente inferius aërem nebulosum, & superius aërem sincerum 9. de Trinitate cap. 6. qui enim tãtum intelligit se per conceptus peraccidens, ipse est quasi in valle positus circundatus aëre nebuloso. Sed qui separat quidditates intelligendo præcisè eas cõceptu per se, quæ tamen relucent in phantasmate cum multis alijs accidẽtibus adiunctis, ipse habet phantasma inferius, scilicet aërem nebulosum, & ipse est in monte, in quantum cognoscit illam veritatem, & videt verũ supra, vel *istam* veritatem superiorẽ in virtute intellectus increati, qui est lux æterna.

Expositio sexti articuli quæstionis quartæ distinctionis tertiæ.

Mirifica est huius textus doctrina, in quo Doctor propter auctoritatem Diui Augustin. concedit, quod veritates infallibiles in æternis regulis cognoscuntur, sed ad huius euidentiam prænotat, quod illa particula, *in*, obiectiuè considerata potest quadrupliciter accipi, quod clarè habetur ibi. Sed sub primo modo pulchra nos docet, videlicet à quo sumatur esse intelligibile cuiuscunque obiecti intelligibilis, & à quo habeat propositio, quod sit vera, & vnde habeat esse in mente diuina, & à quo sit lux, & qualiter tales veritates immutabiles sint, & quomodo nó simpliciter, sed secundũ quid sint æternæ. Primum igitur, scilicet, à quo sumatur esse intelligibile cuiuscunque obiecti creati, prout in Deo, ostendit, dicens hoc prouenire ex actu ipsius intellectus diuini, ex quo omnes veritates de se relucent: quia intellectus diuinus intelligens ea, dat illis esse intelligibile. Hoc manifestum fit, obseruando aliam celebrem doctrinã Scoti de esse cognito creaturarum in Deo: nam esse intelligibile creaturarum, est ipsum esse earum, quia sicut res se habet ad esse, ita ad intelligi, quod enim non est, intelligibile esse nõ potest: & ideò eo obiectum est intelligibile, quo est ens, seu habet esse: ens enim, vt in quæst. 3. visum est, habet rationem obiecti adæquati nostri intellectus: & ideò valet, eo aliquid est intelligibile, quo est ens.

1

Res in Deo dicitur intelligibilis, ab actu intellectus diuini

Hoc præsuppositio, facile intelligetur propositio Scotica in hoc articulo posita, vtpotè, quod obiecto prouenit intelligibile esse, ab actu diuini intellectus: nam primum esse creaturarum, in quo earum possibilitas fundatur, est esse cognitum, quod habent ab intellectu diuino, & hoc esse vocat Doctor, esse diminutum: & ideò primum esse creaturarũ est ab actu intellectus diuini. Et quia primum esse rei, est prima intelligibilitas eius: ideò ait Doctor, quod omnia intelligibilia, ab actu diuini intellectus habent esse intelligibile: eo scilicet quod Deus

2

Creaturarũ primum esse est esse cognitũ ab intellectu diuino.

Deus intelligendo illa, dat eis primum eſſe earū: & ex conſequenti dat illis primam intelligibilitatem. Et poſtquam ex vi talis actus diuini intellectus habent eſſe, ſunt obiecta ſecundaria ipſius intellectus diuini: quia antequam actu ipſius intellectus primo intelligerentur, non dum erant obiecta, eo quod nondum erant: & quod non dum eſt, nōdum eſt intelligibile: ſed tantum ſupponebātur in potētia Logica, quatenus ſcilicet termini non repugnabant inter ſe: & Deus actu ſui intellectus hos terminos nō repugnantes cognoſcendo, compoſuit: ex vi cuius actus cognoſcitiui, remanſerunt creaturæ habentes eſſe, quod ideò dicitur eſſe cognitum creaturarū, quia ex præciſa vi cognitionis diuinæ iam eſt, & dicitur eſſe: quia Deus actu ſui intellectus in tali eſſe creaturas produxit. Secundum quod eſſe, iam ſunt obiecta ſecundaria intellectus diuini, & vt ſic ſunt veritates cognoſcibiles.

3 *Cognitio triplex in Deo conſiderari poteſt.*

Ad Huius autem clariorem intelligētiam, triplicem cognitionem poſſumus conſiderare in Deo, quarum prima non ſupponit obiectū cognoſcibile: ſed ipſa obiecto tribuit ſimpliciter eſſe, quod eſt primum eſſe cuiuslibet intelligibilis extra Deum. Quod non dicitur ſimpliciter eſſe quaſi perillud habeāt creaturæ eſſe ſimpliciter in rerum natura: ſed quia ſimpliciter eſt primum eſſe creaturarum, & hæc eſt illa celebris doctrina Scoti, de eſſe cognito creaturæ in Deo, quod eſſe non erat ante Dei primā cognitionem, prout latè oſtendi in difficultate 32. Secunda autem cognitio vocatur, ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus cognoſcit res vt poſsibiles. Et hæc iam ſupponit, obiectum habere eſſe ex vi primæ cognitionis Dei, quod eſt prædictum eſſe cognitum in quo poſsibilitas creaturarum fundatur, & vt ſic poſſibiles iam vt obiecta ſecundaria obijciuntur intellectui diuino, qui illas hac ſimplici intelligentia cognoſcit, & hac intelligentia cognoſcuntur à Deo veritates neceſſariæ. Tertia cognitio eſt ſciētia viſionis, quæ terminatur ad reſ futuras, quæ ideò cōtingentes dicūtur: quia pendent ex decreto voluntatis diuinæ, non quod eius decretum mutabile ſit: ſed quia ad extra quidquid agit contingenter agit, eo quod liberē agit. Ex his ergò intelligetur dictum Scoti in hoc articulo, *quod creaturæ in quantum ſunt obiecta ſecundaria intellectus diuini, ſunt veritates, quia conformes ſuo exemplari, intellectui ſcilicet diuino.*

4 Sunt igitur ideò veritates, quia coformes ſunt ſuo exēplari, quod eſt intellectus diuinus, veritas enim eſt adæquatio rei ad intellectū, vt alibi expoſui. Illa ergò cōformitas eſt, quæ diuino intellectui adæquat, hoc eſt conformatur illi, quatenus eſt exēplar omnīū cognoſcibilium: quæ ideò cognoſcibilia ſunt, quia cognoſcuntur ab eo, & ex eo, quo cognoſcuntur ab eo, habent primū eſſe cognitū à Deo, & cognoſcibile ab ipſo Deo, & à nobis. Item dictæ veritates iam in mente diuina habēres eſſe, *ſunt lux, quia manifeſtatiuæ*, ac ſi dicat Doctor, quia oſtendunt creaturarum eſſentias, quas repræſentant, eo quod tales eſſentiæ in ipſis veritatibus relucent. *Res cognitæ à Deo dicūtur, lux, & veritates neceſſariæ, immutabiles, ac æternæ ſecundū quid.*

5 Dicitur inſuper quod ſunt veritates neceſſariæ, & immutabiles, quod debet intelligi ex proprijs earum naturis, quæ neceſſarijs hîc loquitur Doctor) quia ex cognitione Dei habent neceſſarium eſſe naturæ, per neceſſariam connexionem prædicati cū ſubiecto: & ideò ita incorruptibiles ſunt, vt etiam, peremptis primis ſubſtantijs, adhuc naturæ eorum in eſſe obiectiuo Dei permaneant.

6 Sed dicit Doctor, quod nō ſunt æternæ ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ac ſi dicat, quod ſunt æternæ, quatenus æternitati diuinæ mentis coexiſtunt. Si etenim verē realiter in ſe ipſis exiſterēt, æternæ eſſent: quia æternitas eſt cōditio exiſtentis: quia ergo exiſtentiā nō habēt ideò nō niſi ſecundū quid. ſunt æternæ. *Sic ergo* (concludit Doctor) *primo poſſumus dici, veritates videre in lucæ æterna, hoc eſt in obiecto ſecundario intellectus diuini, quod eſt veritas, vel lux æterna modo expoſito.*

7 Secundus modus patet clarè in textu, quia intellectus diuinus continet veritates, ſicut liber ſcriptus continet propoſitiones: & ideò dixit Diuus Auguſtinus loco ibi relato: *Quod iſtæ regulæ ſcriptæ ſunt in libro lucis æternæ, id eſt, in intellectu diuino in quantum continet veritate, prædictas*, licēt ergo non videatur liber, regu- *D. Auguſt. Intellectus diuinus dicitur liber ab Auguſt.*

læ cognoſcuntur: quia intellectus diuinus eſt ratio cognoſcēdi nō cognita.

8 Tertius modus perſpicuè conſtat, in quo Doctor confirmat doctrinam à nobis traditam, quatenus inquit: *Quod intellectus diuinus producit iſta actu ſuo in eſſe intelligibili, & actu ſuo dat huic obiecto eſſe tale, & ille tale: & per conſequens dat eis talē rationē obiecti, per quā rationē primo mouent intellectū ad cognitionem talem certam.* Quartus, & vltimus modus clarè patet ex textualibus, & cætera, ac argumentorum ſolutiones, præclaram doctrinam continent, & clara ſunt in textu. Cætera verò, quæ hìc conſequenter ad dicta, deſiderarij poſſunt, habētur, infra in quæſtionibus de ſciētia Dei ſatis enucleata. Hæc attamen hic ouiter dicta ſunt ad intelligentiam literæ textualis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm tres rationes pro opinione oppoſita in primo articulo relata aliquid veri concludant?

A. AD ſeptimum ſic procedi tur, & videtur, quod tres rationes pro opinione oppoſita in primo articulo relata aliquid veri non concludant, *ad quod adduci poterant ea quæ contra eas ibi dicta ſunt.* Sed contra eſt, *vt infra.*

B. Reſpondeo dicendū, *quod* de ſeptimo articulo videndū eſt, quomodo illæ tres rationes factę pro prima opinione aliquid veri, in quātū accipiūtur ab Auguſt. cōcludunt, & oſtēdo, quo modo quatenus ſunt Auguſt. cō

Concluſio. cludunt aliā intētionē Auguſt. non autem illam cōcluſionem falſam ad quam hìc adducuntur, & inducuntur. Vbi ſciendum eſt, quod a ſenſibilibus, ſicut a cauſa per ſe, & principali, non eſt expectāda ſincera veritas: quia notitia ſenſus eſt circa aliquid per accidens, vt dictū fuit, licet actus ſenſuū aliqui ſint certi, & veri: ſed virtute intellectus agentis, qui eſt participatio lucis increatæ illuſtrantis ſuper phātaſmata, cognoſcitur quiddi tas rei, & ex hoc habetur ſincera veritas, & per hoc ſoluitur primum argumentum Henrici, & ſecundum intentionem Auguſtini non plus concludit. Ad ſecundam rationē Henrici dico, quod anima mutabilis eſt ab vno actu diſparato ad alium ſecundum diuerſitatem obiectorum, propter ſuam illimitationem, & immaterialitatem: quia eſt in reſpectu cuiuſlibet entis. Similiter ab actu in non actum: quia non ſemper eſt in actu, ſed reſpectu primorum principiorū, quorū veritas nota eſt ex terminis, & concluſionum euidēter deductarum ex terminis, non eſt mutabilis, ita à contrario in contrarium, ſed â vero in falſum: regulæ enim in lumine intellectus agentis, intellectum rectificant, & ipſa ſpecies intelligibilis terminorum, licet in eſſendo ſit mutabilis, in repræſentando tamen in lumine intellectus agentis immutabiliter repræſentat, & per duas ſpecies intelligibiles cognoſcūtur termini primi principij, & illa vnio eſt vera, & certa euidenter. Ad tertium dicendum, quod concludit contra eum: quia non ponit niſi ſpeciem ſenſibilem vel phantaſmata, non autem cō cludit de ſpecie intelligibili repræſentante qudditatem.

C. Dicendū autem, quod ſi potentiæ ſenſitiuæ non ſunt impeditæ, ſpecies ſenſibiles veraciter repræſentant rē: ſed in ſomno potētiæ ſenſuū exteriorum ſunt ligatæ: ideò virtus imaginatiua conſeruās ſpecies ſenſibiles ſecū dū diuerſitatē fluxus humorum capitis apprehendit eas tanquā res, quarum ſunt ſimilitudines: quia vim rerum habent ſecundū Phyloſophū de moribus animalium. Non plus concludit tertia ratio.

Vide 4. de animalibus

Expo-

Expositio septimi articuli quæstionis quartæ dist. 3.

RAtiones Henrici, quæ ad suam probationem opinionis adduxerat in primo huius quæstionis articulo, modo Doctor examinat, & quatenus sunt D. Augustini, aliquid docet, concludere in præsenti, sed illud quod concludunt, non est quod Henricus cõcluserat. Concludunt ergo lõge distinctam intentionem, vt patet in textu.

QVAESTIO V.

De cognoscibilitate Dei per vestigium.

CIRCA secundam partem huius distinctionis, in qua Magister agit de cognoscibilitate Dei per vestigiũ quæro, de vestigio Trinitatis. In ista quæstione tria sunt videnda, primo quia secundum Philosophum, omnes transferentes, secundum aliquam similitudinem transferunt, videndum est de ratione vestigij in corporalibus: vnde translatum est nomen eius ad propositum. Secundo videndum est, quæ sit ratio vestigij, secundum quam transfertur ad propositum: & in quo consistat, & respectu cuius in Deo sit ratio vestigij in creatura. Tertio videndum est in quibus fundatur respectus vestigij, siue creaturę ad Deũ, siue è conuerso, cuius dicitur vestigium, & circa hæc quæruntur quatuor.

¶ Primò. Vtrùm ratio vestigij in præcisa similitudine partis, an solo respectu consistat?

¶ Secundò. Vtrùm omnis relatio vestigij creaturæ ad Deum, in solo tertio genere relationum consistat?

¶ Tertiò. Vtrùm in omni creatura sit vestigium Trinitatis?

¶ Quartò. Vtrũ respectus vestigij in creatura fundetur in aliquitate tantùm, an vero in ratitudine rei: & hæc an sit relatio?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ratio vestigij in præcisa similitudine partis; an in solo respectu consistat?

AD primũ sic proceditur, & videtur, quod ratio vestigij non in præcisa similitudine parti, sed in solo respectu consistat? *& hoc sine argumentis.* A.

Sed contra est: quia vestigium est similitudo vestigiati, ex quo cognito, cognoscitur illud: ergo vestigium potest prius cognosci naturaliter illo, cuius est vestigium: sed relatio non potest prius cognosci termino naturaliter: ergo, &c. B.

Respondeo dicendum: quod quãtum ad primum dicitur, quod vestigiũ est impressio derelicta, ex transitu alicuius, super vacuũ, vel plenũ, ipsum imperfectè repræsentans: & ideò imperfectè: quia vestigium repræsentat aliquid confuse, & sub ratione speciei. Imago perfectè: quia sub ratione individui, sicut per vestigium distinguitur equus á boue, & cognoscitur, quod transiens est equus, non bos. Non autem distinguitur hic equus ab illo, sed imago distinguit sub ratione individui: quia imago Iouis non repræsentat Cæsarem. C.

Contra illud *autem*, quod dicitur D.

tur in primo membro: ſi tantum eſſet vnum animal, ita quod non eſſet aliud poſsibile in vniuerſo, adhuc eius veſtigium non eſſet imago: quia adhuc non eſſet eius veſtigium ſimilitudo totius, ſed partis. Imago autem eſt totius ſimilitudo, & tamen tunc non repræſentaret ipſum confuſe, id eſt, ſecundum aliquam rationem communem ſibi, & alijs. Dicetur, quod ſic, ſicut modo ſol eſt vniuerſale, licet impoſsibile ſit eſſe plures ſoles: & ſcientia, quæ eſt de ſole, eſt de ipſo ſub ratione vniuerſalis, non de hoc ſole: & ita ſpecies intelligibilis repræſentat vniuerſale, non autem hoc. Sed vniuerſale non poſſet eſſe niſi in hoc. Contra ſi reſpectu alicuius, in quantum eſt hoc, veſtigium non eſt imago, habetur propoſitum. Et hoc poſito, quod per quãcunque potentiam ab hoc nihil abſtrahi poſsit. Sed hoc poſito, adhuc poſſet repræſentare totum hoc, vt hoc, aut partem huius, vt huius. Item ſi partes animalium diuerſorum ſpecie, quę imprimunt in molle cedens, eſſent ſimiles in quantitate, & figura: veſtigium non duceret in cognitionem ſub ratione ſpeciei, ſed tantum ſub ratione generis. Similiter, ſi in eadem ſpecie eſſent partes diſsimiles in quantitate, & figura, veſtigium duceret in cognitionem indiuidui, vt hoc, licet non totius, vt repræſentati totaliter: ergo accidentalis differentia eſt, ſpecies, vel non ſpecies.

E *Prima concluſio.*

Quãtum ad hoc igitur dico, quod veſtigiũ eſt ſimilitudo illius partis animalis, à qua imprimitur in aliquid ſibi cedens: ſed ſimilitudo impreſſa partis, non eſt ſimilitudo totius: quia neque ſecundum rationem totius in ſe: nec etiam qua totum immediatè cognoſcitur, ſed arguitiue tantùm, ex hoc cognoſcitur illud repræſentatum eſſe aliquid illud: & ideò ſi illud ſuppoſitum ſit falſum: putà quod illud imprimens eſt ſeparatum à toto, vt ſi pes amputatus à corpore imprimeret veſtigium, erraret, qui circa totum, cuius nata eſt eſſe talis pars impreſsiua veſtigij: patet etiam, quod ſi totum corpus eſſet, ita impreſsiuum pulueri, ſicut modo pes eſt impreſſus, illa impreſsio de relicta, verè eſſet imago, & ſimilitudo totius ſicut modo veſtigium eſt ſimilitudo partis. Hoc etiam ad propoſitum applicando, non videtur, quod prima differentia poſita inter veſtigiũ, & imaginem ſit vera: *vt infra in articulo ſequenti probatur.* *Secunda cõcluſio.*

Licet *autẽ*, ratio veſtigij dicat reſpectum, quem ad modũ ſimilitudo, realiter tamen non eſt reſpectus tantum, ſicut non dicitur ſimilitudo eſſe in reſpectu præciſe: quia in aliquo abſoluto, in quo fundetur ratio ſimilitudinis: ita videtur etiam ratio veſtigij, non eſſe in reſpectu præciſe: ſed in aliquo in quo fundatur reſpectus. Et hoc probatur *ratione poſita* §. *ſed contra.* F *Tertia concluſio.*

Expoſitio primi articuli quæſtionis quintæ diſtinctionis tertiæ.

I

Diſputauerat Doctor hucuſque in alterâ huius diſtinctionis parte de cognoſcibilitate Dei, vt Deus eſt, per rationes naturales, quibus intellectus noſter pro hoc ſtatu, poteſt eius adipiſci notitiã: modo autẽ diſputat de ipſius Dei, vt eſt trinus, cognoſcibilitate per rationẽ veſtigij, & vt in hoc clarius procedatur, diuiſa eſt quæſtio in quatuor articulos, in quorũ 1. & 2. rationem veſtigij inquirit, in tertio autem veſtigium Trinitatis in omni creatura inueſtigat: & tandẽ in quarto ipſius veſtigij fundamentum ſcrutatur. In primo ergo articulo quærit, in quo ſit ratio veſtigij? Circa quod eſt prima opinio Diui Thomæ 1. p. quæſt. 45. a. 7. & in 1. diſ. 13. a. 2. vbi ait, quod veſtigiũ eſt impreſsio derelicta ex trãſitu alicuius animalis *D. Thom.*

malis ipſum imperfectè repræſentans, & ponit differentiam inter veſtigium, & imaginem: quia veſtigium repræſentat aliquid confuſe: & ideò dicitur imperfectè repræſentare, quia repræſentat ſub ratione ſpecifica confuſe: imago verò repræſentat perfectè ſuum prototypum: quia repræſentat ſub ratione individui.

2 Hæc per exempla patent: nam veſtigiũ bouis, & veſtigiũ equi repræſentant tranſijſſe animalia ſpecie diſtincta; & ideò per veſtigium bouis, cognoſcitur tranſijſſe bouẽ, & non equm, & ſimiliter per veſtigiũ equi, ẽ contra cognoſcitur tranſijſſe equm, & non bouem. Eſt autẽ iſta cognitio ſeu repræſentatio imperfecta: quia per illam repræſentatur animal aliquod in ſpecie cõfuſe, non vero diſtincta in individuo: quia etenim videt equi veſtigium, non diſtinguit, an tranſierit equs ille, aut ille. Imago autem non tãtum repræſentat prototypum in ſpecie, ſed in individuo, quia imago Iouis, non repræſentat Cæſarem.

3 Contra hanc opinionẽ arguit Doctor quoniam ſi tantum eſſet vnum animal vnius ſpeciei, ita quod, non eſſet aliud poſsibile in vniuerſo: adhuc eius veſtigiũ imago nõ eſſet, quia adhuc nõ eſſet eius veſtigiũ ſimilitudo totius, ſed partis: at qui imago debet eſſe ſimilitudo totius: & tamen tunc non repræſentaret ipſum animal cõfuſe: quia cũ ſupponatur nõ eſſe aliud ſibi ſimile, nõ eſſet ratio confuſionis in aliqua ratione communi ſibi & alijs. Non igitur ſtat diſtinctio veſtigij, & imaginis, in hoc quod eſt diſtinctè, aut cõfuſe repreſentare: ſi quidem in caſu poſito, quod tantum eſſet vnius ſpeciei animalis vnicum in diuiduum, ſicut de Fœnice dicitur: profectò veſtigium Fœnicis, non in confuſo, ſed diſtinctè Fœnicem tranſijſſe repræſentaret in individuo: & tamẽ conſtat repræſentationem huiuſmodi non eſſe imaginis: quia imago eſt ſimilitudo totius, veſtigium vero partem tantummodo repræſentat, ex quo ad cognitionem totius peruenimus. Cõcludit igitur Doctor contra opinionem priorem, quod veſtigium eſt ſimilitudo illius partis animalis à qua imprimitur in aliquid: Et quod ex hoc veſtigio cognoſcitur illud repræſentatum, eſſe aliquid tale non immediatè, ſed arguitiue: nam huius modi repræſentato poteſt ſubeſſe falſo: quia poſuit illud imprimens eſſe ſeparatum à toto, vt ſi pes amputatus à corpore veſtigium imprimeret. In illa igitur ratione, quia impreſſio derelicta à parte arguitiue repræſentat totum, conſiſtit formaliter ratio veſtigij, non præciſe in reſpectu talis repræſentationis veſtigij, ſed etiam in abſoluto, in quo talis reſpectus fundatur. Veſtigium etenim duo importat, & quidem abſolutũ, de quo agitur infra in articulo quarto, & reſpectum veſtigij ad veſtigiatum. Non igitor conſiſtit veſtigium (concludit Doctor) in præciſo reſpectu veſtigij: ſed & in abſoluto illo, in quo talis reſpectus fundatur.

Veſtigium includit abſolutum, & relationem.

Sed contra: quia Doctor deſcribit veſtigium, per hoc quod ſit ſimilitudo illius partis animalis, à qua imprimitur in aliquid ſibi cedens: per cuius cognitionem arguitiue deuenitur, in cognitionem totius, quæ deſcriptio ex notatis ſatis patet: ſed ſimilitudo formaliter eſt relatio: ergo veſtigium ſupponit pro relatione, ſeu reſpectu ad veſtigiatum. Hoc argumentum facile ſoluitur à Doctore in fine articuli: vbi concedit, quod ratio veſtigij dicit reſpectum, ſicut ſimilitudo: negat tamen, quod tantum ſit reſpectus, ſicut nec ſimilitudo eſt præciſe in reſpectu, ſed etiam in aliquo abſoluto, in quo fundatur. Veſtigiũ igitur in vtroque, quod importat, conſiſtit: hoc eſt in illo abſoluto vt reſpiciente veſtigiatum, non vero in ipſo præciſe reſpicere, ſeu reſpectu.

4

Veſtigij definitio ponitur, & exponitur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnis relatio veſtigij creaturæ ad Deũ in ſolo tertio genere relationũ cõſiſtat?

A. AD ſecundum ſic proceditur, & videtur, quod omnis relatio veſtigij creaturæ ad Deũ, non conſiſtat in ſolo tertio genere relationum: quia creatura refertur ad Deum relatione fun-

data

data ſuper vnum ſcilicet relatione ſimilitudinis,& hoc in quãtum creatura eſt exemplata, & refertur ad Deum in quantum eſt cauſa exemplaris:ergo,&c.

B.

5.Metaph. tex.co.20. Sed contra eſt : quia Philoſophus quinto Metaphyſic. ponens differentiam duorum modorum ad tertium vult,quod in duobus primis modis ſit mutua relatio: in tertio autem non, ſed tantum vnum dicitur ad aliud, quia aliquid eſt eius. Omnis autem relatio creaturæ ad Deum :eſt non mutua ſed tantum dicitur Deus ad creaturã : quia creatura ad ipſum:ergo omnis reſpectus creaturæ ad Deum eſt ſecundum ter tium modum.

C.

Henr.quod lib.9.q.1. & 2. Reſpondeo dicendum : quod quantum ad ſecundum articulum dicitur,quod creatura habet ad Deum triplicem relationem ſicut ad triplicem cauſam, & hoc ſecundum tres modos relatiuorum,quosponit Philoſophus quinto Metaph. quantum ad primum modum,*ſicut in argumento in principio articuli dicitur*, refertur ad Deum in quantum relatione ſimilitudinis,& hoc in quãtum creatura eſt exemplata, & refertur ad Deum in quantum eſt cauſa exemplaris.Quantum ad ſecundum modum ſcilicet potentiæ,refertur creatura ad Deum, vt productum ad producentem. Quantum ad tertium modum, ſcilicet modum mẽſuræ,refertur ad Deum, vt ordinata ad ipſum ſicut ad cauſam finalem hi igitur tres reſpectus integrant rationẽ veſtigij, quia vnus nõ ſufficit ſine alio, vt colligitur ab Auguſt. 83. Quæſtionum, quæſtio.74.de duobus ouis, &c.Habetur hîc igitur in quo conſiſtat ratio veſtigij in creatura. Sed cuius eſt ex parte Dei? Reſpondeo (*inquit iſta opinio*) reſpectu appropriatorũ, &c. *Vide in ſequenti articulo, quid circa hoc dicat.*

5 Metaph. tex.co.20.

Quantum ergo ad ſecundum articulum,etiam ad propoſitum applicando,*quæ dicta ſunt in primo*,non videtur, quod prima differentia *ibi* poſita inter veſtigium, & imaginem ſit vera: quia nulla creatura repræſentat Deum, niſi ſecundum conceptus communes, & non ſecundum cõ conceptus ſpeciales, ſcilicet ſpeciei ſpecialiſsimæ:ergo non eſt differentia creaturæ ad creaturam in repræſentando Deum in ratione communi,& non communi.Quod etiam dicitur in ſecundo membro,quod veſtigium conſiſtit in illis tribus relationibus,non videtur verum *propter rationem poſitam in primo articulo*, §. *ſed contra*.Item, quod ſecundum, quod illi tres reſpectus pertinent ad illos tres modos relatiuorum, hoc videtur falſum, *vt patet ex ratione poſita in hoc articulo*, §.*ſed contra*. Concedo ergo,quod omnis reſpectus creaturę ad Deum pertinet ad illum tertium modum relatiuorũ: nec in ſolis reſpectibus conſiſtit veſtigium, ſed in aliquibus abſolutis, & forte in aliquo reſpectu,ſicut in tertia ſui parte, ſecundum aſsignat Augaſtinus partes veſtigij, ſexto de Trinitate, cap. 10.vbi dicit de creaturis.Hæc igitur omnia,quæ arte diuina facta ſunt, & vnitatem quandam in ſe oſtendunt, & ſpeciem, & ordinem. Vnitas autem eſt perfectio abſoluta, ſicut patet per exempla ſua ibi. Vnum aliquid eſt, ſicut ſunt naturæ corporũ, ingeniaque animarum, &c. Species etiam ſeu forma abſolutum aliquid eſt, ſicut patet per exempla ſua ibidem, ſicut ſunt qualitates corporum, & doctrinæ animarum. Ordo aliquem reſpectum dicit, ſed non ad finem vltimum, ſed ad operationem. Vnde dicit aliquem ordinem tamen ſicut ſunt pondera, & collocationes corporum, & amores, aut delectationes animorum

D.

Prima concluſio.

Secunda cõ cluſio.

Tertia concluſio.

Quarta cõcluſio.

Quinta cõcluſio.

rum quare, &c. Hæc tria ſic ſumpta repræſentant ſub ratione ſimilitudinis tria correſpondentia eis in Deo: quia vnitas repræſentat ſummam vnitatem primi principij à quo eſt origo, & quoad hoc ait, in illa Trinitate ſumma origo eſt rerum omnium: ſpecies in creatura repræſentat ſummam pulchritudinem in Deo. Vnde & ſubdit, & ſumma pulchritudo ordo, ſiue operatio in creatura repræſentat operationem perfectiſsimam in Deo, & quoad hoc ſubdit, & beatitudo eſt ſumma delectatio.

E. Ad argumentum autem, quod adducit de primo modo de ſimilitudine, non valet: quia illa ſimilitudo quæ eſt exemplati ad exemplar non eſt de primo modo: quia non eſt ſimilitudo vniuocationis: ſed imitationis: imò pertinet ad tertium modum, ſicut manifeſtè patet per Philoſophum, qui in tertio modo ponit relationem ſcientiæ ad ſcibile, & vniuerſaliter menſurati ad menſuram. Exemplar autem habet relationem menſuræ reſpectu menſurati, vel exemplati: ergo, &c.

5. Metaph.

Expoſitio articuli ſecũdi quæſtionis quintæ diſtinctionis tertiæ.

1. *Opinio Hẽrici.*

PROPONIT Doctor in textu opinionem Hẽrici quodlibeto nono quæſtione prima & ſecunda ponentis triplicem reſpectum creaturæ ad Deum in triplici relatiuorum genere: vtpotè in primo vnitatis, in quo Deo aſsimilatur, quatenus quodcunque creatum eſt exemplatum exemplaris diuini. Item in ſecundo in quo ſunt relationes fundatæ in actione, & paſsione: quia creatura eſt à Deo producta, quem propterea tanquam ſuæ creationis cauſam reſpicit: & tandem tertio menſuræ ſcilicet, & menſurabilis, refertur ad Deum tanquam ad vltimum finem, ſeu cauſam finalem, propter quam omnis creatura eſt, iuxta illud, *omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Ex iſtis igitur tribus reſpectibus, aiebat Henricus vnam perfectam rationem veſtigij integrari creaturæ ad Deum.

2. Doctor vero hanc, & aliam ſententiam improbat. Prius namque applicat Doctrinan præcedentis articuli, qua ſcilicet Diui Thomæ ſentẽtiam impugnauerat, ad propoſitum, ſupponẽs nullã creaturam Deum, niſi generaliter, & in cõfuſo repræſentare: quia nulla Deum ſecũdum quidditatiuam rationem Deitatis repræſentat. Ex quo colligit inutilem hic eſſe illam diſtinctionem à Diuo Thoma aſsignatam inter imaginem, & veſtigium: ſi quidem nulla creatura repræſentat Deum, niſi ſecundum conceptus cõmunes; & ideò non eſt differẽtia iſtius creaturæ ad illam, vtpotè lapidis ad hominem, in repreſentando Deũ in ratione communi, & non communi vt etenim exponit Lychetus, omnis creatura quæcunque illa ſit, tantum repræſentat Deum in conceptu communi.

Creatura quælibet tãtum repræſentat Deũ in conceptu communi.

3. Sic igitur Diui Thomæ ſententia impugnata, improbat Doctor opinionem Henrici de illo triplici reſpectu integrante rationem veſtigij: & deinceps articuli difficultatem reſoluens, concludit, quod omnis reſpectus creaturæ ad Deum, non niſi ad tertium relatiuorũ genus reducitur: nec in illis tribus reſpectibus præciſe, ſed in abſoluto etiam, conſiſtere rationem veſtigij creaturæ ad Deum affirmat. Primum iſtorum optimè probat in §. *ſed contra*: quia ſcilicet ſecundum Philoſophum, omnis relatio primi, & ſecundi generis, eſt mutua. Inter creaturam autem, & Deum nulla relatio mutua eſſe poteſt. Secundum vero ex præcedẽti articulo habetur probatum: cætera autem textualia clara ſunt.

Relatio creaturæ ad Deum ad 3 genus relatiuorum reducitur.

ART.

ARTICVLVS III.

Vtrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis?

A. AD tertium sic procedi tur, & videtur, quod in omni creatura non sit vestigium Trinitatis: quia per vestigium potest inuestigari naturaliter illud cui⁹ est vestigium: ergo per creaturã posset naturaliter inuestigari Trinitas, quod est falsum: quia hoc excedit naturalem rationem.

B. Secundo præterea, si in natura intellectuali est imago Trinitatis: igitur non vestigium. Consequentia patet: quia ista habent oppositas, & distinctas rationes repræsentandi, igitur non conueniunt eidem.

C. Tertiò præterea: natura intellectualis, quia nobilior est, habet aliam rationem repræsentandi, quam aliæ naturæ inferiores, vt rationem imaginis: sed citra naturam intellectualem sunt naturæ multæ habentes ordinem in perfectione, sicut sunt animata supra in animata, & mixta supra simplicia: ergo in eis erit alia ratio repræsentandi, ita quod ratio vestigij non erit communis omnibus.

D. Sed contra est: quia sexto de Trinitate cap. vltimo ait Augustinus. oportet igitur, vt & creatorem, per ea quę facta sunt intellecta conspicientes, intelligamus Trinitatem, cuius in creatura (quomodo dictum est) appareat vestigium.

E. Respondeo dicendum: quod quãtum ad tertiũ articulũ dicitur, quod vestigiũ in creatura, ex parte Dei, est respectu appropriatorum tribus personis Diuinis, *secundum triplicem illum respectum supra in articulo præcedenti dictum*: nam creatura per primũ respectum, id est similitudinis, repræsentat artem exemplarem, quæ appropriatur Filio: per secundum repræsentat potentiam producentis, quæ appropriatur Patri: per tertium representat bonitatem finientis, quæ appropriatur Spiritui Sancto, *Supposito tamen ex secundo articulo*, quod omnis respectus creaturæ ad Deum pertinet ad illum tertium modum relatiuorum: nec in solis respectibus cõ sistit vestigium; sed in aliquibus absolutis possunt & alia multa in creaturis assignari, quæ vel vt similia repræsentant in diuinis aliqua appropriata personis, putà vnum, verũ, bonum. Vnum in creatura, repræsentat vnitatem appropriatam Patri: verũ veritatem appropriatam Filio: bonũ, bonitatem appropriatam Spiritui Sãcto: & istæ omnes perfectiones substantiæ sunt absolutæ: & repræsentãt absolutas Dei perfectiones personis appropriatas. Aliter multipliciter assignatur vestigium, siue in illis quæ per rationem similitudinis repræsentant aliqua appropriata personis, siue per rationem proportionalitatis. Dico autem proportionaliter repręsentari, quando ratio illius repræsentantis non est formaliter in Deo, sed aliquid proportionale illi rationi: sicut de illa assignatione (*in præcedenti articulo*) modus, species, & ordo, cũ qua videtur esse eadem illa assignatio Sapientiæ 11. In numero pondere, & mensura. Et Augustinus super Genes. lib. 4. Mensura omni rei modum præfigit, numerus omni rei speciem præbet, & pondus adquietem, ac stabilitatem trahit. Et post: fateamur ergo dictum esse omnia in mensura, & numero, & pondere disposita: tanquam dictum esset, ita disposita, vt haberent proprias mensuras suas, & proprios numeros, & proprium pondus, quæ in eis pro sui cuiusque generis mutabilitatem mutarentur augmẽtis, & diminutionibus, mul-

Prima conclusio.

Henr. quod lib. 9. q. 1. & 2.

multitudine, & paucitate: leuitate, & genuitate. Modus accipitur pro limitatione, & pro eodem accipitur mensura in illa assignatione, Sapient. 11. Pondus autem accipitur ibi pro ordine, & numerus pro specie: numerus siuè species, & pondus, siue ordo, exponantur, sicut ar. 2. in prima assignatione. Sed mensura, quæ est idem quod modus, non repræsentat aliquid sub ratione similitudinis: sed sub ratione proportionabilitatis. Quia limitatio producti repræsentat potentiam illimitatam producentis, & sic patet quibus in creatura consistit vestigium, & respectu quorum in diuinis, quia respectu appropriatorum personis diuinis.

F Sed quomodo accipitur ratio vestigij in diuinis, quæ sit similitudo operationis: cum in diuinis, non sit pars? Respondeo, vt Trinitas est, quasi quodam totum numerale, saltem in conceptu intellectus nostri, persona est, ibi quasi pars huius totius: ita etiam appropriatum personæ, in quantum appropriatum, est ibi quasi pars eiusdē: quia accipitur pro illo, cui appropriatur, nec tātū hoc, sed etiam appropriabile, licet nō acceptum, vt appropriatum, adhuc est ibi quasi pars eiusdē: quia eius ratio, vt est, & vt cōcipitur completé saluatur in vna persona, & per consequens ratio eius non ponit Trinitatem, sed producit concomitanter vnitatem alicuius personæ, in qua sit: licet igitur creatura communiter non repræsentet, nec personam, vt persona, quæ est in intellectu nostro, quasi pars Trinitatis: nec appropriatum, vt appropriatum (non enim sic cognoscitur appropriatum, nisi cognoscatur illud cui appropriatur) repræsentat tamen appropriabile, in quo sāluatur, quasi ratio partis, modo prædicto respectu Trinitatis.

G Ad primum argumentū dico, quod per vestigium distinctē inuestigatur illud, cuius est imago scilicet, pars totius. Sed totum non inuestigatur, nisi indistincte, & arguitiue, sicut totum cognoscitur exparte. Ita in proposito, per creaturam inuestigatur appropriatum, non tamen in quātum appropriatum, sed ipsum, quod est appropriabile cuicumque personæ: sed non propria personarum, & ideò Trinitas, cuius conceptus est in intellectu, quasi totalis, inuestigatur, quasi per similitudinem partis. *Vide hæc in art. 1.*

Ad secundum dico, quod quælibet H essentia creata, in quantum talis essentia creata, est secundum determinatum exemplar. Et ideò quælibet repræsentat Deum sub ratione vestigij: natura autem intellectualis, in quantum habet in se essentiam vnam, & operationes multas, inter quas est ordo originis, repræsentat Trinitatem ratione omnium istorum concurrentium in tali natura: ita quod natura intellectualis non eodem modo est vestigium, & imago, sicut patebit magis, in quæst. de imagine.

Ad tertium, & vltimum dico, I quod non est in essentijs creaturarum propter ordinem ipsarum alia ratio repræsentandi, quam ratio vestigij: sed quia in aliqua natura concurrunt multa repræsentantia vnitatem, & Trinitatem, ideò illa natura talis habet rationem imaginis, sicut intellectualis. Talis autem concursus non est in aliqua natura inferiori, natura intellectuali, & ideò omnes naturæ aliæ inferiores, habent præcisam rationem vestigij.

Expositio tertij, art. quæst. 5. distinct. 3.

IAM inquirit Doctor, in quo sit ratio vestigij Trinitatis, in creaturis: quia vt argumenta in principio articuli, posita probare intendent, non potest reperiri vestigium aliquod Trinitatis in creaturis. Proponit

ergo Doctor opinionem Henrici in quotlibeto 9. q. 1. & 2. qui postquam posuerat tres illos respectus, in triplici relativorum genere, quos in 2. articulo vidimus ex parte vestigij creaturæ, inquirens quid ex parte Dei vestigiatu reperiatur in ipsis creaturis, inquit, tantum esse appropriationē, & quod vestigiū tātum repræsentat appropriata tribus diuinis personis. Nam ille primus respectus similitudinis repræsentat artem exemplātis, quę filio appropriatur. Per secundū respectū potentiæ, repræsentat potentiam producentis, quæ appropriatur patri. Per tertium, bonitatem finientis, quæ appropriatur Spiritui Sancto. Hanc Henrici sententiam confutat Doctor, non in eo quod ponit appropriatè creaturas esse vestigium Trinitatis: sed in eo quod ponit hoc vestigium in solis respectibus, & quatenus respectus illos in triplici genere relativorum constituit. Ponit igitur Doctor in solo tertio relativorū genere esse vestigium Trinitatis in creaturis: & hoc in pluribus alijs, quam ponebat Henricus appropriatè, esse cōstituit. Litera clara est, circa illā attamē sequēs difficultas mouetur.

DIFFICVLTAS. LX.

Vtrùm ex eo, quod in creaturis est vestigiū Trinitatis, possit intellectus viatoris naturę viribus cōsequi cognitionem huius mysterij.

§. 1.

Proponitur status controuersiæ, cum sententia Ricardi de Sancto Victore.

1 HVIVS profundissimi mysterij veritate secundum fidem suppositā, difficultas insurgit, vtrùm possit intellectus viatoris ex aliqua ratione vestigij, seu quacunque alia, naturæ viribus, eius notitiam habere? quæ difficultas non solum de intellectu viatoris procedit, verùm de ipso, prout à corpore separato, qui animo, & de anima lectu Angelico, scilicet, ex naturalibus, mysterium Trinitatis cognoscat, hìc ergo solet verti in dubium, vtrùm secluſa quauis reuelatione possit intellectus eius eiusdem notitiam comparare? Præcipue tamen de intellectu viatoris procedit difficultas, quanuis commodè de omni intellectu naturali, & naturaliter cognoscitiuo, sit resoluenda.

Richardus de Sancto Victore 1. de Trinit. c. 4. arbitratur dari quasdam rationes naturales, quas ipse adducit, non solum probabiles, verū & necessarias ad probandum mysterium sanctissimæ Trinitatis, & lib. 5. c. 2. idem confirmat dicens, se non solum ex sacræ Scripturæ testimonijs, sed etiam ex ratione naturali, intendere manifestare, quid circa hoc mysterium sentire debeamus: quia tamen verba ista à quibusdam hyperbolice intelliguntur: ideò non fatigabor in eorum intelligentiam, nec cōtra Richardi mentem ex ipsis redarguā. Sententia etenim in hoc omnium Catholicorum communis est, & infra patebit. Quidam nihilominus oppositæ classis credidēre Scotum in hac Richardi sententia extitisse, quatenus rationibus ita efficaciter concludentibus, hoc mysterium cōprobauit, vt ipsis visum fuerit, se naturaliter demonstrationes huius sacrosancti mysterij fabricasse. Sed iam in expositione art. 5. quæst. 4. dist. 2. obseruauimus quàm lōge distans sit mens, & sensus Doctoris ab impositione calūniantiū. Probatur igitur disputandi gratia Richard. sententia. 1. ex habilitis in 3. art. huius quæstionis: quoniā in omnibus creaturis est naturaliter indirum vestigium sanctissimæ Trinitatis: ergo ex illis potest intellectus naturaliter mysterij Trinitatis cognoscere. Antecedēs supponitur ex dicto articulo. Cōsequentia probatur, quia vestigiū est signum naturale, ex cuius cognitione naturaliter venit intellectus in cognitionem sui significati, aut vestigiati: ex eo etenim, quod quis videt bouis vestigiū impressum puluere, naturaliter cognoscit bouem transisse, & naturaliter venit in cognitionem illius. Igitur cognitis ab intellectu creato vestigijs Trinitatis, naturaliter venit in cognitionem huius mysterij.

2 1. sent. Richardi de Sancto Victore.

3 Secundo, quoniam pluralitas personarum est euidenter credibilis: ergo est euidenter possibilis: ergo euidenter potest cognosci possibilitas huius mysterij, sed in diuinis idem est esse, & posse: ergo euidenter potest cognosci in Deo esse tres personas realiter distinctas.

ctus. Primum antecedens patet, & est cõmune omniũ Theologorũ: consequentiã vero probo: nam quod est euidenter impossibile, est euidenter incredibile: ergò per oppositum, quod est euidenter credibile, est euidenter possibile.

4 Tertiò, quia ratione naturali cognoscitur Deũ esse summũ bonũ, &c: ergo ratione naturali potest cognosci Deũ esse summe cõmunicatiuũ sui ipsius: quia sicut bonũ est diffusiuũ sui per cõmunicationẽ: sic summũ bonũ est summe diffusiuũ, & cõmunicatiuũ: sed non cõmunicat se summè in productione creaturarũ ad extra: ergo summè se communicat per aliquam productionem ad intra. Implicat autem esse aliquam productionem ad intra sine pluralitate personarũ: ergo de primo ad vltimum, cũ naturaliter cognoscat intellectus creatus Deum esse summum bonum, consequenter potest cognoscere naturaliter talem communicationem esse summã, & ex consequenti ad intra per productionem: ac per consequens pluralitatẽ personarum cognoscet.

5 Quartò, nam si aliqua ratione repugnaret intellectui creato cognoscere naturaliter pluralitatem personarum, ea esset: quia huiusmodi cognitio exsuperat vires intellectus creati: sed etiam cognoscere Deum, vt Deus est, excedit huiusmodi vires: ergo cum naturaliter cognoscamus Deum esse, etiam naturaliter possumus cognoscere Deum esse Trinum. Consequentia probatur, quia Deus, secundum quod Deus est, non est minoris entitatis, quàm secundum quod Trinus est: ergo non magis excedit vires nostri intellectus, secundum quod Trinus, quàm secũdũ quod Deus: ergo si naturaliter possumus cognoscere Deum esse, etiam naturaliter possumus cognoscere Deum esse Trinum.

6 Quintò, nam inter possibile, & impossibile nullum potest reperiri mediũ: ergo naturalis ratio necessario euidenter iudicat hoc mysterium esse possibile, vel impossibile: sed si iudicat esse possibile nõ credit illi: ergo cũ illi credat, iudicat, possibile esse. Si autẽ naturaliter iudicat esse possibile, naturaliter venit in cognitionẽ Trinitatis diuinę: ergo, &c.

7 Tandem probatur, quoniã Angelus euidenter cognoscit esse Deũ, ex naturæ viribus: ergo euidenter cognoscit ex naturæ viribus, esse Trinũ. Antecedens constat, quia naturalis intellectus hoc cognoscit, non tantũ in Angelo, sed etiã in homine, & multò perfectius intellectus Angelicus. Cõsequentiã vero probo, quia si Angelus cognoscit euidẽter Deũ esse, cognoscit necessario esse subsistentẽ, siquidẽ illũ cognoscit esse substantiã: ergo vel cognoscit illũ esse subsistentem in pluribus personis, vel tantũ in vna. Si primũ dicas, habetur intentũ: si autem secundũ, tunc contradicis tibi, in hoc quod ais, Angelũ euidenter Deũ cognoscere, quia si Deum cognosceret euidenter, nõ ipsum cognosceret cum eo, quod sibi repugnat. Repugnat autẽ sibi in vna tantũ persona subsistere: vel ergo Deum non cognoscit, vt Deũ, vel illum cognoscit, vt Trinũ: alias enim in eius cognitione falleretur.

---

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

8 IN oppositum autem est Doctor subtilis in hoc 1. q. 1. prologi art. 6. vbi hæc profert: *Istarum igitur notitiam est necesse nobis supernaturaliter tradi, quia nullus earum notitiam potuit naturaliter inuenire, & eam alijs docendo tradere: quia sicut vni, ita cuilibet ex naturalibus erunt neutræ.* Idem tenet in 3. d. 4. q. vnica lit. B. & in Quodlibetis q. 14. & quod in relata litera non solũ de omnibus fidei mysterijs, verum & in particulari locutum fuisse de mysterio Trinitatis, hęc ipsius verba sequentia manifestant: *Ita in proposito, nam reuelans hanc, Deus est Trinus & vnus, causat in mente aliqualẽ notitiã huius veritatis; licet obscurã: quia causat de obiecto nõ sub propria ratione cognito, &c.* Et de hoc mysterio, hæc supra prædixerat. *Vtrũ autẽ post primã traditionẽ doctrinæ, de talibus posset aliquis assentire naturaliter doctrinæ traditæ. De hoc in 3. lib. d. 23. hæc autẽ prima traditio talis doctrinæ, dicitur reuelatio: quæ ideo est supernaturalis, quia est ab agente, quod nõ est naturaliter motiuũ intellectus nostri.* Sententia hæc est cõmunis omnium Catholicorum, tenet illam Diuus Thomas 1. part. quæst. 32. artic. 2. & omnes Scolastici, cæteriq; Doctores. *D. Thom.* Et quanuis ab aliquibus opposita soleat

Raymund. tribui noſtro Raymũdo Lulio, quatenꝰ ipſe dixit, poſſe inueniri euidẽtẽ demõſtrationẽ Trinitatis: hoc intelligẽdũ eſt, iã ſuppoſita fide per reuelationẽ ſuper naturalẽ, quod quidẽ ad aliã difficultatẽ pertinet. Nã lumine fidei ſuppoſito, do cet Raymundus demonſtrationes aliquas inueniſſe, quibus huius myſterij veritatẽ euidenter arbitratur poſſe proba ri, ita vt Mahometicos & Gẽtiles ad eius confeſsionẽ valeat coercere, quæ quidẽ ſententia in hoc ſingularis non eſt, ſed aliquos habet patronos, vt ſunt Henricus Quodlibeto 8. q. 14. & alij, de quibus in ſequenti difficultate agetur.

Fide ſuppoſita, poſſeſt myſterium Trinitatis euidenter probari.

9 Modo autẽ, prout attinet ad præſentẽ, primo obſeruare oportet, in hac diffi cultate, non eſſe dubium, an intellectus creatus poſsit lumine fidei, ſeu cognitione beatifica, aut reuelatione quacun qꝫ ſibi deſuper facta, myſteriũ Trinitatis agnoſcere: hoc enim certiſsimũ eſt: nã & viatores Catholici fide credimus, & ſcientia fidei cognoſcimus, Deũ eſſe Trinum: & Beati in Patria hoc myſterĩ facie ad faciẽ cognoſcunt. Quæritur ergo in præſenti, an ſublata omni reuelatione, & lumine fidei, poſsit intellectus creatus naturali cognitione, viribus ſuis, cognoſcere hoc myſteriũ. Intra latitudinem vero naturalis cognitionis, datur cognitio propoſitionis perſe notæ, & demonſtratæ. Demonſtrata autẽ alia eſt à priori, & alia à poſteriori, & vtraq; tã, ſcilicet, perſe nota, quam demonſtrata eſt naturalis, & naturaliter cognita, de quo non nulla obſeruauimus ſupra in Cõmentario ad 2. articul. q. 1. diſt. 2. Quia igitur reſpectu Dei nulla poteſt eſſe cognitio demonſtratiua à priori, vt ibi aduertimus: ſed à poſteriori aliqua demonſtrantur de Deo: ideo hic inquirimus, an poſsit de Deo Trino haberi naturaliter aliqua perſe cognitio, aut demonſtratio etiã à poſteriori: vel quacunque alia cognitione naturali, ſine reuelatione ſupernaturali, hoc ſacrũ myſteriũ intellectui creato potuerit innoteſcere.

Cognitio naturalis, alia eſt per ſe nota, alia demonſtrata, & hæc, alia à priori, & alia à poſteriori.

10 Porro eſt obſeruandũ ſecundo, quod licẽt, vt oſtenſum eſt ſupra in diffic. 40. num. 20. non ex eo quod propoſitio aliqua ſit perſe nota, aut naturaliter demõſtrabilis, excludẽda eſt à ratione propoſitionis fidei: ac propterea ſtat, aliquas propoſitiones de Deo, in ſimul poſſeeſſe de fide, & perſe notas, aut demonſtratas, vt ibi oſtenſũ eſt de iſtis, Deus eſt, Deus eſt vnus, Deus eſt bonus, & ſimilibus: aliæ nihilominus ſunt propoſitiones de fide, quę ita ſunt de fide, vt omnẽ euidentiã, aut naturalem cognitionẽ excludant. Huiuſmodi ſunt illæ propoſitiones, quæ nullo modo ſunt nobis ex cognitione terminorũ naturaliter notæ: nec à poſteriori poſſunt per effectus cognoſci. Eſſe autẽ propoſitionem per ſe notã, aut demonſtrabilem, pluſquã in loco nuper citato oſtenſum eſt, modo amplius patet iuxta ea, quæ ibi egregie illuſtrauit Scotus, & S. Thom. 1. p. q. 2. ar. 1. & 2. nã in tantũ aliqua propoſitio ſecundũ ſe dicitur perſe nota, in quantũ prædicatũ perſe includitur in ratione ſubiecti, vt homo eſt rationalis, & aliæ ſimiles: vel etiã in quibus prædicatũ eſt paſsio ſubiecti, vt rationale eſt riſibile. In tantũ vero dicitur perſe omnibus nota, in quãtũ omnibus notũ eſt de prædicato, & ſubiecto quid ſit. Et licet de hoc, quod eſt dari propoſitionẽ perſe notam quoad ſe, & quoad nos, ſit opinionũ diuerſitas (vt vidimus ſupra in artic. 2. q. 1. diſt. 2. & in cõmẽtario noſtro ibi,) inter D. Thomã, & Scotũ: certũ eſt tamen apud omnes, nos nõ omnia, quæ ſunt perſe nota, cognoſcere. Cũ ergo in hac propoſitione, Deus eſt, prædicatũ ſit de ratione ſubiecti: quia Deus eſſentialiter exiſtit, & eſt ſuũ eſſe: hæc propoſitio ſecundũ ſe erit perſe nota: & quia Deus, & Beati huius propoſitionis ſubiectũ, & prædicatũ cognoſcũt: Deo & Beatis eſt perſe nota propoſitio: quia tamen nos viatores ignoramus de Deo, quid ſit: ideo hæc propoſitio nõ erit viatoribus perſe nota, quoad vſque terminos illius, vt Doctor reſoluit, cognoſcãt. Vnde ita Doctor, & D. Thomas reſoluunt, quod propoſitio ſimilis debet per ea, quæ ſunt magis nota, demonſtrari: non quidem illa, quæ eſt perſe nota, vt Deus eſt, ſed illa quæ eſt demonſtrabilis, vt Deus eſt bonus, aut vnus.

Scotus. D. Thom.

Propoſitiones creditæ ſunt in duplici differentia.

11 Ex quibus infertur, quod cũ magis noti ſint nobis effectus, per ipſos debemus in cognitionẽ cauſæ venire: atque ideo ab effectu, & à poſteriori, propoſitionẽ prædictã, & ſimiles, vtpotẽ, ꝙ Deus eſt bonꝰ, & vnus, demõſtratiuè cognoſcimꝰ propo

Demonſtrationes, quæ de Deo ſiũt ſunt à poſteriori tãtũ.

propositiones ergo de Deo, quæ per naturã possunt cognosci, debent demonstrari de ipso demonstratione nõ *propter quid*, sed *quia*, hoc est, per effectus: atque ideò illæ tantũmodo propositiones erũt demonstrabiles de Deo, cuius effectus nobis fuerint noti. Cũ autem viribus naturæ tantũ naturalia capiamus: cõsequẽter tantũmodo cognoscemus eas propositiones de Deo, quas per naturales effectus potuerimus consequi. Omnes autẽ effectus naturales, qui sunt nobis naturaliter noti, procedũt â Deo, nõ vt Trinus est, sed vt Deus est vnus: procedunt enim à Deo, vt à creatore, non tamẽ vt à generante: nã istæ sunt propositiones mediatæ, Pater creat, Filius creat, Spiritus Sanctus creat, ista autẽ est immediata Deus creat. Vndè ista est vera causalis, quia Deus creat, Pater creat, non tamen è cõtra: quia actiones ad extra sunt indiuisæ: implicat enim Patrem aliquid velle, quin filius & Spiritus Sanctus velint: cuius ratio est, quia eadẽmet indiuisa voluntate volunt per modũ vnius: & per consequens dicto actui volendi, & cuilibet actioni ad extra, vt sic, accidit, quod personę sint plures: ratio enim creationis ex parte causæ, non nisi vnicam potentiã creandi expostulat, hæc autem non conuenit personis (vt dixi) immediatè, sed Deo, vt Deus est.

Effectus naturaliter nobis noti non procedunt à Deo vt Trino, sed vt vno.

Deus creat, est propositio immediata: pater creat, est mediata.

12 Infertur ergo, effectus omnes, cũ sint termini alicuius actionis ad extra, nõ dicere relationẽ, nisi ad immediatũ principium talis actionis, & cum tale principiũ, *vt quod*, sit Deus, vt Deus, *vt quo* autem sit omnipotentia: consequenter omnes effectus, in quantum effectus, nõ respiciunt nisi Deum secundũ suam indiuiduam rationem Dei, & eius indiuiduam omnipotentiã. Ex quo tandem deducitur non esse aliquam creaturã, quæ Trinitatem tanquam effectus repræsentet: & ex consequenti, quod non potest intellectus ex creaturis, tãquam ex cognitione effectuum, in cognitionem Trinitatis venire, nec per creaturas à posteriori, hoc mysterium demonstrare.

Nullus effectus, vt effectus, repræsentat Trinitatẽ.

13 Demum est tertio obseruandum, quod omnis cognitio alicuius per aliud, supponit aliquo modo repræsentari illud cognoscibile, in tali medio cognoscendi. Sicut autem multiplex est repræsentatio, sic multipliciter aliquid per aliud potest cognosci. Primò ergo cognoscitur vnũ formaliter per aliud, in quo formaliter repræsentatur: vtpotè, per verbum, quod est formalis ratio cognoscẽdi obiectũ, quod repræsentat. Ad verbum autem naturaliter supponitur species intelligibilis, quæ etiam formaliter repræsentat obiectũ, & ab obiecto causatur medijs phantasmatibus. Sed hæc est ratio cognoscendi non cognita: quia absque cognitione verbi, cognoscitur obiectum per illud. Aliter cognoscitur causa per effectũ: de qua cognitione, iã dictum est, qualiter cognoscatur Deus in ratione vnius principij omnium creaturarũ: & qualiter non est creatura, quæ in ratione effectus, illũ repræsentet vt Trinum. Aliter tertio cognoscitur prototypus per imaginẽ: hæc autem est similitudo totius prototypi, & tantum cognoscitur de illo, quantũ de eo in imagine repræsentatur, in quo D. Thomas, & Scotus conueniunt, licet in alio discrepent, prout in 1. art. huius quæstionis patuit.

Cognitio vnius per aliud multipliciter accidit.

Verum differt imago à verbo in hoc, quod verbum absque sui cognitione, est ratio cognoscendi obiectum. Imago vero nõ sic, sed prius indiget ipsa cognosci, vt deinde per illam prototypus cognoscatur. Cognita tamen illa prius in esse absoluto, vt Doctor in tertio articulo manifestat, per relationem ad imaginatũ, ipse prototypus, seu imaginatum cognoscitur. Prius enim video picturã Cæsaris secundum suũ esse absolutum, & deinde relationẽ similitudinis ad Cæsarẽ, per quam ipsum cognosco. Tandẽ aliter cognoscitur aliquid per vestigiũ. At qui vestigiũ conuenit cum imagine in ratione similitudinis: sed differt ab ea in hoc, quod imago est similitudo totius: vestigiũ verò tantũmodo est partis similitudo, vt visum est in art. 1. est attamen vestigiũ similitudo partis, non partis vtcunque, sed partis repræsentatiuæ totius. Si enim pulueri impressam videro partem duplici speciei animalis communem, non proprie habebit ratio nẽ vestigij: quia non magis vnum, quàm alterum repræsentat. Debet igitur esse pars, ex cuius cognitione, possimus venire in cognitionem totius, adhoc vt sit vere vestigium, vt patet de vestigijs hominis, bouis, & equi.

14

Verbum & imago interse differunt.

Imago, & vestigiũ interse conueniunt, & differunt.

15 Cæterum, quanuis tam imago, quàm vestigiũ, quatenus est ex se, repræsentet illud, cuius est imago, seu vestigiũ: non tamẽ cognoscitur in ratione imaginis, seu vestigij, nisi prius præsupponatur fuisse præcognitũ vestigiatũ, seu ipsum imaginatũ. Hoc dupliciter probo, àpriori, videlicet, & àposteriori: àpriori enim patet, quia ratio imaginis, seu vestigij includit in conceptu suo respectũ, quãuis præcisè non consistat in illo, vt supra vidimus: ergo non potest cognosci vestigium, vt vestigium, (& idẽ dico de imagine) nisi præcognoscatur talis respectus. Sed respectus nõ potest cognosci, nõ cognito termino: quia illud, cuius totũ esse est ad aliud, non potest cognosci, ignorato illo alio, ad quod est: ergo, &c. à posteriori autem patet: quia si videã picturam imperatoris, non cognoscam similitudinẽ illius ad illũ, nisi prius ipsum cognouerim: aut aliquis mihi dicat, illam esse imperatoris imaginem: & tunc iam in fidem attestantis refundere tur ista cognitio, & non in repræsentationẽ imaginis, prout à me simpliciter cognitæ. Similiter, si videã pulueri impressum vestigiũ animalis prorsus mihi ignoti: minimẽ potero cognoscere, cuius animalis sit vestigiũ, quantũcũque cõsiderationibus opprimar in inuestiganda cognitione illius, cuius sit vestigiũ illud.

Imago, sine vestigiũ non cognoscitur, nisi prius cognito imaginato.

16 Ex his ad propositũ, licet in creaturis esset Trinitatis imago, aut vestigiũ, non solũ per appropriationem, sicut re vera est, vt patet ex articul. 3. de vestigio: sed quod esset naturale vestigiũ Trinitatis in creaturis: adhuc nõ per illud posset, ex merè naturalibus, intellectus creatus in cognitionem Trinitatis venire: quia ignorato termino relationis huius vestigij, non cognosceretur à nobis tale vestigiũ. Sed ũ cognosceretur ab Angelo, quidẽ cognosceretur secũdũ rationem absolutam, non vero secundũ rationem respectiuã vestigij: sicut qui videret vestigiũ animalis incogniti videret absolutũ illius vestigij: non tamen videret relationem illius, & ideo vestigiũ, vt vestigiũ, nõ videret. Nõ ergo sufficit in creatis esse vestigiũ Trinitatis, adhoc vt cognoscatur ab intellectu creato in ratione vestigij sicut ex cõsequenti non potest intellectus creatus Trinitatẽ ex naturis, tanquam per vestigium cognoscere.

Trinitas nõ potest cognosci per vestigium creaturam.

Concluditur ergo, nec posse Trinitatem ab intellectu treato cognosci per creaturas, tãquã per aliquod mediũ cognoscendi naturaliter: non enim tanquã per verbũ, quia Deus non habet phãtasmata, quibus producat species intelligibiles suæ Trinitatis, si enim speciẽ intelligibilẽ Trinitatis in intellectu crearet (quod possibile esse supra in difficultate propria ostendi) iam talis species naturalis nõ esset: sed supernaturaliter haberetur: & de hoc non est quæstio. Nec tanquam per effectus, quia vt ex notatis supra in nu. 11. & 12. constat, nõ est creatura, quæ Triadẽ personarũ, tanquã effectus causam, repræsentet. Nec vt imago, quia nõ est aliqua similitudo totius Trinitatis increaturis, quæ naturaliter possit cognosci: nã etsi in mente sit Trinitatis imago, vt patet infra in q. 9. a. 2. huius dist. non tamẽ valet ad naturaliter cognoscẽdũ mysteriũ Trinitatis: quia vt ibi docet Doctor, solut. ad 1. *Ista concurrentia in mente valent credenti Trinitatẽ ad perseuerandũ, & persuadendũ, quomodo possit esse: non autẽ non credenti cõcludunt eã esse.* Nec tandẽ vt vestigiũ, quia & si esset nõ solũ appropriate, sed naturale vestigiũ Trinitatis in illis: nõ posset tale vestigiũ in ratione vestigij cognosci, non cognito termino illius. Resoluitur ergo nulla via posse naturaliter hoc mysterium ab intellectu creato cognosci. 17

§. 3.

Statuuntur conclusiones.

HIs præhabitis, difficultatẽ concludẽdo dico primo, nullã esse creaturã, quæ mysteriũ Trinitatis naturaliter secundũ rationẽ propriã Trinitatis repræsentet. Conclusio hæc est Doctoris in art. 3. huius quæstionis, & probatur: quoniã si ratione aliqua creatura repræsẽtaret naturaliter Trinitatẽ, esset ratione vestigij: sed vt optimè aduertit Lychetus in hac q. 5. §. *nota pro intelligẽtia*, per rationẽ vestigij non repræsentat creatura Trinitatẽ personarũ, quoad Trinitatis propria, sed tantũ quoad appropriata: quia, scilicet, vnum, verũ, bonũ, sunt inqualibet creatura, & hæc sunt appropriabilia tribus personis: & si actu ista tria, quæ complent rationem vestigij, approprientur vni personæ: adhuc 18

in

in intellectu nostro erit persona ibi, vt pars, non integralis Trinitatis: sed quasi subiectiua: & sic semper vestigiũ dicitur repræsentare partem, in quantũ est appropriabile illi personæ tãtummodo. Sed hoc genus vestigij non repræsentat naturaliter rationem propriam Trinitatis: ergo, &c.

19 2. Conclu. *Nullus intellectus creatus potest aliquo modo mysterium Trinitatis distinctè, ex naturalib⁹ cognoscere*

Dico secundo, quod nullus intellectus creatus humanus, aut etiã Angelicus, potest ex meris naturalibus, euidenter demonstratiuè, aut quomodolibet, veritatem huius mysterij, scilicet, in Deo esse tres personas realiter distinctas cognoscere. Cõclusio est expressa Scoti vt patuit in litera, & cõmunis, quę probatur primo, testimonijs Sacræ scripturæ: nam Math. c. 11. dicitur: *Nemo nouit filium, nisi pater, nec patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*, & Math. c. 16. loquendo de filiatione: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi sed pater meus qui in cœlis est*, & ad Hæbreos 11. *Fides est argumentum non apparentium*, &c. & ex alijs pluribus.

Math. 11. *Math. 16.* *Ad Hæbr. 11.*

20 *D. Hylar.*

Probatur item auctoritatibus sanctorum: nam Diuus Hylarius, lib. 1. de Trinit. pagin. 5. à principio libri, inquit: *Non putet homo sua intelligentia generationis Sacramentum posse consequi.* Diuus Ambrosius libr. 1. de fide ad Gracianum capit. 5. inquit: *Mihi impossibile est generationis istius nosse mysterium: vox silet, mens deficit, non mea tantum, sed etiam Angelorum.* Et reliqui Sancti Patres hoc attestantur expresse.

D. Ambr.

21

Ratione probatur conclusio: quoniam demonstratiua cognitio, vel est à priori, vel à posteriori: sed neutro modo istorum potest viribus naturæ cognosci demonstratiuè mysterium Trinitatis: ergo, &c. Quod non à priori probatur, quia ad cognitionem à priori requiritur, quod cognoscatur medium demonstrationis: sed implicat aliquem intellectum creatum cognoscere mediũ, per quod Trinitas conuenit essentiæ diuinæ: ergo implicat aliquem intellectum creatum, à priori, cognoscere in Deo Trinitatem personarum. Quod nec à posteriori probatur: quia omnis demonstratio à posteriori est per effectus; sed per effectus nobis cognitos, & naturaliter cognoscibiles, non possumus cognoscere Trinitatem personarum, cũ tales effectus procedant à Deo, vt ab vno, & non vt à Trino: ergo, &c. Quod tandem nullo alio modo possit cognosci naturaliter probat D. Thomas, quia intellectus per rationem naturalem in cognitionem Dei peruenire non potest, nisi ex creaturis, creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali, de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entiũ principium: virtus autem creatiua Dei est communis toti Trinitati: vnde pertinet ad vnitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem possunt cognosci de Deo ea, quæ pertinent ad vnitatem essentiæ, non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum. Hactenus Diuus Thomas. Ex quibus concluditur, nulla via posse hoc mysterium, ab intellectu creato naturaliter cognosci.

§. 4.

Soluuntur argumenta primæ sententiæ.

22 *Ad 1. argũmẽtum prũ 1. sent.*

AD argumenta autem pro prima sententia, & ad primum, patet solutio ex notatis supra à numer. 15. ad 17. Ex quo respondeo: quod etsi vestigium Trinitatis in creatura esset, ita naturale, sicut bouis vestigium naturaliter bouem repræsentat: adhuc non cognosceretur naturaliter Trinitas per illud propter rationem ibi traditam. Ideo etenim bouem per vestigium cognosco, quia iam vidi pedem bouis, ad quem refertur eius vestigium: nisi enim pedem eius præcognouissem, non vtique cognoscerem talem vestigium, esse simile illi, & sic non cognoscerem esse bouis vestigium. Nisi ergo in intellectu creato præsupponatur Trinitatis notia; nequit in creaturis aliquod Trinitatis vestigium naturaliter cognosci in ratione vestigij Trinitatis: & ideo non potest vestigium esse primum medium huius cognitionis: cum necessario, aliud debeat præsupponi, quo de Trinitate habea-

tur notitia, & hoc non fit absque supernaturali reuelatione.

23 *Ad secũdũ.* *Aliquid creditur, quod non est possibile.*

Ad secundum concesso antecedenti negatur consequentia: quoniam bene stat, aliquid esse credibile, & non possibile: nam vtraque opinio de distinctione reali relationis à fundamento non solùm est probabilis, sed credibilis propter auctoritatem grauissimorum Doctorum vtriusque sententiæ: cum tamen altera sit impossibilis. Cuius ratio à priori est: quia possibilitas, vel veritas rei sumitur ex intrinsecis eius. Vndè quando naturæ extremorum, seu termini percipi non possunt: nec etiam possibilitas complexionis poterit intelligi: credibilitas autem vt sic sumitur ex auctoritate dicẽtis, & attestãtis. Ex quo fit, q̃ nõ attentis extremorũ naturis iudicetur aliquid esse credibile. & hoc euidenter credibile esse iudicabitur, quando certo cõstet attestantem mentiri non posse. Ex quo fit, quod aliquid potest haberi, vt euidenter credibile, quin habeatur, vt euidenter possibile, quod plura exempla confirmant.

24 *Ad tertiũ. Naturaliter possum⁹ cognoscere Deum esse summũ bonũ summè sui cõmunicatiuum, non tamen modos, quibus est cõmunicabilis.*

Ad tertium dico: quod licèt naturaliter possit cognosci, Deum esse summũ bonum, & summe communicatiuũ sui: sunt tamen plures modi, quibus natura diuina potest se communicare: qui qui dem nobis non sunt noti, nisi per reuelationẽ: naturaliter enim habetur cognitio confusa Dei, vt summi boni communicatiui. Cognoscere autem quibus modis communicari possit, pertinet ad cognitionem distinctam, quæ de Deo per naturam haberi non potest. Nec ob id potest capere intellectus communicabilitatem naturæ diuinæ ad intra.

25 *Ad quartũ*

Ad quartum per ea, quæ dicta sunt, patet solutio, quòd, scilicet, non ideo præcisè est nobis impossibilis naturalis Trinitatis cognitio, quia nostras vires exsuperat: nam vt argumentum probat, non minus illas excedit Deus vt vnus, quàm est trinus, attenta excellentia entitatis obiectiue: sed quia cum nostra cognitio à creaturis incipiat, & creaturæ non respiciunt Deum Trinum, sed vt vnum: hinc est, quod Deum vt vnũ à posteriori demonstramus, non tamẽ vt Trinum: quia habemus medium cognoscendi vnitatem Dei: non tamẽ eius Trinitatem.

Ad quintum respõdeo: quod intellectus distinguens inter possibile, & impossibile circa hoc mysterium, iam supponitur habere notitiam illius. Et tunc argumentum iam pertinet ad aliam difficultatem, an scilicet, supposita fide, qua huius mysterij habemus notitiam, possit intellectus naturaliter euidentiã illius habere? De quo in difficultate sequenti. Quod autem hîc quærimus, est, an antecedenter ad omnem reuelationem, seu fidem, possit intellectus creatus viribus suis in huius mysterij cognitionem venire: quod argumentum non probat, siquidem procedit de iudicio intellectus circa sibi propositam materiã. Sed ne argumentum iuxta intentionem arguentis maneat absque solutione: dico, etiam in casu, quo intellectui proponatur hoc mysterium: adhuc nec iudicat esse euidenter possibile, nec euidenter impossibile: nam vt ex Doctore pluribus in locis habemus, contradictoria ita se habent, quod licet inter ea simpliciter non detur medium, vt potè inter album, & non album, addita nihilominus particula *perse*, bene datur mediũ inter illa. Nam paries nec est perse albus, nec perse est non albus. Quia si primum esset, repugnaret sibi secundum: si autem secundum, tunc sibi repugnaret primum. Huius instar modi, quauis de re debeat iudicare intellectus, an sit possibilis, vel impossibilis: & sic non sit medium in iudicio intellectus circa possibile, & impossibile: addita tamen particula, *euidenter*, nec euidenter iudicat Trinitatem esse possibilem, nec impossibilem. Et sic datur medium, quia in rebus supernaturalibus, nec possibilitatis, nec impossibilitatis habet intellectus euidentiam, sed neuter manebit.

26 *Ad quin. ũ* *Inter contradictoria datur medium, cum hac particula, perse.*

27 *Ad sextũ.*

Ad sextum dico, quod Angelus ex naturalibus euidenter cognoscit esse Deum: sed non cognoscit euidenter, quid sit Deus: quia ad primum sufficit discursus naturalis: ad secundum vero requiritur quidditatiua cognitio Dei, quam ex naturalibus Angelus habere non potest. Licet etenim, si Deus infunderet Angeli intellectui speciem suæ quidditatis, per quam habet & abstractiuam Dei cognitionem, hæc talis cognitio dicatur ab Scoto naturalis in 2. d. 3. quæstio. 9. lit. A. quatenus habitualiter illam

illam habens ad eliciendam actualem Dei cognitionem, toties quoties sibi placuerit: non tamen est naturalis ex naturalibus viribus acquisita: siquidem illam à Deo sibi desuper infundi supponitur: & ideò supernaturalis est, prout Doctor resoluit ibidem, & nos latè expossuimus supra in difficultate 23. à numer. 8. Ex quo patet, quod cum Angelus naturaliter non cognoscat Deum quidditatiue: nec naturaliter cognoscit subsistẽtiam illius, quæ est de eius quidditate. Imò dico, quod etiam si cognosceret quidditatiue Deum per speciem abstractiuè repræsentantem illum cum subsistẽtia absoluta, quæ est de eius quidditate, adhuc poterat illum vt sic cognoscere, quin cognosceret, an in vna, aut tribus personis subsisteret: nam si in visione intuitiua Dei, id esse possibile ostendimus in difficult. 31. multò facilius id poterit ostendi de abstractiua: quia poterat Deus Angelo infundere speciem repræsentantem suam essentiã subsistentem absolutè: quin repræsentaret personas, aut aliquid communicabilitatis pertinens ad personam.

DIFFICVLTAS. LXI.

Vtrùm intellectus creatus viatoris possit, ex reuelatione diuina habere claram & euidentem cognitionem huius mysterij.

§. 1.

Proponitur status controuersiæ cum prima sententia Vazquij, & aliorum.

1 HAbito ex difficultate præcedẽti, nullum intellectũ creatum sublata reuelatione, naturæ viribus posse huius mysterij notitiam adipisci: iam ad reuelationem supernaturalẽ accedimus; qua suppositâ tres difficultates in vna congerimus, ne sub diuersis titulis, eas prolixè ventilemus, omnes siquidem in hac vna commodè possunt resolui. In quibus pro intellectu viatoris intelligimus quemcũque intellectum creatum, tam humanum, quam Angelicum, pro vt conditinguitur ab intellectu comprehensoris, ideſt, quatenus non dum ad statum beatitudinis, per visionem beatam peruenit. De hoc igitur intellectu tria quærimus. Primum, scilicet, an possit Deus illi infundere claram, & euidẽtẽ notitiam huius mysterij, quoad quæstionem, *an est?* euidens tamen & clara notitia, quoad quæstionem, *an est*, non per proprias species Trinitatis debet esse: hac namque habita, iam quoad quæstionem, *quid est*, cognosceretur Trinitas. Sed quæritur, an sicut naturaliter per creaturarum species habetur euidens notitia de Deo, vt est vnus, possit Deus infundere intellectui viatoris aliquam euidentem notitiam sui, vt est trinus: ita vt iam non solum per fidem, sed per euidentiam, talis intellectus sit euidenter certus, Deum non tantum esse vnũ, sed trinum.

Triplex difficultas.

Secunda difficultas est, quoad quæstionem, *quid est*, vtrum, scilicet, possit Deus producere in intellectu viatoris immediatè euidentem, & claram notitiam huius mysterij, quæ sit quidditatiua, quin sit visio beata; & hoc vel, in quam, immediatè producendo ipsam notitiam, vel mediatè, hoc est, producendo speciem quidditatiuam repræsentantem hoc mysterium Trinitatis sicuti est, per quã intellectus viatoris habeat quidditatiuam, distinctam, euidentem, & claram notitiam Trinitatis, & eam clarè & euidenter cognoscat, absque eo quod talis notitia sit intuitiua, & ex consequenti visio beata: sed quod sit notitia abstractiua huius mysterij. 2

Tertia difficultas est, an suppositis principijs fidei, qua supernaturaliter per reuelationem credit intellectus viatoris Deum esse Trinum, possit naturalibus discursibus hoc mysterium euidẽter & demonstratiuè probare? 3

Circa primam difficultatem est prima sententia, quam Vazquez defendit, 1.part.dispu.135.cap.2. & sequentibus, qua tenet, non posse quidem Deum intellectui viatoris reuelare, aut infundere euidentem & claram huius mysterij notitiam, quoad quæstionem, *an est?* Circa secundam vero difficultatem, ipse 4 1. Senten.

Vazquez. Suarez. Durand. Capreolus. Vazquez ibidem disputat. 134.capit.3. sequens Durandum in quæstion.3. prologi, num.12.& 13.& (vt ipse citat) Capreolum in 2.distinct.3.quæstion.2.artic.3.ad secundum,& Suarez in Metaphisica,disput.30.sect.11.num.22.& 1. tom.ad 3.part. disputat.17.sect.5. & 1. part.lib.2.de attributis,cap.18. num.4. tenent per nullam potentiam dari posse euidentem, & claram cognitionem quidditatiuam,non solum huius mysterij Trinitatis, imò nec diuinæ essentiæ in ratione vnius Dei in intellectu viatoris:sed omnem quidditatiuam,& claram Dei notitiam esse intuitiuam Dei visionem. Quæ si ab intellectu creato habeatur,iam non erit intellectus viatoris,sed comprehensoris: siquidem Deũ intuitiuè videns,eum beatificè videt.

5 Circa tertiam tandem difficultatem, cõmuniter omnes Thomistæ imponunt Scoto demonstratiuè intendisse probare hoc mysteriũ, præcipuè quatuor illis rationibus,quas in primo articulo quæstionis 4. distinct.2. huius primi libri posuit.Sed quid sit demente Doctoris, visum est ibi in commentarijs nostris, & infra patebit in eius litera. Sententia tamen hæc est Raimundi Lullij in lib.sentent.in principio,& in lib.quem vocauit Apostophrem,& in lib.de demonstratione æquiparantiæ & alibi: vbi supposito fidei principio,qua creditur hoc mysterium:tria de illo demonstrari posse affirmat. Primum,videlicet, in Deo plures esse personas. Secundum,non plures esse,nec esse posse,quã tres.Tertium denique,has esse Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Huiusmodi propositiones de hoc mysterio demonstrari posse,opinatur Raimundus:adhoc autem non vtitur Peripateticorum demonstrationibus, vtpotè *à priori*, aut *à posteriori*: sed demonstrationibus alterius generis, quas vocat *æquiparantiæ*, quarum notitiam Scholastici nostri, nõ dum adepti sunt:nec ideo nostra nunc interest,hîc exponere.Posse igitur demonstrationes de hoc mysterio haberi suppositâ fide,tenuit à perte Henricus Quodlibet 8.quæst. 14. quatenus ait sic posse hominem in hac vita lumine fidei illustrari,vt longo transacto exercitij tempore,necessarias, & euidentes rationes inueniat huius mysterij. Quod idem sentit Gerson, Alphabeto 13.littera A.Istorum ergo sententias circa tres prædictas difficultates oportet suis fundamentis probare.

Ray. Lul. *Henricus* *Gerson.*

Suam igitur quoad primam difficultatem sic probat Vazquez cap.2. ratione vnica, quà à priori manere probatam existimat, quæ erit primum argumentum in ordine cæterorũ, quæ sunt à nobis soluenda. Nam aut illa cognitio Trinitatis quoad quæstionem, *an est*, si daretur, esset per propriam illius speciem,& ita esset intuitiua: aut per alienas species creaturarum, & ita solum potest cognosci Deus vt vnus,quia nulla est creatura, quæ ad Deum vt Trinũ referatur,sed omnes ipsum respiciunt, vt vnum,eo quod ab eo, vt vno producuntur,& ad illum sub hac solum ratione terminetur.Nec enim Deus eo producit, quo est Pater,Filius, & Spiritus Sanctus,sed quo vnus est,sapiens,omnipotens,&c. Nostro ergo modo cognoscendi per alienas species,si ex creatis effectibus Deus deberet cognosci, quatenus illi creati sunt, solum cognosceretur,vt vn°, sapiens,omnipotens,&c. Quod si ad cognoscendam creaturam intuitiua cognitione, & propria,cum illo expresso ordine ad Deum,necessarium etiam esset ipsum Deum proprio, & intuitiuo conceptu cognoscere, sequeretur ex hac cognitione creaturarum, cognosci mysterium Trinitatis intuitiua etiam visione:hoc est, non posse cognosci creaturam proprio conceptu, nisi etiam cognosceretur Deus in se eodem modo. Et tunc quidem videretur,vt Trinus,quia re ipsa idem est essentia cum personis, non quia ordo ille nostro modo intelligendi respiceret Deum, vt Trinum. Hactenus Vazquez. 6

Secundo arguit Vazquez in disput. 134.capit.3. pro sua allegata sententia circa secundam difficultatem. Quoniam siquis haberet propriam,& quidditatiuam notitiam *Dei*, nihil ei deesset quominus diceretur *Deum* intueri: habet enim in primis omnis notitia intuitiua, quod sit propria, & quidditatiua ipsius Dei, non per species alienas, & instar aliarum rerum. Si vero intuitiua addit supra hoc esse rei existentis: illa notitia Trinitatis esset intuitiua: ferretur 7

tur ènim ad Deum, prout existentem: quia non minus de essentia Dei est existere, quàm esse sapientem, & sicut nullus potest proprio conceptu intelligere Deum, nisi etiam intelligat sapientem: sic etiam, nisi intelligat existẽtem. Quod si intuitiua non solum debet esse propria, & rei existentis, sed etiam præsentis, vt voluit Scotus: etiam nihilominus notitia illa erit intuitiua: quia nõ minus necessario Deus est præsens omnibus rebus, intellectui creato, quàm existens in rerum natura. Si ergo intellectus haberet propriam illius notitiam, ferretur in illum, vt existentem, & præsentem, ipsumque propriſsimè intueri diceretur.

8 Tertiò, quoniam si posset Deus esse absens loco, nihilominus intellectio illa, & notitia esset intuitiua, & beatifica: esset enim Dei existentis secundum propriam rationem illius: quod satis videtur, vt notia intuitiua dicatur, aut saltem, vt habentem illam faciat beatum. Quod enim obiectum ipsum, cuius contemplatione beamur, sit absens loco, vel tempore, futurum, vel præsens, nihil variat in ipsa visione: ergo parum interest absentia, seu præsentia, vt cognitio propria Dei sit, aut non sit beatitudo nostra.

9 Quartò, ad idem: quia si posset, quis habere notitiam propriam, & quidditatiuam Trinitatis abstractæ ab existentia, esset nihilominus talis visio sufficiens beare illum: nam quamuis non cognosceret Trinitatem, vt existentem, satis videtur, si ipsam quidditatiuè contemplaretur, eiusque infinitatem, sicuti ipsa est, cognosceret. Sicut si beatitudo cõsistat in contemplatione rei creatæ, non minus illa bearet, si esset quidditatiua, etiam si abstraheret obiectum ab existẽtia, quàm si non abstraheret. Quacunq; igitur via, & ratione constat, non esse mediam illam cognitionem quidditatiuam inter intuitiuam, qua beamur, & quam habemus per alienas species de Deo. Hæc sunt argumenta Vazquij prout habentur ab eo formata. Alia nãque Suarij ad idem non repetũtur hîc, quia sunt à nobis soluta supra indifficultate. 23.

10 Quintò, tandem arguit Raimundus pro allegata sententia circa tertiam difficultatem, hac demonstratione probans pluralitatem personarum in Deo. Nam vbi est concordia, est etiam pluralitas: in diuina autem bonitate est concordia: ergo in diuina bonitate est pluralitas: quod idem argumentum fieri potest in quouis attributo. Minorem sic probat, quia vbicũque est actus, est concordia agentis, & acti in ipso actu: sed in diuina bonitate est actus, quem actũ Raimundus appellat bonificare: ergo ibi est concordia bonificatiui, & bonificabilis, in actu bonificandi. Quod confirmat, quia vbicumque est æqualitas, est distinctio inter ipsa æqualia: in diuina autem bonitate est æqualitas inter bonificatiuum, & bonificabile: ergo ibi est pluralitas. Minorem huius syllogismi eodem modo probat, quo probauerat minorem prioris. Pluralitatem vero personarum esse Trinitatem, & hanc Trinitatem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, aliter probat. Sed quia ad intentum sufficeret hæc probatio: cæteræ ommittantur.

Item pro hac sententia possunt poni 11
quatuor rationes, quibus Scotus probat hoc mysterium in secunda distinctione huius primi libri, quæst. 4. articul. 1. quæ, quia habentur ibi textualiter expressæ, non repetuntur hîc. Ex illis tamen videtur inferri secũdum Scotum, Trinitatis mysterium euidenter demonstrari posse.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

IN oppositum autem est Doctor subtilis quoad omnes tres prædictas difficultates. Nam quoad primam in 2. distinct. 3. quæstion. 9. sub litera D. multa, inquit, sed specialius sub litera N. §. *ad aliud posset dici*, vbi significans posse ex cognitione quidditatiua, & distincta essentiæ, non sequi cognitionem distinctam Trinitatis, sed cõfusè quoad quæst. *an est*, posse cognosci. hæc profert. *Posset dici, quod licet illa species in intellectu Angeli sit ratio distincta cognoscendi essentiam diuinam: non tamen est ratio distincte*

12

tinctè cognoscendi modum istius essentiæ in suppositis. Quoad secundam vero difficultatem ibidem lit. H. respondendo ad quæstionem in terminis ait: *Nulla repugnantia occurrit, quod intellectus creatus habeat talem cognitionem per speciem distinctè repræsentantem diuinam essentiam, dummodo non intuitiuè.* Quod idem de cognitione Trinitatis tenet sub lit. M. §. *& si obijcitur.* Quoad tertiam tandem difficultatem, postquam prædictas quatuor rationes in artic. 1. quæstion. 4. distinct. 2. huius primi libri posuerat, quibus efficaciter huius mysterij possibilitatem probauit in quinto articulo eiusdem quæstionis, & distinctionis hæc ait.

Scotus. *Respondeo dicendum: quod tandem oportet rationes ad istam quæstionem soluendam, nõ esse demonstrationes.* Quas rationes ibi propterea soluit. Et in Quodlibetis q. 14. hoc idem tenet.

13 Circa has tres difficultates sequuntur Doctorem omnes Scotistæ veteres, & recentiores. Et circa hanc tertiam est communis omnium Theologorum sententia, demptis Lullio, & eis, quos pro eius opinione allegauimus.

Lullius.

Basolis. Circa primam attamen, expressius inter alios Basolis, quæst. 1. prologi artic. 2. §. *sed quidquid*, & §. *expræmissis* Pater Herrera in 1. disput. 7. quæstion. 9. tenent ex alienis

Herrera. Henricus Quodlibeto 8. quæst. 14. &

Henricus Quodlibeto 12. quæstio. 2. Durandus in

Durandus 3. distinct. 23. quæst. 9. num. 12. Alfonsus

Alfonsus à Toleto. à Toleto 1. quæst. prologi art. 2. conclu. 3. Nicolaus de Cussa, in Dialogo de Pace Fidei, cap. 8. sed clarius præ omnibus

Nicol. de Cusa. Caietanus 2. 2. quæst. 171. art. 5. §. *ad obiectionem.* Et tandem circa secundam difficultatem sequuntur Doctorem Basso

Caietanus. lis ibidem, Aliacus quæst. 1. prologi, articul. 2. Lychetus, Tateretus, & reliqui

Aliacensis *Lychetus.* *Tateretus.* Scotistæ supra Scotum loco citato. Ex Thomistis vero Capreolus expresse in

Capreolus. 2. distinct. 23. quæst. 1. art. 3. ad argumenta Scoti, licet pro opposita sententia citetur à Vazquio. Ex Nominalibus OKã in prologo quæst. 1. art. 5. Gabriel quæst.

OKam. *Gabriel.* 1. art. 3. conclu. 1. Maior in 2. distinct. 3. quæst. 5. conclus. 5. & in prologo quæst.

Maior. 3. Item Molina 1. p. quæst. 1. artic. 2. disputat. vltima §. *Ex his duabus sententijs*, & quæst. 56. artic. 3. concluf. 1. sed præ

Molina. omnibus elegantius sapientissimus Ægidius Lusitanus 1. tom. de Beatitudin.

Ægidius Lusit. libro quarto quæstion. 9. articul. 2. §. 2.

Quamquam nobis hîc competat has tres difficultates resoluere: non expediet plura, quæ ad secundam & tertiam alibi sunt notata, repetere. Sed pro intelligentia secundæ, supponenda sunt ea, quæ latè enucleata sunt circa cognitionem quidditatiuam, abstractiuam, & distinctam per speciem à Deo supernaturaliter creatam in Angeli intellectu supra in difficultate 23. à numer. 8. vsque ad 16. & per totam difficultatem. Vbi contra Suarium ostendimus dari posse in Angelo quidditatiuam, distinctam, claram, & euidentem notitiã Dei, quæ sit abstractiua, & nullatenus intuitiua. Ex eis etenim, quæ ibi supponuntur notata, non solum de Angelo, sed de quolibet intellectu creato, respectu cognitionis Dei, hîc facile erit ostendere idem respectu cognitionis huius mysterij: & præsertim contra aduersarios, qui omnes tenent non posse esse cognitionem quidditatiuam Dei, personis non cognitis. Et quia quæ hîc desiderari poterant, sunt ibi satis ostensa, illuc sunt remittenda. Quæ autem circa tertiam difficultatem, de mente Doctoris hîc se offerunt exponenda, latè sunt vẽtilata supra in commentarijs nostris ad artic. 3. quæst. 4. distinctionis 2. Et ideò secunda & tertia difficultas, hîc ex ibi obseruatis exactissimè possunt resolui. Prima igitur difficultas, quam nouissimè vrgere conatus est Vazquez, ex professo hîc discutienda se offert.

14

Pro intelligentia ergo illius, primo obseruare oportet, vt omnem æquiuocationem tollamus de medio, difficultatem hanc non intendere probare, Deũ esse Trinum, demonstratione tantummodo rigorosa dialectica syllogistica, quæ scientiam generat, & quæ necessario debet esse per causas, vel effectus: sed inuestigat claram & euidentem Trinitatis cognitionem: hanc autem ostendam & demonstratiuè, & euidenter sine demonstratione dari posse. Nam quod etiam sine Dialecticis demonstrationibus euidẽtia habeatur: nemini dubium esse potest. Tum quia intuitiua notitia, cuiuscunque obiecti, euidens est & clara: & nihilominus, nec per causas, nec per effectus habetur: sed quia per illam obiectum videtur in seipso, sicuti est,

15 *Euidentia datur sine dialectica demonstratione.*

ideo

ideo est clara & euidens. Tùm etiam, quia prima principia per se primo euidentia sunt, siquidem ex eorum euidentia conclusio euidens est: & tamen non cognoscuntur demonstratiuè. Haberi igitur potest clara, & euidens obiecti cognitio, quin per demonstrationem generetur. Ex quo cõfutatur Vazquius, quatenus cap. 3. existimat, ideò non posse dari euidentem notitiam huius mysterij, quoad quæstionem, *an est*: quia ibi non fit demonstratio ex intrinsecis: & ponit exemplum in quodam argumento in *Darij*, cuius consequentiam euidẽter concludere fatetur, sed ideò, inquit, demonstrationem non esse, quia non infertur in conclusione aliquid, quod in maiori non habeatur: vtpotè: *Quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se: hæc sunt æqualia vni tertio: ergo hæc sunt æqualia inter se.* Aut in isto de animali in inferioribus: *Omnis homo est animal, Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Quos syllogismos à ratione verę demonstrationis, propter dictam rationem, Vazquez excludit.

16 Verum, quia non est cur in regulis dialecticis ventilandis tempus consumamus: breuiter dico duo ad intẽtũ Primũ est, nobis ad resolutionẽ difficultatis sufficere consequentiã euidenter sequi expręmissis, etiam si demonstratiuè (modo quo ait Vazquez:) non sequatur ex illis, vt dicatur posse haberi euidentem notitiam huius mysterij, quoad quæstion. *an est*. Secũdum est, prædictos syllogismos demonstrationes dici posse, quoad formam syllogisticam, licet demonstrationes non essent quoad materiam. Primum patet, quia syllogismus in debita forma & figura, demonstratiuus est de se quoad formam demonstrandi. Quoad materiam vero forsan dicerentur demonstrationes nõ esse: quia ille dicitur syllogismus demõstratiuus, qui generat scientiam. Scientia autem non est, nisi de proprietatibus, non vero de his, quæ essentialiter obiecto conueniunt.

17 Dico præterea, quod re vera adhuc in illis exemplis est rigorosa demonstratio, *propter quid*, & â priori: nam in ista, *omnis homo est animal*, &c. verè demonstratur animalitas de Petro per medium intrinsecum, quod est homo: & aliquid plus habetur in consequentia, quàm in maiori: quia in consequentia demonstratur de effectu, quod conuenit causæ: superiora enim sunt causæ intrinsecæ inferiorum, & non requiritur, quod omnis demonstratio scientiam generet: quia tunc de nullo particulari esset aliquid demonstrabile, sicut de nullo particulari, scientia potest dari. Suppositâ ergo materia scientiæ, vtpotè suppositis proprietatibus, quæ de obiecto demonstrantur, syllogismus demonstratiuus scientiam generat. Vbi autem materia scientiæ non est, syllogismus demonstratiuus generat euidentiam notitiæ, seu notitiam euidentem. Non igitur nostra interest habere scientificam notitiam huius mysterij quoad quæstionem, *an est*: sed satis est nobis de hoc euidentem cognitionem habere. Imò dico non tantummodo hanc euidentem notitiam haberi posse de hoc mysterio, vèrum etiam demonstratiuam ab effectibus, vt infra patebit.

Non omnis demonstratio generat scientiam.

His ergo prænotatis, mea refert, omnibus modis, quibus Vazquez negauit demonstrationem, aut euidentiam dari posse de hoc mysterio, quoad quæst. *an est*, dabilem esse, patefacere. Et primo quoad memoriam, exemplum D. Pauli in raptu est aptissimum, quod ponit Doctor in citato loco supponens D. Paulum Deum vidisse in raptu. Sed ne aliquis dubitet de hac visione, aliud exemplum de Beatâ Virgine ponit Pater Herrera: de quolibet ergo Beato sic potest poni: detur, quod Deus D. Petrum nunc absque visione Beatâ relinqueret, & ad vitam corporalem passibilem redderet: & quod iste absens à Dei visione, recordaretur se Deum Trinum vidisse, & hoc euidenter scit se vidisse. Qualiter autem Deus sit in tribus, aut Trinitatis ipsius quidditas, non sibi pro nunc in specie aliqua repræsentatur: & ideo quidditatis huius mysterij non recordatur, nec habet memoriam: benè tamen illam conseruat de hoc, quod euidenter scit se Trinitatem vidisse. Quod sæpissimè respectu plurium obiectorum in nobis contingit, & nobis euidenter constat talia obiecta vidisse: sed qualiter sint in se ipsis, iam de cursu temporis obliuiscimur. Quæ nam igitur est impossibilitas ex parte memoriæ, quam

18 *Euidentia Trinitatis quoad q. an est, multipliciter probatur.*

Vazquez

Vazquez exagerat ad hanc recordationem euidentem, quoad quæst. *an est?* certè nulla. Et ideo ipse Vazquez conuictus non potuit id non fateri in fine prædicti tertij capitis simulatim, dum hæc asserit. *Verum si quis multum contenderet hanc esse euidentiam rei in se, sed minus euidentem, quam per intrinseca principia, &c. non multum ego curarem.* Quamuis ergo hîc demonstratio à principijs intrinsecis non esset: est nihilominus clara, & euidens cognitio, per memoriam.

19 Sed dico contra Vazquium, ibi euidentiam esse etiam ex intrinsecis principijs: siquidem est ex intrinseca connexione prædicta, cum subiecto, quàm euidenter recordatur vidisse. Quamuis enim non distinctè, sed cõfuse recordetur, quid nam sit prædicatum, aut subiectum propositionis huius, *Deus est Trinus*: nihilominus sufficit ad quæstion. *an est*, quod recordetur prædicatum illud esse intrinsecè subiecto conueniens, talem in secundo modo dicendi perse. Quia licet non recordatur, qualiter quidditatiuè tale prædicatum sit in se, & qualiter connectatur cum subiecto, cognoscendo, scilicet, quid ita tiuè extrema cognitionis: cognoscit nihilominus absolutè huiusmodi subiectum, & prædicatum ab intrinseco inter se connecti: quod sufficit, vt hæc recordatio sit ex principijs intrinsecis, quoad quæstion. *an est*, quæ solum consistit in ista connexione.

20 Porrò quoad testimonium, quod etiam confutat Vazquez, euidentius patet: quia euidenter potest cognosci de Deo, quod mentiri non potest, siquidem potest euidenter cognosci de Deo, quod est summè bonus cuius bonitas cum mendatio compossibilis non est, & etiam cognoscitur, quod sit summè verax. Ex quo euidenti antecedente, consequentia euidens infertur: quia consequentiam præmissarum euidentiam in se habere necesse est. Sic ergo euidenter valet: Deus mentiri non potest: ergo quidquid dicit, est verum: sed dicit se esse Trinum: ergo est Trinus. Nec valet, quod inquit Vazquez, hanc propositionem euidenter sequi, ex principio tamen extrinseco: nam quamuis adquidditatem illius propositionis, *Deus est Trinus* extrinsece se habeat attestatio Dei dicentis: non tamen extrinsece se habet ad quæstion. *an est.* Quia ex isto principio *quidquid Deus dicit, est verum*, intrinsece, sequitur ista conclusio. *ergo est verum se esse Trinum*, quoad euidentiam huius propositionis, *an est*, vt patet. Vnde fateor non sufficere eius attestationem ad euidentiam quæstionis, *quid est*: quia cognoscatur, quod quid est, debet in se ipso, aut in principijs intrinsecis eius quidditas cognosci: ad quod Dei attestatio non sufficit. At qui ad euidentiam quæstionis, *an est*, sufficit illa prædicta euidentia ex attestatione primæ veritatis dicentis. Alias enim hoc euidens principium, *quod Deus mentiri non potest*, non esset principium intrinsecum alicuius euidentis conclusionis: quod dici non potest, siquidem euidentia præmissarum generat euidentiam consequentiæ: & nulla alia consequentia intrinsece inferri potest ex tali præmissa, nisi propositio similis, quæ in euidentiam talis principij refundatur.

Attestatio Dei dicentis est extrinseca ad cognoscendam Trinitatem, quo ad q. quid est, non tamen quoad q. an est.

Verum enim verò, quæ hactenus obseruauí, tantum modo euidentiam huius mysterij ex memoria, & testimonio, contra Vazquium posibilem esse ostendunt. Caterum euidentiam claram per effectus, qua, demonstratione *quia*, & à posteriori non minus, sed multo clarius, possit cognosci Deum esse primum per creaturam (Deo volente) quam naturaliter ex creaturis cognoscitur Dei vnitas, manifestabo, & ad id non aliud assumam exemplum, nisi ea, quæ Vazquez, forsan non penetrando, improbat. Ad cuius euidentiam secundo obseruo, quod visio, qua de facto, nunc Beatus videt Deum Trinum, & vnum, est quædam qualitas realis intellectum Beati informans, & hæc quidem qualitas, licèt in se sit quidditatiuè absoluta, dicit tamè transcendentalem respectum ad obiectum, quod respicit, nempè, ad Deum vnum, & Trinum. De ratione autem respectus non est, quod contineat terminum in se, sed sufficit, quod illũ respiciat, & ideò relatio non definitur per terminum in recto, sed in obliquo: quam ob rem, & si stare non possit cognitio distincta relationis, sine cognitione termi-

21

Visio Beata est qualitas, cũ respectu tamè transcendè tali ad Deũ Trinum & vnum.

termini: non tamen ob id requiritur, quod terminus cognoscatur distinctè, sed confusè. Nam cognitio distincta Patris in creatis, infert cognosci Patrem habere Filium, sed non infert cognosci distinctè Filium: quia tunc vnius relatiui cognitio esset distincta cognitio sui correlatiui.

Relatio cognoscitur distinctè, quin terminus distinctè cognoscatur.

22 Hoc in cognitione Dei per creaturas ostendo: nam si distincta relatiui cognitio, postularet distinctam cognitionem sui termini: necessariò qui distinctè cognosceret creaturas, vt creaturæ sunt, distinctè cognosceret Deum, vt Deus est: & ex cõsequenti, cognitio euidens, qua naturaliter Deus cognoscitur per creaturas, quo ad quæst. *an est*: necessariò esset cognitio distincta, & euidens, quoad quæstionem, *quid est*. Quod quã falsum sit, nemo nescit. Sequela verò probatur, quia quo ad quæstionem, *an est*, cognoscitur per creaturas ex relationibus ipsarum ad illum: ergo si ad huiusmodi cognitionem requiritur distincta termini cognitio: necessariò requiritur cognitio Dei distincta. Si ergo sufficit confusa Dei cognitio ad quæst. *an est*: quare non sufficiet confusa cognitio Trinitatis ad cognitionem distinctam visionis, qua beatus videt illam? Si ergo Deus manifestaret visionem alicuius beati intellectui viatoris: cognosceret quidè illã visionem distinctè: sed eius obiectum, seu terminum in confuso, quatenus, scilicet, cognosceret esse Trinitatem, quæ terminabat visionem illam, absque eo quod distinctè illam Trinitatem videret.

23 Nec obstat ratio differentiæ, quam ponit Vazquez inter relationes creaturæ ad Deum, & relationem visionis ad obiectum, quod, scilicet, & si possit videre distinctè creaturas, etiam si nõ cognoscatur Deus: non tamen potest cognosci visio, non viso obiecto: quia tunc nemo discernere posset, an hæc notitia esset intuitiua, & propria talis obiecti, nisi ipse videret intuitiuè ipsum obiectum. Hæc namque ratio Vazquij falsum assumit, videlicet, ad perfectam, & distinctam notitiam cognitionis requiri notitiam distinctam obiecti talis cognitionis. Sufficit enim confusa notitia illius obiecti, vt eius notitia cognoscatur distinctè. Optimè enim discernit esse notitiam Trinitatis, si cognoscit terminari ad Trinitatem, etiam si ipsam Trinitatem distinctè nõ cognoscat. Ad huius confirmationem, est in promptu insignis locus Scoti in quodlibetis, q. 14. lit. li. vbi postquam præclara, & plura ad hoc propositum, dixerat, hæc profert. *Et per idem ad secundum, quia actus est similitudo cognita: & talis non sufficit ad cognoscendum illud, cuius est actus. sicut species intelligibilis in vno intellectu visa alij intellectui videnti eam, non sufficeret ad perfectè cognoscendum obiectum, cuius est.*

Sed contra replicat sibi Doctor ibidem: actus in illo intellectu, cui ineſt, est ratio perfectè attingendi obiectum, tanquam præsens per illum actum: igitur ei, cui ille actus est præsentialiter notus, ille per illum actum notum poterit attingere eius obiectum: quia per illum actum, & in illo habet idem obiectum sibi præsens. Sed obiectionem istã Doctor ipse sequentibus verbis egregiè dissoluit. *Respondeo, quod intellectus, cui actus ineſt per illum, vt rationem proximam attingendi, attingit obiectum, suppositata tamen præsentia obiecti propria: cui autem ille actus est cognitus, non habet illum, vt sibi propriam rationem attingendi: sed ad hoc, quod haberet actum, quo formaliter attingeret: oportet habere alium actum: & cum hoc propriam præsentiam obiecti.* Ex quibus habetur contra Vazquium, per has creaturas, vtpotè, per cognitionem visionis beatæ, & per speciè intelligibilem repræsentantem Trinitatem (quæ secundum Scotum est creabilis) posse euidenter, & clarè cognosci mysterium Trinitatis, quo ad quæstionem, an est, absque eo quod cognoscatur, quo ad quæst. *quid est*.

24

Demum, quo ad alium effectum, per quem potest euidenter cognosci Trinitas, quo ad quæst. *an est*, est vnio hypostatica humanitatis ad verbum, quã Vazquez impugnat posse esse medium cognitionis prædictæ, vtpotè, si tres naturæ vnirentur, vna vt qualibet vnius personæ Trinitatis vnitarum hypostaticè: & sic tres essent vniones hypostaticæ, vna, scilicet, ad Patrem, alia ad Verbum, alia ad Spiritum Sanctum,

25

Prob. ad

Probat Vazquez ex cognitione iſtarum vnionum non poſſe haberi euidentem notitiam huius myſterij ; & quidē hoc exemplum, quod Vazquez adducit, facile etiam pro oppoſita ſententia ſoluerem: quia cum ratio terminandi ſit diuina perſonalitas abſtrahendo à tali, vel tali perſona: & quælibet diuina perſona poſsit ſimul plures terminare naturas (ſecundum omnem ſentētiam) facile dici poteſt, quod quantumuis diſtinctè, & intuitiuè cognoſcerentur tales vniones: adhuc per illas non poteſt cognoſci myſteriū Trinitatis: quia ſtat omnes ſimul terminari ad vnam perſonam: & cum terminatio ſit ſecūdum rationem præciſam perſonæ: ſtat cognoſcere eſſe terminatas naturas ad perſonam Dei, quin cognoſcatur perſonam terminantem eſſe vnam, ſeu plures, aut eſſe abſolutas, vel relatiuas, & ſic eſſe Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum. Atque ideò non benè probat intētum, qui vtitur prædicto exēplo à Vazquio adducto, & impugnato.

26 Cæterum, vt hoc exemplum de hypoſtatica vnione conuincat intentum, aliter debet poni, videlicet, quia ſecundum probabilem ſententiam Thomiſtarum, omnes tres perſonæ poſſunt ſimul eandem numero naturam aſſumere, & terminare. Demus ergo, quod ſicut poſſunt, ſic de facto aſſummerent. Tunc ſi alicui intellectui euidenter, & diſtinctè eſſet cognita vnio illa, diſtinctè, & euidenter cognoſceret eſſe naturam illam terminatam ad tria ſuppoſita realiter diſtincta, ſecundum rationes ſuppoſitandi, in quibus vt ſic, non includuntur relationes ſub expreſſo conceptu relationis: ſed ſub ratione incommunicabiliter ſubſiſtendi. Qui ergo iſtam vnionē videret, haberet euidentiam demonſtratam huius myſterij, abſque eo quod diſtinctè cognoſceret Trinitatem: quia ſi diſtinctè cognoſceret naturam eſſe terminatam, diſtinctè quoque cognoſceret eſſe ad tria ſuppoſita terminatam: aliàs enim non diſtinctè cognoſceret eſſe terminatam: quia non poteſt cognoſci aliquid eſſe dependens diſtinctè, quin cognoſcatur, an ab vno, vel à pluribus dependeat. Tamen ex hoc non ſequeretur diſtincta cognitio illorum, à quibus dependet. Conuincitur ergo, quod iſte talis per hanc creaturam, quæ eſt vnio hypoſtatica, euidenter, & demonſtratiuè cognoſceret myſterium Trinitatis. Ex quibus concluditur eiſdem prorſus exemplis, quæ reprobauerat Vazquez probari poſſe huius miſterij claram, & euidentem notitiam poſsibilem eſſe.

§. 3.

Statuuntur concluſiones huius difficultatis.

HIS præhabitis, difficultatem concludēdo, dico primo, poſſe intellectum creatum viatoris ex Dei reuelatione habere claram, & euidentem notitiam demonſtratam myſterij Trinitatis, quoad præciſam quæſt. an eſt. Cōcluſio eſt expreſſa Doctoris, & ſtatuitur contra Vazquiū: quæ efficaciter probatur, ex quinque medijs, quibus hoc myſterium euidenter cognoſci obſeruauimus contra ipſum hîc à num. 15. vſque ad 26. ſcilicet, ex memoria, ex teſtimonio, ex viſione beata, ex ſpecie intelligibili, & ex vnione hypoſtatica. Quæ quinque media intellectui viatoris euidenter poſſunt oſtendere Deum eſſe Trinum, abſque eo quod ei oſtendant qualiter quid ditatiuè ſit Trinus. Videantur ibi prædicta media enucleata. 27 1. Concluſ.

Dico ſecundo, dabilem eſſe cognitionem abſtractiuam diſtinctam, quidditatiuam, & claram huius myſterij, immediatè à Deo productam, aut mediante ſpecie intelligibili à Deo infuſa, qua intellectus creatus viatoris hoc myſteriū euidenter cognoſcat, quoad quęſt. quid eſt. Concluſio eſt expreſſa Scoti, quoad vtramque partē. Quoad primam enim, nempè, de notitia immediatè à Deo producta, illam exprimit in 2. diſt. 3. q. 9. iam citata ſublitera H. his verbis. *Concedo, quod Deus poteſt immediatè cauſare intellectionem, &c.* quoad ſecundam verò de cognitione per ſpeciē, in litera patuit. Quæ concluſio ſatis expoſita, & probata eſt ſupra in difficultate 23. præſertim à num. 8. vſque ad num. 16. & à num. 29. vſque ad num. 34. vbi omnia, quæ ad eius euidentiam reſolutoriè, & arguitiuè ſe 28 2. concluſ.

uè ſe offerunt, explanata ſunt, circa quã triplex occurrere poterat dubitatio pro parte aduerſariorũ. Prima quidẽ circa poſsibilitatem ſpeciei creabilis repræſentantis Deum vnum, aut Trinum: quia ſcilicet non poteſt aliqua creatura Deum quidditatiuè repræſentare: eo quod nulla eſt proportio finiti ad infinitum. Sed hæc dubitatio latè ſoluta eſt ſupra in difficultate 24. Secunda circa poſsibilitatem ſpeciei creabilis, quæ repræſentet Deum, vt vnum & Trinum, quin ipſum per talem ſpeciem intellectus viatoris videat intuitiue. Hæc tamen dubitatio in difficultate 23. locis citatis exactè ſoluta eſt. Tertia circa poſsibilitatem creabilis viſionis, quã Deus poſsit creare ſe ſolo, & immediatè illam intellectui viatoris infundere. Dubitatio vero iſta etiam ſoluta eſt ſupra in difficultate 26.

29 Vnde ex his omnibus ſic conficitur argumentum, nulla eſt implicatio, quin Deus poſsit producere immediatè notitiam, euidentem, repræſentantem ſuam eſſentiam, & Trinitatem abſtractiue: aut ſpeciem repræſentantem eandem eſſentiam, & Trinitatem abſtractiuè: ſed per hanc viſionem ſeu ſpeciem, intellectus viatoris clarè, diſtinctè, euidenter, & quidditatiuè, cognoſceret Trinitatem, quin illam intueretur: ergo, &c. Minor eſt certa, maior eſt probata ex citatis difficultatibus, cõſequentia vero ex his præmiſsis illata, eſt euidens.

30 *Tertia concluſio. Adhuc ſuppoſita fide, nulla ratio à nobis facta Trinitatem euidenter demõſtrat, ſed ſolum perſuadet illam.*

Dico tertio, quod etiam ſuppoſita reuelatione & fide, qua credimus Deũ eſſe Trinum, non eſt aliqua ratio, qua poſsit intellectus viatoris Trinitatem euidenter, aut demonſtratiuè probare: ſed omnes rationes, quæ fiunt ad probandum dari Trinitatem in Deo, ſunt perſuaſiones magis, vel minus efficaces, nulla tamen eſt euidens. Concluſio eſt expreſſa Scoti, & omnium, demptis Lullio, & eis, quos pro eius ſententia allegauimus: Quæ hac vnica ratione probatur, nam omnis ratio, quæ habetur ad hoc myſterium probandum, eſt ſolubilis: ergo nulla eſt euidens demõſtratio. Conſequentia eſt nota, antecedens patet: quia efficaciſſimæ omnium rationum ad hoc myſterium probandũ ſunt illæ, quas poſuit Scotus: quarum ſubtilitate decepti ſunt plures, credentes demonſtrationes eſſe, vel ſaltem Scotum illis hoc myſterium demonſtrare intendiſſe: ſed huiuſmodi rationes ſunt ſolutæ ab ipſo Scoto, vt patet ex citato art. 5. quæſt. 4. diſt. 2. vbi ipſe fatetur, demonſtrationes non eſſe, ſed perſuaſiones tantummodo: ergo, &c.

§. 4.

Soluũtur argumenta primæ ſententiæ.

VERVM argumenta pro oppoſitis ſententijs ſoluendo, dico, ad primũ pro prima ſententia, quod eſt Vazquij: quod Trinitas quoad quæſt. *an eſt*, cognoſci poteſt multis modis, vt ſupra oſtendimus: inter quos eſt etiam cognitio per creaturas, ſeu per effectus, non tamen in ratione creaturæ, aut effectus illius, vt cauſæ efficientis: quia vt argumentum probat, & nos latè oſtendimus in difficultate præcedente, omnis effectus, & creatura, eſt effectiuè à Deo, vt vno: quia actiones ad extra ſunt indiuiſæ: ſed in ratione talis creaturæ, quæ ſpecialiter reſpicit Deum vt trinũ, non vt cauſam efficientem, ſed terminantẽ, quæ ad genus cauſæ formalis reducitur, ſicut terminus relationis: quia vt probat Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. terminare non eſt agere: & quatenus talis creatura reſpicit Deum vt Trinum, & ad ipſum, vt Trinum terminatur, ducit nos in cognitionem Dei Trini, non minus, quàm cæteræ, in ratione effectus ducunt nos in cognitionem Dei vnius. Cognita enim quidditatiuè ab aliquo viatore per reuelationem viſione beata alicuius beati, quæ eſt creatura quædam, cognoſceretur neceſſario ipſam terminari ad Deum Trinum, ſicut à parte rei terminatur, abſque eo quod ipſa Trinitas cognoſceretur quoad quæſt. *quid eſt*. Et ideò ex cognitione huius, aut ſimilis creaturæ, vtpotè ſpeciei intelligibilis repræsẽtantis Trinitatem, aut vnionis hypoſtaticæ terminatæ ad Trinitatẽ, euidenter cognoſcitur ab intellectu viatoris Trinitas quoad quæſt. *an eſt*. Et hoc non eſt co-

31 *Ad argumenta, & ad primum*

gnoſci Trinitatē per propriam ſpeciē: ſed eſt cognoſci per cognitionē ſuæ ſpeciei, vel ſuæ cognitionis: nam ſicut poteſt quis reflexe ſuam cognitionem cognoſcere: ſic poteſt intellectus cognoſcere cognitionem alterius: non enim minus ſufficiens eſt cognitio terminare cognitionem alterius intellectus, quam reflexam ſuimet intellectus.

32 Ad ſecundum dico, diſcurſum Vazquij nihil contra noſtram ſecundam cōcluſionem concludere. Ad cuius euidētiam ſupponitur ex notatis ſupra in difficultate 3. à qua huius reſolutio pendet, notitiam intuitiuam non diſtingui ab abſtractiua per hoc quod eſt abſtrahere, vel non abſtrahere ab exiſtentia: quia de re exiſtente, vt exiſtens eſt, datur abſtractiua notitia: præſertim de Deo, cuius exiſtentia eſt de quidditate eſſentiæ, & ſic per locum intrinſecum implicat ab exiſtentia abſtrahere, intelligendo Deum quidditatiuè. Diſtinguitur ergo vtraque notitia penes hoc quod eſt terminari ad obiectum in ſe ipſo præſens, vel non. Ad quod nō ſufficit illa generalis præſentia, qua Deus omnibus præſens eſt: ſed requiritur illa qua ſe ipſum, ſicuti eſt, intellectui manifeſtat, & in ſe ipſo præſens, vt præſens, eius viſionem terminat. Ad quod notauit Molina, quod quanuis notitia terminetur ad obiectum præſens, non ideò erit intuitiua: nam ſtat aliquem eſſe coram amico, clauſis tamen oculis, quem nihilominus interno cogitatu cognoſcit eſſe præſentem: ſed notitiam intuitiuam de amico non habet, licèt illa ſit quidditatiua notitia rei præſentis cuius rationē reddit Molina: quia præſentia non repræſentatur in ſpecie, qua ille cogitat de amico, ſicut requiritur ad viſionem intuitiuam, quæ eſt per externam viſionem oculorum. Huius autem differentiæ aliam rationem tradit Ægidius Luſitanus vbi ſupra: & eſt, quia licèt illa notitia repræſentet amicū præſentem, non tamen repræſentat præſentiam illius, vt exercentem rationem formalem obiecti mouentis potentiam, ſecundum ſuam realem præſentiam, & exiſtentiam, & præſentantis ſe ipſum obiectiuè ſecundum eandem præſentiā, & exiſtentiam: quod requiritur ad notitiam intuitiuam.

Deus, qua præſentia dicatur beatificare intellectū noſtrum.

Hęc quidem à Molina, & Ægidio bene notata ſunt: ſed nondum explicant hi auctores rationem notitiæ intuitiuæ: quia ſi Deus ſpeciem repræſentantem ſe ipſum præſentem crearet: hæc ſanè haberet omnem rationem mouendi: ſi tamen ipſam conſeruaret in aliquo intellectu, cui ipſe Deus defineret eſſe præſens: profectò notitia per talem ſpeciem habita non eſſet intuitiua; aliàs enim notitia intuitiua daretur de re abſente. Non ergo ſufficit illa motio quā ponit Ægidius: ſed requiritur, quod tale obiectum exerceat rationem præſentiæ obiectiuæ interminando. Hæc enim eſt formaliſſima ratio, quæ complet formaliter notitiā intuitiuam. Vnde quia Deus per generalem præſentiam, non exercet rationem obiecti præſentis, in terminando cognitionem ſui: ideò non ſufficit quod generaliter ſit omnibus præſens, ad hoc vt notitia illa ſit intuitiua ſed requiritur ſpecialis præſētia, qua ſe vt præſentem ſpecialiter, intellectui manifeſtat. 33

Notitia intuitiua in quo formaliter cōſiſtat, recte exponitur.

Ad tertium reſpondeo ex dictis, notitiam intuitiuam non dari ſinè præſentia obiecti, & beatificam eſſe non poſſe, quin intuitiua ſit. Si etinim Deum exiſtentē quidditatiuè cognoſcat, eleuabitur certe: nam ſi viator, quia contemplatur, eo modo, quo poteſt, diuina arcana, ſpiritualiter contemplationibus ſuis ad cæleſtia affectiuè eleuatur, & delectatur: multo magis, qui quidditatiuè Deum cognoſceret, delectaretur, & eleuaretur: ſed adhuc non beatetur ſine Dei præſentia: quia beatitudo eſt viſio facialis: & dummodo non habetur facie ad faciem, viſio beata non eſt, quamtumuis intellectus cōtemplationis perſpicacitatibus eleuatur. Variat etenim abſententia obiecti rationem formalem cognitionis, quæ ad beandum requiritur. 34

Ad quartum patet per idem, quod ad tertium dictum eſt: & ad illud de beatitudine in creaturis dico, quod ſi beatitudo conſiſteret in viſione intuitiua alicuius creaturæ, ſicut conſiſtit in viſione Dei: non minus requireretur præſentia creaturæ, quàm requiritur præſentia Dei: & ideò licèt quidditatiuè cognoſceretur, non tamen eſſet viſio, ac propterea beatitudo non eſſet. Et mi- 35

ror

ror Vazquium hoc parui ponderis argumento suam corroborasse sententiam: si quidem est axioma Theologicum à nemine hucusque negatum, visionem beatam, non quantumque intellectionem esse, sed qua Deus facie ad faciem à beatis videtur; quod Auctor iste videtur velle destruere ponendo sufficere contemplationē diuinæ quidditatis ad beandum. Profectò si probasset han cognitionem quidditatiuam, quam ponit Scotus necessario intuitiuam esse: optimè probaret intentum. At qui intendere illam sine intuitione sufficere ad beandum: assumptum est apertè falsum, & satis futile argumentum contra subtilissimam Scoti doctrinam.

35 Ad quintum Raimundi facillime cōuincitur non probare intentum: quia nititur principio credito, non autem per se noto, creditur enim in Deo esse actum realem producendi, & personam productam: ideòque concordia agentis & acti, nunquam in Deo potest euidenter inferri: si quidem semper refundenda est propositio illa de concordia in illud principiū creditum de actu productiuo personæ producentis, & de persona producta. Et sic ruit tota illa machina bonificatiui, & bonificabilis, in qua se fatigauit Raimundus.

36 Nam licet bene ex concordia pluralitatē demōstratiue inferat, eo quod cōcordia relationem inter concordes importat: non tamen propterea bene in diuina bonitate concordiam esse concludit: quia si Deus esset vnicus personaliter: adhuc eandem prorsus bonitatem, quā trinus habet, haberet; ibi tamen concordia non esset: quia non esset pluralitas: non igitur in diuina bonitate esset cōcordia: ergo nec modo in diuina bonitate, quatenus formaliter diuina bonitas est Dei perfectio, & attributum, cōcordia illa habetur. Si verò bonitatem accipiat pro actu notionali, quē vocat *boni facere*, & infert concordiam bonificatiui, & bonificabilis (quam vis hoc sit abuti vocabulis) veritatem pluralitatis personarum ostendit: hoc tamen non ex euidenti: principio demonstrat, sed ex principio fidei persuadet.

(.7.)

ARTICVLVS IIII.

Vtrū respectus vestigij in creaturis fundetur in aliquitate tā tum, an vero in ratitudine rei, & hæc an sit relatio?

AD quartū sic proceditur, & videtur, quod respectus vestigij in creatura fundetur in aliquitate tantum, & non in ratitudine: modus ponitur iste secundum Auicen. 5. Metaphysic. humanitas est tantū humana: ergo ratio humanitatis non est res rata: ergo oportet, quod aliquo alio extra rationem formalem humanitatis sit ens ratum. Arguitur etiam, quod illud, quo formaliter est ratitudo eius, sit respectus vestigialis, & hoc primo sic, *seu in ordine.* A.

Secundo præterea: quidquid includitur per se in intellectu alicuius, in quantum tale, est illud, quo ipsum formaliter est tale: sed respectus vestigialis includitur in ratione cuiuslibet entis rati: ergo, &c. Probatio minoris: quia quoddā ens est, quod est ipsū esse, sicut Deus: quoddam, quod non est ipsum esse, seu cui contingit esse, sicut omne aliud extra à Deo, quod nō est de se esse, sed tantum cui contingit esse. Ex hoc arguitur sic, quodcunq; ens, quod non est de se esse, sed tantum cui contingit esse, non est ens ratum, nisi participando ipsum esse, vel in quantum participat ipsum esse: sed omne aliud à Deo, est cui contingit esse, & non est ipsum esse: ergo illa participatione formaliter est ratum. Secundo sic, *vel in ordine.* B.

3. Præterea: nihil aliud à Deo potest perfectè cognosci sine cognitione C.

omnium causarum intrinsecarum, & extrinsecarum primo Physicorũ, sed si essentia alicuius talis esset absoluta, & non includeret essentialiter respectum ad causam extrinsecam, posset perfecte cognosci sine cognitione causæ extrinsecæ: ergo oportet, quod includat talem respectum.

D. Quartò præterea: adducitur ad hoc August. octauo de Trinitat. cap. 3. vel octauo, videbis bonum omnis boni, &c.

E. Quintò præterea: Boetius de hebdomadibus si paulisper per intellectũ ammoueas ipsum primum bonũ, tunc licèt sint bona, non tamen in eo quod sunt, erũt bona: ergo aufertur ratio boni ab eis, ablato per intellectum primo bono, & per consequẽs bonitas formaliter in eis dicit respectum: quia participationem summi boni.

F. Sed contra est: quia quodlibet ens est formaliter actiuum, sua ratitudine, quod probatur: quia ratitudine est formaliter in actu: sed nihil secundum auctorem præcedentium argumentorum est formaliter actiuum relatione: quia relatio non est principium agendi: ergo ratitudo non est relatio.

G. Respondeo dicendum, quod quantum ad quartum articulum dicitur secundum Boetium de hebdomadibus, quod diuersum est esse, & id quod est: quia illud, quo aliquid est, dicitur ratitudo eius: quo autem ipsum est, quod est, vel aliquid, dicitur aliquitas eius. Hoc intellecto, dicitur: quod respectus vestigialis in creatura, non fundatur in ratitudine rei, sed in aliquitate tantum, & est formaliter ratitudo eius, modus ponitur iste secundum Auicen. *vt in primo argumento patet, & in sequentibus.* Arguitur etiam quod illud, quo formaliter est ratitudo eius, sit respectus eius vestigialis. Si arguitur contra istam opinionem per Auer. 11. Metaphysic. quod relatio habet debilissimũ esse: ergo non est, nec potest esse formaliter ratitudo entis formaliter rati. Dicitur, quod duplex est relatio quædam accidentalis, & quædã substantialis. Et accipitur ista distinctio relationis à Simplicio super prædicamenta, vbi vult, quod esse, in, non constituit aliqua prædicamenta sicut esse, ad. pro eo quodaliqui respectus sunt essentiales, siue substãtiales, aliqui non. Dicunt igitur, quod dictum Cõmentatoris verũ est de relatione accidẽtali, nõ de substantiali. Si autẽ objcitur, quod omnis relatio supponit fundamentũ in esse, ratio igitur non est ipsa ratitudo fundamenti. Dicitur, quod verũ est de relatione adueniente fundamento: non autem de constituente fundamentum, & huiusmodi est ista, &c.

Contra ista, vt intelligantur verba illa distinguo tria secundum opinionem illius Doctoris: in cuius dictis videtur fundari ista opinio: quia secundum ipsum res dicitur à reor, reris: quod est opinari, & sic est communis secundum ipsum, figmentis, & non figmentis: secundo modo res dicitur à ratitudine. Loco istorũ verborum, accipio verba planiora, pro redicta a reor, reris, accipio realitatem opinabilem: quæ communis est secũdum ipsum, figmento, & non figmento: pro re autem dicta à ratitudine, accipio (secundum intentionẽ suã) realitatem quidditatiuam: quia ponit rem quidditatiuam esse ratam, per hoc quod est exemplata, quod non conuenit figmentis: vltra ista nõ restat nisi realitas existentiæ actualis. H.

Habemus ergo tria per ordinem realitatem opinabilem, quidditatiuam, & existentiæ, quæro nunc, quid intelligit per aliquitatem? Si realitatem I.

Henr. quod lib. 3. q. 5. & quodlib. 5. q. 2. & quodlib. 4. quæst. 7. & quodlib. 2. quæst. 3.

Comm. 19. sup. 12. Aristot.

Confutatio opinionis præcedentis.

tatem opinabilem, cum illa sit communis alicui, & nihilo, illa de se nihil est. Igitur si ratitudo fundetur in aliquitate sic sumpta, sicut quidditas, vel essentia in supposito fundatur in nihilo, nihil est: quia quod nihil est ad se, nihil est ad aliud septimo de Trinitate capite tertio: ergo ratitudo nihil est. Igitur tota res composita ex ratitudine, & aliquitate, erunt duo nihila. Si aliquitas dicatur realitas quidditatiua. Quæro ergo quid intelligit per ratitudinem, aut realitatem quidditatiuam, aut realitatem existentiæ? si quidditatiuam: igitur dicere ratitudinem fundari in aliquitate, est dicere realitatem quidditatiuam fundari in realitate quidditatiua, quod nihil est. Si realitatem existentiæ. Contra, igitur illi realitati existentiæ præsupponitur ratitudo: quia res (secundum istam opinionem) habet verè esse ratum, ante esse existentiæ. Si dicas quod aliquitas, quæ est realitas opinabilis, est quid commune alicui, & nihilo: sed alia est aliquitas, quæ est propria figmentis, & alia quæ est propria rei posibili esse, quæ non competit figmentis: ex qua componitur res habens aliquitatem, & ex ipso esse, sicut ex ratitudine sua. Contra, hoc est dicere, quod duplex est aliquitas alia alicuius, & nihili: alia vero alicuius tantum: sicut si diceretur, duplex est albedo, alia albi, & nigri, & alia albi tantum. Et præterea de illa aliquitate propria entitat posibili, quæro, aut illa est respectus tantum, & fundatur in aliquitate communi: quia illa sola præcederet eam: & tunc fundabitur in nihilo, vt dictum est, & tunc erit nihil. Aut illa aliquitas propria est absolutum, & per eam distinguitur res habens eam à figmentis per te: igitur ista est prima ratitudo rei, & absoluta: & ita respectus non erit prima ratitudo rei.

Præterea secundo sic, humanitas, aut habet de se conceptum, cui non repugnat aliquid subesse in effectu, aut cui repugnat de se aliquid subesse in effectu, aut cui de se aliquid subest in effectu. Non tertio modo, secundum omnem opinionem: quia hoc est proprium soli Deo. Si detur, quod de se repugnet sibi aliquid subesse illi conceptui: igitur per illum respectum aduenientem non potest ei competere, quod aliquid posit sibi subesse: quia quod repugnat alicui ex parte sui, non potest ei non repugnare stante natura eius, & ita non fit sibi non repugnans per aliquem respectum aduenientem: ergo conceptus humanitatis est talis cui de se non repugnat aliquid subesse in effectu. Sed talis est conceptus entis rati (secundum opinionem istius Magistri) quia conceptui figmenti repugnat aliquid subesse in effectu. Præterea Philosophus quarto Metaphys. ex opinione dicentium omnia apparentia esse vera, infert istud impossibile: quod omnia erunt ad aliquid: quod non intelligit tantum denominatiuè: quia sic omnia esse ad aliquid, verum est, saltem omnia alia à Deo: ergo intendit inferre pro maximo inconuenienti omnia esse essentialiter ad aliquid, hæc autem opinio ponit omnia esse essentialiter ad aliquid: ergo ista opinio videtur ponere, quod apud Philosophum est magis inconueniens, quam ista omnia apparentia sunt vera. Respondetur, quod Philosophus dicit, quod omnia erunt ad aliquid scilicet ad opinionem, & sensum. Contra: in argumento ducente ad impossibile, conclu-

K.

3. confutatio.

4. Metaph. tex. co. 26. & 27.

Solutio.

Impugnatio.

1. Poster. tex. com. 42. sio debet æquè, vel magis esse impossibilis, quam præmissa: ista conclusio illata, quatenus sic illata, non differt à præmissa, quæ ponit animam esse veram propter apparentiã eorũ sensui, vel opinioni, niũ in hoc, quod infert omnia esse ad aliquid: ergo si in aliquo habet maiorem impossibilitatem, quam præmissa, est ista impossibilitas, omnia sunt ad aliquid simpliciter.

L. Quarto sic, humanitas in quantum humanitas, aut habet tantum quid nominis: aut habet quid rei, quod repugnat figmentis. Si primo modo igitur de humanitate in quantum humanitas, non plus est scientia, quam de chimera: & per consequens Metaphysica, quæ est de quidditatibus, non magis est scientia, quã si esset de figmentis non intelligibilibus propter contradictionem inclusam in eis. Si vero humanitas in quã tum humanitas habet quid rei, quod repugnat figmentis, humanitas, vnde humanitas est quid ratum. Respõ detur, quod humanitas vnde humanitas habet aliquam diffinitionem: sed illa non indicat ens ratum: quia figmenta possunt habere genus, & differentias: & ita diffinitionem, sed ad habendum rationem completam entis rati oportet addere respectum ad ens imparticipatum. Istud non respondet ad argumentũ: quin Metaphysica nulla sit scientia. Similiter quod dicit de figmentis, quod figmenta habent genus, & differentiam, falsum est: quia omne tale habet rationem in se falsam, & includentem contradictionem: quia vna pars repugnat alteri: sed tales partes nunquam sunt genus, & differentia: quia differentia est per se determinatiua generis, & per consequens non repugnat ei. Secundo, cõtra opinionẽ arguitur ex dictis eius: primo sic,

2. post. tex. com. 10. *Solutio.*

Impugnatio.

vt habetur §. *sed contra.* Item secundum ipsum, nulla creatura, in quantum rata, differt specie ab illo esse, quod est Deus: sed ipsum esse quod est Deus secundum omnem opinionem est absolutum: quomodo igitur illud, quod est formaliter relatio, non differt formaliter ab eo, quod est absolutum? Item secundum ipsum, ens rationis participat ens ratum, non tamen formaliter est res rata: ergo participatio talis non est formaliter ipsa ratitudo: quare, &c.

Quantum *ergo*, ad istum articulum, dico, quod nullus respectus est ratitudo sine quo aliquid est firmum ens, vel verum ens, vel certum ens in quacunque entitate: quia omnis respectus aliquid habet in quo fundatur, quod secundum se, non est ad aliud. Et in illo priori, in quo est essentialiter ens ad se, non est essentialiter ens certum, aut ens firmum, non erit capax alicuius respectus, per quem fiat ens ratum: quia ens non ratum, si fiat ratum, aut fiet ratum ex se: quod includit contradictionem, quia quidquid est ex se aliquale, est necessario tale. Aut ab aliquo causante fiet nec ratũ, & si hoc, prius naturaliter absolutum aliquod potest terminare illam causationem, quam respectus: quia formalis ratio cuiuslibet termini primi producti, non est necessariò respectus. Ad rationes pro opinione oppositas quantum ad istum tertium, quartum articulum *respondetur.* M *Conclusio*

Ad primum igitur argumentum *hoc est*, ad illud Auicenæ de humanitate, dico quod per hoc quod dicit, quod equinitas est tantum equinitas, ly, tantũ, non excludit illa, quæ sunt de per se ratione equinitatis, cuiusmodi est entitas rata: sed exclu N.

dit

dit illa, quæ sunt de per se ratione equinitatis: cuius modi est entitas rata, sed excludit illa, quæ sunt per se passiones entis, vt vnum, actus, &c. sicut patet ibi per literam suam.

N. Ad secundum, tàm maior est falsa, quàm minor. Maior quia animal ineſt per se homini, & essentialiter, in quantum homo: non tamen animalitas est qua formaliter homo est homo. Sed si addatur in maiori, quidquid per se includitur in intellectu alicuius, tanquam vltimum in eo, vera est: & sic minor est falsa. Cum probatur per alium prosylogismum: creatura est cui contingit esse, &c. Dico, quod maior illius prosylogismi falsa est, si per ly, in quantum, intelligatur reduplicari aliquid per se primo modo, vel si accipiatur in maiori participando, gerundiuum, & prout, exponitur per quia. Nam si per ly, quia, intelligatur causalitas pertinens ad primum modum per se, maior est falsa eodem modo: quia per se primo modo participatio ipsa non est, quo ens est formaliter ratum. Si autem intelligatur per ly, in quantum, causalitas pertinens ad secundum modum per se, qualis est in subiecto respectu propriæ passionis, sic concedo, quod tale ens in quantum tale ens, putâ lapis, in quãtum lapis participat esse: non est tamen propria vera, è conuerso, scilicet, in quantum participat, est ens. Exemplum: hæc est falsa propriè loquendo, homo in quantum risibilis est homo, etiam intelligendo per se secundo modo: & multo magis per se primo modo: tamen hæc est vera, homo in quantum homo, est risibilis secundo modo. Sic in proposito, ista non est concedenda lapis in quantum participat esse, est ens, sumendo in quantum, vt supra dictum est secundo modo. Tamen potest concedi aliquo modo illa prima: quod lapis in quantum lapis participat ipsum esse: ita quod lapis positus in entitate rata, de necessitate, & per se secundo modo, habet respectum participationis, sine qua ipsum esse, includit contradictionem, sicut subiectum esse sine propria passione, vel fundamentũ relationis esse sine relatione, posito termino illius relationis. Tunc intelligo sic, quod in primo instanti naturæ, est ens, quod est ipsum esse, id est Deus. In secundo, lapis est ens ratum absolutum, quod nec intelligitur tunc vt participans, nec vt non participãs. In tertio, est ipsa participatio, & respectus quidam consequens ad ipsum lapidem.

O. Ad tertium, *id est*, ad argumentum de primo Physicorum de causis dico, quod aliud est relationem esse priorem cognitione causati cogniti per causam, & aliud ipsam includi in cognitione causati: licet enim prius lapis habeat respectum ad Deum, quam lapis cognoscatur: & ideò non cognoscitur perfectè, nisi cognito Deo: tamen lapis cognoscitur, non cognito respectu ad Deũ, & ex hoc sequitur, quod ille respectus non est de essentia lapidis: quia nihil perfectè cognoscitur, nisi cognito eo, quod est de essentia sua.

P. Ad quartum, *scilicet* ad Diuum Augustinum dico, quodcunque aliud bonum est per participationem bonum, sed non vult auctoritas per quod participatio, sit de essentia illius boni.

Q. Ad quintum *id est*, ad Boecium, dicendum, quod auctoritas concludit oppositum: quia ibi ponit subtractionem primi boni per intellectum, & hoc posito, loquendo de creaturis, dicit, quod loquendo de esse earum, licet sint, & bona sint, non tamẽ

in quantum sunt, bona sunt. Si igitur ipse subtrahens, secundu mintellectum, primum bonum, loquitur de creaturis secundum esse creaturarũ: sed si esse creaturarum esset respectus ad summum bonum, non solum esset contradictio, subtrahere primũ bonum, & loqui de esse creaturarũ: sed etiam non esset intelligibile ponere respectum subtrahendo terminum respectus. Igitur intelligit quod esse creaturarum sit absolutum, sed bonitas apud eum, dicit quendam fluxum á primo bono, & verum est, quod iste terminus fluxus dicit respectum: & ideò non potest competere rei absolutæ. Si ergo res secũdum esse suum, non essent à proprio bono, non essent bonæ in quantum sunt: quia in quantum sunt, non fluerent à primo bono, essent tamen bonæ per acccidens, si secũdum esse aliud fluerent à primo bono, sicut lapis si non esset secundum se à voluntate primi boni, sed tantum secundum duritiem, in quantum durus esset bonus: quia a voluntate primi boni esset in quantum durus, licet non in quantum lapis, vel in quantum ens. Patet igitur, quod accipit bonum pro respectu fluxus à primo bono, & hoc etiam modo bonitas in alijs entibus à Deo, non est nisi quia sunt à voluntate primi boni: sed ista non est nisi perfectio absoluta, & intrinseca creaturę: & ideò bonitas secundum aliam rationem absolutam, nõ dicit respectum ad creatorem: licet bonitas, vt accipit ibi, dicat.

Expositio quarti articuli quæstionis quintæ distinctionis tertiæ.

HVIVS articuli obscuritas potius prouenit ex terminis, quibus discutitur, quam ex ipsius difficultatis confusione. Plana etenim est difficultas, semel terminis intellectis dico igitur hic habentur termini, quibus vtitur Doctor, vt conformiter ad loquutionem Henrici, improbet ipsum. Ad quorum intelligentiam supponitur secundum Boecium, aliud esse id, quod est, & aliud, id quo illud est. Id quod est, dicitur ratitudo eius: quo autem ipsum est, dicitur aliquitas, quod clarius intelligitur in his duobus terminis, scilicet essentia, & existentia. Ita quod essentia est, quæ habet esse: existentia autem est, qua essentia habet esse. Quæcunque igitur creatura dico habet, & quidem habet esse, & illud, à quo sibi formaliter prouenit habere esse. Illud est ipsa rei quidditas: istud autem est existentia, qua quidditas habet realiter esse. Dicitur verò quidditas, seu essentia ratitudo: quia vt benè notauit Lychetus in hoc articulo, & Vallonis in formalitatibus suis tolio 2. pag. 2. res venit à ratitudine: ratitudo autem á ratus a, um, id est firmus, firma, firmum: & ideò ratitudo est illa firmitas, qua res habet esse firmũ independens ab intellectus consideratione. Et dicitur etiam ratitudo de ente possibili: quia etiamsi non existat, habet esse firmum in esse obiectiuo Dei. Nam ideò hoc esse dicitur firmum, quia non est esse confictum ab intellectu: & ideò ad distinctionẽ entis rationis, ens firmum vocatur re le, hoc est ratum, & firmũ cuius esse est ratitudo. Alius terminus est aliquitas, qui terminus accomodatur existentiæ, qua res habet esse.

1

Lychetus. Vallonis.

Essentia dicitur ratitudo dicitur firmitas.

Ens reale, etiam in esse obiectiuo Dei, dicitur ra, ens ratum, & firmur, secus ens ab intellectu confictum.

Hoc ergo supposito, tria facit Doctor in textu, primo scilicet proponit sententiam Henrici ponentis relationem vestigialem, esse ipsam ratitudinẽ rei, fundatam in aliquitate. Secundo improbat hanc Henrici sententiam, & tertio articuli difficultatem resoluit. Quantum ad primum itaque iam visum est quid

2

sit

sit ratitudo, & aliquitas, quibus terminis intellectis, tenet Henricus iuxta ea, quæ in primo articulo dixerat, quod respectus vestigialis, est illa triplex relatio creaturæ ad Deum, scilicet relatio producti ad producens: relatio exemplati ad exemplar, & relatio finibilis ad vltimum finem: & quod hæc triplex relatio in creatura est quidditas rei, & nõ fundatur in ipsa ratitudine: quia ille triplex respectus est quidditas rei, & ipsa ratitudo eius: & ideò si talis respectus fundaretur in ratitudine, idem fundaretur in seipso: sed fundatur in aliquitate scilicet in existẽtia creaturæ ipsius. Hæc est sententia Henrici.

3 Quoad secũdum verò improbat Doctor hanc opinionem Henrici, & principaliter ostendit, quomodo respectus non possit esse ipsa quidditas rei creatæ. Sed ad hoc præmittit distinctionem de realitate: nã aliquando sumitur realitas *à reor, reris*, aliquãdo verò *à ratitudine*. Primo modo dicitur res opinabilis, secundo verò res quidditatiuè: vltra quas realitates non restat, nisi realitas existentiæ, vnde concludit in textu. *Habemus ergo tria per ordinem, realitatem opinabile, quidditatiuam, & existentiæ*. Qua distinctione præhabita, arguit Doctor cõtra opinionem Henrici: & eius argumenta efficaciter concludentia clarè habentur in textũ.

Quantum ad tertium verò, ponit Doctor propriam sententiam, quæ est, quod nulla relatio potest esse ratitudo alicuius entis absoluti: cuius probatio clara est ibi. Ex quibus concludit respectum vestigialem, ratitudinem creaturæ supponere, in ipsaque fundari: quod eui dẽter contra Henricum probat, & eius argumenta optimè soluit. 4

QVAESTIO VI.

De Memoria.



IN ea tertiam partẽ distinctionis, in qua Magister agit de imagine quę to primo de memoria, & circa hoc quæruntur nouem.

¶ Primò. Vtrùm necessario sit ponenda species intelligibilis in intellectu?

¶ Secundò. Vtrùm eadem species quæ de se repræsentat obiectũ sub ratione singularis, possit ipsum repræsentare sub ratione vniuersalis?

¶ Tertiò. Vtrùm terminus intellectus agentis sit aliqua forma realis?

¶ Quartò. Vtrùm in parte intellectiua proprie, sit memoria proprie?

¶ Quinto. Vtrùm memoria intellectiua sit conseruatiua speciei intelligibilis, cessante actu intelligendi?

¶ Sextò. Vtrùm oporteat intellectum in actu intelligendi, cõuerti ad phantasmata?

¶ Septimò. Vtrùm in intellectu nostro sit actualis notitia genita, vel producta?

¶ Octauò. Vtrùm intellectio, & volitio sint in genere qualitatis?

¶ Nonò. Vtrùm operationum immanẽtium sit per se productio & generatio, an verò compositi?

ARTICVLVS I.

Vtrùm necessario sit ponenda species intelligibilis in intellectu?

A. AD primum sic proceditur, & videtur, quod non sit ponēda aliqua species intelligibilis in intellectu, & hoc probatur ex ista deductione: sensus enim recipit speciē aliam ab actu, vel quia organū est eiusdē rationis cū medio, vel quia species illa recepta est dispositio propinqua ad actū sentiendi recipiendum: neutrum istorū concurrit in intellectu: est enim intellectus virtus non organica, & de se summe dispositā ad actum intelligendi: igitur intellectus nullam speciem recipit priorem actu.

B. Secūdò præterea: hæc dicitur esse intentio Aristotel. 3. de anima vbi commendat antiquos dicentes animam esse locum specierum, non totam, sed intellectiuam. Hæc autem distinctio Aristotel. non videtur esse bona, intelligendo quod aliæ partes nō habent species: sunt enim species in parte sensitiua. Sed quia aliæ partes non habent species vt loca, sed vt subiecta habent accidentia: intellectus autem habet eas vt locus: quia vt formā expressam, non impressam.

3. de anima tex. com. 6.

C. Tertiò præterea: hoc etiā accipitur ex eo quod dicitur 3. de anima, quod speculamur quod quid est ex phantasmatibus: & quod phantasmata, ita se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum: & quod nihil intelligimus sine phantasmate: & plura similia dicit Philosophus. Ex his concluditur, quod nullam ponit speciē intelligibilē: quia si ipsa poneretur, intellectus non specularetur, quod adest in phantasmatibus, sed in specie intelligibili. Similiter non oporteret intellectum conuerti ad phantasmata: sed sufficeret species intelligibilis, in qua haberet obiectum præsens, ad quod conuerteretur.

3. de anima tex. co. 11. & 39. tex. com. 30. & 39.

D. Quartò præterea: hæc etiam ponitur intētio Augustin. qui vult, quod verbum gignitur non ex specie intelligibili, sed ex habitu, dicit enim 15. de Trinitate capit. 10. & 24. quod ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascitur verbum. Et ex eodem lib. cap. 11. & 18. gignitur verbum de scientia, quæ manet in animo. Item ad quod aliquid per se, & primo, est in potentia per se, illud & non aliud recipit ab agente proportionabili. Sed virtus apprehēsiua per se solum est in potentia ad cognitionem. Augustin. 11. de Trinit. cap. 2. ipsa forma, quæ vi sui imprimitur, visio vocatur.

E. Quintò præterea: quia quæcunq; potentia est in potentia primo ordinata ad aliquem actum, primo perficitur secundum talem actum ab agēte proportionato præsente: sed potētia apprehēsiua est potētia primo ordinata ante hunc actū, scilicet apprehensionem: ergo ab agente proportionato primo potentia perficitur secundum actum istum, qui est apprehendere: & per consequens intellectus ab obiecto proportionato recipit cognitionem, & non speciem.

F. Sexto præterea: quia nunquam pluralitas est ponenda, nisi propter necessitatem, primo Physicor. hîc autem non videtur necessitas: quia obiectum videtur sufficienter præsens in phantasmate: ergo non est ponenda ista species in intellectu.

G. Sed contra est, quod Aristotel. 3. Physicor. ponit, quod in acquisita scientia reducitur intellectus de potentia essentiali ad accidentalē. Quæro quid intelligat per scientiam? non habitum sequentem actum: quia quādo intellectus agit, non fuit in potētia essentiali: manifestum est igitur, quod formam præcedentem actum: ergo speciem intelligibilem. Probatio, tùm quia phantasma non reducit intellectū de potentia essentiali

Tex. com. 32.

ad

ad potentiam accidentalē: quia omnis illa scientia, quæ dicitur habitus quidditatis primi obiecti, esset in phā tasia: ergo ibi esset omnis habitus de eodem: quia secundū Philosophum nono Metaphysic. idem *est*, habitus intellectus, & scientia.

H. Opinio Henric. quodli. 4q.7.8.& 21.& quod lib 5.q.14.

Respondeo dicendum, quod in ista quæst. *à quibusdam*, negatur omnis species intelligibilis præcedens naturaliter actum intelligendi propter rationes positas ad primam partem quæst. *& in articulo quarto ponendas*. Modus autem ponendi est iste habita impressione speciei sensibilis in organum sensus, & toto illo processu vsque ad virtutem phantasticam: intellectus agens abstrahit ab ipso obiecto in phantasmate, & immutat intellectum possibilem ad simplicē apprehensionem essentiæ. Ita tamen quod intellectus possibilis nullā speciem impressam recipit à phantasmate: nec est obiectum præsens intellectui, nisi quia species præsens est in imaginatione. Et hoc probatur, *ab eis quatuor argumentis prioribus*. Si arguitur contra hoc: quia per Philosophū tertio de anima, necesse est, quod aut res sint in anima, aut species earum: & res non sunt: ergo species. Dicit, quod ex parte intellectus est species impressa, quæ est habitus, vel actus, vel species expressa, quæ est species in phantasmate, vel quidditas: quæ quidditas relucens in phantasmate est species respectu singularis. Non enim hic lapis est in anima, sed quiditas, quæ est species respectu huius lapidis. Idem ponit Doctor quidam negando speciem intelligibilem, & pertractat illum rationem de organo, quæ tacta est in positione ista, ponit etiam aliam rationē, *quæ est quinta ex supra positis*. Contra istam opinionem arguo sic, siue intelligatur singulare, siue non, non est cura ad propositum. Certum est enim quod vniuersale potest ab intellectu intelligi, & magis ponitur a Philosophis, quod intellectus est potentia distincta à potentia sensitiua propter intellectionem vniuersalis, & propter cōpositionem, & diuisionem, & propter syllogizationem: quàm propter cognitionem singularis (si posset intelligere singulare) Ex hoc igitur manifesto, quod intellectus potest intelligere vniuersale, accipio hanc propositionem. Intellectus posset habere obiectum actu vniuersale perfectè sibi præsens in ratione obiecti, prius naturaliter, quam actu intelligat. Ex hoc sequitur propositum, quod in illo priori habet obiectū sibi præsens in specie intelligibili: & ita habet speciem intelligibilem priore actu. Antecedens assumptum videtur satis manifestum: quia obiectum in ratione obiecti, est prius naturaliter actu. Igitur vniuersalitas, quæ est propria conditio obiecti in quantum obiectum, præcedit actum intelligendi, & sub illa ratione oportet obiectum esse præsens: quia præsentia obiecti præcedit naturaliter actum intelligendi. Cōsequentiam probo ex parte vniuersalitatis obiecti, secundo, ex parte præsentiæ, ex parte vniuersalitatis obiecti, arguo sex vijs, quarum duæ primæ sumuntur ex parte phantasmatis repræsentantis, *& ponuntur in secundo articulo*, & duæ ex parte intellectus agentis, *& ponuntur in tertio articulo*, & duæ ex parte communioris, & minus communis, *quæ ponuntur hic simul cum rationibus de præsentia obiecti*.

Text. com. 38.

Gofr. quod lib. 9.q.19. quodlib. 13 quæst. 3.

Itaque secundum tertiam viam arguitur primo sic, habitus minus vniuersalis, & magis vniuersalis, sunt distincti habitus proprij, alioquin Metaphysica, vt Metaphysica, non esset habitus distinctus intellectus: quia esset de vniuersalissimo obiecto ad omnia alia obiecta: habitu autem vni-

I.

vniuersaliori contingit vti non vtẽdo aliquo alio habitu minus vniuersali: ergo contingit habere actum circa vniuersalius eo modo quo respicitur ab habitu illo vniuersaliori, nõ habendo actum circa minus vniuersale: sed non habetur actus intelligẽdi circa vniuersalius, nisi ipsum sub tali ratione sit prẽsens intellectui sub ratione præsentis: sed non habetur actus intelligendi circa ipsum in ratione præsentis, nisi sub ratione vniuersalis: ergo vniuersalius potest esse præsens intellectui, absque præsentia alicuius minus vniuersalis. Sed si præcise intelligeretur obiectum in phantasmate, nunquam esset maius vniuersale præsens, nisi in minus vniuersali: quia nunquam, nisi in singulari phantasiabili: ergo est præsens in specie intelligibili existẽte in intellectu.

K. Item vltimo, quo ad hanc viam arguo sic, vniuersalius nunquam apprehenditur quãtum ad suam indifferentiam totam, quando apprehenditur in suo inferiori: tota enim indifferentia vniuersalioris, est secundum quod ipsum, vt conceptum, est idem cuilibet inferiori: nunquam autem communius, vt conceptum tantum in inferiori aliquo, est idem cuilibet inferiori suo: sed præcise illi, in quo concipitur: ergo quodcunque vniuersale conceptum in singulari, vel communius in minus communi, non concipitur secundum totam suã indifferentiam. Potest autem intellectus concipere illud secundum totum suam indifferentiam: ergo non concipitur præcise communius in minus communi, vel vniuersale in singulari: & ita non præcise concipitur vniuersale in phantasmate, phantasma enim non est propriè, nisi ipsius singularis: & hoc in quantum est singulare speciei specialissimæ, & hoc si phantasma sit sibi impressum ab aliquo debite appropinquato.

L. De secundo membro scilicet, præsentia obiecti, probatur illa consequentia prima, primo sic, aut intellectus potest habere obiectum sibi præsens in ratione obiecti intelligibilis absque hoc, quod sit præsens alicui potentiæ inferiori, aut non? Si non igitur non potest habere aliquam operationem sibi propriam sine potentijs inferioribus: quia si non potest habere obiectum suum sibi præsens sine eis, non potest habere operationem sine eis: igitur nec esse sine eis secundum argumentum Philosophi in primo libro de anima. Vnde non contingeret intellectum separari à corpore sicut perpetuum à corruptibili, nisi posset habere operationem propriam non dependentem à parte sensitiua. Si autem potest habere obiectum præsens absque eius præsentia potentiæ inferiori: ergo habet. Hæc consequentia probatur: quia agentia talis præsentiæ obiecti, scilicet phantasma, & intellectus agens sunt sufficienter appropinquata intellectui possibili, & agunt per modum naturæ: & ita causant necessario in illo præsentiam, cuius est receptiuus. Modo obiectum non est præsens intellectui possibili in cognitione abstractiua ante actum elicitum, nisi per aliquod repræsentatiuum, quod voco speciem, & sic habeo propositum. Secundo sic, aliæ potentiæ cognitiuæ habent obiectũ præsens eis non solum præsentialitate secundaria, scilicet quia illa sunt præsentia alijs potentijs inferioribus, sed propria præsentialitate, sicut sensus communis habet colorem sibi præsentem: non tantum in quantum est præsens visui: sed quia habet speciem eius præsentem in organo sensus communis: ergo cum hoc sit perfectionis in potentia cognitiua,

Text. 12. & 13. 2. de anima tex. co. 21.

ua,ſcilicet poſſe habere obiectũ ſibi præſens ſub ratione qua eſt obiectũ talis potentiæ: ſequitur quod intellectus non tantum poteſt habere obiectum ſibi præſens, quia præſens eſt virtuti phantaſticæ, ſed propriæ,præſentialitate, in quantum ſcilicet relucet intellectui, per aliquod, quod eſt in intellectu. Item potentia non potens habere actum niſi circa obiectum ſibi præſens, ſi non poteſt habere illud præſens, niſi per aliquam aliam potentiam, cui coniungitur contingenter, dependet in operatione ſua à tali potentia ſibi contingenter coniuncta: & ita eſt imperfecta. Intellectus certum eſt,quod non poteſt habere operationem, niſi circa obiectum ſibi præſens: & per te non poteſt habere obiectum præſens ſibi, niſi in virtute phantaſtica: virtus autem phantaſtica contingenter coniungitur intellectui in quantum potentia eſt: igitur intellectus in operatione ſua dependet ab illa potentia, cui contingenter coniungitur: & ita hæc poſitio ponit in ea imperfectionem potentiæ cognitiuæ. Nulla autem imperfectio eſt ponenda in aliqua natura, niſi neceſsitas appareat, in tali natura:ergo imperfectio talis non eſt ponenda in intellectu.

M Ad quæſtionem ergò dico,quod
Concluſio. eſt neceſſe ponere in intellectu ſpeciem intelligibilem, propter rationes iam poſitas, *& primo articulis* 2. *& 3.ponendas*,ex parte obiecti in quãtum vniuerſale: & in quantum præſens intellectui. Quæ duæ conditiones, vniuerſalitas, ſcilicet & præſentia,pręcedunt naturaliter intellectionem. Hæc etiam videtur intentio Ariſtotel.qui tertio de anima, volẽs quod anima ſit quodammodo omnia:quaſi probãdo exponit ſe, quod eſt per ſenſus ſenſibilia: per intellectum, vel ſcientiam, ſcibilia: quod aliqui exponunt, quod non loquitur vniformiter hic, & ibi, quia de ſenſu, loquitur quantum ad ſpeciem impreſſam:de intellectu autem,quãtum ad habitum ſcientiæ. Sed hæc expoſitio non videtur eſſe ad intentionem Philoſophi: quia ſicut antiqui poſuerunt animam eſſe omnia realiter,vt omnia cognoſceret: ſic Philoſophus ponit eam eſſe omnia non realiter, ſed per quandam ſimilitudinem. Si autem per ſenſus eſſet ſenſibilia propter ſimilitudines impreſſas, & per intellectum eſſet intelligibile,aut hoc eſſet propter ſcientiã,quę eſt in intellectu: & ita non eſſet ſcibilia propter ſimilitudinem: quia ſcientia de ſe non eſt ſimilitudo intelligibilis circunſcripta omni alia ſpecie obiectum repræſentante: aut propter aliquod phantaſma repræſentans obiectum intelligibile: & tunc non eſſet anima intelligibilia omnia per intellectum,ſed anima per phantaſma: nihil enim eſſet ibi repræſentans intelligibile, niſi phantaſma tantùm ſecundum poſitionem iſtam. Si obijcias, pluralitas non eſt ponenda,niſi vbi eſt neceſsitas, hîc autem non eſt neceſsitas, cum ita bene poſſet poni intellectum habere actum ſine ſpecie, ſicut cum ſpecie: ergo non eſt ponenda talis ſpecies. Reſpondeo, neceſsitas eſt, quando perfectio naturæ hoc requirit: licèt autem hoc ſuppoſitum, quod eſt homo, poſsit habere obiectum ſibi præſens in phantaſmate: quia homo eſt: tamen naturâ intellectualis hominis, vt intellectualis eſt, non habet obiectum ſufficienter ſibi præſens, ſi non habet ipſum niſi in præſentia mendicata à virtute phantaſtica. Hoc igitur multum vilificat naturam intellectiuam,vt intellectiua eſt: quia remouetur ab eo illud,quod eſt perfectionis in potentia cognitiua, & inuenitur in potentia ſenſitiua, vt in

Henric. & Gofred. vbi ſupra.

1.de anima tex.co 25. & inde.

vir-

virtute phantastica, ponitur igitur hæc pluralitas propter necessitate m quia propter perfectionem naturæ perfectioris saluādam maiorem, quā sit naturæ imperfectioris, vel saltem æqualem. Ad rationes *aut argumenta igitur* alterius opinionis *respondetur.*

N. Ad primum argumentum, cum arguitur in prima opinione, quod recipere speciem conuenit sensui præcise, quia potentia est organica, dico quod hoc est falsum: quia illud non est præcise causa: sed præcisa causa cuiuscunq; potentiæ habendi speciē præsentem repræsentantem obiectū suum, est, quia ipsa est cognitiua: & natura dedit sibi, vt possit habere obiectum prius naturaliter sibi pręsens, quam cognoscat. Sed potentiæ organicæ dedit, vt obiectū sit præsens: nō in potentia ipsa, sed in organo, hoc est in parte corporis, quā perficit potentia organica. Et illa pręsentia sufficit: quia totum cōpositum ex parte corporis sic mixta, & ex potentia, habet speciem, & huic toti, sufficienter obiectū est præsens, quando species est in illa parte corporis. Cum igitur intellectui nihil perfectionis auferatur, in quantū potentia cognitiua est ex hoc quod non est organicus: imò magis additur sibi perfectio: sequitur quod sibi possit esse obiectū præsens ante actū, sicut alijs potentijs. Sed illa præsentia nō erit per aliquid impressum organo: quia non habet organū: ergo erit per aliquid impressum illi potentię, tale autē impressum representans præcedens in potentia intellectiua actum intelligendi, voco speciem intelligibilē. Breuiter igitur dico, quod sensus habet obiectū præsens in illa parte corporis: quia dicitur organum illius sensus, sed intellectus, tàm illam præsentiam priorem actu, quām ipsum actum, habet ratione eiusdem receptiui: & ideò falsum accipitur quod species talis non est, nisi præcise propter organū: natura enim causat talem partē talis corporis sic mixtam, vt perfectibilis à tali potentia animæ, & congruat operationi eius: quia materia est propter formam, & non è conuerso ex 2. Physic. & Commentator 1. de anima, mē braleonis non differunt à membris cerui, nisi quia anima differt ab anima. Nō igitur forma est propter materiam, sed ê conuerso: & ideò talis pars facta est talis speciei receptiua, vt per talem speciē sit obiectum pręsens toti cōpositō: quod est totū organum. Vnde prima causa præsentiæ obiecti in specie, non est talis dispositio corporis, sed prior causa est, vt potentia apprehensiua habeat obiectū actu cognoscibile sibi præsens, vel in se ipsa, vel in aliquo, quod est pars ipsius organi in tali operatione.

2. Physico. tex. co. 23. 1. de anima com. 5.

Ad secūdū *scilicet*, ad illud de Philosopho 3. de anima, quod intellectus est locus specierum, potest exponi, quod intellectus dicitur locus specierū: quia saluat eas, sicut dicitur, quod ipsius loci est seruare locatum: & organa sensitiuæ potentiæ non sunt loca: quia non ita saluant species receptas in eis. Species quippe intelligibiles non videntur deleri, sicut species sensibiles: quia species sensibilis, ita est in organo, quod potest corrumpi per contrariū formaliter, vel per dispositionem in susceptiuo disconuenienti tali potentiæ: sicut patet per Philosophū de memoria, & reminiscentia. Senes, & iuuenes, id est, pueri sunt male reminiscitiui propter abūdantiam humorum nimiam: & etiam propter dispositionē, & lesionē organi: isto vtroque modo non est species intelligibilis in intellectu, vt per se deleatur per aliquod contrarium ad ipsam, seu per indispositionem receptiui. Aliæ multæ congruētiæ possent assignari circa illud vocabulum

O. *4. Phisico. & in Porphirij Ilagogis.*

Cap. 1.

locus

locus, circa quod non oportet multum immorari.

P. Ad tertiũ, quod additur de Philosopho, quod speculamur, quod quid est in phantasmatibus, &c. Pro omnibus talibus auctoritatibus, dico, *quod* talis est cõnexio istorum potentiarũ scilicet phantasiæ, & intellectus, pro statu isto: quod nihil intelligimus in vniuersali, nisi cuius singulare phantasiamur. Nec est alia conuersio ad phantasmata, nisi quod intelligens vniuersale imaginatur singulare eius: nec intellectus videt quod quid est in phantasmatibus, sicut in ratione videndi: sed intelligẽs, quod quid est relucens in specie intelligibili, videt illud in suo singulari, viso per virtutem phantasticam in phãtasmate.

Q. Ad quartum, quod adducitur de August. quod non ponit speciem intelligibilem in memoria, sed sciẽtiã, respondeo, & dico, quod vbi ponit sciẽtiam, statim ponit aliquid, quod includit speciem intelligibilem, licèt non vtatur isto vocabulo: quia 15. de Trinit. cap. 10. cum præmisisset, ex ipsa sciẽtia, quã memoria tenemus, gignitur verbum; subdit, quod formata cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est. Et idem de Trinit. cap. 11. cum præmisisset, simillima est visio cogitationis visioni scientię; subdit, quãdo ergo quod est in notitia, hoc est in verbo, tunc est verum verbum. Et eodem cap. 12. tunc enim est verbum simillimum rei notæ, de qua gignitur, & imago eius, quando de visione scientiæ, visio cogitationis exoritur, subdit, nec interest, quando id dicerit, qui scit, loquitur. Similiter capite 22. quando ad memoriam meam aciẽ cogitationis meæ aduerto, ac si in corde meo dico, quod scio, &c. Item 15. de Trinit. cap. 27. quando loquitur de luce, in qua videntur verè ipsa, inquit: ostendit verbum verum esse in te, quando de sciẽtia tua gignitur, id est, quando quod scimus dicimus. Hęc ille. Exist is omnibus apparet, quod illud, quod August. tribuit memoriæ ratione scientiæ, vt gignenti, exponit se semper de obiecto præsente in memoria, nõ est autem obiectum præsens in memoria, vt memoria intellectiua est, per scientiã, vt est habitus distinctus ab specie: ergo oportet quod illa prę sentia esse intelligat, per speciem intelligibilem, & sub illa ratione, sub qua distinguitur ab habitu scientiæ proprie sumptæ: & hoc modo etiam debet accipi illud verbũ Philosophi 3. de anima, qui cũ præmisisset quod anima est quodammodo omnia, subdit, quod per sensum est sensibilia, & per scientiam scibilia. Sciẽtia quippe ibi tam apud Phylosophũ, quã apud August. in locis prædictis, accipitur pro ipsa præsentia habituali obiecti in memoria intellectiua. Quæ præsentia habitualis est virtualiter scientia: quia in obiecto sic præsente concipitur virtualiter tota sciẽtia de tali obiecto. Hæc species est illa scientia, quæ reducit intellectum de potentia essentiali ad accidentalẽ secundum Arist. 8. Physic. & 2. de anima: non autem illa quæ proprie dicitur sciẽtia, quæ est habilitas quædam derelicta ab actibus: nam ante istam ad primũ actũ considerãdi requiritur, quod sit iam reductus intellectus de potentia essentiali ad accidentalem: alioquin non operaretur, tunc magis, quam prius. Vnde in cognitione species in qua relucet quidditas, dicitur scientia: non tantũ virtualiter: quia totam cõtinet, sed formaliter potest dici habitus cognitiu°: quia est qualitas mãsiua in intellectu disponẽs ipsum ad actum. Et ex hoc habetur argumentum pro specie intelligibili: quia nõ videtur, quomodo aliqua scientia tota dici possit vna ratione primi obiecti, nisi quatenus illa scientia contine-

8. Physico. tex. co. 32. 2. de anima tex. co. 25. & 33.

tinetur virtualiter in illo primo obiecto intelligibili : non enim tota illa scientia dicitur vna obiecto, quatenus relucet in phantasmate : quia illa nõ esset vnitas alicuius habitus intellectualis, sed alicuius imaginabilis.

R. Ad quintum *ad illud scilicet*, quod arguitur post in secunda opinione, quod potẽtiæ, quæ est ad aliqué actũ ordinata, actuatur primo per illum actum, dico, quælibet potẽtia apprehensiua, vt apprehẽsiua est, est in potentia ad apprehendere primo primitate perfectionis: licèt nõ primo primitate generationis, & quãdoq; primo primitate generationis. Quando scilicet obiectũ in se est præsens tali potentiæ, vt actu cognoscibile ab ea: tunc enim, nõ oportet ante actum in potentia aliquid aliud fieri, in quo ipsum obiectum sit præsens. Sed primũ quod fit ab eo, est actus: quando autẽ obiectum non est natũ in se esse præsens sub ratione actu cognoscibilis à tali potentia: tunc quælibet potentia apprehensiua est in potentia ad apprehensionem, & ad illud in quo cognoscibile erit præsens, & prius ordine originis est in potentia ad habendum istam præsentiã, quã ad habendum actũ. Et ita est in proposito : sensibilia enim non sunt natæ in se esse præsentia intellectui sub ratione actu intelligibilium: sed tantum in specie intelligibili possunt sic esse præsẽtiæ, & hoc quantum ad intellectionem abstractiuã, de qua est sermo in proposito: & ideò potentia apprehensiua respectu talium, est in potentia ad duplicem actum, & ab agente approximato prius ordine originis recipiet priorem actum, quàm posteriorem. Nec tamen intelligo, ita istos actus esse ordinatos, quod prior sit ratio recipiendi respectu posterioris: sicut scilicet superficies est ratio recipiendi albedinem: tunc enim intellectus respectu nullius intelligibilis recipere posset actum secundũ, qui est intellectio, nisi prius haberet actum primum, & speciem eiusdem obiecti: sed intelligo, quod intellectus de se est ratio immediata recipiendi vtrũque actum. Ipsi actus tamen inter se sunt ordinati, quando obiectum non est natum esse præsens in se: quia tũc oportet prius naturaliter esse illum actum quo obiectum est præsens, vt intelligibile, quám illum qui elicitur circa obiectum intelligibile, vt præsens.

S. Ad sextũ respondeo, quod necessitas est semper dignificare naturam nobilẽ, quando non apparet aliquid manifeste repugnans. Sed magna vilificatio naturæ intellectiuæ, vt intellectiua est, videtur esse, quod nõ possit habere obiectum suũ sibi præsens in se absque mendicata præsentia, à potentijs inferioribus cũ quibus cõtingenter cõiungitur in ratione potentiæ. Et tamen quod potentiæ aliæ inferiores possint habere obiectum sibi præsens, vt in se, & si intellectus possit habere obiectũ sibi præsens in potentia inferiori: non tamen summa præsentialitate possibili præcedere actum intelligendi: & sicut alijs potẽtijs cognitiuis : ita multo magis isti potentiæ debet concedi obiectũ esse summe præsens, quantum potest esse præsens ante actum cognoscendi. Et hoc non saluatur, nisi in specie intelligibili mouente ponitur perfectio summa possibilis potentiæ cognitiuę, nisi ponatur eam posse cõseruare speciem intelligibilem propter actum. Et ita habere obiectum suum præsens conseruatum sine actu: quia hoc conceditur sensitiuæ, & perfectionis est in cognitiua, quod non dependeat ab aliquo in cognitione sua, sed quod possit habere obiectum præsens, sine dependentia ad illam potentiam.

Expe-

Expositio primi articuli quæstionis sextæ distinctionis tertiæ.

1 HVius, & sequentis quæstionis materia (quæ potius ad libros de anima pertinet) hîc non minus subtiliter, quam latè à Doctore tractatur. Quia tamen longissima, in quæstionibus Trinitatis, sequitur interruptio: & hoc primum huius libri volumen fieret eiusmodi quæstionum commentarijs infinibile: opprimor, quæstiones istas de memoria, & notitia, velociter ad alias transuolando, transire: summarias solummodo articulorum conclusiones obiter & breuiter exponendo. Quod quidem non verget in notabile operis præiudicium, siquidem confusio textualis, quæ olim habebatur in litera, nunc per nostram diuisionem articulorum textualium est ablata. Et præsertim, quia harum quæstionum ordine dispositionis mutato, mutata est quoque in claritatem confusio: & omnium ferè articulorum istorum ex diuisione, litera est perspicua. Et insuper, quia plera, quæ tractantur in illis, in pluribus difficultatibus nostris, vt potè in illis, in quibus agitur de visione beata, & de productione Verbi diuini, & alijs, iuxta Scoti mentem, sunt exactè enucleata.

2 In hoc ergo articulo, in quo Doctor quærit, an detur species intelligibilis, præuia, & necessario requisita ad intellectionem obiecti, proponit opinionem Henrrici & Gofredi, partem tuentium negatiuam: quam latissimè, & euidenter improbat Doctor, & difficultatem dissoluens tenet, *quod est necesse ponere in intellectu speciem intelligibilem.* Quam conclusionem hîc & in articul. 2. & 3. sequentibus latè probat. & delet opinionis alterius argumenta.

ARTICVLVS II.

Vtrùm eadem species, quæ de se repræsentat obiectum sub ratione singularis, possit ipsum repræsentare sub ratione vniuersalis?

AD secundum sic proceditur, & videtur, quod eadem species, quæ de se repræsentat obiectū sub ratione singularis, possit ipsum repræsentare sub ratione vniuersalis: quia species eadē sub alio, & alio lumine repræsentat obiectum suum alia, & alia ratione, sicut nocte lucentia in lumine diei, repræsentant se sub ratione coloratorum: in lumine autem noctis, sub ratione lucentium: sic in proposito per lumen intellectus, & phantasiæ, eadem species potest repræsentare opposita in obiecto. A

Secundo præterea: quia idem secūdum eandem qualitatem potest esse simile diuersis, sicut vnum album, secundum eandem albedinem, est simile diuersis albis: ergo, &c. B

Sed contra est: quia repræsentatiuum secundum totam virtutē suam repræsentans obiectum aliquod sub vna ratione, non potest simul repræsentare idem, vel aliud sub alia ratione obiecti: sed phanthasma in eodem instanti, in quo intelligitur vniuersale, secundū totā virtutem repræsentat obiectum, vt singulare virtuti, phantasticæ: quia tunc est actualis imaginatio illius obiecti in singulari: & patet, ꝙ secundū totā virtutē phantasmatis: quia aliàs virtus phantastica nō posset habere per phantasma ita perfectum actum circa obiectum, sicut obiectū natum est repræsentari per illud phātasma. Igitur tunc nō potest repræsentare obiectum sub alia ratione repræsentabile. Item, quare non potest in imaginatiua esse actio respectu obiecti actu vniuersalis, si potest esse ibi species respectu talis obiecti, cū actus sit idem, quod species? C

D Respondeo dicendum, quod phantasma, quod de se representat obiectū sub ratione singularis, non potest ipsum representare sub ratione vniuersalis. *Ad quod probandum*, primo arguo sic: species ex hoc, quod talis species habet talem rationem representandi, & hoc respectu obiecti sub tali ratione representabili: ergo eadem species manens, non habet duas rationes representatiuas: nec est respectu duarū rationū representabilū: sed representare obiectū sub ratione vniuersalis, & singularis, requirit duplicē rationē representatiuā: & est respectus duplicis rationis representabilis formaliter. Igitur idē manēs, idē nō representat sic, & sic: ergo phantasma q̄ de se representat obiectum sub ratione singularis, non potest ipsum representare sub ratione vniuersalis. Vel potest sic formari ratio: eadem species, & eiusdem rationis, non est per se representatiua obiecti sub oppositis rationibus representabilibus: ratio singularis, & ratio vniuersalis sunt oppositæ rationes incognoscibili, & representabili: ergo nulla eadem species, & vnius rationis, potest esse representatiua alicuius obiecti sub ratione vniuersalis, & singularis. Species in phantasmate representat singulare sub ratione singularis: ergo nō potest representare sub ratione vniuersalis idem obiectum. Maior probatur: quia species sub illa ratione representat obiectum, qua mensuratur ab obiecto: sed idem non potest mensurari duabus mensuris oppositis: nec è conuerso: tunc enim idem bis diceretur secūdum Philosophum 5. metaph. ergo eadem species non potest representare duo obiecta opposita: nec idem sub diuersis rationibus obiectis oppositis, *quod si* respondetur, *sicut arguitur in primo argumēto per illud de lumine*. Contra, representatiuum prius naturaliter est aliquid in se, quā in tali lumine, vel tali representet: quia enim est talis species, ideō congruit sibi lumen, in quo representet vnum, & non aliud: alioquin posset poni, quod eadē species representaret colorem, & sonum, quæ secundum quod concurrit medium extrinsecum medio connaturali coniūgitur organo auditus; vt in aere illuminato, & perspicuo: & secundum quod est conueniens organo visus, representaret colorem: & ita non posset ostendi aliqua distinctio representatiuorum. In illo igitur priori oportet intelligere vnitatem speciei in se, quam consequitur vnitas representationis, & obiecti representabilis per ipsā, in quantum per ipsam representatur: & ita aliquid, quod est idem in isto priori, non potest habere diuersam rationem representandi; nec potest representare idem sub alia, & alia ratione representabilis. Vel forma sic rationē: lumē nō representat quia lumen in medio est eiusdē rationis, siue videā albū, siue videā nigrū: q̄ ergo distinguit essentialiter representatiuū à representato, alterā est tamen species, & representatiuum albi, & nigri: & per consequens distinctio luminis non causat distinctam rationem representandi, vel representati: sed manente eadem natura representatiui, semper representat idē representabile, & eiusdem rationis: non est ergo ea dem sub diuersis rationibus. Confirmatur ratio: quia representatiuū in lumine perfectiori, nō representat aliud: sed representat idē, clarius tamen, vt puta in lumine Solis, quàm Lunæ: ergo si esset species in organo phantastico in lumine intellectus agentis clarius representet singulare, vt intellectus possit melius illud intelligere, quā in lumine proprio, scilicet, phantasmate: nūquā tamē representabit obiectū vniuersale, sub ratione vniuersali, per quod. ūq; lumē. Cōfirmatur: quia lumē nō representatur formaliter, nec est ratio formalis representatiui: sed tantum est illud, in quo aliquid representatur. Videtur ergo, quod

text. com. 2.

quod quanto lumen est perfectius, tanto in ipso præsentis, & distinctius relucet illud quod repræsentatiuum repræsentat. Secundo ad illud primũ membrum arguo sic, vt §. *sed contra.*

Ad primum argumentum, *vltra ea quæ supradicta sunt in oppositum, nunc respondetur*, quod exemplum de nocte lucentibus non valet; sed concludit oppositum: nam quæro an eodem representatiuo, representat illa diuersi mode de die, & de nocte: an alio, & alio representatiuo? non eodem: quia illa tunc representarentur de die, sicut de nocte: quia representatiuum, prius est aliquid in se, quàm in tali, vel tali lumine representet. Si alio, & alio representatiuo representantur diuersa in nocte lucentia, habetur propositum, siue idem sit lumen, siue diuersum. Nec exemplum valet ad propositum: immo est ad oppositum, quia vel duæ qualitates sunt in tali corpore, vt lux, & color, quarum altera multiplicat se in lumine maiori presente alia in minori, quando nihil aliud efficacius mouens mouet: vel vtraque multiplicat se simul in luce maiori, sed efficacius mouens tantum percipitur, & minus efficaciter mouens nõ percipitur, sicut stellæ de die multiplicant radios suos: sed non videntur: quia aliud luminosius efficacius mouet visum: vel si vna est qualitas sensibilis in tali corpore, ipsa virtualiter continet duo representatiua: color enim quodammodo continet lucem, cum sit lux in corpore terminato, & ideó in alio, & alio lumine causat diuersa representatiua: aliud, scilicet, in maiori, & aliud in minori: & ita sẽper stat, quod non sit idem representatiuum obiecti, sub diuersa ratione representabilis, quantumcumque aliud lumẽ, & aliud concurrat.

Ad secundum, quod hoc nihil valet ad propositum: quia in relationibus ordinis essentialis, non potest esse alia, & alia dependentia in liquo ad duo in eodem ordine, vt puta eiusdẽ mensurari ad duas mensuras in eodẽ ordine: nec eiusdem participantis ad duo participata: nec eiusdem effectus ad duas causas totales in eodem ordine: sicut probatum est in quæstione de vnitate Dei: ergo in ista relatione, vbi non est tantum modo similitudo, sed imitatio, & exemplatio passiua, impossibile est idem absolutum referri ad diuersa. Et ita non potest esse eadem species in ratione representantiui diuersorum, sub ratione diuersorum.

Expositio 2. art. quæst. 6. distinctionis 3.

TITVLVS huius articuli non procedit de vniuersali secundo intentionaliter capto: sed vt hic aduertit Lychetus de vniuersali primo intentionaliter cõsiderato; idest de natura, vt in differenti ad singularia, & vt priori quolibet singulari. Quæ natura, vt sic negatiue est ad singularia indifferens, prout notaui, supra in comentario, seu expositione ad primum articulum quæstionis 7. distinctionis 2. n. 4 & 5. vbi habetur, quam, & qualem vnitatem natura secundum se habeat, & qualiter in singularibus, sit vna & eadẽ negatiuè. De hac igitur indifferenti natura, seu de hoc vniuersali, loquitur Doctor, non verò de secunda intentione, quæ naturam vniuersalem denominat, nec de ipsa natura, vt subest illi secundæ intentioni: sed de natura negatiuè indifferẽti ad singularia. Quod patet, quia hic loquitur de vniuersali, vt est obiectum cognitionis, & præcedit omnem sui cognitionem: vniuersale autem secundo intentionaliter acceptum, iam supponit naturam cognitam, quia non posset fũdari, nisi in natura, vt cognita, & de hoc vniuersali loquitur in præcedẽti articulo: dũ ex cognitione vniuersalis probat necessitatẽ speciei intelligibi-

gibilis. De hoc igitur vniuersali inquirit, an repræsentetur in eadem specie, in qua singulare repræsentatur.

2 Circa quod tenet Henricus: quod licet eadem species, siue idem phantasma non possit repræsentare idem sub diuersis rationibus: tamen sub alio, & alio lumine potest representare, quia in lumine virtutis phantasticæ, tantum repræsentat sub ratione singularis: in lumine autem intellectus agentis, repræsentat sub ratione vniuersalis. Et sic tenet posse singulare, & vniuersale in eadem specie representari. Hanc tamen sententiam Doctor impugnat, & in textu concludit, *quod phantasma, quod representat obiectum sub ratione singularis, non potest ipsum representare sub ratione vniuersalis.* Quod ibi accutissimè probat.

3 *Representatiuũ est duplex, illimitatũ, & limitatum*

Ad huius tamen euidentiam est supponendum duplex dari repræsentatiuum alicuius, aliud videlicet, illimitatum, aliud verò penitus limitatum. Primum est diuina essentia, quæ propter sui illimitationem est insimul perfectissimè repræsentatiua omnium intelligibilium, quæ in se formaliter, eminenter, aut virtualiter continet, quantumuis ipsa intelligibilia inter se sint diuersa. Omne repræsentatiuum creatum est limitatum, & est illud, cuius esse repræsentatiuum, ita limitatur ad vnum, vt non ad alterius representationem se extendat. Ex qua differentia sumitur ratio conclusionis Scoticæ: nam representare aliquid perfectè, vel esse perfectè representatiuum alterius entis, est continere in se illud eos representatum, secundùm totam suam entitatem eminenter, seu virtualiter, in similitudine, videlicet. Et dico virtualiter: quia tale sic representatiuum est causatiuum illius, quod representat in esse intelligibili, seu intellectionis illius: & omnis causa continet virtualiter effectum in se. Quia igitur ratio vniuersalis, & singularis, sunt diuersæ rationes: non potest vtrumque simul, secundum suam totam entitatem virtualiter contineri in aliqua specie creata: quia quæcumque illa sit, erit representatiuum omnino limitatum, de cuius ratione est ita esse representatiuum vnius, quod non possit esse representatiuum alterius. Cætera clarè patent in textu.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm terminus intellectus agentis sit aliqua forma realis?

A D tertium sic proceditur, & videtur, quod terminus intellectus agentis non sit aliqua forma realis: quia dicetur *forsan*, quod terminus actionis intellectus agentis, est obiectum vniuersale sub ratione vniuersalis, lucens in phantasmate. A

Secundo præterea: quia hic dicitur, quod actione intellectus agentis solummodo remouetur prohibens se quæstrando quidditatem a singularitate, nõ in essendo, sed se in immutando: nec agit in phantasma, nec in intellectum possibilem: sed continet phantasma virtualiter. Hoc sic exponitur: in phantasmate est quid, & hoc in lumine concreato possibili: ipsum autem quid est motiuum possibile sic illuminatum: hoc non. Exemplum, si sol illuminaret album, & dulce, album mouet medium illuminatum, dulce sibi coniunctum: non ergo lumen abstrahit colorem à dulcedine, & sequestrat, quantum ad immutare, & remouet prohibens non immutatiuum. B

Debet opinio. videin fra quæst. 7. huius dist. art.

Sed contra est: quia intellectus agens in ratione actiui non excedit possibilem in ratione passiui: ergo quidquid causatur ab intellectu agente, recipitur in possibili: ergo primus terminus intellectus agentis recipitur in possibili. & ita cum prima actio intellectus agentis sit ad vniuersale in actu illud vniuersale, vel illud, quo ipsũ habet esse tale, recipietur in possibili. C

Respon-

D

1. Conclus. Respondeo dicendum ex alio mẽbro, quod primus terminus actionis intellectus agentis est vniuersale in actu causatũ in intellectu possibili. *Ad quod probandum*, arguitur sic: intellectus agẽs

3. de anim. tx. com. 18 est potentia mere actiua secundum Phylosophos: quia est illud, quo est omnia facere, sicut possibilis est, quo est omnia fieri: & secundum Phylosophum est sicut ars ad materiam, idest,

3. de anim. tx. com. 18 ita comparatur ad intellectum possibilem, sicut ars ad materiã. Omnis autem actio realis habet aliquem terminum realem, & vnum. Ille autem terminus realis non est in phantasmate:

2. conclus. quia intellectus agens nihil causat in phantasmatibus: quia illud receptum esset extensum, & ita intellectus agens non transferret obiectum ab ordine in ordinem, nec illud esset magis proportionatum intellectui possibili, quã

Vt inquit Aucr. 3. de an. cap. 19. phantasma: ergo est in intellectu possibili: quia nihil recipitur in intellectu agente. Illud autem primum causatum non potest poni actus intelligendi: quia primus terminus actionis intellectus agentis est vniuersale in actu, vniuersale autem in actu *præcedit actũ intelligendi, sicut praedictum est in antecedente illius rationis primi articuli, cuius consequentia in istis tribus articulis seu vijs probatur*: quia obiectum sub ratione obiecti præcedit actũ. Non arguitur hic, quod phantasma in intellectu agente non possit causare intellectionem, sed nõ intentionem vniuersalis, nisi prius speciem, & in illa sola est actu vniuersale, & actu vniuersale præcedit natura intellectionem sui, & vniuersale est primus terminus eius. Et confirmatur ratio: quia intellectus agentis est facere de nõ vniuersali vniuersale: vel de intellecto in potẽtia, intellectũ in actu, si

3. de anim. tx. com. 18 cut dicũt auctoritates Phylosophi, & Cõmẽtatoris. Vnde Cõmentator. 3. de anima, dicit, quod si essentiæ rerum essent vniuersales, sicut posuit Plato: nõ indigeremus (secundum ipsum) intellectu agẽte. Cum autem vniuersale, in quantum vniuersale, nihil sit in existentia, sed tantum sit in aliquo, vt repræsentante ipsum obiectum sub tali ratione. Ista verba nullum intellectum habent, nisi quia intellectus agens facit aliquid repræsentatiuum vniuersalis, de eo quod fuit repræsentatiuum singularis: quomodocũque illud, de, intelligatur materialiter, vel virtualiter: hoc realiter est facere repræsentatiuum sub ratione vniuersalis: quia actio realis non terminatur, nisi ad repræsentatiuum obiecti sub ratione vniuersalis: ergo talis actio intellectus agentis terminatur ad formam aliquam realem in existentia, quæ formaliter repræsentat vniuersale, in quantum vniuersale: quia aliter non posset terminari actio eius ad vniuersale, sub ratione vniuersalis. Item secundo, secundum istam viam sic, *vt habetur, §. sed contra.* 3. Conclus.

Ad primum respondetur, quod vniuersale obiectum sub ratione vniuersalis lucens in phantasmate non habet, nisi esse diminutum; quia est repræsentatum in imagine: sed aliquod esse habet: hoc est in quãtum in aliquo, vt in repræsentante ipsum sub illa ratione vniuersalis, ita, scilicet, quod intellectus agens, (sicut dictum est) facit aliquod repræsentatiuum vniuersalis, de eo quod fuit repræsentatiuum singularis. Cum terminus actionis realis non sit obiectum habens esse diminutum, vt esse cognitum, vel repræsentatum; sed quid reale, sequitur, quod talis actio intellectus agentis terminatur ad formam realem in existentia, qua formaliter repræsentat vniuersale, vt vniuersale: & quam formam realem concomitatur terminus intentionalis, vt obiectum vniuersale secundum esse repræsentatum, quod habet in specie. E

Ad secundum, quod contra *est, nam*, aut quid in phantasmate habet sufficientem virtutem acti- F

nam immutandi possibilem ad intellectionē vniuersalis: & sequitur, quod vniuersale non est terminus actionis intellectus agentis: aut non, & requiritur aliud agens propriè agens, eo modo quo ipsi quid, est virtus actiua propriè. Item hoc coniunctum, quod non prohibet, sicut nec quid esse, ita nec esse motiuum intellectus. Item remouens prohibens habet actionem præuiam actioni illius, à quo prohibetur: da illam hîc, & in quid, & ad quem terminum terminatur. Sed hoc soluitur per illud, hoc sic exponitur: quia arguit contra propriè remouens, non cōtra disponens passum ad recipiendum.

Expositio Articuli 3. quæstionis 6. distinctionis 3.

IN hoc articulo sunt aliquæ additiones permixtæ, prout ex tabula ad hoc specialiter diputata patebit. Materia tamen illius est celebris: tractat etenim determino actionis intellectus agentis, an scilicet, per illam producatur aliquid de nouo habens esse? circa quod in secundo argumento proponitur opinio pro parte negatiua: Doctor verò affirmatiuam sic cōcludit ex ibi illatis. *Ergo talis actio intellectus agentis terminatur ad formam aliquam realem in existētia, quæ formaliter repræsentat vniuersale, in quantum vniuersale, sub ratione vniuersalis.* Quibus verbis non negat singulare etiam per propriam speciem intelligibilē ab intellectu cognosci: hoc enim late probat in 2. dist. 3. q. 10. & 11. & alibi sæpe, & supra in quæstionibus de primo cognito: sed quia in primo articulo necessitatem speciei intelligibilis cōtra Henricum, ex cognitione vniuersalis probauerat: hîc de specie repræsentante vniuersale, tantummodo agit. Nam ibi supponens singulare etiā posse intelligi, de illo non curat pro nunc, quo ad probationem intenti, quia ad id tantum deseruit cognitio vniuersalis. De hoc igitur loquens, probat dari speciem intelligibilem illius: & hic articulus est secunda via probandi conclusionem primi articuli. Habetur igitur hîc, quod intellectus agens, simul cum phantasmate, actione suâ producit speciem intelligibilem tam obiecti singularis, vt supponitur, quàm vniuersalis, vt hîc probatur: & quod hæc est forma realis existens, quæ formaliter de se est representatiua, tam obiecti singularis, quam vniuersalis: non tamen vtriusque simul: prout ex secundo art. habetur: de hac autem forma reali, quæ est species intelligibilis ab intellectu agente producta, vide quæ diximus supra in cōmentario ad art. 1. quæst. 1. prologi, n. 2.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm in parte intellectiua propriè sumpta sit memoria propriè.

AD quartum sic proceditur & videtur, quod in parte intellectiua propriè sumpta nō sit memoria propriè, A
i. deest, intellectus habens speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi: quia omnis species impressa ab obiecto repræsentat illud, sub illa ratione, qua imprimitur ab eo, & si imprimitur ab alio, adhuc repræsentat sub eadem ratione, sub qua repræsentaret, si imprimeretur ab obiecto: alioquin non esset vera species eius: sed species quando imprimitur ab obiecto, imprimitur ab eo, vt singulare est: quia actio est singularis: ergo species impressa à quocumque non potest repræsentare vniuersale, quale repræsentatur intellectui: ergo nulla species impressa repræsentat intelligibile, sub ratione intelligibilis, vt vniuersalis. *1. metaph. in probemio.*

Secundo præterea sic: præsentia obiecti, B

obiecti est causa præsentiæ speciei, & non è contra: non enim quia species est in oculo, ideó obiectũ est præsens, sed è cõuerso: ergo prima repræsentatio obiecti non est per speciem: ergo superflue ponitur species propter præsentiam obiecti.

C Tertió præterea sic: quælibet species, si esset in intellectu, esset forma naturaliter agens ad intellectionem: sed multæ possunt esse in intellectu simul, si vna ponitur: ergo omnes illę naturaliter agerent ad intellectiones sibi correspondentes: ergo simul essent plures intellectiones in intellectu correspondentes illis pluribus speciebus. Si enim aliqua illarum ageret naturaliter, & tamen non esset intellectio secũdum eam, sequeretur, quod nunquam posset esse intellectio secũdum eam: quia causa naturaliter agẽs, quando agit, agit secundum vltimum potentię suæ: sed si tunc non potest habere effectum, nunquam habebit. Pluralitas autẽ ista specierũ, quæ sequitur ex hypothesi, improbabitur per illam rationem Algazelis 4. metaph. quia sicut vnum corpus non potest simul figurari diuersis figuris; ita non videtur idem intellectus posse figurari simul diuersis obiectis: quod tamen sequeretur ponẽdo simul plures species intelligibiles.

Propr. Cæ. text. com. 110.

D Quartò præterea sic: quia tunc videtur sequi, quod intellectus non patietur ab intelligibili, in quantum intelligibile: sed tãtum patietur passione reali, recipiendo quandam formam, quæ erit sicut perfectio eius realis: recipit enim speciem illam, vt subiectum recipit accidens reale: & ita nõ patitur intellectus, in quãtũ intellectus, ab intelligibili, in quãtũ intelligibile. Et ex hoc sequitur, ꝙ intelligere nõ erit motus rei ad animã, immo omnis intellectio erit actio eius absoluta, sicut forma stans nõ habens aliquẽ terminũ extra. Itẽ posset conseruari species illa, sine actu, & ita nõ est necessaria cõuersio ad phantasmata. Item voluntas habet obiectum sufficienter sibi præsens, vt circa illud possit agere, licet nihil recipiat in se ab obiecto. Igitur ita potest esse in proposito, in quantũ obiectum est terminatiuum actus. Confirmatur, sicut est præsens voluntati: quia in intellectu: quare non ita de intellectu, & phantasmate?

Sed contra est: quia intellectus quãdoque est in potentia propinqua, & accidentali ad intelligendum, qui prius fuit in potentia essentiali, & remota. Istud autem non est in intellectu, nisi per aliquam mutationem: nõ obiecti, patet: quia in obiecto tantum est relatio rationis: ergo ipsius intellectus. Igitur ista mutatio, quæ fit ad talem potẽtiam propinquam, videtur esse ad aliquam formam, per quam obiectum intelligibile est præsens intellectui, quæ forma erit prior naturaliter actu intelligendi: quia prior est natura potentia propinqua, qua quis est potens intelligere, quàm fit actus intelligendi: illa autem forma per quam obiectum est sic præsens, vocatur species: ergo in intellectu est ponere speciem intelligibilẽ. Aliter deducitur argumentum præcedẽs sic: quia aliter se habet intellectus quando est in potentia essentiali ante addicere, & aliter quando se habet in potentia accidentali, ante intelligere. Obiectũ autem se nõ habet aliter, sed eodem modo. intellectus igitur se habet aliter per hoc, ꝙ est mutatus: sed omnis mutatio terminatur ad aliquã formam: ergo aliqua forma præcedit actum intellectionis, istam non voco, nisi speciem.

Respondeò dicendũ quod ad euidẽtiam quæstionis sciẽdum *est*, quod memoria *sumitur* vno modo, vt est conseruatiua specierum præteritorum, vt præterita sunt, & isto modo loquitur Phylosophus in *lib.* de memoria, & reminiscentia. Alio modo vt est conseruatiua specierum repræsentantiũ obiecta in se, siue sint realiter, siue nõ, &

E

F

hoc modo loquendo de memoria, dico, quod oportet ponere speciem in intellectu, vt habet rationem memoriæ. Tum propter vniuersalitatem, tũ propter dignitatem potentiæ. Tertio modo accipitur prout habet aliquod principium eliciendi aliquam notitiã actualem: quod tamen non manet, sine actu secundo: quomodo posuit Aulcena speciem in intellectu nostro, & de ista dicetur in quæst. sequẽti. Ad *hanc* quæstionem ergo dico, quod

conclusio. oportet ponere in intellectu, vt habet rationem memoriæ, speciem intelligibilem repræsentantem vniuersale, priorem actu intelligendi naturaliter, & huius necessitas est duplex, vna ex conditione per se obiecti, quæ est vniuersalitas, quæ vt per se ratio obiecti semper præcedit actum, quod non esset, nisi esset species impressa in intellectu: alia est conditio, & dignitas potentiæ superioris, ne ipsa vilificetur: quomodo autem vilificaretur, dictum est in præcedenti quæstione, *& clarius in primo articulo istius.* Hæc, *quæ supra in præcedentibus articulis (qui omnes ad istum ordinantur) satis probaui*, vi-

3. de anim. tex. com. 37. detur esse intentio Philosophi, 3. de anima, vbi dicit, quod anima est quodammodo omnia intelligibilia per intellectum, sicut sensibilia per sensum, quod non potest intelligi per habitũ: quia non est similitudo repræsentatiua obiecti: quia sequitur actum aliquẽ habitus omnis. Et confirmatur hoc, quia habitus scientiæ per quam reducitur intellectus de potentia essentiali ad potentiam accidentalem respectu actuum, de quo loquitur Philoso-

2. de anim. text. com. 25. & 55. 8. Physic. text. com. 32. phus, 2. de anim. & 8. physic. necessariò præcedit actum intelligendi: scientia autem (quæ habitus est) sequitur actũ, eo quod generatur ex actibus. Vnde ista scientia, quæ reducit intellectum de potentia essentiali ad potentiam accidentalem, est species, quæ vere est habitus, quia nata radicari, & firmari in intellectu; sed tamẽ nõ omnis habitus est species: quia habitus actualiter radicatus, & firmatus, non est species, quæ præcedit actũ, nata radicari, & firmari: quia ista postea firmatur per actũ. Expressius tamẽ est ad istud intẽtio Augustin. quod deduco sic: nihil enim sufficienter natum est gignere notitiam actualem, nisi ipsum habeat obiectum prius naturaliter, quàm actũ præsens sibi in se, vel in aliquo repræsentante ipsum; sed negando speciem intelligibilem, tota pars intellectiua non habet ante actum intelligendi obiectum sibi præsens in se, nec in aliquo repræsentante: ergo negando speciem intelligibilem, nihil in intellectiua parte erit sufficienter natum gignere actũ intelligendi, & ita nihil in parte intellectiua erit sufficienter memoria respectu talium intellectionum, vel gignitionum: quod negat Augustin. 12. de Trinit. cap. 14. & 15.

Si respondeas, quod memoria est in parte intellectiua propriè sumpta, per hoc, quod intellectus factus est in actu primo intelligendi: & sic est actiuus respectu secundi actus intelligendi: ita quod habens notitiam primam confusam, actiuus est respectu notitiæ secundæ distinctæ. Contrà, hoc est contra opinionem istam *(hoc est contra opinionẽ in art. 1. relatã)* & contra Aug. Cõtra opinionẽ: quia ponit, quod vniuersale, vt est in phantasmate, est ibi quasi in memoria, vt autem mouens ad actũ intelligendi, est ibi præsens, quasi in intelligentia: ergo per istam opinionem nullus actus intelligendi est memorię, sed intelligentiæ. Est etiam hoc cõtra Augustin. vt apparet de Trinit. 15. cap. 21 memoriæ (inquit) tribuentes omne, quod scimus, & si non inde cogitemus. Intelligẽtiæ verò proprio modo quodam tribuentes cogitationis informationẽ. Et lib. eo. 15. & 7. nihil intelligimus, nisi per intelligentiam. Similiter arguitur ratione: quia actus ille, quo memoria est in actu primo, aut

G

est

est idem cum illo actu intelligentiæ,& tunc idem erit ratio gignendi se : aut erit alius,& tunc vel erit simul cum actu intelligentiæ , & tunc duo actus erunt simul:aut non,& tunc memoria formaliter gignet, quando non erit: est enim memoria formaliter per te, per illud quod non est, quando gignitur actus seeũdus.Si etiam dicas,quod memoria, est memoria per habitum scientialem, hoc non stat cum opinione: quia dicit, quod per habitum non est obiectum præsens,nisi in phantasmate , & ideò habentem habitum oportet recurrere ad phantasma , ad hoc,vt actu intelligat: ergo non est obiectum præsens per habitum scientialem præcise:sed per phantasma; quod non est in parte intellectiua,& hoc magis patebit respondendo ad auctoritates Augustini ponentis scientiam in memoria,& speciem impressam in intellectu,sicut arguitur exverbis eius. Et confirmatur hoc : quia *vt supradictum est*,habitus scientiæ, per quem reducitur intellectus de potentia essentiali ad accidentalem respectu actuum, de quibus loquitur Philosophus,2. de anim. & 8.physic.præcedit actum intelligendi:sed scientia(quæ est habitus) sequitur actus: quia ex eis generatur. Vnde illa scientia prima,est species quędam, & habitus:quia nata radicari,& firmari in intellectu, non tamen omnis habitus est species,& secũdum istos, (*ideſt, alterius opinionis in primo artic. relatæ auctores*) non videtur aliquis habitus ponendus in intellectu:sed tantum in virtute phantastica:quia secundum quemcumque modum est obiectum in aliqua potentia,secundum eundem modum sunt omnia,quæ virtualiter cõtinentur in subiecto. Igitur si obiectum vniuersale non sit per suum repræsentatiuum in intellectu, sed in virtute phantastica,omnia explicanda, & explicabilia de illo obiecto, erunt ibidem,& ita non erit nisi habitus phantasticus,maximê si phantasmata ordinate concurrant:& erit explicans omnes veritates scibiles de illo obiecto, & omnis scientia erit ibi fundamentaliter , & perfectio eius non erit perfectio intellectus,quod est contra Philosophum:& cum illa species Phantastica virtualiter contineat actum intellectus, sequitur quod actus ille erit phantasia. Item (*& est prosus idem*) secundum istos, non videtur aliquis habitus ponendus in intellectu nostro, sed tantum in virtute phantastica:quia secundum quemcumque modum essendi est obiectum in aliqua potentia, secundum eundem modum essendi, sunt omnia, quæ continentur in ipso obiecto virtualiter. Igitur si obiectum non sit per suum repræsentatiuum in intellectu ; sed in virtute phantastica, omnia explicanda,& explicabilia de illo obiecto erunt ibidem , & ita nõ erit, nisi habitus phantasticus (præcipuè si phantasmata ordinate concurrant) explicans omnes veritates scibiles de illo obiecto,& omnis scientia erit in phantasia,& perfectio eius , & non erit perfectio intellectus contra Philosophũ. Et sic cum ista species in phantasia virtute sua cõtineat actum intellectus:ergo actus ille erit in phantasia. Item Augustı 13.de Trinit.cap.4 &15.cap.3 inuestigat Trinitatem, vbi dixit:quod impossibile est accipere imaginem Trinitatis,ex anima nostra, vel in mente,nisi per hoc ꝙ aliquid est in memoria,ex quo exprimitur aliud. Tunc arguo sic, si in mente est aliquid exprimens Verbum, oportet , quod hoc sit per aliquid intrinsecum, siue existens in memoria;sed non est exprimẽs Verbum, nisi memoria habens obiectum menti præsens intra se: alias non erit exprimens : ergo cum obiectum non sit præsens in memoria quidditatiue , & realiter, nec vt est in phantasmate,necessariò erit præsens per speciem intelligibilem. Ad argumenta in oppositum principalia:

Hęc eadẽ repetitio habetur in textu antiquo.

2.de anim. text. com. 25. & 55. & 8.Physico. tex.co. 32.

Ad primum,primó oportet,quod

illud argumentum primum non cogit: quia si valeret, concluderet contra omnem opinionem, quod nullo modo possit intelligi vniuersale. Quidquid enim sit illud, per quod vniuersale repræsentatur, similiter repræsentabit, sicut si esset impressum ab obiecto; sed si imprimeretur ab obiecto, imprimeretur à singulari: quia actus est singularis, sicut argumentum dicit. Ideò Respondeò, quod alia potest esse ratio agendi, & alia ratio agentis. Singularitas est conditio agentis, non ratio agendi: sed ratio agẽdi est ipsa forma existens in singulari, secũdum quã singulare agit. Cum ergo accipitur, quod quæcumque species gignitur ab aliquo, repræsentat ipsum, secundũ illam rationem, secundum quam gignitur ab eo; si intelligatur de ratione gignentis, falsa est, si de ratione gignendi, concedi potest, & tunc non sequitur, quod repræsentat eam sub ratione singularis, sed sub ratione naturæ: quia ratio naturæ est ratio gignendi. Sed ista responsio non videtur sufficere: quia ita videretur, quod species in sensu repræsentaret vniuersale, & non singulare: quia ratio gignendi speciem in sensu, non est singularitas, sed ratio naturæ. Ideò generaliter respondeo, quod quando species gignitur ab aliquo, sicut a totali causa, repræsentat ipsum sub illa ratione, sub qua gignitur, loquendo de ratione gignendi, & repræsentat ipsum concomitanter sub ratione gignentis: aut saltem non sub ratione opposita rationi gignentis: & ideo species in sensu non repræsentat obiectum sub ratione vniuersali: quæ est cõditio opposita rationi gignentis singularis: sed in proposito obiectum non est causa totalis gignens respectu speciei intelligibilis: quia cum ipso agit intellectus agens, sicut partialis causa, & ideó genitum ab istis duabus causis potest repræsentare obiectũ sub opposita ratione singularitatis, quæ est ratio gignentis.

Ad secundum de præsentia realĩ, dico, quod obiectum respectu potentiæ habet primo præsentiam realem, saltem, aproximationem talem, vt possit gignere speciem talẽ in intellectu, quæ est forma intellectus. Secũdo per istam speciem genitam, quæ est imago gignentis, est obiectum præsens sub ratione cognoscibilis, huc repræsentati. Prima præsentia præcedit naturaliter secundam: quia præcedit naturaliter impressionem speciei, per quam est formaliter secunda præsentia. Quando igitur accipitur, quod species in intellectu non est causa præsentiæ obiecti, dico, quod falsum est de præsentia sub ratione cognoscibilis, saltem in cognitione abstractiua, de qua modo loquimur. Et tũ probatur: quia prius est obiectum præsens, quàm species ibi. Hoc est verum de præsentia realĩ, qua agens est præsens passo. Et intelligo sic, quod in primo signo naturæ est obiectum in se, vel in phantasmate præsens intellectui agenti. In secundo signo naturæ, in quo illa sunt præsentia intellectui possibili, vt agentia passo, gignitur species in intellectu possibili, & tunc in tertio per speciem est obiectum præsens sub ratione cognoscibilis.

Ad tertium, Augustinus 6. de Trinitat. ponit memoriam esse multorum, simul cognitorum habitualiter, sicut patet ibi de perito multarum disciplinarum: ergo oportet secundum omnem opinionem, ponere multa cognita in memoria habitualiter, & illa vt sunt ibi, sunt aliquo modo causa notitiæ genitæ secundum August. Et non nisi causa naturaliter, quatenus præcedunt actum voluntatis. Igitur si argumentum valet secundum omnem *opinionem* concluderet actualem cognitionem simul plurium. Ideò respondeo, sicut dictum est de primo cognito 2. quæst. huius 3. distinction. quia cuiuscumque speciei singulare, fortius primo mouet sensum, eius phantasma effi

I

K

Idẽ ponit. 10 de Trinit. cap. 5. 6. & 7. & 14. de Trinit. cap. 6.

efficacius imprimitur, & primo mouet intellectum, & quo ad istum primũ actum, nõ est in potestate nostra, quin intelligamus, secundum Aug.3. de libero arbit. non est in potestate nostra, quin visis tangamur: sed isto actu posito in potestate nostra, est cognitio actualis cuiuslibet habitualiter noti. de hoc dist.6. dicetur. Cũ igitur dicit, aut potest mouere ista species ad intellectionem, aut non, dico quod potest, sed si alia species fortius mouet, ista impeditur, ne modo moueat: potest autem postea per imperium voluntatis imperantis mouere ad cognitionẽ istius, & cuiuslibet alterius obiecti habitualiter cogniti. Ad Algazelem dico, quod similitudo nihil valet: quia hîc tollitur illud, quod est ibi ratio im-
7.met.tex. com.23. posibilitatis: quod probatur per Aristot. & Commentatorem 7. metaph. vbi volunt, quod rationes oppositorũ non sunt oppositæ in intellectu.

L Ad quartum dico, quod modo tantum intellectus patitur ab obiecto reali imprimente talem speciem realem: sed ab illo obiecto, vt in specie intelligibili patitur passione intentionis, & illa passio est receptio intellectionis, quæ est ab intelligibili, in quantum intelligibile est relucens in specie intelligibili: & istud pati est intelligere, sicut patebit in quæst. proxima. Cum vltra deducis, quod tunc intellectio non est motus rei ad animam, non sequitur: quia impressio speciei est quidam motus rei ad animam, quatenus res habet esse in illa specie. Intellectio etiam sequens speciem impressam est motus rei ad animam, quatenus per intellectionem obiectum habet esse in anima actualiter cognitum: quod priùs tantum habuit esse habitualiter cognitum, &c.

Expositio 4. art. quæst. 6. distinctionis 6.

SVPPOSITA diuisione trimẽbri, quæ ponitur de memoria in textu: accipitur hic memoria tertio modo, scilicet, prout est principium productiuum verbi, seu formæ intelligendi, de qua egimus supra in dif ficultate 49. præsertim n. 10. & à nu. 19. vsque ad 21. vbi ostendimus memoriã fœcundam esse intellectum informatũ specie intelligibili, quatenus vt sic, est formale principium productionis verbi: hoc igitur hìc concludit Doctor cõtra Henricum, qui in primo art. negauerat speciem intelligibilem deberi poni in intellectu. Inquit igitur Doctor cõtra illum, memoriam nihil aliud esse, quàm intellectum possibilem informatum specie intelligibili representante obiectum antecedenter ad actum intelligendi. Nam vt tali specie informatus, est principium productiuum verbi, seu notitiæ: quod verbũ seu notitia est forma, seu causa formalis actus intelligendi: si ergo ordine naturæ, prior est forma, quã effectus formalis, & ideo prius natura est verbum, quàm actuale intelligere: à fortiori prius erit principiũ productiuum talis formæ, quàm actuale intelligere. Et ideò optimè infert Doctor in textu, *quod oportet ponere in intellectu, vt habet rationem memoriæ, speciem intelligibilem repræsentantem vniuersale*, vel singulare, *priorem actu intelligendi naturaliter.*

ARTICVLVS. V.

Vtrùm memoria intellectiua sit conseruatiua speciei intelligibilis, cessante actu intelligendi?

AD quintum sic proceditur, & videtur, quod memoria intellectiua non sit conseruatiua speciei intelligibilis, cessante actu intelligendi: quia si conseruaret vnam pari ratione, & aliam speciem alterius obiecti: & sic multas simul: consequens est falsum: ergo & antecedens. Probatio falsitatis consequentis: quia species non est, nisi quædam configuratio intelligibilis in intellectu:

tellectu: sed in corporalibus est impossibile idem corpus figurari diuersis figuris. ergo similiter impossibile est intellectum simul sic configurari diuersis obiectis, per diuersas species, & hęc est ratio Algazelis.

B Secundo præterea, omnis qualitas disponens intellectum ad operandũ, vel ad operationem, & mansiua, in eo est habitus intellectualis: sed species est qualitas quædam disponens intellectum ad operationem. Igitur si est mansiua post actum intelligendi, sequitur quod esset habitus intellectualis; sed hoc est falsum: quia species intelligibilis præcedit actum naturaliter & habitus sequitur, nam generatur ex actibus: ergo &c.

C Tertio præterea, quia Auicena 6. natural. p. 5. cap. 6. dicit, quòd in organo sensus conseruatur species post recessum sensibilis: & hoc solùm, quia organum non est natum cognoscere obiectum: sed intellectus non est potentia organica; & ideo de se est dispositus ad recipiendum; non autem ad conseruãdum: quia in ipso non potest fieri talis impressio aliqua; sed tantum intellectualis immutatio.

D Sed contra est: quia intellectus est in potentia accidentali, non nisi quando habet speciem intelligibilem: patet ex Philosopho 2. de anim. & 8 physic.

E Respondeo dicẽdum: quod hîc est vna opinio, quæ ponitur Auicenæ 6. naturaliũ p. 5. ca. 6. vel 7. quod ipse sensit speciem intelligibilem non habere esse mansiuũ in anima post actualẽ cõsiderationẽ, & dicũt ipsum hoc probare per hoc quod in organo sensus, (quia non est virtus cognitiua) potest esse species repręsẽtatiua obiecti: hoc est, quia organũ nõ est natũ cognoscere obiectũ tẽsibiliter: sed in intellectu, ex quo est virtus naturaliter cognitiua nõ erit aliquas species repræsentãs obiectũ, nisi ipsum obiectũ sit ibi intellectualiter, & secũdũ actualẽ cõsiderationẽ, vel intellectionẽ. Hãc rationẽ dicũt ipsũ innuere, ca. 5. post mediũ cũ dicit: impossibile est formã esse in anima in effectu perfectè, & non intelligi ab ea in effectu perfectè. Dicũt quidã, ꝙ hæc opinio fuit Auicenæ, ꝙ nulla species manet in parte intellectiua post actũ intelligendi: ꝙ videtur *manifestius ex tertio argumento*. An hoc senserit Auicena, an non? non curo. Tamen posset bene excusari, *vt patebit in solutione ad tertium. Modo tamẽ*, contra illam opinionẽ quæ diceret, ꝙ non manẽt species, sicut imponitur Auicenæ, arguo sic: intellectus habens habitũ sciẽtiæ, & nõ cõsiderans actu, est in potentia accidẽtali, ex 2. de anima: sed supposita hypothesi nõ cõsiderans actu est in potẽtia essentiali respectu illius, & vocatur potẽtia essentialis, quãdo adhoc, ꝙ exeat in actũ, necessariò præexigitur, ꝙ acquirat aliquã formã, per quã exeat in actũ. Secũdo sic, nihil præcedẽs actionẽ, magis requirit actione coexistẽtẽ, quã principiũ illius actionis: ex quo est prius actione, sicut, & principiũ agẽdi: sed principiũ agẽdi non necessariò requirit coexistẽtiã actionis: quia omnia principia naturaliũ possunt impediri ab actionibus suis, ut propter indispositionẽ subiecti, instrumẽti, vel organi: & tamẽ stabunt principia: ergo cũ species sit naturaliter prior actione intelligẽdi, vt patet ex prædictis, nõ coexigit existẽtiã actionis: & sic trãseũte, vel nõ existente actu intellectione, manebit species intelligibilis. Tertio sic, priùs natura potest esse, sine posteriori: nisi in priori sit necessitas respectu posterioris, vt est in subiecto respectu proprij accidẽtis: sed species est prior actu intelligẽdi, & nó facit necessitatẽ respectu actus intelligẽdi. Tũ quia intellectio est volũtaria per participationẽ; quia intelligimus, cũ volumꝰ 3. de ani. Tum quia nõ obstãte ꝙ intellectus habeat speciẽ intelligibilẽ, potest impediri ab actione, sicut dictũ est, ergo &c. Quarto sic, ꝙ est perfectionis in inferiori, est eminẽtius in superiori eiusdẽ

ratio

2. de an. tx. com. 25. & 55. & 8. physic. tex. com. 32.

D. Thom.

2. de anim. tx. com. 25 & 55.

tx. com. 60

rationis, & generis: ſed trãſeunte actu imaginationis, ſiue ſenſitiuæ partis, retinere ſpecies eſt perfectionis: ergo eminentius hoc erit in parte intellectiua: eſt enim intellectiua eiuſdẽ generis cũ ſenſitiua, pro tãto, quia cognitiua ſicut ſenſitiua: eminentior tamẽ. Maior probatur: nam in quolibet perfectionis eſt, quãto minus indiget aliquo extrinſeco in ſua operatione: ſed cæteris paribus retinendo ſpecies ſenſus minus indiget extrinſecis in operatione ſua: ergo hoc eſt perfectionis in eo. Probatur etiam ex alio: quia omne illud, q̃ arguit independẽtiã, eſt perfectionis: ſed habere ſpeciẽ, & nõ intueri, vel actu intelligere, arguit q̃ intellectus non dependet ab actu intelligendi: ergo &c. Aliqui adducunt vnam rationem ad propoſitum, quæ magis congruentia eſt, quam ratio: & eſt talis: vnius cuiuſque permanentia attenditur penes nobilitatẽ, vel ex parte nobilitatis illius, q̃ recipit, ſiue recipiẽtis: nã omne, q̃ recipitur, recipitur per modũ rei recepiẽtis: cũ igitur ſpecies ſit res nobilis, & recipiatur in intellectu, qui eſt incorruptibilis: ergo ipſa manebit, actu nõ manẽte. Reſpõdeo, non valet: nam actus eſt res nobilior, quã ſpecies, & recipitur in intellectu: ergo manet in intellectu, ſe ipſo non manente, non ſequitur.

Boe. Thmiſtius. & Auic. 3. de ani. com. 5

F

Concluſio.

Vid. c. 1. de ani. text. com. 18. & 37. & 38. & alibi ſæpè.

Ad quæſtionẽ igitur dicẽdũ, q̃ manet ſpecies in memoria, actu intelligẽdi non manẽte, cuius ratio eſt: quia vt habetur 3. de anim. intellectus in quãtum intellectus, nõ poteſt eſſe ſapiens de ſe: ſed de ſe nullo modo eſſet ſapiẽs de aliquo obiecto, niſi quantum eſſet ſibi præſens in ratione cognoſcibilis: ſed hoc non contingit, niſi per ſpeciẽ intelligibilẽ: ergo. Sed tũc reſtat vna difficultas, cum ex quo habet ſpeciem in qua relucet obiectũ, quare in actu intelligẽdi, oportet intellectũ cõuerti ad phantaſmata? *pro qua vide ſequentẽ articulum.*

G

Ad primum arg. mẽtum dicendũ, quod ſunt ibi plures ſimul. Ad probationem dicendum, quod ſecundum Phyoſophum 7. metaph. & Commentatorem, ea, quæ oppoſitionem habẽt in re, nõ habent oppoſitionem in mẽte: nam ſpecies cõtrariorũ ſimul ſunt in anima, cũ tamen cõtraria ſimul eſſe nõ poſſint in eodem ſubiecto, poſſũt tamen aliqualiter eſſe idẽ in eſſe cognito: nam vnum eſt ratio cognoſcendi alterũ: ſicut rectum eſt iudex ſui & obliqui, 1. de anima.

7. met. tex. com. 23.

1. de ani. tex. co. 22.

Ad ſecũdũ dicitur, q̃ illa ſpecies dicitur, & eſt habitus, nõ tamẽ eiuſdem rationis cũ illo, qui per actus acquiritur: nam ex actibus non acquiritur, niſi habilitas ad actus conſimiles: nũquã tamen per illam habilitatem fit obiectum in intellectu præſens: per habitũ autem, qui eſt ſpecies, fit præſens.

H

Ad tertiũ *Auicenæ*, modus ſuus eſt, quod poſuit ordinem in intelligẽtijs, & dixit vltimam intelligentiã influere ſpeciem in intellectum noſtrum. Ita quod ſicut Plato poſuit, quod per conuerſionem intellectus noſtri, ad ideam alicuius rei, habemus ſcientiã alicuius rei, ita Auicen. poſuit q̃ per cõuerſionem intellectus noſtri ad illã intelligentiã naturaliter influentem, habemus notitiam, & ſcientiã rei, quã ad ſenſum eramus diſpoſiti cogitare. Quod ſi contra eũ tunc diceretur, q̃ ſecundũ hoc, numquam haberemus habitũ ſcientiæ, ex quo ſpecies nõ manebant in intellectu noſtro, niſi in actuali cõſideratione, q̃ tãtũ erat in actuali conuerſione ad illam intelligentiam. Reſpondebat (ſecundum quod ſibi imponitur) quod ex frequenti cõuerſione ad illam intelligentiam generatur quædam habilitas in homine, quæ habitus poteſt dici, per quam erat facilis, & habilis ad ſe conuertendũ: & per conſequens ad actum conſiderandi ſecundum ſcientiam. An hoc ſenſerit Auicen an non? (*vt dixi*) non curo: tamen poſſet bene excuſari. nam ipſe dicit ibidẽ, cap. 9. quod aliquis de queſt.

ſibi

ſibi propoſita poteſt habere certitudinem, quod ſcit eam ſoluere, & tamē non habet in promptu ſolutionem: quod non eſſet, niſi apud ſe haberet ſpeciem intelligibilem. Item cap. 5. vult, quod ſingularia non faciunt aliquam diuerſitatem ad intelligēdum, vnde vult, quod facta abſtractione quidditatis ab vno ſingulari, nō oportet, quod fiat ab alijs eiuſdem ſpeciei concurrentibus. Ipſe expreſſe ibi ponit abſtractionem ſpeciei à ſingulari. Item parte 6. cap. 1. dicit, quod theſaurus intellectus eſt memoria, quod nihil eſt dictu, niſi ſpecies ibi conſeruarētur. 5. metaph. dicit, quod ſpecies in intellectu reſpectu intellectus eſt ſingularis, ſed reſpectu obiecti, eſt vniuerſalis.

K Qui ergo vellet ſaluare Auicen. diceret, vt videtur eſſe eius intentio, quod duplex eſt ſpecies in intellectu: vna, quę abſtrahitur à ſenſibus: & hæc manet actu intellectus tranſeunte: alia, quæ habetur ex influxu intelligentiæ, ad quam conuertitur, & hæc non manet, actu intellectus non manente, nec eſt neceſſe, quod maneat illa: quia ſemper intelligentia illa naturaliter influit ſpecies in intellectum ad ſe conuerſum per modum, quo aliqui dicūt intellectum ſeparatum intelligere: ſed per influxum ſpecierum á Deo, nō ab intelligentia.

Intellectus eſt locus ſpecierum conſeruatiuus, non ſe tamen potentia ſenſitiua.

2. *Species ſenſibilis cur in ſenſu facile deleatur.*

Ad huius autem intelligentiam notat Lychetus hîc, quod quando Doctor dicit, quod ſpecies ſenſibilis poteſt deleri ab organo per formaliter contrarium; non debet intelligi, quod ſpeciei ſenſibili aliquid ſit formaliter contrarium: ſed quia ipſi organo, vel qualitati in organo exiſtenti ad conſeruationem ſpeciei, aliquid eſt contrarium. Quod per exemplum explanat: nam ſi organum tactus, v.g. fuerit calidum formaliter, per frigus poterit calor organi illius expelli. Vt putá, ſi diſpoſitio organi conſiſtat in debita diſpoſitione caloris, & ficci: calor ille, vel ſiccitas poſſunt in tantum intendi, quòd iam organi diſpoſitio eſſe non poſſet. Vel ſi conſiſtat in debita proportione frigidi, & humidi ſimiliter frigiditas, & humiditas poſſunt in tantum intēdi: quod illa debita proportio, quæ eſt in organo, & diſpoſitio corrumpatur. & ex huius qualitatis corruptione, corrumpitur ſpecies ſenſibilis, quæ in tali proportione, & non in alia poterat conſeruari. Species vero intelligibilis non habet aliquod formaliter contrarium intellectui, á quo poſsit deleri.

3. *Species intelligibilis cur indelebilis ſit.*

Ex quo prouenit ſpeciem intelligibilem ſemel in intellectu receptam (ſecundum Doctiſsimos viros) ideò ſimpliciter indelebilem eſſe: quia nec intellectui, nec ſpeciei, nec debitæ diſpoſitioni ad conſeruationem ſpeciei, aliquid formaliter eſt contrarium.

Expoſitio Articuli 5. quæſtionis 3. diſtinctionis 3.

I. D. Thom. Auicena.

LITERA clara eſt, in qua refertur opinio, quàm D. Thomas, 1. p. q. 79. art. 6. & alij tribuunt Auicenæ dicenti, non manere conſeruatas ſpecies intelligibiles in memoria intellectiua. Quam opinionem forſan Auicenæ non eſſe, teſtatur Doctor in ſolutione tertij argumenti. Ipſam tamē opinionē quatuor rationibus improbat: & articulum reſoluendo concludit, *quod manet ſpecies in memoria, actu intelligendi non manente.* Quæ concluſio probatur ab eo ibidem efficaciſsima ratione: ſed amplius manifeſtatur ex differentia intellectus à potentijs ſenſitiuis. Quoniam intellectus eſt locus ſpecierum: illas enim conſeruat, ſicut locus cōſeruat locatum: organa verò potentiæ ſenſitiuæ, non ſic ſunt loca ſpecierum, quia non ita ſaluant ſpecies receptas in ſe. Hoc à poſteriori probatur quia ſpecies intelligibiles, quæ recipiūtur in intellectu, non delētur, ſicut ſenſibiles, quæ ſunt in potentijs ſenſitiuis: Iſtæ enim facilè poſſunt deleri: nā ſpecies ſenſibilis ita eſt in organo, quod poteſt corrumpi per aliquod formaliter contrarium, vel per diſpoſitionē diſcōuenientem in ſuſceptiuo: ſpecies vero intelligibilis, neque per formaliter cōtrarium poteſt deleri, neque per diſconuenientem diſpoſitionē in ſuſceptiuo.

Sed

4 *Species intelligibiles cur læpe obiecta sua non repræsentant habentibus illas.*

Sed tunc dubitatio est, quare plures non intelligunt per species intelligibiles, quas habent, obiecta representata in ipsis, vt de amentibus, & senibus, aut pueris patet, qui facillime obliuiscuntur eorum, quæ intellexerant? Respondeo, quod etsi species intelligibiles indelebiles sint, non tamen mouent intellectum, quando in parte sensitiua, præsertim in interiori, est indispositio. Cuius ratio est, quia pro statu isto, est talis ordo potentiarum, quod oportet intelligentem speculari phantasmata, vt infrequenti articulo probat Doctor, & ideò dormiens non intelligit obiecta, quæ species repræsentant. Remoto tamen tali impedimento in partibus sensitiuis, illæ species possent mouere intellectum, partialiter causando per modum obiecti cognitionem obiectorum, quæ repræsentant. Nec est necessum, quod semper actualiter talem notitiam causent, adhoc vt dicantur indelebiles esse: sed sat est in intellectu conseruari habitualiter: & quod, impedimentis organorum remotis, mouere possint ad cognitionem huiusmodi, vt indelebiles esse dicantur. Atque ideò, vt benè concludit Lychetus, nec etiam per mortem delentur species ab intellectu: quam ob rem anima à corpore separata, poterit per species, quas vt corpori coniuncta recepit, cognoscere omnia obiecta talium specierum. Quibus manet enucleata textualis conclusio.

Species intelligibiles in vita acquisitæ manent post mortem.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm oporteat intellectum in actu intelligendi conuerti ad phantasmata?

A

AD sextum sic proceditur, & videtur, quod nõ oporteat intellectum in actu intelligendi conuerti ad phantasmata: quia ex quo habet speciem, in qua relucet obiectum, quare in actu intelligendi oportet intellectum conuerti ad phantasmata?

B

Sed contra est, quia quod oporteat intellectum conuerti, dicit Philosophus 3. de anim. dicit enim, quod quid quid intelligimus, necesse est simul phantasmata speculari. Hoc etiam ostenditur experientia. Alias Læso organo phantasiæ, posset esse intellectus in actu recto intelligendi, ex quo species habuisset. Cuius contrarium videmus.

3. de anim. tx. com. 30 & 39.

C

D. Tho.

Respondeo dicendum, quod adhoc respondet quidam, quod pro tanto oportet fieri conuersionem ad phãtasmata: quia proprium obiectum intellectus coniuncti est quidditas rei materialis, quæ non est nisi in hoc singulari, vel in illo non cognoscitur perfectè, nisi existens in hoc, vel in illo particulari, vel singulari: singularium autem est phantasma, & ideò oportet, quod adhoc, quod intellectus intelligat obiectum suum, quod conuertat se ad phantasma, vt speculetur naturam vniuersalem existentem in particulari. Sed hæc responsio nulla est: quia aut cognouit primo singulare, vel vniuersale? nõ singulare: quia tantum cognouit singulare per reflexionem, secundum eos. Si vniuersale: tũc arguo sic, numquam secundum totam suam indifferentiam potest vniuersale cognosci in inferiori: nec tamquã in obiecto, nec tãquã in representatiuo. Præterea dato, ꝙ verum esset, ꝙ quidditas rei materialis esset propriũ obiectũ intellectus eõ ũcti (ꝙ tamẽ falsum est, vt supra ostensum est) tamen ratio sua non est vera. Nam secundum suam rationem, Angelus, cũ cognoscat perfectê quidditatem rei materialis, oportet, quod ipsam aspiciat in phantasmate: quod est falsum. Præterea species Angeli, siue quidditas Angelica, non minus existit in supposito suæ speciei, quam quidditas rei materialis in individuo eius: si ergo Angelus non abstrahit, nullo modo intelligit quidditatem suæ speciei sub ratione vniuersalis. Licet ergo quidditas non existat, nisi in supposito, vel singulari, potest tamen intelligi ab intellectu,

dist. præsenti. q. 3. & 4.

ctu, non quod existat in eo. Et sic falsum est, quod assumit, scilicèt, quod non possit intelligi quidditas, nisi vt existens in singulari intelligatur: non enim est de ratione quidditatis, vt quidditas est, quod in singulari existat, licét non nisi in eo existat realiter.

D Ideó dicendum, quod duplex est necessitas conuersionis intellectus ad
4. Concluſ. phantasmata. Vna est conformitas actionum potentiæ intellectiuæ, & phantasiæ: quia quidquid intelligimus in vniuersali, illud idem phantasiamur in suo singulari, & simul necessario. Ex quo accidit, quod impedita operatione phantasiæ, impeditur intellectus; sicut simul operatio sensus communis est particularis, & impedita operatione sensus particularis, impeditur operatio sensus communis. Quoad causam secundam, vel necessitatem, est intelligendum, quod species intelligibilis abstrahit à phantasmate, vt actu per ipsum phantasiatur obiectum particulare phantasia: ante
2. Concluſ. quam igitur intellectus habeat speciem, necessario oportet ipsum conuerti ad phantasmata, sicut proprium passiuum conuertitur ad suum proprium actiuum, a quo simul, & ab intellectu agente, recipit speciem intelligibilem: &si eam habet, recipit
3. Concluſ. intensionem actus: quia clarius videt obiectum: stante enim voluntate ad hoc, & phantasia non fatigata, quanto ipsa est magis in actu ordinato, intellectus intensius videt obiectum suum proprium.

E Sed dices, si actus est intensior, quanto plus phantasia est in actu: ergó videtur, quod non habeat terminum. Cuius falsitas patet in patria.

F Dicendum, quod generaliter in his quæ susciptunt magis, & minus, sicut inhabitibus, non quilibet actus auget habitum, vel saltem ille actus, qui non virtualiter continet ipsum generatum. Vndè aquam calidam non facit calidiorem modicus ignis, vel modicus calor, puta, tepidum: sed calor intensior, puta calor, qui virtute est talis: si autem formæ tales habent terminum, non amplius illi actus intendunt habitum: ita in proposito.

Ad argumentum, *seu rationem dubitandi satis respondetur ex dictis.* G

Expositio articuli sexti, quæstionis sextæ distinctionis tertiæ.

HVIVS articuli litera præclaram doctrinam continet, in quo Doctor aduersatur Diuo Thomæ, non in conclusione principali: cõclusio etenim verissima est secũdũ Diuum Thomam, & Scotũ, quinimo, & omnes Peripateticos tanquam Aristotelica 3. de Anima textu, commento 30. & 39. *Quod oportet intellectum ad phantasmata conuerti.* Differt igitur Doctor à Diuo Thoma, in assignanda ratione conclusionis prædictæ: nam Diuus Thomas non alia ratione id necessarium esse affirmat, nisi quia vt supra in primo articulo quæstionis quartæ, huius tertiæ distinctionis visum est, ideò censset obiectum adæquatum nostri intellectus, esse quidditatem rei materialis: quia nihil pro hoc statu ab intellectu intelligi potest, quod prius ministerio sensuum non sit per organa sensibilia, ad potentias interiores transfusum. Et quia à talibus potentijs, non nisi sensibilia, seu materialia percipi possunt: ideò opinatus est (vt ibi vidimus) obiectum adæquatum nostri intellectus esse quidditatem rei materialis. I

Ex hac ergo opinione nunc sumit rationem ad probationem huius conclusionis. Ait etenim, ideò oportere intellectum ad phantasmata conuerti: quia non potest intelligere, nisi 2

ea,

ea, quæ sunt sensibilibus, aut materialibus inuoluta. Quapropter ad speciem conuertitur, vt talia obiecta à materialibus abstrahat, & intelligibilia reddat. Cum enim intellectus non, nisi vniuersalem naturam intelligat, secundum D. Thomam, & in phantasmatibus sint singularia: ad phantasmata conuertitur intellectus, vt in illis speculetur naturã vniuersalem, quæ in singulari existit, & eam immaterialem, & vniuersalem intelligat.

3 *Intellectus cur ad intelligendũ, se ad phantasmata conuertat?*

Hanc tamen Diui Thomæ rationem efficaciter improbat Doctor in textu, & præbet alias duas huius cõclusionis, quarum prima est statutus potentiarũ ordo pro hoc statu: quia sicut sensus cõmunis pendet ab exterioribus sensibus &c. Sic intellectus pendet à phantasia in operationibus suis: phantasiatur enim intellectus vniuersale in singulari. Hæc tamen ratio ab extrinseco sumitur: nã ex illa sequitur, quod si Deus hunc talem statutũ ordinem destrueret; posset intellectus sine phantasmate operari. Vnde aliam secundam rationem ab intrinseco reddit Doctor: quia scilicet intellectus non potest sine specie intelligere: de se autem speciem non habet: ergo debet illam ab alio recipere: ab eo autem, à quo speciem recipit, dependet tanquam passiuum à suo actiuo. Quia ergo in phantasia sunt species sensibiles, quæ vocantur phantasmata, & repræsentant omnia obiecta intelligibilia, quæ pro hoc statu potest intelligere intellectus: ideò ad phantasmata conuertitur, vt ab ipsis, & à se ipso, vt est intellectus agens, recipiat speciem intelligibilem, & ex hac ratione secunda oritur prima. Nam ideò Deus statuit hanc potentiarum subordinationem, & dependentiam, quia intellectus pro hoc statu indiget mendicare speciem, qua intelligat, ab illis agẽtibus, quæ illã producunt, quæ agentia, vt sæpe alibi, & hic docet Doctor, non sunt alia nisi phantasmata per modum obiecti, & intellectus agens per modum potentiæ. In reliquis litera clara est.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in intellectu nostro ad sit actualis notitia genita, vel producta, ad quam sit per se motus?

A

AD septimũ sic proceditur, & videtur, q̃ in intellectu nostro, nõ sit actualis notitia genita, vel producta: quia actionis non est actio, vt termini, nec vt subiecti: nec passionis est passio 5. Metaphy. sed notitia actualis est actio, vel passio: ergo ipsa non est genita, vel producta: quia hoc esset alia actione, vel passione: & ita esset terminus actionis, vel passionis. Minorẽ probo sic, notitia est actus secundus: sed omnis actus secundus est actio, vel passio: ergo. Secundo sic, nullum entiũ consistit præcise in fieri, & successione, nisi sit actio, vel passio: notitia nõ est permanentium: ergo, &c. Tertio sic, Philosophus quinto Metaphysic. diffinit actionem immanentem, & transeuntem: sed notitia est operatio immanẽs: ergo est actio, quia continetur sub vna specie actionis, scilicet immanentis.

5. Metaph. tex. co. 10. & inde.

5. Metaph. tex. co. 16.

B

Secundò præterea, sic ad principale, Augustin. quarto super Genes. capite octauo dicit, quod aër, præsente lumine, non est factus lucidus, sed fit: quia si factus esset lucidus, & non fieret, absente corpore luminoso, *maneret* lucidus. Ex his habeo, quod illud, quod factum est intrancè, & de se manet; sed illa notitia non manet: ergo non est facta, nec est genita.

C

Tertiò præterea sic: Philosophus sexto Metaphysic. probat, quod for-

mæ non est generatio, sed tantum compositi: sed notitia non dicit compositum, sed tantum formam: ergo, &c.

D. Sed contra est, quod Augustin. nono de Trinitate capit. 12. & 13. liquido (*inquit*) tenendum est, quod omnis res, quamcunque cognoscimus, generat in nobis notitiam sui: ab vtroque enim notitia paritur, & a cognoscente, & à cognito. Et aliquantulũ infra. Partum mentis antecedit appetitus quidam, quo id quod nosse volumus, quærendo, & inueniendo noscitur proles, notitia ipsa.

E. Respõdeo dicendũ, quod hic sunt tres breues quæstiones. Prima, cuius modi entitas sit intellectio, & volitio & huiusmodi operationes immanentes. Secũda quæst. est, an ad huiusmodi operationes sit aliqua per se mutatio? Tertia quæstio est, an ad huiusmodi operationẽ sit productio, vel generatio? *De prima, & tertia in sequentibus articulis erit sermo, circa secũdam vero*, est dicendũ breuiter, quod sic.

Prima conclusio. 9. Physico. tex. co. 32. & 37. Quod patet nam secundum Philosophum 6. Phisic. mutari est aliter se habere nunc, quã prius, sed intellectus actu intelligens, se habet aliter nunc, quã prius: ergo verè est mutatus per se: ergo proprie mutatio ad huiusmodi operationes terminatur. Vnde *ad intentum articuli* intelligere, & velle in nobis non sunt actiones, vel passiones, vt dictum est, *& dicitur hic, & sequenti articulo.*

Secunda cõclusio. Dicere autẽ, siue intellectionẽ producere: & spirare seu amorem elicere, sunt actiones in nobis: & de genere actionis, vel quasi de genere actionis: quare, &c.

F Ad primum dicendũ, quod maior est vera, sed minor est falsa: ad euidẽtiam autẽ eius, & argumentorũ, quibus ipsa minor probatur, intelligendum, quod actio proprie sumpta tres habet proprietates, vna est quod est in continuo fieri, æquè enim dependet ab agente in secundo, & vltimo instanti, & in primo: imò & in quolibet, quantum durat. Secunda proprietas est, quod est circa aliquod receptiuum, in quo est, vt in subiecto: nam actio non est in agente, sed in passo. Tertia proprietas est, quod est circa aliquẽ terminũ, ad quem terminetur, qui esse accipit per eam: idem intellige de passione: operationes ergo immanentes assimilantur actioni, & passioni in prima *conditione*, & secunda, non autem in tertia, quæ est completiua. Ad argumẽtum ergo primum, quo prædicta minor probatur, concedo, quod est actus secundus: nego tamẽ, quod omnis actus secundus sit actio, vel passio: imò est qualitas. Ad secundum dicendum, quod assimilatur in secunda conditione, vnde cum etsi fit etiam continue, non tamen est actio, sed actionis terminus. Ad tertium dicendum, quod diuisio actionis, quædã est immanens, quædam transiens, vno modo est æquiuoci, siue vocis in sua significata, alio modo vniuoci, siue generis in suas species. Si enim accipiatur actio transiens, & operatio immanens, quæ est intelligere, velle, videre, & huiusmodi, significata sunt vnius vocis tantum, scilicet actionis & nullius vniuoci. Si autem *dicatur* actio quædam est transiens, quædam immanens, vt elitio intellectionis, quæ immanet, sicut & ipsa intellectio, tunc est diuisio vniuoci in suas species.

Ad secundum principale dicendũ G. quod non intendit Augusti. negare lumen esse, vt fieri ab agente, & factum esse simul, sed non permanet sine præsentia agentis: sicut nec creatura rationalis conseruatur *in* gratia sine diuina præsentia: nam ad hoc ipse eam includit.

Ad tertium patet per dicenda in H. tertia

tertia quæst. *quæ in articulo nono disputatur*, quare, &c.

Expositio septimi articuli quæstionis sextæ distinctionis tertiæ.

1 LICET titulus huius articuli videatur tres illas quæstiones breues quæ hic ventilantur, concludere, secundã tantũ determinat, duas alias ad sequentes articulos relinquẽdo. Hic ergo quæritur de mutatione, qua intellectus mutatur de non esse adesse, hoc est de non intelligere ad intelligere, seu de non habẽre notitiam, ad habentẽ illam: nam licet in hoc nulli dubiũ sit, intellectum mutari realiter, si quidẽ habet formam realem, quam antea non habebat: ex hac tamen mutatione infert motum. De motu igitur, quo agẽs mouetur per actionem de genere actionis ad productionẽ alicuius, loquitur in præsenti: nã ideò dicitur ad relationẽ intrinsecus aduenientẽ, non esse per se motũ: quia talis relatio nec fit, nec producitur: sed ad productionem extremorũ, seu termini comproducitur ipsa. Itẽ ad actionẽ non est per se motus: quia tũc in infinitum procederetur, nam de qualibet actione, quæ produceretur per actionem, seu de actione, quæ per actionem producitur posset idem fieri argumẽtũ. Cum ergo notitia sit intellectio, & intellectio actualis sit operatio, & operatio videatur esse actio: videtur idem dicendũ de notitia, quod de cæteris actionibus: & ideò non videtur intellectum esse principiũ productiuum notitiæ, nec notitiã primo & per se posse esse terminũ actionis intellectus: & ideò productam non esse, ac ex consequenti ad illam non esse per se motum.

2 *Intelligere & velle in nobis sunt qualitates per dicere, & spirare productæ.*

Oppositum nihilominus in hac controuersia Doctor resoluit, non solũ de notitia, verũ etiam de amore: de quibus resoluit, *quod intelligere & velle in nobis, nõ sunt actiones vel passiones*: quia sunt qualitates per se productæ, sufficientes ex se ipsis terminare actiones intellectus, & voluntatis, saltim sumendo intelligere, & velle pro rationibus formalibus intelligendi & volendi, prout in sequentibus duobus articulis explanatur. Actiones vero quibus tales qualitates producuntur, sunt dicere & spirare, seu amorem producere: ita quod intellectus in ratione memoriæ fœcũdæ per actionẽ de genere actionis, quæ vocatur dicere, producit notitiam: & voluntas per actionẽ de genere actionis, quã in diuinis spirationem vocamus, producit amorẽ. Istæ igitur actiones per se primo ad notitiam & amorem terminantur: & ideò in litera cõcluditur, quod ad notiam, verè est per se motus. De qua controuersia plura dicimus, & obseruauimus supra in difficult. 49. & 50. & in difficult. 23. & 25. & 26. & alibi sæpe.

Ad notitiam est per se motus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum intellectio, & volitio sint in genere qualitatis?

A. DOctauum sic procedi tur, & videtur, quod intellectio, & volitio sint actio, seu passio, nõ autem sint in genere qualitatis: quia cũ per actus habitus generentur, habitus est terminus dictarum operationum, & sic sunt actio, vel passio.

B. Sed cõtra est, quia actio, & passio sunt alicuius termini accipientis esse per ipsas: sed operationes immanentes sunt vltimi termini, quibus nihil accipit esse: non anima, nec obiectũ, nec enim obiectum accipit esse per ipsas: ergo, &c.

C. Respondeo dicendum, quod hic intelligendũ est, quod ex diuisione entis patet, *quod intellectio & volitio*, non sunt substantiæ: quia intellectio ad est, & abest præter subiecti corruptionem. Nec quantitas: quia nõ est, nisi in corporibus, vel in pluribus realiter

liter distinctis, vt numerus: nec sunt habitus, nec positio, nec quando, nec vbi, quia hęc dicunt habitudinem ad corpora, vel sunt passiones corporalium: nec aliquid aliorum, vt actio, vel passio, aut relatio: ergo qualitas. Quod autem dico de intellectione, hoc idem dico de volitione, visione, auditione, & sic de alijs operationibus immanentibus. Et primo probo, quod non sit relatio, nec actio, nec passio: quia operatio immanens est vltima perfectio naturæ absolute operantis: sed nulla relatio, actio, & passio est huiusmodi: ergo, &c. tamen bene potest importare relationē. Minor patet, quod scilicet vltima perfectio naturæ nō sit relatio, relatio enim perfectionē non importat in quantū huiusmodi, & quod vltima perfectio naturæ esset relatio, repugnantiā includit: nec est actio, quia actio nō perficit agentē, sed passum. Præterea actioni est aliquis terminus realis, hîc autem præter intellectionem, non est aliquis terminus: nec est passio, quia iam non esset vltima perfectio: quare, &c. Secūdo probo, specialiter de quolibet: primo quod intellectio non sit relatio: sic Aug. 7. de Trinit. c. 1. omnis essentia quæ relatiue dicitur, est aliquid exceptō eo, q̄ relatiue dicitur, &c. Sed intellectio subest relationi: quia dicitur relatiue ad obiectum: sicut enim scientia refertur ad scibile, vt mensuratū ad mēsuram 5. Metaph. ita & intellectio: ergo secundū rem absolutum suum, siue positiuū suum nō est relatio. Quod autem nō sit actio, vel passio, probo sic, *vt in §. sed contra.* Cū ergo huiusmodi operationes aliquid sint, & probatum est, quod non sunt substātia, nec relatio, nec actio, aut passio, neque quantitas, vel aliquid extrinsecus aduenientiū, relinquitur, quod sint in genere qualitatis, & constat quod non sunt in tertia vel quarta specie: quia talia solū sunt corporalia: nec in secunda, quia illa sunt naturalis potentia, vel impotentia. Sūt ergo in prima in qua (credo) est omnis perfectio substantiæ spiritualis, quæ non est Deus, vel quæ nō est de eius substātia: ergo qualitates. Ex his *& in articul. sequenti dicendis*, correlarie potest concludi, quod intelligere, & velle in Deo non sunt actus productiui, nec per consequens principia actuū notionaliū, qui sunt generare, & spirare. Intelligere enim & velle in Deo, actus operatiui sunt, quibus ipse beatus quasi perficitur: non autem sunt productiui. Ex quo patet, quod nec notitia simplex, nec amor simplex sunt rationes productiuæ, sine quibus personæ non producuntur, vt quidam (*Henricus scilicet vbi sup.*) dicit, & superius est improbatum. Vnde intelligere, & velle in nobis, non sunt actiones, vel passiones, vt dictum est. Dicere autem siue intellectionem producere, & spirare seu amorem elicere, sunt actiones in nobis de genere actionis, vel quasi de genere actionis: quare, &c.

Prima conclusio.

Secunda cō clusio.

5. *Metaph. tex. co. 20.*

Tertia conclusio. De his vide 13. & 15. quæst.

Ad argumētū dicēdum, quod magis est ad oppositū: nā quod non est forma actiua, non est principium formale inducendi aliquam formā: sed per operationes immanentes inducitur habitus, qui est aliqua forma: ergo operationes immanentes nō sunt relatio, actio, vel passio. Actus ergo quia virtualiter cōtinet habitum, ipsum generant, & intendunt. Ad argumentum tamē (licet si ad oppositū) dicendum, quod actio illa, quæ proprie est ad terminum, non potest intelligi sine termino: sed operationes huiusmodi possunt intelligi sine habitu, & esse: vt patet in habentibus habitū intensissimum, vt in beatis: ergo proprie nō dicitur terminus quasi intrinsecus, sed quasi consequens, & accidentalis.

D.

Exposi-

Expositio octaui articuli quæstionis sextæ distinctionis tertiæ.

1 CVM ex articulo præcedente habeamus intellectionem, seu notitiam genitam, ac etiam volitionem esse per se terminos productionum intellectus, & volũtatis, ita quod ad ipsas est per se motus, aut per se mutatio: & ipsæ taliũ potentiarũ per se primo terminãt actiones: non difficile erit huius articuli difficultatem resoluere, Doctor vero hîc inductiuè probat operationes huiusmodi esse qualitates: nã postquam per omnia genera entiũ discurrit, sic difficultatem resoluit. *Cum ergo huiusmodi operationes aliquid sint, & probatum est quod non sunt substantia, nec relatio nec actio, aut passio, nec quantitas, vel aliquid extrinsecus aduenientium: relinquitur, quod sint in genere qualitatis.* Et infra quærendo in qua qualitatis specie sint, inquit, *sunt ergo in prima, in qua, credo, est omnis perfectio substantiæ spiritualis, quæ non est Deus.*

2 Circa hanc tamen literam tria se offerunt dubia difficilia. Primum videlicet, quo modo quælibet ex dictis operationibus, cum sit vitalis, non sit actio: nam operari secundum Thomistas, nihil aliud est, quam vitaliter agere. Secũdum, quomodo talis operatio non sit relatio; & ratio dubitandi est, quia quocũque absoluto intellecto, non intelligitur illa operatio, quæ est intelligere: ergo in relatione consistit: consequentia est euidens, antecedens probatur, nam quocumque absoluto intellecto, non intelligitur ordo ad obiectum: sed non intellecto ordine ad obiectum, non intelligitur intellectio illius, vt patet: ergo &c. Tertium dubium est, quia intelligere vt intelligere, non est productum ab intellectu, nec eius productionem terminat: ergo non est qualitas: & idem dico de velle. Consequẽtia probatur, quia ad qualitatem est per se motus, & per se productio: ergo ad quod non est per se motus, qualitas non est. Antecedens vero patet, quia quidquid intellectus producit, Deus potest producere, vt patet ex illa difficultate 26. vbi ex hoc ostendimus Deum posse verbũ creare se solo in intellectu creato: quia ad illud producẽdum, intellectus creatus effectiuè concurrit: & quidquid Deus potest facere cum causa secũda, potest facere se solo. Sed Deus non potest producere seu creare actuale intelligere in intellectu creato: si quidem si verbum in dormiente crearet, manẽte in dormitione; non ibi esset intelligere, vt ibi ostendimus: quia non ibi esset perceptio obiecti, nec intellectus ipsum respiceret: ergo, &c.

Hæc tria dubia non minime ancipitẽ redderent huius textus difficultatem, nisi ex difficul. 23. & alijs pluribus prælibata essent ea, quæ ad eorum solutionem sufficiant. Ad illa igitur, & ad rationes dubitandi resolutorie respondeo, & dico ad primum, aliter loquendum esse de ratione formali operandi, & aliter de operationibus ipsis. Dico igitur, quod intelligere (& idem dico de velle) vel sumitur pro intellectione formali, vel pro intellectione actuali. Si primo modo sumitur, non est operatio, sed formalis ratio operandi, sicut albedo est ratio formalis albi: si vero secundo modo sumatur, est verè & formaliter operatio: non enim solum est intellectio, sed actu intelligere, quod operari, & operatio est. Et tunc dico ad rationem dubitandi, quod aliud est actio vitalis, & aliud operatio vitalis. Vtraque est à vitali principio: sed actio vitalis est à principio vt actiuo per realem influxum, per quem aliquid de nouo reale vitaliter producit. Operatio vero vitalis est à tali principio vt passiuo, nempe quatenus recipit illud productum, vtpotè verbum, & sine aliqua actione, sed per solam perceptionem, respicit obiectum in illo verbo repræsentato. Dico ergo, hac distinctione suppositâ, quod nulla operatio vitalis est actio, sed perceptio formalis per verbum, quod est terminus actionis.

3 *Intelligere sumitur vel pro intellectione formali, vel pro actuali.*

Actio vitalis differt ab operatione vitali.

Operatio vitalis nõ est actio.

Verum ad secundũ dubium dico, plura entia, quæ sunt entitatiuè absoluta, importare transcendentalem respectũ, cum quo realiter, non vero formaliter identificantur. Huiusmodi sunt scientia, species intelligibilis & similia, quæ

4

ab Ariſtotele intra ſpecies qualitatis ſtatuuntur: licèt reſpectus tranſcendentales neceſſario importent. Hic igitur nõ eſt aliquod dubium ſpeciale, ſed generale de huiuſmodi qualitatibus. Stat ergo operationes huiuſmodi entitatiuè eſſe abſolutas qualitates, & tranſcendẽtaliter eſſe reſpectiuas, quatenus ſcilicet dicunt habitudinem ad obiecta: & ideò ad rationem dubitandi concedo, non intelligi operationes huiuſmodi, non intellectis habitudinibus ad obiecta: ſed quia habitudines iſtæ ſunt trãſcendentales, non tollunt rationem abſolutæ qualitatis, quam primo & per ſe dictæ operationes important, cum qua reſpectus ad obiecta ſaluantur.

Operationes vitales dicunt trãſcendentalẽ ordinem ad obiecta.

5 Ad tertium denique dubium dico, nõ paruam eſſe æquiuocationem loquendo de operationibus iſtis: ſæpiſsime enim Doctor accipit operationem actualem, pro formali ratione operandi, & è contra. Ad æquiuocationem vero tollendam, dico, quod verbum mentis, & intelligere habent ſe tanquam forma, & effectus formalis, & tanquam abſtractum, ſeu abſolutum, & eius cõcretum, ſeu cõnotatiuum. Nam intelligere eſt effectus formalis verbi mentis: & ideò verbũ dicitur formalis intellectio: quia eſt ratio formalis, & cauſa formalis actus intelligendi. Verbum enim eſt forma ſimplex: intelligere vero eſt talis forma in concreto cõnotans ſubiectum, quod formaliter per eã intelligitur. Hoc ergo ſuppoſito dico, quod intelligere nõ producitur ab intellectu, nec ad illud eſt per ſe motus, nec à Deo poteſt produci: quia Deus nõ poteſt ſupplere cauſalitatem cauſæ formalis, ad quam huiuſmodi intelligere reducitur, vt ratio dubitandi probat. Sed ad verbum, quod formaliter eſt notitia, ſeu formalis intellectio, & cauſa formalis intelligendi, directè primo & per ſe, eſt per ſe motus, & verbum eſt, quod effectiuè ab intellectu producitur: & ideò à Deo poteſt immediatè ſe ſolo produci.

Intelligere eſt effectus formalis verbi mentis.

6 Hoc amplius ſit manifeſtum prænotando diſtinctionem, quam inter intelligere, & dicere ſupra in difficultat. 49. num. 23. conſtituimus. Ibi namque oſtenſum eſt, dicere eſſe actionem de genere actionis, intelligere vero minimè: ſed eſſe operationem. Ex illis igitur ſic concludo intentum: nam ſi intelligere etiam eſſet actio, ſeu actus productiuus (vt volunt Thomiſtæ) tunc vnus actus eſſet productiuus alterius actus, videlicet, dicere eſſet productiuũ ipſiuſmet intelligere: hoc attamen cum omni philoſophia pugnat: quia actus nequit eſſe effectiuus alterius actus: nam actus immediate profluit à potentia, in cuius virtute præhabetur, tanquam actus ſecundus in actu primo: alias enim actus prior, qui habet formalem rationem actus ſecundi, iam eſſet actus primus reſpectu actus poſterioris, quod concedi non poteſt: non igitur eſt dicendum actum productiuum intellectus terminari ad intelligere: ſed ad verbum, quod eſt forma intelligendi.

7 Formalizando igitur, dico ad hoc dubium, quod verbum non eſt operatio, nec intelligere: ſed formalis ratio operandi, & formalis ratio intelligẽdi: quãdo igitur inquit Doctor in textu, quod intellectio, & volitio ſunt qualitates, nõ eſt intelligendum de actuali intellectione & volitione, prout ſunt actu intelligere, & velle: ſed de formali intellectione & volitione, quæ ſunt rationes formales intelligendi & volendi, ſicut albedo eſt ratio formalis albi. Quando vero inquit, quod operationes huiuſmodi ſunt qualitates: non eſt intelligẽdum, quod ipſum intelligere & velle, quæ ſunt operationes, ſint qualitates in ſe ipſis: certè etenim tãm intelligere, quãm velle includunt intellectum, & voluntatem, quæ ſaltim pro materiali cõnotant: huiuſmodi autem potentiæ qualitates non ſunt, ſed ſicut denominatiuum pertinet ad prædicamentum ſui abſoluti, ſeu abſtracti: quia album pertinet ad genus albedinis, quam album de formali ſignificato importat: ſic intelligere, & velle, quæ ſunt operationes, inquit Doctor eſſe qualitates, quia de formali ſignificato important verbũ, & amorẽ, quæ ſunt formaliter qualitates vt dictũ eſt. Et hæc eſt genuina mens Scoti, vt conformiter loquamur ad omnia, quæ de eius mente hactenus prælibauimus, ſicque intelligunt ipſum Baſolis, Tataretus, Lychetus, & reliqui expoſitores illius in hoc articulo.

Verbũ mẽtis eſt ratio intelligẽdi.

ART.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm operationum immanẽtium sit per se productio, vel generatio, an vero compositi?

A. AD nonum sic proceditur, & videtur, quod operationum immanentium sit propriè, & per se productio, vel generatio, non vero compositi, *& pro* hoc arguo, quod intellectus noscens non per se generatur: quia nõ est ens per se, sed per accidens: ergo non est per se terminus generationis.

B. Secundò præterea: notitia est per se terminus productionis: quia mutationis: sed omne tale producitur: ergo notitia *per se* producitur, & generatur.

C. Sed contra est: quia secundum Philosophũ 7. Metaph. omne quod fit, fit ex materia, tãquã ex eo quod est pars ipsius, quod fit. Cum igitur materia non fit, nisi pars compositi, generatio per se, solius erit cõpositi. *7. Metaph. tex. co. 23. 27. & 33.*

D. Respondeo dicendum *hic*, intelligendũ *esse*, quod secundum Philosophum *vbi supra*, forma per se non generatur, sed cõpositũ: tã in generatione substantiali, quàm secundũ quid, & sua ratio est, *quæ §. sed contra posita est*. Præterea generatio cum sit via de non esse ad esse, illius per se est generatio, cuius per se est esse: compositi autẽ, siue suppositi, per se est esse: ergo, &c. Secundum ergo intẽtionem Philosophi, quod per se generatur est diuisibile in duo, scilicet in materiam, & formam: & ideò dixerũt quidam, quod forma accidentalis habet suum potentiale, ex quo fit, & suum formale tanquam intrinseca sui generis. Quod non videtur, quia accidentia non habent materiam ex qua sed in qua: nec est ad intentionem Philosophi: quia ipse intelligit, quod compositum in generatione per accidens, per se generatur: compositum: dico ex subiecto, & accidente, sicut sua exempla ostendunt, & ratio sua est, quod generatur ex eo generatur, quod præexistebat: ergo dicendum est, quod etsi notitia possit esse terminus mutationis, non tamen generatur, nec producitur, sed per se intellectus noscens, vel potius homo noscens: quia actiones sunt suppositorum: quare, &c. *3. Metaph. tex. co. 12.* *Conclusio*

E. Ad primum argumentũ dicendũ, quod ens secundum quid, & per accidens, est simpliciter per accidẽs, & secundũ quid; sicut homo mortuus, est homo secundũ quid: simpliciter autẽ dicitur homo mortuus. generatio: ergo simpliciter est in substantia: secundũ quid vero in accidentibus, 1. de gener. Generatio ergo entis per accidens, & secũdũ quid, est generatio simpliciter per accidens, & secũdum quid. *1. de gener. tex. co. 11. & circiter idem 5. Phisic. text. co. 7.*

F. Ad secundũ dicendũ, quod est terminꝰ alterationis, & mutationis: terminus autẽ alterationis est forma, & similiter mutationis, non tamen productionis. Vbi intelligẽdũ, quod mutatio est per se mutabilis: alteratio, alterabilis: & motus, mobilis. Illud autẽ dicitur proprie alterari, & mutari, ꝙ de non tali fit tale: puta de non albo albũ, de non noscente noscens. Forma ergo, qua fit tale, proprie est terminus mutationis: non tamen mutatur, sed tãtũ mutabile mutatur. Productio autẽ proprie est solius termini cui per productionem acquiritur esse. Cum ergo forma, quæ est mutationis terminus, non habeat esse proprie: sed sit illud, quo compositum habet esse: ideò ipsa non dicitur produci, nec esse terminus: sed tantùm compositum: siue illud compositum

sit ens per se, siue per accidens, & huiusmodi differentia patet: quia de termino mutationis, vel de forma, non dicitur quod mutetur, vel alteretur: sed est terminus mutationis tantum: de termino autem generationis, & productionis dicitur, quod est generatus, & productus, siue generatur, & producitur.

Expositio noni articuli quæstionis sextæ distinctionis tertiæ.

1 NON cõtradicit Doctor in hoc articulo eis, quæ in præcedentibus, & in alijs sæpe docuerat de productione Verbi: nã licèt forma per se terminet actionem, & veram productionem: nihilominus non per se terminat generationem: quia generatio tàm substantiæ, quàm accidentis, respicit totum compositum. Vnde licèt anima rationalis sit per se terminus creationis diuinæ: non tamen est terminus per se generationis, sed homo qui generatur. Verè autem produci, tàm in Deo quàm increatis, verbum, seu notitiam formalem, & amorem, aperte docet Doctor supra in distinctione 2. quæst. 4. art. 1. & sequentibus, & quæst. 5. & per totam illam distinctionem, & infra sæpissime. Ex productione etenim verbi creati ad productionem verbi increati, arguit in sua prima efficacissima ratione, qua hoc mysteriũ in primo citato articulo probat. Hæc enim ait, *Istud totum, scilicet intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens, ex ratione sua formali est principium productiuum notitiæ genitæ.* Et ibidem hoc habet de volũtate respectu amoris. Circa quod videnda sunt, quæ prælibauimus supra in difficultatibus 23. 24. 25. & 26. de visione beata, & in difficultatibus 49. & 50. de Trinitate.

2 Hoc igitur firmiter supposito, quod huiusmodi qualitates formales, quæ sunt verbum seu notitia, & amor, seu dilectio, per se ipsas terminant productiones intellectus, & volũtatis: & quod huiusmodi formæ recipiuntur in intellectu, & voluntate: & prout sic receptæ in his potentijs, sunt sibi rationes formales intelligendi, & volendi, constituunt composita accidentalia: quia quæcunque forma, quæ est accidens recepta in subiecto, cum illo componit aliquod totum accidentale: nam sicut albedo cum subiecto componit corpus album: sic forma intelligendi, quæ est verbum, seu notitia, cum intellectu componit potentiam intelligentem, seu intellectum noscentem, vt dicit Doctor. Hoc ergo, suppositio modo quæritur, an generatio, seu productio, prout est idẽ, quod generatio, terminetur ad hoc totum compositum: an vero ad formam? 3

Pro tituli autem intelligentia est obseruandum, quod generatio hic non sumitur rigorosè, prout est *origo viuentis à viuente, &c.* secundum, quod de illa egimus supra in difficultate 52. hæc enim non competit notitiæ intellectus creati vt sibi patuit: sed de generatione loquimur, prout à creatione distinguitur, quę omnibus productionibus substantialibus, & accidentalibus naturalium agentium conuenit: secundum quam considerationem, dicitur verbum nostrum notitia genita, & nostrum dicere dicitur generare. Rursus non quæritur hic de generatione partiali, sed de totali: nam notitia, quæ est pars formalis prædicti cõpositi, etiam genita dicitur: sed quæritur de generatione totali, quæ terminatur primo, & per se ad terminum, qui primo, & per se intenditur à natura: nam natura primo, & per se intendit cognoscere, & ad hoc primo intentum, producit formam: vnde prius intendit totum compositum, quam formam talis compositi.

Vt tamen hæc plenius perpendantur, est supponendum iuxta verba textualia triplicem relationem in his generationibus inueniri. Prima est educentis ad eductum. Secunda transmutantis ad transmutabile. Tertia producẽtis ad productum. Prima respicit formam, quæ quia educitur de potentia materiæ vocatur eductio ad differentiã productionis totius compositi: quamuis ista eductio in se, etiam productio sit: hac productione producitur verbũ, quæ productio eductio dicitur, vt vidimus

4 *Relatio triplex in generationibus reperitur.*

mus. Secunda respicit subiectum transmutatum de non esse ad esse per prædictam formam eductam, & sic in proposito terminatur hæc relatio ad intellectum prout habentem nouum esse per verbum. Tertia respicit totum compositum: & hæc terminatur ad intellectum cognoscentem, quæ tanquam pro famosiori obtinet nomen productionis, & generationis.

Sub hac ergo distinctione supponitur loqui Doctor in textu dum concludit: *Quod secundum Philosophum, formaliter se, non generatur sed compositum, tam in generatione substantiali, quàm secundum quid, quia* 5 *lis est accidentalis.* Et sic difficultatem resoluit: *Ergo dicendum est, quod essentia potest esse terminus mutationis*, quia ad illa est per se motus: *non tamen generatur, nec producitur*, illa productione totali: *Sed per se intellectus noscens, vel potius homo noscens, quia actiones sunt suppositorum.*

QVAESTIO VII.

De causa, & ratione gignendi notitiam.

SECVNDO quæro de notitia genita, quæ sit causa gignens, vel ratio gignendi eam, & quæro vtrum pars intellectiua proprie sumpta, vel aliquid eius sit causa totalis gignens notitiam actualem, vel ratio gignendi. Circa quod quæruntur octo.

¶ Primò. Vtrùm causa totalis intellectionis, sit ipsamet anima?

¶ Secundò. Vtrùm anima intellectiua habeat aliquid actiuitatis respectu intellectionis?

¶ Tertiò. Vtrùm intelligibile, vt simpliciter præsens intellectui, nõ per speciem intelligibilem, sed per phantasma causet intellectionem?

¶ Quartò. Vtrùm species intelligibilis, seu obiectum ipsum in se præsens intellectui, ita sit gignens, vel ratio gignendi notitiam actualem in intellectu, vt ipse intellectus tantummodo se habet tanquam materiale?

¶ Quintò. Vtrùm species intelligibilis sit ipsa actualis notitia genita?

¶ Sextò. Vtrùm intellectionis ad obiectum sit relatio?

¶ Septimò. Vtrùm intellectus, & obiectum sint vna integra, & totalis causa intellectionis?

¶ Octauò. Vtrũ intellectus, & obiectum sint causæ essentialiter ordinatæ in ordine ad intellectionem?

ARTICVLVS I.

Vtrùm causa totalis intellectionis, sit ipsa anima?

AD primum sic proceditur, & videtur, quod causa totalis intellectionis sit ipsa anima: quia effectus nõ excedit causam in perfectione, melius est autem omne viuum non viuente, secũdum Augustinum de ciuitate Dei: ergò operatio vitalis, non potest esse, nisi à principio agendi vitali, vel viuo. Istæ operationes cognoscendi, sunt vitales: ergo sunt ab ipsa anima sicut à ratione gignendi. A.

Idem 15. de Trin. ca. 4. & 2. de gener. anim. ad principi.

Secundò præterea: quanto forma est perfectior, tanto est actualior, & perconsequens actiuior: quia actiuum esse conuenit alicui, in quantũ B.

est in actu: sed anima intellectiua inter omnes formas, est actualissima: ergo maximè actiua: igitur se habet in ratione actiui, & se sola se ipsâ mouet in operatione sua: cũ etiam hoc possint formæ imperfectiores sicut patet de formis elementorũ, & quorundam mixtorum.

C. Tertiò præterea sic: Philosophus secundo Physicor. & nono Ethicor. & nono Metaphysic. distinguit inter actionem, & factionem, & vult quod actio proprie dicta, maneat in agente: sicut exemplificat ibi de speculatione. Intellectio igitur proprie est operatio immanẽs in agente, manet autem in parte intellectiua, vt vbi dicit Philosophus 9. Metaph. ergo exit ab ea, vt ab agente.

2. Phy. tex. com. 25 6. Ethi. ca. 5. 9. Metaph. com. 16.

Physi. vbi supra.

D. Quartò præterea, & est quasi idem: actio proprie dicta, vt distinguitur contra factionem, denominat agẽs: intelligere autem denominat hominem, secundum partem intellectiuã: ergo est actiue à parte intellectiua, vel ab homine secundum partem intellectiuam.

E. Sed contra est, quod *ait* Aug. 10. de Trinitate cap. 10. & 24. vt prædictum est, formata quippe cogitatio ab ipsa re, quam scimus, verbum est: ergo intendit attribuere aliquã causalitatem obiecto.

F. Respondeo dicendum, quod in ista quæst. vna est opinio, quæ attribuit totam actiuitatem respectu intellectionis, ipsi animæ: & imponitur Augustino, qui dicit 12. super Genes. cap. 28. quod quia imago corporis est in spiritu, qui est præstantior corpore: ideò est præstantior imago corporis in spiritu, quam ipsum corpus in sua substãtia. Et sequitur, nec sane putandũ est facere aliquod corpus in spiritũ, tanquam spiritus corpori facienti materiæ vice subdatur. Omni enim modo præstãtior est res, quæ facit, illa re, de qua facit: nec vllo modo præstantius est corpus spiritu: imò spiritus corpore: quamuis ergo incipiat imago corporis esse in spiritu: tamen eandem imaginẽ, non corpus in spiritu, sed spiritus in se ipso facit celeritate mirabili. Et sequitur: cuius imago mox, vt oculis visum fuerit in spiritu videntis, sine vllius puncti interpositione formatur. Item 10. de Trinitate cap. 5. anima conuoluit, & rapit imagines corporum factas in semetipsa, & de semetipsa; dat enim eis formandis quiddam substantiæ suæ: seruat autem aliquid, quo libere de talium imaginum specie iudicet: hæc est mens, id est rationalis intelligentia, quæ seruatur, vt iudicit: nam illas animę partes, quæ formantur corporum similitudinibus, etiam cum bestijs communes, nos habere sentimus. Igitur ipsa anima in se format imagines ipsorũ cognitorum, vt dicit ista auctoritas, & expressius prælegata. Pro ista opinione arguitur per rationes *positas in principio articuli.*

Opinio Hẽrici quodli. 4. q 7. & Præpositini.

D. August. cap. 29.

3. de anima tex. co. 19.

Henr. quod lib. 5. q. 5. lib. 11. & 16.

G. Contra istam opinionem *tamen*, quod non sit intentio Augustini apparet nono de Trinitate cap. vltimo & 30. de paruis, liquido tenendum est, quod omnis res, quam cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui: ab vtroque enim paritur notitia, à cognoscente scilicet, & cognito. Idem secundo de Trinitat. cap. 2. vel 5. ex visibili, & vidente gignitur visio. Hoc etiam arguitur ratione sic: quia tantum sunt quatuor genera causarum per se, sicut apparet ex 2. Physicor. & 5. Metaphysic. ergo illis existentibus in se perfectis, & non impeditis, & sufficienter approximatis, sequitur effectus ex illis, si sint causæ naturales, vel poterit saltem esse, si sint causæ libere agentes: & quia forma habet esse aliquo modo per productionem, & finis sequitur productionem rei in esse, aut si præcedit

Consutatio dictæ opinionis.

2. Physicor. tex. co. 28. & 5. Metaphysic. tex. com. 2.

cedit, hoc eſt, in quantum mouet efficiens ad agendum: ideò quando duæ cauſæ priores ipſa re, ſcilicet efficiens, & materia, ſunt in ſe perfectę, & approximatæ, & non impeditæ, ſequitur effectus, vel ſaltem poteſt ſequi: ergo ſi anima eſt totalis cauſa actiua notitiæ genitæ, & ipſa eſt materia diſpoſita, ſiue ſubiectum receptiuum, vel ſuſceptiuũ reſpectu eiuſdem: & ipſa eſt ſemper actu præſens, cum ſit cauſa naturalis, ſemper erit actualis intellectio in ea, cuius ipſa eſt cauſa, & cuius ipſa eſt cauſa de ſe, vel ſaltem aliqua, in quã potiſsime ipſa poteſt: non enim poteſt poni imperfectio alicuius cauſæ in ſe, retenta prima hypoteſi, necnon approximatio, nec impeditio: quia nihil videtur tunc impediens.

H. Inſtantia de cauſis accidentis cõparatis ad ſubſtantiam, excluditur: quia ſubſtãtia eſt materia in qua. De reſponſione etiam per impedimentum, quære vbi de virtutibus, ſi actiue. Fugere autẽ ad cauſam ſine qua non, quæ requiritur ad hoc, vt notitia gignatur, hoc eſt dicere, quod omnes per ſe cauſæ non ſunt ſufficientes cauſę, ſed requiritur aliquid aliud à quo res cauſanda dependet eſſentialiter: ergo non erunt tantum quatuor cauſæ, ſiue quatuor genera cauſarum, ſed plura: vel aliquid dependebit eſſentialiter ab aliquo, quod non eſt cauſa eius. Item omnes cauſæ præter quatuor dictæ ſunt accidẽtales rei: igitur non ſimpliciter res dependet ab eis, nec in eſſe, nec in fieri. Antecedens dicit expreſſe Commẽtator 2. Phyſicor. commento 30. & 31. Item probat quod non ſunt, niſi quatuor cauſæ cuiuslibet rei, vel aliqua iſtarum 2. Phyſic. comment. 69. & 68. & 70. per demonſtratiuam ſufficientiam.

I. Per hoc etiam improbantur diuerſi modi ponendi tenentium iſtam opinionem, ſiue enim ponatur obiectum neceſſarium in ratione cauſæ ſine qua non, vel in ratione termini, vel in ratione excitantis, ſi non detur ſibi aliqua per ſe cauſalitas, cum ipſæ per ſe cauſæ ſint perfectæ in ſe, & approximatæ, & omne impedimẽtum remotum, quomodo ſaluabitur, quod ipſum neceſſario requiratur, niſi ponendo quinque genera cauſarum? Specialiter etiam illud de excitatione, non videtur valere, quæro enim quid ſit excitare? ſi aliquid cauſare in intellectiua potentia? ergo obiectum aliquid cauſat, antequam intellectiua de ſe agat: ergo intellectiua nõ eſt, talis cauſa prima reſpectu cuiuslibet in ſe cauſati, ſed etiã obiectũ. Si excitare nõ ſit aliquid cauſare in potentia intellectiua, nõ aliter ſe habet in ſe poſt excitationem, quàm ante: & ita non magis excitatur, nũc, quam prius. Hæc tamen ratio concluderet ſimili modo, vt videtur contra actionem voluntatis. Vnde ad ipſam reſponderi poteſt, quod quando aliquæ formæ habent eſſentialem ordinem, ita quod vna recipitur mediante altera in eodem, ſiue ſit natura, ſiue potentia: & hoc ſiue ab eodem agẽte, ſiue ab alio: dato etiam, quod neutra ſit ratio recipiendi alteram, nunquam ſecunda poteſt induci ab agente in ſuo receptiuo, niſi prima ſit prius inducta. Exemplum de volitione, & delectatione, ponendo illa eſſe diuerſa realiter: nunquam ſecunda recipitur, niſi prius prima recipiatur, cum tamen ſecunda habeat cauſam actiuam naturalem præcedentem etiam, antequam ſit volitio, & in huiuſmodi ordinatis negatur maior. Similiter de ſpecie intelligibili ad intellectionem, ponẽdo ſpeciem intelligibilẽ nõ eſſe cauſam effectiuã nec receptiuã intellectionis. Similiter de lumine, ſi non ſit actiuũ, neq; receptiuum reſpectu ſpeciei coloris.

Aliter

K. Aliter dicitur, quod quandocunque aliquam formam recipi in ſuo potentiali, de neceſsitate præexigit aliam formam recipi in ſuo receptiuo, falſa eſt illa maior, agens perfectum approximatum paſſo, & non impeditum, poteſt agere, intelligendo de potentia proxima: & hoc ſiue receptiuum formæ prioris ſit eadem potentia cum receptiuo formæ poſterioris. Exemplum, volitio, & delectatio in voluntate, ſiue ſint eadem realiter. Exemplum, in anima intellectio, & volitio ponendo totaliter voluntatem actiuam reſpectu velle, ſiue in eodem ſuppoſito recipiantur, non in vna natura, nec potentia. Exemplum de phantaſmate, & intellectione. Si negetur ſpecies intelligibilis, & actio tota detur intellectui, ſiue in alio, & alio ſuppoſito recipiatur forma prior, & poſterior. Exemplū, lumen in aëre, & in aqua á ſole. Nec hîc ſaluatur propoſitio, quod forma prior ſit actiua reſpectu poſterioris, vel ratio recipiendi, ſicut lumen in medio reſpectu ſpeciei coloris: quia ſi in talibus inſtetur, nihil valet inſtãtia: quia ibi actiuum proximum deficeret, vel paſsiuum proximum. In quatuor autem inſtantijs poſitis neutra conditio accidit: nam nec volitio eſt cauſa actiua delectationis, ſed obiectum: nec receptiua, ſed voluntas: ſic in alijs ſecundum illas opiniones. Nec eſt dicendum, quod maior illa eſt vera, niſi ab eodem ſint duo effectus neceſſarij ſecundum ordinem producibiles: quia etiam non eſt vera, ſi neceſſario eſt ordo inter formas à diuerſis agentibus inducibiles, ſicut patet in inſtantijs poſitis. Vniuerſaliter ergo quæcunque forma ad hoc, vt recipiatur in ſuo paſſiuo, requirit aliam prius recipi in quocunque. Numquam actiuum formæ ſecundæ eſt in potentia accidentali ad agendum in receptiuũ illius, niſi forma prior iam ſit introducta: ergo poteſt dici, quod pro inſtanti, pro quo eſt cauſabilis, dependet ab alijs: quia non eſt cauſabilis, niſi naturaliter poſt aliã, quæ præexigitur: igitur forma poſterior, quoad fieri, dependet eſſentialiter ab alio, quam à ſuis per ſe cauſis infieri, quæ ſunt agens, & materia. Concedi poteſt igitur hæc concluſio, quod prius eſſentialiter non tantum conuenit eſſe, vt effectus ſit: ſed etiam poſterius: patet in tractatu de primo principio. Tamẽ non probabiliter negatur illa maior, niſi oſtendatur prioritas alterius formæ, vel vt actiuæ reſpectu ſecundæ, vel rationis recipiendi, vel effectus propinquioris cauſæ cõmuni, vel cauſæ neceſſario prius cauſanti.

Dico ergo *ad quæſtionem*, nec tota cauſa intellectionis eſt anima intellectiua, vel aliquid eius formaliter propter rationes *hic* factas cõtra primam opinionem. *Et præterea*, quia anima non ſemper eſt in actu reſpectu cuiuſcunque intellectionis, cum tamen ipſa ſit receptiua reſpectu cuiuſcunque intellectionis, & ipſa ſit ſibi ipſi approximata, & non ſemper impeditur, concluditur ipſam non eſſe cauſam actiuam totalem, ſed aliquid aliud requiritur, *de quo infra in articulo proprio.* L. *Concluſio.*

Ad argumenta opinionum per ordinem *in propriis articulis, qui erunt ſequentes*, reſpondeo, & ad argumenta primæ opinionis dico primo ad auctoritates Auguſtin. quod imago, quæ ponitur ab eo eſſe in ſpiritu, oportet, quod intelligatur eſſe in anima, vel in aliquo animæ, vt in ſubiecto, & nõ præciſe in corpore ſic mixto: aliter non concluderetur illã imaginem eſſe nobiliorem omni corpore, ſicut dicit ipſe ſecundo ſuper Geneſ. Quod autem eſt in anima, vel in aliquo animæ, vt in ſubiecto, non eſt M.

illa I

illa ſpecies, quæ communiter dicitur ſpecies: ſed illa recipitur in parte organi, quæ eſt corpus ſic mixtum. Sed illud, quod recipitur in anima, vel potentia animæ, eſt actus cognoſcendi: ergo per imaginem intelligit ipſe talem actum. Iſta gloſſa arguitur ex dicto eius 11. de Trinit. cap. 2. & 5. vbi vult, quod informatio ſenſus, quæ fit à ſolo corpore, viſio dicitur: illa autē informatio eſt propria ſpecies, quæ recipitur in parte organi, ſcilicet in corpore ſic mixto. Hoc patet ex hoc quod dicit, quod gignitur à ſolo corpore, quod videtur: ſicut ergo illud, quod eſt proprie imago, dicitur viſio: ita è conuerſo, viſio poteſt dici imago; & multo verius: quia viſio ſecundum veritatem eſt quędam qualitas, & talis qualitas eſt quædam ſimilitudo obiecti, & forte perfectior, quam illa ſimilitudo prior, quæ dicitur viſitate ſpecies. Hoc intellecto faciliter patet ad auctoritates eius. Concedo enim quod iſtam imaginem, quæ eſt ſenſatio, non cauſat corpus in ſpiritum, vt totalis cauſa: ſed anima cauſat in ſe mira celeritate: non tamen vt tota cauſa, ſed ipſa, & obiectum: vnde dicit ibidem 12. ſuper Geneſ. quod mox vt viſum fuerit, &c. Innuens, quod præſentia obiecti requiritur ea ratione viſibilis, vt anima faciat in ſe viſionem; & non requiritur, niſi vt aliquo modo cauſa partialis, ſicut ipſemet exprimit 11. de Trinitate cap. 2. & 3. quod à vidente, & viſibili gignitur viſio. Iſtam concluſionem ſic intellectam probat ratio ſua in auctoritate præallegata: quia illa propoſitio, ſcilicet quod agens eſt præſtantius patiente, non eſt immediata: ſed dependet ex iſtis tribus ſcilicet, agens eſt præſtantius effectu: & effectus agentis eſt actus, & forma patientis: & actus eſt nobilior potentia: ergo agens inducens huiuſmodi formam eſt nobilius patiente. Vbi igitur iſtæ propoſitiones ſunt veræ, ibi propoſitio Auguſtini, quam accipit, eſt vera. Iſta autem, quod agens eſt præſtantius effectu, non eſt vera, niſi de cauſa æquiuoca totali: poteſt enim aliqua eſſe cauſa partialiter agens in aliquem effectum nobiliorē ſe: ſicut elementum in virtute corporum cœleſtium poteſt agere ad generationem mixti, quod eſt nobilius ipſo elemento agente, vt partiali cauſa. Per iſtud patet ad ſecundam auctoritatem Auguſt. 10. de Trinit. ca. 5. format enim anima in ſe imaginē, hoc eſt ſenſationē, & de ſe. Hoc eſt, ipſa eſt in potentia naturali ad ſenſationem, & non in potentia neutra, ſicut ſuperficies ad albedinem eſt in potentia neutra, & non naturali: & iſtam naturalitatem oſtendit, cum dicitur de ſe, & loquitur ibi tantum de ſenſationibus, vt apparet: quia dicit ibidem, quod illas partes animæ, quę corporum ſimilitudinibus informantur, habemus cōmunes cum beſtijs. Hoc verum eſt de illis, quæ informātur imaginibus, hoc eſt ſenſationibus, extendo nomen imaginis ad ſenſationem.

Ad primum *ſeu* ad rationem primam pro illa opinione dico, quod concludit pro me: quia cognitio, cū ſit operatio vitalis, non eſt a non viuo, ſicut à totali cauſa. Poteſt tamen non viuum eſſe cauſa partialis alicuius viui, vel effectus vitalis, ſicut ſol non viuus eſt cauſa partialis cum patre ad generandum filium viuum. Et multo magis in propoſito eſt poſſibile: quia hīc cauſa principalior eſt viua, ſicut patebit in ſequenti quæſtione. N.

Ad ſecundum cum arguitur poſt de forma perfecta, hoc concludit, quod aliquam actiuitatem habeat reſpectu propriæ operationis: ſed quia videtur concludere totalē cauſalitatem in ea, reſpectu ſuæ propriæ O.

ope-

operationis. Respondeo, quod ista forma ex perfectione sua ordinatur ad habendum aliquam operationem circa totum ens, vt dicitur 3.quæst. huius distinct. quia verò non est simpliciter perfecta: quia non est infinita: ideò non potest in se habere totum ens. Ex eius ergo perfectione cum sua imperfectione concluditur, quod aliquam actiuitatem habeat, non tamen sufficientem: quia non posset habere totalem causalitatem cognitionis respectu totius entis: nisi haberet in se totum ens: & ideò dico, quod formæ imperfectiores bene possunt esse causæ totales respectu suarum operationum: quia operationes earum sunt limitatæ ad res, respectu quarũ habere totalem actiuitatem, non concludit aliquam perfectionem actiuam, nisi limitatã. Sed in ista forma perfecta, quæ ordinatur ad totum ens, non potest poni totalis causalitas respectu cognitionis totius entis: tunc enim poneretur in ea virtus actiua illimitata. Sed tamen potest poni causalitas partialis in ea, & partialis in obiecto, vt sic ipsa possit cooperari perfectioni suæ circa quodcunque obiectum, & obiectum etiam quodcunq; cooperari sibi: magnum obiectum ad magnam perfectionem eius, & paruũ ad paruam.

P. Ad tertium, & quartum, alia *scilicet*, duo argumẽta de actione, vt distinguitur contra factionem, & factio denominat agens, concedo. Pono enim actum intelligendi verè manere in agente: non tantùm in supposito agente: ita quod non transeat extra suppositum, sed nec transit extra partem intellectiuam in sensitiuam: nec extra intellectiuam in appetitiuam, nec extra principium eius actiuũ in aliam potentiam: sed manet in parte intellectiua, quæ est causa partialis eius, non autem oportet actionem proprie dictam manere in sua causa totali, sed sufficit, quod maneat in sua causa partiali.

Expositio primi articuli quæstionis septimæ distinctionis tertiæ.

FVIT circa huius articuli difficultatẽ opinio Henrici in quodlib. 4.quæst.7. & quodlib.5.q.5. & Præpositiõ, quam refert Doctor in textu: omnem actiuitatem requisitã ad productionem notitiæ tribuendam esse animæ intellectiuæ, nullam vero obiecto. Quam sententiam probãt argumenta in principio articuli posita. Quæ opinio non negabat obiectum ad productionem notitiæ prærequiri: sed ita se habere, vt nullatenus causalitatẽ aliquam actiuam exerceat. Qualiter autem ad notitiam requiritur tunc: refert Doctor plures modos dicendi, pro tuẽtibus hanc sententiam. Illam vero efficaciter improbat, & ostendit non esse iuxta mẽtem D. Augustini, quem in oppositum explicat sensum ab eo, quo in sui fauorem adducebat Henricus. Difficultatem ergo concludit Doctor his verbis: *Dico ergo tunc ad quæstionem, quod nec tota causa intellectionis est anima intellectiua, vel aliquid eius formaliter, propter rationes factas contra primam opinionem*: sed etiam aliquam actiuitatem tribuendam esse obiecto. Litera tùm in probatione huius conclusionis, tùm quoque in argumẽtis soluendis, est satis perspicua.

Henricus.

Præpositi.

ARTICVLVS II.

Vtrùm anima intellectiua habeat aliquid actiuitatis respectu intellectionis?

AD secundum sic proceditur videtur, quod anima intellectiua non habeat aliquid actiuitatis respectu intellectionis, non

A.

non enim habet talem causalitatem intellectus possibilis, siue informatus specie intelligibili (quam ipsi *Auctores opinionis infrà citandæ* negant) siue nudus: quia secundum eos, nihil idem potest agere in se ipsum, quod probant: quia cũ agẽs sit tale in actu, quale passum est in potentia, vt apparet tertio Physicor. & primo de generatione, sequitur tunc, quod idem esset in potentia, & in actu, quod primo videtur esse oppositum primi principij Metaph. noti per rationem actus, & potentiæ.

3. Physico. tex. co. 17. 1. de gener. tex. co. 38.

B Secundò præterea: *quia si ex eo est, quia* ibi agens est virtualiter tale in actu, quale patiens formaliter in potentia: ergo in omnibus posset idem esse in actu virtuali, & in potentia ad actum formalem, & sic quodlibet præmoueret se.

C. Tertiò præterea: quia tũc etiam idem esset efficiens, & materia, quod videtur esse contra Philosophum 2. Physicor. *vbi ait* materia, & efficiens non coincidunt.

2. Physico. tex. co. 70.

D. Quartò præterea: quia tũc idem referretur ad se relatione reali, quod videtur impossibile 5. Metaphysic. propter oppositionem talium relationum.

E. Quinto præterea: tandem ad hæc adducũt, quod poneretur quodlibet in se agere, & mouere se, vtpotè, quod aër ad præsentiam solis illuminaret se, & non sol: & lignum ad præsentiam ignis calefaceret se, & non ignis: nec esset ratio, quare non esset aliquid naturaliter sic causatiuum cuiuscunq; noui in se: quia non esset vnde prohiberetur, quando quodlibet esset causatiuum cuiuscunque noui in se.

F. Sextò præterea: quia agens, & patiens distincta sunt subiecto. Et pro confirmatione dicunt, quod quæcunque difficultates accidunt in aliqua materia, non sunt propter eas neganda ista principia: quia tũc tollitur omnis inquisitio veritatis per talia principia negata, qua enim ratione negatur in vna, & in alia *possunt negari*.

Sed contra est: quia sequitur, quod Angelus, in quo non potest poni talis distinctio in subiecto, nullam intellectionem posset habere nouam, quantumcunque habeat obiecta multa præsentia habitualiter; imò nullã potest habere effectiuè, nisi à Deo: quia oppositio posito, intellectus mouebitur à se, vel agens, & patiens erunt indistincta subiecto. Hoc videtur (*& videbitur infrà*) ipse concedere: quia ponit, quod Angelum posse habere nouam intellectionem, est mere creditum. Hæc responsio, non videtur christiani, sed puri Philosophi pagani, cum Angelus multa noua sciat, & sit beatus in operatione sua. Hæc etiam non euadit, nullum enim creditum repugnat conclusioni sequenti ex veris principijs: ex isto autem principio necessario, agens, & patiens sunt distincta subiecto, sequitur, quod intellectus non potest habere ex se aliquam intellectionem actiue: ergo si oppositum huius conclusionis est creditum, principium illud, ex quo sequitur ista conclusio, est falsum. Hoc magis patet de velle constat enim, quod primum velle: malum, Angelus immediate non habuit à Deo: patet igitur, quod ibi agens fuit indistinctum subiecto, à passo.

G. 1

Id est Auctor opinionis citãdæ.

Auctoritas fidei non repugnat naturali veritati.

Respondeo dicendum, quod in ista quæstione alia est opinio, quæ totaliter est in alio extremo, *quam prima in primo articulo allegata*, quæ dicit, sicut colligitur ex diuersis locis sic opinantis, quod anima intellectiua, vt intellectiua est, nihil habet actiuitatis, vel causalitatis respectu intellectionis, *cuius sunt propositiones, & argumẽta posita in principio articuli:*

II. *Opinio hæc est Gofredi quodlib. 7. quæst. 7. & quodl. 8. q. 2. & quodl. 9. q. 19. & quodli. 13. quæst. 2.*

ticuli: & exiſtis propoſitionibus dicunt quod agens, & patiens ſunt diſtincta ſubiecto (*vt viſum eſt*) propter idem dicunt, quod intellectus agens non poteſt aliquid cauſare effectiuè in intellectu poſsibili: quia nõ diſtinguitur ab eo, ſubiecto, ſed quaſi formaliter ipſum lumine ſuo perfundendo, vel perficiendo, huius illuſtrationem facit. Sicut cum producitur aliquod corpus luminoſum, in quo ſunt iſtæ duæ perfectiones, ſcilicet dyaphanitas, & ipſa lux: dicitur quod lux hoc corpus perſpicuum, facit luminoſum, non tranſmutando ipſum à potentia præcedente actum ad talem actum: ſed totum ſimul factum eſt ſecundum rationem cauſæ efficientis, ab agente extrinſeco producente corpus tale, ad eſſe tale: ſed ideò dicitur lux facere illud corpus luminosũ, quia eſt formaliter perficiẽs illud corpus. Ita in propoſito intellectus agens in ratione cauſæ efficientis nihil agit in intellectũ poſsibilem: ſed qui creauit animã per modũ cauſæ efficientis, ipſe in ea, hanc illuſtrationem fecit, iſtas potentias ſimul in eadẽ ſubſtãtia producẽdo. Similiter ponunt, quod intellectus agens nullam operationem habet reſpectu intellectionis, niſi quatenus habet actionem circa obiectum intelligibile: quatenus, ſcilicet agit ad hoc, vt illud habeat rationem mouentis, & obiecti in actu: ergo ad ipſam intellectionem, præter iſta duo, intellectus agens nullam actionem
I. immediatè habebit.

Quid igitur cauſabit effectiuè intellectionem? Reſpondent, quod obiectum idem ſecundum rem, efficit intellectionem, & volitionẽ, & hoc in quantum relucet in phantaſmate illuſtrato ab intellectu agente: non effectiuè, ſed quaſi formaliter concurrente reſpectu intelligibilis. Qualiter autem ſit poſsibile phantaſma mouere intellectum poſsibilem, cũ tamen virtus phantaſtica, & intellectus poſsibilis, ſint in eadem ſubſtantia animæ, & phantaſma non diſtinguitur, ſubiecto, ab intellectu poſsibili? Dicunt, quod anima poteſt conſiderari dupliciter: vel ſecundum eſſentiam, vel ſecundum potentias. Primo modo, eſt totum in qualibet parte corporis, nec eſt principium alicuius operationis. Secundo modo, aliqua potentia determinat ſibi aliquam partem corporis, vt organica: aliqua non, vt intellectiua: quia ipſa ſub ratione talis potentiæ, non eſt in iſta parte corporis, nec in illa: quia in nulla eſt, quia per ſe, nec eſt in toto, nec in aliqua parte, ſicut nec operationes, quæ per eam exercentur: ſicut ergo potentia, quæ eſſet in alia parte corporis, quàm eſt phantaſia, poſſet immutari ab eo, quod eſt in phantaſia: ita potentia, quæ non eſt determinata ad partem, in qua eſt phantaſia, ſed extra illam, ſic quod non eſt ibi pluſquam in pede, poterit immutari ab eo quod eſt in phantaſia. Ita eſt in propoſito, quia illæ potentiæ non ſunt alligatæ, & immerſæ materiæ, ſicut aliæ.

K. *Confutatio præcedentis opinionis per ſex argumẽta cõmunia.*

Contra iſtam opinionem fiunt talia argumenta contra eos. Primo ſic, ſi phantaſma cauſat omnem intellectionem effectiuè: & cauſa naturalis, non agit, niſi ſecundum naturam illam, qua eſt actu: phantaſma nunquam cauſabit aliquam intellectionem in intellectu, niſi conformem phantaſmati: & ita nunquam cauſabit compoſitionem falſam repugnantem rationi terminorum, quorum phantaſmata ſunt in virtute phantaſtica: aut ſi quodammodo poteſt (ſicut reſpondent) quod per vnum oppoſitum cognitum, poteſt ſuum oppoſitum cognoſci: hoc nõ eſt, niſi quia per vnam cõpoſitionem verã poteſt cognoſcere

cere oppositam esse falsam. Sed nunquam idem phantasma causabit aliquam intellectionem falsam, tanquam veram, vel è conuerso.

L. Et si dicas, quod phantasma falsè repræsentat obiectum, ideo causat intellectionem falsam in intellectu: sequitur, quod idem phantasma manens idem, nunquam potest causare assensum oppositum: & ita non poterit intellectus eandem compositionem apprehendere, nunc vt veram, nunc vt falsam. Item, quando dicitur quod intellectio secundum Philosophum, est actio manens intra. Respondēt, quod intelligere secundum modum significādi gramaticalem, significat actiue, & intelligi, passiuè: tamen secūdum rem, intelligere est passio, & quod intelligitur est agens. *Intelligere* enim non significat aliquid, vt habet esse in subiecto in se, & absolutè: sed quasi tēdens in alterum, vt in obiectum, siuè vt in terminum. Et quia actionis est procedere ab agente, & tendere in passum: ideò tales perfectiones, quæ in re sunt passiones, hoc est, manētes in eo, quod denominatur ab eis per modum actionis, dicuntur esse actiones immanentes. Contra, Philosophus distinguens actionem à factione 3. phy sic. & 6. Ethicorum cap. 5. & 9. metaph. assignat diuersa principia propria actioni, & factioni: quod non oporteret, si intelligeret, quod illud, quod assignat esse actionem, esset passio: quia tunc non oporteret assignare sibi principium actiuū proprium: non enim oporteret prudētiam esse actiuam, sicut ars est habitus factiuus, si actio nihil esset, nisi quædā forma recepta in alio, vt in eo q̄ dicitur agens. Item, habitus non ponitur præcisè ad patiendum, & maximè in passiuo summæ dispositio ad formam: non enim oportet illud facilitari ad recipiendū, quod in se est summe dispotū ad recipiendum: sed intellectus est summe dispositus ad quancūque intelectionē: quia nihil habet cōtrarium: ergo nō oportet ponere aliquem habitum in intellectū, si præcisè esset passiuus respectu intellectionis. Probatur prima propositio: quia habitus est, quo vtimur, cum volumus, & habitus habētem perficit, & opus eius bonū reddit, ex 2. Ethico. Omnia ista attribuunt aliquam actuitatem habitui. Item, quomodo intellectus discurret syllogizando, vel argumētando, si phantasma causat omnē intellectionē? Nō enim videtur intelligibile, quomodo phātasmata decurrētia causāt omnem discursum.

2. Eth. c. 5.

M. Confirmatur, quia intellectus conferens A. ad B. secundum talem habitudinem, qualis est ipsorū ex natura rei, non causat relationes rationis, putà, quando comparat ea, vt differentia, vt contraria, vt totū, & partē, & huiusmodi: ergo sola illa collatione causatur relatio rationis, quæ nec in esse, nec in cognosci, consequitur extrema ex natura eorum: ergo extrema nō sunt causa illius actus collactiui. *Itē*, quomodo causabūtur intētiones logicæ, vel relationes rationis? Si enim phātasma causat omnē intellectionē, quæcūq; causata ab eo erit realis: quia illa dicitur esse realis intētio, quę causatur immediatè à re, vel à specie repręsentāte rē in se: ergo nulla intellectio causabit intētiones logicas, vel relationes rationis: quia intellectus nullo actu suo poterit cōferre obiectū ad aliud: quæ, collatio causat relationē rationis, vel intētionē secundā in obiecto. *Itē*, quomodo reflectetur intellectus supra actū suū? & hoc quomodo erit in potestate potētiæ reflectētis? Si enim phātasma causans aliquā intellectionē habet naturaliter causare reflexionē super istā actionē, pari ratione, & reflexionē reflexionis, & sic in infinitū, vt dicit Aug. 15. de Trinit. Si autē nō habet causare reflexionē, sed tātū actū absolutū, & postea occurrat aliud phātasma, nō videt posse assignari, quomodo posset esse aliqua reflexio super aliquē actū. Itē, quomodo illud nō vilificat animā, q̄ omnē actionē suā naturalē, quæ est perfectio naturalis, tāperfecti entis, effectiuè causet phātas-

1. Phy. tx. com. 25. 9. met. tx. cō. 16.

Aug. 15. de Trin. c. 12.

ma? nullam enim perfectionem videtur posse causare phantasma in intellectu, quæ excedat nobilitatē eius: quia effectus æquiuocus non potest excedere causam æquiuocam, sed deficit: igitur nihil præcise causatum à phantasmate, sicut à tota causa actiua, potest esse perfectius phantasmate, sed imperfectius eo: & ita nulla perfectio erit in homine, maior ipso phātasmate, quod est absurdissimum, &c.

N. *Delet Doctor argumenta, quæ cōmuniter fiunt soluēdo ipsa.*

Istarum sex rationum factarum contra opinionem Thomæ, & Gofredi, prima non cogit contra eos: quærit enim difficultatem communem omni opinioni: siuè enim phantasma ponitur causa actiua intellectionis, siuè species intelligibilis, siuè intellectus, cum quodcumque istorum sit principium naturaliter agendi, non libere, semper æque potest quæri, quomodo opposita possunt causare in intellectu, vt nunc opinio vera, vel scientia de aliquo: nunc opinio falsa, vel error de eodem? Secunda non cogit: quia prudentia ponitur principium actiuum, propter actum alium, qui est actio, ad quam suus proprius extenditur, vt regula ad regulatum, sicut proprius actus artis extenditur ad alium, qui est factio: licèt tamen neuter habitus sit propriè principium actiuum respectu sui actus. Item illud secundi Ethicorum, habitus est qui habentem perficit, debet intelligi non effectiue: quia nō sic bonum reddit, sed tantum inclinatiuè. Quartum coincidit cum tertio ponderato, scilicet, quomodo habitus discurrit, vt phantasmata ordinatè occurrant, nisi ponatur ille habitus in virtute phantastica, nō in intellectu, quod fortè concederet. Sextum vero quærit, quomodo in potestate nostra est, quam intellectionē habeamus post alterā, & per quid cognoscitur actus, super quem reflectimus: Primum quidem est propter voluntatē. Secundum est propter vestigiū de relictum ab actu illo: igitur illo de relicto, potest haberi actus reflexus per illud elicitiue, voluntate imperante, & potest non haberi, volūtate imperante aliā intellectionē.

O.

Aliter potest dici, quod cognoscitur per phantasma, quod primo ostendit obiectum, secundo causatum ab obiecto: tamen non erit necesse, ipsum causare intellectionem intellectionis, nisi quando voluntas imperat. Quintum videtur ponderandum: si nulla comparatio est relatio rationis, quā extrema nata sunt causare in intellectu. Si enim ista propositio est vera: tunc, licet intellectiones simpliciū comparatorum causentur ab illis, non tamen cōparatio illa, quæ est in actu collatiuo, quo causatur in extremo relatio rationis. Posset dici quod aliqua habitudo consequitur extrema in re, & illa in cognitione cōsequitur extrema cognita, puta, qualitas ista est realis, alia nō consequitur extrema in re, nec necessario in cognitione: possunt tamen ipsa extrema causare actum collatiuū elicitiue: quia voluntas imperat: causato tamen actu collatiuo secundum talem respectū, qui non consequitur extrema in re, causatur relatio rationis.

P.

Contra istam opinionem *ergo aliter sic*: intellectus agens secundū eum nihil causat, quod sit formaliter in phantasmate, sed solū fit remotio prohibentiū, per quendā contactum spiritualē huius lucis ad phantasmata, qua remotione facta, virtute intellectus agentis, fit informatio intellectus possibilis. Et ex hoc sequitur, q̄ nihil, quod est in intellectiua parte, vt intellectiua, eō prehendit intellectū agentem, & possibilē, habebit aliquam rationem actiui, siuè vt agentis, siuè vt rationis agēdi, respectu cuiuscūq; intellectionis: & ita tā tū phantasma effectiuè se habet ad intellectionem: vel si sit ibi efficientia aliqua, per quam effectiuè fiat irradiatio, vel illustratio super phātasmata, illa efficiētia erit præcise ipsius Dei, qui creauit tale lumē in intellectu possibili: vel ergo Deus agit immediate ad intellectionem

Hæc tria argumēta, sunt quædam specialia ipsius Doctoris, quibus opinionem Gofredi, rectè impugnat.

nem quamcunque, vel tantum phantasma erit causa omnium actionum intellectiuæ partis, tã intellectionum, quã volitionũ: nihil ergo aliud à Deo se habet actiuè respectu intellectionis cuiuscũq; nisi phantasma solũ. Hoc videtur inconueniens: quia vilificat valdè naturã animæ. Nullã enim videtur perfectionẽ phantasma causare posse in intellectu, quæ excedit nobilitatem eius: quia effectus æquiuocus non potest excedere causam suã, sed deficit: igitur nihil causatũ præcisè á phantasmate, sicut à tota causa actiua (sicut ponit ista opinio de intellectione) potest esse perfectius phantasmate, sed necessario imperfectius: & ita nulla operatio, siue intellectio, erit in homine perfectior phãtasmate, quod est absurdũ. Iuxta secundã rationẽ cõtra Gofredũ videtur contra ipsum: quomodo animal phantasiatur ablq; sensatione exteriori? quid enim ibi mouet organũ ad actũ? nihil certè videtur ibi distinctum subiecto, nisi ponat memoriã sensitiuã in alio organo à phantasia, & illã mouere phantasiam ad imaginandum.

Q. Item secundo ex ista opinione sequitur: *quod de Angelo dictum est, §. sed cõtra, vide ibi.* Tertio sequitur, quod non oportet ponere aliquem habitũ in intellectu: quia ad ordinate intelligẽdũ, requiritur, & sufficit (secundum istam opinionem) quod phantasmata ordinate occurrant: qua occurentia ordinate mouent intellectum, sed quod ipsa ordinate occurrant, non potest fieri per habitum in intellectu: quia nihil in passo dat mouenti ordinate mouere, aut saltem per habitum in phantasia possunt ordinate occurrere absq; omni habitu in intellectu: ergo, &c. Confirmatur: quia ideò (secundum istos) ponitur habitus in voluntate: quia ipsa faciliter mouetur conformiter intellectui: ergo à simili, cum mouetur intellectus à phantasmatibus eo modo, quo occurrunt, sufficit habitus in phãtasia, adhoc quod ordinate occurrant. Hæc tria argumenta pondero.

Ad propositum igitur *præsentis articuli*: quia anima non semper est in actu respectu cuiuscũque intellectionis: cũ tamen ipsa sit receptiua respectu cuiuscunque intellectionis, & ipsa sit sibi ipsi approximata, & non semper impeditur: concluditur, ipsam nõ esse causam actiuam totalem, *vt probatum est art. præcedenti*, sed aliquid aliud requiritur. Illud autẽ aliud concluditur esse obiectum: quia eo præsente, sequitur effectus: eo non præsente, non potest haberi effectus. Cõcluditur ergo primo causalitas in obiecto, nec totalis, *vt infra arti. 8. latius constabit*: quia obiectũ propter sui imperfectionem, non potest habere in virtute sua totaliter intellectionem, propter suam perfectionem: et ideó concluditur, quod cum obiecto requiritur aliqua alia causa actiua partialis; non autem alia ab intellectiua: quia ipsa concurrente cum obiecto, sequitur intellectio: quanuis *autem*, posset ibi tangi, vtrum ista causalitas, quæ attribuitur parti intellectiuæ, conueniat propriè intellectui agenti, vel possibili? Tamen illam difficultatem dimitto vsque aliàs. Ad argumenta pro secunda opinione. R.

Conclusio

Vide cõmẽtatorem 3. de anima, c. 18. quæ rei in Doctore, quolibet. 9. 15. & in collationibus, Parisiens. q. 1.

Ad primum cum probatur, quod possibilis non potest habere illam causalitatẽ: quia nihil idem agit in se. Respondeo, quod illa propositio non est vera, nisi de aliquo à gẽte vniuoco: nec ista probatio eius, quod tunc idẽ esset in actu, & in potentia, concludit, nisi quando agens agit vniuoce, hoc est, inducit in passum formã eiusdẽ rationis cũ illa, per quã agit. Si enim aliquid sic ageret in se, sequeretur quod simul haberet formã eiusdem rationis, ad quam moueretur, & dum moueretur ad illã, careret illa: igitur simul haberet illam, & nõ haberet. Saltem hoc sequitur de duabus formis eiusdem speciei, vel de eadẽ, in agentibus æquiuoce, ideſt, in illis agentibus, quæ non agunt per formam eiusdem rationis, cum illa ad quam agunt, propositio illa, quod nihil mouet se, non habet ne S.

ceſsitatem: nec probatio eius, quod aliquid ſit in potentia, & in actu reſpectu eiuſdem, aliquid concludit: non enim ibi agens eſt tale formaliter in actu, quale paſſum eſt formaliter in potentia: ſed agens virtualiter eſt tale in actu, quale formaliter eſt in potētia patiens: & quod idem ſit virtualiter tale in actu, & formaliter tale in potentia, nulla eſt contradictio. *Iſta gloſſa de agentibus vniuocis, & æquiuocis neceſſaria eſt: quia Philoſophus poſuit motum, non tantum in genere qualitatis, ſed quantitatis, & vbi: in quantitate autem, & vbi, nullum eſt agens vniuocum: quia in genere quantitatis, & vbi, nulla eſt forma, quæ ſit principium producendi ſimilem formam: imò (vt generaliter dicatur) quicunque motus eſt ad formam non actiuam, non eſt ab agente vniuoco: quia ex quo forma talis terminans non eſt actiua, nulla eiuſdem rationis eſt principium agendi. Sunt igitur apud Philoſophū multi motꝰ ab agēte nōvniuoco, ſed ęquiuoco, & ibi agens eſt virtualiter tale in actu, quale patiens formaliter in potētia.*

5. Phy. tx. com. 9. & ſeqq.

T. Ad ſecundum reſpondeo, quod in iſta illatione eſt non cauſa, vt cauſa: nā ex generali ratione actus virtualis, & potentiæ ad actum formalem, nulla eſt repugnantia: quia ſi ex iſta ratione eſſet repugnantia, tunc & in quolibet eſſet repugnantia: tamen in aliquo cū actu virtuali concurrit aliquid aliud, per quod repugnat ſibi quandoque eſſe in potentia, vel actu, formaliter tale. Exemplum, eſſe calidum virtualiter in actu, & formaliter in potentia, de ſe nō includunt contradictionem, vel repugnantiam: & ideò in nullo ſubiecto includunt repugnantiam, quod propter hoc nō poſsint eſſe ſimul, nec alterum eſſe ibi, quia altetū. Tamen Sol, qui eſt calidus virtualiter, non poteſt eſſe calidus formaliter; tamen hoc nō eſt propter repugnantiā iſtorum. Probo: quia Saturnus eſt frigidus virtualiter, & tamen nō poteſt eſſe calidus formaliter: ergo actus virtualis non erat in eo cauſa repū gnātiæ: ſed aliquid aliud, ꝙ eſt cōmune Soli, & Saturno. Putà, ꝙ iſta ſunt corpora incorruptibilia, & caliditas eſt qualitas corporis corruptibilis.

V. Sed ſi obijcias, quod talia principia Metaphyſica, ex quo ſunt generalia, nō debent negari propter aliquas difficultates ſpeciales. Reſpondeo, quod nulla ſunt principia metaphyſica, quæ habēt multa ſingularia falſa. *Intelligendo autem quod nihil eſt in actu virtualiter, & in potētia ad actum formalem: & quod iſta repugnātia accipiatur ex parte, vel ratione actus, & potentiæ: non eſt principium metaphyſicum: quia multa ſingularia ſatis patenter ſunt falſa: ex quo patet, quod illud non eſt principium metaphyſicum. Sed quod nihil eſt in actu formali, & in potētia reſpectu eiuſdem actus formalis: verum eſt, quod hoc ſic, nihil eſt in actu, & in potētia.*

Vide. com. tx. com. 2.

X. Et ſi omninò contendas, quod etiam loquendo de actu virtuali, & potentia ad formalem actum, ſit principium metaphyſicum. Quomodo alij erant itacæci, & iſte ſolus videns, vt rationem cōmuniū terminorum metaphyſicorum nō poſſent eōcipere, & ex eis apprehendere veritatē talis cōplexi, quod ipſe ponit principium metaphyſicū, quod nō tantū ab alijs nōponitur principiū, imó in multis falſū eſt, & nū quā neceſſariū in ratione terminorū.

Y. Ad tertium, cum arguitur ex 2. Phyſic. de cauſa materiali, & efficiente, ꝙ non in coincidūt, verum eſt de materia, quæ eſt in potentia pura: ſed nō de materia ſecundū quid, qualis eſt ſubiectum reſpectu accidentis. Neceſſe eſt enim aliquo idem, quandoq; eſſe materiam, & efficiens reſpectu eiuſdem, quod apparet: quia aliàs paſsio nō prædicaretur per ſe ſecūdo modo de ſubiecto: quia ſi prædicetur per ſe ſecundo modo de eo, eſt eius cauſa materialis, ſicut materia eſt in accidētibus: quia ponitur in diffinitione eius, vt additū: ſi etiā eſt prędicatio per ſe: igitur, & neceſſaria: ſed ꝙ eſt ſola cauſa materialis reſpectu alicuius, nō habet neceſsitatē

Tex. cō. 70.

reſpectu

respectu eius: ergo oportet præter causalitatem materiæ, ponere in subiecto causalitatem efficientis ad saluandum necessitatem.

9. Met. tx. com. 17.

Z.

Ad quartum, quod *scilicet*, arguitur postea de relationibus realibus oppositis, dico, quod aliquæ relationes oppositæ sunt incompossibiles in eadem natura, & in eodem supposito: aliquæ *in eodem* supposito, sed non in eadem natura: aliquæ nec in eadem natura, nec in eodem supposito. Vndè ex ratione relationum realium incommunicabilium non potest concludi repugnantia *earum* in eodem. Exempla prædictorũ: causa, & causatum in eadem natura, siuè suppositò, repugnant: quia si non, tunc idem dependeret à se. Producens & productum non repugnant in eadem natura: quia natura potest cõmunicari sine diuisione sui: qualis est natura diuina: repugnant tamen in eodem suppositò. Mouens autem & motum, nec in eadem natura, nec in eodem suppositò repugnant: quia hîc non ponitur dependentia essentialis, qualem ponũt relationes causæ, & causati: nec per idem ponitur, quod idem sit ante quam sit, quod ponere videtur ratio producti, & producentis: sed tantum ponitur hîc quod idem pendet à se quãtum ad actum accidentalem: sicut motum à mouente dependet, quantũ ad actum accidentalem, quem recipit ab eo. Incompossibilitatem igitur aliquarum relationum oportet reducere ad aliquam incompossibilitatem priorem: & vbi ista prior non inuenitur, ibi, nec illa incompossibilitas relationum oppositarum concludetur. Hoc etiam amplius declaratur: quia sicut istæ relationes producentis, & producti, quæ sunt repugnãtes in eodem suppositò, possunt fundari in eadẽ natura illimitata, sicut in essentia diuina: ita istæ relationes mouentis, & moti, quæ multo minorem habent repugnantiam, fundari possunt in eadem natura aliqualiter illimitata. Quidquid autem est in potẽtia ad aliquem actum formaliter, & cum hoc habet eandem actualitatem virtualiter (sicut cum idem mouet se) est aliqualiter illimitatum: ponitur enim non tantum capax illius perfectionis, sed vt causans eam: ibi igitur propter illimitationem aliqualem bene compatiuntur se istæ relationes oppositæ. Contra, omnia relatiua sunt eodem modo opposita: ergo eodem modo incompossibilia.

Hæc obiectio non solnitur in antiquo textu.

Ad quintum, *nempè*, ad Achilem eorum, quod quodlibet moueret se, dico, quod sicut argutum est, *in primo articulo*, contra primam opinionem in excludendo causam sine qua non, quod nihil est causa totalis, & perfecta, & naturalis effectiua alicuius, quin ipsum approximatum totali receptiuo, & nõ impeditum, causet illud. Lignum autẽ semper est approximatum sibi ipsi, & sufficienter: & nõ potest poni aliquod perpetuũ impedimentum, quãdo ignis non est præsens sibi: quia si ponatur hoc impediens, amoueatur illud, & non erit impeditum: si aliud, amoueatur illud: & sic discurrendo per singula habebit sibi præsens lignum, & nullo modo impeditum. Igitur si ipsum esset causa actiua totalis, respectu caloris, & ipsum est etiam totalis causa receptiua: igitur semper esset calidum: non autem semper est calidum: ergo cũ non possit poni non causalitas totalis propter impedimẽtũ, nec propter non approximationem, nec propter receptiuum, concludetur, quod in ligno non est causalitas actiua totalis, quod est propositum. Sic igitur non omnia mouebunt se vt causæ totales: quia nullæ tales naturæ, quæ non habent semper actum, sunt causæ naturales totales illius actus.

AA.

Sed dices, saltem dicam, lignum esse causam partialem, vt præsente igne coagat ad calefactionẽ sui in ratione effectiui, vel actiui partialis. Nec ista ca uillatio valet: quia causæ duæ partiales nõ ponuntur respectu eiusdẽ effectus,

BB.

quãdo altera præciſe habet totũ effectũ in virtute ſua vniuoce, vel æquiuoce. Probo: ſi enim altera haberet in virtute ſua totum effectum, ſequitur quod totum poteſt producere: igitur alia cauſa partialis nihil poteſt producere: vel idem bis produceretur. Ignis autẽ, qui ex præcedenti argumento concluſus fuit habere actiuitatem reſpectu calefacere in ligno, habet in ſe virtualiter totum calorem ligni: ergo lignum hic nullam habet cauſalitatẽ partialẽ.

CC. Ad propoſitum igitur *applicantur prædicta, ſicuti in concluſione poſita in corpore articuli*: ſic ergo concluditur hîc duas eſſe cauſas partiales actiuas, & in alijs multis, non quia nihil mouet ſe, nec totaliter, nec partialiter. Iſtud etiam (φ habetur pro Achile) non videtur multum efficax argumentũ: hoc enim videtur eſſe cautela quædam, diuertẽdo a parte opponentis ad partem reſpondentis: quia propter defectum argumentorum induunt tales formam reſpondentium, vt reſpondentes faciant argumenta ad probãdum vnum neceſſarium, ſcilicet, quod lignum nõ calefaciat ſe. Ad reſponſionem Achilis videtur ſequi, quod lignum non calefaciet ſe, niſi præſente alio, ſine quo non. Sicut perſe voluntas non volificat ſe, niſi præſente obiecto per cognitionem.

Si autem dicas quod ſemper calefacit alterum: quia habet virtutem calefaciendi. Reſpondetur, quod prius calefaciet ſe, quã aliud, & hoc primum, non eſt niſi preſente cauſa ſine qua nõ, vel forte nunquam calefacit aliud: ſicut nec voluntas volificat aliam voluntatem: nam conceſſo quod aliqua actio de genere actionis ſit immanens, dicetur quod quælibet: vel qualiter non?

DD. Aliter contra Achilem, quod præſentibus diuerſis lignis, ignibus ſimiliter diſpoſitis, omnia calefaciunt: præſente autem eodem obiecto diuerſis voluntatibus, non omnes ſimiliter volificantur. 12. Trinit. cap. 6. Auguſt. igitur hîc agit ignis, & non ibi obiectum: quia tunc æque ageret in omnes voluntates. Contra hoc inſtatur: quia ſi voluntates non ſimiliter patiuntur præſente cauſa ſine qua non, hoc eſt, quia agent libere per ſe, lignum præſente cauſa ſine qua non, agit naturaliter: ita probatur hîc, quod ignis ſit cauſa hîc aliter, quam ſine qua non. Sed dicitur tantum lignum eſt naturale, voluntas vero non. Tertio modo contra Achilem, quod quid patitur, ab aliquo patitur. Vbi ergo aliquid non poteſt à ſe pati, oportet ponere quod patiatur ab alio: & vbi non poteſt ab alio, oportet ponere, quod à ſe: voluntas non poteſt pati ab alio (non loquendo de Deo) tum, quia tunc volitio non eſſet in poteſtate eius. Tum, quia tunc aliquod aliud mouens eodem modo ſe habens, & reſpectu eiuſdem paſsi, poſſet indifferenter in vtrumque oppoſitorum: quia voluntas poteſt velle, & nolle eodem modo præſentatũ. Itaq; neceſſarium eſt attribuere voluntati principaliter motionem ſui ad velle: quia ipſa ſola habet indifferentiam in agendo proportionatam tali paſſo: ſed lignum non habet in agendo indifferentiam proportionatam ſibi in ratione paſsi. Eſt enim receptiuum qualitatum diſparatarum, & contrariarũ etiã, quarum aliqua intenſa facta corrumpit ipſum, nec habet principia tot vniuoca. Patet etiam: quia nihil vniuoce mouet ſe, nec vnum principium vniuocum: quia quomodo eſſet ita illimitatũ: niſi dicendo quodlibet poſſe in omnes qualitates ſuſceptibiles in ipſo, etiam corruptiuas ſui: in voluntate autem, quælibet in quam poteſt, eſt operatio eius, & aliqualis perfectio.

Ad ſextum *ſatis conſtat ex ſolutione quinti, & ad confirmationem illius ex ſolutione ſecundi poterit reſponderi.*

(.? .)

EE. *Quia non habetur à Doctore alia ſpecialis ſolutio.*

Expoſitio

Expositio secundi articuli, quæstionis septimæ distinctionis tertiæ.

PRolixa est satis huius articuli litera: sed subtiles Scoti continens rationes. In ea ergo refertur quædam opinio Gofredi in Quodlib.7.quæstion.7. & Quodlib.8.quæstion.2. & Quodlib.9.quæstion.19.& Quodlibet.13.quæstion.2. ex diametro oppositæ opinioni Henrrici, quam in præcedenti articulo retulit litera textualis. Illa enim omnem actiuam causalitatem notitiæ tribuebat animæ intellectiuæ, & nullam obiecto: hæc autem vice versa omnem tribuit obiecto, & nullam animæ intellectiuæ. Hanc ergo Gofredi sententiam expositam proponit Doctor in corpore articuli: quam probant sex argumenta posita in principio. Refert insuper Doctor quasdam sex rationes, quæ communiter fiunt contra hanc sententiam, & habentur in textu, §.*contra istam opinionem fiunt.* Huiusmodi itaque rationes impugnat, eorum insufficientiam demonstrando ibi, §.*istarum sex rationum*: quibus improbatis, alias tres rationes ex mente propria adhibet, ibi, §.*contra istam opinionem ergo aliter sic*. Quibus efficacissimè confutat Gofredi sententiam: & his præhabitis sic articuli difficultatem concludit. *Dico, & concluditur, quod cum obiecto requiritur aliqua alia causa actiua partialis: non autem alia ab intellectiua, quia ipsa concurrente cum obiecto, sequitur intellectio.* Quæ conclusio manifestè tribuit intellectui partialem actiuitatem. Argumenta vero pro opinione Henrrici, clarè & subtiliter, licèt prolixe, soluuntur in textu.

Gofred.

Henric.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm intelligibile, vt simpliciter præsens intellectui, non per speciem intelligibilem, sed per phantasma, causet intellectionem.

AD tertium sic proceditur: videtur quod intelligibile, vt simpliciter præsens intellectui, non per speciem intelligibilem, sed per phantasma, causet intellectionem, & hoc sic: ad agendum requiritur ratio formalis agendi, & ratio agentis: agens est suppositum, ratio agendi est forma elicitiua actionis: in prima igitur actione in intellectum possibilem, agens est phantasma: sed quod est splendens in phantasmate est ratio agendi in ipsum: & hoc, in quantum illud quod quid est, stat in lumine intellectus agentis, & penetratur ab ipso lumine, & ambitur ab ipso agente: & hac ratione agendi, primum impressum in intellectum possibilem est inchoatio habitus scientialis, quæ in choatio non est species intelligibilis, nec forma mouens ad actũ intelligendi: quia obiectum est in se præsens quatenus relucet in phantasmate: quia phantasma præsens est intellectui, qui vbiq̃ est in corpore: igitur non requiritur aliqua alia species, per quam obiectum sic sit præsens, nec aliquid tenens vicem obiecti, vel repræsentans ipsum, cum ipsa impressio prima habeat rationẽ quo, & quod respectu intellectionis, quo quia per ipsam est intellectus in potentia propinqua accidentali ad actum intelligendi, sicut per grauitatem est corpus in potentia ad vbi, & etiam est quo, quantum ad hoc quod manet in intellectu impedito ab actuali intellectione. A.

Secundó præterea, est etiam quod: quia sibi primo occurrit: sicut secundum Auicen. primum sensatum est species, non vt obiectum terminans, sed vt quod quasi deducens, non per collationem, sed per continuationem ducit in obiectum. Sic igitur concordantur prima opinio, & secunda *infra citandæ*, quoad hoc quod prima negat speciem, & secunda concedit inclinationẽ præcedentẽ actũ. Quoad hoc autẽ, q̃ prima opinio ponit intellectum B.

ctum esse passiuum respectu primi actus,& actiuum respectu secundi actus: & secunda opinio videtur ponere, quod anima se ipsa eliciat actum; hoc concordatur sic:quia facta tali impressione prima in intellectum possibilē, ipse intellectus occurrit tali passioni: quia omne passum occurrit agenti, in quantum passum nititur saluare suum esse.

C. Tertiò præterea : quia hoc etiam vult Augustin. 6. Musicæ, vbi loquitur de illis numeris occursorijs , & de alijs, in isto occursu intellectus imbibit illam intellectionem confusam, & transmittit ad intima sua. Et tunc recipit eam à se intimius, quàm possit eam recipere ab obiecto:illi etiam impressioni , sic intimatæ occurrit intellectus secundo,& in illo secundo occursu immergit se illi, penetrando illam, & in hoc est distincta, & perfecta cognitio intellectus.

D. Sed contra est: nam quomodo aliquid est ratio agendi alicui, in quo nō est formaliter : *Quomodo igitur ponitur*, quod quid est relucens in phantasmate,esse rationem agendi formalemphā tasmatiaut si quoquomodo, ꝙ quid est ponatur inphantasmate,cum istud sit esse eius secundum quid : quia secundum esse representati , & non secundum aliquod esse existentiæ: quomodo ipsum quod quid est , secūdum istud esse,erit ratio formalis agendi aliquam actionem realem? & ita cum istud phantasm', per quod conuenit sibi istud esse, non sit principalis causa agendi secundum eos,nec quod quid est, secundum quod existit in eo, est principalis ratio agendi , quod est contra eos.

Hoc est secundum autorem opinionū, quæ infra citantur.

E. Respondeo dicendum,quod tertia opinio , *in ordine quæstionis,seu prima huius articuli*, ponit quod intelligibile,vt simpliciter præsens intellectui , non per speciem intelligibilem,sed perphā tasma,vt illustratur ab intellectu agente,esse in intellectu possibili, vt in memoria:vt autem immutat ad actum intelligendi est in eo, vt in intelligentia, cuius notitia terminatur in ipsum obiectum. Et quantum ad ista duo,intellectus est passiuus,videlicet,in quantum est memoria habens obiectum simpliciter præsens: & in quantum intelligē tia est ab obiecto sic præsente mota ad primum actum intelligendi. Sed intellectus factus in actu primo naturali acumine suo, potest suffodere, & discurrere in vnoquoque , quid sit,componendo, diuidendo differentias conuenientes cū diuiso, & ratiocinando, & sic inquirere, quid respectu intellectus simplicis,& propter quid respectu complexi, vt respectu conclusionis scibilis. Et in isto discursu intellect⁹ inquātum discurrit,est actiuus : in quantum tamen concipit , est passiuus . Item idem istam positionem de passione respectu notitiæ primæ simplicis, & confusæ,& actione respectu notitiæ distinctæ inuestigatę,videtur retractare,& corrigere alibi: vbi inquirens de principio actiuo actionum viralium, scilicèt, sensationis,& intellectionis, ponit,quod illud principium est aliquid in ipso animato , & non solum obiectum extra , sicut & in sensu ponit , quod species impressa in organo tantum inclinat,& inclinando excitat potentiam , & quasi euocat ipsam ad propriam operationem : ita phantasma in virtute phantastica inclinat intellectum : ita quod intellectus inclinatus , fit in vltima dispositione ad eliciendum intellectionem , tanquam suam propriam operationem : & pro ista opinione, adducit ibi vnam rationem pro istis actionibus, quia sunt vitales:quia nulla actio transcendit perfectionem agentis: & aliam de actione manente in agente,& istæ sunt propriè actiones , & denominant propriè ipsum agens,sicut lucere se habet ad ipsum lucens, nō illuminare. Ad hoc cō cordat ratio Augustini , quod anima formet in se imagines cognitorum, quæ

Idem Henricus quod lib.3.q.9.

Hæc opinio est Henrici quodlibet.5.q.14

quæ trēs rationes adductæ fuerunt prius pro prima opinione *in articulo primo.*

F. *Confutatio prædictarū opinionum.*

Cōtra: neutra istarum opinionum, nec retractata, nec retractans, videtur esse vera. Non retractata: quia aut intellectus factus in actu, secundum notitiam primam confusam, est actiuus virtute sui, respectu intellectionis secundæ, aut virtute illius notitiæ primæ confusæ. Si virtute sui, non videtur rationabile, quod aliqua causa possit esse actiua respectu perfectioris in aliqua specie, & nullo modo possit esse causa actiua respectu imperfectioris eiusdem rationis: intellectio autem cōfusa, & distincta albi, videntur esse intellectiones eiusdem rationis: quia eiusdem obiecti: ergo videtur inconueniens, quod intellectus de se possit esse causatiuus respectu secundæ intellectionis, quæ est perfectior, & non respectu primæ. Si autem dicas, quod respectu secundæ est actiuus virtute actus primi. Contra: actus imperfectior non potest esse ratio formalis causandi actum perfectiorem: quia tunc non esset, vnde posset probari Deum esse perfectissimum ens, si effectus posset excedere causam suam totalem in perfectione. Cognitio autem distincta est nobilior cognitione confusa: ergò illa confusa non est formalis ratio eliciendi, vel causandi illam distinctam. Opinio etiam retractans non videtur esse vera: quia quæro quid intelligitur per inclinationem? aut aliqua forma, quæ sit in intellectu per quam inclinetur, aut nihil. Si nihil non magis inclinatur nunc, quam prius inclinabatur. Si aliqua forma, aut actus intelligendi, & tunc oppositum opinioni eorū: quia obiectum causabit actum: aut aliquid prius actu intelligendi, vt species quam ipsi negant. Itē in causis essentialiter ordinatis, inferior non inclinat superiorem, sed ē conuerso: respectu autem intellectionis, pars intellectiua est causa superior, quam species alicuius obiecti, vt patebit insequenti quæstione: ergo obiectum non inclinat intellectum.

G. *Solutio pro Henrico.*

Respondeo, non est habitus, nec actus, nec species, sed quodam quartum Contra, quanuis hoc statim videatur inconueniens: tamen arguitur sic. Sit illud quartum A. tunc sic: aut sine illo A. est in intellectu tota virtus actiua respectu intellectionis huius, aut non. Si sic: ergo sine illo potest intellectus in hanc intellectionem, & ita indeterminationem omnē requisitam: quia hæc, vt hęc, est determinatissima, & ita A. propter nihil erit necessariū: si non: ergo dat A. virtutem actiuam, vel totam, vel partialem ipsi intellectui. Et ita actio non erit ab intra, vt á totali principio actiuo.

H.

Pro tertia & quarta opinione non sunt argumenta adducta, ad quę oportet respondere. Qui vult credere de actu primo simplici, & de secundo distincte cognoscendi, vel illud dictum quartæ opinionis, quod species inclinat, credat non credenti: tamen non sit articulus fidei, nisi per rationem ostendatur. Istæ tamen opiniones, scilicēt, tertia & quarta: *in ordine quæstionis seu prima, & secunda huius articuli*, quæ videntur inter se oppositæ concordantur ad inuicem, & confirmantur, *argumentis positis in principio articuli.* Quidquid, *tamen*, sit de opinionibus illis, quas iste medius nititur exponere, arguitur contra multa hîc: *& in argumētis, in principio positis*, dicta, quod primo ponit, scilicet, quod quid est relucens in phantasmate esse rationem agendi formalem phantasmati, *impugnatur per rationem positam in §. sed contra.* Præterea, prę ter hæc quæro, quid est quod quid est stare in lumine intellectus agentis. Si nihil aliud est, nisi intellectum agentē esse in anima, & in phantasia, eiusdem animæ esse phantasma: ergo perpetuo quando phantasma est in virtute phantastica, fit ista penetratio, & ambitio. Et ita erit in phrenetico, & dormien-

Her. quod lib. 4.q.8.

ter quod regat ille cuius opinio exponitur. Si aliquid aliud est, quàm illa duo esse simul, & fit aliqua actio noua: detur igitur eius terminus nouus: non erit in phantasmate: igitur erit in intellectu possibili: ergò quod quid est, non agit per aliquam penetrationem, quæ penetratio præcedit actionem quod quid est: sed tantummodo quod quid est cum intellectu agente coagit, causando aliquam impressionē nouam in intellectu possibili. Hoc dicit opinio prima.

I. Si dices, alia opinio ponit speciem intelligibilem impressam: ista non ponit speciem talem, sed inchoationem habitus scientialis. Contra: ista opinio ponit istam impressionem esse primum, quo intellectus est in potentia accidentali, cum tamen prius esset in potentia essentiali. Sed si per istam impressionem non est obiectum intelligibile præsens, nunc magis, quàm prius: non magis est nunc in potentia accidentali, quam prius. Si est præsens aliquo modo nunc, quomodo non fuit prius præsens: illud, quo nunc est præsens, est species intelligibilis. Hoc etiā magis apparet ex hoc, quod primo ei occurrit tanquam ostendenti obiectū propter naturalem continuationem ad ipsum: hoc non posset esse, nisi obiectum reluceret in eo: & ita haberet rationem speciei. Ad quæstionem, *igitur*, respondeo & dico, quod *ad intellectionem* oportet concurrere obiectū præsens: & hoc in specie intelligibili, sicut dictum est in præcedenti quæst. quia alio modo non est præsens, vt actu intelligibile, loquendo de sensibili obiecto, & materiali.

Conclusi.

K. Ad primum argumentum, *satis ex dictis patet, & similiter hoc*, quod dicitur, in choationem habitus scientialis præcedere actum, non est verum: quia habitus propriè loquendo, vt philosophus loquitur 2. Ethicor. generatur ex aliquo actu elicito, & sicut vltimus gradus habitus generatur ex vltimo actu, ita primus ex primo: ita quod quicūq; gradus habitus est posterior aliquo actu: ergo illud, quod est simpliciter primū in intellectu possibili, nō est aliquid ipsius habitus. Hoc confirmatur secundum opinionē illius Doctoris, qui exponitur: quia ponit istam inchoationē esse essentiam habitus totam.

2. Ethic. c. 1. & seqq.

Hēr. quod lib. 5. q. 19

L. Ad secundū *ad illud scilicet*, quod vlterius dicitur de occursu illo, ratio occursus non bene assignatur, nec ad intērionē Auic. patiens enim occurrens agēti nititur saluare se: hîc istud agens agit ad perfectionē, & salutem passi: ergo non occurrit ei propter illam rationē, vt saluet se, nec ista est intentio Auicen. Vult enim quod anima occurrens passioni factæ ab aëre in aure vehemētius agitat illum aërem, & causat magis additionē, quam solus sonus causaret. Hoc igitur occurrēte, est ei, coagere.

2. & 3. de anima.

M. Ad tertiū, *patet ex præcedente solutione*, & tunc respondeo breuiter ad Augus. impressione speciei sensibilis facta in organo, vel speciei intelligibilis facta in intellectu, anima per potentiā talem occurrit: id est, cum illa specie impressa coagit ad actū aliquem perfectiorem, quā posset illa species de se sola causare. Et cum vltra additur de illo duplici occursu, primo occurrit passioni, quasi coagēti, pòst passioni imbibitæ: quæro quid significent ista verba Metaphorica? Si significent, quod per secundū occursum, causatur aliquid perfectius, quā per primum, & illud intimius perficit, sicut dicitur materia intimius perfici à forma perfectiori, quæ magis actuat eam: ergo in secundo occursu nō transmittitur passio illa ad intima, magis, quam prius: sed anima coagens illi passioni causat aliquid perfectiū, quod est intimius in anima, quam illa passio prius causata. Opinio est, quod intellectus est principiū intellectionis quantū ad substātiā actus: sed obiectum est principiū quantū ad actus specificationē, seu modificationē. Contra: nihil, nullū est principiū: intellectio circūscripta

ta modificatione, seu specificatione, nihil est: ergo, &c. Maior intelligitur de nihilo, quod includit contradictionem. Minor probatur: quia prius natura intellectum, præcisse est aliquid possibile esse. Sed intellectio sine hoc quod in eodem instanti naturæ sit alicuius obiecti, est contradictio, alioquin esset forma mere absoluta.

Expositio articuli tertij quæstionis septimæ, distinctionis tertiæ.

SVpposito, obiectum concurrere ad productionem notitiæ, tanquam causam actiuam: quæritur in præsenti, an per ipsum phantasma, in quo obiectum relucet, an vero per speciem intelligibilem ab intellectu agente, & phantasmate productum, concurrat obiectum ad productionem notitiæ, seu intellectionis: circa quod Henrricus Quodlibet. 5. quæstion. 14. vt conformiter loquatur ad ea, quæ dixerat de specie intelligibili, vt visum est supra, in primo articulo præcedentis q. vbi speciem ad memoriam prærequiri negabat: modo inquit obiectum fieri simpliciter præsens intellectui, non per speciem intelligibilem, sed per ipsum phantasma, in quo relucet: quod quidem phantasma illustratur ab intellectu agente, & vt sic illustratum, est in intellectu possibili, vel in memoria: vt autem immutat intellectum ad actū intelligendi, est in eo vt in intelligentia. Hanc Henrrici sententiam probant tria argumenta posita in principio articuli: sed illam euidenter improbat Doctor, & difficultatem in fine corporis articuli his verbis concludit: *Ad quæstionem igitur respondeo, & dico, quod ad intellectionem oportet concurrere obiectum præsens: & hoc in specie intelligibili, sicut dictum est in præcedente quæstione: quia alio modo non est præsens, vt actu intelligibile, loquendo de sensibili obiecto, & materiali.* Argumenta autem pro prima sententia clare soluuntur ibi.

Henrric.

(.?.)

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm species intelligibilis, seu obiectum ipsum in se præsens intellectui, ita sit gignens, vel ratio gignendi notitiam actualem in intellectu, vt ipse intellectus tantummodo se habeat tanquam materiale.

AD quartum sic proceditur: videtur, quod species intelligibilis, seu obiectū ipsum in se præsens intellectui, ita sit gignens, vel ratio gignendi notitiā actualem in intellectu, vt ipse intellectus tantūmodo se habeat tanquam materiale: & ad hoc arguitur sic. Commentat. 3. de anima, comment. 5. intellectus se habet ad formas vniuersales, sicut materia prima ad formas indiuiduales. Et alibi anima nostra est infimum in genere intelligibilium, sicut materia in genere entium. Et 3. de anim. & 8. physic. intellectus ante habitum est in potentia essentiali, sicut materia ante formam, & 3. de ani. intellectus nihil est eorū quæ sunt ante intelligere. Ex omnibus istis concluditur, potentiam intellectiuam respectu intelligibilis, esse pure potentialem. Sed quod est pure potentiale, nō potest esse principiū actiuum respectu alicuius actus, nisi informatum aliqua forma. Et tunc principium formale erit forma.

A.

Cō. 18. tx cō. 8. 2. de ani. tx. cō. 2. expræssius habetur tx. cō. 32. 3. de ani. tx. cō. 5.

Secundò præterea arguitur vlterius, quod ipsa forma, quæ est principiū agēdi, fit similitudo obiecti: quia sicut factio est formaliter per formam, qua faciens assimilatur facto: ita actio videtur esse formaliter per illam formam, qua agens assimilatur obiecto, & ita similitudo erit formalis ratio agendi.

B.

Tertiò præterea, adhoc etiam adducitur, quod agens indeterminatū non potest in actionem determinatam, vel circa obiectū determinatū, nisi determinetur: intellectus de se est indeterminatus ad omne intelligibile, & ad omnem

C.

omnem intellectionem: ergo ad hoc quod intelligat aliquid, requiritur determinatio aliqua: illa non est, nisi per speciẽ intelligibilem: igitur illa species intelligibilis requiritur, vt principium determinatiuum.

D. Sed contra est: quia tunc non posset saluari imago in mente, vt mens est: quia nihil ipsius mentis haberet rationem parentis: ergo, &c.

E. Respondeo dicendum, quod quinta opinio, *in ordine quæstionis, seu prima huius articuli*, ponit quod species obiecti in intellectu, vel ipsum obiectum in se præsens, est gignens, vel est ratio gignẽdi notitiã actualem in intellectu, & ipse intellectus tantũmodo se habet tanquã materiale, vel informatus illa specie, vel ꝑ obiectũ supplens vicẽ speciei, *& probatur argumentis positis in principio*.

Opinio D. Thom. 1. p. sum. q. 85. art. 2.

F. Sexta opinio, quæ redit in idẽ quãtũ ad conclusionem huius quintæ opinionis, est, quod ipsa notitia actualis genita, siuè in sensu, siuè in intellectu, est species, & tunc sicut ratio formalis gignendi speciẽ actualem, quæ dicitur notitia actualis, est ratio obiecti, vel species obiecti in memoria, ita sequitur, quoad propositũ, quod ratio formalis gignendi notitiam actualem, est ipsum obiectum, vel aliqua species in virtute obiecti: & hoc ita, quod quando obiectũ est in se præsens, ab eo egreditur, vel generatur species, quæ est intellectio. Cũ autẽ non est in se præsens, sed per speciem in memoria: tunc per illã speciẽ, vel virtute illius speciei, gignetur alia species, quæ est intellectio: *de ista tamen sexta opinione, quoad primam partem ipsius fiet sequens specialis articulus.*

Opinio Ægidij quodlib. 3. q. 12. & 13.

G. Conclusio istarum duarũ opinionũ vltimarum improbatur per quædam argumenta facta contra opinionẽ secũdam, *in 2. articulo*: nam effectus æquiuocus non potest excedere in perfectione causam æquiuocã, sed deficit necessario ab ea. Intellectio esset effectus æquiuocus speciei intelligibilis, si ab ea sola causaretur, & ita simpliciter esset imperfectior specie intelligibili, quod non est verũ. Ista ratio, quæ fuit prima contra secũdã opinionẽ, minus est euidens contra istas: quia species intelligibilis est nobilior phantasmate. Secunda etiã ratio, & tertia contra secundã opinionẽ non sunt contra istas. Aliæ sex rationes, quas non ponderaui, possunt hîc fieri: nã primo habitus, &c. Similiter habitus non videtur necessarius, sicut argutũ est ibi in quinta ratione. Similiter quomodo fieret discursus? similiter quomodo reflexio? quomodo causarẽtur relationes rationis, siuè intẽtiones logicæ? quomodo cõplexio falsa, cui assentiretur, tanquã verę, si sola species intelligibilis genita à phãtasmate, esset ratio formalis omnis intellectionis. Similiter, tunc species esset magis potentia intellectiua, quam intellectus, & ita ipsa separata haberet eundẽ actũ, sicut calor separatus calefaceret. Similiter, tunc intelligere non videretur propria perfectio ipsius intellectus: quia nihil videtur essentialiter ordinari ad illã operationem, ad cuius principiũ se habet in potentia contradictionis, sicut ad accidens per accidens: sicut calefieri non videtur propria perfectio ligni, ex quo lignũ se habet ad calorẽ, sicut ad accidens per accidens. Sed ita se haberet intellectus (secundũ istam opinionẽ) ad speciem intelligibilẽ, quę esset principiũ intellectionis: igitur, &c. Similiter, tã in sensu, quã in intellectu, posita eodẽ repręsentante, maior attentio, vel connatus facit actũ perfectiorẽ. Idem enim habens eandẽ speciẽ intelligibilẽ, vel phantasma perfectius intelligit illud, ad cuius intellectionẽ magis cõnatur: & minus, quãdo minus: ita etiã in sensu, eodem obiecto præsente, & in eodẽ lumine, & in eadẽ distantia perfectius videtur aliquid per maiorẽ attentionẽ inuidẽdo. Patet etiã ex hoc, quod magis quandoq́, læditur visus propter maiorẽ attẽtionẽ, imò, cæteris paribus, vnus occulus magis attentus posset multũ offendi

Fuit prima non sexta communium rationum, sed trium specialiũ quas Doctor pòderauit.

dī in visione alicuius, in qua minus aliud offenditur, sicut patet per experientiā. Patet etiam secūdū Augustī 2. de Trinita.c.2. quod in attento multū remanent species post visionē, quæ nō remanēt in oculo non attendentis.

H. Ad ista tria media potest respondēri: ad primū, quod potētia intellectiua est qua intelligimus: intelligim⁹ autē ea, in quantū ipsa habet formaliter intellectionē: species autē non est nata habere eā, nec esse ratio habēdi illā. Quod adducitur, quod etiā separata haberet actū. Si intelligatur habere subiectiue, patet quod non valet, si effectiue, respondeo, non habet passum in q̄ agat, præcipuè, si non est nata esse principiū agendi in aliud: quia non est factionis principiū; sed tantū actionis immanentis in eo dē subiecto cū ipsa. Ad secūdū potest dici, quod maior illa, scilicet, nihil videtur essentialiter ordinari, &c. falsa est in his, quæ non possunt ex se consequi finem, ad quem ordinantur, sed tantū actione extrinseci dantis sibi aliquod accidens, per quod operatur, & attingat finē suū sic est hīc. Ad tertiū, illa attentio volūtatis, est qua vehemētius applicante se ad obiectū, potentia cognitiua inferior vehementius patitur ab illo obiecto: & id-ò perfectius cognoscit, licēt nō agat ad illū secūdū actū. *His tamen solutionibus non obstantibus*, dico ergo tunc ad quæstionem, q̄ istius intellectionis non est totalis causa actiua obiectum, nec in se, nec in sua specie: sicut apparet per rationes contra secundā, quintā, & sextam opiniones, *hic & in artic.2.& 5.positas*, & etiā *per rationem positam §. sed contra*.

Conclusio.

I. Ad primū argumentū, *scilicet*, ad auctoritatē Philosophi 3. de anim. & *Cōmētatoris*, quod intelligere est pati, quę adducitur pro quinta opinione: hīc tamen non determinando, dico, quod Philosophus locutus est cōmuniter de potentijs animæ, in quantū sunt, quib⁹ formaliter sumus in actu secundo. Putā, de sensu in quantū est, quo formaliter sentimus, de intellectu in quantū est, quo formaliter intelligimus. Formaliter autē intelligimus intellectu, in quantū recipit intellectionē: quia sic ut est ea actiue; nō tamē dicer intelligere intellectu, in quantū causat: sed in quātū habet intellectionē, vt formā. Habere enim qualitatē, est esse quale: & ita intellectū habere intellectionē, sīue recipere (quod idē est) est ipsum esse intelligentem. Nos igitur intelligimus intellectu, in quantum recipit intellectionem: ideò Phylosopus loquens sic de intellectu, necesse habuit dicere, eū esse passiuū, & quod intelligere est quoddā pati hoc est, intellectio in quantū est quoddā, quo formaliter intelligim⁹, est forma quædā recepta in intellectu nō autē intelligimus ea, in quātū est quid causatū ab intellectu (si causatur ab eo) nā si Deus eā causaret, & eā in intellectu nostro imprimeret, nō minus ea intelligeremus sicut dixi de intelligētia actualiter: ita dico de scire habitualiter: quod intellectus est, quo scimus habitualiter, in quantū recipit habitū, nō in quātū istū causat (si illū causat). Dico igitur, quod omnes auctoritates, quæ sonant possibilitatē intellect⁹ possibilis, possunt exponi de eo, in quātū eo cognoscimus habitualiter, vel in quātū cognoscimus actualiter. Et isto modo concedo q̄ est passiuus, & si sit actiuus, nō tamē secūdū istā rationem: sed accidit ei, quod sit actiuus secundū istā rationē. Affirmātes ergo istæ auctoritates de intellectu, quodverū est, quod sit passiuus nō loquentes de intellectu sub ratione actiui, sed asserētes ipsum habere rationē recipiui licēt ipsum nō dicāt esse actiuū. Locus autē ab auctoritate non tenet negatiuè.

K. Et per idē respōdetur ad illud de potētia accidentali, & essentiali: nō enim intellectus est in potētia essentiali: quia deficiat sibi aliqua ratio causalitatis, quantū est ex parte sui: sed intellect⁹ est in potentia essentiali, quādo alia causa partialis nō est sibi præsens, quā oportet

ter esse præsentē ad hoc quod sequatur actio: & quando illa causa partialis est approximata, est in potentia accidentali, sinē propinqua ad agendum.

L. Sed illa auctoritas, quæ dicit, quod intellectus possibilis nihil est eorum, quæ sunt ante intelligere, requirit aliā expositionē, quā in tātum per tractant aliqui, vt dicant, intellectū possibilem esse in pura potentia in genere intelligibilū: sicut materiam primā in genere corporaliū quæ non est intētio phylosophi: quia potentia ad accidens, nū quā fundatur, nisi in substātia in actu. Intellectio autē, siuè species intelligibilis nō est forma substantialis, sed accidentalis: igitur quod est immediatū receptiuū illius, est aliquid in actu substātiali: aut saltē quod est mediatū receptiuū: & tunc quod immediatè recipit, erit aliquis actus accidentalis, sicut se habet superficies ad albedinem. Intellectus igitur possibilis, secundū quod est illud, in quo recipitur species intelligibilis, vel intellectio, vel illud, secundum quod species recipitur in anima, non erit purum potentiale: sed erit aliquid in actu primo, licet iste respectus potentiæ non sit aliquid in actu. Cum enim loquor de potentia receptiua albedinis, non loquor de potentia, quæ dicit respectum ad albedinē: ille enim respectus non est aliquid in actu, sicut nec albedo, ad quā est est aliquid in actu: sed illud in quo est ista potentia, est aliquid in actu, vt superficies, quæ est receptiua albedinis: ita hīc, licet ante intellectionē, potentia ante actū, quæ est respectus ad intellectionē, non sit aliquid in actu, sicut nec intellectio ad quā est: tamē illud, in quo est ista potentia, quod est fundamentū istius respectus, est aliquid in actu: & illud est intellectus possibilis. Non est igitur, apud Phylosophū, intellectus possibilis nihil in actu, sicut isti accipiunt: sed oportet exponere illā auctoritatē hoc modo: naturaliter intelligamus prius illa, quæ primo occurrunt ex phantasmatibus, sicut dictum est in quæst. 2. huius dist. Nihil igitur possumus potētia propinqua intelligere ante intellectionē alicuius imaginabilis: ideò nō possumus intelligere intellectū ante intelligere alterius intelligibilis: ergo nec intellectus potest intelligi à nobis ante intelligere alterius intelligibilis: ergo non est intelligibilis ante intellectionē alicuius alterius. Sicut primum antecedens est verum, sic & consequens: ideò sicut intelligēdum est ipsum nō esse aliquid eorum, quę sunt ante intelligere, scilicet, intelligibilium: non quia ante quā intelligat, nihil sit in actu, sed quia nō est aliquid, quod possit potētia propinqua intelligi à nobis ante intelligere alterius propter intellectionē nostrā naturalē incipiētē à phantasmatibus.

D. Tho. 1. p. sum. q. 87. art. 3. & Ægidi. Rom. quod lib. 1. q. 2. & quodl. 2 q. 23.

Ad secūdum cum post arguitur de illa similitudine, quę sit ratio, tam faciēdi, quā agendi, dico, quod in faciēte, benè forma est ratio faciēdi, in qua forma faciens assimilat sibi factum; sed in agēte nihil est productum, nisi ipsa actio: Actio enim est vltimus terminus, nec habet aliū terminū: & ideò nō oportet quod in agēte ratio agendi sit aliquid, in quo assimiletur agens alicui alteri producto. Sed dices, saltem illa est ratio agendi, in qua agens assimilat sibi productū, scilicet, actionem ipsam Bene cōcedo, quod speciei illa, quæ est similitudo obiecti, & per quā intellect⁹ assimilatur cognitioni productæ, est aliqua ratio agendi: sed non totalis ratio, nec etiā ratio principalis, sicut patebit in sequenti quæstione: sed quando duæ causæ concurrunt, sufficit in propinquiori similitudo formalis, & in remotiori virtualis, siuè similitudo æquiuoca: & ita intellectus quasi causa superior, æquiuoce, & virtualiter assimilatur cognitioni, & intellectioni: species autē quasi causa propinquior quasi vniuoce, & formaliter assimilatē.

M.

9. Metaph. tx. com. 16 & alibi vbi sup.

Ad tertium cū arguitur post de inde terminatione intellectus ad diuersos actus, & obiecta. Respōdeo, quod alia

N.

est

rst indeterminatio materialis propter defectū actꝰ: alia est indeterminatio agẽtis propter illimitationẽ virtutis actiuæ: sicut Sol est indeterminatꝰ ad multa generandū. Primo modo indeterminatū non agit, nisi determinetur per aliquē actū: quia aliàs nō est in actu sufficiente, sed in potentia. Secūdo modo indeterminatū nulla forma alia à se determinatur: sed ex se determinatur ad producendū quemcunq; effectum, ad quē ex se est indeterminatū. & hoc præsente passo receptiuo: sicut Sol præsente passo, generat quodlibet generabile, ex quo ipsum natum est generari. Ita in proposito indeterminatio intellectus, nō est indeterminatio potentialitatis passiuæ in ordine causalitatis: sed est indeterminatio actualitatis, quasi illimitatæ: & ideo nō determinatur per formam, quæ sibi sit ratio determinate agendi: sed tātūmodo per præsentiam obiecti, circa quod determinatū nata est esse determinata intellectio.

O. Vel aliter posset dici, quod sicut causa superior determinatur ad agẽdum, concurrente aliqua particulari causa inferiori, sicut Sol ad generandum hominẽ, concurrente homine agente, & bouẽ, concurrente boue: non autem per aliquā formā in se receptā: ita intellectus, qui est causa superior, & causa illimitata, determinatur ad hoc obiectū, concurrente causa particulari determinata: putà, ad agendum circa hoc obiectū, concurrente hac specie: non enim istud determinans determinat effectiuè causam indeterminatā superiorẽ: neq; formaliter, sicut ratio agendi: sed sic determinat: hoc est, virtus actiua superior indeterminata potest indeterminatum effectum, tali virtute inferiori determinata concurrente.

Expositio artic. 4. quæst. 7. dist. 3.

QVia dupliciter potest obiectum fieri præsens intellectui, scilicèt, per se ipsum, prout secundum cōmunem sententiam in visione beata de facto contingit: vbi ipsa diuina essentia immediatè immediatione suppositi vnitur intellectui, hoc est, non medio aliquo repræsentatiuo, & mediante specie: sicut in cæteris intellectionibus euenit. Quæritur modo, an obiectum quodlibet istorum modorum præsens intellectui, sit gignens, vel ratio gignendi notitiam actualem in intellectu, ita quod intellectus habeat se tanquam materiale: ipsum vero obiectum habeat totam rationē gignendi? Pro parte affirmatiua refert Doctor sententiam D. Thomæ 1. part. quæstio. 85. artic. 2. & 3. in quam sentētiam coincidit alia opinio Ægydij Romani Quod libet. 3. quæstion. 12. & 13. quam retulit ibi. Hanc tamen sententiam confutat, §. *conclusio istarum*, & difficultatem concludit in fine corporis articuli, his verbis: *Dico ergo tunc ad quæstionem quod istius intellectionis, non est totalis causa actiua obiectum, nec in se, nec in sua specie: sicut apparet per rationes contra secundam, quintam, & sextam opinionem*, hîc & in artic. 2. & 5. positas. Et etiam per rationem positam, §. *sed contra*. Argumentorum solutiones, quæ latè habentur intextu, aliquas difficultates peculiares conculcāt, sed ibi clare soluuntur.

D. Thom. Ægid. Ro.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm species intelligibilis sit ipsa notitia actualis genita?

AD quintum sic proceditur. A.
Videtur, quod species intelligibilis sit ipsa notitia actualis genita, pro quo adducitur Augustinus 2. de Trinit. cap. 2. vel 4. vbi inquit: illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore, quod videtur: quod autem imprimitur, vel gignitur à solo corpore est species: ergo illa species est visio secundum Augustinum.

Secundò præterea, hoc idem secūdo probatur per Philosophum 2. de anima, qui vult quod idem sit sonatio, & auditio: quia idem est actus actiui, & passiui B.

3. Phy. tx. com. 18.

passiui, & per Philosophum 3. Physic. sed sonatio in actu causat speciem soni in aure: ergo illa species causata est idem cum auditione: & ita species intelligibilis, & intellectio, idem sunt.

C. Sed cōtra est: quia si species ista quę est visio, sit eiusdem rationis cum illa, quæ est in medio, e it formaliter visio: ergo mediū formaliter habens eam, erit formaliter videns: si autem præter hanc speciem in visu (quæ ponitur visio) sit alia alterius rationis ab ea, & alia eiusdem rationis cum illa, quæ est in medio, habetur propositum.

D. Respondeo dicendum, quod sexta opinio: *quam retulimus in præcedenti articulo, inter alia quæ ponit, ibi impugnata, præcipuum* est, quod ipsa notitia actualis, siuè in sensu, siuè in intellectu, est species. Sed contra *hanc* opinionem arguitur specialiter, quod ipsa sit falsa, tā in sensu, quam in intellectu. In sensu: *patet per rationem positam. §. Sed contra.* Si tamen dicas, *ad illam*, quod species in medio differt a specie in oculo propter diuersa recipientia: hoc nihil est: quia sicut albedo est eiusdem rationis in lapide, & in equo, & ideo vtrumque est formaliter album secundum eandem rationem albi: ita si illa qualitas, quæ dicitur species, sit eiusdem rationis in oculo, & in medio: si illa de se sit visio formaliter, visio formaliter erit in vtroque: & in quocumque est formaliter visio, illud formaliter est videns. Principale etiam propositum patet: quia in oculo cœco, manente tamen sic mixto, vt prius, causatur species, similiter in oculo dormientis: aliàs non excitaretur ab excellenti sensibili præsente: non etiam aliter aliquis excitaretur a somno excellenti, nisi species esset in aure: tamen in istis non est visio. Ita etiam in oculo bene dispositio recipitur aliqua species eiusdem rationis, cum illa, quæ est in medio, ex hoc, quod ipsum organum est similis dispositionis cum medio propter perspicuitatem vtriusque, & diaphaneitatem

Opinio Ægidij quodlib. 3. q. 12. & 13.

ex 2. de anima, & ista non erit formaliter visio, sed prior visione.

E. Quod etiam hoc de intellectu sit falsum, patet coniungendo aliqua dicta sic opinantis. Possunt enim nullam esse aliam speciem ab essentia diuina in visione beata: & beatitudinem essentialiter consistere in sola visione. Coniunge istud dictum, quod visio formaliter est species: & sequitur, quod beatitudo nostra erit formaliter essentia diuina. Probatio: beatitudo formaliter est visio secundum eos: visio formaliter est species secundum eos: species formaliter est essentia diuina: ergo essentia diuina est formaliter beatitudo nostra. Sed hæc conclusio est inconueniens: ergò: aut negent istā præmissam, quod visio est species: aut ponant quod essentia diuina habet aliam speciem à se: aut beatitudinem essentialiter in alio, quam in actu visionis. Si dicatur, vbi est species intelligibilis alia ab obiecto, illa est intellectio: sed vbi nō est alia species ab obiecto, ibi intellectio non est obiectum in beatitudine: igitur negarent speciem aliam ab obiecto, & actu: sed nō negatur esse alia ab obiecto. Cōtra, nullius est alia species intelligibilis, nisi sola intellectio obiecti, secundū istos: igitur cuius obiecti est intellectio alia ab ipso, eius est species intelligibilis: igitur ita debet concedi species in visione Dei, sicut in intellectione cuiuscumque alterius obiecti. *Ex quibus omnibus* habetur propositū, scilicet, quod licet illud, quod est visio, dicatur species: tamen est aliquid aliud prius eo in oculo, & alterius rationis, & illud (vt communiter dicitur) est species, & ita species proprie dicta differret ab actione.

2. de anim. tx. cō. 121. & inde.

Conclusio.

Ad primum argumentum, *hoc est, auctoritatem Augustini, respondetur: quod iam satis exposita est quæstion. 6. art. 1. solut. ad quartum.* F.

Ad secundum: *ad illud, scilicet, Arist. patet quod non accipit ibi speciem sensibilem alicuius soni, & auditionem proprie dictam esse idē, vt patet intuenti literā Arist. & Cōm.* G.

Expositio

Expositio articuli quinti, quæstionis septimæ, distinctionis tertiæ.

PVTAVIT Ægidius Romanus Quodlib.3.quæst.12.& 13. notitiam tàm sensitiuam, quàm intellectualem, nihil aliud formaliter, esse, quàm speciem ipsam sensibilem, quæ in sensu existit, vel intelligibilem à phantasmatibus eductam,& intellectui possibili inhærentem. Huius attamẽ opinionis falsitatem redarguit Doctor contra eius Auctorem ad hominem arguendo & inferendo, tunc diuinam essentiam esse fore formaliter ipsam visionẽ beatam. Quod argumentum clare habetur in litera: vbi apertè quoad notitiam sensibilem,& intellectualem subtiliter improbat supra dictam sententiam, & suã tandem his verbis concludit. *Habetur propositum scilicet, quod licet illud, quod est visio, dicatur species: tamen aliquid aliud prius in oculo, & alterius rationis, & illud vt communiter dicitur, est species: & ita species proprie dicta differt ab actione*, qua scilicet producitur visio. Vbi notãdũ est quod etiam notitia dicitur species intelligibilis, sed expressa vt latè ostendimus de mente Doctoris supra in difficultate 10.à numer. 11. vsque ad 14. & doctrina à nobis ibi tradita efficacissime iterum ex verbis huius articuli confirmatur. Sed frequentius, species intelligibilis, vt hîc inquit Doctor, supponit pro specie intelligibili, quæ est prior in intellectu, sicut est prior causa, quam effectus. Ex quo habetur distinctio manifesta inter speciẽ vt communiter vsurpatur, & speciem vt conuertitur cum notitia. In reliquis litera clara est: argumentorum attamẽ non habebãtur solutiones in textu antiquo, sed ibi vt constat sine solutionibus erant. Primi attamen argumenti ex aliquibus traditis à Doctore est posita ibi solutio. Secũdi verò argumẽti solutionẽ, ex eis quæ notat Lychetus demẽte Doctoris, adieci, ne argumenta illa sine solutione maneret: & ideò ad marginem notaui dictam solutionem textualem non esse.

Species intelligibilis alia impressa, alia expressa, quæ dicitur notitia.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm intellectionis ad obiectum sit relatio?

AD sextum sic procedi- A.
tur, videtur, quod intellectionis ad obiectũ nõ sit relatio: quia tũc intellectio Dei haberet relationem realem ad creaturam, vel ad aliud obiectum.

Secundo præterea: quia quare magis vnum motiuum quàm terminans requiritur ad vnitatem actus? B.

Sed contra est, quia actus requirit esse circa quod sit: ergo, &c. C.

Respondeo dicendũ, quod intellectionis ad obiectum, in quantum est motiuum intellectus: siue magis proprie in quantũ est causatiuũ intellectionis: est relatio pertinens ad secũdum modum relatiuorum, sicut Filij ad Patrem, vel caloris geniti ad gignentem. Relatio etiam intellectus ad obiectum, vt mobilis ad motiuũ, pertinet ad secundum modum, sicut relatio calefactibilis ad calefactiuum: sed præter istas relationes secundi modi est alia relatio intellectionis ad obiectum, vt terminati ad terminãs: non enim tantùm intellectio est ab obiecto, vt à causa efficiente totali, vel partiali, sed est ad ipsum, vt ad terminans, siue vt circa quod: ipsa est differentia istarum relationum, patet: quia vtraque est sine alia, prima sine secunda in calore genito: secunda sine prima in intellectione lapidis, si fieret immediatè à Deo in me: prima non est identica: quia idem absolutum posset fieri ab alia causa. secunda videtur identica: quia nullus actus natus esse circa obiectum, posset esse idem, & non terminari ad idem obiectũ: secũda non est D. *Prima conclusio.* *Secunda cõclusio.* *Tertia conclusio.*

ad aliquam cauſam: quia poſitis omnibus cauſis, præter hoc requiritur in tali actu aliquid terminans: patet etiam diuidendo: non eſt forma, nec efficiens, patet: non finis: quia obiectum, vt eſt primum, circa quod eſt actus, non eſt propter quod amatum elicitur actus: nec eſt materia circa, ſiue in qua, ſiue ex qua. Secunda poteſt poni tertij modi, non quia ſit relatio menſurati: ſed quia ſimilis illi: quia non mutua: actus enim requiritur eſſe circa quod ſit: non è conuerſo; nec ſola relatio menſurati eſt tertij modi, ſed omnis ſimilis, ſcilicet non mutua, qualis eſt terminati ad terminans modo prædicto: tamen & hîc concurrit inter eadem abſoluta relatio menſurati ad menſuram: ſed poteſt poni formaliter alia ab iſta relatione terminati.

E. Contra ſecundum, & quartum quomodo eſt alicui identica relatio ad non cauſam, niſi dependeat eſſentialiter a non cauſa? Et ita quatuor cauſæ non ſufficient ad eſſe rei. Item obiectum poteſt non eſſe actu exiſtente, quomodo tunc identica relatio, vel etiam realis, cum terminus non ſit? Hæ duæ rationes videntur concludere, quod intellectio eſt ita forma abſoluta ſicut albedo. Patet enim, quod ipſa eſt cauſabilis à Deo immediatè: ergo ab ipſo ſolo dependet eſſentialiter: quando etiam obiectum cauſat, non dependet identicè: quia poſſet eadem aliunde cauſari, frequenter etiam eſt circa non ens. Etſi dicas, eſt ens in ſpecie, quod ſic ſit forma abſoluta, vel procedemus in infinitum, & ipſa non eſt obiectum terminans, ſed illud, cuius eſt: quomodo ergo Philoſophus ſeptimo Phyſicorum, & alia dicta de habitibus? Item differentia iſtarum relationum ponitur: quia intellectus quandoque terminatur in intelligendo ad aliquid, à quo nõ mouetur: putà Deus ad creaturam, vel ad relationes intrinſecas, vel attributa. Cum tamen ſola eſſentia moueat ad intellectionem, alioquin, quod eſſet eius obiectum primum?

7. Phyſico. tex. co. 17. & inde.

Ad primum iſtorum duorum, F.
quæ ſcilicet pro argumentis in principio articuli poſita ſunt, quare non poteſt aliqua relatio tertij modi eſſe rationis tantùm, ſicut & illa ſecundi, qua eſſentia diuina dicitur mouere ad intellectionem eius, & è conuerſo? Sic quia non ſit differentia modorum Ariſtotelis pœnes eſſe rei & rationis, ſed pœnes mutuum, & non mutuum: quia ſi mutuum, pœnes quantum & quale, ſubſtantiale, vel accidentale, in actu primo, vel ſecundo: ità quod quilibet modus poſsit eſſe quandoque realis, quandoque rationis.

Ad ſecundum, *non ponitur ſpecialis à Doctore, quia nihil infert contra dicta.* G.

Expoſitio articuli ſexti, quæſtionis ſeptimæ, diſtinctionis tertiæ.

SATIS perſpicua eſt huius articuli litera textualis, in qua Doctor plures relationes intellectionis ad obiectum conſtituit. Quia tamen de hoc puncto plura oſtendimus ſupra, non eſt cur hæc iterum repetantur. Videantur attamen in difficultate 49. à numero 11. vſque ad 13. & alibi: ſed nuper in commentario ad articulum 8. quæſtionis 6. huius diſtinctionis numero 4. vbi vidimus, qualiter intellectio, etiam ſi ſit qualitas abſoluta, habeat reſpectum ad obiectum: & hunc reſpectum diximus eſſe traſcendentalem, quem Doctor vocauit tertij generis. Eſt igitur reſpectus intellectionis ad obiectum in ſecundo genere relationis, quæ ſcilicet fundatur

in

in actione & passione, & est respectus tanquam effectus ad causam: & hic est prædicamẽtalis, intrinsecus aduenies distinctus â fundamento, sicut relatio Filij ad Patrem, à fundamento distinguitur; quia obiectum est effectiua causa intellectionis in ratione motiui, sicut Pater est causa Filij, vt docet Doctor. Est & alia relatio intellectus ad obiectum tanquam ad transmutatiuum: quia eo quod obiectum causat intellectionem in intellectu, ipsum transmutat. Et hic etiam est respectus, seu relatio realis extrinsecus aduenies pertinens ad prædicamentum actionis & passionis, cuius prædicamenti relationes Doctor extrinsecus aduenientes vocauit: quæ relatio etiam distinguitur realiter à suo fũdamento. Est insuper præter illas alia relatio in tertio genere, & hæc est trãscendentalis, qua intellectio respicit obiectum tanquam terminum suæ repræsentationis: hæc tamen relatio est realiter eadem suo fundamento, quod in se est entitas absoluta, & ideò dicimus qualitatem illam, quæ est intellectio, esse in se entitatiuè absolutam, & transcẽdentaliter relatiuam.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm intellectus, & obiectum sint vna integra, & totalis causa intellectionis?

A. AD septimum sic proceditur, videtur, quod intellectus, & obiectum, non sint vna integra, & totalis causa intellectionis: *de intellectu enim vltra quod in 1. art. satis argutum est, quod se solo totaliter causet, & in 2. quod nec partialiter causet, hic amplius pro eodem ex vtraq; parte arguitur. & primo:* quia 2. de anima probat Philosophus sensum esse passiuum, nõ actiuum, per hoc, quod si esset actiuus, semper ageret, sicut si combustibile esset combustiuũ, semper combureret: ita arguitur in proposito, si pars intellectiua esset actiua respectu intellectionis, semper intelligeret, & ita sine obiecto: quod est falsum. Confirmatur ratio ex secundo de anima: sensibilis, & sensus est vnus actus: putà si sonatio, & auditio est idẽ actus: ergo à simili motio actiua obiecti, & motio passiua intellectus, quæ est intellectio, est idem actus: ergo intellectio est ab obiecto.

2. de anima tex. co. 52.

2. de anima tex. co. 138 & inde.

B. Secundo præterea sic: tertio de anima intellectus possibilis est, quo est, omnia fieri, sicut intellectus: gẽs est, quo est, omnia facere: ergo intellectus possibilis saltem non erit causa actiua respectu cognitionis, sicut potentia passiua non est actiua respectu actus.

3. de anima tex. co. 18.

C. Tertio præterea sic: actiones distinguuntur pœnes distinctionẽ principiorum actiuorum: si igitur intellectus, qui est indistinctus, sic principium actiuum omnis intellectionis, tunc omnes intellectiones essent eiusdem speciei: etsi omnes intellectiones: ergo & omnes habitus: & ita consequenter, omnes scientiæ essent eiusdem speciei.

D. Quarto præterea: *seu primo in ordine* ad oppositum Auicen. nono Metaphysic. immaterialitas est ratio intellectiui, sicut intelligibilis: igitur intellectus, siue pars intellectiua, ex immaterialitate sua, se sola est actiua respectu intellectionis, sicut receptiua.

Com. 3. & inde.

E. Quinto præterea, si obiectum, vel aliquid eius esset ratio formalis agẽdi: ergo intellectiones obiectorũ diuersorũ specie, essent diuersæ specie: quod est falsũ. Cõsequẽtia probatur: quia actus differũt specie, qui sunt à causis diuersis specie: falsitas consequentis probatur: quia tunc de qua-

libet ſpecialiſsima eſſet propria ſciẽtia, & ita de pluribus ſpeciebus ſpecialiſsimis, non poſſet eſſe vna ſcientia. Probatur etiam idem per Philoſophum primo Ethicorum, vbi vult, quod intelligere eſt propria operatio hominis, ſecundum quod homo: vnius autẽ ſpeciei eſt operatio vna ſecundum ſpeciem.

1. *Ethicor. cap. 9.*

F Sed contra eſt, quod Auguſtin. nono de Trinitate capit. vltim. & 30. de paruis, liquido tenendũ eſt, quod omnis res, quam cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui, ab vtroque enim paritur notitia, à cognoſcente ſcilicet, & cognito. Idem 2. de Trinitate cap. 2. vel 5. ex viſibili, & videnti gignitur viſio.

G. Reſpondeo dicendum ad quæſtionem, & dico, quod intellectio actualis eſt aliquid in nobis, non perpetuum, ſed habens eſſe poſt non eſſe, ſicut experimur. Iſtius ergo oportet ponere aliquam cauſam actiuam: & aliquo modo in nobis, alioquin non eſſet in poteſtate noſtra intelligere cum volumus: quod eſt contra Philoſophum ſecundo de anima: apparet etiam hîc, quod oportet concurrere animam, & obiectum præſens, & hoc in ſpecie intelligibili, ſicut dictum eſt præcedenti quæſt. *& articulo tertio iſtius*: quia alio modo non eſt præſens, vt actu intelligibile, loquendo de ſenſibili obiecto, & materiali: dico ergo tunc, quod iſtius intellectionis non eſt totalis cauſa actiua obiectũ, nec in ſe, nec in ſua ſpecie, ſicut apparet per rationes cõtra ſecundam, quintam, & ſextam opinionem *in ſecundo, & quarto articulo poſitas*: & etiam: quia tunc non poſſet ſaluari imago in mẽte, vt mẽs eſt: quia nihil ipſius mentis haberet rationem parentis. Nec tota cauſa intellectionis eſt anima intellectiua, vel aliquid eius formaliter propter rationes factas contra primam opinionem *in art.* 1. quæ ratio explicat rationem Philoſophi in ſecundo de anima: de qua tangitur arguendo ad principale ad primam partem *in principio videlicet huius articuli.*

2. *de anima tex. co.* 55. *& 60.*

Adduntur etiam aliæ probabilitates ad hoc. Prima, quia tunc actus, &c. & etiam quia tunc actus non eſſet ſimilitudo obiecti, nec diſtingueretur eſſentialiter propter diſtinctionem obiecti: quia eſſentialis diſtinctio non eſt ab eo, quod non eſt cauſa. Nec eſſet ſimpliciter perfectior intellectio perfectioris intelligibilis. poſito æquali connatu hinc inde ex parte intellectus. Probatio: quia poſita cauſa totali efficacius operante, ſequitur perfectior actio, & ita ſi anima eſſet cauſa totalis, vbicunque ipſa ex parte ſui perfectius ageret ex maiori connatu, perfectiorem intellectionem produceret: & ita intellectio Dei non eſſet perfectior intellectione muſcæ. Quod eſt contra Philoſophum decimo Ethicor. capit. 1. ponentem fœlicitatem in ſpeculatione obiecti perfectiſsimi. Videtur etiam, quod tunc eſſet infinita actiuitas in intellectu, in quantum eſt actiuus reſpectu omnium intellectionũ: quia ad vnam intellectionem vnius rationis requiritur aliqua perfectio in cauſa illius intellectionis, & ad aliam intellectionem alterius rationis requiritur tãta perfectio, vel maior: ergo habens hanc, & illam, eſt perfectius, quám habens illam tantum. Et ita habẽs infinitas tales, vt totalis cauſa, eſt infinitũ in perfectione. Similiter non videretur quomodo aliqua tota ſcientia continetur virtualiter in obiecto, ſi ſola anima intellectiua habere tcauſalitatẽ, reſpectu actus, & habitus. Ex iſtis ſoluitur quæſtio ſic: ſi ergo nec anima ſola, nec obiectum ſolũ ſit cauſa totalis intellectionis actualis: & iſta ſola vidẽtur requiri ad intellectionem, ſequitur q̃ iſta duo

H.

A

Concluſio.

duo sunt vna causa integra respectu notitiæ genitæ. Et ista est sententia Diui Augustini nono de Trinitate capite vltimo, sicut allegatum fuit arguendo contra primam opinionem *in primo articulo, & hic* §. *sed contra*, liquidum tenendum est, &c.

Ad argumenta principalia.

I. Ad primum dico, quod argumentum Philosophi secundo de anima benè concludit, quod sensus non est causa totalis respectu sensationis, quod concedo: & ita argutum est supra *articulo decimo*, contra primam opinionem, quod anima non est causa totalis actiua ad intellectionem, & hoc concedo: sed non concludit, quin sit partialis causa: sed non sequitur ex hoc, quod semper sit in actu, nisi quando reliqua causa partialis concurrit.

K. Ad secundum, non tractando illam difficultatem, vtrum actiuitas illa competat intellectui agenti, vel possibili? dico, quod intellectus possibilis, secundum quod Philosophus loquitur de eo, est illud, quo formaliter sumus intelligentes, & eo modo præcisè est, quo est omnia fieri, quia vt dicebatur prius, sumus eo formaliter intelligentes in quantum recipit, non in quantum agit, licèt agat: quia hoc accidit sibi, in quantum est, quo intelligimus.

L. Ad tertium, licèt consequentia non sit necessaria: quia sol potest esse causa multorum differentium specie, propter distinctas virtutes in ipso, quæ sufficiunt in ratione causæ effectiuæ ad distinguendum effectus: tamen ad propositum, potest concedi consequentia. Concludit enim, quod anima non est causa totalis omnium intellectionum, quod concessum est.

M. Ad quartum, *seu* primum in oppositum, concedo, quod anima, quia immaterialis est, est receptiua cuiuslibet intellectionis, ipsa etiam est actiua cuiuscunque intellectionis obiecti alterius à se, vt causa partialis: & actiua intellectionis de se, vt totalis causa: quia vt cognoscens, & vt cognita secundum Diuum Augustinum nono de Trinitate capit. vltim. Sed talem intellectionem non habemus pro statu isto, sed ex immaterialitate eius nõ sequitur, quod ipsa sit totalis causa cuiuscunque intellectionis obiecti alterius ab ipsa.

Ad quintum, *in ordine seu*, secundum, concedo conclusionem, quod cognitiones diuersarum specierum proprie, scilicet virtute ipsarum habitæ, differunt specie: quod probo: quia ad indiuidua eiusdem speciei non requiritur totalis causa diuersa specie, vel aliquid in totali causa diuersum specie ab eo, quod est in totali causa alterius indiuidui. Nunc autem ad intellectionem albi, & nigri, necessario requiruntur aliqua diuersa specie, putà albũ, & nigrum, vel aliqua includentia ipsa: ergo ista duo magis differunt, quàm indiuidua vnius speciei: ergo differunt specie. *Quod* ad indiuidua eiusdem speciei non requiritur necessaria causa alterius speciei, probatur: quia forma est principium agendi, & est formalis terminus actionis. Igitur forma vnius rationis perfecta est quo, eiusdem rationis respectu termini formalis eiusdem rationis: igitur respectu talis termini, non requiritur aliud quo. Cum arguis vltra, quod tunc omnes habitus talium differrent specie: concedo de habitibus, qui habentur virtute propria talium obiectorum: & probatur hæc conclusio, sicut præcedens per causas. Et cum dicis, quomodo tunc esset vna scientia de pluribus speciebus specialissimis? Respõ N.

deo, quod vna ſpecies ſpecialiſsima poteſt includere multas alias ſpecies virtualiter, ſiue paſsiones earum, ſiue per modum cauſæ, ſiue per aliũ ordinem eſſentialem. Et tunc habitus ille, qui eſt formaliter illius obiecti primi includentis alia, eſt virtualiter aliorum obiectorum, licèt non formaliter, & primo: eſt igitur ille habitus vnus ab vnitate primi obiecti, virtualiter continentis omnia, quæ continentur in illo: non eſt autem proprius cuicunque virtualiter contento in primo obiecto: ſed qui eſſent proprij illis, eſſent diſtincti, ſicut illa ſunt diſtincta.

O. Hic quæri poteſt, an intellectus agens ſit principium actiuum reſpectu intellectionis? & ibi tãgatur, quomodo ſe habet ad memoriam, propter quod ponitur tantùm in Deo, & patebit quid ſit perfecta memoria, ſicut Auguſtin. loquitur de ea. Reſtant tantum duo alia difficilia hic, & alibi determinanda, ſcilicet de conſeruatione ſpeciei poſt actum, contra Auicen. quæ difficultas bene poteſt tangi in vno argumento quæſtione præcedente de ſpecie, & aliud difficile de memoria propriè, dicta reſpectu præteritorum poteſt eſſe quæſtio per ſe, tàm hic, quam in quarto.

Expoſitio articuli ſeptimi, quæſtionis ſeptimæ, diſtinctionis tertiæ.

ORDINATISSIME procedit Doctor in huius quæſtionis articulis. Probauerat namque in primo, ſecundo & quarto, animam ſeu intellectũ non eſſe cauſam totalem intellectionis, ſed eſſe cauſam partialem illius: & ideò nec obiectum eſſe cauſam totalem, ſed partialem, partialiter cum intellectu concurrentem ad eius productionem; & in tertio articulo obiectum non fieri intellectui præſens per phantaſma, ſed per ſpeciem intelligibilem eius vicem gerentem docuerat: in quinto autem, notitiam non eſſe ipſam ſpeciem intelligibilem, quæ intellectum ad productionem intellectionis fœcundat, ſed eſſe effectum illius, oſtendit: in ſexto præterea intellectionis ad obiectum eſſe relationes, vt effectus ad cauſam, & repræſentantis ad repræſentatum, expreſſerat: quæ ex parte intellectus, & obiecti omnia requiſita ad productionem intellectionis præſcribunt. Modo ne exiſtimetur huiuſmodi cauſas ſeorſum ad intellectionis productionem cõcurrere: quærit, an ex illis vna totalis, & integra cauſa coaleſcat? Cuius partem negatiuam argumenta in principio articuli poſita perſuadent. Sed ipſis optimè à Doctore in fine ſolutis, ab eo in articuli corpore, ſic difficultas reſoluitur, & concluditur: *Ex iſtis ſoluitur quæſtio ſic: ſi ergo nec anima ſola, nec obiectum ſolum ſit cauſa totalis intellectionis actualis, & iſta ſola videntur requiri ad intellectionem: ſequitur, quod iſta duo ſunt vna cauſa integra, reſpectu notitiæ genitæ, & iſta eſt ſententia Auguſtini.* Litera in reliquis clara eſt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm intellectus, & obiectum ſint cauſæ eſſentialiter ordinatæ in ordine ad intellectionem?

AD octauum ſic procedit, videtur, quod intellectus, & obiectũ non ſint cauſæ eſſentialiter ſubordinatę ad intellectionem: quia arguitur contra iſtud, quod in cauſis tálibus eſſentialiter ſubordinatis neutra eſt perfectio alterius: ergo ſpecies intelligibilis A.

bilis nõ erit forma ipsius intellectus, *vel non sunt causæ essentialiter subordinatæ.*

B Secundò præterea similiter ad idem, si sit perfectio intellectus, & totum hoc sit ratio agendi: ergo vna operatio, vtpotè intellectio, non habebit vnam formalem rationẽ agendi: sed erit ab ente per accidens, quale est hoc totum, intellectus habens speciem: quod est inconueniens: quia quidquid non est per se ens, nõ per se est ratio formalis agendi.

C. Sed contra est: quia si concurrunt, vt causæ ex æquo ad intellectionem, tunc alterum haberet causalitatem talem imperfectam, & reliquum suppleret eam, etsi alterum esset perfectum, posset habere in se, vno existente, totam causalitatem amborum: sicut si virtus motiua vnius esset perfecta, suppleret virtutem alterius. Et tunc species esset quasi quidam gradus intellectualitatis supplens gradum intellectualitatis deficientem intellectui. Et tũc si fieret perfectior intellectus secundum gradum talem, posset sine specie, & sine obiecto habere actum intelligendi, quod est falsum.

D. Respondeo dicendum *sicut in articulo præcedenti*, quod ista duo sunt vna causa integra respectu notitiæ genitæ. Qualiter autem hoc sit intelligendum? distinguo de pluribus causis concurrentibus ad eundem effectum. Quædam enim ex æquo concurrunt: sicut aliqui duo trahentes aliquod idem corpus: quædam vero non ex æquo, sed habentes ordinem essentialem, & hoc dupliciter, vel sic, quod superior moueat inferiorem: ita quod inferior non agat, nisi quia mouetur á superiori, & tunc inferior habet à superiori virtutem illam, qua mouet: quandoq; non: sed formam ab alio, & à causa superiori solã motionem virtualem ad producendũ effectum. Quandoque autem superior non mouet inferiorem, nec dat ei virtutem qua mouet: sed superior de se habet virtutem perfectiorem agendi: nec tamen recipit virtutem istam imperfectiorẽ à superiori, quæ est perfectioris virtutis. Exemplum primi membri huius secundæ diuisionis, de potentia motiua, quæ est in manu, & baculo, & pila. Exemplum secundi membri, si mater ponatur virtutem actiuam habere in generatione prolis: illa & potentia actiua patris concurrunt, vt duę causæ partiales ordinatæ quidem: quia altera est perfectior reliqua, non tamen imperfectior recipit suam causalitatem à causa perfectiori: nec tota illa causalitas est eminenter in causa perfectiori: sed aliquid addit causa imperfectior, in tantum quod effectus non solùm non potest esse perfectior à causa perfectiori, plusquam ab imperfectiori: imò non potest plus esse a perfectiori tantùm, quàm ab imperfectiori tantùm.

Ad propositum, obiectum intelligibile præsens in se, vel in specie intelligibili, & pars intellectiua, non concurrunt, vt causæ ex æquo ad intellectionem, *propter rationem positam §. sed contra*. Concurrunt ergo ista duo vt habentia ordinem essentialẽ non tamen primo modo: quia nec intellectus dat obiecto, vel speciei rationem suæ causalitatis, non enim obiectum natum est in se, vel in specie sui, facere intellectionem, per aliquid, quod recipit ab intellectu, sed ex natura sua: nec intellectus recipit suam causalitatem ab obiecto, vel specie obiecti, sicut probatũ est contra quintam, & sextam opinionem, in ista quæstione *articulo 4. & 5.* Sunt igitur ea causæ essẽtialiter ordinatæ vltimo modo, scilicet quod vna est simpliciter perfectior altera: ita tamen quod vtraq; in sua partiali causali-

E. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio.

salitate est perfecta, non dependen ab alia.

F. Ad primum argumentum respon deo, *quod* accidit speciei, in quantum est causa partialis respectu actus intelligendi cum intellectu vt cum alia causa partiali, quod ipsa perficiat intellectum: quia etsi perficiat eum, non dat tamen intellectui aliquam actualitatem pertinentem ad causalitatem intellectus. Exemplum, potentia motiua in manu potest vti cultello, in quantum acutum est, ad diuidendum aliquod corpus. Ista acuties, si esset in manu, vt in subiecto, posset manus vti ea ad eandem operationem, & tamen accideret manui in quantum in ea est potentia motiua, quod in ea acuties esset, & è conuerso: quia acuties nullam perfectionem daret manui pertinentem ad potentiam motiuã. Quod apparet: quia æquè perfecta est potentia motiua, sine tali acutie: & ita eodem modo vtitur ea, quando est in alio coniuncto manui, vt cultello, sicut vteretur ea, si esset in manu. Ita in proposito, si species posset esse inexistens intellectui absque inhærẽtia per modum formæ: si isto modo inexistens esset sufficienter cõiuncta intellectui, possent ipsæ duæ causæ partiales, intellectus, & species coniunctæ sibi inuicem in eandem operationem, in quã modo possunt, quando species informat intellectum, qui est altera causa partialis. Sed istæ duæ causæ partiales approximatæ absque informatione alterius ab altera per solam approximationem debitam causant vnum effectum communem.

G. Ad secundum per idem: quia in vnoquoque ordine causæ oportet ponere respectu vnius effectus vnam per se causam, & vnam per se rationem causandi. Ita intellectus in suo ordine causalitatis est vnus, & habet vnam formalem rationem causandi, & species, vel obiectum in suo ordine causandi, est vna causa, & habet vnam rationem causandi: sed non oportet talem causam, prout cõplectitur omnes causas partiales, habere vnam rationem causandi, nisi vnitatẽ ordinis: quia si cum vnitate ordinis concurrat vnitas per accidens, hoc accidit, sed vnitas ordinis est per se. Exemplum, sol in suo ordine causandi habet vnam rationem causandi respectu prolis. & pater in suo ordine causandi est vna causa vnius rationis: sed causa totalis, quæ complectitur patrem, & solem, non habet aliquam vnam rationem formalem causandi, sicut non est vna causa, nisi vnitate ordinis: etsi contingat causas sic ordinatas, præter vnitatem ordinis habere vnitatem per accidens, in quantum, scilicet vna accidit alteri: hoc non conuenit eis per se, in quantum causæ sic ordinatæ. Hoc secundum si ponitur, non sine causa ponitur, forte impossibile est accidens, quod est principium immanentis, & non transeuntis esse sufficienter cõiunctũ passo, nisi sit in illo subiectiue, qualiter dicitur accidens.

Nonne essentia diuina in intellectu beati est principium intuitionis, quę nõ immanet illi essentiæ, nec alicui, cuius ipsa sit forma? Sicut charitas in patria est principium intuitionis sui, tamen non est in intellectu intuente: igitur intellectio est actio immanens, accipiendo actionem pro operatione. Contra, sic non est aliqua actio immanens, & aliqua transiens. Respõdeo, tũc est diuisio vocis in significata: aliter actio de genere actionis immanet alteri causæ, scilicet intellectui, & respectu eius est immanens, non autem respectu reliquæ, scilicet obiecti. H.

Exposi-

Expoſitio octaui articuli, quæſtionis ſeptimæ, diſtinctionis tertiæ.

1 IAM vtriuſque cauſæ partialis, ex quibus ad productionem intellectionis, vna integra coaleſcit, ſubordinationem eſſentialē in operando Doctor inueſtigat, & oſtendit. Ad quod, præclaram cauſarum ſimul ad idem concurrentium, diuiſionem enucleat. Qua poſita, de iſtis duabus cauſis partialibus, ſcilicet intellectu, & voluntate, ſic articuli difficultatem cōcludit: *Concurrunt ergo iſta duo vt habentia ordinem eſſentialem, non tamen primo modo, &c.* Hoc eſt nō ſic vna mouet alteram, quod hæc altera non agat, niſi quia mouetur ab illa, quaſi habens ab ea virtutem operandi: *Quia nec intellectus dat obiecto, vel ſpeciei rationem ſuæ cauſalitatis: nec intellectus recipit ſuam cauſalitatem ab obiecto, vel ſpecie obiecti.* Nam licèt obiectum moueat intellectum ad productionem notitiæ: non mouet illum, vt cauſa aliqua ſuperior tribuens ei per talem motionem, virtutem actiuam; ſicut cauſa prima mouet ſecundam: ſed mouet ad cognitionem obiecti, ſuam ipſius cauſalitatem obiectiuam exercendo, nullam tamen actiuitatem intellectui tribuendo: quia in hoc quod eſt cauſalitatem habere, inde pendenter ſe habent huiuſmodi cauſæ. Atq; ideò etiāſi obiectū vſque in infinitū intellectū moueret: non propterea ei aliquid actiuitatis tribueret. Vnde etiāſi diuina eſſentia per ſe immediatè intellectum creatum moueret: non poſſet cauſare totaliter notitiam ſui in intellectu, vt ſic mouens per modum obiecti intellectui actiuitatem tribueret. Sed neceſſariò intellectus, vt cauſa partialis, ſecundum propriam actiuitatem concurreret in ratione potentiæ.

Obiectum nullā actiuitatem tribuit intellectui.

2 Sed contra, quoniam ex ſupra dictis in difficultate 26. habetur, quod poteſt Deus ſe ſolo cauſare in intellectu creato viſionem beatam, & quamlibet aliam cognitionem: igitur poteſt obiectum ſine actiuitate, aut cauſalitate intellectus notitiam in intellectu creato cauſare: ergo non indiget diuina eſſentia actiuitate intellectus creati, vt in eo cognitionem ſui producat.

Reſpondeo, Deum, mediante ſua voluntate dupliciter eſſe cauſam cognitionis ſuæ eſſentiæ, vel quidem primo per modum obiecti, vel ſecundò per modū cauſæ efficientis. Primo modo concurrit mouendo voluntatem motione obiectiua, ſecundum eam cauſalitatem, qua obiectum cauſat notitiam ſui: & hoc modo de facto concurrit Deus ad viſionem beatam. Secundo verò modo concurrit, vt prima cauſa efficiens præbendo intellectui actiuitatem, & concurrēdo cum illo ad efficientiam viſionis. Dico modo, quod ſi diuina voluntas ſe ſola totam viſionem produceret, ſine actiuitate intellectus creati: tunc produceret illam in genere cauſæ efficientis, efficiēdo ſe ſola effectū, quem productura erat cum cauſa ſecunda. At qui in caſu præſentis difficultatis, non produceret per modum cauſæ efficientis, ſed tāquam obiectum: quia habendo ſe per modum obiecti ſortitur munus alterius cauſæ condiſtinctæ à cauſa efficiente, quatenus cauſa efficiens ſe tenet ex parte potentiæ. Et ideò producendo viſionem per modū obiecti, neceſſario præexigit intellectum, cui obijciatur, & qui ex tali obiectione ſimul cum ipſo obiecto effectiuè ad productionem notitiæ concurrat. Non igitur officit Deum poſſe ſe ſolo notitiam ſui producere, d hoc quod quatenus per modum obiecti concurrit, non indegeat intellectu: & huiuſmodi cauſæ partiales nō ſubordinentur ad inuicem.

3 *Deus ad viſionem beatam concurrit obiectiue, & etiā vt cauſa prima.*

Verum ſi arguatur, quod ſpecies gerens vicem obiecti, eſt perfectio intellectus, quatenus ipſum informat, & ipſum perficit tanquam forma realis in ſe recepta. Optimè reſpondet Doctor, quod ſpeciei in ratione cauſæ notitiæ, accidit hoc, quod eſt inhærere intellectui. Et ibi ad hoc propoſitum ponit exemplum: ſed facilius exemplum eſt, quod deſumitur ex viſione beata, vbi ſecundum probabilem ſententiam eſſentia ipſa diuina vnitur intellectui immediatè in ratione obiecti, ſine aliqua inhærentia ſpeciei, in qua repræſentetur: & vt ſic cum intellectu producit viſionē beatam: ergò ſine tali inhærētia, poteſt obie-

4 *Speciei, vt eſt cauſa notitiæ, accidit inhærere.*

obiectum ad productionem visionis cõ currere. Accidit ergo speciei (inquit Doctor) in ratione causæ partialis notitiæ, intellectum perficere & informare. Et sic manet, quod licèt subordinentur adinuicem obiectum & intellectus, independenter se nihilominus adinuicem habẽt, in hoc quod est causare, seu propriam actiuitatem habere.

Resoluit ergo Doctor difficultatem articuli his verbis, *sunt igitur causæ essentialiter ordinatæ* (nota quod non dixit sub ordinatæ, quia neutra in causando alteri subest: sed ordinatæ, quia vtraque essentialiter simul, ad eundem communem effectum ordinatè concurrit) *vltimo modo scilicet, quod vna est simpliciter perfectior altera* (quæ autem sit perfector ex illis, in quæstione sequenti patebit) *ita tamen, quod vtraque in sua partiali causalitate est perfecta non dependens ab alia.*

Obiectum, & potentia sunt causæ ordinatæ in causando, non tamen subordinatæ.

5

QVAESTIO VIII.

De comparatione causarum notitiæ inter se.

VARRO de comparatione istarum duarum causarum partialium, quæ causant notitiam genitã. circa quod quæritur vnum scilicet.

¶ Vtrùm principalior causa notitiæ genitæ sit obiectum in se, vel in specie præsens, vel ipsa pars intellectiua animæ?

ARTICVLVS.

Vtrùm principalior causa notitiæ genitæ sit obiectum in se, vel in specie præsens, vel ipsa pars intellectiua animæ?

A. AD hunc articulum sic proceditur, videtur ꝙ principalior causa notitiæ genitæ sit obiectũ in se, vel in specie præsens: quia illud est principalius mouens, quod mouet non motum, quã quod mouet motum: sicut apparet in omnibus causis essentialiter ordinatis. Obiectum autem mouet non motum, sicut habetur à Philosopho 3. de anima: intellectus autem nõ mouet, nisi motus: ergo, &c. *3. de anima text. co. 54.*

B. Secundò præterea: agens assimilat sibi effectum, quantum potest: ergo illud est principalius agens, quod magis assimilat, vel cui magis assimilatur effectus: actus autem magis assimilatur obiecto, quàm intellectui: ergo, &c.

Tertiò præterea: *seu potius confirmatur præcedens argumentum*: nam cũ agens intẽdat assimilare sibi passum, quomodo principale agens nõn magis assimilat sibi formaliter?

C. Quartò præterea: vnitas scientiæ assignatur pœnes vnitatem obiecti virtualiter continentis eam: non autem attribuitur intellectui talis continentia virtualis respectu habitus: continere autem virtualiter conuenit causæ actiuæ: ergo principalior causa illius habitus erit obiectum, quàm intellectus: & si causa habitus: igitur, & actus.

D. Sed contra est, nam ad oppositum arguitur sic, quanto aliquid est actualius, tanto formalius, & perfectius, tanto & actiuius: ergo anima, quæ est forma actualior multis alijs causis concurrentibus erit actiuior: &

ita

ita quando concurrit cum eis in agẽdo, erit principalius agens: sed in intellectione concurrit cum obiecto tanquam causa partialis: igitur in intellectione erit causa principalior quàm obiectum. Item, enti secũdum quid non conuenit actus simpliciter, sed quando habet esse tale secundum quid, per aliud simpliciter ens, tunc principalius conuenit illi enti simpliciter, si illud aliquo modo sit actiuũ respectu eiusdem. Obiectum autem à nobis modo naturaliter intellectum, habet esse secundum quid tantum in intellectu nostro propter esse simpliciter ipsius partis intellectiuæ: quia obiectum in ea est sicut cognitum in cognoscente: ergo illius actionis, ad quam ista duo concurrunt, non erit obiectum, habens tale esse, principalis causa, sed pars intellectiua propter quam obiectum habet tale esse.

F *Prima conclusio.* Respondeo dicendum, quod pars intellectiua habet principaliorẽ causalitatem respectu cognitionum, modo nobis naturaliter conuenientiũ. Probo primo: quia quãdo causarum ordinatarum, altera est indeterminata ad multos effectus, & quasi illimitata: altera autẽ quasi secũdũ vltimũ virtutis suæ determinata ad certũ effectum: illa, quæ est illimitatior, & vniuersalior, videtur esse principalior, & perfectior. Exemplum de sole, & de particularibus generãtibus: intellectus autem habet virtutem, quasi illimitatam, & indeterminatã respectu omnium intellectionum: obiecta autem à nobis naturaliter cognita, habent virtutem determinatam respectu determinatarum intellectionum, quæ sunt ab ipsis, & hoc secundum vltimum suæ virtutis, sicut quodlibet ad intellectionem sui: ergo intellectus est causa vniuersalior, & principalior intellectionis, quàm obiectum pro statu isto.

Secũdo, quia illa est principalior causa, qua agente, alia coagit, & non è conuerso: intellectu autem nostro agente ad intellectionem, obiectum in se, vel in sua specie coagit, est enim in potestate nostra intelligere: quia intelligimus cum volumus, secundo de anima: hoc autem non est propter speciem principaliter, quæ est forma naturalis, sed propter intellectum, quo vti possumus, cum volumus: principalem autem actionem intellectus sequitur actio speciei, quę nata est esse semper vniformis ex parte speciei. Tamen aliquod obiectum excedens multùm facultatem partis intellectiuæ, putà obiectum beatificum, vt clarè visum, posset poni habere totalem causalitatem respectu visionis, aut principaliorem, quam pars intellectiua: & hoc propter excellentiam talis obiecti, & propter defectum partis intellectiuæ: sed de hoc, in quarto lib. De obiectis autẽ, quę modo naturaliter cognoscimus, prima pars solutionis videtur esse vera: videtur enim intelligibilium naturaliter à nobis intellectorum species in intellectu esse, quasi instrumẽtum ipsius intellectus, nõ motum ab intellectu, vt agat, quasi, scilicet aliquid recipiat ab intellectu, sed quo intellectus vtitur ad suam actionem, vt putà quando intellectus agit, species illa tanquam minus principale agens coagit ad idem, vt ad effectum communem. Contra, ita possumus vti specie, saltem post primum actũ, sed non ante, sic nec intellectu in primo, nisi sicut fortius phantasma mouet. Dico, quod non ita immediatè etiam intellectus est magis indeterminatus, vt ostendit prima ratio. Vnde probatur, quod magis sit in potestate voluntatis vti intellectu, quàm specie intelligibili: vtrumque enim ex se est naturale agens. Et quare nõ vtrumque liberum per participatio-

G.

2. de anima tex. co. 55. & 60.

Secunda cõclusio.

In 4. dist. 59 & inde & quodlib. quæst. 14. 15. & 16.

Tertia conclusio.

nem?

nem? Respondeo, nihil est participatione primo liberum, nisi quod est in eadem essentia cum voluntate. Contra, potentiæ organicæ, & organa, & extrinseca, etiam sunt participatione liberę. Similiter in potestate nostra non est aliquis actus vegetatiuæ. Hoc medium obscurum est: quia dubium est, quæ in nobis subsunt voluntati, & quæ non?

H.

Ad primum argumentum dico, quod duplex est actus intellectº respectu obiectorum, quæ non sunt præsentia in se, qualia sunt illa, quæ modo naturaliter intelligimus. Primus actus est species, qua obiectú est præsens, vt obiectum actum intelligibile. Secundus actus est ipsa intellectio actualis: & ad vtrunque agit intellectus non motus ab eo, quod est causa partialis secum concurrens ad illã motionem, licet vnum actum intellectus præcedat motio eius ad alium actum. Ad primum autem actũ agit intellectus agens cum phantasmate: & ibi intellectus agens est principalior causa, quàm phantasma: & ambo integrant vnam totalem causam respectu speciei intelligibilis. Ad secundum autem actum, agit pars intellectiua, siue intellectus agens, siue possibilis (non curo modo) & species intelligibilis, sicut duæ partiales causæ: & ibi agit pars intellectiua, non mota à specie, sed prius mouẽs, scilicet agens, vt species sibi coagat. Cum igitur dicitur, obiectum mouet non motum: dico, quod in vtraque motione obiectum est mouens secundarium, licèt non sit motum, id est, aliquid recipiens in se à principali, siue priori mouente. Cum dicis, quod intellectus non mouet, nisi motus: dico, quod non mouet secunda motione, nisi motus priori motione. Hæc igitur est comparatio duarum motionum intellectus, non autem duarum causarum partialium concurrentium in vna motione. Si autem compares causas partiales in vtraq; motione: dico, quod intellectus vtrobique mouet nõ motus à causa partiali cõcurrente in eadem motione.

Ad secundum argumentum dico, quod effectus formalis magis assimilatur causæ proximæ inferiori, quam remotæ, & principali, & perfectiori: sicut apparet de filio respectu patris, & solis. Vnde illud argumentum est ad oppositum: quia probat, q̃ actus intelligendi sit ab obiecto, vt â causa proxima: quia magis sibi assimilatur formaliter. Ita etiam species intelligibilis magis formaliter assimilatur phantasmati, quàm intellectui agenti: & tamen minus principaliter est à phantasmate, quàm ab intellectu agente. I.

Ad tertiũ respondeo, quod principalius agens communiter est æquiuocum, & eminẽtius habet in se perfectionem effectus, quàm causa vniuoca: & ideò non magis assimilatur sibi formaliter: quia hoc esset imperfectionis in causa, sic assimilari effectui: sed assimilat magis: hoc est, dat magis formam effectui, per quàm sibi assimilatur æquiuocè, quàm det agens particulare: & ista assimilatio actiua est ex perfectione causæ, licèt non sit magis assimilatio formaliter: similiter causa perfectior magis assimilat effectum ei, cui est assimilabilis, quàm imperfectior: magis enim causat effectum, qualis est causabilis, & assimilabilis: assimilabilis autem est effectus formaliter causæ propinquæ: ideò ipsa causa remotior magis assimilat effectiuè ipsum effectum causæ proximæ, quàm ipsamet causa proxima sibi. Quia enim formaliter filius est similis patri, hoc magis est à causa remota assimilante filium patri effectiuè, quàm ab ista causa propinqua: K.

quia

quia quæ plus dat formam, qua assimilatur, plus dat effectiuè assimilationem.

L. Ad quartum dico, quod vnitas scientiæ assignatur pœnes obiectum: quia illud est, pœnes quod scientiæ distinguuntur, non pœnes intellectum: quia intellectus vnus est, respectu omnium scientiarum. Et hoc modo distinguendo scientias, illa est vna, quæ est vnius subiecti primi, quatenus obiectum primum habet continere scientiam illam virtualiter: sed hoc non est, nisi vt causa partialis: præter enim hoc intellectus est alia causa partialis cõtinens illam: non est igitur aliud reducere scientiam ad obiectum primum, quàm in altera causa partiali habente in suo genere ordinem essentialem, reducere ad primum ibi simpliciter, & ab ipso assignare vnitatem effectus, in quantum effectus est ab eo, sed cum hoc stat, quod multo perfectius contineatur in reliqua causa partiali.

Expositio articuli vnici, quæstionis octauæ, distinctionis tertiæ.

1 LATE disputauerat Doctor in duabus præcedentibus quæstionibus, de memoria, & causis omnibus ad notitiã requisitis, & in 8. articul. 7. quæstionis, concludens intellectum, aut partem animæ intellectiuæ, & obiectũ seu speciem repræsentãtem illud, esse causas partiales notitiæ ad inuicem independentes, quoad actiuam causalitatẽ earum, vnam nihilominus esse alteram principaliorem: modo in hoc vnico huius quæstionis articulo, quæ illarum sit principialior? querit. Quam difficultatẽ sub distinctione resoluit: ait enim, *Loquimur de obiectis, quæ nunc cognoscimus naturaliter, aut de obiecto multum excedente facultatem potentiæ intellectus*, vt potè essentia diuina, quæ est obiectum beatificũ, quod obiectũ non naturaliter sed supernaturaliter nostro intellectui obijcitur: vel tertiò aliud est obiectum medium inter ista, quod quidem pro hoc statu naturaliter non potest intelligi: sed non ita excedit intellectiuam facultatem hominis sicuti diuina essentia; hæc enim infinitè, illud vero finite excedunt naturalem hominis vim intellectiuã, sic est Angelus, aut Angeli essentia est obiectum intellectus nostri. Hac igitur distinctione suppositã de obiecto duobus prioribus modis accepto resoluit Doctor difficultatẽ: non tamen expresse de tertio, nisi illud sub obiecto priori modo includat; sed quid de illo dicendum sit, infra patebit.

Causa principalior in causãda notitia, quæ sit.

Loquendo ergo de obiectis sub prima consideratione, sic cõcludit Doctor: *Dicendum, quod pars intellectiua habet principaliorem causalitatem, respectu cognitorum nobis naturaliter conuenientium.* Hanc cõclusionem probat duplici ratione quæ clarè habetur in textu: quarum prima efficacior est, videlicet de illimitatione intellectus. Loquendo vero de obiecto in secũda consideratione incidẽter difficultatem concludit, remittendo se in eius probatione ad quartum librum vbi illam resoluit in distinctione 49. & in quodlib. quæst. 13. 14. & 15. hic autem sic illam concludit. *Tamen aliquod obiectum excedens multum facultatem partis intellectiuæ puta obiectum beatificum, vt clare visum, posset poni habere totalem causalitatẽ respectu visionis, aut principaliorẽ, quàm pars intellectiua.* Quæ verba intelligenda sunt sub hac diuisione, nempè aut Deus producit totam visionẽ se solo (quod posse iam ostensum est supra in difficultate 26. & alibi sæpe) aut concurrit partialiter cum intellectu ad productionem visionis. Si primo modo illam causet: tunc vt vidimus in cõmentarijs ad 8. art. quæstio. 7. huius distinctionis numero 3. non concurrit essentia seu voluntas, vt obiectũ sed vt prima causa efficiens, quæ se sola potest facere, quidquid facit cũ causa secunda, vtpotè cum intellectu: Et tũc non est principalior intellectu: si quidem intellectus pro tunc nihil causaret: comparatio autem maioris, vel minoris principalitatis, fit inter causas respectu causalitatis quam habent. Fit igitur comparatio inter intellectum, & obiectum

2.

beã-

beatificum, quatenus per modum obiecti partialiter cum intellectu concurrit ad productionem viſionis beatæ. Et tũc propter infinitam obiecti excellẽtiam, inquit Doctor, eſſe principaliorem cauſam, quàm intellectum.

3 At qui circa obiectum tertio modo conſideratum, mouet difficultatem Lychetus de Angelis: de quibus ait in hac quæſtione, quod ſi principalitas cauſalitatis accipitur à perfectiori ratione cauſandi: eſſentia Angeli in ratione obiecti erit principalior cauſa: ſi vero principalitas attendatur ratione maioris illimitationis, vel vniuerſalitatis intellectus erit cauſa principalior. Verum enim vero hæc Lycheti ſolutio quo ad vtranque partem mihi non probatur. Quo ad primam enim patet per ſecũdam rationem textualem, quod illa eſt principalior cauſa, qua agente, alia coagit, & non è conuerſo: eſt autem in poteſtate intellectus agere: quia intelligimus cũ volumus, iuxta illud 2. de anima: & hoc etiam valet in Angeli cognitione, poſita ſemel ſpecie illius: ad libitum enim tunc poteſt intellectus obiectum in illa repræſentatum intelligere. Non ergo ſumitur maior cauſandi perfectio à maiori perfectione entitatis, quam habet Angelus, longe præſtãtiorem, quàm intellectus: ſed à perfectiori modo cauſandi. Intellectus autem quaſi vtitur ſpecie veluti inſtrumento, vt Doctor ait in corpore huius articuli: & non minus vtitur ſpecie Angeli ſemel habita: quã vtitur ſpecie cuiuſcunque alterius obiecti naturaliter cogniti, aut cognoſcibilis. Quoad ſecũdam vero partem ſolutionis Lycheti patet etiam eius improbatio: quia ſi excellẽtia obiecti non ſufficeret, vt eſſet perfectior eius cauſalitas ex parte Angeli, quàm cauſalitas intellectus ſolùm ob illimitationem extẽſiuam ipſius: ſequitur manifeſtè ex inde etiam præſtantiorem eſſe cauſalitatem intellectus creati, cauſalitate obiecti beatifici, ſicuti eſt perfectior cauſalitate obiecti Angelici. Nam intellectus eſt illimitatior illo, quatenus ad plura obiecta ſe poteſt extendere: hoc autem illimitatius nõ minus ſe habet reſpectu Dei, quàm reſpectu Angeli, vt patet: ergo diceretur tunc propter hanc rationem, quod cauſalitas intellectus creati non ſolũ eſt perfectior, cauſalitate obiecti Angelici, ſed etiam obiecti beatifici: quod textui contradicit.

Impugnatur Lycheti.

Maior perfectio in cauſando ſumitur à perfectiori modo cauſandi.

4 Quam ob rem neutra ex duabus partibus ſolutionis Lycheti mihi probatur: ſed idem de Angelo dicendum cẽſeo, quod de alijs obiectis creatis, & quod tantummodo obiectum beatificũ propter ſuam infinitam excellentiam, longe perfectius, quàm intellectus creatus, cauſat viſionẽ beatã. Quod Doctor non admittit de quacunque cognitione Dei: nam licèt viator poſſit Deum perſpicaciter contẽplari diuino fauore eleuatus: non ob id obiectum contemplationis huiuſmodi, perfectius cõtemplationem cauſabit, quàm intellectus. At verò reſpectu viſionis beatæ, quæ perfectius obiecto beatifico tribuitur, quàm intellectui, ob ſui excellentiam, perfectior erit cauſalitas obiecti, quàm intellectus.

Eſſentia diuina, vt obiectum, perfectius cauſat viſionẽ beatã, quã intellectus creatus.

5 Verum contra prædicta circa obiectũ beatificum nõ minima ſe offert difficultas: nam etſi obiectum habeat rationem veræ cauſæ effectricis, cauſat, nihilominus obijciendo ſe potẽtiæ intellectiuæ: & hoc ſe obijcere, eſt ſuum efficere: nõ enim aliud genus cauſalitatis effectiuæ poteſt habere in ratione obiecti, quantumuis obiectum beatificum ſit: intellectus vero tali obiecto vnitus per verum realem influxũ producit viſionẽ. Adde, quod intellectus ad productionem talis viſionis ſupponitur informatus lumine gloriæ, quod habet ſe ex parte potẽtiæ, non vero ex parte obiecti. Cum ergo effectus non excedat cauſam, nec cauſalitatem habentem ſe ex parte potentiæ, ſi quidem non minus ſupernaturalis eſt intellectus cum lumine, quàm viſio, nõ videtur concedendum, quod reſpectu viſionis ſit obiectum perfectior cauſa, quàm intellectus: ſi quidem vtraq; cauſa ſupernaturalis eſt, & intellectus præſtat in ſuper realem influxum, quẽ obiectum non ſic præſtat, nec infinitè cauſat, licèt ſit infinitum.

6. Profecto hæc difficultas vrgeret, ſi Doctor compararet in textu cauſalitatem obiecti, ad cauſalitatem intellectus, lumine gloriæ informati: quia tamẽ ibi de intellectu præciſe loquitur: non aliquid contra eius concluſionem cõcludit. Adde, quod etiam ſi de intellectu lumine

mine gloriæ informato loqueretur, possumus dupliciter concipere visionem beatam, primo secundum esse absolutũ, quod habet: sic est qualitas quædam supernaturalis ab intellectu supernaturali, per lumen productа. Secundo vero modo pœnes respectum, quem dicit ad obiectum, nempe ad diuinam essentiã, quã repræsentat. Dico ergo, quod loquẽdo de prima cõsideratione, intellectus, & obiectum, æquè perfectè causant visionem beatam: quia vtraque causa supernaturaliter causat. Loquendo verò de secunda, longè excellentius causat obiectum: si quidem vniuocè causat visionem obiecti excellentissimi, & infinite boni, in quã tanquam in proprio verbo, resplendet ipsum obiectum: intellectus vero æquiuocè illam causat. Quod vero influatur de differentia realis influxus, ostenditur alibi, quomodo causet obiectum.

QVAESTIO IX.

De imagine Trinitatis.

MLTIMO circa istã partem distinctionis, quæro de imagine Trinitatis in mente: hîc primo videndum est, quid sit ratio imaginis in corporalibus? vnde translatum est vocabulum ad propositum. Secundo, respectu cuius in Trinitate sit imago? Tertio, in quo in nobis est imago? Circa quam quæst. quæruntur sex.

¶ Primò. Vtrùm ratio imaginis requirat, q̃ imago nata sit imitari illud, cuius est imago, & respectu cuiꝰ in Trinitate sit imago?

¶ Secũdò. Vtrùm in mentè sit distinctè imago Trinitatis?

¶ Tertiò. Vtrùm solum in actibus primis, vel in secundis animæ, reperiatur imago Trinitatis?

¶ Quartò. Vtrùm ex conclusione præcedentis articuli, inferatur quaternitas in imagine?

¶ Quintò. Vtrùm in hoc quod est, tertiam personam originari a prima & secunda, sit similitudo imaginis in nobis?

¶ Sexto. Vtrùm in parte sensitiua sit imago Trinitatis?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ratio imaginis requirat, quod imago nata sit immitari illud, cuius est imago, & respectu, cuius in Trinitate sit imago?

AD primum sic proceditur, videtur, quod ratio imaginis in corporalibus non requirat, quod imago nata sit immitari illud cuius est imago, *& hoc sine argumento.* A.

Sed contra est: quia secundũ Augustin. 83. Quæstionum q. 74. quantumcunque duo ova sint similia, vnũ nõ est imago alterius: quia non est natũ immitari ipsum: ergo, &c. B.

Respondeo dicendum, quantũ ad primum, sicut dictum est in quæst. de vestigio, & dico, quod imago est repræsentatiuum totius: & in hoc differt à vestigio, quod est repræsentatiuum partis. Si enim totũ corpus esset impressum pulueri, sicut pes est impressus, illud derelictum esset imago totius, sicut istud est imago partis & vestigium totius. Sed ista conformitas expressiua totius non sufficit, sed requiritur immitatio, *vt patet ex Aug. §. sed contra*: & ideò requiritur, quod imago nata sit immitari ipsum, cuius est imago, & exprimere illud. C.

De

De secundo sciendũ, quod cũ conceptus vnius personæ in intellectu nostro sit partialis, respectu conceptus Trinitatis, illa creatura, quæ ducet nos in cognitionẽ Trinitatis per modum imaginis, repræsentabit Trinitatem, quantum ad illum conceptum, quem intellectus noster potest habere de ea. Repræsentabit igitur distinctionem trium personarum, vnitatem essentiæ, & ordinem originis: quia illa distinctio realis in diuinis est per originem, habebit etiam imitationem essentialem ad ipsam Trinitatem, quam repræsentat.

Expositio primi articuli, quæstionis nonæ, distinctionis tertiæ.

1 ETSI aliqualiter habeatur huius literæ expositio ex art. 1. quæst. 5. huius distinctionis: vbi hæc eadem differentia inter vestigium, & imaginem ponitur, quod scilicet vestigium est partis repræsentatiuum, imago verò est repræsentatiuum totius: nunc attamen aliquid additur vltra hoc, quod est esse repræsentatiuum totius, ad rationẽ imaginis prærequiri. Nam requiritur imitatio, ita quod imago nata sit imitari exemplar cuius est imago, & illud exprimere, vt Doctor docet in textu. Sumitur ergo ratio imaginis per similitudinẽ ad imaginem corporis: nam imago corporis dicitur esse repræsentatiua totius immediatè sicut totum, si totum corpus esset expressum puluere, illud repræsentatiuum derelictum in puluere, dicere tur imago illius corporis: quia totũ distinctè repræsentaret: atque ideò imago in corporibus est similitudo totius illius corporis, quod repræsentat.

Vestigium, & imago differunt in ratione repræsentandi.

2 Quia tamen cõtingere posset aliqua corpora adinuicem esse similia, absque eo, quod vnum sit imago alterius, vt patet in exemplo textuali de duobus ouis, quæ maximè assimilantur adinuicem: protinus additur prædicta conditio de imitatione: quia nõ valet hoc ouum est simile illi; ergo est imago illius, nec omne simile alteri est eius imago: quia tũc ipsum imaginatum esset etiam imago suæ imaginis: & sic inter imaginem, & imaginem esset circulus. Hoc præclare etiam posuit Diuus Thomas 1. p. quæst. 93. art. 9. in corpore dicens, quod similitudo pertinet ad naturam, in qua identificantur, quodammodo assimilata: imago vero pertinet ad formam, quæ exprimitur ad repræsentandum suum exemplar: illa igitur conditio, quod scilicet imago imitetur imaginatũ, est ratio cõstitutiua, & distinctiua imaginis. *D. Thom.*

Hæc autem imitatio in hoc consistit, quod dicit dependentiam essentialem imaginis ad imaginatum, & non è contra: quæ dependentia essentialis, est relatio mensurati ad mensuram. Quibus de imagine corporis statutis, transit Doctor ad rationem imaginis spiritualis, vtpotè Trinitatis in nobis. Et inquit nõ sufficere similitudinem alicuius personæ Trinitatis ad rationẽ imaginis: quia vt visum est in q. 5. huius distinctionis in proprio art. hæc ratio potius est ratio vestigij quã imaginis. sed illa creatura per modũ imaginis nos ducet in cognitionem Trinitatis, quæ Trinitatẽ cũ distinctione personarum repręsentauerit. Hæc autẽ creatura erit illa, quæ habuerit imitationem essentialem ad ipsam Trinitatem, secundum distinctionem trium personarum, & vnitatẽ essentiæ, & originis ordinem, eo quod distinctio realis Trinitatis, nõ est nisi per originẽ. 3

ARTICVLVS II.

Vtrùm in mente sit distinctè imago Trinitatis?

AD secũdũ sic proceditur, videtur, q̃ in mente nõ sit distinctè imago Trinitatis: quia imago repræsentat illud distinctè, cuius est imago: igitur mens distincte repræsentat Trinitatem. Hoc est falsum. Probatio, tùm quia tũc naturali ratione posset concludi Trinitas A.

ex

ex mente naturaliter nota. Tùm quia nulla creatura in repræsentando excedit perfectionem suæ ideæ. Idea autem mentis non repræsentat Deũ, in quatum Trinus: quia idea est Dei, in quantum est causa, & est causa in quantum vnus.

B. Secundò præterea, nihil in mente plus repræsentat vnam personam, quàm aliam personam: ergo nec tota mens repræsentat totam Trinitatẽ. Probatio antecedentis 15. de Trinitat. ca. 7. vel 14. Pater est memoria, intelligentia, & voluntas, &c. ergo Pater ita formaliter est intelligentia, & voluntas, sicut memoria, & Filius similiter: igitur memoria nõ magis distincte repræsentat Patrem, quã Filium.

C. Tertiò præterea, in Trinitate duę personæ sunt productæ, in imagine autem nihil est productum, vt probo: ergo non est repræsentatiua productionis. Probatio assumpti, in anima non sunt, nisi actus primi, vel secundi: actus primi non sunt originati à se inuicem: quia sunt concreti ipsi animæ: nec actus secundi sunt originati. Probatio: quia actionis nõ est actio, nec vt subiecti, nec vt termini, 5. Physic. quia tunc esset processus in infinitum: istorum igitur actuum, vt terminorum, non est actio: quia sunt formaliter actiones. Probatio, sunt enim actus secundi, & non primi, sed si non essent actiones, essent actus primi.

5. Physico. tex. co. 10.

D. Quartò præterea, *seu aliter probatur idem*, ex ipsis generatur habitus: actio, qúa generatur aliqua forma est actio de genere actionis: igitur isti actus secundi sunt actiones de genere actionis.

E. Sed contra est August. 14. de Trinita. cap. 16. ibi quærenda est imago, & est inuenienda, quo etiam natura nostra nihil habet melius.

F. Respondeo dicendum, quod anima in quantum habet actum primũ totalem respectu intellectionis, scilicet anima, vel aliquid animæ, & obiectum sibi præsens in ratione intelligibilis, dicitur memoria: & hoc, memoria perfecta includendo tàm intellectum, quam illud, quo obiectum est sibi præsens. Ipsa etiam eadem anima, in quantũ recipit notitiã genitam, dicitur intelligentia: & intelligentia perfecta, vt est sub notitia genita: voluntas etiam dicitur perfecta in quãtum est sub illo actu perfecto volendi. Accipiendo igitur ista tria ex parte animæ, vt sunt sub tribus actibus suis, in istis, inquã, tribus est consubstantialitas ratione illarum trium realitatum, quæ sunt ex parte animæ: sed est distinctio, & origo ratione istarum actualitatum receptarum in anima, secũdum istas tres realitates in anima. Vlterius in speciali cum omnia ista prædicta, *& infra in articulis sequentibus dicenda*, reperiãtur in intellectu, vel in mente respectu cuiuscunque obiecti: notandum est, quod perfectissima, & vltima ratio imaginis est, quando ista concurrunt in mente respectu Dei, vt obiecti: quia tunc anima non habet tantùm similitudinem expressiuam, quãtum ad prædicta ex ratione eorum in se, sed ea etiam ratione, qua actus ipsi conformantur obiecto. Est enim actus verè similitudo obiecti, sicut dictum est in præcedenti quæstione: & ideò quando isti actus sic sunt in mẽte, quod non tantùm habent consubstantialitatem, & similitudinem, distinctionem, & originem, sed etiam habent vlteriorem assimilationem ad Deum ex ratione obiecti, circa quod sunt, est perfectior similitudo: minus autem perfecta, quando anima habet se, pro obiecto: quia licet tunc non habeatur similitudo ab ipso Deo immediatè tanquam ab ipso obiecto proximo, habetur tamen ali

De his vide in quod. lib. q. 15.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

qualiter, in quantum immanente, vt in imagine cognoscitur Deus. Et istam duplicem Trinitatem assignat August. illam, quæ est respectu Dei, 12. de Trinitat. cap. 4. dicens in eo solo, quod ad contemplationem pertinet æternorum, non solum est Trinitas, sed etiam imago Dei: in hoc autem quod deriuatum est in actione temporalium, etiamsi Trinitas possit, non tamen imago Dei inueniri potest. Hoc intelligendum est de expressiua imagine, quantum ad summam expressionem, siue similitudinem. De eadē etiam 15. de Trinitate 20. vnde potest sempiterna, atq; immutabilis natura recoli, cōspici, & cōcupisci, &c. Profecto repetit summæ Trinitatis imaginem, ad quam reminiscendam, videndam, diligendam totum debet referri, quod viuit. De alia imagine loquitur 14. de Trinitate cap. 8. & 16. Ecce (inquit) mens meminit sui, intelligit se, diligit se. Hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Ista autem secunda auctoritas videtur contradicere primæ, nisi intelligatur modo prædicto, & tunc patet quomodo respectu omnium obiectorum inferiorum à mente, non ponit imaginem in mente: quia nullum aliud obiectum est imago Dei, respectu cuius potissime: & respectu immitationis eiusdē secundario, est imago in mente quātum ad illam similitudinem, quæ habetur ab obiecto.

G. Ad primum argumentum principale concedo, quod quælibet essentia creata, in quantum essentia producta secundum talem ideam, non repræsentat Deum sub ratione trini, sed sub ratione vnius: quia non causatur, nec ideatur à Deo sub ratione trini, sed sub ratione vnius: sed tamē aliqua natura ratione essentiæ suæ, & multorū concurrentium in ea, tanquam vnum totum aggregatum, potest esse repræsentatiuum Trinitatis, & eorum, quæ apprehenduntur in Trinitate. Tale quid, est mens accepta in se, & cum operibus suis: quia ibi est vnitas, & distinctio, & ordo originis. Tale etiam quantum ad talem concursum, nihil est, quod sit inferius mente, sicut patuit in parte sensitiua. Sed cum arguitur, quod si esset imago, posset Trinitas cognosci per cognitionem mentis. Respondeo, ista concurrentia in mente valent credenti Trinitatem ad perseuerandum, & persuadendum, quomodo possit esse: non autem non credenti concludunt eam esse: quia tota ista aggregatio plurium in mente, in quibus consistit imago, posset esse, & est in vna persona: & ideò ex ipsa non potest demonstratiuè concludi ipsam esse imaginem Trinitatis. De hoc August. 15. de Trinitate cap. 4. vel 70. Quividentsuam mentē, & in ea Trinitatē istā, nec tamen credunt eam esse imaginem Dei, speculum quidem vident, sed non vident per speculum: cum nec ipsum, quod vident, sciant esse speculum. Qualiter autem valeat deductio ad ostendendum tres personas ex ratione intellectus, & voluntatis in diuinis? dictum fuit dist. 2. q. de duabus productionibus.

H. Ad secundum dico, quod illud argumentum videretur efficax, si poneretur Patrem gignere, in quantum intelligit, sicut ponit vna opinio superius improbata secunda distinct. quæstione prædicta, quæ ponit actualem notitiam Patris, habere aliquo modo rationem producentis, respectu gignitionis Filij, & rationem formalem principij productiui: sed secundum aliam viam, quam ibi tenui, quod Pater, in quantum habet essentiam sibi præsentem sub ratione actu intelligibilis, quod conue-

Henr. quod lib. 6. q. 2.

nit

nit Patri, in quantum est memoria. Hoc modo Pater gignit, non autem in quantum intelligens: sicut ibi bene fuit declaratum. Tunc falsum est antecedens: quia memoria magis repræsentat Patrem, quam Filium: non quoad hoc, quod sola memoria sit in Patre, & sola intelligentia sit in Filio. Sed quoad hoc, quod Pater gignit Filium, in quantum Pater habet rationem memoriæ: non autem, vt Pater habet rationem intelligentiæ, vel voluntatis.

I. Ad tertium dico, quod actus secundi sunt producti: cum probas per Philosophum quinto Physicorum, argumentum est pro me: cum enim actio non sit terminus actionis, & ista verè terminat actionem, sicut Augustin. dicit nono de Trinitate capite vltimo, quod notitia gignitur verè, & volitio procedit, vt dicit decimoquinto de Trinitate capite vigesimo septimo: ergo istæ non sunt actiones de generationis, sed sunt formæ absolutæ, de genere qualitatis. Cum probas, quod sunt actiones propriè: quia sunt actus secundi. Dico quod quædam formæ habent esse fixum non dependens continue à sua causa, quasi infieri, sicut calor in ligno: quædam habent, quasi continuam dependentiam ad suam causam: sicut lumen in medio ad solem, & hoc dicit Augustin. octauo super Genes. ad literam dicens, quod aër non est factus lucidus, sed fit lucidus. Primæ formæ propter suam independentiam in esse, non habent rationem actionis, nec motus. Secundæ propter continuam suam dependentiam, magis videntur habere esse infieri, quam in facto esse. Et ita habent esse: quia semper dum sunt, æquè causantur, sicut in primo instanti, quando incipiunt esse: & ideò causa cessãte cau-

8 *sup. Genes. ca. 19.*

sare, istæ formæ cessant esse: non tamen ex hoc sequitur, quod sunt actiones de genere actionis, sed oppositum: quia sunt termini talium actionum. Licet secundum veritatem non sit in eis actio, & passio: quia sunt totæ simul in esse, & non pars post partem acquiritur: actio autem propriè, non est ad aliquam formam, nisi cuius pars post partem acquiritur. Hoc secundo modo se habet intellectio: quia ipsa est in continua dependentia ad præsentiam suæ causæ: quia aliter non haberet esse: sicut patet per August. 11. de Trinit. c. 3. cum autem cogitantis acies auersa inde fuerit, nihil formæ, quę impressa erat in eadem acie remanebit: non enim manet actus intelligentiæ absque tali prę sentia causæ, quasi continue influentis. Sed istud solum, nõ concludit ipsam esse actum secundum: ita enim poneretur lumen in medio, esse actus secundus: & ideò (cum ista) est alia conditio vlterior, videlicet q̃ istæ formæ de ratione sui, transeãt in aliquid, vt in terminum: & hoc siue illud aliud sit intra operans, siue extra? non curo, non est enim intelligibile, quod sit intellectio, & volitio, & non sit alicuius termini: hoc autẽ conuenit actioni propriè dictæ, vt transeat in aliquid, vt in terminum. Propter igitur istas duas conditiones concurrentes in istis formis, dicuntur istæ formæ esse actus secundi: cum vere sint formæ manentes.

Ad quartum *seu* ad aliam probationem, cum dicitur, quod actus talis est generatiuus habitus. Respondeo, argumentum est in oppositum: quia actio de genere actionis, nõ potest esse eiusdem rationis, nisi termini sint eiusdem rationis, sicut calefactio non est eiusdem rationis, nisi calor terminans sit eiusdem rationis: ergo si actus generaret habitum, vt actio de genere actionis terminata K.

ad habitum, vt ad terminū: non posset esse actio eiusdem rationis cum altera, nisi illa alia esset per se generatiua habitus: imò contradictio videretur, q̄ esset actus eiusdem rationis, & non alicuius termini: quia nō potest esse actio degenere actionis, nisi sit alicuius termini. Nunc autem aliquis actus intellectionis vel volitionis, potest esse eiusdem rationis, licet non sit alicuius termini producti: ergo actus iste non est generatiuus, vt actio, sed vt forma, qua formaliter generatur iste habitus. Tunc dico breuiter, quod actus est generatiuus habitus, sicut forma aliqua est causa, vel ratio causandi aliā formam. Sicut lumen solis in medio, est ratio gignendi ibi calorem: non est autē talis actus gignitiuus, vt actio: sed tali actione gignitur tàm actus, quàm proprius habitus, vt terminus talis actionis, & ad significandū gignitionem talem, quæ est actio de genere actionis, dicimus potentiā elicere actum intelligendi.

Expositio secūdi articuli, quæstionis nonæ, distinctionis tertiæ.

1 CONCLVSIO textualis est, quod in mente est imago sanctissimæ Trinitatis. Quæ conclusio est etiam expressa D. Thomæ. 1. p. quæst. 93. art. 7. in corpore, quam vterque Doctor sumpsit ex D. Augustino. Et qualiter hæc imago reperiatur in mente, illustrat Scotus in textu, ponendo in eadem mente memoriam, intelligentiam, & voluntatem: quod idem habet D. Thomas ibidem. Sunt attamen circa hunc textum, duo maximè obseruanda, primum scilicet est videndum, an hæc imago Trinitatis sit solùm modo in hominis mente; in vero etiam in Angelo. Hoc tamen non hic à Doctore subtili determinatur, nisi implicite: nam cum Angelus eodem modo, quo homo, habeat memoriam, intelligentiam, & voluntatem: & fer è eodem modo producat notitiam & amorem: profecto quod de mē te hominis dicitur, de Angelo quoque per eādem regulam dici necesse est.

D. Thom.

D. Aug.

Explicitè tamen hanc difficultatem disputat Diuus Thomas eadem quæst. 93. art. 3. in corpore, vbi comparatiuè sub distinctione inquit, quod quantum ad id, in quo primo consideratur ratio imaginis, quod scilicet est intellectualis natura: perfectior, est in Angelo ratio imaginis Dei, quàm in homine: quia intellectualis natura perfectior est in Angelo, quàm in homine. At quia in quantū ad id, in quo secundario consideratur, videlicet prout in homine inuenitur quædam imitatio Dei, quatenus homo est de homine, sicut Deus de Deo: & in quantum anima hominis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte illius, sicut Deus ad mundum se habet: & secundum hæc similia (inquit Diuus Thomas) magis inuenitur Dei imago in homine, quàm in Angelo. Et hìc vtrāque rationem vnitatis scilicet & trinitatis diuinæ complectitur Diuus Thomas. Sed præstantius est exemplum superius positum ab vtroque Doctore de tribus animæ potētijs: nam & si memoria & intelligentia sit idēmet intellectus: prout nihilominus distincta sortitur munera & est memoria, & est intelligentia. Atque ideò in hominis mente & in Angelo, in quibus est intellectus productiuus, qui est memoria: & est sub actuali notitia, qui est intelligentia: & est volū tas productiua amoris, quæ recipit ipsū, saluatur optimè Trinitatis imago.

2 *In Angelo perfectiùs est imago Dei, quàm in homine, vt imago dicitur intellectualis natura. Imago Dei & Trinitatis, etiā suo modo potiùs reperitur in homine, quā in Angelo.*

Secundum autem quod circa textum notari debet, est: quod tàm in Angelo, quàm in anima, est dupliciter hæc imago scilicet perfectè, & perfectissimè. Ad cuius euidentiam prælibare oportet, qualiter Trinitatis imago in prædictis potentijs adumbretur. In anima igitur, & est intellectus, & voluntas: quæ potentiæ realiter identificantur cum anima, & inter se adinuicem, & ab anima sunt formaliter ex natura rei, secundum Scotum distinctæ. Intellectus autem dupliciter potest considerari: vel primo quatenus est fœcundus

3 *Intellectus & est memoria, & est intelligentia.*

dus obiecto, seu specie intelligibili eius vicem gerente: & vt sic prout sæpe diximus, formaliter est memoria, quæ per actionem de genere actionis producit verbum, & hic finitur totum munus memoriæ. Secundo ipse intellectus recipit verbum in se, quo formaliter intelligit obiectum repræsentatum in verbo, & vt sic, vt subest verbo, est intelligentia. Tertio voluntas producit amorem, quo formaliter diligit tale obiectum, quod intelligentia præcognouerat. In his ergo ostendit Doctor consubstantialitatem trium realitatum eiusdem animæ, vt ipse inquit, & ibi distinctionem, & originem, ratione harum trium realitatum in anima reperit: & ideò mysterium Trinitatis quoad identitatem naturæ, & distinctionem personarum, & ipsarum originem, in prædictis tribus animæ realitatibus inuenit.

4 *Imago Trinitatis perfecta & perfectissima in quo consistat.*

Verum hæc est differentia, quod obiectum illud per se immediatè, vel per speciem intellectum fœcundans, potest esse quæcunque res creata: vel potest esse ipsemet Deus: quocunque ergo obiecto istorum, tàm scilicet creato, quàm increato, fœcundatur intellectus, & fit memoria: & illæ tres realitates verificantur in illo, ita vt habeant aliqualiter perfectam rationem imaginis Trinitatis. Verum si respectu obiecti creati sit, erit imago perfecta: si vero respectu obiecti increati in visione beata fuerit, imago perfectissima erit. Cuius rationem reddit Doctor in textu: quia scilicet actus visionis seu ipsa visio est similitudo obiecti, non minus, quàm species (in quo omnes conueniunt) ergo in isto actu, quo intellectus beati videt Deũ Trinũ, est similitudo Trinitatis. Habet igitur hoc maioris perfectionis actus iste, quod non solùm sicut respectu obiecti creati (vt vidimus) ea ratione trium realitatũ prædictarũ Trinitatem repræsentat, & est aliqualiter perfecta imago illius: sed quod tàquam perfectissima Dei, & Trinitatis similitudo, est perfectissima Dei Trini imago. Et hanc duplicem Trinitatem, hoc est vnam respectu obiecti creati, & aliam ex similitudine visionis beatæ (inquit Doctor) assignat Diuus Augustinus.

Hoc idem egregie Diuus Thomas enucleauit 1. p. q. 93. art. 8. in corpore, vbi supponit manifestum esse, quod diuersitas obiectorum, diuersificat speciẽ verbi, & amoris, & ponit trium obiectorum differentiam. Vel etenim intellectus hominis respicit lapidem, seu leonem: vel se ipsum considerat: vel Deum contemplatur, præsertim si illum videat visione beata. Inter quæ tria obiecta, hæc est differentia: quod licet creatura irrationalis sit Dei vestigium, nulla tamen talis creaturæ est Dei imago, aut ad eius imaginem facta: sed Angelus solummodo & homo ad imaginem Dei creatus & factus est, vt optimè resoluit idem Doctor Angelicus 1. parte quæstione 45. articulo 7. in corpore: & Doctor subtilis infra in textu articulo huius quæstionis.

Ex quibus in citata quæstione 93. articulo octauo in corpore concludit, quod Angelus, aut anima potest esse Trinitatis imago, vel respectu cuiuscunque obiecti irrationalis naturæ: vel respectu obiecti naturæ humanæ, seu Angeli, vel tertio respectu naturæ ipsius Dei. Quos tres modos Trinitatis posuit Diuus Augustinus, vt refert Doctor in textu. Inquit ergo Diuus Thomas, quod imago Trinitatis est in anima, aut in Angelo hoc triplici modo: est enim verè in illa respectu cuiuscunque obiecti irrationalis: quia licèt tale obiectum Deum Trinum non repræsentet, anima tamen prout illius meminit, & ipsum intelligit, & diligit illud, est verè Trinitatis imago: sed verius est Trinitatis imago, anima, dum se ipsam, aut Angelum meminit, & intelligit, & diligit, vt vtar verbis Diui Augustini: quia non solùm eosdem tres actus exercet respectu sui, aut Angeli, quos exercet, respectu cuiuslibet irrationalis obiecti: sed ipsum obiectum, quod intelligit, & diligit, est ipsius Dei & Trinitatis imago: quod sufficit, vt dicatur anima per hanc triplicem realitatem, esse verius & perfectius Trinitatis imago, quàm respectu alterius obiecti irrationalis, quod in se imago Dei non est. Ex quo collige, eadem perfectione esse in Angelo Trinitatis imaginem, respectu obiecti naturæ ho-

6 *Obiectũ intellectus est triplex ad imaginem, & vestigiũ Dei inuestigandum.*

minis quam considerat, qua habet imaginem illius, quatenus seipsum considerat: quia ex eo quod vterque, Angelus nempè & homo, est ad Dei imaginem factus, tàm Angelus, seipsum aut hominem considerans: quàm homo seipsum, aut Angelum intelligens, intelligunt, & diligunt obiectum, quod est Dei imago.

7 Verissime tamen, & perfectissimè habetur in hominis mente, aut Angelo Trinitatis imago respectu ipsius Dei visi, in cuius visione, vt dictum est, reperitur perfectissima eius similitudo. Vnde ex differentia huius triplicis obiecti datur in mente imago Trinitatis perfecta, perfectior, & perfectissima, quod Doctor præhibauit in textu, & Diuus Thomas loco citato exposuit, & verba Diui Augustini præclare testantur, quæ videnda sunt in textu relata, & à Doctore exposita. Vbi prætermitti non debent subtilissimæ argumentorum solutiones: in quibus Doctor ostendit huiusmodi Trinitatis imaginem, quæ reperitur in mente, credenti solùmodo cognoscibilem esse, non ad demonstrandum Trinitatem esse in Deo: sed ad scrutandum, qualiter possit esse in Deo.

ARTICVLVS III.

Vtrùm solùm in actibus primis, vel in secundis animæ, reperiatur imago Trinitatis?

A. D tertium sic proceditur, videtur, quod solum in actibus primis, vel in secundis animæ reperiatur imago Trinitatis, *& hoc sine argumentis.*

B. Sed contra est, quia in primis actibus licet sit ibi consubstantialitas; non tamen est ibi distinctio realis rei, & rei, nec ordo originis. In actibus secundis etiam licet sit distinctio, & origo aliquo modo, non tamen est consubstantialitas: ergo, &c. C.

Respondeo dicendum de tertio, quod primo videndum est de illis, quæ sunt manifesta esse in mente. Secundo, in quibus non consistit imago. Tertio, in quibus consistit. Quantum ad primum experimur in nobis esse actum intellectionis, & actũ volitionis, & istos actus aliquo modo esse in potestate nostra, quando obiectum est præsens: ergo oportet in nobis ponere aliquo modo principia actiua ad istos actus, & potentias quibus sumus potentes respectu istorum actuum. Non potest autem idẽ (sub eadẽ ratione formali) esse principium istorum duorum actuum secundorum: quia isti actus secundi requirunt oppositam rationem principiandi in suis principijs: ergo oportet habere aliquam distinctionem actuum primorum, & hoc proportionaliter correspondentem distinctioni actuum secundorum.

De secundo in isto articulo, dico quod nec in actibus primis solùm, nec in actibus secũdis solùm, est imago, quod apparet dupliciter. Primo: quia hi sunt duo tantùm: & illi duo tantùm: ergo tantùm esset imago dualitatis. Secundo *per rationem positam §. sed contra.* Ex his sequitur tertium, quod imago cõsistit in actibus primis, & secundis simul, & hoc intelligo sic: anima habet in se aliquã perfectionem, secundum quam formaliter est actus primus respectu notitiæ genitæ, & habet in se aliam perfectionem, secundum quam recipit formaliter notitiam genitam, & habet in se aliam perfectionem, secundum D. *Prima conclusio.* *Secunda cõclusio.*

dum quam recipit formaliter volitionem. Istæ tres perfectiones, dicuntur memoria, intelligentia, & voluntas, vel anima in quantum habet ipsas. Anima igitur, in quantum habens actum primum totalem respectu intellectionis, *vt dictum est in præcedenti articulo in corpore*, scilicet anima, vel aliquid animę, & obiectū sibi præsens in ratione intelligibilis, dicitur memoria, & hoc memoria perfecta includēdo, tàm intellectū, quàm illud, quo obiectum est sibi præsens: ipsa etiam eadem anima in quantum recipit notiam genitam, dicitur intelligentia, & intelligentia perfecta, vt est sub illa notitia genita: voluntas etiam dicitur perfecta, in quantum est sub illo actu perfecto volendi.

E. Accipiendo igitur ista tria ex parte animæ, vt sunt sub tribus actibus suis, in istis inquam tribus, est consubstantialitas, ratione illarum triū realitatum, quæ sunt ex parte animæ: sed est distinctio, & origo ratione istarum actualitatum receptarum in anima secundum istas realitates in anima. Patet igitur *etiam* secundum intentionem Augustin. quod voluntatem, secundum, quod est tertia pars imaginis, accipit ibi pro actu volendi, sicut hic decimoquinto de Trinitate capite vigesimo septimo, accipit, cum subdit, quam voluntatem procedere, &c. Quod non est verum de voluntate, vt est potentia: sed si verum sit, hoc est de actu volendi. Sed hic occurrunt duo dubia, *in sequentibus duobus articulis ventilanda.*

Expositio articuli tertij, quæstionis nonæ, distinctionis tertiæ.

SVPPOSITO in hominis mente, & Angelo Trinitatis imaginem in memoria, intelligentia, & voluntate haberi, vt patuit ex præcedente articulo: consequenter hic inuestigat Doctor, qualiter in huiusmodi potentijs, hæc imago inueniatur; an scilicet in ipsis potentijs; an vero in actibus ipsarum, an tandem in potentijs simul, & actibus, talis imago reperiatur? Circa quod Diuus Thomas 1. parte quæstione 93. articul. 7. in corpore diuisim posuit Trinitatis imaginem, tàm in potentijs, quàm in actibus, & inquit: *Quod primo & principaliter attenditur imago Trinitatis in mente secundum actus, prout scilicet ex notitia, quam habemus cogitando interius, verbum formamus, & ex hoc in amorem prorrumpimus.* In his igitur actibus secundis principalius imaginem Trinitatis Diuus Thomas constituit. At vero loquendo de actibus primis, seu de ipsis potentijs, hæc subdit: *Sed quia principia actuum sunt habitus, & potentiæ, vnumquodque autem virtualiter est in suo principio: secundario, & quasi ex consequenti imago Trinitatis potest attendi in anima secundum potentias, & præcipue secundum habitus, prout in eis, scilicet actus virtualiter existunt.* Hactenus Diuus Thomas, qui ex eo videtur tantummodo ponere in potentijs imaginem Trinitatis: quia præcise actus secundi virtualiter continentur in illis, tanquam effectus in causa. Ex quo constat, absolutè & per se, non nisi in actibus secundis potentiarum huiusmodi Trinitatis imaginem constituere. 1 D. Thom.

Verum enim vero, Doctor Subtilis hanc impugnat sententiam, & nullatenus hanc imaginem reperiri admittit diuisim in actibus, aut potentijs: sed insimul in potentijs, & actibus, copulatim esse tuetur. Tria igitur facit in textu, nam primo ostendit, quæ & qualiter sunt in mente, ex quibus valeat sumi ratio imaginis, & his positis; secun- 2

do probat, in quibus illorum non consistat imago. Et tandem tertio, in quibus imago consistat, patet, vt dicit. Circa primum ergo clarè ostendit, in mente esse actum intellectionis, & actum volitionis: ex quibus à posteriori arguit, ponenda esse principia huiusmodi actuũ: & ponit talium actuum principia esse intellectum & voluntatem. Quantum ad secundum probat imaginem Trinitatis, nec tantum in illis actibus posse consistere: nec tantum in talium actuum principijs inueniri. Quod probat, quia cum tantum sint duo actus, & tantum duo principia eorum: si imago esset præcise in actibus, aut præcise in potentijs, esset tunc potius in illis imago dualitatis, quàm Trinitatis. Atque ideò in §. *sed contra*, probat nec in actibus seorsum, nec seorsum in potentijs, Trinitatis imaginem esse posse.

Quoad tertium vero difficultatem concludit dicens, *quod imago consistit in actibus primis, & secundis simul*: ac si dicat, quod ratio imaginis ex potentijs, & actibus earum sumitur. Qualiter autem hoc sit, ipse his verbis enucleat: *Hoc intelligo sic: Anima habet in se aliquam perfectionem, secundum quam formaliter est actus primus respectu notitiæ genitæ, & habet aliam perfectionem, secundum quam recipit formaliter notitiam genitam, & habet in se aliam perfectionem, secundum quam recipit formaliter volitionem. Istæ tres perfectiones dicuntur memoria, intelligentia, & voluntas.* Anima ergo secundum quod habet partem intellectiuam, vt fœcundam specie intelligibili, in ratione principij productiui, est memoria. Ipsa vero anima, in quantum in eadem parte intellectiua, recipit notitiam à memoria genitam, per actum productiuum, qui est dicere (nullatenus cognitionem præsupponens, vt Diuus Thomas aiebat) est intelligentia: & sic differt memoria ab intelligentia, quia hæc sub est notitiæ, quæ est effectus illius: illa vero est in actu primo, ad productionem talis notitiæ per speciem intelligibilem, & in actu secundo, quando actualiter producit notitiam. Eadem vero anima secundum illam perfectionem, quæ est voluntas, subest actui volendi, seu amori, quo perficitur.

In animæ potentijs, prout sub suis actibus tota est imago Trinitatis.

Accipiendo igitur ista tria (inquit Scotus) *ex parte animæ, vt sunt sub tribus actibus suis, in istis in quam tribus, est consubstantialitas ratione illarum trium realitatum, quæ sunt ex parte animæ*: id est ratione memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis, quæ sunt realiter eædem animæ, propter hanc earum identitatem, est harum realitatum consubstantialitas: *sed est distinctio, & origo ratione* istarum actualitatum receptarum in anima. Hoc est ratione speciei intelligibilis receptæ in memoria: & ratione notitiæ productæ à memoria, receptæ in intelligẽtia: & ratione amoris producti à voluntate, & recepti in ipsa. Ex quibus concluditur ex actibus infimul & potentijs, vnam Trinitatis imaginem coalescere.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ex conclusione præcedentis articuli, inferatur quaternitas in imagine?



D quartum sic proceditur, videtur, quod ex conclusione præcedentis articuli inferatur esse quaternitas in imagine. Nam actus primus respectu volitionis non cõcurrit cum aliquo trium in imagine: non cũ tertia parte: patet, quia idẽ non est principium sui, nec cum secunda, manifestũ est: quia actualis notitia non est volũtas: non etiã cum prima, quia memoria dicit propriè principium productiuũ notitiæ genitæ non volitionis: ergo voluntas erit quartum cum istis.

Sed contra est: quia in parente habente perfectam rationẽ parentis cõcurrit actus primus duplex, & isto modo est in diuinis: quia in Patre nõ solùm est fœcunditas ad generandum, sed

sed ad spirandum: ergo, &c.

C Respondeo dicēdū, & dico, quod imago potest dupliciter assignari, secundum quōd eam dupliciter assignat Augustin. Vno modo nono de Trinitate cap. 4. & de inceps, mens, notitia, & amor, alio modo, sicut eam assignat, decimo de Trinitate cap. 10. Et deinceps, memoria intelligentia, & voluntas, & de ista duplici assignatione imaginis, loquens Augustin. 15. de Trinitate cap. 2. dicit, quod illa, quæ posita est in decimo est euidentior. Dico igitur primo pertractando primam assignationem, quod per mētem possumus intelligere actum primum perfectū respectu vtriusque actus secundi, scilicet fœcunditatem ad gignendum, & spirandum. Et hoc modo mens habet rationem perfectè parentis: quia includit perfecte vtramque fœcunditatem: & tunc illa alia duo, scilicet amor, & notitia, sunt duo producta ab anima, licet ordine quodam. Et tunc non erit quaternitas: quia *vt dictum est*, in parente habente perfectam rationem parentis, concurrit actus primus duplex, & isto modo est in diuinis: quia in Patre non solum est fœcunditas ad generandum, sed ad spirandum, & hoc à se: quia si Pater non haberet fœcunditatem à se ad spirandum: sed haberet eam derelictam sibi ex productione Filij: sicut quidam dicunt: sequitur (vt videtur) hoc impossibile, quod Pater nunquam haberet illam fœcunditatem. Nullam enim realitatem, siue absolutam, siue relatiuam habet Pater aliquo modo per productionem, quam antea non habuit: & ideò quamcunque realitatem nō habet in primo signo originis, in quantum scilicet præintelligitur ordine originis Filio, illam nunquam habebit. Igitur si illam fœcunditatem duplicem non habet in se, in isto primo signo originis: nunquam habebit illam.

Si autem mens accipiatur præcisè, vt actus primus habens solùm modo fœcūditatē respectu notitiæ genitæ: hoc modo imperfectè assignatur imago: quia hoc modo mēs nō habet rationem parentis perfectè. Ita dico de alia assignatione, quod si memoria accipiatur præcisè pro parente respectu notitiæ genitæ, est imperfectè parens. Parens autem perfectè non tantùm habet rationem, vnde generet, sed vnde spiret: quia non potest illud habere ab alio: & oportet illud habere in toto: & ideò oportet, vt habeatur in parente à se: si autem accipiatur memoria pro tota anima, vt habet habitualiter in actu primo fœcunditatem istam duplicem: hoc modo habet perfectè rationem parentis. Sed licet memoria sit euidentior parens, sicut oportet concedere propter verba Augustini 15. de Trinitate cap. 3. quatenus scilicet magis exprimit habitudinem gignentis, ad genitum, quam mens: tamen mens nostra videtur perfectius importare rationem parentis, si accipiatur, vt includit vtramq; fœcunditatem. Breuiter ergo, quomodocunq; assignatur Trinitas in imagine, vel sic, vel sic, non est quaternitas: quia duplex concurrit habitudo fœcunditatis in parente, si est perfectè parens. D. A.

Ad argumentum, *seu rationem dubitandi satis patet ex dictis, ex quibus constat, quod* experimur duos actus, & originatos ordine quodam esse in poteſtate nostra: ergo & eorum principia sunt in nobis: vel idem, vel vnita in eodem: illud erit secundum duplicem fœcunditatem, & a se status, & duo producta distincta, & quodam modo eadem primo fœcundo: præcipue accipiendo potentias sub actibus, & ostendūt primū supposituū E. B.

ex se fœcundum, vtraque fœcunditate: & duo producta adæquata illi fœcundo distincta, & originata: igitur imago.

F. Contra, secunda pars non producit tertiam. Respondeo, hic deficit imago in nobis, *vt ex sequenti articulo constabit.*

Expositio articuli quarti, quæstionis nonæ, distinctionis tertiæ.

PRO argumento huius articuli in principio ponitur ratio dubitandi, quam soluit Doctor: & omnia quæ in textu habentur, ob sui claritatem, expositione non egent. Difficultatem tamen sic Doctor concludit, *breuiter ergo, quomodocunque assignatur Trinitas in imagine, vel sic, vel sic, non est quaternitas, &c.*

ARTICVLVS. V.

Vtrùm in hoc, quod est tertiam personã originari à prima, & secunda, sit similitudo imaginis in nobis?

A. AD quintum sic proceditur, videtur, quod in hoc, quod est tertiam personam originari à prima, & secunda, sit similitudo imaginis in nobis: quia secundum Augustinum 15. de Trinitate cap. 27. velut parentem, & prolem, tertia voluntate, siue dilectione iungente: quam quidem volũtatem (dicit) de cognitione procedere nul dus ambigit: ergo, &c.

B. Sed contra est: quia non videtur hic saluari ordo originis sicut in diuinis, ibi enim prima persona originat secundam, & duæ tertiam: hic prima pars imaginis nostræ est causa secundæ: sed nec prima, nec secunda est causa tertiæ: ergo, &c.

C. Respondeo dicendum, & dico quod in nobis in hoc non potest esse similitudo imaginis ad prototypũ; notitia enim genita in imagine creata, accidens quodam est: cui non cõmunicatur fœcunditas illa ad producendum amorem, qua formaliter est aliquid productiuum dilectionis. Accidens enim tale non est natum esse formaliter intelligens, vel volens: & ideò memoria gignens notitiam actualem, accipiendo memoriam, vt est perfectè gignens, non potest cõmunicare genito illam perfectã fœcunditatem, quam prius habuit: quia non communicat sibi eandem naturam: sed producit eam æquiuocè in alia natura. Pater autem generans filium, communicat ei eandem naturam, & eandem fœcunditatem spirandi amorem: quæ non intelligitur in generatione Filij habere terminum adæquatum: & ideò Filius eandem fœcunditatem habens, potest producere sicut Pater. Pater igitur ratio, quare non potest ista productio saluari in partibus imaginis creatæ, sicut in personis Trinitatis: quia non potest esse eadem fœcunditas in duobus primis partibus imaginis: potest esse autem, & est in duabus personis, respectu tertiæ. Similiter, si notitia genita esset alicuius productiua aliquo modo, hoc non esset, nisi per modum naturæ, & non libere; est tamen hic aliquis ordo inter secundam partem imaginis, & tertiam: quia tertia supponit secundam naturaliter, licet non sit ab ea. Etiam illud exprimit Diuus Augustinus decimo quinto de Trinitate cap. vigesimo septimo, *vt*

Conclusio.

vt visum est in argumento, ex ipsius auctoritate posito in principio: ex cuius solutione patet mens eius.

D. Ad argumentum *igitur patet, quod ipse Augustinus* subdit statim, & exponit se, quomodo intelligat: nemo enim vult quod omninò quid, vel quale sit, nesciat, non tamen esse cognitionis imaginẽ, &c. Patet igitur, quod istũ ordinẽ originis præcisè ponit, propter naturalem ordinem volitionis, ad intellectionem: non autem quod intellectio sit causa respectu volitionis. Patet igitur secundum intentionem Augustini, quod voluntatem secundum quod est tertia pars imaginis, accipit pro actu volendi, sicut hîc accipit, cum subdit, quam voluntatem procedere, &c. Quod non est verum de voluntate, vt est potentia, sed si verum sit, hoc est de actu volendi, *vt dictum est art. 3.*

Expositio articuli quinti, quæstionis nonæ, distinctionis tertiæ.

EX tribus, respectu quorum posita est imago Trinitatis in mente: in duobus iam patuit, optimè saluari imaginem: videlicet in vnitate substantiæ eiusdem animæ, & in Trinitate realitatum, & actualitatum ipsarum. Cæterum in tertio, quod est originatio vnius ab alio: partim est ratio imaginis, & partim non est imago. In diuinis etenim secunda persona procedit à prima: tertia autem à prima, & secunda procedit. Imago attamen mentis, etsi repræsentet intelligentiam originari à memoria, quatenus intelligentia est sub actu seu notitia, à memoria genita: non tamen repræsentat amorem voluntatis, ab intelligentia, & memoria, habere originem: quia in notitia genita nulla est actiuitas, aut causalitas respectu volitionis. Quamuis enim non possit voluntas velle, quod non præsupponit ab intelligentia cognitum; non tamen influit intelligentia aliqualiter in volitionem illius: sed tanquam mera conditio sine qua non, se habet respectu volitionis, & nullo modo causaliter. In hoc tamen ibi ratio imaginis esse potest, quod sicut prima productio intellectus in Deo, qua producitur Verbum, naturaliter præcedit productionem per voluntatem, qua producitur Spiritus Sanctus: sic in mente hominis & in Angelo, productio verbi per intellectum, præcedit productionem amoris per voluntatem naturaliter. Et sic in hoc, quod est vnam originẽ, seu productionem, naturaliter præcedere alterã, est in mente Trinitatis imago quoad origines. In hoc vero, quod est vnam productionem originari ab altera, concludit Doctor non esse in mente imaginem Trinitatis, eo quod amor non originetur à cognitione tanquam à causa, sed tanquam à conditione necessario requisita, eo quod illam necessario præsupponit. Quod ex sententia, & verbis D. Augustini, Doctor confirmat.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in parte sensitiua, sit imago Trinitatis?

AD sextum sic procedi tur, videtur, quod in parte sensitiua sit imago Trinitatis, *& hoc sine argumentis.* A.

Sed contra est, quia in parte sensitiua non est duplex modus originandi, quia sicut sensus naturaliter sentit, ita appetitus sensitiuus naturaliter appetit. Vnde secundum Ioãnem Damascenum lib. secundo, bruta in suis actionibus non agunt, sed aguntur. B.

Respondeo dicendum, quod ex istis, *quæ dicta sunt articulo secundo, & sequentibus*, apparet correlariè quare in parte sensitiua non est imago. Primo: quia ibi non est consubstantiali- C.

tialitas operantium, siue totorum illorum sumptorum cum suis operationibus: quia principium sentiendi, non tantùm est aliquid animæ, sed totum compositum ex anima, & parte corporis sic mixta: quod est totum organum. Similiter principiũ appetendi appetitus sensitiui, non est aliquid animæ tantum: sed similiter est compositum. Ista autem duo, quorum sunt istæ operationes, non sunt consubstantialia: quia licet istæ potentiæ animæ sint in eadẽ essentia: & fortasse idẽ essentiæ animæ: nõ tamen totales causæ operationis: puta tota ipsa organa: quia partes corporis nõ sunt cõsubstantiales, nec inter se, nec potentijs animæ. Similiter *patet per rationem in §. sed contra.*

D. Nota, quod prima ratio recipiendi sensationem, non est aliqua entitas simplex: neque scilicet aliquid animæ, neque etiam corpus sic mixtum: sed forma totius organi: quæ dicitur forma, sicut quidditas est forma suppositi, non autem vt forma informans, &c.

Expositio articu. 6. quæst. 9. distinctionis 3.

MANIFESTA est veritas conclusionis huius articuli, & clarè à Doctore exposita & probata. Quæ probatur insuper: quia ex opposito sequeretur in brutis esse Trinitatis imaginem: in eis etenim est potentia sensitiua sicut in nobis: sed vt in §. *sed contra*, supponitur, bruta Trinitatis imaginem non habere: quod etiam D. Thom. 1. p. q. 45. art. 7. in corpore resoluit. Quamuis etenim bruta, sicut quælibet alia creatura, suum creatorem in ratione vnius oppificis significent, tanquam effectus causam: hoc tamen non est habere rationem imaginis illius, & multo minus possunt rationem imaginis sanctissimæ Triados habere, quam neque in ratione suæ causæ effectiuæ repræsentant, secundũ quod Trinitas est.

DIFFICVLT. LXII.

Vtrùm ratio imaginis conueniat Spiritui Sancto, sicut conuenit Filio?

§. 1.

Prima sententia Durandi cũ secunda, quorundam Patrum, refertur.

SVB hac quæstione de imagine Trinitatis, in qua cum Doctore ostendimus dari in mente hominis, & in Angelo: præsentem difficultatem collocare instituì, eo quod non alibi habeat locum specialem apud ipsum Doctorem: licèt illam (vt infra patebit) intra alias resolutorie definierit. Eam tamen propter huius materiæ complementum, breuiter hic resoluam, quia pleraque ad eius intelligentiam pertinent, in difficultate 52. latè remanent prælibata. 1

Fuit ergo in hac difficultate prima Durandi sententia, qui in primo distinctione 28. quæstione 3. tria dicit. Primum scilicet, quod esse imaginem de ratione suæ petit esse similem illi, cuius est imago: & insuper, quod illud, quod est imago, debet esse proctum effectiuè, vel exemplariter à suo prototypo, vel imaginato. Secundum verò asserit, rationem imaginis, non propriè conuenire diuinis: prout tamen conuenit illis, non essentialiter, sed personaliter, eis conuenire. Tertium tandem inquit, quod esse imaginem hoc prædicto modo, hoc est improprie, conuenit tàm Filio, quam Spiritui Sancto: licèt appropriatè, magis Filio, quàm Spiritui Sancto conueniat. Quod autem præcipuum hæc sententia, vt singulare assumit, est non reperiri rationem imaginis proprie in diuinis. 2 *Prima sententia Durandi.*

Hoc autè sic probat Durãdus, quoniã si esse imaginem cõueniret diuinis proprie: aut conueniret Deo respectu creaturæ, aut vni personæ diuinæ respectu alte- 3

alterius. Non primo modo, quia imago est aliquid productum ad imitationem alterius. Sed nihil diuinum est productum ad imitationem creaturæ, imò potius è conuerso creatura producta est ad imitationem diuinæ naturæ. Ergo Deus non est imago creaturæ, sed potius creatura est imago Dei. Item nec vna persona potest (inquit Durandus) esse propriè imago alterius personæ diuinæ: quia imago importat similitudinem ad illud, cuius est imago. Sed in vna persona respectu alterius, non est propria similitudo: quia propria similitudo, si esset in diuinis personis, vel esset quoad relationes, vel quoad essentiam, nihil enim aliud in eis reperitur præter essentiam, & relationes: sed non est propria similitudo inter personas diuinas quoad relationes originis, vt patet: quia relationes diuinæ, sunt disquiparantiæ, & ex consequenti dissimiles, in quibus nulla potest esse propria similitudo: ergo, &c.

4 Quod nec quoad essentiam patet: quia in essentia diuinæ personæ sunt idem: in identitate autem non est propria similitudo: quia nihil est sibi simile. Vnde propter distinctionem relationum, & identitatem essentiæ, est media conuenientia inter identitatem, & similitudinem minor totali identitate, & maior similitudine: ergo vna persona non est alteri propriè similis: sed est plusquam similis, quia vere persona vna est eadem cum alia in essentia, & per consequens vna non est propriè imago alterius: quia vna non imitatur aliam in essentia, cum nunquam fit propriè imitatio, secundum vnum, & idem numero.

5 *Secunda sententia Patrum Græcorum.* *D. Damas.* *D. Atana.* *D. Basilius* *D. Gregor. Taumatur.* *D. Gregor. Nissenus.* Plerique autem Patres Ecclesiæ Græcæ (vt autor est Diuus Thomas prima parte quæstione 35. articulo secundo in corpore) inter quos sunt Diuus Damascenus libro 1. de Fide capit. 18. Diuus Atanasius in epistola ad Serapionem post medium, Diuus Basilius lib. quinto contra Eunomium capit. 12. Diuus Gregorius Taumaturgus in confessione Fidei, quæ habetur apud Gregorium Nissenum in enarratione vitæ illius communiter dicunt, non minus esse Spiritum Sanctum imaginem Patris, quàm Filius est Patris imago. Quorum sententiam postmodum sequuti sunt Aureolus apud Capreolum, in primo distinctione 27. quæstione 2. articulo 2. in argumentis contra sextam conclusionem, & Durandus vbi supra §. *circa tertium*. Differunt tamen isti duo Auctores inter se, quod Aureolus, ideò sentit non minus esse Spiritum Sanctum imaginem, quàm Filium: quia vterque procedit similis ex modo suæ productionis: in quo rationem propriæ imaginis, solum consistere præsupponit. Atque ideò tàm Spiritum Sanctum, quàm Verbum propriè rationem imaginis habere affirmat. In quo (vt credo) cum prædictis Patribus Græcis conuenit, qui quidem de propria imagine sequuntur. Durandus verò negans proprietatem imaginis, vt in prima eius sententia vidimus, tenet non minus imaginem esse Spiritum Sanctum, quàm Filium, licet appropriatè, magis de Filio quàm de Spiritu Sancto dicatur imago. *Aureolus.* *Durandus.*

Probatur autem, hæc sententia sequentibus argumentis. Primo, quia, vt dicit Diuus Damascenus lib. 1. orthod. Fidei cap. 18. Spiritus Sanctus est Filij imago, sicut Filius est imago Patris: ergo non tantùm Filius est propriè imago in Deo, sed etiam Spiritus Sanctus.

Secundo: quia de ratione imaginis est similitudo cum expressione, vt inquit Diuus Augustinus lib. 83. Quæstionum quæstione 73. in fine, & 74. in principio tomo quarto: sed hoc conuenit Spiritui Sancto, procedit enim ab alio secundum modum similitudinis: ergo Spiritus Sanctus est imago Patris, & Filij, sicut Filius est imago Patris.

Tertio, quoniam omne productum in similitudine, & æqualitate ad alterum, est eius imago: in hoc enim ratio imaginis consistit: sed Spiritus Sanctus producitur in similitudine, & æqualitate ad Patrem, sicut Filius: ergo quilibet, tàm scilicet Spiritus Sanctus quàm Filius potest dici imago Patris, & ita vnus sicut alius.

§. 2.

§. 2.

Ponitur vera Scoti, & ferè omnium, sententia cum suis fundamentis.

9 IN oppositum autem est litera textualis infra in distinctione 10. quæstione vnica art. 2. solutione ad primum, vbi Doctor hæc ait: *Dico quod illa diffinitio naturæ probat, quod Spiritus Sanctus non producitur, vt similis ex vi productionis suæ, & verum est, quod non est imago Patris, sicut Filius, qui ex vi productionis suæ procedit, vt similis Patri.* Quibus verbis plura Doctor explanat. Et quidem veram, & propriam rationem imaginis in Deo esse fatetur: & vnde ratio imaginis sumatur patefacit: & hanc imaginis rationem, non Spiritui Sancto, sed Filio respectu Patris, conuenire, affirmat. Sequũtur Doctorem omnes eius discipuli, dẽpto nemine, & est expressa sententia Seraphici D. Bonauenturæ in primo distinctione 31. 2. part. articuli quæst. 1. & Henrici quodlib. 4. q. 2. Item tenet expresse Diuus Thomas 1. part. quæst. 35. art. 2. & Capreolus in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 1. & omnes Thomistæ. Estque communis sententia omnium ferè Theologorum, & Sanctorum Patrum Ecclesiæ Latinæ.

D. Bonau. Henricus. D. Thom. Capreolus.

10 Pro cuius intelligentia obseruanda sunt ea, quæ latè prænotauimus supra in difficultate 52. à numero 32. vsque ad numerum 43. Vbi adaprandio rationem imaginis veræ generationi diuinæ, ostendimus Spiritum Sanctum, nec esse genitum, nec imaginem. Ibi namque quid proprie sit imago, & qualiter Verbo, & non Spiritui Sancto cõueniat, enucleauimus: quæ omnia recolenda sunt, ne hic iterum repetantur. Est præterea videndum quidquid de imagine per huius quæstionis articulos supra textualem literam exposuimus: nam quamuis imago creaturæ ad Deum non sit ea, quæ rationem Filij constituit, sicut est imago Verbi ad Patrem: nihilominus in creaturis vera imaginis ratio reperitur, licet propterea non sint Filij & geniti Dei sui prototypi. Nam Filius, & imago habent se in hoc tanquam superius ad inferius, ita quod omnis Filius, est imago Patris: non tamen omnis imago, seu illud, quod est imago, est Filius sui prototypi. Vnde stat creaturas perfectas, vtpotè Angelum, & hominem esse imagines Trinitatis, absque eo, quod in eis ratio filiationis sit ad suum prototypum, quì est Deus vnus & trinus. Hæc tamen imaginis ratio prout in Filio reperitur, non solùm imitationem, quomodolibet præexigit, sed in vnitate eiusdem naturæ similitudinem præsupponit. Vltra quam prærequirit, quod illud, quod est imago ex ratione formali suæ productionis procedat simile exemplari: quod quidem non Spiritui Sancto, sed Verbo in loco citato conuenire ostendimus.

Filius, & imago habent se sicut superius & inferius: sed non è cõtra.

Porro nostra tamen maximè interest explanare differentiam, inter imaginem, & imaginem, qualiter scilicet Verbum sit Patris imago, & qualiter creatura sit imago Dei, & Trinitatis: quarum imaginum differentia hanc difficultatem resoluet. Pro quo secundo obseruare oportet, quod vt ex primo articulo huius quæstionis explanatum supponitur, imago duo importat: & scilicet similitudinem, qua tuo prototypo assimilatur: & imitationem, qua imago essenti aliter in ratione imaginis exprimitur similis illi, cum illa videlicet essentiali dependentia, & relatione mensurati, seu mensurabilis, ad mensuram, vt exposuimus ibi, & in secundo articulo. Et hæc ratio imaginis est communis imagini creatæ, & increatæ, sublatis imperfectionibus. Verum enim vero hæc imitatio dupliciter potest contingere, prout Durãdus aduertit in primo distinctione 3. quæst. 1. partis secundæ §. *quantum ad primum*, quod etiam in supracitato loco obiter tetigi. Aliter namque imitatur imago suum exemplar actiuè, & aliter exemplariter. Dicitur enim imago (inquit ipse) *imitago*, quia fit ad alterius similitudinem, & imitationem, modis duobus prædictis.

11 *Aliter est Verbũ Patris imago, & aliter est homoimago Dei, & Trinitatis.*

Exemplariter ergo imitatur pictor exemplar, vt depingat imaginẽ, nempe

12

Cæ-

Imago dupliciter imitatur exemplar, scilicet exemplariter, & actiue.

Cæsaris vultum, & membra conspiciés, & considerans tanquam exemplar, vt eius naturalia, penicillo artificialiter imitetur. Actiuè autem imitatur imago suum prototypum, à quo producitur; sicuti quãdo pater generat filium sibi similem vniuocè ex ratione formali suæ productionis. De quo dicitur

Genes.5. Genesis cap. quinto: *Quod Adam genuit filium ad similitudinem, & imaginem suã.* Quia enim ex ratione formali suæ productionis, producitur filius per modum naturæ: & natura intendit assimilare genitum generanti, tanquam exẽplari naturali: ideò tale productum ex ratione formali suæ productionis, & per modum naturæ, procedit simile generanti, & ipsum tanquam suum naturale exemplar, naturaliter imitatur. Et quia hæc imitatio est per productionem ipsius exemplaris, seu prototypi, qua imaginem generat: dicitur imitari actiuè, ad distinctionem alterius imaginis, quæ non actiuè (hoc est non per generationem) sed tantùm exemplariter (hoc est per quamcũque aliam expressionem) imitatur exemplar.

13 Duo igitur (inquit Durandus) ad rationem imaginis requiruntur. Primum videlicet, similitudo, quantum ad hoc, quod est repræsentare prototypum (quænam sit hæc similitudo, habetur expresse, & latè in difficultate 52. iam citata.) Secundum verò, quod vno, vel altero modo exprimatur ab imaginato, vt imitetur illud, vel scilicet exprimatur actiuè, vel exemplariter. Propter primum, non dicitur vermis imago hominis licèt originetur ab illo: quia non est ei similis. Propter secundum vnum ouum, vt inquit Diuus Augustinus in lib. 83. Quæstionum, quæst. 73. non est imago alterius ouis quia quantumuis simile sit illi: non tamen exemplariter, aut actiuè originatur ab illo. Cui dicto Durandi addendũ est, quod illud, quod est simile, & originatur ab illo cui est simile, debet procedere ei simile ex ratione formali suæ productionis: aliàs enim Spiritus Sanctus esset imago Patris sicut Filius, vt visum est in citata difficultate 52.

Vermis nõ est imago hominis, nec vnum ouum alterius oui. D. Augus.

14 Demum inter hos duos modos exprimendi imaginem, exemplariter scilicet, & actiuè, est maximè considerandæ differentia ipsius exemplaris in causando: nam exemplar secundum præcisam rationem exemplaris, non est causa efficiens: & ideò non causat actiuè, sed mouendo, ad modum quo mouet causa finalis. Exprimitur tamen imago effectiuè, seu actiuè à causa efficiente, vel ab aliquo principio actiuo, seu productiuo: atque ideò ipsa causa, seu principium productiuum, ab exemplari mouetur ad causationem, seu productionem imaginis, vel illius quod est imago. Hoc in exemplo posito de pictore pro comperto habetur: quia ibi pictor tanquam causa efficiens, conspiciens ad exemplar, à quo mouetur imaginem illius depingit. Vnde imago duplicem relationem dicit: vnam quidem ad pictorem, tanquam ad causam efficientem, & aliam ad exemplar, tanquam ad sui mensuram: quæ est repræsentantis ad repræsentatum, à quo in ratione imaginis essentialiter pendet, tanquam ab eo à quo procedit, & originatur in genere causæ exemplaris.

Qualiter exemplar imaginẽ exprimat.

Duplex rẽlatio imaginis ad exemplar, & ad suũ producens.

Hoc prænotato dico ad intentum, quod etsi omnes imagines imitentur prototypum, & in hac secunda relatione essentiali conueniant: quia hæc talis relatio imaginem in ratione imaginis essentialiter constituit: non tamen omnes eodem modo important illam primam relationem ad principium productiuum sui, seu causam efficientem. Nam licet imago necessario dicat relationem in genere causæ efficientis ad causantem, & exprimentem illam, seu ad principium productiuum sui: multæ nihilominus causantur ab aliquo agente distincto ab exemplari, quod producit non vniuocè in similitudine suæ naturæ, sed exemplariter, hoc est respiciendo ad aliquid, vt imitetur illud. Aliæ verò ab ipso exemplari tanquam à principio productiuo, vniuocè producuntur: non quidem, vt præcisè exemplar est: nam exemplar, vt diximus, non est actiuum: sed quia illud quod est exemplar, insimul est principium vniuocè productiuum, quod producit sibi simile in suæ naturæ similitudine. Hæc duo patent per

15

exem-

exempla, quoniam imago Cæsaris causatura à pictore, qui est distinctus ab ipso Cæsare, qui est eius exemplar: Filius vero in creatis causatur à Patre, qui insimul est exemplar, quod in tali generatione intenditur imitari à natura, & est principium vniuocè productiuum illius. Ex hac igitur differentia originandi imaginē ab exēplari, sumitur illa de duplici modo imitationis imaginis: quod scilicet, illa cuius exemplar distinguitur ab efficiēte, vel æquiuocè producit imaginē, seu illud, quod est imago, imitatur prototypum exemplariter. Illa vero, cuius exemplar est insimul principium productiuum, quod vniuocè in similitudine naturæ producit imaginē, seu illud, quod est imago ex ratione formali suæ productionis, dicitur actiuè imitari exemplar.

16 *Qualiter verbū creatum sit imago.*

Nec valet si contra arguas, quod verbum creatum est imago naturalis obiecti, & actiuè originatur ab eo: sed tamen non producitur vniuocè simile in natura, si quidem intellectus producens est substantia, verbum autem est accidens: ergo, &c. Nam respōdeo quod licet verbum entitatiuè non producatur simile in natura, producitur nihilominus vniuocè simile suo exemplari, quod est obiectū inesse intelligibili, quia Verbum est effectus vniuocus obiecti, quatenus idem prorsus, quod obiectū naturaliter in se est, naturaliter, & formaliter repræsentat. In hoc igitur esse intelligibili, est simile illi, & ad obiecti significationē formaliter exprimitur verbum: & ab eodem obiecto simul cū intellectu producitur. Vnde sibi conuenit ratio imaginis actiuè; quia ad ipsum exemplar refertur: & relatione repræsentātis ad repræsentatum, in quo formaliter consistit imago: & relatione producti ad producens, à quo hoc modo vniuocè habet esse, ex ratione formali suæ productionis.

17 *Differētia inter imaginem diuinam, & humanam.*

Ex obseruatis igitur, ad propositum, facilè potest difficultas resolui, assignando qualiter Verbum sit Patris imago: & qualiter creatura sit imago Dei, & Trinitatis. Nam creatura imitatur prototypum, scilicet Deum exemplariter ad modum, quo pictor imaginem Cæsaris in eo, quod est alterius naturæ à Cæsare, depingit. Quoniam licet Deus sit idem exemplar, & productiuum principium: quia tamen non producit huiusmodi imaginem vniuocè in similitudine naturæ, seu naturaliter: sed artificialiter in aliena natura, seu quasi artificialiter, in eo quod æquiuocè causat; ideò creatura dicitur tantum exēplariter Dei, aut Trinitatis imago. Quia autem Verbum diuinum est productum ab eodemmet principio, quod est Pater, qui est suum exemplar, & ex ratione formali, seu productionis, vniuocè ei similis in natura producitur: ideò est imago Patris, quæ actiuè imitatur prototypum. Hanc differentiam præclare insinuauit noster Lyranus in Glossa ordinaria super epist. ad Hebræos cap. 1. ad illa verba: *Et figura substantiæ eius*, vbi hæc profert, *& accipitur hic figura pro imagine. Filius enim est imago naturalis ipsius Patris. homo autem est quasi imago artificialis: propter quod magis dicitur ad imaginē Dei, quàm eius imago: sicut aliter est imago Regis in filio suo naturali, & in denario seu statua.* *Nicol. de Lyra.*

18

Visa ergo differentia inter imaginem Verbi & creaturæ respectu Dei, facilè cōuincitur spiritum Sāctum non esse imaginem Patris aut Filij: quia nec exemplariter, hoc est quasi artificialiter, nec actiuè hoc est naturaliter, imitatur exemplar. De primo patet, quia licet procedat libere per voluntatem: non tamen contingenter, sicut artificialis imago exprimitur ad repræsentandum exēplar. Nec quidem actiue seu naturaliter, quia etsi sit similis in natura vniuocè cum producente, à quo originatur, non tamen procedit ei similis ex ratione formali suæ productionis, quia vt vidimus in difficultate 52. eius productio non est per modum naturæ: atque ideò productum, non est sui producentis imago, neque illud tanquam exemplar respicit, neq; ad imitationem talis exemplaris intenditur à natura, neque tandem ad repræsentationem exemplaris alicuius exprimitur.

§. 3.

§. 3.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

19. 1.Conclus. *Imago est in Deo.*

His præhabitis difficultatem cõcludendo dico primo, in Deo propriè esse imaginem. Cõclusio est expressa Scoti, & D. Thomæ, quæ probatur omnibus scripturæ testimonijs, & Sanctorum auctoritatibus, quibus infra probatur Verbum esse imaginem Patris. Ratione autem confirmatur ex diffinitione propria imaginis: nam imago est similitudo expressa ad representandum exemplar: sed in diuinis, vt ex dicendis in conclusione secunda patet, datur Verbum expressum ad representandum Patrem: ergo, &c.

20. 2.Conclus. *Filius est imago Patris.* *Sapient.7.*

Dico secũdo, quod in diuinis Filius est Patris imago. Cõclusio habetur expressa ex Sacræ Scripturæ locis, & omnibus vtriusque Ecclesiæ, Græcæ, scilicet, & Latinæ Patribus, & esset error in fide illã negare. Probatur primo ex illo Sapientiæ capit. 7. vbi sacer rextus loquendo de Filio Dei, qui est sapientia Patris, inquit: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei magestatis, & imago bonitatis illius.* Et quod ibi loquatur ad literam de Filio Dei, expressit glossa interlinialis, & ordinaria, & D. Ambrosius ibi, & Nicolaus de Lyra. Item Romanorum 8. inquit, Apostolus: *Conformes fieri imaginis Filij sui:* & 2. Corinth. cap. 4. dicitur: *illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei:* & ad Colossenses, cap. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis:* & ad Hebreos cap. 1. hæc inquit de Filio Dei: *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, &c.* vbi glossa interlinealis, *vel character, plena ostentio essentiæ Patris*, & glossa marginalis ait, id est, *imago expressa*, & glossa ordinaria: *Splendor autem, & figura, sicut & imago propriè ad personam Filij referuntur, & relatiuè dicuntur.*

Rom.8. *2.Corint.4* *Ad Heb.1.* *Ad Colo.1.* *Glo.marg.* *Glos.inter.* *Glos.ordi.*

21. *D.Chrisos.*

Secundo probatur Sanctorum Patrum auctoritatibus: nam D. Chrisostomus relatus in glossa huius capitis Epistolæ ad Hebreos, supra illa verba: *Figura substantiæ eius*, hæc inquit: *Nam & hic character similitudinis omnimodæ præbet iudicium ad illud, cuius est character, & suspitionem, vel paruæ similitudinis omnino non recipit. Quando ergo enim, & formam vocitat, & characterem, quid dicunt, aut quid nituntur opponere? sed etiam imaginis (inquiunt) imago appellatus est homo. Quid ergo, nunc eo modo sicut Filius? non, inquiunt: sed quia imago est similitudinis indicatrix, quamquam, & homo secundum, quod imago appellatus est, demonstrat similitudinem, sicut potest in homine demonstrari, &c.* Quibus verbis duo Sanctus Doctor ostendit, & quidem Filium Dei esse imaginem eius, & hominem non esse imaginem, sicut Filium: sed disparem esse in Filio, & homine, rationem imaginis Dei: quo confirmatur doctrina à nobis supra tradita.

22. *D.Ambros.*

Itẽ D. Ambros. supra illud Sapien. 7. *Candor lucis æternæ*, ait: *bonus Filius, candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei magestatis, & imago bonitatis illius. Quomodo ergo non bonus, qui est imago bonitatis? sicut enim imago Dei Deus, sed vnus Deus, ita & diuinæ imago bonitatis, bona. sed vna bonitas, &c.* Et Nicol. de Lyra ibidẽ, *propriũ est enim Filij Dei, quod sit imago Patris.* Itẽ Euseb. de demonst. Euang. lib. 4. c. 3. *Splendor quidẽ nõ ex proposito, & volũtate luminis, splendet, sed secũdũ quiddã, quod essentiã illius inseparabiliter accipit: Filius vero ex sentẽtia, & proposito est Patris imago.*

Nic.de Lyra. *Eusebius.*

23. *D.Augus.*

Præterea D. Aug. 7. de Trinit. c. 2. ait: *Verbũ enim relatiuè, sapientia vero essentialiter intelligitur: id dici accipiamus, cũ dicitur Verbũ, ac si dicatur nata sapiẽtia, vt sit, & Filius, & imago.* Quæ Verba, & alia eiusdẽ capitis manifestè cõclusionẽ testãtur.

Probatur cõclusio ratione, quia Filius Dei est Verbũ illius: & vt inquit D. Augustinus ibidẽ: *Eo quippè Filius, quo Verbũ, & eo Verbũ, quo Filius:* sed Verbũ, eo quo est Verbũ, est propriè, & formaliter imago Patris: ergo Filius eo quo Filius, est Patris imago. Ex hac probatione infertur potiori ratione esse Filiũ Dei imaginẽ Patris, quã in creatis Filius est Patris imago: nã Filius in creatis nõ est Verbum, & ideo non habet rationẽ imaginis, quæ competit Verbo, vt Verbum est: sed tantum habet rationem imaginis pro eo, quod Filius, vt Filius, imitatur exẽplar, quod est in Patre à quo producitur. Filius autẽ Dei, & habet hanc rationẽ imaginis prout filius: & habet rationem imaginis prout Verbum. Hęc tamẽ duo, quæ in creatis sunt separata: quia nec Fi-

lius est Verbum, nec Verbum est Filius: ita in diuinis sunt eadem, vt Filius Dei eo ipso sit formaliter Filius, quo est Verbum: & eo ipso sit formaliter Verbum, quo est Filius, vt inquit Augustinus. Et ideò eadem ratio imaginis sibi competit, prout est Verbum, & prout est Filius.

24. *2. Conclus.* Dico tertio, imaginem non conuenire Verbo essentialiter, sed notionaliter. Conclusio est communis, & illã, etiam fatetur Durandus. Probatur expressa auctoritate D. Augustini, qui vbi supra sequentia profert: *Et hæc duo cum dicuntur, idest nata, sapientia in vno eorum, eo quod nata est, & Verbum, & imago, & Filius intelligitur, & in his omnibus nominibus non ostenditur essentia, quia relatiue dicuntur.* Et in eodem libr. 7. de Trinitate, capit. 1. inquit: *Quid est absurdius, quàm imaginem ad se dici?* Ex quo formatur ratio ad probationem conclusionis: nam imago respicit exemplar: ergo distinguitur ab exemplari: quia respicere nõ est eiusdem ad se, sed ad aliud. Quæ autẽ distinguuntur in diuinis, distinguuntur relatiue, seu notionaliter, non vero essentialiter: ergo, &c.

Imago conuenit Verbo notionaliter.

25. *4. Conclus.* Dico quarto, quod Spiritus Sanctus non est Filij, aut Patris imago. Conclusio est expressa Doctoris, & D. Thomæ contra Aureolum, & Durandum, & est communis omnium Sanctorum Patrum latinæ Ecclesiæ, contra modum loquendi Græcorum. Quæ probatur ex D. Augustino 7. de Trinitate capite vltimo: vbi ostendens differentiam inter imaginem Filij respectu Patris, & hominis respectu Trinitatis, inquit: *Quæ tamen imago, cum alibi dicitur ad imaginem, sed non quasi ad Filium dicitur: quæ imago æqualis est Patri, alioquin non diceretur ad imaginem nostram, quomodo enim nostram, cum Filius solius Patris imago sit?* &c. vbi Verbo soli imaginem Patris esse concedit. Imo & ex Græcis Patribus D. Athanasius, sermon. 4. contra Arrianos, sequentibus Verbis affirmat solum Filium esse Patris imaginem: *Qui ergo, vt cum isti istius modi sint, solus tamen Filius vnigenitus, & Verbum, & sapientia appelletur? aut cur, cum tot sint similia Patri, solus hic sit imago?* Quæ Verba interrogatiua sunt, & rationem inuestigant, cur solus Filius Dei sit Patris imago? Hanc vero rationem latius ibi prosequitur, sed in Epistol. de Decretis Nicenæ Sinodi circiter medium hæc ait: *Et quandoquidem vnus est Deus, necessarium est quoque, vnam esse Dei imaginem, quæ ipsius est Filius.* Et infra. *Sicum imaginem nomines, Filiũ hoc ipso eũ esse indicaueris. Quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* qui, & cæteri Patres, non positiuè negant Spiritum Sanctum imaginem esse Patris: quia tunc tẽporis non extitit hæc controuersia excitata, sed Filium imaginem esse vnicam testantur cum exclusione alterius cuiusuis imaginis. Quod enim est imago indiuinis, affirmant: quod autem nõ est imago, non expressè asserunt, sed ex affirmatione cum exclusione alterius id confitentur expresè. Videantur pro hac conclusione Ricardus de Sancto Victore, lib. 6. de Trinitate capit. 19. Rupertus, lib. 2. de Trinita. cap. 2. D. Anselmus in Monologio capit. 37. & omnes alij Patres latini.

D. Augus.

Spiritus sãctus non est Patris, nec Filij imago.

D. Athan.

Ricard. de S. Vict. Rupert. Abb. D. Ansel.

---

§. 4.

Referuntur rationes quorundam ad probandum Spiritum Sanctum non esse imaginem.

26. VARIIS autem rationibus probatur hæc conclusio à Doctoribus: nam Ricardus de Sancto Victor. lib. 6. de Trinitate capit. 19. & 20. & 21. inquit, ideò Spiritum Sanctum non esse imaginẽ Patris, sicut Verbum: quia Verbum, seu Filius assimilatur Patri non solum in natura, sed etiã in proprietate, & notione: eo quod accipit eandem naturam à Patre cum potẽtia communicandi illam Spiritui Sãcto: & ita hæc proprietas communicandi naturam per voluntatem Spiritui Sancto, communis est Patri, & Filio, non vero Spiritu Sancto. Ex qua ratione, quã D. Bonauentura in 1. distinct. 31. part. 2. distinctionis art. 1. q. 2. & D. Thom. 1. p. q. 35. art. 2. referunt, sic argumentum formatur. In diuinis est imago secundum perfectissimam rationem: perfectissima autem ratio imaginis debet esse non solum secundum essentiam, sed secundum modũ, & proprietatẽ cõmunicãdi naturã: sed hæc proprietas cõmunicatur Verbo, nõ verò Spiritui Sãcto; ergo solum

Ratio non nullorũ Ricardum sequentium.

lum Verbum, non autem Spiritus Sanctus est Patris imago.

27. *Ratio aliorũ ad idẽ.* Alij vero aliam reddunt rationem, quod, scilicet, ad rationem imaginis pertinet, quod per intellectum exprimatur ad imitationem alterius: sed in diuinis solus Filius procedit per intellectum ad imitationem Patris: non vero Spiritus Sanctus: ergo solus Filius, non vero Spiritus Sanctus, est Patris imago.

28. *Ratio Vazquij ad probandũ Spiritũ Sanctũ nõ esse imaginem.* Tertia ratio est, quam Vazquez adducit prima parte disputat. 145. capit. 5. numer. 14. & 15. qua ait rectè posse inferri, soli Filio rationem imaginis conuenire: ait etenim ideo Spiritum Sanctum non esse Patris, aut Filij imaginem: quia si esset eorum imago, non solum deberet esse eis similis in natura, sed etiam eos representare deberet tanquam illos, à quibus procedit: verum nec Patrem, nec Filium representat: ergo non est alicuius imago. Minor probatur: quia si aliquem illorum representaret, deberet eum representare alicui intelligenti: nulli autem representat, vt inductione patebit: nec enim representat ipsi Patri, nec Filio: cum neuter se ipsum intelligat Spiritu Sancto tanquam forma, aut termino suæ intellectionis: nec representat sibi ipsi, nisi quatenus essentiali intellectione, quæ est sua ipsius essentia, cognoscit se, & alias personas in se ipso: nec representat alicui intellectui creato: quia non viatori, vt perspicuum est: non videnti Deum sicuti est: nam qui tres personas clare intuetur, non videt vnam: quia in alia representetur, sed omnes æque primo intuetur: ergo nulli intellectui Spiritus Sanctus representat, nec representare potest: quare neque est alicuius imago. Verbum autem (inquit) in diuinis Patrem representat ipsimet Patri, & non alteri propter rationem, quam ipse Vazquez tradiderat in disputatio. 144. capit. 2. numer. 8. ad quam se remittit: vbi inquit, ideo Patrem dicere, & producere omnia in Filio, & Verbo suo, ipsumque sibi exprimere, vt sui imaginem: quia Verbum Patri dicenti representat intelligibilia, & in eo relucent, & Patri intuenda proponuntur. Dicimus ergo Verbum Patri representare, & eo Patrem intelligere omnia, non sicut forma, sed sicut termino producto suæ intellectionis, &c. Hactenus Vazquez.

29. *Improbatur ratio Vazquijdũ plicimedio.* Verùm enim vero, tametsi duæ priores rationes non aliquid improbabilitatis inuoluant, quatenus vtraque veru̇m continet, licet non exacte difficultatem euacuet: hæc tamen tertia Vazquij falsò nititur fundamento, atque ideo conclusionem minimè probat. Nam etsi differentia illa de representando intelligenti, vera esset, & sufficiens ad constituendam vnam personam in ratione imaginis, & excludendam aliam ab imaginis ratione: tunc ostendo Spiritum Sanctum posse representare eidem prorsus intelligenti, cui potest representare Filius: atque ideo si ratio imaginis per hoc solum distinguitur à non imagine, quod est habere personam intelligentem, cui representet: vel quidem Verbum non est alicuius imago, vel Spiritus Sanctus non est minus imago, quàm Verbum. Assumptum manifesto duplici medio: priori, videlicet, secũdum scholam Scoti: posteriori autem etiam iuxta Thomistarum, secundum quam contra Vazquium redarguam.

30. *Mediũ quo in via Scoti Vazquiũ improbatur.* Prius medium facile destruit Vazquij rationem: quoniam in schola Scoti nulla admittitur intellectio notionalis in Deo: sed quæcunque intellectio est ibi essentialis: nam si aliqua daretur notionalis, quæ, scilicet, vni, & non alteri personæ competeret: esset illa, qua secundum Thomistas, Pater producit Verbum. At qui, vt ex latè notatis, & probatis supra in difficultate 49. constat, Pater non producit Verbum per intelligere, nec ille actus dicendi notionalis, quo Verbum producitur, aliqualiter ab intelligere pendet, aut actum intelligendi includit: ergo Pater per illum actum nullatenus intelligit. Si igitur omnis intellectio, seu actus intelligendi in Deo est essentialis, propterea que æque tribus personis conueniens: non habet Filius aliquam peculiarem personam notionaliter intelligentem, cui representet tanquam imago suum exemplar atque ideo non magis representat Patri, quam sibi, & Spiritui Sancto: siquidem non minus

per: quamlibet intellectionem diuinam intelligit vna persona, quam alia, licèt appropriate interdum potius de vna, quàm de altera intelligere dici soleat. Ex quo sic: si obid tantummodò excluditur Spiritus sanctus à ratione imaginis: quia non est persona peculiaris intelligens, cui repræsentet tanquam imago suum exemplar: hocidem de Verbo probatum est, quod, scilicet, representat toti Trinitati intelligenti: quia nulla intellectio diuina est, quæ toti Trinitati non competat: ergo vel hac ratione æque Spiritus Sanctus est imago sicuti Verbum, vel Verbum sicuti Spiritus Sanctus, imago esse non potest.

31. *Mediũ quo in via D. Tho. Vazquius improbatur.* Secundum autem medium efficacius rationem Vazquij improbat: nam esto, quod detur in diuinis intellectio notionalis, vni & non alteri personæ conueniens, quæro, an per hanc intellectionem, quæ competit notionaliter Patri, Pater sit intelligens: & ita Filius Patrem ipsi Patri intelligenti representat? Et supposito quod per hanc intellectionem sit formaliter intelligens: iterum quæro, si est eadem intellectio, qua Verbum producitur, aut aliqua alia distincta, qua Verbum iam productum intelligit? Hoc secundum non dices: quia non sunt multiplicandæ tot intellectiones in Deo, nec intellectio notionalis, ab alia notionali eiusdem intelligentis, est distinguenda. Si autem primum dicas, ex hoc manifestam repugnantiam implicatam in dictis ostendam: nam actus, quo Pater intelligit imaginem, seu exemplar representatum sibi in illa, est verum, & actuale intelligere: ergo essentialiter supponit obiectum: quia per locum intrinsecum repugnat intellectionem actualem, dari aut concipi sine obiecto: ergo per locum intrinsecum etiam repugnat, illud intelligere Patris non supponere imaginem Verbi in esse perfecto imaginis, tanquam obiecto suæ intellectionis: ergo per locum intrinsecum repugnat imaginem intelligi per eandem actionem, qua producitur: quia tunc quod, non dum concipitur habere esse, esset obiectum realis intellectionis: quod est manifestè falsum: nam esto, quod in via Diui Thomæ illa productio sit intellectiua: non propterea est intellectiua Verbi producendi per illam, sed essentiæ, quam in ratione obiecti iam præsupponit habere esse. Et sic secundum Thomistas ex cognitione essentiæ, & attributorum, imò & creaturarum, quæ supponuntur habere esse aliquo modo in Deo, producitur Verbum.

32. *Intellectio essentialiter supponit obiectũ.* At qui, quod ipsa productio rei sit eius cognitio, videtur maxima contradictio in obiecto: quia esset cognitio alicuius, quod non est aliquid, & ex consequenti daretur intellectio sine obiecto: siquidem ex vi talis intellectionis, habet esse ipsum obiectum: ergo pro illo priori, pro quo non dum intellectio est terminata, non intelligitur esse obiectum: quia cum obiectum producatur per illam, sicut non est res producta quoad vsque in illa terminetur actio productiua: sic non est obiectum quoad vsque actio illa, per quam producitur, terminetur in illo: ergo sicut prius est, actionem esse, quam eius terminum, siquidem est via ad illum: sic prius est intellectionem productiuam esse, quàm esse obiectum, quod per illam producitur: ergo pro illo priori, pro quo nondum concipitur obiectum productum, est verum dicere, quod est eius productio, sicut est verum dicere, quod est eius productio, sicut est verum dicere, quod pro aliquo priori, prior est actio, quam eius terminus: ergo pro tali priori concipitur iam esse actus intelligendi, pro quo nondum concipitur esse obiectum illius: ergo datur pro illo priori intelligere sine obiecto: sed hoc repugnat per locum intrinsecum: quia intelligere essentialiter dependet ab obiecto: ergo per locum intrinsecum repugnat, Patrem intelligere Verbum per eius productionem. Ex quibus deducitur esse falsum Vazquij fundamentum: & ideò rationem, quæ nititur illi, conclusionem non probatam relinquere.

33. Quod autem adhoc argumentum poterit responderi pro eius sententia, quòd, scilicet, Verbum etiam procedit ex cognitione sui ipsius, vt idem

Vazquez

Vazquez tenet in disputatio. 142. capite 3. improbabitur infra in difficultate propria vbi in vestigatur, an verbum procedat ex cognitione omnium quæ sunt in Deo. Accedit autem pro nunc ad confutationem rationis prædictæ, quod repræsentatio imaginis non potest pendere ab intelligente, cui repræsentat suum exemplar: nam nullum ens quoad sui esse, essentialiter pendet ab alio, ad quod essentialiter non refertur. Imaginem autem essentialiter ad intelligens, quod illam intelligat, non referri, expresse docuit Aristotel. in libro quinto Metaphisicæ, capit. 15. dum posuit relationem tertij generis esse non mutuam, & ita scibile ad scientiam non referri. Non igitur refertur imago ad intelligentem: atque ideo non potest in hoc ratio illius consistere: quia si per impossibile nullus esset intellectus illam considerans: adhuc naturalis imago naturaliter representaret exemplar: quia nulla res quoad sui esse, ab aliquo sibi extrinseco pendet. Ex qua differentia à Vazquio assignata, inter Spiritum Sanctum, & Verbū, vera non est.

Non est relatio imaginis ad intelligentē.

§. 5.

Traditur ratio Scoti ad probandum Spiritum Sanctum non esse imaginem, & argumentis in oppositum respondetur.

34. RATIO igitur potissima, quæ hanc quartam conclusionem confirmat, est illa textualis, quæ habetur supra in litera, numer. 9. quod, scilicet, illud procedit simile vt imago, quod procedit simile in natura ex vi, & ratione formali suæ productionis, vt supra in numer. 15. & sequentibus patet. Ex quo sic formatur ratio à Doctore in dicta litera: ideo Filius est Patris imago: quia procedit vt similis Patri ex vi, & ratione formali suæ productionis: sed Spiritus Sanctus non procedit, vt similis ex vi, & ratione formali suæ productionis, sicut procedit Filius: ergo Spiritus Sanctus non est imago Patris, aut Filij. Ad hanc Scoti rationem reducuntur plures alię, quas tradūt plerique Doctores, vt potè Diuus Bonauentura in 1. distinct. 31. articul. 1. quæstion. 2. Henricus Quodlibeto 4. quæstion. 2. Caietanus, 1. part. quæst. 25. articul. 2. Capreolus in 1. distinctione 27. quæstion. 2. articul. 1. & plures alij. Quæ verissima est, & latè habetur exposita ex supra obseruatis in difficultate 52.

D. Bonau. Henricus Caietanus. Capreol.

35. Ad argumenta autem pro prima sententia, & ad illud Durandi dico, quod esse imaginem conuenit propriè vni personæ diuinæ respectu alterius, & improprie respectu creaturæ. Hoc secundum patet ex illo Genes. capit. 1. *& creauit Deus hominem ad imaginem suam.* Vbi eo quod homo est proprie Dei imago, ipsemet Deus impropriè vocatur imago hominis: non quod referatur ad hominem, tanquam ad exemplar: sed quia terminat, tanquam exemplar hominis, relationem ipsius. In quo sensu Diuus Augustinus libr. de fid. ad Petrum dicit: *Quod vna est sanctæ Trinitatis diuinitas, & imago, ad quam factus est homo.* Quando autem improbatur in Deo esse imaginem vnius personæ ad aliam, scilicet, Verbi ad Patrem: concedo, quod imago importat similitudinem ad illud, cuius est imago, & quod vnius personæ ad aliam est propria similitudo. Hæc autem similitudo est vera relatio realis: ita quod in diuinis dantur relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis: quæ sunt verè relationes reales prout infra in distinction. 31. quæstione vnica dicetur: & non tantum vt Vazquez, & alij putauerunt, contra quos ibi in difficultate propria erit sermo. Nunc autem ad Durandum dico, similitudinem proprie esse inter personas diuinas: & hanc similitudinem esse in essentia, vltra aliam, quæ est ratione atributorum, de qua infra in loco citato: hanc vero similitudinem naturæ optimè compati etiam cum identitate: quinimò longè perfectiorem esse similitudinem, fundatam in vnitate numerica,

Ad argumenta Durandi. Genes.

D. Augus.

Deus dicitur imago hominis improprie.

quam in specifica: ostendimus supra in difficultate 51. num. 17. Conueniẽtia ergo illa Durandi media inter identitatem, & similitudinem, est pro libito excogitata, & ad propositum gratis adducta.

36. *Ad 1. pro 2. sentent.* Ad argumenta vero pro secunda sententia, & ad primum respondetur cum Diuo Thoma, D. Damascenum, & alios Patres Ecclesiæ Græcæ cõmuniter vti nomine imaginis pro similitudine: & ideo dici ab illis Spiritum Sanctum imaginem Patris, & Filij: quia est illis similis in natura: non vero ita proce-

dit similis ex ratione formali suę processionis, vt sit eorum imago.

Ad secundum eadem solutione respondetur, non procedere similem ex ratione formali suæ processionis: & ideò non exprimitur, vt imago suorum producentium. 37. *Ad secun.*

Ad tertium dico, non solum requiri ad rationem imaginis, quod procedat in similitudine, & æqualitate ad alterum: sed quod hoc sit ex ratione formali suæ productionis. Quod non contingit in Spiritu Santo, qui non procedit per modum naturæ. 38. *Ad tertiũ.*

DISTINCTIO QVARTA.

Hîc oritur quæstio satis necessaria, &c.

Quæstio prima de veritate istius propositionis, Deus genera uit alium Deum.

CIRCA Quartam distinctionem, quæro de ista, Deus genera uit aliũ Deũ. Circa quod quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrùm Deus genuerit alium Deum?

¶ Secundò. Vtrùm hæc sit vera, logicè loquendo: Deus genera uit alium Deum?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Deus genuerit alium Deum?

A. AD primum sic proceditur. Videtur, quod Deus genuerit alium Deum: quia Deus genera uit Deum: aut ergo se Deum, aut alium Deum: non se, primo de Trinitate: ergo alium.

B. Secundò præterea: sic generans distinguitur à generato: sed Deus genuit Deum: ergo Deus genitus distinguitur à Deo generante: & per consequens Deus genuit alium Deum.

C. Tertiò præterea, sic: Deus generat alium: aut igitur Deum: & sic habetur intentum propositum: aut non Deum: quod est falsum: quia sic genitus non esset Deus.

D. Sed contra est: quia non est alius Deus: ergo non genuit alium Deum. Antecedens patet Deuteron. 6. audi Israël, Deus tuus vnus est.

E. Respondeo dicendum ad quæstionem, quod non genuit alium Deum: quia cuilibet entitati formali correspondet adæquate aliquod ens, vel aliquid ens, entitate tali.

Ista

Ista autem Deitas, quæ est entitas formalis: quia se tota est forma: non habet sic sibi adæquate correspondens, quod, nisi Deum: quia ipsum includit. Deitas autem est de se hoc: ergo Deus est de se hoc. Illi autem quod est de se hoc repugnat non identitas: ergo & alietas, quæ includit non identitatem: ergo non potest esse alius Deus: ergo Deus non genuit alium Deum: quia non genuit, quod non potest esse, & hoc quantum ad rem. Quantum ad logicam autem *erit sequens articulus.*

F. Ad primum argumentum, dico: quod hoc antecedens est verum: Deus genuit Deum: quia termini in concreto possunt supponere pro suppositis respectu prædicatorum, respectu quorum non extraneantur suppositaliter: & ideo sicut hæc est vera, Deus pater genuit Deum filium: ita hæc, Deus genuit Deum: sed consequentia non valet. Vndè non sequitur: ergo Deus genuit se Deum, aut alium Deum. Primum non sequitur: quia non est intelligibile, quod idem producat se: nec secundum sequitur: quia *sicut dicetur in sequenti articulo*: cum dicitur, Deus gẽuit alium Deum, alietas notat suum determinabile distingui in extremis, quod nõ significatur in antecedente. Vnde sicut propositio est falsa, vbi alietas additur determinabili, quod non est commune suis extremis: sicut hæc est falsa, Sol est alius mus: & ideò non sequitur, si Sol generat murem: igitur se murẽ, vel alium murem: sed alium, qui est mus: ita in proposito, illa propositio est falsa, in qua alietas additur determinabili, quod non distinguitur in extremis: sic hæc est falsa: Pater in Deitate est alius à Filio: & ideo non sequitur Deus pater genuit Deum: aut igitur se Deum, aut alium Deum, sed sequitur, quod genuit alium, qui est Deus, sicut exponit magister in litera. Quod si probetur illa consequentia sic, &c. *Vide in primo argumento sequentis articuli.*

Ad secundum dicendum, quod ista deductio reducẽda est ad duos syllogismos, quorum primus est iste. Generans distinguitur à genito, Deus est generans: ergo Deus distinguitur à genito. Alius est iste, genitum est Deus, Deus distinguitur a genito: ergo Deus distinguitur a Deo. *In* vtroque syllogismo est fallacia accidentis: nam in primo syllogismo, maior est vera propter formalem oppositionem extremorũ. Sic autem extraneatur medium vtriqueextremo, in qno extrema sunt vnum siue idem. Vnde fallacia est accidentis, nisi maior extremitas dicatur de medio secundum illam rationem, secundum quam medium dicatur de extremis, vt patet. Si sic arguitur: album distinguitur a dulci: lac est album: ergo lac distinguitur a dulci: & eodem modo peccat alius paralogismus. Vnde in vtroque syllogismo ex distinctione formali, quæ est inter ista relatiue opposita, generans, & genitum, concluditur distinctio essentialis, & ideò non sequitur conclusio. G. H.

Ad tertium, cum dicitur, Deus genuit alium: igitur alium Deum, vel alium non Deum, dicendum: quod neutrum concederetur: & cum probatur per rationem contradictionis, dicendum, quod contradictio est tam in complexis, quam in incomplexis. Et loquendo de contradictoriis complexis, semper verum est, quod altera est vera, & altera falsa. Et sic est in proposito: hæc est falsa, Deus genuit alium Deum, & hæc vera, Deus non genuit alium Deum, quæ est sua contradictoria: & non ista, Deus genuit alium non Deum.

Quæ sequuntur vide commodius in articulo sequenti.

Expositio articul. 1. quæst. 1. distinct. 4.

QVia de fide est nóplures Deos, sed vnicum esse: quod etiam ratio naturalis demonstrat: hîc cõsequenter reddit Doctor rationem, quare Deus non potuit genere alium Deum: quia, scilicet, alium Deum esse repugnat. Est tamen verum quod Deus genuit Deum: quia vt ipse, inquit, in solutione ad primum, termini in concreto, bene possunt supponere pro suppositis respectu predicatorũ, respectu quorum non extraneantur suppositaliter. Et quia tan suppositum generans, quam suppositum genitum est Deus. ideò sicut valet dicere, suppositũ quod est Deus, genuit suppositum quod est Deus sic valet dicere: Deus, genuit Deum: Quia vero in suppositis generante, & genito, est omninò eadem Deitas, non valet dicere, Deus genuit alium Deum: quoniam alietas suppositorum generantis, & geniti, non infert alietatem Deitatis in ipsis. Litera clara est in reliquis, præter quam in illa ratione textuali, quod cuilibet entitati formali, hoc est, abstractæ, correspondet adæquate aliquod ens singulare, tanquam suum *quod*. Quæ ratio infra in difficultate 63. exprofesso examinatur. Ex ea tamé optime infertur conclusionis probatio.

Terminus in concreto supponit pro supposito, vt in hac Deus genuit Deum.

Deus gẽuit alium Deũ non potest dici.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm hæc sit vera logice, Deus genuit alium Deum?

A. AD secundum sic proceditur. Videtur, quod hæc sit vera logice, Deus genuit alium Deum: *Tum per argumenta in principio primi articuli posita. Tum præterea* sic, Deus genuit alium habentem Deitatem: quia aliam personam subsistentem in Deitate: ergo genuit alium Deum. Consequentia patet per Damas. 5. C. A. Deus est diuinam habens naturam, homo humanã.

Damas. 5.

B. Secundo prẽterea sic, si genera Deũ, aut igitur eundem Deum, aut diuersum Deum: quia idem, & diuersum, immediate diuidunt quodlibet ens, ex 10. Metaph. si eundem, vel diuersum: igitur se Deum, vel alium Deum.

10. Meta. tx. com. 12

C. Tertiò præterea, Deus non genuit alium Deum: ergo genuit alium non Deum: quia ex negatiua de prædicato finito, sequitur affirmatiua de prædicato infinito: sicut sequitur, homo non est iustus: ergo est non iustus.

D. Sed contra est, quòd Deuteronom. 6. audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est.

E. Respondeo dicendum, & quantum ad Logicam dico, quod hæc tria differunt A. est alius à Deo A. est alius Deitate, A. est alius in Deitate. Sicut hæc tria differunt. Sortes est alius ab homine. Sortes est alius humanitate. Sortes est aliꝰ in humanitate. *In* prima cum dicitur, Sortes est alius ab homine, negatur vniuersaliter Sortes habere identitatem cum termino per negationem importatam in ly, alius: quia aliud includit non identitatem: igitur terminus ibi prædicatus negatur pro quolibet sui: sed non negatur, nisi negetur respectu cuiuslibet termini: ideò terminus alietatis confunditur confuse, & distributiuè. Ideo sequitur, Sortes est alius ab homine: igitur est alius ab isto homine, & ab isto, & sic de omnibus alijs. Sic etiã sequitur A. est alius à Deo: igitur est alius à qualibet persona diuina. In secunda cum dicitur, Sortes est alius humanitate: humanitas significatur esse formalis ratio differentiæ: sic non est in prima: quia in ipsa homo significatur esse terminus differentiæ: in hac autem secunda, notatur esse formalis ratio differentiæ vniuersaliter: sic quod in nullo indiuiduo illius naturæ conuenit: quia est aliud indiuiduum alterius naturæ, per illam formam, per quam hoc differt ab illo. Vndè nota quod licèt ratio formalis alietatis stet vniuersaliter quantum ad negationem inclusam (vnde sequitur, Sortes est humanitate aliꝰ à Brunello: igitur in nullo indiuiduo sunt idẽ nec

conue-

conuẽiunt in humanitate: tamẽ illa ratio formalis differentiæ non stat vniuersaliter quantum ad illam affirmatio nem obi inclusam. Vnde non sequitur, Sortes differt a brunello humanitate: ergo differt ab illo hac humanitate, scilicet, Platonis: quia antecedens est verum, & consequens falsum: quia in cõsequente significatur, quod humanitas Platonis sit formalis ratio differentiæ, qua Sortes a brunello differt. In tertia cum dicitur Sortes est alius in humanitate: alietas ibi ponit suũ determinabile esse commune vtrique extremo, & distingui, siue diuidi in ipsis extremis: & ideo hæc non est vera, Sortes in humanitate est alius à Brunello: quia nõ dividitur humanitas in eis, nec est cõmune eis: sed hæc est vera, Sortes in animalitate est alius à Brunello, quia animal commune est eis, & diuiditur in eis: vnde in hac tertia propositione, alietas connotat aliquam conuenientiam extremorum in suo determinabili: & tamen notat aliquam non identitatem eorum in eodem determinabili. Ad propositum igitur, quam istarum trium significat hæc locutio, filius est alius à Deo: dico, quod nec primam, nec secundam. Nõ primam: quia non sequitur. Sortes est alius homo: ergo est alius ab homine: antecedens est verum, & consequens falsum. Nec secundam: quia & si Sortes sit alius homo à Platone, non tamen sequitur: ergo est alius humanitate à Platone: quia humanitas non est ratio formalis differentiæ Sortis à Platone, sed significat tertiam. Vnde bene sequitur: Sortes est alius homo à Platone: ergo Sortes est alius à Platone in humanitate, & è contra: & idem est cum dicitur, Filius est alius Deus à patre, quod filius est alius Deus á patre generante: ita quod ly alius ponit suũ per se significatũ circa per se significatum extremorum, & sui determinabilis denotans ipsa inter se esse distincta: & illud determinabile esse commune vtrique extremo alieta tis, & tamen distingui in eis: quod non conuenit Deo. Et hoc etiam significatur in tertia propositione predicta, propter quod idem sunt. Ex quo sequitur, cum hæc sit falsa, Filius est alius Deus genitus, vt nunc declaratum est, erit hæc falsa, Deus genuit alium Deum. *Conclusio.*

Ad primum argumentum respondeo, *quod*, potest concedi, quod genuit eundem Deum: quia sicut alietas ponit suum significatum circa suum determinabile denotans ipsum alietate, & distingui, & diuidi in extremis, quibus est commune: ita per oppositum, identitas ponit suum significatum circa suum determinabile commune extremis, denotans ipsum non distingui, nec diuidi in eis: & ideo hæc est vera, Deus pater genuit eundem Deũ: quia filium, qui est idem Deus: sed non sequitur: ergo genuit se Deum: quia pronomen reciprocum denotat actum terminari ad idem suppositum, à quo procedit ille actus: aliter non esset reciprocum. Antecedens autem non est reciprocum. Vnde consequens non solum refert eundem, in essentia Deitatis: sed eundem in ratione suppositi: non tantum autem ponitur per antecedens, sed solum quod genuit eundem Deum. Et ideo est fallacia consequentis, & figuræ dictionis. F.

Ad secundum respondeo dicendum, quod quamuis ista regula sit vera, sicut potest probari per naturam contradictionis: nunquam tamen, tenet in prædicatis compositis: non enim sequitur: lapis non est lignum album: ergo lapis est lignum non album: quia affirmatur lignum in secunda, quod nõ affirmabatur in prima. Et si arguitur in contradictoriis incomplexis, dico: quod licet de quolibet dicatur alterum illorum, non tamen dicitur de quolibet quodcunque prædicatum determinatum per alterum illorum: quia nec ipsum determinabile dicitur de quolibet: & ideo licet Deus, vel nõ Deus, dicatur de quolibet: non tamẽ G.

aliud, siue alium, sic determinatum per Deum, vel per non Deum: & ideo quãuis Deus genuit alium, non tamen aliũ Deum, nec alium: non Deum: nec est hæc contradictio: quia non sequitur, cum hoc cõtradictorio, vel illo: & hoc in sensu cõpositionis: quia non ex omnibus diuisis sequitur coniunctũ. Cõcedo igitur, quod sequitur, genuit alium: ergo Deum, vel nõ Deum. Sed non sequitur, genuit alium, & Deum: ergo genuit alium: Deum, propter variationem alietatis.

H. Ad tertium dicendum, quod non sequitur, genuit alium habentem naturam diuinam: ergo genuit alium Deum: quia in antecedente subintelligitur substantiuum huius adiectiui, habens, quod substantiuum, idem significat, quod persona, & circa illud, ly alius, ponit suum significatũ. In consequente autem ponit ly alius suum significatum, circa significatum Dei, & sic commutatur hoc aliquid in quale quid, & arguitur ab inferiori ad suum superius cum negatione, quam importat alius. Ad probationem per Damasc. dico, quod descriptio sua est quædam explicatio nominis, non autem expressio per se significati: quia nomen concretum de per se significato, nõ importat hoc, quod est habens, siue habere: sed tantum de modo significandi: in quo distinguitur ab abstracto: solum enim concretum importat ipsam formam: quia album solam qualitatem significat. Vnde importat hoc, quod est habens, quia concernit suppositum habens suum significatum. Tamen idem significat concretum, & abstractum: licet modus significandi sit alius: & ideo in huiusmodi ethimologijs, & descriptionibus, non oportet, quod quidquid potest vere coniungi, cum descriptionibus, & descriptis.

In prædicamentis, c. de subst.

Auerroes, 5. Meth. c. 14.

(.?.)

Expositio artic. 2. quæstionis 1. distinct. 4.

SVpposita fidei veritate quoad rem ipsam, ex 1. artic. nunc quoad dialecticum modum syllogistice inferendi, determinat Doctor in hoc secundo, qualiter logicè sit negandum, Deum generare alium Deum. Ad quod vtitur præclara quadam distinctione trimembri. Ait namque, hæc tria differre interse, videlicet, Sortes est alius ab homine, Sortes est alius humanitate, & Sortes est alius in humanitate. Cuius instar modi, sic etiam differunt hæc tria: filius est alius à Deo, filius est alius Deitate, & filius est alius in Deitate. Hæc subtiliter ibi explicat: & licet videatur explicatio obscura: non est inter eius commentatores tan veteres, quam recentiores, qui clarius exponat eius mentem, quam ipse Doctor se explicat: eo quod distinctionis subtilitas, non commode valet alijs terminis explanari: & ideò vbi non ponitur litera textualis Scoti, potius solet poni verborum Scoti repetitio, quam expositio. Hîc autem, vbi textus habetur: fastidiosum esset illum repetere. Legatur attente litera textualis, & intra ipsam reperietur claritas ad intelligendum propositum, & ad argumenta soluenda.

Distinctio logica notanda.

DIFFICVLTAS. LXIII.

Vtrùm Deitati in abstracto sumptæ correspondeat in concreto hic Deus indiuiduum Deitatis.

§. 1.

Proponitur status controuersiæ cum prima sententia Henrici, Durandi, & aliorum.

I. 1. sentent. EX litera textuali primi huius quæstionis articuli, hæc difficultas mouetur, quæ inuestigat, an vltra essentiam, & personas detur indiuiduum diuinùm, quod non sit persona, sed antecedenter ad personas correspondeat

pondeat diuinæ essentiæ aliquod concretum, quod sit indiuiduum Deitatis, & hic Deus? Circa quam difficultatem Henricus Quodlibeto, 5. quæst. 8. Durandus in 1. distinct. 4. quæst. 2. Capreolus, quæst. 1. Canariensis 1. part. quæst. 39. artic. 4. Commentarij sui, part. 2. & alij, partem negatiuam tuentur asserentes vltra essentiam, & personas non esse ponendum in Deo aliud Deitatis indiuiduum: sed de materiali, immediatum concretum significatum essentiæ, esse personas ipsas, & non aliquod aliud indiuiduum absolutum. Sententia hæc argumentis quibusdam fulcitur. Et primo: quoniam si ratione aliqua cogeremur concedere in Deo aliquod tale indiuiduum Deitatis ab essentia, & personis distinctum, illa esset, quia vnicuique abstracto correspondet suum concretum, & vnicuique *quo*, suum *quod*, vt Scotus docet: hæc attamen ratio nulla est, quia hic homo de formali, & abstracto, dicit humanitatem: de materiali autem & concreto, dicit hoc suppositum naturæ humanæ, vt potè Petrũ: ergo & hic Deus, qui de formali, & abstracto dicit Deitatem, de materiali, & concreto, non dicit aliud, quàm supposita.

Henricus Durand. Capreol. Canarienſ.

2. Secundò: quoniam ex Aristot. 1. Metaphysicæ, actiones sunt suppositorum: sed multæ actiones conueniunt Deo, vt est hic Deus, vt potè omnes actiones ad extra, quales sunt creare, iustificare & aliæ similes: ergo hic Deus, vt est hic Deus, est suppositũ. At qui in diuinis nõ est aliud suppositũ vltra Patrem, & Filiũ & Spiritũ Sanctum: ergô hic Deus non est distinctus ab huiusmodi personis, sed supponit pro illis.

3. Tertiò: nam si concederetur dari hũc Deum vt præintellectum ad personas, necessario ei concedenda esset propria subsistentia: & hæc esset condistincta à subsistentijs relatiuis trium personarum, siquidem ad personas præintelligeretur hic Deus subsistens. Esset præterea distincta huiusmodi subsistentia ab illa subsistentia absoluta, qua diximus supra in difficult. 56. essentiam diuinam subsistere: siquidem plura huic Deo conueniunt, quæ essentiæ, vt essentiæ conuenire haud possunt: quia essentia nõ creat sicut creat hic Deus: ergo iam darentur in Deo non solum quatuor, sed quinque subsistentiæ, vt potè duæ absolutæ, & tres relatiuæ, quod est absurdum.

Quartò, probatur præterea hæc sententia à paritate rationis: nam spirator seu hic spirator de formali significat virtutem spiratiuam: de materiali vero nõ significat aliquod vnum cõcretum: sed supponit pro duabus personis spirantibus, videlicet, Patre & Filio, & non inconuenit vnum *quo* esse, cui immediatè correspondeat suum *quod*, in duabus personis, quæ in concreto dicũtur vnus, & idem spirator. Igitur licet hic Deus de suo formali significato importet essentiam: optimè intelligitur huic *quo*, correspondere suum *quod* immediate in tribus personis, quæ sint hic Deus in diuiduum Deitatis. 4.

Quintò tandem: quia si secundum Thomistarum sententiam, tres diuinæ personæ simul, eandem singularem naturam assumerent: etiam si ibi essent tres personæ, non quidem essent tres homines, sed tantum modo vnus homo: quia non multiplicatur homo, nisi ad multiplicationem humanitatis: sed tũc hic homo dicit de formali vnam singularem humanitatem: de materiali vero immediate diceret tres personas, in quibus natura illa existeret: ergò non incõuenit quod hic Deus de materiali dicat tres personas diuinas. 5.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

IN oppositum autem est litera textualis in 1. artic. huius 1. quæstion. in corpore, vbi Doctor hæc profert: *Cuilibet entitati formali correspondet adæquate aliquod ens: ista autem Deitas, quæ est entitas formalis, quia se tota est forma, non habet sic sibi adæquate correspondens, quod, nisi Deum.* Quòd idem tenet infra in quæstion. 2. huius distinctionis, articul. 1. ad secundum argumentum, & in artic. 3. & supra in distinct. 2. quæst. 7. artic. 1. in corp. hæc ait: *Neque se habet natura ad suppositum, sicut quo ad quod: vni cuique enim quo correspondet propriũ quod,* 6.

vel

vel quis: & ita ſicut natura eſt quo, ita habet proprium quod, vel quis, quod non contrahitur ad ſuppoſitum. Sequuntur Doctorem Baſſolis in 1.diſtinct.4.quæſt.4.art. 1. Guillelmus Rubionis, ibidem quæſt. 2. & ſpecialius §. *quantum ad ſecundum*, Tatheretus ibi quæſtion. 1. ſub §. *circa diſtinctionem*, Lychetus ibidem quæſtio. 1. § *ſenſus huius litteræ*, & quæſt. 2. Vigerius quæſt. 1. §. *dicendum*, Pater Rada, 1. part. controuerſia 12. artic. 1. concl. 1. Pater Herrera in 1. diſput. 6. quæſt. 2. indicat Pater F. Ioannes de Ouando in 3. pag. 57. § *ad quintum*, Filippus Faber in 1. diſput. 30. cap. vnico Gregorius Pomerius hîc in Commentario ad quæſtionem 1. & reliqui omnes Scotiſtæ. Item eſt expreſſa ſententia D. Thomæ, prout plures Thomiſtæ ipſum commentantur 1. part. quæſtio. 39. artic. 4. quatenus diſtinguens hoc nomen *Deus* à perſonis, hæc ait: *Quandoque ergo hoc nomen Deus ſupponit pro eſſentia, vt cum dicitur, Deus creat: quia hoc prædicatum competit ſubiecto ratione formæ ſignificatæ, quæ eſt Deitas.* Quam ſequuntur Caietanus ibidem, & artic. 5. & 3. part. quæſtion. 2. artic. 2. Bañez 1. part. quæſt. 39. in Commentario ad 4. articulum ſub §. *pro ſolutione trium*, ſolutione ad quartum argumentum, Zumel 1. part. quæſt. 3. art. 3. ſub diſcurſu articul. Michael de Palacios in 1. diſtinct. 4. quæſt. 1. & omnes fere Thomiſtæ; ex Ieſuitis vero Molina 1. p. quæſtion. 39. artic. 4. diſput. 1. Suarez 3. part. diſp. 13. ſect. 1. & 1. part. tractatu 3. lib. 4. capit. 14. numer. 6. Vazquez 1. part. diſp. 156. capit. 2. Eſtque cõmunis Theologorum ſententia.

Baſſolis. Rubionis. Tatheret. Lichetus. Vigerius. Rada. Herrera. Faber. Pomerius. D. Thom. Caiet. Bañez. Zumel. Palatius. Molina. Suarez. Vazquez.

7. Tametſi circa principalem huius difficultatis concluſionem non differant Auctores pro ſecunda ſententia allegati: in modo nihilominus exponendi illam, non minimam diſcordiam inter eos video excitatam. Quidam etenim, ita hoc indiuiduũ naturæ diuinæ appropriant, vt nulli alteri naturæ conuenire poſſe pro viribus tueantur: ſic plerique citati & præſertim Pater Rada, qui in fine obſeruationis tertiæ ait, quod in hoc latitudo myſterij Trinitatis conſiſtit, quod datur hic Deus per ſe ſubſiſtens præintellectus perſonis: quod idé aduertit Pater Herrera notabili vltimo. Alij verò hoc indiuiduum non ſolum in Deo admitunt, ſed etiam in humanitate, & in qualibet creata natura: ſic Suarez loco citato in 1. p. n. 3. ſed clarius Vazquez, num. 7. Rurſus aliqui tamquam rationem requiſitam ad hoc indiuiduum, videntur ponere ſubſiſtẽtiam abſolutam communem, qua indiuiduum Deitatis ſubſiſtit: ſic Caietanus, P. Rada, P. Herrera, Suarez, & alij. Vazquez verò, 1. p. diſp. 125. c. 3. prout vidimus ſupra in difficult. 56. negans dari in Deo talem ſubſiſtentiam abſolutam communem, tenet hîc nihilominus dari indiuiduum Deitatis antecedenter ad perſonas, ab illiſque ratione diſtinctum.

8. Vt igitur, quæ nobis magis rationi conſentanea viſa fuerint, eligamus, & difficultatem exactius explanemus, primo obſeruare oportet, hoſce terminos *abſtractum, formale, & quo*, quatenus ad preſens attinet, eſſe ſynonimos, ſicuti iſtos eis correſpondentes, ſcilicet, *concretum, materiale, & quod*: nam ſicut humanitas eſt quid abſtractum, & formale hominis, & quo homo eſt homo: ſic homo eſt concretum correſpondens humanitati, & eſt materiale illius, & eſt illud, quod habet humanitatem. Inquit igitur Doctor in citata littera 1. art. huius quæſt. quod vnicuique *quo* correſpondet ſuum *quod*: ac ſi dicat, quod vnicuique entitati abſtractæ correſpondet ſuum concretum, & cuicumque entitati formali correſpondet ſuum materiale: vtpote, humanitati correſpondet homo; & equinitati equus, & albedini album, & Deitati Deus: in quo omnes, nemine dempto, conueniunt. Et ratio à priori eſt: quia omne abſtractũ ideò abſtractum dicitur: quia abſtrahitur ab aliquo habente illud: hoc igitur habens abſtractum in ſe, à quo tale abſtractum abſtrahitur, eſt concretum, quod ſibi neceſſariò correſpondet. & hoc eſt *quod*, & materiale illius.

Cuicunque quo occorreſpondet ſuũ quod.

9. Bipartita eſt attamen claſsis opinãtium circa intelligentiam huius doctrinæ. Auctores namque primæ ſententiæ intelligunt inter naturam, & ſuppoſitum, nullum medium reperiri, hoc eſt, loquendo de naturis ſubſtantialibus, de quibus hic eſt ſermo: nam accidentales non habent ſuppoſita: & ideò concernunt, & connotant ſubiectum,

atque

atque ideò inquit, quod sicut inter humanitatem, & suppositum hominis, nihil mediat, sed suppositum est immediatum concretum, ac *quod*, & materiale humanitatis: ita quod non mediat hic homo inter humanitatem, & suppositum Petri: sed ipse Petrus, vt suppositum, est hic homo: sic inter Deitatem & personas diuinas, nihil mediat: sed ipsæ personæ sunt *concretum*, & *quod*, & immediatum *materiale* Deitatis: atque ideo hic Deus indiuiduum Deitatis non mediat inter essentiam, & personas: sed immediate supponit pro personis diuinis.

10. Auctores tamen secundæ sententiæ, & si admittant primam huiusmodi expositionis partem, non tamen secundam concedunt. Plerumque enim fatentur, quod licèt in naturis creatis nullum sit medium inter naturam, & suppositum, vt de humanitate, & Petro philosophantur: hoc nihilominus est singulare mysterium in Deo, quod, scilicet, inter naturam diuinam, & suppositas mediet hic Deus indiuiduum Deitatis subsistens. Quod quidem indiuiduũ est immediatum *quod*, & concretum, & primum materiale Deitatis: atque videtur hoc ideo in Deo singulariter admittere: quia singulariter de solo Deo habetur, quod sit subsistens, etiam prouè præintellectus personis. Et quia creatura non est natura subsistens, nisi per subsistentiam personalem: ideò inter naturam, & personam non mediat aliquod indiuiduum à natura, & personis distinctum, sicut in diuinis inter naturam, & personas datur hic Deus.

11. Alij vero eiusdem secundæ sententiæ sectatores, vt vidimus (quod meo videri est longè verius, & literæ Scoti cõformius, vt infra patefaciam) ex diametro primæ sententiæ opponuntur: non etenim solum in Deo hoc indiuiduum medium inter naturam, & personas cõstituunt, in quo cum reliquis auctoribus secundæ sententiæ in principali cõclusione conueniunt: verum etiam in quacunque natura creata, hoc idem necessario fatendum esse affirmant, in quo ab eis dissentiunt. Proindeque ad hoc parum referre propriam naturæ subsistentiam, sed satis naturæ existentiam sufficere, eruditissimè arbitrantur. Si enim re vera Scotus non magis Deitati, quam cuilibet alteri entitati, inquit necessario correspondere suum *quod*: & antecedenter ad personam, in natura creata valet optimè reperiri illud *quod*: cur restringenda est Scoti doctrina ad Deum, siquidem in creatis verificari potest? Nunc ergo euidenter ostendãhanc esse expressam mentem Doctoris ex legitima intelligentia literæ textualis, ex qua luce clarius iuxta verba illius patefiet intentum.

12. Ad huius igitur euidentiam maximè ponderanda sunt verba Doctoris ex primo articulo iam relata, scilicet: *Cuicunque entitati formali correspondet adæquate aliquod ens. Ista autem Deitas, quæ est entitas formalis, cui se tota est forma, non habet sic sibi adæquate correspondens, nisi Deum.* Non enim solum docet Doctor cuicunque abstracto, seu cuicunque *quo*, correspondere suum *quod*: sed hoc amplius vrget dicendo, tale *quod* debere esse ens, quod adæquate correspondeat illi entitati. Et ex eo quod Deitas se tota est forma, deducit, nihil aliud posse adæquate correspondere Deitati, nisi Deus. Ex quo autem Deitas, quæ adæquatur, est singularis, & hæc concludit, *quod* illi adæquans, necessario esse hunc Deum singularem. Ex qua ratione, & verbis Doctoris plura ad intentum habemus. Primum quidem, quod non solum Deitati, sed etiam entitati creatæ correspondet suum *quod*, vt patet ex verbis: *Cuicunque entitati formali correspondet, &c.* Secundum quod illud correspondens debet esse adæquatum illi, cui correspondet. Adæquare autem est, neque excedere, neque excedi, vt patet per exemplũ de vase aqua pleno, quod nec pluris aquæ est capax, nec aqua vas maius, aut minus expostulat. Attamen persona tam increata quàm creata, naturam procul dubio excedit: quia eius rationem includit, & aliquid amplius ratione personalitatis importat. Deitas etenim dicit precisè naturam diuinam absolutam: persona tamen diuina dicit & hanc eandem naturam absolutam: & præterea relationem personalem à natura distinctam, quam ipsi addit. Plus namque dicit Pater, quam Deitas: quia omnia, quæ sunt formaliter in Deitate, formaliter Pater includit: & vltra ea includit Paternitatem, quam essentia formaliter

Quod correspondens entitati debet esse illi adæquatũ.

Hic Deus adæquate correspondet Deitati, vt suum quod non vero per-

maliter nõ includit: ex quo fit manifestum, & euidens, quod nec diuinæ personæ, vt sic, possunt adæquate correspondere essentiæ formaliter sumptæ, neque essentia formaliter, vt essentia, potest adæquare personis.

---

§. 3.

Etiam humanitati, & cuilibet naturæ creatæ correspondere suum quod *distinctum à supposito ostenditur.*

13. HOC idem adaptandum est naturæ creatæ: nam humanitas, verbi gratia, non adæquatur à personis: imò nec humanitas hæc ab hac Petri persona adæquatur. Hoc euidenter patet: nam humanitas hæc non includit in suo conceptu formali subsistentiam, aut personalitatem: imò personalitas, & subsistentia ab humanitate realiter distinguuntur, vt latè habetur ex obseruatis supra in difficultate 53. & patet in incarnationis mysterio, vbi fides docet Verbum assumpsisse humanitatem, & non suppositum: quia suppositum incommunicabilitatem de formali importat, quam hæc natura à Verbo assumpta de se non dicit: quia si illam diceret, inassumptibilis esset, sicut suppositum: ergo suppositum seu persona, non est *quod*, adæquate correspondens humanitati: igitur aliud *quod* iuxta Scoti doctrinam debemus statuere, quod adæquate huic entitati, quæ est humanitas, correspondeat: hoc tale nõ est aliud, nisi hic homo præintellectus personæ, sicuti in diuinis est hic Deus præintellectus ad diuinas personas.

Hic homo adæquate correspondet huic humanitati, nõ vero persona humana.

14. Adde, quod multò minus adæquate correspondet humana persona humanitati, quàm diuinæ personæ correspondent Deitati. Nam in hoc saltem diuinæ personæ adæquate correspondent essentiæ: quia neque essentia plures personas expostulat, nec personæ plusquã vnam essentiam, seu Deitatem requirunt. At natura creata, non vna personalitate, etiam propia, est contenta: quia sibi remanet potentia obedientialis ad existendum in diuino supposito. Et sic in sua ratione est quodammodo indifferens, ad existendum in supposito proprio, vel alieno, ex quo, nec vnũ, nec aliud suppositum sibi adæquate respondet: quia si in alieno existit, adhuc est ibi cum appetitu naturali ad proprium: si vero in proprio existit, etiam est ibi cum potentia obediẽtiali ad alienum: & sic neutrum eius potentiam, aut appetitum satiat, nec ex consequẽti sibi adæquate correspondẽt. Quam obrem si in diuinis ex eo, quod personæ non adæquate correspondẽt Deitati, ponendum est in diuiduum Deitatis præintellectum personis, quod illi adæquate correspondeat: á fortiori tale in diuiduum est concedendum humanitati, seu naturæ creatæ: siquidem minus adæquatur à sua persona, quam Deitas à tribus diuinis suppositis.

Minus adæquat suppositũ creatum naturæ creatæ, quàm diuina supposita Deitati.

15. Habetur præterea ex nuper relatis verbis Doctoris, quod, quia Deitas est de se hæc, cui repugnat diuidi: ideò Deus sibi correspondens est hic. Vnde si Deitas, seu natura diuina esset vniuersalis, sibi correspondere et adæquate Deus vniuersalis. Quia ergo humanitas dupliciter potest considerari, vel, scilicet, in cõmuni abstracta ab omni ratione indiuiduali, prout supra notauimus in Cõmentario ad articulum primum quæstionis 7. distinct. 2. num. 2. & 3. & etiam vt indiuiduata, prout iam est hæc natura, seu hæc humanitas realiter existens per propriam existentiam: ideò si primo modo consideretur, sibi adæquate correspondet homo, etiam non indiuiduatus: si verò capiatur, secũdo modo, sibi adequate correspondet hic homo indiuiduum humanitatis. Ex quibus cõcluditur secundum mentem, & verba Scoti, quod abstractum, & concretum, seu formale, & materiale, seu *quo*, & *quod*, debent habere rationem omnino æqualem, & tantum differre non in re significata, sed ratione, seu in modo significandi, vt præclare notauerunt Lychetus dist. 4. q. 2. §. sed *numquid*, & Tateretus loco citato, vbi contra Ocham dicunt, sufficere distinctum modum significandi inter Deum, & Deitatem, ad hoc quod Deitas sit *quo*, & Deus sit *quod* sibi

Deitas habet duplex quod, ac etiam humanitas.

sibi correspõdens: nam in re ipsa Deus, & Deitas sunt prorsus idem. Ex quo sequitur, quod illud materiale seu *quod*, quod distinguitur à formali seu *quo*, plus quam in modo significandi, non est suũ *quod* adæquate sibi correspondens: sed aliud secundario materiale. Quia ergo persona tam increata, quam creata, plus distinguitur à natura, quam in modo significandi: increata enim distinguitur formaliter ex natura rei ab essentia: creata vero distinguitur realiter à natura: & veraque dicit distinctum conceptum quidditatiuum à cõcepcu naturæ: ideò nec diuina persona, nec creata, est illud *quod*, adæquate correspondens entitati formali naturæ.

16. Quia vero hic Deus non aliter differt à Deitate, nec hic homo ab hac humanitate, nisi secundum diuersum modum significandi: in re autem eundem prorsus conceptum quidditatiuum, & non aliquid aliud significat, quã illud, quod significat naturæ, quibus correspondẽt: ideô hic Deus est primum materiale, adæquate correspondens Deitati: & hic homo est etiam primũ materiale, quod adæquate correspondet huic humanitati. Ex quo resoluitur, quod non minus datur in creatis indiuiduum correspondens naturæ præintellectum personis, quam in Deo.

17. Porrò iam habito contra citatos Auctores dari etiam indiuiduum humanitatis, seu alterius creatæ naturæ, præintellectum personæ: restat inuestigandũ nobis, qualiter hoc tale indiuiduum esse possit, aut intelligi: cum nihil aliud in homine esse videatur, quam natura, & suppositum. Pro cuius clara intelligentia obseruandum est secundo, dupliciter intelligi posse, hoc indiuiduum humanitatis essa in rerum natura antecedenter ad personam: vel quidem primo antecessione reali, & forsan in aliqua tẽporis præcessione. Vel secundo per solam antecessionem ordinis naturæ, seu rationis, quo vnum obiectiuè sine contradictione præconcipitur antecedenter ad aliud, etiam ipso alio non concepto. Priori modo, necessario constituendum est indiuiduum humanitatis ab Auctoribus concedentibus posse per Dei potentiam, humanitatẽ sine aliqua persona propria, vel aliena existere. Hac etenim opinione admissa, quam tenent Lychetus in 3. distinct. 1. quæstion. 1. §. *dico primo*, & Suarez 2. tom. Metaph. disput. 34. sect. 2. num. 20. quod supra pro illa allegauimus & obiter cõfutauimus in difficul. 53. num. 16. necessario debet admitti indiuiduum humanitatis illo priori modo. Hac enim hypotesi admissa, quod per Dei potentiam humanitas hæc sine subsistentia ac suppositi proprio seu alieno, realiter in rerum natura existerer, & postquam aliquo tempore realiter exstitisset, personaretur propria personalitate: tunc procul omni dubio daretur in re ipsa, & priuitate temporis, indiuiduum humanitatis, re, & tempore antecedens personam. Hoc namque ex nuper relata litera Doctoris ostendo: nam cuicumque entitati formali necessario correspõdet suum *quod*: ergo humanitati illi, tunc sine suppositi existendi, suum *quod* necessario correspõderet: quia se tota est forma, seu *quo*. Hoc autem *quod* non est suppositum, quia supponitur sine supposito existere: ergo pro illo priori, pro quo sine supposito existit, non habet sic sibi adæquate correspondens, *quod*, nisi hominem: humanitas autem illa, vt supponimus, de se est hæc, siquidem realiter existit: ergo homo sibi correspondens, de se est hic homo: & ita illi humanitati correspõderet hic homo, absque eo quod hic talis homo esset suppositum. Si igitur in tali casu absque supposito correspõderet illi humanitati hic homo: consequenter dicendum est, quod nunc etiam humanitati existenti in supposito correspondeat adæquate hic homo indiuiduum humanitatis præintellectus supposito: siquidem ob actualem coniunctionem naturæ cum supposito, non tollitur ab ea, quod sibi correspondeat idem *quod* adæquatum, quod sibi correspõderet si sic coniuncta non esset. Ratio autem, qua probatur tunc sibi correspõsurum fore suum *quod*, est idem argumentum, quo Scotus in citato primo articulo probat dari indiuiduum Deitatis, cuius efficacia æqualiter hîc, atque illic concludit.

Indiuiduũ humanitatis dupliciter intelligitur antecedere per sonam.

18. Verum enim verò, quia opinio illa de natura sine supposito, etiam per Dei potentiam existente, mihi non probatur, nec in illa vestigium veritatis inue-

nio,

nio (vt alibi demonstrabo) aliter nempè secũdo modo humanitatis indiuiduum mea interest inuestigare. Ad cuius intelligentiam suppono cum sapientissimo Magistro P. Fr. Ioanne de Ouando, in 3. pagin. 207. columna 1. quod etiam enucleauit doctissimus Suarez 3. part. tom. 1. disput. 50. sect. 2. § *quocirca*, quod verbi gratia, in Petro, hic homo, vt precisè est hic homo, non includit in conceptu suo suppositum: sed tantummodo humanitatem in concreto significatam. Ad cuius euidentiam considerem⁹ in Petro omnia prædicata essentialia, quibus est in concreto hoc ens, hæc substantia, hoc corpus, hoc viuens, hoc animal, & hic homo. Quæ omnia quanuis realiter, non nisi in supposito reperiri possunt, eo quod subsistunt ad subsistentiam illius: quo circa dixit Philosophus, quod peremptis primis substantijs impossibile est aliquid remanere: taliter tamen hæc omnia ibi subsistunt, vt vnumquodque secundum suam precisam rationem, qua illi conuenit, predicetur de illo, absque eo quod in se inferius sibi includat: nam ita dicitur Petrũ esse viuens, vt in illa prædicatione nihil sensibilitatis includat: & ita dicitur esse animal, vt nihil pro illo priori naturæ, pro quo precisè est animal, includat rationalitatis. Si ergo animal precisè (sicut, & alia essentialia prædicata) prædicat suam rationem de Petro, quatenus est precisè hoc animal indiuiduum animalis, abstrahendo ab humanitate: quia hoc animal, etiam demonstrato Petro, est precisum indiuiduum animalis, cur non poterit homo prædicari de Petro abstrahendo à ratione suppositi: ita vt hęc sit immediata prædicatio: hic homo est homo, claudendo inconceptu formali subiecti huius propositionis, precisum indiuiduum humanitatis?

Ouando.

Inquolibet indiuiduo totali plura indiuidua partialia reperiũtur.

19. Profecto nulla ratio efficax hanc veritatem poterit infirmare: præsertim, quia non minus accidit suppositum homini, quam homo animali. Nec obstat, quod non possit esse hic homo nisi in supposito: quia etiam idem argumentum fieri potest de cæteris essentialibus prædicatis, quæ conueniunt homini, & nihilominus vnumquodq; distinctum habet formalem conceptum: sicut ergo saluatur ordo naturæ, quo præintelligitur hoc viuens ad hoc animal, & hoc animal ad hunc hominem: sic saluatur idem naturæ ordo, quo præintelligitur hic homo ad hoc suppositum: quia sicut hoc animal correspondet huic animalitati, tãquam proprium *quod*: sic hic homo correspondet huic humanitati, tanquam immediatum, & proprium *quod* illius.

Ex quo colligitur non prærequiri ad indiuiduum humanitatis hoc, quod est subsistere: sed optimè potest saluari cum preciso existere, loquendo de suo precisso conceptu, quo formaliter est hic homo: quanuis benè supponatur nõ posse existere nisi in supposito subsistente: quinimò, neque ad indiuiduum Deitatis requiritur subsistẽtia ad precisam rationem indiuidui talis naturæ: atque ideo etiam si non daretur in Deo subsistentia absoluta (vt Vazquez aiebat) ad huc daretur indiuiduum Deitatis existens eadem existentia absoluta essentię: quia, vt dictum est, hoc indiuiduum non aliter, quam in modo significandi differt à natura, cui correspondet: & ideo non differt ab illa in existentia, aut subsistentia: sed in hoc precisè, quod est significare in concreto, aut in abstracto. Vndè si natura ex se ipsa subsistit, sicut natura diuina: eius concretum etiam eadem subsistentia subsistit. Si vero tantum existit, sicut natura creata: indiuiduum quoque sibi correspondens, eadem naturæ existentia existit: & ita in hoc, quod est existere, aut subsistere, nõ constitit ratio huiusmodi indiuidui: licet de facto bene fateamur, indiuiduum Deitatis subsistere: quia Deitas ex se ipsa independenter à personis subsistit. Quia vero humanitas hîc, non à se ipsa, sed à persona dependenter subsistit: ideo hic homo ei correspondens, non subsistit, prout præintellectus personæ, sed tantum à persona dependenter subsistit.

20. *Indiuiduũ saluatur in re, sine subsistere, cum solo per se existere.*

Ex hac verò doctrina sumpserunt responsionem P. Ouando, & Suarius, vbi supra ad illam celebrem D. Pauli autoritatem ad Roman. 1. vbi de Christo Domino, inquit: *Quod factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est esse Filius Dei in virtute*. In cuius explicatione magnopere se fatigant Doctores: quia prædestinatio est alicuius ad

21. *Ouando. Suarez.*

ad aliquid, & ex consequenti supponit obiectum distinctum esse à termino, ad quem prædestinatur. Terminus autem prædestinationis istius, est *esse Filium Dei*, quod esse per vnionem ad diuinum suppositum habetur: ergo antecedenter ad suppositum diuinum, præsuponitur subiectum prædestinationis. Hoc tale non est natura ipsa, vt omnes concludunt: sed in Christo non videtur aliud esse, præter naturam, & suppositum. Ex quo oritur huius auctoritatis intelligendæ ingentissima difficultas: quia videtur idem prorsus esse subiectum, & terminum: & ideo difficile satis est intelligere, qualiter potuerit Christus prædestinari ad esse Filium Dei? Illam attamen egregie soluunt Auctores prædicti ponendo ex parte subiecti individuum humanitatis, quod est hic homo: hic siquidem à supposito est distinctus: quia quamuis non nisi in supposito esse possit: in supposito nihilominus existens, ab ipso supposito differt. Et ideo saluatur optime, quod hic homo, qui est Christus, prædestinatus est ad esse Filium Dei naturalem, quod habet ex vnione Hypostatica ad suppositum verbi.

Optima ex positiuili 2. auctoritatis ad Ro. 1. qui prædestinatus, &c.

22. Nec obstat, quod nunquam hic homo realiter extiterit, aut potuerit existere, sine supposito, adhoc vt prædestinetur ad illud: quia ex hoc tantum arguitur non posse dici, quod hic homo factus est Filius Dei: eo quod adhoc vt realiter homo fieret Filius Dei, requirebatur hunc hominem realiter existentem præsupponi ad vnionem Hypostaticam. Sed optime potest dici, quod hic homo prædestinatus est esse Filius Dei: quia ad prædestinationem vnius ad aliquid, sufficit antecessio, seu ordo naturæ, quo vnum præconcipitur naturaliter prius alio, vt prædestinetur ad illud: quia vt bene notauerunt Suarius, & Ouando, actus intentionales (qualis est prædestinatio) terminantur ad rationes abstracte consideratas: actiones vero reales exeunt immediatè à rebus, prout existunt à parte rei.

23. Vltimo obseruandum est aliquas esse in Deo actiones, seu operationes essentiales, tam ad intra quam ad extra terminatas: aliquas vero notionales tantummodo terminatas ad intra. Primi generis sunt intelligere, & velle, tã quibus Deus se ipsum diligit, & intelligit, quã etiam quibus cognoscit, & vult alia à se: item creatio, iustificatio, & aliæ similes. Secundi vero generis sunt, generatio, & spiratio. Dico modo, quod actiones, seu operationes primi generis primo, & perse competunt Deo, vt est hic Deus, prout eleganter ostendit Doctor infra in q. 2. huius 4. dist. ar. 3. in corpore: secũdario vero huiusmodi actiones, seu operationes cõpetunt personis diuinis. Actiones vero secũdi generis primo, & perse cõpetunt personis: secũdario vero cõpetunt huic Deo. Cuius ratio à priori est: quia principiũ formale cuiuslibet actionũ prioris generis, est quid essentiale, & essentialia per prius cõpetunt Deo, vt Deus est, quã personis. Principiũ vero formale actionũ secũdi generis est, & intellectus in ratione memoriæ fœcundæ, & voluntas in actu primo, vt principiũ spirandi. Intellectus autẽ in ratione memoriæ fœcũdæ primo, & perse cõpetit Patri. Itẽ volũtas in actu primo ad spirãdũ, primo, & perse cõpetit Patri, & Filio: ergo generatio, & spiratio, quæ sũt actiones secũdi generis, primo, & perse cõpetunt personis. Ex hoc valet, quod istæ causales sunt veræ, ideo Pater creat, seu intelligit, aut vult, tam ad intra quam ad extra: quia hic Deus creat, intelligit, aut vult. Et viceuersa, ideo Deus generat, aut spirat: quia Pater generat, aut Pater, & Filius spirant: quãobrem huic Deo primo, & perse non cõpetit generare: & ideo quando Doctor in 1. & 2. art. huius quæst. determinat, ꝙ hæc est vera, Deus generat Deũ: nec à parte subiecti, nec à parte prædicati supponit Deus pro hoc Deo indiuiduo Deitatis, nisi secundario: quia generare est actio notionalis, quæ immediatè cõpetit personæ. Atqui hic Deus non est persona, sed cõmunis tribus personis: non ergo sibi perse primo cõpetit generare, nec generari. Et præterea, quia inter generans, & genitũ interest distinctio realis: cũ autẽ Deitas sit hîc singularis, & sibi correspõdeat hic Deus indiuiduũ Deitatis: nõ est aliqua alietas inter Deũ, & Deũ, & ideo negatur ibi à Doctore hæc propositio, Deus generat aliũ Deũ. Restat ergo, quod hæc propositio, Deus generat

In Deo sũt actiones essentiales, & notionales.

Actiones essentiales per se primo cõpetũt huic Deo. secundario personis: è cõtra vero actiones notionales.

Deus gẽuit Deum, est vera propositio, nõ vero, Deus gẽuit alium Deum.

nerat Deum, sit vera in prædicto sensu, quod, scilicet, generare, & generari, primo, & perse cõpetũt personis: & quia tam persona generans, quam genita est Deus, quasi secundario competunt Deo: & ideo est vera propositio, quod Deus genuit Deum, hoc est, suppositum, quod est Deus, genuit suppositũ, & etiã est Deus. Quia igitur actiones non competunt formaliter alicui abstracto (vt videbitur infra in distin. 5.) nec essentia generat, nec creat: & ideo sicut debet assignari aliquod concretum, quod sit principium *quod* generationis, quod est Pater: sic debet assignari etiam aliud principium *quod* creationis, & aliarum actionum, seu operationum primi generis, quod non est aliud nisi hic Deus indiuiduũ Deitatis.

§. 4.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

24. 1. *Concluſ.* HIS præhabitis, difficultatem concludendo, dico primo, quod indiuinis datur hic Deus indiuiduum Deitatis formaliter ex natura rei distinctus à personis ipsisque præintellectus: ab essentia vero non nisi ratione ex diuerso modo significandi distinctus. Conclusio hæc, quoad principalem partem, est communis omnium, quos cum Doctore pro secunda sententia retulimus: quoad secundam vero est expresa Doctoris, & omnium sequentium eum circa distinctionem formalem inter essentiam, & personas, seu relationes, prout latè visum est supra in difficultate 54. quia nõ minori, aut maiori distinctione distinguitur hic Deus, quam hæc Deitas à personis. Sed vt constat ex ibi probatis, Deitas, seu essentia, distinguitur formaliter ex natura rei à personis: ergo hic Deus indiuiduum Deitatis eadem distinctione distinguitur ab illis, & eadem ratione præconcipitur antecedenter ad personas, qua essentia ad illas præintelligitur. Tertia tandẽ pars huius conclusionis est apud omnes cõmunis: quia hic Deus, & hæc Deitas nõ aliter differunt, quam sicut abstractum, & concretum eiusdem prorsus naturæ: sed hæc non pluſquam in modo significãdi differunt, quæ est tantũ differentia rationis; nam nulla ratio conceptibilis includitur in vno, quæ non includatur in alio, præterquam quod concipiantur, vt *quo*, & vt *quod*: ergo, &c.

Indiuinis datur hic Deus distinctus formaliter à personis.

Prima igitur pars conclusionis, in qua presens difficultas consistit, probatur omnibus testimonijs Sacræ Scripturæ, & Conciliorum deffinitionibus, quibus probatur simul cum Trinitate personarum stare Dei vnitatem, qua omnes tres personæ sunt essentialiter vnus Deus. Non etenim ibi solummodo vna Deitas abstractè sumpta est: sed etiam vnus Deus in concreto, qui prædicatur de suppositis, vt fides docet. Deum autem nõ esse multiplicem, sed vnum numero, atque hunc Deum, qui de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, tã simul sumptis, quam de quolibet seorsum, prædicatur esse vnum, eadem fides deffinit. An autem hic Deus supponat pro aliquo diuinis personis præintellecto, an solum pro ipsis personis, in hoc difficultas Theologica habet locum, circa quod nostra conclusio optimè ex allegatis Scripturæ, & Conciliorum testimonijs confirmatur, & ex infra ponendis rationibus patet. 25.

Conclusionem præterea sancti Patres confirmant autoritatibus suis, quæ hic possent afferri: sed illa nobis sufficiat, quam Vazquez, cap. 3. addücit D. Damasceni, ex quo Nicetas hęc inquit: *At Dei vocabulum, & naturæ communitatem significat, & in vna quáq; persona æque collocatur, quemadmodum, & homo: Deus enim is est, qui diuina natura præditus est, & homo, qui humana.* Ex quibus verbis planè habetur conclusio, quod, scilicet, Deus non pro personis supponit, sed pro habente naturam diuinam personis cõmunem, & ratione illius omnibus suppositis est communis: quod de nulla persona, nec de omnibus simul verificari potest. 26. *D. Damaſ. Nicetas.*

Demum ratione probatur conclusio, ratione ipsius Scoti, quæ habetur infra in q. 2, huius 4, dist. art. 1. solut. ad 2. his verbis: *Cuilibet naturæ adæquate correspõdet vnum singulare, quod singulare, vel est in cõmunicabile, sicut in creaturis, vel communicabile, sicut in Deo: natura autem diuina vnica est omnino implurificabilis, & innumerabilis: ergo ei adæquate correspondet vnum* 27.

vnum singulare, quod exprimitur nomine Dei: quod naturali intelligentia intelligitur ante quancunque proprietatem personalem.

28 *Nomen Deus, aliquando significat vnã personam, aliquando duas, vel tres, aliquã do essentiã.*

Secundò probatur ratione desumpta ex Diuo Thoma, locis supracitatis: nam secundum ipsum, prima parte quæstion. 39. articul. 4. in corp. hoc nomen Deus aliquando supponit pro vna sola persona, vt in hac, Deus generat: aliquando pro duabus tantum: vt in hac, Deus spirat: aliquando pro tribus simul, vt in hac, soli Deo honor, & gloria: aliquando vero pro essentia, vt in hac, Deus creat: ex quo sic conficitur argumentum, in vltima propositione, quatenus, scilicet, Deus creat, subiectum *Deus*, supponit pro essentia, vt à personis distincta, secundum Diuũ Thomam: sed non potest supponere pro essentia in abstracto: quia actiones non conueniunt vltimatè abstractis, nec prædicantur de ipsis: essentia vero, vt essentia, seu Deitas, est vltimate abstracta: ergo supponit pro concreto Deitatis quomodolibet à personis distincto. Probatur item ex Doctrina eiusdem Doctoris Angelici, 3. part. quæstion. 3. artic. 3. vbi statuit, quod etiam si per intellectum separemus à Deitate personalitates: adhuc possumus intelligere humanitatem, seu humanam naturam posse assumi à Deitate, & terminari ab illa. Atqui Deitas, seu diuina essentia in abstracto, non assumeret tunc, nec terminaret dependentiam humanitatis ad se: ergo in concreto, Deitatis indiuiduum illam assumeret.

29. *Hæc propositio, Deus creat est immediata: hæc autem mediata, persona creat.*

Probatur præterea eadem conclusio: quia hæc propositio, hic Deus creat, est immediata, sicuti est mediata ista, persona creat: quia, vt vidimus, ideo persona creat: quia hic Deus creat: ergo Deus, seu hic Deus de primo significato non dicit personas, sed indiuiduum Deitatis ipsis personis præintellectum. Consequentia patet: quia alias, non magis immediata esset ista, Deus creat, quam ista, persona creat: quia æque primo competeret creatio Deo, sicuti & personæ. Quod est falsum: quia sicut generatio prius competit personæ, quam Deo, sic creatio perprius competit Deo, quam personæ.

Tandem efficaciter probatur conclusio, quoniam ista propositio est vera, Deus generat eundem Deum: ista autem est falsa, persona generat eandem personam: ergo Deus non supponit, vt sic pro personis. Consequentia est euidens: quia si supponeret pro personis, non magis esset vera vna propositio, quam altera. Confirmatur, quia non sequitur vna persona generat aliã: ergo Deus generat eundem Deum, nisi Deus dicat aliquid in suo conceptu tanquam immediatum *quod*, & primum materiale, quod non dicit personam: nam ista consequentia non tenet in simili forma: quia non sequitur, vna persona humana generat aliam: ergo hic homo generat eundem hominem: imò debet inferri oppositum, videlicet, ergo non generat eundem hominem: ergo cum in diuinis illa consequentia valeat, scilicet, vna persona generat aliam, ergo Deus generat eundem Deum, & non valeat ratione formæ: necessario dicendum est, quod valet ratione materiæ: ergo primũ significatum naturale huius nominis *Deus*, non est persona, aut tres personæ: sed aliquod singulare absolutum præintellectum personis, & ipsis commune.

30. *Deus generat eundem Deum, est verum: falsum vero, persona generat eandem personam.*

Dico secundo, in humanitate, & (in qualibet simili natura creata) hunc hominem non immediate supponere pro persona, sed pro indiuiduo humanitatis, præintellecto personæ. Conclusio est conformis doctrinæ Scoti, prout obseruatum est supra nu. 18. & sequentibus. Nec illi obstant verba ipsius Doctoris nuper relata pro prima ratione, ad probationem primæ conclusionis: vbi oppositum videtur sentire Doctor, quatenus postquã dixit, *quod cuilibet naturæ adæquate correspondet vnũ singulare*, addit: quod *singulare, vel incõmunicabile, sicut in creaturis, vel communicabile, sicut in Deo*: ibi etenim non sumitur incommunicabile pro positiua ratione incommunicabilitatis constitutiua suppositi, ita quod idem sit incommunicabile, quod suppositũ: sed sumitur negatiue, prout distinguitur à singulari cõmuni cabili, quod ob illimitationem naturæ,

31. *2. Concluſ. Hic homo non supponit pro persona, sed pro indiuiduo humanitatis.*

Singulare in diuinis est communicabile: in creatis autem incommunicabile

cui correspondet, communicatur pluribus suppositis, & prædicatur de illis: hoc enim singulare tantum in Deo reperitur: & ideo dicitur à Doctore in Deo esse singulare communicabile. In creatis autem singulare, quodcunque illud sit, hoc modo est incommunicabile: hoc est, non communicabile pluribus: quia ob limitationem naturæ creatæ, cui correspondet, de vno tantum supposito prædicatur, & sic tantum valet dicere, Petrus verbi gratia, est hic homo. Fit tamen tale indiuiduum positiuè incommunicabile per suppositum: cuius ratio est talis incommunicabilitas. Et quod hæc, & non alia sit mens Doctoris, patet ex sequentibus verbis, hæc enim ait: *Quæ communicatio intelligitur per proprietates notionales, & sicut est illa vera, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: ita ista, hic Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*

32. Huius ergo conclusionis probatio, licèt satis habeatur ex supra obseruatis à numer. 13. vsque ad numerum 22. hic amplius confirmatur: nam ex Hypothesi, quod secundum Thomistarum sententiam, posset vna numero humanitas hinc simul à tribus personis diuinis assumi, & terminaretur ab omnibus: non ibi essent tres homines, sed vnus: quia ad multiplicitatem termini materialis, non multiplicatur indiuiduum, sed ad multiplicationem termini formalis. Ideo enim etiam si indiuinis sint tria suppositа, vnus est Deus: quia Deitas vna numero est: atque ideo secundum omnes est certum, quod in tali natura singulari humana, in tribus suppositis diuinis existente, non multiplex, sed vnicus esset homo. Tunc sic: hic homo correspondens illi naturæ non supponeret pro suppositis: nam cum triplex sit suppositum, consequenter triplex, & non vnicus esset homo: quia creatæ naturæ non repugnat pluralificari, sicut repugnat naturæ diuinæ. Cum ergo non plures, sed vnus sit homo, non pro suppositis, sed pro aliquo indiuiduo humanitatis præintellecto personis, supponit hic homo. Si igitur

Indiuiduũ tantũ multiplicatur admultiplicationẽ termini formalis.

conceditur indiuiduum Deitatis præintellectum personis: quia est inconueniens pro tribus personis hunc Deum immediatè supponere: non minus inconueniens esset in illo casu concedere, hunc hominem supponere pro pluribus personis diuinis, in quibus humana natura existeret. Et ideo non minus hic debemus concedere indiuiduum humanitatis, quàm illic indiuiduum Deitatis: & ita circa hoc non est diuersitas inter indiuiduum Deitatis, & humanitatis. At qui si per impossibile in Deo esset vnicum tantum suppositum: adhuc hic Deus non pro illo supponoret, sed pro indiuiduo Deitatis, pro quo nunc defacto supponit: ergo similiter hic homo nunc in vno supposito creato naturaliter existens, non pro illo supposito, sed pro indiuiduo humanitatis, supponit: sicut supponeret pro illo, si in tribus diuinis personis existeret.

33. Dico tertio, quod hic Deus indiuiduum Deitatis, est realiter communicabilis tribus personis. Conclusio est communis, & probatur: quoniam diuina essentia hæc, & singularis, est realiter communicabilis tribus personis: ergo similiter hic Deus est illis realiter communicabilis. Antecedens est de fide: consequentia vero probatur, quoniam singulare *quod* adæquate correspondens alicui *quo*, necessario accipit à tali *quo* singularitatem, & communicabilitatem, si ipsum *quo* est singulare, & communicabile: alias enim non adæquate correspondet illi: ergo si diuina essentia est singularis, & realiter communicabilis tribus personis: necessario singulare correspondens illi tanquam suum *quod*, est realiter communicabilis tribus personis. Consequentia euidens est: quia huiusmodi *quod* tantum differt à suo *quo*, in modo significandi, non tamen in re significata: ergo cum Deitas de se sit singularis communicabilis tribus personis, consequenter hic Deus est singularis realiter communicabilis tribus personis. (.?.)

3. *Concluſ.*

§. 5.

§. 5.

Soluuntur argumenta primæ sententiæ.

34. *Ad 1. argumẽtum pro 1. sentẽtia.*

RESTAT nunc pro complemento difficultatis soluere argumenta prioris sententiæ: & ideo ad primum, dico illam esse rationem, ob quam indiuiduum Deitatis concedere cogimur: quia, scilicet, cuilibet *quo*, correspondet suum *quod*, seu cuilibet abstracto suum concretum. Quæ ratio similiter militat in hac humanitate, & in hoc homine, de quo diximus supra latè, & præsertim in conclusione secunda, non immediatè supponere pro persona, sed pro indiuiduo humanitatis. Et sic humanitas habet duo materialia sicut Deitas: primum quidem est indiuiduum eius, quod est hic homo: secundum vero est suppositum in quo existit: sicut etiam duo sunt materialia Deitatis, quorum primum est hic Deus, secundum vero ipsæ diuinæ personæ.

35. *Ad secũdũ*

Actiones sunt suppositorũ, quo modo debeat intelligi.

Ad secundum, solet multipliciter illa maior exponi: Scotus enim infra in distinction. 12. quæstion. 1. ad secundum, quem sequitur Caietanus, illam interpretatur sic, quod actiones sint suppositorum, vel singularium perse existentium: ac si dicat, quod ratio agendi supposito, non est ipsa suppositalitas, quæ est incommunicabilis: sed subsistentia, quæ est perse existentia. Atque ideo intelligendus est Philosophus, quod actiones sunt quorumlibet singularium subsistentium, siuè subsistant incommunicabiliter, vt suppositum, siue communicabiliter, vt hic Deus. Sed quia per hanc distinctionem excluduntur à ratione agentium omnia, quæ perse non existunt: aliter alij, vt secundum eundem Scotum respondeant, dicunt: quod actiones sunt suppositorum, vel singularium existentium: vt etiam indiuiduum humanitatis, & plura alia realiter existentia, ab alijs agentibus non excludant. Ego vero fretus Scoti doctrina, quam præbet in 4. distinction. 12. quæstion. 3. litera A A. in primis nego propositionem illam, *actiones sunt suppositorum* esse Aristotelis, in præm. 1. Methap. aut alibi: sed vt optimè Doctor notauit, ibi habetur à Philosopho, quod actio est circa singularia: hoc est obiectum actionis est singulare: at vero ex parte principij agentis non requiritur suppositum. Inquit ergo Scotus, sed *vnde locus? est circa singulare, vt obiectum, ergo est solius suppositi, vt agentis?*

36.

Statuit igitur maximam illam sæpissime repetitam, Scotus, *actiones sunt suppositorum*, Aristotelicam non esse dum inquit: *Si ergo accipitur ista propositio, actio est suppositi: sumitur aliunde, quam à Philosopho.* Præterea propositionem prædictam, & si non tanquam Aristotelicam nihilominus tanquam communiter admissam in Scholis, dupliciter Doctor exponit. Primo, vt ipse ait, quod *saltem hic actio est suppositi, vt vltimati denominati ab actione: sed non vt solius denominati ab actione.* Ac si dicat, quod actio duo denominat, & quidem naturam seu indiuiduum naturæ, & suppositum. Primo igitur naturam seu indiuiduum naturæ inconcreto denominat, vltimate vero denominat suppositum: quia primo denominat subiectum actio, cui immediate inhæret, vltimate vero eadem actio denominat suppositum in quo talis natura existit, vel subsistit verbi gratia, intellectus producit intellectionem, & suppositum habens intellectum denominatur sic producens, & ipsimul intellectus ipse denominatur producens: tunc actio productiua intellectionis, & denominat intellectum, cui primo competit, & suppositum, cuius est intellectus. Sed primo denominat intellectum, cui inhæret: vltimate vero denominat suppositum, cuius est talis intellectus. Sic igitur exponit Doctor, quod actiones sunt suppositorum, non tanquam primo denominatorum, sed tanquam denominatorum vltimate. Quod ibi latè declarat de forma caloris, quæ calefacit, & de alijs. Sed ad propositum non illuc progredimur, sed nobis sat

est diuinam naturam inconcreto sumptam, scilicet, hunc Deum, & si non sit suppositum, posse primo denominari à pluribus actionibus: quia in hoc quod est denominari ab illis, habet modum suppositi: nam sic tandem explicat Doctor illam propositionem, quod, scilicet, actiones sunt suppositorum, hæc dicens infra sub litera BB. *Breuiter exponitur, vel alicuius habentis modum suppositi. In hoc autem, quod dico habere modum suppositi, nihil positiuum intelligo vltra essentiam formæ, sed tantum negationem informandi.*

37. Vel tandem aliter dico etiam, iuxtà Scoti doctrinam, quod actiones sunt suppositorum, non elicitiue, sed denominatiue. Elicitiue etenim competunt naturæ seu principio, quod formaliter elicit: denominatiue vero conueniunt supposito, eo quod omnes actiones, quæ conueniunt naturæ, ipsum denominant. Atque ideo intellectio elicitiue habet esse ab intellectu, licet Petri suppositum denominetur intelligens. Et hac distinctione, solet optime responderi ab Scotistis, ad illud argumentum, de infinito valore operum Christi Domini, quando arguitur, quod ideo infinitæ fuerunt operationes illius: quia procedebant ab infinita persona, seu supposito infinito, & actiones sunt suppositorum. Quod argumentum soluitur per hoc, quod actiones humanæ Christi Domini fuerunt elicitiue à natura humana, denominatiuè autem à supposito diuino. Et quia principium elicitiuum tribuit intrinsecum valorem operibus, non vero suppositum denominatum: ideo concluditur huiusmodi opera ab intrinseco non fuisse infiniti valoris. Poterit ergo ad præsens argumentum responderi, actiones quæ competunt huic Deo prout præintellecto personis, elicitiue esse ab hoc Deo, denominatiue autem vltimate à diuinis suppositis.

38. *Ad tertium* Ad tertium respondeo, ad rationem indiuidui Deitatis non requiri subsistentiam condistinctam à subsistentijs relatiuis: sed satis esse realem existentiam. Vndè, vt vidimus supra, numero 20. etiam si non daretur in Deo subsistentia absoluta, adhuc esset in eo indiuiduum Deitatis realiter existens, sicut in humanitate realiter existente, sine eo quod à se ipsa subsistat, datur hic homo indiuiduum humanitatis existens eadem humanitatis existentia. Dico insuper, quod etiam Hypotesi ad missa, quod subsistentia requireretur ad huiusmodi indiuiduum Deitatis: defacto hic Deus est subsistens eadem subsistentia absoluta, quæ subsistit essentia: quia etiam si actiones, quæ huic Deo, vt potè creare, &c. non conueniant essentiæ: hoc non prouenit ex distinctione subsistentiæ: sed quia, vt patebit infra in distinctione 5. de vltimate abstractis, nihil prædicatur, nisi in primo modo dicendi perse.

Indiuidui Deitatis nõ necessario requirit subsistentiã absolutã.

39. *Ad quartũ* Ad quartum, (quod est Achiles huius difficultatis) merito solet reijci opinio OKami, in primo distinctione, 12. quæstione prima, & Gabrielis ibidem, dicentium, ex essentia, & spiratione actiua, veluti ex proprietate constitui vnum spiratorem: quos optimè in hoc confutat inter cæteros Dominus Rada: solutio attamen, quia ipse Rada argumentum intendit soluere, videlicet, ab illa regula Scoti, cuicunque *quo* correspondet suum *quod*, excipiendam esse spirationem actiuam: venia tanti Magistri, placere haud potest. Quia generalissima regula, quæ etiam in Deo absolute considerato locum habet: non est cur sine vrgentissima causa, etiam in omni relatione diuina non tenere dicamus. Nec placet responsio secunda Patris Herrera, qua dicit dictam regulam, & si teneat in absolutis, in relationibus nihilominus non valere: nam magnopere officit Paternitati diuinæ, cui proculdubio Pater correspondet.

Impugnantur solutiones quorundam.

40. *Vazquij solutio, & eiꝰ impugnatio.* Nec quidem Vazquij solutio, qua admittit vnum spiratorem correspondere actiuæ spirationi, sicut hic Deus correspondet Deitati, sane poterit sustineri: quia quantũuis à Gabriele conetur discere, quatenus Gabriel ponit spiratorẽ ex essentia, & spiratione constitutum: Vazquez vero vnũ spiratorẽ, conno-

connotatem duas personas in obliquo: adhuc in Gabrielis sententiam necessum est coincidere, quomodolibet vnũ spiratorem correspondentem spirationi constituat. Nam vel ille vnus spirator immediatè supponit pro personis spirantibus, & sic habetur intentum argumenti: vel supponit pro aliquo vero reali præintellecto aliquomodo duabus personis, sicuti hic Deus formaliter præintelligitur tribus, & tunc ille spirator est qui spirat immediatè, sicut hic Deus est qui immediate creat: sed si hic spirator spirat, ex consequenti necessario refertur ad Spiritum Sanctum, tanquam principium producens ad terminum productum: ergo datur in Deo aliquod realiter relatum ad Spiritum Sanctum, ante quam ad illum referantur Pater, & Filius. Hæc autem erat opinio Gabrielis, quæ à nullo hodie catholicorum admittitur.

41. *Iterum impugnatur expressis verbis Scoti.*

Nec obstat illa connotatio personarum in obliquo, quam ponit Vaz quez: quoniam significatum in recto spiratoris iam necessario supponit pro aliquo, quod in recto non dicit personas: ergo illud in recto est, quod spirat: ergo prout aliquo modo in recto condistinctum à personis, refertur ad Spiritum Sanctum: ergo vel Pater, & Filius immediatè non referuntur ad Spiritum Sanctum per propriam relationem, sed mediatè per relationem illius spiratoris: vel dantur duæ relationes spirandi, vna, videlicet, qua spirator refertur, & alia qua referuntur Pater, & Filius, quod est absurdum, & minimè à Vazquio conceditur. Eius tamen opinionem egregie improbat Scotus interminis, ac si sua ætate in lucem prodijsset. Nam infra in distinct. 12. quæst. 1. articul. 1. ad secundum hæc ait: *Illud non videtur probabile, sicut ibi Deus creat: quia non videtur hic aliter per se existens cõmunis Patri & Filio, & non Spiritui Sancto. Quia tunc illud singulare per se existens, licet non incommunicabiliter, realiter tamen referretur ad Spiritum Sanctum, & esset aliquid realiter, &c.* Hactenus Doctor, qui plura ibi in huius opinionis confutationem præclare docet.

Solutione ad 2.

42. Supposito igitur secundum Scotum ibi, quod spirator immediatè supponit pro Patre, & Filio, aliter dico ad argumentum, quod vnicuique *quo*, semper correspondet suum *quod*, quando tale *quo* non supponit suum *quod*, & consequitur ad illud: sed quando ipsum præsupponit. Et ratio huius differentiæ est desumpta ex litera textuali huius difficultatis, quæ habetur in primo articulo. Ibi enim probauit Doctor, ideò Deitati correspondere hunc Deum, tanquam suum *quod*: quia Deitas de se est hæc: nam singularitas concreti sumitur à singularitate abstracti, & ex consequenti prius est, abstractum esse singulare: quam concretum: siquidem hoc accipit singularitatem ab illo, non tamen è contra. At qui quando abstractum iam supponit concretum in suo esse, non tribuit illi singularitatem, aut communitatem: quia quod aliquid sequitur, iam ipsum supponit singulare, vel commune, & illud in tali esse singularitatis, vel communicabilitatis non variat: vt patet de propijs passionibus: risibilitas enim non tribuit homini, ad quem consequitur, communem, aut singularem esse, eo quod consequitur ad illum in suo esse perfecto constitutum. Vndè si risibilitas esset communis non propterea homo, ad quem consequitur, proinde redderetur communis. Et per oppositum si vna singularis risibilitas ad duos homines consequeretur, non propterea illos redderet vnum.

Propria solutio Autoris.

Spirator in diuinis supponit pro Patre, & Filio.

Singulare prius sumitur ab abstractis, quã à cõcretis.

Ad rem igitur deueniendo dico, quod ideo essentiæ correspondet hic Deus singularis: quia ipsa vt singularis, præsupponitur ad hunc Deum, & huic Deo suam tribuit singularitatem. Similiter Paternitas præsupponitur ad Patrem, tanquam constituens ad constitutum: quia est proprietas constitutiua, & ideo Pater, qui est terminus concretus singularis, ei correspondet: quia paternitas singularis est, & tribuit Patri suam singularitatem. At qui spiratio actiua iam supponit suum concretum constitutum, nempè, Patrem, & Filium: qua non est proprietas constitutiua, sed consequens ad constitutum, illius instar modi, quo consequitur propria passio ad subiectum: sicut ergo risibilitati, quæ est propria

43.

Hic Deus est singularis, quia essentia diuina est ex se singularis.

Spiratio actiua supponit personas, ad quas consequitur, ut cõstitutas.

passio rationalis, non correspondet aliud singulari, *quod*, preter ipsum rationale, quod supponit, quod intrinsece denominat risibile: sic spirationi actiuæ, non correspondet aliud, *quod*, nisi illud quod præsupponit, & ad quod consequitur, & quod intrinsece denominat, ad modum quo propria passio denominat subiectum. Licet igitur ipsa spiratio actiua in se sit vna singularis, non tamen ideò sibi correspondet vnus spirator singularis à personis distinctus: quia illud *quod*, ad quod consequitur spiratio, est duplex persona, quæ supponitur cum hac duplicitate ad illam, & ideo non potest hæc duplex persona accipere ab huiusmodi spiratione vnitatem spiratoris, nec potest sibi correspondere aliquis spirator à personis distinctus, aut illis præintellectus: sicuti Deitati correspondet hic Deus formaliter distinctus à tribus, & illis præintellectus.

Ad quintum constat ex conclusione secunda, & ex supra obseruatis à num. 17. & sequentibus, dari etiam individuũ humanitatis à persona distinctum. Propterea que respondetur, quod in casu argumenti ille vnus homo non supponeret immediate pro personis diuinis in quibus subsisteret: sed pro hoc homine individuo humanitatis. 44. *Ad quintũ.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De veritate istius propositionis, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

CIRCA secundam partẽ quartæ distinctionis quæro de veritate istius, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Circa quod quæruntur tria.

¶ Primò. Vtrùm ista sit vera, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus?

¶ Secundò. Vtrùm hæc sit vera, Deitas est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus?

¶ Tertiò. Vtrùm in hac propositione, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, subiectum supponat pro hoc Deo in diuina natura existente, non includente rationem personalem?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ista sit vera, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod ista non sit vera, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: quia eius contradictoria videtur esse vera, nullus Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: quia quælibet singularis est vera: quia nec Pater, Filius, nec Spiritus Sanctus. A.

Secundò præterea: cuiuslibet propositionis veræ indiffinitæ, aliqua singularis est vera: sed nullam est dare veram singularem huius indiffinitæ: igitur ipsa non est vera. B.

Sed contra est: quia hæc, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus, est vera: ergo eius conuertens, antecedens patet per Augustinum de Trinit. multis in locis. C. *Vide de fide ad Petrũ c. 2. & 1. de Trin. c. 6.*

Respondeo dicẽdum quod propositio est vera: quia terminus subiectus, quod primo significat, hoc primo ponit in oratione, & si illi aliud extremũ, quod prædicatur, sit idem: propositio affirma- D. *Conclusio.*

affirmatiua denotans talem identitatem vera est: Deus autem significat naturam diuinam, vt est nata prædicari de supposito, & illud significatum est idem tribus personis: igitur propositio hoc significans, est vera. Verum est tamen, quod in eius conuersa, est magis prædicatio formalis: quia ibi intelligitur quasi superius, vel quasi commune prædicari de per se suis suppositis prædicatio autem formalior: est quando cõmune prædicatur de minus communi, vel quasi minus communi; quàm è contra.

E. Sed pro quo supponit Deus, intelligendo istam esse veram quasi prædicatione formali? Respondeo *in tertio articulo*.

F. Ad primum argumentum in oppositum dico, quod illa non est eius contradictoria, si præcise fiat distributio pro personis: quia tunc non negatur, quod primo affirmatur in affirmatiua. Si autem illa neget prædicatum à primo significato, Dei scilicet, ab hoc Deo, falsa est illa: & hoc est quod vsitate dicitur, quod talis vniuersalis negatiua, non contradicit termino habenti suppositionem simplicem: licet contradicat termino habenti suppositionem personalem. Hoc autem videtur probabile, si illa maxima sophistarum est vera, quando in aliqua dictione officiali, vel synchategorematica includuntur duo, ad nihil refertur vnum, ad quod non alterum: in hoc autem signo, nullus, includuntur duo, scilicet negatio, & distributio: ergo cum distributio precise respiciat supposita talis naturæ, negatio precise erit pro eisdem, & tunc illa negatio vniuersalis est vera: sed non est contradictoria primæ. sed ista, Deus non est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: vbi idem negatur, quod prius affirmabatur: & ista est falsa, pro eodem subiecto, pro quo affirmatiua est vera.

G. Ad secundum, *vel*, ad euidentiam secundi argumenti est sciẽdum, quod (sicut dictum est in quæstione præcedenti) cuilibet vnicæ naturæ adæquate correspondet vnum singulare, quod singulare, vel est incommunicabile, sicut in creaturis, vel communicabile, sicut in Deo: natura autem diuina vnica, est omninò implurificabilis, & innumerabilis: ergo ei adæquate correspõdet vnum singulare, quod exprimitur nomine Dei, quod naturali intelligentia intelligitur ante quamcunque proprietatem personalem: & si consideretur illud singulare vt quoddam ens ad se, cui conueniunt omnes proprietates essentiales, & perfectiones ante omnem proprietatem personarum, quod quidem est ad se ens, & per se, nullo modo plurificabile, vel numerabile, licet communicabile sit in suppositis pluribus: quæ communicatio intelligitur per proprietates notionales: & sicut est illa vera, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ita ista, hic Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Exemplum tactum est, *infra articulo tertio*: quia si esset vnus color in tribus superficiebus, ille color, puta albedo, disgregaret, & haberet omnes perfectiones albedinis competentes: sed non vt primo est in illa, vel in illa superficie, sed secundum se, licet illas haberet existens in illis superficiebus, non tamen primo, sic autem est hic.

Expositio artic. 1. quæst 2. distinctionis 4.

QVADRVPEX proponitur propositio in hoc, & in sequenti articulo, & de qualibet Doctor concludit esse veram, sed non eodem modo. Propositiones autem sunt istæ, prima, scilicet, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deus. Secunda est, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Tertia, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deitas. Quarta tandem, Deitas est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Ad euidentiam autem veritatis cuiuslibet I.

Ad propositionis veritatē duo requiruntur. Vnū ex parte subiecti, & alterum ex parte prædicati.

prædictæ propositionis obseruat Doctor, duo in vniuersum ad propositionis veritatem prærequiri, vnum est ex parte subiecti, & aliud est ex parte prædicati: primū, videlicet, est quod subiectum ponat in propositione illud, quod primo significat: nam hic homo, verbi gratia, Petrus, duo distincta importat, primo, scilicet, importat naturam humanam, secūdo vero suppositum (nam individuum humanitatis tam habetur ex difficulta. 63. non distingui ab humanitate) similiter album primo significat albedinem, secundo vero corpus, quod connotat. Inquit ergo Doctor ex parte subiecti requiri, quod subiectum primo ponat in oratione seu propositione, illud, quod primo significat. Si etenim dicam, hic homo est animal, non debet intelligi, quod subiectum huius propositionis supponit in illa pro suppoſito, quod secundario importat, sed pro humanitate, quam primo dicit. Similiter in ista, album est coloratum, non ponitur à parte subiecti corpus, quod cōnotatur ab albo: sed albedo, quam primo album significat.

2. Secundum vero, quod ex parte prædicati requiritur, est, quod prædicatum aliquo modo sit idem subiecto pro illa, scilicet, parte, qua subiectum primo significat, & ponit in propositione. Vt sic etenim debet prædicatum esse idem subiecto, aliqua entitati essentiali, vel formali, vel reali, vel (vt exposuit Lychetus) saltem sic intelligitur esse idem, quando prædicatum sic conuenit subiecto, quod supponit pro eo, vel quod habeat aliquam identitatem, saltem vnionis veræ, in ratione qua prædicatur. Debet igitur aliqua identitate, seu vnione, prædicatum esse idem subiecto: & ratio euidens est: quia quod aliquo modo nō est idem alteri seu illi vnitum, non habet vnde verificetur de illo: nam ideo paries est albus: quia realiter sibi inhæret albedo per vnionem: & ideo homo est animal: quia animal est sibi idem formaliter.

3. *Propositio vera est duplex, formalis, & identica, & formalis ad hanc duplex*

Porrò hæc propositio vera est duplex, alia formalis, & alia identica. Formalis est illa, in qua prædicatum formaliter includitur in subiecto: & hęc est duplex, scilicet, formalis, quidditatiua, & formalis denominatiua. Prima, quando prædicatum essentialiter includitur in subiecto, & intrat essentiam illius, vt homo est animal, seu est rationalis. Secunda vero, quando prædicatum inhæret subiecto, quod supponit in esse quidditatiuo essentialiter constitutum, vt homo est albus: quia albedo, quæ in concreto prædicatur de homine tanquam forma denominans, sibi inhæret. Rursus propositio formalis alia est directa, in qua directè prædicatur superius, seu quasi superi⁹ de inferiori: de cuius ratione formali est, quod subiectum includat formaliter prædicatum, vt homo est animal. Propositio autem conuersa istius formalis, vt potè, animal est homo, etiā est formalis, sed indirecta: quia ex eo animal est homo: quia identificatur homini: non tamen: quia includit hominem. Et ideo hanc propositionem appellat Doctor in textu minus formalem, quam illam, in qua superius de inferiori prædicatur: quia illa est formalior, in qua cōmunius prædicatur de minus cōmuni, quàm è contra. Propositio vero identica est, in qua prędicatum est idem realiter cum subiecto, & non per modum inhæsionis, aut formæ dantis esse, sed per identitatem realem vtriusque extremi: quia, scilicet, identificantur realiter inter se: licet vnum non sit ratio essendi alteri.

Propositio formalis alia directa, alia indirecta.

His positis concludit Doctor in hoc articulo, quod omnes supra positæ quatuor propositiones sunt veræ. Sed prima, & secunda sunt veræ in sensu formali: licet prima sit formalior, quàm secunda: tertia vero, & quarta, sunt identice veræ: quia infinitas Deitatis personas sibi realiter identificat. In reliquis litera clara est: sed de illa identica peculiariter in sequenti articulo agitur. 4.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm hæc sit vera, Deitas est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus?

AD Secundum sic proceditur. A.

Videtur, quod hæc non sit vera: Deitas est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: quia nunquid eadem est

est veritas illius, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & huius, Deitas est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus?

B. Sed contra est, &c. *vt infra.* Respondeo dicendum, quod sicut prædicatio in diuinis distinguitur in veram formaliter, & veram per identitatem: hoc est, quod illa sit formalis, quando prædicatum conuenit formaliter subiecto: per identitatem verò, quando propter infinitatem diuinam, prædicatum est idem subiecto, licèt non formaliter: ita hæc, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deus, est vera formaliter: & hæc per identitatem, Pater Filius, & Spiritus Sanctus, sunt Deitas: non autem formaliter: ergo ista, Deus est Pater, &c. habet aliquam veritatem, loquendo de prædicatione formali, quam non habet ista, Deitas est Pater, &c.

Conclusio.

Expositio artic. 2. quæstion. 2. distinct. 4.

1. OBSERVAT Doctor in textu duplicem esse propositionem veram, aliam, scilicet, veram formaliter, & aliam identice veram. Iam quid sit vtraque hæc propositio, visum est in præcedenti articulo, & in eius Commentario: sed hîc de identica peculiaris est sermo. Quod enim hæc propositio, Deitas est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, non sit formalis, sed identica, clare in litera textuali Doctor explanat. Verum tamen ex illa dubium insurgit non minimum, quare, scilicet, cum Deus, & Deitas tantum differant ratione in precisso modo significandi, non sit hæc formalis, Pater est Deitas, sicut ista, Pater est Deus? Cuius dubij responsio non est alia, nisi quia Deitas, vt abstracta ab hoc Deo, concipitur vt distincta ab illo, à quo abstrahit: nam ad hoc distinctum concipere, sufficit distinctus modus significandi: ex quo distincto modo significandi prouenit distinctio rationis. Quatenus igitur, vt sic distincta concipitur Deitas, non concipitur, vt eadem huic Deo: ergo prout sic, non sibi formaliter conuenit, quod formaliter cõuenit huic Deo: sed huic Deo formaliter conuenit esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, licèt magis formaliter competat Patri, & Filio, & Spiritui Sancto esse hunc Deum, prout tradit Doctor supra in artic. 1. ergo Deitati non potest competere formaliter esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: neque è contra, ista, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt Deitas, est formalis. Et hac de causa docuit Doctor, quod de vltimate abstractis, nihil prædicatur, nisi in primo modo dicendi per se. De qua difficultate infra in dist. 5. q. 1. per omnes eius articulos longior erit sermo: ibiq; huius articuli materia, quoad hanc partem exactius explanabitur.

Deitas est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, est propositio identica.

2. Ostenso igitur, nõ esse prædictas propositiones veras in sensu formali, patefacit Doctor deinceps, esse veras identice: sed hoc propter infinitatem essentiæ, seu Deitatis sibi identificantis personas. Et huius ratio euidens est: nam quacũque abstractione posita, non possunt tolli realis identitas, quia ratione infinitatis, Personæ, & Deitas sunt realiter idem: quia essentia ob sui infinitatem realiter sibi identificat relationes. Nulla ergo abstractio, hanc identitatem realem inter essentiam, & personas, etiam per intellectum, sine cõtradictione tollere potest: ergo quantuncunque Deitas abstrahatur: adhuc semper essentia de personis, & persona de essentia, seu Deitate, identice prædicatur.

Nulla abstractio impedit, quin Deitas ob infinitatẽ identificet sibi relatiõnes.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in hac propositione, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, subiectum supponat pro hoc Deo in diuina natura existente, non includente rationem personalem?

A. AD tertium sic proceditur. Videtur, quod in hac propositione, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, subiectũ non supponat pro hoc Deo in diuina natura

natura existente, non includente rationem personalem, *& hoc sine argumentis.* B.

Sed contra est quia 7. de Trinit. August. dicit, Pater eodem est, quo Deus est: licet non eodem sit, & Pater sit: & ideo huic Deo, non intelligendo aliquam rationem suppositi, siue personæ, imò rationi huius Dei, potest attribui Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

C. Respondeo dicendum, quod vnicuique quo, correspondet proprium, quod, vel quis: & ideo Deitati, vt Deitas est, correspondet quod, vel quis: quia illud, quod, vel quis, est primo Deitate ens, vt Deitas est: & sicut Deitas est de se hæc, ita Deus, qui Deus est Deitate, est de se hic: & in isto conceptu, non includitur incommunicabilitas, nec ratio personæ: quia Deitas communicabilis est. Et ideo Deus, vt Deitate est Deus, non includit aliquid incommunicabile formaliter. Illi termino sic intellecto, absque conceptu personarum, seu personalium proprietatum, verè possunt competere aliqua prædicata realia, quæ videlicet non cõpetunt naturæ, vt existenti in ratione suppositi, sed existenti in hac natura, in quantum existens in ea. Hoc modo fortè est vera ista, Deus creat, & similes, intelligendo subiectũ pro hoc Deo existente in natura diuina, non intelligendo aliquod suppositum, vel aliquod incommunicabile in illa natura: quia incommunicabilitas non est ratio taliũ actuũ: & ita potest poni, quod ista, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, est vera, quatenus Deus stat pro hoc Deo, in quantum est perse existens Deitate: non autem pro aliquo supposito propriè dicto, in quo est natura diuina: quia quando est veritas pro primis significatis terminorum, non oportet quærere veritatem in alijs, in quibus includuntur ista significata. Sicut quãdo consequens habet propriam veritatem: non oportet quærere veritatem eius precise pro aliquo antecedente. Exemplum huius, color hic figularis existens non determinat sibi rationẽ suppositi: quia ratio suppositi proprie non reperitur in accidentibus: & licet sit in supposito substantiæ: tamen in quantum intelligitur absque vlla subsistentia in supposito, vt hic color existens, potest esse principium operationis realis: sic si eadem albedo esset existens in tribus suppositis, vel superficiebus, haberet actum realem, scilicet, vnam rationem disgregandi.

Et si quæras à me de veritate huius propositionis, hic color disgregat: pro quo supponit ibi ly color? Dico, quod supponit pro primo significato suo, putà pro hoc colore existente, non autem pro aliquo inferiori ad hũc colorem, putà pro hoc colore in hac superficie, vel in illa: quia ista contrahentia colorem non sunt causa veritatis huius propositionis: sed est vera propter prima extrema. Multo magis esset hoc verum, si hic color, vt hic, esset perse existens, Deitas autem est perse ens: & ideo Deus in quantum Deus, Deitate est perse ens: quia 7. de Trinitate, &c. *vide §. sed contra.* D.

Expositio articuli tertij, quæstionis secundæ distinctionis quartæ.

QVOD Doctor in primo precedentis quæstionis articulo, tetigerat, & in solutione ad secundum argumentum primi articuli, huius secundæ quæstionis expresserat circa hunc Deum in diuiduum Deitatis: nunc in hoc tertio ex professo eleganter resoluit. Sed quia hanc materiam in nostra difficultate 63. prælibauimus latè: non se hic offert de nouo aliquid explanandum. Litera etenim est clara, & remanet quidem ex præcedentibus clarior.

(.?.)

DIS-

DISTINCTIO QVINTA.

Poſthæc quæritur,&c.

QVAESTIO PRIMA.

De generatione in comparatione ad eſſentiam.

CIRCA iſtam quintam diſtinctionem,in qua magiſter agit de generatione in comparatione ad eſſeutiam,quæro duo:primo de eſſentia diuina,ſi generet,vel generetur:circa quod quæruntur ſex.

¶ Primò. Vtrùm eſſentia diuina generet,vel generetur?
¶ Secundò. Vtrùm Pater,Filius,& Spiritus Sanctus ſint res vna?
¶ Tertiò. Vtrùm quænam ſit vltimata abſtractio?
¶ Quartò. Vtrùm logice hæc propoſitio poſsit eſſe vera, eſſentia generat,vel generatur?
¶ Quintò. Vtrùm iſta propoſitio ſit vera,eſſentia eſt Pater Filij?
¶ Sextò. Vtrùm eſſentia ſit communicans , vel communicata?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm eſſentia diuina generet,vel generetur?

A. AD primum ſic proceditur . Videtur, quod eſſentia diuina generet , vel generetur:quia Auguſtin. 7. de Trinitat. capit. 2. & 12. Idem dici accipiamus , cum dicitur Verbum , ac ſi dicatur nata ſapientia, vt in vno eorum, eo quod nata eſt,& Verbum,& Filiu accipiatur:& in his omnibus nominibus non oſtendatur eſſentia,quæ ad ſe dicitur:ac in altero, quod eſt ſapientia,demonſtretur eſſentia,ac per hoc ad ſe dicitur. Ergo expreſe vult,quod ſapientia,vt eſt ſapientia,& ad ſe dicitur, dicatur nata,vt natum eſt proprium Filij.

Secundò præterea ſic, Ricardus 6. de Trinitate,capit.22. videtur expreſe loqui contra Magiſtrum ſententiarum: multi (inquit) temporibus noſtris ſurrexere , qui non audent dicere ſubſtantiam genitam : quin potius (quod eſt periculoſius, & contra Sanctorum auctoritates) audent negare, & modis omnibus conantur refellere , quod ſubſtantia gignat ſubſtantiam , pertinaciter negantes,quod omnes ſancti affirmant:ad illud, quod ipſi dicunt, auctoritatem inuenire non poſſunt: adhoc, quod dicimus, auctoritantes multas etiam ipſi adducunt in morem Goliæ,&c.Et quia magiſter exponit illas auctoritates, quas adducit contra ſe: ideò Ricardus ſubdit ibidem de eo. Bene dicunt Patres, quod ſubſtantia ſubſtantiam gignit: veſtra autem expoſitio ad hoc contendit , quod credamus, quod ſubſtantia ſubſtantiam non gignat. Fidelis expoſitio , & omni acceptione digna : quia hoc, quod ſancti Patres clamant, contendit falſum eſſe: & quod nemo Sanctorum aſſerit , contendit verum eſſe. Hæc ille Videtur deridere Magiſtrum, qui contra intentionem Patrum exponit auctoritates, quas adducit contra ſe, & videtur aſſerere oppoſitum illius,quod tenet magiſter,eſſe de intentione Sanctorum.

B.

2. *Regu.c.* 21.

Tertiò

D. Tertiò præterea per rationem, essentia communicatur: ergo producitur: antecedens patet per Augustinum 15. de Trinitat. capit. 26. Essentiã prestat Filio sine initio generatio. Probatio cõsequetiæ, *late habetur duplici argumẽto posito in principio articuli sexti huius quæstionis.*

E. Sed contra est Magister in litera: quia essentia referretur ad se, & distingueretur à se, &c.

F. Respondeo dicendum, quod in ista quæstione errauit Abbas Ioachim, vt habetur extra de sum. Trinit. & fide catholica, cap. Damnamus. Dixit enim Magistrum Petrum esse hereticũ: quia dixit rem esse indiuinis, quæ nec producit, nec producitur. Ex hoc enim intulit Ioachim, quod Petrus poneret quaternitatem indiuinis. Posuit enim tres res, rem generantem, rem genitã, rem spiratam: & posuit rem nec generantem, nec genitam, nec spiratam: ergo quatuor res. Hoc igitur inconueniens, quod sequi videbatur, vitando posuit Ioachim, quod nulla res est Pater, Filius, &c. *Vide in secundo articulo.* Quantum autem ad primum articulum, in quo Ioachim dixit, Magistrum Petrum esse hæreticum, contradicit sibi Papa. Nos autem sacro approbãte Concilio credimus, & confitemur, cum Petro, scilicet, quod vna summa res est essentia, vel natura diuina, quæ nec generat, nec generatur. Et tamen non sequitur, quod sit quaternitas: quia ille tres res Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt vna res, *vt infra articulo secundo*: quaternitas autem esse nõ potest nisi esset quartum realiter à tribus distinctum. Pro ista igitur opinione Magistri, sic solemniter approbata, adducitur talis ratio. Res generans generat aliam rem, & realiter distinctam: quia nulla res se ipsam gignit, vt sit, primo de Trinitat capit. 1. essentia autem indiuinis est penitus indistincta: ergo nec generans, nec genita: quia, qua ratione generans, & genita. Ad hoc adducuntur rationes Magistri in litera. Tertia ratio est: quia Pater est formaliter, eo quod generat: quia Pater est formaliter ipsa essentia, quæ est in Filio propter indistinctionem ipsius essentiæ: & si ipsam generaret non esset formaliter ipsa essentia: quia illa esset distincta realiter ab eo, vt posterior origine. Adducitur etiam alia ratio: quia in creaturis forma non generat, nec generatur, sed compositum. Deitas autem se habet quasi forma in persona: ergo ipsa non generat, nec generatur. Ista ratio minorem habet euidentiam hîc, quam in creaturis: quia ibi forma non est aliquid per se existens, vt posset esse operans. Hîc autem Deitas non cointelligendo proprietates personales est de se ens in actu. Tamen confirmatur ratio sic: quia operatio, quæ est necessario distinctio operãtis, non potest esse eius, quod hîc est vt forma: quia ipsa est per se indistincta in tribus: talis autem operatio est personalis, quæ est generare. Hæc quantum ad realitatẽ huius quæstionis dicta sunt. Ad argumenta in oppositum.

Cuius ratio est recitata in d. cap.

Conclusio.

Vide Alexan. Alen. 1. p. q. 42. tom. 3. a. 1 & vnic. q. per. & fre. Adaza, li. 1. dist. 33. q. 4.

1. phy. tex. com. 50.

G. Ad primum, *hoc est*, ad primam auctoritatem Augustini respondeo, quod sapientia, licèt abstrahatur à sapientia, quod est operans: tamen adhuc significat potentiam operatiuam, vel principium operatiuum: & ideo non abstrahitur summa abstractione: quia potentia operatiua aliquomodo concernit aliquid: & præter talem concretionem aliqualem, aliqualiter conceditur, quod sapientia est nata: nullo autem modo, quod essentia sit nata. Quod autem Augustinus dicit aliquando Filium esse essentiam de essentia: hoc exponetur in sequenti quæstione, quod hoc non probat essentiam esse genitam, vel generantem, sed esse illud, de quo Filius generatur. Vel dicendum secundum quod Magister dicit 28. distinctione, quod sapientia stat ibi prosuppositi, siuè

Hypos-

Hyppostasi, sicut, quando dicitur Verbum, vel Filius: in eo vero quod dicit nata, intelligitur necessario, quod dicit Verbum, vel imago, & sic intelligitur, quod Filius est essentia: quia terminus essentialis stans pro persona indicat, quod illud sit in essentia: sed quomodo sapientia potest stare pro supposito, non autem essentia. Ratio iam dicta est: quia sapientia non est quid abstractum vltima abstractione, sicut essentia.

G. Ad secundum, *nempè*, addictum Ricardi, si intendit reprehendere Magistrum ibi, sicut ex verbis eius apparet: cum doctrina Magistri, & præcipue ista authenticetur per Concilium generale in capit. præallegato: nego Ricardum, tenendo Magistrum: & quod dicit Magistrum adducere multas autoritates contra se: Magister bene exponit eas, sicut patebit in sequenti quæstione. Nullam autem habet pro se auctoritatem, sed habet illam vniuersalis Ecclesiæ, capit. præallegato, quæ maxima est: quia dicit August. in libello contra Epistolam fundamenti, Euangelio, non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ crederem, quæ Ecclesia sicut determinauit, qui libri habendi sunt in Canone Bibliæ: ita etiam determinat, qui libri habendi sunt authentici in libris Doctorum: sicut patet in Canone: & post istam autoritatem Canonis non inuenitur in corpore iuris scripturas. Dist. 15. c. scripturas. tum aliquod; ita authenticum sicut scriptum Magistri præallegato capite.

H. Ad tertium, *scilicet*, ad rationem illam de communicare, dico: quod productio habet productum pro termino suo primo, &c. *Sicut habetur infra in sexto articulo huius quæstionis incorpore.*

Maniche. scilicet.

Expositio artic. 1. quæstion. 1. distinct. 5.

DVpliciter disputat Doctor in hac quæstione difficultatē huius articuli, & videlicet, secundum realitatem, & secundū Logicā. Primum determinat in præsenti, in quo secundum realitatem inquit, hanc non esse veram, *Essentia generat, vel generatur.* Secundum vero in quarto articulo inuestigat, an scilicet, dicta propositio possit logice esse vera. In præsentiarum igitur hoc ordine procedit. Proponuntur in primis duo argumenta ab autoritate, quorum primum est D. August. & aliud Ricardi de Sancto Victore: & tertio tāgitur ratio quædam, cuius consequentia probatur latè in 6. artic. ibique soluitur. Prosequitur de inde Doctor discursum huius articuli ponendo rationem Magistri in oppositum: incorpore autem articuli proponit errorem Abbatis Ioachimi damnati in capitulo *Damnamus*, de summa Trinitate, & fide Catholica. Vbi approbatur à Concilio sententia Magistri, quæ improbata fuerat à Ioachimo, cuius Concilij verba sic refert textus: *Nos autem Sacro approbante Concilio credimus, & confitemur, cum Petro, quod vna summa res est essentia vel natura diuina, quæ nec generat, nec generatur.* Ille autem Petrus, quem Concilium commemorat, vt autorem huius sententiæ, fuit Petrus Lombardus Magister sententiarum: & licet hæc verba textualia non sunt eadem prorsus verba Concilij, prout iacent: sunt tamen eadem quoad substantiam, vt videre est in ipsis verbis Cōcilij quę sunt hæc. *Nos autem sacro approbante Concilio credimus, & confitemur cum Petro, quod vna quædam summa res, &c. Illa res, videlicet, substantia, essentia, seu natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium, præter quod aliud inueniri non potest. Illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit.* Huic ergo Concilij diffinitioni, & Magistri à Concilio approbatæ sententiæ, assentit Doctor, contra Ioachimum: quam pro conclusione statuit: Cuius aliquas adhibet rationes, & argumenta soluit subtiliter. Quæ autem hîc ad conclusionis intelligentiam desiderari possunt, in difficultate 64. commodius patefiēt.

Essentia diuina, nec generat, nec generatur.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint res vna.

A. AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, nō sint res vna, per illud saluatoris in Ioannis *Euangelio*, orantis Patrem pro suis fidelibus, vt sint vnum (inquit) sicut & nos. Intulit igitur Ioachim, *cuius est hoc argumentum*, cum fideles non sint vnum vnitate naturæ: ergo nec Filius est vna res cum Patre.

B. Sed contra est in cap. extra, de sūma Trinitate, & fide Catholica, cap. damnamus, vna summa res est essentia, vel natura diuina: & illæ tres res Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt illa vna res.

C. Respondeo dicendum, quod in ista quæstione errauit Abbas Ioachim, vt habetur in cap: prælegato. *Illud enim* inconueniens, quod, *vt visum est articulo præcedenti*, sequi videbatur vitando posuit Ioachim, quod nulla res est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: sed tantum dixit personas illas esse vnā rem, sicut multi fideles dicuntur vna Ecclesia, propter vnam fidem, & charitatem. Et istud probauit per illud saluatoris *positum pro argumento*. *Istud* secundum *dictum, sicut est primum in præcedenti articulo*, *In* opinione Ioachim est hæreticum, scilicet, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, non sint aliqua vna res: quia arguitur in capitulo prælegato, Pater gignendo dedit essentiam suam Filio: nullam enim aliam potuit dare: qua Filius esset Deus. Et similiratione ambo eam dederunt Spiritui Sancto: non autem erat ista communicatio partis essentiæ: quia essentia est simplex, & indiuisibilis: ergo totius essentiæ: ergo tota eadem essentia, quæ est in Patre, est in Filio, & Spiritu Sancto: & propter simplicitatem diuinam, quælibet persona est illa res, & tres personæ sunt illa res.

Ad argumentum autem, quod arguit de Euangelio, soluitur ibi: nam Saluator intelligit in oratione sua, quod, scilicet, fideles sint vnum vnitate sibi proportionabili, sicut Pater, & Filius, sunt vnum vnitate proportionabili: hoc est, quod sicut Pater, & Filius, sunt vnum vnitate charitatis, quæ est natura eorum: ita fideles sint vnum charitate participata. D.

Et ista expositio probatur ibi per similē dictum Saluatoris Mathei 5. dicentis discipulis suis, estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est: vbi non monuit, quod simus perfecti naturaliter ex nobis, sicut Pater ex se naturaliter est beatus, vel perfectus: sed vt essemus perfecti perfectione nobis competente, scilicet, gratiæ, & virtutum. E.

Expositio articuli secundi, quæstionis primæ, distinctionis 5.

I. DVo habentur in litera huius articuli. Vnum est, damnatū fuisse Ioachimum Abbatem vt hæreticum, in supra citato capitulo *Damnamus*, de summa Trinitate, & fide Catholica, quatenus dixit, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non esse vnam rem. Est ergo conclusio de fide deffinita in dicto capitulo, quod sunt vna, & eadem res. Aliud est, quoddam dubium, quod ex litera textuali insurgit, an possint etiam dici diuinæ personæ tres res, sine fidei præiudicio. Ad quod respondeo hoc primum supponendo, videlicet, quod licet concederentur tres res, esse personæ seu relationes, & habeatur essentiam esse vnam rem: non propterea concedendum est, esse in diuinis quatuor res, quod Ioachim contra Magistrum inferebat: & ratio à priori est, quia si tres diuinæ personæ conce-

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt vna eadem que res essentialiter.

concederentur esse tres res : hoc ideò esset, quia sunt interse realiter distincte: at qui essentia non distinguitur realiter à personis, aut relationibus: sed eis est realiter eadem : ergo non ponitin numero cum illis : ac propterea non erunt quatuor res.

2 *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres res personaliter.*

Dico præterea, quod in hoc articulo non negat Doctor, posse dici, tres diuinas personas, tres res : imò in hoc videtur supponere, tres res esse dicendas: nam in § *sed contra*, ex ratione prælegata à capitulo *Damnamus*, referens eius mentem, hæc inquit: *& illæ tres res Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt illa vna res.* Vnde constat Doctorem admisisse, posse dici tres res personales, quæ sunt vna res essentialiter. Ex quo non reprobari debet modus loquendi, qui hac restrictione concedit tres res, videlicet personales. Reprobandus est tamen modus loquendi, qui absolutè loquendo, tres res in Deo esse concedit. Loquitur hoc eodem modo, quo diximus, cum illa scilicet restrictione Diuus Thomas, qui expressis verbis prima parte quæst. 30. articulo 1. in corpore, hæc dicit : *Vnde sequitur, quod sunt plures res subsistentes in diuina natura, & hoc est esse plures personas in diuinis.* *D. Thom.*

3 *D. Damas. D. Ansel.*

Pro hac etiam parte solet adduci Diuus Damascenus de Fide, & alij : sed expressius habetur â Diuo Anselmo, lib. de Incarnatione Verbi capit. tertio vbi hæc profert. *Solemus vsu dicere rerum quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid. Qui autem dicit de Deo Patrem, aut Filium, aliquid de Deo dicit : & omnes sciunt in Deo, Patrem non esse Filium, & Filium non esse Patrem.* Et paulo infra hæc subdit. *Hoc ergo modo nihil prohibet dicere, duas personas Patrem, & Filium esse duas res.* Ex quibus dicendum censeo, diuinas personas, sine fidei præiudicio, posse dici tres res personales, seu relatiuè, aut personaliter subsistentes posse concedi. Hoc tamè semper saluo secundum fidem, quod illæ tres res sunt vna res, eadem quæ est essentia.

ARTICVLVS. III.

Quænam sit vltimata abstractio?

AD tertium sic procedi- A.
tur, *ostenditur quid sit vltimata abstractio, & qualiter in quocunque genere reperiatur.*

Respondeo dicendum, quod abs- B.
tractio vltimata est, quando formalis ratio alicuius consideratur secundū se, præter quidlibet, quod non includitur per se in illa: & ideò si ratio alicuius præcisissime accipitur, nihil illi formaliter inerit, nisi quod per se includitur in illa ratione.

In substātijs, quamuis in eadem re C.
simplici ponint esse perfectiones multæ substantiales formaliter distinctę: & ibi vna ratio formalis possit abstrahi ab alia, remanente adhuc concretione vtriusq; formalitatis ad sua propria supposita: verbi gratia, licèt hæc sit vera, substantia intellectiua est volitiua, vbi est prædicatio cōcretiua vnius perfectionis de altera: tamē hæc negatur, intellectus est volūtas: quia illa significāt perfectiones illas, vt abstractas a se inuicē, & secūdū proprias formalitates: tamen adhuc sic abstracta concernunt propria supposita, vt hic intellectus est intellectus: & hæc volūtas est volūtas. Accipiēdo tamē substātiā, siue simplicē, siue cōpositā, præcise secundū rationē suā formalē quidditatiuā, tātū est abstractio à supposito propriæ naturæ, quia cōmuniter nō sunt natæ cōcernere aliquid alterius naturę: ideò ibi ista abstractio est maxima: abstrahendo enim naturam humanam à suppositis, quæ sūt illius naturę: sicut abstrahitur, cum concipitur humanitas: non remanet vlterius abstractio alia: & ideò illud vt sic conceptū præcisè est ipsummet præcisè : quia

cuilibet alij extraneum, ſicut dicit Auicena 5. Metaphyſ. quod equinitas eſt tantum equinitas, & nihil aliud.

Auicen. 5. met. c. 1. 2.

D. *Abſtractio vltima tantum in accidentibus quæ?*

Sed in accidentibus quanto plura poſſunt concernere, tanto plures poſſunt fieri abſtractiones. Concernunt quidem accidentia ſuppoſita alterius naturæ: & licet abſtrahantur, concernunt tamen indiuidua propriæ naturæ, ſicut album concernit lignum: & licet ab hoc abſtrahatur albedo, tamen adhuc concernit albedinem hanc, & illam: talis à ſuppoſito, qualis dicta eſt fieri in ſubſtantijs, & illam circumloquimur per hoc, quod dicimus quidditas albedinis: & illa non concernit aliquod ſuppoſitum, nec eiuſdem naturæ, nec alterius.

E. *Abſtractio vltimata in relationib⁹, quæ?*

In relationibus etiam (quæ plura concernunt) adhuc plures poſſunt eſſe abſtractiones. Concernit etiam relatio ſuum proprium indiuiduum, fundamentum, & ſubiectū, & licet abſtrahatur a poſteriori non tamen à priori. Exemplum, hoc concretum, quod eſt cauſa, dicitur de igne, qui cauſat calorem in ligno, vt de ſubiecto, ſed abſtrahendo a ſubiecto, remanet adhuc concretio ad fundamentum, putà ſi dicatur, potentia cauſandi: calor enim eſt potentia cauſandi calorem, non tamen ignis eſt potentia cauſandi illum: adhuc poteſt fieri vlterior abſtractio ad proprium genus, vt putà ſi dicatur cauſalitas: vltima abſtractio qualis eſt in ſubſtantijs, eſt per hoc, quod dicimus quidditas cauſalitatis, & hæc de nullo prædicatur alio.

F. *Concluſio.*

Ex iſtis narratis apparet, quæ ſit vltima abſtractio: quia quidditatis abſolutiſsimè ſumptæ ab omni eo, quod eſt quocunque modo extra rationem quidditatis. Iſtud tamen, quod dictum eſt de multiplici abſtractione, quid valet? nam hæc humanitas eſt humanitas: hæc albedineitas eſt albedineitas: & vniuerſaliter nulla poteſt eſſe abſtractio quantūcunq; vltima, dū tamen cōceptus abſtractus ſit cōmunis: ſicut ſemper oportet, quin abſtractū dicatur de ſuo ſingulari, & per ſe: ſed illud ſingulare non eſt ſuppoſitum, quando abſtrahitur quidditas ab habente quidditatem. In accidentibus nunquam abſtractum habet pro ſingulari ſuppoſitum: itaque in accidentibus licet ponatur multiplex abſtractio à ſubiecto remotiori, eſt propinquiori, ſicut relatio à ſuppoſito ſiue ſubiecto, & fundamento: & in ſubſtantia vnica, ſcilicet à ſuppoſito, ſed nō à ſingulari: non tamē oportet, quod in aliqua abſtractione abſtractum nō prædicetur de aliquo, nec aliquid de ipſo: quia hoc eſt impoſsibile: ſed ſufficit ad propoſitum hoc, quod vltimate abſtractum, hoc eſt ab omni alterius naturæ, & a ſuppoſito proprio nō à ſingulari, de illo non prædicetur aliquid formaliter, niſi prædicetur per ſe primo modo. Igitur numquid humanitas eſt animalitas? Humanitas enim non eſt ſingulare animalitatis, ſed hæc animalitas: homo autem eſt quaſi quoddā ſuppoſitum animalis.

Expoſitio articu. 3. quæſt. 1. diſtinctionis 5.

EX profunda huius literæ ſubtilitate, redditur textus obſcurus, ſed quia ad plura huius, & aliorum librorum Sententiarum Scoti, eſt eius intelligentia ſummoperè neceſſaria: non debet ab aliquo Scotizantium prætermitti: quia tamen difficult. 64. de vltimis abſtractionibus, tanquam in loco proprio diſputandus: illic, & hic eadem repetantur, quæ hic veniebant dicēda: illuc explanāda remitto. Ibi enim quidquid ad hunc articulum pertinet prælibatur.

ART.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm logice hæc propositio possit esse vera: essentia generat, vel generatur?

A. AD quartum sic proceditur, videtur, quod logicè, hęc propositio possit esse vera, essentia generat, vel generatur, per argumenta logica: quia quãdo prædicatum prædicatur per se de subiecto, potest supponere pro eo: patet de superioribus, & inferioribus: sed essentia prædicatur per se de Patre: quia Pater est essẽtia: ergo potest supponere pro eo. Igitur sicut illa est vera: Pater generat: ita ista videtur esse vera: essentia generat, prout supponit pro Patre. Probatio minoris: quia nõ per accidens: quia nec vnũ accidit reliquo, nec ambo tertio: & isti sunt duo modi vnitatis per accidens, qui ponuntur 5. Metaph. cap. de vno.

5. Metaph. ex com. 7.

B. Secundo præterea: essentia est Pater: ergo essentia generat: antecedens patet per conuersionem simplicem: probatio consequentiæ. De quocunque prædicatur subiectum, & propria passio. Et hoc probatur: quia subiectum est medium ad demonstrandum propriam passionem suam de eo, cui non primo conuenit illa passio: generatio autem videtur propria operatio, vel passio Patris: ergo consequentia est bona.

C. Tertio præterea: essentia est Pater Filij: ergo essentia generat. Probatio antecedentis per conuersionem, Pater Filij est essentia: igitur essentia est Pater Filij. Probatio consequentiæ: essentia est Pater Filij: ergo Filius est Filius essentię. Probatio istius consequentiæ: quia in relatiuis est cõsequẽtia mutua. Si A. est Pater B. ergo B. est Filius A. ergo si essentia est Pater alicuius, ille erit Filius essentiæ.

D. Quarto præterea & vltimo. Genitum in quantum genitum, est aliquid, quia generatio non terminatur ad nihil: & inter nihil, & aliquid non est medium. Sed nihil in diuinis est aliquid, nisi sit essentia: ergo Filius in quantum genitus est essentia: ergo essentia generatur.

E. Sed contra est: quia essentia referretur ad se, & distingueretur à se iuxta rationes Magistri in litera: sed loquẽdo de logica ratione quare nõ potest hæc esse vera, essentia generat, vt essentia supponit ibi pro persona: sicut ista est vera, Deus generat: quia Deus supponit pro Patre, & tamen Deus non distinguitur à se: nec Deus est formaliter is, qui generat, licèt Deus generet Deum.

F. Respondeo dicendum, quod quandocumque est subiectum abstractũ vltimata abstractione, & prædicatum ex ratione sua non potest prædicari nisi formaliter, non potest propositio esse vera, nisi sit per se primo modo: subiectum hoc est abstractum vltimata abstractione: & prædicatum hoc de ratione sua non est natum prædicari, nisi formaliter: ergo propositio non potest esse vera, nisi per se primo modo: sic autem non est vera hæc: quia prædicatum non est de per se intellectu subiecti. Omne enim, quod dicitur ad aliquid, est aliquid præter relationem septimo de Trinitate capite secundo: ita quod relatio non est intra conceptum absoluti. Huius syllogismi maiorẽ declaro *sic per ea quæ dicta sunt in art. præcedenti.*

G. Circa alium terminum maioris

scilicet, quod prædicatum de quocumque dicitur, de necessitate formaliter prædicatur. Notandum est, quod substantiua possunt dupliciter prædicari in diuinis: quandoque formaliter: quandoque per idẽtitatem: sed adiectiua si prædicantur, de necessitate formaliter prædicãtur: & hoc quia sunt adiectiua. nam ex hoc, quod sunt adiectiua, significant formam per modum informantis: & ideò de nullo dicuntur vere, nisi ad quod se habent per modum informantis, de quo videlicet formaliter dicuntur: talia sunt, non tantùm nomina adiectiua, sed omnia participia, & verba. His intellectis patet illa maior assumpta, quando aliquid est abstractum vltimata abstractione: ita quod est abstractum ab omni eo, quod est extra rationem eius: & prædicatum eius non prædicatur de aliquo nisi formaliter, non est vnio vera talium extremorum: nisi sit formalis, & per se primo modo: quia istud prædicatum præcise natum est prædicari formaliter: ideò non potest saluari veritas per identitatem tantùm: & quia subiectum est summa abstractione abstractum, non potest stare pro aliquo qualitercunque alio à se: sed præcise pro se formaliter: & ideò oporteret, quod sua ratio præcisa formalis esset idẽ illi prædicato: quod non posset esse, nisi ista ratio præcisa includeret illud prædicatum. Patet igitur illa maior: patet etiam illa minor, quod talia sunt ista extrema, essentia generat: vel Deitas generat: quia Deitas est abstractum vltimata abstractione: generat autem, est verbum: ideò non potest prædicari, nisi formaliter: non sic autem abstrahitur vltimata abstractione hoc nomen, Deus, & ideò potest supponere pro persona, vt cum dicitur, Deus creat, Deus generat. Ad argumenta logica.

Ad primum cum *scilicet*, primo arguitur de prædicatione per se, dico, quod essentia nõ prædicatur per se primo modo de Patre, neque formaliter. Cum probas, quia non per accidens, dico, quod (sicut in creaturis) non omnis prædicatio est per se, vel per accidens: accipiendo accidens proprie: vt quando accidens prædicatur de subiecto, non enim genus per se prædicatur de differentia: nec sic per accidens, quia neutrum neutri accidit: nec ambo tertio: sed est ibi medium extraneum, siue inferius contrahens aliud: quod inferius potest dici accidens superiori, id est extraneum: sed non proprie accidens. In diuinis autem non omnia sunt per se eadem, id est, formaliter: nec tamen ineſt aliquid alicui per accidens proprie: sed aliquid est idem alicui, absoluta identitate, absque formali identitate: & ita in proposito prædicationes per se sunt formales. De identicis non tradidit Aristoteles, aliter dictum per se, & formaliter stat pro supposito. Quinto de Trinitate cap. 5. in Deo mediũ inter secundum substantiam, & secundum accidens. Contra, Pater est qui generat, Pater est essentia: igitur, &c. Respondeo, *quod* variatur prædicatio. H.

Ad secundum dico, quod ista, essentia est Pater, potest distingui: quia Pater potest sumi adiectiuè, vel substantiue. Secũdo modo significat personam cuius est paternitas, & cõcedo, eam esse veram per identitatẽ: quia substantiuum potest prædicari de aliquo per identitatem. Primo modo significat ipsam proprietatem denominatiue, & hoc modo exponit Magister distinct. 27. quia idem est Patrem esse, & genuisse. Hoc modo ista est falsa, essentia est Pater: quia significat Patrẽ formaliter prædicari de essentia: quando igitur arguis I.

guis de subiecto, & passione, dico quod quãdo passio potest prædicari prædicatione eiusdẽ rationis cũ illa qua prædicatur subiectum: vel quando habet similem modum prędicandi: potest ex subiecto inferri passio: quando non, non: hoc subiectum, si sit substãtiuum, potest prædicari per identitatem, passio autem, si est passio, non potest, sed tantum formaliter: quia est adiectiuum.

K.

Ad tertium *nempe* ad aliud, essentia est Pater Filij, *in sequenti articulo respondetur.*

L.

Ad quartum & vltimum dico: cũ accipis genitum, in quantum genitum, est aliquid, nego, nisi aliquid, vt extendit se ad aliquid, & tunc minor est falsa. Et cum dicis, non est nihil: dico, vt sæpe prædictum est, quod inter contradictoria est medium cum ly in quantum: sicut nec homo, in quantum homo, est non albus: tamẽ non sunt duo contradictoria complexa simul falsa. Ista enim contradictoria est vera, homo non in quantum homo, est albus: ita hic, genitũ non in quãtum genitum est aliquid: quia ratio gignitionis, non est formalis ratio inhærentię prædicati: ita scilicet, quod ly in quantum dicat rationem formalem geniti, licet genitum in se formaliter sumptum sit per identitatem essentia. Quid igitur dicetur degenito, in quantum genitum? Potest concedi, quod genitum, in quantum genitum, est persona, vel subsistens: sed non sequitur vlterius: ergo in quantum genitum est aliquid: accipiendo aliquid pro essentia: propter non identitatem formalem rationis personalis cum essentia.

?

Expositio art. 4. quæst. 1. distinctionis 5.

COncluserat Doctor in primo huius quæstionis art. hanc esse falsam secundum realitatem huius quæstionis *essentia generat, aut generatur.* Nunc vero in præsenti Logicè disputat illam, multa præclara enucleãs, quæ ingentem difficultatem in volunt, eo maximè, quod sunt aliquali cõfusione, indigesta in textu. Sunt attamen nimis subtilia, quæ hic, & in cæteris huius quæstionis articulis præhibantur, & ideò clariori stylo necessum est, illa in sequenti difficultate expendere, ne subcaliginis nebulis lateant.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm ista propositio sit vera: essentia est Pater Filij?

AD quintũ sic proceditur, videtur, quod hęc propositio sit vera, essentia est Pater Filij. Primo per cõuersionem: quia si cõuertens est vera: conuersa erit similiter vera: sed hæc est vera: Pater Filij est essentia: ergo essentia est Pater Filij. A.

Secundo præterea: quia hæc est simpliciter vera, essentia est Pater: aut igitur alicuius, aut nullius: si nullius: ergo omninò non est Pater, si alicuius, non nisi Filij: ergo essentia est Pater Filij. B.

Sed contra est: *quia si adiectiue sumatur isto* modo significat ipsam proprietatem denominatiuè, & hoc modo exponit Magister distinct. 27. quia idem est Patrem esse, & *Patrem* genuisse: & hoc modo ista est falsa, essentia est Pater: quia signifi- C.

cat Patrem formaliter prædicari de essentia.

D. *Henri. 1. p. sum. q. 20. art. 3. ad 5. argum.*

Respondeo dicendum, quod quidam Doctor repetit opiniones aliorum. Primam Magistri Alexādri, qui distinguit istam. essentia est Pater Filij: sicut iam distincta est illa præcedens *in præcedenti art. solut. ad secundum*, scilicet essentia est Pater, quod Pater potest sumi adiectiuè, vel substantiuè. Primo modo dicit ipsam esse falsam, & consequentiam non valere. Secūdo modo veram. Aliam Magistri Præpositiui, qui dicit eam simpliciter esse veram, ad quod habet duas rationes, vnam per conuersionem, aliam *etiam* habet rationē, *quæ ambæ loco argumentorum sunt in principio articuli.* Contra Magistrum Alexandrum arguit sic, & probat, quod ly Pater tantùm tenetur adiectiuè. Quoniam nomina, quæ imponuntur a potentia actiua, & passiua, vt sunt Magister, & discipulus, Pater, & Filius, ædificator, & c. sumuntur tantū in significatione adiectiua, & hoc in respectu, quem habēt ad aliud, quod respicit potentia, a qua imponuntur: sed quandocunque habet rationem adiacentis, vel adiectiui, ex respectu ad aliud, quanto magis est determinatus eius respectus, tanto magis habet rationem adiacentis, vel adiectiui, & tanto minus, quanto magis est indeterminatus: sicut patet de respectu modi infinitiui, quem gramatici dicunt posse supponere magis, quam alios: quia illi dicunt finitam inclinationem ad suppositum: ille vero infinitam inclinationem ad suppositum. Infinitiuus autem, & adiectiuum in neutro genere potius substantiuātur, quàm in genere masculino, vel fœminino: ergo cum ly Pater Filij habeat finitā, & expressā habitudinē: non sic autē cū per se ponitur ly Pater: ideò licet posset teneri substantiue dicendū, essentia est Pater: non tamen nisi adiectiuè dicendo, essentia est Pater Filij: & sic simpliciter ista est falsa, essentia est Pater Filij.

E.

Etsi obijciatur, essentia est Pater, & nō est Pater nisi Filij: ergo est Pater Filij, aut non est Pater. Respōdeo, *inquit ille Doctor*, patet, quod est fallacia figuræ dictionis: quia in prima propositione, Pater per se supponit pro tota persona. In secunda autem cum dicitur, quod est Pater Filij, copulat proprietatem tantùm circa subiectum. Patet etiam, quod non valet (*inquit idem*) argumentum primum Præpositiui, Pater Filij est essentia: ergo essentia est Pater Filij per cōuersionem: quia debet sic cōuerti: ergo aliquid, quod est essētia, est Pater Filij: sicut ista, indiuiduū est homo, nō sic cōuertitur: ergo homo est indiuiduū. Sed sequitur: ergo aliquid, q̄ est homo, est indiuiduū. Similiter secūda ratio non valet, cum arguitur, essentia est Pater, aut igitur alicuius, aut nullius. Dicendum (*ait ipse*) quod non sequitur propter fallaciam figuræ dictionis: quia statim, cum additur alicuius, vel nullius, aliter copulat, quàm prius supponebat: & dicēdum est, quod nullius est Pater, id est non alicuius est Pater: & non sequitur ex hoc, quod non sit Pater, propter figuram dictionis: sed sequitur tantùm, ergo non conuenit ei proprietas paternitatis. Ideo respondet tertio modo, quod hæc est simpliciter falsa, essentia est Pater Filij: quia ly Pater tantùm tenetur adiectiue propter rationem præmissam.

F. *Optima ratio Doctoris.*

Contra modum eius dicendi arguo sic, quod includitur essentialiter in conceptu alicuius, sicut pars conceptus, non potest ab eo excludi sub quocunque modo concipiatur: si enim sub aliquo modo concipiatur & illud excludatur: tunc ille modus repugnat rationi concep-

sqllus, qui concipitur: cum ergo in conceptu relationis ex hoc quod conceptus relatiuus, non vt hoc modo conceptus, vel illo, necessario includatur correlatiuum, vt terminus eius: quia non potest esse, nec intelligi sine eo, sicut nec sine termino, hoc est enim esse eius: ergo quocunque modo concipiatur, siue adiectiue, siue substantiue, semper includeretur correlatiuum, vt terminus: & ita nullo modo potest intelligi, vt absolutum. Item tunc ista esset incongrua, Pater Filij est essentia: quia adiectiuum non substantiuatū non supponit congrue pro subiecto, nisi in subiecto sit determinato: ibi quippe in subiecto determinatur Pater per Filium, ad quē habet determinatum respectum: ergo, &c. Ideò teneo opinionem Alexandri distinguendo, sicut ipse distinguit, quod substantiuè est vera: adiectiue falsa. *Vide solutionem secundi argumenti in articulo præcedenti.* Ad rationes *seu argumenta* Præpositiui.

Conclusio.

G. Ad primum dico, quod conuersa est vera substantiuè: adiectiuè in cōgrua: quia masculinum non potest substantiuari.

H. Ad secundum dico, quod essentia est Pater: igitur alicuius. & concedo, quod est Filij. Sed cum arguitur in ratione principali: si essentia est Pater Filij: ergo Filius est Filius essentiæ. Nego consequentiam. Cū probatur per illam consequentiam mutuam in relatiuis, dico, quod illa consequentia mutua tenet in illis relatiuis, quæ sunt primo relatiua. Tenet etiam in his, quæ referuntur per relationes, si tamen dicantur formaliter relationes de eis: sicut si formaliter Sortes est pater Platonis: è conuerso, formaliter Plato est filius Sortis. In his tamen quæ non referuntur primo: nec etiam denominantur formaliter ab ipsis relationibus: sed relatio prædicatur de altero eorum per identitatem: non valet consequentia: sed est consequens à positione consequenti: quia ibi in consequente plus significatur, quam in antecedente: in antecedente enim notatur identitas relationis ad aliquid de quo dicitur: sed in consequente significatur illud aliud referri ad illud formaliter. Cum enim dicitur, Filius est Filius essentiæ, ex vi constructionis significatur essentiam esse proprium correlatiuum eius, quod est Filius: & ita Filium esse formaliter Filium essentiæ: antecedens autem non significat relationem paternitatis formaliter conuenire essentiæ: sed tantùm per identitatem.

Expositio art. 5. quæst. 1. distinctionis 5.

REFERT Doctor in textu opinionem Henrici in prima parte Summæ quæstione 20. membro tertio, articulo primo ad quintum, repetentis opiniones quorundam, videlicet Alexandri, & Præpositiui. Quorum opiniones impugnat citatus Henricus duplici argumento in principio articuli posito, quo Præpositiui sententiam confutat. Contra Alexandrum vero aliter arguit in corpore articuli. Hēricum autem, & eiusmodū confutandi per dictas sententias subtiliter improbat Doctor ibi, §. *contra modum eius dicendi*, & eius improbata doctrina: difficultatem concludit Doctor tenendo opinionem Alexandri: distinguendo videlicet, sicut ipse Alexander distinguit, quod ista propositio, essentia est Pater Filij, substantiuè est vera, adiectiuè autem est falsa. Quid autem sit adiectiuè, vel substantiuè in hac distinctione, habetur clarissime in solutione secundi argumēmenti, articuli quarti.

Essentia est Pater Filij, est vera substantiue, nō tamen adiectiue.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ex eo quod essentia sit communicans, vel communicata, inferatur ipsam producere, & esse productam?

A. AD sextum sic proceditur, videtur, quod essentia nõ sit communicãs, nec communicata: quia tunc esset producta. Probatur dupliciter vt supra.

Tùm quia communicare, & communicari sunt relatiuè oppositа, & non dicunt nisi relationes originis: non enim dicunt relationes communes: patet: igitur idem quod producere, & produci.

B. Secundò prætereà: tùm quia si sint aliqua duo correlatiua, si vnum extremum vnius sit idem vni extremo alterius: & reliquum reliquo. Exemplum: si A. & B. essent duo correlatiua. & C. & D. correlatiua: si A. & C. sunt idem: B. & D. erunt idem. Probatio: quia alioquim, diceretur idem ad plura correlatiua: sicut A. quod idem est, quod ipsum C. diceretur correlatiue ad B. & D. quę per te sunt diuersa. Hæc est vna combinatio relatiuorum producẽs, & productum: & hæc alia communicans, & cõmunicatum: sed communicans, & producens idem sunt: ergo & extrema eis correspondentia sunt eadem.

C. Sed contra est Augustin. 15. de Trinitate 16. & Ioannis 20. Pater meus, quod dedit mihi, &c.

D. Respondeo dicendum, quod solutio est de duplici termino, & formali, simile de duplici principio primo, & formali. Ad rationem *autem* illam de communicare dico, quod productio habet productum pro termino suo primo. Et dico hic primum terminum: terminum adæquatum, & hoc modo dicit Philosophus septimo Metaphys. quod compositum primo generatur: quia est, quod primo habet esse per productionem: hoc est adæquatè. In composito tamen forma est formalis terminus generationis, non autem terminus per accidens, sicut apparet per Philosophum 2. Physic. vbi probat formam esse naturam per hoc, quod generatio est naturalis: quia est via in naturam: est autem via in formam: ergo, &c. Quæ ratio nulla esset, si forma esset tantùm terminus per accidens generationis. Et in eodẽ etiam vult, quod forma, & finis coincidunt in idem, quod non est verum de fine geniti, sed generationis: ergo terminus formalis generationis verè est ipsa forma. Ipsum igitur generans vnam habet habitudinem ad primum terminum, qui dicitur productus, siue genitus, & aliam habitudinem habet ad formalem terminum. Et in creaturis vtraque habitudo est realis: quia vtraque habitudo habet terminos realiter distinctos, & realis dependẽtia est vtriusque producti ad ipsum producens. In proposito autẽ producens ad primum productum habet relationem realem: quia distinctionem realem, & realem originem: ad terminum autem formalem in producto non habet relationem realem, quia non distinctionem realem: sine qua non est relatio realis. Producere igitur in diuinis dicit relationem realem: communicare autem dicit relationem originis, & quasi rationis cõ comitantem illam realem. Cum igitur dicitur, quod istæ sunt relationes oppositæ scilicet communicare, & communicari, dico, quod sunt relatio-

2. Phy. tex. com. 14.

Text. com. 70.

tiones rationis oppositæ secundum propriasrationes suas,licèt necessario concomitentur aliquas relationes reales oppositas, scilicet producere & produci: sed istæ relationes, & illæ non sunt eorũdem relatorum formaliter.

E. Exemplum huius, de principio quo in creaturis refertur realiter ad productũ,sicut quod. Ad idem enim genus causæ pertinet ars, & ædificator 5.Metaph. sed hîc quo,quia non est distinctum,non habet relationem realem ad productum dist. 7. ita nec ê conuerso terminusformalis ad producens.Per idem ad secundum dico, quod nullum extremum vnius correlationis est idem formaliter cum extremo alterius correlationis: cõmunicans enim,& producens licet concurrãt in eodem suppositо (quia natura non dicitur proprie communicans se,sicut dicitur communicata) tamen communicans non dicit formaliter eandem relationem,quam dicit producens,vt producens: Communicari autem,& produci nec eandem dicũt relationem,nec idem primo denominant.

5.Metaph. tex.com.2.

F. Ad argumenta, *patet solutio ex dictis in corpore articuli.*

Expositio articu.6. quæst. 1. distinctionis 5.

VTRVM fuit nonnullis syllogisticè demonstrari essentiam producere, vel esse productam, ex eo quod est communicans,vel communicata. Ad quam illationem tollendam mouetur à Doctore art.iste,in quo concluditur verè communicari essentiam: non vero exinde sequi, quod producatur,aut producat. De quo litera textualis est clara:sed ob eius,& cæterorum articulorum euidentiam, sequens excitatur difficultas.

DIFFICVLT. LXIIII.

Vtrùm in aliquo sensu possit concedi,quod diuina essentia generat,vel generatur, sicut conceditur, quod Deus generat,& generatur?

§. 1.

Referuntur error Ioachimi, & quorundam sententiæ.

PRINCIPALIS huius tituli difficultas, alterius resolutionem supponit. Aliud nãque est Deum generare, seu generari: & aliud essentiam diuinam generare. Primum itaque supponitur verum:secundum autem principaliter præsens difficultas inuestigat. Ex suppositione ergo quod Deus generatur,& generat,oritur difficultas. Et ratio dubitandi est: quia inter Deum, & essentiam nulla formalis distinctio reperitur: cur ergo non potest competere essentiæ idem prædicatum, quod verificatur de Deo? Vt igitur hæc difficultas resoluatur exacte, oportet exponere, qualiter Deo competat generare: vt ex inde,rationem,quare id negatur essentiæ, explanemus: atque ideò vtraque difficultas sub hoc vno titulo perstringetur. 1

Ingentissima fuit disputatio inter Magistrum Sententiarum, & Ioachimum Abbatem, quos commemorat Lateranense Concilium in capitulo *Damnamus,de summa Trinit.& Fide Cathol.* prout refertur in textu nostri primi,& secundi articuli,circa hanc difficultatem. Magister naque in hac 5. dist. §. *ita etiam,* hæc profert verba. *Non est dicendum,quod diuina essentia genuit Filium:quia cum Filius sit diuina essentia, iam esset Filius res,à quagenerator: & ita eadem res se ipsam generaret. Ita etiam dicimus,quod essentia diuina non genuit essentiam.Cum enim vna,& summa quædam res sit diuina essentia, si diuina essentia es-* 2 *Verba Magistri.*

ſentiam genuit, eadem res ſe ipſam gennit: quod omninò eſſe non poteſt. Sed Pater ſolus gennit Filium, & à Patre, & Filio procedit Spiritus Sanctus. Hactenus Magiſter.

Hanc Magiſtri ſententiam hæreticã eſſe, Abbas Ioachimus putauit: quatenus ex illa colligi aſſerebat in Deo eſſe rerum quaternitatem: ita quod tres perſonæ ſunt tres res diſtinctæ; & eſſentia eſt alia res ab ipſis diuerſa: quas quatuor res diſtinctas, deſtruere Trinitatem diuinam, aiebat. Ex quo Petrum Lombardum Magiſtrum ſententiarum, tanquã diuinæ Trinitatis deſtructorem, erroneum, & hæreticum eſſe propterueiebat. Cuius (ſuo videri) erroneam ſententiam, Abbas vitare intendens, poſuit in diuinis ſolum eſſe vnam rem generantem, quæ eſt Pater, & aliam rem genitã, quæ eſt Filius, & aliam rem ſpiratam, quæ eſt Spiritus Sanctus. Vltra quas tres res, quæ ſunt tres perſonæ non poſuit eſſentiam diuinam, qua perſonæ diuinæ eſſent vna res: quin imò, tres perſonas diuinas vnam rem, & vnam eſſentiam eſſe negauit. Sed dixit ipſas inter ſe eſſe vnam charitate, & dilectione ſolummodo, ſicut fideles ſunt vnum myſticè in charitate vniti. Quod probabat ex illo Ioannis capit. 7. vbi Chriſtus Dominus pro fidelibus Patrem deprecans, ait, *vt ſint vnum, ſicut & nos*: ſed fideles non ſunt vnum vnitate naturæ, & eſſentiæ, ſed vnitate dilectionis, & charitatis: ergò, &c. Ad propoſitam autem difficultatem dicebat Ioachim (teſte Diuo Thoma 1.p.quæſt. 39.art.5.in corpore) quod ſicut dicitur Deus genuit Deũ: ita poteſt dici, quod eſſentia genuit eſſentiam, conſiderãs, quod propter diuinam ſimplicitatem, nõ eſt alius Deus, quàm diuina eſſentia.

3 *Error Abbatis Ioachimi.*

Contra hunc Ioachimum ſurrexit Concilium prædictum Lateranenſe, in quo damnatus eſt Abbas iſte tanquam hæreticus: & Magiſtri Petri ſententia, tanquam vera, & catholica approbatur, prout latè habetur in primo, & ſecundo articulis textualibus. Poſſet nihilominus diſputandi gratia prædicta Ioachimi ſententia in hoc, quod ad præſentis difficultatis titulum attinet, fundari in eo, quod videtur non minus eſſe veram iſtam propoſitionem, *eſſentia generat*, quã illa, *Deus generat*. Cuius fundamentum deſumi poteſt ex quadam doctrina, quã Diuus Thomas 1.p.art.quæſt.39.art.4.in corpore, refert fuiſſe quorundam, qui dixerunt, quod hoc nomen, *Deus*, proprie ſecũdum ſuam naturam ſupponit pro eſſentia, licet ex adiuncto notionali trahatur ad ſupponendum pro perſona. Et hæc opinio (inquit Diuus Thom.) proceſſiſſe videtur ex conſideratione diuinæ ſimplicitatis, quæ requirit, quod in Deo idem ſit habens, & quod habetur. Et ſic habens Deitatem, quod ſignificat hoc nomen Deus, eſt idem quod Deitas ſeu eſſentia. Quam opinionem reiecit D. Thom. ibi: illam tamen ſequuntur Gregorius in primo diſt. 4. q. vnica, Gabriel art. 1. notabili 6. Capreolus quæſt. 1. art. 3. & ad ſecundum, & Canarienſis in 2.p. Commentarij prædicti art. 4 Diui Thomæ.

4

Gregorius. Gabriel. Capreolus. Canarien.

Hac igitur doctrina ſemel habita, quod Deus idẽ prorſus ſignificat, quod eſſentia: poteſt hic primo probari: quod eſſentia generat, & generatur. Nam quidquid dicitur de aliquo, dicitur etiã de illo, quod eſt ſibi omninò idem. Sed de Deo optimè dicitur, quod generat, & generatur. Ergo hoc idem neceſſariò de diuina eſſentia dici debet: ſi quidem nihil includitur in conceptu Dei, quod non includatur in conceptu eſſentiæ.

5

Secundo: quia in hac propoſitione, *Deus generat Deum*, quæ in toto rigore logico eſt vera, Deus à parte ſubiecti, ſupponit pro Patre, & à parte prædicati, pro Filio: ſed etiam non minus ſupponit eſſẽtia pro Patre & Filio, quã Deus: ſi quidem Deus, & eſſentia ſunt omninò idem: ergo etiam in toto rigore Logico, hæc erit vera, eſſentia generat, vel generatur.

6

Tertiò: nam hæc eſt vera prædicatio, Filius æterni Patris eſt eſſentia: ergo iſta è conuerſo erit vera, eſſentia eſt Filius æterni Patris: ſed Filius Patris generatur, quia eſt qui terminat generationem Patris: ergo etiam eſſentia generatur. Quod idem argumentum fit de Patre, nam Pater Filij eſt eſſentia: ergo eſſentia eſt Pater Filij. Sed Pater Filij generat: ergo etiam generat eſſentia, & ideò non minus eſſentia, quàm Deus generat.

7

Deum autem generare, poteſt dupliciter intelligi, vel quidem quod ſubiectum

8

ctum huius propositionis *Deus generat*, supponat pro hoc Deo individuo Deitatis, quatenus est personis præintellectus, in quo sensu egimus de Deo in difficultate 63. vel pro Deo, vt in persona subsistit. Non solùm ergo in secundo sensu, verum etiam in primo tenuit Caietanus prima parte quæst. 39. art. 4. & expressius in fine commentarij ad quintum articulum, hanc esse veram: *Deus generat*. Hæc namque sunt verba illius ibi, *scilicet Deus generat, & sic hæc affirmatiua est vera, non solum accipiendo ly Deus pro Patre, sed etiam accipiendo pro essentia in concreto.* Essentia autem in concreto, est hic Deus individuum Deitatis, vt ipse dixerat. Huius sententiæ sectatores, ait Bargius in primo dist. 4. quæst. 2. & dist. 5. quæst. 1. fuisse nonnullos, quos tamen ipse innominatos relinquit. Ex eo igitur, quod illi concedunt huic Deo, pro vt à personis abstracto, hæc prædicatū *generare* teneantur concedere hunc Deū, vt sic personis præintellectum, generare posse: quia sibi non potest competere vera prædicatio, nisi respectu illius prædicati, quod sibi in vero esse conuenit. Atque ideò, si hæc est vera prædicatio, Deus vt præintellectus personis generat, erit procul dubio verum, quod vt sic præintellectus personis est principium, *quod* generationis, & vt tali, sibi conuenit generare. Huius sententiæ fundamentum, nullum aliud (vt video) esse potest, nisi illud, quod adducit idem Caietanus: qui citato art. 4. §. *ad secundum* inquit, quod non est verum quod actiones vniuersaliter loquendo sint suppositorum: sunt etenim etiam singularium subsistentium. Sed hic Deus est singularis subsistens, licèt non sit suppositum, quatenus suppositis præintelligitur. Ex quo sic formatur ratio. Ad generationem sufficit principium actionis generatiuæ, seu generationis actiuæ: sed talis actio, siue generatio potest cópetere huic Deo individuo Deitatis, qui est tale singulare subsistens, tāquam vero principio *quod*, huiusmodi actionis: ergo hæc est vera propositio, hic Deus individuum Deitatis, vt præintellectus personis, generat.

Opinio Caietani.

Bargius.

41

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, quæ est etiam D. Thomæ, & communis.

9 IN oppositum autem est Doctor Subtilis, qui Ioachimi sententiæ in litera textuali huius quæst. 1. in artic. 1. contradicit, & referens verba citati Cōcilij, hæc ait: *Nos autem sacrō approbante Concilio, credimus, & confitemur cum Petro, scilicet, quod vna summa res est essentia, vel natura diuina, quæ nec generat, nec generatur.* Opponi ur autem sententiæ Caietani in art. 4. his verbis. *Quare non potest esse vera, essentia generat, vt essentia supponit ibi pro persona, sicut ista est vera, Deus generat: quia Deus supponit pro Patre, & tamen Deus non distinguitur à se: nec Deus est formaliter, qui generatur, licet Deus generet Deum.* Sententia hæc, quoad primam partem, est communis omnium catholicorum. Eam tenet D. Thom. 1. p. quæst. 39. art. 5. quoad secundam verò id tenet ibidem, & art. 4. dū sentit, quod ideò hæc est vera *Deus generat*, quia Deus tunc supponit pro persona Patris: quod si pro illa nō supponeret, non sibi competeret generare: sed hic Deus vt præintellectus personis, & abstractus ab illis, non potest pro personis supponere. Sequuntur Scoti Lychetus in primo dist. 4. quæst. 1. Maironis dist. 5. quæst. 1. Vigerius ibidem, Tataretus, Rubionis, & Basolis ibidem: sed clarius quoad vtranque partem P. Rada 1. p. controuersia 12. art. 1. conclusione 4. P. Herrera in 1. disp. 6. quæst. 3. conclusione 3. & ex Thomistis, Torres de Trinit. quæst. 19. art. 4. dubio 4. Item doctissimus Suarez 1 p. tractatu 3. lib. 6. cap. 7. Vazquez autem prima parte disput. 157. cap. 6. num. 23. in re ipsa eandē sententiam sequitur, sed Caietanum ab argumentis Episcopi Canariensis liberat, dicendo non aliter illam oppositam sententiam tenuisse, nisi in eo sensu quo dicimus in humanis, quod homo generat: quia Petrus qui est homo generat: ita enim, & non aliter dicimus, quod hic Deus generat, quia Pater, qui est hic Deus generat.

D. Thom.

12

Lychetus.
Maironis.
Vigerius.
Tataretus.
Rubionis.
Basolis.
Rada.
Herrera.
Suarez.
Vazquez.
Canariensis

Verum hanc non esse mentem Caietani,

10

tani, plane indicant eius relata verba, quidquid Vazquius commentetur. Nec quidem ad eius ſententiæ impugnationem indigemus Canarienſis Epiſcopi rationibus: non enim ſupponimus, ſicut ille, hunc Deum immediatè ſupponere pro perſonis: & ideò aſia via infra contra Caietanum agemus.

11 Huius difficultatis materiam latè diſputat Doctor per totam quæſtionẽ primam huius quintæ diſtinctionis, quam etiam in prima quæſt. 4. diſt. tetigerat. Tres attamẽ difficultates germanas, hæc vnica comprehendit. Prima eſt titularis: an eſſentia diuina generet, vel generetur? In qua videndum eſt quare non cõperat eſſentiæ, generare, vel generari. Secunda eſt, an Deus generet, & generetur: & an ex hoc quod Deus generet Deũ poſsit concedi Deũ generare aliũ Deum: quam difficultatẽ reſoluit Doctor in textu art. 2. quæſt. 1. diſt. 4. Tertia tandem, an id quod dicitur in hac propoſitione *Deus generat Deum*, intelligi poſsit de hoc Deo, individuo Deitatis, prout à perſonis abſtracto, & illis prçintellecto. Quæ tres difficultates hic ob earum connexionem, & dependentiam inſimul explanare conabor.

12 Eſſe igitur hanc propoſitionem, *eſſentia generat, vel generatur*, in ſe ipſa falſam, clarè probat Doctor in textu primi art. primæ quæſt. huius 5. diſt. vt patuit in littera, & infra amplius in propria concluſione patebit. Quam non tantùm realiter, ſed etiam Logicè eſſe falſam determinat ibi in art. 4. Vnde autem proueniat prædictam propoſitionem eſſe falſam inquirit præſens difficultas.

13 *Ratio D. Thom. quare hæc propoſitio eſt falſa, eſſentia generat.* Diuus Thomas in 5. artic. iam citato hanc difficultatem facile ſoluit, & ab illa ſe expedit, dicés in hoc deceptũ fuiſſe Ioachimum, quod ex eo ſcilicet aſſeuerit eſſentiam generare eſſentiam, quia Deus generat Deum. Nam ad veritatem loquutionis, non ſolùm oportet conſiderare res ſignificatas, ſed etiam modũ ſignificandi. Licèt autem ſecundum rẽ idem ſit Deus, quod Deitas, ſeu eſſentia: non tamen eſt idem modus ſignificandi vtrobique: nam hoc nomen Deus, quia ſignificat diuinam eſſentiam in habente, ex modo ſuæ ſignificationis, naturaliter habet, quod poſsit ſupponere pro perſona: & ſic ea quæ ſunt propria perſonarum, poſſunt prædicari de Deo: & ideò dicitur, quod Deus generat Deũ. Hoc tamen non habet eſſentia ex modo ſuæ ſignificationis, quod ſupponat pro perſona, quia ſignificat eſſentiã, vt formam abſtractam. Quæ Diui Thomæ ſolutio, & ratio ſtat in hoc, quod ideò Deus genuit Deum: quia Deus poteſt ſupponere pro perſona: non tamen eſſentia, quæ pro perſona ſupponere nõ poteſt. Et non aliunde prouenit Deo ſupponere pro perſona, & eſſentiæ pro perſona non ſupponere, niſi ex diuerſo modo ſignificandi vtriuſque. Hanc eandem reſponſionem ſequitur Caietanus, & plerumque omnes Thomiſtæ, quæ vera eſt, ſed non ſatis difficultatem enucleat. Inquirimus etenim, quare huic tali modo ſignificandi, ſcilicet in abſtracto, denegetur hoc prædicatum *generat*? quod ibi adhuc non ſoluitur.

§. 3

Referuntur ſex modi dicendi, quos adducit Maironis, circa hanc propoſitionem, eſſentia generat.

DOCTOR vero hanc rationem inquirens, poſtquam difficultatem in ſenſu reali reſoluit, illã deinceps Logicè formalizando inueſtigat. Cuius ſubtilitatẽ eius diſcipuli varie commentantur: nam Franciſcus de Maironis loco ſupra citato, ſex adducit modos dicendi: quorum quinque priores rationibus improbat, & ſextum approbat ſibi. Primus, itaque modus eſt: quod ideò eſſentia diuina non generat, quia actiones formaliter ſunt ſuppoſitorum: eſſentia vero diuina non eſt formaliter ſuppoſitum. Hunc attamẽ modum dicendi illico reijcit auctor iſte: quia anima ſeparata non eſt ſuppoſitum, & nihilominus operatur & agit: & præterea, quia eſſentia diuina de ſe eſt ſubſiſtens perfectius, quàm accidentia Euchariſtiæ, quæ nonnullas habent actiones, ſeu operationes, non ergo ex hoc nega- 14

ri potest essentiæ, quod generet: quia scilicet suppositum non est. Secundus modus dicendi est, quod ideò essentia non generat: quia pari ratione generaretur: & sic idem generaret se; sed illud non valet (inquit Maironis) nam sicut ex tribus personis est vna essentia, & idem intellectus: & tamen conceditur, quod intellectus generat, & generatur: quia scilicet intellectus paternus formaliter generat Verbum, quod est sapientia genita, in qua est idem intellectus, qui genuit illud: eodē modo posset dici de essentia, quod generat, & generatur. Tertius modus est, quod ideò essentia non generat, quia est ad se: si enim generaret, referretur ad aliud secundum generationem: si autem esset ad aliud, non esset essentia. Hunc tamen modum dicendi impugnat: quia licet repugnet diuinæ essentiæ esse ad aliud quidditatiuè, quia sic non esset essentia: non tamen ibi repugnat esse ad aliud denominatiuè: sicut de qualibet substantia creata dicitur.

15 Quartus modus soluendi prædictam difficultatem est, quod ideò essentia non generat: quia est communis tribus personis: si autem generat, quælibet persona generat: quia in qualibet æqualiter est essentia. Sed hunc modum variis rationibus confutat Maironis, & præsertim quia eadem ratione essentia diuina excluderetur à ratione principij generandi (est enim principium quatenus fœcundans intellectum cum illo constituit memoriam, quæ est adæquatum principium generationis) si quidem in omnibus est eadem essentia: non tamen in omnibus est principium generandi. Quintus modus dicendi est, quod ideò essentia non generat: quia alio Pater est Pater, & alio est Deus: generatione enim est Pater, & essentia est Deus. Sed contra hunc modum dicendi infert etiam probari exinde, quod essentia non esset principium, *quo* productiuum verbi: quia alio est Deus, & alio generans.

16 Sextus tandem modus respondendi ad difficultatem prædictam, quem sibi Maironis eligit, est, quod ideò essentia non generat: quia generans debet esse principium *quod*: essentia autem non est *quod*, sed *quo*: ideò autem essentia nō est *quod*, quia ipsa est priuata *quo*, hoc est ipsa vt vltimate abstracta, reduplicatiue loquendo, non est communicata, seu non concipitur, vt communicata alicui concreto, cui possit competere ratio principij *quod*. Quæ doctrina celebris est ex Doctore delumpta, vt ex dicendis constabit. Illam attamen declarat Maironis prænotans, quod quandocunque est aliquod medium, seu totum compositum ex extremis, illud oportet resoluere vsque ad omnino simplicia: & illud tale medium compositum, dicitur *quod*: extrema autem componentia ita se habent, quod formale eorum seorsum dicitur *quo*. Illud autem *quo*, quia nullo modo est *quod*, non operatur. Sic essentia est vltimum *quo*: nam suppositum generat, & resoluitur in Deum, qui etiam generat: sed Deus resoluitur in essentiam, quæ est vltimum *quo*, & nullo modo est *quod*, & ideò nō generat.

17 Hæc quidem egregia sunt, quia tamen etasia minerua sunt dicta: ideò clariori speculatione indigent. Vnde pro eorum intelligentia, primo obseruare oportet in ista propositione, *essentia generat*, duo esse consideranda, subiectum scilicet, quod est *essentia*, & prædicatum nempe *generat*. Et primo loquendo de essentia est quidam terminus abstractus in Deo, vltrà quem nullus alius maiori abstractione abstractus, valet intelligi: est etenim vltimate abstracta. Quod quidem de Deitate dici non potest, eo quod est in minori gradu abstractionis. Quamuis enim plerumque Deitas pro essentia, & essentia pro Deitate soleat vsurpari: nihilominus prout bene notauit Maironis in citata quæst. 1. §. distinctionis prope medium §. *Respondeò*, & *dico*, Deitas non est ita vltimate abstracta, sicut essentia: Deitas enim quamuis abstracta, quodammodo tamen concernit Deum habentem se. Essentia vero non aliud quàm præcisam rationem formalem Deitatis importat: & ideò est magis abstracta, quàm Deitas, sicut ratio formalis, seu essentia albedinis magis abstracta est, quàm ipsa albedo.

Essentia est magis abstracta quā Deitas.

18 Porrò hoc confirmari potest doctrina quadam D. Augustin. quarto de Trinitate capite 20. vbi inquit, *quod Pater est principium totius Deitatis*. Quam auctoritatem

D. August.

tatẽ exponit optimè Diuus Thomas in citato articulo quinto ſolutione ad ſextum. Quod ſcilicet cum dicitur Pater principium totius Deitatis, poteſt Deitas ſumi pro vniuerſitate perſonarum. Quæ expoſitio, & auctoritas aperte indicant mentem Maironis: non enim Pater dicitur principium totius eſſentiæ, ſicut dicitur principium totius Deitatis: neque eſſentia abſtracta poteſt pro vniuerſitate perſonarum ſupponere: ſi quidẽ eſſentia vt eſſentia, à ſuppoſitis abſtrahit, ſicut ratio formalis abſtrahit ab eo, cuius eſt talis ratio. Latius ergo ſe habet Deitas, quàm eſſentia, licèt à Diuo Thoma in illo articulo, & ab alijs communiter Deitas indifferenter pro eſſentia vſurpetur. Ex quibus habetur, hanc propoſitionem *eſſentia generat*, in rigore ſermonis aliam eſſe ab iſta, *Deitas generat*, quamuis etiam in rigore vtraque falſa ſit: quia vt ibi aduertit Maironis, ſufficit abſtractio Deitatis, vt ſibi non poſsit competere hoc prædicatum *generat*: ſed tamen non ita impropriè dicitur (inquit ipſe) Deitas generat, ſicut eſſentia generat. Quod probari poteſt ex nuper citata doctrina Diui Thomæ, quod Deitas poteſt ſupponere pro vniuerſitate perſonarum: nam ſi ſic ſupponat: profecto etiã ſupponere poteſt pro Patre, qui non minus, quàm cæteræ perſonæ, intra vniuerſitatem perſonarum includitur: & hinc iſta propoſitio *Deitas generat*, ſupponeret pro hac, *Pater generat*. Quamuis attamen hæc loquutio ſine periculo contradicendi Concilio, poſſet cum hac Diui Thomæ declaratione ſaluari: non eſt tamen in vſu, nec propterea admittẽda. Eſſentia igitur, de qua expreſſe Concilium loquitur, eſt vltimatè abſtracta, & de illa præſens difficultas procedit.

§. 4.

Fieri poſſe triplicem abſtractionem ſcilicet à fundamento, à ſubiecto, & ſuppoſito, oſtenditur, ex quibus plura concluduntur.

SECVNDO eſt obſeruandũ, prout prænotat Doctor in textu, triplicem fieri abſtractionem in accidente actiuo, & duplicẽ in accidente abſoluto, & vnam tantummodo in ſubſtãtijs. Cuius literæ ſubtilitas attẽditur penes triplicem modum concernẽdi naturæ. Natura namque primo cõcernit ſuum proprium indiuiduum: concernere autẽ nihil aliud eſt, quàm dicere aliquod, in quo eſt per modum formæ in formãtis: ſicut forma eſt in habente illam, vt Lychetus expoſuit vbi ſupra § *pro intelligentia*. Si autem talis natura concernẽs fuerit accidens, ſecundo concernit ſubiectum, cui inhæret. Si tamen tale accidens fuerit relatio tertio concernit fundamẽtum in quo fundatur. Hoc illuſtratur exemplo, ſimilitudo enim, & eſt in ſuo fundamẽto, & in ſubiecto, & in ſuo indiuiduo. Nã quatenus relatio ſimilitudinis, eſt in vnitate albedinis, v. g. in qua fundatur relatio ſimilitudinis ad aliud album. Quatenus verò hæc ſimilitudo eſt quodam accidens, inhæret eidem ſubiecto, cui inhęret albedo, in qua fundatur. Quatenus tandem eſt natura talis ſimilitudinis, eſt in hac ſimilitudine, quę eſt ſuum proprium indiuiduum in quo exiſtit, ſicut quælibet alia natura exiſtit in ſuo ſingulari. Ab iſtis igitur tribus, in quibus eſt ſimilitudo, ſeu natura ſimilitudinis poteſt abſtrahere: quoniam abſtrahit à fundamento, à quo realiter, ſeu formaliter diſtinguitur: rurſus hæc eadem ſimilitudo abſtrahit à ſubiecto, cui inhęret, à quo eſt realiter diſtincta: tandem natura eius ſimilitudinis abſtrahit à ratione ſingularitatis, ſeu indiuiduo, in quo determinata exiſtit.

19 *Abſtractio aliter fit in abſolutis, & aliter in relatiuis.*

Abſtractio in relatiuis fit tripliciter.

Accidens vero abſolutum, vt poté albedo, quia non concernit fundamentũ ſicut relatio: ſed ſolum ſubiectum, eo quod eſt accidens, & proprium ſingulare, ſicut quælibet alia natura: non illam triplicem abſtractionem poteſt habere, quam habet accidens relatiuum: ſed duplicem tantum, videlicet vnam à ſubiecto, & aliam à proprio indiuiduo.

20 *Abſtractio in accidente abſoluto fit dupliciter.*

At qui ſubſtantia, nec ſubiectum, nec fundamentum concernit: ſed tantũmodo indiuiduum proprium: & ideò ab illo tantùm poteſt abſtrahere: quia vero indiuiduum ſubſtantialis naturæ, loquẽdo de natura creata, eſt ſuppoſitum, ideò

21 *Abſtractio in ſubſtantia fit vno modo.*

ideò in huiusmodi substantijs vnica tãtum fit abstractio videlicet à supposito. Et ita humanitas non ab alio quàm à supposito abstrahit: siue illud suppositum sit proprium naturale, vt patet de humanitate Petri, siue sit alterum supernaturale, vt infinitum & patet de Christi humanitate, quæ abstrahit à supposito Verbi, in quo subsistit, vt benè notauit Lychetus §. *dico ergo*. Bene verum est, quod iuxta ea, quæ notauimus supra in diffic.63. à num.8. vsque ad num. 22. optimè potest cõcedi duplicè abstractionem fieri posse in naturis substantialibus, vnam scilicet à proprio indiuiduo, & aliam à supposito. Et sic primo à supposito hominis abstrahitur hic homo indiuiduũ humanitatis: & deinde ab hoc homine tali indiuiduo, abstrahitur humanitas, quæ est vltimate abstracta in hac serie, sic in diuinis hoc clarius patet: nam inter essentiam, & personã datur hic Deus indiuiduũ Deitatis, qui abstrahit à personis, vt visum est in nuper citata difficultate, & datur diuina essentia, quæ abstrahit ab hoc Deo, & ideò essentia est vltimate abstracta.

In substantialibus naturis, fit duplex abstractio.

22 Nec valet, si dicas, Doctorem tantum modo posuisse vnicam abstractionem in substantijs, qua scilicet fit abstractio à supposito: nam Doctor ibi loquitur de abstractionibus, quæ supponunt distinctionem realem, seu formalem inter illud, quod abstrahitur, & illud à quo abstrahitur. sic etenim non abstrahit substantia à singulari, à quo nõ distinguitur plusquam in modo significandi, & tanquam *quod*, à *quo*: sed tantùm à supposito à quo increatis realiter distinguitur, & in diuinis formaliter. Nos autem hîc vlterius abstrahimus naturam à singulari, quatenus natura, vt abstracta distinguitur à seipsa, prout est in concreto: & ideò hanc voco vltimam abstractionẽ, quia non est natura seu essentia vlterius abstrahibilis: sed vt sic est vltimate abstracta.

23 Vel secundo respondeo, hîc vocari à Doctore abstractionem à supposito, illam, qua essentia abstrahit ab hoc Deo: quia vt ibi bene notauit Lychetus sub §. *dico secundo*, non capitur hic suppositum pro incõmunicabili subsistẽte: sed pro omni eo, quod potest accipere prædicationem naturæ in quid, & in hoc sensu albedo hæc dicitur suppositum albedinis vt sic: & afortiori hic homo dicitur suppositum humanitatis, & hic Deus vt præintellectus personis, dicitur suppositum essentiæ.

Demum, secũdus terminus huius propositionis *Deus generat*, est eius prædicatum, *generare*, quod prædicatum est adiectiuum. Differẽtia autẽ inter adiectiua, & substantiua prædicata est satis patẽs: & ideò non est cur in eius expositione immoremur: sufficit enim scire, quod prædicatum adiectiuũ inhæret, seu quasi inhæret subiecto, vt albũ: atque ideò semper per modũ informantis, seu alteri adiacenti se habet. Adiectiua autẽ prędicata non conueniunt subiecto in primo modo dicendi per se: quia in primo modo dicẽdi per se tantùm prædicatur definitio, seu pars definitionis de definito, aut idem de seipso. Adiectiua autem prædicata non intrant definitionem sui subiecti: quia cum illi inhæreant, ipsum supponunt essentialiter constitutũ: nec identicè prædicantur de illo, cum enim dent ei esse per modum formæ informãtis, non nisi formaliter possunt de subiectis, quibus conueniunt, prædicari. Substantiuũ vero (inquit Doctor) & formaliter, & identicè prædicari potest de subiecto.

24 *Differentia inter prædicata substãtiua, & adiectiua.*

Quibus prænotatis, reddẽs Doctor rationẽ, quare hæc est falsa propositio, *essentia generat*, seu *generatur*, inquit nullã aliã esse, nisi quia de vltimate abstractis nihil prædicatur, nisi in primo modo dicẽdi per se. Quid autẽ intelligat per primũ modũ dicẽdi per se, patet ex nuper dictis, sed latius ex diffic. 40. n. 17. Quia ergo essentia est vltimate abstracta, & generare est adiectiuũ prædicatũ, quod nõ prædicatur nisi formaliter: aliter autem prædicatur formaliter, quod nõ prædicatur in primo modo dicẽdi per se: ideò hæc est falsa propositio, *essentia generat*, & ista *essẽtia generatur*. Huius tamẽ rationis ratio est: quia facta vltima abstractione naturæ, nõ cõuenit aliquid, nisi quę sibi essentialiter cõpetunt, à quibus si abstraheret, iã nõ esset natura. Ex quibus infero cũ Doctore in art. 4. quod natura vltimate abstracta est quidditas absolutissimè sumpta, abstrahẽs ab omni eo, quod est quocunq; modo extra rationẽ suæ quidditatis: vt humanitas in quantũ humani-

25 *Celebris regula pro vltimate abstractis, in quãtum ad eo rum prædicationem de alio.*

tas

tas,tantũ includit illa,quæ ſunt de ſua ratione quidditatiua, & formali. Ex quo iſta eſt vera,humanitas eſt animal: quia animal cõſideratur ſub ratione, qua eſt idẽ formaliter humanitati, eo quod eſt de eſſentia eius,& ſibi cõuenit in primo modo dicendi per ſe. Iſta autẽ eſt falſa, humanitas eſt riſibilis: quia riſibile eſt extra rationẽ formalẽ,& quidditatiuam humanitatis,à quo humanitas abſtrahit.

26 Reſoluitur ergo prædicta regula Doctoris in hoc, quod quando ſubiectũ eſt abſtractũ vltima abſtractione,& prædicatũ ex ratione ſua nõ eſt aptũ natũ prædicari,niſi formaliter:nõ poteſt propoſitio eſſe vera,niſi ſit in primo modo dicendi per ſe. Quia ergo in prædicta propoſitione, ſcilicet *eſſentia generat*, ſubiectũ eſt vltimate abſtractũ, & prædicatũ, eo quod eſt adiectiuũ,nõ eſt natũ prædicari,niſi formaliter: & ei nõ cõuenit tale prædicatũ in primo modo dicẽdi per ſe:quia origines non ſunt de formali cõceptu eſſentiæ: ideò in rigore lógico: hæc eſt propoſitio falſa, *eſſentia generat, aut generatur.*

§. 5.

Inueſtigatur ſubtilitas quarundam prædicationum,qualiter ſcilicet quædam prædicata enunciantur de eſſentia.

27 VERVM enim vero, contra hæc obſtat non minimũ incõueniẽs vt apparet:quia ex hac doctrina ſequitur,has propoſitiones, eſſentia eſt bona,eſt ſapiẽs,eſt intelligẽs,& ſimiles, eſſe formaliter falſas: ſi quidẽ hæc talia prædicata etiam ſunt adiectiua, & non ſunt de conceptu formali eſſentiæ, eo quod formaliter ex natura rei diſtinguũtur ab illa:hoc tamen non videtur dicẽdum:ergo tota præfacta doctrina ruit.

28 Non dubitat Lychetus,prædictas propoſitiones cõcedere eſſe falſas: nã in cita a q.1. huius 5. diſt. ſub §. *in iſta littera ſunt duo conſiderãda*, prope mediũ, hęc ait: *Ex ſupra dictis infero, quod de rigore ſermonis iſtæ propoſitiones ſunt falſæ, Deitas eſt bona, eſt ſapiens, eſt intelligens, eſt volens, eſt generãs, & huiuſmodi: quia vt ſic vltimate abſtracta non includit formaliter, niſi tantũ prædicata eſſentialia.* Sed Maironis in ſupracitato loco §. *ſed hic eſt vna difficultas*, hã regulã Scoti reducit ad certã limitationẽ, hanc ponens differentiã inter prædicata adiectiua. Alia ſunt etenim, quæ ſubiecto cõueniunt per modũ habitus,& quietis, ſicuti bonũ, pulchrũ, ſapiens, iuſtũ, & ſimilia. Alia vero, quæ ei tãũ per modũ fluxus,& fieri, ſeu operationis, aut actionis cõueniunt: vt porè intelligere, velle, amare, generare, ſpirare, creare, & ſimilia. Inquit ergo, quod loquẽdo de illis adiectiuis primi generis, quæ ſcilicet per modũ habitus, & quietis inſunt ſubiecto, propoſitiones illæ ſunt veræ, etiam ſi prædicentur de vltimate abſtractis, eaque illis non cõueniunt in primo modo dicendi per ſe:& ideò prædictæ propoſitiones, ſcilicet eſſentia eſt bona, pulchra ſapiens, &c. ſunt veræ. At qui loquẽdo de illis adiectiuis, quæ ſubiecto conueniunt per modũ fluxus, & operationis, non ſic. De his ergo ait intelligendã eſſe regulam, & doctrinã Scoti, quod de vltimate abſtractis nihil prædicatur niſi in primo modo dicendi per ſe.

Huius tamen differentiæ rationẽ non reddit Maironis, licẽt bene ad quãdã obiectionẽ â ſe ſibi factam reſpõdeat. Nam ſi cõtra arguatur, quod diuina eſſentia eſt obiectũ viſionis,& dilectionis, præſertim in Beatis, à quibus videtur,& amatur: ita quod hæ ſũt veræ propoſitiones, eſſẽtia videtur, intelligitur, amatur, &c. ſed intelligi, videri, & amari, non ſibi cõ uenĩũt in primo modo dicẽdi per ſe: ergo tota doctrina Scotica ruit. Reſpõdet optimè auctoritate, quod regula tenet de huiuſmodi prædicatis adiectiuis ex parte principij *quod* operantis: nõ tamẽ ex parte obiecti, ſeu termini terminãtis operationẽ: & ideò licet nõ valeat hæc, eſſentia videtur, ſeu amatur valet tamẽ hæc, eſẽtia videtur, ſeu amatur. Et ratio à priori eſt: nam ideò ex parte principij operãtis non valet: quia huiuſmodi operationes ſunt in ipſo operante, & ponunt in illo aliquod eſſe ex natura rei: & talia eſſe includunt diſtinctionẽ ſufficientẽ inter ſe ipſa,& operãs, ratione cuius poſſit operans ab illis abſtrahere. Et quia nullũ vltimate abſtractũ eſt principiũ *quod*, ſed *quo*, vt dictũ eſt: & ideò non ſibi poteſt cõpetere, quod ſit operans, eo quod ſoli principio *quod* conuenit operari. 29

At

At verò ex parte obiecti, seu termini, ideo valet, essentia intelligitur, ita vt hîc non teneat prædicta Scoti regula: quia huiusmodi operationes nullum esse, seu nihil formalitatis ponunt in termino: sed tantum dicunt in illo extrinsecam denominationem, in qua fundatur respectus rationis, ex eo videlicet, quod talis terminus est visus seu amatus: atque ideo non est ibi aliqua formalitas, aut aliquod esse ratione passiuæ operationis, à quo essentia possit abstrahere: & ideo non abstrahit ab hoc prædicato, quod sibi extrinsece conuenit, scilicet, essentia videtur, aut amatur, &c. Imò stantibus talibus prædicatis, quæ sic sibi insunt primo, stat simul, quod sit essentia vltimate abstracta: quia cũ hoc, q̃ est videri, seu amari, nihil ex natura rei ponat in ipsa: nõ inest ibi aliquid rationẽ taliũ prædicatorũ, à quo possit abstrahere: & ideo stãte eius vltimata abstractione, adhuc talia prædicata sibi possũt inesse.

30. Profectò hæc Mayronis solutio ad obiectionem præfactam, optima, vera, & subtilissima est. Illa autem differentia de adiectiuis inhærentibus per modum habitus, seu operationis: licet congruẽter assignata sit, saltem propter communem modum loquendi sanctorum: non tamen ratio aliqua statuitur, quæ ad illi assentiendum coniungat: nam vt bene D. Thomas in citato art. 5. q. 39. solution. ad primum in simili casu docet, ad exprimendam vnitatem essentiæ, & personæ, sancti Doctores aliquando expressius loquuti sunt, quam proprietas locutionum patiatur: Vndè huiusmodi locutiones (inquit) non sunt extẽdendæ, sed exponendæ, vt, scilicet, nomina abstracta exponantur per cõcreta, &c. Huius igitur instar modi possumus dicere, q̃ essentia est bona (cũ Mayrone,) & quod essentia est pulchra, sapiens, &c. quod non negauit Lychetus vbi supra. Sed loquendo ibi de rigore sermonis. & infra in §. *ad alias instantias*, inquit, quod omnes istæ propositiones de rigore sermonis sunt falsę, scilicet, essentia intelligit, essẽtia diligit, essẽtia est bona, & sapiens, & huiusmodi: & si aliquãdo cõcedũtur, hoc nõ erit de rigore sermonis, sed ex improprio vsu loquendi: hæc Lychetus.

31. Verũ, si istæ sunt propositiones veræ, in toto rigore sermonis, essentia est bonitas, est sapiẽtia, est pulcritudo, & similes: quare nõ erunt veræ istæ, essentia est bona, sapiens, & pulchra? Rursus si ista est vera, essentia est Pater, sicuti, & ista, essentia est Paternitas: cur ista non erit vera, essentia est bona, sicuti ista essentia est bonitas: siquidẽ nõ magis cõuenit essentiæ in primo modo dicendi perse, hoc prædicatum Pater, quam bonum?

Huius dubij solutio totius difficultatis intelligẽtiã patefacit, & omnẽ rationẽ dubitandi euacuabit recolẽdo ex supra notatis, nu. 24. regulã Scoti: q̃ scilicet, substantiua possunt prædicari indiuinis, tã identice, quã formaliter: adiectiua vero solũmodo formaliter: quia cũ inhæreant, seu quasi inhæreant, per modũ formæ informantis: non nisi formaliter sunt apta nata prædicari & quia essentia est vltimate abstracta, abstrahit ab omni eo, quod non intrat eius quidditatẽ: & ideò abstrahit ab omni adiectiuo, quod sibi nõ cõuenit in primo modo dicẽdi perse, qualia sunt nuper cõmemorata adiectiua, vt bonũ, sapiens, &c. Prædicata autẽ substantiua, quia nõ semper insunt per modũ formæ, nõ solũ formaliter, sed etiã per identitatem prædicari possunt in Deo: quia ergo bonitas, sapiẽtia, Pulchitudo, Paternitas, Generatio, intellectio, volitio, &c. sunt substãtiua prædicata: ideo verificãtur de essentia, & istæ sunt prædicationes, & propositiones veræ per identitatẽ, essentia est generatio, volitio, bonitas, &c. quia vt sic huiusmodi prædicata nõ sunt apta nata formaliter prędicari de essentia: cũ etiãsint vltimate abstracta, nec vt sic cõcernunt aliquid, de quo formaliter verificari possunt. Vndè ex duplici capite prouenit, quod de essentia quodlibet istorum prædicatorum prædicetur.

Substantiua in diuinis prædicantur de essentia idẽticè, & formaliter, adiectiua solùm formaliter.

Primo enim: quia ex eo q̃ talia prædicata sunt vltimate abstracta, nõ sunt apta nata prædicari formaliter de aliquo: quia nihil cõcernunt: & ideo si prædicãtur, necessario debẽt prædicari per identitatẽ. Secũdo, quia talis idẽtitas, potest sibi ex parte vtriusq; extremi, seu saltim ex parte vnius, ratione infinitatis cõuenire. Vndè etiã si relationes diuinę formaliter infinitæ nõ sint: sufficit infinitas essẽtiæ, vt idẽtificẽtur cũ illa: attributa verò, & perfectiones diuinę: quia ex se ipsis formalẽ infinitatẽ includũt, & ratione suæ

infinitatis, & ratione infinitatis essentiæ, realiter identificantur cum illa. Ex infinitate igitur prouenit identitas essentiæ, cum huiusmodi prædicatis: quia ergo propter infinitatem talia prædicata considerantur, vt sunt res eadem cum essentia: ideo huiusmodi prædicationes sunt identice verę: quia prædicatio identica interdum fit abstracti de abstracto, quando, scilicet, vtrũque est infinitum, vel saltim alterũ propositionis extremũ, Exemplũ primi, vt essentia est bonitas: exemplũ vero secundi, vt essentia est Paternitas. Si tamen neutrum extremũ abstractũ est formaliter infinitũ, nulla ibi interuenit realis identitas ratione taliũ extremorum, & ideo vnũ non prædicatur, etiam identice de altero: quam ob rem istæ sunt propositiones falsæ. Paternitas est Filiatio, aut spiratio. Vnde autẽ proueniat spirationi actiuæ esse realiter idem cum Paternitate, seu Filiatione, alibi explanatum est.

34. Ex his soluitur, illud de Paternitate, & Patre: per idem etenim respondeo, quod ideo hæc est vera, essentia est Pater, & ista, essentia est Paternitas: quia in vtraque propositione, prædicatum est substantiuũ. Pater enim substantiuũ est, sicuti & Paternitas, vt bene notauit Lychetus, §. *vltimum dictum*, bonũ vero est adiectiuũ, licet bonitas sit prædicatũ substantiuũ: & ideò hæc prædicatur de essentia: non tamen illud. Ex quibus omnibus à priori resolutione constat, quare hæc propositio, essentia generat, vel generatur, non sit formaliter, nec identice vera: ista autem, essentia est generatio, sit vera, non formaliter, sed per identitatem.

§. 6.

Inuestigatur ratio, quare essentia intelligitur, & amatur, non tamen generatur, & spiratur?

35. REstat nunc nobis, pro cõplemẽto huius difficultatis, reddere rationem, quare hæc sit vera, essentia intelligitur, seu amatur: non tamen ista, essentia generatur seu spiratur: cum ista duo prędicata, sic se habeãt, ex parte termini, & non ex parte principij operantis, sicut & illa, & dictũ sit supra, nu. 29. quod regula Doctoris debet intelligi de prædicatis habentibus se ex parte principij, nõ vero ex parte termini: vel igitur ista est falsa, essentia intelligitur: vel hæc est vera, essentia generatur. Et vrget difficultas, si loquamur respectu intellectionis, & amoris diuini; nam sicut essentia est terminus intellectionis diuinę, & diuini amoris: ita quod istæ sunt veræ propositiones, essentia intelligitur â diuino intellectu, & amatur à diuina voluntate: sic videtur esse terminus generationis, & spirationis: ita vt istæ sint veræ, essentia generatur, & spiratur: quoniam idem intellectus diuinus, est qui intelligit, & generat: & eadem voluntas diuina, est, quæ amat, & spirat: non ergo videtur minus posse essentiã terminare generationẽ, & spirationem, quã intellectionem, & amorẽ. Hoc amplius vrget in opinione Thomistarũ, qui tenent, quod Pater intelligendo generat: & Pater, & Filius amando spirãt: si igitur essentia à diuino intellectu intelligitur, & à diuina voluntate amatur: uidetur etiam, quod à diuino intellectu generatur, & à diuina voluntate spiratur. *Acuta difficultas.*

36. Sufficeret quidem Thomistis pro hac difficultate soluenda, distinguere, inter intellectionem, seu amorem essentialem, & notionalem, & dicere: quod licet essentia sit terminus intellectionis, seu amoris essentialis: non tamen est terminus intellectionis, seu amoris notionalis: & ratio differentiæ est: quia inter notionaliter intelligens, & intellectum, datur realis distinctio, quæ requiritur, inter producens, & productum, eo quod notionalis intellectio est productio, essentia vero non distinguitur realiter à Patre notionaliter intelligente: & ideo non intelligitur notionaliter ab illo: atque inter intelligens essentialiter, & intellectum, non requiritur talis distinctio realis: quia intellectio essentialis non est productio: quod idem de amore essentiali, & notionali dicendum est. Sat igitur essentiam ab intellectu diuino intelligi, & à voluntate amari, absque eo, q̃ generetur, aut spiretur: quia generare, & spirare sunt *Solutio pro parte. Thomistarum.*

sunt intelligere,& velle notionalia,quæ prædictam distinctionem realem inter principium , & terminum necessario prærequirunt.

37. Atqui in Schola Doctoris vbi nullũ admittitur intelligere,aut velle notionale in Deo,facilius respondetur,supponẽdo intellectũ diuinũ(quod etiã est in nobis)& esse productiuũ, & operatiuũ,sicut latè patuit supra. Quatenus productiuus est respicit terminum:quia habet esse ex vi sue productionis realis:& quia esse quod habet terminus, præsupponit talem productionẽ, ad quã consequitur ipse terminus:ideo ex consequenti talis productio ponit esse reale intrinsecũ in termino: at vero quatenus talis intellectus est operatiuus,nõ respicit terminũ, cui det aliquod esse : sed respicit obiectum,quod ideo tantũmodo dicitur terminus,quia ad illud operatio terminatur,quatenus tendit in ipsum.Ex quocõ stat differentia euidens inter operationẽ,& productionẽ:ista etenim supponitur ad terminũ,illa vero supponit obiectũ,quod est terminus.Atque ideo productio dat esse reali,& formali termino, operatio vero nullũ esse reale , aut formale tribuit obiecto, sed tantũ quãdam denominationẽ extrinsecã, qua dicitur intellectũ:quia ergo intelligere est operatio,& generare est productio:& vt dictũ est sup.in nu. 29.illud prædicatum, quod nihil ex natura rei ponit in subiecto,potest illi etiã vltimate abstracto cõuenire: non vero illud quod dat ei aliquod tale esse:ideo hæc est vera propositio,essentia intelligitur:ista autẽ est falsa,essentia generatur:quod idẽ,diligere,& spirare diuine voluntatis dicẽdũ est.

Intellectus diuinus,& est productiuus, & operatiuus

Solutio in mia Scoti.

Essentia intelligitur, est vera propositio in diuinis:nõ tamen hæc,essentia generatur.

38. Sed iam vnde proueniat, hãc propositionẽ esse formaliter verã, Deus generat Deũ,absque hoc,quod ex illa sequatur Deũ generare aliũ Deũ, egregiè docuit Doctor sup.in dist.4.q.1.art.1.solutione ad primũ, & nos tradidimus ibi in Cõmentario nostro,quod termini in cõcreto possunt supponere prosuppositis respectu prædicatorũ, respectu quorũ non extraneantur,&c. Hoc idem ferè tradidit D.Thomas in citata quæst.39 art.4.in corpore, vbi inquit, quod hoc nomen Deus habet ex modo significandi, quod propriè possit supponere pro persona,sicut& hoc nomẽ homo. Vndè ideo hæc propositio est vera formaliter, *Deus generat Deũ*, quia tã à parte subiecti,quã à parte prædicati, Deus supponit pro persona:ideo tamen pro persona supponit: quia formaliter prædicatur de illa:hæc etenim est formalis prædicatio,Pater est Deus,sicuti ista Petrus est homo: sicut ergo in hac,homo generat,homo supponit, non pro natura hominis,sed prosuppositio eius: sic in ista, Deus generat,supponit Deus, non pro diuina essentia,sed prosuppositio generante,quod est Pater.

Quare Deus generat Deũ est propositio formaliter vera,etiam si sit falsa hæc essentia generat.

39. Ex quo sumitur ratio titularis huius difficultatis,quod,scilicet,ideo essentia nõ generat,licèt Deus generet, etiam si Deus sit idem formaliter cum essentia: quia Deus non abstrahitur à supposito, sed ipsum concernit, & de eo formaliter prædicatur:ideo vero essentia nõ generat : quia non supponit pro persona generante,aut genita: & ideo non supponit pro huiusmodi personis,aut suppositis:quia vt sic vltimate abstracta,abstrahitur ab omni supposito , & ex cõsequenti non potest supponere pro illo. Ex quo habetur conformitas ad supra traditã doctrinã Mayronis , quod ideo Deus generat, quia est verũ principiũ, *quod*,ratione suppositi , quod concernit:ideo vero essentia non generat:quia tantũ est principiũ, *quo*,nullum concernens suppositũ. Quare autẽ ex eo,quod Deus generat Deũ, non sequatur,quod istæ propositiones sint veræ,Deus genuit aliũ Deum , vel genuit se Deum,in sensu reali,& logico,illustrauit Doctor in citata, dist.4. q.1.art.1.& 2.& nos ibi in Cõmentarijs breuiter adnotauimus, quare non est,cur hic iterum repetatur.

40. Porrò est vltimo obseruandum,quod licet essentia diuina,& hic Deus vt præ intellectus personis , & Deus vt sic , ex natura rei sint omnino idem : possunt nihilominus à nobis considerari,sub distinctis conceptibus saltim in adæquatis , vt vidimus: nam essentia est vltimate abstracta , & est merum principium, *quo*, respectu eorum,quæ tam ad intra, quã ad extra producuntur à Deo,& nullo modo est *quod* : at vero hic Deus dicit essentiam in habẽte illam.& est verũ *quod*,correspondens essentiæ: ita tamẽ, quod consideratur à personis abstractus, quatenus antecedẽter ad illas præintelli-

gitur, sed Deus vt sic, nēpè absolutè loquendo, sine hac abstractione, potest cō cernere personas, tāquam suppositā in quibus naturaliter subsistit. Rursus, prædicata, quæ reperiuntur in *Deo*, sunt in duplici differentia: quædam enim sunt essentialia tam per modum habitus, & quietis, vt sapiens, misericors, &c. quā per modū fluxus, & operationis, vt intelligere, & velle, tā ad intra, quam ad extra: & creare, ac sanctificare ad extra: quædam verò sunt notionalia similiter tā per modū quietis, vt Pater, Filius, Spirator, Spiritus Sanctus, &c. quā per modū fluxus, & operationis, vt generare, spirare, generari, spirari, quæ sunt notionalia ad intra: seu terminare humanitatē, quod est notionale ad extra.

41. *Quæ prædicata conueniant Deo, & quæ huic Deo, & quæ non cōueniant essentiæ.*

Loquendo igitur, de huiusmodi prædicatis respectu essentiæ, satis supra diximus nullū istorū prædicatorū formaliter ei conuenire: quæ autē essentiæ idē tice cōpetant, explanaui. Loquendo verò respectu, huius Dei, vt præintellecti antecedenter ad personas: ei conueniūt formaliter omnia prædicata essētialia tā ad intra, quā ad extra, tā per modū quietis, quā per modū fluxus: minimè verò ei cōueniūt prædicata notionalia. Cuius ratio à priori est: quia si præconcipitur, à personis abstractus, prout sic conceptus nō supponit pro illis: si autē nō supponit pro personis, non concipitur sibi conuenire aliquod prædicatū, quod primo, & perse cōpetit personis: qualia sūt omnia prædicata notionalia: quia pro illo priori, pro quo hic Deus præintelligitur antecedenter ad personas, nondū intelligitur, esse personas in *Deo*, pro quibus hic *Deus* supponat: ergo nondū intelligitur: huic *Deo* cōuenire aliquid, quod primo, & perse cōpetit personis: sed omnia prædicata notionalia primo & perse cōpetunt personis, & per prius, quā Deo: quia hæc est vera causalis, ideò *Deus* generat, quia Pater generat: ergo, &c. Loquendo tandē de *Deo* vt sic, tā sibi cōpetunt prædicata essentialia ad intra, & ad extra, quā notionalia: quia tam pro essentia inconcreto, quā pro personis supponit. Ex quibus patet, quod licet ista sit vera, Deus generat, nō tamen ista, hic Deus, vt præintellect⁹ personis, generat: quia in primo sensu supponit propersona, à qua abstrahit in secundo.

§. 7.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

HIs præhabitis difficultatem cō cludendo: dico primo, quod essentia diuina, nec generat, nec generatur. Conclusio est *Doctoris*, & definita, vt vidimus in Cōcilio Lateranensi, in citato capitulo *Dāmamus*, de suma Trinitate, & fide Catholica, contra Abbatem Ioachimū, estque cōmunis Patrū, & Doctorum Scholastiorū, à qua nullus Catholicus potest discedere. Probatur hæc conclusio (omissis alijs aliorū Doctorū rationibus) argumento desumpto, ex supra posita regula Scoti: nam de vltimatē abstractis, nihil prædicatur, nisi in primo modo dicē di perse: Sed essentia est vltimatē abstracta, generare autē, aut generari, non sibi conuenit in primo modo dicēdi perse, sed in secundo: vt ex supra notatis, & sæpè probatis constat: ergo, &c. 42. 1. Conclus.

Hanc Scoti regulam inficere intendebat OKam in 1. dist. 5. q. 1. Adam godā, dist. 33. q. 4. dubio. 2. Alphonsus â Toleto, dist. 5. q. 1. & alij dicentes: ex illa sequi, omnes propositiones de prædicato non essentiali, de essentia, esse falsas, vt essentia communicatur, est bona, est sapiens, &c. Ac proinde prædictam regulā non habere locū in *Deo*. Ad cuius argumenti solutionē, plures Scoti discipuli, pro viribus responsiones, limitationes, & expositiones dictæ regulæ fabricarūt. Inter quos Maironis vbi supra sēpē posuit limitationes illius: Guillelm⁹, verò de rubione, limitationes prædictas Maironis improbat, & aliū præbet modū dicēdi. Itē Paduanus de Grasis, in suo Enchirid. Scholast. solut. 3. cōtradictionis super 5. q. quodl. Scoti, aliā limitationem adducit, de actibus cōcernentibus actū mentis, &c. Quæ omnia, quia prolixitatē potius fastidiosam, quā fructuosam expostulant: nec quidē referre, nec cōfutare nostra hīc interest, sed standū esse cēseo doctrinę circa hoc nuper traditæ à nu. 27. vsq; ad nu. 34. pro qua doctrina vidēdus est Nicolaus de Nissa, in suma tract. 1. part. 2. q. 58. vbi ponit regulā supra dictā Doctoris intelligēdā esse de prædicatis ponentibus aliquam realitatem seu formalitatem in subiecto. 43. OKam. *Adam.* *Alphonsus* *Maironis.* *Guillelm.* *Paduanus.* *Nissa.*

Hocidem (licet alijs verbis) notauit Paulus Scriptor, in hac distinct. 5. quæst. *Scriptor.*

quæst.1. dist.4.dicens,quod debet intelligi,de prædicatis denominantibus intrinseca,non vero extrinseca denominatione. Lichetus vero(vt vidimus)de omnibus prædicatis,vt cũque conuenientibus essentiæ extra primũ modum dicendi perse,absolutè concedit propositiones fieri falsas,de rigore sermonis,licet ex vsu,& consuetudine loquendi affirmentur,vt verę. Ex his ergo, quæ Doctores isti docuerunt,& à nobis supra notatis,habetur perspicue,qualiter sit illa regula Scotica vera, qua quidem posita, manet probata conclusio.

Lichetus.

45. Dico secundo, quod hæc propositio Deus generat Deum,est vera. Conclusio est de fide, habetur expresse in Concilio Niceno,in symbolo Fidei, in illis Verbis: *Deum de Deo,lumen de lumine, Deũ verum,de Deo vero.* Non enim Verbũ de quo hic loquitur,est Deus de Deo, nisi per generationem, vt contextuant sequentia Verba, nimirum, *genitum non factum*:ergo Deus generat Deũ. Habetur præterea in illis Verbis Diui Laurentij, quæ habentur authentica,in Breuiario Romano, in Officio Festiuitatis eiusdem sancti: *Beatus Laurentius orabat dicens: Domine Iesu Christe Deus de Deo,&c.* Et in 5.tomo Bibliothecæ sacræ referũtur quædam Verba Ioannis Maxentij,in confessione Catholicæ Fidei, circa medium, quæ sunt hæc: *Quod si Deum,ex Deo dicere,diuisionem non facit diuinitatis,præsertim, cum vna sit diuinitas Trinitatis,multo magis vnum,ex Trinitate dicere, diuisionem,non facit Trinitatis.*

2.*Concluſ.*

Concilium Nicenum.

Bre.Rom.

Maxẽtius.

46. Ratione probatur prædicta conclusio,quia non minus supponit Deus,pro personis diuinis, quam homo pro humana persona: sed hæc est vera propositio,homo generat hominẽ, iuxta illud Philosophi,*Sol & homo generant hominẽ*, eo quod tam generans, quam genitum, est homo:ergo hæc erit vera propositio Deus generat Deum, eo quod tam generans persona, quam persona genita est Deus: formaliter namque Pater,qui generat,est Deus,& Filius,qui generatur,est Deus.

47. Dico tertiò, quod ista propositio,hic Deus indiuiduũ Deitatis, prout præintelligitur ad personas generat, aut generatur,spirat,vel spiratur, est falsa in rigore logico. Conclusio est Scoti, vt vidimus supra,in eius litera,& probatur, quoniam generans,& genitum realiter distinguntur: necessario etenim inter producens, & productum interuenit realis distinctio. Sed inter hunc Deum, & personam genitam nulla realis distinctio interuenit:aliàs enim persona genita nõ esset hic Deus:ergo,&. Probatur præterea eadẽ conclusio,quia ideo,hæc propositio Deus generat,est vera, quia Deus in illa supponit pro persona generante: atqui, hic Deus indiuiduum Deitatis,vt præintelligitur ad personas non potest supponere pro illis, siquidẽ concipitur vt abstractus ab eis:ergo nõ potest illi conuenire hoc prædicatum, generare. Et ex hoc simul,cũ prænotatis sup.in n.40.& 41.satis probatur cõclus.

3.*Concluſ. Deus generat, vel generatur, non eſt verũ logicè loquẽdo.*

§. 8.

Soluuntur argumenta in oppositum.

48. AD argumenta, autẽ in oppositum,quæ pro sententia illorum, quos refutat D. Thomas, sunt machinata, & ad primum dico, maiorem esse verã, si illud,quod est omnino idẽ ei, de quo aliquid prædicatur, non solũ est omnino idem in re,sed etiã in omni modo. Licet ergo Deus & essentia diuina in omnino idẽ, non solũ secundum rem, vt docuit *D.*Tho.prout visum est supra,nu.13.in eius relatis verbis:sed etiã formaliter, ex natura rei, vt tenet Scotus: non tamen sunt omnino idem in omni modo significandi: nam essentia est forma abstracta, Deus vero est habens hanc formam in concreto. Ex quo prouenit, quod essentia est principiũ *quo*, Deus autẽ est principiũ *quod*, & quatenus essentia est forma abstracta,& merũ *quo*, nõ potest supponere pro personis generante,aut genita, siquidẽ abstrahit,ab eis. Deus autẽ est verũ *quod*, quatenus concernit personã,pro qua potest supponere: quia igitur generare, & generari,primo & perse conueniunt personis:non possunt cõpetere, nisi subiecto, ꝙ pro personis supponat, & ideo etiã stante,quod Deus,& essentia sunt in re,& in formalitate idẽ omnino:sufficit, quod essẽtia nõ supponat pro personis, ex modo abstractionis suæ, adhoc, vt nõ sibi cõpetant personalia prædicata: qualia sunt generare,& generari, quæ cõueniunt Deo,eo ꝙ pro personis supponit.

Adargum. & ad primum.

49. Ad ſecundum eadem ſolutione reſpondetur, quod licet Deus ſupponat pro Patre, propterea que ſit verum dicere, quod Deus generat: eſſentia nihilominus in quantum abſtracta, pro Patre, aut pro alia perſona non ſupponit: quia ab eis abſtrahitur: imò licèt eſsétia ſit idē cū Deo: tamen ab ipſo Deo abſtrahitur quatenus conſideratur, vt forma non cōcernens habentem ſe, ſed ab eo abſtrahens: & vt ſic à Deo, quodammodo eſt diſtincta, ſcilicet, modo quo diſtinguuntur abſtractum, & cōcretum eiuſdem naturæ. Dico, igitur quod eſſentia conſiderata in vltima abſtractione, non eſt idem cum Deo ſecundum hunc abſtractionis conceptum. Hęc igitur diſtinctio, quæ eſt in modo ſignificandi inter eſſentiā, & Deum, ſufficiens eſt adhoc, vt verificetur de eo, quod generat, non vero de eſſentia.

50. *Ad 3. arg.* Ad tertium habetur ſolutio expreſſè à Doctore hîc in articulo quinto per totum, ſed præſertim ſolutione ad ſecundum. Quæ, quia ibi eſt ſubtiliter, & perſpicuè traddita, non aliter hîc ſoluitur argumentum prædictum. Verum vero eſſentia ſit communicans, & communicata, & cætera quæ ad huius difficultatis plenam intelligentiam pertinent, ſunt præclare à Doctore, in huius primæ quæſtionis articulis præliuata.

DIFFICVLTAS. LXV.

Vtrùm iſta propoſitio, Deus non generat, ſit Vera?

§. 1.

Referuntur duæ ſententiæ, Caietani, & Durandi.

1. *1. ſent. Caietani.* OPinionum varietas hanc excitauit difficultatem: à qua (quia parum, aut nihil de ea habemus diffinitū in textu) breuiter me expediam. Caietanus 1.p. q.3.artic.4.§. *ad ſecundum autem dubium*, intelligit huic Deo, prout perſonis præintellecto, competere hoc quod eſt generare prout vidimus in difficult.64.n.8. & ideo abſolute negat, huic Deo poſſe cōpetere negationem generationis: ac proinde hanc propoſitionem, Deus generat, eſſe falſam. Caietanum ſequitur Vazq.1.p. diſp.157.c.3.& 4.& alij: quia huius ſententiæ fundamentum eſt, Deum ibi à parte ſubiecti ſupponere, proindiuiduo Deitatis: quod fundamentum incitata difficul.n.41.& 47. impugnatum eſt, ommiti pro nunc debet iſta ſententia.

2. *Durand. ſent.2.* De Deo autē loquendo, nō prout eſt indiuiduū Deitatis, & præintelligitur ad perſonas: ſed quatenus totā Deitatē cōplectitur, & pro perſonis poteſt ſupponere, vrget difficultas. Circa quā Durandus in 1.diſt.4.q.2.n.17. tenet, quod iſta propoſitio, Deus non generat, eſt ita vera, ſicut & iſta, Deus generat, de veritate Sermonis: quā ſententiā probat, quia cū hoc nomen *Deus* ſtet proſuppoſito habente Deitatē, ita, quod ideo hæc eſt vera, Deus generat: quia Pater pro quo ſupponit, eſt perſona generans: ſed nō minus ſupponit hoc nomen *Deus* pro perſona Filij, cui cōpetit non generare, quam pro Patre, qui generat: ergo non minus eſt vera hæc, Deus non generat, quam iſta Deus generat.

3. Secundò, quia de quibus verificatur generare, & non generare indiuinis, verificatur, Deū ſupponere pro illis: ſed de quibus verificatur hoc nomē *Deus*, verificatur generare, & non generare: ergo de Deo verificatur, quod generet, & nō generet. Minor probatur, quia indiuinis Pater generat, Filius autē non generat: ſed Deus verificatur de Patre, & Filio: ergo de Deo verificatur, quod generat, & non generat.

4. Tertiò quoniā, ſi ob aliquā rationem, prædicta propoſitio eſſet falſa, eſſet quidē, quia ſequerētur ex illa duæ contradictoriæ verificatæ de Deo: quia videlicet idē Deus generaret, & non generaret: ſed hæc ratio nulla eſt, ſiquidē tales contradictoriæ non ſequuntur, non etenim ſunt reſpectu eiuſdē ſubiecti: quia Deus in vna propoſitione à parte ſubiecti ſupponit pro Patre, & in alia pro Filio: Pater autē, & Filius ſunt diſtincta ſubiecta, de quibus verificantur cōtradictoria prædicata, vt pote generare, & nō generare: procedere, & non procedere, & ſimilia: ergo, &c.

§. 2.

Ponitur vera, & tenenda ſententia D. Bonauent. cum ſuis fundamentis.

IN oppoſitū autē eſt Doctor Seraphicus S. Bonā in 1.d.4.q.1.§. *Ex 3. regul.* vbi

vbi hæc profert: *Licet enim hæc sit vera pro Patre, Deus generat Deum: tamen hæc, Deus non generat Deum, non est vera pro Filio.* Sequuntur hanc sententiam tanquam conformem doctrinæ Scoti omnes verè Scotistæ. Item est expressa D. Thomæ 1. part. quæst. 39. art. 4. ad 3. & omnium plerumque Thomistarum.

D. Thom.

6. Plena huius difficultatis intelligentia, & resolutio pendet ex reddenda ratione, quare magis sit vera hæc propositio, *Deus generat*, quàm ista *Deus non generat*, cum *Deus* non minus supponat pro Patre, quam pro Filio? omissis tamen alijs, quas præbent non nulli Doctores: ideo, inquit, *D.* Thomas propositionem prædictam esse falsam: quia in illa nihil additur, quod determinet hoc nomen, *Deus*, ad personam Filij: atque ideo datur intelligi, quod generatio repugnet diuinæ naturæ: quam ob rem, vt vera sit dicta propositio, inquit, necessum esse, vt addatur ei aliquid pertinens ad personam Filij: vt si dicatur, *Deus* genitus non generat. Vndè (infert *D.* Thom.) etiam non sequitur, est *Deus* generans, & *Deus* non generans, nisi ponatur aliquid pertinens ad personas, vt putà si dicamus, Pater est *Deus* generans, & Filius est *Deus* non generans. Hactenus *D.* Tho. Sed reddens ibi dem rationem, quare *Deus* in hac propositione, *Deus generat*, supponat pro Deo generante, inquit, quod forma significata per hoc nomen *Deus*, scilicet, essentia diuina est vna, & communis secundum rem: vnde perse supponit pro natura communi, sed ex adiuncto, determinatur eius suppositio ad personam. Vndè cum dicitur, Deus generat, ratione actus notionalis, qui sibi adiungitur, nempè generare, supponit hoc nomen, *Deus*, pro persona Patris: at vero, cum dicimus Deus non generat, nihil additur, quod determinet hoc nomen ad personam Filij. Quæ D. Thomæ ratio declaratur: quia negatio generationis non est prædicatum notionale, non enim minus conuenit diuinæ essentiæ in abstracto sumptæ, quam Filio, & Spiritui Sancto: quia æqualiter sunt veræ istæ propositiones, essentia non generat, Filius non generat, Spiritus Sanctus nō generat. Si autem hoc prædicatum, non generat, esset notionale, neutiquam diuinæ essentiæ, sed vni, aut alteri personæ conueniret, vel saltim vtrique personæ simul: sicut spiratio actiua conuenit Patri, & Filio. Hanc declarationem rationis prædictæ Diui Thomæ, pro ratione propria addu cit Caietanus in citato articulo.

Ratio D. Thomæ.

Demū in interpretanda hac D. Thomæ ratione, magnopere Chanarienſis laborat, infructuosè tamen: nam ibi à parte subiecti existimat D. Thomam in vtraque propositione intellexisse Patrem, seu Deum supponentem pro Patre, ac ideo de eodem subiecto verificandas esse duas contradictorias, si ista esset vera, Deus generat Deum: quia tunc erat verum dicere, quod Pater generat, & non generat. Sed hæc ratio nullius ponderis est: quia si pro Patre supponeret vtrobique, nulla prorsus esset ratio dubitandi. Tunc enim sufficeret respondere, quod quia Pater, pro quo vtriusque propositionis subiectum supponit, verè generat: ideo affirmatiua est vera, & negatiua falsa. Dubium igitur est, quare in negatiua non supponit pro Filio, *Deus*, sicut in affirmatiua supponit pro Patre, & in hoc sensu intelligenda est prædicta ratio Diui Thomæ, & expositio Caietani.

7. *Expositio Chanariēſ.*

Vazquez autē c. 4. postquā multa de suppositione Dialecticè prænotat: huiꝰ dubij rationē reddere cōnatur (quā optimā esse, in capituli titulo qualificat autor ipse) inquit igitur, quod hoc nomen *Deus* supponit directè, proindiuiduo Deitatis, cōnotando personā cōfuse, & vage: ita quod vt sic, non magis pro vna, quā pro alia determinate supponit: tametsi ratione vnius determinantis, scilicet, Patris, vera reddatur propositio affirmans. Inquit ergo, quod ideo propositio negans, vera esse nō potest: quia tūc essent duæ cōtradictoriæ simul veræ, de eodem subiecto verificatæ: nam de hoc Deo indiuiduo Deitatis, vtraque verificaretur. Si etenim in affirmante supponeret pro Patre, & in negante pro Filio: frustra laborarent D. Tho. & alij Doctores in probanda contradictione harum propositionum, siquidem de diuersis subiectis, nō est cōtradictio, q̄ affirmatio, & negatio verificētur. Supponit igitur Deꝰ âparte subiecti (inquit Vazqu.) pro hoc Deo indiuiduo Deitatis, & ideo

8. *Vazquij expositio.*

si vtraque propositio esset vera: de eodē Deitatis individuo verificarentur duæ contradictoriæ simul veræ.

9. *Impugnatio Bazq.*

Verùm hæc Vazquij sententia mihi placere non potest. Tū, propter id quod probatum est in difficultate præcedente, videlicet, non posse competere individuo Deitatis, vt præintellecto personis, hoc quod est generare. Tū etiā: quia si hic Deus vage, & confuse supponit pro persona, & non magis pro vna, quā pro alia: non est cur magis determinetur ad personam Patris per generare, quam ad personam Filij per non generare: quia si hoc individuum vage acceptum, quatenus est subiectum determinatum à prædicato, non magis determinatur in propositione affirmante ad personam, quæ generat, quam per negantem ad personam, quæ non generat: siquidē non magis conuenit Patri esse ingenitum, quam Filio genitum esse. Sed individuis ingenito conuenit generare: genito autem, quia adæquate est genitum, conuenit non generare: ergo, &c.

10. *Optima ratio D. Bon.*

Alia igitur longe cæteris præstantior est ratio P. N. D. Bonauent. qui vbi supra constituit hanc regulam inter alias, quas ibi ponit: ait enim, tertia regula est, quod termino habenti formam non multiplicabilem, non differt præponere, & postponere negationem. Vndè nō differt dicere, Petrus non currit, & non Petrus currit. Ad cuius regulæ euidentiam comparanda est cum secunda regula, quam antecedenter Sanctus Doctor posuerat. Dixerat enim secundam regulā esse, quod terminus habens multitudinem suppositorum, in quibus forma diuiditur, & multiplicatur, si est sine distributione acceptus, stat pro illo, pro quo reddit locutionem veram: vt cum dicitur, homo currit, est vera locutio pro homine currente, si aliquis homo currit. Quia igitur, homo dicit formam diuisam, & multiplicatam in pluribus hominibus: ideo est verum dicere, quod homo currit, & homo non currit: nam supponit pro homine currente, & pro non currente: quia cum forma hominis, qui se habet à parte subiecti, sit multiplicata in pluribus, de quibus vtrumque prædicatum potest verificari: ideo stat sine contradictione, vtramque propositionem esse veram, scilicet, quod homo currit, & quod homo non currit: quia negatio in propositione negante non remouet prædicatum à subiecto absolutè sumpto, & secundum totam suam latitudinem: sed tantum pro ea parte, qua eius forma diuisa est in aliquo supposito seu individuo, à quo tale prædicatum remouetur: videlicet, quatenus est aliquis homo, qui non currit.

Regulæ D. Bona. notā dæ pro negatione postponēda aut antepo nenda terminis.

11. Si tamen talis negatio, quæ postponitur ad huiusmodi subiectum, dicendo, homo non currit, præponeretur ad ipsum hoc modo, dicendo, non homo currit: tunc proculdubio remoueret prædicatum à subiecto secundum totam suam latitudinem: quia faceret hunc sensum infinitanter, omne quod non est homo currit: & ex consequenti redderet hunc sensum neganter, nullus homo currit, seu nihil, quod est homo, currit. Et ex his patet euidenter, quantum distet in forma multiplicabili hoc, quod est præponere, aut postponere negationem. Si enim præponitur, dicitur nulli homini competere: quod currat: si vero posponitur: tantum alicui homini negatur, quod currat. Vndè istæ possunt esse veræ, homo currit, homo non currit: nō tamen istæ, non homo currit, non homo non currit.

12. Ex hac ergo secunda regula sanctissimi Doctoris Bonauenturæ euidenter constat subtilis differentia illius tertiæ regulæ assignatæ, quod, scilicet, termino habenti formam non multiplicabilem, idem est negationem esse præpositam, quod postpositam: & ita idem est dicere, Petrus non currit, quod, non Petrus currit: quia vtraque negatio æqualiter remouet à Petro, qui habet humanitatem non multiplicabilem, hoc prædicatum, quod est currere: quia cum à parte subiecti sit vna, & indiuisibilis forma, vnica videlicet, & indiuisibilis humanitas, non minus negatur in postpositione negationis tale prædicatum, quam in præpositione illius. Vtrobique enim remouetur prædicatum totaliter de subiecto: nam in ista, non Petrus currit, redditur hic sensus, nihil quod sit Petrus currit: in ista autem, Petrus non currit, intelligitur, quod de omni, quod est Petrus, negatur hoc, quod est currere. Cuius ratio alia esse non potest, nisi quia forma Petri est indiuisibilis: & si de ea

de ea semel negatur hoc prædicatum, procul dubio totaliter ab ea negatur, & remouetur. Si nãq; diuisibilis esset, sicut forma hominis vt sic, nõ esset idem præponere, aut postponere negationẽ: quia licet in negatione præposita remouetur prędicatum totaliter à subiecto: hoc tamen non esset in negatione postposita, quia supponeret locutio pro in diuiduo, de quo verificaretur. Et quia sub homine sunt plura indiuidua, quorum vnum currit, & alium non currit: ideo esset vera hæc propositio, homo non currit, absque eo quod totaliter remoueret ab homine in tota sua latitudine, quod curreret.

13. Prænotata ergo vtriusque regulæ differentia, per tertiam perspicue capietur D. Bonauent. subtilitas in reddenda huius difficultatis ratione. Hæc etenim inquit, ibi: *Licet hæc sit vera pro Patre, Deus generat Deum, tamen hæc, Deus non generat Deum, non est vera pro Filio.* Cuius ratio àpriori est: quia cum iste terminus *Deus* dicat formam non multiplicabilem, non differt ei præponere negationem, & postponere. Ideo cum negatio præposita totaliter, & omnino à subiecto, remoueat prædicatum ab hoc termino *Deus*, cum dicitur, Deus non generat: quia remouet illud à quolibet supposito: & ideo alium modum habet supponendi in affirmatiua, quam in negatiua: quia in affirmatiua erat locutio vera pro Patre, in negatiua vero non potest esse veritas: quia negatio remouet totaliter prædicatum illud à subiecto, & reddit hunc sensum: totaliter Deus non generat, siuè nihil quod est Deus generat. Hæc fere omnia sunt verba Doctoris Seraphici, quibus egrægiè difficultatem enucleat.

14. Porrò est iterum obseruãdum, quod aliter loquendum est de subiecto prædictæ propositionis, *Deus non generat*, absolute: aliter vero si illud cum aliquo additamento enuntiatur, vt potè, Deus genitus non generat: vel Deus secunda Trinitatis persona non generat, & in similibus: nam in hoc secundo sensu nulla est cum Doctoribus controuersia, sed in primo.

(.?.)

§. 3.

Statuuntur conclusiones, & soluuntur argumenta.

HIS præhabitis difficultatẽ concludendo, dico primo, quod hæc propositio, *Deus genitus non generat*, seu quæcunque alia similis, in qua quomodolibet determinatur hoc nomen, *Deus*, ad personam non generantem, est propositio vera. Conclusio est communis, quam exprimunt Doctores Seraphicus, & Angelicus vbi supra, & probatur facillime: quoniam in similibus propositionibus, non remouetur per negationem prædicatum totaliter à Deo, sed à Deo quatenus pro persona non generante supponit: sed de Deo verum est dicere, quod quatenus pro tali persona supponit, non generat: ergo, &c. 15. 1. *Conclus.*

Dico secundo, quod absolute loquẽdo, hæc propositio, *Deus non generat*, est falsa. Conclusio est D. Bonauenturæ, & D. Thomæ, & in Scholis communior, quæ probatur ex supra posita ratione *D.* Bonauent. quia, scilicet, in prędicta propositione iuxta ea, quæ ibi notata sunt, generatio remouetur à Deo: ita quod totaliter per talem negationem *Deo* negatur generare. Sed falsum est Deum totaliter non generare: siquidem aliqua *Deitatis* persona generat, vt docet fides: ergo prædicta propositio est falsa. Probatur præterea: quia à parte subiecti, *Deus* sumitur secundum totam latitudinem Deitatis: ergo propositio affirmans est vera, & negatiua est falsa. Antecedens supponitur certum, ex secunda conclusione præcedentis difficultatis, & ex hîc notatis. Consequentiam vero probo: quia affirmans æquipollet huic, in *Deo* est aliqua virtus generatiua, qua aliqua Deitatis persona generat: negans autem æquipollet huic: in *Deo* nulla est virtus generatiua, quæ alicui supposito Deitatis conueniat. Sed hæc propositio est falsa, & illa vera: ergo, &c. 16. 2. *Conclus.* *Deus nõ generat, est absolute falsum.*

Dico tertio, quod si à parte subiecti in dicta propositione, *Deus non generat*, ponatur hic *Deus*, vt est indiuiduũ *Deitatis*, & præintelligitur ad perso- 17. 3. *Conclus.*

nas, hæc propositio, hic Deus non gene rat, est vera, sicut ista, hic Deus generat est falsa. Conclusio hæc est conformis conclusioni tertiæ præcedentis difficultatis, quam statuo contra Vazquez, & Caiet. tenet illam inter alios Pater Herrera, in primo, disp. 6. q. 7. sub. §. *his tamen omissis*, propè medium, & probatur, quia Deus, in quantum hic Deus præcisè, non generat, vt loco nuper citato satis probatum est: siquidem inter hunc Deum, & personam genitam, nõ interuenit realis distinctio, quæ requiritur inter generans, & genitum: ergo hæc propositio, hic Deus non generat, est vera, & eius opposita falsa. Vide quæ ibi de hoc puncto prælibaui.

Herrera.

18. Ad argumenta autem Durandi, & ad primum dico, quod ideò hæc est vera causalis, Deus generat: quia Pater generat: non tamen ista, ideo Deus non generat: quia Filius non generat: nam generare est prædicatum notionale competens perse primo personæ generanti, & mediate Deo: atqui non generare, non est aliquod notionale prædicatum Deitatis, sed mera negatio alicuius prædicati notionalis: & ideo nihil dicit de Filio, sed negat Deo, vt totam complectitur Deitatem, habere aliquam virtutem generatiuam, qua aliqua persona diuina generet: quamuis enim verum sit, quod Filius non generat: non tamen inest sibi negatio generationis tanquam prædicatum notionale, nec est sibi proprietas personalis: sed est negatio quædam sibi, & Spiritui Sancto, & ipsi essentiæ diuinæ conueniens, vt bene quoad hoc ex Caietano notauimus.

Ad argũ. Durandi, ad primũ.

Generare, in diuinis, est prædicatum notionale, nõ generare, dicit negatiõem talis prædicati, abipso Deo.

19. Ad secundum argumentum dico, quod quamuis verificetur de Deo, quod sit Pater, & Filius, & quod Patri conueniat generare, non tamen Filio: nihilominus non ideo verificatur de Deo, quod non generat, quia negatio generationis non solum remouet generationẽ à Filio, sed à Deo totaliter illam auertit, eo quod Deitas est forma non multiplicabilis: & consequenter negatio posita facit idem, quod si præponeretur. Negatio autem præposita, à subiecto totaliter remouet prædicatum. Vide quæ pro hac solutione notauimus nuper ex D. Bonauentura.

Ad secũdũ.

20. Ad tertium fateor de Patre, & Filio, illas, & alias similes contradictorias verificari ratione distinctionis suppositorum: atque ideo si Deus sumatur à parte subiecti, in vna propositione pro Patre, & in alia pro Filio: verum esset dicere, Deus generat, & Deus non generat, absque eo quod istæ propositiones essent contradictoriæ: atqui huiusmodi acceptio debet aliquo modo signari, vt intelligatur sic esse considerata: & ideo, vt in prima conclusione statuimus, debet poni aliqua particula determinans Deũ ad supponendum pro hac, vel illa persona, quæ non generat: quia ergo in hac, Deus non generat, non ponitur, à parte subiecti talis determinatio: sumitur ibi Deus absolutè pro aliquo habente formam non multiplicabilem, quod in propositione affirmatiua generat, quatenus supponit, pro aliqua persona generante, & in negatiua nullam habet virtutem generandi. Hæc autem duo sunt contradictoria, & ideo non potest vtrumque prædicatum, scilicet, affirmans, & negans, sibi conuenire.

Ad tertiũ.

QVAESTIO SECVNDA.

De generatione Filij Dei, si sit de substantia Patris?

SEcundo quæro de secunda parte distinctionis, si Filius generetur, de substantia Patris, circa quam quæruntur sex.

¶ Primò. Vtrùm Filius sit genitus, de substantia Patris, quasi de materia?

¶ Secundò. Vtrùm essẽtia diuina sit formalis terminus generationis?

¶ Tertiò. Vtrùm essentia diuina sit subie-

subiectum generationis?

¶ Quartò. Vtrùm Filius generetur de substantia Patris?

¶ Quintò. Vtrùm in persona diuina relatio habeat rationem actus actuantis essentiam?

¶ Sextò. Vtrùm ex eo quod essentia sit fundamentum relationũ, aliquid potẽtiale inferatur in ea?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Filius sit genitus de substantia Patris, quasi de materia?

A. AD primum sic proceditur. Videtur, quod Filius sit genitus, de substantia Patris quasi de materia: istud probatur, per rationem Augustini, contra Maximinum, quæ ponitur in litera. Filius enim nullo modo est de nihilo, neque negatiue, vt aliquis dicitur loqui de nihilo, quando non loquitur, neque affirmãdo ly de nihilo, vt ly, *de*, sit nota materialitatis, vel quasi materialitatis: quia nihil non potest esse materia alicuius: neque affirmando ly, *de*, originaliter, siue ordinaliter, idest, post nihil, quos tres modos intelligendi aliquid esse de nihilo, ponit Anselmo log. cap. 8. Si nullo modo Filius est de nihilo: ergo de aliquo: ergo cum non de alio, quàm de substantia Patris, patet, quod est de substantia Patris. Et si respondeatur (sicut videtur Magister respondere in litera) quod est de substantia Patris, idest, de Patre, qui est substantia; *contra, & sit sequens argumentum.*

B. Secundò præterea arguitur, quod ista expositio non sit sufficiens: quia tãtum exponit, *de*, vt notet rationem principij originantis, vel efficientis, & posito, quod hoc modo sit de Patre, adhuc restat quæstio, vtrum de aliquo, vel de nihilo, sicut de materia, vel quasi materia? & cum non sit de nihilo sic, quia hoc modo creatura est de nihilo: ergo de aliquo, & stat *primum* argumentum.

C. Tertiò præterea, ad hoc etiam adducitur auctoritas Augustini 7. de Trinitat. capit. 3. & 4. quod Filius est sapientia genita vel nata.

D. Quartò præterea, quia Filius in creaturis, non est nisi gignatur de substantia Patris: ideo in animatis non est Paternitas, nec Filiatio: quia generatum est de materia aliena, sicut ignis generat ignem de materia aëris: ergo non est vera Filiatio, nisi vbi vera substantia, vel aliquid de substantia est materia respectu Filij. Sed Filius in diuinis est verè Filius Patris: ergo de substantia Patris est tanquam de materia.

E. Sed contra est: quia Filium esse de substantia Patris, necessario requiritur ad hanc generationem, quantum ad existentiam realem generationis. Sed ad istam existentiam, non necessario requiritur substantiam Patris esse quasi materiam: ergo, &c. Patet maior, per Augustinum contra Maximinum, nullo modo verum Dei Filium cogitatis, si hunc esse de substantia Patris negatis. Probatur minor, nullum ens præcisionis necessario requiritur ad hanc generationem, vt existentem substantiam Patris: esse quasi materiam, præcisione dicit ens rationis circa substantiam: alioquin circunscripta negotiatione intellectus, erit ex se quasi materia: ergo, vel materia realiter, vel similitudo realis ad materiam.

F. Respondeo dicendum, quod in ista quæstione dicitur, quod sicut in substãtia creata generabili, aliquid est potentiale, quod supponitur generationi, vt materia, & aliquid inductum, quod est genitum: ita correspondent proportionaliter, quasi tria in diuinis consimilia: personę quippè est quasi compositum, & relatio quasi forma, & essentia quasi materia: est igitur Filius genitus de substantia Patris, sicut de quasi materia, istud

Hæc est opinio Henrici, in sum. art. 54. q. 3. in quodli. 8 q. 9. vide eũ quodl. 6. q. 1.

istud probatur per, *argumenta posita in principio articuli.*

G. Si arguitur contra istam positionē, *inquit Henricus, cuius est hæc opinio*, quod actus purus, non potest esse quasi materia respectu generationis: quia nullo modo est in potentia. Præterea, per rationem Magistri, cum sit vna essencia trium personarum, generarentur Filius, de essentia trium. Respondent ad primum distinguendo, quod aliquid est in potentia ad aliquid duobus modis. Vno modo ad aliquid, quod est absolutum, & differt ab ipso re, vel intentione, & vadit de potentia ad actum per motum, & per transmutationem rei, vel rationis: Alio modo aliquid est in potentia ad aliquid, quod est rationis tantum, & differt ab ipso sola ratione, nunquam vadens per transmutationem quamcunque de potentia ad actum, sed semper naturaliter est coniunctum actui: Primo modo in creaturis, materia est in potentia ad formam, tanquā ad differens re ab ipsa, & transiens de potentia in actum per realem transmutationem: & similiter forma generis est in potentia ad formam differentiæ, tanquam ad aliquid differens ratione, vel intentione ab ipso: & transiens de potentia ad actum per transmutationem rationis. Nullo tali modo diuina essentia est in potentia ad aliquid, & de ista potentia habet veritatē medium in argumēto: quia illa repugnat actui puro: non sic est de potentia secundo modo: quia de natura formæ diuinæ, in quantum est actus purus, est etiam, quod sit secundo modo in potentia ad plures respectus. Breuiter igitur, productio diuina sume differt à productione naturali: quia in ista itur per transmutationem ad perfectionem, & ibi distat potentia ab actu: in ista autē nequaquam. Differt etiam ista specialiter à productione naturali, quę est generatio: quia illa est de imperfecto substantialiter: ista vero, de perfecta substantia: in quo plus conuenit, cum productione, quæ est alteratio: quia in illa subiectum, quod est in potentia secundum quid, est aliquid existens in actu, sed differt in hoc quod subiectum in alteratione est in potentia ad aliquid reale absolutum realiter differens, ab ipsa, in productione autem diuina nequaquam. & in hoc diuina productio conuenit plus cum productione speciei ex genere: sed differt, quia in hac productione genus est sicut subiectum, & materia, & est in potentia ad aliquid absolutum, vt ad differentiam, quæ tamen sola intentione differt ab ipso: hîc autem, subiectum est in potentia ad aliquid respectiuum, quod differt ab ipso sola ratione: & ita, licet ista productio speciei ex genere sit magis similis diuinæ, quàm alia: in multis tamen differt: quia productio speciei ex genere procedit ab esse incompleto ad esse completum, assumendo complementi determinationem, per differentiam: vt secundum aliud, & aliud reale descendat in aliam, & aliam speciem, & erit tantum genus vnum commune secundum rationem: in productione autem diuina, subiectum non est aliquid incompletum determinatum per assumptam proprietatem: sed vnum, & idem re singulare totaliter habet esse per productionem indiuersis proprietatibus relatiuis: quod est commune, non secundum rationem, sed secūdum communicationem. Ad secūdum dicitur, quod non est de substantia, in quantum est trium, sed vt est Patris substantia: *hæc omnia Henricus.*

Contra istam opinionem arguo sic, H. essentia est formalis terminus productionis: igitur non quasi materia. Probatio antecedentis *latissime patet ex articulo sequenti*, & hic ad principale. Probo consequentiam entimematis. Primo, quia illud, quod est materia in generatione, est in potentia ad terminum formalem, & quod est quasi materia, est quasi potentia: Essentia

nec

nec vere, nec quasi est in potentia ad se ipsum: ergo, &c. Similiter probatur eadem consequentia *ratione posita in 3. articul. §. sed contra.*

I. Ad principale: potentia prima causatiua effectiua se sola effectiue causat excludendo omnem aliam causam eiusdem generis, & alterius generis, in ratione causæ materialis. Et ratio est, quia causalitas causæ materialis non dicit perfectionem simpliciter, & ideo licet reductio fiat ad aliquod primum in illo genere: illud tamen non est simpliciter primum, sed totum illud genus reducitur ad aliquod primum in alio genere, quod non includit imperfectionem, putà ad aliquod in genere causæ efficientis. Patet etiam hoc antecedens per hoc, quod potentia creatiua perse, sine alio principio materiali producit productum. Ex hoc infertur à simili, quod productiua potentia prima, se ipsa sola producit, & sine alio principio productiuo concurrente: & ita sine alio quasi materia: similis enim ratio videtur, de principio productiuo, & creatiuo: quia si poneretur aliquod principium quasi materiale, non esset in quantum tale est summæ perfectionis: & ita videtur reducendum in ratione principij, ad principium productiuum actiuè.

K. Si arguatur, quod omnis causalitas secundæ causæ reducitur ad consimilem causalitatem in prima causa, sicut efficiens ad Deum, vt ad primum efficiens, & finis etiam ad Deum, vt ad vltimum finem, & forma ad exemplar, siue ideam in Deo: ergo ita erit de causa materiali.

L. Respondeo, quod non est simile: quia materia includit semper imperfectionem: quia semper est ei annexa priuatio, & ideo perse à nullo ponebatur principium: vnde Theologia, quæ est de Deo, siue naturalis, siue supernaturalis, non determinat de causa materiali, secundum Commentatorem 1. Physicorum com. 1.

Item, secundum Augustin. contra Maximinum, libr. 3. capit. 15. Spiritus Sanctus non est de nihilo, sed inde est vnde procedit. Ita igitur concedit Spiritum Sanctum non esse de nihilo, sed de substantia Patris, & Filij, sicut concedit Filium esse de substantia Patris: & simili modo relatio Spiritus Sancti est in Deitate, sicut relatio Filij: sed essentia non se habet respectu relationis Spiritus Sancti, quasi materia receptiua eius, vt videtur secundum istam opinionem: quia ponit generari per impressionem in illud, de quo gignitur: Spiritum Sanctum autem, quasi per impressionem, vel ex suffl[illegible]tione sui, de voluntate formata, de qua producitur: quod enim producitur per expulsionem de aliquo, non habet illud, de quo pro materia in productione sui: quia omnis materia cuiuscunque productionis, & producti, est in qua recipitur forma producti, quod non est in expulsione de illo: igitur Spiritus Sanctus non est de nihilo: nec tamen de aliquo, sicut de quasi materia suæ productionis: Igitur propter hoc, quod est Filium non esse de nihilo, vel relationem eius fundari in essentia, non oportet essentiam (vt est de qua Filius generatur) esse quasi materiam, respectu generationis Filij. M. *Her. quod lib. 6. q. 1.*

Item, nihil conuenit illi essentiæ, in quo materia distinguitur à forma: sed quodlibet conueniens sibi, vel est proprium formæ, vel commune formæ, & materiæ: ergo in nullo erit ita quasi materia, sicut quasi forma. Antecedens patet: quia esse idem in generante, & genito, non est proprium materiæ: imò anima est eadem in corde generante, & parte genita: materia nunquam est eadem in causatis: quia sufficienter actuatur per vnicam formam: in propagante ma- N.

teria

teria geniti fuit aliquid, sed non fuit materia sub forma propagantis: non enim quia eadem est materia generati, & corrupti, ideo est eadem generantis, & geniti.

O. *Item* incomposibilia simpliciter non possunt esse actus simpliciter eiusdem: bene tamen potest esse idem actus incomposibilium, sicut anima partiũ organicarũ: hoc est cõtra relationem accidentem essentiæ. Item compositum per hoc constituitur, quod potentiale actuatur actu compositi, & determinatur: igitur essentia refertur, & determinabitur. Confirmatur, quia sicut qualitas non est actus alicuius, nisi secundum, quod actu actum est quale, ita relatio nullius est actus, nisi secundum quod aliquid ipsa refertur: essentia non refertur. *Item* illa ratio, quæ est in tertia dubitatione infine, quod suppositum diceretur relatum, secundum illud fundamentum, sicut secundum Deitatem, Pater est similis Filio: tamen hæc relatio non est actus fundamenti, vt est formaliter distincta secundum te.

Hæc tertia dubitatio, ponitur pro articulo.

P. *Ideò* tenendo, cum Doctoribus antiquis, qui omnes à tempore Augustini vsque ad istud, non sunt ausi indiuinis nominare materiam, nec quasi materiam: cum tamen omnes concorditer dicant cum Augustino, quod Filius generatur de substantia Patris. Dico, quod Filius non generatur de essentia Patris, sicut de quasi materia. *Quod*, declaratio potest sic. Generatio in creaturis duo dicit, productionem, & mutationem, & istorum rationes formales aliæ sunt, & sine contradictione separabiles ab inuicem: productio autem formaliter est ipsius producti, quod est compositum 7. Metaphisicæ, & accidit sibi, quod fiat cum mutatione alicuius partis compositi: mutatio formaliter est actus mutabilis, quod quidem de priuatione transit ad formam: concomitanter autem mutatio productionem in creaturis propter imperfectionem potentiæ productiuæ, quæ non potest dare esse totale termino productionis: sed aliquid eius præsuppositum transmutat ad aliam partem ipsius, & sic producit compositum. Si enim generans creatum esset perfectum agens, & non exigeret materiam, de qua, vel in quam ageret, sed posset producere effectum perfectum, & ex se: tunc esset productio sine mutatione: igitur sine contradictione possunt separari, & realiter separantur comparando ad potentiam productiuam perfectam. Hoc apparet etiam in creatione, vbi propter perfectionem potentiæ productiuæ ponentis primo totum in esse: verè est ratio productionis, in quantum per eam terminus productus accipit esse: sed non est ibi ratio mutationis, in quantum mutatio dicit aliquid subtractum, aliter nunc se habere, quam prius ex 6. Physicor. in creatione autem non est aliquid subtractum.

Conclusio.

7. Met. tx. com. 20.

6. Phy tx. com. 32. & 73.

Ad propositum: cum in diuinis nihil imperfectionis sit ponendum, sed totum perfectionis: & mutatio de ratione sui, dicat imperfectionem: quia potentialitatem, & hoc in mutabili: & concomitanter etiam dicit imperfectionem potentiæ actiuæ in mutante: quia talis necessario requirit causam concausantem adhoc, vt producat: cum igitur non sit ibi aliqua imperfectio, nec qualis est potentiæ passiuæ: nec etiam aliqua imperfectio potentiæ actiuæ: sed suma perfectio: nullo modo ponetur ibi generatio, sub ratione mutationis, nec quasi mutationis: sed tantum generatio, vt est productio, in quantum, scilicet, aliquid per eam capit esse, ponetur in diuinis, & ideo generationi, vt est in diuinis, non assignabitur materia, nec quasi materia, sed tantum terminus, & hoc vel totalis, siue primus, id est adæquatus, qui primo modo producitur: vel terminus formalis, secundum

Q.

dum quem terminus primus formaliter accipit esse. Ad argumenta pro opinione.

R. Ad primum D. Augustin. contra Maximinum, patet quo modo Filius nullo modo est de nihilo, sed est vere de substantia Patris. Sed si quæras, posita originatione, & consubstantialitate: adhuc quæritur, sicut de materia, vel quasi materia, de quo est Filius? Respõ deo, quod non est ibi materia, & ideo non est ibi de aliquo sic: & cum dicitur vltra: igitur de nihilo, non sequitur, sed sequitur: ergo de nulla materia.

S. Ad secundum *satis est ex dictis ad primum.* Sed dices: tunc est creatura: dico, quod falsum est: quia creatura est post nihil: ideſt post non esse sui, & cuiuscũque in ea non ita Filius: non tantum: quia suum esse est æternum, sed etiam: quia sicut est secũda persona, sic prius origine est suum esse formale in propria persona.

T. Ad tertium, *nempè*, ad aliud August. de Trinitat. 7. cap. 4. hoc nihil valet ad propositum, sicut in quæst. præcedente expositum est.

V. Ad quartum de Filio, in creaturis, quod est de substantia Patris: patet responsio ex dictis, *& amplius patebit* in solutione quæstionis, *in quarto articulo*: quia illud, *de*, quod pertinet ad rationem Filiationis, non dicit circunstantiam causæ materialis, sed magis sufficit, si illud, *de* quo est Filius, sit vt forma communis Patri, & Filio, & sic, non subiectum generationis, sed terminus formalis eiusdem.

Expositio articuli primi, quæstionis secundæ distinctionis quintæ.

1. HVIVS quæstionis difficultas in 6. articulos diuisa, circa quãdam D. August. propositionem exponendam excitata est a Magist. Dixerat enim Doctor sanctissimus, lib. 3. contra Maxim. cap. 14. & in lib. de Fide ad Petrum, c. 2. & 25. de Trin. c. 19. & alibi: *Filium esse genitum de substantia Patris.* Huius igitur D. Augustin. propositionis veritatem Magist. inuestigat in hac distin. 5. §. *quod legitur.* Sed quod ibi Magister breuiter tractat: hic subtiliter, & late Doctor explanat. In hoc ergo artic. 1. quærit, an Filius sit de substantia Patris, tanquam de materia, seu quasi materia? Cuius affirmatiuam partem tuetur, Henr. in sum. art. 54. q. 3. & in quodlib. 8. q. 9. & quodlib. 6. q. 1. quem defendit Dionisius Carthusianus, in hac dist. 5. & tenet Gofred. quodlib. 9. quibus fauet Durand. in 1. dist. 5. q. 2. quam opinionẽ in corpore articuli Doctor proponit ad longum: eamque probant 4. argumenta in principio ar. posita. Deinceps tamen in §. *contra istam*, late illam impugnat, & illicò in §. *ideo*, concludit propriam negatiuam statuendo sententiam, quã ait esse communem Doctorum veterum: quæ tenet, Filium non esse genitum de substantia Patris, tanquam de materia, aut quasi materia.

D. August. Magister.

Henricus.

Dion. Car. Gofred. Durand.

Filius Dei non est genitus de substantia Patris, vt de materia, seu quasi materia.

Hanc eandem sententiam Doctoris tenent Seraphicus Pater D. Bonauent. in 1. distinct. 1. q. 2. D. Thom. 1. p. q. 41. artic. 3. ad primum Alex. Alensis, 1. p. q. 42. memb. 4. ar. 20. Ricard. in 1. distin. 1. q. 3. Bachonius q. 1. Mayronis dist. 5. q. 6 & omnes alij Scotistæ hic cum Doctore, ac Thomistæ supra citatum locũ D. Thom. Oppositam tamen, Henrici opinionem quodam Entimemate confutat Doctor: cuius antecedens est, quod essentia est terminus formalis productionis Filij. Consequentia vero est: ergo non est quasi materia. Propositio autem pro antecedente assumpta satis probatur in 2. huius quæst. ar. Propositionem vero, quam pro consequentia, ex antecedente deducit, probat hic aliquibus subtilibus medijs, quibus euidenter confutatur Henricus. Præclare igitur exponit Doctor; dum propriam statuit conclusionem, qualiter non possit dici Filium esse genitum de substantia Patris, tanquam de quasi materia: & tandem Henrici argumẽta euacuat. Cuius litera, & si aliqualiter videatur prolixa: nihil profecto superfluum continet, sed claritate mirabili cuncta enucleat.

2.

D. Bonau. D. Thom. Alex. Alẽ. Ricard. Bachonius Mayronis.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm essentia diuina sit formalis terminus generationis?

A. AD secundum sic proceditur. Videtur, quod essentia diuina non sit formalis terminus generationis: quia terminus formalis generationis communicatur: igitur præsupponit illud cui communicatur; essentia autem non præsupponit relationem, sed è conuerso: ergo essentia non communicatur relationi. Et potest esse difficultas: quia aliquid ibi communicatur, & illud erit ibi formalis terminus, & illud præsupponit illud, cui communicatur: essentia autē non potest præsupponere relationem, cui communicetur: ergo è conuerso: & ita relatio communicatur essentiæ, & tunc relatio erit terminus formalis productionis, & essentia quasi materia.

B. Sed contra est, quia Ioannis 10. Pater, quod dedit mihi maius est omnibus: maius autem omnibus non est, nisi aliquid infinitum: hoc non nisi essentia: ergo illam dedit.

C. Respondeo dicendum, quod generationi, vt est diuinis non assignabitur materia, nec quasi materia, *vt dictum est*, sed tantum terminus: & hoc vel totalis, siuè primus, ideſt, adæquatus, qui primo producitur, in esse: vel terminus formalis, secundū quem terminus primus formaliter acipit esse. Dico, igitur, quod essentia hoc modo, est forma relationis: quia est qua relatio est, & similiter qua est Deus: essentia etiam est formalis terminus generationis, sicut in creaturis natura est formalis terminus generationis: non autem actus individualis. Hoc etiam vult August. 15. de Trinitat. ca it 26. sicut Filio (inquit) præstat essentiam, sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ, de patre generatio: ita Spiritui Sancto præstat essentiam, sine vllo initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ, de vtroque processio: non autem concedit, formam aliquam dari producto, siuè communicari, vel præstari per generationem, nisi illa forma communicata sit formalis terminus talis productionis. Probatur etiam per rationem primo: quia nulla entitas formaliter infinita simpliciter perfectior termino formali productionis habetur per productionem: Essentia est formaliter infinita: relatio autem non: ergo si relatio esset formalis terminus productionis, persona non haberet essentiam per productionem.

D. Secundò: quia in creaturis, natura est terminus formalis generationis, non autem proprietas individualis, vel hypostatica, sicut patet 2. Physic. vbi dicitur, quod generatio est naturalis: quia est via, in naturam, scilicet, informam: natura igitur, siuè essentia est perse terminus generationis: & non nisi terminus formalis. *2. Physic. tx. com. 14*

E. Tertiò: quia aliàs ista generatio non esset vniuoca: quia ratio formalis termini eius, non esset ratio conuenientiæ generantis cum genito. Consequens est inconueniens, sicut tangetur distinction. 7. Similiter aliàs non esset ista productio generatio: sed magis esset mutatio ad relationem, quia productio ponitur in genere, vel in specie ex suo termino formali: sicut patet ex 5. Physic. si cut alteratio ponitur in genere qualitatis: quia ibi est forma accidentalis, quæ est formalis terminus alterationis: ergo si formalis terminus huius productionis esset relatio, ista pro- *5. Phy. tx. com. 4. & inde.*

ductio

ductio poneretur in genere relationis, & non esset generatio.

D. Ad argumentum *in principio articuli*, respondeo, quod productio, quia est alicuius termini primi, id est, adæquati includentis aliquid in ratione formalis termini ipsius productionis, & aliquid in ratione subsistentiæ in tali termino: ideò contradictio est respectu productionis, hæc separari, scilicet terminum formalem, & rationem subsistentiæ, in quantum, scilicet productione habent esse: licèt absolutè prioritas esset vnius ad alterum, etiam quantum ad separari, sine contradictione considerando ipsa absolutè: non in quantum per productionem habent esse: licèt etiam esset ibi prioritas perfectionis, qua alterum esset altero perfectius: quia natura perfectior est ratione subsistentiæ etiam in creaturis. Et ex hoc sequitur, quod natura est terminus formalis productionis: quia nulla entitas simpliciter perfectior formali termino productionis potest esse per productionem.

E. Tunc ad formam argumenti dico, quod communicatum, in quantum productione communicatur, non præsupponit illud, cui communicatur, nec ê conuerso: quia ista communicatio non est alicui iam existenti, sicut est in alteratione: sed est, alicui, vt sit: ideò nec natura communicatur ante productionem suppositi: quia tunc communicaretur non producto: nec etiam, quia ê conuerso suppositum est, antequam natura communicetur: licèt absolutè communicatum sit prius ratione propria suppositi prioritate perfectionis, & etiam prioritate essendi, siue vicissim: in creaturis primæ prioritati correspondet hic: quia in Deo essentia est formaliter infinita: relatio autem non.

Expositio artic. 2. quæst. 2. distinctionis 5.

NON dubitatur in hoc articulo: an generationis diuinæ detur formalis terminus? Sed supponitur: quia tamen in persona genita est essentia, & relatio, quænam istarum sit terminus formalis, inquiritur. Esse quidem relationem, & non essentiam, probat argumentum in principio articuli: hoc tamen improbat Doctor, & concludit essentiam esse formalem terminum generationis. Quod etiam respectu spirationis ex auctoritate Diui Augustin. ibi adducta concluditur. Conclusionem vero tribus rationibus Doctor confirmat: quæ litera est satis clara, circa illam tamen non minima controuersia excitatur propter opinionem quorundam negantium esse ibi aliquem terminum vltra totalem: quæ infra in difficultate 66. præ limatur exacte.

Essentia diuina est terminus formalis in vtraque diuina productione.

ARTICVLVS III.

Vtrùm essentia diuina sit subiectum generationis?

A. AD tertiũ sic proceditur, videtur, quod essentia diuina, sit subiectũ generationis: quia illud verè dici-

tur generare subiectiuè, siue esse subiectum generationis, quod manet idem sub vtroque termino generationis: essentia autem diuina manet eadem in Patre, & Filio: ergo ipsa erit verè subiectum ipsius.

B. Secundò præterea, & confirmatur ratio: quia in eodem est terminus, & transmutatio: sicut dispositio, & forma ad quam disponit: ergo cum in essentia sit relatio, quæ est quasi terminus generationis, in ipsa etiam erit ipsa generatio.

C. Tertiò præterea, omni potentiæ actiuę correspondet aliqua potentia passiua: ergo fœcunditati Patris, quasi actiuè correspondet aliqua potentia, quasi passiuè, de qua potest producere.

1. de cœl. cont. Plat. & 3. dist.

D. Quartò præterea, & vltimo arguitur sic: si ignis generaret ignem de substantia sua, adhuc substantia ignis generantis ita esset in potentia ad formam ignis generandi, sicut modo est materia aliena, de qua generatur: sic igitur in proposito essentia Patris, de qua Pater generat, erit quasi materia respectu generationis.

E. Sed contra est: quia vna persona tantùm vno modo habendi habet essentiam; saltem istis duobus modis non habet eam, scilicet, vt terminum formalem productionis, *qualiter ex secundo articulo supponitur illam habere*: & cum hoc, vt quasi materiam, & subiectum generationis. Probatio istius: quia si haberet eam ex vi productionis, vt terminum formalem, haberet eam circunscripto omni alio modo: ergo non habet eam, vt quasi materiam subiectam generationi: non enim habet Deitatem aliquo modo, quo circunscripto haberet eam perfectè, & esset verus Deus. Videtur etiam, quod haberet bis essentiam: & per consequens, quod sit bis Deus: quia habere essentiam, est esse Deum: & quod habeat eam prius naturaliter, quàm habeat eam. si ratio quasi materiæ præcedit aliquo modo rationem formalem termini generationis.

Respondeo dicendum, quod opinioni *relatæ in primo articulo de materia, seu quasi materia*, additur ab alijs, quod essentia diuina dicitur generari subiectiuè: quod enim subijcitur generationi, potest dici subiectiuè generari per Philosophum quinto Physicorum, vbi arguit, quod generatio non est motus per hoc argumentum, quod mouetur est: quod generatur, non est: ergo, quod generatur, non mouetur. Accipit autem, quod mouetur pro subiecto motus, non pro termino: si enim acciperet, quod generatur pro termino generationis, non pro subiecto: argumentum non valeret: quia dum motus est, terminus motus non est: ergo oportet, quod accipiat ibi, quod generatur, pro eo, quod subijcitur generationi. Idem probatur per Commentatorem ibidem, commento octauo, & nono. Pro ista opinione adducuntur rationes, *quæ pro argumentis in principio articuli posita sunt.* Contra istam opinionem arguo primo sic, *& contra illam, quæ est in primo articulo: eadem enim quasi est cum illa, & in vtroque articulo eadem fere difficultas.*

F. *Opinio hæc est Gofred. quodlib. 9.*

5. Physico. tex. com. 8.

G. Item secundo, essentiæ, vt de ea generatur Filius, necesse est assignare aliquod esse: quia principia-

cipiare aliquod verum ens in quocunque genere principij, non conuenit alicui, nisi realiter enti. Quæro, quod esse conuenit essentiæ, vt ipsa est, de quo per impressionem generatur Filius? Aut precisse esse ad se, scilicet, quod est essentiæ, vt essentia, & tunc Filius, est de essentia, vt essentia: & hoc modo est trium personarum. Aut vt conuenit sibi esse in aliqua subsistentia, & tunc quæro in qua? Aut in ingenita, & sic cum in intellectu eius, quod est esse, de quo aliquod producitur, includatur hoc quod est esse illud, in quo forma inducitur: & in intellectu eius, quod est esse, in quo includatur habere illud, quod est in eo, & per consequens esse formaliter per ipsum: ergo si essentia, vt est in Patre, sit de qua Filius generatur, & per impressionem (secundum eos) sequitur, quod ipsa, vt in Patre, erit illud, in quo notitia genita imprimitur: & ita essentia, vt in Patre erit formaliter Verbum, siuè noscens notitia genita, quod est inconueniens. Si autem essentia, vt in alia subsistentia a Patre, est de qua generatur Filius, & in quantum est de qua præcedit aliquo modo terminum gnenerationis: ergo ante terminum generationis sunt duæ subsistentiæ, quod est inconueniens.

H. Si autem dicas, vt est de qua generatur Filius, nullam habet exixistentiam in persona, sicut & materia in quantum est, de qua generatur genitum, non habet esse in aliquo supposito: sed tãtũ habet esse in potentia in supposito generando. Hoc nihil est: quia (vt dictum est) principianti realiter aliquod ens in quocunque genere principij, oportet tribuere aliquod reale esse: & ideò materiæ, vt principiat compositum: licèt sibi non competat esse compositi, quod est eius participatiuè: tamen competit sibi esse suum proprium, quod esse est prius naturaliter, quàm sit pars compositi: ita igitur hîc oportet essentiæ, in quantum est, de qua generatur Filius, dare esse, vel in supposito, vel esse essentiæ secundum se, & sic stat argumentum.

Si dicatur aliter, quod in quantum est Patris, est illud de quo generatur Filius, & tamen per generationem, in quantum, quasi actu informatur notitia genita est actu alterius suppositi. Hoc improbatum est in argumento: quia in intellectu eius, quod est esse, de quo per impressionem includitur esse in quo, & ita esse formaliter tale, secundum impressum illud. Similiter tunc communicatio essentiæ alteri supposito præcederet, secundum intellectum, productionem: ita quod communicatio non fieret per productionem, sed fieret quasi ante terminum productionis, sicut illud, quod est quasi materia generationis, præintelligitur aliquo modo ipsi termino. Similiter licèt aliquid, quod non est de se alicuius suppositi in actu, per generationem fiat actu alicuius suppositi, sicut materia, quæ non est alicuius suppositi, per generationem fit per generationem aliquid suppositi: tamen quod illud, quod est vnius suppositi, fiat alterius suppositi præcise per hoc, quod est materia, videtur impossibile absque actione, quę fit ad ipsum. I.

Præterea tertio, quando ad productionem effectus concurrunt actiuum, & passiuum, prior est naturaliter respectus actiui ad K. passi-

passiuum, quàm vtriusque ad productum. Probatio huius: quia oportet causas diuersas eiusdem prius naturaliter approximari adinuicem, quam producant effectum, & patet per exemplum de igne calefactiuo, & ligno calefactibili, & calore genito. Item isti respectus actiui ad passiuum, & eiusdem ad productum, non omninò ex æquo conueniunt actiuo: nec ille respectus ad productum est prior: ergo est posterior. Antecedens huius enthimematis, quantũ ad vtramq; partem simul probatur: quia actiuum agit in passiuum se solo in ratione causæ, nec producit productum, nisi alio concurrente in ratione concausantis. Etsi omninò neges prioritatem respectus ad respectum, non potes negare, quin necessario sit respectus actiui ad passiuum, nõ posterior respectu vtriusque ad productum. Igitur si in Patre est fœcunditas actiua, & aliquid quasi materia concurrens ad productum, prior est respectus Patris, vt productiui ad illud, quasi materiam, quàm sit vtriusque eorum ad Filium, aut saltem erit necessario cõcomittans. Et ex hoc vltra, cum res non præexigat naturaliter, nec necessario simul requirat illud, quod est præcisè ens rationis: sequitur, quod ista relatio, quæ naturaliter præexigitur, quasi actiui ad passiuum, sit realis: & ita in Patre erit relatio realis prior relatione eius ad Filium, vel saltem alia ab illa. Quod videtur inconueniens, *vide alias rationes in corpore primi articuli. Vnde ad præsentem difficultatem*, dico quod generatio, vt est productio, tantùm habet ipsum productum: non autem generatio, vt sic habet terminum à quo, nisi loquendo de principio productiuo, & sic termini generationis sunt producens, & productum. Et ex hoc non sequitur, quod aliquid sit quasi subiectum, sed sequitur ex hoc (si generatio est vniuoca) quod aliquid sit commune gignenti, & genito: & hoc concedo, sed non commune, vt materia. Quod vero alij arguunt essentiam subiectiuè generari, ex falso inferunt falsum.

Ad primum dico, quod hic non sunt termini aliqui correspondentes generationi, vt mutatio est: quia nihil est hic, quasi aliquo modo prius sub priuatione, & postea sub forma: generationis vero termini sunt priuatio, & forma, vt generatio est mutatio. Generatio autem, vt est productio (*sicut dictum est*) tantùm habet ipsum productum: non autem generatio, vt sic habet terminum à quo, nisi loquendo de principio productiuo: & sic termini generationis sunt producens, & productum. Et ex hoc non sequitur, quod aliquid sit quasi subiectum, sed sequitur ex hoc (si generatio est vniuoca) quod aliquid sit commune gignenti, & genito, & hoc concedo: sed non commune, vt materia: sed vt forma, vel actus in vtroque. L.

Ad secundum, cum *scilicet*, arguitur post de generatione, & termino patet responsio: quod relatio non est in essentia, sicut forma in materia: sed si persona est ibi relatiua, tunc relatio est in essentia sicut proprietas suppositi est in natura. Esse autem in aliquo, vt suppositum, vel ratio suppositi in natura, nihil infert de esse in, vt forma in materia: licet quando natura est imperfecta, proprietas indiuidualis aliquo modo informet natu- M.

naturam, ſicut dictum fuit in articulo ſolutionis in prima difficultate. Sed obijcitur eo modo, quo generatio præcedit Filium ſecundum modum intelligendi, in quo eſt? Non in eſſentia, vt in Patre: quia vt in ipſo eſt, non habetur per generationem: non vt in Filio: quia præcedit Filium aliquo modo, & eſt in aliquo, quia non eſt per ſe ſubſiſtens: quia tunc eſſet perſona: non prima: igitur ſecunda perſona præcederet Filium. Reſpondeo, in quo eſt creatio paſsio? eſt eadem quæſtio: imò difficilior, quia hic poteſt dari, quod eſt in eſſentia dupliciter: & tãquam in fundamento, & tanquam proprietas perſonæ in natura, in qua eſt illa perſona: & vtrumque ſine potentialitate eſſentiæ. Nec ſecundus modus eſt difficilior, quàm de relatione: quia generatio paſsiua eſt proprietas eadem cum filiatione tantum alio modo Gramaticaliter concepta.

L. Ad tertium cum arguitur, quod omni potentiæ actiuæ correſpondet potentia paſsiua, &c. Reſpondeo, primæ potentiæ actiuæ, non correſpondet aliqua potentia paſsiua, ſicut patet de potentia creandi: & hoc loquendo propriè de potentia paſsiua, vt in quam, vel de qua aliquid propriè producitur. Potentiæ tamen actiuæ correſpondet aliqua paſsiua, quam ipſi vocant potentiam obiectiuam, quæ eſt potentia producibilis, & hoc modo, concedo, ſi Pater eſt fœcundus actiuè, quod Filius eſt producibilis: ſed ex hoc non ſequitur aliqua potentia quaſi materiæ, ſicut nec ſequitur in

M. creatione.

Ad quartum, cum *videlicet*, vltimo arguitur de igne, dico, quod ſi ignis generaret de ſe, & communicaret genito ſuam formam, vt formalem terminum generationis: non autem eſſet ſubſtantia ſua in potentia ad formam ignis generandi, ſed ipſe ignis eſſet perfectè productiuum: tunc non requireret aliquam cauſam cõcauſantem: ita eſt in propoſito, primum principium, nec aliud principium in eodem genere principij, nec in alio, requirit concauſans ſecum ad principiandum.

Expoſitio artic. 3. quæſt. 2. diſtinctionis 5.

PARVM differt materia huius articuli à primo, vbi oſtenſum eſt Filium non eſſe genitum de ſubſtantia Patris tanquam de materia, vel quaſi materia, vt dicebant Henric. & Gofred. Hîc enim ad ibi confutatam opinionem addebat Gofredus: eſſentiam eſſe ſubiectum generationis diuinæ. Stat ergo differentia vtriuſque articuli in hoc, quod in illo tantùm ponebant prædicti Auctores eſſentiam eſſe materiam, ſeu quaſi materiam, de qua generatur Filius: in iſto autem dicit Gofredus, non ſolum eſſe materiam de qua, ſed etiam eſſe materiam in qua: quia ſicut ſubiectum abſque ſui immutatione tranſit de forma in formam: quod patet de materia prima, quæ eſt eadem ſub vna forma, quæ erat ſub alia: ſic eſſentia eſt eadem in Patre, quæ eſt in Filio per generationem. Et ex eo, quod eſt eadem ſub vtroque termino, ſcilicet à quo & ad quem: ſequitur eſſe ſubiectum generationis. Hanc tamen ſententiam ſubtiliter hîc improbat Doctor: & non ſe offert aliquid circa literam peculiariter declarandum, eſt enim ſatis perſpicua.

Eſſentia diuina non eſt ſubiectũ diuinæ generationis.

(.?.)

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Filius generetur, de ſubſtantia Patris?

A. AD quartũ ſic proceditur, videtur, quod Filius non generetur de ſubſtãtia Patris: quia ſeptimo de Trinitate capit. 6. & 12. tres perſonas ex eadem eſſentia non dicimus: ſubſtantia autem videtur vniformiter ſe habere ad quamlibet perſonam: ergo nulla perſona eſt de alterius ſubſtantia.

B. Secundò præterea, conſtructio alicuius cum ſuo genitiuo non notat maiorem diſtinctionem conſtructibilium, quam præpoſitio cum ſuo caſuali, quando additur eidem conſtructibili: ergo non maior diſtinctio notatur hic, Filius eſſentiæ Patris, quàm Filius de eſſentia Patris, ſed non conceditur, quod Filius ſit eſſentiæ Patris, quia tunc eſſentia generaret Filium: ergo, &c.

C. Tertiò præterea, cum dicitur Filius eſt de ſubſtãtia Patris, aut ly, de, notat diſtinctionem, aut non: ſi ſic propoſitio falſa eſt: quia eſſentia nõ diſtinguitur realiter à Filio: ſi non: igitur hæc eſt vera: Pater eſt de eſſentia Filij, vel de eſſentia Patris, quod non conceditur.

D. Sed contra eſt: quia 15. de Trinitate cap. 19. Auguſtin. tractans illud ad Colloſ. tranſtulit nos in regnum Filij charitatis ſuæ, quod dictum eſt (ait) Filij charitatis ſuæ, nihil aliud eſt, quàm Filij ſubſtantiæ ſuæ: ergo eſt de ſubſtantia Patris. Præterea ad hoc eſt auctoritas Diui Auguſtini contra Maximinum, & ponitur in litera: nullo modo verum Filiũ Dei cogitatis, ſi hunc de ſubſtantia Patris eſſe negatis.

Ad coll. c. 1

E. Reſpondeo dicendum, quod ſine gloſſa verè, & propriè Filius Dei eſt de ſubſtantia Patris. Principaliter *autem*, ad ſolutionem difficultatis huius quæſtionis videndum eſt, quomodo relatio, & eſſẽtia poſſunt eſſe in eadem perſona, quin eſſentia ſit materiale reſpectu relationis, cum nullo modo relatio ſit materiale reſpectu eius, & ſunt hic quatuor difficultates, *Quarum prima poſita eſt pro argumento in principio ſecundi articuli, ex cuius ſolutione conſtat talis difficultatis ſolutio: prima, & ſecunda ſequentem articulum conſtituunt. tertia vero ſextum, & vltimum quæſtionis. Ad intentum igitur.* *Concluſio.*

F. Dico, quod negata omni materialitate, & quaſi materialitate, verè tamen Filius eſt de ſubſtantia Patris, ſicut dicunt auctoritates adductæ in litera, vbi per, ly, de, non tantum notatur efficientia, vel origo: ſi enim tantum efficientia, tunc creaturæ eſſent de ſubſtantia Dei: nec notatur per illud, de, tantum conſubſtantialitas: quia tunc Pater eſſet de ſubſtantia Filij: ſed notatur ſimul originatio, & conſubſtantialitas, vt ſcilicet in caſuali huius præpoſitionis, de, denotetur conſubſtantialitas ſic, quod Filius habet eandem ſubſtantiam, & quaſi formam cum Patre, de quo eſt originaliter: & per illud, quod conſtruitur in genitiuo cum iſto caſuali notetur principium originans: ita quod totalis intellectus huius ſermonis, Filius eſt de ſubſtantia Patris, eſt iſte, Filius eſt originatus à Patre, vt conſubſtantialis ei: & iſto modo exponit Magiſter auctoritates

tates in littera adductas, non præcisè per consubstantialitatem : nec per originem præcisè, sed per vtrumque, sicut communiter apparet de Patris substantia : hoc est, de Patre, qui est eadem substantia. Per primum originatio : per secundum consubstantialitas habetur.

G. Et quod ista sit intentio D. Augustin. in auctoritatibus eius contra Maximinum, quæ ponuntur in littera, apparet ex fine auctoritatum: nam in vna auctoritate ponit Augustin. si aliam non inuenis, Patris agnosce substantiam, & Filium cum Patre omousion confitere. Hoc igitur intelligit per Filium esse de substantia Patris, Filium sic esse de substantia Patris, vt sit omousion cum Patre. Item, in alia auctoritate dicit, si vero de Patris substantia, tunc est eadem substantia Patris, & Filij. Ad intellectum ergo huius affirmatiuæ, qua dicitur Filius est de substantia Patris, secundum intellectum prædictum: dico, quod intellectus iste verè saluat, quod Filius non sit de nihilo, verè etiam saluat, quod Filius est de substantia Patris, sicut requiritur ad filiationem.

Omousion, id est vnius essentiæ.

H. Primum declaro: quia creatura genita non est de nihilo, quia aliquid eius præexistit, vt materia: igitur cum forma sit aliquid compositi, & aliquid eius perfectius, quàm sit materia: si forma alicuius præexisteret, & materia de nouo adueniret, & informaretur illa forma præexistente, ipsum productum non esset de nihilo: quia aliquid eius præextitisset: imò aliquid eius perfectius quàm materia, quæ præexistit communiter. Igitur si Filius non diceretur esse de nihilo : quia essentia eius secundum ordinem originis præfuit in Patre, & hoc si illa essentia esset quasi materia generationis Filij: multo magis, nec Filius esset de nihilo, si illa essentia prius origine existens in Patre, sit quasi forma communicata Filio.

Secundum declaro, scilicet quod istud, de, sufficiat ad rationem filiationis: quia in animatis, vbi est Paternitas, & Filiatio: videamus, quis sit ille actus, per quem generans dicitur formaliter Pater? Ille vtique est actus decidendi semen: etsi esset perfectum agens, ita quod tunc, quando decidit semen, posset immediatè decidere prolem, verè esset Pater, & multo perfectius, quàm modo sit, vbi requiruntur tot mutationes intermediæ: sed nunc in isto actu decidendi semen, illud quod erat substantia eius, vel aliquo modo aliquid eius, non est materia: sed est quasi terminus formalis productus, siue communicatus per istum actum, sicut esset proles, si immediatè decideretur á Patre. I.

Igitur, quod aliquid substantiæ generantis sit terminus actionis suę, qua est Pater, hoc verè saluat productum simile in natura, esse de substantia eius. sic quod ipsum, de, verè sufficit ad rationem Patris, & Filij, & quod illud decisum, vt terminus, sit materia sequentium transmutationum, hoc accidit ipsi, de, vt conuenit Patri, & Filio. Igitur Pater æternus non decidendo aliquid sui, sed totam essentiam suam communicãdo, & hoc, vt formalem terminum illius productionis, verissimè produeit Filium de se, eo modo, quo esse, de, pertinet ad Patrem, & Filium. Et licèt esset ibi essentia de qua, sicut de quasi materia, illud, de, non faceret ad rationem Patris, sicut nec in creaturis: si generans haberet suum semen pro termino formali, & pro materia suæ actionis, non esset Pater K.

in quantum ſuum ſemen eſſet materia ſubiecta ſuæ generationi, vel actioni: ſed in quantum eſſet terminus illius actionis: quemadmodum etiam ſi Pater creatus immediatè decideret à ſe Filium, verè eſſet Pater: quia illud, quod eſſet de ſe, verè eſſet terminus actionis, nullo autem modo materia.

K. Ad primum argumentum, cum *ſcilicet* arguitur ad principale per Auguſtin. ſeptimo de Trinitate cap. 6. Reſpondeo, quod Auguſt. ſubdit ibidem, quaſi aliud ſit ibi eſſentia, & aliud perſona. Similiter concedo, quod non proprie dicitur aliquam perſonam eſſe de eſſentia abſolutè: ſed addendo cum ſubſtãtia aliquam perſonam originantem, bene dicitur, quod aliqua perſona originata eſt de ſubſtantia illius perſonæ. Ita quod hæc, Filius eſt de eſſentia diuina, non eſt ita concedenda, ſicut hæc, Filius eſt de ſubſtantia Patris: quia per ſecundam exprimitur conſubſtantialitas, & originatio propter genitiuum conſtructum cum caſuali, & præpoſitionis: per primam autem non notatur aliquid originans.

L. Ad ſecundum dicendum, quod licet Auguſtin. dicat, Filium eſſe Filium ſubſtantiæ Patris, decimo quinto de Trinitate capite 19. vel 40. & Doctor quidam dicat, illam eſſe propriam: tamen videtur probabilius, quod quandocunque relatiuum cõſtruitur cum aliquo in tali habitudine caſuali, in qua aliquid natum eſt terminare illam relationem, vt correlatiuum: tunc conſtruitur cum illo præciſe, vt cum correlatiuo. Exemplum, Pater conſtruitur cum ſuo correlatiuo in habitudine genitiui: ſimile in habitudine datiui: maius in habitudine ablatiui ſecundum communem ſermonem: & ideò videtur, quod, cùm quocunque conſtruitur tale relatiuum expreſſo in tali habitudine caſuali: illud notatur eſſe correlatiuum huius relatiui: non enim dicimus, iſte canis eſt Filius hominis: quia eſt Filius, & eſt hominis, vt Domini, ita quod ly hominis conſtruatur cum ly canis, ex vi poſſeſſoris, vel poſſeſsionis: ſed videtur ſignificare, quod conſtruatur cum ly canis, in ratione relatiui, vt Patris. Ita igitur iſta, Filius eſſentiæ, videtur accipi eſſentia, vt correlatiuum eius relatiui, cum quo conſtruitur: & tunc auctoritas Auguſtin. de Trinitate 15. capit. 19. debet exponi, ſicut ipſe exponit, Filij charitatis ſuæ, id eſt, Filij ſui dilecti: & tunc ad argumentum iſtud cum arguitur, quod ad illam, eſt de eſſentia, ſequitur iſta, quod eſt eſſentiæ. Nego conſequentiam: quia conſequens notat relationem eſſe inter Filium, & eſſentiam, ſicut ſuum correlatiuum: quod non notat antecedens: ſed tantùm conſubſtantialitatem in eſſentia, cum origine notata in illo, quod conſtruitur cum eſſentia.

Ad tertium, & vltimum dico, M. quod, de, non tantùm notat identitatem, ſed notat identitatem ſui caſualis, & hoc in ratione formæ cum diſtinctione illius, quod additur ſuo caſuali, vt principij originantis, ſicut dictum eſt prius.

Sanctus Bonauent.

Ad argumenta in oppoſitum, N. *quæ ſcilicet ſunt ſub §. ſed contra, quatenus gloſſari poſſunt aduerſus dicta.* Ad illud *Auguſt.* 15. de Trinitate reſponſum eſt. Ad aliud contra Maximinum, patet etiam ex dictis.

(.?.)

Expoſitio art. 4. quæſt. 2. diſtinctionis 5.

1 PRAEHABITO ex primo, & tertio articulis diuinam ſubſtãtiam ſiue eſſentiam, nõ eſſe materiam, aut quaſi materiam, nec ſubiectum generationis diuinæ: hic præclare enucleat Doctor, qualiter intelligatur eſſe vera propoſitio illa, D. Auguſtin. quod *Filius eſt genitus de ſubſtantia Patris*. Eſſe namque veram propoſitionem huiuſmodi, eſt communiter apud omnes receptum. Sic Magiſter in hac diſt. 5. D. Bonauentura in primo diſt. 1. quæſt. 2. Alexand. Alenſis prima parte quæſt. 42. membro 4. art. 20. D. Thom. prima parte quæſt. 41. art. 3. Ricardus in 1. diſt. 1. quæſt. 3. & reliqui veteres ac moderni Doctores. Quæ propoſitio eſt diffinita in Concilo Toletano 3. 4. & 11. in confeſsione Fidei.

2 Circa expoſitionem attamen propoſitionis prædictæ (etiam præter eos, qui, vt vidimus in art. 1. dixerunt eſſe genitum de ſubſtantia Patris, quaſi de materia ſeu de ſubiecto) non vnanimiter ſe habent Doctores: nam D. Thom. ſolutione ad ſecundum, videtur tantummodo poſuiſſe Filium eſſe de ſubſtantia Patris: quatenus præpoſitio, de, ſemper denotat conſubſtantialitatem. Hanc attamen rationem, vt iacet, tanquam inſufficientem refutat D. Bonauentura, cuius rationem ſequitur Doctor in textu, dum ait: *Nec notatur per illud de, tantũ conſubſtãtialitas, quia tunc Pater eſſet de ſubſtantia Fily*. Si quidem non minus Pater cõſubſtantialis eſt Filio, quàm Filius Patri.

3 Alij vero dixerunt prædictam præpoſitionem, de, denotare tantummodo originem, vel productionem Filij â Patre, ita vt ſic intelligatur, Filius eſt de Patre, qui eſt eſſentia. Verum hanc etiam rationem improbat Doctor, dum inquit, *quod tunc creaturæ eſſent de ſubſtantia Dei*: ſi quidem habent eſſe per productionẽ ab illo.

4 Concludit igitur Doctor nec vnum, aut alterum iſtorum denotari per dictã præpoſitionem, de, ſed ſimul vtrunque dicens: *Quod notatur ſimul originatio & conſubſtantialitas, vt ſcilicet in caſuali huius præpoſitionis denotetur conſubſtãtialitas, ſic quod Filius habet eandem ſubſtantiam, & quaſi formam cum Patre, de quo eſt originaliter: ita quod totalis intellectus huius ſermonis, Filius eſt de ſubſtantia Patris, eſt iſte: Filius eſt originatus â Patre, vt conſubſtantialis ei.* Hactenus Doctor in textu, quæ eſt expreſſa ſententia Diui Bonauenturæ vbi ſupra: imò & illam innuere videtur D. Thom. in fine ſolutionis prædicti ſecundi argumenti: dum inquit: *& per hunc modum dicimus, quod Filius eſt genitus de eſſentia Patris, in quantum eſſentia Patris Filij per generationẽ communicatã, in eo ſubſiſtit.*

De, in hac propoſitione Filius eſt genitus de ſubſtãtia Patris, originationem, & conſubſtantialitatẽ dicit.

Hanc expoſitionem ſequuntur omnes Scotiſtæ, ac plures Thomiſtæ, vt ſunt Caietanus ibi cum D. Thom. & Capreol. in primo diſt. 5. quæſt. vnica, & ex Nominalibus Gabriel, & Marſilius ibidẽ atq; ex Neutralibus, Molina 1. p. quæſ. 41. art. 3. diſput. 2. Vazquez diſput. 162. cap. 2. Valentia 1. p. diſput. 2. quæſt. 5. pũcto 3. §. *ad hoc Durandus*. Qualiter autẽ id ſit intelligendum, exponit Doctor in textu, duo declarando. Primum ſcilicet Filium non eſſe productum ex nihilo: quia aliàs non eſſet Filius, nec genitus. Secundum vero, quomodo optimè ſaluetur eſſe de ſubſtantia Patris. Primum quidem perſpicuè ibi oſtendit: nam ex duobus componentibus creaturam productam, ſcilicet materia & forma, longè perfectior eſt forma quam materia. Si igitur productio, quæ fit ex præexiſtente materia, non eſt ex nihilo: quia aliquid compoſiti producendi iam præfuit, ſcilicet materia: multo magis dicetur non produci ex nihilo, ſi forma quæ eſt pars principalior præfuerit. Tunc ſic, ſed ad generationem Filij præextitit diuina eſſẽtia prius origine in Patre, quæ eſt forma in Filio genito: ergo ex hoc, quod eius eſſentia in Patre præfuit prouenit Filio, non poſſe dici productum ex nihilo. Secundum declarat oſtendens, quod illud, de, cum dicitur eſſe de ſubſtantia Patris, denotat originem ſimul cum conſubſtantialitate: & quod hoc ſufficit ad rationẽ filiationis. Quæ declaratio ita eſt clara in litera, vt expoſitione non egeat.

5 *Caietanus. Capreolus. Gabriel. Marſil. Molina. Vazquez. Valentia.*

Filius Dei non eſt productus ex nihilo.

Circa illud autem, quod in ſolutioni 6

primi argumenti inquit Doctor hanc propositionem non esse cõcedendam: Filius est de essentia diuina, sicuti istã, Filius est de substantia Patris, sunt duo considerãda. Primum, est pœnes variationem nominum, substantiæ scilicet, & essentiæ. Secundum vero circa positionem personæ, à qua originatur, quæ necessario exprimenda est ad veritatem propositionis. Circa primum igitur dico, quod licet communiter in scholis pro eodem accipiantur essentia, & substantia: longe attamen inter se hæc duo nomina differunt: atque ideò, primũ proprie conuenit Deo, secundum vero impropie, & abusiue: quia substantia plerumque apud Philosophos capitur pro subiecto, quod accidẽtibus substat: essentia vero non dicit aliud, quàm ipsum esse. Hanc differentiam inter essentiam, & substantiã respectu Dei expresse statuit D. Augustinus 7. de Trinita cap. 5. vbi hæc profert verba. *Vnde manifestũ est Deum abusiue substantiam vocari, vt nomine vsitatiori intelligatur essentia, quod vere, ac proprie dicitur, ita vt fortasse solum Deum dici oporteat essentiam: est enim vere solus, qui incommutabilis est, &c.* & paucis interiectis verbis hæc subdit: *Sed tamen siue essentia dicatur, quod proprie dicitur: siue substãtia, quod abusiue: vtrunque ad se dicitur, non relatiue ad aliquid.*

De Deo proprie dicitur essentia, substantia autem abusiue.

D. Augustinus.

7

Quæ verba Augustini clare respectu Dei vtriusque nominis differẽtiam manifestant: licet admittant saltim abusiue Deum vocari substantiam, vt magis vsitato nomine intelligatur Dei essentia. Ex hoc nunc Theologi indifferẽter substantiam pro essentia, & essentiam pro substantia vsurpare consueuerunt. Sic Doctor in præsenti, videtur differentiã ponere inter substantiam, & essentiam, sumens in prima propositione, quam negat, essentiam, in secunda verò, quam concedit, substantiam. Non quod aliud importare intendat in nomine substantiæ quàm in nomine essentiæ: sed quia ad significandum cõsubstantialitatem personæ genitæ cum generante, melius declaratur per hoc nomen substantiæ, quàm essentiæ; quia nõ ita solet dici co essentialitas, sicut consubstantialitas. Re tamen vera idem est, Filium esse genitum de essentia Patris, & esse genitum de substantia Patris: quia idẽ est Filium esse Patri coessentialem, & consubstantialem: immò proprius est ei coessentialis, quàm consubstantialis: quia iuxta relatam D. Augustini auctoritatem, essentia dicitur propriè de Deo, substantia autẽ abusiue, licèt vtrunque nomen de Deo indifferenter dicatur.

8

Secundum autem, quod in secundi argumenti solutione notatur, indicant eadem relata verba D. Augustini: nam, *siue essentia dicatur, quod proprie dicitur, siue substantia, quod abusiue: vtrumque ad se dicitur, non relatiue ad aliquid.* Si igitur substantia, aut essentia absoluta est, & nõ relatiua, non est Filius genitus de illa: quia ly, de, dicit originem personæ originatæ ab originante, inter quas est mutua relatio producentis ad productum: quia igitur essentia, vel substantia diuina nõ est relatiua, non potest de illa esse genitus Filius: quare optimè aduertit Doctor, quod debet exprimi persona generans, dicendo, Filius est de essentia, vel substantia Patris. Ibi etenim exdualitate personarum ostenditur, originatio vnius ab altera: & in vnitate substantiæ, seu essentiæ exprimitur consubstãtialitas vtriusque, quæ simul verificant supra dictam D. Augustini propositionẽ, quod scilicet Filius est de substantia Patris.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in persona relatio habeat rationẽ actus actuãtis essentiam?

A.

AD quintum sic proceditur, videtur, quod in persona diuina relatio habeat rationẽ actus actuantis essentiã: *quia si vtrumque est actus*, quomodo possunt isti duo actus concurrere ad cõstitutionem vnius, si neutrũ sit actus alterius? oportet enim vnum esse in alio: quia si non: igitur vtrumque est per se subsistens, & ita non erunt in eodem per se subsistente.

Secun-

B. Secundo præterea: similiter vnitas qualitercunque distinctorum nõ videtur secundum Aristotel. esse nisi per rationem actus, & potentiæ: ergo, &c.

Aristot.8. meta. text. com.15.

C. Tertio præterea, & difficultas est *peculiaris, secunda nempe in ordine antiqui textus*: nam quomodo relatio posset esse distinguens personam, & essentia non distinguens, quin relatio habeat rationẽ actus: quia actus est distinguere 7. Metaph.

7. Metaph. tex. co.49.

D. Sed contra est: quia sicut dicit Damascenus, relatio nõ determinat naturam, sed hypostasim, ita non est actus naturæ, sed hypostasis: ergo, &c.

Damas lib. 1.ca 5. vel 10. & lib. 2.cap.6.

E. Respondeo dicendum, quod prima difficultas, *earum quæ in præcedente articulo in dicantur est*, qualiter persona diuina erit vna, nisi hoc sit actᵘ, illud vero potentia: ad quod dico primo sic: quod sicut quidditas creata est, quo aliquid est ens quidditatiuè: & hoc non est imperfectionis, cõpetit enim quidditati ex ratione quidditatis. Secundo, ipsa quidditas, putà humanitas, quia est imperfectę actualitatis, ideò diuisibilis est per illud, quod contrahit ipsam ad indiuiduũ, putà per proprietatem indiuidualẽ, quæcunque sit, dicatur, A. & recipit ab A. aliquam actualitatem, sicut & vnitatem, siue indiuisibilitatem, quã habet in indiuiduo: & non habet ex se. Ita quod illud contrahens, vt A. non tantùm est formaliter in Sorte, quo Sortes formaliter est Sortes, sed est aliquo modo formale respectu naturæ, & natura est aliquo modo potentiale respectu eius. Vnde natura contrahitur, & determinatur per ipsũ, A. Tertio, humanitas in Sorte est aliquis actus: & præcise accipiẽdo humanitatem, & A. distinguendo contra se, hũmanitas est perfectior actus quàm sit ipsum, A. licèt, A. sit magis proprius actus, & aliquomodo actus naturæ, in quantum determinat naturam. Applicando hæc tria ad diuina, relinquatur illud, quod est imperfectionis: quoad primum Deitas de se, est qua Deus est Deus, & qua subsistẽs siue persona (cuius prius est, A.) est formaliter Deus: quia esse, quo, hoc modo non est imperfectionis in creatura, sed cõpetit quidditati, vnde quidditas est.

F. *Conclusio.* Quoad secundum est dissimile: quia Deitas ipsa per proprietatem personalem non determinatur, nec contrahitur, nec aliquo modo actuatur: quia hoc erat imperfectionis, & potentialitatis in natura creata. Similiter Deitas de se est hæc, & ita sicut habet vltimam vnitatem de se, ita & actualitatem. Est igitur proprietas personalis, ita proprius actus personę, quod tamen non est actus ipsius naturę diuinæ aliquo modo perficiens, vel informans eam. Quoad tertium est aliquo modo simile: quia relatio, etsi sit proprius actus personæ, & essentia non sit proprius actus personæ, sed aliquis actus, tamen essentia est formaliter actus infinitus. Relatio autem non est actus infinitus, ex ratione sua formali: ergo relatio licet sit proprius actus personæ non tamen actuat essentiã. Cuius cõtrarium est in creaturis: vbi A. quod est in Sorte actus, actuat aliquo modo naturam, quæ est actus perfectior. Dico igitur breuiter: quod relatio, & essentia ita sunt in persona, quod neutra est forma informans alterum, sed sunt perfecte idem: licet non formaliter: vt tamen non sunt formaliter eadem, relatio nullo modo perficit essentam, nec est terminus formalis receptus in essentia: sed essentia hoc modo est forma relationis, quia est, qua relatio est, & similiter qua est Deus: essentia etiam, *vt dictum est in secundo articulo*, est formalis terminus generationis, sicut in creaturis

natu-

natura est formalis terminus generationis, non autem actus individualis.

G. Ad primum argumentum *ad illud* scilicet, quod additur, quod vnum oportet esse in alio, concedo, vt relatio est in fundamento suo, siue radice: sed hoc non est vt actus in potentia, sed vt identicè contentum in pelago infinito. Aliter potest dici, quod omnes istæ sunt veræ, Deitas est in Patre: paternitas est in Patre: Pater est in Deitate, siue in natura diuina: paternitas est in Deitate: & tamen nullum inest ibi, vt actus in potentia: nam prima est vera, vt natura est in supposito habente esse quidditatiuum ea: quia hoc conuenit quidditati, vnde quidditas est, sed non propter hoc est forma informãs suppositum, etiam in creaturis. Secunda est vera, vt forma hypostatica est in hypostasi, nec informat ipsam: tam enim quidditas, quàm forma hypostatica (etiam in creaturis) licèt sit forma suppositi: non tamen forma informans, sed ibi quasi pars: hîc autẽ quasi vna ratio formalis concurrens cum alia formaliter ad idẽ simplex: sed habens in se plures formales rationes. Tertia est vera, vt suppositũ est in natura, quod patet, licet nõ vt informans. Quarta est vera eodem modo, in, quia quo modo totum est primo aliquo, eodem modo pars est per se, sed non primo in eodem: patet exemplum de esse in loco. Igitur si Pater est primò in natura, vt suppositum naturę: paternitas per se erit in eadem natura, eodem modo essendi, in, licet nõ primo. Vltra hoc prior responsio dat modum, in, qui est relationis in fundamento, qui non reducitur ad esse formæ in materia, nisi vbi fundamentum est limitatum: in tantum quod nõ habet perfectè per identitatem in se ipsam relationem.

H. Ad secundum respondeo, quod vnitas compositi necessario est ex ratione actus, & potentiæ: sicut assignat Philosophus 7. & 8. Metaph. cap. vltimo, sed persona in diuinis nõ est composita, nec quasi composita: sed est simpliciter simplex, & ita vere simplex, sicut est essentia ipsa secundum se considerata nullam habens compositionem, nec quasi compositionem in se: & tamen formalis ratio essentiæ diuinæ non est formalis ratio relationis, nec è conuerso: sicut dictũ est supra dist. 2. quæst. 1. de Trinitate, in solutione quæstionis. Qualiter autem stat, quod ratio relationis in re non sit formaliter eadem rationi essentiæ, & tamen in eodem concurrentes non constituunt compositũ, vel compositionem. Hoc est, quia ista ratio est eadẽ perfectè illi: propter enim infinitatem vnius rationis, quidquid potest esse cum ea, est idẽ perfectè sibi: perfectio enim identitatis excludit omnem cõpositionem, & quasi compositionem. Quæ identitas est propter infinitatem: & tamẽ infinitas non tollit formaliter rationes, quin hæc formaliter non sit illa: non est igitur existis quasi compositum, & ideò *vt dictum est*, nihil est ex eis quasi compositum ex actu, & potentia, sed est vnum simplicissimũ ex istis: quia vna ratio est perfectè, imò & perfectissime eadem alteri, & tamen non est formaliter eadem: non enim sequitur sunt perfecte eadem etiam identitate simplicitatis: ergo sunt formaliter eadem, sicut tactum est in dist. 2. quæst. præallegata, & tangetur inferius dist. 8. Et eadem perfecta identitas excludit omnem aggregationem, quia idem non aggregatur cum se ipso.

Tex.co.15.

I. Ad tertium respondeo, & concedo relationem esse actum personalẽ non actum quidditatiuum: quia personaliter distinguit, & nõ quidditatiuè: essentia autem est actus quiddi-

tati-

tatiuus, & quidditatiuè distinguens: actus autem quidditatiuus est simpliciter perfectus: quia infinitus: non sic autem est actus personalis de se formaliter infinitus. Etsi dicitur, quod actus distinguens est actus eius, quod non distinguit: falsum est nisi illud, quod non distinguit, distinguatur per actum distinguentem. Sicut in creaturis humanitas distinguitur in Sorte, & Platone per A. & B. & ideò ibi actus distinguens, etiam indiuidualiter est actus eius, quod nō distinguit: quia actus ille distinguēs distinguit illam naturam, quæ non distinguit: non ita est hîc, quia proprietas personalis non distinguit essentiam, nec contrahit, nec determinat.

Expositio artic. 5. quæst. 2. distinctionis 5.

1 RATIONIBVS miris probat Doctor in textu, relationē non esse actum essentiæ: quod idem quatuor alijs rationibus egregiè confirmat Basolis in hac dist. 5. quæst. 3. sed exemplo desumpto ex natura creata, & eius indiuiduo, illustrat Doctor exactè articuli præsentis difficultatem, tria constituēs naturam creatam habere: quorum secundum dicit imperfectionem: quia potētialitatem importat: Deitas autem est in vltima actualitate: & ideò non actuatur, aut determinatur, aut perficitur, aut contrahitur per relationes, quāuis relatio in se sit actus. Vnde in persona diuina, essentia est actus, & relatio est actus, absque eo, quod relatio actuet essentiam. Est ergo essentia in persona actus communis: relatio vero actus proprius.

Basolis. Relationes diuinæ sunt actus nō actuantes essentiam.

Persona diuina continet duos actus.

2 Vide præclarum ordinem, quo Doctor hæc explicat, & quomodo concludit, quod essentia est forma relationis, quatenus relatio Deitate est. Quod debet intelligi, non quidem quod Deitate habeat esse relationem: nam si (vt ex difficultate 54. constat) relatio formaliter distinguitur ab essentia: nō potest dici, relationem quidditatiuè esse relationem Deitate, aut essentia: sed intelligitur ibi, Deitas est, qua relatio est: ac si dicat, qua relatio habet esse, hoc est, qua existit: quia relationes diuinæ existunt existentia essentiæ. Nam vt (prout tradidimus supra in difficultate 55. numero 26.) in diuinis est tantùm vnum esse, & vnum existere, quo relationes & cætera, quæ sunt in Deo realiter existūt: & quia hoc tale existere est de quidditate essentiæ: ideò essentia est hoc modo forma, qua relatio est. Hæc clare ostendit Doctor infra in articulo sexto, littera D. dum ait, *quod essentia est, qua Pater est, nō tamen, qua Pater est Pater.*

Deitas est forma, qua relationes existunt.

Circa hoc etiam secūdum, quatenus ait Doctor esse dissimile, quia Deitas ipsa non determinatur per proprietatem personalem, sicut nec per illam contrahitur, aut aliquo modo actuatur, sicut humanitas per proprietatem indiuidualem: notandum est, in Deo in hoc esse dissimilitudinem inter quidditatē creatam, & increatam: quia illa est imperfecta ex eo, quod est actuabilis & perfectibilis: quia de se non est vltimate perfecta: ideò tamen non est vltimate perfecta: quia nō est vltimate actuata: & ideò non est vltimate actuata: quia non est de se existens: & ideò non est de existens: quia non est de se singularis: atque ideò hæc omnia sibi aduenient ab actualitate indiuidui, à quo singularizatur, existit, actuatur, & perficitur. At verò Deitas est de se hæc, id est, ex sua ratione formali, & quidditatiua est hæc: nam licèt humanitas sit prior natura, quàm sua singularitas: non tamen imaginandum est aliquod instans naturæ, quinimo, nec per intellectum, pro quo concipiatur Deitas præcisè à sui singularitate: quia Deitas essentialiter est singularis eadem ratione, qua est essentialiter existens. Nam si existentia est de quidditate essentiæ, prout vidimus supra in difficultate 40. & existentia non potest competere nisi rei singulari, vt benè notauit Lychetus in hac quæstione: consequenter infertur, quod sicut existentia est de quidditate essentiæ, sic singularitas est de quidditate illius. Imò ex hoc intimiorem esse diuinæ essentiæ, singu-

3

Quidditas creata, & increata differunt penes perfectum, & imperfectum.

Singularitas intimior est Deitati, quàm existentia.

singularitatem, quàm existentiam, acute infert Lychetus. Sicut ergo essentia habet vltimam singularitatem ex sua intrinseca ratione, & quidditate: sic & vltimam existentiã, & vltimam actualitatem, ac perfectionem: sed proinde nullatenus à relationibus actuatur.

4 *Dubium.*

Sed dices, quod vnitas incommunicabilis est vltima: est enim dimanans ab essentia, & ex consequenti ipsius essentiæ vnitatem supponit: Atque ideò non est essentia in vltima actualitate, & vnitate per suam vnitatem quidditatiuam: sed per vlteriorẽ vnitatem incommunicabilem adhuc est actu ab illis. Respõdeo, quod etsi vnitas relationis sit, qua persona actu incommunicabilis est, non tamen actuat essentiam, nec illam incommunicabilem reddit: aliàs enim per paternitatẽ iam redderetur incommunicabilis, & non posset Filio aut Spiritui Sancto amplius cõmunicari: quia quod semel incommunicabile est, sibi cõmunicari repugnat. Non ergo hæc vnitas relationis essentiã actuat, nec est actus aliquid tribuens essentiæ, sed personæ.

Relatio nõ est actus essentiæ, sed personæ.

5

Sed esto, quod tam essentia, quàm relatio est actus respectu personæ, difficultas vrget, quomodo possunt isti duo actus, scilicet essentia, & Paternitas, cõcurrere ad cõstitutionem Patris, & neuter sit actus alterius: ita quod vnus alterum perficiat, aut actuet, sicut in cæteris constitutis creatis cõtingit? Ad hoc breuiter dico, quod non potest negari relationem esse actum in Deo, imò & actum essentiæ: non tamen exinde sequitur, quod sit actus respectu essentiæ, hoc est actuans illam: est enim actus essentiæ, quatenus ab essentia emanãs: non tamen est actus respectu essentiæ: quia illam non actuat, nec constituit in esse personali, aut in aliquo alio esse: sed cõstituit personã (vt infra dicetur in dist. 26.) in tali esse personali.

6

Rursus, respectu personæ, ita se habẽt hæc duo constituentia, quod vtrunque ei dat suum esse: Pater enim Deitate est Deus, & paternitate est Pater: ita tamen quod tã essentia, quã paternitas sibi est actus, neutra tamẽ alteram actuat. Hæc enim est differẽtia inter cõpositũ, & cõstitutum, quod primum requirit, quod componentia habeant se per modum actus, & potentiæ: secundum vero hoc non petit, sed sibi sufficit constituentia esse formaliter ex natura rei distincta, licet neutrum actuet alterum: quia igitur persona diuina non est composita, sed simplicissima, simplicitate perfectionis: non requirit, quod alterum constituentium se habeat per modum potentiæ, & alterum per modum actus. Cuius rationem reddit Doctor, quia scilicet relationes, & quælibet relatio constitutiua, est perfectẽ eadem illi rationi essentiæ: perfectio autem identitatis realis omnem compositionem excludit.

Compositũ, & constitutum inter se differunt.

Persona diuina non est composita.

7

Verum enim verò ratio hæc non videtur exacte difficultatẽ soluere: si quidem quam plurimas patitur instantias: nam inter propriam passionem, & subiectum datur vera compositio: & tamen secundum Doctorem ibi est realis identitas. Similiter inter essentiam, & existẽtiam, & inter relationem creaturæ ad Deum, & ipsam creaturam, & in pluribus alijs, quæ sunt realiter eadem, reperitur vera compositio. Non igitur sufficit realis identitas ad exclusionem compositionis.

8 *Lychetus.*

Hanc obiectionem conatur Lychetus soluere dicendo, quod inter relationes, & essentiam maior realis identitas versatur, quàm inter hæc omnia. Verum hæc solutio vim difficultatis non euacuat: si quidẽ seruata proportione creaturæ ad Deum, omnis realis identitas cõpositionem magis, aut minus excluderet, cum hoc tamen semper saluo, quod cum illa, nulla admitteretur cõpositio: & ideò alia solutio, quàm ipse Lychetus ex Doctore in quodlibetis notauit, mihi magnopere placet. Ait ergo Doctor, hanc regulam esse seruandam, quod scilicet, qualis est ordo inter aliqua, si essẽt realiter distincta, talis est etiam, si sint realiter idem, & tantùm formaliter distinguantur. Vnde quia inter subiectũ, & passionem talis est ordo, quod si realiter essent distincta, fieret ex eis vera compositio: quia subiectum est perfectibile per passionẽ: ideò etsi realiter sint idem, seruatur inter ea idem cõpositionis ordo: quia realis idẽtitas accidit tũc rationi huius veræ cõpositionis. Quod idem de essentia, & existentia, & de alijs similibus instantijs dicendum est.

Subtilis regula Scoti.

Ac

9 At qui, si per impossibile relatio esset realiter distincta ab essentia, adhuc nullam compositionem faceret cũ essentia diuina: quia cũ ipsa sit in vltima actualitate, non est per aliam viteriorẽ actualitatem actuabilis, nec aliquo modo est perfectibilis, aut dicens potentialitatem: ideò neque nunc, vbi tantũ est distinctio formalis, & omnimoda realis identitas, potest relatio facere compositionem cum essentia. Hac igitur solutione obseruata, dico rationem Doctoris ibi esse intelligendam de identitate reali prouenientẽ ab essentia ratione suæ infinitatis: nam ex eo quod infinite perfecta est, est in vltima actualitate: & ex eo quod est infinite perfecta in vltima actualitate, eius infinitas identificat sibi relationes, quæ iam ipsam supponunt infinitè perfectam, & nullatenus perfectibilem: quod in alijs realiter identificatis creatis non contingit. Hæc igitur est vera causalis ideò diuina essentia nõ est actuabilis: quia est infinite perfecta in vltima actualitate: & eo identificat sibi realiter relationes: quia est infinite perfecta: infinitas enim est ratio omnimoda identitatis realis: ergo de primo ad vltimum: ideò relatio non actuat essentiam, nec ibi est compositio: quia infinitas perfectionis essentiæ, identificat sibi relationes. Et sic concluditur solutionem Doctoris intelligendam esse iuxta ipsius regulam nuper traditam.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ex eo, quod essentia sit fundamentum relationum, aliquid potentiale inferatur in ea?

A. AD sextum sic proceditur, videtur, quod ex eo, quod essentia est fundamentum relationum, aliquid potentiale inferatur in ea. Difficultas enim est, & tertia *earum quæ in quarto articulo indicantur*, quomo potest esse relatio, nisi requirat propriã rationẽ fundamenti? fundamẽtũ enim videtur esse prius relatione, & quasi perfectibile per eam, non è conuerso: relatio enim non videtur perfici à suo fundamento: quia tunc præsuponeretur suo fundamento: ergo cum essentia sit fundamentum istarum relationum, videtur esse quasi materia illarum, *& quid potentiale.*

Sed contra est: quia essentia secundum Augustin. septimo de Trinitate, est, qua Pater est, & qua Filius est: ergo, &c. B.

Respondeo dicendum, quod in creaturis ordo generationis, & ordo perfectionis sunt cõtrarij, sicut patet 9. Metaph. quòd illa, quæ sunt priora generatione, sunt posteriora perfectione: & ratio est, quia creaturæ procedunt de potẽtia ad actũ: & ideò de imperfecto ad perfectũ: & ideò prius peruenitur via generationis ad imperfectum, quã ad perfectum: sed eundo ad simpliciter primũ, oportet, quod idem sit simpliciter primum, & origine, & perfectione, etiam secundum Philosophum ibidem: quia totus ordo originis, & perfectionis reducitur ad aliquid primum perfectionis, sicut ad primum originis totalis. In diuinis igitur simul debent intelligi concurrere ordo generationis, & ordo perfectionis. Sicut igitur in creaturis, sicõ currerẽt isti duo ordines semper vniformiter, non quæreremus, primo materiam, quæ subsistaret formæ, & secundo formã: sed quæreremus primo formam, quæ nata esset dare actũ materiæ: & secũdo quæreremus materiã, quę nata esset recipere esse per illã formã, vel suppositũ, quod natum esset subsistere per illam formam: ita in diuinis incipiendo à primo signo naturæ, omninò primo occurrit essentia diuina, vt est esse per se, & de se, quod non cõpetit alicui C. *9. Metaph. tex. co. 15.*

natu-

naturæ creatæ: quia nulla natura creata habet esse prius naturaliter, quàm in supposito.

D. Ista autem essentia secundùm Augustinum 7. de Trinitate, est qua Pater est, & qua Filius est: licèt non sit, qua Pater est Pater, & qua Filius est Filius. Isti igitur essentiæ abstractissimè consideratæ, vt priori omnibus personalibus, conuenit esse per se: & in isto priori occurrit non vt aliquod receptiuum alicuius perfectionis, sed vt infinita perfectio potens in secundo signo naturæ cõmunicari alicui, non vt forma informans materiam, sed vt quidditas cõmunicatur supposito, tanquam formaliter existenti per eam: & ita pullulant (vt quidam dicunt) relationes ex ea, & personæ in ea, & ex ea: non quasi quędam formędantes esse sibi, vel quasi quædam suppositæ in quibus recipiat esse, cum sit simpliciter ens: sed quibus suppositis dat esse, & quo formaliter illa suppositæ sunt, & quo sunt Deus. Et ita relatio illa pullulans, cum sit per se subsistens, ipsa pullulat, non vt forma essentiæ: sed vt nata esse Deus ipsa Deitate formaliter: licèt non, vt informante ipsam, sed vt existente eadem sibi perfectissima identitate. Nullo autem modo è conuerso, relatio est essentiæ, vt quo formaliter essentia est determinata, vel contracta, vel aliquo modo actuata per ipsam: quia hęc omnia repugnãt infinitati essentiæ, vt primo occurrit sub ratione actus infiniti.

E. *Conclusio.* Concedo tunc, quod essentia est fundamentum istarum relationum: sed non fundamentum quasi potẽtiale respiciens istas: sed fundamentum quasi per modum formæ, in qua istæ formæ natæ sunt subsistere, non quidem per informationem, sicut similitudo est in albedine: sed sicut subsistens dicitur esse in natura: sicut Sortes dicitur subsistere in humanitate, quia Sortes humanitate est homo: non enim ex ratione fundamenti habebit rationem potẽtiæ, vel quasi potentialitatis essentia diuina: sed præcisè habebit rationem formæ, vt qua relatio fundata in ea simpliciter est Deus.

Exemplum huius potest accipi in creaturis ponendo ibi, quædam per impossibile: augmentatio enim modo fit per hoc, quod alimentum aduenies corpori corrumpitur, & materia eius recipit formam carnis, & sic informatur ab anima. Ponatur, quod eadem materia manens, nata sit recipere aliam partem formæ, sicut ponitur in rarefactione: tunc materia remanet vna, quæ prius fuit formata, & nunc noua forma informatur: ipsa tamẽ formaliter est verè mutata: quia de priuatione transit ad formam. Ponamus ex alia parte, quod anima eadem primo perficeret vnam partem corporis vt cor: postea aduenirent alia pars corporis organici perfectibilis ab anima: ipsa perficeret istam partem aduenientem de nouo, & tamen non mutaretur: quia non esset in ea primo priuatio, & postmodum forma: priuatio enim est carentia in apto nato recipere: anima enim primo non informans, & postea informans, non est nata aliquid recipere, sed dare: in vtroque igitur istorum exemplorum verè esset productio alicuius producti: sed in primo mutatio: in secundo non. F.

Aptius exemplum videtur, si ponamus materiã cordis animati posse eandem communicari diuersis formis, putà manus, & pedis, & hoc virtute actiua cordis animati producentis composita ista ex materia sua communicata, & ex formis istis: hîc vere esset productio totorum habentium eandem materiam, G.

&

& esset cum mutatione illius materiæ: sed si ex alia parte ponamus animam propter sui illimitationem in ratione actus, & formæ, posse communicari multis, & virtute animæ in corde ipsam communicari manui, & pedi productis à corde animato: hîc esse productio multorum consubstantialium informa absque mutatione illius formæ. In vtroque exemplo ponantur, producta esse perse subsistentia, & non partes eiusdem: quia partem esse, est imperfectionis.

H. Hoc posito, secundus modus in vtroque exemplo, qui est de communicatione formæ ipsi producto, perfectè repræsentat productionem in Deo. Non primus modus in vtroque exemplo, qui est de communicatione materiæ, & adhuc hoc addendo in positione: quod anima in corde, & manu, & pede, non sit forma informans: quia componibilitas includit imperfectionem: sed sit forma totalis, qua ista subsistentia sint, & animata sint. Ita intelligitur, Deitatē non cōmunicari quasi materia, sed relationibus subsistentibus, si personæ relatiue ponantur, communicatur Deitas, per modum formæ non informantis: sed, qua relatio, vel relatiuum subsistens est Deus: nec igitur essentia informatur relatione, nec è conuerso: sed est perfecta identitas: sed essentia habet modum formæ respectu relationis, sicut natura respectu suppositi, in quantum ipsa est, qua relatio subsistens est Deus. E conuerso autem nullo modo relatio est actus essentiæ, *vt etiam dictum est in præcedenti articulo*: quia sicut dicit Damascenus, relatio non determinat naturam, sed hyppostasim: ita non est actus naturæ, sed hyppostasis.

Cap. 5. vel 19. lib. 1. & c. 6. lib. 2.

I. Ad argumentum in principio articuli concedo, quod essentia est fundamentum istarum relationum: sed *vt dictum est*, non fundamentum, quasi potentiale recipiens istas: quando *enim*, relatio informat fundamentum: suppositum dicitur relatum perse secundo modo, secundum illud fundamentum: sicut sortes est similis secundum albedinem, vel albedine: Pater autem non est Pater Deitate, secundum August. 7. de Trinit. cap. 4. & 6. igitur hîc non est talis modus relationis ad fundamentum, qualis est in alijs: quia hîc, fundamentum, non actuatur per relationem: sed illa est tantum actus suppositi, vel est suppositum.

Expositio artic. 6. quæstion. 2. distinct. 5.

I. ITA subtilis, & doctrinalis est totius præsentis articuli litera, vt nec apex, nec iota illius debeat prætermitti. Quæ ita clare habetur in textu, vt sine glossa aliqua, â quouis studioso legente percipiatur. Resoluit ergo Doctor in illa, post quam multa præclara tradiderat: quod essentia est fundamentum diuinarum relationum: sed non fundamentum quasi potentiale recipiens huiusmodi relationes in se: sed fundamentum, quasi per modum formæ, in qua istæ formæ natæ sunt subsistere. Hanc conclusionem quatuor aptissimis exemplis (quorū tamen mutationibus sublatis) declarat. Sed tertium de materia cordis est cæteris aptius: quæ omnia satis patent in textu.

Essentia diuina dicitur fundamentum relationū diuinarum.

DIFFICVLTAS. LXVI.

Vtrùm generationis diuinæ detur aliquis terminus formalis vltra totalem, & an essentia sit talis terminus?

§. 1.

Referuntur sententiæ Okami, Gregorij, & aliorum.

1. *1.Sentent. OKam. Gregorius.*



SECVNDI articuli huius quæstionis materiam reddiderunt difficilem OKam in 1.distinct. quæst. 2. & Greg. Arminensis dist. 5. quæst. 1. & alij. Hic etenim terminum formalem, cum termino totali generationis confundit: & tuetur, nullum alium terminum formalem, vltra totalem ibi esse constituendū. Illi vero essentiam non esse formale generationis terminum arbitratur: ex quo etiam, sicut Greg. concludit ibi non esse alium terminum formalem præter totalem, qui est persona producta. Probat autem Greg. opinionem suam: quia vbi est terminus formalis à termino totali distinctus, ibi est formalis pars termini totalis, & in illo est formalis inclusus. Sed in ente simplicissimo nulla est pars: ergo, &c. Quod alijs argumentis Gregorius confirmat.

2. OKam autem suam sententiam triplici ratione satis acute probat. Primo, scilicet: nam sicut de ratione termini totalis alicuius productionis est, non habere esse totale, nisi per productionem: ita de ratione termini formalis est non habere esse formale, nisi per productionem. Sed essentia non habet esse formale per generationem: quia essentia secundum totum suum esse addæquatum supponitur esse in Patre: ergo, &c.

3. Secundò, quia idem non potest esse principium alicuius productionis, & terminus formalis illius: sed secundum Scotum essentia est principium elicitiuum, & productiuum generationis: ergo nō est terminus formalis eiusdem. Maior patet: quia idem non potest esse prius, & posterius se ipso: atqui secundum Scotum principium elicitiuū est prius origine, quam terminus: terminus autem formalis est posterior origine principio: ergo, &c.

4. Tertiò, quoniam non aliter potest essentia esse terminus formalis generationis, nisi quia simpliciter habet esse per generationem, aut quia habet esse in producto, seu genito per productionē, Non primo: quia essentia cum secundum suum esse simpliciter sit in Patre, non habet esse simpliciter per generationem, aut quamcunque aliam productionem. Nec secundo: quia si anima intellectiua esset primo creata, & deinde materia crearetur, sub anima intellectiua, non diceretur, quod anima esset terminus formalis productionis illius: & tamen acciperet esse in producto per illam productionē: ergo cum essentia iam supponatur habere esse ante generationem, non ex eo quod per generationē habet esse in Filio, dicetur terminus formalis generationis. Ex quibus infert OKam: aliud esse essentiam communicari, & aliud esse terminum formalem generationis. Hoc enim secundum, inquit esse falsum, primum autem verum: sicut in simili posito, anima vere communicaretur per generationem, non tamen esset terminus formalis eius: quia ergo essentia ad generationem supponitur habere esse, & ex vi generationis habet esse in Filio: dicitur esse Filio cōmunicatam, absq; eo: quod sit terminus formalis illius, non enim (inquit OKā) dicitur terminus formalis alicuius productionis, quælibet forma ibi communicata: sed quæ ex vi talis productionis habet esse. Vndè concludit, quod essentia non est terminus formalis generationis, nec relatio ipsa, sed persona genita potest dici terminus formalis generationis, non distinguendo terminum formalem à totali.

5. Alij vero, quorum sententiā refert Doctor in textu opinati sunt, terminū formalem generationis diuinæ (quē ibi reperiri supponunt) esse relationem Filiationis: quia nihil aliud de nouo habet esse in Filio ex vi generationis diuinæ, nisi talis relatio. Sed illud, quod habet esse de nouo ex vi generationis ingenito, seu producto, est terminus formalis illius: ergo talis ratio est terminus formalis generationis diuinæ. Quæ sententia ibi alijs argumentis probatur: sed quia argumenta sunt posita in textu, & ibi à Doctore subtiliter soluta, non est cur hic repetantur.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

6. IN oppositum autem est litera textualis in 3. huius 2. q. art. in corpore vbi hæc profert Doctor: *Essentia etiā est formalis terminus generationis, sicut in creatu-*

Bassolis. Guil. Rub. Tatheret. Lychetus. Mayronis. Bigerius. Anto. Andræas. P. Herrer. Faber. Suarez. Vazquez. D. Bonau. D. Thomas Caietanus. Capreolus.

træaturis natura est formalis terminus generationis non autem actus individualis. Sequuntur Doctorem Bassollis in hac distinct. 5. quæst. 2. § *quantum ad* 3. Guillelmus Rubionis ibidem §. *hoc præmisso*, Tatheretus ibi eadem quæst. 2. §. *contra istã opinionem*, Lychetus ibi, §. *& pro intelligẽtia antecedentis*, Mayronis hac distinct. 5. quæstion. 5. Bigerius, quæst. 2. §. *contra istam*, Antonius Andreas ibi, §. *contra arguitur*. Pater Herrera in 1. disputat. 10. quæstion. 11. Faber, disputat. 33. capit. 1. & omnes alij Scotistæ. Item ex Neutralibus, Suarez 1. part. tractatu 3. lib. 6. capit. 6. Vazquez, 1. part. disputat. 162. capit. 3. & alij plures ex recentioribus, tenuerant tamen hanc sententiam Seraphicus D. Bonauentura, in 1. distin. 5. quæstion. 2. & D. Thomas, 2. part. quæstion. 41. artic. 3. ibique Caietanus, & alij Thomistæ, Capreolus autem, in 1. distinction. 5. quæstion. 2. & ex Nominalibus Marsilius in primo quæstion. 9. Tria sunt ventilanda in difficultate præsenti. Primum est in quo differant terminus formalis, & totalis. Secundo in quo terminus formalis constat. Tertiũ tandem, quomodo de essentia possit verificari esse formalem diuinæ generationis terminum. Pro primo igitur obseruari potest, quod in quocunque composito habente esse ex vi alicuius productionis, vt potè generationis, reperiuntur tria. Primum est materia, quæ est receptiua formæ: secundum forma, quæ in materia recipitur. Tertium est ipsum compositum, quod constat talibus materia, & forma, tam in concreto sumptum, quam in abstracto, prout solet dici forma totius, quatenus condistinguitur, contra formam receptam in materia, quæ quia est altera pars compositi, dicitur forma partis, sicut illa quæ abstrahitur à toto composito, dicitur forma totius. Exemplum patet in homine genito, in quo materia est corpus organicum, forma vero anima rationalis, compositum autem totus homo genitus, à quo abstrahitur humanitas, quę est forma totius: sicut anima est forma partis, eo quo est formalis pars compositi.

Forma Partis, & forma totius quid sint.

8.

Ordo in generatione compositi seruatus.

Hæc igitur tria sic se habent, quod ex illis tantum supponitur ad productionem, materia, quæ est subiectum ex quo fit talis productio: quia alias esset creatio, si ex nihilo fieret: quia tamen materia præerat sub aliqua forma, eo quod naturaliter sine forma esse non potest: tunc ex vi generationis educitur de eius potentia, seu inducitur in ea, alia forma, quæ loco præcedentis substituitur, & præexistentem expellit (omitto hic formam corporeitatis: quia non est ad propositum) illa igitur forma, quæ de nouo substituitur loco alterius præexistentis, habet esse ex vi talis productionis: ita tamen, quod productio illa primo, & per se non terminatur ad eam, sed ad totum compositum: quia producens intendit productum, quod est compositum: sed formaliter terminatur ad talem formam eductam, seu inductam, tanquam ad id, quod ex vi huiusmodi generationis dat esse formale composito producto. Atque ideo dicitur talis forma terminus formalis, non solum, quia dat esse formale composito: sed quia formaliter terminat productionem, ratione cuius habet tale esse formale incomposito: at vero totum illud productum, quod constat ex materia, & forma, & ad quod primo, & per se totaliter terminatur productio, dicitur terminus totalis. Ex quo aperte constat vtriusque termini differentia: quod scilicet, terminus totalis vtramque partem, materiam, scilicet, & formam includit: formalis vero necessario inconceptu suo importat negationem materiæ, à qua distinguitur, & quam formaliter actuat incomposito.

Terminus totalis, & formalis generationis, discrimen.

9.

Hæc quidem, quæ de composito dicta sunt, etiam in constitutis, vbi nulla est compositio, proportione seruata, & imperfectionibus, sublatis verificãtur: quia igitur diuina persona genita, est vere cõstituta ex essentia, & relatione, vt patebit infra in disti. 26. de ipsa verificatur, quod ibi est essentia, & relatio, & constituta persona: licèt nulla ibi habeat rationem materiæ, vt vidimus in artic. 1. huius quæstionis: quia hoc includit imperfectionem, quæ tollitur in diuinis.

10.

Ex prænotatis infero, omnem productionẽ, quæ ex nihilo non est, simpliciter necessario habere vtrũq; terminũ, & nullatẽ posse intelligi sine illo, hoc est, sine termino formali, & totali: & euiden

ter demonſtro : nam ex eo, quod talis productio non eſt ex nihilo, neceſſario eſt ex aliquo præſupoſito : ergo , vel illud , quod per talem productionem producitur , habet aliquid vltra illud præſuppoſitum, quod prę erat, vel non. Hoc ſecundum non dices: quia tunc ad nihilum terminaretur actio illa: ſiquidem omne, quod eſt in eius termino, iam ante ipſam ſupponitur præexiſtere. Si autem primum fatearis, tunc arguo ſic: illud, quod de nouo ibi, per talem productionem habet eſſe, eſt aliquid aliquo modo diſtinctum à præexiſtente : quia ſi eſſet omnino idem (ſicut prius inferebamus) ad nihil terminaretur actio illa. Hoc autem diſtinctum expræexiſtente, eſt illi vnitum: quia alias non eſſet ibi aliqua compoſitio . Compoſitum ergo, per talem vnionem habet in ſe vtrumque extremum componens. Hoc igitur compoſitum ex vtroque extremo, neceſſario debet concedi, eſſe terminum totalem, quia vtrumque extremum includit, & eſt illud ad quod totaliter perſe primo eſt generatio, ſeu productio illa. Illud autem extremum aduenies præexiſtenti, non includit illud præexiſtens: ergo non eſt terminus totalis : ſed dicit formalem partem , qua totalis terminus habet formaliter eſſe, & ſine qua eſſe non poteſt : ergo eſt terminus formalis, à totali diſtinctus, tanquam pars à toto. Igitur de primo ad vltimum ſimpliciter neceſſario inquacunque productione, quæ non eſt ex nihilo, ponendus eſt vterque terminus formalis, ſcilicet, & totalis, ita quod repugnat vnum ſine altero eſſe, aut talem productionem ſine vtroque. Ex quibus patet manifeſta vtriuſque termini differentia , & neceſsitas concedendi in quacunque productione, quæ non eſt ex nihilo tam formalem terminum à totali diſtinctum , quam totalem includentem formalem. Quia ergo perſona genita indiuinis eſt per veram generationem , & non ex nihilo , ſed de Patris ſubſtantia , prout in articulo quarto Doctor , ex Diuo Auguſtino, probauit : relinquitur, neceſſario ſtatuendum eſſe duplicem generationis terminum formalem, ſcilicet, & totalem, quod pertinet ad primum punctũ huius difficultatis.

Neceſsitas ponendi terminum formalem, & totalem in quacunque productione, quæ non eſt ex nihilo.

Porrò circa ſecundum, vt videamus, in quo terminus formalis conſiſtat, eſt obſeruandum ſecundo: terminum formalem tripliciter poſſe capi. Primo pro illo, quod incompoſito, ſeu conſtituto habet eſſe de nouo ex vi productionis, licet nondet illi compoſito, ſeu conſtituto formalitatem, aut eſſe formale. Dicitur tamen terminus formalis : quia ad illud formaliter terminatur talis actio, ſeu productio . Hoc modo dicitur vnio hypoſtatica terminus formalis actionis vnitiuæ: quam unionem docuit Scotus in 3. diſtinct. 1. quæſtion. 1. litera A. eſſe relationem, & litera K. dicit ipſam relationem (quæ ſubſtantialis eſt) vere fieri, per actionem vnitiuam : ad illamque optime eſſe perſe motum: quia eſt relatio extrinſecus aduenies, quæ vere poteſt terminare actionem : & quia ex vi actionis vnitiuæ, ſeu vnionis actiuæ, nihil aliud fit de nouo (vltra terminum totalem, qui eſt Chriſtus hic homo Deus) niſi huiuſmodi vnio formalis, ſeu relatio vnionis: Nam ad illam præſupponũtur extrema vnibilia iam habere eſſe: quia Verbum habet eſſe ab æterno: humanitas vero præſupponitur iam ex vi alterius actionis habere eſſe . Conſequenter non eſt in Chriſto Domino, aliquid, quod præciſe ex vi actionis vnitiuæ habeat eſſe , quod illam terminet, niſi prædicta vnio, ſeu coniunctio, aut relatio. Atque ideo hæc talis formalis vnio ſolet vocari terminus formalis vnionis actiuæ , ſeu vnitiuæ actionis, prout notauit Suarez 3. part. quæſtion. 2. articul. 7. diſputation. 8. ſection. 2. non quidem quod det eſſe formale conſtituto : nam ſi ibi ſit eſſe formale: neceſſario debet eſſe alterum extremum compoſiti, ſeu cõſtituti: Vnio autem non eſt extremum, ſed extremorum connexio. Dicitur autem terminus formalis præciſe, quia in termino totali non reperitur aliud, quod terminet actionem vnitiuam, & fiat per illam, niſi prædicta vnio.

II.

Tres termini formales.

Vnio hypoſtatica eſt termin⁹ formalis actionis vnitiuæ

Suarez.

Secundo ſumitur terminus formalis pro illo, quod fit de nouo ex vi productionis, & dat eſſe formale cõpoſito, ſeu

12.

seu constituto. Hoc modo communicatur in creatis forma, quæ educitur de potentia materiæ, seu, quæ inducitur in materia, vt anima rationalis ex vi actionis generatiuæ (quia quamuis à Deo creetur, inducitur tamen, & ex vi talis actionis, quod sufficit ad propositum) dicitur terminus formalis.

13. Tertiò denique capitur terminus formalis pro eo, quod, quamuis ex vi generationis non habeat esse absolute in se: nihilominus ex vi generationis habet esse in producto, siue genito, & dat illi esse formale. Sic anima rationalis si præexisteret iam à Deo creata, & homo generans, ex vi actionis generatiuæ illam induceret in præexistente materia, esset formalis terminus generationis illius, vt optime probat Lychetus.

14. Ex istis igitur tribus modis considerandi formalem terminum prior est improprius: & ideo ab illo se abstinent Suarez & alij, qui omisso communiori aliorum loquendi modo, non illum vocant terminum formalem: sed id, quod fit per eiusmodi actionem. Duobus vero posterioribus modis propriſsime dicitur terminus formalis forma dans formaliter esse composito ex vi productionis illius. Ad cuius euidentiam obseruandum est tertio, quod ratio termini formalis in tribus consistit. Primum est, quod ex vi generationis habet esse in termino totali. Secundum vero est, quod dat illi termino totali suum esse formale. Tertium tandem, quod sit ratio assimilandi genitum genitori. Primum patet, quia si ex vi generationis non haberet esse in termino totali, nullatenus generationem illam aliqualiter terminaret. Sufficit attamen, quod ante generationem non habuerit esse in termino totali: licèt absolute in se iam habuerit esse: quia generans, quod primo, & perse intendit, non est naturam producere, aut formam eius educere: sed intendit per formam alicui genito suam communicare naturam. Quod autem forma, per quam talis natura communicatur, ex vi huiusmodi actionis habeat esse, nec ne, hoc mere accidit veræ generationi. Quod patet, quia generans, quod primo, & perse intendit, est ex vi generationis, sibi assimilare genitum: sed non minus illud sibi assimilat ponendo in eo ex vi generationis formam præexistentem, quam formam de nouo eductam, seu productam: quia per vtramque procedit genitum æque simile insimilitudine naturæ ex vi generationis illius: ergo, &c. Secundum per idem patet: quia terminus formalis, ideo à totali distinguitur: quia hic vtrumque extremum compositionis includit: ille vero tantummodo dicit extremum, quod formaliter dat esse composito ex vi generationis: quia ipsum terminum totalem formaliter, & quidditatiue in suo esse constituit, & assimilat generanti.

Termini formalis ratio in tribus cõsistit.

15. Tertium euidenter constat: quia generatio est quædam vniuoca productio: sed in qualibet vniuoca productione, productum est simile producenti in similitudine naturæ ex vi productionis: hæc autem similitudo non aliũde prouenit, nisi ex forma communicata producto, quæ est omnimoda ratio assimilandi: non etenim assimilatur homo genitus homini generanti in materia, quæ est ratio communissima omni substantiæ corporeæ: sed in forma, quæ condistinguit naturam à natura, & proprie assimilat genitum generanti in eadem formali natura. Requiritur ergo, hæc tria supradicta necessario in quolibet termino formali reperiri, videlicet, quod ex vi generationis habeat esse in termino totali, & quod det illi esse formale, & quod sit ratio assimilandi genitum genitori. Quæ tria si adsint, perfectè, & propriſsime terminus formalis habetur. Quolibet tamen deficiente eorum, iam termini formalis ratio de medio tollitur.

Generatio est productio vniuoca.

§. 3.

Accomodatur doctrina supertradita determino totali, & formali, diuinis productionibus.

16. PORro hæc, quæ vt sic dicta sunt de termino formali prout à totali distincto, debent adaptari diuinis. Pro quo est vltimo obseruãdum, quod Verbũ diuinũ, q̃ est persona

genitã, & terminus totalis generationis diuinæ, includit in ſuo cõceptu eſſentiam, & relationem Filiationis, per quam conſtituitur in eſſe Filij. Ita tamen, quod ſicut viſum eſt ſupra in 5. articulo textuali, relatio non actuat eſſentiam, licet actu perſonam conſtituat. Ex his ergo duobus, quæ in hoc termino totali reperiuntur, videndum eſt, quod nam illorum habeat rationem termini formalis, iuxta illa tria notata, quæ rationem termini formalis generationis conſtituunt. Et quod talis ratio relationi non competat, ſatis patet: nam & ſi primum requiſitum ſit ibi, quatenus ſcilicet relatio habet eſſe ex vi generationis diuinæ: deficiunt tamen ſibi reliquæ conditiones: quia relatio non dat Filio eſſe formale, ſed quaſi materiale: nam eſſe formale eſt eſſe naturæ, eſſe vero ſuppoſitale eſt eſſe materiale: vt patet in creatis, quia Petrus, & Paulus per ſuppoſitalitates non formaliter, ſed materialiter differunt: formaliter enim ſunt idem vniuoce in eadem ſpecifica natura humana: & ideò non formaliter, ſed materialiter per ſuppoſitalitates conſtituuntur: quia idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum ſecundum Doctorem.

Suppoſitalitas non tribuit ſuppoſito eſſe formale, ſed materiale.

Filiatio non eſt terminus formalis diuinæ generationis.

17. *Diſtinctio perſonarũ per perſonalitates eſt quaſi materialis*

Sic igitur de diuinis ſuppoſitis eſt dicendum, quod ſunt idem formaliter, quia ſunt eadem Deitas, eadem eſſentia, & eadem natura: diſtinguntur tamen quaſi materialiter pœnes diſtinctas ſuppoſitalitates, & relationes in communicabiliter ſubſiſtentes. Non ergo dat relatio perſonæ genitæ eſſe formale: nam illud dat ſibi eſſe formale, quo formaliter eſt Deus: ſicut illud dat Petro eſſe formale, quo Petrus eſt formaliter homo. Sed Filius Dei non eſt formaliter Deus, relatione, ſicut nec Petrus eſt formaliter homo ſuppoſitalitate: ergo filiatio non dat ſibi eſſe formale. Et ideò ex defectu huius ſecundæ conditionis relatio nequit eſſe formalis terminus generationis diuinæ.

18. Hoc idem ex defectu tertiæ conditionis probatur facilius: quia relatio nõ eſt aſsimilatiua geniti genitori: quinimo eſt diſsimilitudinis ratio: Filius etenim non aſsimilatur Patri in relatione: quia filiatione refertur ad Patrem, quem reſpicit, & cui relatiue opponitur. Ratio autem diſtinctionis & oppoſitionis, non eſt ratio aſsimilationis, & ideo nec Filius eſt ſimilis Patri in paternitate: quia non habet Paternitatem in ſe; per quam Patri aſsimiletur: nec in filiatione, quia non eſt Filiatio in Patre, ratione cuius aſsimiletur illi. Ex quibus excluditur relatio Filiationis à ratione termini formalis generationis paternæ.

Per oppoſitum ergo omnia tria, quæ requiruntur ad rationem termini formalis, conueniunt diuinæ eſſentiæ, non vtcumque, ſed prout Filio communicatæ. Primum namque ei propriſſime conuenit: quia, & ſi diuina eſſentia antecedenter ad generationem abſolute in ſe habeat eſſe, & ordine originis præſupponatur habere eſſe in Patre, ante quam ſit in Filio: nihilominus ex vi generationis habet eſſe in Filio, cui communicatur per illam. Secundũ quoque verificatur de eſſentia, quæ ex vi generationis Filio communicata, dat ei eſſe formale, ita quod Filius Deitate, ſeu eſſentia ſit quidditatiue, eſſentialiter, & formaliter Deus. Tertium tandem etiam eſſentiæ conuenit, quia eſſentia eſt aſsimilatiua Filij geniti, Patri generanti. Ita quod Filius in eſſentia ſibi ex vi generationis communicata, Patri aſsimiletur in ſimilitudine naturæ; atque ideo ratio aſsimilationis non eſt alia, quàm eſſentia.

19. *Eſſentiadiuinæ communicatæ conuenit proprie ratio termini formalis diuinæ productionis.*

Nec obſtat, quod eſſentia ad relationem præſupponatur: quia quamuis in creatis de facto contingat formam eſſe poſteriorem materia, eo quod de materia præſuppoſita educitur forma, ſeu inducitur in illa ex vi actionis generatiuæ: adhuc tamen hæc præceſsio non præuertit rationem formalitatis, a forma, nec rationem materialitatis a materia. Atque ideo ſi Deus ante creationem materiæ creaſſet vnam animam intellectiuam, & generans quidem ex vi generationis poneret formam illam præexiſtentem in producto compoſito ex materia creata poſt formã, & ex forma antecedente materiã: adhuc anima illa eſſet terminus formalis generationis eiuſmodi, vtſupra oſtẽdimus: quãuis ergo eſſentia relationẽ præcedat ordine ſupra dicto: adhuc ex vi generatio

20.

nis

nis communicata termino totali producto, est verus terminus formalis generationis illius.

21. Nec demum valet, si dicas, quod ex eo quod Filius est de substantia, seu essentia Patris, vt visum est in articulo quarto, videtur essentiam potius esse generationis materiam, quam eius formalem terminum: quia prout latè in 1. articul. docuit Doctor, longè perfectius dicitur Filium esse de constitutiuo formali, quàm de materiali isto, quod in termino totali sit aliquod constitutiuum materiale. Vnde ibi egregie contra Henricum ostendit Doctor, essentiam neutiquam habere rationem materiæ, sed formæ, & ideo huius obiectionis solutio illuc remittitur.

§ 4.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

22. 1. Concluſ. HIS præhabitis, difficultatem concludendo, dico primo: quod in Deo vltra terminum totalem generationis, datur etiam terminus formalis à totali distinctus. Conclusio est expressa Doctoris in secundo articulo §. *respondeo dicendum*. Et probatur iuxta, quæ notauimus supra numer. 14. & sequentibus. Ex quibus sic conficitur argumentum: nam diuina generatio non est de nihilo, siquidem Filius est de Patris substantia: sed in omni productione, quæ non est de nihilo, necessario datur terminus formalis vltra totalem, ab ipsoque totali distinctus, vt vidimus supra: Ergo in Deo datur terminus formalis vltra totalem generationis.

Generatio diuina habet terminum totalẽ & formalẽ.

32. Secundo probatur: quia si aliqua ratione negaretur generationi diuinæ terminus formalis vltra totalem, esset quidem, quia persona producta per generationem est quid simplicissimum: & ideo in ea non videtur posse terminũ formalem à totali distingui. Hęc autem ratio nulla est: ergo, &c. Minor probatur: quia si creetur à Deo aliqua res simplicissima nullatenus ex materia, & forma cõposita: adhuc in illa necessario assignandus est terminus formalis creationis vltra terminum totalem illius: ergo à fortiori in productione Verbi, quæ nõ est creatio, nec productio ex nihilo, talis terminus formalis est assignãdus. Antecedens patet in creatione Angeli: quia quãdo creatur Angelus, terminus totalis creationis illius est hic Angelus, vt includit quidditatem, seu essentiam Angeli, & suppositalitatem: terminus autem formalis eiusdem creationis erit entitas quidditatiua, seu essentia ipsius Angeli, quatenus quidditatiue (si sint plura individua vnius speciei Angelicæ) conuenit cum alijs Angelis: ergo, &c.

24. 2. Concluſ. Ioan. c. 10. Dico secundo, quod terminus formalis generationis diuinæ non est relatio. Conclusio est expressa Doctoris in eodem 2. artic. textuali. Quam ibi probat Doctor subtilibus argumentis, & ex sequenti conclusione confirmatur, præterquam manet satis probata ex supra obseruatis à num. 16. vsque ad 18.

25. 3. Concluſ. Dico tertio, quod terminus formalis generationis diuinæ est diuina essentia. Conclusio habetur expresa in litera. Et probatur primo testimonio Ioan. c. 10. vbi dicitur: *Pater, quod dedit mihi, maius est omnibus*: quod autem est maius omnibus, non est nisi aliquid infinitum extra genus: hoc autem tale infinitum nõ est nisi essentia diuina: ergo de illa loquitur Dominus, dum dicit illã sibi dedisse Patrem in generatione æterna, qua illum æternaliter genuit. Ex quo Doctor infert, essentiam fuisse huiusmodi generationis formalem terminum.

26. Secundo probatur, auctoritate Diui Augustini lib. 15. de Trinitat. cap. 26. vbi inquit: *Sicut Filio præstat essentiam, sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ de Patre generatio, ita Spiritui Sãcto præstat essentiam, sine vllo initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ de vtroque processio.* Quæ verba Augustini ad huius conclusionis probationẽ Doctor adducit hæc dicens: non autem conceditur formam aliquam dari producto, siue communicari, vel præstari per generationem, nisi illa forma communicata sit formalis terminus talis productionis: ergo, &c.

27. Tertiò probatur ratione, ad quod vtitur Doctor quatuor sequentibus ratio-

1. *Ratio, Doctoris, & eius expositio.*

nibus. Prima est: quia nulla entitas formaliter vnica, simpliciter perfectior termino formali productionis, habetur per productionem: essentia autem est formaliter infinita, relatio vero non est formaliter infinita, vt infra sub distinct. 8. latè habetur: ergo si relatio esset formalis terminus productionis, persona non haberet essentiam per productionem. Subtilitas huius rationis stat in hoc, quod supponitur ex prima conclusione, necessario assignandum esse terminum formalem vltra totalem. Vndè sequitur, quod cum in Filio tantũ sit essentia, & relatio respectu suæ generationis: necessum est assignare terminum formalem, vnum ex his duobus. Aut ergo talis terminus erit essentia: & sic habetur intentum: aut erit relatio, quæ est proprietas Filij. Si autem hoc secundum dicas, contra, quia terminus formalis productionis est illud perfectius, seu perfectissimum, quod per productionem habetur: quia producens optimè dispositum per productionem suam semper intendit inducere nobiliorem formam, quam potest: perfectissimum ergo, quod habetur per productionem illam, erit terminus formalis. Quod à priori patet: quia ex termino formali, & materia resultat tota perfectio compositi producti: sed principaliter resultat à termino formali, tanquam à principaliori parte compositi, & quanto terminus formalis fuerit nobilior, tanto nobilius erit productum. Si igitur producens per productionem intendit perfectum productum, & perfectio ipsius producti est principaliter à termino formali: ergo si terminus formalis illius productionis non esset perfectior omni alio existente in tali producto: nunquam per talem productionem haberet esse in huiusmodi producto. Si ergo diuina essentia cum sit perfectissima, & formaliter infinita non est terminus formalis in productione Filij: sequitur, quod per talem productionem, nunquam erit in Filio. Si igitur ex vi productionis huiusmodi est in Filio, proculdubio est terminus formalis illius.

Producens intenditsem per perfectiorem formam inducere.

28. Secunda ratio Doctoris sic se habet, quoniã in creaturis natura est terminus formalis generationis: non autem proprietas individualis, vel hypostatica: quia generatio est naturalis, &c. ergo similiter in diuinis. Huius rationis efficacia in hoc consistit: quod natura est ratio formalis agendi, non vero singularitas, seu suppositalitas, quæ non est ratio agendi, sed conditio à gentis, eo quod actiones sunt suppositorum, vel singularium existentium. Sicut ergo à parte producentis, & est natura, quæ est principium formale *quo*, producendi, & est suppositalitas, quæ est conditio producentis, ratione, cuius constituitur producens in ratione principij totalis, *quod*: sic â parte termini producti ratio formalis terminandi productionem erit natura: ratio vero suppositalitatis erit conditio producti: quia sicut actiones sunt suppositorum, seu singulàrium ex parte producentis: sic sunt circa singularia ex parte termini. Et ideo per singularitatem, seu suppositalitatem, tãquam per conditionem requisitam, constituitur productum in ratione termini totalis, *qui*. Totum autem productum non dicitur terminus formalis, sed totalis, & adæquatus illius productionis. Cum ergo diuina essentia simul cum intellectu sit in Patre principium formale, seu ratio formalis producendi Filium, & Paternitas in Patre sit conditio producentis: consequenter ipsa diuina essentia, vt communicata Filio, erit ratio formalis terminandi generationem, & terminus formalis illius: filiatio autem erit tantũ conditio producti.

2. *Ratio, Scoti, & eius expositio,*

29. Tertia ratio Doctoris est: quia ex opposito sequeretur, quod generatio non esset vniuoca: quia ratio formalis termini illius non esset ratio conuenientiæ generantis cum genito. Quæ ratio clara est, & satis exposita præhabetur in supra notatis à nu. 15.

3. *Ratio Scoti.*

30. Quarta tandem ratio Doctoris est: quoniam aliàs productio Filij non esset generatio, sed magis esset mutatio ad relationem. Quæ ratio est ibi clara in textu, & ideo expositione non eget. His ergo quatuor rationibus, & testimonio Ioannis, ac auctoritate August. manet satis à Doctore probata præsens conclusio.

4. *Ratio, Scoti.*

§. 5.

§. 5.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

31. *Adargum. Gregorij.*

AD argumenta autem pro prima ſententia,& primo ad argumentum Gregorij dico: quod, & ſi terminus formalis ſit in totali incluſus, non tamen in vniuerſum eſt verum, quod ibi habeat rationem partis: vbi etenim eſt vera compoſitio ex potentia, & actu, aut ex materia,& forma:tunc ibi componentia habent rationem partium: vbi vero conſtituentia taliter ſe habent,quod vnum non eſt determinabile,contrahibile, perfectibile,ſeu actuabile per alterum,nec alterũ eſt actus illius,ſed vterque eſt actus trãſiens in perfectam identitatem alterius extremi adinuicem:tunc nõ eſt ibi pars, nec quaſi pars: ita quod, nec eſſentiæ, nec relationi conuenit ratiopartis:quia diuina eſſentia, & relatio, ita perſonam Filij conſtituunt,vt eſſentia, quæ eſt terminus formalis, non habeat rationem partis, nec ſimiliter relatio: quia neutra actuat alteram in ordine ad perſonam conſtitutam.

Conſtituti ua diuinarum perſonarum nõ ſũt partes, nec quaſi partes.

32. *Ad primũ OKam.*

Ad argumenta autem OKami, & ad primum, dico: quod terminus formalis accipit eſſe per eandem productionem, qua accipit eſſe terminus totalis: terminum autem formalem accipere eſſe ſtat dupliciter,prout ſupra notaui. Primo,ſcilicet,ita quod illud,quod accipit eſſe,accipiat tale eſſe abſolute in ſe, ita quod ante talem productionem non fuerit:hoc modo non requiritur,quod terminus formalis habeat eſſe per productionem totalis:& ſic fateor,diuinam eſſentiam non accipere eſſe,ex vi generationis Paternæ. Secundo autem modo dicitur aliquid accipere eſſe, non abſolute in ſe,ſed communicatum in aliquo, in quo antea non erat: ſic dicimus requiri ad rationem termini formalis, quod ex vi generationis Filij habeat eſſe in Filio, & hoc modo terminus formalis dicitur habere eſſe ex vi generationis,qua totalis producitur. Iſto igitur ſecundo modo habet diuina eſſentia eſſe in Filio ex vi generationis,quod ſufficit,vt ſit terminus formalis illius.

Terminum formalẽ accipere eſſe per eãdem actionem, qua totalis,ſtat dupliciter.

33. *Ad ſecũd.*

Ad ſecundum reſpondeo,quod licet eſſentia, prout in Patre, ſit principium generationis,poteſt adhuc prout in Filio eſſe terminus formalis illius: quia idem poſſe eſſe prius,& poſterius ſe ipſo,dupliciter intelligendum venit. Primo quidem, quantum ad idem eſſe reale,quod habet:& tunc implicat idem eſſe prius, & poſterius ſe ipſo. Secundo vero, quantum ad alium, & alium modum eſſendi.Tunc dico:quod reſpectu vnius, & eiuſdem modi eſſendi, etiam implicat idem eſſe prius,& poſterius ſe ipſo:at vero reſpectu vnius, & alterius modi eſſendi bene poteſt idẽ dici prius ſe ipſo: quia vno modo eſt prius,& alio eſt poſterius, vt in pluribus exemplis conſtat. In propoſito ergo dico, quod diuina eſſentia, quoad ſui eſſe abſolute non eſt prior, & poſterior ſe ipſa, nec eſt principium, & terminus ſui ipſius. Item in Patre reſpectu ipſius Patris, in quo habet vnum modum eſſendi, non eſt prior,& poſterior ſe ipſa, nec principium, & terminus eiuſdem. At vero, in Patre, & Filio habet alium, & alium modum eſſendi: in Patre enim eſt tanquam in generante,& in Filio tanquam ingenito.Prout in Patre ergo habet rationem principij formalis:prout in Filio autem habet rationem termini formalis. Et ſicut non inconuenit, prius origine eſſe in Patre, quàm in Filio: ita non inconuenit, prius origine in Patre eſſe principium, & poſterius origine in Filio eſſe terminum.

Aliquid eſſe prius, & poſterius ſe ipſo dupliciter intelligi poteſt.

34. *Ad tertiũ.*

Ad tertium, dico: quod eſſentia eſt ideo formalis terminus generationis: quia ex vi illius, formaliter habet eſſe in Filio,quod vt probatum eſt, ſufficit ad rationem termini formalis. Quod autem adducitur de exemplo animæ intellectiuæ, probat concluſionem noſtram: quia in ſimili caſu procul dubio,adhuc anima eſſet formalis terminus generationis illius, vt ex ſupra notatis patet.

(.?.)

DISTINCTIO SEXTA.

Præterea quæri solet.&c,

QVAESTIO VNICA.

De generatione Filij per voluntatem.

CIRCA istam distinctionem sextam quæro. Vtrum Deus Pater genuerit Deum Filium voluntate? *In* ista quæstione videntur esse duæ difficultates, vna qualiter Pater generat Filium volens. Alia quomodo saluetur, quod Pater non generat Filium voluntate, vt principio productiuo: circa quæ quæruntur tria.

¶ Primò. Vtrùm Pater genuerit Filium voluntate consequente, non vero antecedente generationem.

¶ Secundò. Vtrùm Deus Pater genuerit Filium voluntate veluti principio productiuo generationis.

¶ Tertiò. Vtrùm auctoritates Diui Augustini, concludant, Patrem genuisse Filium voluntate, tanquam principio productiuo.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Pater genuerit Filium voluntate consequente, non vero antecedente generationem?

A. AD primum sic proceditur. Videtur, quod Pater genuerit Filium voluntate consequente, non vero antecedente generationem, hoc arguitur sic: intellectio Patris præcedit aliquo modo volitionem Patris: sed intellectio Patris, vt Patris, videtur esse gignitio Verbi, vel Filij: ergo gignitio Filij vt Filij præcedit quancunque volitionem Patris. Prima propositio est euidens ex 15. de Trinitat. cap. 27. probo secundam: quia eiusdem potentiæ non sunt duo actus: quia potentiæ distinguntur per actus 2. de anima: gignere autem Filium, siuè dicere Verbum (quod idē est in Deo) est potentiæ intellectiuæ, & intelligere similiter: ergo dicere est formaliter aliquod intelligere, & non nisi Patris, vt Patris: ergo intellectio Patris, vt Patris, est gignitio. *Tex. cō. 33*

Sed contra est: quia ista ratio innititur minori falsæ, *vt infra ostendam*, scilicet, de identitate intelligere, & gignere, vel dicere: & ex ipsa sequitur conclusio falsa, scilicet, quod Pater non proprie volens dicit. B.

Respondeo dicendum, quantum ad primum articulum, in quo dicitur: quod non generat volens, sed tantum necessitate naturali, sicut ignis calefacit, licet actu generandi, quasi iam posito, volūtas Patris quasi complaceat in illo, *& hoc probatur ratione posita in principio.* Ista, *tamen*, ratio innititur minori falsæ (*vt dictum est*) Primo ergo ostendo falsitatem minoris. Secūdò, quod illud consequens falsum sequatur. Tertiò, quomodo debeat vitari illud consequens falsum, & oppositum teneri, quod est principale in isto articulo. C.

Opinio Hēnici in sum. ar. 28. q. 2. & Gofred. quodl. 5. q. 4.

Quartò

Quartò respondebo ad probationem minoris falsæ.

E. De primo, contra illam opinionem de identitate intelligere, & dicere, arguo sic. Intelligere est perfectio simpliciter: dicere non: ergo non sunt idem formaliter. Probatio primæ, Pater quãtum ad intellectum est formaliter beatus intellectione, & quantum ad voluntatem volitione: non est autem beatus nisi perfectione simpliciter: ergo intelligere est perfectio simpliciter. Probatio secundæ: quia si dicere esset perfectio simpliciter, tunc Filius, & Spiritus Sanctus, non essent simpliciter perfecti: quia non dicunt, accipiendo hoc modo dicere, quod est exprimere Verbum. Secundó sic: quia in creaturis, ratio actionis, & ratio factionis formaliter distinguuntur: quia actio vltimus est terminus: factionis autem est alius terminus productus per ipsam factionem. Ita in diuinis operatio, qua formaliter Pater operatur: videtur distingui à productione, qua formaliter producit. Et hoc videtur: quia operatio habet obiectum quasi præsuppositum: productio autem habet terminum productum per ipsam: ergo intelligere, quod est operatio Patris, non est formaliter dicere, quod est productio Filij à Patre.

F. De secundo (quod est confirmatio primi) scilicet quod illud consequens falsum sequatur, ex illa falsa minori, arguo sic. Sicut in intellectu nostro habente naturaliter primam intellectionem, quæ non est in potestate nostra: potest postea voluntas nostra complacere in illa intellectione iam posita, sed proprie loquendo non elicimus illam actionem volentes, sed eam elicitam volumus esse: ita sequeretur: si formaliter, dicere esset intelligere, quod Pater non gigneret formaliter volens: licèt Patri ipsa gignitio quasi aliquo modo posterius complaceret.

De tertio dico, quod Pater hoc modo gignit Filium volens: quia Pater in primo signo originis intelligit formaliter, & tũc etiam potest habere actum volendi formaliter. Verum est, quid quid est tunc cognitum: cognitio Filij non est prẽcognita suæ existentiæ in re. Respõdeo, q̃ essentia est cognita: ergo ipsa potest esse volita, non tantum in se, sed vt communicanda. Itaque volens essentiam communicare generat Filium: & ita volens non generare, vt generare: sed vt est quoddam communicare, in secundo signo originis gignit Filium: nec tamen vult, illam gignitionem volitione sequente illam gignitionem, sed volitione habita in primo signo originis, qua volitione Pater formaliter vult præsupposita aliquomodo intellectione, qua Pater intelligit, non autem gignitione Verbi. G.

Sic ergo, dico: quod Pater volens generat, non tantum voluntate consequẽte, sed voluntate antecedente. Quod sic intelligo: quod in essentia est perfecta ratio producendi Patri, & principium operandi, in quantum essentia formaliter intelligit, hoc est ab ea habet formaliter quo intelligit: aliter nõ esset essentia perfecta. Non solum autem est principium operandi intra, sed omnia potest extra intelligere, siuè producere: quia fæcunditas Paterni intellectus non est exausta, vsque ad terminum productum: in primo autem instanti Pater habet perfectum intelligere cuiuscunque intelligibilis, & volibilis à se: ergo in illo intelligit generationem Filij: in secundo signo instantis habet terminum productum: nam & in primo signo, & si nulla persona procederet ab eo, habet intelligere, & velle: & in illo priori intelligit actum dicendi, qui est quasi posterior respectu actus intelligendi, & volendi: non igitur Pater tantum complacet voluntate in productione Filij, sicut dicebat ille: sed volens præcedit actum gene- H. *Conclus.*

ra-

generationis Filij : quia Pater quidquid intelligit, per essentiam suam intelligit : & quidquid vult, per essentiam suam vult. Vnde, licet intelligere Patris præcedat velle: velle tamen Patris præcedit dicere : ita quod prius Pater est perfectus in se, & beatus per intelligere, & velle : quàm ista alteri personæ communicet per productionem: quia quod non conuenit ei in primo instanti, quo est Pater, nunquam conuenit: eo quod nulla perfectio potest sibi addi ex productione cuiuscunque personæ: quia nulla persona habet, nisi quod est sibi communicatum ab illo. Velle igitur, sicut intelligere, præcedit dicere. Sic spirare sequitur dicere aliquo modo, scilicet, ordine originis. De quarto ad argumentum illud, &c.

I. Ad argumentum in principio articuli *iam dictum, & quod illa* ratio innititur minori falsæ. Ad argumentum illud de distinctione potentiarum per actus, dici potest, quod illud verum est de actibus adæquatis, & aliter non: quia potentia illimitata eadē manens potest habere plures actus.

K. Aliter dicit quidam Doctor, quod intellectus, vt intellectus, habet illum actum, qui est intelligere. Secundo autem habet istum actum, qui est dicere secundum quod iam factus est in actu per intelligere. Sed illud est improbatum distinct. vbi argutum est, quod ille actus intelligendi primus non est ratio formalis gignendi Verbum.

D. Th. 1. p. q. 34. art. 1. Henri. quodlib. 6. q. 2.

L. Aliter respondeo sic, quod actio in creaturis vno modo accipitur pro actione de genere actionis, alio modo pro actu secundo, qui est qualitas absoluta sicut expositum est prius distinct. 3. quæst vltima in responsione ad tertium argumentum principale. Vnius ergo potentiæ tantum est vnus actus loquendo de hoc actu tātū, vel illo tantum: vnius tamen potentiæ potest bene esse duplex actus, quorum vnus sit de genere actionis, alius de genere qualitatis: sicut intellectus noster pro actione de genere actionis habet gignere verbum, habet tamen alium actum de genere qualitatis, scilicet, illam notitiam genitam. Ita in proposito intellectus diuinus habet vnum actum correspondētem intellectioni nostræ, quæ est qualitas, quo, scilicet, actu intellectus Patris formaliter intelligit: habet etiā actum correspondentem actui de genere actionis quo, scilicet, exprimit Verbum.

Expositio articuli 1. quæstionis vnicæ dist. 6.

I. Refert Doctor opinionèm Henrici Aserentis, Patrem non voluntate antecedente, sed consequente, Filium genuisse: quam improbat ibi, & propriam statuit concludendo, voluntate antecedente Filium genuisse: non quidem, quod voluntas fuerit principium generandi: aut ad tale principium pertineat, vt in sequenti articulo, specialius patet: sed volitione, qua voluit generationem, ante quam intelligeretur esse. Ad cuius euidentiam est prænotandum, duo hîc posse inquiri. Primum, scilicet, an diuina Patris volitio respectu Filij producendi potuerit ipsum Filium, & eius productionem præcedere, ipsamque de facto præcesserit. Secundum vero, an vltra quod talis volitio præcesserit Filij generationem, fuerit ūmul cum intellectu rincipium generationis illius. Secundum punctum articulus sequens inuestigat. Primum autem hîc Doctor resoluit.

Pater voluntate antecedente genuit Filium.

2. Ad eius autem intelligentiam recolenda sunt, quæ supra in difficultat. 49. numer. 8. & sequentibus, circa duplicem actum, productiuum, scilicet, & operatiuum intellectus, tam creati, quā diuini, remanent prælibata. Actus igitur operatiuus est ipsum actualiter intelligere: quod in creatis est qualitas quædam inconcreto: nam abstractum illius est intellectio formalis, seu Verbum mentis, quod idem est. Atqui actus productiuus est actio de genere actionis, qua

qua intellectus tale Verbum producit. Similiter est Philosophandum de voluntate, prout in difficultat. 50. ostendimus: quia alius est actus operatiuus voluntatis, quo formaliter vult, & diligit: & alius est actus productiuus illius, quo amorem, seu volitionem formalem producit. Est tamen ibi hæc differentia inter hos actus respectu intellectus diuini, & creati, seu respectu voluntatis diuinæ, & creatæ: quod tam in intellectu, quàm inuoluntate creatis, huiusmodi actus productiui præcedunt operatiuos, sicut causa præcedit effectuum: eo quod intellectus, non potest intelligere, nisi per verbum, quod supponit per actum dicendi, seu productium, productum, nec voluntas potest velle, nisi per volitionem, seu amorem per actum productiuum productum.

Actus productiuus, & operatiuus increatis differunt à productiuis, & operatiuis in diuinis.

3. Indiuinis vero è contra, actus operatiui productiuos præcedunt: quia essentialia sunt priora notionalibus: & Deus essentialiter intelligit, & vult: non enim intelligit per Verbum productum, nec vult per amorem spiratum: sed ante omnem productionem, tam intellectus, quam voluntatis, præconcipitur essentialiter intelligens, & volens.

4. Pro illo igitur priori originis, pro quo alibi dicit Scotus: quòd Pater prioritate originis est prius beatus, quàm generet: essentialiter intelligit, & diligit essentiam suam, & pro eodem priori intelligit relationes diuinas, & vult illas esse: quia illud intelligere est comprehensiuum omnium intelligibilium: est siquidem perfectissimum, & infinitum intelligere Dei. Pro illo igitur priori originis, pro quo Pater est Beatus, ante quam intelligatur Filius genitus, essentialiter intelligit Filium producendum, & essentialiter vult Filium producere: actus enim, quo Filium producit, præsupponit huiusmodi actus essentiales intelligendi, & volendi. Notionaliter ergo Pater per intellectum producit Filium, quem essentialiter intellexerat producendum, & voluerat in actu producere. Ad hoc etenim constituit Doctor illa duo signa originis, vt absque aliqua contradictione posset antecedenter ad secundum, intelligi primum; & pro illo priori originis esse volitum, quod in secundo signo notionaliter est productum. Non igitur, vt Henricus asebat in sum. art. 58. quæstion. 2. & Gofredus tenet in quodlib. 5. quæstion. 4. voluntate solummodo consequente complacentiæ: sed etiam volitione antecedente generationem, præconcipitur Pater, velle Filium producere, quod textus concludit. Cuius rationes sunt efficaces, & claræ, & argumentum intendens probare oppositum, facilime soluitur.

Henricus. Gofredus.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Pater genuerit Filium voluntate, vt principio productiuo generationis?

A. AD secundum sic procedi-
tur. Videtur quod Pater genuerit Filium voluntate, vt principio productiuo generationis. Quia Ricardus 6. de Trinitat. cap. 17. post alia tractata. de productione personarum dicit vltimo. Vultis super his, quæ superius iam diximus audire, Verbum abreuiatum ingenitum velle habere de se sibi conformem, atque condignum? idem mihi videtur, quod gignere Filium: & tam genitum, quam ingenitum, velle habere condilectum, idem videtur, quod producere Spiritum Sanctum. Sed si Patrem velle habere conformem est gignere: ergo sicut voluntate vult habere conformem: ita voluntate genuit. Ex eadem autoritate arguitur aliter sic. Eodem modo concedit, quod velle Patris se habet ad gignere, sicut velle Patris, & Filij, se habet ad spirare: nunc autem Spiritus Sanctus spiratur voluntate formaliter, vt est Patris, & Filij: ergo, &c.

B. Secundò præterea: Augustin. contra Maximinum, lib. 3. capit. 1. & ponitur dist. 20. Pater si non genuit sibi Filium æqualem: aut non voluit, aut non potuit: igitur inuidus fuit. Ex hoc sic, inuidia non pertinet, nisi ad illa, quæ volun-

tate

tate subtrahuntur, & voluntate possunt communicari, sicut non sum inuidus, si non facio te sapientem: quia nō possum facere sapientiam in anima tua. Igitur Pater voluntate generat Filium sibi æqualem: quia secundum autoritatem prædictam, esset inuidus, si non generaret Filium æqualem.

C. Tertiò præterea 5. Metaſi. cap. de ne- *Text. cō. 6.* cessario, omne inuoluntarium est triste: sed nihil est triste in diuinis: ergo nihil inuoluntarium: ergo Filius voluntate generatur. Item Verbum est amor: patet, & est productus: quia nihil, nisi natum (secundum Hilarium) habet Filius: principium autem amoris producti est voluntas: igitur, &c. Si dicatur, quod concomitanter est amor: quia primo est notitia producta. Contra: quia idem est principium respectu primi termini formalis, & cuiuscunque concomitantis illum terminum.

D. Sed contra est Damas. lib. 1. capit. 8. generatio est opus naturæ Et Magister in litera, & est Augustin. ad Orosium. Præire scientiam voluntas non potest: ergo cum Filius sit scientia, vel sapientia Patris, non generatur voluntate.

E. Respondeo dicendum, quod quantum ad secundum articulum videtur, quod Pater non producat Filium voluntate tanquam principio productiuo: quia principium productiuum vnius rationis in diuinis, non potest habere duas productiones vnius rationis. Nulla enim productio ibi est vnius rationis, nisi vnica: quia adæquata: ergo, cum Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis, vt principij productiui: Filius non sic producetur. Sed in isto videtur esse difficultas, propter verba Augustini, qui videtur attribuere generationem voluntati: *quæ in sequenti articulo commodius exponetur, nunc autem.* quantum ad istum articulum, & si aliqui distinguant, quod ly voluntate potest teneri ad verbialiter, vt sic sensus, voluntate genuit, idest voluntarie genuit, & tunc est vera: & potest teneri ablatiue, & tunc notat causam, & principiū elicitiuum respectu gignitionis, & tunc est falsa. Quidquid sit de ista distinctione, non videtur dicēdum: quod Pater Filium genuerit voluntate, ita quod voluntas sit principium proximum, vel remotum: quod non proximum, probatum est: quia principium vnius rationis non est nisi principium vnius productionis. Quod etiam nō remotum, patet: quia sicut voluntas vt est principium operatiuum, aliquomodo posterius operatur, quam intellectus: ita vt est principium productiuū, aliquomodo posterius producit, quā intellectus: & ita non erit causa superior, neque prior in productione, quæ est proprie intellectus: quia, & si Pater in primo signo originis, sit volens, & in secundo gignat: tamen voluntas Patris non habet rationem principij respectu illius gignitionis verbi. Sic igitur Pater quomodo volens generat Filium, *vt dictum est in articulo primo*, & tamen non voluntate, vt principio formali elicitiuo generationis: *vide sequentem articulum pro materia istius.* *Conclus.* *Conclus.*

F. Ad primum argumentum, cum dicit Ricardus, hoc mihi videtur, &c. Non hoc videtur Augustino: quod velle Patris sit formaliter gignere: quia dicit 5. de Trinit. c. 14. vel 32. quod Spiritus Sanctus procedit quomodo datus, non quomodo natus, idest per modū voluntatis liberæ, non per modum naturæ, & ideo oportet exponere Ricardū, quod ipse intelligat concomitāter.

G. Ad secundū dico, quod inuidia non solū est in subtrahendo illa bona, quæ possunt communicari actu voluntatis immediate: sed quæcūque volens potest cōmunicare, & non cōmunicat: Pater autem volens (licèt, non sicut principio elicitiuo, vel productiuo) generat vt dictum est: & ideo tenet argumētum Augustini de inuidia.

Ioan. Rodi to lib. 1. dist. 6. q. vnic. sequitur hāc responsionem.

Ad

H. Ad tertium, dico: quod nihil est ibi inuoluntarium, & ideo generatio Filij non est inuoluntaria, concedo, sed tamen non sequitur vltra: ergo est voluntate, vt principio elicitiuo: multa enim facimus, siue voluntate præcedente, siue cõcomitante: quorum principium nmediatum non est voluntas.

Expositio articuli 2. quæstion. vnicæ distinct. 6.

1. HVIV S articuli literaclare enucleatur in textu, & Doctor ostendit. Quod licet volũtas producendi Filium in Patre, Filij productionem præcesserit: non tamen ibi præcedit habens se, vt principium elicitiuum talis productionis. Hoc idẽ sentit D. Thom. 1. part. quæst. 41. artic. 2. in corpore, hæc dicens: *Cum dicitur aliquid esse vel fieri voluntate, dupliciter potest intelligi. Vno modo, vt ablatiuus designet concomitantiam tantum: sicut possunt dicere: quod ego sum homo mea voluntate: quia, scilicet, volome esse hominem, & hoc modo potest dici, quod Pater genuet Filium voluntate, sicut & voluntate est Deus: quia vult esse Deum, & vult se generare Filium. Alio modo sic, quod ablatius importet habitudinem principij: sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate: quia voluntas est principium operis, & secundum hunc modum dicendum est, quod Deus Pater non genuit Filium volnntate, sed voluntate producit creaturam.* Quæ D. Thomæ verba in hoc secundo dicto confirmant Scoti sententiam in hoc articulo, quæ est communis. In primo autem videtur contradicere ipsius Scoti sententiæ, qui, vt vissum est, in primo articulo, non tantum voluntatem consequentem, seu concomitantem admitit, sed etiam voluntatem præcedentem actum generationis concedit. In huius igitur articuli secundi conclusione conueniunt D. Thom, & Scotus.

D. Thom.

2. Sed hic se offert sequens dubium: nam in nobis voluntas præcedens quamlibet actionem, est causa illius: ita, quod in moralibus, ideo actus interior voluntatis est causa actus exterioris potentiæ executiuæ, quia talis actus exterior, est ab interiori prænolitus. Propterea que ab interiori prouenit exteriori, bonitas, seu malitia, tanquam à causa suæ executionis. Si ergo Pater prius origine essentialiter vult Filium producere, quã illum producat: videtur illum executiue producere: quia illum producendo, suam exequitur voluntatem: & id o voluntas formaliter in ratione principij ad Filij productionem conducit.

Actus interior voluntatis est causa exterioris.

3. Huius dubij solutio consistit in intelligenda differentia actus liberi à naturali, seu necessario: actus etenim naturalis, & necessarius, ita independenter à voluntate est, quod absolutè, & sine ali qua connexione voluntatis naturalis potentia illum exequitur. Et ideo voluntas generandi, nõ formaliter, sed materialiter se habet ad actum generationis: quia actus generationis est mere naturalis, & necessarius. Licet ergo diuina volitio generationem antecedat, illamque velit: non ob id formaliter, sed materialiter se habet ad illam: quia nullatenus actus generationis à tali volitione dependet. Nam si per impossibile Pater in primo signo originis non esset volens: adhuc Filij generatio in secundo signo originis sequeretur, sicuti modo est. Vnde quoad hoc benedicit D. Thom. quod voluntas Patris concomitatur Filij generationem: non quidem, quod talis voluntas non præcesserit illam: sed quatenus adhuc præcedens, sic se habet respectu illius, vt etiam, si non præcederet, adhuc generatio in re exhibita esset. Quod autem adducitur in exemplo de actibus interiori, & exteriori facile soluitur: longè enim dispar est ratio: quia actus exterior denominatiue est liber: & quia nõ potest, nisi à libertate voluntatis liber denominari: ideo quoad hanc libertatem, & moralitatem essentialiter pendet à voluntate: atque ideo, si actus interioris libertas non esset: proculdubio actus exterior omnt ratione libertatis careret. Generatio vero, vt diximus, adhuc, si prænolita non esset; non ob id desineret esse eadem prorsus, sicuti modo est.

Actus liber & naturalis differũt inter se.

(.?.)

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrùm auctoritates D. Augustini, concludant Patrem genuisse Filium voluntate, tanquam principio productiuo.

A. AD tertium sic proceditur. Videtur, quod auctoritates D. Augustini concludant, Patrem genuisse Filiũ voluntate, tanquam principio productiuo: nam in isto articulo, videtur esse difficultas propter verba Augustini: qui videtur attribuere genitionem voluntati in nobis, vt principio productiuo 9. de Trinit. capit. 7. vel 19. Verbum amore concipitur, & eo libro capit. 11. vel 27. notitia placita digne quæ amata Verbum est: & 11. de Trinitat. capit. 3. vel 9. voluntasque ipsa, quomodo foris corpori obiecto formandum sensum ad mouebat, formatumque iungebat: sic aciem recordantis animi ad memoriam conuertit. Et in eodem lib. capit. 4. vel 11. voluntas vero illa, quæ hac, atque illac fert, atque refert aciem formandam, coniungitque formatam, & dicit multa consilia. Ergo vult, quod voluntas habeat rationem conuertentis aciem ante genitionem, & retinentis eam in actu. Ita igitur videtur in Trinitate, cuius imago est in anima quod voluntas habeat ibi aliquam rationem principij respectu productionis, vel genitionis, vel rationem alicuius superioris applicantis principium proximum ad actũ suum, sicut in nobis. Hoc etiam arguitur in nobis: quia si genitio nostra, esset mere naturalis, nullo modo esset in potestate voluntatis: & ita semper haberemus, idem verbum de eodem obiecto fortius mouente intellectum.

B. Secundò præterea: *Si dicatur, quod ista tantum intelligantur in nobis: non tamen in Deo.* Contrà istud arguitur, quod Augustinus, non tantum intelligit in nobis, sed etiam in Deo: quia August. nunquam videtur, assignare actum volendi voluntati, vt est tertia pars imaginis, nisi illum, qui est coniungere parentem cum prole: & hoc modo habet causalitatem aliquam respectu genitionis prolis: ergo ista pars, vt est pars imaginis, nihil repræsentabit in prototypo, nisi voluntas diuina habeat aliquo modo, sic coniungere.

Sed contra est: quia ipse August. 5. de Trinita. cap. 14. vel 32. dicit: quod Spiritus Sanctus procedit, quomodo datus, non quomodo natus ideſt, per modum voluntatis libere, non per modum naturæ: ergo, &c. C.

Respondeo dicendum: quod propter istas auctoritates Augustini intelligendum est, quod in nobis, non est tantum vnicus actus intelligendi, accipiẽdo actum de genere qualitatis: neque vnicus actus gignendi, accipiẽdo actũ pro actione de genere actionis: quia si esset tantum vnicus actus iste, & tantum vnicus ille: & iste, & ille essent idem: tunc voluntas nostra nullam causalitatem haberet in ratione actus intelligendi, qui est de genere qualitatis, neque in ratione actus gignendi, qui est de genere actionis: in diuinis igitur, cum non sit in Patre, nisi vnicus actus intelligendi, respectu illius actus, voluntas Patris non habebit aliquam rationem principij, vel causæ: cum etiam non sit, nisi vnicus actus dicendi, respectu illius, voluntas non habebit rationem principij: quia voluntas sicut operando, ita & producendo, vel principiando, sequitur aliquo modo intellectũ, actus igitur dicendi præcedit omnem principiationem voluntatis. Potest tamen voluntas, vt complacens, non, vt principians, habere actum respectu illius genitionis, ex hoc, quod voluntas, vt operans in Patre non præsupponit genitionem, sed tantummodo intellectionem illam, qua Pater formaliter intelligit. *In nobis* D.

bis autem veræ sunt auctoritates Diui Augustini, quod voluntas mouet aciem ad actum cognoscendi, & tenet eam in cognitione: quia posito primo actu nostro, siue de genere qualitatis, siue de genere actionis, possumus habere alios actus posteriores, ex imperio voluntatis. In Patre autem voluntas non admouet intelligentiam Patris, vt formandam à memoria Patris: quia in Patre non est nisi vnica intellectio formaliter, quæ præcedit aliquo modo productionem verbi: neque ad mouet memoriam ipsi obiecto, vt gignatur verbum.

E. Ad primum, *constat ex dictis, quod tantum*, in nobis veræ sunt *illæ* auctoritates Augustini.

F. Ad secundum respondeo, quod etsi frequenter assignet voluntati actum illum, vt est pars imaginis, tamen aliquãdo sibi assignat aliũ videlicet dilectionẽ eiusdẽ obiecti, quod est obiectum memoriæ, & intelligentiæ sicut apparet decimoquinto de Trinitate capite vigesimo, vel vigesimosecundo. Vnde potest (inquit) sempiterna immutabilisque natura recoli, conspici, concupisci: quæ auctoritas posita est supra distinctione tertia, quæstione vltima. Ibi enim expresse ponit Trinitatem in memoria, intelligentia, & voluntate, vt habent actum circa obiectum idem secundum veritatem increatam. Similiter lib. decimoquarto capite octauo, ponit Trinitatem in mente, in quantum meminit sui, intelligit se, & diligit se: vtrumque etiam actum tangit simul decimoquinto de Trinitate capite tertio, mens, & notitia, qua se nouit, & amor, quo se, notitiamque suam diligit: & bene concernunt isti duo actus in voluntate nostra, qua ipsa amans obiectum, amat etiam notitiam obiecti eiusdem, & ex amore obiecti mouet intelligentiam ad intelligendum illud, copulans ipsam memoriæ, de qua ipsa formetur, & tenens eam in tali coniunctione, & per hoc in actuali intellectione vnius obiecti.

Istorum autem duorum actuum voluntatis in nobis principalior est ille, qui est dilectio obiecti: quia ille est causa quandoque dilectionis actus. Actus tamen alius scilicet dilectio actus est vniuersalior: quia respectu etiam obiecti mali diligimus actum cognoscendi: licèt non obiectum: sicut dicit Diuus Augustinus nono de Trinitate capite decimo, neque enim vitiorum notitia nobis displicet: sed vitia ipsa nobis displicent, definio intemperantiam: & hoc est verbum eius: placet mihi definire: licèt non placeat mihi incontinentia. Voluntas igitur in nobis, vt est pars imaginis, representat voluntatem in Deo, non quãtum ad istum actum copulandi, qui est voluntatis nostræ: sed quantum ad alium actum, in quantum scilicet voluntas nostra est principium producẽdi actum circa idem obiectum, quod fuit memoriæ, & intelligentiæ nostræ: quia voluntas in diuinis est principium producendi amorem adæquatum essentiæ diuinæ, quæ est obiectum primum memoriæ diuinæ, intelligentiæ, & voluntatis. Et ille amor productus est Spiritus Sanctus, cui correspondet in nobis dilectio producta, quæ dilectio frequenter ab Augustino vocatur voluntas.

G.

H. Sed voluntas proprie in nobis, quæ est potentia, non correspondet Spiritui Sancto: sed vi spiratiuæ, quæ est in Patre, & Filio: & hoc secundum istum actum, quo voluntas in nobis est principium producendi amorem obiecti intellecti: non autem primo in quan-

tum habet producere amorem notitiæ genitæ : nullo autem modo, in quantum est causa superior notitiæ genitæ ; si quidem vis spiratiua est principium producendi Spiritum Sanctum in diuinis, qui est amor essentiæ diuinæ, & etiam amor notitiæ genitæ, licèt forte secundum aliquem ordinem : sed non est vis illa spiratiua aliquo modo principium productiuum notitiæ genitæ: quia etsi Pater in primo signo originis sit volens, & in secundo gignat: tamen voluntas Patris, *vt dictum est*, non habet rationem principij respectu illius gignitionis verbi. Sic igitur patet, quomodo Pater volens generat Filium, & tamen non voluntate, vt principio formali elicitiuo generationis.

H. Tamen quantum ad intentionem Diui Augustini de dilectione copulante parentem cum prole, dicit quidam Doctor, quod illa dilectio copulans loquendo respectu actus sentiendi, est inclinatio facta in potentia per speciem sensibilem. Vnde ista quinque, quæ ponit ille Doctor, videlicet, obiectum sensibile, speciem, inclinationem factam potentiam sentiendi, & actum sentiendi, probat per vnam auctoritatem Diui Augustini, vndecimo de Trinitate capite secũdo, vel quarto, cum enumerat Augustinus, quædam ad suum propositum facientia in fine sic. Sensum (inquiens) detinet oculorum animi intentio, ecce (ait ille) tertium, quod enim detinet sensum non est nisi illa excitatio per dictam inclinationem. Vocat autem eam Augustinus (secundum eum) intentionem animi causantis : quia per ipsam fit sensus animi intentus ad percipiendum obiectum.

Henr. quod lib. 6. q. 5.

Sed istud non est ibi ad intentionem Diui Augustini : quia ibidem distinguens ea adinuicem, de intentione dicit, quod tertium solius animæ est : igitur secundum eum, illa intentio, quæ erat tertium, non est illa inclinatio, vel excitatio per speciem. Similiter illud tertium attribuitur voluntati illi, de qua dicit inferius, quod voluntas, hac, atque illac, refert aciem mentis, &c. quod non videtur verum de inclinatione, sed tantummodo de volũtate, & potentia animæ. I.

Expositio art. 3. quæst. vnic. distinctionis 6.

TERVM pertractatur præcedentis articuli materia in præsenti, vbi Doctor illam iam ibi prælibatam, hic à quibusdam D. Aug. auctoritatibus sibi à se ipso obiectis, defendit: eisque respondet, & ipsius D. Augustini auctoritatibus denuo supra positam conclusionem confirmat, in qua litera non se offert aliquid peculiariter explanandum : ipsa enim est in textu satis perspicua.

DISTINCTIO SEPTIMA.

QVÆSTIO VNICA.

De potentia generandi Patris.

CIRCA istam distinctionem septimam quæro, vtrum potentia generādi in Patre sit aliquid absolutum, vel proprietas Patris? Circa quod quæruntur septem.

¶ Primò. Vtrùm in diuinis necessario debeat constitui aliquod principium, quo Pater formaliter sit potens generare?

¶ Secundò. Vtrùm potentia, seu principium, quo Pater formaliter est potens generare, sit relatio, seu proprietas Patris?

¶ Tertiò. Vtrùm relatio sit principium determinatiuum generationis?

¶ Quarto. Vtrùm potentia generandi seu principium generationis, sit aliquid absolutum?

¶ Quinto. Vtrùm principium generationis sit diuina essentia?

¶ Sexto. Vtrùm ex eo, quod diuina essentia sit principium generationis habens esse per se, sine eo quod sit in supposito possit per se generare?

¶ Septimo. Vtrùm generatio (cuius principium est diuina essentia) sit æquiuoca?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in diuinis necessario debeat constitui aliquod principium, quo Pater formaliter sit potens generare?

A. AD primū sic proceditur, videtur, quod in diuinis necessario debeat constitui aliquod principium, quo Pater formaliter sit potens generare: nam dicitur, quod generationis in diuinis oportet dare aliquod principium positiuum: quia actio est positiua. *Henr. quod lib. 3. q. 3. & in sum. art. 57. q. 7.*

B. Sed contra est: quia si ante mundi creationem, mundus non solum non fuisset, sed per impossibile Deus non fuisset, & incepisset à se esse, & tunc fuisset potens creare mundum: si fuisset intellectus aliquis ante mundi creationem componens hanc, mundus erit, hæc fuisset possibilis: quia termini non repugnarent, non tamen propter aliquod principium in re possibili, nec propter actiuum sibi correspondens: ergo, &c.

C. Respondeo dicendum, ad quæstionem, & distinguendo de potentia, vno modo dicitur potentia logica, quæ dicit modum compositionis factæ ab intellectu, & ista notat non repugnantiam extremorum, de qua dicit Philosophus quinto Metaphysic. capite de potentia. Illud est *Text. com. 17.*

possibile, cuius contrarium non est de necessitate verum. Etsi hoc modo quæratur de potentia generandi in diuinis, dico: quod ipsa est possibilis comparando generationem ad quemcunque actum non repugnantem generationi. Et tunc possibilitas est Patris, vel Dei ad hoc prædicatum, quod est generare: quia isti termini non repugnant. Impossibilitas autem est, quod Filius, vel Spiritus Sanctus generent: quia isti termini repugnant. Etsi quæratur, quid est potentia generandi in diuinis isto modo? Respondeo, *quod* non oportet dare aliquod principium, quo aliquis sit potens generare, sufficit enim sola non repugnantia terminorum: sicut si ante mundi creationem mundus, &c. *vide rationem in exemplo supra §. sed contra. Imo* nec etiam modo, illa, mundus erit, fuit possibilis formaliter loquendo de potentia Dei: sed potentia, quæ erat non repugnantia istorum terminorū: quia isti termini non repugnarent: licèt istam non repugnantiam concomitaretur potentia actiua, respectu huius possibilis. Alio modo dicitur potentia diuisa contra actum: ista non est in Deo: relinquitur igitur potentia realis, quæ dicitur principium agendi, vel patiendi, vt proximum fundamentum relationum: quia hoc nomen potentia, non est abstractum vltimata abstractione: sed est concretum concretione ad fundamentum: licèt non concretione ad subiectum, de qua multiplici abstractione in relatiuis dictum est supra distinctione 5. quæstione prima, hîc autem tantummodo quæritur de potentia agẽdi. Loquẽdo nunc de potentia, id est de proximo fundamento istius relationis præcise sumpto, dico, quod est aliquid.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

Ad argumentum, *patet ex dictis, quod non probat aliquid de potentia logica, sed de reali.*

Expositio artic. 1. q. vnicæ. distinctionis 7.

HÆC vnica huius distinctionis quæstio in septem articulis diuisa, plura circa Patris generatiuam potentiam quærit: quæ hîc seorsum facilius, quàm olim in textu veteri simul congesta percipiuntur. In hoc igitur articulo primo est triplex textualis conclusio. Prima est, quod non oportet dare aliquod principium, quo, in diuinis aliquis sit potens generare. Secũda, quod potentia diuisa contra actum non est in Deo: sed benè potentia realis, quæ est principium agendi. Tertia tandem, quod loquendo de potentia, id est de proximo fundamento relationis, est aliquid in Deo. 1

Ad quarum conclusionum intelligentiam prænotare oportet, triplicem iuxta mentem Doctoris dari potentiam in rebus: quarum prima dicitur potentia logica, secunda obiectiua, tertia realis, quæ subdiuitur in subiectiuam, & actiuam. Et antequam istas potentias explicem, aliam bimembrem diuisionem cõstituo, qua diuiditur potentia in actiuam, & passiuam. Potentia actiua est respectu cuiuslibet actionis habens se ex parte agentis: de qua infra ad propositum præsentis materiæ tractabo. Passiua vero nullatenus se habet exparte principij agentis: sed ex parte ipsius rei, quæ potest esse, vel quæ est in potentia, vt sit: atque ideò huiusmodi potentia habet se ex parte ipsius possibilis. Dico modo, quod illa trimembris diuisio Scotica in potentiã logicam, obiectiuam, & subiectiuam tantùm in potentia passiua reperitur; nullatenus verò ad actiuam est adaptanda. 2

Potẽtia in rebus est triplex, logica obiectiua, & realis.

Potentia realis duplex, subiectiua, & actiua.

Quid autẽ sit potentia logica expresse diffiniuit Doctor in textu huius art. cõsistere in non repugnãtia extremorũ inter 3

Potẽtia logica.

inter se. Illa etenim, quæ inter se non repugnant cõnecti, sunt compossibilia: imò & eidem composito, seu constituto: & hæc potentia vt sic nullum ordinem dicit ad aliquod principium potẽs illam ad actum reducere: sed est mera non repugnantia connexionis terminorũ. Sic animal & rationale sunt duo termini compossibiles, eo quod nõ repugnant inter se: & ratione non repugnantis connexionis inter huiusmodi termi nos, dicitur homo esse in potentia logica: quia ex eo quod tales termini non repugnant, imo sunt compossibiles, intellectus illos componit, & copulat dicendo logicè, homo est animal rationale.

4 Secundo autem potest cõsiderari homo, prout ex prædictis terminis cõpossibilibus constat, non solùm secundum se, sed etiam quatenus dicit ordinem ad aliquod agens potẽs illum ad actum reducere: & vt sic respicit omnipotẽtiam Dei, in qua consideratione vltra non repugnantiam supra dictam, additur possibilitas positiua, qua iam homo est creatura possibilis, & potest in rerum natura existere. Hîc dicunt nonnulli Scotistæ, iam hominem esse in potentia obiectiua: sed falluntur, vt infra manifestabo. Differt igitur homo in hac consideratione à se ipso, prout primo fuit consideratus, non in aliquo intrinseco sibi addito: sed præcise ex eo, quod iam adest aliquod agens, à quo possit poni in actu: nam si per impossibile nullum esset agens, nec Deus potens hominem condere, adhuc isti termini animal, rationale, essent cõpossibiles inter se: quia ex se ipsis habent, quod inter se non repugnent. At vero posito agente potente illos connectere, & ad actum reducere: iam homo positiue est creatura possibilis. Non quod sibi insit aliquid, quod nõ inerat antea: sed quia præcise habet iam homo causam potentem respectu suæ productionis: quæ causa nihil de nouo ponit in illo: sed tantùm quod positiuè dicatur possibile, quod antea tantùm negatiuè non repugnare dicebatur. Atque ideò in vtraque consideratione est homo in potẽtia logica, vt sit: cum hoc tamen obseruato, quod potentia logica est duplex, scilicet negatiua, & positiua. Prima explicatur per non repugnantiam terminorum, secundum quam dicitur possibile quodcunque illud, cuius termini inter se non repugnant cõnecti: secunda vero explicatur per positiuam possibilitatem, secũdum quam illud dicitur possibile, quod, vltra quòd eius termini non repugnant connecti habet aliquod agens potens illud ad actum reducere.

Potentia logica duplex positiua, & negatiua.

Rursus potentia obiectiua est illa, qua potest esse illud, quod ex diuinæ voluntatis decreto habet futuritionem. Vnde ad rationem potentiæ obiectiuæ, vltra hoc quod est supponere agens, quod possit rem in actu producere, requiritur, quod tale agens decreuerit illam producere. Quare si concipiamus istam propositionẽ, homo potest esse, secundũ præcisam complexionem terminorum absque ordine ad Deum, est in potentia logica propter præcisam non repugnantiam intrinsecam terminorum, sed hæc potentia logica est negatiua, hoc est, non sibi repugnat esse. Si autem concipiamus dictam propositionem cum ordine ad Deum potentem creare hominem: adhuc non est in potentia obiectiua: quia hoc quod est, Deum posse hominem creare, nihil aliud addit supra potentiam logicam illius, nisi quod illa non repugnantia, positiuè dicatur possibilitas, qua dicitur esse in potentia logica positiua: quia positiuè potest esse. Si autem addamus, quod Deus potens hominem creare, cognouit ipsum esse possibilem: adhuc homo non est in potentia obiectiua: quia cum hæc sit scientia simplicis intelligentiæ, qua Deus possibili, a cognoscit, & per illam nihil ponit in rebus cognitis, sed ipsas iam possibiles esse supponit: ideò nihil adhuc supra potentiam logicam hominis possibilis, additur ex prædicta Dei cognitione. Postquam ergo Deus cognouit hominem esse possibilem, & libero suæ voluntatis decreto voluit hominem creare: & ex vi huius decreti iam homo habet futuram existentiam, ratione cuius habet esse sufficiens obiectum diuinæ scientiæ, quæ dicitur scientia visionis: vt sic habet esse obiectiuum illius. Vnde aliter est in se, & aliter in voluntate diuina, & aliter in diuino intellectu, sic cognoscente. In se

5 *Potẽtia obiectiua.*

enim habet esse obiectiuũ diuinæ cognitionis, in voluntate autem habet esse virtuale tãquam in causa: ex eo etenim quod sic in voluntate est, habet potentiam obiectiuã vt sit: in intellectu tamẽ habet esse cognitũ talis potẽtia obiectiua. Atq; ideò vt sic habẽs esse in voluntate diuina tanquam in causa dicitur esse in potentia obiectiua, vt sit: quia secũdum hanc potentiã habet esse obiectiuum, quo videtur ab intellectu diuino: ac si actualiter existeret: propterea enim cognitio, qua huiusmodi obiectũ cognoscitur, dicitur scientia visionis.

6 *Potẽtia vere subiectiua.*

Potẽtia verè obiectiua est realis; qua res iam habẽs esse extra causas habet potentiam passiuam ad alicuius formæ receptionem; siue illam recipiat naturaliter, vt materia recipit formam, siue violenter, vt graue recipit actum ad sursum: siue obedientialiter, sicut naturalis potentia recipit ab agente supernaturali formam ordinis supernaturalis. Qualiter cumque igitur ens reale, siue entitas realis extra causam habens esse, sit in potẽtia passiua ad alicuius formæ, tàm substantialis, quàm accidentalis receptionem, dicitur esse in potentia subiectiua respectu illius: & hæc potentia est realis. Nam his verbis diuisit Doctor in textu potentiam realem in actiuam, & passiuam: *Relinquitur igitur potentia realis, quæ dicitur principium agendi, vel patiendi.*

7 *Potẽtia realis actiua sumitur dupliciter.*

Demum potentia realis actiua, vt patet in textu, sumitur dupliciter. Primo proper se significato: & vt sic dicit relationem, seu respectum ad actum, quem potest elicere. Secundo verò pro cõnotato fundamento huius relationis, hoc est, pro virtute productiua, qua producens actiuè potest producere: hanc distinctionem præbet Doctor in textu: sed clarius in sequẽti articulo, dum inquit, quod hoc nomen *potentia* sumitur, vel pro eo, quod perse significat, vel pro eo quod connotat. Primo modo potentia significat relationem: secundo vero modo connotat, proximum fundamentum talis relationis. Hoc igitur fundamentũ vniuersè est virtus actiua, & dicitur virtus: quia in eo præhabetur virtualiter effectus, seu terminus actionis illius: sicut quilibet effectus virtualiter præhabetur in causa.

Præterea, omnis potentia actiua, etiã sumpta pro fundamento, est distincta à suo actu: non verò omnis talis potentia est à suo actu diuisa: nã ad distinctionẽ sufficit conceptibilitas potẽtiæ, quin in ea concipiatur actus: & hoc siue sit cõceptibilitate formaliter distincta, siue tantum ratione: quod nunc nõ disputo: ad diuisionem autẽ vnius ab altero, requiritur vnum posse realiter existere sine altero. Hoc secundo modo, quæcunq; potentia creata est à suo actu diuisa: quinimo, & potentia increata respectu actus terminati ad creaturam non est semper actui coniuncta, prout actus talem terminationem ad creaturam inuoluit. Potentia vero ad intra necessario est coniũcta cum suo actu, & nullatenus ab eo diuisa, sic potentia ad generandum est cũ actu generationis coniuncta, & potẽtia spirandi cum actuali spiratione.

8 *Aliud est potentiã distingui ab actu, aliud diuidi ab actu.*

His ergo prænotatis, prædictæ tres cõclusiones huius articuli fient cõpertæ: nam loquẽdo de potẽtia logica, quæ tantùm respicit extremorũ connexionẽ in se: non est necessarium ponere in Deo, aliquod principiũ actiuum, quo aliqua diuina persona sit potẽs generare: quia cum potentia logica non respiciat principium actiuũ, sed tantum non repugnantiam terminorũ: sufficit cõsiderare aliquos ibi esse terminos non repugnãtes, & alios repugnantes, absq; eo quod respectu huiusmodi potentiæ logicæ consideretur aliquod actiuum principiũ. Sic igitur possumus dicere, quod Pater, & Deus sunt in potentia logica ad generandum: non quod cõsideretur in eis principium generãdi: sed quatenus præcisè non repugnant isti termini inter se, Pater generat, Deus generat: vt sic enim quodámodo dicitur Pater subijci generationi, quatenus scilicet in dicta propositione Pater est subiectum, & generare est prædicatũ. Hoc igitur modo dicimus Filium, & Spiritũ sanctum, non esse in potentia logica ad generandum: quia generare sibi repugnat.

9

Pater est in potentia logica ad generandum, non tamen Filius, nec Spiritus Sãctus.

Loquendo autem de potentia obiectiua, quæ est passiua, & respicit rem, quæ potest esse, eo quod erit: non est Filius in potentia obiectiua vt generetur: quia talis potentia est ab actu diuisa: & vt habetur in textu, potẽtia diuisa cõtra actũ non est in Deo: sicut nec in Patre est

10 *Filius non dicitur esse in potentia obiectiua, vt generetur.*

poten-

potentia ad generandum diuisa ab actu generandi, & sic manent expositæ prima, & secunda conclusio. Potentia autē subiectiua nullatenus esse potest in Deo: quia hæc dicit imperfectionem: importat etenim potentiam perfectibilem per actum, tanquam per formam: in Deo autē omne quod est, est in vltima actualitate, vt patuit in dist. 5. quæst. 2.

In Deo nulla datur potentia subiectiua.

II

In Deo datur potentia actiua ad generandum, tā proper se significato, quā pro denominato.

Restat igitur, quod in Deo sit potentia realis actiua ad generādum: & quod hæc sit in Patre, sumpta proper se significato, vt inquit Doctor in articulo sequenti, *non habet difficultatem quia potentia in diuinis dicit essentialiter relationem.* Secundo autem modo, hoc est pro connotato fundamento proximo huius relationis, est difficultas quęstionis, sub hoc primo & secundo articulis. In hoc tamen primo quoad quæstionem *de an est?* illam resoluit Doctor de Deo, per tertiam conclusionem textualem, hæc asserens. *Loquendo nunc de potentia, id est de proximo fundamento istius relationis præcise sumpto, dico quod est aliquid.* Quoad quæstionem vero *de quid est?* illam in sequentibus quatuor articulis, præclare inuestigat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm potentia, seu principiū, quo Pater formaliter est potens generare, sit relatio, seu proprietas Patris?

A. AD tertium sic proceditur, videtur, quod potētia, seu principium, quo Pater formaliter est potens generare, sit relatio, seu proprietas Patris, per rationem: quia actus proprius est á propria forma agētis: sed generare est proprius actus Patris: ergo, &c. Probatio maioris. Tū quia propria forma dat esse: igitur & agere. Tùm, quia si forma communis, & effectus communis: quia causa, & effectus correspondent sibi inuicem, vniuersalis, vniuersali particularis particulari. 2. Phys. & 5. Metaphy. cap. de causa.

2 Phy. tex. com. 38. 5. Metaph. tex. com. 2. & 10. Metaph. text. com. 22.

Secundò præterea, medium est eiusdem generis cum extremis: sed suppositā, quæ sunt extrema, sunt relatiua: igitur illud, quo suppositum agit, quod est medium inter ea, est relatiuum. B.

Tertio præterea, potentia est eiusdem generis cum actu: imò in diuinis sunt idem: sed actus generandi est relatio, vel relatiuum: ergo, & principium erit relatio, vel relatiuum. C.

Sed contra est: quia tunc eadem relatio esset principium sui ipsius: quia in Patre non est nisi vnica relatio ad Filium, & illa est per te, quo, respectu generationis, quæ scilicet generatio est eadem relatio: licèt aliter: ergo, &c. D.

Respondeo dicendum, quod, *supposito ex articulo primo, quod* hîc tantummodo quæritur de potentia agēdi: tunc distinguitur, quod hoc nomen potentia potest sumi, vel pro eo quod per se significat, vel pro eo, quod connotat, quod est proximum fundamētum talis relationis. Primo modo accipiendo dico, quod potētia significat relationem, sicut potētialitas, vel principiatio. Et hoc modo quæstio non habet difficultatem: quia potentia generandi in diuinis dicit essentialiter relationem. Secundo modo est difficultas quæstionis, quærendo quid sit illud absolutum, quod est fundamentum proximum istius relationis. Et tunc loquendo semper præcise de potentia actiua, siue productiua, de qua est modo sermo, distinguo vlterius de potentia denominatiuè sumpta, quod aliquando sumitur pro suo fundamento præcise: aliquādo autem pro ipso E. *Prima conclusio.*

cum omnibus alijs,quę concurrunt, ad hoc vt poſsit elicere actum: quæ ſcilicet requiruntur ad rationem potētiæ propinquæ, cuiuſmodi ſunt(in creaturis)approximatio paſsi, & impedimēti remotio. Iſta diſtinctio vltima potentiæ acceptæ pro fundamento præciſe: vel pro ipſo cum alijs omnibus cōcurrentibus: accipitur à Philoſopho 9. Metaph. definitio autem potentiæ actiuæ, quàm ponit 5.& 9. Metaph. eſt potentiæ actiuæ, primo modo ſumptæ. Potentiam autem ſecundo modo ſumptam exprimit ipſe manifeſtè 9. Metaph. cap. 4. quoniam (inquit) poſsibile aliquid,poſſibile,& quando,& quo, & quæcunque alia neceſſe eſt adeſſe in definitione.Et ſubdit,talespotentias,ſcilicet irrationales,neceſſe eſt, vt poſſint,quando paſsiuum,& actiuum appropinquantur,hoc quidem facere, illud vero pati.

9.Metaph. text. com. 10. & circiter 5. Met. tex. co.17.

9.Metaph. tex.com.2. & inde 9. Meta. tex. com. 10.

F. Etſi obijciatur contra eum, quòd iſtæ irrationales poſsint impediri, hoc excludendo dicit: nullo namq; exteriorum prohibente adiungere nihil adhuc oportet: potentia enim habet, vt potentia faciēdi: eſt autem non omninò,ſed habentium, aliquo modo,in quibus excluduntur, quæ externis prohibent, remouent enim hoc eorum, quæ in determinatione apponuntur quædam. Vult dicere, quod quædam pertinētia ad diffinitionem potentiæ actiuæ, vt potentiæ excludunt impedimentum: ergo potentia actiua ibi ſecundum eum accipitur cum omnibus concurrentibus ad poſsibilitatem propinquam agendi. Loquendo tunc de potentia, id eſt, de proximo fundamento iſtius relationis præciſe ſumpto: dico,quod potentia generandi Patris, non eſt relatio. *Iſtam* negatiuam probo. Primo: quia omnis relatio videtur æque naturaliter reſpicere ſuum proprium correlatiuum: ergo relatio ſpirantis ſuum proprium correlatiuum,ſicut relatio generantis ſuum: non diſtinguuntur autem in diuinis productiones per modum naturæ,& voluntatis,niſi quia principium,quo producens producit,aliter, & aliter ſe habet ad productionem,& productum: quia hæc naturaliter, hæc libere: ergo non eſſent tunc duæ productiones formaliter diſtinctæ per modum naturæ,& voluntatis. Secundo, *patet ex ratione poſita*, §. *ſed contra*. Tertio: quia tunc paternitas eſſet ſimpliciter perfectior filiatione.Probatio conſequentiæ dupliciter. Primo: quia illud,quo producens producit, ſi non eſt eiuſdem rationis cū producti forma,continet eam virtualiter, & eſt perfectior ea: ergo ſi paternitas eſt quo Pater agit, & non eiuſdem rationis cum filiatione,continet filiationem virtualiter, & eſt perfectior ea. Secundo: quia filiatio non dat filio, quod agat: nil enim nihi: nec ad intra, nec adextra producit Filius filiatione: ergo ſi Pater paternitate agit formaliter,paternitas erit aliquid perfectius filiatione.

Secunda cō cluſio.

Ad primum argumentum dico, quod duplex poteſt intelligi communicabilitas formæ: vna quæ eſt vniuerſalis, quæ eſt per identitatem ad multa inferiora, quorum quodlibet eſt ipſum: ſicut vniuerſale communicatur ſingularibus. Alia, quæ eſt ad multa, quorum quodlibet eſt ipſo,ſicut forma communicatur materiæ,ſed non eſt ipſum: ſicut dictum eſt de duplici communicatione formæ,diſt.2.quæſt.4.Tunc dico, quod à forma communi primo modo eſt operatio communis: quia ſi formam aliquam in vniuerſali acceptam conſequatur aliqua operatio in vniuerſali: quamlibet formam ſingularem ſub illa conſequitur operatio ſingularis eiuſdem rationis, niſi aliqua forma ſingularis ſit imperfecta. Si autē loqua- G.

loquamur de secunda communitate quæ est formæ respectu participantium ipsam, dico, quod non oportet, quod forma communis sit principium operationis communis: & maximè quando habetur à pluribus suppositis secundum ordinem: ita quod vni communicatur ab alio: & hoc cõmunicatione adæquata, sicut fuit declaratum in exemplo adducto in prima ratione ad partem affirmatiuam quæstionis *in articulo quarto*. Ad propositum dico, quod maior est falsa, operatio propria est à forma propria: loquendo de appropriatione secundo modo, qualis est appropriatio ista: vel saltem non potest intelligi alia in proposito. Et cum probatur prima propositio, primo quia propria forma dat esse: ergo dat agere. Nego consequentiam, multæ enim sunt formæ dantes esse, quę non sunt actiuæ, & ita nullo modo dant actum secundum: & talis est paternitas, sicut & filiatio.

H. Quæ autem sit ratio quare, quædam formæ sunt actiuæ, & quædam non? Difficile est assignare rationem communem: quia aliquæ formæ substantiales sunt actiuæ: aliquæ autem formæ substantiales non sunt actiuę: & aliquæ qualitates non sunt actiuę: & tamen plus conueniunt qualitates, & qualitates in aliquo conceptu cõmuni, quàm qualitates, & substantiæ. Similiter aliquæ formæ substantiales imperfectiores sunt actiuæ sicut elementares, & perfectiores nõ sunt actiuæ, sicut mixtorum: sicut forma lapidis, & aliorum animatorum. Aliquæ etiam mixtorum perfectorum sunt communicatiuæ, sicut animatorum: aliquæ tamen perfectiores non sunt communicatiuæ sui: sicut formæ corporum cœlestium, & formæ Angelicæ. Non igitur videtur ratio, quare aliquæ formæ in communi sunt actiuæ, & aliquæ non; sicut in speciali nõ videtur aliqua ratio, quare calor est calefactiuus, nisi quia calor est calor. Et ita videtur, quod hęc sit immediata: calor est caloris effectiuus: ita etiam videtur, quod omnes formæ de genere quantitatis, & omnes relationes, de quibus est modo sermo, non sunt actiuæ, & de omnibus talibus non valet: si dant actũ primum: ergo & secundum.

Cum probatur secundo consequentia per Philosophum 2. Physicorum, & 5. Metaphysicæ dico, quod loquitur de vniuersali, & particulari, loquendo primo modo de communi: non autem accipiendo secundo modo, scilicet, prout eadem forma numero est communis participantibus eam. Ista enim communitas non est in creaturis, nec communitas vniuersalis ad participantia, siue cõmunitate vniuersalis primo modo dicta. I.

Ad secũdum, cum arguitur de medio, & extremis, dico, quod quoddã est medium per participationem vtriusque extremi: sicut fuscum, quod est medium, inter album & nigrum: quod est medium ex natura rei: & de tali verum est, quod est in eodem genere cum extremis, sicut probat Philosophus 10. metaphy. Aliud est mediũ, aliquo alio modo accidentaliter sumptum: sicut operatio inter operans, & terminum istud, non oportet esse eiusdem generis cum extremis, quia quando anima intelligit se: intellectio ei⁹ est qualitas: & tamẽ operans, & obiectũ sunt substantiæ. Tale autẽ mediũ accipitur in proposito: videlicet ipsum, quo, inter suppositũ generans, & generatũ. Vel potest dici, quod ipsum, quo, non est medium propriè, sed tenetse ex parte alterius extremi, scilicet generantis. propriũ autem medium (si quod detur) potest dici generatio, & de illa verum est, quod est eiusdem rationis cum K. *Text. com. 22.*

extremis: quia ipsa est relatio, sicut extrema sunt relativa.

L. Ad tertium de potentia, & actu dico, quod equivocatur de potentia. Vera est enim maior, vt potentia est differentia entis condividens ens contra actum: quia sic, ens in cõmuni, non tantùm dividitur per actum & potentiam, sed etiam quodcunq; genus entis, & quæcunque species, & individuum: quia sic eadem albedo est in potentia, & postea in actu. I. Et hoc modo ad idem genus pertinent actus, & potentia: hoc modo propriè loquendo non est potentia generãdi in divinis propriè, scilicet, quæ opponatur actui: quia illa generatio est simpliciter in actu, & necessaria: & ideò non est in potentia, vt potentia repugnat actui: sed hîc est sermo de potẽtia, vt est principium, & hoc modo ista propositio est falsa, quæ dicit: quod potẽtia est eiusdem generis cum actu. K. Potest enim forma substantialis esse principiũ actionis de genere actionis, & actionis de genere qualitatis, sicut tactum est supra dist. 3. quæst. de notitia genita, quod subiectum est per se causa propriæ passionis.

Soluẽdo argumenta secundæ opinionis.

Expositio artic. 2. q. vnicæ. distinctionis 7.

SVPPOSITO ex præcedenti articulo in Deo esse principium actiuum, seu actiuam potẽtiam, sumptam pro proximo fũdamento potentiæ seu principio generationis: hîc quæritur quid sit illud tale principium, seu fundamẽtum: an scilicet sit relatio, seu proprietas Patris? ad cuius intelligentiam duas præbet textus distinctiones, Prior est de potentia pro per se significato, & pro cõnotato: de qua supra in commẽtario primi articuli egimus. Secunda vero de fundamẽto potentiæ, sumpto præcise, & sumpto pro ipso cũ omnibus alijs requisitis. Hanc vltimã distinctionẽ cõprobat auctoritate Philosophi: & loquẽdo de potẽtia, id est, de proximo fundamento istius relationis potentiæ generãdi, præcise sumpto: sic difficultatẽ præsentis articuli concludit: *dico quod potentia generãdi Patris non est relatio.* Quæ cõclusio est communis, illam tenet Seraphicus Doctor D. Bonauentura in 1. dist. 7. quæst. 1. art. 1. D. Thomas prima parte quæst. 41. art. 5. Ricardus in 1. dist. 7. quæst. 2. & omnes alij. Quam cõclusionẽ negatiuam probat Doctor quatuor rationibus, quæ clare habentur in textu. Sed argumentorum solutiones sunt ibi maxime ponderandæ: non etenim immoror in illis, quia subtilitatem simul cum claritate includunt.

Potẽtia pro fundamento sumitur dupliciter.

ARTICVLVS III.

Vtrùm relatio sit principium determinatiuum generationis?

AD tertium sic proceditur, videtur, quod relatio sit principium determinatiuum generationis: quia dicitur, quod generationis in diuinis oportet dare aliquod principium positiuum: quia actio est positiua: non sunt autem positiua in diuinis personis nisi essentia, & relatio: relatio autem nõ potest esse principium illius productionis: quia relatio non est principium: nec terminus motus ex 5. Physic: ergo essentia. Sed essentia secundum se considerata est indeterminata ad plures personas, & ad actiones plurium personarum: ergo oportet quod ad hoc, quod ipsa sit principiũ determinatę actionis, quod determinetur: determinatur autem per relationem: & ideò relatio ponitur principium, non elicitiuum, sed determinatiuum.

A. *Opin. Henric. quodli. 3. q. 3. & in sum. a. 57. quæst. 7.*

Tex. co. 10.

Secundo præterea, ad hoc etiam addu-

B.

adducitur confirmatio ex creaturis, vbi eadem forma dat actum primum & secundum : sed determinatur ad hunc, & illum ex diuersis respectibus: quia ad primum determinatur ex respectu ad subiectum, & ad secũdum ex respectu ad obiectum : ergo, &c.

C. Sed contra est: quia natura, vt natura, ponitur principium elicitiuum istius actionis: ipsa autem, vt natura non est determinabilis, secundũ Damasce. lib. 3. cap. 5. proprietates determinant hypostases, non naturam, vt naturam: igitur nihil est determinatiuum principij quo, vt est principium, quo, sed tantùm principij agentis.

D. Respondeo dicendum, quod indeterminatio est duplex, quędam est potentiæ passiuæ, vt indeterminatio materiæ: & quædam potẽtiæ actiuæ illimitatæ ad plures effectus. Exẽplum, sicut sol est indeterminatus ad producendum multa animalia, non quod aliquam formam recipiat, vt agat: sed quia habet virtutem productiuam illimitatam. Quod autem est indeterminatum indeterminatione materiæ, oportet, quod recipiat aliquam formam, ad hoc vt agat: quia non est in actu sufficiente ad agendum: sed quod est indeterminatum indeterminatione potentiæ actiuæ, est ex se sufficienter determinatum ad producendum, quemcunque istorum effectuum: & hoc si passum dispositum sit approximatũ: vbi requiritur passum: vel ex se ipso, vbi nõ requiritur passum. Probatio, si tale actiuum esset de se determinatum ad vnum effectum, posset de se sufficienter producere illum: sed si est indeterminatum ad hoc, & ad illud, ex tali illimitatione nulla tollitur perfectio causalitatis eius respectu talis effectus: sed tantùm causalitas additur respectu alterius: igitur ita potest producere istud, & illud, sicut si esset tantùm istius, & ita non requiritur aliquod determinans. Ad propositum, essentia diuina non est principium indeterminatum indeterminatione materiæ: igitur sine determinatione alterius, quasi principij actiui, erit simpliciter determinatum determinatione, quæ requiritur ad agẽdum: ita quod nõ requiritur aliquid aliud. Vnde potest sic formari ratio contra *prædictam opinionem*: quod est indeterminatum ad plura, indeterminatione potentiæ actiuæ, ex se est sufficiens ad quodlibet illorum producendum, nec indiget aliquo determinante, vel actuante: sed essentia diuina tantùm habet indeterminationem potentiæ actiuæ: aliàs esset imperfecta: ergo, &c. Minor patet ex dictis. Confirmatur, quia talis indeterminatio principij actiui, licet sit ad disparata, non tamen est ad contradictoria, sed determinatè ad alteram partem contradictionis respectu cuiuslibet istorum disparatorum: nulla autem indeterminatio prohibet ex se determinate agere, nisi, quæ aliquo modo esset ad contradictoria, vt ad agere, & non agere: ergo, &c. Hic nota, quod indeterminatum determinatur se ipso: alioquin esset processus in infinitum: quia & illa, quibus determinaretur, per alia: & illa alia per alia. Contra, quod ex se determinatur ad vnũ oppositorum, est incompossibile alteri. Item, ergo in quolibet determinatur ad aliud respondeo, de contradictorijs tenet. Ad secundum, in quolibet est determinatum.

Conclusio.

E. Item secundo, quando aliquod principium actiuum est indeterminatum ad aliquos duos effectus, non exæquo, sed secundum ordinem naturalem, ex se sufficienter determinatum est ad primum illorum, & posito primo, est determinatum ad secun-

cundum: essentia autem diuina non est indeterminata ad istas duas productiones ex æquo, sed per prius se habet ad generationem: igitur est ex se sufficienter determinata ad vtrumque: quia ex se primo ordine originis ad primam, & illa posita, est determinata ad secundam: & ita in nullo signo originis est indeterminata ad vtramque quasi tunc eliciendam.

F. Item tertio, potentia generandi significat principium actus eliciendi à supposito habente istud principium: igitur duplicem relationē connotat, vnam principij ad actum, aliā cōnotat, actus ad suppositum: quod est dicere, connotat relationem principij quo, ad actum, & cōnotat ad relationem actus ad principium quod: & forte tertio connotat relationem principij, quo, ad principium quod: siue sint duæ, vel tres relationes: nulla tamen est nisi rationis propter indistinctionem extremorum. Prima competit naturæ principianti, vt fundamento proximo. Quod ergo dicit Boetius, quod ad intra est ratio principij originalis: verum est, respectu personæ originatæ: sed nō respectu originationis, siue actus originādi, nisi secundū rationem tantū. Item tertio, relatio est ratio, & forma suppositi agentis: igitur, si est determinatiua principij, quo, habebit duplicē rationē principij respectu generationis: vnam in quantum est ratio agentis: & aliam in quantum est ratio determinata principij agendi: & sic ipsa mediabit inter se ipsam, & actionem. Item quarto, sicut in §. *sed contra.*

G. Item quinto, relatio (secundum istum Magistrum) tantùm ratione differt à fundamento: ergo non potest esse principium determinatiuū ad actum realem, aliquo modo distinctum ab essentia: quia nihil concurrit ad rationem alicuius principij, respectu actionis realis, nisi reale. Item sexto, *vide infra in solutione secundi argumenti.*

Ad primum argumentum, *patet, quod (sicut dictum est)* indeterminatum ad plura indeterminatione potentiæ actiuæ ex se est sufficiens ad quodlibet illorum producendum, nec indiget aliquo determinante: *sic* essentia diuina tantum habet indeterminationem potentiæ actiuæ: aliàs esset imperfecta, *vt* patet ex dictis. H. I.

Ad secundum, quod dicitur de relatione determinatiua in creaturis, videtur esse falsum: quia calor ex se non per aliquem respectum medium est fundamentum huius respectus potentiæ calefactiuæ: non oportet etiam, quod determinatio ad actum primum, & secundum, fiat per respectus: quia eadem forma dat actum primum absolutum, & secundum, & non respectiuum: & etiam principium agendi est absolutum, & non respectiuum. *Imo quod dicitur, quod* eadem forma dat actum primū, & secundum, *in vniuersum*, nego. Multæ enim sunt formæ dantes esse, *vt visum est art. 2. solutione ad secundum*, quæ non sunt actiuæ: & ita nullo modo dant actum secundum, & talis est paternitas sicut, & filiatio.

Expositio art. 3. quæst. vnic. distinctionis 7.

DVo principia generationis diuinæ posuit Henr. quodl. 3. q. 3. & in summa art. 57. q. 7. vnū, scilicet, elicitiuum, & aliud determinatiuū: inquit enim, quod essentia est principium eliciriuū generationis: sed quia non potest esse tale principium determinatæ actionis: ideò indiget determinari per aliud principiū. Hoc tale principium autem, non aliud esse potest, nisi rela-

relatio seu proprietas Patris & sic essentia est principium elicitiuum generationis, relatio vero est principium determinatiuum illius. Quæ Henr. sententia probatur duplici argumento posito in principio articuli. Ad cuius articuli resolutionem prænotat Doctor duplicem esse indeterminationem, quandã scilicet potentiæ passiuæ, qua indeterminata est materia ad plures formas distinctas ratione: & aliã potentiæ actiuæ, qua indeterminata est causa efficiens illimitata ad producendos plures effectus, specie distinctos; sicut sol est indeterminatus ad producendũ equũ, & hominem, & cæteras species animalis. Ex illis autem duobus indeterminatis potentia passiua indeterminata, est quæ indiget determinari per formam: actiua vero à nullo sibi addito determinari eget. Vnde concludit Doctor ad propositum, quod quia diuina essentia non est principium indeterminatum indeterminatione potentiæ passiuæ, sed actiuæ: igitur sine determinatione alicuius sibi additi, erit simpliciter determinatum principium determinatione, quæ requiritur ad agendũ: atque ideò proprietas, seu relatio Patris nullo modo habet rationem principij adhuc determinatiui ad agendum. Hoc contra Henricum sex rationibus probat Doctor in textu, & eius argumenta soluit. Quæ omnia clare habentur ibi.

Indeterminatio est duplex, potentiæ passiuæ & potẽtiæ actiuæ.

Essentia diuina ad agẽdũ nõ determinatur per relationes.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm potentia generandi, seu principium generationis sit aliquod absolutum?

A. AD quartum sic proceditur, videtur, quod potentia generãdi, seu principium generationis, non sit aliquod absolutum: quia Augustinus 5. de Trinitate cap. 6. (*ait*) eo Pater est, quo est ei Filius: ergo eo est Pater, quo generat. Probatio consequentiæ: quia generatione est ei Filius: sed paternitate est Pater: ergo paternitate generat: vel si Deitate: ergo Deitate est Pater.

B. Sed contra est: quia aliquid absolutum est terminus formalis generationis: ergo aliquid absolutum est ratio formalis, qua agens agit: antecedens probatum est dist. 5. quæst. 2. prima ratione contra primam opinionem. Probo consequẽtiam: quia impossibile est agens communicare terminum formalem productionis, nisi agat forma æquè perfecta: si agit vniuocè: vel perfectiori, si æquiuocè. In diuinis autem nihil est perfectius absoluto: quia absolutum est formaliter infinitum: relatio autem non: ergo, &c.

C. Respondeo dicendum ad formã quæstionis, qua quæritur de potentia generandi, an sit aliquod absolutum: quod gerundium constructum cum potentia notat actum, vt egredientem ab eodem supposito, cui attribuitur potentia. Similiter est de scientia, & voluntate: quando construuntur cum gerundio notãt actũ, vt egredientem, vel potentem eggredi ab illo supposito, cui attribuitur scientia, vel voluntas. Propter quod non concederetur ista, Filius habet scientiam, vel voluntatem generandi, quomodo concederetur illa, Filius scit generationem Patris, vel vult eam: imò videntur illæ negandæ, sicut istæ, Filius scit generare, & vult generare: quia idem videtur, velle agere, & habere voluntatem agendi: sed non idem istis videtur esse, velle actionem: quia hæc non includit eam velle, vt actionem voluntatis, quod alia videntur significare. Loquendo *igitur*, de potentia, id est de proximo fundamento istius relationis, *scilicet paternitatis* præcisè sumpto, dico, quod potentia generandi Patris est aliquid absolutum,

istam

istam affirmatiuam solutionis. Probo sic, quod est perfectionis in principio productiuo, non tollit ab illo rationem principij productiui: sed si Deus per impossibile generaret alium Deum, & ille alius tertium, Deitas poneretur principiū productiuum alterius, & non relatio: & tunc Deitas non communicaret se in identitate numerali: nec cōmunicaret se communicatione adæquata sibi in ratione principij productiui: quia Deitas posset esse principium alterius communicationis, putà factæ per impossibile, à secundo Deo: ergo cum modo Deitas communicetur in identitate numerali, & communicatione adæquata sibi, ita quod Deitate non potest esse alia communicatio numero eiusdem rationis cum ista: sequitur, quod multo magis modo ponetur absolutum esse principium productiuum, quàm tūc poneretur. Breuiter, si forma cōmunicaretur non eadem numero, nec adæquata: ipsa poneretur principiū communicandi: igitur, si modo perfectiori communicetur ipsa, vel aliquid perfectius, erit principium communicandi illo modo. Exemplum istius, si calor in igne communicaret se eundem numero, ligno, & communicatione adæquata: ita quod iste calor non possit esse principium alterius calefactionis: non negaretur calorem ignis esse principiū productiuum caloris in ligno: cum modo de facto ponatur calor esse principium illius, & hoc cum duplici imperfectione oppositā duplici perfectioni hîc suppositæ: quia non est ibi diuersitas caloris communicati, & communicatio nō est adæquata: hîc autem esset identitas caloris, & communicatio adæquata: & tamē illa hypotesi posita, lignum calore nō posset calefacere: non enim se: quia accipit calorem calefactione, quæ est ab hoc calore, & tunc prius haberet calorem, quam haberet calorem, nec aliud: quia ista calefactio ligni ponitur adæquata illi calori in ratione principij actiui. Ita intelligēdum est in proposito, quod illud, quod poneretur esset principium alterius communicationis, si communicatio fieret in diuersitate numerali, & non adæquata: illud idē debet modo poni principium, quando fit communicatio eiusdem, & adæquata principio productiuo. Secundo probo idē sic, *vt in §. sed contra.* Sed huic rationi instatur, quod consequentia tantùm valet in generatione vniuoca: hæc autem probatur esse æquiuoca *in art. 7. ibi vide argumenta, & solutiones.*

Ad argumentum respōdeo, quod neutra consequentia valet: quia ablatiuum cum verbo significat principium agendi: cum adiectiuo nomine, vel concreto, significat principiū formale concernens. Nunc autem non oportet idem esse, quo aliquid est formaliter tale, & quo elicitiuè agit, licèt esse tale, & agere conuertantur respectu suppositi agentis. Nec etiam illud additum est idem: quia ablatiuus non potest construi cum hoc, & cū illo, vniformiter propter fallaciam figure dictionis primo modo: similis terminatio ostendit identitatem conceptus cum hoc, & cum illo cum sit alius. D.

Ad Augustinum *igitur*, dico, quod intelligit eo formaliter, non, eo, fundamentaliter, seu causaliter. Exemplum, dicimus, quod Sortes est simile similitudine formaliter: sed dicitur similis albedine fundamentaliter seu causaliter. Ita in proposito, Pater generat generatione formaliter: sed hoc modo non quærimus hîc, quo generat? Sed quærimus hîc, quo generatio elicitur, vt principio formali elicitiuo? quod scilicet sit fun- E.

da-

damentum proximum iſtius relationis: intẽdit igitur Auguſtinus, quod eo eſt Pater, quo eſt ei Filius, id eſt illa notione, hoc eſt, quod Pater non dicitur ad ſe Pater, ſed ad Filium: nõ autem intelligit ibi, quo Pater ſit Pater, ſiue generet, vt principio elicitiuo generationis, ſicut patet ex litera ſua.

Expoſitio art. 4. quæſt. vnic. diſtinctionis 7.

1 NON agitur adhuc in hoc articulo, quodnam ſit illud proximum fundamentum potentiæ generandi? ſed poſtquam in ſecũdo articulo oſtenſum eſt, non eſſe relationem: & in tertio vidimus relationem, neque etiam ibi habere rationem principij ſaltem determinatiui: hic conſequenter inquiritur: an tale principium prout à relatione diſtinctum, & quatenus eſt fundamentum illius relationis, quæ eſt potentia, ſit abſolutum? quam difficultatem his verbis Doctor reſoluit: *Loquendo de potentia, id eſt, de proximo fundamento iſtius relationis præciſe ſumpto, dico, quod potentia generandi Patris eſt aliquid abſolutum.* Hanc affirmatiuam concluſionem egregiè probat illa ratione poſita in §. *ſed contra*, & deinceps in corpore articuli. Prædicta autem ratio (quæ ampliùs in articulo ſeptimo examinatur) ſtat in hoc, quod ſicut ſemper cauſa eſt perfectior effectu, vel ſaltim non in perfectior ipſo: quia in eius virtute præhabetur effectus: ſic principium (in quo non eſt cauſalitas) ſe habet ad terminum, quod non poteſt eſſe minus perfectum, quàm ille. Quo ſuppoſito, ſunt hic quatuor propoſitiones. Prima eſt, quod principium formale agendi non poteſt eſſe minus perfectum, quàm terminus formalis talis actionis. Secunda eſt, quod terminus formalis generationis correſpondet principio formali generandi. Sicut etenim terminus formalis eſt ille, qui in conſtituto habet dare eſſe formale ipſi conſtituto ex vi generationis: ſic ratio formalis generandi, ſeu principium formale eſt illud, quo generans formaliter generat, & communicat termino formali genito ex vi talis generationis. Tertia propoſitio eſt, quod terminus formalis generationis diuinæ eſt eſſentia. Habetur expreſſe à Doctore probatum ſupra in diſtinctione quinta, quæſtione ſecunda articulo quarto, & latius ex noſtra difficultate 66. Quarta propoſitio eſt, quod in diuinis abſolutum eſt perfectius relatiuo: quia relatio non dicit aliquam perfectionem, aut infinitatem: abſolutum verò eſt ibi maximè perfectum.

Principium formale agendi non eſt minus perfectum, quàm eius terminus formalis.

Terminus formalis correſpondet principio formali agendi.

Abſolutũ in diuinis perfectius eſt relatione.

Ex his ergo propoſitionibus ſic conficitur argumentum. Ratio formalis, ſeu principium formale generandi (quale eſt illud præciſum fundamentum relationis potentiæ generandi) non poteſt eſſe minus perfectum, quam terminus formalis talis generationis: quia illi correſpondet tanquam ratio formalis communicandi talem terminum formalem genito: ſed terminus formalis generationis diuinæ, eſt eſſentia: ergo principium formale generationis huiuſmodi non eſt aliquid minus perfectum, quàm eſſentia. At qui relatio in diuinis non eſt æquè perfecta ſicut eſſentia: ſi quidem perfectionem aliquam in ſuo conceptu formali non includit: vt patet infra in diſtinctione octaua ſub quæſtione quarta: ſed quidquid in Deo dicit perfectionem, eſt abſolutum: ergo illud tale principium generandi eſt aliquid abſolutum. 2

Alia ratio, quæ habetur in corpore articuli, videlicet, *quod eſt perfectionis in principio productiuo, non tollit ab eo rationem principij productiui, &c.* eſt ratio euidens; & ponitur propter eos, qui ideò negant poſſe eſſentiam eſſe principium generationis: quia eſt terminus formalis illius, non enim capiunt poſſe eandem formam eſſe principium, & terminum generationis eiuſdem: quia inter principium, & terminum connantur neceſſario diſtinctionẽ conſtituere. Vnde conuincuntur ponere non aliquod abſolutum, ſed relationem eſſe generationis principium: nam 3

cum

cum eſſentia diuina eadem numero, quæ eſt in Patre, ſit per generationem communicata Filio: non videtur poſſibile, quod in Patre ſit ratio formalis generandi, aut communicandi ſe ipſam Filio: videtur enim, quod communicari alicui in identitate numerali auferat ab ipſo communicato rationem principij productiui.

4 Hoc igitur intendit Doctor principaliter probare, quod ſcilicet communicare ſe in identitate numerali, non auferat ab eo, cui communicatur, rationem principij productiui. Quod probat ibi hac ratione. Si Deus per impoſſibile alium Deum generaret: & ille alius generaret alium, qui eſſet tertius Deus: proculdubio, Deitas ſeu natura diuina poneretur ibi eſſe principium productiuum alterius Dei, & non poneretur relatio eſſe tale principium: quòd in creatis contingit, vbi natura humana eſt in homine generante principium productiuum alterius hominis; & in illo altero eſt principium alterius geniti: non enim ibi habet rationem principij individualitas, ſeu ſuppoſitalitas generantis, ſed natura. In propoſito ergo inquit Doctor, quòd ſi Deus generaret alium Deum Deitate: tunc Deitas non communicaret ſe in identitate numerali: nec communicaret ſe communicatione adæquata ſibi in ratione principij productiui: quia Deitas poſſet eſſe principium alterius communicationis factę ſcilicet per impoſſibile à ſecundo Deo: ergo cum modo Deitas communicetur identitate numerali, & communicatione adæquata ſibi, ita quòd Deitate non poteſt eſſe alia communicatio numero eiuſdem rationis cum iſta: ſequitur, quod multo magis modo ponetur abſolutum eſſe principium productiuum, quàm tunc poneretur. Si quidem, quod eſt perfectionis in principio productiuo non tollit ab eo rationem principij productiui. Ergo cum ſit perfectio in principio productiuo diuino communicare ſe identitate numerali: & hoc non tollitur à ratione principij productiui, conſequenter adhuc poſita hac perfectione communicandi ſe in vnitate numerali, manet quoque, quod Deitas ſit principium productiuum.

Quod autem ante concluſionem in corpore articuli prænotat *de gerundio, quod conſtruitur cum potentia, notat actum, &c.*: eſt quædam doctrina ſubtilis, quæ obſeruat Doctor, quod quamuis eadem eſſentia intellectui vnita reperiatur in Filio, quæ reperitur in Patre: non tamen in Filio habet rationem potentiæ generandi, ſicut in Patre: quæ litera eſt ibi benè expoſita. 5

Verum enim vero circa illam ſe offert dubium non minimum, quoniam eſſentia vnita intellectui in ratione memoriæ, eſt principium formale generandi: hæc autem vt ſic non eſt quid abſolutum, ſed relatio: tùm quia in Patre non diſtinguitur actus generandi à potentia generandi: actus vero generandi eſt relatio: cum etiam, quia potentia generandi eſt quid notionale: omne autem notionale eſt relatiuum, & non abſolutum: videtur ergo huiuſmodi potentiam non in abſoluto conſiſtere. 6

Reſpondeo, quod aliud eſt loqui de principio adæquato generationis, & aliud de principio formali, quod eſt ratio formalis agendi. Primum in diuinis includit potentiam, & obiectum, & ita eſt memoria fœcunda adæquatè conſtans intellectu, & eſſentia. Secundum vero eſt tantùm obiectum nempe eſſentia, quæ ideò eſt ratio formalis generandi: quia eſt intellectui ratio producendi, & aſſimilandi producenti, terminum productum. Dico igitur, quod hîc pertractat Doctor de fundamento proximo relationis, quod eſt principium, quatenus principium eſt præciſa ratio formalis generandi: & hæc non eſt tota memoria fœcunda, ſed eſſentia quæ fœcundat intellectum, præciſe ſumpta, quæ abſolutiſsima eſt. Si ergo accipiatur potentia pro tota memoria fœcunda, vt eſt adæquatum, & proximum principium generandi: non dubito, idem eſſe in Deo actum generationis, & potentiam generandi: & vt ſic memoria, ita eſt in Patre, quod non ſit in Filio, quidquid contra hoc immerito dicat Lychetus: nam vt ex Doctore dicemus infra ſub diſtinctione vigeſima ſexta, in difficultatibus de 7

Principiũ generãdi adæquatè dicit ſe habitudinem principio formali generandi.

Principiũ adæquatũ generandi ſolum eſt in Patre æterno.

Lychetus.

de constitutione personarum, hæc tria scilicet, potentia generandi, actualis generatio, ac relatio paternitatis, ex natura rei sunt formaliter idem: licèt ex diuerso modo concipiendi conceptibus inadæquatis à creaturis desumptis, differant inter se.

8 *Potentia generandi est quid notionale, & relatiuum.*

Ex his ergo libenter concedo, huiusmodi potentiam quid notionale esse, & ex consequenti non absolutum, sed relatiuum: propterea que hanc memoriam fœcundam, vt talis potentia generandi est, non esse in Filio, sed tantum in Patre. Ratio verò formalis agendi, quæ (vt in sequenti articulo patet) est diuina essentia, quid absolutum est, & de hoc absoluto loquitur præsens textus: & quod hæc sit expressa mens Doctoris, patet ex secundo articulo in corpore, vbi posit quam distinguit fundamentum relationis potentiæ generandi, pro vt præcisè sumitur, aut procer est cum omnibus requisitis ad generationem, asserit ibi, & in sequentibus articulis, se loqui de huiusmodi fundamento, quæ est ratio formalis agendi præcisè sumpta, & non de illo cùm omnibus requisitis. Intellectus autem est vnum ex requisitis ad generationem, à quo Doctor præcindit ibi, & hic.

9 Arguit contra distinctionem prædictam insurget studiosus Scoti discipulus, & mihi obijcier verba Doctoris, supra in dist.2.quæst.5.art.3.litera C. quæ sic se habent: *Dico quod memoria in Patre est principium operationum Patris, quo scilicet, vt actu primo Pater formaliter intelligit, &c.* Ex quibus sic conficiet argumentum. Eo dē principio, quo formaliter Pater intelligit, intelligit Filius, præsertim in via Scoti, qui nullum intelligere notionale admittit: sed omne intelligere diuinum essentiale est in tribus: in diuinis autē sicut quælibet operatio essentialis indiuisibiliter est in tribus, sic talis operatio nis principium: ergo idem principium, quo formaliter Pater intelligit, est in Filio: sed memoria est adæquatum principium generandi: memoria enim nihil aliud est, quàm intellectus fœcundus essentia in ratione obiecti intelligibilis: igitur non minus est tale adæquatū principium generationis in Filio, quam in Patre.

10 Pro solutione tamē argumenti istius videnda sunt, quæ enucleauimus ibi in commentarijs nostris ad eundem art. 4. sub num. 3. & 4. vbi exponitur, qualiter ibi loquatur Doctor de memoria, nō vt est principium productionis, sed vt est quid cōmune ad intelligere, & producere. Differentia namq; inter memoriā, & intelligentiam quasi specifica est, loquendo de memoria in rigore accepta, prout importat intellectū fœcundū essentia, in ratione obiecti præcisè intelligibilis: & vt sic intelligentia non est formaliter memoria, nec memoria est in Filio, sed tantum in Patre: & memoria, vt sic est adæquatū principiū generādi: latius autē sumitur memoria (vt ibi exponitur) prout etiā ad intelligentiā extenditur, qualiter est principium intelligendi in Patre: de qua tantū concludit argumentū, quod est in Filio sicut in Patre: sed hæc non est principium generādi, nec producendi.

ARTICVLVS V.

Vtrùm principium generationis sit diuina essentia?

A. AD quintum sic proceditur, videtur, quod principiū generationis non sit diuina essentia: quia omnis forma sufficienter eliciti na alicui actionis, si per se est, per se agit illa actione. Exemplum, si calor est sufficiens causa calefactiua, calor separatus calefaceret: albedo etiam per se habet disgregare: & ideò cum per se habet esse, vt in sacramento altaris, per se habet disgregare: ergo si Deitas sit potentia generatiua, & cō stat, quod sufficiens: sequitur quod si per se sit Deitas, quod per se generabit. Deitas autē prius est in se aliquo modo, quā intelligatur esse in persona: quia Deitas, vt Deitas, est per se esse: ita quod tres personæ ipsa Deitate per se sint, non è conuerso 7 de Trin. cap. 4. omnis creatura ad se subsistit, quāto magis Deus. Et infra, hoc est Deo esse, quod subsistere: ergo in isto primo signo naturæ, in quo intel-

ligitur Deitas in se, antequam intelligatur in persona, generabit: & ita Deitas sic considerata distinguetur à genito.

B. Si dicatur, quod Deitas non habet per se esse, nisi in persona: & ideò per se nō agit: sed persona per se agit. Cōtra, argumētū probat oppositū: quia si calor habens per se esse participatum per miraculum, esset per se, posset operari per se, illa operatione, cuius est principiū, quo, elicitiuū in supposito: ergo ipsa diuina essentia, quæ est per se esse ex se, non autem per se participat esse, poterit per se esse agens illa operatione, cuius est principium, quo, elicitiuum in supposito, & ita stat argumentum.

C. Secundo præterea sic: producētis, & formæ, qua producēs producit, eadem est relatio ad productū: hoc accipitur à Philosopho 2. Phys. & 5. Metaph. vbi vult, quod ad idē genus cauſæ, & principij pertinent ars, & ædificator: ergo ad idem genus principij pertinent, producens, & illud quo, producens producit: & ita si essentia fit, quo Pater generat, habebit essentia relationem realem ad genitū: hoc falsum est: ergo, &c.

2. Physico. tex. co. 38. & 50. 5. meta. text. com. 2. & 1

D. Tertiò præterea: forma, in quantū est, in qua assimilantur generans, & genitum, non habet vnitatem nisi rationis, sicut accipitur à Damasceno lib. 1. cap. 8. ergo nec entitatem nisi rationis: ergo secundum hoc non est principium elicitiuū actionis realis.

E. Quartò præterea: forma non est principium agendi, nisi in quantum agens est in actu per eam: non est autem in actu per ipsam, nisi in quantū est in ipso: non est autem in ipso nisi vt hæc: ergo vt hæc est principium.

2. de anima tex. com. 2. & alibi.

F. Quintò præterea: productio prius est distinctiua, quàm assimilatiua, quod patet: quia omnis productio est distinctiua, non autem omnis assimilatiua: ergo forma, quæ est principium productionis, prius est principium eius, in quantū forma est distinctiua, quā in quātum est assimilatiua. Ipsa autem est distinctiua in quantum hæc, assimilatiua in quātū forma: ergo prius est principium productiuum in quantum hæc, quam in quantum forma.

G. Sed contra est Damascen. Generatio est opus naturæ: sed non est opus naturæ, vt generantis: quia natura non generat: ergo est opus naturæ, vt principij generandi. Item Hylar. de Trinit. lib. 5. ex naturæ virtute in eandē natura natiuitate subsistit Filius. Item Magister in litera, Pater nō est potens nisi natura: & loquitur de potentia generandi: ergo, &c.

Capit. 8.

H. Respondeo dicendum, quod hīc est opinio talis, quod illud, quo Pater generat essentia est, propter hanc rationem: quia generās, assimilat sibi genitum in forma, qua agit: filius autem assimilatur Patri in essentia, non in proprietate: ergo, &c. Et declaratur ratio: quia sicut in creaturis proprietas indiuidualis non est ratio agendi: sed natura in qua indiuidua conueniunt: ita in diuinis proprietas personalis, quæ correspondet proprietati indiuiduali in creaturis, non erit ratio agendi, vel gignendi. Contra istud arguitur multipliciter: *Imo & argumenta posita in principio articuli faciunt contra istam opinionem, & nunc* instatur contra probationem argumenti positionis *dictæ opinionis.* Tū quia brutum generans brutum assimilatur ei in specie: & tamen forma specifica bruti nō est principium generandi: sed potentia vegetatiua: igitur maior videtur esse falsa. Tùm: quia in augmentatione carnis, calor est principium actiuum, secundum Philosophum secundo de anima: & tamen illo generatur caro animata similis generanti in forma vegetatiua. Quia tamen aliqua argumēta cōtra primam opinionem, sunt contra me, *Quapropter in principio articuli*

D. Tho. 1. p. q. 41. a. 5.

Tex. co. 50. & circiter.

po-

ponuntur pro parte contraria in fine.

I. Respondeo ad illa: sed ista alia instantia de generatione bruti videtur difficilior, si sensitiua non haberet ibi aliquam operationem, sed vegetatiua tantùm: & de hoc in secũdo libro, quãdo fiet sermo de rationibus seminalibus, quomodo potest esse generatio vniuoca in animalibus. Vtrũ in diuinis possint esse plures Filij? Instãtia autẽ illa de calore, & vegetatiua nõ valet: quia ibi cõmunicatur vtraq; forma, & forma principalis actiua, & immediata. Est enim caro genita animata, & habens calorem genitũ aliqualem naturalẽ: vtraque etiam forma est principiũ generationis: licet vnum mediatum, aliud immediatũ. *Ad solutionem igitur huius articuli*, loquendo de potentia, id est, de proximo fundamento istius relationis, *scilicet paternitatis* præcisè sumpto, dico, quod potentia generandi Patris non est relatio, *vt visum est in art. 2.* sed aliquid absolutum, *vt patet ex 4. art.* & ad propositum, essentia diuina non est principium simpliciter determinatũ determinatione, quæ requiritur ad agendum, *ita quod* natura, vt natura, ponitur principium elicitiuũ istius actionis.

Distin. 18.

Conclusio.

Hæc cõclusio copulata est ex verbis Doctoris diuisim positis in ista q. in antiquo text.

K. Ad primum argumẽtũ dico, quod illa propositio maior habet hîc maiorem probabilitatem, quàm in creaturis: quia ista forma sic per se est, quod illi correspõdet proprium quod, potens agere, puta hic Deus, qui quodammodo præcedit relationes: & sic agit: patet, quia sic primo intelligit & vult: igitur videtur, quod posset in omnem actionem, cuius suum quo, est proprium principium formale: & ita hic Deus generat primo: & ideò illa maior de principio elicitiuo falsa est: quãdo principium elicitiuum (si per se existat) non potest esse propinqua ratio ad operandum. Exemplum, species si ponatur principium elicitiuũ operationis videndi in oculo, si per se existeret, non posset esse principium illius operationis: & ratio esset: quia non posset esse potentia propinqua ad agendum. *Vide istud exemplum, & quæ sequuntur ad plenam solutionem huius argumenti, in sequenti articulo, vbi ipsum iterum ponitur in principio articuli, & per totum articulum optime solvitur.*

Hæc ait Lychet. de his solutionib⁹ Doctor respõdet ad argumenta cõtra Thomã quia etiam sunt contra positionem propriam.

L. Ad secundum de quod, & quo, dico, quod illud dictum Philosophi est verum in causa, & causato: quia ibi est distinctio realis causæ, & principij, quo causat, ab ipso causato: dependentia etiam essentialis est causati ad principium causatiuum, sicut ad causam: & ratio est ibi: quia principium causatiuum non est nisi vnicũ in vno suppposito. In proposito autẽ est oppositum: quia suppositum producens est distinctum: quo autẽ producit est indistinctum: & ideò productum non realiter refertur ad principium, quo, sicut refertur ad principium, quod producit: & ideò in proposito non est relatio realis principij productiui ad productũ, sed producẽtis est relatio realis: principij autẽ productiui est relatio rationis, sicut prius dictum est, de natura cõmunicante, & cõmunicata dist. 5. quæst. 1.

M. Ad tertium dico, quod forma, secundum quod est illud, in quo assimilatur generans generato, non est tantùm ens rationis, sed habet aliquã vnitatem præcedentem omnem actũ intellectus: quia nullo actu intellectus existẽte, ignis generaret ignem, & corrumperet aquam: & hoc propter sui similitudinem naturalem hîc, & contrarietatem ibi: hoc autem magis patebit in quæstione de individuatione. Ad Damascen. dico, quod intelligit de communicabilitate alicuius vnius secundum naturam, & secundum numerum: sicut essentia diuina est communis tribus personis:

In 1. dist. 3 quæst. 1.

sed hoc modo nulla est communitas realis in creaturis: est tamen communitas vnius alicuius vnitate minori, quàm sit vnitas numeralis.

N. Ad quartum, cum dicitur forma est principium agendi, in quãtum est in hoc, concludit pro me: quia illud absolutum, quod est Patri potentia generandi, non est potentia generãdi Filio.

O. Ad quintum, cum arguitur, quod generatio prius est distinctiua, quàm assimilatiua, & quod ex hoc forma sit prius elicitiua, vt hæc, quam vt forma. Respondeo, quod prius secũdum consequentiam, nõ semper est prius, secundum causalitatem. Exemplum sequitur: ignis: igitur calidus, & non conuerso: igitur calidum est prius secundum consequentiam: & tamen ignis est prius secundum causalitatẽ ipso calore: & ita concedo, quod distinguere est prius in generatione, quam assimilare, id est communius: quia multa distinguuntur, quæ non assimilant: sed distinguere non est perfectius in generatione, quàm assimilare: quia conuenit generationi etiam imperfectissimæ, in quantum est à forma absolutè: & perfectior est ratio formæ, quàm ratio singularitatis. Concedo tamen argumentum contra opinionem ponentem tãtùm distinctionem rationis, & non concludit contra me: sicut patebit in sequenti distinctione.

Expositio artic. 5. q. vnicæ. distinctionis 7.

1 IAM proprie ad quæstionem *quid est*, accidit præsens articulus ostendens hoc absolutum, quod est principium formale generandi, seu præcisum fundamentum relationis, quæ est potentia generandi, esse diuinam essentiam. Hanc conclusionem tenent Seraphicus Diuus Bonauentura in primo distinct. 7. quæst. 1. art. 1. Diuus Thomas prima parte, quæst. 41. art. 5. Ricardus in primo dist. 7. quæst. 2. est que sententia cõmunior. Sed Diuus Thomas hanc credit rationem illius. Nam illud proprie dicitur potentia in quocunque agente, quo agens agit: omne autem producens aliquid per suam actionem, producit sibi simile quantum ad formam, qua agit, sicut homo genitus est similis generanti in natura humana, cuius virtute Pater potest generare hominẽ: illud ergo est potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum assimilatur generanti. Filius autem Dei assimilatur Patri gignenti in natura diuina. Vnde natura diuina in Patre est potentia generandi in ipso. Hactenus Diuus Thomas. Quam rationem confirmat ex Diuo Hilario, lib. 2. de Trinitate non procul à fine, & lib. 5. etiam ad finem, & ex Magistro in hoc 1. dist. 7. *D. Bonau.* *D. Thom.* *Ricard.* *D. Hilar.* *Magist.*

2 Hanc Diui Thomæ rationem, propugnat Doctor in corpore articuli: & ait, quod contra ipsam arguitur multipliciter. Sed quia huiusmodi sententia est conformis cõclusioni nostri doctoris: ipse nõ illam impugnat, sed eius argumenta soluit, dum inquit: *quia tamẽ aliqua argumenta contra primam opinionem sunt contra me, respondeo ad illa.* Argumenta igitur quæ contra prædictam D. Thomæ rationem, seu opinionem fabricantur, sunt posita in principio articuli, tanquã argumẽta opposita cõclusioni Scoticæ: & ideò illa in articuli fine Doctor pro sententia propria soluit. Ratio igitur Diui Thomæ non reijcitur à Doctore, sed illam amplectitur, vt benè notauit Lychetus, & testatur litera textualis.

3 Ex præcedentibus ergo articulis copulatur conclusio adæquatè difficultati respondens, qua sic Doctor concludit. *Loquendo de potentia, id est de proximo fundamento istius relationis præcisè sumpto: dico quod potentia generandi Patris non est relatio* (quod constat ex 2. articulo) *sed aliquid absolutum* (quod habetur ex articulo 4.) *& ad propositum, essentia diuina est principium simpliciter determinatum determinatione, quæ requiritur ad agendum: atque ita natura, vt natura, ponitur principium elicitiuum istius actionis.*

ART.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ex eo quod diuina essentia sit principium generationis habēs esse per se, sine eo quod sit in supposito, possit per se generare?

A. *Hoc argumentum positum est in artic. 5. sed quia plena eius solutio pendet ex isto hic iterum ponitur.*

AD sextum sic proceditur, videtur, quod ex eo quod diuina essentia sit principium generationis habens esse per se, sine eo quod sit in supposito possit per se generare, quia omnis forma sufficiēter elicitiua alicuius actionis, si per se est, per se agit illa actione: ergo si Deitas sit potentia generatiua, & cōstat ꝙ sufficiēs, sequitur quod si per se sit Deitas, quod per se generabit. Deitas autē prius est in se aliquo modo, quā intelligatur esse in persona: quia Deitas, vt Deitas est per se: ergo in isto primo signo naturæ, in quo intelligitur Deitas in se, antequā intelligatur in persona, generabit. Probo maiorem: quia ad agere nō requiritur nisi actualitas, & per se esse: primū habetur æquè in forma inhærente, & per se existente: secundū habetur sufficienter, si duobus primis modis, *ex tribus infra in corpore articuli assignandis*, per se sit: alioquin anima separata non esset agens.

B. Confirmatur etiā: quia si natura assumpta a verbo dimiteretur absque omni actione positiua circa ipsam, ipsa non esset per se tertio modo, *id est suppositaliter*, quia tūc esset inassumptibilis, vt sic: & tamē, hic homo posset agere omnem actū, quē habet modo verbum, mediante ista natura: imò secundum tertiū articulū primæ quæstionis dist. 1. lib. 3. nihil positiuū cōstituit suppositum creatum. Et certū est, quod ratio suppositi nihil dat alicui positiuū ad agendum: sed nec ordinem ad alia passa fundat sine illa, sicut patet per Auer. 7. Metaphys. quia idea non posset mouere corpus, nec materiam propter defectum ordinis. Contra hoc: quia ordo agentis ad patiens consequitur hoc existens, accidit quod incommunicabiliter. *Cap. 28. & 31.*

Secundo præterea: quia si Deitas, vel hic Deus creat: ergo agit illa actione, quæ necessario præcedit creare: huiusmodi est generatio: ergo. Probatio prime consequētiæ: quia quod est omninò primum, non requirit aliquod posterius agere, ad hoc, vt ipsum possit in actione sibi propria: hic Deus est aliquo modo prius prima persona: ergo, &c. C.

Sed contra: ista enim actio distinctionē requirit aliquorū in ista natura, quæ non potest esse nisi suppositorū: ergo suppositū conueniens huic actioni, est suppositū distinctū existēs in ista natura: in nullo tali est natura in quantum intelligitur per se esse, si per se sit aliquo modo, antequam in persona: ergo non poterit per se agere ista actione. D.

Respōdeo dicendum, quod tripliciter potest intelligi, formam per se esse. Vno modo, ꝙ per ly per se excludatur inesse formæ ipsi materiæ, siue formæ accidentalis, siue essentialis, vel substantialis. Alio modo in esse quidditatis, siue naturæ ipsa suppositato, & hoc actuale. Tertio modo aptitudinale, & potentiale, & vtrumque inesse. Tertius modus ponit illud, quod sic est per se complete suppositū: & ideò sic accipere in *illa propositione quæ fuit maior primi arg.* est accipere cōtradictoria: quia forma quæ habenti est principiū quo agit, nō potest sic per se esse: igitur intelligitur per se in *dicta* maiori duobus primis modis. *Illa igitur propositio*, de principio elicitiuo falsa est, *vt dixi in præcedenti art.* quando principium elicitiuum si per se existat, non potest esse E.

in potentia propinqua ad operandum. Exemplum, ſpecies ſi ponatur principium elicitiuum operationis videndi in oculo (ſi per ſe exiſteret) non poſſet eſſe principium illius operationis. Et ratio eſſet, quia non poſſet eſſe potentia propinqua ad agendum: quia nõ poſſet habere paſſum approximatum: quia aproximatio (vt dictum eſt prius) requiritur ad rationem potentiæ propinquæ, ſicut autẽ approximatio requiritur in creaturis, vel amotio impedimentorum: ita dicitur in propoſito, quod requiritur ſuppoſitum conueniens ad agendum: ergo forma, quæ eſſet principiũ actionis in ſuppoſito diſtincto (ſi eſſet per ſe exiſtẽs) nõ eſſet ſuppoſitum, nec principium diſtinctum, nec in ſuppoſito diſtincto cõuenienti generationi: & ex quo illud ſuppoſitum requiritur ad potentiam propinquam agendi, non poterit talis forma per ſe agere: eſſentia autem, ſi per ſe exiſtat in aliquo inſtanti naturæ, antequam intelligatur eſſe in ſuppoſito, vel perſona, in illo priori non eſt ſuppoſitum agens in potentia propinqua ad agendum, *propter rationem poſitam §. ſed contra*, & ideo non poterit per ſe agere iſta actione.

F. Ad primum argumentum dico, quod illa maior de principio elicitiuo falſa eſt, quando principium elicitiuum (ſi per ſe exiſtat) non poteſt eſſe potentia propinqua ad operandum. *Vide cætera in corpore articuli: propter tamen illam probationem maioris*: ideò reſponderi poteſt aliter: quod maior eſt vera, quando forma eſt actiua reſpectu termini diſtincti à ſe, nõ autẽ, quando reſpectu termini in diſtincti: quia tunc licèt poſsit eſſe, quo ſuppoſitũ producat, non tamẽ poteſt eſſe producẽs: quia nec diſtinguitur à termino, ſicut requiritur ad hoc: vt ſit producẽs, nõ autẽ hoc requiritur ad hoc, vt ſit quo.

Planius dicitur, quod maior eſt vera de actione immanente, & factione, & vniuerſaliter productione termini diſtincti à forma productiua: hîc terminus eſt indiſtinctus à forma, qua producitur: itaque negatur minor: quia nunquam Deitas per ſe eſt, ita quod non in ſuppoſito niſi apud intellectum. Contra, quod conuenit primo ex ſe formaliter alicui, eſt aliquo modo prius extra intellectum illo, quod non conuenit ſibi ex ſe formaliter: Deitas eſt omninò prima: quia pelagus: & illi conuenit ex ſe formaliter per ſe eſſe: nõ autem ex ſe formaliter eſt in hoc ſuppoſito relatiuo: igitur per prius per ſe eſt, quàm ſit in aliquo. E. probatur: quia idem eſt per ſe eſſe trium perſonarum, quaſi nihil ſit commune tribus, niſi quod eſt primo eſſentiale C. probatur: quia fundamẽtum aliquo modo præcedit relationem: ſaltem non ex ratione ſua formali habet relationem: quia eſt aliquid præter eam ſeptimo de Trinitate capite primo & tertio. Probatur etiã: quia aliter in quolibet haberet illam relationẽ quia vbiq; habet illud, quod cõuenit ſibi ex ratione ſua formali. G.

Ad ſecundum, quod hoc argũmentum requirit, quod ponatur ordo, quomodo hic Deus prius eſt in perſonis, quàm poſsit, potentia propinqua, creare: nõ propter in potentiam huius Dei ad creandum: etiam ſi ſecundum imaginationem gentilium non eſſet in perſonis: ſed propter maiorem propinquitatem perſonarũ ad eſſentiã, quã creationis, ſecũdũ illam regulam realem: de quibuſcunque duobus cõparatis ſecundũ ordinem ad primum: potẽtia propinqua non eſt ad ſecundum, niſi primo poſito. Itaque hic Deus primo intelligit etiam non præciſe, vt in perſonis: quia actio eſſentialis eſt H.

quaſi

quasi prius relatione, & ita immediatior omnino primo. Secundo hic Deus est per se existens illimitatum, & in illo signo naturæ est primo in tribus personis: illud tamen habet signa originis. In tertio signo naturæ hic Deus habet potentiam propinquam adextra.

Expositio art.6.quæst. vnic. distinctionis 7.

PONITVR in textu optima distinctio trimembris de forma per se: ex qua concluditur, naturã seu essentiã diuinã nõ esse per se, ita vt sit sufficiens principium *quod* generationis: quia debet prius constitui per se existens in aliquo supposito, inter quod, & suppositum generatum interest realis distinctio necessario requisita inter producens, & productum: nam licet diuina essentia sit per se, & à se absolutè subsistens, propterea què ipsũ in concreto, qualis est hic Deus individuum Deitatis, immediatè possint competere omnes productiones adextra; quia inter ipsum Deum, & terminos talium productionum, mediat realis distinctio: ipsa tamen essentia, siue hic Deus, non distinguitur realiter ab aliquo productorum adintra: sed est idem re ipsa cum quolibet, atque ita deficit sibi sufficiens cõditio ad generandũ. De essentia quidẽ seu natura diuina eleganter probatur in textu. De eius tamen concreto, scilicet de hoc Deo individuo Deitatis satis ostensum est supra in difficultate 64 num.47. vbi etiam ostenditur, quod essentia non possit generare, in conclusione prim. quod hic optime iterum resoluitur à Doctore, ad quod est optima ratio, quæ ponitur in §. *sed cõtra*, de distinctione requisita, &c. Hanc conclusionem tenet D. Thom. 1.q.41. articulo 5. in corpore, dum inquit, requiri Paternitatem ad generationem: licet optime declaret ibi Paternitatem non habere rationem principij generationis. Licèt enim Paternitas (inquit ipse) vt forma Patris, significetur: est tamen proprietas personalis habens se ad personam Patris, &c. Et concludit. Vnde neque Paternitas potest intelligi vt quo Pater generat, sed vt constituens personam Patris, scilicet ad generandum, sed id, quo Pater generat, est natura diuina, in qua Filius sibi assimilatur. Hæc omnia clare patent in litera. Ex quibus sic Doctor articuli difficultatem concludit: *Essentia autem si per se existat in aliquo instanti naturæ, antequam intelligatur esse in supposito aut persona, in illo priori nõ est suppositum agens in potentia propinqua ad agendum: & ideò non potest per se agere in illa actione.*

ARTICVLVS VII.

Vtrùm generatio, cuius principium est diuina essentia, sit æquiuoca?

AD septimum sic proceditur, videtur, quod generatio (cuius principium est diuina essentia) sit æquiuoca, & probatur: tùm ex parte personarum, tùm ex productionibus, tùm ex ratione differentiæ. Ex prima via sic: paternitas, & filiatio differunt specie: ergo personæ cõstitutæ per eas. Antecedens probatur: quia differũt secundũ quidditates, & talis est differẽtia specifica: tùm quia sunt puri actus, differentia autem actus, & formæ, est specifica. Consequentia probatur primo, quia non maior distinctio est in principijs, quàm in principiatis. Secundò: quia eadem est differentia formalium constituentium, & constitutorum. Tertio: quia eadem est differentia eorum secundum quæ præcisè aliqua differunt: & ipsorum differentium. Quarto: quia relationes sunt idem essentiæ diuinæ, sicut personæ igitur propter istud non negabitur diffe-

rētia ſpecifica perſonarum, ſicut nec relationum.

B. Secundo præterea, *& eſt* ſecunda via de productionibus, *quæ* arguitur ſic, in diuinis productiones differunt ſpecie: ergo & producta. Antecedēs patet: quia in diuinis non eſt productio niſi vnica vnius rationis. Conſequentia probatur: tùm quia aliter non eſſet proportio productionum ad producta. Tùm ſecundo: quia productiones ſunt eiuſdem rationis cum productis. Tùm tertio: quia potentiæ alterius rationis requirunt obiecta alterius rationis: ergo ſi producerent ſua obiecta, producerent ea alterius rationis: ergo ſicut intellectus, & voluntas præſupponūt bonum, & verum formaliter diſtincta: ita producerent terminos formaliter diſtinctos: vel erūt, quibus termini ſic diſtincti producuntur.

C. Tertiò præterea, *& eſt* tertia via de differentia ſpecifica, *quæ* arguitur ſic: differentia ſpecifica videtur eſſe perfectior, quàm differentia numeralis, quod probatur: quia diſtinctio ſpecierum eſt de perfectione vniuerſi: nō autem diſtinctio indiuiduorum: ergo differentia ſpecifica, ſicut perfectior, videtur eſſe ponenda in diui

D. nis.

Sed contra eſt: quia cum in primo termino generationis, ſcilicet in ipſo producto, concurrant duo, ſcilicet natura, & relatio propria ipſius producti, qua eſt hoc: aut generatio dicitur æquiuoca, vel vniuoca à termino formali generarionis, aut à formali proprio ipſi ſupoſito producto. Si primo modo, cum natura, quæ eſt terminus formalis huius productionis, ſit eadem in producente, & producto, ſequitur vniuocatio: quia perfectiſsima ſimilitudo. Si ſecundo: ergo nulla generatio eſt vniuoca: quia nullum genitum in ſua forma indiuiduali aſsimilatur gignenti.

Reſpondeo dicendum ad iſta, quod ſiue generatio ponatur æquiuoca, ſiue vniuoca, ratio *poſita in 4. artic. §. ſed contra, ob quam delendā in iſta omnia excitantur*, nō infringitur: quia in æquiuoca generatione oportet principium productiuū eſſe perfectius forma terminante: nihil autem in Deo eſt perfectius abſoluto, & ſpecialiter, nulla relatio perfectior: abſurdiſsimum enim videtur dicere, quod relatio contineat virtualiter eſſentiam diuinam. Concluſio tamen ad quam inducunt iſtę rationes, ſcilicet de generatione æquiuoca, videtur eſſe falſa, *propter rationem poſitam in §. ſed contra*: hoc etiam arguitur alio modo, & eſt idem quaſi: quia generatio eſt diſtinctiua, & eſt aſsimilatiua: perfectior autem ratio in ea eſt, quod ſit aſsimilatiua, quàm diſtinctiua, quod apparet. quia ſic eſt á forma ſub ratione formæ non ſub ratione, qua eſt hæc, & ratio formæ es perfectior in ſuppoſito iſta differentia indiuiduali. Si enim perfectius eſt in generatione ipſam eſſe aſsimilatiuam: ergo ſecundum hoc, generatio dicitur eſſe vniuoca, vel æquiuoca: ſi enim diceretur talis, vel talis in quantum eſt diſtinctiua, quælibet eſſet æquiuoca: quia quælibet diſtinguit: & hæc eſt imperfectior ratio in generatione: quia conuenit imperfectiſsimæ generationi: ergo per hanc non diſtinguitur vniuoca ab æquiuoca: ergo ad propoſitum, cum generatio ſit aſsimilatiua, quatenus eadem natura cōmunicatur, diſtinctiua, quatenus eſt geniti diſtincti à generante diſtincto: ſequitur, quod penes naturam gignentis, & geniti ſit vniuocatio: & non penes diſtinctionem eorum, ſcilicet gignentis, & geniti. Tertio applicatur ad propoſitum: quia ſi illæ duæ differentiæ indiuiduales, quæ ſunt primo diuerſæ

E.

Concluſio.

conſ-

constituunt producta non primo diuersa, sed inter quæ est generatio vniuoca propter similitudinẽ in natura: si istæ differentiæ individuales essent species alterius generis adhuc nõ cõstituerent distincta tanta distinctione, quanta esset earum in suo genere: quia tunc differentiæ individuales constituerent primo diuersa. Quod autem constituta modo nõ sunt primo diuersa: hoc est propter naturam, in qua natura individua cõueniunt: ita etiam tunc conuenirent in eadem natura, licèt differentiæ constituentes essent species alterius generis: igitur tunc constituta essent eiusdem speciei, sicut modo.

F. Ad primum argumentum in oppositum dicendum, quod non est ibi proprie genus, nec species, nec differentia specifica: sed bene cõcedo, quod paternitas, & filiatio sunt relationes quasi alterius speciei, & alterius rationis: quia sunt oppositæ, & non fundatæ supra vnitatem immediatè, sicut similitudo, vel æqualitas: magis etiam distinguitur paternitas à filiatione, quàm paternitas à paternitate. Sed cum infers: ergo constituta sunt alterius rationis, quasi specificæ. Nego consequentiam, & propter probationem consequentiæ notandum est, quod aliqua dicuntur aliquando magis distingui propter eorum minorem conuenientiam in aliquo genere: aliqua propter maiorẽ repugnantiã, vel incompossibilitatẽ eorũ: sicut contraria magis dicuntur distingui, vt album, & nigrũ, quàm disparata, vt homo & album: sed hoc modo non est propriè dictum aliqua magis distingui: plus enim propriè distinguuntur, quæ minus conueniunt in aliquo genere, & ita distincta genere generalissimo plus distinguuntur, quàm contraria: quæ sunt eiusdem generis, licèt contraria magis repugnent. Vnde vniuersaliter quanta est distinctio, id est, repugnantia constituentium, vel formaliter distinguentiũ & tanta est, constitutorum: quia si albedo, & nigredo sunt incompossibilia, & constituta per ea sunt incompossibilia. Et ita est in proposito: quanta enim est incompossibilitas paternitatis, & filiationis, propter quam paternitas non est filiatio: tanta est Patris & Filij: ita quod Pater non est Filius. Sed primo modo accipiendo nunquam distinguentia cõueniũt tantùm, quãtum conueniunt, quæ per illa distinguuntur, sicut patet per omnia distinguentia discurrendo: differentiæ enim specificæ non includunt genus in quo conueniant: species autem distinctæ per eas includunt genus, in quo conueniunt: & ratio est, quia distinguentia aliquid præ upponunt in ipsis distinctis, quod ipsa distinguentia non includunt in suo intellectu: distincta tamen per ea includunt illud: ideò distincta conueniũt in illo: distinguentia autem non conueniunt in illo. Vnde dicit Commẽtator primo Physicor. comment. 52. quod aliqua sunt contraria secũdum formam: non autem secundum subiectum: vt singularia quæ in subiecto conueniunt: idem enim subsistat vtrique. Et per hoc patet ad argumenta.

G. Ad probationes cum dicitur de principijs, & principiatis: dico, quod maior distinctio, id est, maior non conuenientia, hoc est in paucioribus conuenientia, potest esse principiorum, quàm principiatorum, sicut differentiæ specificæ, quæ sunt principia specierum, non conueniũt in genere, in quo conueniunt ipsæ species: & etiam ita est de differentijs individualibus, & individuis respectu naturæ specificæ.

H. Per idem patet ad illud de formalibus constitutiuis, & de præcise

distinctiuis: in omnibus enim est falsum, quod quanta est distinctio, vel differentia formalium constituentium: tanta sit differentia constitutorum.

I. Sed adhuc pondero argumentum: quia istæ relationes in proposito sunt subsistentes igitur tãtam differentiam habent in quantum subsistentes, quantam habent in rationibus proprijs. Subsistentes autem sunt personæ: igitur tantam differentiam habent personæ, quantam habent relationes. Præterea, aliqua differentia formali differunt personæ, & non nisi differentia illa, quæ est relationum: quia nullam aliam habent quam istam, quæ est relationum: ista autem quæ est relationum est specifica: ergo ista erit specifica, vel nulla.

K. Ad ista respondeo, ad primum, quod licèt relationes sint subsistentes, tamen personæ non tantùm includunt relationes, sed ipsam naturam in qua subsistunt. Relationes autem non includunt formaliter ipsam naturam: in aliquo igitur formaliter conueniunt personæ, in quo non conueniunt relationes formaliter: & ideò hîc non est tanta distinctio, sicut ibi. Ad secundum dico, quod non sequitur, istis præcisè personæ distinguuntur: & ista distinguuntur specie: ergo personæ distinguuntur specie: sicut nec de differentijs indiuidualibus respectu indiuiduorum. Et cum dicis, tunc nulla erit differentia distinctorum: cum non sit illorum illa, quæ est distinctiuorum, nec aliqua alia per illa. Dico, quod per ista potest esse distinctio distinctorum, & aliqua alia, quã sit illa distinctiuorum, vel distinguentium, & minor: sicut per differentias indiuiduales est aliqua distinctio ipsorum indiuiduorum alia, quàm ipsarum differentiarum: quia differentiæ sunt primo diuersæ, sed distincta non sunt primo diuersa, sed tantùm sunt distincta numero in eadem specie. Ita hic in proposito per relationes distinctas in specie, vel quasi in genere, quibus tamen, in quantum sunt distinctiuæ, accidit distingui specie, possunt alia distingui personaliter tantùm in eadem specie, siue in eadem natura.

L. Ad secundum seu ad secundam viam de productionibus, nego consequentiam: quia hîc ex perfectione istius naturæ possunt esse aliqua principia propria alterius rationis, communicatiua tamen ipsius essentiæ: quod non contingit in aliqua natura imperfecta: & propter distinctionem istorum principiorum formalium possunt esse productiones alterius rationis, & tamen producta vnius rationis propter vnitatem termini formalis, scilicet naturæ, quæ communicatur.

M. Cum probatur illa consequẽtia prima per proportionẽ, dico, quod proportio illa productionis ad terminum formalem est, quod per ipsam communicatur terminus formalis: sed non requiritur talis proportio, quod productio sit vnius rationis, & terminus formalis sit vnius rationis: quia productiones possunt distingui per rationes suas formales aliter, quam ex terminis formalibus sicut hîc ex principijs formalibus. Exemplum huius est: quia quandoque forma eadem potest acquiri mutationibus alterius rationis: sicut idem vbi per motum localem super magnitudinem rectam, & circularem: qui motus ita sunt alterius rationis, quod non sunt comparabiles secundum Philosophum septimo Physicorum: ita esset, si eadem sanitas posset induci immediatè ab arte, & immediate à natura. *Text. com. 21. & inde*

Cum

Cum probatur illa consequentia secundo, cum hoc, quod productiones sunt eiusdem rationis cum productis, dico: quod quoad hoc sunt eiusdem rationis: quia sicut productiones sunt relationes: ita producta sunt relativa: sed producta sunt subsistentia in aliqua vna natura: & productiones formaliter non sunt suppositа subsistentia in illa natura: ideò producta possunt habere vnitatem aliquam in natura formaliter communicata eis per productiones: quam non habent formaliter productiones.

N. Cum arguitur tertio, de potentiarum distinctione, & obiectorum distinctorum, quod similis est distinctio obiectorum ad potentias: patuit responsio distinctione secunda, parte secunda quæstione quarta: vtrùm in diuinis sint tãtùm duæ productiones, &c.

O. Ad tertium, *id est* de tertia via, scilicet de perfectione differentiæ specificæ, dico, quod differentia specifica non est perfectior identitate specifica in diuinis, sed in creaturis est perfectionis. Posita enim limitatione creaturarum, non potest esse tota perfectio increaturis absque distinctione specifica: sed si in aliqua vna natura esset perfectio infinita, ibi distinctio specifica, non requireretur ad perfectionẽ simpliciter in creaturis: igitur differentia specifica est perfectio supplẽs imperfectionem: in diuinis autem vbi vna natura est simpliciter perfecta, non oportet ponere ad talẽ perfectionẽ supplentẽ imperfectionẽ: quia nulla est ibi imperfectio, quæ suppleatur. Exẽplum, generatio in creaturis est perfectio supplẽs imperfectionẽ incorruptibilibus, quæ sine generatione non possent cõseruari, nec idem numeraliter, nec idem specie. In diuinis autẽ nõ oportet ponere talem perfectionem supplentem imperfectionem aliquam, quæ sit ibi: nec in aliquo æterno. *Vt inquit Auer. 2. de anima c. 34*

Expositio art. 7. quæst. vnic. distinctionis 7.

CONCLVDIT Doctor in hoc articulo (cuius litera est satis perspicua) generationem diuinam esse vniuocam. In qua nihil se offert speculandum: sed quæ ad difficultatis intelligentiam se offerunt ventilanda, satis enucleata habentur in textu.

DISTINCTIO OCTAVA.

NVNC de veritate, siue proprietate, & incommutabilitate, atque simplicitate diuinæ naturæ, vel substantiæ, siue essentiæ agendum est, &c.

Circa istam distinctionem octauam quæruntur quinque, videlicet quatuor pertinentia ad tertiam partem distinctionis: & vnum quod pertinet ad secundam partem distinctionis

QVAES-

QVAESTIO I.

De simplicitate Dei.

ET circa istam distinctionem quæro primo: vtrũ Deus sit summe simplex, & perfectè talis? Circa quod quærũtur tria.

¶ Primò. Vtrùm simplicitas sit perfectio simpliciter?

¶ Secundò. Vtrùm conueniat Deo summa simplicitas?

¶ Tertiò. Vtrùm per exclusionem triplicis compositionis concludatur, Deum esse summe simplicem?

ARTICVLVS I.

Vtrùm simplicitas sit perfectio simpliciter?

A. AD primũ sic proceditur, videtur, quod simplicitas non sit perfectio simpliciter, quia esset simpliciter perfectionis: ergo quælibet res habẽs eam esset simpliciter perfectior non habente: & ita materia prima esset perfectior homine: imò generaliter in corruptibilibus, & generabilibus compositiora sunt perfectiora.

B. Secundò præterea: quia non omnis creatura simplex est perfectior creatura non simplici: ergo cum de ratione simpliciter perfectionis sit, quod ipsum sit simpliciter melius, quàm non ipsum in vnoquoque, secundum Anselmum monol. 15. quomodo perfectio simpliciter erit, quæ non erit perfectio vbicunque sit.

C. Tertiò præterea: quia simpliciter actualitas est perfectior simplicitate: quomodo *ergo* vna perfectio simpliciter est perfectior alia absolutè.

D. Sed contra est: quia sexto de Trinitate capit. 6. vel 22. summè simpliciter est: ergo, &c.

E. Respondeo dicendum, quod simplicitas est simpliciter perfectionis, secundum quod excludit componibilitatem, vel compositionem ex actu, & potentia: vel ex perfectione, & imperfectione: sicut dicitur sequenti quæstione: non tamen sequitur, quod omnis creatura simplex sit perfectior creatura non simplici: quia aliquid, quod est simpliciter perfectionis, potest repugnare alicui naturæ limitatæ, & ita illa non esset simpliciter, & perfectè talis natura, si haberet illud, quod repugnat sibi: sicut cãnis non esset simpliciter canis perfectus, si esset sapiens: quia repugnat sibi sapientia. Similiter alicui naturæ limitatæ potest repugnare aliqua perfectio simpliciter, & aliqua non: & tunc non sequitur, illam naturam esse perfectiorem, cui competit talis perfectio, quàm cui repugnat: maximè quando illi cui ista repugnat, conuenit aliqua perfectio simpliciter, quæ fortè est simpliciter perfectior illa alia repugnante. Exemplum, actualitas est perfectio simpliciter: & simplicitas est perfectio simpliciter. Composito autem conuenit maior actualitas, licèt non maior simplicitas: materiæ autem licèt conueniat simplicitas, non tamen tanta actualitas quanta competit composito. Simplici-

Conclusio.

pliciter autem actualitas est perfectior simplicitate : & ita simpliciter perfectius potest esse illud, cui conuenit actualitas sine simplicitate, quàm illud cui conuenit simplicitas sine actualitate. Sed hic videntur duo dubia, vnum quomodo perfectio simpliciter erit, quæ non erit perfectio vbicunque sit? Secundum dubium est, quomodo vna perfectio simpliciter est perfectior alia absoluto : *sed hæc dubia pro secundo, & tertio argumento posita sunt: & ideò solutiones dubiorum, argumentorum sunt.*

F. Ad primum argumentum dico, quod simplicitas est simpliciter perfectionis secundum quod *ex corpore articuli constat, vide ibi plenam argumenti solutionem.*

G. Ad secundum dico, quod illa descriptio debet sic intelligi, quod perfectio simpliciter est melius non tantùm suo contradictorio: ita enim quodcunque positiuum est melius, & simpliciter perfectius sua negatione: imò nulla negatio est perfectio aliqua formaliter : sed intelligitur sic esse melius ipsum, quàm non ipsum, id est, quolibet suo incompossibili : & tunc debet intelligi hoc, quod dicitur in quolibet est melius considerando quodlibet præcisè, in quantum suppositum, non considerando in qua natura illud suppositũ subsistat. Considerando enim aliquid in quantum subsistit in aliqua natura : potest aliqua perfectio simpliciter esse non melior sibi : quia incompossibilis, vt est in tali naturâ: quia repugnat tali naturæ : tamen ei in quantum præcisè subsistens, non repugnat : sed si hoc modo consideraretur illam habere, erit simpliciter perfectius ens, quã si haberet quodcumque sibi incompossibile.

H. Ad tertium dico, quod requirit declarationem, quis sit ordo perfectionum simpliciter: & modo breuiter supponatur, quod aliquis ordo perfectionis sit inter eas: ita quod vna ex ratione sui est perfectior alia præcisè sumpta: licèt quando quælibet est in summo sint tunc omnes æque perfectæ: quia infinitæ: & quælibet tunc est infinita: de hoc alias dicetur.

Expositio art. 1. quæst. 1. distinctionis 8.

TOTA materia diuinæ simplicitatis, quã Doctor diffuse in tribus prioribus quæstionibus huius distinctionis pertractat, est à nobis supra in difficultate 42. omnimode prælibata, ibi namq; omnem compositionem, seu quasi compositione, quæ imaginari potest, à Deo excludimus. Item, quod in quæst. 3. per octo articulos dispositum est de conceptu communi, & vnioco Deo, & creaturis, & de prædicatione quidditatiua entis respectu suorum inferiorum : habetur exacte tractatum in difficultate 58. & in difficultate 59. atque ideò, quæ in his tribus quæstionibus difficultatem includunt, & peculiariter se offerunt ventilanda : in dictis difficultatibus satis remanet resoluta: quia ibi etiam ex textuali litera ad earũ disputationem occasio sumpta est. Hic ergo harum trium quæstionum articulos compendiosè exponendo, ad quartam, ex qua ingentes difficultates necessum est excitari, breuiter pertransibo. Ad huius igitur articuli expositionem deueniens, dico, ibi Doctorem concludere, quod simplicitas est perfectio simpliciter, quatenus excludit omnem componibilitatem, seu compositionem ex actu & potentia. Comparando autem actualitatem, & simplicitatem adinuicem, ostendit maioris perfectionis esse primum, quàm secundum : quia materia prima est simplicior toto composito : quod quidem actualius est, atque ob id longe perfectius, quàm materia. Argumenta autem, & eius solutiones, quæ rationem simpliciter perfectionis concutiant : vltra quod alibi sæpe descriptio dictæ perfectio-

Simplicitas est perfectio simpliciter.

Actualitas maior perfectio est, quàm simplicitas.

ctionis exposita est, & tangitur infra in difficultate 68. hic clare habentur, ac cætera textualia, quæ ideò expositione non egent.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conueniat Deo summa simplicitas?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod non conueniat Deo summa simplicitas, quia simplicitas nō est simpliciter perfectionis: ergo non est ponenda in Deo, vt essentiale. Probo antecedens *argumento primo articuli præcedentis.*

B. Secundò præterea: quia perfectionis est formæ, posse dare esse: licet imperfectionis sit dependere à materia: ergo si prima ratio separetur à secunda (quia non videtur esse contradictio in tali separatione) potest esse Deitas forma dans esse licet ipsa non dependeat ab ipso, cui dat esse: & ita potest ibi poni sine imperfectione compositio materiæ, & formæ: vel saltem componibilitas Dei, vt formæ.

C. Tertiò præterea, quod vni est non substantia, nulli est substantia, ex primo Physicor. sed sapientia in nobis est accidens: ergo in nullo est substantia, vel non accidens: sed in Deo est sapientia secundum eandem rationem, secundum quàm est in nobis: igitur est ibi accidens, & ita cōpositio subiecti, & accidentis.

Text. com. 26. & inde.

D. Sed contra est: quia sexto de Trinitate capit. 6. vel 22. Deus verè est summè simplex.

E. Respondeo dicendum ad quæstionem, & probo simplicitatem diuinam ex medijs communibus, scilicet ex infinitate, & necessitate essendi: & probo generaliter propositum. Primo, ex ratione necesse esse: quia si principiū sit compositum: sint cōponentia. A & B. quæro de A. si sit formaliter ex se necesse esse, aut non sed possibile esse: alterum enim horum oportet dare in quacunque re, siue natura, ex qua aliquid componitur: si est ex se possibile esse: ergo necesse esse ex se componitur ex possibili esse: & ita nō erit necesse esse ex se. Si autē A. est ex se necesse esse: igitur est ex se in vltima actualitate, & ita cum nullo facit per se vnum. Similiter, si A. est ex se necesse esse, compositum erit necesse esse per A. & pari ratione erit necesse esse per B. & ita erit bis necesse esse. Erit etiam cōpositum necesse esse per aliquid, quo sublato, nihil minus erit necesse esse: quod est impossibile. Secundo ostendo generaliter propositum per rationem infinitatis: & primo, quod Deus nō sit componibilis per hoc, quod omne componibile potest esse pars alicuius totius compositi, quod est ex ipso, & alio componibili: omnis autem pars potest excedi: contra rationem autem infiniti est posse excedi: ergo infinitum non est componibile: sed Deus est infinitus: ergo non est componibilis. Et confirmatur ratio, & quasi idem est: quia omne componibile caret perfectione illius, cum quo cōponitur: ita quod illud aliud componibile non habet in se omnem perfectionem, & omnimodam identitatem cum illo: quia tunc nō posset cū illo componi: nullum autem infinitum caret eo, cum quo potest aliquo modo esse idē: imò omne tale habet in se, secūdū perfectā identitatem: quia aliàs posset intelligi perfectius: putà si haberet illud in se, sicut compositum habet: & istud infinitū nō habet: contra rationē autem infiniti est simplici-

Conclusio.

In antiquo text. hæc erat 2. probatio in ordine.

pliciter, quod ipsum possit intelligi perfectius, vel aliquid perfectius ea: & ex hoc sequitur vlterius, quod sit omninò incompositus, quia si sit cõpositus, aut ex finitis, aut ex infinitis: si ex infinitis, nullum tale est compo nibile, exprobatis: si ex finitis, ipsum non erit infinitum: quia finita non reddunt aliquod infinitum in perfectione, sicut modo loquimur.

F. Ad primum argumentum, *respondetur satis in primo articulo in corpore.*

G. Ad secundum dico, quod dare alicui esse formale necessario ponit limitationem: quia sic dans esse non includit per identitatem illud, cui dat esse, nec potest separari à nc dare esse imperf ctio: quia nec limitatio, nec etiam dependentia omnimoda: licèt en m separaretur ab eo dependentia ad materiam: semper tamen manet dependentia ad efficiens, virtute cuius forma informat materiam. Etsi instetur de Verbo, quod dat esse naturæ humanæ dico, quod hoc non est dare esse formaliter sicut: patebit libro tertio distinctione prima.

q. 4. huius dist. videt. q. quodlib. & infra dist. 10. & à lib.

H. Ad tertiũ dico, quod sapientia secundũ illam rationẽ, secũdum quam est species qualitatis, & accidens in nobis, non est eiusdem rationis in Deo: sicut melius patebit in quæstione illa, vtrũm Deus sit in genere distinctione ista octaua.

Expositio art. 2. quæst. 1. distinctionis 8.

DEVM esse summè simplicẽ cõcludit litera textualis, quam conclusionem tenent Diuus Bonauentura hac distinctione octaua, quæstione prima articulo primo, Diuus Thomas prima parte quæstione tertia articulo secundo, Alexand. Alensis prima parte quæstione quinta membro secundo, Ricardus in hoc primo distinctione octaua, quæstione prima articulo vndecimo, Durãdus quæstione quarta, & est conclusio communis. Quam Doctor ibi duobus medijs communibus, videlicet ex necessitate, & infinitate Dei, satis confirmat. In solutione autem primi argumenti tangit, Verbum diuinum in hypostatica vnione non habere se per modum formæ dantis formaliter esse toti personæ. Ad quod supponitur ibi esse personam compositam secundum communem Theologorum sententiam: non quidem compositã ex humanitate, & Deitate, quæ solet dici *compositio ex ijs*: sed est *compositio huius ad hoc*, quia ea naturæ humanæ, dependentis, ad Verbum, à quo tanquam à termino dependet. Ex quo videbatur inferri, Verbum ibi habere rationem formæ componentis, & ex consequẽti Deum compositionem per modum formæ intrare. Ad hoc tamen Doctor respondet Verbum ibi non habere rationem dantis esse formaliter. Cuius ratio est: quia natura humana ibi non se habet, vt potentia, nec Verbum vt actus: sed benè se habet natura ibi, vt dependens, & Verbum vt terminans eius dependentiam. Terminus autem non dat esse formale compositõ, seu quasi compositõ. Vltra quod compositio illa mirabilis non est compositio in rigore, quæ requirit partes, quarum quælibet summæ simplicitati opponitur: licèt enim habeat extrema, ob idque sit vera coniunctio entis ad ens; est tamen vnio mirabiliter facta, cui nulla alia vnio comparatur: quã obrem vocatur à Sanctis Patribus mirabilis compositio: quia scilicet extrema illius non habent se per modum formæ, & materiæ, sicut in alijs compositionibus communiter contingit. Stat ergo Verbum diuinum terminare humanitatis dependentiã, absque eo quod intret compositionem tanquam forma illius. Huius argumenti materia est satis difficilis: & quia non est huius loci propria, merito illam Doctor ad tertium lib. Sententiarum remittit: illic igitur, Deo dante à nobis exactius resoluitur.

D. Bonau. *D. Thom.* *Alexand.* *Ricard.* *Durand.*

Verbum in incarnatione est persona composita.

Verbum nõ informat humanitatem assumptam.

ART.

ARTICVLVS III.

Vtrùm per exclusionem triplicis compositionis cõcludatur, Deum esse summe simplicem?

A. AD tertium sic procedi tur, videtur, quod per exclusionem triplicis compositionis non cõcludatur Deum esse summè simplicem, *& hoc sine argumentis.*

B. Sed contra, *vt patet ex corpore articuli.*

C. *In antiquo tex. hæc erat prima probatio. Prima conclusio.*

Respondeo dicendum ad quæstionem, & probo simplicitatem diuinam per media quædam particularia. Et hoc modo procedendi ostendo primò simplicitatem oppositam compositioni ex partibus essentialibus sic. Causalitas materiæ, & formæ non est simpliciter prima: necessario enim supponit causalitatem efficientis priorem: ergo si primum esset compositum ex materia, & forma: & forma præsupponeret causalitatem causæ efficientis: non autem huius: quia idem non efficit se, coniungendo materiam suam cum forma: ergo alicuius efficientis prioris: ergo Deus non esset primum efficiẽs cuius oppositum probatum est dist. 2. quæst. 1. Probatio primæ propositionis. Causalitas materiæ, & formæ includit imperfectionem: quia ratio nem partis: causalitas efficiens, & finis nullam imperfectionem includit sed perfectionem: omne autem imperfectum reducitur ad perfectum, sicut ad prius se essentialiter: ergo causalitas materiæ, & formæ non est simpliciter prima. Idem probo sic: materia de se est in potentia ad formam: & hoc passiua, & contradictionis, quãtũ est de se: ergo nõ est ex se sub forma: sed fit sub forma per aliquam aliam causam reducentem ipsam materiam ad actum formæ. Ista autem causa reducens non potest tantum dici forma, in quantum forma: quia sic non reducit materiam nisi actuando formaliter ipsam materiã: ergo oportet ponere aliquod reducens effectiuè ipsam materiam ad istam actualitatem: ergo si primum esset compositum ex materia, & forma, esset aliquod efficiens, per cuius efficientiam esset materia eius sub forma: & ita ipsum non esset primum efficiens, vt prius. Tertio sic, omnis entitas vna causata habet aliquam vnam causam, a qua est eius vnitas: quia non potest poni vnitas in causato sine vnitate in causa: vnitas igitur compositi, cum sit causata, requirit aliam vnam causam a qua sit illa entitas causata. Illa causa non est entitas materiæ, nec formæ: quia vtraque est entitas diminuta respectu entitatis compositi: igitur præter illas, scilicet materiæ, & formæ, oportet ponere aliquam aliam: illa erit efficiens: & ita reddit idem quod prius: quia omni composito ex materia, & forma erit aliquid prius. Secundum, videlicet carentiam compositionis quãtitatiuæ, videtur Philosoph. probare 8. Phys. & 12. Metaph. quia primum est potentiæ infinitæ. Potentia autem infinita non est in magnitudine, & hoc probat: quia maior potentia est in maiori magnitudine: & ita infinita potentia non potest esse in magnitudine finita: nulla est autem magnitudo infinita: ergo nec aliqua infinita potentia in magnitudine.

Auerro 8. met. co. 15. & 12. met. com. 18.

F.

G.

H.

Secunda cõclusio. 8 Physico. text. com. 78. & inde 12. metap. tex. comm. 41. & inde.

Sed istud argumentum videtur deficere: quia qui ponerent potentiã infinitam esse in magnitudine, dicerent ipsam esse eiusdem rationis

D.

in

in qualibet parte magnitudinis, & in tota magnitudine: & ita in maiori, & minori: sicut anima intellectiua est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: nec maior in maiori, & minor in minori corpore, nec maior in toto corpore, quam in parte: etsi animam istam consequeretur infinita potentia intelligendi: ipsa potentia esset in magnitudine finita: & ita in parte sicut in toto: & in parua parte, sicut in magna: ita diceretur in proposito: quod potentia infinita in magnitudine finita, esset eiusdem rationis in toto, & in parte.

E. Declarando igitur rationem Aristot. dico: quod conclusio sua est ista: quod potentia finita non est in magnitudine finita, extensa per accidens ad extensionem magnitudinis, & hoc probat ratio sua hoc modo: quæcumque potentia est extensa per accidens, cæteris paribus, maior est, & efficacior in maiori magnitudine, licèt nõ sit maior, ideſt formaliter intensior: quia paruus ignis potest plus habere intensiuè de calore, quam magnus, si sit multum rarus, & alius densus: ideo additur in maiori, cæteris paribus. Exemplum, de calore, & igne: qui licet sit æqualis intensionis in parte, & in toto: tamen maior ignis maioris est potentiæ, ideſt, efficacioris potentiæ in toto, quam in parte: & ex hoc sequitur: quod omnis talis potentia extensa per accidens, quandiu est in magnitudine finita, est intensiue finita, & non infinita: quia infinitas intensiue, non potest esse sine infinitate in efficacia: & ex hoc sequitur: quod potẽtia infinita in efficacia non est in magnitudine finita: nec etiam potentia infinita intensiue: & tunc vltra, cum non sit aliqua magnitudo infinita: patet, quod non est aliqua talis potentia infinita in magnitudine.

F. Sed quid hoc ad propositum, quod omnino talis potentia non sit in magnitudine? Respondeo coniungendo huic illam conclusionem, quam prius probauit Philosophus, quod, scilicet, tale potens est sine materia, sequitur propositum: quia omni extensione aliquid extẽditur: vel si extẽsio erit aliquid per se existens, aliquid esset forma informans extensionem extensa per accidens: ergo si potentia ista infinita ponatur in magnitudine, quæro, quid est istud, quod est extensum ipsa magnitudine, vel ipsa extensione magnitudinis? non ipsa potentia infinita, sicut probatum est: nec ipsa perficit ipsam, sicut forma materiam: quia non est in materia, ex cõclusione præostẽsa: ergo oportet ponere mãteriam extensam in ista magnitudine, qua materia, perficeretur potentia infinita: sicut materia nostra, vel corpus nostrum extenditur magnitudine per se extensa, & perficitur per animam intellectiuam non extensam. Sed nulla matetia est in habente talem potentiam (ex præostensa conclusione à Philosopho) ex illa igitur immaterialitate præostensa per Philosophum, & modo ostensa in ista conclusione, habet ista ratio efficaciam.

Tertiò ostendo simplicitatem oppositam compositioni, ex subiecto, & accidenti, quæ tertia conclusio specialis probatur ex istis: quia enim Deus, non est materialis, nec quantus: ideo non est capax accidentis alicuius materialis: ergo tantum est capax illorum, quæ conueniunt spiritualibus: putà intellectionis, & volitionis, & habituum illis correspondentium: sed talia, non possunt esse accidentia illi naturæ, sicut probatum est distinct. 2. quod intelligere eius, & velle sunt substantia eius & habitus, & potentia. G.

Expositio artic. 3. quæst. 1. distinct. 8.

PRobauerat Doctor, diuinam simplicitatem in articulo præcedente communibus duobus medijs: per viam, scilicet, infinitatis, &

necesse esse: modo vero peculiaribus tribus modis, per exclusionem, videlicet triplicis compositionis, idem confirmat. Ad quod supponit, compositionem, aut esse ex partibus essentialiter cõponentibus, vt ex materia, & forma: aut quantitatiuam: aut ex subiecto, & accidente. Modo per exclusionem huiusmodi triplicis compositionis, Dei simplicitatem demonstrat. Primam igitur viam tribus rationibus manifestat, quarum prima est efficacissima: quia, scilicet, causalitas materiæ, & formæ, non est simpliciter prima, sed necessario supponit causam efficientem. Ex eo ergo, quod Deus est primum efficiens, vt manet probatum in distinct. 2. quæstion. 1. habetur, non esse compositum ex materia forma. Secunda est ad idem: quia indiget, materiam poni sub forma per aliquod efficiens. Tertia hoc ipsum cõfirmat: cæteræ vero rationes ex alijs duabus vijs, etiam sunt efficaces, & clare habentur in textu.

(.f.)

QVAESTIO SECVNDA.

De simplicitate creaturæ.

SECVNDO quæro, vtrùm aliqua creatura sit simplex: circa quod, quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrum, quælibet creatura sit composita ex re, & re?

¶ Secundò. Vtrùm aliqua creatura sit perfectè simplex?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm quælibet creatura sit composita ex re, & re?

A. AD primum sic proceditur. Videtur, quod quælibet creatura sit composita ex re, & re: quia Augustinus, 6. de Trinitate, capit. 5. vel 8. & 10. dicit, quod nulla creatura est in se simplex: *ergo, &c.* Secundo præterea: quia nulla est pura potentia: quia tunc non esset: nec purus actus: quia tunc esset Deus: ergo quælibet creatura est composita ex actu, & potentia, *ergo, &c.*

Tertio præterea: quælibet creatura est ens per participationem: ergo est composita ex participante & participato. B.

Sed contra est: quia, si in quolibet sit compositio ex re, & re: accipio illam rem componentem: & quæro, si est simplex, aut composita. Si simplex, habetur propositum. Si composita, erit processus in infinitum, in rebus. C.

Respondeo dicendum, *de isto articulo, quod* hîc dicitur: quod quælibet creatura est composita ex actu, & potentia: quia nulla est pura potentia, &c. *Vt probatur in argumentis in principio positis.* Sed contra istam conclusionem arguo sic, *vt §. sed contra.* Concedo igitur, quod aliqua creatura est simplex, hoc est composita ex rebus. Et quomodo composita: declaro sic: quia habet entitatem, cum priuatione alicuius gradus entitatis: nulla enim creatura habet entitatem, secundum totã perfectionem, quæ nata est esse entitatis in se: & ideo caret aliqua perfectione, quæ est nata competere entitati in se, & ideo priuatur: sicut talpa dicitur esse cæca: quia nata est habere D. H

re

re visum secũdum rationem animalis, non secundum rationem talpæ, secundum Philosophum 7. Metaph. cap. de priuatione. Componitur igitur non ex re, & re, positiuis: sed ex re positiua, & priuatione: idest, ex entitate aliqua, quam habet: & ex carentia alicuius gradus perfectionis entitatis, cuius ipsum non est capax: tamen ipsum ens est capax. Sicut talpa secundum se non est nata videre: sed secundum, quod animal nata est videre: nec tamen ista compositio expositiuo, & priuatiuo est in essentia rei: quia priuatio non est de essentia alicuius positiui. Ad istam etiã sequitur compositio actus, & potentiæ obiectiuæ, quidquid enim est ens, & caret aliqua perfectione entis, est simpliciter possibile, & terminus potentiæ simpliciter, cuius terminus non potest esse ens infinitum, quod est necesse esse.

E. Ad primum argumentum Augustini, concedo, quod nulla creatura est verè simplex: quia composita modo prædicto ex positione, & priuatione, actu, & potentia obiectiua, & componibilis alij creaturæ. Et per idem patet ad argumenta pro opinione, *quæ sunt duo sequentia*: ad secundum ergo, quod non est actus purus, qui caret aliquo gradu actualitatis, sicut non est lux pura, quæ caret aliquo gradu lucis, licet, cũ illa luce impura non misceatur aliqua alia entitas positiua, sed tantum carentia perfectionis gradus lucis.

F. Ad tertium de participare: dico, quod participare est idem, quod partem capere: ita quod duplicem relationem importat: & partis ad totum, & capientis ad captum. Prima est realis, nec tamen sumitur ibi pars proprie pro eo quod est aliquid rei, sed extensiue, prout omne minus dicitur pars maioris: omne autem finitum tale est simpliciter minus tale: si aliquid tale est natum esse infinitum: quælibet autem perfectio simpliciter nata est esse infinita: ergo vbicunque est finita: ipsa est minor alia perfectione simili, & ita pars extensiue.

Secunda vero relatio, scilicet, capiẽtis ad captum est relatio rationis, sicut intercedens, & datum. Tripliciter tamẽ pars capitur; aut pars capitur sic, quod totum captum est pars capientis, sicut species participat genus, quantum ad partes essentiales generis non subiectiuas: aut sic, quod pars capti est pars capientis: aut tertio modo sic, quod pars capti sit ipsum totum capiens. Primis duobus modis relatio capientis, & capti potest concedi esse realis. Tertio modo non: iste autem tertius modus est in proposito: quia omnis perfectio limitata, quæ tamen non determinatur ex se ad limitationem, quæ est pars capta, est ipsa tota limitata: bene autem ibi distingui potest suppositum capiens, & natura capta: sed non est sic distinctio realis. G.

Expositio articul. 1. quæst. 2. distinct. 8.

DVo inquit Doctor in hoc articulo. Primum est, aliquam creaturam dari non compositam ex rebus. Secundum vero, hanc etiam esse aliqualiter compositam. De materia prima bene constat ex rebus compositam non esse, siquidem est primum subiectum, ex quo res quælibet materialis componitur: forma etiam substantialis, hoc modo composita non est. Atque huius modi creatura nõ composita ex rebus, adhuc est aliqualiter composita. Quomodo autem composita sit, declarat Doctor: quia, scilicet, talis creatura habet entitatem, cum priuatione alicuius sibi debiti: quia nulla creatura habet entitatem secundum totam perfectionem, quæ nata est esse entitatis in se. Caret igitur illa perfectione, quam est nata habere: ergo est perfectibilis per illam: ergo quatenus perfectibilis: dicit potentiam ad eam cõponitur ergo ex re positiua, & priuatione. Hãc & alias cõpositiones ibi ponit Doctor: sed

Materia prima non cõponitur ex rebus.

Nulla creatura est perfecta, necsimplex.

vltra illas potest poni cõpositio, ex essentia, & existentia, & profecto illam insinuauit Doctor, dum inquit, esse compositionem, ex potentia obiectiua, & actu: nam in potentia obiectiua concipitur creatura, secundum præcisum esse essentiæ in actu, verò iam consideratur secundum esse reale, quod habet ab existentia. Potest insuper dici creatura nõ simplex, sed cõposita: quia licet actu nõ constet pluribus rebus: est nihilominus componibilis cum re alia: quod sufficit, vt non conueniat cum Deo in simplicitate: quia summa Dei simplicitas consistit, non tantũ in exclusione compositionis, sed etiã cõponibilitatis: quia Deus, ideo est summe simplex: quia neq; est compositus, nec alteri componibilis: omnis autem creatura est alteri componibilis: quia non est ita perfecta, sicut nata est esse. Ratio ergo illius gradus perfectionis sibi deuitæ, quam non habet, sibi componibilis est eadem ratione, qua est perfectibilis per eam: & ideo creatura non est ita simplex, vt omnem compositionem, aut componibilitatẽ excludat.

Deus, nec est compositus, nec alicui componibilis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm aliqua creatura sit perfectè simplex?

A. AD secundum sic proceditur Videtur, quod aliqua creatura sit perfectè simplex: quia compositum componitur ex partibus, & illæ nõ ex alijs: igitur partes illæ sunt in se simplices.

B. Sed contra est 6. de Trinit. capit. 5. vel 18. & 19. vbi dicit Augustinus, quod nulla creatura est in se simplex.

C. Respondeo dicendum: quod etsi aliqua creatura est simplex hoc est nõ composita ex rebus, *vt visum est in articulo primo*, tamen nulla creatura est perfectè simplex, quin aliquo modo sit cõposita, vel componibilis, *modo in dicto 1. artic. expositio*: est etiam, quælibet creatura componibilis: quod patet de accidente, quod est componibile cum subiecto. In substantia etiam patet tãde forma, quam de materia: de substantia etiam perse generabili, & corruptibili patet, quod est receptiua accidentis. Nulla igitur substantia esset non receptiua, nisi propter perfectionem sui: sed perfectissima intelligentia est receptiua accidentis: quia capax est suæ intellectionis, & volitionis, quæ non est substantia sua. Probatio: quia tunc esset formaliter beata se ipsa. Cuius oppositum probatum est distinct. 1. quæstion. 1. Tum quia quælibet intelligẽtia potest intelligere infinita: quia omne intelligibile. Ergò si intellectio sua esset sua essentia, posset habere essentiam infinitam: quia haberet vnam intellectionẽ infinitorum. Tùm, quia intellectio sua non dependeret ab aliquo obiecto, nisi à quo dependet sum esse: & ita nihil inferius se: nec etiam se posset intelligere in genere proprio: sed tantum in obiecto superiori mouente: imò nihil posset aliqua intelligentia intelligere, nisi in Deo.

Ad argumentum concedo, quod aliqua creatura est simplex, hoc est, nõ composita ex rebus: tamen nulla creatura est perfectè simplex, quin aliquo modo sit cõposita, vel componibilis. D.

Expositio artic. 2. quæstion. 2. distinct. 8.

NVllam creaturam esse perfectè simplicem, litera textualis cõcludit: quia licet aliqua sit non composita ex rebus, vt in articulo primo, ostensum est: omnis tamen est aliquo modo composita, vel componibilis. Quod exẽplificat Doctor de accidente, & subiecto, & in substantijs, ac etiam de perfectissimo Angelo, qui recipit visionem beatam, idem resoluit. Cætera sunt perspicua: Tenent huius articuli conclusionem præfatam Seraphicus Doctor D. Bonauentura in 1. distinct. 8. quæst. 2. artic. 2. D. Thom. 1. part. quæst. 3. art. 4. Alex. Alensis, 1. par. quæst. 5. memb. 3. Ricardus hac dist. 8. quæst. 2. & Durandus ibidem.

D. Bonau. D. Thom. Alex. Alẽ. Ricardus. Durand.

QVÆS-

QVAESTIO TERTIA.

De simplicitate Dei in ordine ad poni sub genere.

TERTIO quæro, scilicet, vtrum cum simplicitate diuina stet, quod Deus, vel aliquid formaliter dictum de Deo, sit in genere. Circa quod quæruntur octo.

¶ Primò. Vtrùm de Deo, & creatura dentur duo conceptus, ita propinqui, vt videantur esse vnus.

¶ Secundò. Vtrùm cum simplicitate Dei stet, quod aliquis sit conceptus cõmunis vniuocus Deo, & creaturę.

¶ Tertiò. Vtrùm attributa dicant cõceptũ cõmunem Deo, & creaturis.

¶ Quartò. Vtrùm, cum simplicitate diuina stet, quod Deus sit in genere.

¶ Quintò. Vtrùm, cum simplicitate diuina stet, quod aliquid formaliter dictum de Deo sit in genere.

¶ Sextò. Vtrùm cõceptus cõmunis Deo, & creaturę realis possit accipi, nisi ab aliqua realitate eiusdẽ generis.

¶ Septimò. Vtrùm melius probetur, Deum non esse in genere per hoc, quod continet in se perfectiones omnium generum, quam per rationes infinitatis.

¶ Octauo. Vtrùm, cum hoc quod est conceptum communem dictum esse inquid de Deo, & creatura secundum Philosophum, stet negare Deũ esse in genere.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm de Deo, & creatura dentur duo conceptus ita propinqui, vt videantur esse vnus.

A. AD primũ sic proceditur. Videtur, quod de Deo, & creatura dentur duo conceptus ita propinqui, vt videantur esse vnus. *Et hoc sine argumentis.*

B. Sed cõtra est: quia si intellectus duos habet conceptus: ergo aliquid patet sibi de vtroq; conceptu, si videntur vnus: aliquid non patet, cõstat, alioquin semper viderentur vnus: ergo neuter conceptus est simpliciter simplex: ergo nõ primo diuisi, & abstractissimi.

C. Respondeo dicẽdum: *quod inter alias opiniones quæ sunt in tota quæstione, hic quoad præsentem articulũ*, aliter dicitur, quod sunt duo conceptus, sunt propinqui tamen, & propter istã propinquitatẽ videntur esse vnus, & est intellectus certus de vno, hoc est de illis duobus confusecõceptis: vel certus de illis, subvnitate conceptis: dubius est autẽ de illis duobus distincte cõceptis. Contra arguitur sic: duo conceptus simpliciter simplices, non sunt in intellectu, nisi vterq; fuerit distincte ibi: quia talis, aut omnino ignoratur, aut totaliter attingitur 9 Metaph vltimo. Igitur de illo non est intellectus certus secundũ aliquid, & incertus, vel dubius, vel deceptus secundũ aliud. Sic igitur formetur ratio: *sicut formata est §. sed contra.* Præterea, intellect⁹ habens cõceptũ distinctũ potest illo distinguere obiectũ cognitũ ab alio conceptu, quẽ habet: sed hic nõ potest distinguere: ergo non habet conceptũ distinctũ: ergo nec propriũ: quia conceptus proprius, est cõceptus alij repugnans: ergo concipiens hũc habet conceptũ repugnantẽ alteri: v. g. visus non videt aliquid repugnans nigro, quim per illud distinguatur à nigro: cõcept⁹ autẽ voco obiecta formalia, quę duo obiecta sunt sub propriis rationibus: quarũ vna est prima diuersa ab alia, sic cõsiderantur intellecta à me: & non possum taliter distincte cognoscere: quid hoc est. Igitur proprias rationes non intelligo: ergo nihil; vel aliquid aliud cõmune. Itẽ breuius arguitur sic, intellect⁹ quãdo est cert⁹, aut est certus de cõceptu simpliciter vno: aut nõ, sed vno vnitate analogię: si primo modo, & nõ de hoc: quia nõ de illo: quia de vtroq; particulari est dubi⁹: ergo est cert⁹ de

Opinio Hẽric. in sum. art. 22. q. 1 2. & 3.

Impugnat. text. com. 22.

aliquo tertio ſimpliciter vno, quod eſt propoſitum. Si ſecundo modo arguo ſic: non poteſt intellectus eſſe certus de vno in quantum ſit vnum, ſcilicet, de illo, qui eſt ſic vnus vnitate Analogiæ, niſi ſit certus de duobus, vt duo ſunt: ergo duo illi non videntur intellectui eſſe vnus: quia, ſcilicet, concipiuntur, vt diſtincti conceptus. Probatio antecedentis: quia Analogia, ſiue attributio includit eſſentialiter comparationem vnius ad alterum: cognitio autem comparationis præſupponit neceſſario diſtinctam cognitionem comparatorum: ergo, &c.

Concluſ.

D. *Quod autem dicis*, quod eſt certus de vno, hoc eſt de illis duobus confuſe conceptis, vel certus eſt de illis ſub vnitate cõceptis: dubius eſt autem de illis duobus diſtincte conceptis.

E. Contra quando non poſſunt aliqui conceptus concipi ſub vnitate, niſi ſimul, vel prius naturaliter concipiantur ſub diſtinctione propria ſibi, quæ præſupponitur illi vnitati, non poteſt intellectus eſſe certus de eis in quantum habent illam vnitatem: & dubius de eis in quantum ſunt diſtincti. Vel ſic, non poteſt intellectus eſſe certus de illa vnitate eorum, & dubius de diſtinctione eorum. Vel ſic: non poteſt intellectus eſſe certus de eis ſub ratione alicuius vnitatis: & dubius de eis ſub ratione alicuius diſtinctionis. Sed intellectus concipiens ens dictum de Deo, & creatura, ſi ſint duo conceptus, non poteſt habere conceptus iſtos ſecundum aliquam vnitatem, niſi prius naturaliter habeat eos: vel ſimul ſub ratione diſtinctorum: ergo non poſſet eſſe certus de eis ſub ratione vnius dubitando de eis ſub ratione multorum. Probatio maioris: quia ſi certitudo eſſet de aliquo conceptu, vel de aliquibus conceptibus dubitando de A. & B. vel cum dubitatione de A. & B. ille vnus, vel illi duo conceptus conciperentur prius naturaliter, ſub ea ratione ſub qua eſſet certitudo de illo, vel de illis, quam cõcipiantur A. & B. ergo per oppoſitum, ſi non poteſt cõcipi aliquid de A. & B. niſi ſub diſtinctione, ſibi propria concipiantur: non poteſt intellectus eſſe certus de eis ſub ratione alicuius vnius, & dubius ſub ratione diſtinctionis. Probatio minoris: ens in Deo, & ens in creatura, ſi ſunt duo conceptus habentes attributionem, non poſſunt concipi, in quantum habent vnitatem attributionis, niſi prius natura, vel ſaltem ſimul concipiantur iſte, & ille, in quantum diſtincti: putà iſte, ſub propria ratione, & ille ſub propria ratione: quia iſti ſub proprijs rationibus ſunt fundamenta vnitatis ordinis, & attributionis.

Confirmatur per iſtud argumentum Philoſophi 2. de anima de ſenſu communi, quem concludit eſſe communem per cognitionem differentiæ albi, & dulcis, ex cuius differentiæ cognitione concludit: quod cognoſcit extrema: ſi enim poſſet cognoſcere iſta, ſub ratione huius reſpectus, qui eſt differentia, abſque hoc quod ea cognoſceret ſub propria ratione, tunc argumetum ſuum non valeret: ergo ſimiliter in propoſito non poſſunt ſimul cognoſci A. & B. ſub ratione illius vnitatis ordinis, niſi cognoſcatur A. ſub propria ratione, & B ſub propria ratione, cum perte nihil ſit eis commune, & ita quicunque intellectus concipit iſtos duos ſub vnitate ordinis, concipit eos diſtincte, vt diſtinctos in ſe.

F.

Text. com. 146.

Expoſitio art. 1. quæſt. 3. diſt. 8.

ARbitrabatur Henricus, de creatura, & de Deo duplicem diſtinctum dari conceptum: qui tamen, ita propinqui ſunt, vt videantur eſſe vnus, & idem: hanc vero opinionem impugnat Doctor multiplici medio. Quæ probationes optime deſeruiunt ad citatam diffic. 58. de vniuocatione entis, vbi latè omnia quæ hic textualiter habentur, ſatis enucleantur.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm cum simplicitate Dei stet, quod aliquis sit conceptus communis vniuocus Deo, & creaturæ?

A. AD secundum sic proceditur. Videtur, quod cum simplicitate Dei non stet, quod aliquis, sit conceptus communis vniuocus Deo, & creaturæ. Et ad hoc ponũ turquædam rationes. Prima est ista: illis, quæ sunt totaliter, & immediatè sub extremis contradictionis, nihil est commune vniuocum. Deus & creatura sunt totaliter, & immediatè sub extremis contradictionis, scilicet, secundum dependere, non depẽdere, causatum, & non causatum, esse ab alio, & non ab alio: ergo nihil est eis commune vniuocum.

B. Secundò præterea, & est confirmatio illius rationis. Omnis conceptus communis est neuter respectu illorum, quibus est communis: sed nullus est conceptus neuter, respectu contradictoriorum: quia est alter eorum: ergo, &c.

C. Tertiò præterea sic: quia primo diuersa in nullo conueniunt: sed Deus est primo diuersus à quacunque creatura, alioquin haberet, quo conueniret, & quo, differret: & ita non esset simpliciter simplex: ergo Deus in nullo conuenit cum creatura, & ita nec in aliquo conceptu communi.

D. Quartò præterea sic: vbi tantum est vnitas attributionis, non potest esse vnitas vniuocationis: sed oportet ponere vnitatem attributionis creaturæ ad Deum in ratione entis: ergo in hoc non est vniuocatio.

E. Quintò præterea adhoc etiam aducitur intentio Dionisij de diuinis nominibus qui ponit tres gradus cognoscẽdi Deum, scilicet, per eminentiam, per causalitatem, & per abnegationem, & ponit illam cognitionem per abnegationem esse vltimam: quando remouẽtur à Deo omnia illa, quæ sunt cõmunia creaturis: ergo non intelligit ipse quod aliquis conceptus, qui est abstractus à creaturis, remaneat in Deo secũdum, quod fuit communis creaturæ.

F. Sexto præterea, adhoc etiã est Aug. 8. de Trinit. c. 4. vel 10. cũ iraq; , inquit, audis bonum hoc, & bonum illud, quæ possunt aliàs dici etiam non bona, si potueris sine illis, quæ participatione boni, bona sunt, perspicere ipsum bonũ, cuius participatione bona sunt, simul enim, & ipsum intelligis, cum audis hoc, aut illud bonum: si ergo potueris illis detractis perspicere perse bonum: perspexeris Deum: & si amore adhæseris cõtinuo beatificaberis. Hæc ille. Igitur vuult dicere, quod intelligendo hoc bonum, & illud bonum, intelligo illud bonum, cuius participatione illa sunt bona: hoc autem est bonum infinitum: ergo non habeo tantum ibi conceptum boni incommuni: sed etiam boni per essentiam.

G. Sed cõtra est: quia ex oppositio tũc non posset conceptus ille proprius de Deo causari in intellectu nostro: quidquid enim est naturaliter mouens intellectum nostrum pro statu isto, siue intellectus agens, siue phantasma, siue species rei intelligibilis, habet pro effectu adæquato causare in nobis conceptum illius quidditatis, & eorum, quæ continentur, in tali quidditate essentialiter, vel virtualiter: conceptus autem ille proprius Deo neutro modo continetur in ista quiddirate, nec essentialiter, nec virtualiter. Quod non essentialiter patet: quia negas vniuocationem. Quod non virtualiter probo: quia perfectius nunquam continetur in minus perfecto: ergo nunquam habetur in via conceptus proprius Deo: quod falsum est: ergo conceptus vniuocus Deo, & creaturæ potest haberi.

H. Respondeo dicendum: quod *in ista difficultate*, de qua dictum est supra

distinct. 3. quæstion. 1. sunt duæ opiniones extremæ, vna negatiua, quæ dicit, quod cum simplicitate diuina nõ stat, ꝙ aliquis sit conceptus cõmunis vniuocus Deo, & creaturæ. Ad hoc ponũtur, *in principio articuli*: quædam rationes, prius non tactæ. Contra istam, *autem*, positionem sunt duæ rationes quę tactæ sunt, superius distin. 3. quæstion. 1. Vna *scilicet*, *quæ nunc posita est in §. Sed contra*, Sed responsio aliquorum ad hãc rationem est: quod ens ratum facit notitiam de se, in quantum ens ratum est, hoc est, in quantum est relatum ad primum ens. Et ita concipere illud sub ratione illa: non est concipere illud sub ratione absoluta: sed sub ratione relata ad primum ens. Relatio autem habet causare in intellectu conceptum correlatiui, siue relationis correspondentis: & cum non concipiatur, vt in se subsistens, relatio correspondens, cõcipietur aliquomodo, virtute istius, fũdamentum illius relationis. Contra istud argumentum videtur stare: quia si est dare aliquod adæquatum obiecto à nobis naturaliter cognoscibili, & intelligibili, qualitercumque sit præsens intellectui nostro, posse facere cõceptum de se, & de his, quæ includit essentialiter, vel virtualiter. Et secundum iam dicta nullo modo includitur illud absolutum, quod est fundamentum relationis in Deo, vt probabo: ergo sequitur, quod nullomodo fiat in nobis conceptus illius absoluti, & ita nullum conceptum alicuius absoluti poterimus de Deo naturaliter habere. Probatio assumpti: quia licet dicta responsio supponat: quod relatio in creaturis, prius naturaliter concipiatur, quam relatio sibi correspondens, vel fundamentum relationis correspondentis (quod credo esse falsum: quia terminus relationis naturaliter præintelligitur relationi, sicut, & fundamẽtum) licet etiam supponat, quod res creata relata non intelligitur à nobis, nisi in quantum relata: quod improbatum est distinct. 3. quæst. de vestigio, & videtur esse contra Augustinum 7. de Trinitat. cap. 4. vel 32. omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus: loquitur autem ibi de subsistentia, vt qua, naturaliter est res creata, & naturaliter in se subsistit: alioquim non esset argumentum. si omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus? si idem accipiatur in præmissa, & in conclusione, his inquam omissis, quæ fortè ab aduersario negarentur, arguo sic. Relatio in creatura, licèt habeat in virtute sua, causare conceptum relationis, sibi correspondentis: tamen illa relatio correspondens sibi, non includit in se aliquẽ conceptum absolutum, in quo fundetur: quia relatio Dei ad creaturam, quæ est tantum relationis, non includit in se essentiam diuinam, vel aliquã perfectionem absolutam in Deo: quæ perfectio realiter est ipsa essentia: quam tamen essentiam, vel perfectionem absolutam oportet ponere esse fundamentum relationis Dei ad creaturam: & ita non posset per relationes istas causari in nobis aliquis conceptus de perfectionibus absolutis: nisi relatio altera haberet in se virtualiter illud absolutum, quod est propria perfectio Dei, quod est impossibile.

Istud etiam probatur: quia secundum eos, essentia diuina non est nata facere de se, nisi conceptum vnicum in intellectu: ergo non est natus haberi de ea, nisi vnicus cõceptus realis. Hæc consequentia probatur: quia omnem conceptum realem natum haberi de ea, quantum ad intelligentiam simplicem: ipsa nata est facere in intellectu, hoc enim competit obiectis imperfectioribus. Viterius infero: ergo, quodcunque obiectum natum est facere de illa essentia aliquem conceptum realem, natum est facere illum vnicum, quia natus est haberi de ea: quia si non illum: tunc nullum de ea: sed nulla

creatura

Art. 2. Hẽrici in sum. art. 22. q. 12. & 2. & artic. 26.

Art. 2. Hẽrici, quodlib. 10. q. 7.

Impugnatur solutio Henrici.

I.

creatura posset cognosci sub ratione, qua, est hæc essentia singularis: ergo per nullam creaturam (secundum illã opinionem) potest haberi aliquis conceptus singularis de essentia diuina. Hæc consequentia negatur, & etiam propositio probans eam: quia effectus natus est facere de causa aliquem conceptum imperfectum, quem illud obiectum, si in se moueat, nullo modo causabit, sed perfectiorem: quia imperfectionis est in mouente causare conceptum, ita imperfectum de obiecto ad quod mouet.

In alia litera antiqui, tx. interponitur probatio inter illa verba, probans eã & illa quia effectus, ac si illa ratio sit probatio propositionis negatæ.

Solutio Hẽri. sup. art. 24. q. 6. & 7.

K.

Secunda ratio tacta in quæstione prædicta erat de cõceptu vno certo, & duobus dubijs, qui certus est communis illis. Respondetur ibi tripliciter. Primo, quod aliquis conceptus idem est certus, & dubius: vt conceptus Sortis, & Platonis dubius est. Conceptus alicuius hominis est certus, & tamen iste, & ille est idem. Hoc nihil est: quia licet conceptus ide posset diuersificari pœnes modos grãmaticales, & logicales: gramaticales, vt pœnes quoscũq; modos significandi: Logicales, vt pœnes quoscunq; modos considerãdi diuersos: sicut pœnes vniuersale, & particulare, vel pœnes explicite, & implicite: explicite, sicut definitio exprimit: implicite, sicut definitum exprimit. Et per istas differentias possunt poni non tantum in certitudo, & certitudo: sed etiam veritas, & falsitas, congruitas, & incongruitas: tamen, quod idem conceptus eodem modo conceptus, quãtum ad istos modos sit certus, & dubius, hoc est idem omnino affirmare, & negare: ergo si conceptus de ente est certus, & conceptus de ente creato, & increato est dubius: non est hoc, propter modos significandi diuersos grammaticales: nec pœnes diuersos modos concipiendi logicales. Vel igitur erit simpliciter alius conceptus, & alius, quod est propositum: vel conceptus diuersificantur pœnes modum concipiendi particularis, & communis, quod est etiam propositum. Aliter dicitur: quod sunt duo conceptus: sunt propinqui tamen: & propter istam propinquitatem videntur esse vnus: *Sed hæc secunda responsio satis manet in primo articulo impugnata.* Tertio modo respondetur: quod non est certitudo de conceptu aliquo vno: & dubitatio de duobus: sed est certitudo de duobus iunctis, & dubitatio de alterutro illorum: vt putà certus sum: quod ens est substantia, vel accidens, dubitando tamen determinate, vtrum sit hoc ens, vt substantia, vel illud ens, quod est accidens: *Hius tamen responsionis impugnationem in sequenti articulo latissimè vide.* Alia est opinio affirmatiua in alio extremo, *de qua in articulo quarto. In isto autem*, teneo opinionem meam mediam, quod cum simplicitate Dei stat, quod aliquis sit conceptus communis sibi, & creaturæ. Hæc pars probata est arguendo contra primam opinionem. Si autem aliqui proteruiant, vnum esse conceptum entis: & tamen nullum esse vniuocum isti, & illi: illud non est ad intentionem istius quæstionis: quia quãtuncunque illud, quod accipitur, sit secundum attributionem, vel ordinem indiuersis: si tamen de se conceptus vnus est, ita quod non habet aliam rationem, secundum quam dicitur de hoc, & de illo: ille conceptus est vniuocus. Si etiam alio modo proteruiat aliquis, quod conceptus denominatiuus, nõ est vniuocus: quia ratio subiecti nõ est ratio prædicati. Hæc videtur instãtia puerilis: quia vno modo prædicatũ nõ denominatiuũ est medium, inter prædicatum vniuocum, & æquiuocum: alio modo vniuocum, & æquiuocum: sunt immediata, apud Logicum. Primũ verum, est accipiendo prædicatum vniuocum, & quod vniuoce prædicatur, hoc est, scilicet, quod ratio eius sit ratio subiecti: & isto modo denominatiuum non est vniuocum. Secundum etiam verum est intelligendo de vnita

2. Respõsio Hẽr. in sũ. art. 22. q. 1 2. & 3.

3. Respõsio Ioan. Rodit. lib. 1. dist. 11. q. 6.

1. Conclus.

te rationis eius, quod prædicatur: sic vniuocum est, cuius ratio est in se vna, siue illa ratio sit ratio subiecti, siue denominet subiectum, siue per accidens dicatur de subiecto: æquiuocum autem, cuius ratio est alia, quomodocunque illa ratio se habeat ad subiectum: Exemplum, animal est vniuocum, non tantum, vt dicitur de speciebus suis: sed vt determinatur per differentias: quia habet vnum conceptum determinabilem per eas: & tamen non dicitur de differentijs vniuoce, hoc est in quid: ita, quod ratio eius, sit ratio differentiarum, quomodo vniuoce dicitur de speciebus. Ista etiã altercatio nihil est ad propositum: quia si ens dicatur secundum vnum conceptum sui, de Deo, & creatura: oportet dicere: quod ratio entis, sit ratio subiecti: dicetur enim de vtroque in quid, & ita erit vniuocum vtroque modo.

M. Ad primum argumentum: aut intelligit in minori, quod illa sunt sub extremis contradictionis totaliter, hoc est, quod præcise sunt illa extrema contradictionis, & sic minor est falsa: Deus enim non est præcise hoc, scilicet, non ab alio: quia ista negatio dicitur de chimera: nec creatura est præcise ista negatio, scilicet, non necesse esse: quia hoc etiam conuenit chimeræ. Sed tam Deus, quam creaturæ est aliquid, cui conuenit alterum extremum contradictionis. Accipe tũc maiorem, quod quæcunque sunt talia, quibus conueniunt extrema contradictionis, ipsa non vniuocantur in aliquo. Ista maior est falsa: nam omnia perse diuidentia aliquid commune sunt talia, quod de ipsis dicuntur extrema contradictionis, & tamen vniuocantur in ipso diuiso. Ita in proposito possunt ista secundum se tota, recipere prædicationem contradictionis: & tamen possunt habere aliquid substractum illis extremis illius contradictionis, quod est commune ambobus.

N. Ad secundum, seu ad confirmationem de neutro dico: quod conceptus communis duobus est neuter formaliter, & ita concedo conclusionem: quod conceptus entis non est formaliter conceptus entis, creati, nec increati: si autẽ intelligatur q̃ iste conceptus, est ita neuter, quod neuter contradictoriorum dicatur de eo: falsum est. Ita est in rationali, & irrationali: quod cõceptus animalis neutet est formaliter, & tamen illud, quod concipitur, non est neutrum, sed vere alteram istorum: alterum enim contradictoriorum dicitur de quolibet: & tamen non oportet, quemlibet conceptum esse formaliter alterum conceptum contradictoriorum.

Ad tertium patebit in articulo. quod Deus, & creatura non sunt primo diuersa in conceptibus: tamen sunt primo diuersa in realitate: quia in nulla realitate conueniunt: & quomodo esse possit conceptus communis, sine conuenientia in re, vel in realitate in sequenti dicetur. O.

Ad quartum de attributione, dico: quod attributio sola non ponit vnitatem vniuocationis: quia vnitas attributionis minor est vnitate vniuocationis, & minor vnitas non includit maiorem: tamen minor vnitas potest stare, cum maiore vnitate: sicut quæ sunt vnum genere, sunt vnum specie, licet vnitas generis sit minor, quàm vnitas speciei. Ita hic concedo: quod vnitas attributionis, non ponit vnitatem vniuocationis: potest tamen stare cum ea, licet hæc formaliter non sit illa. Exemplum, species eiusdem generis habent essentialem ordinem, siue attributionem ad primum illius generis ex 30. Metaphisice, & tamen cum hoc stat vnitas vniuocationis rationis generis in ipsis speciebus. Ita, & multo magis oportet esse in proposito: quod in ratione entis, in qua est vnitas attributionis, attributa habeant vnitatem vniuocationis: quia nunquam aliqua cõparantur, vt mensurata P.

surata ad mensuram, vel excesa ad excedens, nisi in aliquo vno conueniant, sicut enim comparatio simpliciter est in simpliciter vniuoco 7. Physico, ita omnis comparatio est in aliqualiter vniuoco: quando enim dicitur hoc est perfectius illo, si quæratur quid perfectius? oportet ibi assignare aliquid cõmune vtrique, ita quod omnis comparatiui determinabile commune est vtrique extremo cõparationis: non enim homo est perfectior homo, quã asinus: sed perfectius animal: & ita si aliqua comparantur in entitate, in qua est attributio vnius ad alterum: hoc perfectius est illo. Quid perfectius? ens perfectius: ergo oportet entitatem esse aliquomodo communem, vtrique extremo. Ita etiam posset argui de numero, vel de distinctione: quia omnia numerata, vel discreta habent aliquid cõmune: sicut vult Augustin. 7. de Trinita. cap. 4. vel 26. si tres personæ commune est eis illud, quod est persona: ita, quod determinabile termini numeralis semper est commune omnibus numeratis secundum Augustin.

Q. Et si instetur, quod non est proprie numerus Dei & creaturæ: arguo de diuerso, vel distincto, vel de alio sic. Deus, & creatura sunt diuersa, vel distincta, vel Deus est alius, vel aliud à creatura: in omnibus istis determinabile distinctionis, siue expressum singulariter, siue particulariter, oportet esse commune vtrique extremo. Patet in exemplis: quia homo non est alius homo ab asino: sed aliud animal. Probatur idem ratione: quia in relationibus æquiparantiæ extrema sunt eiusdem rationis: alietas est talis relatio: ergo in quibuscunque alijs est alietas vnius rationis mutua, & per cõsequens determinabile alietatis erit vnius rationis: huic nõ innitaris: quia concluderet, quod fundamentum sit eiusdem rationis, vnde minor est contra articulum de alio.

R. Ad quintum cum arguitur de Dionisio, patet, *infra*, in tertio articulo, quod intentio Dionisij est ad oppositum: quia in tertio gradu non stat in sola negatione, sed in aliquo positiuo conceptu à creatura accepto, cui attribuitur illa negatio.

S. Ad sextum, *scilicet*, ad Augustinum respondeo, quod illud bonum, cuius participatione alia bona sunt: quod intelligitur intelligendo hoc bonum, vel illud, vel potest poni vniuersale ad omnia bona, & tunc eius participatione, sunt alia bona, sicut species participant genus, vel aliquid inferius participat superius: vel potest intelligi bonum per essentiam, cuius, vt causæ, participatione alia bona sunt, & tunc verum est, quod intelligendo illud bonum, intelligo bonum per essentiã in vniuersali, sicut intelligendo hoc ens intelligo ens, vt partem conceptus: & in ente intelligo, quodcunque ens in vniuersali. Et cum subdit, si potes illud per se noscere, dico: quod per se si refertur, nõ ad actum cognoscendi, sed ad obiectum: putà, quod cognoscatur illud bonum, quod cognosco in vniuersali cum ista determinatione per se, scilicet quod concipere bonum cum tali determinatione, quod sit bonum non dependens, & bonum per essentiam, intelligo Deum: non tantum in conceptu communi, sed in conceptu proprio: & tunc per hoc, quod dicitur per se, contrahitur bonum, quod erat commune, & fit proprium Deo: & isti inhærendo per fruitionem est beatitudo loquendo de beatitudine viæ: quia iste conceptus est perfectissimus, quem possumus habere in via concipiendo Deum naturaliter. Et ista apparet esse intentio Augustin. 8. de Trinitat. capit. 3. vel 7. vbi dicit, noli quærere, quæ sit veritas? statim enim se opponunt caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & perturbant serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem veritas, quod nõ esset verum si omnino esset alius conceptus entis, vel boni in Deo à conceptu illorum in

creatu-

creatura, tunc enim bene esset quærendum, quid veritas? quia tunc esset veritas quærenda, quæ est propria Deo, nec obijcerent se illi phantasmata perturbantia conceptum veritatis, vt est propria Deo: quia iste conceptus non habet phantasmata sibi correspondentia. Perturbant enim conceptum veritatis, vt conuenit Deo loquendo de veritate in communi, sicut aliàs expositum est.

Expositio artic. 2. quæst. 3. distinct. 8.

1. LAtissime disputat Doctor in hoc articulo vniuocationem entis, quam supra iam in distinct. 3. q. 1. tractauerat. Circa illam igitur duas extremas refert sententias: negatiuam, scilicet, quæ asserit, cum simplicitate Dei stare non posse, quod aliquis sit conceptus cõmunis vniuocus Deo, & creaturis: & aliam affirmatiuam ex alio extremo, quæ tenet, nõ solum compati, cum simplicitate Dei stare posse huiusmodi conceptum communem vniuocum Deo, & creaturis: quinimo ratione huius conceptus, Deum sub genere constitui. Primam tenet Henr. in sum. artic. 22. quæstion. 1. 2. & 3. & artic. 16. & artic. 24. quæstion. 6. & Quodlib. 10. quæst. 7. pro qua citatur in textu respõsio cuiusdam Ioan. Roditon. lib. 1. dist. 11. quæst. 6. sed hæc sententia est hodie communis inter Thomistas, prout visum est supra in difficultate. 58.

Henricus. Roditon.

2. Pro hac ergo sententia, plura sunt argumenta posita in textu sub quæst. 1. 3. distin. & nos ibi in notata difficultate, non nulla adiecimus: modo autem sunt hîc aliæ rationes, quæ scilicet, ponuntur pro argumentis in principio articuli: & alias, inquit Doctor, esse prius non tactas incitata distinct. 3. sex igitur argumentis de nouo hic corroboratur hæc negatiua sententia, quam Doctor impugnat duplici ratione, quæ iam posita fuerat ab eo in quæstion. citata: earum prima est: quod aliàs non posset cõceptus proprius de Deo causari in nostro intellectu: quia quidquid naturaliter mouet intellectum nostrum pro isto statu, habet pro effectu adæquato causare in nobis conceptum illius quidditatis, &c. Secunda autem ratio est de conceptu vno certo, & de duobus dubijs, qui certus est communis illis, &c. Quæ rationes, nunc denuo hic collocantur: quia adducuntur quædam solutiones ipsius Henrici, & Roditonis, quas elegan ter hîc Doctor impugnat, & quia nouis impugnationibus, & nouorum argumẽtorum solutionibus, illustrior redditur difficultatis resolutio: fit iterum hîc à Doctore eiusdem difficultatis repetitio.

Secunda ergo sententia est Alberti de Saxonia, & Roberti Holkot, lib. 1. quæst. 5. quæ infra in 4. artic. examinabitur in particulari. Hîc autem Doctor suam mediam sententiam inter istas statuendo, difficultatem concludit, hæc dicens: *Teneo opinionem meam mediam, quod cum simplicitate Dei stat, quod aliquis sit cõceptus communis sibi, & creaturæ.* Quæ cõclusio (vt ipse inquit) est probata arguẽdo cõtra primam Henrici opinionem, & infra concludit, hunc conceptum cõmunem esse vniuocum: vbi præmittit distinctionem illam à nobis insupra allegata difficultate commemoratam, scilicet, de vniuoce prædicari, & vniuoco prædicato, quæ præclare simul cum argumentorum solutionibus habentur in textu. 3.

ARTICVLVS III.

Vtrùm attributa dicant conceptum communem Deo, & creaturæ?

A. AD tertium sic proceditur. Videtur, quod attributa non dicant conceptum communem Deo, & creaturæ: quia Deus non dicitur sapiens: quia est in ipso idea sapientiæ: sed quia est in ipso perfectio simpliciter talis, sed alterius rationis à sapientia creata: *ergo, &c.*

B. Secundò præterea: quia de Deo cõcludimus aliquid per rationem effectus, vbi sufficit tantum proportio, & non

non ſimilitudo: *ergo, &c.*

C. Sed contra eſt Anſelmus, de libero arbitrio, capit. 1. *vbi*, reprehendit illam definitionem de libero arbitrio, quæ eſt: quod eſt poteſtas peccandi: quia ſecundum eum, tunc ſecundum hoc nō eſſet in Deo liberum arbitrium, quod eſt falſum. Quæ improbatio nulla eſſet ſi ſecundum aliam rationem omnino diceretur liberum arbitrium de Deo, & creatura.

D. Reſpondeo dicendum, quod illa ſecunda ratio tacta in prædicta quæſtio. 1. diſtinction. 3. quæ erat de conceptu vno corto, & duobus dubijs, qui certus eſt communis illis: reſpondetur tripliciter *ad eam: prima reſponſio impugnata eſt in ſecundo articulo præſentis quæſtionis ſecunda autem in primo: nunc autem* tertio modo reſpondetur, quod non eſt certitudo de conceptu aliquo vno, & dubitatio de duobus, ſed eſt certitudo de duobus diſiunctis, & dubitatio de alterutro illorum. vt putà certus ſum, quod hoc ens eſt ſubſtantia, vel accidens: dubitando tamen determinate, vtrum ſit hoc ens, vt ſubſtantia, vel illud ens, quod eſt accidens. Contra iſta certitudo præcedit omnem apprehenſionem quorumcunque diuidentium ipſum ens: ergo præcedit certitudinem de toto diſiuntiuo. Antecedens probatur: quia nō oportet in prima apprehēſione, qua ſcitur hoc eſſe aliquid, vel ens, apprehēdere à ſe, vel ab alio: perſe, vel in alio, & ſic de alijs diſiunctis. Contra iſtud etiam eſt tertium argumentum ſuperius dictum, quod erat de inquiſitione intellectus, quam habemus de Deo per naturalem inueſtigationem, in qua illas rationes creaturæ, quæ dicunt perfectionem de ſe ſeparamus ab imperfectione, cum qua ſunt in creaturis: & eas ſecundum ſe acceptas conſideramus: & ſic acceptas in ſumo attribuimus eas creatori, vt proprias ſibi: & ita arguit Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 4. vel 6. Ac per hoc, quoniam rebus creatis creatorem ſuum, ſine dubitatione præponimus: oportet eū, & ſumme viuere: & cuncta ſentire, atque intelligere: hoc proba ipſe ex hoc quod dixit ante capite eodem: quod viuentia non viuentibus, ſenſu prædita non ſentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, inmutabilia mutabilibus, inuiſibilia viſibilibus, incorporalia corporalibus, beata miſeris, præferenda iudicamus. Quod argumetum non videtur valere, ſi talia, vt reperiuntur in creaturis, non eſſent eiuſdem rationis, cum illis quæ talia in ſummo attribuuntur Deo. Conſimilia argumenta frequenter habentur à Doctoribus, & à Sanctis: ita enim formaliter ponitur in Deo intellectus, & voluntas, & non tantum abſolute, ſed cum infinitate, ita & potentia, ſapientia, & liberum arbitrium ponitur in Deo, *vt patet ex Anſelmo ſupra.* Hæc eſt etiam via Dioniſij: quia quando in tertio gradu *eorum quos ponit quintum argumentum ſecundi articuli*, peruenitur ad iſtam cognitionem per remotionem: quæro, an preciſe cognoſcatur ibi illa negatio? & tunc non plus cognoſcitur Deus, quam quimera: quia illa negatio eſt communis enti, & non enti. Aut etiam ibi cognoſcitur aliquid poſitiuum, cui attribuitur, illa negatio: & tunc de illo poſitiuo quæro, quomodo conceptus eius habetur in intellectu? ſi enim non habetur in intellectu per viam cauſalitatis, & eminentiæ aliquis conceptus prius cauſatus in intellectu: nihil omnino poſitiuum cognoſcetur, cui attribuatur iſta negatio. Confirmatur etiam iſta ratio: quia non dicimus Deum formaliter lapidem: ſed formaliter ſapientem: & tamen ſi preciſe conſideretur attributio conceptus ad conceptum: ita poteſt formaliter lapi attribui ad aliquid in Deo vt ad ideam ſuam, ſicut ſapientia. E.

Reſpōdetur, *ſicut dicitur proximo argumēto, quod* Deus nō dicitur ſapiens: quia

eſt

est in ipso idea sapientiæ: sed quia est in ipso perfectio simpliciter talis: sed alterius rationis à sapientia creata. Contra: illius sapientiæ est sapientia creata nostra quædam participatio, similiter & ideæ: idem autem non participat essentialiter, nisi vnicam perfectionem. Item relatio ideati ad ideam, est mensurati ad mensuram. Vnicum mensuratum, non nisi ad vnam mensuram refertur: idea autem est mensura eius: ergo sapientia, qua Deus dicitur sapiens cũ sit mensura eiusdem, non distinguitur ab idea. Respondeo, Idea est mensura propria, & participatum proprium, vel magis relatio mensuræ, & participati. Sapientia non sic: sed est magis fundamentum relationis mensuræ, & participati, & commune, non proprium: quia ita participat vna creatura illam perfectionem, sicut alia, Et si dicas: *Sicut in secundo argumento*, quod de Deo concludimus aliquid per rationem effectus: vbi sufficit tantum proportio, & non similitudo. Hoc non respondet, sed confirmat argumentum: quia considerando Deum sub ratione causæ, ex creaturis bene cognoscitur proportionaliter: sed hoc modo, non cognoscitur aliqua proportio de Deo, quæ est in creatura formaliter, sed causaliter, scilicet: quod Deus sit causa talis perfectionis. Attributa autem, sunt perfectiones simpliciter dicta de Deo formaliter: ergo talia cognoscuntur de Deo nõ solum per viam proportionis: sed etiã per viam similitudinis. Ita quod oportet ponere aliquem conceptum communem in talibus Deo, & creaturæ: qualis non est communis illa prima via cognoscendi Deum, per viam causalitatis.

F. Ad istud est autoritas Philosoph. 2. Metaph. qui arguit, Principia sempiternorum esse verissima, & probat hoc per istam maiorem: quia vnum quodque est maxime tale, per quod alijs inest vniuocatio, & exemplificat, de igne. Et ex hoc concludit, quod sempiternorum principia, necesse est, esse verissima.

Ista consequentia non valet, nisi virtute ipsius minoris: quod principia illa sempiterna sunt causa vniuocationis in alijs. Si enim accipitur in minori, quod illa principia sunt principia æquiuoca vel analoga: erunt quatuor termini in sillogismo Philosophi: quod non est verisimile. G.

Respondeo, verum est, si deberet reduci, in vnum sillogismum: sed non sic reducetur: sed primo arguitur per locum à minori sic. Illud est maxime tale, propter quod vniuocatio est: ergo multo magis est eminenter tale in perfectione simpliciter, per quod est effectus æquiuocus: sed principia sempiternorum sunt huiusmodi: ergo, &c. H.

Ad argumenta opinionis oppositæ *satis in corpore articuli respondetur.*

Expositio artic. 3. quæst. 3 distinct. 8.

I. INsignis est huius articuli dubitatio: nam sicut de Deo, & creaturis, vt cũque inuestigatum est hactenus conceptus communis vniuocus: modo specialiter de attributis videndum est: an scilicet, detur conceptus sapientiæ communis vniuocus sapientiæ creatæ, & increatæ: item conceptus misericordiæ similiter vniuocus, misericordiæ Dei, & hominum, & sic de reliquis attributis: quod idem de intellectu, & voluntate, & de reliquis quæ sunt in Deo, & creaturis inquiritur. Non enim deficiunt Scotistæ insignes, qui, & cum Doctore teneant, ens esse commune vniuocum Deo, & creaturis: nihilominus negant, dabilem esse conceptum communem vniuocum sapientiæ creatæ, & increatæ, abstrahibilemque ab illis. Cuius sententiæ fundamentum est: quia sapiẽtia creata est quoddã indiuiduum sapiẽtiæ, quæ est species sub genere, & prædicamento qualitatis: & nullatenus est in diuiduum sapientiæ transcendentis. Sapientia autem diuina non est sub genere, & ideo non conuenit vniuocè cũ sapientia

pientia creata. Adhæc enim, vt conuenire, cum illa, debebat vtraque esse individuum sapientiæ trãscendentis: Sicut de Deo, & ente creato est dictum: alias enim inferetur vtramque sapientiam sub genere collocari, quod falsum est. Si autem sapiẽtia esset transcendens, quod libet ens esset sapiens: quia transcendentia conuertuntur.

2. *Tenet Lychetus, non dari cõceptum cõmunem vniuocum sapientiæ creatæ, & increatæ.*

Hac ratione conuictus Lychetus in 1. distinct. 8. quæst. 2. §. *dico quod tantum*, propè finem, hæc inquit, dico ergo: quod à sapientia creata, & in creata nõ potest abstrahi sapientia communis vtrique, dicta inquid: nec similiter, ab intellectu creato, & increato: hæc Lychetus. Et quando obijcitur sibi Scotus hic, & in pluribus alijs locis, oppositum docens expressè: sic respondet ibidem. Dico, quod licet Scotus aliquando dicat, sapientiam esse communem creatæ, & increatæ: & intellectus similiter: magis dicit exemplificando, quam affirmando illud sic esse. Exempla enim ponimus non vt ita sint: sed vt magis addiscentes assentiantur: hactenus Lychetus.

3. Miror quidem, hunc præclarissimum Scoti interpretem, illum in re tam clara, & perspicua reliquisse. Profecto non debet, nec potest hæc Lycheti interpræ tatio verborũ Doctoris, in Schola Scotica sustineri. Iuxta cuius expressam mẽtem teneo: dari vnicum conceptum cõmunem vniuocum sapientiæ creatæ, & increatæ: item personæ creatæ, & increatæ: item intellectui creato, & increato: item voluntati creatæ, & increatæ, & similiter dicendum est de reliquis, quæ reperiuntur in Deo, & in creaturis: multa namque reperiuntur in Deo, quę omni creaturæ repugnant: vt infinitas, æternitas, omnipotentia, & similia, de quibus non est nobis, nunc sermo. De alijs verò, quæ non solum sunt in Deo, sed etiam in aliquibus creaturis, prædicta conclusio procedit.

4. *Sapientia trãscẽdens est vniuoca creatæ, & increatæ, & idem de alijs attributis est dicendum.*

Ad cuius intelligentiam recolenda sunt, ea quæ supra notauimus in difficultate 38. num. 20. quod, scilicet, sapientia aliter se habet respectu Dei sapientis, & hominis sapientis: & aliter respectu sapientiæ diuinæ, & sapientiæ, quæ est in homine: nam de Deo, & homine sapiente, non prædicatur sapientia vniuocè: sed est vniuocum prædicatum de illis: respectu verò sapientiæ diuinæ & creatæ, prædicatur vniuocè: quia non minus prædicatur albedo de hac, & illa, quam homo de hoc, & illo: quia vtrobique est eadem ratio prædicationis naturæ, de individuo. Similiter, dico: quod non minus prædicatur vniuocè sapientia de creata, & increata, quam ens de Deo, & creaturis.

5. Ad rationem autem dubitandi est aperta responsio in textu: quod, scilicet, ibi non sumitur sapientia illa cõmunis, quæ de diuina, & creata dicitur, prout est aliqua qualitas sub qualitatis genere constituta: sed vt est quoddam transcendens, transcendentaliter se habens ad vtramque, quod idem de intellectu, & reliquis, inter quæ datur prædicta vniuoca conuenientia, est dicendum: quæ sententia est plerumque omnium Scotistarum communis. Pro qua videantur Tartareus in hac distinct. 8. quæst. 3. §. *quarto arguitur*, propè finem, & Pomeaureus, quæst. 1. artic. 3. §. *ita etiam*, quinimo, & sapientissimus idem Lichetus supra citatam sententiam, non absolute, sed sub correctione asseruit: nam ibi. §. *ad vltimum de sapientia*, ante quam illam proferret, ait: *Dico saluo semper meliori iudicio*, qua verborũ modestia, se subijcit aliorum Scotistarum intelligentiæ, & eam virtualiter tenet. *Tartareꝰ, Pomeriusꝰ, Lichetusꝰ.*

6. *Passiones entis sunt transcẽdẽtes in duplici differentia.*

Dico ergo cum Tartareto: vt rationi dubitandi facile valeam satisfacere: quod quælibet passio entis est eius trãscendens: transcendens autem est in duplici differentia, quoddam enim est cõuertibile cum ente: vt bonum, verum, vnum, res aliquid. Alia verò sunt transcendẽtia, non sic conuertibilia: vt potè idem, & diuersum, necessum, & contingens, potentia, & actus, & similia: quæ non solum non conuertuntur cum ente, quinimo, contradicunt sibi inuicem: quia ens quod est potentia, non est actus, imò sibi in ratione potentiæ esse actum repugnat. Hoc etiam modo (inquit egregie Pomeaureus) sapientia est transcendens, & quodcumq; aliud, quod est commune creaturis, & Deo, licet non dicatur omnia conuertibiliter, cum quolibet ente.

7. Porrò, quod sapientia possit dici trãscendens, habetur à Doctore expressè in textu, qui sapientiam dupliciter summit.

mit. Vel primo præcisè secundum præcisam rationem sapientiæ: vel secundo, vt contracta modo finito limitationis. Primo modo est transcendens, quia conuenit enti, ante quam contrahatur per finitum, & infinitum. Secundo vero modo non est transcendens, sed sub genere qualitatis: quia ergo sapientia pro illo priori, pro quo nondum concipitur qua si contracta per finitum, & infinitum, est quædam ratio formalis communis, & quidditatiua sapientiæ, quæ post contractionem reperitur in sapientia Dei, & in sapientia creata secundum precisam diffinitionem, & quidditatem sapientiæ: ideo prout sic dicit conceptū obiectiuum communem vniuocum sapientiæ diuinæ, & creatæ: quod idem de alijs conceptibus communibus Deo, & creaturis dicendum censeo.

8. Sed tunc replicat Tatheretus, hæc dicens: quid dicemus de sapientia Salomonis, seu cuiuslibet alterius in individuo: est ne sapientia ista formaliter qualitas? si dicas quod sic. Contra, quia tunc, non potest esse individuum illius sapientiæ, quæ est transcendens: quia nequit idem esse in diuiduum alicuius generis, & alicuius transcendentis.

9. Non habet Tatheretus pro inconuenienti, vtrumque concedere, & scilicet, quod talis sapientia sit individuum transcendentis, & quod sit insimul individuum generis qualitatis: quia ibi est subordinatio, quæ datur inter minus cōmunia, & communiora. Hæc tamen solutio, licèt aliquibus videatur probabilis, mihi tamen non placet.

10. Aliter ergo, multo melius iuxta mentem textualem Doctoris, respondet ipse Tatheretus, quod in sapientia Salomonis, verbi gratia, duo considerantur, & quidem primo præcisa ratio sapientiæ, quæ ratio tantummodo diffinitionem, & quidditatem sapientiæ importat, vt supra dixi: & secundo, quod talis sapientia sit limitata, & alijs creaturæ imperfectionibus inuoluta. Dicit modo, quod sapientia illa primo modo, est merum individuum illius sapientiæ, quæ est transcendens, & vt sic non ponitur sub genere: nam sicut in quolibet ente creato est precisa ratio entis, quæ cum Deo vniuoce conuenit, vt constat ex difficultate 58. & insuper est multiplex ratio contractionis per modos limitatos, & imperfectos, & per quidditatiuas differentias, quibus sub determinatis speciebus, & generibus constituitur: ita non inconuenit in sapientia creata repiriri præcisam rationem formalem sapientiæ, quę cum sapientia diuina cōueniat, tanquam præcisum individuum sapientiæ transcendentis: & quod de integro hæc ratio sapientiæ sit modo limitationis contracta, & pluribus differentijs inuoluta, quibus sub genere qualitatis iterum collocetur. Vnde hoc secundo modo considerata sapientia Salomonis, iam est sub genere qualitatis: vt sic ergo non conuenit vniuoce cum sapientia diuina: bene tamen primo modo cōsiderata. Ex quo infertur, nullum vniuoce conueniens cum Deo, secundum illam præcisam rationem, qua cum Deo conuenit, esse sub genere, & ex consequenti, nec Deus eo quod vniuoce conuenit, cum creaturis: cum illis sub genere constituatur.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm cum simplicitate diuina stet, quod Deus sit in genere?

A. AD quartum sic proceditur. Videtur, quod cum simplicitate diuina stet, quod Deus sit in genere: quia Deus formaliter est ens: ens autem dicit conceptum dictum de Deo in quid: & iste conceptus non est proprius Deo: sed communis sibi, & creaturis, sicut dictum est distinct. 3. *& in articulo 2. huius quæstion.* ergo oportet a dhoc, quod fiat proprius: quod determinetur per aliquem conceptum determinantem. Ille determinans se habet ad conceptum entis sicut conceptus qualis adcōceptum quid: & per consequens, vt cōceptus differentiæ ad conceptum generis.

B. Secundò præterea: Auicena, 2. Metaphi. cap. 1. *ait*, ens in subiecto, & ens nō in subiecto, non habent medium: & videtur loqui, secundum quod ens non in

in subiecto est ratio substantiæ: & ens in subiecto est ratio accidentis. Deus igitur, cum sit ens formaliter, & non ens in subiecto, ergo est ens formaliter non in subiecto: ergo substantia: substãtia autem, vt substantia, est genus.

C. Tertiò præterea; vbi est species, ibi est genus secundum Porphirium: quia sunt correlatiua: sed natura diuina est species respectu diuinarum personarũ secundum Damascenum, cap. 5. ergo Deus est in genere.

Cap. de specie.

D. Quartò præterea, quia ad hoc videtur auctoritas Auerrois 10. Metaph. com. 7. & incipit textus: dicuntur autẽ æqualiter ens, & vnum: vbi Philosophus dicit, aliquam esse vnam primam substantiam, quæ sit mensura aliarum: Commẽtator vult, quod ille sit primus motor: ergo sicut in alijs generibus primum est aliquid illius generis: ita primus motor est aliquid de genere substantiæ.

E. Quintò præterea, ad hoc ratio ponitur talis: quia potest concipi substantia creata, & substantia increata, & neuter conceptus est simpliciter simplex: ergo resoluendo remanebit ratio substantiæ indifferens ad vtrumque contrahens: & sic indifferenter accepta videtur esse ratio generis.

F. Sextò præterea: quia multa entia simplicia ponuntur in genere, sicut Angeli (secundum ponentes eos esse immateriales) accidentia etiam (secundum ponentes ea esse simplicia) ergo simplicitas Dei non excludit ab eo rationem generis.

G. Sed contra est Magister in littera, & adducit Augustinũ, & ostendit per eũ, quod remouentur à Deo illa prædicamenta artis Dialecticæ.

H. Respondeo dicendum, quod hic est opinio affirmatiua in alio extremo *ab opinione secundi articuli*: quæ ponit Deum in genere, & habent pro se authoritatem Damasceni. Itẽ Boetij, &c. *De quibus commodius in sequenti articulo fiet sermo* Teneo tamẽ opinionẽ meam mediã; quod *etsi* cum simplicitate Dei stat, quod aliquis sit conceptus cõmunis sibi, & creaturæ, *vt in art. 2. visum est*; non tamen cõmunis, vt generis. Prima pars probata est, *ibi*, arguendo contra primam opinionẽ. Secundam partem probo per August. 7. c. 5. vel 32 manifestum est Deũ absque siue substantiã vocari: ratio sua ibi est: quia substantia dicitur, quod substat accidentibus. Absurdũ vero est, quod Deus alicui accidentis subster. Hæc ratio sic tenet: non enim intelligit, quod ratio substantiæ sit substare accidentibus: sed vt substãtia est genus: quia præmisit ibi, quod absurdum est, quod substantia relatiue dicatur: sed substantia, vt est genus, est limitata, sicut statim posteà probabitur: omnis autem substantia limitata capax est accidentis: ergo substantia quæcũque, quæ est in genere, potest substare alicui accidenti: Deus autem non: ergo, &c. Item arguit Auice. 8. Metap. c. 4. quod Deus non est in genere: quia genus est pars. Deus autem simplex non habens partem, & partẽ: ergo Deus non est in genere. Istæ duæ probationes sunt simul per auctoritatem, & per rationẽ: nunc ostendo propositũ duobus medijs, & declarantur ex his, quæ sunt propria Deo. Primo ex ratione infinitatis. Secundo ex ratione necesse esse. Et primo arguo dupliciter, primo sic. Conceptus habens indifferentiam ad aliqua, ad quæ non potest conceptus generis esse indifferens, non potest esse conceptus generis: sed quidquid dicitur communiter de Deo, & creatura, est indifferens ad finitum, & infinitum (loquendo de essentialibus) vel saltem ad finitum, & non finitum (loquendo de quibuscunque: quia relatio diuina, nec est finita, nec infinita) nullum autem genus, potest esse indifferens ad finitum, & infinitum: ergo, &c. Prima pars minoris patet: quia quidquid est in Deo perfectio essentialis, est formaliter infinitum: in creatura vero finitum, secũdã

Opinio hæc est Alberti de Saxonia & Roberti Olkot. lib. 1. q. 5. Conclusio.

Conclusio.

partem minoris probo: quia genus sumitur ab aliqua realitate, quæ secundum se est potentialis ad realitatem, à qua accipitur differentia: sed nullum infinitum est potentiale ad aliquid, vt patet ex dictis in quæstion. præcedenti. Assumptum hoc patet auctoritate Aristot. 8. Methap. capit. 5. oportet terminum in difinitione esse rationem longam: quia significat aliquid de aliquo: ita quod oportet illud esse materiam, & illud formam. Text. cō. 9.

I. Apparet etiam per rationem: quia si illa realitas, à qua accipitur genus esse, vere tota quidditas rei solum genus complete difiniret: genus etiam, & differentia non differrent: quia ratio ex eis non indicaret primo idem difinito: vnaquæque enim res est semel ipsa: & ideo, quæ bis exprimeret eam, non indicaret primo idem definito, vel, quidditati illius rei. Hanc rationem aliqualiter pertractando intelligo sic: quod in aliquibus creaturis genus, & differentia accipiuntur ab alia, & alia re: sicut ponendo plures formas in homine: animal accipitur à sensitiua: & rationale ab intellectiua: & tunc illa res, à qua accipitur genus, verè est potentialis, & perfectibilis ab illa re, à qua accipitur differentia: aliquando ibi non sunt res & res, sicut in accidentibus: saltem in vna re, est aliqua prima realitas, à qua sumitur genus: & alia realitas à qua sumitur differentia. Dicatur prima A. secunda B. A. secundum se est potentiale ad B. ita, quod præcise intelligendo A. & præcise intelligendo B. A. vt intelligitur in primo instāti naturæ, in quo præcise est ipsum est perfectibile per B. sicut si esset res alia: sed quod nō perficitur realiter per B. hoc est, propter idētitatē A. & B. ad aliquod totū, cui realiter primo sunt eadē. Quod quidē totū primo pruducitur: & in ipso toto ambæ istæ realitates producuntur. Si tamen altera istarum, sine altera produceretur, vere esset potentialis ad eam, & vere esset imperfecta sine illa: ista autem compositio realitatum potentialis, & actualis, minima est: quæ sufficit ad rationem generis, & differentiæ: & ista non stat cum hoc: quod quælibet realitas in aliquo sit infinita. Realitas enim, si esset de se infinita, quantumcumque præcise sumpta non esset in potentia ad aliquam realitatem: igitur cum in Deo, quæcumque realitas essentialis sit formaliter infinita: nulla est, á qua formaliter possit accipi ratio generis. Secundo ex eodem medio sic: conceptus speciei, non est tantum conceptus realitatis, & modi intrinseci eiusdem realitatis: quia tunc albedo posset esse genus, & gradus intrinseci albedinis possent esse differentiæ specificæ: illa autem, per quæ commune aliquod contrahitur ad Deum, & creaturam, sunt finitum, & infinitum, quæ dicunt gradus intrinsecos ipsius: ergo ista contrahentia non possunt esse vere differentiæ: nec cum contracto constituunt ita compositum conceptum, sicut oportet, conceptum speciei esse compositum: imò conceptus ex tali contracto, & contrahente est simplicior, quàm possit esse cōceptus speciei.

Ex istis medijs de infinitate habet euidentiam ratio Augustin. superius tacta de substare accidenti. Habet etiam euidentiam ratio Auicenæ 8. Metaphysic. de partialitate generis supra tacta: quia numquam est genus, sine aliqua partiali realitate in specie, quæ non potest esse in vere simplici. Arguo 3. ex secundo medio, scilicet, ex ratione necesse esse: & est argumentum Auicenæ 8. Metaphisic. capit. 4. si necesse esse habet genus: ergo intentio generis, vel erit ex se necesse esse, vel non. Si primo modo: tunc non cessabit, quousque sit ibi differentia: hoc intelligo sic: quod genus tunc includeret differentiam: quia sine illa non est in actu vltimo: & necesse esse ex se est in actu vltimo: si autē genus K.

inclu-

includat differentiã: tunc nõ est genus. Si detur secũdum membrum: sequitur quod necesse esse esset cõstitutum, ex eo, quòd non est necesse esse. Sed hæc ratio probat, quod necesse esse nihil commune habet cum alio: quia illa intentio communis non est necesse esse. Vnde respondeo, intentio intellecta non includit necessitatem, nec potentialitatem: sed est indifferens: illud autem in re, quod correspondet intentioni, in hoc est necesse esse: in illo vero posibile. Hoc improbatur, si intentioni generis correspondet propria realitas, & non sic alij intentioni communi, sicut dicetur infra quando respondebitur ad dubium adductum contra solutionem primi argumenti principalis, *de quo erit sermo in ar. 6.*

L. Ad primum argumentum concedo, quod iste conceptus dictus de Deo, & de creatura inquid, contrahitur per aliquos conceptus dicentes quale cõtrahentes: sed ipse conceptus dictus inquid non est conceptus generis: nec illi conceptus dicentes quale sunt cõceptus differentiarum: quia iste conceptus quidditatiuus est communis ad finitum & infinitum, quæ communitas non potest esse in conceptu generis: isti etiam conceptus contrahentes dicunt modum intrinsecum ipsius contracti, & non aliquam realitatem perficientem illam: differentiæ autem non dicunt modum intrinsecum realitatis alicuius generis: quia in quocumq; gradu intelligatur animalitas, non propter hoc inuenitur rationalitas vel irrationalitas esse modus intrinsecus animalitatis, sed adhuc intelligitur animalitas in tali gradu, vt perfectibilis à rationalitate, vel irrationalitate. Sed hic est vnum dubium *de quo in articulo 4.*

M. Ad secundum Auicennæ secundo Metaphysicæ patet per ipsum 8. Metaphisi. vt dictum est.

N. Ad tertium Damasc. 3. cap. patet per Magistrum distinct. 19. quia ponit ibi speciem pro aliqua similitudine speciei ad individua: est tamen maior dissimilitudo secundum Augustin. & ideo Augustinus lib 7. de Trinitat. capit. 4. negat ibi speciem, sicut genus. Vnde illa difinitio Porphirij, species dicitur quæ prædicatur de pluribus in quid, debet intelligi, quod in illis pluribus plurificetur species secundum naturam: in personis autem diuinis non plurificatur natura diuina. Species etiam secundum se habet realitatem correspondentem sibi, potentialem ad propriam realitatem individui: essentia diuina nullo modo est potentialis ad relationem, sicut dictum est supra distinct. 5. quæstion. 2.

Ad quartum Auerrois, dico: quod non videtur habere intentionem magistri sui Aristotelis: quia Aristot. in capit. 3. illius decimi quærit, an in substantijs sit aliquid vnum, quod sit mensura aliorum, an hoc ipsum vnum? & probat ex intentione contra Platonem, quod non sit ipsum vnum: sed aliquid, cui conuenit ipsum vnum, sicut est de omnibus alijs generibus loquendo de vno, & de omnibus alijs mensuratis in illis generibus, & concludit infine: quare siquidem in passionibus, & qualitatibus, & quantitatibus ipsum vnum, aliquid vnum: sed non hoc ipsius substantia: sed in substantijs necesse est similiter se habere: similiter enim se habet in omnibus. Super quam litteram ponit Commentator verba præallegata: sed si primus motor poneretur mensura ipsius generis substantiæ, hoc ipsum vnum poneretur mensura: quia primus motor propter simplicitatẽ suam, multo verius esset hoc ipsum vnum, quam idea Platonis. Quid igitur est mensura prima illius generis? Respondeo, aliqua substantia illius generis prima, cui conuenit vnitas: non est autem primus motor mensura intrinseca illius generis, sicut, nec aliorum: quatenus tamen est mensura extrin-

O. *Hæc tria argumẽta sequentia in antiquo textu ponebantur pro opinione affirmatiua citata.*

Tex. com. 8.

extrinseca omnium, aliquo modo est immediatius mensura substantiarum, quæ sunt perfectiora entia, quam accidentium, quæ sunt remotiora ab ipsa: nullius tamen generis est mensura intrinseca.

P. Ad quintum dico, quod si substantiam abstrahas à creata, & increata: nō accipitur ibi substantia, vt est cōceptus generis generalissimi: quia increata repugnat substantiæ hoc modo: quia substātia hoc modo includit limitationē: sed accipitur ibi substantia, pro ente in se, & non ente in alio: cuius cōceptus prior est communior conceptu substātiæ, vt est genus: sicut patuit per Auicæn. supra.

Q. Ad sextum concedo, quod compositio rei, & rei, non requiritur in ente, in genere: sed requiritur compositio realitatis, & realitatis: quarum altera præcise sumpta in primo signo naturæ, est in potentia ad alteram, & perfectibilis per alteram: talis autem compositio, nō potest esse realitatis infinitæ ad realitatem infinitam; omnis autem realitas in Deo est infinita formaliter: sicut supra declaratum est: ergo, &c.

Expositio articul. 4. quæstion. 3. distinct. 8.

LOngissimo sermone pertractat Doctor huius articuli difficultatem circa quam fuit opinio (vt supra notauimus) cuiusdam Alberti de Saxonia, & Roberti O Kot, asserentium, Deum poni, & collocari sub genere: quam sententiam Doctor acriter impugnat, & cōcludit, quod licet detur conceptus cōmunis vniuocus Deo, & creaturis: non tamen talis conceptus est alicuius naturæ communis, quæ, scilicet, natura habeat se tanquam genus: atque ideo saluo conceptu cōmuni vniuoco, negat rationem aliquam generica Deo, & creaturis communem reperiri posse: quæ difficultas sufficienter à nobis remanet resoluta, supra in difficultate 4. & hæc, quæ in textu habentur, sunt satis clara.

ARTICVLVS V.

Vtrùm cum simplicitate diuina stet, quod aliquid formaliter dictum de Deo sit in genere?

AD quintum sic proceditur. A. Videtur, quod cum simplicitate diuina stet: quod aliquid formaliter dictum de Deo sit in genere: quia sapientia formaliter dicitur de Deo: & hoc secundum eandem rationem, secundum quam dicitur de nobis: quia illæ rationes, quæ dictæ sunt distinct. 3. quæst. 1. artic. 2. de vniuocatione entis, concludunt de vniuocatione sapientiæ: igitur secundum illam rationem secundum quam, sapientia dicitur de Deo, est species generis. Et hoc probatur, per dictū antiquorū Doctorum, qui dicunt: quod species transfertur ad diuina: quia dicit perfectionem: licet non genus: quia dicit imperfectionem, vt sapientia transfertur ad diuina, licet non qualitas.

Secundò præterea: quia opinio affirmatiua habet pro se autoritatem Damasceni, in Elemēt. c. 8 substātia, &c. B.

Tertiò præterea, Boëtius in libello suo de Trinit. vbi videtur dicere, quod duo genera manent in diuinis: hoc nō potest intelligi tantum, secundum modum aliquem similē prædicandi: quia 15. de Trinitat. cap. 5. dicit Augus. sic, si dicam æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis viuus, sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus, beatus, spiritus: horum omnium nouissimum, quod posuit, quasi tantum videtur significare substantiam, cætera vero huius substantiæ qualitates. Item idem 5. de Trinitat. capit. 8. vel 22. videtur dicere, quod actio propriissime cōueniat Deo: ergo non tantum manent modi prædicandi similes duobus istis generibus: & ita videtur, quod oporteat intelligere Boetium de illis duobus generibus in se, quod maneant. C.

Sed contra est: quia nihil dicitur de Deo formaliter, quod est limitatum: D.

quia

quidquid autem est alicuius generis, est necessario limitatum: ergo, &c.

E. Respondeo dicēdum quod, quoad illud, quod additur in quæstione de quocumque formaliter dicto de Deo, dico: quod nihil tale est in genere propter idem: *quod in articulo quarto, respectu Dei dictum est*. Sed tunc est dubium, quæ dicuntur de Deo formaliter, vt sapiens, bonus, &c. Respondeo, quod ens prius diuiditur in infinitum, & finitum: quàm in decem genera: quia alterum istorum, scilicet, ens finitum est commune ad decem genera: ergo quæcumque conueniunt enti, vt indifferens ad finitum & infinitum, vel vt est proprium enti infinito, conueniunt sibi, non vt determinatur ad genus: sed vt prius: & per consequens, vt est transcendens, & extra omne genus: quæcumq; sunt communia Deo, & creaturæ, sunt talia, quæ conueniunt enti, vt est indifferens ad finitum, & infinitum: vt enim conueniunt Deo sunt infinita: vt creaturæ sunt finita: ergo illa per prius conueniunt enti, quam ens diuidatur in decem genera: & per consequens, quod cumque tale est trāscendens. Sed tunc est aliud dubium, quomodo ponitur sapientia transcendens, cùm non sit communis omnibus entibus: & transcendentia videntur communia omnibus? Respondeo, sicut de ratione generis generalissimi non est in se habere plures sub se species: sed non habere aliud superueniens genus: sicut hoc prædicamentum. Quando: quia non habet superueniens genus, est generalissimum, licet paucas habeat species, aut nullas: ita transcendens quodcunque nullum habet genus, sub quo contineatur: sed quod ipsum sit commune ad multa inferiora, hoc accidit. Hoc patet ex alio: quia ens non tantum habet passiones, conuertibiles simplices, sicut vnū, verū, bonū, &c. Sed habet aliquas passiones, vbi opposita distinguuntur contra se: sicut necesse esse, vel possibile, actus v[illegible] tentia, & huiusmodi. Sicut autem passiones conuertibiles sunt transcendentes: quia consequuntur ens, non inquātum determinatur ad aliquod genus: ita, & passiones diuiunctę sunt transcendentes, & vtrumque membrum illius diuiuncti est transcendens: quia neutrum determinat suum determinabile ad certum genus, & tantum vnum mē brum illius diuiuncti est speciale formaliter non conueniens, nisi vni enti: sicut necesse est in ista diuisione, necesse, vel possibile: & similiter infinitum in ista diuisione, finitum, vel infinitum, &c. Ita etiam potest sapientia esse transcendens, & quodcūque aliud, quando est commune, & Deo, & creaturæ: licet aliquid tale dicatur de solo Deo, & de nulla creatura: aliquid autem de Deo, & creatura aliqua. Non oportet ergo, transcendens, vt transcendens, dici de quocumque ente, niſi sit cōuertibile cum primo transcendente, scilicet, cum ente. Dubium tamen est de hac sapientia, quæ est in nobis: vtrum sit individuum sapientiæ transcendentis, & qualitatis: an alterius tantum? Quod non vtriusque videtur: quia nihil idem continetur sub diuersis prædicamentis dictis inquid de eo, non sub alternis: sapientia autem transcendens, & qualitas, non sunt sub alterna: ergo, &c. Item sapientia transcendens est passio entis: ergo ens non dicitur de eo inquid, nec ē conuerso, ex distinctione 3.: igitur, nec aliquid in quo includitur sapientia transcēdens includens ens in quid: quia tunc, illud esset ens per accidens: includeret enim essentialiter rationem subiecti, & passionis, quæ nō faciunt aliquid vnum per se, sed tantum per accidens. Si hæc argumenta valent, vnum videtur dandum, scilicet, quod sapientia in nobis, vel sit tantum individuum sapientiæ transcendentis, vel tantum generis qualitatis: non videtur dandum secundum: quia

quia nō esset in nobis perfectiosim [illegible]iter, quod videtur contra August. 5. de Trinitat. cap. 4. omnis circa nos creatura clamat, &c. Si primum detur: ergo non omnis habitus formaliter est in genere qualitatis: sed omnes sunt transcendentes, qui importā perfectionem simpliciter.

F. Ad primum argumentum de sapiētia dico: quod non est species generis, vt transfertur ad diuina, nec secūdum illam rationem transfertur: sed secundum rationem sapientiæ, vt est transcendens. Quomodo autem tale potest esse transcendens? dictum est superius in solutione principali articuli huius.

G. Ad secundum Damasc. Respondeo: quod licet multa verba dicat in diuersis locis, quæ videntur dicere, Deum esse in genere: vnum tamen verbū, quod dicit in Elementario, capit. 8. soluit omnia: ibi enim dicit sic: substantia, quæ continet supersubstantialiter in creatam Deitatem, cognoscibiliter autem, & continue omnem creaturam: generalissimum est genus. Non igitur dicit substantiam, quæ est generalissimum, continere continue Deitatem, sicut continet creaturam: sed supersubstantialiter, hoc est, accipiendo illud quod est perfectionis in substantia, quę est genus, & relinquendo illud, quod est imperfectionis, quomodo dicit Auicena 9. Metaph. Deum esse ens per se?

H. Ad tertium Boetij dico: quod nusquam inuenitur dicere in libello illo, quod duo genera manent in diuinis: nec breuiter genera, nec differentiæ generum, nec etiam modorum, nec rationes eorum manent ibi: quia sicut genera, & ea, quæ in eis sunt, limitata sunt: ita & modi, & rationes eorum loquendo de rationibus primæ intentionis, quæ fundantur in istis: quia in limitato non potest aliquid fundari, nisi limitatum: dicit tamen Boetius in libello suo de Trinitat. capit. 6. quod enumeratis prædicamentis, hæc siquis in diuinam prædicationem cōuertit, omnia mutantur, quæ mutari possunt: ad aliquid verè omninó non mutantur ibi. Et infra essentia cōtinet vnitatem: relatio multiplicat Trinitatem. Et ex istis accipitur, quod innuat substātiam, & relationem manere in diuinis: sed ex præse dicit ibi: quod nec substantia, quæ est genus, nec aliquid eius manet ibi: dicit enim: cùm dicimus, Deus: substantiam significare videmur: sed eam quæ fit vltra substantiam: quomodo Damasc. substantiam dixit supersubstantialiter. Intendit ergo, quod duo modi prædicandi sunt in diuinis, scilicet, prædicati relatiui, & essentialis: quos modos Augustin. magis exprimit 5. de Trinitat. capit. 6. vel 10. ad se, & ad aliud: & omnia prædicata formaliter dicta de Deo sub altero istorum mēbrorum continentur. Sed sub primo membro continentur multa prædicata, quæ habent similem modum prædicandi qualitati, & quantitati: non autem sola illa, quæ habent similem modum prædicandi illis, quæ sunt de prædicamento substantiæ. Sub secundo autem membro continentur omnia, quæ habent similem modum prædicandi quibuscunque relatiuis: siue sint relatiua proprie, siuê non. Sed quare omnia essentialia dicantur præciso prædicari secundum substantiam, & contra ea distinguantur prædicata dicta ad aliquid, cum tamen illa prædicata dicta ad aliquid, transeant per identitatem in substantiam, sicut alia? Respondeo, quod assignabitur in sequenti quæstione de attributis dubitatione secunda contra solutionē principalē.

Expositio art. 5. quæst. 3. dist. 8.

SEorsum disputat Doctor huius articuli materiā, licet optime illā cum præcedenti articulo potuerit commiscere: eadē enim argumēta, quę cōcludūt, Deū sub genere collocari nō posse, optime probāt idē de illis, quę Deo formaliter cōueniunt: Vndè circa hoc, cōcludit Doctor difficultatē his verbis:

Quoad

Quo ad illud, quod additur in quæstione de quocūq; formaliter dicto de Deo: dico, quod nihil tale est in genere, propter idem, quod in artic. 4. respectu Dei dictum est. Hic nihilominus vltra ea, quæ illic dicta fuerant, mouet dubium, qualia, scilicet, sint illa prædicata, quæ de Deo dicuntur formaliter vt sapiens bonus, &c. Et nota, quod ibi, *formaliter*, non intelligit quidditatiue, aut essentialiter: sed formaliter denominatiuè in secundo modo dicendi per se, sicut prædicantur formaliter proprietates, & passiones de subiecto. Attributa igitur, seu perfectiones diuinæ, quasi passiones, seu proprietates se habent ad essentiam: de his igitur, quæ sic formaliter dicuntur de Deo, soluit Doctor prædictum dubium celebre, aperiendo doctrinam, qua ostendit qualiter ens prius diuiditur in infinitum, & finitū, quā in decem genera: & qualiter attributa diuina cum perfectionibus creatis in illa ratione transcendentis conueniant: absque eo quod exinde sequatur, attributa huiusmodi sub genere posse constitui: vbi confirmatur, & amplius declaratur materia articul. 3. quæ hic habetur clarissime resoluta.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm conceptus communis Deo, & creaturæ realis possit accipi, nisi ab aliqua realitate eiusdem generis?

A. AD sextum sic proceditur. Videtur, quod conceptus communis Deo, & creaturæ, realis non possit accipi, nisi ab aliqua realitate eiusdem generis: quia saltem conceptus communis est indeterminatus, & potentialis ad specialem conceptum, vt realitas ad realitatem: vel saltem non erit infinitus: quia nullum infinitum est potentiale ad aliquid.

B. Secundò præterea: quia conceptus ille non est infinitus actus, sed est obiectum formale, si est determinabile: igitur formaliter finitum est potentiale: igitur non est communis rei infinitæ.

Tertiò præterea: quia res infinita non est aliquid finitum Deus est illud obiectum, si illud prædicatur inquid de Deo, sicut homo, est animal: similiter non est aliquid potentiale, ergo, *&c.* C.

Quartò præterea: conceptus ille non est infinitus: ergo realitas, à qua accipitur est finita. D.

Sed contra est: quia si esset realitas de se infinita, quantumcunque præcise sumpta, non esset in potentia ad aliquam realitatem: igitur cum in Deo quæcunque realitas essentialis sit formaliter infinita, nulla est, à qua formaliter possit accipi ratio generis. E.

Respondeo dicendum, quod hic est vnum dubium, quomodo potest cōceptus communis Deo, & creaturæ, realis accipi, nisi ab aliqua realitate eiusdem generis? & tunc videtur, quod sit potentialis ad illam realitatem, à qua accipitur conceptus distinguens, tanquam differentia: sicut prius argutum est de conceptu generis, & differentiæ: & tunc stat argumentum superius factum pro prima opinione: quòd si esset aliqua realitas distinguens in re, & alia distincta videtur, quod res sit composita: quia habet aliquid, quo conueniat, & quo differat. Respondeo, quod quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinseco suo, ille conceptus non est, ita simpliciter simplex, quin possit concipi illa realitas absque modo illo: sed tunc est conceptus imperfectus illius rei: potest etiam concipi sub illo modo, & tunc est conceptus perfectus illius rei. Exemplum: si esset albedo sub decimo gradu intensionis, quantumcunque esset simplex omninò in re, posset tamen cōcipi sub ratione albedinis tātæ: & tūc perfectè cōciperetur cōceptu addæquato illi rei: vel posset cōcipi præcisè sub ratione albedinis, & tūc cō F.

ciperetur conceptu imperfecto, & deficiente à perfectione rei. Conceptus autem imperfectus posset esse communis illi albedini, & alij, & conceptus perfectus proprius esset. Requiritur igitur distinctio inter illud, à quo accipitur conceptus communis, & illud à quo accipitur conceptus proprius, nõ vt distinctio realitatis, & realitatis: sed
Conclusio. vt distinctio realitatis, & modi proprij, & intrinseci eiusdem, quæ distinctio sufficit ad habendum perfectum conceptum, vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis, & perfectus sit proprius. Sed conceptus generis, & differentiæ requirunt distinctionem realitatum: non tantum eiusdem realitatis perfectæ, & imperfectæ conceptę. Istud potest sic declarari. Si ponamus, aliquem intellectum perfecte moueri à calore ad intelligendum realitatem caloris, & realitatem differentiæ, quantuncunque habeat perfectum conceptum addæquatum primæ realitati: non tamen habet in hoc conceptum realitatis, à quo accipitur differentia: nec è conuerso: sed habet ibi duo obiecta formalia, quæ nata sunt terminare conceptus proprios distinctos. Si autem tantum esset distinctio in re, sicut realitatis, & sui modi intrinseci, non posset intellectus habere proprium conceptum illius realitatis, & non habere conceptum illius modi in
Dist. 2. q. 3. art. trinseci rei, saltem, vt modi sub quo conciperetur: licet ille modus non cõciperetur: sicut de singularitate concepta, & modo, sub quo dicitur concipi, vt patet alibi. Sed in illo perfecto conceptu haberet vnum obiectum addæquatum illi: scilicet, rem sub modo. Istud etiam potest vlterius declarari, si cuiuslibet vniuersalis ponitur esse proprium indiuiduum, putà in re proprium indiuiduum animalis, propriũ indiuiduum hominis, &c. tunc non tantum conceptus generis est potentialis ad conceptum differentiæ, sed proprium indiuiduum generis est potentiale ad proprium indiuiduum differentiæ: si autem accipiamus proprium indiuiduum huius conceptus ens: quod indiuiduum est in Deo, & proprium indiuiduum huius, quod est infinitum: idem indiuiduum est: nec est potentiale ad se ipsum. Sed saltem quæres: quare entitas non habet proprium indiuiduum in re, quod sit in potentia ad indiuiduum determinantis, vt primo intelligatur hoc ens, quam infinitum? Respondeo, quod quando aliquid est de se, & non tantum capax illius esse: tunc etiam est de se habens quamlibet conditionem necessario requisitam ad esse. Ens autem, vt conuenit Deo, scilicet, ens per essentiam, est ipsum esse infinitum, & non aliquid cui tantum conuenit ipsum esse: & ideo ex se est hoc, & ex se infinitum, vt quasi per prius intelligatur aliquomodo, infinitas esse modus entitatis per essentiam, quam ipsum intelligatur esse hoc. Et ideo non oportet quærere quomodo hoc ens sit infinitum, quasi prius cõueniat sibi singularitas, quàm infinitas, & ita est vniuersaliter in his quæ possunt esse entia per essentiam non per participationem: tale primo determinatur ex se, vt sit tale per essentiam, & vt sit infinitum tale, & vt sit hoc de se. Etsi arguis, indiuiduum includit indiuiduum: ergo commune includit commune: ergo si hoc ens includit infinitatem hanc: & ens in communi includit infinitatem in communi. Respondeo, consequentia non valet: quia indiuiduum includit perfectionem aliquam, quàm non includit commune: & per illam perfectionem potest formaliter includere infinitum: & tamen commune ex ratione conceptus communis non includit illum, vt conceptum inclusum: sed est aliquo modo determinabile per ipsum.

Ad primum argumentum concedo, quod conceptus ille communis Deo, & creaturę, est finitus: hoc est, nõ est de se infinitus positiue, ita quod de

se

se includat infinitatem: quia si esset infinitus, non esset communis de se finito, & infinito: nec est de se finitus positiue, ita, quod de se includat finitatem: quia tunc non competeret infinito: sed est de se indifferens ad finitum, & infinitum: & ideo est finitus negatiue: idest non ponens infinitatem, & tali finitate est determinabilis per aliquem conceptum.

G. Ad secundum, vltima consequentia est neganda: quia res infinita imperfecte intelligitur in obiecto formali finito, pro quanto illud obiectum infinitum natum esset facere in intellectu tale obiectum formale, si diminute moueret: sicut & obiectum creatum diminute mouens natum est facere idē: & ideo est commune vtrique, quasi similitudo communis, & imperfecta.

H. Ad tertium respondeo, quod quanuis compositio apud intellectum sit conceptuum: tamen est pro re extra: sicut signa accipiuntur pro significatis: & sicut plures conceptus possunt esse signa eiusdem rei: licet vnum commune, aliud proprium: ita compositio illorum conceptuum est signum identitatis significatorum per ipsos conceptus: quia ergo significatum per conceptum finitum, vt per signum, commune est ad ipsum, quod significatur per conceptum Dei: ideo hæc est vera, Deus est ens, componendo cōceptum finitum apud intellectum conceptui Dei, sed non est profinito significato: sed pro infinito cōmuniter significato. Tunc ad istam propositionem, Deus est hoc obiectum ens. Respōdeo, Deus est illud, quod per hoc signum ens, vt per signum commune significatur: & ideo apud intellectum hæc compositio est vera: Deus est ens: quæ compositio est signum illius identitatis. Cum dicis, Deus non est aliquid finitum: Verum est, loquendo de identitate in re, quæ, scilicet, est significata, & significatorum: loquendo autem de esse, vt est compositio apud intellectum, quod de Deo in compositione nihil potest prædicari, quod est apud intellectum signum finitum, falsum est. Exemplū huius, homo est animal: animal apud intellectum, vt est ibi obiectum formale, est ens diminutum. Cōtra, nullū ens diminutum est verum de Sorte existente in re: igitur hæc est falsa, Sortes existens est animal. Respondeo, compositio semper fit cōceptuum, & est signū, & significatorum, sed est pro obiectis materialibus, quæ significantur per cōceptus, & pro identitate, quæ significatur per compositionem: ita quod, si idē titas est significatorum, idest obiectorum materialium, compositio est vera conceptuū, qui sunt formalia obiecta.

Ad quartum, *quod* non sequitur: nō enim accipitur ab aliqua realitate, vt cōceptus addæquatus realitati, siue vt perfectus conceptus illi realitati addæquatus, sed vt diminutus, vel imperfectus: in tantum etiam, quod si illa realitas, à qua accipitur, videretur perfecte, & intuitiue: intuens ibi non haberet distincta obiecta formalia, scilicet, realitatem, & modum: sed idem obiectū formale. Tamen intelligens intellectione abstractiua propter intellectionis illius imperfectionem potest vnum habere pro obiecto formali, licet non habeat alterum. I.

Expositio articul. 6. quæstion. 3. distinct. 8.

PLVRA continentur in textu sūmopere doctrinalia, tam in corpore articuli, quam in argumentorum solutione: quæ maximē illam difficultatem 58. de vniuocatione entis confirmant. Sed quod specialiter est maxime notatu dignum, est illa differentia, quòd aliter cōcipitur genus, & aliter ens. Ad quod supponitur: quodcūque ens singulare esse resolubile in plures conceptus, quantumuis ipsum in se sit simplicissimum, quod patet de Deo, qui etiam si sit summe simplex, est nihilominus resolubilis in cōceptum entis, & infiniti: quæ pluralitas conceptuum nullarenus opponitur summē simplici- I.

tati: prout concludimus supra in difficultate 54.num.62. Similiter, quodcunque ens singulare creatum est compositum ex genere, & differentia, atque ideo tam ens singulare est resolubile in conceptum entis, & in conceptum modi talis entis: quàm etiam ens creatum compositum est resolubile in conceptus generis, scilicet, & differentiæ.

2. Hæc tamen resolubilitas in plures conceptus, non fit eodem modo respectu entis, & respectu generis: nam ens singulare, secundum quod est tale ens, resoluitur, non in plures realitates, sed in realitatem entis, & in modum intrinsecum illius: qui modus non est realitas, atque ideo non potest perfectè terminare cognitionem intellectus nostri. Vndè non potest concipi Deus perfectè in ratione talis entis in singulari, quin concipiatur, cum modo infinitatis, vt ait Doctor in textu. Cuius ratio est: quia licet modus non variet essentiam Dei: est tamen ita illi intrinsecus, vt non possit perfectè concipi sine eo: quod Doctor exemplificat bene ibi in albedine, & gradibus intensionis illius. At vero in ente composito ex genere, & differentia: tam realitas generis, quàm realitas differentiæ, potest vna quæque seorsum concipi: quia in Petro possum concipere realitatem, qua præcisè est hoc animal, perfectè concipiendo hanc naturam viuentis sensibilis, absque eo quod concipiam hanc realitatem, quæ est rationalitas: & possum etiam concipere hanc realitatem, quæ est rationalitas, abstrahendo ab hac realitate, qua est hoc animal: ita quod quælibet istarum realitatum, est per se sola sufficiens ratio terminandi perfectam cognitionem: quia quælibet ex se est entitas, & realitas: modus vero intrinsecus nō est realitas, nec entitas, nec ens, sed (vt alibi dixi) est entis in obliquo: & ideo, se solo non potest perfectè terminare cognitionem.

3. Ex quibus patet subtilitas literæ textualis: quod, scilicet, quamuis Deus sit resolubilis in plures conceptus, vnius videlicet realitatis, & eius modi: non tamen est resolubilis in plures conceptus plurium realitatum: sicut est resolubile quodcunque constans genere, & differentia q resolubile est in plures realitates.

His ergo prænotatis, inquirit textus, an ratio cōmunis vniuoca debeat sumi ab aliqua reali conuenientia, inter ea quæ habent alias realitates, quibus differant? tunc distinguit Doctor de cōuenientibus sic, vel sic, & concludit: quòd quę conueniunt genere, cōueniunt quidē in realitate, & differūt per realitates: quia quodlibet ex illis, quæ conueniunt in genere, est resolubilē in plures realitates: nēpe in realitate generis, in quacōueniunt, & differētiæ, in qua deferunt. Quę autē conueniunt, tantū in realitate entis, non sunt resolubilia, vt sic, in plures realitates, sed in plures conceptus, quorū vnus est conceptus realitatis entis, & alius est conceptus præcisi modi talis entis: ita quod cōceptus realitatis est illis cōmunis: conceptus vero modi est cuilibet proprius.

5. Requiritur ergo (inquit Doctor) distinctio inter illud, à quo accipitur conceptus cōmunis, & illud, à quo accipitur conceptus proprius: quæ nō est distinctio realitatis, & realitatis: sed est distinctio realitatis, & proprij modi intrinseci eiusdē. Hæc autē distinctio (cōcludit Doctor) sufficit ad habendū cōceptum perfectū, & imperfectū de eodē: quorū imperfectus, quo scilicet, ens sine modo infinitatis, aut finitatis cōcipitur, sit cōmunis enti finito, & infinito: cōceptus vero proprius, ideſt includens talē realitatē, & modū, sit perfectus. Ex quo resoluitur præsens difficultas, nēpe, quod non requiritur duplex realitas, in quam necessario sit resolubile quodcūq; cōstitutū, ad saluandā vniuocationem vnius realitatis, in qua plura conueniunt: sed quod sufficit realitas vna illius rationis cōuenientiæ, & si illa, quæ conueniunt, tantū distinguantur per modos. Quia ergo Deus, & creatura hanc realitatē entis habent in se, & distinguntur per modos infinitatis, & finitatis: optimè ab hac realitate (quæ nō est realitas generis, sed transcendentis) summitur ratio conuenientiæ conceptus communis vniuoci Deo, & creaturis.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm melius probetur, Deum non esse in genere per hoc, quòd continet in se perfectiones omnium generum, quàm per rationes infinitatis.

Ad

A. AD septimũ sic proceditur. Videtur, quod melius probetur, Deum nõ esse in genere per hoc quod cõtinet perfectiones omniũ generũ: quã per rationes infinitatis: quia infinitas simpliciter non cõcludit propositũ: quia Philosop. 6. topicorũ increpat difinitionẽ lineæ rectæ, hanc, scilicet, linea recta est, cuius mediũ nõ exit extrema: per hoc quod si infinita linea esset recta esse posset: nõ autẽ haberet, tunc mediũ, nec extrema nõ est autẽ aliqua diffinitio increpãda: quia nõ conuenit illi quod impossibile est esse in genere: ergo nõ est impossibile, lineã infinitã esse in genere, & per cõsequens infinitas non necessario excluditur à genere.

B. Secundò præterea: quia cũ linea infinita possit esse in genere, quãtitas nõ: videntur valere duæ rationes sumptæ ex infinitate, *quæ sunt in artic. 4.*

C. Sed cõtra est: quia ex medijs de infinitate habet euidentiam ratio Augustini superius tacta, de substate accidenti: habet etiã euidentiã ratio Auic. 8. Metap. de partialitate generis supra tacta: quia nunquam est genus, sine aliqua partiali realitate in specie, quæ non potest esse inuerè simplici.

D. Tho. 1. p. sum. q. 3. ar. 5. in solut. principali, & in 1. dis. 6. qq præsentib.

D. Respondeo dicẽdũ, quod *vltra tres rationes positas in 4. art.* alij probant quarto modo Deũ non esse in genere: quia continet in se perfectiones omniũ generũ. Sed istud argumentum nõ valet: quia continens aliquid continet illud per modũ sui: substantia enim, quæ modo est genus generalissimũ, vt accipitur pro omnibus speciebus inferioribus, cõtinet virtualiter omnia accidentia. Ita q̃ si Deus sola indiuidua substãtiarũ causaret, illa haberet in se virtutẽ, vnde causarent omnia accidẽtia: & tamẽ nõ propter hoc negãtur substantiæ creatæ esse in genere: quia cõtinẽt virtualiter accidentia per modũ sui, non per modũ accidentiũ: igitur ex hoc solo, quod Deus continet perfectiones omniũ generũ, non sequitur ipsum nõ esse in gen ere: quia sic continere non excludit i nfinitatẽ: illa enim continere virtualite nõ est esse infinitũ, sed ex absoluta inf initate Dei hoc sequitur, sicut prius dictũ est. Sed alia est difficultas ad rem, vtrũ linea infinita possit esse in genere quantitatis? Et si sic: non videntur val ere duæ rationes sumptæ ex infinitate.

Conclusio.

Respondeo, quod nunquã ad summũ in inferiori, sequitur sũmũ in superio ri, nisi illud inferius sit nobilissimũ co ntentũ sub illo superiori: sicut nõ seq uitur: perfectissimus asinus: ergo perfe ctissimum animal: sed gratia materiæ s equitur: perfectissimus homo: ergo perfectissimũ animal; quia homo est per fectissimũ animalium; igitur non sequi tur: optimũ, siue perfectissimũ ens, ac l perfectissimũ aliquid eorũ, quæ conti nentur sub ente, nisi illud sit simplicite perfectissimũ sub ente: quãtitas aute n non est tale, nec aliquid alicuius gen eris: quia quodlibet est limitatũ: imò nihil est tale, nisi quod est perfectio simp liciter, quod ex se potest esse infinitũ: & ideo non sequitur: perfectissima quan titas: ergo perfectissimũ ens: nec etiã se quitur de aliqua re alicuius generis: se d tamen sequitur: perfectissima veritas, vel bonitas: ergo perfectissimũ ens: i ta ergo cũ infinitũ ens nõ tãtũ dicat p erfectione summã sed etiam nõ possib ilẽ excedi, nõ sequitur, infinitũ ens, nisi pręcise ad infinitũ tale, quod est perfect issimũ, in quo est ratio entis, quod, scil icet, dicit perfectionẽ simpliciter: & i deò licet esset quantitas infinita in ra tione quantitatis, cum tamen quantitas non sit perfectio simpliciter, nõ sequit ur, quod sit infinitũ ens: quia nõ sequit ur, quod sit ens, quod nõ potest excedi in perfectione: esset igitur infinita li nea in genere quãtitatis: quia esset limitatũ ens simpliciter, & excessum simpliciter à perfectiori ente: sed infinitũ ens simpliciter nõ potest esse in genere: *vide infra solutionem 2. argum.*

Ad primũ respondeo: primo ad intẽtionẽ Aris. quod linea recta est quoddã

totum

totum per accidens, etsi hoc totũ diffiniatur, assignabitur vna diffinitio correspõdens lineæ, & alia correspõdens rectę: illud quod correspõdebit recto, loco diffinitionis, nõ cõtradicit formaliter infinito: quia rectum nõ cõtradicit formaliter infinito: & cuicũque repugnat formaliter diffinitio, eidem repugnabit, definitũ. Quod autem in diffinitione illa: quã increpat Philosophus assignatur tãquam diffinitio recti, est hoc habere mediũ intra extrema, illud formaliter repugnat infinito: ergo oportet, quod si definitio ista esset bona, quod rectũ formaliter repugnaret diffinito: sed hoc est falsum: licet virtualiter repugnet infinito quatenus subiectũ suũ, scilicet, linea formaliter repugnat infinito: nõ ergo intendit dicere Philosophus, quod linea infinita potest esse in genere: sed quod rationi recti nõ repugnat formaliter infinitas: & ideo illa diffinitio cui repugnat formaliter infinitas, nõ est recti in quantum rectũ: nõ enim increpasset istam, linea recta est longitudo sine latitudine, cuius extrema sunt duo puncta æque protensa: quia tũc esset aliquid repugnans infinitati: sed illa assignaretur tãquam ratio lineæ: nõ tãquã ratio recti: & tũc bene assignaretur diffinitio sibi correspondens, cui repugnat infinitas.

F. Ad secundum respõdeo, quod licèt esset infinita linea in genere quantitatis, *vt latè dictum est in corpore articuli*; sed infinitũ est simpliciter nõ potest esse in genere: & ideo est: quia prima infinitas nõ tollit omnẽ potẽtialitatẽ, quam requirit ratio generis, sed tãtum ponit infinitatẽ secũdum quid alicuius imperfectæ entitatis in qua vt illa est, bene potest esse cõpositio, in quocũque gradu illa ponatur: sed secũda necessario tollit omnem potẽtialitatẽ, sicut prius declaratum est.

Expositio artic. 7. quæst. 3. dist. 8.

HAbito, quod Deus nõ collocetur sub genere, sunt de hoc diuersę rationes Doctorũ. Refertur in textu quædã ratio D. Thom. de continentia perfectionum omniũ generum, quã Doctor bene impugnat: & cõcludit, nõ ob id quod Deus contineat tales perfectiones virtualiter, excluditur ab hoc, quod est in genere collocari: sed ob alias rationes, quæ positæ sunt in ar. 4. huius quæst. Quod autem ibi tangitur de linea infinita, si ad speciẽ quantitatis pertineat nec ne? clare resoluit, talem lineam (si daretur) collocãdam esse in genere quantitatis: quia esset ens limitatũ simpliciter: & ab ente simpliciter perfectiori excederetur. An autem possit dari huiusmodi linea infinita in actu? Vide supra in diffi. 41. nu. 27. & per totum difficultatis discursum, vbi hoc punctum enucleaui.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm cum hoc, quod est conceptum communem dictum esse inquid de Deo, & creatura secundum Philosophum, stet negare Deum esse in genere?

AD octauũ sic proceditur. Videtur, quod cũ hoc, quod est cõceptũ cõmunem dictũ esse inquid de Deo, & creatura secũdum Philosophũ, nõ stet negare Deũ esse in genere: quia tunc ponuntur cõtradictoria cõcedẽdo cõceptum communẽ dictũ inquid de Deo, & creatura, & negando Deum esse in genere. A.

Secũdò præterea: quia omnis cõceptus dictus, inquid si est cõceptus cõmunis) vel est conceptus generis, vel diffinitionis. B.

Tertiò præterea, *& confirmatur præcedens ratio*: quia alioquin essẽt plura prædicata, quàm docuit Arist. in 1. Topicorum, & nõ tradidit sufficienter omnia prædicata, inquid dicta. C.

Sed cõtra est, quod nihil omnino dicitur de Deo inquid, vt genus quidquid enim habet genus, potest habere differẽtiã, & diffinitionẽ: quia 7. Metaph. c. 23. tx. cõm. 43. aut genus nihil est præter species, aut si est, est quidẽ, vt materia. Et tunc cuius est genus, oportet ipsum D.

sum ponere posse habere differētiā tan quā formā: tamen idem Aristoteles docuit, vniuoce dici de Deo, & creatura veritatem, 2. Metaph. text. com. 4.

Respōdeo dicēdum, quod Philosophus in 1. Topicorū distinxit prædicata propter distinctionē problematū: quia diuersa problemata habent diuersum modum terminādi ex diuersitate prædicatorum: nō ergo enumerat ibi omnia prædicata: quia non differentiā specificā, licet generalem collocauerit sub genere: & tamē differētia specifica habet propriam rationē prædicati: species enim habet propriā rationē prædicati aliā à diffinitione: alioquin male poneret Porphirius, quinq; vniuersalia: non igitur sufficienter distinxit ibi Arist. prædicata: quia distinxit omnia, de quibus problemata quærēdo, requirunt specialē arrē terminādi, quam ibi intēdebat tradere: trāscendētia autē nō sunt talia prædicata: quia non sunt decis specialia problemata: problema enim præsupponit aliquid certū, & quæ text. com. 6. rit dubium ex 7. Metap. c. vlt. ens autē, & res, imprimuntur in anima prima impressione, secūdum Auic. 1. Metap. c. 5. & ideo de cōceptibus illis cōmunissimis, nō sunt problemata perse terminabilia: nō igitur oportuit ea numerari inter prædicata problemata. Sed nū quid Arist. ista prædicata generalia nusquā text. com. 9. docuit? Respōdeo, ex 8 Metap. docuit nihil dici de Deo, vt genus, ex autoritate, *infra allegenda*: & tamen docuit vniuoce dici de Deo, & creatura veritatē 2. Metaph. sicut supra allegatū est, principia sempiternorū esse verissima: & in hoc docuit, entitatem vniuoce dici de Deo, & creatura: quia subdit ibi 2. Metap. quod, sicut vnum quodque se habet ad esse, sic adveritatem. Patet etiam secundum eum: quod si ens dicatur de Deo, quod hoc erit in quid: ergo in istis dicit implicite, aliquod prædicatum trāscēdens dici in quid: & nō esse genus, nec diffinitionē: & aliqua prædicata trāscendentia dici in quale: vt verum: & nō esse propria, nec tamen accidentia: secundum quod, ista vniuersalia competunt speciebus aliquorum generum: quia nihil quod est alicuius generis cōuenit Deo, aliquo modo. Docuit etiā idem aliquo modo 4. Topicorū in fine. Si sequitur aliquid semper, & nō conuertatur, difficile est separare, quod nō sit genus: & subdit: potest vrī eo, vt genere, quod semper est cōsequens, cū nō conuertatur: quasi dicat: hoc expedit opponenti: & subdit deinde: alio autē proferente nō in omnibus obedire: quasi dicat: hoc expedit respondenti nō cōcedere omne cōsequens nō conuertibile esse prædicatum, vt genus: & si nō loqueretur de prædicato dicto in quid. nō haberet apparentiā illud, quod ipse docet, opponentem vti tali, vt genere: ergo innuit, quod ibi aliquid est cōmune prædicatum dictū in quid, quod nō est genus. Et quod loquitur de prædicatione in quid, videtur per exēpla sua: trāquilitas est quies: prædicatio enim in abstractis nō est prædicatio in quale, vel denominative: ergo &c. Conclus.

Ad primum argumentū dico, quod non sunt cōtradictoria: quod patet autoritatibus Augustini 7. de Trinitat. cap. vbi prius, vbi negat, Deum esse substātiam: & tamen cōcedit, quod vere, & proprie est essentia: sed si esset conceptus aliquis æquiuocus essentiæ, vt cōuenit Deo, & creaturæ: ita posset esse cōceptus æquiuocus substantiæ, & posset dici substantia, sicut essentia. Similiter Auicen. 8. Metaph. cap. 4. vbi negat Deum esse in genere, cōcedit, ipsum ibi esse substātiam, id est, ens, nō in alio: & quod accipiatur ens, nō æquiuoce ab alio cōceptu, secundum quem dicitur creatura, videtur per ipsum 1. Metaph. vbi dicit, quod ens in se nō habet principiū: qua propter scientia nō inquirat principia entis absolute: sed alicuius entis. Si autē ens haberet alium conceptū in Deo, & creatura: bene entis esset principium secundum se: quia entis secundum vnum conceptum esset ip-

sum

sum ens principium secundum aliū cōceptū.

G. Ad secundum, cum arguis, si est dictum in quid: igitur est genus, vel diffinitio. Respondeo, quod Arist. 8. Metap. docet, quale prædicatū dictū, com. 9. inquid sit diffinitio: inducit enim ibi cōtra ideas Platonis dicta Antisteni eorum (quos in hoc approbat) dicentes terminum esse rationem longā: & post subdit, quare substantiæ est, cuius contingit esse terminum, & rationē, putà, compositæ: siuè sensibilis fuerit, siuè intellectualis. Primorum autē, ex quibus hoc non est, supple diffinitio: & subdit rationem, siquidem aliquid de aliquo significat ratio diffinitiua. Hoc debet intelligi virtualiter, nō formaliter, sicut alias dictū est. Et subdit: oportet hoc quidem esse, vt materiam, illud verò, vt formam: ex quo videtur ibi arguere, quod idea, si poneretur, nō esset diffinibilis: etsi ratio sua aliquomodo valeret propter simplicitatē ideæ, multo magis negaret ipse diffinitionem à Deo, cuius est summa simplicitas. Sequitur igitur ex autoritate eius, quod nihil est dictum, inquid, de Deo, vt diffinitio. Ex eodem sequitur, quod nihil omninò dicitur de Deo, inquid, vt genus: quidquid enim habet genus, potest habere differentiam, & diffinitionem, *vt patet in §. sed contra.* Si igitur aliquid est dictum de Deo (inquid) arguēdo ex auctoritate Aristotelis constructiuè, non destructiuè, sequitur quod illud nō sit genus, nec diffinitio. Sed cū infers, est genus, vel diffinitio: quia Aristol. non dixit esse alia prædicata, inquid dicta: ergo non sunt alia. Arguis ab auctoritate destructiuè, & est fallacia consequentis.

Ad tertium cum dicis, quod tunc Aristot. non tradidit sufficienter omnia prædicata, inquid, dicta. Respōdeo, quod non oportuit ea numerari inter prædicata problematum: *vt late dictum est in corpor. artic.* H.

Expositio art. 8 quæst. 3. dist. 8.

NOn opprimit auctoritas Philosophi, ad cōstituendum Deum sub genere, ex eo quod detur cō coptus cōmunis dictus inquid de Deo, & creaturis, quod Doctor oftendit in litera, & eleganter ipsius Philos. mentem exponit. Circa quæ non se offert aliquid specialiter explanandum.

QVAESTIO QVARTA.

De distinctione attributorum.

QVarto quæro. Vtrùm cum simplicitate Dei possit stare aliquo modo distinctio perfectionum essentialium præcedens aliquo modo omnem actum intellectus, circa quod quæruntur septem.

¶ Primò. Vtrùm distinctio attributorum sit tātū per respectū ad extra.

¶ Secundò. Vtrùm distinctio attributorum sit tantum rationis per diuersos respectus fundatos in essētia.

¶ Tertiò. Vtrùm perfectiones simpliciter ante omne opus intellectus formaliter sint in re ex natura rei.

¶ Quartò. Vtrùm distinctio attributorum sit ante omne opus intellectus formalis ex natura rei.

¶ Quintò. Vtrùm in diuinis sit vera prædicatio formalis in abstracto vnius attributi de alio.

¶ Sextò. Vtrùm si non esset distinctio ex natura rei, diuina essentia esset pelagus infinitæ substantiæ.

¶ Septimò. Vtrùm distinctio seu non identitas formalis stet cum simplicitate Dei.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm distinctio attributorum sit tantum per respectum ad extra.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod distinctio attributorum A.

sit

sit tãtum per respectum ad extra: quia quandocumque in vno extremo est differentia rationis, cui correspondet in alio extremo differentia realis: distinctio, vel differentia rationis sumitur per comparationem ad distincta realiter. Exemplum, de distinctione secundum rationem dexteri, & sinistri in columna, quæ sumitur per respectum ad distinctionem realem eorum in animali. Similiter de distinctione rationis in punto, vt est principium, & finis: quæ distinctio sumitur per respectum ad lineas realiter diuersas: sed attributa diuina habent in creaturis aliqua re distincta sibi correspondentia, vt bonitas bonitatem, sapientia sapientiam, & alia, quæ dicuntur attributa, per quæ excluduntur quædam proprietates diuinæ, vt sempiternitas, & æternitas, quæ proprie sunt attributa: ergo, &c.

B. Secundò præterea: quia intellectus diuinus nec apprehenderet differentiam rationis inter suam sapientiam, & suam bonitatem, nisi apprehenderet differentiam, secundum rem sapientiæ, & bonitatis in creatura: alioquin ab vno eodem modo se habente, secundum rem, & secundum conceptum, sumeretur vnitas, & pluralitas. Cum igitur essentia diuina, vt in se cõsideratur, non sit, nisi aliquid indistinctum omnino simplex, re & ratione, non potest dici, quod absque comparatione eius ad aliqua, in quibus inuenitur diuersitas rei, vel rationis, talis distinctio esse possit: quia, cum apprehenditur illud, quod est omnino simplex, & vnicum sub ratione, quæ sibi competit secundum se, & absque habitudine ad aliquid, in quo sit aliqua distinctio: apprehensum non est nisi vnicum secundum rem: ita non potest apprehendi, nisi secundum vnam simplicem rationem.

C. Tertiò præterea: quia, nec etiam intellectus diuinus illa, scilicet, intelligibile, & intelligens, potest circa essentiã suam apprehendere, vt differentia quędam ex cõparatione eorũ ad inuicem, vel vt mutuo se respicientia, nisi iam in sua existentia existere supponantur, siuè quandã differentiam importantia: quæ enim apprehenduntur, vt quædã differentia mutuo se respiciẽtia: & quę etiã operatione intellectus, vt differentia ad inuicem cõparantur, iam in sua differentia existere supponuntur: quæ autẽ ex operatione rationis, vel intellectus habent, quod sint quædã entia secundũ rationem, & ad inuicem ratione differentia, non possunt dici constitui in tali suo esse, & habere differentiã hanc, secundum rationem ex comparatione eorum inter se per operationem rationis, vel intellectus: imó ista secunda operatio primam necessario præsupponit: ita, quod primo per operationem vnam rationis in tali esse distincto constituuntur: & secundo per aliã operationem intellectus, sic distincta ad inuicem comparantur: sicut enim cum res vere absolutæ comparãtur ad inuicem, supponuntur habere esse distinctum, secũdum rem: sic etiam, cum res rationis ad inuicem comparantur, præsupponuntur habere distinctum esse secũdum rationẽ: igitur, si intellectus diuinus apprehendit essentiã suã, vt differẽtem secũdum rationem ab attributis, & etiã apprehendat ipsa attributa, vt differentia secũdum rationẽ: & sub hac differẽtia, ista ad inuicem cõparat, in ipsa secũdum se actualiter sunt illa vt sic differentia, & sub sua actuali distinctione, quã sic habent secũdũ se, mouẽt intellectũ diuinũ, vt ipsa sic distincta cõcipiat, & ad inuicem comparet: hoc autẽ nõ videtur incõueniens.

Quartò præterea, *seu* ratio ista cõfirmatur: quæcũque enim differũt, aut habẽt differentiam secũdum se, vel ex se ipsis formaliter per illud, quod sunt secundum se ipsa, absq; cõparatione ad aliqua realiter differẽtia: & ista differũt secũdum rem: aut habẽt pluralitatem sicut differentiam, ex cõparatione ad D.

aliqua

aliqua realiter differentia: & ista differunt ratione. Et hoc patet in creaturis: nã supposita vnitate formæ specificæ secundũ rem, in illa distinguit intellectus rationẽ generis, & differentiæ, quę dicuntur non diuersæ res, sed diuersæ rationes: sed hæc diuersitas non posset accipi in illa re vna, & simplici, nisi per intellectũ comparetur ad aliqua realiter differentia, & secundum quendam ordinem illi vnicæ rei conuenientia: vnum & idem etiam non haberent diuersas rationes veri & boni, nisi intelligere, & velle illud vnum, & idem subiecto, essent alicubi actus realiter diuersi, & ad inuicem ordinati: *ergo, &c.*

E. Quinto præterea, hoc etiam patet in Deo: quia circunscripta comparatione omnimoda ad diuersas essentias creaturarum, diuersam realitatem importantium, essentia diuina nõ apprehenderetur ab intellectu diuino sub ratione diuersarũ idearũ, vel formarũ sola ratione differẽtiũ: sed sub vna ratione simplici omnino indistincta: ergo.

F. Sexto præterea: quia hæc est intentio Cõment. 12. Metap. Cõm. 39. vbi loquens de materia hac dicit, quod vita, sapientia, &c. dicũtur proprie de Deo: quia Deꝰ dicitur propriè & verè viuens, & sapiens, &c. Talia autẽ, & consimilia, quæ significantur per modũ dispositionis, & dispositi, in rebus immaterialibus, reducuntur ad vnũ esse, & ad duo in consideratione: intellectus enim natꝰ est diuidere adunata in esse: sed in rebus cõpositis cũ disponit compositũ per formã, aut cũ disponit habentẽ formã, per formam intelligit vtraque adunata aliquomodo, & differentia aliquomodo: cũ autem fuerit consideratadispositio, & dispositũ in rebus immaterialibus, tunc reducuntur ad vnã intentionẽ omnibus modis: & nullus modus erit, quo prædicatũ distinguatur à subiecto extra intellectũ, scilicet, in esse rei: sed nullã differentiã intelligit intellectus inter ea in essendo, nisi secundũ acceptionẽ, scilicet, quia idẽ accipit dispositũ, & dispositionẽ, vt duo, quorũ proportio est ad inuicẽ, sicut proportio prædicati ad subiectũ: intellectus enim potest intelligere idẽ his duobus modis, secundũ similitudinem ad propositionem cathegoricã in rebus cõpositis, sicut intelligit multa per similitudinẽ.

Sed contra est: quia beatitudo diuina consistit in eius actibus perfecti in G. tellectus, & voluntatis; sed omnia attributa diuina sese mutuo respiciunt inperficiẽdo actus illos, vt patebit: Beatitudo autem Dei à nullo respectu depẽdet ad extra: ergo, &c. *In sequẽti quæstion.*

Respondeo dicendum, quod in ista quæstione sunt multę opiniones, quas H. non omnes intendo recitare: sed duæ sunt tenentes cõclusionẽ negatiuam, quæ tamen interse differunt, vel contradicunt: quarũ vtraq; ponit, quod cũ simplicitate Dei, non stat distinctio attributorũ aliqua, nisi tantũ rationis: sed prima ponit, quod, nec illa potest haberi, nisi per respectũ ad extra. Secũda: *De qua in sequenti articulo erit sermo*, ponit istam distinctionẽ rationis posse haberi absq; respectu ad extra. Prima innititur rationi, *primæ earum quæ pro argumentis ponuntur in principio articuli.* Adhę rentes huic rationi tenent, quod sic distinguuntur attributa per respectum ad intellectũ nostrũ in tantũ, quod illis correspõdentibus in creaturis circunscriptis, nõ nisi vnicus conceptus, & simplex posset formari de essentia diuina, quę vnico nomine exprimeretur: nam alia nomina (si imponerentur) aut essent nomina synonima: quia idẽ re, & ratione esset eis correspõdens: aut vana: quia nihil eis correspõdet. Modus eorũ ponendi est talis: omnibus rationibus attributorũ (quæ, scilicet, dicũt perfectionẽ in Deo, & in creaturis) correspõdet in Deo vnitas essentiæ: nõ secũdũ esse, quod absolutè habet (vt dictũ est) sed secũdũ respectũ, quẽ habet ad creaturã, non in generecausę efficiẽtis: sic enim nullũ sumitur attributũ, vt sapientia, quæ sapientiã facit: nec etiã

Ista prima opinio est D. Tho. in 1. distin. 2. quære eam alibi, & alios. Hervæus Natalis, specialiter Henr. q. 5. q. 1. & 3.

ad

ad remouendū aliquid de Deo, quos duos modos videtur dicere Auicenna & Rabi Moyses. Sed in quantū essentia diuina comparatur ad creaturas secundum rationē causæ formalis integritatem omnis perfectionis in se continens, quæ dispersè, & imperfectè est in creaturis, & per hoc est essentia illa ab omnibus diuersimodè immitabilis. Vltra, ista opinio dicit, quod pluralitas perfectionū attributaliū, vt est in essentia diuina, est quasi in potentia vt autē est in cōceptū: intellectus, est quasi in actu. Exceptū de vniuersali in re, & intellectu: sed diuersimodè habente esse ista duo plura in diuersis intellectibus: in diuino quidē, & beato creato ex plenitudine perfectionis illius essentię simplicis, ipsa concipitur secundū diuersas rationes. Et ex hoc prouenit multitudo conceptuū secūdū actū in intelligentia, sed ab intellectu lumine naturali intelligente cōcipiuntur à posteriori, in quantū ex perfectionibus realiter diuersis in creaturis formate cōceptiones, & perfectiones correspōdentes in Deo proportionales. Nullus tamen intellectus sine respectu ad illa proportionalia eas actu intelligit, siue ab illis proportionalibus intelligat eas, vt tertius intellectus, siue nō: sed ex essentia, vt primus intellectus, & secundus, limitatę autē perfectiones, in quātū actu intelligentia sunt, dicuntur rationes. Et dicitur hic ratio conceptio perfectionis determinatæ ex respectu ad determinatā sibi in creatura correspondentem.

I. *Gofredus 9.7 q.1.*

Alij declarant istā positionem sic, quod sicut intellectus diuinus apprehendens suam essentiā, secundū rem vnam, & simplicē: virtualiter tamen omnīū perfectiones quantūcunque limitatas, & determinatas absq; limitatione, & defectu cōtinēte, propter quod est immitabilis à quibuscunq; rebus quascunq; perfectiones limitatas importantibus, intelligēdo illam essentiam, vt vnam secundum rē: intelligit tamen illā aliquo modo multiplicem secundū rationem, vel intelligit in vna re multa secundum rationem, in quantum apprehendit eā sub alia ratione immitabilem a leone, ab asino: & hoc in quantū asinus, & leo, secundum diuersas perfectiones diuersorum graduum ipsam perfectionem diuinā sunt participantes, & immitantes, vel apti immitari: ita intellectus diuinus suam essentiam secūdum rem simplicem, virtute tamē omnium entiū perfectiones simplices, & absolutas absq; limitatione, & defectu continentem apprehendens. vt propter eminētiam suæ perfectionis eisdem perfectionibus eminētius est perfecta: intelligit illam essentiā, vt vnum secundū rem, & multiplici perfectione secundum rationē differente perfectam. Etsi nō apprehēderet, quod creatura diuersis perfectionibus realiter differentibus perficeretur, in quantū est bona, & sapiēs: siue quod istæ diuersæ perfectiones importantur in creatura: non apprehenderet se sub alia ratione perfectū sapiētia, & sub alia ratione perfectum bonitate. *Vide pro confirmatione huius declarationis secundum argumētum positum in principio art. & sequentia.*

Contra istam positionem primò arguitur sic: quidquid est perfectionis simpliciter in creaturis, principalius est in Deo ex se: & non ex respectu aliquo ad extra: attributum est simpliciter perfectionis in creatura: ita quod simpliciter melius est ipsū, quàm nō ipsum: ergo, &c. Probatio maioris, perfectū semper est independens ab imperfecto, sicut imperfectum dependens à perfecto: attributalis autem perfectio in Deo est perfectè: in creatura imperfectè. Similiter non esset infinitæ perfectionis simpliciter, nisi esset continens

K. *Impugnatio opinionis primæ.*

omnem perfectionem ſimpliciter ſine reſpectu ad extra. Minor declaratur ſic: quia enim quodlibet creatum in eſſe quidditatiuo eſt limitatum, & quælibet perfectio eius ſibi eſſentialis, ideò à nulla tali ſumitur attributum: pari enim ratione à qualibet eſſentia creata aſſumeretur attributum: ſed ab illo, quod eſt perfectio accidentalis creaturæ, ſiue in bene eſſe eius, ſumitur attributum, quod dicit perfectionem ſimpliciter in ſubiecta ſubſtantia: quia licèt, vt natura quædam habeat gradum limitatum: tamen vt perficiens aliud in bene eſſe eius, nullam limitationem importat, & ſic eſt attributum. Sic etiam in Deo non notat perfectionem primam, ſed quaſi accidentalem in bene eſſe. Vnde Auguſt. in 15. de Trinitate cap. 5. ſi dicimus ſapiens, ſpecioſus, potens ſpiritus, horum, quod non uiſsimum poſui, videtur ſignificare ſubſtantiam: cætera vero huius ſubſtantiæ qualitates. Item ſecundo ſic: illa non diſtinguũtur per reſpectum ad extra, quorum quodlibet cõtinet eſſentiam diuinam, ſecundum omnẽ rationem perfectionis idealis: ſed quodlibet attributum continet eſſentiam diuinam, ſecundum omnem rationẽ perfectionis idealis: ergo, &c. Minor probatur: quia ratio idealis correſpondet perfectioni creaturæ, in quantum ea perficiuntur, in eſſe quidditatiuo: & per conſequens ſub ratione illa, qua eſſentia illa eſt limitata. Vnde & ſecũdum diuerſos gradus limitationis creaturarum diſtinguuntur ideæ: non autem in quãtum iſta eſſentia eſt perfecta ſimpliciter: quia ſic correſpondet omnibus vnum attributum in Deo, vt bonitas, aut perfectio ſimpliciter. Ex hoc apparet probatio minoris: quia enim quodlibet attributum eſt perfectio ſimpliciter ex declaratione minoris probationis primæ; ſequitur, quod quodlibet eſt immitabile ab omni gradu limitato. Probatio minoris: tũc quia continens omnem ideam æqualiter videtur reſpicere omne ideatum: & ita per reſpectum ad nullum poteſt diſtingui ab alio: quia ſimiliter reſpicit quodlibet. Vnde ſapientia attributum non magis reſpicit ſapientiã ideatã, quàm colorem ideatũ: quia vtrũque æquè eſt limitatum: nec ab vnõ magis ſumitur attributũ, quã ab alio. Item tertio ſic, diſtinctio attributorum fundamentum eſt reſpectu diſtinctionis emanationum perſonaliũ: quia Filius procedit naturaliter naſcendo, tanquam Verbum conceptum in intellectu: Spiritus Sanctus procedit liberè ſpirãdo, tanquam amor conceptus in voluntate, & non vt Verbũ. Quod nõ poteſt eſſe, niſi eſſet aliqua diſtinctio intellectus, & voluntatis adintra: ſed productio perſonarũ ad nihil extra neceſſario cõparatur: ergo, &c. Item quarto ſic, Deus intelligit eſſẽtiam ſuam, in quantum vera, non in quantũ bona, & vult eam, in quãtum bona, non in quantum vera: ab æterno etiam intelexit, ſe intelligere eſſentiam; & velle eam ſimiliter ſine reſpectu ad extra: quia iſte actus conſequitur immaterialitatem naturalem: ergo ſine tali reſpectu includit eſſentia ſua rationem veri, & boni: & ſimiliter ratione intelligentis, & intellecti: volentis & voliti formaliter diſtinctas: ergo, &c. *Concluſio.*

Ad primum argumentum *reſpondetur*, quòd maior eius eſt falſa. Tùm quia ita diſtinguitur eſſentia diuina ratione ab attributo, ſicut vnũ attributum ab alio. Num quid ſequitur: ergo eſſentia, vt eſſentia non eſt ibi niſi ex reſpectu ad extra? Tùm: quia bonum, & verum in creaturis diſtinguuntur diſtinctione rationis. A quibus igitur re diſtinctis ſumitur hæc diſtinctio? a nullis, ſed à vero & bono in Deo, quæ ratione differunt. Tùm tertio

Vide diſt. 36. huius libri.

L.

Bonum, & verum diſtinguũtur ſola ratione ſecundũ ipſum Thom. contra quẽ arguit Doctor ad hominem.

tertio: quia vbi est mera distinctio rationis, nõ requiritur respect° ad aliquid extra sicut est in definitione, & definito: & talis est distinctio in attributis, qualia sũt obiecta intelligẽtię diuinæ differentia ratione: licet sint vnius actus intelligendi in Deo: quãdo enim requiritur respectus ad extra, tũc partim est ab intellectu, partim aliunde, & hoc vel à diuersis circunstantibus extra diuersimodè, vt patet in exẽplis adductis de columna & punto, vel ab eodem diuersimode circunstante, vt in secunda instantia patet contra maiorem. Contra minorem *autem* illius rationis arguitur: cum omnia attributa pertineant ad intellectum, & voluntatem, quæ sunt principia emanationum ad personas distinctas realiter, potest reduci distinctio attributorũ: ita quod illa, quę pertinẽt ad intellectũ, habent respectum ad gignitionem Verbi: quæ autem ad voluntatem, habent respectũ ad spirationẽ: vt sicut intellectus creaturæ naturalis non distinguit hæc & illa, nisi ex respectu ad aliqua in creaturis, ad quas reflectit omnẽ suum intellectum, sic intellectus diuinus, & beatus, ex respectu ad personas, ad quas dirigit omnẽ suum intellectũ.

M. *Sequentes solutiones sumuntur ex text. & litera Doctoris: quãuis ipse non eas sigillatim assignet.*

Ad *reliqua argumenta respondetur per ea, quæ dicta sunt. Ad secundum enim quod* intellectus diuinus, & beatus ex respectu ad personas, ad quas dirigit omnẽ suum intellectũ, apprehenderet differentiam inter suam sapientiam, & suam bonitatem, *absque eo quod* apprehenderet differentiam, secundum rem sapiẽtiæ, & bonitatis in creatura: quia cum omnia attributa pertineant ad intellectum, & volũtatem, quæ sunt principia emanationum ad personas distinctas realiter, potest, *vt dictum est*, reduci distinctio attributorum.

N. Ad tertiũ, quod vbi est mera distinctio rationis, nõ requiritur respectus ad aliquid extra, sicut est in definitione, & definito, & talis est distinctio in attributis, qualia sunt obiecta intelligentiæ diuinæ differẽtia ratione: licèt sit vnus actus intelligendi in Deo.

O. Ad quartum, *quãdo dicis, quod* quęcunque habent pluralitatẽ, siue differentiã ex cõparatione ad aliqua realiter differentia, ista differũt ratione, *iam dictum est ad primum, quod* maior est falsa: quia bonum & verũ in creatura distinguũtur distinctione rationis. *Secundũ eo.* A quibus igitur re distinctis sumitur hæc distinctio? à nullis: sed à vero & bono in Deo, quæ ratione differunt. *Et data maiori vera nihil concludit: quia vt cõstat ex dictis*, ad personas distinctas realiter potest reduci distinctio attributorum.

P. Ad quintum patet *ex secunda ratione contra primã opinionẽ, quod* continens omnẽ ideam equaliter videtur respicere omne ideatũ: & ita per respectum ad nullũ potest distingui ab alio: quia similiter respicit quodlibet. Vnde sapiẽtia attributũ non magis respicit sapientiã ideatã, quàm colorem ideatum: quia vtrumq; æquè est limitatum, nec ab vno magis sumitur attributum, quàm ab alio.

Q. Ad sextum *sic exponitur per sequentes propositiones auctoritas illa*. Prima propositio, vnum in re est multa in intellectu 12. Metaph. Cõmentator. Com. 39. Intellectus natus est diuidere, quæ sunt vnita in re, & ratio est: *quia* causa vna potest habere multos effectus æquiuocos: quia nullus adæquat virtutem causæ: conceptio siue intellectus est effectus æquiuocus respectu obiecti. Secunda propositio, duæ intellectiones habent duo obiecta formalia, scilicet in esse cognito, licèt habeant idẽ obiectũ materiale in re: vel habent idem obiectum sub alia, & alia ratione, & tunc est differentia rationis tantùm, nõ autem obiectorũ formalium. Ex istis sic suppositis, & ex distinctione 3. quod creatura po-

reſt aliquem conceptum proprium Dei abſolutum cauſare in intellectu noſtro: vel ille erit vnicus tantùm ratione differens, ſiue ſit comparatio intellectus ſecundum rationes logicas, ſiue ad extra: vel eſt contra, abſolutum conceptum, aliud & aliud, vbi tantùm relatio rationis: vel erũt multi conceptus habentes plura obiecta formalia, quæ ſunt diminute idem obiectum in eſſe cognito: quia relationes eius, vt excedentis.

R. Primo modo facile eſt ſaluare diſtinctionem attributorum in omni intellectu, etiam diuino: quia omnis poteſt idem abſolutum ſub alia, & alia relatione rationis intelligere: ad extra patet: & non minus ad intra ad perſonas: ſi quidem eſſentia intelligitur á Deo differre ratione à perſona. Sed tunc ſciendo omnia attributa de Deo, non eſt ſcięntia realis: quia idem obiectum formale de ſe non noſcitur, ſed eſt probatio primæ, vbi euidenter eſt ſub ratione, ſi habet rationem ſecundam de ſe non eſt propter rationẽ ſub qua intelligitur: quæ aliquo modo diſtinguit ipſum à ſe abſolutè intelligendo, vel ſub alia ratione. Secundo modo poſſunt poni plures cõceptus abſoluti: ſed hoc videtur difficile iſta diſtingui in intellectu beato: quia non eſt niſi vnicum, vt exiſtens intuitum ab illo. Itẽ vnum obiectum per ſe habet in intellectu, cui eſt præſens in ſe, vnum cõceptum adæquatum ſui, ſecundum virtutem illius intellectus: alioquin non poteſt ſe oſtendere illi, ſicut eſt intelligibile. Contra, omnẽ conceptum haberi poſsibilem de iſta iſtud poteſt cauſare, etſi aliud, puta effectus eius, poteſt cauſare imperfectè, non poteſt cauſare perfectè. Item aliàs aliquid nunc cognoſcetur de Deo, quod in patria non videretur: Item Theologia nulli intellectui erit ſcientia: non noſtro, propter fidem: non beato, propter vnicum conceptũ. Theologia eſt cognitio de Deo, eorum, quæ ſibi ineſſe, ſolum intellectui diuino eſt naturaliter notum: igitur eorum, quæ huic eſſentiæ, vt hæc eſt, per ſe inſunt: cuius ſunt proprietates perſonales, attributa, ſub rationibus, quæ hic ſunt.

Si tamen tenetur diſtinctio realis S. aliqua, vel obiectorum formalium, & tertio aliqui reſpectus aptitudinales ad creaturam, vt creatiuus, reſuſcitatiuus, remiſſiuus peccatorum, retributiuus. Contra primum, nihil ibi eſt per ſe, vt videtur, ratione eſſentię: quia tunc cõmune tribus. Contra ſecũdũ qualiter Metaphiſicus cognoſcit iſtã. Contra tertiũ ſunt reſpectus rationis in potẽtia. Cõtra primã propoſitionem omnium: Angelus naturaliter nouit eam, vt hanc: licet non vidit hanc vt hanc: ergo potuit habere Theologiam. Item quilibet conceptus de ea eſt proprius illi, quia nõ communis: quare de ea, vt eſt hęc.

Expoſitio artic. 1. quæſt. 4. diſtinctionis 8.

MIRIFICO ordine, & ſubtiliſſima ſpeculatione pertractat 1
Doctor diuinorum attributorũ diſtinctionem in quæſt. iſta, vbi ſententias ſuo tempore difficultatem hanc celebrem controuertentes proponit, & confutat: & propriam concludẽdo ſubtiliter tradit. Quæ omnia ſic ſimul congeſta, non minus longam, quam etiam confuſam, huius controuerſiæ literam priſcis ſęculis reddiderunt: nunc vero textus articulatione illuſtratus diſtincte prædicta reſoluit. Nam in primo articulo, opinio quæda ponens omnẽ attributorum diſtinctionem eſſe rationis, & ex reſpectibus, ad extra deſummi: ac etiam quidquid ad huius opinionis confutationem pertinet, tãtùmodo ventilatur. In ſecundo vero aliam opinionẽ cõſtituentem huiuſmodi diſtinctionem eſſe tantùm rationis per reſpectus diuerſos in eſſentia fundatos examinat, & eius

appa-

aperit falsitatem: & quia confutatis opinionibus sibi oppositis, antequam de attributorum distinctione secundum mentem propriam loqueretur, prius oportebat, qualiter attributa sint in Deo, supponere: vt exinde qualiter distinguantur in Deo exactius explanare valeret: ideò in tertio articulo, an attributa, & cæteræ perfectiones, quæ dicuntur in Deo perfectiones simpliciter, sint in ipso ex natura rei formaliter ante omne intellectus inuestigat. In quarto tandé articulo quæstionis resolutionē, qualiter scilicet ex natura rei, formaliter distinguantur, determinat. Ex resolutione autem principalis controuersiæ, alios duos articulos appendices ex illa, proponit, & soluit: quia tamē principalem huius quæstionis controuersiā in sequenti difficultate disputo ex professo: ideò istorum articulorum commē tarij solùm modo claram textus intelligentiam breuiter indicabunt.

2 In hoc igitur primo articulo refert Doctor binas sententias, quæ licet variēt in modo ex ponendi: conueniunt tamē in conclusione principali. Prima est D. Thomæ in 1. dist. 2. art. 4. & quæst. 7. de veritate art. 6. & opusculo. 9. quæst. 1. & alibi, vbi tenet attributa diuina non distingui, nisi distinctione rationis habita per respectum ad extra: hoc est per respectum ad intellectum creatū, distinguentem illa per ordinem ad creaturas. Quæ opinio clare explicatur in textu. Secunda autem est Gofredi quodl. 7. q. 1. quæ conuenit cum præcedente in hoc, quod sicut illa ponit distinctionē rationis per respectum ad extra, hunc tamen respectum non constituit ad intellectum nostrū: sed in ordine ad creaturas, quas eminenter, & virtualiter ipsa essentia continet in se, prout illas sic considerat intellectus diuinus. Quia ergo intellectus diuinus intelligit essentiam suam, in se ipsa esse omninò vnam simplicem, virtualiter verò omnium rerum perfectiones continere, propter quod immitabilis est à quibuscumque rebus: intelligit illam essentiam aliquo modo multiplicem secundum rationē. Vel intelligit idem diuinus intellectus suam essentiā: & in sua essentia, quæ est res vna, intelligit multa secundum rationem, hoc est apprehendit eam sub vna ratione immitabilem ab vna creaturā, & sub alia ratione immitabilem ab alia: & hæc multiplex immitabilitas à pluribus perfectionibus creatis, est omnimoda ratio distinctiua perfectionum ipsius essentiæ.

Conueniunt igitur istæ duæ opiniones in hoc, quod vtraque ponit distinctionem attributorum esse rationis: 3
& præterea, quod vraque ponit hanc distinctionem esse per respectus ad extra. Differunt verò, quia prima constituit hunc respectum esse ad nostrum intellectum sic distinguentem. Secunda autem ponit intellectum diuinum causare hanc distinctionem, per respectum, & ordinem ad perfectiones creatas, à quibus diuina essentia est immitabilis. Vtraque opinio bene declaratur in textu.

Tenet cum D. Thoma, Caietanus 1. parte quæst. 13. art. 4. circa solutionem 4
tertij, & plures alij. Cum Gofredo autē Durandus in 1. dist. 2. quæst. 3. num. 20. Argumenta autem soluuntur solutionibus quibusdam, quæ licet in textu veteri, non habeantur sic sub prædicta forma soluendi digesta: sunt nihilominus textualia, & originaliter habentur ibi quoad substantiam, & quoad expressa verba, quæ hic fideliter referuntur; licet non eodem ordine, quoad argumenta debite soluenda nunc iacent.

ARTICVLVS II.

Vtrùm distinctio attributorū sit tantùm rationis per diuersos respectus fundatos in essentia?

AD secundum sic proceditur, videtur, quod distinctio attributorū sit tantùm rationis per diuersos respectus fundatos in essentia: quia Commentator 12. Metaph. *ait* multiplicitas rationum in Deo non est nisi in intelle- A.

ctu tantùm, non in re: *ergo, &c.*

B. Secundò præterea: quia conceptuũ plurium absolutorum intra eam *essentiam* impedit simplicitas, & sunt conceptus plures: ne conceptus sint synonimi, & in essentia ne sint vani: sed non sunt respectus ad extra, vt probatum est, *articulo præcedenti*, sed ad intra: *ergo* istæ rationes attributorum, quas intellectus de simplici essentia secundum diuersos cõceptus format, non sunt nisi respectus fundati in essentia.

C. Tertiò præterea: essentia, vt per actum intelligendi est conceptiua sui ipsius, est intellectus, & respicit verum, vt per quod manifestatur essentia, quæ concipitur: similiter de actu, &c. & sic etiam de pertinentibus ad voluntatem: sed omnia attributa diuina pertinent ad intellectum, & voluntatem: ergo à summa vnitate essentiæ ordinatè secundum modum concipiendi, primo cõcipiuntur diuersæ rationes attributorum.

D. Sed contra est per Augustinum 8. de Trinitate cap. 2. vbi probat, quod non sunt aliquid maius duę personę, quàm vna: quia non est aliquid verius. Quæ consequentia esset ista, si tantùm esset distinctio rationis inter sapientiam, veritatem, & magnitudinẽ, non videretur aliud argumentũ, quam si probaretur sapientia: ergo sapiens, vel è conuerso.

E. Respondeo dicendum, quod alia est positio, quæ dicit, quod essentia diuina absolutè considerata in quãtum natura aliqua, vel essentia, nullam habet distinctionem rationis nisi quasi in potentia: considerata autem non in se, sed in quantum veritas, prout scilicet habet esse in intelligentia, potest dupliciter accipi: aut in quantum mouet intellectum quasi simplici intelligentia: & sic adhuc cõcipitur per rationem suæ simplicitatis: nec habet aliquam pluralitatem, nisi quasi in potentia: aut in quãtum intellectus post istam apprehensionem negociatur circa ipsam pluralitatem attributorum, quasi reducẽdo istam de potentia ad actum. Primo modo intellectus naturalis ad ipsam non pertingit, sed concipit ipsam particulatim in attributis conceptis ex creaturis secundum istam opinionem. Secundo modo intellectus beatus, quasi prima actione intelligendi capit eam. Tertio modo, quasi intellectus idem componens, & diuidens, & intellectus diuinus vnico, & simplici intuitu distinguit rationes contentas in essentia, quæ ex sua perfectione summa omnes perfectiones simpliciter sola ratione, vel operatione intellectus distinctas, cõtinet. Istæ rationes attributorũ, quas intellectus de simplici essentia, secũdum diuersos conceptus format, nõ sunt nisi respectus fundati in essẽtia. Sic ergo omnia attributa diuina pertinent ad intellectum, vel voluntatẽ: quæ ad intellectum mutuo ad intra se respiciunt: similiter, quæ ad volũtatẽ, mutuo se respiciũt in quantum hæc: & illa cadunt sub apprehẽsione intellectus, qui intellectus primo simplici intelligentia encipit essentiã, vt essentia est: deinde negociando circa eam concipit, videlicet eam, vt intellecta est, & vt intelligens, & vt ratio intelligendi: ita quod essentia in quantum essentia respicit alia, vt in qua sunt fundata. Vt verò est cõcepta, & mouens intellectũ ad intelligẽdum, dicitur veritas: cuius propria ratio est, vt respiciat essentiã, vt essentia est, sicut illud cuius est declaratiua: & intellectum, vt cui habet declarare: & actum intelligendi, vt quo habet declarare: & sapientiam, vt habitum, quo intellectus habilis est, vt sibi declaratio fiat. Ipsa verò essentia, vt per actũ intelligẽdi est cõceptiua sui ipsius, est intellectus, & respicit verum.

Opinio Hẽrici quodli. 5. quæst. 1. & quodlib. 15. quæst. 1

rum, vt per quod manifestatur essentia, quæ concipitur: similiter de actu, &c. & sic etiam de pertinentibus ad voluntatem. A summa ergo vnitate essentiæ ordinate secũdum modum concipiendi, primo concipiuntur diuersę rationes attributorum, & inter illa adhuc est ordo, secundum quem mediatius, vel immediatius ordinãtur ad emanationes: deinde concipiũtur emanationes, & ibi est status adintra: deinde sequuntur omnes respectus ad extra, qui sunt peraccidens: sicut autem distinctio relationum realium ad sua correspondẽtia, sic relationũ rationalium ad sua correspondentia, & totum adintra secũdum illud argumentum, quod fuit pro hac parte.

F. Ista tamen positio exponitur sic, quod possumus loqui de ratione, quã obiectum facit in intellectu de se, vel de illa, quam intellectus potest facere circa obiectum negociando. Si loquamur de prima, illa est vnica, sicut & vnica est in re: & hoc dicit in se opinio, quod vt est intellecta per actum intelligentiæ simplicis habet omnem rationem indistincti. Si secundo modo, sic intellectus potest formare circa illam vnam rationem obiecti multas rationes distinctas, cõferendo hoc ad illud: & hoc similiter dixit illa opinio, quod obiectum, vt est in intellectu negociãte, habet distinctas rationes, quasi formatas circa ipsum. Addit tamen ista expositio, quod opinio in se non videtur dicere, quod illa vna ratio in se est formaliter bonitas, & veritas, & quælibet perfectio simpliciter: & quod illa vna ratio, quæ fit in intellectu virtute obiecti, est etiam ratio formaliter bonitatis, & vnitatis, &c. Opinio tamen in se videtur dicere, quod ista dicunt diuersos respectus fundatos in essentia.

G. Contra istam opinionem arguitur per rationes illas, quas adduxi cõtra primam opinionem *in articulo præcedenti*, primo per tertiam: quia secundum eos distinctio perfectionum attributalium est fundamentum respectu distinctionis emanationum: sed distinctio emanationum est realis: patet: nulla autem distinctio realis præexigit necessario distinctionem, quæ tantùm est rationis: sicut nec aliquid, quod est pure reale, præexigit aliud, quod est mere ens rationis: ergo distinctio attributorum non est tantùm rationis, sed aliquo modo ex natura rei. Assumptum probatur: quia ens reale, quod distinguitur contra ens rationis, est illud, quod ex se habet esse circũscripto omni opere intellectus, vt intellectus est: quidquid autem dependet ab ente rationis, vel necessario præexigit illud, non potest habere suum esse, circũscripto omni opere intellectus, vt intellectus est: ergo nihil, quod præexigit ens rationis, est verè ens reale. Confirmatur ista ratio: quia quod est posterius naturaliter, non potest esse perfectius ens quàm ens, quod est tantùm rationis: & distinctio emanationum est realis & posterior: ergo non fundatur nisi in ente reali, & distincto. Sed per te fundatur in distinctione attributorũ: igitur distinctio attributorum nõ est tantùm rationis. Hæc ratio licèt sufficiat contra opinantem, tamẽ oportet eam confirmare propter conclusionẽ in se. Dicitur ad eam, quod attributa non sunt fundamenta emanationum distinctarum: imò essentia sola cum relationibus principiat diuersas emanationes: tamen intellectus postea potest considerare ipsam essentiam, vt cum relationibus principiat hãc & illam, & tunc potest cõsiderare rationem naturæ, & voluntatis, & tamen non præcedunt ex natura rei. Contra, in illo instanti ori-

Henr. quod. lib. 3. q. 3. & in sum. a. 37. q. 7.

ginis, in quo generatur Filius, quæro, an principium productiuum eius alio modo ſe habet ad ipſum, quam principium productiuum Spiritus Sancti: ſe habet ad ipſum aut non alio modo? Si non alio modo: ergo non magis eſt Filius, Filius, nec imago Patris ex vi productionis ſuæ, quàm Spiritus Sanctus. Si ſic: igitur in illis ſignis originis ante communem actum intellectus habetur aliqua diſtinctio, & non identitas formalis. Nec valet attribuere iſtam diſtinctionem relationibus: quia omnis relatio æquè naturaliter reſpicit ſuum correlatiuum: ergo eſſentia, vt ſub ratione ſpiratiui æquè naturaliter reſpicit ſuum ſpiritum: ſicut ſub ratione generatiui reſpicit generatum, vel genitum: non igitur poſſet ibi ſaluare alius, & alius modus producendi, naturaliter ſcilicet, & libere propter relationes: ſed tantùm ſi illud abſolutum, quo producens producit, ſit alterius rationis. Hic etiam arguitur contra iſtam poſitionem, & ex alia ratione eorum de obiectis veri & boni: quia ſi ab æterno Deus ex ſui immaterialitate intelligit, & vult ſe, & hoc ſub ratione boni & veri: ergo ibi eſt diſtinctio veri, & boni rationum formalium in obiectis ante omnem actum circa talia obiecta. Hoc etiam confirmatur per argumẽtum eorum de beatitudine, quæ cõuenit Deo ex natura rei ante omnem actum intellectus negociatiui: quia actus negociandi non eſt formaliter beatificus, illa autem beatitudo (vt dicitur) requirit propriam rationem obiecti, & potentiæ, & operationis: ergo, &c. Quia igitur diuerſimodè poteſt intelligi dicta opinio, *vt patet de expoſitione illa*, præter argumenta iam facta appono alias rationes ſpeciales, & primo cõtra concluſionem *eorum* in ſe: quia ſi iſta qualitercunque diſtinguantur ratione, non diſtinguantur ex natura rei, ſine actu intellectus, vel voluntatis: ex hoc arguo. Diſtinctio præcedens rationem primi diſtinctiui non eſt per tale diſtinctiuum: ſed diſtinctio naturæ, & intellectus, vel volitionis, & intellectionis, precedit intellectionem, quę eſt principium diſtinctiuum eorum, quæ diſtinguuntur ſecundum rationem: ergo illa diſtinctio naturæ, & intellectionis, vel volitionis, & intellectionis, nõ erit per intellectum. Aſſumptum patet, ſi enim nulla diſtinctio eorum præcederet: non magis iſta diſtinguerentur, iſta intellectione, quàm natura, vel volitione: quidquid autem diſtinguitur intellectione, vt eſt omninò indiſtincta à natura etiam diſtinguitur natura. Etſi dicitur quaſi contemnendo iſtud argumentum, forte ad cautelam propter defectum reſpõſionis, quod ſi per impoſsibile eſſet ſola intellectio, per ſe ipſa diſtingueret, non autem natura, & voluntas: hæc reſponſio non ſufficit: quia quantumcunque aliqua per impoſsibile ſeparentur, ſi eis ſeparatis, aliquid competat vni & non alteri: hoc non poteſt eſſe niſi per aliquam diſtinctionem formalem rationis iſtius à ratione illius. Si igitur iſtis ſeparatis, competeret diſtinctio intellectioni, & non naturæ, aliqua eſt diſtinctio huius, & illius, etiam quando non ſunt ſeparata. Separari enim per impoſsibile album ab albo: non potes habere, quod album ſit cauſa alicuius, quin album ſit cauſa eiuſdem: quia nulla eſt diſtinctio inter album, & albũ. Vnde nunquam eſſet hæc fallacia accidentis: iſta intellectione diſtinguuntur: iſta intellectio eſt natura: ergo natura diſtinguũtur: niſi ratio intellectionis extraneetur rationi naturæ, in quantum comparantur ad tertium: ergo illa extraneatio præuenit aliquam diſtinctionem rationis ab illa

illa, in quãtum comparantur ad tertium, & iſta præuenit diſtinctionem rationum inter ſe. Ad quid etiam Doctores, qui tenent oppoſitam opinionem, implent tot quaternos, oſtendendo vnum attributum ex alio: ſi non eſt inter ea niſi differentia relationum rationis tantummodo? Ità enim perfectè videretur Deus cognoſci, quantum ad omnem cognitionem realem, vel conceptum realem, vt cognoſcitur ſub attributo vno: ſicut ſi cognoſcatur ſub ratione omnium attributorum: quia cognitio plurium relationum rationis non facit ad perfectiorem cognitionem realem habendam de aliquo. Similiter iuxta auctoritatem Damaſceni prędictam *ſcilicet*, cap. 4. & 9. ad quid aſsignant ipſi ordinem attributorũ, quaſi eſſentia ut fundamentum, & quędam, ſicut propinquiora emanationibus: ſi tantùm ſit relatio rationis? Quis etiam ordo per compoſitionem ad emanationes? Similiter Auguſtinus contra Maximum: ſi potes Deum Patrem concedere ſimplicem: & tamen eſſe ſapientem, & bonum: & numerat ibi multas tales perfectiones: quantomagis vnus Deus poteſt eſſe ſimplex, & tamen Trinitas? Ita quod tres perſonæ non ſunt partes vnius Dei. Arguit enim ibi, quod ſi in eodem ſine compoſitione, & partialitate poſſunt eſſe multæ perfectiones ſimpliciter: ergo multomagis poſſunt eſſe tres perſonæ in Deitate ſine compoſitione, & partialitate. Quod argumentum eſſet iſtud, ſi attributa tantùm differrent per relationes rationis, & perſonæ diſtinguerẽtur realiter non enim ſequitur: ſi relationes rationis, non faciũt cõpoſitionẽ in aliquo: ergo nec relationes reales. Idem etiam Aug. 15. de Trinitate capit. 3. dicit omnia iſta eſſe æqualia. Nihil enim eſt proprie ſibi ipſi æquale: nihil autem eſt dicere, quod aliquid ſub vna relatione rationis ſibi ſit æquale ſub alia relatione rationis. Hylarius etiam 12. de Trinitate cap. 5. alloquens Deum Patrem ait ſic. Perfectio Dei, qui & Verbum tuum, & ſapientia, & veritas abſoluta generatio eſt, qui in his æternarum proprietatum nominibus natus eſt. Dicit igitur, quod iſtæ proprietates ſunt æternæ: & in his natus eſt Filius de Patre, quaſi Pater præhabens iſta communicet ea Filio. Si autem eſſent tantùm diſtincta ratione non viderentur prius eſſe in Patre origine, quàm produceretur Filius: quidquid eſt enim ibi productum in eſſe rationis per actum intellectus, videtur eſſe productũ a tota Trinitate: & ita non eſſet in Patre, vt præcedens origine Filium, quaſi neceſſario præcedens origine.

H. Item arguitur contra illam expoſitionem: quia ſi de aliquo obiecto tantùm natus eſt haberi vnus conceptus realis: nihil facit aliquem cõceptum realem illius obiecti, niſi faciat illum vnum. De eſſentia autem diuina (ſecundum eos) tantùm natus eſt haberi vnus conceptus realis: quia illa tantùm nata eſt facere vnum conceptum realem: nata eſt autem facere omnem realem, qui de ipſa haberi poteſt: alioquin eſſet imperfectius intelligibile, quàm ſit aliquod intelligibile creatum, quod quidem eſt cauſatiuum omnis conceptus realis poſsibilis haberi de Deo. Igitur nihil faciet in intellectu aliquem conceptum de Deo, niſi faciat illum vnicum: & ita cum creatura non poſsit cauſare in intellectu illum conceptum: quia ille conceptus eſt eſſentiæ, vt eſt hæc in ſe ſub propria ratione: ſequitur, quod per nullam actionẽ creaturę poſsit haberi aliquis cõceptus naturalis de Deo, in iſta vita. Omnis opinio in quæſt. iſta præter iſtam videtur euacuare

quasi omnes difficultates primi libri circa productiones, & personas: sicut tangitur distinct. 13. Ad quæst.

Conclusio. *igitur* respõdeo, & dico, quod inter perfectiones essentiales non est tantùm differentia rationis: hoc est diuersorum modorum concipiendi idem obiectum formale: talis enim distinctio est inter sapiens, & sapientiam: & vtique maior inter sapiẽtiã, & veritatem. Ista *conclusio* probatur per rationes factas contra præcedẽtem opinionem.

I. Ad primum argumentum, *patet ex solutione sexti præcedentis articuli.*

K. Ad secũdũ, quod nõ idẽtitas formalis stat cum simplicitate Dei, *vt infra dicetur*: quia hanc differentiam necesse est ponere inter essentiam, & proprietatem (sicut supra distinctione secunda quæstione vltima, ostensum est) & tamen propter hoc non ponitur compositio in persona: similiter ista distinctio formalis ponitur inter duas proprietates in Patre, innascibilitatem scilicet, & paternitatem, quæ secundum Augustinum quinto de Trinitate capite sexto, non sunt eadem proprietas: quia non eo Pater, quo ingenitus: ergo si in vna persona possunt esse duæ proprietates, sine compositione: multomagis, vel saltem equaliter, possunt esse plures perfectiones essentiales in Deo non formaliter eædem, sine compositione.

L. Ad tertium, *ex dictis patet*, quod distinctio præcedens rationem primi distinctiui, non est per tale distinctiuum: sed distinctio naturæ, & intellectus, vel volitionis, & intellectionis, præcedit intellectionem, quæ est principium distinctiuum eorum, quę distinguuntur secundum rationem: ergo illa distinctio naturæ, & intellectionis, nõ erit per intellectum: quia si ab æterno Deus ex sui immaterialitate intelligit, & vult se: & hoc sub ratione veri & boni: ergo ibi est distinctio veri, & boni rationum formalium in obiectis, ante omnem actum circa alia obiecta.

Expositio artic. 2. quæst. 4. distinctionis 8.

LATE proponit textus in hoc articulo opinionẽ Henrici ponẽtis, distinctione rationis attributorum, non per respectus ad extra, vt præcedentis articuli duæ opiniones ponebant: sed per respectus in ipsa diuina essentia fundatos, & clare declarat illã in §. *Ista tamen expositio.* Hanc sententiã Doctor improbat hic, eisdẽ rationibus quibus præallegat D. Thomæ sententiã confutauerat. Sed infra in §. *quia igitur*, alijs specialibus rationibus subtiliter, & diffuse Henrici opinionis falsitatem patefacit. Scorum sequuntur omnes discipuli eius, & benè Vazquez 1. part. disput. 118. cap. 3. & 5. Henricum verò secuti sunt Canarienſis prima parte quæst. 28. art. 2. disputatione 2. dubio 3. in fine, & videntur fauere Durandus in primo distinct. 2. quæst. 3. & Caietanus quæst. 13 art. 4.

ARTICVLVS III.

Vtrùm perfectiones simpliciter ante omne opus intellectus formaliter sint in re ex natura rei?

AD tertium sic proceditur, A. videtur, quod perfectiones simpliciter ante omne opus intellectus formaliter non sint in re ex natura rei: quia iste rationes attributorum, quas intellectus de simplici essentia secundum diuersos concep-

conceptus format, non sunt nisi respectus fundati in essentia, *vt constat ex argumentis articuli præcedentis*: ergo, &c.

B. Sed contra est: quia aliter Anselmus non poneret talia esse in Deo: quia secundum eum Monol. 15. nihil tale ponendum est in Deo, quod non est melius ipsum, quam non ipsum: ac per hoc perfectio simpliciter.

C. Respondeo dicendum, & ostendo quod formaliter veritas, & bonitas sunt in re, & quælibet perfectio simpliciter ante omne opus intellectus: quia quælibet perfectio simpliciter est formaliter in mẽte perfecto ex natura rei: veritas formaliter est perfectio simpliciter, & bonitas simpliciter: ergo, &c. Maior patet, tum quia aliter nõ esset Deus simpliciter perfectum: quia non esset, quo maius excogitari non posset: cogitaretur enim maius, si esset sic, & non sic perfectũ. Tùm quia aliter perfectio simpliciter in nullo esset perfectè: non enim est aliqua perfectio in creatura perfectè: quia ibi est infinitè: nec in Deo est perfectè, si non sit in ipso vt existens, sed tantùm, vt quid cognitum, quia esse cognitum est esse diminutum, vt distinguitur cõtra existens. Tùm tertio, quia tunc perfectio simpliciter in aliquo esset formaliter per participationem: & non formaliter in eo, à quo participaret eam: imò perfectio talis in participante non esset per participationem illius perfectionis in causa: quia nihil est à quo sit participatio existentis, nisi existens: quæ omnia videntur absurda. Minor apparet *per* Anselmum *vt supra*, patet etiam eadem minor: quia quodlibet tale potest esse formaliter infinitum: infinitas repugnat cuicunque, quod non est perfectio simpliciter: ergo, &c.

D. Hic *pro eadem parte* arguitur, intellectus secundum suam rationem propriam, & formalem, scilicet, vt distinguitur à voluntate, est perfectio simpliciter: similiter quodlibet aliud attributum: sed intellectus secundum propriam rationem formalem est in Deo ex natura rei vt existens: intellectus autem non includit per se aliquam relationem: igitur, &c.

Probatur prima propositio: quia secundum Anselmũ quodlibet, quod est melius ipsum, quam non ipsum, est ponendum ibi: aliter enim non erit ibi nisi vnica perfectio simpliciter, scilicet, diuinitas, nisi intellectus erit realis formaliter: quia si tantùm materialiter, in quantum includit diuinitatem, vnica esset perfectio simpliciter multipliciter comparata. Et secundo sic: idea dat intelligere perfectionem illam, quæ est essentia, licèt formalis ratio eius non sit simpliciter perfectio: ita nec attributi per te: Nec valet de alio, & alio genere causæ: quia idea necessario in fundamento, quod est perfectio simpliciter, dicit eminẽtiam respectu ideati. Tertio: quia nulla perfectio simpliciter esset possibilis attribui: quia non erit perfectio secunda in benè esse: quia nihil est perfectio simpliciter nisi perfectio illa prima in Deo. Quarto: quia potest esse infinitas. Quinto: quia secundum rationem cõmunem Deo, & creaturis habetur perfectio simpliciter. E.

Secunda propositio probatur per cognitionem intuitiuam cuiuslibet, vt obiecti intuiti in primo obiecto. Item est beatus ex natura rei. Tertio: quia est principium realis productionis. Item si non est ibi ex natura rei: non est ibi per actum intellectus increati, nisi sit processus in infinitum. Item, scientia de illis non erit realis: quia non sciretur de Deo, nisi habitudo alterius ad ipsum, vel è conuerso. F.

uerso. Item non denominarent ipsum, vel non denominarent per eminentiã: ergo Deus sic est lapis. Quod est contra August. 15. de Trinitate.

G. Tertia propositio probatur ex prima: quia nulla relatio est perfectio simpliciter: patet de diuina: igitur nec includitur in perfectione simpliciter. Hæc cõsequẽtia patet: quia perfectio simpliciter nihil includit, cui repugnat ratio perfectionis simpliciter: quia tunc ipsum erit in quolibet melius, & aliud inclusũ in eo nõ erit in quolibet melius: tùm quia perfectio simpliciter est per se vna: relatio non facit per se vnum cum absoluto. Item tertia probatur ex secunda: nam ex secunda sequitur, quod non potest includi aliqua relatio rationis in perfecto simpliciter: quia tunc non esset in re ex natura rei: relatio autem realis nulla ponitur cõmunis tribus personis. Ex his sequitur, quod quodlibet attributum, vt distinctum ab alio, est in Deo, vt existẽs in se, & vt ad se. *Vnde* ad quæstionem respondeo, & dico, quod sapiẽtia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei. Ad hanc conclusionem illatam sunt aliquæ rationes factæ: alias quære: patent hic infra.

Conclusio.

Hoc est in sequenti articulo.

Solutiones argumentorum articuli præcedentis, quæ hic ad propositum possent aduci, ibi quære.

Expositio art. 3. quæst. 4. distinctionis 8.

HVIVS tertij articuli litera infra in difficultate 68. sub proprio titulo specialius ventilatur: & ideò non est hic in eius expositione immorandum: vltra quod clare concluditur in textu, quod quodlibet attributum, vt distinctum ab alio, est in Deo, vt existens, & vt ad se existens.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm distinctio attributorũ sit ante omne opus intellectus formalis ex natura rei?

AD quartum sic proceditur, videtur, q distinctio attributorum nõ sit ante omne opus intellectus formalis ex natura rei, *&* arguo *sic*, Augustin. 15. de Trinitate cap. 15. non sicut in creatura, sapientia, & iustitia, sunt duæ qualitates: ita in Deo: sed quæ iustitia ipsa est bonitas. Ex hoc arguo: prędicatio in abstractis nõ est vera, nisi sit per se primo modo: ergo ista, sapientia est veritas, est per se primo modo: & ita nullo modo est distinctio inter subiectum, & prædicatum: sed subiectũ per se includit prædicatum: quia hoc pertinet per se primo modo: ergo, &c. A.

Secundò præterea: quia *idem* Augustin. 7. de Trinitate cap. 5. vbi negat identitatem Deitatis, & paternitatis, nõ eo *inquiẽs* Pater, quo Deus: sicut nec eo Verbum, quo sapientia: ita concedit identitatem magnitudinis, & bonitatis, & perfectionum essentialium: quia dicit, quod eo magnus, quo Deus, &c. ergo sicut ibi idẽtitatem negat, ita concedit hîc: non autem negat ibi nisi identitatem formalem: ergo illam concedit hîc. B.

Tertiò præterea: quia sicut non esset bonitas realiter infinita, nisi esset realiter eadem sapientiæ: ita videtur, quod ratio bonitatis non sit infinita formaliter eadem rationi sapiẽtiæ: ergo propter eandem rationem, propter quam ponis realem identitatem inter ista, deberes ponere idẽtita- C.

tatem formalem rationis ad rationem.

D. Quartò præterea: quia cap.16. si quæritur, quid sit illius natura, quid verius respondetur, quàm iustitia? Igitur quodlibet dicitur in quid: cõceptus quidditatiuus perfectus est tantùm vnius, vel saltem non est distinctio formalis in re inter quid, & quid: ergo, &c.

E. Quintò præterea: quia capit. 17. summa ipsa natura est vera vno modo, & vna consideratione quidquid est essentialiter: ergo, &c.

F. Sed contra est Damascen. lib. 1. cap. 4. si iustum, si bonum, si quid tale dixeris, nõ naturam dicis Dei: sed quæ circa naturam. Dicis autem aliquid, quod præcedit omnem actum intellectus: ergo ante opus, & actum intellectus est aliquid in Deo, quod non est formaliter natura.

G. Respondeo dicendum, quod intellectus intuitiuus nullã habet distinctionem in obiecto nisi secundũ quod existens: quia sicut non cognoscit aliquod obiectum, nisi secundum quod existens est, ita non cognoscit aliqua distincta formaliter in obiecto, nisi vt existens. Cum igitur intellectus diuinus non cognoscat essentiam suam nisi intuitiua intellectione: quæcunque distinctio ponatur ibi in obiecto: siue sit distinctorum obiectorum formalium, siue vt rationum causatarum per actum intellectus: sequitur, quod ista distinctio erit in obiecto, vt actu existens est: & ita si ista est obiectorum formalium distinctorum: in obiecto erunt ista formaliter distincta, & habetur tunc propositum, quod distinctio talis obiectorum formaliũ præcedit actum intellectus. Si autem sit rationum causatarum per actum intelligendi: igitur intellectus diuinus causabit aliquam intentionem in essentia, vt relationem rationis, vt existens est: quod est absurdum. *Vnde* ad quæstionem respondeo, & dico, quod inter perfectiones essentiales non est tantùm differentia rationis, hoc est diuersorum modorũ concipiendi idem obiectum formale, *vt patet ex secundo articulo*: nec est ibi tantùm distinctio obiectorum formalium in intellectu: quia vt arguitum est prius, nunquam est in cognitione intuitiua, nisi sit in obiecto intuitiuè cognito. Ista etiam duo membra probantur per rationes factas contra præcedentem opinionem: est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omnimodo: & est ista, quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei, *vt constat ex articulo tertio*: sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re. Quod probatur: quia si infinita sapientia esset formaliter infinita bonitas, & sapientia in communi esset formaliter bonitas in cõmuni: infinitas enim non destruit formaliter rationem illius cui additur: quia in quocunque gradu intelligatur esse aliqua perfectio, qui tamen gradus est gradus illius perfectionis, non tollitur ratio formalis istius perfectionis propter istum gradum: & ita si non includit formaliter, vt in communi: nec vt infinitum infinitum. Quod autem non includat formaliter, vt in communi, hoc declaro: quia includere formaliter est includere aliquid in ratione sua essentiali: ita quod si definitio includentis assignaretur, inclusum esset definitio, vel pars definitionis: sicut autem definitio bonitatis in communi non habet sapientiam in se: ita nec infinita infinitam: est igitur aliqua non identitas formalis sapientiæ, & bonitatis: in quantum earum essent distinctæ diffinitiones: si essent definibiles. Definitio autem non tãtum indicat rationem causatam ab intel-

Prima conclusio.

In secundo articulo recitatam.

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

tellectu, sed quidditatem rei: ergo nō est identitas formalis ex parte rei. Et intelligo sic: quod intellectus componens istam, sapientia non est bonitas formaliter: non causat actu suo collatiuo veritatem ipsius compositionis: sed in obiecto inuenit extrema, ex quorum cōpositione fit actus verus. Et istud argumentum de non formali identitate dixerunt antiqui Doctores ponentes in diuinis aliquā esse prædicationem veram per identitatem: quæ tamen non esset formalis. Ita concedo, per identitatem veritatem esse bonitatem in re, non tamen formaliter veritatem esse bonitatem. Vlterius probo, quod tales perfectiones ex natura rei ante opus intellectus, non habent identitatem formalem: quia intellectus actu suo non potest causare nisi relationem rationis: ex hoc scilicet, quod est virtus collatiua potens conferre hoc, vt cognitū, ad illud. Quæro igitur, vtrū veritas dicat præcise illam perfectionem, quæ est in re formaliter, aut præcise illam relationem factam ab intellectu, aut vtrunque? si præcise relationem rationis: ergo non est perfectio simpliciter: quia nulla relatio rationis potest esse infinita: si enim relatio realis, vt paternitas non est formaliter infinita, quanto magis illa relatio rationis? Si ambo, cum illa non sint vnum nisi per accidens: quia relatio rationis cum ente reali nunquā facit vnum per se: quod patet: quia multo minus facit vnum cum ente reali ens rationis, quàm passio cum subiecto: passio enim consequitur subiectum ex ratione subiecti: nullū autem ens rationis consequitur ens reale ex ratione sui. Separa igitur ista duo, quæ concurrūt in isto ente per accidens: & sequitur tunc, quod veritas semper dicat præcise illam perfectionem in re, & bonitas similiter. Et tunc vltra: cum nulla sit distinctio in re, siue secundum opinionem *illā in secundo articulo impugnatam*, siue secundum expositionē opinionis: quia dicerent eandem perfectionē, vt perfectio in re est, vt probatum est, & sine omni distinctione rei, & rationis: sequitur quod bonitas, & veritas sint formaliter synonima, quod ipsi negant. *Item* secundum regulam Anselmi in Monol. 15. ideò necesse est, vt sit quidquid omninò melius est ipsum quā nō ipsum: nulla relatio rationis est huiusmodi: nihil est enim omninò idē re, & re, circunscriptis relationibus: igitur nihil aliud est regula sua, scilicet, Anselmi, nisi q Deus est Deus. Ista etiam opinio confirmatur auctoritate Damasc. c. 4. præallegato & cap. 9. vbi ipse vult, quod inter omnia nomina de Deo dicta, propriissimum est, qui est: quia esse dicit quoddam pelagus infinitæ substantiæ. Cætera autem, vt dixit cap. 4. sunt illa, quæ circunstant naturam.

Quarta conclusio.

Cōtra istam solutionem sunt tria dubia, quorum primum venit examinandum in septimo articulo. Secundum autem, & tertium, loco secundi, & tertij argumentorum, sunt hic posita.

Ad primum argumentum, quod sumitur de auctoritate Augustini de cimoquinto de Trinitate. Respondeo, quod in creaturis non est aliqua vera prædicatio in abstracto per identitatem, quæ non sit formalis: & ideò nunquam fuit tradita Logica in creaturis de prædicatione alia formaliter vera, & alia per identitatem: *vide sequentem articulum.*

Ad secundum, *quod erat* tertium dubium, quod videtur habere difficultatem, ex verbis Augustini, dico, quod dupliciter, vel tripliciter, eodem Deus est sapiens & magnus: & tamen nō sic eodem modo est Deus, & Pater. Vno modo: quia sapientia, & magnitudo sunt perfectiones eiusdem

H.

I

K.

dem rationis; hoc est quidditatiuæ: quia quidquid perficitur, istis perfectionibus perficitur, non vt rationibus suppositi: sed vt rationibus quidditatiuis: non sic autem paternitas, & Deitas sunt eiusdem rationis. Sunt etiam alio modo eiusdem rationis, sapientia & bonitas: quia perfectiones simpliciter: non sic autem paternitas, & Deitas. Secundo modo: quia magnitudo est eadē Deitati in quolibet: paternitas non, sed tantùm in vno supposito. Tertio modo: quia bonitas, & magnitudo, &c. huiusmodi sunt eadem, quasi identitate mutua: quia vtrunque est formaliter infinitū, propter quā infinitatē vtrunq; est idē alteri: sed paternitas, & Deitas non sunt eadem sic mutuo: quia vnum eorum non est formaliter infinitum: sed tantùm Deitas est formaliter infinita, & propter istam infinitatem paternitas est sibi idem, non è conuerso sic. Et ex hoc puncto eodem est bonus & sapiens: eadem in quam identitate secūdum perfectionem: quia vtrunque infinitum: non sic paternitas habet ad Deitatem idēritatem adæquatam: quia non est infinita. Ad formam ergo, concedo, quod eo modo, eodem est bonus, & sapiens, quo modo non eodem est Deus, & Pater: quia eodem est bonus & sapiēs, eodem scilicet in quolibet supposito, & eodem quasi identitate mutua: non sunt autem sic eadem in quolibet paternitas, & Deitas. Eodem similiter, id est perfectione eiusdem rationis, est bonus, & sapiens: quia quidditatiuè est bonus, & sapiens, non sic eodem modo est Deus, & Pater: quia non est vtrunque quo, ibi essentialis perfectio, illius cuius est: quia licèt quidditas paternitatis maneat ibi: tamen illa quidditas non est ratio quidditatiua simpliciter suppositi alicuius; sed ratio personalis eiusdem.

Ad tertium concedo, quod ratio sapientiæ est infinita, & ratio bonitatis, & ideò hæc ratio est illa per identitatem: quia oppositum non stat cum infinitate alterius extremi: tamen hæc ratio non est formaliter illa: nō enim sequitur, est verè idem alteri: ergo formaliter idem eidem; Est enim vera identitas A. & B. absque hoc, quod A. includat formaliter rationem ipsius B. L.

Ad quartum dico, quod est per identitatem, & non formaliter. Probatio glossæ capit. 17. dicit, iustitia idem significat quod alia, vel omnia simul, vel singula. Hoc non intelligitur idem formaliter, & primo significare: quia tunc essent synonima: igitur connotare, vel idem realiter, non formaliter. M.

Ad quintum subdit exemplum de homine, qui non vno modo, nec vna consideratione dicitur hæc tria; corpus, rationale, homo. Quare ponit duas rationes: quia secundum aliquid aliud est corpus, secundum aliud est rationalis. Alia ratio. Singulum horum non est totum hoc, quod est homo: per oppositū istis duobus modis dicitur Deus vno modo, & vna consideratione. N.

Expositio art. 4. quæst. 4. distinctionis 8.

RIVM præcedentium articulorum, & huius præsentis difficultatis, hic Doctor præclare congerit, & resoluit: quadruplici videlicet conclusione omnia, quæ ad materiam distinctionis attributorum pertinent, explanando: nam absolutè negando inter ea esse solummodo distinctionem rationis, quæcunque illa sit, dummodo fiat per intellectum: sic in prima conclusione concludit: *Dico quod inter perfectiones essen-* I

tiales non est tantummodo differentia rationis, hoc est diuersorum modorum concipiendi idem obiectum formale: nec est ibi tantum distinctio obiectorum formalium in intellectu. Quia conclusione omnem distinctionem per intellectum, seu rationis penitus destruit: hoc est, negat ibi talem distinctionem tantummodo intercedere.

2 In secunda verò conclusione iterũ concludit, quod in articulo tertio obseruerat, videlicet in re ipsa attributa Deo competere. Quod adducit ad probandum ex inde distinctionem attributorum esse ante omne opus intellectus, dum inquit. *Est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omnimodo: & est ista, quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei. Sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re.* In tertia autem conclusione hanc distinctionem ante intellectum etiam non identitatem formalem appellat sic dicens. *Est igitur aliqua non identitas formalis sapientiæ, & bonitatis, in quantum earum essent distinctæ diffinitiones, si essent diffinibiles.* Ex quibus duabus conclusionibus constat indifferenter fuisse loquutum de distinctione, & non identitate, accipiendo vnum pro alio: & supponendo non minus posse dici distinctionem, quam non identitatem, prout latè ostensum est supra in difficultate 54. & amplius constabit in difficultate sequenti.

3 Et tandem ne videretur, prædictam distinctionem seu non identitatem formalem, etiam distinctionem realem attributorum inferre, vt Theologi non nulli huius temporis, contra Doctorem proteruiunt: de hoc ipse quartam conclusionem statuit, hæc proferens verba. *Ita concedo per identitatem, veritatem esse bonitatem in re: non tamen formaliter veritatem esse bonitatem.* Has ergo quatuor conclusiones egregie probat Doctor in textu, & distinctionis attributorum difficultatem, à veteribus agitatam satis explanat: nosque amplius in sequenti difficultate, illam cum nostri sæculi coætaneis controuertimus.

DIFFICVLT. LXVII.

Vtrum inter diuinã essentiam & attributa, atque inter ipsa attributa ad inuicem comparata, detur actualis distinctio ex natura rei formalis ante omnem operationem intellectus?

§. I.

Reijcitur error Gilberti, & proponitur prima sententia D. Thomæ, & plurium, cũ 2. Aureoli.

PLERA, quæ in hac difficultate de distinctione formali veniunt explananda, remanent in diffic. 54. præliuata exacte. Atque ideò nõ est cur in præsenti, in repetendis his, quæ obseruauimus ibi, iterum immoremur. Quia tamẽ lõgè diuersa quæstio pluribus visa est ista ab illa: quod ordo nostri textus confirmat: seorsum illam disputare conamur. Plures etenim distinctionem formalẽ inter essentiã, & relationes concedũt, qui illam inter attributa, & essentiam negant: quamobrem quidquid ad distinctionẽ formalem actualem ex natura rei pertinet, ex ibi notatis suppono. An autem talis distinctio etiam conueniat attributis adinuicẽ, & respectu essentiæ, sicut relationibus in ordine ad essentiam conuenit? præsens cõtrouersia ventilabit. 1

Non fuisse Gilberti Porretani errorẽ circa attributa & essentiã, sicut fuit circa essentiã & relationes, asserendo relationes realiter ab essentia distingui: existimat Vazquez loco infra citando dicens, Gilbertum nunquã loquutũ fuisse de distinctione attributorum, sed tantũ de relationibus & essentia. In hoc autẽ, ni fallor, fallitur Vazquez: nam Concilium Remẽse celebratum sub Eugenio III. anno 1148. contra Gilbertum eius errores condemnans, non minus de attributis, quàm de relationibus loquitur. Ex quo à posteriori infertur, illum eriã in errore distinctionis realis attributorum extitisse. Hæc namque sunt verba 2 *Error Gilberti Porretani.*

Con

concilij. Sicubi vero dicit Domini ſapientia, Dominum ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, diuinitate Deum eſſe, & alia huiuſmodi: credimus non niſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe. non niſi magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe: non niſi ea æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternũ eſſe: non niſi ea vnitate vnum, quæ eſt ipſe: non niſi ea diuinitate Deum, quæ eſt ipſe: ideſt, *ſe ipſo ſapientem, magnum, æternũ, vnum, Deũ.* Conſtat igitur ex hac diffinitione Concilij, Giluertum (contra quẽ hæc diffinita ſunt) nõ ſolũ poſuiſſe diſtinctionẽ realẽ inter eſſentiam, & relationem, ſed etiam inter eſſentiã, & attributa. Alias enim ſuperfluè contra ipſum prædicta de attributis Concilium ſuperadderet.

Reiecto igitur hoc Giluerti èrrore, in quo etiam conſtat extitiſſe Goalterũ, cuius ſententiã Aug. Nimphus refert 2. methaphiſ. diſp. 13. cap. 3. tãquã dãnatã in Cõcilio Lateranẽſi cap. *firmiter*, & cap. *damnamus*, de ſũ. Trin. & fid. Cat. & in Cõcilio Remẽſi, eſt hæc controuerſia ſatis inter Catholicos agitata. Partem etenim negatiuam, videlicet, attributa nõ diſtingui inter ſe, nec ab eſſentia formaliter ex natura rei, ſed tãtum modo ratione tenet D. Tho. in opuſc. 9. q. 1. 2. & 3. & q. 7. de veritate art. 6. & in 1. diſt. 2. q. 1. ar. 2. & 3. & 1. p. q. 13. ar. 4. Henri. quodl. 5. q. 1. lit. R. Albert. Magnus. 1. diſtin. 8. art. 2. & 3. ſequuntur D. Thom. Durand. in 1. diſtinct. 2. quæſt. 2. Capreol. diſt. 8. quæſt. 4. artic. 1. concluſ. 1. & art. 3. ad argumẽta. Ferrara 1. cõtragentes cap. 32. Caiet. de ente, & eſſentia capit. 6. & cum D. Tho. 1. p. q. 13. ar. 4. Torres de Trin. q. 28. ar. 1. Zumel 1. p. q. 7. cõc. 2. Bañ. ibi dub. 3. cõc. 1. & plerum q; omnes Thomiſtæ. Itẽ ex Nominalibus OKã in 1. diſt. 2. q. 1. lit. D. Gab. ibi, q. 1. ar. 2. Marſilius in 1. q. 12. art. 3. Greg. in 1. diſt. 8. q. 1. art. 2. Maior ibidẽ cõc. 1. tenẽt itẽ Egidius Rom. in 1. diſt. 2. q. 3. art. 1. & 2. Bachonius, q. 2. art. 3. Gerardus de Senis, q. 2. ar. 2. Alphonſus Toletan. diſt. 8. q. 1. art. 2. Thomas de Argẽtina, diſt. 6. q. 1. ar. 2. Frãciſcus â Chriſto, diſt. 2. q. 3. Herueus quodlibeto 1. q. 2. Et ex Ieſuitis Molin. 1. p. q. 28. a. 2. diſp. 2. cõc. 2. Fõſeca 5. metaph. ca. 6. q. 6. ſect. 3. Suar. 1. p. lib. 1. de eſſentia Dei, cap. 10 & in methaph. diſp. 30. ſect. 6. Vazquez 1. p. diſp. 116. cap. 4. 5. & 6. Valentia 1. p. diſp. 1. q. 13. pũto 3. Quam ſententiã Ægidius Luſitanus probabiliorẽ iudicat, 1. tomo de beatitudine, lib. 5. q. 5. art. 3. §. 3. Hi omnes, & alij forſan in hac extitere ſententia, qui in hoc vno conueniunt, quod eſt, nullam diſtinctionem actu formalem ex natura rei inter attributa ad inuicem, ſeu reſpectu eſſentiæ inter eſſe. Quidam tamẽ illam virtualem admittũt: alij verò rationis ratiocinatæ, quod idem eſt: alij ex mera intellectus cõſideratione per reſpectus ad extra, hoc eſt, ad creaturas: quem reſpectum quidam ponunt fabricatum ab intellectu diuino, alij ab angelico, ſeu humano: alij tamen rationis reſpectum ponunt in ipſa eſſentia fundatum. Sed quidquid de hac opinionum varietate ſit, ſatis in primo, & ſecundo articulis textualibus, & eius commentarijs eſt oſtenſum.

3 *Goalterus Nimphus. 1. ſent. Thomiſtarum. D. Thom. Henricus. Albertus. Durandus Capreolus. Ferrara. Caietanus Canariẽſis Zumel. Bañez. OKam. Gabriel. Marſilius. Gregorius Maior. Egid. Ro. Bachonius Gerardus de Senis. Alphõſus Toleti Thom. de Argẽtina. Herbeus. Molina. Fonſeca. Suarez. Vazquez. Valentia. Ægi. Luſi.*

Pars tamen negatiua, in qua omnes prædicti autores conueniunt, videlicet, nec inter attributa ad inuicẽ, nec reſpectu eſſentiæ, dari aliquã diſtinctionẽ ex natura rei formalem, ante operationem intellectus, quamplurimis argumentis probatur. Et primo probatur prædicta diffinitione Concilij Remenſis, in qua relatis verbis probatur identitas formalis attributorum inter ſe, & cum eſſentia. 4

Secundo probatur Sanctorum Patrũ auctoritatibus. Nam D. Auguſt. lib. 15. de Trinitate, cap. 5. circa finem ait: *nec eſt aliud ſapientia eius, aliud eſſentia, cui hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe*, & lib. 5. cap. 8. inquit: *Non eſt aliud Deum eſſe, & aliud magnum eſſe, ſed hoc idem ille eſt eſſe, quod magnum eſſe.* Quod idem repetit capit. 10. & 11. & lib. 6. capit. 7. & 6. & libr. 11. capit. 10. Sed expreſius videtur ſuam mentem apperire 7. de Trinitat. capit. 5. dum comparans eſſentiam ad relationes, manifeſte concedit diſtinctionem ex natura rei inter relationes, & eſſentiam: hanc tamen diſtinctionem inter attributa expreſſe negat, hæc enim ſunt verba illius: *Non eo Pater, quo Deus, nec eo Verbum, quo ſapientia: eo tamen magnus, quo ſapiens.* Quæ verba manifeſte videntur ſententiæ huius intentum probare. 5 *D. Aug.*

Item *D.* Gregorius lib. 10. Moralium cap. 10. alias 21. ſuper illa verba, *Qui autem nouerũt*, vbi hęc profert: *Deus, hoc eſt, q̃ habet; æternitatẽ quippè habet, ſed ipſe eſt* 6. *D. Greg.*

æternitas: lucem habet, sed lux sua ipse est. Item D. Anselmus in Monol.cap.16.sic
D. Ansel. inquit: *Quemmadmodum, itaque vnum est, quidquid essentialiter de summa substantia dicitur, ita ipsa vno modo, vna consideratione est, quidquid est essentialiter.* Alias auctoritates minoris roboris affert Vazquez, ex Ricardo de Sancto Victore, & Mario Victorino, & Boetio, quas, quia nihil ad propositum probant, hîc consulto omitto.

7. Probatur autem primò ratione, ex illo communi Theologico axiomate, quod in diuinis omnia sunt vnum, vbi nõ obuiat relationis oppositio. Diuina autem attributa nec interse ad inuicẽ, nec cum diuina essentia habẽt aliquam oppositionem relatiuam: ergo sunt omninò vnũ, & idem ex naturâ rei, & nullatenus possunt ante opus intellectus distingui.

8. Secundò: quoniam in Deo est summa simplicitas, vt omnes Theologi cõfitentur: ergo inter attributa, quæ sunt in Deo, non est aliqua formalis distinctio ex natura rei. Cõsequentia est euidens: quia cum illa distinctione non stat summa simplicitas, quæ excogitari potest: si quidem, excogitari potest Deus magis simplex, cum maiori identitate: simplicior enim esset, si esset formaliter idem omnibus attributis, quàm si esset formaliter distinctus ab illis: nam distinctio quælibet infert multitudinem, sicut identitas vnitatem: vt igitur Deus sit tũme vnus, debet esse summe indistinctus, & idem. Summa autem simplicitas stare non potest sine summa vnitate: ergo non potest stare tũma Dei simplicitas, quin omnem distinctionem excludat.

9. Tertiò: nam ideo diuina essentia est omnino infinita: quia in sua ratione formali simplicissima includit omnes perfectiones simpliciter: ergo huiusmodi perfectiones non distinguntur formaliter ex natura rei ab essentia, nec ad inuicem interse: nam sicut non esset bonitas realiter infinita, nisi esset realiter eadem sapientiæ: ita non esset formaliter infinita, nisi esset formaliter eadem sapientiæ: ergo, &c.

10. Quartò, diuina essentia, vt essentia diuina est, includit totam perfectionem diuinam: alias enim non esset Deus, siquidem non esset vndequaque perfectus: sed tota diuina perfectio consistit in omni perfectione simpliciter: ergo essentia diuina includit in sua formalitate omnem perfectionem simpliciter: & per consequens attributa. Consequentia est certa, maior iterum probatur: nã secluſa bonitate, aut præciſa per intellectum, diuina essentia non est formaliter bona: ergo vt sit formaliter bona, includit formaliter bonitatem, quatenus diuina essentia est: sed quatenus diuina essentia est, non potest non esse vndequaque perfecta formaliter: ergo quatenus diuina essentia est, includit omnem perfectionem diuinam.

11. Quintò: nam si diuina essentia ex natura rei distinguitur à sapientia, de illa inquiro, vt sic à sapientia præciſe, & distincta, an sit sapiens, aut insipiens, aut non sapiens. Secundum, & tertium concedere erit blasphemum: erit siquidem cõsiderare Deum, qui, quatenus Deus, caret perfectione sibi essentiali. Si autem primũ dicas: iterum rogo, an diuina essentia sit sapiens sapientia attributali, vel alia sapientia ab attributo distincta? si primum: ergo non distinguitur ex natura rei formaliter essentia ab attributo sapientiæ. Si secũdum asseras, consequẽter in Deo admitis duas sapientias: & eodem argumento potest conuinci dari infinitas sapientias in Deo.

12. Sextò probatur prædicta sententia: quia si perfectiones diuinæ distinguũtur formaliter ex natura rei, necessariò inter eas debet cõcedi relatio realis: atqui relatio realis nõ est nisi inter extrema realiter distincta: ergo vel diuinæ perfectiones, seu attributa distinguũtur realiter vel nullo modo distinguũtur ex natura rei: admittere autẽ distinctionẽ realẽ inter attributa, & essentiã, seu ad inuicẽ, est damnatũ in Concilio Remensi, vt patuit sup. n.2. ergõ, &c. Maior probatur: quia distinctio est relatio inter duo, quorũ vnũ nõ est aliud: ergo distinctio à parte rei, & secluſo actu intellectº, est relatio à parte rei ante omnẽ actũ intellectus: sed relatio à parte rei, ante opus intellectus, est relatio realis: ergo, &c.

13. Septimò tamẽ arguit Vazq. eodẽ argumẽto (vt ipse inquit) quo D. Bern. in Cõcilio Remensi, errorẽ Giluerti confutauerat: nã si essentia diuina est sapiens, & sapit sapiẽtia, quę ex natura rei differt ab ipsa essẽtia, & ante intellectũ est aliquid distin-

distinctum ab illa: vel talis sapientia, ante intellectus cõsiderationẽ est aliquid, vel nihil: non dices secundum: ergo primum. Tunc sic: illud aliquid vel ante intellectus considerationem ex natura sua formaliter, & essentialiter est superius ad essentiam, vel æquale ei, vel inferius ipsa diuina essentia: non potest esse superius, vt patet: quia nihil est superius Deo, aliàs enim Deus non esset Deus: nec æquale: quia tunc, vel ex natura rei esset eadem essentia, quod est cõtra Scotum: vel est aliquid ab essentia sic distinctum, & tunc essent plures essentiæ, & plures Dij: quod enim Deo est æquale, est ipse Deus, aut quod est æquale essentiæ, est ipsa essentia. Si tandem esset inferius Deitate, consequenter esset aliqua creatura: quia omne Deo inferius non est Deus, sed creatura: ergo natura diuina esset sapiens aliqua sapientia creata, quod est absurdum.

14. Secunda sententia negans omnẽ distinctionem realem, & ex natura rei, & rationis inter attributa est Aureoli in 1. dist. 8. q. 3. art. 2. quem pauciſsimi ex Nominalibus sequũtur. Quia tamẽ hæc singularis sententia tenuiſsimis nititur fundamentis, communiter ab Scholaſticis vtriusque Scholæ reijcitur. Atque ideo non est cur in eius probatione tempus aliquod consumatur: nam satis irrationabile est, distinctionem saltim rationis, quam ponunt Thomistæ, inter attributa negare.

2. sent. Aureoli.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia.

15. IN oppositum autem est litera textualis in artic. 4. huius quæstionis in corpore, vbi Doctor hæc profert: *Est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectũ omnimodo, & est ista, quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei: sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re*: quod idem tenet ibi de attributis respectu essentiæ, est hæc opinio conformis Doctori Seraphico S. Bonauenturæ in 1. distin. 8. part. 1. quæst. 2. num. 44. vbi hæc inquit: *Si ergo quæratur quomodo differt in Deo magnitudo, & bonitas? dicendum quod magnitudo significat diuinam essentiam per modum quantitatis, bonitas per modum qualitatis: ergo isti modi cadunt in Deum & rationem: si quæratur qualis est Deus? Respondetur, bonus, non magnus, & ideo dicendum quod nomina generum in diuinis reperiuntur, sed non prout habent rationẽ generis: quia Deus in nullo genere est.* Quibus verbis Seraphicus Doctor hanc sententiam cõfirmat, quatenus distinguit in Deo bonitatem à magnitudine, ita vt vtrum afferat sibi competere per modũ qualitatis, & aliud per modum quantitatis: nam si quæratur, quantus est Deus? non bene respondebitur, quod est bonus, sed quod est magnus, sicuti (inquit ipse Sanctus Doctor) si quæratur qualis est Deus? respõdetur bonus, non magnus: nõ igitur est Deus eo magnus, quo bonus, nec eo bonus, quo magnus: in quo euidenter apparet formalis distinctio inter bonitatem, & magnitudinem, & inter vtramque respectu essentiæ. Ab his autem perfectionibus, scilicet, magnitudinis, & bonitatis aufert omnem rationem generis: quia Deus sub nullo genere constituitur: sed ibi sunt nomina, & rationes quantitatis, & qualitatis sine genere: quia omnes tales perfectiones sunt transcendentia quædam, prout de mẽte Scoti exposuimus supra in quæst. 3. artic. 3. huius distinctionis in nostro Comentario ibi, nu. 5. & seqq.

D. Bonau.

16. Sequuntur Scotũ in hac sententia Basolis in 1. distin. 22. q. 4. artic. 2. §. *his ergo præmissis*, Brulefer dist. 8. quæst. 2. propos. 3. Mayronis, dist. 8. quæst. 3. & 4. & 7. Ioannes Vigerius eadem dist. 8. q. 3. §. *ad quæstionem respondeo*. Adam Godam in 1. distin. 22. quæst. 1. Tatheretus dist. 8. quæ. 4. per totam, sed specialius §. *contra istam solutionem*, Antonius Andreas, eadem dist. 8. quæst. 4. §. *dico ergo*. Lychetus, ibidem quæst. 3. per totam satis diffuse Antonius Tubera, in suis formalitatibus Bargius in 1. pag. 90. Pater Rada, 1. part. controuersia 4. latissime per totam Pater Herrera, in 1. disp. 14. quæst. 1. vbi conclusionem Scoti defendit, licet credat illam posse saluari de non identitate virtuali seu fundamentali: in quo proculdubio fallitur, vt supra ostendimus in diffi. 54. à n. 22. vsq; ad 28. Francis. de Ouand. in 1. dist. 8. propos. 1. & 4. Philippus Fab. in 1. disp. 20. c. 4. Gregor. Pomeaureus in 1. dist. 8. q. 1. art. 4. Atq; omnes Scotistæ, vno dẽpto Guill. Rub. qui in 1. d. 8. q. 4. immerito ab Scoto discedit.

Basolis. Brulefer. Mayronis. Vigerius. Adam. Tatheret. Anton. Andreas. Lychetus. Tubeta. Vargius. Rada. Herrera. Ouando. Faber. Pomeaur. Rubionis. AEgidius Lusit.

Hanc sententiam satis probabilem iudicat, & eam eruditissimè ab aduersariorum calumnijs liberat sapientissimus AEgydius Lusit. vbi sup. art. 3. §. 3.

17. Latissimè hanc difficultatem Lychetus examinat hac d. 8. quæst. 3. vbi prolixè plures opiniones cũ suis fundamẽtis proponit, & reijcit. Proponit namque sententiam D. Thom. & Gofred. & Caiet. OKam, & Lamdulfi, & Greg. Ariminensis: in quorum opinionibus referẽdis, & confutandis plus quã 30. latissimas paginas consumit. Sed multo Latius sapientissimus AEgid. Lusitanus, aliorũ recẽtiorum obiectionibus satisfaciens, egregie Scoti sententiã enucleat, & ab aduersariorũ calumnijs Scotico inditus spiritu eripit, ac 53. paginis se summo opere affectum doctrinæ Scoticæ manifestat, & eius subtilitate pollens, hanc attributorũ distinctionem formalem Scotizantibus reddit præclaram, & aduersarijs tutam, ac satis fidei consentaneam esse ostendit. Nos autem quia (vt dixi) plura de hac distinct. formali supra in diffi. 54. late egimus: hîc ea præcisè, quæ ad huius difficultatis intelligentiam requiruntur, notabimus.

§. 3.

Ostenditur quid attributi nomine intelligatur à Theologis.

18. PRopter intelligendam igitur, & resoluendam hanc satis controuersam difficultatem, loquendo de his, quæ circa illam specialiter se offerunt ventilanda: primo videndum est, quid nomine attributi apud Theologos communiter intelligatur, & quæ ad rationẽ attributi requirãtur, & quæ sint attributa Dei. Quæ enim hic veniunt pertractanda quatenus ad præsentẽ difficultatem pertinent, obiter trademus: nã in 3. tom. huius nostri primi sententiarum, ex professo cætera de attributis, indifficultatibus proprijs disputantur.

Quid sit attributum. Est itaq; attributũ iuxta nominis Ethimologiã, quodlibet esse, quod reperitur in creaturis, & Deo tribuitur: ex quo Lichetus hac d. & q. §. *pro maiori*, inquit, quod attributũ dicitur, quod alteri tribuitur:

Ad Rô. 1. nã eo quod iuxta illud Pauli ad Rom. 1. *inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: ideo (vt bene notauit Canarienſis de Trinita. q. 28. art. 2. disp. 1. in 2. p. quod prius dixerat D. Thom. 1. p. q. 13. art. 4. in corpore) Deo tribuimus, quod in creatura est, & in Deo formaliter esse non implicat: quia, scilicet, simpliciter perfectum, seu perfectio est: atq; ideo tribuimus Deo tum eas perfectiones, quas in creaturis agnouimus: cum etiam eas, quas Philosophando ex creaturis deducimus. Ratio namque naturaliter dictat, vt quidquid est perfectionis simpliciter in creaturis, id ipsum, sublata omni imperfectione, Deo tribuamus. *Canarienſ. D. Thom.*

19. Ex hoc plane fundamento in via Scoti relationes diuinæ à ratione attributi excluduntur: quia perfectiones formaliter non sunt: in Thomistarum tamen, & cæterorũ Scholis, alia ratione relationibus prouenit attributa nõ esse: in quo tamen omnes Theologi vnanimiter cõueniunt, relationes, videlicet, ab attributis secernere. Neque pariter omne prædicatũ, quod enunciatur de Deo, & etiã conuenit creaturis, attributũ poterit appellari: quia multa prædicantur de Deo methaphorice, & translatitiè, vt dolere, pœnitere, esse Leonem, &c. quæ attributi nomine gaudere haud possunt. Vide reijciendũ esse cẽsen- *Salas.* Ioannem de Salas, qui in 1.2. tractat. 2. q. 3. disp. 4. sect. 2 nu. 10. generaliter arbitratur omnia prædicata, quæ nobis insunt, & possunt affirmari de Deo (spectata nominis Ethimologia) esse attributa: nam ad attributum nõ solũ requiritur, quod sit nomẽ Deo, & creaturis cõmune, vt fallo Marsil. in *Marsilius. Gabriel. Gregorius* 1. q. 12. art. 3. cum ferè cæteris Nominalibus asseuerat, & attributum (sicut de termino dicitur) in vocale, mentale, & scriptũ, cũ Gabriele dist. 2. q. 2. ar. 1. & Greg. dist. 8. q. 2. diuidit. Sed quod re vera in Deo perfectio est, & in creaturis re vera, vt perfectio simpliciter existit, attributum vocatur.

20. Nõ igitur quodlibet prædicatũ, quod enunciatur de Deo, est attributum: sed illud solummodo, quod dicit perfectionẽ simpliciter, quę, scilicet, in quolibet ea est melior ipsa, quam non ipsa, dicitur attributũ. Nullũ ergo prędicatũ Methaphoricũ, aut trãslatitiũ, sed propriũ, vt bene notauit Suarez, cõmunẽ Theologorũ senten-

sententiam insequen- prima part.lib.1. de essentia Dei, capit.9.num.3. est attributum. Cuius ratio à priori est, quia hoc nomen *attributum* fuit à Theologis vsurpatum, ad significanda ea quæ in Deo vere formaliter existunt; & sunt illa inuisibilia Dei, quæ à creatura mundi, hoc est, à perfectionibus, quæ formaliter sunt in creaturis, intellecta conspiciuntur. At qui quæ per translationem, seu Methaphoram de Deo prædicantur, non formaliter existunt in Deo vt patet: non igitur admitendus est supra reiectus modus Ioannis de Salas, aut nominalium, sed (etiam attributi nomine spectato) illud solummodo, quod perfectionis formaliter est in Deo, & ꝙ à creatura mundi intellecta, Deo attribuitur, est formaliter attributū.

21. *Attributū prædicatur in.mo do dicendi per se.*

Rursus non solum requiritur attributum propriè prædicari, de Deo: sed necessum est, vt de illo prædicetur, non in primo, sed in secundo modo dicendi per se. Ad cuius intelligentiam recolenda est differentia alibi posita inter primum, & secundum modum dicendi per se: quæ etenim ad constitutionem essentialem ipsius rei pertinent, ei in primo modo dicendi per se conueniunt. Vndè in primo modo dicendi per se tantum modo prædicatur, vel diffinitio, vel pars diffinitionis de diffinito, aut idem de se ipso. Sic omnes istæ sunt in primo modo dicendi per se: homo est animal rationale, homo est animal, homo est rationalis, homo est homo. In secundo vero modo dicendi per se sunt proprietates, quæ radicaliter, ex diffinitione, seu parte diffinitionis perfificam emanationem pullulant: quæ, scilicet, non pertinent ad essentiam, seu substantiam rei, sed ipsam circunstant. Sic istæ sunt in secundo modo dicendi per se: homo est risibilis, animal est irasibile, & similes.

§. 4.

An attributa conueniant Deo in primo, & secundo modo dicendi per se resoluitur.

22. HOc supposito, nō minima exorta est rixa, an attributa Deo cōueniant in primo, aut in secundo modo dicendi per se? Circa quam triplex est principalis sententia, de qua in 3. to no. huius operis latè agitur: nunc autem breuiter quædam afferit attributum Deo conuenire in primo modo dicendi per se: atque ideo quodlibet attributum esse de concentu formali Dei. Sic sentiunt fere omnes Nominales, vt videre est apud OKamum in 1. dist.2.q.1.quem sequuntur Gabriel ibi, quæst.2.art.2.conc.2. Greg. dist.8.q.1. & 2. Maior, q.1. concl.1. tenet Aureolus, dist.8.q.3.art.2. qui omnes censent proprietates, seu attributa Dei, formaliter non esse in diuina essentia, sed esse ipsam diuinam essentiam: atque ideo ad eius rationem formalem pertinere. Alij inter præcedentem, & sequentem, mediamquandam opinionem excogitarūt, tenentes attributum ex se ab vtroq; prædicationis modo abstrahere, tā etenim aiunt, ad prædicata essentialia, quàm ad alia quæ quasi proprietates Deo conueniunt, se extēdere. Cuius auctores sunt Canarienſis citatus, & Zumel 1.p.quæst. tio.28.art.2.quæst.7.notabili 1. quos sequitur Salas vbi supra, quæ est etiam opinio Molinæ 1.p.q.2. artic.3. §.2. *vis.* His quidem omnes non dubitant concedere prædicata Dei essentialis attributa esse dicenda, quod habet Gabriel in 1. distin.2.quæst.2.art.2.conc.2. dum inter diuina attributa, *viuens*, quod aliàs ad quiditatem Dei spectat, commemorat.

OKam. Gabriel. Greg. Maior. Aureolus.

Canar. Zumel. Salas. Molina. Gabriel.

Tertiò nihilominus multo verior, & cōmunior sententia asserit attributa Dei nullatenus ad primū, sed ad secundū modū dicendi per se pertinere: atq; ideo de attributi ratione prout à Theologis vsurpatur, esse non solū Deo sic in secundo modo dicendi per se conuenire, sed omnē prædicationē 1. modi excludere. Sic Doctor in tota hac q.4 loquitur, de attributis tāquā de eis quæ tantū circunstant naturā, & non sunt de cōceptu formali naturæ, vt patet: quē expressè sequuntur omnes veteres Scotistæ: ex recentioribus autē P. Rada 1.p. cont.4.notabili 5. P. Here. in 1.disp.14.q.1.notabili 5. hāc esse expressam sententiā D. Tho. probat Capreo. in 1.dist.8.q.4.ar.1. quā plures complectuntur, vt potè Durā. in 1.dist.2. q.3.nu.6. & alij, tenet Henr. in sum.art. 32.q.4. itē Suar. 1.p. lib.1. de essētia Dei c.9.n.6. & lib.3. de Trin. cap.11. nu.1. & Vazquez, prima part. disputation. 116. capit.1.numer.3. quæ sententia à perte

23.

Scotus. Rada. Herera. D. Thom. Capreol. Durand. Henricus. Suarez. Vazquez. D. Dama.

confirmatur illa celebri Diui Damasceni auctoritate in libr. 1. de fide. capit. 4. vbi hæc de attributis profert: *Quæcumque autem per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam insinuamus.* Ex quibus resoluitur attributum tantum modo dici de illis perfectionibus, quæ formaliter sunt in Deo, & eius quidditatē non intrant.

§. 5.

Quæ sint attributa diuina resolutorie traditur.

24. AN vero transcendentia in Deo habeant rationem attributi? est difficultas non parua: agitatur namque à quibusdam nostræ ætatis Theologis: veteres enim loquendo interminis, parum, aut nihil de illa curarunt. Contentus fuit etenim Doctor loqui de illis tanquam de cæteris attributis, assignando formalem distinctionem ex natura rei inter ens, & passiones illius. An vero huiusmodi passiones in Deo sint attributa nec ne? id ab eo nullibi interminis video resolutum, nec reperio in Diui Thoma ex præsum. Sed quia de hoc puncto in nostro tertio tomo specialior erit sermo: nunc breuiter, & resolutorie suppono ex sex transcendentibus tria, ita esse synonoma, vt idem prorsus significent: videlicet, *res, ens, aliquid*, sic tenent Fonseca, libr. 4. Methaphysicæ, capit. 2. quæstion. 5. sectione 2. Suarez 1. tomo Methaphysicæ, disputation. 3. section. 2. AEguidius Lusitanus 1. tomo de Beatitudine, capit. 5. quæstion. 4. articul. 5. §. 1. quod limitandum est, ita vt intelligatur de ente habente esse extra causas, vt prædicti auctores, & reliqui (vt credo) intelligunt. Alias enim si de ente vt cumque loqueremur, realitas ab ente distinguitur tanquam existentia ab essentia, quam in esse reali formaliter constituit. Vndè Antechristus pro nunc, qui est in esse obiectiuo Dei, potest dici ens, & aliquid, siquidem habet ibi esse essentiale: non tamen habet esse reale, donec extra causas existat. Existentia enim formaliter constituit essentiam in esse reali, & existentia formaliter dicitur essentia rei. Quare optimè vocauit Scotus existentiam primum prædicatum accidentale essentiæ (loquendo de existentia creaturæ:) quia quod primo essentiæ accidit, est existentia. Ipsa vero existentia est de essentia essentiæ in esse reali: atque ideo loquendo de ente in esse reali, idem prorsus est res, quod ens, & ens, quod res: in quo etiam sensu, *aliquid*, idem est, quod res, seu ens. Vndè concluditur, quod sicut conceduntur in Deo plures res relatiuæ, ita debent concedi plura entia relatiua. In hoc enim sensu plura entia relatiua admittuntur in Deo Canariensis, quæstion. 30. articul. 3. in argumento Diui Thomæ, Molina prima part. quæstion. 39. articul. 3. disputat. 2. Suarez prima parte lib. 3. de Trinitate capit. 6. Vazquez, prima part. disputat. 122. cap. 7. AEgydius Lusitanus loco nuper citato. Ex quo fundamento planè concluditur, neutrum ex huiusmodi transcendentibus attributi rationem habere.

In Deo cōceduntur plures res relatiuæ sicut plura entia relatiua.

Canariens. Molina. Suarez. Vazquez. AEgidius.

Tria vero alia transcendentia non sunt synonoma, sicut de præcedentibus dictum est, sed verè sunt passione entis: nam licet conuertibiliter prædicentur de ente, hoc non infert omnimodam identitatem eorum: nam de ratione proprij, seu proprietatis, est conuertibiliter prædicari de subiecto: & nihilominus ab eo formaliter in via Scoti, imò & realiter iuxta D. Thomam à subiecto distinguitur: non ergo conuincit ratio AEgydij, numer. 5. quod, scilicet, talia transcendentia conuertuntur cum ente, ad hoc vt excludantur à ratione veræ proprietatis, & verè à subiecto distinctę. Teneo igitur contra AEgydium, cum Doctore, vnum, verum, & bonum (etiam vt transcendentia sunt) esse proprietates entis, & ab ente tanquam proprietates à subiecto distingui. 25.

Bonum, verum, & vnum, sunt passiones entis.

An autem omnes istæ tres proprietates sint attributa in Deo etiam est peculiarior difficultas de vno, quam de bono, & vero: quia vnum extenditur ad personalia, seu relatiua. A ratione autem attributi supra exclusimus relatiua,

Fonseca. Suarez. AEguid.

Ens, res, & aliquid, synonoma sunt

ad

ad relatiua vero extendi, satis constat ex simbolo Athanasij, vbi dicitur: *Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij, vnus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti*. Ex quo inferri videtur, non minus dari vnitates personales: quam essentiales. Si igitur tres personales vnitates reperiuntur in Deo, vnitas procul dubio à ratione attributi videtur excludi. Hac ratione conuincitur Ægydius à numer. 6. vsque ad 9. concedere, nullum transcendens, rationem attributi habere. Quod tametsi de, *vno*, non nulli admittant: de, *vero*, nihilominus, & *bono*, aliter, & aliter sentiunt: quia tamen de hoc puncto, sicut de cæteris attributorum Dei longior in 3. tomo (vt dixi) erit tractatus, non est hic opus varias Doctorum sententias recolere, & refellere, ac eorum rationibus satisfacere: sit nobis, pro nunc satis ad præsentis difficultatis resolutionem, huiusmodi passiones, non esse de conceptu formali subiecti, sed extra eius formalitatem, etiam, vt transcendentia sunt: quod eleganter, ex Doctore, probat Pater Rada, specialiter de vno (de quo maior est difficultas) prima parte Controuersia 27. articul. 2. conclusion. 2. & de Deo prædicari, non in primo, sed in secundo modo dicendi per se, plane ostendit. Ac propterea in hoc, cum cæteris attributis, prout ad præsens attinet, conuenire suppono. Vnde non minus de hoc triplici transcendete, quàm de cæteris diuinis perfectionibus præsens difficultas procedit. Est expressa sententia Lycheti in primo distinction. 8. quæstion. 3. §. *in ista ratione*, vbi determinat in Deo bonitatem, veritatem, & vnitatem esse perfectiones simpliciter, & ex consequenti attributa.

Simb. Athan.

In Deo datur vnitas essētialis, & personalis.

Rada.

Lycheius.

27. Admitto præterea, cum communiori sententia, attributa negatiua, qualia sunt immensitas, incomprehensibilitas, immutabilitas, & similia. Infinitatem vero, non esse attributum, sed modum intrinsecum Dei, plusquam latè ostensum est supra in difficultate 43. ita ab omnibus pro certo habetur, attributum non esse, vt ferè omnes oppositarum classium, ad Dei essentiam essentialiter pertinere existimant, dempto Vazquio, qui 1. ma p. tr. disputation. 122. capit. 7. numer. 28. inquit, infinitatem esse attributum essentiæ, ab alijs attributis distinctum. Nos autem, etsi, cum Doctore ad essentiam essentialiter pertinere negemus: non tamen ob id, attributum esse concedimus: quia vt aduertit Lychetus, ibidem, §. *pro maiori*, infinitas est gradus ita intrinsecus essentiæ, quod non potest haberi conceptus perfectus de ea, sine illo. Esse denique intellectum, & voluntatem attributa Dei, nemo est qui dubitet: omnia ergo (concludit Lychetus) quæ in Deo dicunt perfectionem simpliciter, & non sunt de eius essentia, seu gradus, aut modus intrinsecus illius, sunt attributa. De his ergo omnibus specialiter viis, ac de cæteris attributis diuinis, si quæ alia sunt, generaliter præsens difficultas inuestigat, an inter se ad inuicem, & ab essentia ex natura rei, actu formaliter distinguantur.

§. 6.

Fundamenta sententiæ Scoti explanantur.

AD CVIVS clariorem resolutionem suppono, ex tertio articul. textuali contra Rhabi Moysen, attributa diuina, non virtualiter, sed formaliter ex natura rei esse in Deo: quod infra propria conclusio patefaciet. Pro difficultatis ergo resolutione, iam primo obseruare oportet, duplicem esse gradum intrinsecum alicuius rei: primum, scilicet, specificum, alterum vero modalem, seu modificatiuum, qui propterea solet, ab Scoto dici modus intrinsecus. Gradus specificus est ille, qui aduenies alicui quidditati specificæ variat rationem formalem illius: vt egregie notauit Lychetus vbi supra parrapho: *ad quæstionem*. Ita quod si gradus aliquis specificus homini aduenire: iam desineret propriam naturam, & homo non esset, sed mutaretur in speciem gradus illius. Et quia in rerum natura con- 28.

tingere nequit vnam speciem formaliter in aliam variari: ideò gradus specificus vnius quidditatis, non aduenit alteri specificæ quidditati, sed aduenit gradui generico, cum quo adæquatè componit speciem.

29. Gradus vero modalis, quantumuis intrinsecus sit, est ille qui aduenit quidditati specificæ, & essentialiter constitutæ in suo esse perfecto quidditatiuo: & ex consequenti, illam supponit in tali esse specifico constitutam, & rationem formalem illius non variat, sed illam quidditatem cui aduenit, in propria specie, gradualiter, & modaliter perficit, & intendit. Exemplum est satis planum in albedine. Nam intensio albedinis est modus, & gradus intrinsecus eius: qui gradus albedinem in suo esse specifico, & formali supponit, & ei aduenit. Intensio ergo, vt octo aduenies albedini, non variat rationem formalem albedinis, sed albedinem in præexistente ratione formali, & specifica, gradualiter intendit, & perficit. Ex quo patet, quod gradus intrinsecus, nec potest illi quidditati, cui aduenit, esse ratio formaliter identificandi illam, cum alia quidditate, nec est ratio formaliter distinguendi illam ab alia quidditate: sed quidditas ipsa est sibi ratio formalis identitatis, & formalis non identitatis, seu distinctionis ab altera quidditate. Modus igitur intrinsecus, nec formaliter vnit, nec distinguit formaliter, sed si quæ vnitas est, aut distinctio formalis, aut formalis non identitas, ab ipsa quidditate cui aduenit talis modus, formaliter prouenit.

Optima expositio gradus intrinseci.

30. Cum ergo infinitas sit modus seu gradus intrinsecus diuinæ essentiæ, & attributorum, pro vt latè ostensum est supra in difficultate 43. consequenter supponit essentiam, & attributa, vnũ quodque in suo esse specifico formali, & quidditatiuo: quam ob rem cuilibet quidditati eorum aduenies, non variat rationem formalem illius: sed tantum aduenies essentiæ Dei, ipsam in suo esse quidditatiuũ non varians, gradualiter in infinitum intendit, & aduenies sapientiæ diuinæ, rationem formalem sapientiæ non variat, sed in infinitum intendit, & aduenies bonitati diuinæ rationem formalem bonitatis non variat, sed in infinitum intendit: sicut de intensione albedinis proportionaliter dictum est. Vndè quoad præcisam formalitatem, non minus distinguntur sapientia infinita, & bonitas infinita, quàm si ab eis tolleretur infinitas: nam licèt infinitas sit identificatiua realiter vtriusque: illarum tamen formalitates non variat. At qui sapientia, & bonitas, precisa infinitate, formaliter ex natura rei sunt distinctæ quidditates: ergo & posita infinitate, etiam sunt quidditates distinctæ: quod idem de sapientia & bonitate, respectu essentiæ erit dicendum: non igitur officit attributorum infinitas eorũ formali distinctioni: quia ergo tota vis oppositæ sententiæ in hoc ferè sita est, quod eius auctores existiment infinitatem ab attributis excludere omnimodam distinctionem ex natura rei: consequenter hac vi semel per nuperiactum fundamentum destructa, optimè Scotica attributorum distinctio formalis concluditur.

31. Porrò est maximè obseruandum secundo, aliter considerandà esse attributa interse inuicem comparata, & aliter respectu essentiæ: quamuis etenim vtroque modo reperiatur ibi distinctio actu formalis ex natura rei: intra latitudinem tamen eiusdem distinctionis datur maior, & minor distinctio, seu minus, aut plures rationes distinctionis. Ad cuius clariorem intelligentiam recolenda sunt, quæ supra in difficultate 54. de Paternitate, & spiratione actiua concluſi: & videnda quæ infra in expositione articuli 5. quæstion. 4. huius distinction. 8. per totam latè ostendo. Paternitas ergo, & spiratio actiua, & si realiter identificentur in Patre, nullam nihilominus (secundum se ipsas, & secundum suas precisas formalitates) exigentiam, aut connexionem habent vnius ab altera, sed præcisè prout in Patre: & ideo seclu so subiecto, in quo realiter identificantur, non haberent ex se ipsis vnde identificarentur: qua de causa facta abstractione à subiecto, in quo sunt realiter idem: abstrahitur quoque ab eis omnimoda ratio identitatis. Atque ideo hæc propositio, Paternitas est spiratio, aut è contra, nec formaliter, nec identice est

Paternitas & spiratio præcisè cõsideratæ nullam inter se dicũt identitatem.

vera

vera: quia facta tali abstractione, nulla interest ibi identitas, aut ratio identitatis: quia neutra est ex se formaliter infinita, vt sibi identificet alteram: nec altera (facta abstractione à subiecto) est radix seu causa alterius, vt illam vnitiuè habeat in se, sicut contingit in quolibet subiecto, quod passionem identicè continet, quia est causa, & radix illius.

Hoc tamen vtrumque habet diuina essentia respectu vtriusque istius relationis: est etenim ex se formaliter infinita, ratione cuius, huiusmodi relationes sibi realiter identificat: & est radix illarum, sicut subiectum est radix suarum proprietatum, à quo per physicam emanationem pullulant. Vndè etsi per impossibile altera istarum rationum identitatis in diuina essentia deficeret, sufficeret vna ad hoc, vt realiter sibi idẽtificaret relationes huiusmodi: quam ob rem duplici titulo essentia sibi eas realiter identificat, & ratione huiusmodi idẽtitatis, istæ sunt propositiones identicè veræ, Paternitas est Deitas, seu essentia, & è contra: spiratio est essentia, & è contra.

32.

33. Quibus notatis, facile apparet differentia, quæ est inter distinctionem attributorum ad inuicem, & distinctionem ipsorum attributorum ab essentia: nam si comparentur ad inuicem sapientia, & iustitia, ex suis præcisis formalibus conceptibus: forsam non minus differunt, quam Paternitas, & spiratio activa (saltim in via eorum qui admittunt huiusmodi relationes in aliquo esse obiectiuo conuenire) posito tamen modo intrinseco eorum, qui est infinitas, qua quodlibet attributum est formaliter infinitum: habet quodlibet attributum ex se, vnde sibi realiter identificet alterum. Ex quo prouenit has omnes propositiones, etiam facta quacunque abstractione (quia modus intrinsecus, vt ex Licheto supra notaui, num. 27. nõ potest abstrahi à re cuius est modus) esse identicè veras: sapientia est bonitas, iustitia est misericordia, &c. Non tamen vnum attributum pendet ab altero, tanquam à causa, vt in plurimum: licet bene sapientia exigat intellectum, & charitas voluntatem. Illa igitur attributa quæ cum alijs connexionem non dicũt, nullam aliam rationem identitatis adinuicem habent, nisi præcise infinitatemque inter ea est omnimoda ratio identitatis. At qui si attributa ad essentiam cõparentur: non solum ratione infinitatis, eo quod ipsa est formaliter infinita, & sibi identificat realiter attributa, sunt idem cum essentia quæ attributa, quia etiam ex se sunt formaliter infinita, etiã ratione sui identificantur essentiæ: verum etiam ratione quasi pullulationis, qua attributa ab essentia, tanquam à fonte tali plenitudine, & radice emanant, essentia sibi identificat illa. Vndè etiam si per impossibile inter attributa, & essentiam deficeret infinitas: adhuc attributa cum essentia, essent realiter idem, sicut risibilitas cum humanitate (quæ finita sunt) identificatur realiter propter præcisam rationem pullulationis, & physicæ emanationis illius ab ista, in se ipsa necessario receptæ, vt optimè Lychetus enucleat loco citato quæst. 3. §. *occurrit difficultas*, vbi egregiè exponit quædam verba Doctoris, quatenus ibidem ait infinitatem esse præcisam rationem identitatis in Deo, ita vt intelligatur de duplici identitate, videlicet ex ipsa entitate prouenientis, vel ab extrinseco entitati aduenientis, prout latè infra in expositione citati artic. 5. quæst. 4. dist. 8. nu. 6. prælibatum habetur.

Concluditur ergo, intra latitudinem identitatis realis, maiori identitate reali, seu ad minus, pluribus rationibus realis identitatis, identificari attributa essentiæ, quàm ipsa attributa inter se identificantur ad inuicem. Et ex consequenti concluditur intra latitudinem distinctionis formalis ex natura rei: minorem distinctionem esse inter attributa, & essentiam, quàm inter attributa adinuicem: quoniam proprietas, & si dicat distinctam formalitatem à formalitate subiecti: non tamen dicit distinctam speciem ab specie subiecti: sed ad idem prædicamentum sui subiecti pertinet reductiuè, vt patet de risibili, quod non aliã speciem distinctam ab specie hominis constituit, sed ad ipsam reducitur. At vero sapientia, & misericordia ex suis præcisis rationibus formalibus, quæ per infinitatem non variantur, vt supra numer. 29. manet ostensum, distinctæ quiditates specificæ, & distinctæ species sunt. Sed maior distinctio est distinctio

34.

formalis specifica, quàm distinctio purè formalis, prout in difficultate 54. nu. 32. & 33. & 34. & 95. prænotauimus: ergo minori distinctione formali distinguntur attributa ab essentia, cum hæc sit pure formalis, quam inter se ipsa ad inuicem, licet bene vtraque ista distinctio sit formalis ex natura rei, quam ponit Scotus. Sed obstabis, quod flebilitas, & risibilitas sunt proprietates hominis: & tamen eadem identitate reali sunt inter se idem, qua risibilitas est eadem humanitati secundum Scotum: ergo similiter sapientia, & iustitia, & similia attributa, quæ sunt proprietates Dei, etiam infinitate præcisa, sunt eadem inter se, eadem identitate reali, qua sunt eadem diuinæ essentiæ: & ideo non maiori distinctione distinguuntur inter se, quam ab essentia. Respondeo duplici solutione. Prima, scilicet, quod flebilitas, & risibilitas non sunt realiter idem inter se ratione sui, sed ratione tertij in quo identificantur: ac ideo sublata hac ratione tertij, scilicet, hominis, nō haberēt vnde identificarentur. Sic sapientia, & iustitia, præcisa infinitate, non identificirentur inter se ratione suarum formalitatum: sed ratione essentiæ, in qua tanquā in tertio sunt idem. Secundo dico, quod flebilitas, & risibilitas non constituunt ex se ipsis aliquam determinatam speciem, sed ex natura sua habent esse proprietates hominis, à quo si non dimanarent, nullū esse haberent in rerum natura. At vero sapientia, & iustitia, præcisa infinitate, & præcisa etiam dimanatione ab essentia, habent formaliter ex se ipsis propias quidditates, & essentias specifice constitutas. Vnde si per impossibile non dimanarent ab essentia tā quam proprietates illius: adhuc in rerū natura essent iustitia, & sapientia: quia ex se ipsis habent specificas quidditates iuxta essentialem connexionem prædicati cum subiecto, esse autem etiam proprietates diuinas, nō tollit ipsarūformalitates: & ideo simul cum hoc quod est esse proprietates Dei, stat secundum suos formales conceptus præcisos distingui: sicut sapientia incommuni, & iustitia incommuni ad inuicem distinguntur.

§. 7.

Destruuntur variæ quorundam obiectiones inferentes aliqua absurda.

VErum enim vero hoc nostrum fundamentum distinctionis formalis prædictæ varijs modis aduersarij labefactare intendunt: quidam, scilicet, tenendo infinitatem omnino variare formalitates attributorum, propterea que omnia attributa simul cum essentia, vnam, & eandem formalitatem habere. Alij plures rationes ex inconuenienti exortas pro fundamētis suæ sententiæ machinantur. Inferunt etenim contra Doctorem hanc distinctionem ex natura rei necessario esse realem: quia sicut nullum potest imaginari medium inter ens reale, & rationis, sic nec potest imaginari distinctio, quæ non sit realis, vel rationis: damnatur autem in Concilio Remensi assertio ponens distinctionem realem inter essentiam, & attributa, seu inter attributa ad inuicem: ergo, &c. Hac via incedunt Durandus, in 1. distinct. 2. quæst. 2. & distinct. 33. quæstion. 1. Herueus Quodlibeto 1. quæst. 2. artic. 3. & Quodlib. 3. quæst. 3. Sōcinas 7. Metaph. quæst. 36. Caietan. 1. p. quæst. 54. artic. 2. Zumel quæstion. 28. artic. 2. & plerique Thomistæ. Item Suarez 1. tom. Metaph. disp. 7. sect. 1. numer. 16. Gregor. de Valentia 1. part. disput. 1. quæst. 5. punct. 1. & quæstion. 13. punct. 3. & disp. 2. quæst. 13. punct. 1. Quod ita certum esse affirmat Vazquez 1. part. disp. 116. cap. 5. num. 25. vt asserat distinctionē mediam inter distinctiones realem, & rationis commentitiam esse. Sed quam futile, & mane sit hoc fundamentum, latè ostensum est supra in difficultate 54. & ideo non est cur hic in noua eius confutatione immoremur.

35.

Durandus. Herueus. Soncinas. Caietanus. Zumel. Suarez. Valentia. Vazquez.

Huic viæ quasi adhærent Nominales, cum Okamo, quatenus, licet admittunt distinctionem formalem mediam inter realem, & rationis, aiunt nihilominus formalem distinctionem necessario realem supponere: ac proinde idem inconueniens de distinctione reali inferunt contra Doctorem. Fundamentum ve-

ro

ro huius viæ est: quia OKam ex distinct. formali infert necessario esse talem distinctionem inter duo contradictoria verificata, prout latè refert, & improbat Lychetus vbi supra. Sed quia hæc via, vetustissima suffismata affert, quæ in Scholis hac ætate fastidium ingerunt: eam tanquam solutione indignam hîc merito prætermitto.

37. Alij autem in maiorem dementiam inciderunt, inferentes contra Doctorem, diuina attributa esse formaliter creaturas, seu res creatas: sic Canariensis lib. de Trinitate quæstion. 28. artic. 2. in prima part. primæ distinctionis, quẽ sequitur Zumel, 1. part. quæst. 4. artic. 2. sua quæstion. 3. & qu est. 28. artic. 2. sua quæstion. 2. §. *secunda ratio*, quod absurdum sic inferunt: nam attributum, verbi gratia, sapientia, acceptum prout ab essentia condistinctum, vel est Deus, vel non est Deus, si primum dicamus: igitur prout sic non distinguitur ab essentia, & sibi contradicit Scotus, si vero secundum: habetur intẽtum, quia quod non est Deus, est creatura, quod alijs me dijs non minus friuolis confirmant. Sed hæc illatio iam satis destructa remanet in sæpè citata difficultate 54.

38. Magis vrgere videbatur alia via idem Canariensis vbi supra in 3. argumento, contra Scotum, quem postea secutus est Molina 1. p. quæst. 28. artic. 2. disputat. 2. conclus. 2. inferens ex sententia Doctoris essentiam diuinam ex se ipsa sapientem non esse: nam si secundum se distinguitur formaliter à sapientia, secundum se non est formaliter sapiens. Hoc autem non minimum infert absurdum, quod, scilicet, ab alio esset sapiens, siquidem esset sapiens à sapientia à se formaliter distincta, à qua perficeretur: quod si addamus talem sapientiam esse rem creatam vt idem Canariensis in præcedente §. *intulit*, proculdubio essentiã Dei creata sapientia sapientem esse infertur: & ex consequenti creatura perficietur, quod quam absurdum sit, nemo nescit.

Canarienſ. Molina.

39. Sed re vera, vt optimè inquit Paret Rada, citatus Controuersia 4. subconclusion. 5. §. *secundum argumentum est*, nullam vim habet præfacta Canariensis machinatio. Ex ignorantia Metaphysicæ proficiscitur, imò & AEgydius argumentum illud apud viros doctos satis debile censendum esse affirmat. De quo plura pulcrè docet prædictus Rada, quæ breuiter resoluuntur ad hoc, quod secũdum quandam celebrem regulam Scoti, propositiones non sibi contradicunt adinuicem respectu alicuius subiecti, in primo modo dicendi perse: vt si addatur particula, *per se*, vel, *essentialiter*, aut, *quidditatiue*, aut *formaliter*, aut alia similis, cuius ratio est: quia contradictio est respectu eorum, quæ simul non possunt verificari, aut simul esse falsa de eodem subiecto, vt lex dialectica contradictoriarum affirmat. At qui posita aliqua ex prædictis particulis, plures contradictoriæ essent simul falsæ de eodem subiecto: igitur posita quauis ex dictis particulis, non contradicunt sibi tales propositiones contradictoriæ. Assumptum probatur ab Scoto facillime: quia istæ sunt falsæ, homo perse est risibilis: homo perse est non risibilis. De prima patet, quia risibilitas non est de essentia hominis, secunda quoque falsa est: quia si de essentia hominis esset non risibilitas, per nullam potentiam sibi posset competere risibilitas, siquidem per nullam potentiam potest rei essentia contradici.

Contradictio non datur in propositionibus, cũ hoc modo perse, & similibus.

Similiter ad propositum omnes istæ sunt falsæ, essentia per se est sapiens, aut per se insipiens, seu non sapiens: quia nec sapientia est de eius formalitate, vt prima sit vera: nec est de conceptu formali ipsius negatio sapientiæ, vt sit vera secunda: quia tunc nullo modo sibi posset competere sapientia. Nec valet si dicas, quod de prædicato negato ad prædicatum infinitum consequentia tenet: valet etenim equus non est homo: ergo est non homo: sic similiter valet essentia perse, non est formaliter sapiens: ergo est perse formaliter non sapiens: nam illatio claudicat: quia ad hanc obiectionem similiter respondet Doctor, quod prædicta consequentia valet absolute, non tamen si addatur aliqua ex dictis particulis. Vnde ista est bona consequentia, essentia non est sapiens: ergo est non sapiens. Cuius illationis primã propositionem negamus: quia absolutè essentia sapiens est: si vero addatur particula *perse*, cõsequentia claudicat: quia nec antecedens, nec consequens verum est.

40.

Essentia diuina nõ est per se sapiens, nec nõ sapiens.

est. Nec enim essentia est per se sapiens, nec per se non sapiens: sed præcise, vt formaliter est essentia, nullum aliud prædicatum sibi conuenit, nisi illud, quod ad ipsius quidditatem pertinet, & sibi competit in primo modo dicendi per se. Vnde sicut dicit Auicena, quod equinitas tantum est equinitas, sic dicimus, quod essentia tantum est essentia. Ex hoc soluitur argumentum Canonicus, quod, scilicet, essentia non est sapiens ab aliquo alio à se, sed ab aliquo, quod est sibi realiter idem, licèt ab ea formaliter distinguatur: quia etsi non sit per se formaliter sapiens, est tamen absolutè sapiens.

Auicena.

41. Sed si iterum velis formalizare, sic inferendo: quando intelligo essentiam secundum sua præcisa prædicata quidditatiua, non intelligo illam sapientem: ergo intelligo illam non sapientem: negatur consequentia: quia negatio ex parte intellectionis non infert negationem ex parte obiecti intellecti: nam negatio ex parte intellectionis est quædam abstractio, & præcisio, qua intellectus ex duobus cognoscibilibus, quorum neutrum est de conceptu alterius, cognoscit vnum, præcindendo ab altero. Quæ præcisio nihil ponit in re cognita, sed in illa fungitur intellectus suo munere præcindendi, & abstrahendi. At qui ex parte rei cognitæ: nequit dari talis negatio respectu illius, quod sibi conuenit, etiam si sibi conueniat in secundo modo dicendi per se. Negatio enim ex parte intellectionis potest esse præcisio: negatio vero ex parte obiecti non præcindit, sed absolute negat aliquod prædicatum de tali obiecto. Et ideo prædicta cõsequentia deficit: quia transit de negatione habente se ex parte intellectus cõcipientis, ad negationem habentem se ex parte rei conceptæ.

Negatio ex parte intellectionis præcindit, nõ vero ex parte obiecti.

§. 8.

Distinctionem formalem attributorum non destruere diuinam simplicitatem manifestatur.

ALij præterea maius absurdum inferunt ex sententia Scoti, videlicet, ex ea diuinam simplicitatem manere destructam: quæ via satis trita est inter aduersarios, & præcipuum eorum Achiles, quo fere omnes suam sententiã roborari existimant: cuius tamen insufficientiam in difficultate 54. patefecimus supra. Verum, propter quandam solutionem de nouo à quibusdam adductam, expediet iterum hîc tanquam in loco propriomentem Doctoris de hoc breuiter apperire, quatenus, videlicet, ex distinctione formali neutiquam destrui diuinam simplicitatem ostendit.

Et primo simplicitatem non nisi cõpositioni esse oppositam: & ex consequenti, non tolli simplicitatem per formalem distinctionem, Doctor demonstrat, & planè deducitur ex eo, quod aliàs simplicior esset Deus, si vnicus persona liter esset, quàm nunc in tribus personis existens. Quod est ab omni Theologia alienum, quinimo, & contra Concil. Lateranense in cap. *firmiter*, vbi hæc habentur expressa: *Tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, siue natura simplex omnino*: & in cap. *Damnamus*, inquit *cum Patris substantia indiuisibilis sit, vt potè simplex omnino*. Non igitur esse Deus simplicior, si vno supposito esset contentus, quàm modo, qui est personaliter Trinus: siquidem etiam, vt Trinus, est simplex omnino. Si ergo simul cum reali personalitatum distinctione stat summa Deitatis simplicitas, vt fides docet: cur non stare poterit eadem summa simplicitas cum formali distinctione attributorum? Ex quo sic argumentum conficio: Deus non esset simplicior, si esset vnicus in persona, quam nunc in tribus subsistens: & hoc ex ea prouenit: quia vnitas personalis, est Deo omnino impossibilis, propter naturalem fœcunditatem naturæ diuinæ, quæ ab intrinseco postulat esse in tribus: sed hæc eadem ratio reperitur in essentia respectu attributorum: quia realis continentia omnium perfectionum, quas in diuina essentia iuxta fidem admittimus, qua, scilicet, essentia ex sua radicali ratione, & fontali plenitudine, qua est pelagus omnium perfectionum, vendicat sibi, quod formaliter in se habeat bonitatem, sapientiam, misericordiam, & cætera attributa: quæ attributalis multiplicitas est ita naturalis diuinæ essentiæ, sicut Trinitas personalis: atque ita non minus impossi-

43. *Simplicitas solũ opponitur cõpositioni.*

Conc. Lat.

Deus nequit esse vnus personaliter, sicut nec vnus inattributis.

possibilis est sibi vnitas attributalis, quã personalis: ergo si stante multiplicitate personali cũ prædicta distinctione reali personarũ, optime summa Deitatis simplicitas saluatur: sic à fortiori stante multiplicitate attributorum cum distinctione formali eorũ ad inuicem, & ab essentia, bene saluatur in Deo omnimoda, & summa simplicitas.

44. Huius argumenti ratio à priori est: quia si in constitutione personarum ex essentia, & personalitatibus, nulla est cõpositio, quæ simplicitati diuinæ opponatur: à fortiori, nec inter essentiam, & attributa, aut inter ipsa attributa ad inuicem, est aliqua compositio, seu quasi cõpositio, quæ obstet simplicitati diuinæ. Ex quibus patet, quam futilis sit machinatio argumenti Molinæ. Vtrumque igitur oritur ex perfectione entitatis diuinæ essentiæ, quod, scilicet, excludat vnitatem realem personarum, & etiam vnitatem formalem attributorum: quia ex perfectione sua habet essefœcundam, & habet realiter continere perfectiones. Ex fœcunditate ergo habet non excludere distinctionem realem personarũ, cum quibus est realiter idem: ex continentia vero reali attributorum, quæ nõ eminenter, aut virtualiter, sed formaliter sibi vendicat attributa habere: habet non excludere distinctionem formalem eorundem attributorum à se, & ipsorum ad inuicem. Ex quibus optimè cum Doctore concludimus, formalem vnitatem attributorum non esse minus impossibilem Deo, quàm realem vnitatem personarum: propterea quæ ibi esse multiplicitatem simplicem, & simplicitatem multiplicem, prout expresse tradit D. Augustin. 6. de Trinit. cap. 14. hæc dicens: *Deo hoc est esse, quod fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplici multiplicitate, & multiplici simplicitate dixeris, &c.* Quibus verbis clarè ostendit, hanc multiplicitatem formalem minime diuinam simplicitatem destruere.

D. Augus.

45. Rationem vero, vnde proueniat ibi compositionem non esse, reddit Doctor: quia de ratione intrinseca cuiuslibet compositionis est, quod fit ex partibus habentibus se per modum actus, & potentiæ. Ethuius rationis ratio est: quia cum per compositionẽ necessario fiat vnum ex pluribus distinctis, & plura nõ possint vnum fieri, si omnia sint in actu, quia ex pluribus entibus in actu non fit vnũ, nisi per aggregationem: necessum est, vt vnum ex componentibus habeat rationem potentiæ, & alterum rationem actus. Sic sentiunt plerumque omnes Philosophi cum Aristotele 7. Metaphis. cap. 16. text. 56. & lib. 8. capit. 6. textu. 15. & 16. Necessario autem fieri compositionem ex partibus docent Seraphicus Doctor D. Bonauentura, in 3. dist. 6. art. 1. q. 2. D. Thom. q. 2. art. 3. Ricardus art. 2. quæst. 3. Albertus Magnus art. 6. cum Magistro eadem dist. 6. quod si ex partibus necessario fit compositio, pro culdubio ex actu fit, & potentia: cum partes nullam coordinationem partialem habere possint, nisi vna tanquam potentia perficiatur per aliam, tãquam per actum.

Quare in Deo nõ sit cõpositio, & quid cõpositio, sit.

D. Bonau. D. Thom. Ricardus. Alb. Mag. Magister.

46. Hæc ratio non placet AEgidio Lusitano, sed sibi videtur fundamentum satis dubium: licèt deinceps eius probabilitatem in Scoti gratiam optimè tueatur. Aliam tamen ex Marte proprio reddit rationem, eodem §. 4. nu. 89. videlicet, quod de ratione compositionis est, vt per illam constituatur aliquid vnum distinctum à componentibus: quia compositum ex sua intrinseca ratione dicit vnum aliquid per se constans ex pluribus distinctis: hæc autem cõditio nullo modo potest reperiri inter essentiam, & attributum: nam licet formalitas essentiæ, & formalitas attributi, à parte rei sint plures, & distinctæ: tamen non possunt conuenire ad constituendum aliquid per se vnum: & ratio est: quia essentia, & attributa vniuntur vnione identica realis identitatis, non vero vnione constitutiua, alicuius tertij.

47. Verum hæc ratio AEgidij duas ingentissimas patitur instantias: propterea aq; rationi Scoticæ, & eius fundamento pro culdubio standum erit. Prima igitur instantia est: quia tunc diuina persona esset vere composita, siquidem (vt AEgydius ibi fatetur) ex essentia, & proprietate personali, quæ aliàs sunt formalitates distinctæ, constituitur vnum per se, scilicet, vna diuina persona. Secunda est: quia nulla forma accidentalis, quæ cum subiecto vnum per se non constituit, cõpositionem faceret (cuius oppositũ constat) nisi per vnum per se vellit intellige re quodcumque cõpositum ex actu, & potentia.

potentia. Illius ergo instar modi, quo ex subiecto, & propria passione, scilicet, ex rationali, & risibili, vnum denominatiuum, vt porè, homo risibilis constituitur: sic sublatis imperfectionibus ex essentia, & sapientia quodammodo Deus sapiens constituitur: quia non minus denominatur Deus formaliter sapiens, à sapientia attributali, quam homo risibilis à risibilitate: licet bene differant in eo, quod homo risibilitate perficitur: Deus autem ex sua essentia est infinitè perfectus, & non perficitur sapientia: nec sapientia actuat essentiam, sicut risibilitas per modum formæ actuat hominem: & ideo fit comparatio hæc hominis risibilis ad Deum sapientem, sublatis imperfectionibus hominis risibilis, quas Deo adaptari repugnat. Optima ergo est prædicta ratio Scoti, ideò, scilicet, inter essentiam, & attributa, seu essentiam, & relationem, compositionem non esse, licet distinguantur formaliter: quia neutrum ibi se habet per modum potentiæ, aut actus.

48. Hac Scotica ratione satis in Deo maneret exclusa omnis compositio, si huic rationi aliam non adderet Doctor ipse, quæ auget difficultatẽ: ait etenim, ideo non dari rationem actus, & potentiæ inter essentiã, & attributa, quia ibi est summa identitas realis: qua ratione merito quorundam Scotizantium mentes torquentur: eo quod Doctor inter essentiã, & existentiam in creatis, veram compositionem admittat, eo quod habeant se per modum actus, & potentiæ: & nihilominus ibi distinctionem, nõ realem, sed formalem constituit: quod idem de subiecto, & propria passione, ac etiam de relatione creaturæ ad Deũ in eius Scholà concedimus. Si igitur in istis datur vera compositio, & si in illis nulla realis distinctio interueniat: cur inter essentiam, & attributa, realis identitas compositionem excludit, & ratio diuinæ simplicitatis in identitate reali saluatur?

Subtilis dubitatio circa literam Scoti.

49. Profecto huius obiectionis solutionẽ tetigimus supra in difficultate 54. sed latius habetur infra in Commentario articuli 5. q. 4. huius distinctionis octauæ vbi ex Lychetо estẽdimus duplicem rationem identitatis realis: quarum prima est, quæ prouenit ex ipsa entitate extremi identificatiui, quæ non nisi in ente formaliter infinito reperitur: quæ doctrina est satis acuta: sed quia ibi tanquã in loco proprio sufficienter collocatur, nõ est cur ipsam hîc iterum repetamus. Ex ea nihilominus optima huius obiectionis habetur solutio: nam Doctor nõ absolutè dixit in loco citato, identitatem realem excludere compositionem: sed dixit, summam, seu perfectam identitatem realem, esse exclusiuam omnis compositionis: summa autem, seu perfecta identitas realis, non est alia, nisi illa prima identitas, quæ ex propria entitate extremi identificatiui proficiscitur: nã eo quod perfectissimè identificat extrema, repugnat quod tali identitate reali stante, possit fieri extremorum compositio, sicut repugnat compositionem fieri ex vno tantũmodo, quod est sibi perfectissimè idem, vt Doctor docet in Quodlibetis, q. 5. lit. O. eo quod de ratione compositionis est ex distinctis partibus componentibus fieri, vt nuper notauimus.

Identitas realis summa solum compositionẽ excludit

Illa ergo realiter identificata, quæ cõpositionem admittunt, non sunt realiter eadem, loquendo de prima identitate reali: sed bene loquendo de secunda identitate reali, cum qua optimè compatitur compositio, vt patet in exemplis de passione, & subiecto, & de essentia, & existentia in creatis, & de relatione creaturæ ad Deum, &c. Quia igitur attributa diuina sunt ex se formaliter infinita: ideo ex propria entitate habent primam, & perfectissimam, ac summam identitatem realem: tum inter se ipsa, cum inter se, & essentiam: quæ identitas omnem compositionem excludit. Sed si inferas, quod relationes diuinæ, eo quòd formaliter infinitæ non sunt, ob id non erunt ita realiter idem cum essentia: negatur consequentia: quia sufficit infinitas essentiæ ad huiusmodi identitatem realem: nam licet attributa, & ratione suæ infinitatis, & infinitatis essentiæ, idẽficentur cum illa: relationes verò eo, quod ex se infinitæ non sunt, non sibi identificant essentiam: ipsa tamen essentia ob sui infinitatem, eas sibi summè, & perfectissimè realiter identificat. Patet ergo adæquatissimam rationem reddidisse Doctorem, ideo, scilicet, inter attributa, & essentiam (stante distinctione formali) compositionem non esse: quia non

50.

Essẽtia, & attributa ad inuicem identificantur: non sic autem essẽtia, & relationes.

Identitas realis est duplex.

non se habet vnum per modum actus,& alterum per modum potentiæ : & ideo non se habere vnum per modum actus, & alterum per modum potentiæ : quia sunt realiter idem,summa,& perfectissima idẽtitate reali. Illud autem, quod est sic sibi perfectissimè idem,non potest esse actus,aut potentia respectu sui ipsius, seu respectu illius,cui est sic perfectissimè idem,prout bene notauit Pater Rada 1.p.controuers. 4. sub appendice 2. notab.3.in fine.

51. *Identitas realis aliquorum ad hunc dupliciter intelligipotest.*

Neque prætermittendam esse censeo aliam eiusdem Patris Rada solutionem quam prædicto argumento prebet ibidẽ dicens,aliqua esse eadem realiter, posse intelligi vel primo, quia sunt præcisè realiter eadem ratione tertij, in quo idẽtificantur : & ideo sublata,seu præcisa tali identitate in tertio,nullam identitatẽ habent.Hoc patet in animalitate, & rationalitate, quæ realiter identificantur in homine;& ideo in homine valet dicere,animal est rationale, & rationale est animal : præcisa tamen tali identitate in tertio, nullo modo identificantur, sed manent cum suis præcisis formalitatibus, sine eo, quod vna sit alteri eadem: quamobrem hæc est falsa, rationalitas est animalitas, aut è contra: quia præcisa, & abstracta identitate in tertio,non habent vnde identificentur.

52. Secundo vero modo aliqua sunt realiter eadem, non solum ratione tertij, cui sunt eadem: sed quia in se ipsis sunt eadẽ:atq; ideo præcisa identitate ad tertium, adhuc inter se manent realiter eadem, & hæc identitas non reperitur, nisi inter extrema, quorum vtrumque, seu alterum est infinitum. Propterea que non solum Deus dicitur sapiens, sed Deitas dicitur identicè sapientia, & sapientia misericordia : & sic de cæteris attributis.Illa ergo identitas realis perfecta dicitur, quæ non solum ratione tertij, in quo identificantur extrema: sed ratione vtriusque, seu alterius extremi (vt patet de essetia respectu attributorum, seu respectu relationum) sunt interse realiter eadem : & de hac identitate reali loquitur Doctor, dum dicit:quod quæ sunt realiter eadem perfecta, & summa identitate, omnem compositionẽ excludunt:quia vt suprà ostendimus, neutiquam cum compositione compatitur talis identitas : quia neutrum potest esse ad alterum in potẽtia:sed vtrumque est in vltima, & perfectissima actualitate. Quibus manet supra posita obiectio satis soluta.

---

§. 9.

Statuuntur quatuor conclusiones, in quibus plerumque omnes Doctores conueniunt.

HIs præhabitis,difficultatem cõcludendo,dico primo,attributa diuina verè ex natura rei realiter,& formaliter, indepẽdenter ab omni consideratione intellectus, esse in Deo.Conclusio est expressa Scoti,vt patet ex eius litera textuali in articulis 3.& 4. huius quæstionis, & statuitur contra Rabi Moysen, qui ipsa tantum virtualiter in Deo esse aiebat.Probatur ex Diuo Augustino 15. de Trinitate cap.5.vbi ait: *Si vna, eademque res in Dei natura potest esse sapientia, & potentia,aut vita,& sapientia, &c. Cur non vna, eademque res esse possit in Dei natura æternitas,& sapientia,aut beatitudo, & sapientia?* Quæ verba non solum probant attributa inuicem,&cum essentia esse eandem rem, vt ex conclusione sequenti patebit,sed ipsa esse realiter,&formaliter in Dei natura. 53 1.*Conclu* *D.Aug.*

Probatur præterea ratione: quoniam omnis perfectio simpliciter ex natura rei,& formaliter, est in ente perfectissimo:sed attributa diuina sunt perfectiones simpliciter: Deus autem est ens perfectissimum vnde quaque, quo maius, aut perfectius excogitari non potest: igitur attributa diuina sunt ex natura rei formaliter in Deo. Quod item probatur ab inconuenienti sequuto:quia si non formaliter, sed tantum virtualiter attributa essent in Deo,non aliter Deus esset sapiens, bonus, aut misericors, quàm est lapis,lignum, equs,&c. nam has creaturas,& earum perfectiones in se virtualiter continet: sed hoc non solum est inconueniens, sed absurdum nimium:ergo dicendũ est attributa nonsolũvirtualiter,sed formaliter esse in Deo. 54.

Dico

55. 2. Conclu. Dico secundo, quod attributa diuina inter se inuicem, & cum essentia, sunt summa, & perfectissima identitate realiter idem. Conclusio est de fide contra Gualterum, & Gilbertum definita, in Conc. Remense. Concil. Remensi, sub Eugenio III. teste D. Bernardo serm. in Cantica 8. his verbis: *Sicubi vero dicit Domini sapientia, Dominum sapientia sapientē, magnitudine magnum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi: credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse, non nisi magnitudine, quæ est ipse Deus magnum esse, non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternū esse, &c.*

56. D. Augus. Probat expresse D. Augustinus, loco nuper citato, & præterea 6. de Trinitate, cap. 5. hæc dicens: *Sicut autem substantia simul cum Patre, & Filio: ita & simul magna, & simul bona: & quid aliud ad se dicitur: quia non aliud est Deo esse, & aliud magnum, vel bonum esse:* sed clarius libr. 15. de Trinitate capit. 6. hæc profert: *Vna ergo eademque res dicitur, siue dicatur æternus Deus, siue immortalis siue incorruptibilis siue immutabilis.* Et lib. 6. capit. 17. ait: *Nec distat in eis ista sicut in nobis aliud est memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio, siue charitas: sed vnum aliquid sit, quod omnia valeat, sicut sapientia.* Item D. Dionisius, de diuinis nominibus cap. 5. hæc inquit: *Non aliud ipsum bonum dicimus, aliud id, quod est aliud vitam, aliud sapientiam.* Quæ verba notanda sunt: nam aliud, & aliud, alietatē naturæ, & distinctionem realem (vt sæpe diximus) denotat. Ad quem sensum etiam loquitur D. Isidorus lib. 11. de summo bono sent. 6. dicens: *Ideò Deus simplex dicitur: quia aliud non est ipse, & aliud quod in ipso est.* D. Bernar. Expressius D. Bernardus lib. 5. de consideratione prope medium, loquens de diuinis perfectionibus ait: *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sane Catholiceque, sed multa vnum: alioquin si diuersa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem, verbi gratia, dicimus magnum, bonum, iustum, & innumerabilia, sed si nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum.* Quæ verba manifestè duo ostendunt: & quidem vnitatem realem, qua in Deo omnia sunt vnum, & ex cuius oppositio non vnus, sed plures essent Dij: & plura attributa, quæ ex natura rei sunt distincta, vt ex infra dicendis in conclusione 6. patebit, quatenus ait, quod *multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè Catholicèque.* Tenent communiter hanc conclusionem reliqui Sancti Patres, pro qua videndi sunt D. Illarius, lib. 7. de Trinitate Boecius libr. 2. de Trinitate capit. 3. D. Fulgentius de fide ad Petrum, D. Anselmus Monologio, cap. 16. D. Gregorius 16. Moralium, cap. 29. D. Illarius. Boecius. D. Fulgen. D. Ansel. D. Grego.

Probatur autem ratione dessumpta ex definitione Concilij Damnantis quaternitatem in Deo: sed ex distinctione reali attributorum ad inuicem, seu ab essentia, non solum quaternitas, sed maxima multiplicitas sequeretur in Deo: ergo, &c. 57.

58. 3. Conclu. Dico tertio, quod attributa Dei inter se inuicem, & ab essentia, distinguntur plusquam ratione intellectus distincte concipientis. Hæc conclusio est Scoti in artic. 2. & plerumque cōmunis apud Theologos, quæ ex sequentibus satis patebit.

59. 4. Conclus. Dico quarto, quod diuina attributa inter se inuicem, & ab essentia, distinguntur, seu sunt non idem ex ipsa natura rei independenter ab opere intellectus. Conclusio hæc est expressa Doctoris, vt in litera patuit, & omnium Scotistarum, estque D. Bonauenturæ in 1. distinct. 5. quæstion. 1. quam D. Thomas non negauit, quinimo illam expresse asseueratin 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 3. §. *quantum ad quartum*, dum loquens de attributis hæc inquit: *Vnde patet, quod pluralitas istarum rationum non tantum est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei: & ideo pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quæ est Deus.* Quid clarius potuit D. Thom. loqui de distinctione ex natura rei inter diuina attributa & essentiam? & §. *& sic ad quartum*, hæc profert: *Pluralitas istorum nominum, non tantum ex parte intellectus nostri formantis diuersas conceptiones de Deo, quæ dicantur diuersæ rationis, sed ex parte ipsius Dei*, quem explicans Capreolus in 1. distin. 8. quæst. 4. art. 1. conclusion. 4. ait, quod causa pluralitatis rationum est non solū nostri intellectus limitatio: sed etiam Dei plena perfectio. Tenent plures ex Thomistis, scilicet, Herueus, quodlib. 8. q. 1. §. *si autem*. Caietanus de ente, & essentia cap. 6. q. 2. articulo 1. Canarienfis de Trinit. q. 28. art. 2. disp. Scotus. D. Bonau. D. Thomas Capreolus. Herbens. Caiet. Canarienf.

Bañez. 2. disput. 1. in secunda parte, Bañez prima parte quæst. 28. art. 2. dub. 3. conclusione secunda. *Zumel.* Zumel ibi sua quæst. 2. §. *quam conclusionem.* *Ægidius.* Ægidius Lusitanus primo tomo de Beatitudine lib. 5. quæst. 5. art. 6. §. 3. ex Iesuitis vero Molina prima parte quæst. 28. art. 2. disput. 2. conclusione 3. *Fonseca.* Fōseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 6. sectione 3. *Suarez.* Suarez prima parte lib. 1. de essentia Dei cap. 13. numero secundo, & quinto, & libro quarto de Trinitate, capite quarto, numero decimo quarto, & decimo quinto, & alibi, Gregorius de Valentia tomo 1. disp. 1. q. 13. punto 3. §. *nihilominus.* *Valentia.* Ex alijs autem veteribus illam tenuerunt Varronis in primo distinctione 3. quæst. secunda, *Varron.* Durand. ibidem distinctione secunda quæstione tertia num. 15. *Durand.* & plerumque omnes hodie: qui in hoc vno, cum Scoto conueniunt, quod est, distinctionem prædictā inter essentiam, & attributa, seu inter attributa adinuicem, esse secluso opere intellectus ex ipsa rei natura: licēt ab eo dissentiant in hoc, quod quidam ponunt huiusmodi distinctionem fundamentalem, quam etiam rationis ratiocinatæ vocant, alij virtualem, Doctor vero actualem, de cuius ventilatione erit sequens conclusio.

60 Hæc autem probatur primo, auctoritatibus Sanctorum Patrum: nam Diuus Dionisius de diuinis nominibus capite quarto, loquēs de diuinis perfectionibus, quæ sunt plures in Deo, & summę simplicitati illius non obstant, postquā eas enumerat, hæc ait: *In qua omnia singulariter congregata sunt, & super vnita,* & cap. quinto adidem ita concludit: *igitur omnia existentia ipsi secundum vnam omnium segregatam vnitionem sunt tribuenda.* Et paucis interiectis verbis inquit. *Omnia quidē in se ipso præhabet, secundum vnum simplicitatis excessum.* Profecto non clarius poterat Diuus Dionisius ostendere diuinas perfectiones esse plures in Deo, non cōsideratione intellectus nostri: sed ex ipsa rei natura, & ex se ipsis, ita tamen, vt earum pluralitas ob vnionem, qua vnitiuè in Deo sunt realiter idem, non possint tollere summam simplicitatem ab eo.

61 Ad hunc sensum loquitur Diuus Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 14. dum ait: *Deo hoc est esse, quod fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse: & si quid de illa simplici multiplicitate, & multiplici simplicitate dixerit,* &c. Vbi clare ostendit in Deo multiplicitatem attributorum ex ipsa rei natura, necessario concedēdam esse: licēt hanc multiplicitatem simpliceem appellauerit, & simplicitatē multiplicem; vt fateatur attributorum pluralitatem non obstare simplicitati diuinæ. In quo sensu intelligenda sunt illa verba priora, scilicet *Deo, hoc est esse, quod fortem esse,* &c. id est diuina fortitudo, seu iustitia non est aliquod esse, quod cum Deitate aliquod nouū esse componat: sed & Deum esse, & fortem esse, & iustum esse, est vnicum simplicissimum esse Dei.

Probatur hæc conclusio ratione: quoniam Deus independenter ab omni cōsideratione intellectus ex natura rei est formaliter Deus, & formaliter bonus, & formaliter sapiens, vt habetur ex prima conclusione: non autem est formaliter ex natura rei Deus, sapientia, nec sapiens Deitate, nec bonus sapientia: sed est formaliter Deus Deitate, & sapiens sapientia, & bonus bonitate: ergo independenter ab opere intellectus, ex ipsa rei natura Deitas non est sapientia, nec sapientia bonitas, nec bonitas Deitas: ergo independenter ab opere intellectus ex natura rei, aliqua distinctione distinguuntur, aut sunt nonidē. Et in hac conclusione non curamus, an hæc talis distinctio sit fundamentalis, aut virtualis, aut actualis? Sed tantūm intendimus hanc distinctionem, qualiscunque illa sit, necessario esse ex ipsorum attributorum natura, hoc est ex natura rei, independenter à consideratione, seu quocunque opere intellectus. 62

§. 10.

Statuitur quinta conclusio pro sententia Scoti, quæ probatur auctoritate.

63 DIco quinto, quod diuina attributa distinguuntur formaliter actu ex natura rei ab essentia *Quinta conclusio.*

Attributa distinguuntur ex natura rei ab essentia.

sentia, & è contra: seu sunt actu non idem formaliter, quod idem esse ex supra notatis in difficultate 54. numero 27. satis constat. Conclusio hæc statuitur contra Auctores primæ sententiæ: quæ plusquam latissimè manet probata in nuper citata difficultate 54. validissimis argumentis ex auctoritatibus Patrum, & Conciliorum definitionibus, & rationibus, quibus à numero 67. vsque ad numerum 94. probatur hæc formalis actualis distinctio inter essentiam, & relationes: quæ omnia etiam respectu attributorum militant. Ostenditur enim huiusmodi distinctionem, minimè diuinæ simplicitati obstare: nunc denuo specialiter de ipsis attributis probatur conclusio.

64

D. Damas. Ingens auctoritas Damasceni ad probandam distinctionē actualē attributorū ab essentiā.

Et primo Sanctorum Patrum authoritate. Nam Diuus Damascenus in libro primo de Orthodoxa fide capite quart. ait. *Quæcunque autem per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam insinuant. Nam si bonum, si iustum, si quidnis aliud dixeris: non naturam dicis Dei, sed ea quæ sunt circa naturam.* Quibus verbis manifestè ostendit Diuus Damascenus diuinam naturam actu formaliter ab attributis distingui: si quidem nec iustitia, nec bonitas naturam Dei formaliter includit; nec diuina natura iustitiam, aut bonitatem, sed proprietates huiusmodi ex natura rei sunt actualiter à diuina natura, seu essentia distinctæ: nam, quæ actualiter sunt circa naturam, actualiter natura non sunt. Item in eodem libro cap. nono inquit, proprijssimum Dei nomen esse *qui est* iuxta illud Exodi capite tertio: *Ego sum qui sum*, & infra, *qui est misit me ad vos.* Cuius rationem reddens inquit illam esse: quia scilicet diuinum esse est pelagus infinitæ substantiæ: cætera vero, vt cap. 4. dixerat, sunt quæ circunstant naturam. Ex quo arguitur cum Scoto, quod pelagus non est pelagus respectu sui ipsius: ergo est pelagus respectu alicuius, quod ex natura rei distinguitur ab ipso: essentia autem est pelagus omnium perfectionum attributalium: ergo perfectiones attributales ex natura rei distinguuntur ab essentia. Hanc rationem alij pluribus verbis corroborāt, sed hæc dicta sufficient, vt ex mente D. Damasceni ad conclusionis firmitatem fiat argumentum.

Item Diuus Augustinus hanc conclusionem sequentibus verbis confirmat 15. de Trinitate capite quinto. *Proinde si dicamus, æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, viuus, sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus, beatus, Spiritus, horum omnium nouissimum; quod posui, quasi tantummodo videtur significare substantiam: cætera vero huius substantiæ qualitates.* Hæc diui Augustini auctoritas ingens argumentum est ad probandam conclusionem, quo Pater Rada, & plerique ex nostratibus vehementer ad eius confirmationem, meritò sunt enixi: licèt alia eiusdem sequentia verba, secundum alios argumentum infirmare videantur. Subdit namque continuò Diuus Augustinus: *sed non est ita in illa ineffabili simplicique natura.* Ex quibus aduersarij possent inferre, Sanctum Doctorem in illis verbis oppositum docuisse, ac si diceret, quod quamuis videatur tantummodo, *Spiritum*, significare Dei essentiam, cætera vero, eius qualitates: hoc tamen in simplicissima Dei natura, non ita est.

65

Excellens est hæc D. Augustin. auctoritas.

Verum enim vero prædicta sequentia verba Diui Augustini fauorem præcedentium non minuunt, sed tantummodo Gilberti erroris occasionem perueniunt, vt ex contextualibus eiusdem Diui Augustini verbis fit notum. Cum enim in nobis iustitia, bonitas, speciosstas, &c. sint qualitates accidentales realiter inter se ipsas, & à subiecto distinctæ, vt patet nec similiter in Deo huiusmodi perfectiones res esse distinctas, si quis cum Gilberto hæretizaret, aut ex distinctione formali attributorum, ad concedendam etiam distinctionem realem inter attributa adinuicem, seu ab essentia, deciperetur: ideò supra positis verbis superaddidit ista: *sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura.* Et quod hæc sit eius genuina mens clarè patet. Nam ibidem paulò antea hæc dixerat: *Bonitas etiam, atque iustitia, num quid inter se in natura Dei, sicut in eius operibus distant, tanquam quæ diuersæ sint qualitates Dei; vna bonitas, alia iustitia?* Supple, quæ in operibus eius, hoc est in nobis, sunt qualitates realiter inter se, & à subiecto distinctæ. Et

66

respon-

respondet: *non vtique, sed quæ iustitia, ipsa bonitas, & quæ bonitas, ipsa beatitudo.* Loquens ad eundem sensum, in quo paulò antea in eodem capite dixerat: *Vna ergo eademque res dicitur, siue dicatur æternus Deus, siue immortalis, &c.* Quod in eodem cap. sæpe repetit. Cõtextuando igitur omnia verba huius capitis Diui Augustini, clarè constat ipsum posuisse distinctionem formalem actualem ex natura rei inter attributa, & essentiam, salua tamen eorum identitate reali. Nam licet asserat attributa esse qualitates, seu quasi qualitates essentiæ: ait nihilominus non esse qualitates in natura Dei, sicut sunt qualitates in eius operibus, aut creaturis; in his etenim qualitates realiter inter se, & à subiecto distinguuntur: in natura autem diuina non sic, quia etsi non sint de conceptu formali naturæ, sed quasi qualitates, quæ ipsam circunstant: & ideò distinguuntur formaliter: sunt nihilominus adinuicem, & cum ipsa natura idem omninò realiter. Quibus benè notatis satis præclara ad intentum manet prædicta Diui Augustini auctoritas: & meritò illam Scotistæ in huius conclusionis probationem adducunt: nec eius efficacia citatis verbis sequentibus aliqualiter minuitur; sed magnopere confirmatur.

67 *Insignis auctoritas D. Augustin.*

Probatur iterum eadem conclusio quadam eiusdem Diui Augustini insigni auctoritate: nam septimo de Trinitate cap. 1. ad probandum Patrem non esse sapientem sapientia genita, quæ est Verbum, sed sapientia attributali, qua est formaliter sapiens, hæc profert: *Quod si Pater qui genuit sapientiam, ex ea sit sapiens, neque hoc est illi esse quod sapere: qualitas eius est Filius, non proles eius, & non ibi erit etiam summa simplicitas: sed absit vt ita sit, quia verè ibi est summè simplex essentia.* Quibus verbis aperte determinat sapientiam attributalem esse quasi qualitatem diuinam, aliàs enim nihil ex prædicto argumento Diuus Augustinus conuinceret. Duo igitur ibi infert, primum scilicet, quod si Pater esset sapiens sapientia genita, quæ est Verbum, tale Verbum non esset proles Patris, sed eius qualitas: & ex consequenti Verbum non Filius Patris, sed qualitas eius diceretur, quod absit: quia sapientia, qua Pater est sapiens, est sibi quasi qualitas, quæ circunstat naturam, vt loco supra citato dixerat. Si ergo sapientia, qua Pater est formaliter sapiens, non esset qualitas Dei, seu quasi qualitas: non benè infert Diuus Augustinus, quod si Pater esset sapiens sapientia genita, talis sapientia genita, non esset eius Verbum, & proles, sed esset qualitas eius. 68

Item, ergo quomodo Diuus Augustinus determinat sapientiam attributalem, non esse Dei naturam, sed eius qualitatem. Secundum autem, quod infert, est aliud maius absurdum, ex eo quod Pater esset sapiens sapientia genita, scilicet, quod tunc non esset Pater summè simplex: quia sapientia genita à Patre, necessario distinguitur realiter ab eo, quia ibi necessario interuenit relatio producentis ad productum, quæ necessario distinctionem realem extremorum importat. Si ergo hæc sapientia genita esset qualitas in casu, quo redderet Patrem formaliter sapientem, vt ex dictis supponitur, & aliàs realiter esset distincta à Patre, ea ratione qua esset ab eo genita: consequenter fieret compositio Patris, & qualitatis realiter distinctæ à se, quæ compositio proculdubio tolleret simplicitatem. Quod absurdum infert Diuus Augustinus; ex alio scilicet, quod Pater esset sapiens sapientia genita. Relinquitur ergo, Patrem esse formaliter sapientem, sapientia attributali ingenita, quæ est sibi, non natura, sed qualitas, seu quasi qualitas à se actu formaliter distincta, realiter tamen eadem sibi: & ideò eius simplicitatem non tollit.

§. 11.

Probatur ratione eadem cõclusio quinta.

69 *Prima ratio pro conclusione.*

Iam ratione probatur cõclusio, quoniam impossibile est duo cõtradictoria verificari de vno, & eodem sub eadem ratione, & respectu eiusdem, aliàs enim

illud primum principium, quod contradictoria non possunt esse simul vera, esset penitus falsum. Sed de Deo verificatur actu formaliter ex natura rei, quod est Deus Deitate, & quod non est Deus formaliter iustitia: ergo iustitia, & Deitas ratione quarum verificantur illa duo contradictoria de Deo, nō sunt idem formaliter actu ex natura rei: alias enim illa duo contradictoria simul vera sunt. Quod confirmatur, & declaratur: quia si formaliter actu ex natura rei idem est Deitas, quod iustitia, ista non est magis vera in sensu formali, Deus Deitate est formaliter Deus, quàm ista, Deus iustitia est actu formaliter Deus: quod tamen, non hodie conceditur, quoniam tunc esset in Deo confusio attributorum, & essentiæ. Si ergo ista non est formaliter vera: Deus iustitia est actu formaliter Deus: ergo vel ista est falsa, Deitas est actu formaliter iustitia, & habetur intentum: vel si est vera, dantur duo contradictoria simul vera, videlicet quod Deus Deitate est Deus, & Deitate non est Deus: si quidem non est Deus iustitia, quæ est idem formaliter, quod Deitas.

70 *Secunda ratio pro conclusionis.* Probatur præterea ratione Scoti, quoniam distinctio præcedés rationem primi distinctiui, non habetur per tale distinctiuum: sed distinctio essentiæ, & intellectus, intellectionis, & volitionis præcedit ipsam intellectionem, & volitionem, quæ est primum distinctiuum eorum, quæ distinguuntur secundū rationem: ergo illa distinctio naturæ, seu essētiæ, & intellectionis, vel volitionis, non erit per intellectum: sed actu ex natura rei. Minor probatur, quoniā si nulla distinctio eorum præcederet, non magis ista distinguerentur intellectione, quā natura, seu essentia: quia quidquid distinguitur intellectione, seu intellectu, vt est omninò formaliter indistinctus à natura, etiam distinguitur natura. Quod argumentum Scoti sic declaratur, intellectus, & natura diuina, secūdum aduersarios, sunt idem actu formaliter, & tantùm distinguuntur intellectione, ita quod primum distinctiuum eorum, est intellectio Dei. Arguit ergo sic: si intellectus est idem, quod natura, seu intellectio est idem quod essentia, & primum distinctiuum attributi ab essentia, est intellectio: ergo quæ distinguuntur intellectione, distinguūtur essentia, seu natura, si quidem intellectio, & natura idem prorsus actu formaliter est: atque ideò attributa, & essentia distinguuntur natura, & ex consequenti formaliter actu ex natura rei, quod est intentum.

Quod si respondeas (inquit Scotus) consequentiam esse falsam, quia si per impossibile esset: intellectio sola per se à natura diuina separata, ipsa se sola sufficeret ad distinguendum attributa ab essentia, & ex consequenti, semper ibi manet distinctio per intellectionem, & non ex natura rei. Contra redarguit Doctor: quia hæc responsio non sufficit: quoniam quantumcunque alia per impossibile separentur, si eis separatis, aliquid competat vni, & non alteri: hoc non potest esse, nisi per aliquam distinctionem actualem formalem istius rationis formalis, à ratione formali illius: ergo si istis sic separatis per intellectum competeret distinctio intellectioni, & non naturæ, aliqua distinctio actu formalis ex natura rei, est naturæ, & intellectionis, etiam quando non sunt separata. Quod probat, nam si separetur per impossibile album ab ipso albo, non poterit haberi, quod album sit causa alicuius, quin album sit causa eiusdem: quia signato eodem albo, nulla est actualis distinctio ex natura rei inter album, & album. Ex quo sic infert Doctor, ista vtpotè attributa, & essentia, intellectione tantùm distinguuntur: ista autem intellectio formaliter àctu ex natura rei, est natura: ergo essentia, & attributa distinguuntur natura, sed omnis distinctio, qua aliqua distinguuntur natura est actu formalis ex natura rei: ergo attributa, & essentia distinguuntur actu & formaliter ex natura rei.

71 *Solutio, & eius impugnatio.*

Caietanus respondet, minorem argumenti Scoti esse falsam loquēdo de distinctione actuali formali, esse tamen verā de distinctione virtuali, seu fundamētali, & dicit, quod intellectio, & essentia pro illo priori distinguerētur distinctione rationis fundamentaliter non vero actualiter. Sed benè ipsū confutat Faber quo-

72 *Solutio Caietani, & eius impugnatio.*

quoniam argumentum Scoti concludit de distinctione actuali à parte rei: non enim sufficit distinctio fundamentalis rationis: quia si essentia, & intellectus, seu intellectio, ante actualem intellectionem, sunt idem actu formaliter ex natura rei: ergo distinctio actualis inter ipsa, non potest magis fieri per intellectionem, seu intellectum, quàm per naturam, seu essentiam: si quidem intellectio & natura, secundum ipsum, sunt actu formaliter idem.

73 *Tertia ratio pro cõclus.*

Probatur præterea conclusio alio efficacissimo argumento Scoti: nam intellectus diuinus verè cognoscit essentiam sapientem: & eius cognitio intuitiua est: vel ergo cognoscit ex parte obiecti essentiã, & sapientiam esse distinctas actu formaliter ex natura rei, vel cognoscit esse tantùm distinctas ratione, prout aduersarij volunt: & tunc sic arguit. Intellectus intuitiuus nullam habet distinctionem in obiecto, nisi secundum, quod existens est: quia sicut non cognoscit aliquod obiectũ, nisi secũdũ quod existẽs, ita cognoscit aliqua distincta formaliter in obiecto, nisi vt existentia in illo: igitur cũ intellectus diuinus non cognoscat essentiam suam, nisi intuitiua intellectione: quæcunque distinctio ponatur ibi in obiecto, siue sit distinctorum obiectorum formalium, siue diuersarum rationum causatarum per actum intellectus: sequitur quod ista distinctio erit in obiecto, vt actu existens est: & ita si ista est obiectorum formalium distinctorum: in obiecto erunt ista actu formaliter distincta: & tunc habetur intentum, quod scilicet talis distinctio actualis obiectorum formalium, præcedit actum intellectus. Si vero sit distinctio rationum causatarum per actum intelligendi: igitur intellectus diuinus causat in essentia aliquam secundam intentionem, & relationem rationis, vt existens est, quod est absurdum. Hæc Scotus.

Intellectus intuitiuus cognoscit distincta, vt existentia sunt.

74 *Quarta ratio.*

Tandem probo conclusionem, quoniam intellectus diuinus est principium productionis diuinæ, actu formaliter ex natura rei: natura autem diuina actu formaliter ex natura rei non est principium talis productionis: ergo intellectus diuinus actu formaliter ex natura rei non est natura diuina, nec è contra. Minor & consequentia sunt notissimæ: maior est ista fidei conformis, vt oppositum asserere sit temerarium, & errori proximum, prout qualificauit Suarez prima parte lib. 1. de Trinitate capite quinto numero 4. vbi dicit productiones diuinas non esse immediatè per essentiam, sed esse per actus intellectus, & voluntatis. Quam assertionem, ita inquit esse certam in Theologia, vt opinio Durandi temeraria, & errori proxima sit censenda: quia in re grauissima, & supernaturali singularis est, & aliena à sensu Sanctorum, & à modo loquendi Scripturæ: quod nos satis supra ostendimus in difficultate 48. concludentes cum omni torrente Sanctorum, & Scholasticorum, productiones diuinas non esse immediatè per naturam, sed per intellectum, & voluntatem. Ex quibus vrget amplius argumentum: nam si natura diuina, & intellectus, qui vt supra constat, est attributum illius, sunt actu formaliter idem ex natura rei, nequit aliquis actus ex natura rei formaliter competere vni, & ex natura rei actu formaliter ita negari de altero, quod oppositum asserere sit temeritas, & errori proximum: sed actus generationis diuinæ actu formaliter ex natura rei competit intellectui, ita quod actu formaliter ex natura rei, intellectus diuinus est principium generationis: & talis actus generationis actu formaliter ex natura rei negatur de essentia, seu natura diuina, ita quod asserere naturam diuinam esse immediatum principium generationis, est temerarium, & errori proximum: igitur manifestum est, intellectum, & naturam inter se distingui actu formaliter ex natura rei. De vno etenim, & inuariato omninò formaliter subiecto nequeunt duo contradictoria ita ex natura rei simul esse vera, vt sub censura temeritatis, & erroris, necessario vnum affirmetur de illo, & alterum negetur.

Quod argumentũ maximè confirmatur, quia si intellectus, & essẽtia actu formaliter ex natura rei essent prorsus idem, & sola ratione intellectus cũ fundamento saltim in re distinguerentur:

75

proculdubio ab actuali consideratione intellectus, dependeret eorum distinctio, qua cessante, omnis actualis distinctio eorum cessare, cessaret ergo intellectum diuinum esse principium generationis, & non naturam; donec intellectus actualis consideratio adueniret. Et ex consequenti ante talem actualem intellectus considerationem, verè idem prædicatum conueniret essentiæ, quod conuenit intellectui. Et ex consequenti ante actualem intellectus considerationem, tàm verum est dicere, natura diuina immediatè generat, quàm intellectus immediatè generat. Hoc tamen asserere est temerarium, & errori proximum, vt Suarez, & cæteri aduersarij confitentur: ergo ante actualem intellectus considerationem, natura diuina actu formaliter ex natura rei non est intellectus, neque intellectus natura; ac proinde attributa diuina, actu formaliter ex natura rei ab essentia distinguuntur.

§. 12.

Concluditur pro Scoto, attributa diuina inter se inuicem, esse actu formaliter distincta ex natura rei, quod probatur auctoritate, & ratione.

76 *Sexta conclusio.*

DICO sexto, quod attributa diuina inter se ipsa adinuicè distinguuntur actu formaliter ex natura rei, seu sunt non idem formaliter. Conclusio est Scoti expressa contra aduersarios, sicut præcedens. Quæ probatur primo Sanctorum Patrum auctoritate: nam adest quædam Diui Augustini illustris, quæ præsentem conclusionem demonstrat: nam ex eius veritate, aliam fidei veritatem contra Arrianorum Episcopum probat: in libro enim tertio contra Maximinum Episcopum cap. 10. vt probet Trinitatem personarum, non obstare simplicitati diuinæ, hæc ait: *Cum ergo in virtute simplici, quod est Deus, non timuisti tot commemorare virtutes. Vt enim ommittam quatuor, quas loco superiore posuisti, & alias quatuor dicam, quas enuntiare vsitatis nominibus possumus: num quid bonitas, & sapientia, & clementia, & potentia, partes sunt vnius virtutis, quam simplicem esse dixisti? si dixeris, partes sunt: simplex ergo virtus ex partibus constat, & simplex ista virtus, te definiente, simplex est Deus. Vnum ergo Deum ex partibus compositum esse dicis? Non dico, in quis. Non sunt ergo partes, & tamen quatuor sunt, & vna virtus est, eademque simplex est: si ergo in vna Patris persona, & plura inuenis, & partes non inuenis, quantòmagis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & propter indiuiduam Deitatem vnus est Deus, & propter vniuscuiusque proprietatem tres personæ sunt, & propter singulorum perfectionem partes vnius Dei non sunt.*

Attributa inter se ex natura rei distinguuntur.

D. Augus.

Hæc sunt præclara verba Diui Augustini, quibus probat Deum esse trinum, simplicem, hoc argumento: nam si in eodem Patre sine compositione partiũ sunt plures perfectiones simpliciter absque eo quod tales perfectiones ibi sint partes, vel possint habere partium rationẽ: profecto multo magis possunt esse tres diuinæ personæ in Deitate sine aliqua compositione, aut partialitate. Quod argumentum necessario supponit attributa diuina inter se ipsa esse ex natura rei actu distincta: aliàs enim nihil probaret prædictum Sancti Doctoris argumentum. Nam aut diuinæ perfectiones inter se distinguuntur actu ex natura rei, vel non? Si primum dicas, intentum nostrum habetur, & hîc finitur omnis contentio. Si vero secundum asseras, fateri debes prædictum argumentum esse omninò nullum: nam oritur das mihi. Vnde valeat hæc consequẽtia: ea quæ actu ex natura rei sunt omninò eadem, vt iustitia, & sapientia, &c. non sunt partes in Patre, nec in eo aliquid componunt: ergo nec in Deitate diuinæ personæ sunt partes, vel aliquid cõponunt, licèt realiter distinguãtur? Profectò argumentum hoc indignum esset tanti Doctoris: quoniam, non esset argumentum a fortiori, nec à simili: nam quæ tantũ ratione distinguuntur, & actu formaliter sunt eadem, nil mirum quod partes non sint, & compositionem non faciant. Compositio enim, vt supra numero

77

mero notauimus, est inter distinctas quidditates, quarum altera habet rationem potentiæ, & altera rationem actus: ea autem, quæ ex natura rei sunt actu formaliter eadem, minime possunt habere rationem actus, & potentiæ: quinimo nec habent conceptibilitates distinctas, vt circa hoc possit esse aliquod dubium. Si igitur Diuus Augustinus in hoc sensu argueret, proculdubio nihil ad intentum concluderet, quod dicendum non est. Constat igitur ipsum supponere pluralitatem attributorum distinctorum actu formaliter ex natura rei: & ex hoc quod talia sic distincta in Deo non sunt partes, nec faciunt compositionem: quod contra Maximinum demonstrat: à simili, seu à fortiori ex hoc argumento probat Trinitatem personarum in Deitate, compositionem non facere, nec ibi esse partes: atque ideò sicut pluralitas attributorum non obstat diuinæ simplicitati: sic nec Trinitas personarum diuinam simplicitatem potest destruere.

78 *Prima ratio pro sexta conclusione.*

Probatur primo ratione conclusio: nam misericordia, & iustitia in communi distinguuntur actu formaliter ex natura rei: ergo misericordia, & iustitia Dei, distinguuntur actu formaliter ex natura rei. Antecedens est verum, & negatum à nemine: consequentia vero probatur: quia si aliqua ratione misericordia, & iustitia Dei, non distingueretur actu formaliter ex natura rei, esset propter infinitatem earum: sed infinitas non variat rationem formalem rei cui aduenit, eo quod modus seu gradus intrinsecus illius est, vt patet ex supra notatis: aliàs enim albedo infinitè intensa, in ratione formali sua, ab alia albedine formaliter esset distincta: ergo non obstat infinitas distinctioni formali huiusmodi attributorum. Hoc argumentum ita aduersarios premit, vt varias eius solutiones excogitent.

Infinitas nõ variat rationem formalem essentiæ.

79 *Solutio Caietani.*

Caietanus enim libro de ente, & essentia cap. 6. consequentiam negat, ad cuius probationem distinguit duplex infinitum, illud etenim est secundum propriam rationem, aliud vero secundum quod ens, seu simpliciter in genere entis. Primũ est illud, quod non clauditur terminis suæ propriæ latitudinis, etiamsi ad talem gradum entis sit definitum. Sic albedo infinita in ratione albedinis nullis terminis clauditur, sed omnem albedinis gradum habet: est tamen in tali determinato genere qualitatis infinita. Secundum vero infinitum est, quod nullis terminis clauditur, infra totius entis latitudinem, sed omnem perfectionem essendi habet. Est tamen hæc differentia (inquit Caietanus) inter hæc duo infinita, quod scilicet primum non variat rationem formalem rei: & ideò infinita albedo non distinguitur formaliter ab alia albedine. Vnde albedo infinita, & linea infinita, nõ maiori distinctione distinguũntur formaliter, quàm albedo in communi, & linea in cõmuni: cuius ratio est: quia istarum infinitas, non attenditur nisi penes gradus perfectionales propriæ latitudinis rei determinatæ ad certum genus entis. Secundum verò infinitum rationem formalem rei eleuat ad hoc, vt ipsa sit omnis perfectio possibilis in ente, non solum secũdum rem, sed etiam formaliter: quod sibi prouenit ex eo, quod consideratur penes ea ad quæ se extendit totius entis latitudo. Ex quo prouenit, quod huiusmodi infinitas excludit omnem distinctionem, qua aliàs huiusmodi infinita absolutè poterant distingui. Respondet igitur Caietanus ad argumentum præfactum, quod licèt prima infinitas non variet rationem formalem rei; benè tamen infinitas secunda. Vnde quia infinitas attributorum Dei est hæc secunda infinitas, & non prima: ideò argumentum Scoti nihil de eorum distinctione concludit, sed eius ædificij machina ruit.

80 *Impugnatur Caietanus.*

Infinitas excludit distinctionẽ realem, non tamen formalem.

Hæc Caietani solutio argumenti difficultatem non minuit. Primo: quia ibi assumit probandum, videlicet eleuationem rationis formalis secundi infiniti, excludere omnimodam distinctionem. Verum est enim distinctionem realem excludere, eo quod infinitum ex ratione sua habet realiter secum identificare, quodcunque sibi compossibile, prout sæpe diximus, & latè docet Scotus in quodlibetis quæst. 5. At verò non excludit distinctionem formalem, eo quod nullum infinitum habet ex munere esse

formaliter identificatiuum alicuius sibi compossibilis,& hoc est,quod Caietanus probandum assumit,& non probat, atque ideò potius ruit eius solutionis machina,quàm subtilissimum Scoti ædificium.

81. *Attributa sunt infinita in genere attributorũ non in genere entis.*

Tùm secundò: quia attributum diuinum non est infinitum secundo modo, sed primo: sapientia namque est infinita non in genere entis, sed in proprio, & peculiari genere sapientiæ, prout cõmuniter tenent plures Theologi, non solùm nostrates, sed etiam ex alienis, vt patet ex Vazquio prima parte disp.103 cap.2.& disp.122.cap.7.num.19. quod debebat aduertere Caietanus: & ideò saluis rationibus formalibus attributorum, fit eorum realis idẽtificatio ex infinitate ipsorum. Sapientia enim non est formaliter infinita in genere bonitatis, sed in genere proprio: aliàs enim, non minus esset Deus formaliter sapiens bonitate, quàm sapientia: sed esset formaliter sapiens bonitate, & iustitia misericors,& misericordia iustus,&c. quæ omnia rationi,& bonæ Theologiæ contradicunt. Ita igitur manent attributa secundum suas proprias rationes formales distincta, quoad formalitates eorũ, ac si infinita non essent: ergo ita benè distinguuntur formaliter, bonitas infinita,& sapientia infinita, sicut bonitas absolutè,& sapientia absolutè:quæ consequentia manifesta est:antecedens verò patet: nam ratio formalis cuiuslibet perfectionis manet semper in quocunque gradu perfectionis illius, tám maximo,quàm infimo:& ideò sapientia infinita conseruat rationem formalem sapientiæ, sicut illam retinet quælibet finita sapientia: & ex consequenti sicut finita sapientia formaliter à finita bonitate distinguitur, sic bonitas infinita, à sapientia infinita: si ergo sapientia infinita esset formaliter bonitas infinita, proculdubio, sapientia in communi esset bonitas in communi: sicut si albedo in particulari esset linea in particulari: albedo in communi esset linea in communi: quia igitur modus rei non variat rationem formalem illius, ideò posita infinitate bonitatis, & iustitiæ,non variatur ratio iustitiæ, nec bonitatis formaliter: & ideò sicut si infinitæ non essent, distinguerentur formaliter, sic etiã posita infinitate,formaliter distinguuntur.

82 *Secunda ratio.*

Secundò præterea: quia intellectus, & voluntas in Deo sunt principia distinctarum productionum realium, & distinctarum formalitatum actu ex natura rei:ergo sunt attributa inter se actu ex natura rei distincta: antecedens est certum in omni Theologia, & fidei cõforme, quia generatio Verbi est per intellectum, spiratio autem Spiritus Sancti est per voluntatem, vt omnes Sancti Patres profitentur. Non solùm autem personæ Verbi, & Spiritus Sancti sunt realiter distinctæ, verum & ipsæ productiones formaliter se totis, vt ostensum est supra in difficultate 42. sunt distinctæ: sed maior distinctionis ratio generationis,& spirationis, prouenit à principijs,à quibus procedunt, vtpotè ab intellectu & voluntate: nam ideò prima est naturalis generatio: quia procedit ab intellectu per modum naturæ: secunda autẽ,non est naturalis,nec proinde generatio: quia procedit à voluntate:ergo si huiusmodi productiones sunt distinctæ,& distinctionem à suis principijs sumunt,a fortiori ipsa principia vtpotè intellectus,& voluntas,actu formaliter ex natura rei distinguuntur: sed intellectus,& voluntas sunt attributa Dei: ergo diuina attributa inter se ipsa adinuicem actu formaliter distinguuntur.

Processiones diuinæ realiter inter se distinguuntur.

83 *Tertia ratio.*

Tertio ratione probatur eadem conclusio, quoniam vel intellectus, & voluntas in Deo antè omnem actualem operationem intellectus sunt actu formaliter idem ex natura rei, vel non: si primum dicas, igitur sicut ista est vera actu formaliter ex natura rei,intellectus diuinus intelligit,& ista volũtas vult:sic etiam ista est vera, voluntas diuina intelligit,& ista,intellectus vult:quia quãdo aliqua sunt omninò idem actu formaliter ex natura rei,quidquid ex natura rei ineſt vni, necessariò ineſt alteri: sed nemo dicet, Deum voluntate formaliter intelligere, nec intellectu formaliter velle: ergo,&c. Si autem dicas secundum,intentum habetur. Confirmatur hæc, & præcedens ratio: nam si intellectus, & voluntas, sunt omninò idem formaliter actu ex natura rei, non mi-

minus esset vera hæc propositio, Spiritus Sanctus formaliter procedit per intellectum actu ex natura rei, quàm ista Verbum procedit per intellectum actu ex natura rei: & similiter esset vera ista, Verbum actu ex natura rei procedit per voluntatem, sicut procedit per intellectum: & ex consequenti Verbum non esset genitum: quia voluntas actu ex natura rei non est principium generandi: istæ tamen propositiones sunt apertè falsæ, & fidei contrà dicunt: igitur intellectus, & voluntas actu formaliter ex natura rei distinguũtur. Pluribus alijs rationibus probatur hæc conclusio à Doctore in litera textuali, quæ quia ibi habentur, non apponuntur iterum.

84 *Septima cõclusio. Maiori distinctione distinguũtur attributa adinuicem, quam ab essentia.*

Dico septimo, quod intra latitudinẽ distinctionis formalis ex natura rei, maior distincto est inter attributa adinuicem comparata, quàm inter ipsa attributa, & essentiã. Conclusio hæc satis patet ex notatis supra à numero 31. vsque ad 34. & hac vnica ratione probatur. Nam modus intrinsecus non variat essentiam seu quidditatem rei, cuius est modus, vt ex Scoto habetur in textu huius quæstionis quartæ, & latè ostendit Syrectus in suis formalitatibus fol. 142. sed infinitas est modus intrinsecus Dei, vt patet hîc ex eodem Doctore, & manet latè probatum in difficultate 43. ergo nõ variat quidditates attributorum: sed sapientia, & misericordia ex suis rationibus formalibus distinguuntur formaliter specificè: ergo etiam sapientia infinita, & misericordia infinita secundum suas præcisas quidditates, & formalitates, formaliter, & specificè distinguuntur. Hæc autem formalis distinctio specifica nõ datur inter misericordiam, & diuinam essentiam, sed distinctio pure formalis: quia huiusmodi, & cætera attributa dimanant ab essentia: & inter ea, quorum vnum sic dimanat, aut pullulat ab altero, datur talis distinctio pure formalis, prout notatum est supra difficultate 54. num. 33. ergo ratione huiusmodi dimanationis, vltra infinitatem, attributa realiter identificantur cum essentia, & ex consequenti minus distinguũtur ab essentia, quàm ipsa adinuicem inter se.

§. 13.

Soluuntur argumenta pro prima sententia.

AD argumenta iam pro prima sententia, ad primum desumptum ex definitione Concilij Rémensis, respondeo ex illa tantùm inferri identitatem realem dari inter attributa, & essentiam, non verò formalem, quod ex ipsius verbis clare habetur: ait enim, *credimus non nisi sapientia, quæ est ipse, sapientem esse, non nisi magnitudine, quæ est ipse, magnum esse, &c.* Quæ verba non aliud probant, nisi Deum esse sapientiam, qua est sapiens, & magnitudinem, qua est magnus. Quod nos fide firmissima cum Concilio credimus: Deus enim realiter sua sapientia est, & sua magnitudo, &c. nam omnia attributa simul cum essentia sunt eadem res, prout ex Diuo Augustino in secunda conclusione ostẽdimus: sed vnde locus, vt ex hac definitione Concilij hanc realem identitatem definientis, argumentum fiat, ad inferendam identitatem formalem? Procul dubio optimè cum definitione Concilij, & identitate reali definita in illo, saluatur formalis distinctio, quidquid Vazquez exclamet.

85 *Ad primũ.*

Ad secundum ex auctoritate D. Augustini desumptũ patet solutio ad primam & secundam sicut ad Concilium Remẽse diximus ibi loqui de identitate reali, qua vnum, & idem esse est sapientia, quod est essentia: nam in Deo non est multiplex esse, loquendo de esse absoluto, sed vnum & idem esse, prout cõclusimus supra in difficultate 45. num. 26. & in hoc sensu optimè inquit Diuus Augustinus, quod Deo idem est esse, quod sapientem esse: nec aliud est sapientia eius, aliud essentia: nec in Deo aliud est Deum esse, & aliud magnum esse: nam aliud & aliud, non conceditur in Deo, eo quod aliud dicit alietatem naturæ: in Deo autem non est alia, sed vna & eadem natura, cum qua realiter identificantur magnitudo, sapientia, & cætera attributa: hæc tamen identitas non obstat distinctioni formali, vt sæpè diximus.

86 *Ad secundum ex auctoritate Augustini*

87 *Ad tertiã autoritatẽ D. Augus.*

Ad aliam vero auctoritatem eiusdem Diui Augustini, quæ magis vrget, benè respondet Doctor in textu in art. 4. huius quæstionis quartæ solutione ad secundum, quæ solutio clare habetur ibi: illamque ponit ex ipso Doctore Pater Rada controuersia 4. solutione ad sextum argumẽtum, quæ quia habetur clare in textu, non hîc repetitur: sed redditur clarior alia expositione à nobis supra tradita in difficultate 54. nume. 70. videlicet prædictam auctoritatem, non obstare distinctioni formali attributorum ab essentia, seu adinuicẽ: sed quod in illis verbis ostendit Diuus Augustinus in Deo non esse triplicem sapientiam, aut triplicem magnitudinem, sicuti est triplex personalitas: sed sicut in tribus personis est vnica essentia, sic est vnica, & indiuisa sapientia, & vnica, & indiuisa magnitudo: licèt hæc attributa inter se, & ab essentia distinguantur. Sic enim prædictam auctoritatem, seu aliã similem concludit ibidem cap. 2. *Pater igitur, & Filius simul sunt vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia.* Facta ergo comparatione ad relationes personales ostendit, quod licèt Pater, & Filius sint vna sapientia, sicuti sunt vna essentia: nõ tamen sunt vna personalitas: quia tunc Pater esset Verbum, & Verbum esset Pater. Inquit ergo, quod Pater, non eo Pater quo Deus, nec eo Verbum, quo sapientia: quia relationes paternitatis & filiationis, sunt ex natura rei distinctæ à Deitate: etsi eo dẽ esset Pater, quo Deus, Pater eo quod est formaliter Deus, etiam esset Verbũ, & confunderentur personæ.

88 Eo tamen Pater est magnus, quo est sapiens, & eo Verbum est sapiens, quo est magnus: quia tàm Verbum, quàm Pater est ea ratione magnus, qua est Deus, & ea ratione, qua est Deus, est sapiens. Ea enim ratione qua Verbum habet cõmunicatam essentiam à Patre, qua est Deus, habet etiam sibi communicatam sapientiam, qua est sapiens, & magnitudinem, qua est magnum: quia omnia attributa sunt sibi communicata cum essentia, & ea etiam habet Pater à se, eadem ratione, qua habet essentiam. Atq; ideò in hoc sensu optimè dicit Diuus Augustinus, quod eo sapiõs, quo Deus: & eo Deus, quo sapiens, & eo sapiens quo magnus, &c. non tamen eò Pater quo Deus: quia Deitas est vna, & eadem sibi, & cæteris personis conueniens, & similiter sapientia, & magnitudo, & cætera attributa: paternitas autem sibi tantummodo, & non alteri conuenit: quia non sibi conuenit ratione essentiæ, sicuti attributa, sed ratione suppositi: & hæc est genuina Diui Augustini interpretatio, quæ nihil contra distinctionem formalem attributorum inter se, & ab essentia concludit, vt aduersarij putabant.

89 *Auctoritates D. Gregor. & D. Anselmi.*

Ad auctoritates Diui Gregorij, & D. Anselmi, & ad omnes alias, quibus aduersarij sententiam suam corroborare intendunt, respondeo similiter nihil aliud concludere nisi identitatem realẽ ratione cuius Deus est id, quod habet, habet namque sapientiam, iustitiam, lucem, veritatem, &c. & quia hæc omnia realiter sunt eadem sibi: ideò ipse est identicè sapientia, iustitia, lux, veritas, &c. & quod dicit D. Anselmus, *quod est quidquid est essentialiter*: non debet intelligi, quod quidquid est in Deo, est de essentia, aut cõceptu formali illius: quia tunc etiam paternitas esset de essentia Dei: & consequenter sicut Deus est de essentia Verbi, sic paternitas, si esset de essentia Dei, esset de essentia Verbi: & per consequens Verbũ essentialiter esset Pater, sicut essentialiter est Deus, quod est contra fidem. Intelligendus est igitur D. Anselmus, quod Deus est quidquid est essentialiter, prout essentialiter distinguitur contra accidentaliter: quia nihil est in Deo, quod accidat sibi, sicut nobis accidit paternitas, filiatio, sapientia, & iustitia. Hæc ergo, quæ in nobis sunt accidentia, sunt intrinseca Deo, & dicuntur in illo esse essentialiter, prout essentialiter excludit omne prædicatum accidentale.

Omnia, quæ sunt in Deo dicuntur essẽtialia, vt essẽtiale cõtra accidentale sumitur.

90 Ad primum argumentum ex ratione (omissis pluribus aliorum solutionibus illius maximæ, quæ est ex Diuo Anselmo desumpta, in libro de processione Spiritus Sancti cap. 3.) respondeo absolutè prædictam maximam admittendo. In diuinis etenim verum est, quod omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio; loquendo de vnitate opposita distinctioni relationum oppositarum. Distinctio autem oppositarum

rela

Ad secundum argumentum ex ratione.

relationum est realis, vtpotè que est inter Patrem, & Filium, seu inter paternitatem & filiationem: attributa autem, quæ sic relatiuè non opponuntur, non sic realiter distinguuntur: & ideò verum est, quod in Deo omnia attributa sunt vnum realiter: quia in eis nulla obuiat relationis oppositio. At qui loquendo de vnitate non opposita distinctioni oppositarum relationum, nequit huiusmodi veritati prædictę maximæ adaptari: quia simul cum vnitate reali, qua omnia attributa in Deo sunt vnum, stat pluralitas formalitatum eorum, de quibus non procedit maxima illa.

91

Ad secundum.

Ad secundum iam satis responsum est supra in difficultate 54. num. 62. & 109. distinctionem formalem relationū ab essentia minimè diuinæ simplicitati obstare: quod clarius de distinctione attributorum inter se, aut ab essentia, cōstat propter formalem infinitatem eorum. Sed exactius in hac difficultate â numero 43. vsque ad 49. de mente Doctoris ostendi, distinctionem formalem attributorum neutiquàm diuinæ simplicitati opponi: quia sicut Deus non esset magis simplex, si in vnica personâ tantùm subsisteret, quàm nunc de facto subsistens in tribus: ita non esset magis simplex, si esset formaliter idem omnibus attributis, quàm si sit formaliter distinctus ab illis: simplicitas enim, non nisi compositioni opponitur: quia ergo nulla compositio ex distinctione formali infertur: ideò non minor simplicitas ex distinctione formali, quàm ex vnitate formali haberetur.

92

Ad tertiū. Infinitas identificat realiter, nō vero formaliter.

Ad tertium dico, quòd antecedēs est falsum, & causalis illius plusquam falsa: est enim falsum, diuinam essentiam, eo quòd infinita est formaliter, hoc est in suo conceptu formali, continere formaliter omnes perfectiones simpliciter: quia de ratione infiniti secundum entitatem, seu extra genus (vt vocant) nō est identificare sibi formaliter tales perfectiones, sed realiter. Item causalis illa est falsa, etiam loquendo de identitate reali: quia non ideò diuina essentia est infinita, quia sibi identificat tales perfectiones: sed è cōuerso, causalis est vera; nempe, ideò diuina essentia identificat sibi omnes perfectiones simpliciter, quia est formaliter infinita. Infinitas enim est causa, & ratio identificandi tales perfectiones: non verò huiusmodi identificatio est causa, seu ratio infinitatis. Nec probatio sophistica ibi posita aliquid valet: quoniam non sicut fit cōparatio realis identitatis ad realem infinitatem: fit etiam comparatio formalis identitatis ad formalem infinitatem. Nam quod aliquid sit tantùm realiter, seu identicè infinitum, sibi prouenit nō ex propria entitate, sed ex identitate, qua est realiter idem alteri, quod est formaliter infinitum. Quod patet de relatione, quæ non est infinita, nisi tantùm identicè seu realiter, eo quod est realiter eadem essentiæ formaliter infinitæ: aliquid autem esse formaliter infinitum prouenit ex propria entitate independenter ab identitate alterius infiniti. Ex quo fit, quod bonitas, & est formaliter infinita ex sua entitate, & est realiter infinita ex identitate reali, qua est eadē essentiæ infinitæ, & sapientiæ infinitæ. Nunquam igitur prouenit formalis infinitas alicuius ex identitate ipsius cum altero: & ideò non valet dicere, quod ideò aliquid est formaliter infinitum: quia est alicui infinito formaliter idem: licèt benè valeat, quod ideò aliquid est realiter, seu identicè infinitum, quia est realiter idem alicui formaliter infinito.

Infinitum duplex aliud per idē titatem, aliud formaliter.

Ad quartum respondeo, quod in illis verbis essentia diuina, vt essentia est, ly *vt* potest intelligi specificatiuè, aut reduplicatiuè. Primo modo verum est, quod essentia includit omnes perfectiones essentiales, & attributales: quia eo, quod est Deus, omnem perfectionem simpliciter includit in se. Sed ex hoc non tolliter, quin ipsæ perfectiones attributales inter se, & ab essentia formaliter distinguantur: nam ad hoc vt eas sic in se includat, benè sufficit realis idē titas, qua omnia attributa sunt idem essentiæ. At vero secundo modo, hoc est reduplicatiuè, essentia includit omnem perfectionem quidditatiuam, non vero attributalem; quia reduplicatio illa reddit hunc sensum, omnes perfectiones diuinæ sunt de conceptu formali essentiæ, & hæc propositio est falsa. Essentia igitur, vt essentia reduplicatiuè non includit in suo conceptu formali perfectiones simpliciter. Nec valet, quod infers,

93

Ad quartum. Essentia diuina, specificatiuè includit attributa, non verò reduplicatiuè.

fers, quod vt sic essentia nõ esset Deus, si quidem non esset vndequaque perfectus: nam essentia ex se ipsa, præcisis omnibus perfectionibus attributalibus, est infinitè perfecta: & ideò non est minus perfecta præcisis illis perfectionibus, quàm simul cum illis: quia eminentissimè ex se est omnis perfectio attributalis, & formaliter est omnis perfectio quidditatiua, quæ non perficitur per attributales perfectiones, quinimo ipsa est, à qua omnia attributa causatiuè (vt ita loquar) habent esse formaliter perfectiones.

94 *Ad quintũ*

Ad quintum, latè respondetur supra num. 39. vsque ad 41.

95 *Ad sextũ.*

Ad sextum negatur maior: quia non omnis distinctio est relatio formaliter, sed benè suppositiuè, quia scilicet ad relationem supponitur, saltim quando ipsa relatio non constituit extrema distincta, sicuti est in diuinis personis. Imò docet Doctor, quod relatio realis prærequirit extrema realiter distincta: vnde si ipsa distinctio realis extremorum esset relatio realis, illa etiã prærequireret alia extrema realiter distincta: & illa alia, eo quod esset relatio, requireret aliã distinctionem realem extremorum, & fieret processus in infinitum. Ideòque quando quidam Scotistæ describunt distinctionem, per hoc quod sit relatio inter duo, quorum vnum non est aliud: non debet intelligi formaliter, sed præsuppositiuè, si quidẽ omnis relatio supponit distinctionem eorum, quæ referuntur, vt benè notauit Ægidius citata quæstione 5. art. 4. §. 8. num. 13. non tamen omnis distinctio est relatio: & ideò ex distinctione attributorum non inferuntur relationes reales eorum, vt intẽdebat argumẽtum. Imò, esto quod omnis distinctio formaliter esset relatio (quodiam negauimus) adhuc non inferebatur, ibi esse relationes realis: quia talis debet esse relatio, qualis distinctio: & ideò distinctio rationis non erit relatio realis, sed rationis. Sic distinctio, quæ supponit vnitatem realem extremorũ, nullo modo potest esse realis; quia sibi deficit realis distinctio extremorũ: quæ est conditio simpliciter necessaria ad relationem realem: attributa autem realiter sunt idem inter se, & cum essentia: nõ ergo realiter possunt referri. Et quia omnis relatio, vel est realis, vel rationis (nisi gratis velles etiam admittere relationem mediam, sicut datur distinctio media inter realem, & rationis) ideò vel nulla relatio inter attributa interuenit: vel siquæ esset, esset quidem non realis, sed rationis.

Distinctio omnis non est relatio, nisi præsupp positiue.

Ad septimum, quo Vazquez, more suo solito Gilberti erroris iaculo (sicut supra in difficultate 54. fecerat) nũc denuò Scotum ferire intendit, & plura alia, quæ circa hanc difficultatem cõtra ipsum sine fundamento assumit. patiẽter iuxta meæ professionis euãgelicum iugum, cũ cæteris eius, & aliorũ improperijs sufferens, ad argumentum respõdeo: & prius à Vazquio peterem, si nũc viueret, vt primo Gilberti errorem exactè intellexerit, antequam argumẽtum Diui Bernardi illum diuinitus confutantis, in Scotum aliàs beatum, sic audacter conuerteret. Dicebat ergo Gilbertus in illo damnato errore diuinitatem, & Deum realiter distingui, & ita Deum esse Deum diuinitate, à se ipso realiter distincta: & tãm diuinitatem fatebatur esse summum bonum, quàm etiam ipsum Deum. Vnde ex distinctione reali vtriusque, duo summa bona esse admittebat.

96 *Ad septimum.*

Contra hanc hæresim insurgit Diuus Bernardus in Concilio Remensi, & arguit sic: *Diuinitas non est Deus: forsitan non dignatur Deus esse, quæ tanta est, vt faciat Deũ. Sed si Deus non est, quid est? aut enim Deus est, aut aliquid, quod non est Deus, aut nihil. Et quidem non das Deum esse; sed nec nihilum quidem (vt opinor) dabis, quam vsque adeò necessariam esse Deo fateris, vt non modo absque ea Deus esse non possit: sed ea sit, quod aliquid est, quod non est Deus: aut minor erit Deo, aut maior, aut par. At quo modo minor, qua Deus est: Restat vt aut maiorem fatearis, aut parem: sed si maior, ipsa est summum bonum: non Deus: si par, duo sunt summa bona, non verum: quod vtrumque catholicus refungit sensus.*

97 *D. Bernar.*

Hoc est argumentum Bernardi, quo præclare confutatur hæresis Gilberti: sed in proposito quorsum hæc? Aut quid contra catholicissimum Doctorem Scotum æmulator iste verba Diui Bernardi assumit? Docet ne Scotus Deum, & sapientiam realiter distingui, aut duo seu duas res esse, vt de diuinitate, & Deo dogmatizauit Gilbertus? Profecto per-

98

quam

Attributa in Deo sũt aliquid, sed non aliud ab essentia.

quam sæpe profitetur Scotus hanc fidei veritatem, essentiam scilicet & attributa, idem omninò realiter esse. Impugne igitur, & perperam hæc præclara verba Bernardi contra Scotum pro argumento sumuntur. Non tamẽ ob hoc arguentis istius rationem sine solutione relinquamus: ac ideò respondeo tibi Vazquez, quod illa sapientia ante intellectus consideratione absolutè est aliquid. Rursus tibi dico, quod hoc aliquid nec est superius, ad essentiam, nec inferius ad illam, nec ei æquale: est enim aliquid, sed non aliquid aliud ab essentia: quia per aliud denotatur realis distinctio: sapientia autem est omninò realiter eadem essentiæ: & ex eo quod non est aliquid aliud ab essentia, non est aliquid superius ad ipsam: quia tunc hoc aliquid esset superius ad se ipsum. Nec propter eandem rationem, est inferius essentiæ: quia tunc aliquid sibi ipsi esset inferius. Nec est ei æquale, quia æqualitas petit distinctionẽ realem, saltim personalem, inter æqualia: non enim Pater est sibi ipsi æqualis, sed Filius Patri.

Aliud denotat distinctionem realem.

69 Nec valet si dicas, quod animal est superius ad hominem, cum quo est realiter idem: nam licèt animal prout in homine ratione tertij, in quo conueniunt, sint realiter idem: absolutè nihilominus ex se ipsis non sunt idem realiter: quia animal prout in equo, realiter distinguitur ab homine. Sapientia autem diuina, quomodolibet consideratа, est realiter eadẽ diuinæ essentiæ: & ideò quomodolibet considerata non est aliquid aliud ab essentia. Ac proinde, nec est illi superior, nec inferior, nec æqualis.

70 Sed si vrgeas, quod prout formaliter sapientia condistinguitur ab essentia, vel est aliquid, vel nihil? Dico, quod vt sic, non est nihil, nec aliquid absolutè, sed aliquid prout distinguitur contra nihil: non enim est ens, aut res, quia tũc in Deo essent plures res absolutæ, seu plura entia: & quia vt notatũ est supra numero 24 aliquid est idem, quod res, seu ens: non debet concedi absolutè sapientiam, prout ab essentia formaliter condistinctam, esse aliquid, sicut non conceditur, quod sit res, aut ens. Sed benè sicut conceditur esse entitatem, seu realitatem in abstracto: sic posset concedi esse aliquitatem, si tale nomen esset in vsu: est ergo aliquid in abstracto, sicuti est entitas, seu formalitas. Et hæc entitas, vt sic, nõ est superior, nec inferior, nec æqualis essentiæ: quia ad superioritatem, vel inferioritatem, vel æqualitatem, vt dixi, nõ sufficit formalis distinctio, sed realis requiritur. Et sic tota Vazquij machinatio euanescit.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in diuinis sit vera prædicatio formalis in abstracto vnius attributi de alio?

A. AD quintum sic proceditur, videtur, q̃ in diuinis sit vera prædicatio formalis in abstracto vnius attributi de alio: quia entitas est vnitas, vel veritas: *hæc* sunt passiones abstractè entis, & eidem sibi: *ergo, &c.*

C. Sed contra est, quia est vera identitas A. & B. absque hoc, quod A. includat formaliter rationem ipsius B. *igitur*, non sequitur est verè idem alteri: ergo formaliter idem eidem.

D. *Conclusio.* Respondeo dicendum, quod in diuinis est vera prædicatio per identatem in abstracto: & tamen non formalis. Ratio huius differentiæ est ista (vt puto) quia concipiendo abstractum vltima abstractione, concipitur quidditas absque habitudine ad quodcunque, quod est extra propriam rationem quidditatis. Sic igitur concipiendo extrema, nulla erit veritas vniendo ea, nisi præcisè quidditas vnius extremi, sit eadem quidditati alterius extremi: hoc autem non contingit in creaturis: quia ibi abstrahendo illas realitates, quæ sunt in eodem, puta realitatem generis, & differentiæ: & considerando

do eas proprijſsime, vtraque eſt finita, & neutra eſt perfectè eadem alteri: non enim ſunt modo eadem inter ſe, niſi propter tertium, cui ſunt eadem: & ideò, ſi abſtrahantur à tertio, nõ remanet cauſa identitatis eorum: & ideò nec cauſa veritatis propoſitionis vnientis extrema illa. Hæc igitur eſt falſa animalitas eſt rationalitas, & è conuerſo, & hoc quacunque prædicatione: quia non tantùm extrema non ſunt formaliter eadem: ſed nec verè eadem. Quidditas enim hæc præciſe eſt potentialis ad quidditatem illam: & non eſt eadem illi: niſi propter identitatem ad tertium, à quo abſtrahũtur: ergo abſtractio illa tollit cauſam veritatis affirmatiuæ vnientis ea.

D. Oppoſitum eſt in Deo: quia abſtrahendo ſapientiam à quocunque, quod eſt extra rationẽ ſapientiæ, & bonitatem ſimiliter abſtrahendo à quocunque, quod eſt extra eius rationem formaliter, remanet vtraque quidditas præciſe ſumpta formaliter infinita. Et ex quo infinitas eſt ratio idẽtitatis eorum, facta tali abſtractione Pręciſiſsima, remanet ratio identitatis extremorum: non enim hæc erant eadem præciſe propter identitatẽ eorum ad tertium, à quo abſtrahũtur, ſed propter infinitatem formalem vtriuſque.

E. Et quod iſta ſit ratio prædicationis per identitatem, ſignum eſt, ex hoc quod non cõceditur iſta, paternitas in diuinis eſt ſpiratio actiua: neque vt vera formaliter, neque vt vera per identitatem. Neque paternitas eſt innaſcibilitas, & è conuerſo: ſicut iſta conceditur paternitas eſt Deitas, & è conuerſo: & ratio videtur, quia abſtrahendo paternitatem, & innaſcibilitatem ab eſſentia, ſiue à ſuppoſito, neutrum eſt formaliter infinitum: & ideò neutrum in ſua ratione ſic abſtractum includit rationem identitatis eius ad alterum: & ideò neutrum ſic abſtractum de altero verè prædicatur. Sed ſic abſtrahendo Deitatem, & paternitatem quantumcunque remanet adhuc alterum extremum formaliter infinitum, quæ infinitas eſt ratio ſufficiens identitatis extremorum: & ideò remanet ratio identitatis eorum: & perconſequens ratio veritatis compoſitionis affirmatiuæ. In iſta autem, Deitas eſt bonitas, remanet infinitas, non tantùm in vno extremo: ſed in vtroque: ideò eſt hic veritas per identitatem incluſam virtualiter in vtroque extremo.

F. Exiſto, & reſponſione ad dictum Auguſtini prius adductum, in ſecunda dubitatione, patet illud, quod ſupponebatur prius in quæſtione de genere, in reſponſione ad argumenta ſecundæ opinionis *artic.* 5. quomodo ſcilicet maneant tantùm duo modi prædicandi in diuinis: quia etſi per identitatem relationes tranſeant in eſſentiam, ſiue ſubſtantiam: tamen non ita ſicut prædicata eſſentialia: quia omnia eſſentialia magis dicunt perfectiones ſimpliciter quidditatiuas. Ratio autem perſonalis non dicit perfectionem quidditatiuam: & ideò omnia eſſentialia magis reducuntur ad vnum modum prędicandi inter ſe, quàm perſonalia reducantur ad vnum modum prædicandi cum eis. Et ſecũdum hoc poſſunt dici duo modo prædicandi manere in diuinis: non tantùm propter modos concipiendi ipſa prædicata: ſed aliquo modo propter realitatem eorum, quæ prædicantur.

Quæ eſt in ſecundo argumẽto præcedentis articuli.

G. Ad argumẽtum *patet, quod* ex quo infinitas eſt ratio identitatis eorum facta abſtractione præciſiſsima in diuinis, remanet ratio identitatis extremorum, *vt dictum eſt.*

Expo-

Expositio artic. 5. quæst. 4. distinctionis 8.

1 LITERA huius articuli, & æquè clara, atque præclara, in qua ostendit Doctor inter attributa ad inuicem fieri prædicationes in abstracto vnius de altero: non quidem loquēdo de prædicatione formali; sed de identica. Cuius rationē reddit à priori, quoniam ratio identitatis in Deo est infinitas: & quia omnia attributa sunt formaliter infinita, hinc etiam quacúque abstractione, quantumuis præcisissimè facta, remanet inter ea ratio identitatis: & ideò sapientia est identicè bonitas, & iustitia est misericordia. Per hanc regulā excludit Doctor à ratione veræ prædicationis eā, quæ fieret inter relationes in abstracto acceptas: cum etenim relationes diuinæ formaliter infinitæ non sint (vt ex dicendis in difficultate sequenti suppono) non manet in eis aliqualis ratio identitatis, facta abstractione à tertio in quo conueniunt: atque ideò licèt hæc in concreto, Pater est spirator sit vera: hæc tamen etiam identicè loquendo est falsa, paternitas est spiratio. Quod in attributis non contingit, quia non solùm hæc est vera, sapiens est bonus: sed etiā ista est vera, sapientia est bonitas, saltim identicè.

Attributa adinuicem identice prædicātur.

Relationes diuinæ, nec identice ad inuicē prædicātur.

2 Hoc autem, quod est infinitatem esse rationem identificandi in Deo, & nullā aliam identitatis rationē reperiri inter attributa abstractè sumpta, optimè illustrat Lychetus in hac dist. quæst. 3. §. *ad quæstionem*: docet hoc idem Scotus in quodlibetis quæst. 5. art. 2.

Lychetus. Scotus.

3 Sed numquid in schola eorum, qui relationes diuinas formaliter infinitas esse constituunt, erit ne vera hæc prædicatio, paternitas est spiratio: si quidem ibi non est minor ratio identitatis, quàm inter attributa: eo quod (secundum ipsos) est in relationibus non minor infinitas formalis, quàm in attributis?

4 Ad hoc respondeo, certum esse in omni schola Theologica, præsertim Scotistarum, & Thomistarum, prędicationem prædictam vnius relationis de altera in abstracto, esse falsam: huius attamen falsitatis rationem, diuersam vtriusque ctà sis reddunt Doctores. Diuus enim Thomas prima parte quæst. 40. art. 1. ad primum, & quæst. 39. art. 5. & alibi, videtur hanc rationem reducere ad diuersum modum significandi: atque ideò licèt in loco citato quæstionis 40. concedat paternitatem, & spirationem actiuam esse eandē rem: & aliàs videatur tenere prædictas relationes esse formaliter infinitas: non tamen videtur aliunde posse sumi falsitatem prædicationis istius, paternitas est spiratio, stante veritate huius, Pater est spirator: nisi ex diuerso modo significandi vtriusque, qui sufficeret ad diuersam qualitatem prædicationis: sicut hæc in concreto est vera, Deus generat, & hæc in abstracto est falsa, Deitas generat. Hoc idem videtur asserere ipse D. Thomas quæst. 32. art. 3. ad tertium, dum inquit: quod relationes perditæ non prædicātur de se inuicem: quia significantur, vt diuersæ rationes. Quæ verba varios modos significadi indicat, non tamē distinctionem rationis, prout ibi Vazquez explicuit disp. 138. cap. 3. sequens Caietanum. Sed quidquid sit de vera intelligentia mentis Doctoris Angelici, curent Thomistæ difficultatem vero præsentem, hac vel forsan alia ratione, possent Thomistæ (stante infinitate relationum) euadere. Sed hāc improbat Doctor in textu, dū inquit litera F. modos formales, seu identice prædicationis, qui sunt in diuinis, *esse non tantum propter modos concipiendi ipsa prædicata, sed aliquo modo, propter realitates eorum quæ prædicantur*.

Supposito ergo in via Scoti infinitatem esse rationem identificandi, ratione cuius fit prædicta prædicatio vera: quærit Lychetus in citata quæst. 3. huius 8. distinct. sub §. *occurrit tamen difficultas*, quare infinitas sit præcisa causa, & ratio, qua abstractum vltima abstractione, possit de alio vltimate abstracto, identicè prædicari & verificari? quod accutissime soluit ennixus verbis Scoti, dicens: hoc ideò esse, quia si illud, quod ponitur formaliter in ente infinito, non transiret in perfectam identitatem realem: non posset euadi à ratione compositi ex actu & potentia; & sic infinitum posset aliquo modo habere rationem partis, quod est contra rationem infiniti. Patet ergo, quod omne ibi existēs sit

5

illi

illi perfectè idem, non identitate formali, sed identitate reali: quia ergo includit omne, quod natũ est de ipso verificari perfecta identitate reali: ideò ibi conceditur prædicatio identica. Hactenus Lychetus.

6 Verum enim verò contra nostram sententiam domesticum, sed maximè vrgens, argumentum consurgit: nam ex litera textuali, & ex eis, quæ nuper supra literam adnotauimus, constat infinitatem esse ratione identitatis in Deo: quæ vbi interuenit, identificat: & ex eo quod idẽtificat extrema, fit inter ea idẽtica prædicatio, etiam si talia extrema sint vltimatè abstracta: ex quo fit vt hæc sit identicè vera, bonitas est sapientia. Sed etiam si relationes diuinæ infinitæ non sint (vt vult Scotus) adhuc secundũ ipsum inter Paternitatem & spirationẽ actiuã datur realis identitas: aliàs enim essent in Deo quatuor relationes realiter distinctæ: ergo hæc talium relationũ realis identitas est sufficiens, vt hæc sit prædicatio identicè vera, Paternitas est spiratio, & è cõtra: sicut de atributis conceditur. Nõ igitur ex sola infinitate prouenit realis identitas: vel non sufficit sola realis identitas ad prædicationem identicam: atq; ideò, vel hæc est etiam identicè falsa, sapientia est bonitas: vel hæc est vera identicè, paternitas est spiratio: si quidem vtrobique eadem realis identitas reperitur; quæ omnia destruere videntur doctrinam literæ textualis.

7 Profecto huius subtilis argumenti efficacia non minimè premeret: si eius difficultas à sapientissimo Lycheto nõ præextitisset ibidem subtiliter explorata. Ad cuius solutionis intelligentiam, est considerandum, duplicem esse identitatem realem, aliam videlicet prouenientẽ ex præcisa entitate extremi identificatiui sibi alterum extremum: aliam vero, quæ prouenit, non ex ipsa entitate talis extremi identificatiui, sed ex alia ratione accidentaliter sibi aduenientẽ: hoc est, quia est extra eius entitatem, & modum intrinsecum. Exemplum primi patet in ente infinito, quod ex eo quod ex sua entitate est formaliter infinitum, identificat sibi quodcunque secum compossibile: atque ideò etiam circunscripto omni alio, quod est extra rationem suæ entitatis: adhuc semper identificat sibi illud tale secum compossibile, eo quod circunscripto omni alio, quod est extra rationem suæ entitatis: adhuc manet formaliter infinitum, de cuius ratione est sic sibi identificare quodcunque secum compossibile. Ex quo prouenit, quod attributum quodlibet identificat sibi realiter alterum attributum, imò & relationem, & quodcunque esse, quod est in Deo: quia quodlibet attributum, ex sua entitate est formaliter infinitum.

Exemplum secundi patet in humanitate, & risibilitate: quæ licèt sint realiter eadem, sicut etiam anima rationalis, & intellectus, seu voluntas, non tamen hæc identitas sibi prouenit ex ipsa entitate humanitatis aut animæ: nam humanitas, vt considerata in vltima abstractione, non habet ex sua entitate, quod identificet sibi realiter risibilitatem: sed si ponitur risibilitas, realiter eadem humanitati: hoc ideò est, quia humanitas est causa risibilitatis, & causa quasi receptiua illius. Est enim impossibile hominem esse sine risibilitate: non quod id repugnet homini per locum intrinsecum, ratione suæ humanitatis, & entitatis: sed propter hoc, quod necessario causat in se talem passionem per physicam emanationem. Similiter cum Lycheto de anima intellectiua dico, quod entitas eius, vt talis entitas, non habet vnde identificet sibi realiter intellectum, & voluntatem: sed quia intellectus, & voluntas, necessario pullulant ex anima, & in anima: ideò realiter identificantur cum illa. 8

At qui de bonitate, aut sapientia diuina aliter est dicendum: nam bonitas diuina ex sua entitate includit verè formaliter infinitatem, vt gradum intrinsecum sui, & ratione infinitatis realiter sibi identificat quidquid sibi competere potest. Si autem infinitas circunscriberetur à bonitate, non haberet vnde sibi realiter identificaret sapientiam: quia sapientia non dimanat, aut pullulatà bonitate, sicut risibilitas ab humanitate, & intellectus ab anima: ergo identitas attributorum non est, quia vnum est causa à qua alterum pullulat, seu dimanat: sed quia quodlibet ex sua infinitate, 9

eo

eo quod secundum suam entitatem est formaliter infinitum, identificat sibi quod cunque secum compossibile.

10. Nec obstat, quod omnia attributa, & relationes suo modo pullulant ab essentia: nam esto per impossibile omnis ratio pullulationis, & causationis circunscriberetur ab essentia: adhuc tamen, stante ratione formali infinitatis illius, perfectissimè sibi identificaret quidquid in ea esse potest. Non etenim est præcisa ratio identitatis pullulatio illa, aut causatio: sed formalis infinitas intrinseca, de qua hic loquimur, licet etiam talis pullulatio, seu causatio, aliunde sit ratio identitatis, vt in exemplis de humanitate, & risibilitate, seu de anima, & intellectu, visum est.

11. Est tamen hæc differentia inter has rationes identitatis: quod illa, quæ ex infinitate tanquam ex proprio modo intrinseco est, provenit ex propria entitate: illa vero, quæ est ex pullulatione à causatione prædicta, est ex aliquo accidentaliter extrà propriam entitatem proueniente. Vtraque ergo ista duplex ratio identificandi, est in essentia diuina respectu omnium, quæ sunt in ipsa. Prima quidem: quia formaliter est infinita. Secunda vero: quia est quasi causa, à qua cætera pullulant, seu dimanant. Inter attributa vero, non illa vtraque ratio identitatis, sed tantum altera reperitur: quatuis enim ob formalem infinitatem boni tas identificet sibi sapientiam: non tamen vna ab altera pullulat.

Differētia inter duplicem identitatē assignatam.

12. Ex hoc ad propositum dico, quod spiratio actiua quodammodo pullulat à Paternitate, quatenus, scilicet, spiratio necessario præsupponit Paternitatem in Patre, sicut actus voluntatis supponit actum intellectus, & ab illo saltim, tanquam à causa sine qua non, procedit (quem pullulationis modum suppono vsque ad proprium locum.) Hæc igitur ratio causationis, seu pullulationis spirationis, videlicet, à Paternitate in Patre, est ratio identitatis realis vtriusque in Patre; non autem formalis infinitas, cum neutra talium relationum sit formaliter infinita: atque ideo Paternitas non identificat sibi spirationē actiuam ex vi suæ entitatis, sed ex prædicta pullulatione, quasi extrinsecè sibi adueniente in Patre, eo quod vtraque est in Patre: & vna necessario supponit alterā, à qua prædicto modo quasi dimanat: & hæc non identificantur nisi in Patre, prout in Patre.

Spiratio, & Paternitas, cur in Patre idē tificentur?

Quibus prænotatis, facile ad supra positum argumentum respondeo, quod 13.
quandocūque inter aliqua extrema reperitur prima ratio identitatis, scilicet, ex propria entitate proueniens: tunc fit prædicatio identica ad inuicem, dicendo, Deitas est bonitas, bonitas est sapientia, seu è contra, essentia est Paternitas: &c. Quia vtrumque, seu saltim alterum extremorum, est formaliter infinitum. Quando verò inter extrema non mediat prima, sed secunda ratio identitatis, vt pote ab aliquo extra entitatem proueniente, ibi nō fit talis prædicatio: & ideo stante huiusmodi identitate reali, adhuc non sequitur identica prædicatio, vt patet in prædictis exemplis: quia ista valet, humanitas est idem realiter risibilitati: non tamen ista (vt notauit Lychetus ibi) humanitas est risibilitas: sicut nec ista, anima est intellectus: sic in præsenti valet, Paternitas est eadem realiter spirationi: non tamen valet, Paternitas est spiratio.

Et ratio à priori est: quia in his, in quibus est secunda ratio identitatis, fit abstractio ab omni ratione identificatiua, manentibus entitatibus identificatorū sine identificatione: quia abstracta causatione, seu pullulatione vnius ab alio, remanent entitates humanitatis, & risibilitatis, sine aliqua identificatione. Atqui in eis, in quibus est prima ratio identitatis, non potest abstrahi entitas formaliter infinita à suo modo intrinseco infinitatis: propterea que necessario concipitur attributum realiter identificatiuum, sicut necessario concipitur formaliter infinitum: Paternitas vero, aut spiratio non sic, vt vidimus. Et ideo hæc est identicè vera, bonitas est sapientia; hæc autem est identicè falsa, Paternitas est spiratio actiua. 14.

DIFFICVLTAS. LXVIII.

Vtrùm relationes diuinæ sint perfectiones formaliter infinitæ?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ, cum 1. sencia Gabrielis, & aliorum.

1. SÆPE alibi tangit Doctor præsentem controuersiam: sed supra huius articuli literam, eo quod hic sub litera F. expresse illam concludit, venit commodè ventilanda. Tria tamen huiusmodi difficultas inuestigat, primum, scilicet, an relationes diuinæ, vt potè Paternitas, Filiatio, & spiratio, tam actiua, quã passiua aliquam perfectionem importent? secundum vero, an hæc perfectio sit formaliter infinita? tertium tandem an relationes, quę realiter distinguntur, vnam tantum perfectionem infinitam: an vero tres perfectiones infinitas realiter distinctas, importent?

2. Et quidem relationes diuinas habere infinitam perfectionem in Deo, nemo sanę mentis poterit dubitare: quia quidquid est in Deo, est vnum esse Dei, & hoc vnum esse Dei infinitum est: & hac ratione relationes diuinas infinitas esse est certum. An autem hæc infinitas, & perfectio sit tantummodo ipsa infinitas, & perfectio essentiæ, quæ relationibus conuenit ratione identitatis realis, cum illa tamen vero ipsæ relationes secundum suos formales conceptus, prout ab essentia sunt, vel concipiuntur distincte, sint perfectiones: aut ex suo formali conceptu dicant perfectionem, & infinitatem, nec ne? hoc est, quod præsens difficultas inuestigat.

Relationes diuinæ habent infinitam perfectionem.

3. Circa quam difficultatem satis partita est acies Theologorum. Quidam namque concedunt huiusmodi relationes non solum perfectionem, & infinitatem formaliter importare: sed tot perfectiones infinitas relatiuas realiter distinctas esse in Deo, quot sunt in eo relationes distinctæ realiter: & ideo non dubitant admittere Paternitatem, & Filiationem, & spirationem passiuam, esse tres perfectiones distinctas realiter. Huius sententiæ primus Auctor videtur fuisse Gabriel in 1. dist. 7. quæst. 3. ar. 3. quẽ inter alios recentiores sequuntur Suarez 1. p. lib. 5. de Trinit. c. 2. num. 5. vbi inquit, tres illas relationes realiter inter se distinctas, tales esse, vt vna quęq; propriam perfectionẽ in suo genere incommunicabiliter includat, quod expressius, & latius tenet lib. 3. c. 9. num. 19. sed ibi tantũ concedit esse perfectiones distinctas. At vero c. 10. n. 8. expresse tenet huiusmodi perfectiones esse infinitas, non in genere entis, sed in genere proprio: atq; ideò nõ dubitat tõcedere tres perfectiones, & infinitates realiter distinctas in Deo. Tenet etiam hanc sententiam Greg. de Valent. 1. tom. disp. 2. q. 2. punct. 1. §. *Videtur mihi*, vbi inquit relationem diuinã, formaliter, vt relatio est, esse simpliciter infinitã perfectionẽ. Et in solutionibus primi, & secundi argumenti absolutè concedit plura infinita respectiua esse ex eo, quod sunt plures relationes formaliter infinitæ. Probat Suarez hanc sententiam quibusdam argumentis: & primo quidem relationes secundum suos proprios conceptus dicere perfectionẽ, quod probat ex principijs Metaphisicæ: quia, scilicet, bonum conuertitur cũ ente reali, relatio autẽ vera, & realis quæ intrinsecè talis est secundũ totã suã rationẽ, etiã specificã, secundũ quam aliud respicit, est verũ ens reale, & forma realis: ergo est formaliter bona, & formaliter perfecta: si quidem omne ens reale, bonum, & perfectũ est.

Gregor. de Valent.

1. *Argum.*

4. Secundo probatur specialiter de relationibꝰ diuinis: quia incredibile est mysterijs Sanctissimæ Trinitatis, vt tale est, nullã perfectionẽ ponere in Deo: cur enim esset illa multiplicatio personarũ in ente summe perfecto illarũ quatenus tales sunt, & nulla perfectio esset? Deinde quia nihil potest esse magis imperfectũ in se, & absolutè spectatum, quàm id, quod nullam dicit perfectionem: quia imperfectio non est positiuum quid, sed carentia perfectionis: si ergo Paternitas, vt sic nullã perfectionẽ affert, profectò valdè imperfecta est. Sed dices, imperfectionẽ nõ esse quancũque negationẽ perfectionis: sed negationẽ perfectionis debitæ ineſſe: Paternitati autẽ, aut Filiatiꝯ diuinæ nullã deberi perfectionẽ, secũdũ propriã rationẽ: & ideo negationẽ perfectionis in tali entitate, perfectionẽ nõ esse. Cõtra, quia nulla maior videtur imperfectio in aliquo ente, quãq; tale ens sit incapax perfectionis, & q; ei tecũdum propriã rationẽ nulla debeatur perfectio. Vel igitur fateri debes relatiõnes

nes diuinas imperfectionem includere, secundum propriam rationem, vel secũ dum se formaliter esse perfectas.

5. Tertiò, arguitur ex eo, quod relationes diuinæ sunt subsistentes: subsistentia enim magna perfectio est. Vel ergo diuinæ relationes sunt formaliter perfectæ, vel subsistentes non sunt. Nec valet, si dicas relationes dicere perfectionẽ essentiæ, & non propriam, licet sint subsistentes: Nam relationes diuinæ sunt subsistentes, nõ solum ratione essentiæ, sed etiam rationibus propriis, & ideò in tribus personis sunt tres subsistentiæ personales: quidquid autem personale est, relatiuum est: ergo sunt tres subsistẽtiæ relatiuæ: ergo relatio diuina secundum propriam rationem subsistens est: sed subsistentia ex se formaliter est perfectio: ergo relatio secundum propriam rationem relationis formaliter dicit perfectionem.

6. Quartò, quoniam diuina essentia ex sua infinitate communicabilis est realiter multis suppositis: ergo illa communicabilitas est magna perfectio in tali natura: ergo habere etiam suppositum, in quibus sit, pertinet ad cõnaturalem statum talis naturæ: ergo ipsa suppositum, in quibus est illa natura, quatenus talia sunt, aliquam dicunt perfectionem entitatiuam: nam communicari suppositis nullam afferentibus perfectionem, non videtur ad perfectionem pertinere, neque esse conueniens naturæ summe perfectæ. Si ergo ipsa suppositum secũdum propias rationes dicunt perfectionẽ: proculdubio relationes, quæ sunt propriæ rationes constitutiuæ eorum, formaliter dicunt perfectionem.

7. Quintò, nam si Pater, vt Pater, non dicit perfectionem, nec bonitatem: consequenter sub ratione propria Patris amabilis non est. Nec valet, si respondeas, sufficere ad infinitam amabilitatẽ, quod sit specificatiuè bonus, & perfectus ratione essentiæ, quam formaliter includit: licet reduplicatiue ratione Paternitatis specialiter amabilis non sit: nam hoc est magnum absurdum, cum in illis diuinis personis etiam secundum proprias rationes, & personalitates sit maxima pulchritudo, & decor. Quod confirmatur: quia in Christi Domini humanitate fatemur personam verbi esse maximum bonum illius humanitatis, ea ratione, qua terminat eius dependentiã: sed terminat illam per suam proprietatem personalem: ergo, &c.

8. Esse vero hanc perfectionem relatiuam in qualibet relatione, ac propterea esse in Deo tres perfectiones relatiuas realiter distinctas, probat idem Suarez, num. 19. Pro quo sit sextum argumentum: nam quæ sunt personalia, sunt propria: quæ autem propria sunt, multiplicantur in personis, quatenus talia sunt: ergò cum relationes diuinæ sint personales, & earum perfectiones, multiplicatis relationibus in Deo, multiplicantur etiam perfectiones, & sunt realiter distinctæ in illo.

9. Septimo: nam si perfectiones sunt relatiuæ, includunt oppositionem: quia perfectio Paternitatis consistit in hoc, quod subsistat in ordine ad Filium, & è contra perfectio Filiationis, quod subsistat in ordine ad Patrem: sed oppositio in diuinis causat distinctionem realem: ergo perfectiones talium relationum oppositarum realiter distinguntur.

10. Huiusmodi autem perfectiones relatiuas, esse formaliter infinitas, probat idem Suarez, cap. 10. num. 8. quia intellectus diuinus præcisè conceptus, dicit perfectionem infinitam in ratione intellectus, in qua non includit formaliter perfectionem voluntatis, maximè secũdum Scotum, qui hæc attributa formaliter distinguit: & quamuis in re ipsa includat illam ratione infinitatis simpliciter, & in genere entis: non tamen ex vi propriæ, ac formalis infinitatis: ergo nõ inconuenit relationes diuinas plures perfectiones infinitas importare: ita vt Paternitas non includat infinitatem Filiationis, nec spirationis, nec è contra.

§. 2.

Refertur secunda sententia Caietani, & aliorum Thomistarum.

11. SEcunda sententia admittit, relationes dicere perfectionem infinitã, hanctamen non esse multiplicem, sed vnam, & eandem. Quam sententiam tenent plures tam Nominaliũ, quam Thomistarũ, quam etiã Iesuitarũ. Diuersimodè tamen illam alij, & alij ex-

2. Sentent.

plicant. Ioannes enim Maior ex Nominalibus in 1.dist.33.quæst.1.ad secundū illam defendit fretus illo cōmuni principio, Patrem, scilicet, non esse Filio perfectiorem: & ideo nullam perfectionem, etiam Filiationis, sibi deficere. Reliqui vero etiam (vt fugiant tale principium, & argumentum Scoticum, circa illud, quod, scilicet, ex eo quod relationes dicant perfectionem, necessario quælibet, vt ab alia distincta, distinctam perfectionem dicit, & tunc aliqua perfectio est in Patre, quæ non est in Filio) varios modos dicendi cōfingunt: sed argumēto oppresi cōueniunt in hoc, quod nō dicūt plures perfectiones, sed vnā & eādē.

Ioan. Maior.

12. Caietanus enim 1.p.q.28.art.2. distinguit relationem, prout dicit *in*, & prout dicit *ad*. Primo modo inquit relationes perfectionem dicere: secundo vero modo, nec perfectionem, nec imperfectionem. Sed 3.p.q.3.art.1.§. *ad horum euidentiam*, post quam concedit relationes diuinas perfectionem infinitam formaliter sub ratione propriæ relationis dicere, eo quod sub ratione propria relationis quælibet est subsistentia: negat tamē ex inde sequi plures esse perfectiones earum, sed ait esse vnam, & eandem, quæ est perfectio essentiæ: & sic putat argumentum Scoti solutum manere. Hunc ferè modum dicendi sequitur Canariensis de Trinit.q.28.art.2.disp.3.p.2.in argument. 4. post conclusionem, Zumel vero 1.p.q.28.ar.2.sua disp. 5. & si concedat relationem dicere suam propriam perfectionem, sicque esse tres perfectiones formaliter, seu tātum ratione distinctas: nihilominus ibi §. *an vero*, concludit contra Gabrielem, non tres realiter distinctas perfectiones, sed vnicam tantum esse in tribus relationibus, Bañez ibidem postquam in conclusione 3. sui Commentarij tenet omnem relationē tam creatam, quam diuinam formaliter esse perfectionem in solutionibus argumentorum §. *ad secundum*, cōcedit, quod Paternitas diuina includit intrinsece substantiam diuinam, quæ est infinita perfectio, & quæ est ipsa filiatio diuina: & ad hunc sēnsum ait eandem perfectionem, quæ est in Patre, esse in Filio. Vazquez autem 1.p.disp.122.cap.6. tenet diuinas relationes ad perfectionem Dei pertinere: non tamen esse tres perfectiones reales etiam relatiuas, nec aliquam perfectionem realem esse in vna persona, quæ non sit in alia.

Caietanus.

Zumel.

Bañez.

Vazquez.

13. Distinguit tamen ad suæ sententiæ intelligentiā duplicem perfectionē: & ait quod prima est rei integritas, in qua cōsistit formaliter passio entis, quæ est bonitas, & perfectio, & ideo dicitur bona, & perfecta res illa: quæ est integra. secūda autem perfectio dicitur quicquid ad integritatē entis perfecti pertinet. Quibus notatis, §. *Deinde*, cōcludit, quod loquendo de perfectione prima, vnica tātū perfectio realis relatiua est in tribus relationibus: quia tantū est in Deo vna integritas: si vero de secunda sit sermo, nō sunt in Deo tres perfectiones reales: sed solū tres perfectiones secundū rationē, & si tres relationes realiter distinctæ sint concedendæ: in quo à Zumelio nō discedit. Sententia igitur hæc sic diuersi modè ab eius autoribus explanata, in hoc vno est concors quod est ponere relationes diuinas dicere in suo conceptu formali perfectionem infinitam: non tamen multiplicari huiusmodi perfectionem, sicut multiplicatur relatio: & ita non esse tres, sed vnicam tantum.

14. Sic exposita hæc secunda sentētia dupliceé habet partē, primā, scilicet, quod relationes diuinæ sunt formaliter perfectæ, & infinitæ. Hanc probāt priora quinque argumenta præcedentis opinionis, & insuper alia quatuor sequentia, quibus alij probant infinitā perfectionem relatiuā: quæ pars, quia vtriq; communis est, non minus in hac, quā in illa pro earū confirmatione iterum probatur: vt si quid plus difficultatis sequētia quatuor argumenta includunt, sine solutione nō maneant. Secundā vero huius sentētiæ partē probāt eius auctores, nō aliter, quā fugiendo argumentū Scoti, quod principaliter ipsi assumunt, vt illā probent, ex eo videlicet, quod sequeretur aliquā perfectionē esse in Patre, quæ repugnat esse in Filio: & cōsequenter, Filiū esse sine taliperfectione imperfectū. Atqui hoc idē Scoticū argumētū infra contra illos cōuertā: vel enim illo oppressi fateri debēt relationes diuinas nullā perfectionē formaliter dicere: vel illa omnia in cōuenientia, quæ cōtra auctores primæ sentētiæ retulimus, manifestè ex hac sua secūda sētētia adhominē cōtra ipsos sequi ostēdam:

quia

quia igitur pro huius secundæ partis probatione, nullum speciale argumentum ponunt eius auctores, vtra argumenta Scoti, quæ infra nostras conclusiones confirmant: reddēdo ad primam partē, probatur iterum hæc sententia.

15. Et primò: quia intellectus diuinus, & quodcūque aliud attributum, etiam formaliter, vt ab essentia distinctum, est formaliter infinitum: sed hoc non aliunde sibi prouenit, nisi quia dimanat ab essentia, quæ est primo infinita, & est idem realiter ei: sed diuinæ relationes non minus dimanant ab essentia diuina, quā attributa, & cum illa realiter identificantur, sicut attributa: ergo diuinæ relationes non minus sunt formaliter infinitæ, quàm attributa.

16. Secundò: quia quodcumque ens est formaliter finitum, vel infinitum: hæc enim diuisio, per duo membra opposita adæquatè diuidentia ens, est Aristotelis: ac proinde, cuilibet enti, seu entitati, debet necessario competere: sed diuina relatio est vere realitas, & entitas, seu ens: ergo vel necessario est finita, vel infinita: non autem est finita: quia realiter est ipsemet Deus: ergo est infinita.

17. Tertiò: nam quod est incomprehensibile, nisi ab intellectu infinito, est formaliter infinitum: generatio autem diuina, quæ est relatio, non est comprehensibilis, nisi ab intellectu infinito Dei: ergo ipsa relatio est formaliter infinita. Maior est euidens: minor probatur per illud Esaiæ cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit*, quē locum exponens Diuus Hieronymus Hom. 1. super Mathæum, intelligit de generatione diuina, quæ enarrari non potest, eo quod est affatu omninò impossibile: sed quod est affatu impossibile, est omninò incomprehensibile. Quod iterum confirmatur ex illo D. Ambrosij de fide ad Gratianum: *Quæro à te, quomodo putas Filium Dei esse genitum*, & illico ait: *Mihi impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed Angelorum, & supra Cherubim, & Seraphim, & supra omnem sensum.*

Esaias. *D. Hiero.*

18. Quartò: quia omnis actio adæquata principio, & termino infinito, est formaliter infinita: sed generatio diuina, quæ est relatio, est adæquata principio formali infinito, nempè, diuinæ essentiæ, & intellectui, in quibus formaliter est infinitas: est enim memoria secūda Patris: ergo relatio diuina est formaliter infinita.

§. 3.

Ponitur vera, & tenenda sententia Scoti, & quid sit perfectio simpliciter, quid vero secundum quid ostenditur.

19. IN oppositum autē est litera textualis in hoc 5. art. huius quæst. 4. sub litera F. vbi Doctor hæc profert: *Omnia essentialia magis dicunt perfectiones simpliciter quidditatiuas: ratio autem personalis non dicit perfectionem*, idem tenet in 3. dist. 1. quæst. 1. & 4. & in Quodlibetis, q. 1. in principio, & q. 5. art. 1. & 2. & sæpè alibi passim alia expressiora verba pro hac sententia in Doctore inuenies, quē sequuntur Basolis in 1. dist. 30. q. vnica, Maironis, dist. 14. q. vnica, Lychetus dist. 8. quæst. 3. præsertim tamē in §. *ad secundam instantiam*, & in Quodlibetis q. 5. Guillelmus Rubionis dist. 33. q. 1. & 2. Tatheretus in 1. dist. 2. q. 7. propè finem, & sæpè alibi, Anton. Tubeta in sua Metaphisica. q. 1. Strectus in formalitatibus fol. 27. Valon. ibid. & reliqui omnes tāveteres, quā recentiores Scotistę: sed ex istis eleganter P. Rada 1. p. Cont. 27. P. Herrera in 1. disp. 8. q. 10. Philip. Faber. ibid. disp. 22. cap. 3. & seqq. ex Thomistis Capreol. in 1. dist. 7. q. 1. art. 2. ad 3. Dē Durādus in 3. dist. 1. q. 1. nu. 13. Molin. 1. p. q. 3. ar. 7. disp. 2. §. *secundo, & est argumentū*, & plures alij: imò & omnes auctores secūdæ sententiæ in re ipsa iuxta suas expositiones tenentur ab Scoti sentētia nō discedere, vt infra mōstrabo: quæ sententia est expressa D. Tho. 1. p. q. 28. ar. 2. ad 3. vbi post quā dicit relationē non dicere perfectionē, sic cōcludit: *Nō sequitur si nomē relationum, vel quodcumque aliud nomen dictum de Deo, non significat aliquid perfectum, quod diuina essentia habeat esse imperfectum.*

Basolis. *Maironis.* *Lychetus.* *Rubionis.* *Tatheretus.* *Anton. Tubeta.* *Syrectus.* *Valonis.* *P. Rada.* *Herrera.* *Philip. Faber.* *Capreolus.* *Durandus.* *Molina.*

20. Ad huius ergo difficultatis solutionē tria videnda sunt. Primū, scilicet, quid sit perfectio simpliciter, & quod si relatio originis esset perfectio, necessario esset perfectio simpliciter. Secundūvero, quid sit infinitas: nam licet hoc supra in

difficultate 67. num. 29. habeatur expositum: exactius tamen hîc, prout ad præsens attinet, denuò quibus possit competere, explicare oportet: vt exinde relationibus diuinis non posse competere ostendatur. Tertium tandem, qualiter relationes dicant perfectionem essentiæ, & existentiæ, & subsistentiæ absolutæ: non tamen eo quod propriè incommunicabiliter subsistunt, perfectionem aliquam, aut infinitatem importent: quibus peractis, facilis erit (vt credo) præsentis controuersiæ resolutio.

21. Perfectio itaque simpliciter, iuxta D. Anselmum in Monologio c. 15. *est quæ in quolibet habente ipsam, melius est ipsam habere, quàm nō ipsam habere.* Quam descriptionē Doctor subtiliter exponit in Quodlibetis quæstion. 5. sub littera M. dicens, quod indiget duplici expositione, vna est circà illud, quod habet talem perfectionem, & alia circa negationem talis perfectionis, quam melius est non habere: nam non intelligitur, quod perfectio sit melior, quam sua negatio contradictoriè opposita. Sic etenim quodlibet positiuum esset perfectio simpliciter, quia quodlibet positiuum est simpliciter melius sua negatione contradictoriè opposita: quia simpliciter est melius ens, quàm non ens: sed intelligitur ibi, *non ipsum*, pro quocumque sibi incompossibili etiam positiue: vt sit sensus: perfectio simpliciter est in quolibet melior quocunque sibi incompossibili. Præterea cum dicitur in prædicta descriptione, *in quolibet habente ipsam*, non intelligitur aliquod suppositum, seu individuum alicuius determinatæ naturæ; sed quodcūque suppositum abstrahendo ab hac, vel illa natura, cuius suppositum sit. De supposito, ergo sic absolutè accepto, nō determinando naturam aliquam, cuius sit suppositum, intelligitur descriptio prædicta. Quod probat Doctor per exēplum de auro: auro etenim considerato, vt supposito habenti naturam auri, non est melius non aurum, quam aurū: quia incōpossibile, vt incompossibile, non est alicui melius: destruit enim entitatē ipsius: imò melius est auro esse aurū, quàm quodcūque incōpossibile naturæ auri: quia destruit ipsum: & ideo non est auro melius esse sapiens, aut iustum, quam non esse sapiens, aut iustum: quia vt esset sapiens, aut iustū, necessario debebat habere naturā capacem sapientiæ, & iustitiæ: & talis natura necessario debebat esse rationalis, quæ incōpossibilis est cū natura auri, & necessario illā destrueret: eodem modo melius est Leoni esse Leonem, quàm sapientem, vel Angelum: quia ista sunt incōpossibilia eius naturæ. At verò supposito Leonis in ratione præcisa suppositi, melius est esse sapiens, quā nō sapiens: quia suppositum illud secundū præcisam rationē suppositi, & vt abstrahit à natura Leonis, consideratur vt suppositū non incapax sapiētiæ, saltim negatiuè: & vt sic nō incapax sapientiæ, melius esset sibi esse sapiens, quā non sapiens, seu ignorans. Et ideo notauit Doctor intelligēdā esse descriptionē prædictā de supposito absolute cōsiderato, & non vt determinante naturā aliquā: quia si loqueretur de supposito determinante naturam, multa quidē essent perfectiones alicui, quæ alteri imperfectiones essent: nā equo melius est habere inhibilitatē, considerata equi natura, quā rationalitatē: licet absolutè loquēdo, longè perfectior sit rationalitas, quā inhibilitas. Optimè ergo Doctor præ dictā descriptionē enucleat: quia perfectio simpliciter in quocūq; subiecto capaci est melior ipsa, quam non ipsa.

Quid sit perfectio simpliciter.

D. Ansel.

22. Quod exactius declaro de subiecto capaci, de quo proculdubio loquitur Doctor iuxta intētionē Anselmi: quia in homine, seu Angelo, vel Deo, qui sunt suppositа capacia huiusmodi perfectionū, melius est habere sapientiā, quā ignorātiā, seu non sapientiā, & melius est habere iustitiā, quā non habere illā, seu habere iniustitiā. Vndè signū est addistinguēdas perfectiones simpliciter ab alijs, quæ simpliciter perfectiones nō sunt, sed secundum quid, quod in quocūq; suppositо sunt, melius est ipsas habere: quā nō habere, seu habere oppositas: quia ergo in exēplo posito à Doctore, perfectio auri est melior supposito auri, quā quæuis alia perfectio incōpossibilis cum illa, & supposito argenti, spectata argēti natura, melior est perfectio argenti, quam perfectio auri, quæ sibi est incompossibilis, eo quod naturæ substantiales specificæ in eodem supposito incompossibiles sunt: ideo nec perfectio auri, nec perfectio argenti est perfectio simpliciter,

ter, quia neutra est melior quã sua oppo sita: neque est melior ipsa quã nõ ipsa: quia quælibet est alteri incomposibilis, & alterius naturã destrueret. Sic igitur cõcludit Doctor littera N. *Est ergo intellectus propositionis iste: perfectio simpliciter est talis, quæ in quocumque suppposito absolute considerato, secundum rationem suppositi, non determinando naturam, in qua, vel cuius sit suppositum: melius est ipsum, quam non ipsum, Hoc est, quã quodcũq; incõposibile ipsi.*

23. Iam ergo intellecta descriptione perfectionis simpliciter, videndum est, quę sit perfectio secũdũ quid, ad cuius distinctionẽ prima dicitur perfectio simpliciter. Pro quo obseruãdũ est duplicẽ esse perfectione: prima etenim est illa, quæ in suo proprio, & formali conceptu, est ita perfectio, vt nec in illo imperfectionẽ aliquã, nec aliquid imperfectionis includat: nã si in aliquo habẽte ipsã habeat sibi imperfectionẽ admixtã, nõ illam habet ex suo cõceptu proprio, & formali: sed sibi prouenit aliũ dẽ, & hæc vocatur perfectio simpliciter, de cuius descriptione hactenus egimus. Huiusmodi sunt sapiẽtia, iustitia, bonitas, & cæteræ perfectiones, quæ formaliter reperiuntur in nobis, & tribuuntur Deo: propterea quæ eius attributa dicuntur: nam sapientia, v.g. est ita perfecta ex suo formali conceptu, quod in illo nihil imperfectionis habetur: si enim aliquid imperfectionis in tali conceptu formali haberetur, procul dubio sapiẽtia, secũdũ suũ formalẽ cõceptũ, in Deo formaliter esse repugnaret. Huiusmodi ergo perfectiones in suo conceptu formali abstrahunt à finito, & infinito, & ad vtrũque quasi cõtrahũtur: vnde nõ sibi repugnat infinitas, imo in primo ente infinito propriissime formaliter sunt. Si autẽ in Angelis, & hominibus sapiẽtia, v.g. admixtã imperfectionẽ includit: hocnõ ex ratione formali sapiẽtiæ habet: sed ex finitate, quam habet, eo quod est sapientia creata, prouenit sibi: hæc itaque perfectio simpliciter est in Deo formaliter, quã D. Anselmus supra posita descriptione definiuit.

Duplex perfectio.

24. Secũda autem perfectio est illa, quæ in suo proprio, ac formali conceptu, & ex suo modo intrinseco dicit perfectionẽ simul cũ imperfectione necessariò admixtã: sic sunt perfectiones omnes naturæ creatæ, quæ in suo formali cõceptu dicunt necessariò esse creaturas, & ex suo modo intrinseco dicũt finitatẽ: quia ex suo formali conceptu, & ex suo modo intrinseco dicunt quidditates, & naturas finitas, creatas, & limitatas. Sic humanitas, equinitas, albedo, & quæcumque alia similis natura, dicũtur perfectiones. Istæ etenim perfectionẽ suæ specificæ quidditatis important: hanc tamẽ nõ nisi finitam possunt habere. Et quia simul perfectionẽ naturæ cũ tali imperfectione finitatis includunt: non absolute, & simpliciter perfectiones appellantur; sed tantum perfectiones secũdum quid, ad differentiam perfectionum simpliciter, quæ in suo conceptu formali nihil imperfectionis admittunt.

Quid sit perfectio secũdum quid

§. 4.

Qualiter perfectio, & qualis perfectio in Deo esse possit, ostenditur.

25. Porrò perfectio dupliciter potest esse in Deo, primo formaliter, sicut forma, seu formalitas dicitur esse in habente ipsam, quod forma liter denominatur ab illa. Secundo vero modo virtualiter, & eminenter; virtualiter quidem, sicuti effectus continetur in causa: eminẽter autem, sicuti aliqua perfectio eminentiori modo continetur in ente perfectissimo. Prima igitur perfectio, scilicet, perfectio simpliciter, est in Deo formaliter; quia hęc talis perfectio non habet ex sua formalitate finitatem: & ex cõsequẽti nõ habet vnde repugnet sibi esse formalitatẽ Dei, & ipsum denominare formaliter talẽ: ac ideò Deus dicitur formaliter sapiens, bonus, iustus, &c. Secunda autẽ perfectio, scilicet, perfectio secũdũ quid, nequit in Deo formaliter esse: quia ratione finitatis, quam in sua natura formaliter includit, Deo repugnat, sicut finitas repugnat infinitati. Bene tamẽ omnes perfectiones secũdũ quid sũt in Deo virtualiter, & eminẽter.

Perfectio quæ est in Deo formaliter, & quæ est in Deo virtualiter, seu eminenter.

26. Ex hoc ad propositũ cõcluditur, quod quidquid in Deo formaliter habet esse: vel necessariò est perfectum, seu perfectio simpliciter: vel nullatenus perfectio est: quia sibi repugnat esse perfectio secundum quid, eadem ratione qua repugnat aliquid finitum formaliter esse in Deo. Repugnantia autem hæc manifesta est: quia si aliquod finitũ

formaliter esset in Deo, Deus formaliter denominaretur finitus: si ergo relationes diuinæ secundum suos formales conceptus essent formaliter perfectæ: necessario deberent esse perfectiones simpliciter, & non perfectiones secundum quid. Aliàs enim iam in Deo relationes esse perfectiones creatas diceremus: siquidem essent perfectiones finitæ: omne etenim ens finitum, est creatum: at qui relationes diuinæ sunt eædem realiter Deitati: ergo minime possunt esse perfectiones secundum quid. Et ex consequenti si aliquam perfectionem formaliter importarent: necessario talis perfectio esset perfectio simpliciter: quod est primum punctum à nobis supra assignatum.

27. Non autem posse diuinas relationes esse perfectiones simpliciter, & ex consequenti nullam perfectionem importare in suo conceptu formali, subtiliter Doctor illustrat in citata quæstion. 5. Quodlibetali litera G. quia, scilicet, omnis perfectio simpliciter est compossibilis alteri perfectioni simpliciter, in quocunque supposito absolute considerato: relatio autem Paternitatis incommunicabilis est, & ideo incompossibilis Filiationi, in aliquo diuino supposito; nec filiatio, seu Paternitas spirationi passiuæ: non igitur aliqua illarum relationum perfectionem simpliciter formaliter potest includere. Esse autē omnem perfectionē simpliciter alteri perfectioni simpliciter compossibilem, ibi dem euidenter Doctor demonstrat: nam si sint duæ perfectiones simpliciter incompossibiles inter se: ponantur, verbi gratia, sapientia, & iustitia, & argumentum fiat de sapientia. Sapientia est perfectio simpliciter: ergo in quolibet (iuxta expositionem deceptionis Anselmi supra traditam) erit melior ipsa, quam non ipsa, hoc est, erit melior, quàm quælibet sibi incompossibilis: & ita sapientia erit melior, quàm iustitia, quæ sibi incompossibilis esse supponitur.

28. Eadem ratione fiat argumentum de iustitia, si ipsa est perfectio simpliciter: nam iustitia eo quod est perfectio simpliciter, in quolibet est, erit melior ipsa, quam non ipsa, hoc est, quàm quælibet sibi incompossibilis: & ita est melior, quàm sapientia, quæ ponitur sibi incompossibilis. Ex quo sequitur sapientiam esse meliorem iustitia, & iustitiam esse meliorem sapientia: & tunc esset circulatio. Talis autem circulatio est impossibilis: quia tunc idem esset perfectius, & imperfectius: imo & esset imperfectius se ipso, vt infert Doctor: ergo necessario fatendum est, perfectiones simpliciter inter se esse compossibiles: ex quo quælibet entitas incommunicabilis, eo quod est incompossibilis alteri, excluditur à ratione perfectionis simpliciter. Cum ergo relationes originis in Deo sint formaliter incommunicabiles, & ex consequenti inter se incompossibiles, necessario excludūtur à ratione perfectionis simpliciter. Et per oppositum patet, omnes perfectiones simpliciter simul compossibiles esse in Deo.

Ostenditur relationes diuinas nec perfectionē simpliciter posse dicere.

Perfectiones simpliciter sunt inter se compossibiles.

§. 5.

Quid sit infinitum, seu infinitas, declaratur.

29. DEmum circa secundum punctū, nempe, quid sit infinitas, optimè illud Doctor enucleat, in eadem citata quæstion. 5. Quodlibetica litera A. vbi latè definit, quid sit infinitum extensiuum quantitatis, in potentia, & in actu. Ex quibus ad infinitum intensiuè, seu entitatiuè ordine mirifico peruenit, & litera B. huiusmodi infinitum intensiuè describit per hoc: *Quod ipsum est, cui nihil entitatis deest, eo modo, quo possibile est illud haberi in aliquo vno.* Quę verba Scoti explicantur ab eo, quia pro tanto additur illa particula, *eo modo, quo possibile est illud haberi in aliquo vno*: quia non potest in se realiter, & formaliter, per identitatem omnem entitatem habere: non enim potest ens infinitum omnes entitates finitas in se realiter, aut formaliter habere, quia huiusmodi entitates sibi repugnant: & ideo illas continet virtualiter, & eminenter, vt supra diximus, & hoc est continere omnem entitatem eo modo, quo possibile est illā haberi in aliquo vno: quod sufficit, vt dicatur infinito nihil entitatis deesse. Perfectiones vero simpliciter

Definitio infiniti tradita ab Scoto.

ter,realiter,& formaliter continet:quia eo quod nihil finitatis,aut imperfectionis includunt, possibile est infinito, illas realiter, & formaliter haberi in se.

30. *Aristotel.* Aliter insuper, infinitum describit Doctor ibidem ex Philosopho 3.Phisicor.text.Commento 62.& 67.videlicet per excessum ad quodcũque aliud ens finitum. *Vnde infinitum est, quod excedit quodcumque ens finitum, non secundum aliquam determinatam proportionem: sed vltra omnem determinatam proportionem, vel determinabilem*:quam descriptionem vt explicet ipse, sic exemplificat, verbi gratia,accipiatur hæc entitas albedo:exceditur ab alia entitate,quæ est scientia intriplo:iterum exceditur ab anima intellectiua in decuplo:iterum exceditur à supremo Angelo in centuplo:qualiter cunque procedis in entitatibus, semper esset dare,in qua proportione determinata supremum excedit infimum: non quod ibi sit propriè proportio talis,quali vtuntur Mathematici: quia Angelus non constat ex aliquo inferiori,cum aliquo addito,cum sit simplicior:sed intelligendum est hoc, secundum proportionem virtutis, & perfectionis, sicuti vna species aliam excedit, & homo est perfectior equo. Hoc modo per oppositum, infinitum excedit in entitate finitum,vltra omnem proportionem assignabilem.Ex quo infert Doctor,quod infinitas intensiua non sic se habet ad ens, quod dicitur infinitum, tanquam quædam passio extrinseca aduenies illi enti:nec etiam eo modo quo verum, & bonum intelliguntur passiones, vel proprietates entis: imò infinitas intensiua dicit modum intrinsecum illius entitatis,cuius est: & sic intrinsecũ quod, circunscribendo quodlibet, quod est proprietas,vel quasi proprietas eius:adhuc infinitas eius non excluditur,sed includitur in ipsa entitate, quæ est vnica. Vnde de ipsa entitate præcisissimè accepta,absque,scilicet,quacunque proprietate, verum est dicere, quod aliquam magnitudinem virtutis propriam habet sibi intrinsecam, & non magnitudinem finitam:quia ipsa repugnat sibi: ergo infinitam.Hæc præclara verba Scoti,quæ hactenus ex ipso textu eiusdem sumpta sunt, ita infinitatem explanant, vt sine glossa aliqua ex ipsis sufficientissimè,& clarè intelligatur,quid sit infinitum,intensiuè,seu entitatiuè.

31. *Infinitum in proprio genere.* Aliud præterea est infinitum, quod communiter dici solet infinitum in proprio genere,& nõ solum est illud,quod nullis terminis suæ entitatis clauditur, vt Caietanus dicebat: nec ratione obiecti infiniti, vt Vazquez putauit 1.part. disput.103.cap.2. nec intrinsecè infiniti entitatiuè debet describi,quod,scilicet,est illud,cui nihil deest entitatis, eo modo, quo possibile est illam habere in proprio genere: nam hæc limitatio in proprio genere,quodammodo derogare videtur diuinis perfectionibus: quia tunc idem videretur dicendum de infinito in actu, si in aliqua natura creata esset dabile (de quo disputatum est satis supra) quod de sapientia diuina: nam si aliqua quantitas,vt potè linea infinita daretur in actu, etiam nihil sibi deesset entitatis sui generis, eo modo quo sibi possibile esset illam habere:quę profecto parua excellentia esset diuinæ sapientiæ tantum modo omnem sapientiam creatam, & finitam excedere,omnẽque eius entitatem in se quomodolibet habere. Vndè circa intelligentiam istius infiniti in genere non exacte,meo videri,loquuntur Doctores quidam.

32. *Infinitum intensiuum duo habet.* Aliter ergo hanc infinitatem in genere,re bene inspecta,considero,ad cuius intelligentiam suppono ex nuper dictis, infinitum entitatiuè duo habere, iuxta duas traditas descriptiones illius supra,num.29.& 30. quibus Scotus exposuit rationem infiniti entitatiuè. Intelligo igitur in infinito entitatiuo,primo illam continentiam formalem, aut realem, aut eminentialem, aut virtualem,qua infinitum continet omnem entitatem, eo modo quo sibi possibile est illam habere: & hanc quidem continentiam non habet infinitum in proprio genere:quod euidenter constat: quia nulla perfectio attributalis,quæ est infinitum in proprio genere, est pelagus, & radix omnium perfectionum,& omnũ entitatum, quæ sunt in Deo: non etenim sapientia est radix bonitatis,nec iustitiæ, nec Paternitatis, aut cæterarum proprietatum,quæ realiter, & formaliter reperiuntur in Deo: nec ipsa præcisè sumpta secundum suam formalitatẽ est causa virtualiter continens omnes

perfectiones creatas; sed tantum prout realiter est idem essentiæ. Sola ergo diuina essentia, etiam præcisè sumpta secundum suam formalitatem, est fontalis plenitudo, & pelagus omnium diuinarum proprietatum, & causa omnium creaturarum existentium, futurarum, possibilium, & imaginabilium. In hoc ergo distinguitur infinitas in proprio genere ab infinitate entitatiuè: quod, scilicet, hæc, modo prædicto sibi possibili, omnium entitatum, etiam imaginabilium perfectiones realiter, & formaliter, aut virtualiter, & eminenter continet, vt dictum est. Illa autem, nempè, infinitas in proprio genere, non sic: sed iuxta formalitatem dum taxat suæ propriæ entitatis, attributum infinitate intendit, & reddit formaliter infinitū. Vndè alia est infinitas sapientiæ, & alia infinitas iustitiæ. Prima enim est gradus intrinsecus sapientiæ, secunda vero est gradus intrinsecus iustitiæ. Ex quibus colligo primam descriptionem infiniti ab Scoto traditam, non conuenire infinito in genere proprio, sed tantum infinito entitatiuè.

Essentia diuina est pelagus omnium perfectionū, & causa omnium rerū.

33. Deinde secundo considero in infinito illum excessum, per quem secundò definiuit Scotus infinitum supra nu. 30. & secundum hanc descriptionem, dico, infinitum in genere nullo modo differre ab infinito entitatiuè: non etenim solum diuina sapientia excedit omnem sapientiam creatam, & finitam: sed excedit etiam quodcumque ens finitum, non secundum aliquam determinatam proportionem; sed vltra omnem proportionem determinatam, vel determinabilem, optimè ibi à Doctore expositam: vbi quoad hoc, quod est excedere, non minus perfectè conuenit attributo infinitas, quàm ipsi essentiæ. Sapiētia etenim Dei, etiam secundum formalem conceptum sibi proprium, non solum excedit albedinem, & scientiam, & humanitatem, & supremum Angelum, in quorum proportione, qualitercumque proceda sinentibus, semper est dare, in qua proportione determinata supremum excedit infimum: sed excedit omnem finitum in entitate, vltra omnē proportionem imaginabilem, sicut essētia. Ex quibus habetur descriptionem secundam infiniti benè infinitum in genere proprio comprehendere. Differūt igitur infinitum entitatiuè, & infinitum in proprio genere, quia hoc tantum secundam descriptionem sibi vendicat: illud vero secundam, & primam: in cæteris autem, vtpotè in ratione modi intrinseci, & in hoc, quod est non variare formalitates eorum, quibus aduenium, & in alijs huiusmodi, benè sunt paria.

Infinitum entitatiuè, & infinitū in genere, inter se conueniunt, & differunt.

§. 6.

Licet relationes sint idem realiter cum essentia, sicuti attributa; non tamen ab ea accipiunt infinitatem formalem, sicut attributa.

34. His de infinito notatis, restat videndum, à quo diuina attributa suam infinitatem formalē accipiant. Ad cuius claritatem est iterum obseruandum, proprietates diuinas, & omnia, quæ realiter sunt eadem Deitati, duplicem infinitatem habere posse: aliam, scilicet, ipsius diuinæ essentiæ, cum qua sunt realiter idē: nam ratione huius identitatis, quæcumque essentiæ formaliter conueniunt, de ipsis prædicantur identicè. Vndè non minus dicitur bonitas Dei infinita identicè, infinitate essentiæ: quam Paternitas, quæ etiam identicè est infinita, infinitate ipsius essentiæ. Alia autem infinitas est propria, quæ formaliter conuenit illi proprietati, cuius est modus: atq; ideo attributa Dei & important infinitatem essentiæ, quæ est entitatiua, & infinitatem propriam quæ est in proprio genere. Prima sibi identicè competit: secunda vero formaliter. Vndè si relationes diuinæ, secundum suos formales conceptus, infinitatem aliquam dicerent vltra infinitatem essentiæ, quæ sibi identicè conuenit: proculdubio hæc talis infinitas non esset entitatiue, sed in proprio genere. Nō autem relationibus conuenire infinitatem entitatiuè, etiam ex aduersarijs probat Vazquez 1. part. disp. 112. cap. 7. sequentibus verbis. Prima in

Vnde attributis proueniat esse formaliter infinita.

nitas

finitas in genere entis, vna solum est in tribus personis: personæ autem sunt infinitæ hoc modo, ratione essentiæ, à qua ex natura sua non distinguntur. Et infra ait, quod proprietates nec considerantur, vt finitæ, nec vt infinitæ hoc modo, quatenus ab essentia distinguntur: sed solum dicuntur infinitæ ratione essentiæ, cum qua sunt idem: formaliter verò in se ipsis, nec vt finitæ, nec vt infinitæ considerantur.

Vazquez.

35. Loquendo vero de infinito in genere proprio, hæc ait: secundum genus infinitatis est non in genere entis, sed in proprio, & peculiari genere, vt sapientia dicitur infinita: quia versatur circa infinitum obiectum, misericordia similiter, &c. quæ infinitas non conuenit relationibus formaliter: quia non videmus quã infinitatem habeant ex parte termini, ad quem referuntur, nisi infinitatem entis, de qua primum diximus: hæc autem cõuenit relationibus ab essentia, cum qua sunt idem, non aliundè, nec ex se ipsis formaliter, nostro modo concipiendi. Hactenus Vazquez, qui in hoc manifeste propriam sentẽtiam cõfutat. Si enim relationes istæ formaliter nullam perfectionem, nec in genere proprio, nec in genere entis includunt: sed tantum dicunt infinitatem essentiæ, quæ est infinitas in genere entis, sibi tantum conueniens, ea dumtaxat ratione, qua realiter sunt eædem illi: cur contra Scotum sententiam teuit, zelo tantummodo cõtradicendi in nomine, quod in re, ex illo dicit, & cum eo re ipsa profitetur? mehercle non aliud docuit Scotus, quinimo expresse, identicè relationes diuinas infinitate essẽtiæ infinitas esse affirmat, vt patet ex sequentibus verbis ipsius: nã in eadem. q. 5. quodlibetali sub litera C. hæc profert. *Videamus, scilicet, si relatio formaliter posset esse infinita. Hoc enim non est quærere, si relatio sit eadem realiter alicui infinito: de quo non est dubium, communiter loquendo: quia realiter est eadem essentiæ. Nec etiam est quærere si relatio sit per identitatem illud infinitum: sed est quærere, si relatio formaliter, hoc est, secundum suam entitatem propriam, quæ est entitas ad alterum, sit infinita intensiue?* Patet igitur non aliud sentire Vazquium, quam Scotum licet emultationis zelo Scoti sententiam verbo reijciat.

Restat nunc nobis inuestigare, quod alij non inueniunt. Vazquez namque fatetur in verbis citatis se non videre, quã infinitatem habeant relationes diuinæ ex parte termini: nec vtique vidisse constat, vnde eis proueniat infinitas non esse se: nam si non minus pullulant ab essentia, quàm cæteræ proprietates attributales: cur non habebunt propriam infinitatem formaliter, sicut huiusmodi attributa? Hoc dubium nobis soluit Scotus vbi supra prope litteram X. vbi concedit, quod intellectus est formaliter infinitus propria infinitate, quæ est modus intrinsecus suæ propriæ entitatis: & tamen paternitas non sic est infinita, cum hoc tamen, quod paternitas est eadem realiter essentiæ aliquo modo, sicuti intellectus. Et restrixit, *aliquo modo*, quæ particula denotat duplici ratione esse essentiam, & intellectum idem realiter: quia, scilicet, cum vtrumque sit formaliter infinitum, tam essentia identificat sibi intellectum, quam intellectus identificat sibi essentiã: quia vero paternitas infinita nõ est: ideo licet essentia idẽtificet sibi paternitatẽ: nõ tamẽ paternitas idetificat sibi essẽtiã, & ideo posuit illã particulã, *aliquo modo*. Vrget amplius hoc argumetũ Doctor ipse, quod scilicet, infinitas intellectus, non aliundè sibi prouenit, sed ab essentia: est enim propter idẽtitatem eius ad essentiam. Ad hoc ergo argumentum respondet Doctor.

36.

37. *D. Damas.*

Ad eius tamen solutionem prænotandum est cum ipso, quod primum omnino in diuinis est essentia, vt essẽtia: quæ secundum D. Damascenum est pelagus, propter comprehensionem omniũ perfectionum diuinarum. Ista autem essentia est infinita, non tantum intensiue in se, sed etiam virtualiter primo, & per se, continens omnia intrinseca: quod cumque autem continet, per identitatem cõtinet. Habet ergo essentia infinitatem, & formaliter, & propriam, & primam. Primam quidem: quia à se illam habet: ab hac autem prima (sicut citato inquit Scotus) emanant omnia ordinate. Primo quidẽ intrinseca essentialia, quæ non dicunt respectum ad extra, nec ad intra: sed sunt absoluta, vtpotè, omnia attributa, & perfectiones diuinæ. Secũdo notionalia, quæ sunt relationes, & origines, &c. Tertio, & vltimo creaturæ. Ita quod

Ordo, quo diuinæ proprietates ab essentia dimanant.

quod quodlibet sic emanans ab essentia, recipit ab ea illud perfectionis, cuius est capax, & sibi non repugnat: & recipit quasi effectiuè suum esse, & suam perfectionem ab illa primaria quasi causa, quæ est infinita essentia: ratio autem formalis, est ipsa entitas propria cuiuslibet emanantis. Essentialia igitur, vt potè attributa, recipiunt ab illa infinitatem formalem: quia diuina essentia ex se sufficit in ratione principij, & fundamenti ad dandam attributis talem infinitatem, hoc est, talem quantitatem virtutis: & eo quod talis quantitas virtutis seu infinitas, ipsis perfectionibus attributalibus non repugnat, sicut nec ipsis repugnat cõmunicabilitas, quę, vt supra notauerat, adrationem perfectionis simpliciter requiritur. Deinceps, relationes diuinæ ab huiusmodi essentia infinita accipiunt suum esse: quia tamen hoc esse, quod est esse ad alterum, est incapax infinitatis ex sua ratione formali: ideo non accipit ab essentia infinitatem, cum tali esse, sed accipit esse non infinitum. Creaturæ tãdem ab essentia accipiunt entitatem finitam: quia sola talis entitas sibi potest iuxta suam naturã cõpetere.

38. Quando autem quæritur à Doctore, quare relatio non accipiat infinitatem ab essentia, sicut illam accipit attributum, siquidem vtrumque ab eadem prima infinitate dimanat? bene respondet, quod quia attributum ex sua ratione formali est capax infinitatis: ideo suam propriam infinitatem accipit à prima infinitate: vnde attributum est formaliter infinitum infinitate propria, nõ prima, sed à prima infinitate dimanante. Relatio vero ex sua ratione formali, infinitatis est incapax: vnde in ratione principij formalis est status, non in ratione principij fundamentalis, seu quasi effectiui: hoc est, non ex parte essentiæ, quæ est primo infinita, & quasi causa effectiua, à qua cætera dimanant, & accipiunt infinitatem, si sint capacia illius: sed ex parte rationum formalium, ipsorum dimanãtium, prouenit quòd hoc accipiat infinitatem, non tamen illud.

Vnde relationi prouenit infinitã non esse.

39. Et si tandem quæras, quare hoc est magis capax, quam illud, ad accipiendam infinitatẽ ab essentia? nõaliter respõdet, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud: nã repugnantia formalis, & nõ repugnãtia (inquit Doctor) primo reducitur formaliter ad rationẽ eius, cui dicitur esse repugnantia. Sed si instãtius queras, quę nã sit ratio formalis huius repugnantiæ, qua hoc, & nõ illud, est incapax infinitatis? respondet nõ aliã esse, nisi quia hoc est incõmunicabile: nam incõmunicabilitas relationis est præcisa ratio, quæ reddit illam incapacem infinitatis. Hæc etenim sunt verba Doctoris ibidẽ: *Et si quæras, quare incompossibilis est infinitas huic, & non huic: potest quæri in oppositum, quare huic repugnat incõmunicabilitas, & huic nõ? quod omnes concedunt, & est eadem responsio.* Incõmunicabilitas igitur est relationibus ratio, qua sibi repugnat infinitas: nã in ratione principij radicalis, seu fundamentalis, ipsa essentia est vnũ principiũ illimitatum, à quo multa ordinatè dimanant, & quodlibet in primo instanti, in quo quasi emanat, vel procedit in esse, suã habet entitatẽ, vt potè hoc talẽ entitatẽ, & illud talẽ, & huic, v.g. relationi, sua entitas est ratio repugnantię infinitatis: illi autẽ, vt potè attributo, sua entitas est ratio cõpossibilitatis cum infinitate.

Ex quibus patet (vt Doctor resoluit) quod non sola identitas realis cũ essentia, est ratio habendi infinitatẽ formaliter, licet sit ratio sufficiens omnem, cui formaliter non repugnat infinitas formaliter autẽ repugnat relationi personali ob suã incõmunicabilitatẽ: sed requiritur etiã, quod non repugnet rationi formali dimanantis ab essentia, & idẽtificati realiter cũ illa. Vndè, quia nõ repugnat perfectioni attributali ob suam communicabilitatem, ideo infinita est. Ac propterea non obstat, quod relatio, sicut attributum, dimanet ab essentia, & cum ea sit realiter idem, ad hoc vt attributum sit formaliter infinitum, licet relatio formaliter infinita non sit. 40

§. 7.

Entitatem aliquam non esse finitam, nec infinitam, vnde sibi prouenit, declaratur.

SAtis resoluta quoad hoc difficultas maneret, si quiesceret intellectus in admittendo aliquam entitatem 41.

tatem ex se formaliter non habentem vnum ex duplici modo intrinseco entis, videlicet, finitatis, aut infinitatis. Videtur namque minime posse concipi entitatem aliquam realem sine vno, vel altero ex istis modis qui adæquatè ens diuidunt: si ergo relatio infinitatis est incapax, videtur necessario modum finitatis admittere. Modus autem finitatis est proprius creaturæ, & repugnat relationi, quæ est eadem realiter Deo: tunc etenim Deus esset res finita, sicuti realiter est relatio. Præterea non adhuc quiescit mens in ratione incapacitatis tradita ab Scoto, quoad vsque amplius declaretur, quare incommunicabilitas sit incapax infinitatis? His etenim duobus dubijs satisfactis, sine dubio difficultas, quoad hoc, exacte resoluta manebit.

42. *Finitas, & infinitas sũt quantitas virtutis.* Placet profecto vtriusque dubij solutionem præbere. Et ad primum obserue ex Doctore, quod finitas, aut infinitas, est quantitas quædam virtutis, seu perfectionis, quæ se habet admodum quantitatis molis, vt in principio prædictæ quæstionis notauerat. Atque ideo sicut vbi non est quantitas molis, non datur extensio, nec maius, aut minus: sic vbi quantitas virtutis non est, non potest esse intensio, nec magis, aut minus perfectum: quia vero modus finitatis, & infinitatis, vt supra in difficultate 67. num. 20. notaui, est quædam intensio perfectionis: ideo vbi quantitas virtutis non est, non potest esse finitas, aut infinitas. *Finitũ, & infinitũ solum in ente quanto reperiuntur.* Ac propterea finitum, & infinitum, nõ nisi in ente quanto poterunt reperiri. Nec autem ad hoc obstat huiusmodi modos adæquate ens diuidere: nam ens prima sui diuisione, vt egregie Doctor notauit, non diuiditur per finitum, & infinitum; sed in ens quantum, & non quantum: quantitas enim, & non quantitas, sunt prima membra immediatè diuidentia entis. Rursus ens quantum diuiditur in ens finitum, & infinitum: ens autem finitum diuiditur in decem prædicamenta. *Ens in sua prima diuisione diuiditur per quãtum, & nõ quantum.* Vndè nullum est inconueniens, quod omnis creatura, necessario perfectionem importet; relatio autem diuina illam formaliter non dicat: nam creatura omnis clauditur sub Sphera entis finiti, & quanti: & ideo ob quantitatem est capax perfectionis: ob finitatem verò habet suam perfectionem, cum imperfectione admixtam. Relatio verò, quia, vt infra dicetur, non est ens quantum: ideo est incapax perfectionis infinitæ, & finitæ: quia nec finitas, nec infinitas potest enti non quanto competere.

Hæc subtilitas Scoti per Philosophũ confirmatur: nam 1. Phisicor. tex. Commento. 15. inquit, quod finitum, & infinitum congruunt quantitati: quod est verum definito, & infinito, & quantitate propriè acceptis: & ideo extensiue loquendo, finitum, & infinitum, vt sunt passiones entis, non conueniunt, nisi enti habenti quantitatem. Talis autem quantitas non conuenit entitati, nisi quæ potest esse partialis, aut totalis inter essentias, seu naturas: quia omnis quantitas, vel exceditur, vel excedit: vel est pars, vel totum. Vbi igitur hæc quantitas non est, nequit esse finitas, vel infinitas. Ex hoc dicto de quantitate extensiua ad quantitatem intensiuam, seu perfectionis, & virtutis perueniendo, est similiter seruata proportione loquendum. Vbi etenim quantitas virtutis, aut perfectionis non est, neque finitas, aut infinitas esse potest: quia ibi nec potest esse ratio mensuræ, nec mensurabilis, nec ratio aliqua partialis, nec totalis; nec ratio excedentis, nec excessi: quia omnia ista sine quantitate virtutis esse non possunt. Quia igitur relatio diuina (inquit Scotus) quantitatem non habet: quia nec excedit, nec exceditur, nec potest esse totum, nec pars: consequenter, nec est capax finitatis, nec infinitatis: & ideo non comprehenditur sub diuisione entis finiti, aut infiniti; quia nõ comprehenditur sub ente quanto, sed bene sub ente non quanto: & ideo est non finita, merè negatiuè, quatenus talis negatio præcisè negat finitatem: & etiam est non infinita formaliter, quatenus in suo conceptu formali negat infinitatem. Quo satis solutum manet dub. primum supra positum.

43. *Aristoteles*

Relatio diuina, nec est finita, nec infinita.

Secundum vero dubium facilius soluetur, tùm ex ratione infiniti, cumetiam ex inconuenienti secuto. Primum deducitur ex eo, quod talis est vis, & natura formaliter infiniti, quod omne sibi compossibile in eodem supposito, realiter sibi identificat summa identitate reali: taliter, quod, vt diximus supra in expositione

44.

tione huius quinti articuli, posita quacumque abstractione, adhuc vnum prædicatur de altero, vt ibi visum est in multis exemplis. Quia ergo relatio, ob sui incommunicabilitatem, non solum non est identificatiua alicuius: quinimo ex sua ratione propria, & formali, est distinctiua realiter, & principium omnis distinctionis realis in Deo: ideo sibi repugnat infinitas. Quæ ratio, meo videri, aptissima est ad intentũ propositi dubij.

45. Item, hoc satis patet ex inconuenienti secuto: quia si relatio incommunicabilis esset infinita, proculdubio Pater esset minus perfectus, quàm Filius: quinimo, & imperfectus simpliciter, & non infinitus: nam perfectio relatiua Filij ei deficeret, sicut deficit sibi relatio Filiationis. Infinitum autem est illud cui nihil entitatis deest: igitur cum iam sibi deesset hæc relatiua perfectio, quæ sibi repugnat, absolutè infinitus non esset. Quia tamen hoc argumentum infra instantius ponitur: hic tantum pro satisfactione propositi dubij sufficiet.

46. Sed nunquid relatio spirationis actiuę, erit finita, aut infinita? Quod enim infinita non sit, nulla hactenus ratio id probat: quinimo oppositum ostendit. Nam si tota ratio ob quam negatur infinitas Paternitati, Filiationi, & spirationi passiuæ, est incommunicabilitas, qua etiam ratione negatur sibi perfectio: proculdubio spirationi actiuæ minimè negandam esse videtur tam infinitatem, quam perfectionem: ipsa etenim non est incommunicabilis, sicut cæteræ relationes, sed communicabilis Patri & Filio: igitur ex se formaliter est perfecta, & infinita. Quod idem argumentum fieri potest de memoria fœcunda, secundum eos, qui illam concedunt, eodem modo esse in Filio, quo est in Patre: & de voluntate, vt est proximum principium spirandi simul, cum essentia sibi vnita in ratione obiecti, &c. quæ sunt notionalia.

Subtile dubium de spiratione actiua.

47. Fateor vrgere argumentum, maximè de spiratione actiua, si tantummodo ratio omnimodæ incommunicabilitatis redderet relationes constitutiuas personarum incapaces infinitatis: sed re vera ipsa incommunicabilitas, quæ est ratio incapacitatis huiusmodi, non præcise requiritur, quod sit omnimoda: sed sufficit, quod alicui personæ diuinæ incommunicabilis sit, vt formaliter reddatur incapax infinitatis. Nam idem prorsus inconueniens sequitur de spiratione actiua, si esset perfectio, & infinita, quod de alijs relationibus incommunicabilibus: quamuis enim spiratio actiua sit communicabilis Patri, & Filio, est tamen incommunicabilis Spiritui Sancto, cui relatiuè opponitur. Aliqua ergo perfectio & infinitas esset in Patre, & Filio, quæ repugnat Spiritui Sancto: & ideo Spiritus Sanctus esset imperfectior illis, & non infinitus, sicut illi: quia sibi deficeret perfectio, & infinitas, quæ esset in illis: quod idem de alijs notionalibus dico. Restat ergo, quod incommunicabilitas quælibet, quæ alicui ex diuinis personis conuenire potest, reddat relationem incapacem infinitatis: vndè spiratio actiua est incommunicabilis Spiritui Sancto, licèt communicabilis sit Patri, & Filio: imò nec est communicabilis Patri, & Filio, sicuti essentia, aut perfectio attributalis quælibet, ex se ipsa, & ex sua ratione formali communicabilis est: quia si per impossibile Pater se solo Spiritum Sanctum produceret (quẽ casum quæstio Theologica disputationis gratia admittit) tunc profecto spiratio actiua non esset Filio communicabilis: siquidem antecedenter ad Filij productionem haberet terminum adæquatum virtutis spiratiuæ, & nihil spirandum restaret: ac ideo non esset Filio communicabilis: ei igitur communicatur non alia ratione, nisi quia voluntas, prout in Patre, non habet terminum adæquatum suæ spirationis: sed prout in Patre, & Filio habet formalem vim spirandi.

Solutio dubij prædicti.

Spiratio actiua non est perfectio simpliciter.

48. Denique circa tertium punctum, suppono ad eius resolutionem ex difficultatibus 55. & 56. in Deo esse existentiam, & subsistentiam absolutam: & eadem ratione, qua relatio est eadem realiter essentiæ, est etiam realiter huiusmodi existentiæ, & subsistentiæ, de quo nullum dubium esse potest. Nec etiam potest verti in dubium existentiam, & subsistẽtiam absolutam dicere perfectionẽ simpliciter, & infinitatem entitatiuè: quia cum tam existentia, quàm subsistentia sit de quidditate, & conceptu formali essentiæ, eandem prorsus perfectionem & infinitatem, quam in conceptu suo forma-

Existentia & subsistẽtia absoluta in Deo sunt perfectiones simpliciter.

formali dicit essentia: dicit quoque existentia, & subsistentia eius. Ex quo patet, quod sicut relatio identicè dicit perfectionem, & infinitatem essentiæ: ita etiam identicè dicit perfectionem, & infinitatem existentiæ, & subsistentiæ. Hoc probat Doctor, in citata quæstion. 5. Quodlibetali, litera T. quia tamen, vt ex nuper citatis difficultatibus patet, relatio secundum suum formalem conceptum, etiam prout ab essentia distinguitur, importat propriam existentiam, & subsistentiam relativam, incommunicabilem, qua personaliter diuina persona incommunicabiliter existit, & subsistit. Quærimus modo an talis relatio, quatenus saltim est subsistentia personalis, perfectionem, aut infinitatem importet?

49. Breuiter hoc dubium resoluit Doctor loco nuper citato dicens, quod subsistere sumitur dupliciter. Primo modo pro perse esse, & vt sic formaliter dicit perfectissimum esse, & non dicit aliud nisi essentiam, secundum D. Augustin. Secundo modo, subsistere, aut illud perse esse, hoc est, ipsum perfectissimum esse præsupponit: sed non formaliter illud includit: addit tamen incommunicabilitatem supra perse esse, primo modo acceptum. Et hoc secundo modo, illud sic est ratio subsistendi, quod est ratio incommunicabiliter perse essendi: & talis ratio non dicit aliquam perfectionem, licet subsistere primo modo acceptum, dicat perfectissimum esse. Relatio ergo secundo modo subsistit: & ita eius subsistentia perfectionem non dicit. Clarè ergo resoluit Doctor duplicem esse subsistentiam, scilicet, absolutam, & relativam, & concludit primam perfectissimam esse, non verò secundam. Quod non indiget noua probatione: quia subsistentia personalis non distinguitur à relatione constitutiua personæ: si igitur incommunicabilitas relationis reddit illam incapacem infinitatis; profectò incommunicabilitas existentiæ, seu subsistentiæ relativæ, illam huiusmodi infinitatis reddit incapacem: si etenim hæc personalis subsistentia perfecta, aut infinita formaliter esset: tunc, sicut de relationibus dicebamus, aliqua perfectio, seu infinitas esset in vna persona, quæ in alia persona esse repugnat. Subsistit ergo perfectè, & infinitè diuina persona, seu relatio personalis, non subsistentia relativa, & incommunicabilis: sed subsistentia absoluta, & communicabile diuinæ essentiæ, cui est realiter idem.

Subsistere sumitur dupliciter.

§. 8.

Statuuntur tres conclusiones pro solutione difficultatis.

50. His præhabitis, difficultatem concludendo, dico primo, quod relationes diuinæ identicè, sunt perfectæ simpliciter, & infinitæ, non solum infinitate entitatiuè eadem, scilicet, perfectione, & infinitate essentiæ: sed etiam perfectione, & infinitate in proprio genere cuiuslibet attributi. Conclusio hæc, quoad primam partem, est communis, & quoad secundam etiam communis esse debet: quæ facile ex dictis probatur: quia realis identitas sufficit ad prædicationem identicam eorum, quæ prædicantur formaliter de eis cum quibus est talis realis identitas: sed relationes diuinæ sunt realiter eædem diuinæ essentiæ, & attributis: ergo quidquid formaliter de essentia, & de attributis prædicatur, identicè potest de relationibus prædicari. Prædicatur autem de diuina essentia, quod sit perfecta simpliciter, & formaliter infinita entitatiuè: & similiter de attributis prædicatur, quod quodlibet sit perfectum simpliciter, & infinitum in proprio genere: ergo hoc idem identicè de relationibus dicitur. Sunt ergo relationes identicè perfectæ, & infinitæ eisdem perfectionibus, & infinitatibus essentiæ, & attributorum.

1. Conclus.

Relationes diuinæ sunt identicè perfectè simpliciter, & infinitæ.

51. Dico secundo, quod hæc infinitas, seu perfectio essentiæ (& idem dico de infinitate, & perfectione attributorum) non multiplicatur in relationibus ad multiplicationem earum: sed in tribus relationibus realiter distinctis manet vna, & indiuisa perfectio, & infinitas essentiæ. Conclusio hæc etiam est communis, sicut præcedens: nam auctores primæ sententiæ illam non negant. Non enim ponunt plures infinitates, nisi relativas: infinitatem verò essentiæ, quam

2. Conclus.

Infinitas essentiæ non multiplicatur ad multiplicationem relationum.

quam identice habent relationes, non aiunt pluralificari ad pluralitatem relationum. Item, auctores secundæ sententiæ hanc cõclusionem tenent expresse: quæ facile probatur: nam tam infinitas, quam perfectio essentiæ, quâm etiam infinitas, & perfectio attributorum, non magis pluralificatur, quam ipsa essentia, & attributa: sed in tribus personis, vbi relationes identificantur essentiæ, & attributis, non sunt tres essentiæ, sed vna, nec tres sapientiæ, aut tres iustitiæ, sed vna sapientia, & vna iustitia: quod idem de cæteris attributis fides confitetur: ergo in tribus personis, seu in tribus relationibus, vna & indiuisa est perfectio, & infinitas essentiæ: sicut etiam vna, & indiuisa est perfectio, & infinitas sapientiæ, sicuti & iustitiæ, & alterius cuiuslibet attributi.

52. 3. Conclus. Dico tertio, relationes diuinas prout formaliter ab essentia distinguntur, secundum suos formales conceptus, nullam perfectionem formaliter includere. Conclusio est expressa Scoti contra auctores primæ sententiæ: non vero contra auctores secundæ; quia ipsi nobiscum aliam perfectionem (vt credo) concedunt relationibus, nisi perfectionem essentiæ, quam habent identice. Nam licet iuxta varios sensus, varias expositiones excogitent: nihilominus fere omnes ad idem quam sententiam reducunt, quod, scilicet, nullam aliam perfectionem, quam perfectionem essentiæ illis concedunt. Primo ergo probatur conclusio: quia secundum fidem Catholicam, ante omne opus intellectus, Paternitas, & Filiatio distinguntur, sicut Pater, & Filius: & ideo sicut Pater non est Filius, sic nec Paternitas est Filiatio: ergo aliquid dicit Paternitas realiter, quod non dicit Filiatio: & aliquid dicit Filiatio realiter, quod non dicit Paternitas. Quod manifestum est: quia distinctio realis fundatur in entitate reali: & ideò, si huiusmodi relationes realiter distinguntur, aliqua entitas est Paternitas, quæ nõ est Filiatio, & aliqua entitas est Filiatiõ, quæ non est Paternitas. Ex quibus sic argumentum conficio: entitas illa quæ est Paternitas, & non Filiatio, vel dicit perfectionem, prout distinguitur ab essentia, vel nõ? Si secundum dicas, habetur intentum. Si autem dixeris primum: tunc tibi redarguo; nam vel habet eandem perfectionem, quam habet Filiatio, vel aliam perfectionem à Filiatione distinctam. Non aliam, quia tunc, vt infra probabo, aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio: & tunc Filius non esset vndequaque perfectus. Si dicit eandem perfectionem Filiationis: tunc Paternitas non distinguitur à Filiatione. Prout dicunt perfectionem: siquidem est eadem realiter perfectio in vtraque: ergo per oppositum, quatenus realiter distinguuntur, non dicunt perfectionem.

Relationes diuinæ formaliter nõ dicunt perfectionem.

Argumentum hoc efficacissimum est: sed adhuc illud intendunt soluere aduersarij, dicendo, relationes diuinas ab alio habere distinctionem, & ab alio habere perfectionem: habent etenim distinctionem à suis proprijs incommunicabilibus entitatibus: perfectionem vero ab essentia, quæ est in illis, etiam vt relationes sunt. Sed contra hanc solutionem sic arguo: nam Paternitas, verbi grãtia, quatenus respicit Filiationem, distinguitur realiter ab illa secundum omne esse Paternitatis, etiam quatenus importat formaliter perfectionem: vt sic igitur in quiro, prout à Filiatione distincta, an dicat eandem perfectionem Filiationis, aut aliam? Si hoc secundum dicas, eodem modo contra te arguo sicut antea: si autem dicit eandem perfectionem, quam dicit Filiatio: proculdubio secundum quod Paternitas dicit perfectionem, à Filiatione realiter non est distincta. Vel igitur teneris concedere Paternitatem distinctam perfectionem dicere à perfectione Filiationis: & tunc cum auctoribus primæ sententiæ, in quo Thomista faceris, quod negasti; tres, scilicet, perfectiones realiter distinctas esse in relationibus: vel debes tuam secundam sententiam retractare in eo, quod asseris relationes secundum formales conceptus relationum, perfectionem formaliter importare.

52.

Probatur secundo eadem conclusio: quia vt ex supra notatis habetur, relatio diuina est ens non quantum: sed perfectio solummodo enti quanto,

53.

to, quantitate virtutis potest competere: ergo relatio diuina non est formaliter perfecta.

§. 9.

Ratione tertia iterum probatur tertia conclusio, cuius solutiones quorundam improbantur.

54 *Ingentissima ratio.*

TERTIO probatur ex suppositione, quod perfectio relationis diuinæ, si quæ esset, esset perfectio simpliciter, & infinita: quia sibi non potest competere perfectio secundum quid, vt notauimus supra, & omnis perfectio, quæ est in Deo, est infinita. Ex hac ergo suppositione sic arguitur: si paternitas, v.g. esset perfectio simpliciter infinita, secundum quod præcise paternitas est, tunc Pater haberet aliquam perfectionē simpliciter infinitā, quam Filius non haberet: & è conuerso Filius haberet aliquam perfectionē simpliciter infinitam, quam Pater non haberet: sequela autem non minimum infert absurdum: quia Pater esset minus perfectus, quàm Filius: & Filius minus perfectus, quàm Pater. Quod autem sit absurdum, est euidens: cum enim Filius sit infinitum ens intensiuè, & infinitè perfectum, repugnat sibi non habere omnem perfectionem infinitam: est enim manifesta contradictio in adiecto, esse aliquam infinitam perfectionem, quæ non sit formaliter in infinito intensiuè, seu entitatiuè: perfectio etenim infinita est perfectio simpliciter: omnis autem perfectio simpliciter potest esse in infinito entitatiuè, vt supra probatū est: in diuinis autem idem est posse, & esse: ergo omnis perfectio simpliciter est in infinito perfecto, qualis est Filius. Igitur est contradictio in adiecto, Filiū esse formaliter infinitum entitatiuè, & aliquam perfectionem simpliciter infinitam non habere in se. Quod autem sequatur, aliquam perfectionem talem esse in Patre, quæ non sit in Filio, & è contra, euidenter probatur: quia paternitas, vt paternitas, secundum aduersarios, est formaliter perfectio simpliciter infinita: sed paternitas, vt paternitas, non est in Filio, imò per locum intrinsecum repugnat esse in Filio: ergo perfectio paternitatis repugnat esse in Filio.

55 *Quorūdam solutio.*

Hoc argumentum ita opprimit Auctores secundæ sententiæ, vt vnusquisq; varias eius solutiones confingat. Quidā etenim negant illā sequelā: quod scilicet aliqua perfectio infinita esset in Patre, quæ non sit in Filio: ibi etenim idem defectus cōmittitur (inquiūt) qui in hac consequentia à Theologis reperitur, vt potè, hæc paternitas est essentia diuina: sed hæc paternitas nō est in Filio: ergo hæc essentia non est in Filio. Dicunt igitur hunc defectum esse intrinsecum: quia in maiori affirmatiua absolutum prædicatur de relatiuo: in minori vero negatiua, negatur relatiuum oppositū de suo relatiuo opposito, & fit sensus magis formalis in negatiua, quàm in affirmatiua: ac ideò procedit argumentum à negatione entitatis relatiuæ in Filio, ad negationem entitatis absolutæ in eodem, qui processus in diuinis non valet, vbi quodcunque absolutum est tribus personis commune, non vero relatio. Vnde sicut non valet illa, paternitas non est in Filio: ergo nec essentia: ita non valet, paternitas non est in Filio: ergo nec perfectio paternitatis: non enim minus perfectio paternitatis est in Filio quàm essentia.

56 *Impugnatio solutionis prædictæ.*

Hæc quidem solutio nec vim præfactæ rationis minuit, nec ipsi aliqualiter respondet: nam perfectio diuinæ paternitatis non est quid absolutum, sed relatiuum, seu ipsamet relatio, quæ formaliter paternitas est. Assignant etenim prædicti Auctores, paternitatē sub propria, & formali ratione relationis perfectionem formaliter importare, prout Caietanus, & cæteri fere concludunt. Ex hoc ergo facillimè impugnatur eorū solutio: nam paternitas secundum proprium, & formalem cōceptum paternitatis, & prout formaliter relatio est, dicit perfectionē simpliciter infinitam: sed secundū formalē conceptū paternitatis, & prout formaliter relatio est, nō est in Filio: ergo perfectio simpliciter infinita, quā formaliter dicit paternitas, prout formali-

ter relatio est, non est in Filio: ergo aliqua perfectio simpliciter infinita non est in Filio. Et præterea deficit illa instantia in solutione adducta: quia licet in exemplo ibi posito in maiori affirmatiua, absolutum prædicetur de relatiuo, in minori vero relatiua, relatiuum oppositum, de suo relatiuo oppositum prædicetur, ex quo sequitur ille defectus ab aduersarijs assignatus: nihilominus tamen in præsenti non est similis modus arguendi: quia in maiori non prædicatur absolutum de relatiuo, sed relatiuum de relatiuo. Sic enim conficitur argumentum, paternitas vt relatio, dicit formaliter perfectionem simpliciter infinitam, quæ necessario relatiua est: sed paternitas, vt sic non est in Filio: ergo talis perfectio non est in Filio. Nam hæc est euidens consequentia, paternitas est entitas relatiua: sed Paternitas non est in Filio: ergo aliqua entitas relatiua non est in Filio. Tunc sic, perfectio Paternitatis est entitas relatiua: quia perfectio relationis relatiua est, & hæc est infinita: sed entitas relatiua Paternitatis non est in Filio: ergo perfectio relatiua Paternitatis non est in Filio. Sed hæc talis perfectio per vos est simpliciter infinita: ergo aliqua perfectio simpliciter infinita est in Patre, quæ non est in Filio.

57 *Solutio aliorum.*

Alij dicunt, perfectionem illam quam importat paternitas, eo esse eandem perfectionem in tribus relationibus: quia habet rationem absoluti essentialis, & sicut omnia essentialia sunt communia tribus, sic etiam huiusmodi perfectio, veluti quid absolutum, est tribus communis. Contra hanc tamen solutionem facilis est impugnatio: quia nullum absolutum est proprium, & formaliter idem alicui relationi: alias enim relatiuum, & absolutum confunderentur in Deo, quod est expresse contra Diuum Augustinum, vt patet ex multis locis ipsius, quæ habentur supra in difficultate 54. si ergo relatio, vt formaliter est relatio, condistinguitur ab absoluto, ita quod relatio est principium formale distinctionis realis in Deo, absolutum vero est principium identitatis realis in ipso: quomodo ergo aliqua relatio

Confutatio solutionis.

Absolutũ non est de cõceptu formali relatiui.

potest dici formaliter absoluta, secundum formalem rationem relationis? Aut quomodo absolutum, secundum rationem formalem absoluti, potest esse formaliter relatiuum, seu relatio? Si ergo perfectio relationis est absoluta: proculdubio relatio est formaliter absoluta, eadem prorsus ratione, qua formaliter est perfectio: & illa perfectio absoluta formaliter est relatio, eadem ratione, qua est idem formaliter relationi tanquam perfectio identificata ei, cuius est perfectio. Item perfectio paternitatis prouenit ab ipsa paternitate, prout præcise est paternitas: sed paternitas, prout præcise est paternitas, nihil absolutum in conceptu suo formali includit: ergo perfectio paternitatis nullatenus potest cõcipi absoluta: ergo est relatiua. Sed nihil relatiuum Patris est in Filio: ergo nec aliquid perfectionis paternitatis est in Filio. Item, quia perfectio hæc paternitatis, vel est essentialis, vel notionalis. Primum non dices, quia omnia essentialia sunt priora notionalibus in Deo: ergo si talis perfectio esset essentialis, esset prior ipso met Patre, & ipsa paternitate, quæ notionalia sunt. Vrget argumentum, quia secundum Scotum, essentialia prius natura sunt, quàm notionalia: igitur perfectio paternitatis prius natura esset in Deo, quàm ipsa paternitas, & tunc non proueniret ab illa, nec esset propria perfectio huius entitatis, quæ est paternitas. Si autem dicas secundum, tunc duo infero, primum quidem, huiusmodi perfectionem non esse communem Patri, & Filio, & Spiritui sancto: quia nullum notionale est tribus personis commune. Secundum vero, quod talis perfectio absoluta esse non potest: quia notionalia, non absoluta, sed relatiua sunt. Patet igitur perfectionem illam absolutam esse non posse.

Sed forsan dices, huiusmodi perfectionem, eo quod est integritas Dei, nec absolutam tantùm, nec tantùm relatiuam esse, sed comprehendere vtrunq;: nam hæc perfectio, ideò est vna in tribus relationibus, quia Deus est vnus, & integer, in tribus personis existens: & ideò triplex relatio cõstitutiua personarum

58 *Solut. Vaz quij.*

ad

ad Dei integritatẽ pertinet: & quia hæc integritas eſt infinita Dei perfectio, & Deus vt perfectus, eſt vnus & idem in illis: ideò hæc perfectio eſt vna, & eadem in tribus relationibus. Hanc ſolutionem videtur tradere Vazquez.

59 *Impugnatio huius ſolutionis.*

Verũ enim vero, hæc eſt manifeſta euaſio difficultatis, quæ argumentum non ſoluit, ſed omnia Trinitatis videtur confundere. Hic enim non agimus de diuina integritate, qua Deus eſt ſimpliciter vnus, & infinite perfectus in tribus perſonis: vt ſic etenim iam concluſimus ſupra, quod ſicut vnica, & indiuiſa eſt eſſentia in illis: ſic vnica, & indiuiſa eſt perfectio eſſentialis omnium, quæ ſunt in Deo. Sed quod in præſenti inueſtigatur, eſt formalizando relationes, & illas præcindendo ab omni, quod ſibi prouenit identicè ab eſſentia: ſic etenim quærimus, an quælibet ſecundum ſe, vt ab eſſentia, & ab altera relatione condiſtincta, dicat perfectionem. Agimus enim de perfectione perſonali, vt perſonalis eſt, de illa videlicet, quam relatio (ſaltim noſtro modo intelligendi) addit ſupra perfectionem eſſentialem, quam quidem perfectionem, etiam aduerſarij ſupponunt eſſe aliquo modo diſtinctam à perfectione eſſentiæ. Ex hac ergo perfectione difficultas procedit, & arguo ſic, perfectiones relationum ex ſolis relationibus, vt ſic ab eſſentia condiſtinctis, conſurgunt: ergo vt ſic tantum relatiuæ ſunt, & nullatenus abſolutæ. Conſequẽtia patet, quia ex vno præciſe relatiuo, nequit conſurgere perfectio ſimul relatiua, & abſoluta: perfectio etenim ſequitur entitatem, cuius perfectio eſt.

60 *Aliorũ ſolutio inter quos eſt Suarez.*

Alij autem dicunt, perfectionem paternitatis verè diſtingui realiter à perfectione filiationis: non tamen inconuenit vnam perfectionem eſſe in Patre, quæ non ſit in Filio: & ideò fatentur, perfectionem paternitatis eſſe relatiuam, & relatiuè oppoſitam perfectioni filiationis: & ſic quia non poſſunt argumentum aliter ſoluere, pro minori inconuenienti reputant, tres perfectiones relatiuas, realiter diſtinctas concedere, quàm illam chimericam ſolutionem de communi perfectione relationum admittere. Sic Auctores primæ ſententiæ ad præfactum argumentum reſpondent. Vnde ad inconueniẽs illatum ex illo, quod ſcilicet aliqua perfectio deficeret Filio, quæ eſt in Patre, inquit Suarez, duplicem eſſe perfectionem, vnã ſcilicet, quæ vocatur à Theologis ſimpliciter ſimplex, quam definiuit Diuus Anſelmus in Monologio capite quinto, eſſe illam, *quæ in quolibet melior eſt ipſa, quàm non ipſa.* Alia vero eſt perfectio, non ſimpliciter ſimplex. Et in hoc ſecundo ordine collocandam eſſe cenſet perfectionem relatiuam, quatenus talis eſt. Duplici enim ex capite ait prouenire, quod aliqua perfectio non ſit ſimpliciter ſimplex, eo modo quo ab Anſelmo definita eſt, & ab Scholaſticis communiter recipitur. Primo propter imperfectionem, vel limitationem, quam habet adiunctam: & hoc modo non poteſt conuenire perfectioni exiſtenti in Deo. Secundo ex oppoſitione, quam habet cum alia æquali perfectione: nam hinc fit, vt ambæ relationes inter ſe oppoſitæ non poſſint ſimul conuenire eidem perſonæ: & conſequenter etiam fit, vt neutra ſit melior in omni ente, ſeu perſona, quàm oppoſita: atque ita neutri conuenit definitio perfectionis ſimpliciter ſupra data. Quod inueniri non poteſt in perfectione abſoluta: quia nõ includit oppoſitionem. Hactenus Suarez.

61 *Improbatur ſolutio Suarij.*

Sed profecto hæc ſolutio (venia tanti viri) merè arbitraria, & prolibito poſita eſt: quia ibi immerito tres perfectiones multiplicat, vnam ſcilicet ſimpliciter ſimplicem, & aliam limitatam, & aliam infinitam, ſed non ſimpliciter ſimplicem: cuius ſuperfluæ diuiſionis inſufficientia ſatis conſtat ex his, quæ ſupra notauimus à numero vigeſimotertio vſque ad vigeſimum octauum, vbi latè oſtenditur, omnem perfectionem, vel eſſe perfectionem ſimpliciter, vel perfectionem ſecundum quid: & hanc ideò perfectionem ſimpliciter non eſſe, quia neceſſario habet admixtam imperfectionem finitatis. Ex qua adæquata perfectionis diuiſione concluſimus, omnem perfectionem diuinam eſſe ſimpliciter ſimplicem: & ideò ſi relationes diuinæ formaliter eſſent perfectiones, neceſſario deberent eſſe perfectiones

simpliciter. Hoc autem nunc efficaciter probo, & in sufficientiam illius alterius membri assignatæ diuisionis à Suario, manifeste ostendo. Nam illa tertia perfectio, quam in relationibus constituit, secundum illum, est formaliter infinita. Sed perfectio cuiuslibet formaliter infiniti est perfectio simpliciter: ergo perfectio illa relationis est perfectio simpliciter simplex, vel formaliter infinita non est: & ex consequenti, superfluit illud tertium membrum diuisionis, & manet in suo robore nostrum supra positum argumentum, quòd aliqua perfectio simpliciter infinita est in Patre, quæ non est in Filio, & è contra.

62 *Perfectio quælibet infiniti intensiui est perfectio simpliciter.*

Quod autem omnis perfectio infiniti intensiui sit perfectio simpliciter probatur ab Scoto in illa quæstione quinta quodlibetali: ex eo enim litera M. probat relationem infinitam non esse, quia non est perfectio simpliciter simplex. Quod argumentum, & nostram conclusionem confirmat, & Suarij solutionem satis impugnat. Omnis perfectio simpliciter (inquit Doctor) est communicabilis: omne autem infinitum intensiuè est perfectio simpliciter: ergo omne infinitum est communicabile. Relatio autem est incommunicabilis: ergo non est perfectio simpliciter, nec ex consequenti formaliter infinita. Illam autem minorem, quæ nobis restabat probanda scilicet omne infinitum esse perfectionem simpliciter, his verbis supponit Doctor probatum. *Minor est manifesta, quia nihil potest esse magis perfectum quam quod sit infinitum intensiue*: infinitum autem, etiam in proprio genere est infinitum intensiuè: ergo etiam si relatio sit infinita in proprio genere, adhuc esset perfectio simpliciter.

63

Illam autem minorem, quàm Scotus hic supponit probatam, ego iterum ex eodem sic probo, nam ipse sub litera F. eam probauerat sic. Infinito nihil deficit entitatis, eo modo, quo possibile est illud haberi in vno: sed omnem perfectionem simpliciter, possibile est realiter, & per identitatem haberi in vno summè perfecto, quale est infinitum: ergo infinitum habet in se realiter, & per identitatem omnem perfectionem simpliciter, Item, igitur qualiter omne infinitum intensiue (de quo hic loquimur) habet sibi identificatam omnem perfectionem simpliciter simplicem, & ipsum infinitum est perfectio simpliciter simplex. Ex quo sic contra Suarium arguo. Perfectio paternitatis, verbi gratia, est pertè formaliter infinita intensiue: sed omne infinitum intensiuè est formaliter perfectio simpliciter simplex, & omnem perfectionem simpliciter simplicem per identitatem includit: ergo Paternitas formaliter est perfectio simpliciter simplex, & omnem perfectionem simpliciter simplicem includit. Tunc prosequitur Scotus sic: *Sed non habet paternitas in se realiter, & per identitatem, illud quod realiter est distinctum abeo*, vtpotè filiationem: ergo ab infinito nulla perfectio simpliciter simplex, siue nullum perfectum simpliciter, potest esse realiter distinctum. Esset autem perfectio simpliciter distincta realiter à paternitate, si filiatio esset aliud infinitum formaliter perfectum: ex quo plura infinita intensiuè esse inferetur: ergo si paternitas esset infinita, consequenter esset perfectio simpliciter simplex, quod Suarez negauit: & similiter filiatio esset formaliter perfectio simpliciter simplex: & darentur duæ perfectiones simpliciter simplices incomposibiles in eodem, quod inuoluit repugnantiam, attenta diffinitione perfectionis simpliciter simplicis, quod ipse Suarez fatetur.

64 *Omnis perfectio simpliciter simplex reperitua in ente infinito.*

Quod autem necessario omnis perfectio simpliciter simplex, sit in ente infinito, quod est summè perfectum, probat Doctor ibidem: quia nihil est summè perfectum, cui deficit aliqua perfectio simpliciter: sed infinitum intensiuè est summè perfectum: ergo infinito intensiuè, non potest deficere aliqua perfectio simpliciter: & ex consequenti ex hypotesi, quod paternitas est formaliter infinita, nulla perfectio simpliciter ei deesse potest: ergo necessario est perfectio simpliciter, semel admisso, quod perfectionem importat. Assumptum probatur à Doctore: quia nulla perfectio simpliciter est incomposibilis alteri perfectioni simpliciter: sed infinitum est perfectio simpliciter: ergo nulla perfectio simpliciter est sibi in com-

compoſsibilis. Conſtat igitur contra Suarium, vel paternitatem formaliter perfectionem non eſſe, vel quod, ſi perfectio eſt, neceſſario eſt perfectio ſimpliciter: & ex conſequenti ex eo quod plures perfectiones ſimpliciter, in relationibus diuinis concedat, neceſſario admittere perfectiones ſimpliciter adinuicem incompoſsibiles, & ſic deſtruere rationem formalem perfectionis ſimpliciter à ſe poſitam, iuxta deſcriptionem Diui Anſelmi. Probant præterea hanc concluſionem reliquæ rationes poſitæ ab Scoto in textu.

§. 10.

Concluditur relationes diuinas non eſſe formaliter infinitas.

65 *Quarta concluſio. Relationes diuinæ ſecundum ſe non ſunt formaliter infinitæ.*

DIco quarto, quod relationes diuinæ ſecundum ſuos formales conceptus prout diſtinguuntur formaliter ab eſſentia, non ſunt formaliter infinitæ. Probatur concluſio primo: quia relatio diuina non eſt ens quantum quantitate virtutis: ergo nec eſt finita, nec infinita: eſſe ens non quantum ſupponitur ex ſupra notatis: quia omnes ens quantum comparatum ad aliud eſt excedens, vel exceſſum: relatio vero diuina nec excedit, nec exceditur. Quod patet: quia ſi excederetur, iam eſſet finita, nullum enim infinitum exceditur. Si autem eſſet excedens, tunc paternitas excederet filiationem, & filiatio paternitatem: quia quod non eſt idē realiter ſibi, neceſſario excedit, vel ab eo exceditur. Illa vero prima conſequētia probatur: quia ſicut finitum, & infinitum prout ſpectat ad quantitatem molis: non conueniunt niſi enti quāto: ſic finitum, & infinitum, prout ſunt modi intrinſeci entis, non conueniunt niſi quantitati virtutis, confirmatur hæc ratio: quia menſura omninò prima extra genus neceſſario eſt vna, ſicut in quolibet genere eſt aliquod vnum, quod aliorum eſt metrum, & menſura: ſed relationes diuinæ ſunt plures, & realiter inter ſe aliquæ earum diſtinctæ: ergo relatio diuina non habet rationem metri, & menſuræ: aliàs enim plures menſuræ extra genus, & in genere, eſſent conſtituendæ, ſi infinitæ eſſent. Infinitum enim in qualibet quantitate virtutis eſt menſura, & metrum, ad quod cætera mēſurantur, & dicuntur perfectiora, vel imperfectiora per acceſsū, & receſſum ad ipſum.

Secundo probatur ratione Scoti: quia non poſſunt eſſe plura formaliter infinita, & realiter diſtincta in quantum infinita ſunt: ſed relationes diuinæ ſunt plures realiter diſtinctæ, quatenus relationes ſunt: ergo prout relationes ſunt, non ſunt formaliter infinitæ. Maiorem probo: quia nulla perfectio ſimpliciter poteſt eſſe realiter diſtincta ab ente formaliter infinito: ſed ſi eſſent plura entia infinita realiter diſtincta, aliqua perfectio ſimpliciter eſſet realiter diſtincta ab infinito: ergo non poſſunt eſſe plura infinita realiter diſtincta. Maior probatur: quia infinitum formaliter eſt, cui nihil deeſt entitatis, eo modo, quo poſsibile eſt illud haberi in vno: ſed poſsibile eſt omnem perfectionem ſimpliciter realiter, & per identitatem haberi in vno ſuppoſito ſummè perfecto, quod eſt infinitum: nam vt ſupra dictum eſt ideò non ſunt incompoſsibiles tales perfectiones in infinito: quia vna perfectione ſublata, infinitum non eſſet ſummè perfectū: ergo, &c. Minor probatur: quia infinitum formaliter, prout ſupra numero 61. oſtendimus ex Scoto, eſt perfectū ſimpliciter: ergo ſi ſint plura infinita realiter diſtincta per incommunicabiles relationes eorum, aliqua perfectio ſimpliciter, vtpotè perfectio relationis incommunicabilis, non poterit haberi per identitatem ab infinito, cui talis perfectio ſeu relatio incommunicabilis eſt.

66 *Plura formaliter infinita realiter diſtincta non poſſunt dari.*

Sed dices, quod licèt relationes ſint formaliter infinitæ, & inter ſe realiter diſtinctæ, non tamen diſtinguuntur, prout infinitæ ſunt: ſed quatenus ſunt relationes: ſicut enim Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tria ſuppoſita realiter diſtincta, & tamē nō ſunt tria infinita, ſed vnū infinitū: ſic tres relationes diuinæ ſūt realiter diſtinctę inter ſe

67

& formaliter infinitæ: non tamen sunt tria infinita.

68 Hæc quidem solutio argumentum non euacuat: quia supposita diuina sunt vnum infinitum infinitate vnius essentiæ, quæ in ipsis est eadem; & qua Pater formaliter est Deus, & similiter est formaliter infinitus, & Filius est formaliter Deus infinitus, & Spiritus Sanctus formaliter Deus infinitus. At verò relationes diuinæ, prout hic concipiuntur, sunt distinctæ formaliter ab essentia: & prout sic formaliter distinctæ in suis formalibus conceptibus secundum aduersarios, dicunt formaliter infinitatem. De ipsis ergo vt sic conceptis argumentum procedit, & benè probat, quod sicut paternitas est incommunicabilis filiationi, & è contra, & spirationi passiuæ: sic infinitates talium relationum sunt similiter incommunicabiles adinuicem, & ex consequenti inuitabiliter concedendum esset, esse tria infinita formaliter, si relationem infinitam formaliter esse concederemus.

69 Confirmatur prædictum argumentum: quia si essent plura infinita realiter distincta: necessario sequitur nullum eorum esse formaliter infinitum: ergo implicat plura formaliter infinita re ipsa distingui, vel implicat plura, quæ realiter distinguuntur, esse formaliter infinita. Sequela probatur: quia si essent plura formaliter infinita, vnum illorum, seu quodlibet, esset imperfectius infinito: si quidem aggregatum ex omnibus infinitis, esset maius bonum, quàm quodlibet illorum seorsum sumptum: sed infinitum est, quo aliud perfectius bonum excogitari non potest: ergo, &c. Nec valet si respondeas, ex hac illatione etiam inferri ex Deo, & creatura fieri vnum perfectius, quàm est ipse Deus solus, quod est omninò falsum: ergo consequentia proposita, nec est bona, neque eius consequens verum. Ad hoc enim respondeo, quod quando sunt aliqua duo, quæ ita se habent, quod perfectio vnius eminenter, & virtualiter includitur in alio, aggregatum ex ipsis: non est perfectius altero, in quo alterum sic eminenter, & virtualiter continetur: quãdo verò illa duo sunt æquè perfecta, & neutrum eminenter continet alterum: proculdubio aggregatum ex ipsis, perfectius esset, quàm quodlibet: quia illi additur noua perfectio alterius, quam in se, nec formaliter, nec virtualiter, neque eminenter includebat. Primo modo se habent Deus, & quælibet creatura: quia creatura virtualiter, & eminenter includitur in Deo: & ideò creatura non auget perfectionem Dei: at qui relationes diuinæ incommunicabiles sunt, & vna non continetur in altera, nec formaliter, nec virtualiter, nec eminenter. Quamobrẽ perfectio vnius super additur perfectioni alterius. Et tunc argumentum valet, quod scilicet aggregatum ex eis esset perfectius, si infinitæ essent: quàm quælibet seorsum: & ex cõsequenti plura formaliter infinita esse repugnat.

Creatura non auget perfectionẽ Dei.

Probatur tertio eadem conclusio: nam omne infinitum formaliter est idem realiter cuicunque compossibili sibi in eodem supposito, sic intelligendo, quod accipiendo vtrunque in abstracto, prædicatur sicut in recto, hoc est, quod sicut prædicatur in recto, prædicetur in abstracto. Etenim non minus est vera ista, bonitas est sapientia, quàm ista, bonus est sapiens: eo quod sapientia, & bonitas sunt formaliter infinitæ, & ob infinitatem suam, ita identificantur realiter, vt quantumuis fiat abstractio earum, semper in eis maneat infinitas, & consequenter identitas: ratione cuius identitatis prædicta prædicatio semper est vera. At qui in relationibus, non est sic: quia hæc est vera, Pater est spirans: hæc autem est falsa, paternitas est spiratio. Sed prout in Commentario huius articuli quinti visum est, nulla alia ratio huius diuersitatis esse potest, nisi quia infinitas est ratio identificandi: & prædictæ relationes infinitæ formaliter non sunt. Ex hoc enim, quod infinitæ non sunt, nulla inter eas, facta abstractione omnimoda, reperiri potest identitas: & ideò nec identicè ista est vera, paternitas est spiratio: ergo de primo ad vltimum, saltim à posteriori infertur, relationes diuinas formaliter infinitas non esse, si quidem inter eas non est realis identitas, quæ ab infinitate proficiscitur: fiam

70 *Infinitum formaliter identificat sibi in eodẽ omne sibi compossibile.*

nam inter paternitatem, & in ſpirationem actiuã vt in citato Commentario quinti articuli notauimus, non eſt ea identitas realis, quæ inter ſapientiam, & bonitatem, ſed alia quæ non ſufficit ad prædicationem identicam: ſicut non ſufficit identitas humanitatis, & riſibilitatis, vt hæc prædicatio ſit vera, humanitas eſt riſibilitas.

71 *Quinta concluſio.*

Semeladmiſo per impoſſibile relationes eſſe formaliter perfectas, & infinitas, probabilior eſt prima ſententia, quam ſecunda.

Dico quinto, quod ſemel per impoſſibile, admiſſa infinitate, & perfectione in relationibus, ſecundum ſuos formales conceptus, & prout ab eſſentia formaliter diſtinguuntur, probabilius eſſet aſſerere cum prima ſententia, ibi eſſe tot perfectiones realiter diſtinctas, & tot infinitates formales etiam realiter diſtinctas, quot ſunt relationes diſtinctæ realiter: quàm cum ſecunda ſententia ponere ſic relationes formaliter perfectas, & infinitas, & vnam tantum perfectionem, & infinitatem eſſe in tribus. Hæc concluſio ſtatuitur ad defenſionẽ eorum, qui conformius ad ſuam doctrinam loquuntur. Inintelligibile namq; eſt, tres eſſe relationes realiter diſtinctas & ſecundum ſuos formales conceptus eſſe formaliter infinitas, & perfectas, & vnam in ſuo conceptu formali realiter diſtingui ab alia: & nihilominus perfectionem formalem vnius eſſe perfectionem formalem aliarum. Probatur ſatis concluſio ex eisque dicta ſunt ſupra num. 14. & ſequentibus, & latè patet ex notatis à Suario vbi ſupra.

§. 11.

Soluuntur argumenta primæ ſententiæ.

72 *Argumenta pro prima ſententia, & ad primum. Bonitas duplex, alia tranſcendẽtalis, alia quantitatiua.*

IAM argumenta ſoluendo ad primum pro prima ſententia reſpondet Pater Rada ſub ſolutione ad quintum, duplicem eſſe bonitatem: primam tranſcendentalem, quæ conuenit omni enti, quæ non eſt negatio ſeu defectus naturæ: & in hac ſignificatione omne ens eſt bonum, & perfectum. Secundam verò ait eſſe bonitatem quãritatiuam, ſecundum quam aliquid eſt natum eſſe menſura, vel menſuratum, in ordine ad aliud. Primo modo, inquit, relationes diuinas eſſe bonas, & perfectas: quia ſunt entia, quibus cõpetit eſſe, & omninò repugnat imperfectio. Secũdo autem modo nõ ſunt bonæ, nec perfectæ, eo quod non ſunt entia quanta. Hanc tamen ſolutionem reijcit Faber, dicens, hanc bonitatem tranſcendentalem relationibus ab Scoto eſſe negatã. Et revera, bonitas etiam, vt trãſcendés, eſt Dei perfectio, prout ſupra in difficultate præcedenti num. 25. oſtenſum eſt. Ponit igitur Faber aliam reſponſionem, videlicet bonitatem tranſcendentalem ſolummodo competere enti reali completo, non vero formali: ſed quia ex hac ſolutione, non minima arrogatur iniuria attributis diuinis, quæ non ſunt minus entitates formales, quam relationes, aliter debet ſolui argumentum prædictum.

73 *Bonitas tranſcendẽtalis eſt perfectio formalis, & dicitur bonitas quanta.*

Bonitas eſt ratio obiecti voluntatis.

Ad illius igitur ſolutionem ſuppono ex notatis ſupra difficultate 67. numero 25. bonitatem etiam, vt eſt tranſcendens, eſſe attributum Dei: atque ideò bonitatem tranſcendentalem diuinam dicere perfectionem, & eſſe ipſam perfectionem formalem. Ex quo neceſſario ſequitur, hanc bonitatem tranſcendentalem eſſe bonitatem quãtam: alias enim perfectio non eſſet iuxta notata. Suppono præterea bonitatem hanc perfectam eſſe obiectum formale voluntatis, & fruitionis, & rationem appetibilitatis ex parte obiecti fruibilis, prout traditur ab Scoto in quarto diſtinct. 49. quæſtione ſecunda ſub litera T. quæ bonitas eſt complementum, & integritas entitatis, quæ competit rei in actu primo, cui nihil deficit, quod ad entitatẽ eius pertineat. Et hæc bonitas ſimpliciter eſt perfectio, & reddit ens obiectum formaliter voluntatis, vt dixi, ratione cuius, ens formaliter eſt amabile, & appetibile, & eſt obiectum vſus voluntatis, & fruitionis illius. Hæc igitur bonitas non pertinet ad relationes diuinas: benè tamen bonitas illa, quæ eſt idem, quod entitas: non quidem tranſcendentalis, quatenus tranſcendentia formaliter diſtinguuntur à ſubiecto: quia addunt bonitatem formalem: ens etenim non eſt formaliter verum, quo eſt bonum, nec eo eſt bonum, quo eſt vnum, nec eo eſt vnum, quo eſt ens: ſed

ſicut dixi mus in præcedenti difficultate num. 24. de tribus prioribus tranſcendé tibus *res, ens, aliquid*, eſſe Synonima: ſic bonitatem, prout præciſè dicit quandã integritatem in eo genere quo eſt, dici mus eſſe merè Synonimum entis, & nihil aliud addere ſupra ipſum; quia ſi ens in ſuo genere ſic integrum nõ eſſet, minimè eſſet ens: & ideò eodem conceptu quo concipitur ens, concipitur integrum eo modo quo eſt.

74 Hanc igitur bonitatem (quam nullo modo voco perfectionem, ſicut nec illam perfectionem vocauit Scotus) libẽter relationibus diuinis concedo, prout expreſsis verbis conceſſit Scotus, qui in hoc 1. diſt. 1. quæſt. 2. in antiquo textu ſub litera I. in noſtro autem articulato, ar. 1. hæc profert. *Ad primum dico, quod bonum vno modo conuertitur cum ente, & iſto modo bonum poteſt poni in quolibet genere. Sed bonum vt ſic, non habet rationem obiecti fruibilis, & ideò non oportet, quod in quocunq; ſit obiectum bonum hoc modo ſumptum, quod ſit propria ratio obiecti fruibilis. Ratiõ enim boni, non eſt ratio boni in communi, ſed boni perfecti, quod eſt bonum non habens defectũ, vel ſaltem ſecundum apparentiam, vel ſecundum præfixionem voluntatis, qualis non eſt relatio.* Aperte verba prædicta probant intentum, non ſolum reſpectu fruibilitatis veri finis vltimi, ſed etiam finis apparẽtis, ſeu præfixi, quod eſt bonum creatũ Quod ſequentibus verbis cõfirmat Lychetus ibidem ſub §. *vltimo ſunt ſoluenda*, loquens de vero fine qui eſt Deus, hæc etenim ait. Reſponſio ſtat in hoc, quia obiectum verè fruibile dicit bonitatem perfectam, in qua non poteſt verè eſſe ratio alicuius defectus: ſed verè eſt ibi ratio omnis boni. Quamuis ergo Paternitas ſit bonum, vt bonum conuertitur cum ente, non eſt tamen tale bonum, de quo bono loquitur in propoſito. Hactenus Lychetus. Concluditur ergo, relationem, ea ratione qua eſt ens, eſſe bonum, prout præciſè bonum eſt idem quod ens: non verò eſſe bonũ perfectum, de quo difficultas procedit. Quod expreſsit ibi Scotus, ex cuius verbis nota, quod nec etiam bonitatem apparentem aut prefixam à voluntate, cõceſit Doctor relationibus diuinis. Quia nec etiam vt ſic, habent rationem obiecti fruibilis, nec appetibilis, prout ab eſſentia formaliter concipiuntur diſtinctæ.

Relationes diuinæ dicuntur bonæ, prout bonum eſt idem, quod ens.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, myſterium ſanctiſsimæ Trinitatis perfectiſsimũ maximè eſſe: non ratione alicuius perfectionis relationum, prout relatio formaliter eſt ab eſſentia diſtincta: ſed ratione perfectionis eſſentiæ, quæ cum ſit vna, & eadẽ eſt indiuiſa in tribus. Et hæc vnitas eſſentiæ in tribus eſt, quæ reddit myſterium infinitè perfectum, & ineffabile. Non ergo cõſiſtit Trinitatis perfectio in relationibus, quibus diſtinguuntur perſonæ: ſed ex eo quod Deus ex perfectiſsima fœcunditate ſuæ naturæ eſt communicabilis tribus per productiones ſui perfectiſsimi intellectus, & ſuæ perfectiſsimæ voluntatis, quæ omia reddũt perfectiſsimum ſanctiſsimæ Trinitatis myſterium abſq; aliqua perfectione relationum. Quod autem deinde aſſumitur in argumento, quod paternitas eſt imperfecta, eo quod nullam dicit perfectionem, benè reſpõſum eſt ibi, quod carentia perfectionis non eſt imperfectio, niſi in ſubiecto, cui ex natura ſua debetur perfectio. Nec im pugnatio aliquid valet, non enim in illo quo poteſt dici imperfectio carentia alicuius, quod ſibi repugnat: repugnat autem perfectio relationi perſonali, eo quod incommunicabilis eſt: ratione enim incommunicabilitatis redditur incapax perfectionis, quæ ſibi propterea non debetur, quia ſibi repugnat. Eſſe autem incommunicabile non dicit imperfectionem: ſed eſt conditio neceſſario requiſita ad diſtinctionem producẽtis à producto, ſine qua, productiones diuinæ non eſſent.

75 *Ad ſecundum argumentum.*

Trinitatis myſterium dicitur perfectiſsimũ propter perfectionẽ eſſentiæ, non vero relationum.

Carẽtia perfectionis nõ ſemper dicitur imperfectio.

Ad tertium fateor relationes diuinas eſſe formaliter ſubſiſtentes, ſeu ſubſiſtẽtias, & in hoc conuenio cum Suario, & alijs, quod in Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, prout viſum eſt ſupra in dificultatibus 55. & 56. & ſimiliter concedo diuinas perſonas perfectiſsime ſubſiſtere. Dico tamen cum Scoto quæſt. 5. quodlibetica ſæpe citata ſub litera V. quod ſubſiſtere eſt æquiuocum, vel enim capitur proper ſe eſſe, in quo ſenſu loquitur D. Auguſtin. 7. de Trinitate cap. 4. dum inquit, *quod omnis res ad ſe ſubſiſtit, quantomagis Deus*: vel capitur pro incommunicabiliter per ſe eſſe. Subſiſtere

76

tere ergo primo modo dicit formaliter perfectissimum esse: & hoc esse conuenit essentiæ; & Deo, vt est individuum Deitatis. Subsistere autem secundo modo supponit illud primum subsistere: non tamen formaliter illud includit, sed addit tantùm incommunicabilitatem supra subsistere primo modo acceptum, & illud sic est ratio subsistendi personaliter, quod est ratio incommunicabiliter per se essendi. Talis est subsistentia relationis, quæ non dicit perfectionem, nec est ratio perfectè subsistendi in Deo. Vnde tres diuinæ personæ perfectè subsistunt subsistentia essentiali, non verò personali, id est primum subsistere est in illis perfectum minò tamen secundum.

77 Ad quartum dico, communicabilitatem diuinæ essentiæ ex sua infinitate esse sibi cõnaturalem: ipsa etenim realiter est perfectissimè cõmunicabilis tribus personis: & ex consequenti ipsæ personæ, quibus communicabilis est essentia, perfectissimæ sunt eadem perfectione essentiæ sibi communicatæ. Et hoc est, quod ad summum concludit argumentum: si etenim illatio est, quod ideò supposita sunt perfecta: quia perfectio est essentiæ, eis esse communicabilem: non aliud potest inferri, nisi quod ipsa supposita sunt perfecta, eadem perfectione sibi proueniente ex tali communicatione essentiæ: & ita verum est, quod quælibet persona est formaliter perfectissima: quia formaliter habet essentiam, quæ est formaliter infinite perfecta. Nõ tamen exinde sequitur rationes constitutiuas personarũ formaliter perfectionem importare: quia absque perfectionibus earum, habent personæ vnde sint formaliter perfectissimæ, sicut perfectissima est essentia.

Personæ diuinæ sunt perfectissimæ perfectione essentiæ sibi cõmunicata.

78 Ad quintum, benè responsum est ibi. Ad replicam autem dico, personas diuinas habere omnem decorem, & pulchritudinem ab essentia, quam formaliter includũt, & ratione essentiæ, qua sunt formaliter Deus, sunt infinitè amabiles. Ad illud verò, quod assumitur de Christo Domino, dico, personã Verbi, eo quod est formaliter Deus, esse summum bonum. Et licèt verum sit, quod quando dicitur vnionem humanitatis factam fuisse, non ad naturam, sed ad personam, personam ibi terminasse naturam humanam: non tamen intelligitur, quod facta fuerit vnio ad præcisam relationẽ filiationis, sed ad ipsam personam Verbi, & ad ipsum Verbum, vt includens essentiam, & relationem. Et quamuis ratio terminandi sit ibi subsistentia relatiua: non tamen ex ipsa relatione, seu relatiua subsistentia, sed ex essentia diuina sumitur Incarnationis mysterij excellentia.

Ad quintum.

Personæ diuinæ sunt amabiles infinitè ratione essentiæ diuinæ.

79 Ad sextũ libenter concedo, quod data hypotesi, quod relationes diuinæ infinitatem formaliter, & perfectionem includerent: consequenter in Deo essent tres perfectiones, & tres infinitates realiter distinctæ, prout in vltima conclusione ostendi; & in hoc vt ibi dixi, multo conformior mihi videtur prima sententia, quàm secunda: licèt vtraque sit falsa.

Ad sextum

80 Ad septimum, eodem prorsus modo respondeo, quo ad sextum.

Ad septimum.

81 Ad octauũ dico, nullum esse inconueniẽs, quod si relationes diuinæ essent infinitæ, & formaliter perfectæ: in Deo essent plures perfectiones infinitæ realiter distinctæ. Assumptum autem ad huius probationem non concludit intentum. Infinitas enim, & perfectio intellectus tantùm distinguuntur formaliter ab infinitate, & perfectione voluntatis: esse verò in Deo plures perfectiones, & infinitates tantùm formaliter distinctas, non infert multiplicitatem infinitorũ: quia realiter est vnum, & idem infinitum, & perfectum, & non plura. Nec exinde inferatur, aliquam perfectionem realiter distinctam esse in vna persona, quæ non sit in alia: quia omnes perfectiones essentiales sunt simul cum essentia cõmunicatæ cuicũque personæ: personales verò non sic, sed ita vna esset & in vna persona, quod repugnaret sibi esse in alia: & ideò vna perfectior esset quam alia, quod erat illud maximum inconueniens, quod infert Scotus: & Auctores secundæ sententiæ fugere pro viribus elaborant.

Ad octauũ

Infinitates plures formaliter distinctæ dantur in Deo.

§. 12.

Soluuntur argumenta secundæ sententiæ.

82 *Ad argumenta pro secunda sententia, & ad primum.*

AD argumenta autem pro secunda sententia, & ad primum respondeo iuxta ea, quæ notauimus supra num.37. & 38. quodlibet attributum esse formaliter infinitum, quasi causaliter ab essentia, quæ est prima infinitas, & radix omnis infinitatis: sed hæc causalis non est vera: ideò est attributū formaliter infinitum: quia ipsum, & essentia sunt realiter idem: imò è contra vera est illa: ideò sunt realiter idē, quia ibi est infinitas. Nam de ratione infinitatis est idētificare sibi realiter omne secū cōpossibile, vt sæpe diximus: est igitur formaliter infinitū attributum ex sua entitate, quæ est formaliter capax infinitatis, radicaliter autē, seu fundamētaliter, aut quasi causatiuè ab essentia, quæ est primo infinita: & ideò infinitatem accipit ab essentia, à qua dimanat. Relatiove ro etsi ab eadē essentia dimanet, & propterea sit cum ea realiter idem: habet nihilominus ex sua ratione formali repugnantiam ad infinitatem: & ideò non ex defectu principij quasi effectiui, seu radicalis, aut fundamentalis, sed ex repugnātia principij formalis, vt docuit Scotus, sibi prouenit infinitā non esse.

83 *Ad secundum.*

Ad secundum patet ex supra notatis num.42. & sequentibus, quod ens prima sui diuisione, non diuiditur per finitum & infinitum: sed per quantum, & non quantum: ens autem quantum est, quod diuiditur per finitum, & infinitum. Vnde quia relatio diuina est ens non quātum, non comprehenditur sub diuisione finiti, & infiniti, atque ideò, nec est formaliter finita, nec infinita, sed negatiuè est non finita.

84 *Ad tertiū.*

Ad tertium respondet Pater Rada, quod relatio eo quod est obiectum secundarium diuini intellectus, & non cognoscitur nisi ratione obiecti primarij, quod est essentia, potest dici incomprehensibilis ratione medij quo cognoscitur, licet non sit incomprehensibilis secundum se. Hæc tamen solutio (venia tanti viri) ingentem patitur instantiam, vltra alias: quia videlicet tunc etiā creaturæ essent hoc modo incomprehensibiles, si quidem etiam sunt obiecta secūdaria diuini intellectus, & non, nisi ratione primarij obiecti, quod est essentia, cognoscuntur à Deo. Quapropter aliter respondeo, quod si esset aliquis intellectus, qui nec esset finitus, nec infinitus, sicuti relatio, nec est finita, nec infinita, argumentum aliquid vrgeret de incomprehensibilitate relationis: nam relatio diuina, ideò incomprehensibilis est ab intellectu finito, quia ipsa non est finita: intellectus autem finitus solùm obiecta finita potest comprehendere. Et quia vltra intellectum finitum, non est alius intellectus nisi infinitus: ideò relatio diuina incomprehensibilis est à quocunque intellectu, qui non sit infinitus. Cæterum loquendo de ipsa relatione secundùm se, & secundum suum præcisum conceptum, non est in comprehensibilis ea incomprehensibilitate, qua infinitum incomprehensibile est: sed sicut non est finita, nec infinita, sed non finita negatiue: sic nec est comprehensibilis, nec incomprehensibilis, sed negatiuè non comprehensibilis.

Creaturæ sunt obiectum secundarium, & ratione diuinæ essentiæ videntur in verbo.

Relatio diuina dicitur incomprehensibilis ab intellectu finito

85 *Ad quartū*

Ad quartum respondeo non requiri actionem esse adæquatam termino, & principio entitatiuè: sed proportionaliter. Primum patet, quia in generatione hominis, tàm principium, quàm terminus est substantia, & nihilominus actio generandi est accidens, quod maximè distat à substantia, & entitatiuè nullam adæquationem habent. Sic licèt in generatione diuina principium, & terminus formaliter sint infinita: quia tamen actio generationis, seu ipsa generatio prout relatio est, in sua entitate formali est incapax infinitatis, non obstat adæquationi requisitæ ad generationem termini infiniti procedentis ab infinito principio: quia entitatiua adæquatio non requiritur ibi. Secundum verò declaratur, quia proportio est inter actionem, & principium, & terminum actionis. Ita quod nec generatio hominis, v. g. potest habere alium principium, & terminum, nisi hominem generantem, & hominem genitum: nec homo potest hominem generare, nisi per talem actionem, quæ specialiter est actio generatiua homini connaturalis: sic proportionaliter est verum generationem diuinam adæquatam esse principio, & termino diuinis: quia scilicet, nec memoria fœcunda Patris potest Verbū alia actione producere, nisi generatione illa: nec generatio illa alium terminā, aut principium

Actio dicitur adæquata termino & principio entitatiue, sed proportionaliter.

cipium potest habere. nisi memoriam Patris, & Verbum productum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm si non esset distinctio ex natura rei, diuina essentia esset pelagus infinitæ substantiæ?

A. AD sextum sic proceditur, videtur, & si non esset distinctio ex natura rei, diuina essentia esset pelagus infinitæ substantiæ, *& hoc sine argumentis.*

B. Sed contra est, quod Damascen. 4. capit. præallegato, & capit. 9. vult, quod inter omnia nomina de Deo dicta proprijssimum est, qui est: quia esse dicit quoddam pelagus infinitæ substantiæ: cætera autem, vt dixit cap. 4. sunt illa, quæ circunstant naturam: *sed* istud non videtur propter hoc, quod multæ relationes rationis possunt circa ipsam causari: *ergo, &c.*

C. Respondeo dicendum, quod pelagus perfectionum (*quod* nota pro dicto Damasceni) vno modo potest intelligi pro continente, actu, & formaliter in se omnes perfectiones sub proprijs rationibus formalibus: sic nihil vnum formaliter est pelagus: quia contradictio est vnicam rationem formalem continere actu tot res: ergo hoc modo nihil est pelagus, nisi vnum identicè, quod est Deus, sapiens, bonus, beatus, &c. Hoc modo non accipit Damascen. pelagus. Alio modo potest intelligi aliquid vnum formaliter continens omnem perfectionem modo eminentiori, quo possibile est omnes in vno contineri. Iste autem est, quod non tantùm contineantur in eodem identicè propter infinitatem formalem continentis: sic enim quælibet continet omnes: sed vltra, quod contineantur virtualiter quasi in causa, & adhuc in aliquo, vt prima causa, à se continente, & vniuersalissima, quia omnes continente. Hoc modo hæc essentia est pelagus: quia in quacunque multitudine contingit stare ad aliquod omninò primum: in hac nihil est primum nisi hæc essentia: ideò ipsa non est tantùm formaliter infinita, sed virtualiter continens alias: nec tantùm aliquas, sicut forte intellectus continet sapientiam, & intelligere: & voluntas charitatem, & diligere: sed omnes: nec ab alio, vel virtute alterius continens: sed à se. Itaque habet infinitatem formaliter primariã, E. tàm scilicet à se, quàm respectu omnium vniuersaliter causalem, & virtualiter cõtẽtiuam: & ideò pelagus, ita continens omnes, sicut possunt eminenter in vno aliquo formaliter contineri: omnia flumina intrant in mare: & vnde exeunt reuertuntur. Istud non videtur nisi esset aliqua distinctio ex parte rei: non enim est pelagus infinitæ substantiæ propter hoc, quod multę rationis relationes possunt circa ipsum causari: ita enim possunt per actum intellectus circa quodlibet causari: est igitur ista magis per se, Deus est sapiens, quàm ista, sapiens est bonus. *Conclusio.*

D. Aliæ habent infinitatem formalem, & sic causalem, vel virtualem propter ordinem propinquiorem ad essentiam, & remotiorem saluãdum: sed non respectu omnium habẽt talem, nec respectu aliquorum habent a se, sed ab essentia. Hæc omnia patent in exemplo de ente & passionibus eius si ponantur eædem vt necesse est si vitetur infinitas.

E. Contra: verissima veritas ponenda est in Deo: formalis est verior, quàm identica tantùm.

Respon-

F. Respondeo: illa ponitur, sed non cuiuscunque ad quodcunque: si sic accipiatur, maior est falsa de persona, & persona, & glossanda, esse verior, quæ est possibilis. Nunc autem non est possibilis formalis identitas cuiuscunque ad quodcunque; sed tantùm realis: ex hoc medio arguitur ex oppositò: quia omnis vnitas simpliciter perfectionis est ibi ponenda. Talis est identica sine formalis quia est simplex, & vltimata: formalis autem non ponit illimitationem.

Expositio art. 6. quæst. 4. distinctionis 8.

2 EO quod D. Damascenus diuinã essentiam pelagus perfectionũ appellauerit: quod deinceps cuncti theologi receperunt: & Doctor Subtilis præ cæteris amplexus est, vt qualiter sit pelagus, explicet: & difficultatem articuli propositi diuimat, duo resoluit in textu. Primum est quædam aptissima distinctio, qua potest aliquid intelligi esse pelagus: & hæc distinctio est trimembris: nam primo aliquid posset dici pelagus eorum, quæ in se formaliter continet: secundo potest dici pelagus eorum, quæ in se continet idẽticè: tertio tandem potest dici pelagus eorum, quæ in se eminẽtiori modo quo sibi possibile est, aut virtualiter continet: quæ distinctio clarè habetur ex eis quæ notantur in litera. Resoluit igitur Doctor circa hoc primum, diuinã essentiam non esse pelagus perfectionum primo modo. Cuius rationem reddit, *quia contradictio est vnicam rationem formalem continere actu tot res.* Præterea inquit, secundum modum nõ sufficere: *sic enim quælibet continet omnes*, & quælibet perfectio diuina esset pelagus cæterarum perfectionum. Tertio ergo modo concludit diuinam essentiam esse pelagus omnium perfectionum, quod clarè ibi exponit, & asseuerat.

Pelagus tripliciter dicitur.

Essentia diuina in quo sensu dicatur, & non dicatur pelagus.

2 Circa secundũ autem, quod erat intẽtum articuli, optimè probat non posse intelligi essentiam esse pelagus eorum, à quibus ex natura rei formaliter nõ distinguitur. Ex quo confirmat, quæ supra in difficultate 67. de distinctione attributorum ab essentia probatum est. Nam si essentia secundum Damascenũ est pelagus perfectionum, & nihil esse potest pelagus eorum, à quibus ex natura rei formaliter non distinguitur: optimè concluditur diuinam essentiã à perfectionibus, quarum est pelagus, ex natura rei formaliter esse distinctã. Assumptũ autem, quod est huius articuli conclusio, ideò hic probat, quia videlicet si ex hoc esset pelagus infinitæ substantiæ: quia multæ relationes rationis possent circa ipsam causari, vel inquam, quia per intellectum posset concipi, & fabricari multas perfectiones sola ratione distinctas ab essentia, ab ipsa essentia pullulare: similiter posset per actum intellectus in qualibet perfectione causari pluresalias pullulari ab illa: si ergo non: quia per intellectum tantummodo, sed in re ipsa verum est, perfectiones ab essentia pullulare: non tamen vnum attributum pullulari ab altero: necessaria est distinctio ex natura rei inter essentiam, & perfectionem, quarum est pelagus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm distinctio, seu non identitas formalis, stet cum simplicitate Dei?

AD septimum sic proceditur, videtur, quod distinctio, seu non identitas formalis non stet cũ simplicitate Dei. Primo enim videtur, quod non saluetur simplicitas diuina: quia ex æquo ponitur essentia, quasi fundamentum, & ista quasi circunstantia essentiam: *ergo* videtur, quod ista se habent vt actus, & formæ respectu essentiæ diuinæ. A.

Secundo præterea: quia quomodo est B.

do est aliquid formaliter sapiens sapientia, si sapientia non est forma eius.

B. Sed contra est Augustin. contra Maximinum: si potes Deum Patrem concedere simplicem, & tamen esse sapientem, bonum (& numerat ibi multas tales perfectiones, quanto magis vnus Deus potest esse simplex, &c.

C. Respondeo dicendum, quod forma in creaturis habet aliquid imperfectionis, scilicet, quia est forma informans aliquid, & pars compositi: aliquid etiam habet, quod non est imperfectionis: sed consequitur eam secundum suam rationem essentialem, siue formalem: scilicet quod ipsa sit, quo aliquid est tale. Exemplum: sapientia in nobis est accidens: hoc est imperfectionis: sed quod ipsa sit, quo aliquid est sapiens: hoc non est imperfectionis, sed essentialis rationis sapientiæ: in diuinis autem nihil est formale secũdum illam duplicem rationem imperfectionis: quia nec informans, nec pars: est tamen ibi sapientia, in quantum est, quo, illud in quo ipsa est, & sapiens. Ista *ergo* non identitas formalis stat cum simplicitate Dei: quia hanc differentiam necesse est ponere inter essentiam, & proprietatem, sicut supra distinctione secunda quæstione vltima ostensum est, & tamen propter hoc non ponitur compositio in persona. Similiter ista distinctio formalis ponitur inter duas proprietates in Patre, innascibilitatem scilicet, & paternitatem, quæ secundum Augustinum quinto de Trinitate capite sexto, non sunt eadem proprietas: quia non est eo Pater, quo ingenitus: ergo si in vna persona possunt esse duæ proprietates sine compositione: multomagis, vel saltem æqualiter possunt esse plures perfectiones essentiales in Deo non formaliter eædem sine compositione: quia illæ proprietates in Patre non sunt formaliter infinitæ: essentiales autem perfectiones sunt infinitæ formaliter: ergo quælibet eadem cuilibet.

Conclusio.

D. Ad primum argumentum respondeo, quod in diuinis est sapientia, in quantum est quo illud in quo est sapiens, & hoc non per aliquam compositionem sapientiæ ad aliquod quasi subiectum: nec quod sapientia illa sit pars alicuius compositi: sed per veram identitatem, qua sapientia propter sui infinitatem perfectam perfectè est idem cuilibet, cũ quo nata est esse.

E. Ad secundum respondeo, quod corpus est animatum quasi denominatiuè: quia anima est forma eius. Homo dicitur animatus non denominatiuè, sed essentialiter: quia anima est pars eius, & aliquid eius: non igitur requiritur aliquid esse formam informantem aliquid, vt ipsum sit tale per ipsam: quia forma non est forma informans totum, quod tamen dicitur formaliter tale per ipsam. Si igitur veriori identitate esset aliqua forma idem alicui, quàm sit identitas eius ad informatum, vel ad totum cuius est pars: sufficeret illa identitas ad hoc, quod illud tali forma esset tale: ita est in proposito. Et tunc si quæras, vtrùm ab isto actu posset esse aliqua abstractio formæ?

F. Dico, quod non est ibi abstractio formæ, vt informantis, vel vt partis ab informato, vel à toto: sed est ibi abstractio formæ, in quantum per eam aliquid est tale præcisè acceptę: non considirando identitatem eius ad illud, quod est tale per ipsam.

Expo-

Expositio artic. 7. quæst. 4. distinctionis 8.

MATERIA huius articuli satis in difficultate 97. de distinctione attributorum remanet prælibata. Hic autem in corpore articuli optimè aduertit Doctor, quantũ distet hoc quod est dare esse alicui, ab eo quod est informare ipsum. Quorum primum imperfectionem non dicit, sicut secundum, vt in exemplo de corpore, & homine ibi in solutione ad secundum satis constat. Quamuis etenim homo dicatur habere esse ab anima, non tamen esse informatus ab anima: quia quod aliquid informat, ei denominatiuè conuenit. Quod autem alicui est forma essendi, ei formaliter dat esse. Vnde corpus denominatiuè est animatum, quia sibi denominatiuè conuenit habere animam, & informari ab ea. Homini vero essentialiter conuenit esse animatum, quia licet sibi sit forma essendi, non tamen est forma ipsum informans: nam quod aliud informat, iam ipsum supponit habere esse. Homo autem ante animationem non habet esse hominis, sicut corpus ante animationẽ supponitur esse corpus, cùm tale esse hominis formaliter, & essentialiter per huiusmodi informationem accipiat. Ex quibus ad propositũ cõcluditur, quod quia ob realem identitatem prouenientem ab infinitate, perfectissime transeunt attributa in eandem rem, quæ est essentia: non potest aliquod attributum esse, aut dici forma informans essentiã: licet bene dicatur essentia formaliter talis per eiusmodi attributum. Sapientia namque est essentia formaliter sapiens, & bonitate formaliter bona, &c. Vbi autem non est informatio, vel vnum extremum se habet per modum formæ, & alterum per modum materiæ, non est compositio, quæ simplicitatem destruat, vt latè patuit supra in difficultate 67. Ergo stante distinctione formali attributorum inter se adinuicem, & ab essentia cum suma identitate reali eorũdem, adhuc remanet perfectissima simplicitas in Deo.

Dare esse alicui differt ab informare aliquid.

Attribut. diuina informant essentiam.

QVAESTIO V.

De immutabilitate Dei.

DE Immutabilitate Dei (de qua tractat Magister in secũda parte distinctionis) quæ tamen videtur posse concludi ex simplicitate Dei, de qua quæsitum est supra: quæro, vtrùm solus Deus sit immutabilis. Circa quod quærunt quinque.

¶ Primò. Vtrùm prima causa necessario, & naturaliter causet primum causatum?

¶ Secundò. Vtrùm Deus sit simpliciter immutabilis?

¶ Tertiò. Vtrùm secundum Philosophos detur aliquid, quod ex se formaliter sit necesse esse, & tamen habeat esse causaliter ab alio?

¶ Quartò. Vtrùm secundum Philosophos necessario producat aliud immutabile necessarium á se, quo mediante moueat?

¶ Quintò. Vtrùm aliquid aliud à Deo sit immutabile?

ARTICVLVS I.

Vtrùm prima causa necessario, & naturaliter causet primum causatum?

AD

A. AD primũ sic proceditur, videtur, quod prima causa necessariò, & naturaliter causet primum causatũ, & arguo sic. In omni differentia entis necessitas est perfectior contingentia: ergo in illa differentia entis, quæ est causa, necessitas est perfectior, quàm contingentia: perfectissima igitur causa necessario causat. Probatio *antecedentis*, quia necessitas est perfectio in ente in se: ergo in omni differentia entis.

B. Secundò præterea, *& est contra solutionem primi*: quia in multis diuisionibus entis, alterum diuidens est perfectum, alterum imperfectum, & extrema illa, quæ sunt perfecta, in diuersis diuisionibus, aut necessario concomitantur, aut cõpatiuntur se. Exemplum, si diuidatur ens per finitum, & infinitum, per necessarium, & possibile, per potentiam, & actum: actus, necessitas, & infinitas, aut necessario se concomitantur, aut compatiuntur se: ergo cum in diuisione entis, per causam, & causatum, causa sit perfectius extremum, concomitabitur cum eo quodcunque perfectius diuidens ens, aut poterit stare cum eo: & per consequens necessitas.

C. Tertiò præterea, si primum causans naturaliter causaret, causaret necessariò: & tunc daret necessitatem suo causato: sed nulla perfectio tollitur à causato propter modum causandi ipsius causantis æquè perfectum: causare autem voluntariè non est modus causandi minus perfectus, quàm causare naturaliter: ergo propter hoc, quod est causare voluntariè, non tollitur necessariò aliqua perfectio effectui: ergo causa causans voluntariè potest dare necessitatem effectui.

D. Quartò præterea, *seu* confirmatur ratio: quia si causaret naturaliter, posset producere plures differentias entis, scilicet possibile, & necessarium: si ergo causans voluntariè non posset causare nisi tantum ens contingens, videretur esse causa imperfecta: quia tunc causalitas eius non se extenderet ad tot effectus, ad quot se extenderet, si naturaliter causaret.

E. Quintò præterea, aliqua causa necessariò causat: ergo prima causa necessario causat suum causatum: antecedens videtur manifestum per multas causas naturales. Consequentiam probo: quia inessentialiter ordinatis posterius non potest habere necessitatem, nisi prius habeat esse necessarium: connexiones autem causatorum ad suas causas sunt essentialiter ordinatæ: ergo nulla talis connexio est necessaria, nisi illa, quæ est primi causati ad suã causam, sit necessaria.

F. Sed contra est: quia omnis causa necessariò agens, agit secundum vltimum potentiæ suæ: quia sicut non est in potestate sua agere, & non agere: ita nec intense, & remisse agere: ergo si prima causa necessario causat, causat quidquid potest causare: potest autem causare ex se omne causabile, vt probabo: ergo causat omne causabile: ergo nulla causa secunda aliquid causat. Istam secundam consequentiam probo: quia causa prior prius naturaliter respicit causatum, quàm causa posterior, ex prima propositione de causis: ergo in illo priori si totaliter causat totum illud, quod in secundo signo deberet causari à causa secunda in secundo signo, in quo deberet causa secunda causare? nulla est possibilis actio causæ secundæ: quia iam præintelligitur totus effectus *1. de Cœlo tex. comm. 116.*

ctus causatus à causa prima. Assumptum in argumento, quod possit causare omne causabile, probo: quia habet potentiam cuiuscunque causæ secundæ: totam etiam, quæ est in causa secunda, quantum ad quodlibet perfectionis, quod est in quacunque causa secunda: sicut deductum est in quæstione de infinitate via prima, sumpta de efficientia: non requiritur autem cum causa efficiente aliqua imperfectio: sed tantùm perfectio: quia causare effectiuè est perfectionis simpliciter: ergo primum habens in se causalitatem omnem causæ secundæ, quantum ad quodlibet, quod est perfectionis potest immediatè causare ex se omne causabile, sicut & cum causa secunda. Etsi consequens vltimum, quod scilicet causæ secundæ priuentur actionibus suis, non habeatur pro inconuenienti duco ad maius inconueniens, quod causabit, & omnia, & vnum solum. Ita quod omnia erunt tantùm vnum: quia sicut causabit omnia causabilia propter hoc, quod causat omnia, quæ potest causare: ita etiam in quacunque causatione causabit quantum potest causare: & ita perfectissimum: & ita omnia illa erunt illud vnum causatum: & tunc omnia erunt vnum, *quod est absurdum.*

G. *Henr. quod lib. 5. q. 4. cuius sunt rationes sequentes.*

Respondeo dicendum, quantum ad principale pro ista conclusione, quæ dicta est esse intentio amborum Aristotelis, & Auicenæ (in qua communiter concordant Philosophi) quod prima causa naturaliter, & necessariò, causat primum causatum: quod contra istam conclusionem arguitur sic. Primum enim agẽs nullo modo perficitur aliquo alio à se: agens naturale aliquo modo perficitur sua productione, vel producto alio à se: ergo, &c. minor ostenditur: quia agens naturale agit propter finem ex 2. Physicorum: sed nihil videtur agere propter finẽ, quo nullo modo perficiatur. Sed ad istud respondetur secundũ intentionem Auicenæ sexto Metaph. capite vltimo, quod agens perfectum agit ex liberalitate: hoc est non expectans perfectionem à producto: sicut exposita est intentio liberalitatis distinctione secunda quęstione de productionibus. Negandum igitur videtur, quod assumitur, scilicet quod agẽs naturale perficitur eo, quod producitur: quia hoc non est nisi in agẽtibus naturalibus imperfectis. Et cũ adducitur, quod agens naturale agit propter finem: non oportet secundum Philosophos, agens primum naturale agere propter aliud, quã propter se: sed propter se ipsum, vt propter finem: nec oportet ipsum perfici illo fine: sed esse naturaliter illum finem. Alia etiam responsio habetur ab Auicena: quod sicut aqua ex se ipsa est frigida, consequitur autem eam, vt infrigidet aliud à se: ita primum agẽs, si ponatur naturale agẽs secundum eos, ex se ipso erit perfectum: sed perfectionem eius consequitur producere perfectionem in alio: ita tamen, quod illa productio perfectionis in alio non sit finis eius sicut nec finis aquæ est infrigidare. Ratio responsionis reducitur contra istas responsiones, quod si aqua non posset stare in frigiditate sua absque hoc, quod aliquid frigefaceret, non esset summè perfecta in frigiditate: quia aliquo modo dependeret ab alio in frigiditate sua. Ita igitur hìc de prima causa in entitate sua respectu entitatis primi causati. Sed ista reductio non multum cogit: quia sicut aqua posset producere frigiditatem per se stãtem, diceret Auicena, quod quantumcunque non posset esse in se frigida absque hoc, quod frigefaceret: non esset propter hoc dependen-

Text. com. 45. 61. 75.

dentia in frigiditate sua: sed perfectio completiua frigiditatis, ex qua necessariò produceret, vel frigus in alio, vel frigus per se stans. & ita poneret de primo ente respectu productionis in alijs. Vltimo videtur, quod ista ratio nō potest sic declarari; omne agēs naturale, aut actione sua perficitur in se, aut in suo simili, aut in toto, aut per suam productionē, natura eius accipit esse in alio. Hoc enim apparet inductiuè in omnibus, intellectus enim agens naturaliter perficitur sua actione: ignis naturaliter agens perficitur in simili, & natura sua habet esse in alio in quo posset illa natura esse, etiam igne generante corrupto: & ita videtur necessitas generationis in corruptibilibus secundum illud secundi de anima, ge-
Text.com. 34. neratio est perpetua, vt saluetur esse diuinum. Sol generat vermem licèt non perficiatur in se, nec natura sua accipiat esse in alio; tamen perficitur in suo toto: in quantum est pars vniuersi: cuius vniuersi aliqua pars producitur, & perfectio totius videtur esse aliquo modo perfectio partis. Deus Pater naturaliter producēdo Filium, licet non perficiatur in se, nec in toto, cuius sit pars: quia nullius est pars: tamen sua natura accipit esse in alio supposito: vel aliud suppositum accipit esse naturæ. Patet igitur inductiue ista maior diuisim: licèt difficile sit assignare propter quid istius maioris: sed si Deus naturaliter produceret creaturam, nullum istorum contingeret, nec enim perficeretur in se tali productione, nec in simili, nec in toto, nec natura sua acciperet esse in producto: ergo nec creatura naturaliter producitur.

H. Secunda ratio apponitur contra Philosophos; quia potentia respiciens aliquod obiectum, per se, & essentialiter, non necessario respicit illa, quæ non habent ordinem essentialem: sed accidētalem ad aliud primum: voluntas diuina respicit primo bonitatem diuinam, ad quam creaturæ habent ordinem contingentem, non necessarium: quia non sunt necessariæ ad consequendum ipsam bonitatem, nec augent eam: ergo voluntas diuina istas creaturas non necessario respicit: quia volens finem, non propter hoc necessario vult aliquod esse, cuius esse non est necessarium ad consequendum illum finem in se: creaturæ autem non sunt necessariæ ad consequendam illam bonitatem: ideò, &c. Verum quia quodlibet aliud à Deo habet ordinem essentialem ad ipsum, licèt non e cōuerso. videtur, quod maior debet sic accipi: potentia necessario respiciens aliquod obiectum primum ad nullum aliud necessario se habet, nisi illud primum obiectum sit ratio necessario tendendi in illud aliud. Tunc sit minor: bonitas diuina nō est ratio necessaria voluntati tendendi volitione efficaci, in aliquod aliud obiectum bonum: quia nec est aliud necessarium ad cōsequendum ipsam, nec etiam auget ipsam, siue cum ipsa plus quietat voluntatem. Sed illud equaliter probatur de voluntate complacentiæ sicut efficaci. Similiter concludit confirmatio de syllogismo practico, cui inniteris: igitur vel nega necessitatem vtriusque volitionis creaturæ, vel quære aliud medium speciale: quia nec sunt necessariæ ad consequendū illam bonitatem, nec augent eam: ergo voluntas diuina non necessario illas creaturas respicit.

Sed ista ratio licèt sit in se aliqualiter apparens, tamen videtur contradicere aliquibus dictis arguēntis: quia ponit, quod voluntas diuina, vt respicit res in esse quidditatiuo, necessario vult quidquid vult, & tamen res in esse quidditatiuo nō I. ma-

magis habent necessarium ordinem ad bonitatem diuinam, quàm res in esse existentiæ. Videtur etiam ratio habere aliam instantiam: quia sicut voluntas diuina habet essentiam suam pro primo obiecto, ita & intellectus diuinus: ergo & intellectus diuinus accidentaliter respiceret, quidquid aliud ab essentia diuina respiceret pro obiecto: & ita videretur sequi, quod Deus non necessario sciret aliud intelligibile à se: sicut non necessario vult aliud volibile à se. Primam instantiam, quia non est contra veritatem, sed contra opinantem, concedo. Secundam excludendo confirmo rationem: quia voluntas, quæ determinatur ad finem, nõ determinatur ad aliquid eorum, quæ sunt ad finem, nisi quatenus per syllogismum practicum concluditur ex fine necessitas illius entis ad finẽ, scilicet, vel necessitas eius inesse, vel haberi, ad hoc quod finis sit, vel habeatur, vel adquiratur: vel necessitas eius in diligi ad hoc, vt finis diligatur, vel habeatur. Hoc videmus in omnibus voluntatibus, quæ sunt ipsius finis: quia non oportet propter finem eas determinatas esse respectu alicuius entis ad finem, si tale ens non concludatur per syllogismum practicum esse necessarium aliquo istorum modorum ad finem: ergo cum intellectus diuinus non cognoscat aliud à se esse necessarium ad finem vltimum, quomodocunque voluntas illa ex hoc, quod est necessario finis, non oportet, quod sit necessario alterius à fine. Quod instatur de intellectu non est simile: quia intellectum esse necessario respectu alicuius obiecti, non ponit illud esse aliquid in entitate reali, aliud à primo obiecto: quia esse cognitum ab intellectu diuino non ponit illud esse in se: sed in intellectu præsentialiter: non sic esse volitum: imò ponit tunc, vel consequẽter, illud habere aliud esse à voluntate: & hoc loquendo de voluntate efficaci: quia quod sic volitum est a Deo, aliquando est in effectu. Non est igitur intellectus diuinus, ita se habens ad intelligibilia alia à se, sicut volũtas ad alia volibilia: quia ille intellectus potest esse necessario omnium intelligibilium, quatenus sunt sibi præsentia: nec per hoc ponitur aliquid aliud à Deo formaliter necessarium inesse reali: voluntas autem non posset esse necessario aliorum volibilium, nisi illa alia essent aliquando necessaria in aliquo esse reali, ab alio esse diuino: igitur potest necessario complacere in aliquo ostenso, non volendo illud esse: sicut intellectus necessario intelligit illud, non intelligendo tamen illud esse. Concedo, quod simile est vtrobique, & tunc cum minor probatur, scilicet, quod non requiritur ad consequẽdum finem, nec argumentum æquè concluderet contra velle complacentiæ, sicut contra velle efficax: ideò contra ipsum videtur bona instantia, quod necessario velle concludit rem inesse quidditatiuo: cum probatio sua de ordine essentiali æquè cõcluderet ibi: ita quod formetur ratio vt hic supra, & minor probatur per illud de syllogismo practico, quę probatio concludit. De velle efficaci patet: sed non de velle complacentiæ. Probatio: quia concludit voluntatẽ perfectè amantem ipsam bonitatem complacere in quolibet ostenso participãte illã, sicut in intellectu obiectũ primum est necessario causa tẽdendi in secundum: quia manifestat ipsũ, vt quandã participationẽ eius.

K. *Sequentes rationes sũt proprie Doctoris.*

Istis rationib⁹ cuiusdã Doctoris aliqualiter sic fortificatis addo alias rationes: & arguo primo sic, ens absolutũ, quod est ex se necessariũ perfectè, quantum potest cogitari aliquid esse

neces-

necessariũ nõ potest nõ esse, quocũque alio àse nõ existẽte: Deus est sum mè necessariũ secundũ illũ intellectũ præceptum: ergo quocunq; alio à se non existente, nõ propter hoc sequitur ipsum non esse: sed si necessariam habeat habitudinẽ ad primũ causatũ, illo causato nõ existente, nõ esset: ergo non habet ad aliud necessariã habitudinem. Maiorem probo: quia ex minus impossibili non sequitur impossibilius: sicut nec ex minus falso sequitur falsus: & hoc probo: quia si falsius habeat duplicem rationem falsitatis, & minus falsum tantùm vnicã: circunscribamus à falsiori illam rationem falsitatis, qua excedit minus falsum, stante alia: & à minus falso illam quam habet, tunc falsius erit falsum, & minus falsum non erit falsum: quia circunscripta est ratio falsitatis minus falsi: ergo hoc posito, falsius erit falsum, & minus falsum erit verum: & tunc ex vero sequitur falsum. Et hoc etiam patet tunc, quod ex minus impossibili non sequitur impossibilius: sed tale necessarium quale descriptum est, est magis necessarium quam quodcũque aliud necessarium ab eo, etiam secundum omnem opinionem Philosophorum: ergo non esse cuiuslibet alterius, quod est minus impossibile, non sequitur non esse istius, quod est impossibilius. Probo aliud assumptum scilicet, quod si necessarium haberet habitudinem, &c. quia habens necessariam habitudinem ad aliquid, non est, illa habitudine non existente: non existente autem extremo, non existit illa habitudo: non existente igitur extremo habitudinis, non existit fundamentum.

L. Contra istam rationem instatur: quia principium destruitur destructa conclusione, ex primo Priorum, & tamen principium ex se videtur esse formaliter necessarium, conclusio autem non est necessaria nisi ex principio: ergo, &c. Hæc instantia nulla est: quia stat probatio maioris, quod ex minus impossibili non sequitur impossibilius: sed nec est simile ad propositum: quia conclusio non est nisi quædam veritas partialis principij, quod habet quasi totalem veritatem: sicut singulare est quædam veritas partialis respectu vniuersalis. In entibus autem, ens causatum non est quædam entitas quasi partialis causæ: sed est omninò alia entitas dependens ab entitate suæ causæ: etsi ergo aliqua conclusione destructa, destruatur principium: non tamen ita erit de entitate, in causa, & causato. Ad hoc autem, vt istud de principio, & conclusione intelligatur, melius possunt poni exempla. Prima conclusio Geometriæ, quod illæ lineæ trianguli sic constituti sunt æquales, non videtur esse, nisi quoddam particulare istius vniuersalis: Omnes lineæ ductæ à centro vsque ad circunferentiam sunt æquales, & ita in multis alijs conclusio non videtur esse, nisi particulare, vel vnius vniuersalis, vel multorum, ex quibus simul infertur: sicut si iungamus isti istam vniuersalem, quæcunque vni, & eidem sunt æqualia: & licet prædicatum primo conueniat subiecto ipsius vniuersalis, id est adæquatè, non tamen conuenit primo tali primitate subiecto minus vniuersalis. Nec propter istam primitatem in principio, & non primitatem in conclusione, est talis causalitas in principio respectu conclusionis, qualis est in entitatibus vnius entis respectu alterius: ita quod illa causalitas in principio ponat veritatem aliam formaliter à veritate conclusionis: sicut in entibus entitas causæ est formaliter alia ab entitate causati. Primitas autem prædicationis est propter primitatẽ terminorum, & termini speciales, licèt nõ sint adęquati illis prędicatis, tamẽ attribu

tio prædicati illis terminis speciali-b°, particulariter sūptis, includitur in attributione eiusdē prædicati, termi uis cōmunibus vniuersaliter sumptis, includitur (inquā) sicut aliquid illius veritatis. Contrā, igitur nulla veritas est cōplexa necessaria alia à veritatibus primorū principiorū: qd videtur inconueniens. Item est contra te: qui hīc infra adducis conclusionem habere veritatem necessariam causatam, contra Henricum pro Aristotele.

M. Secundò arguo sic, aliquid fit cōtingēter in entibus: ergo prima causa contingenter causat. Antecedens concedunt Philosophi. Consequentiam probo hic: si prima causa necessario se habet, ad causam proximam, sit illa B. B. igitur necessario mouetur à prima causa, B. autem eodem modo, quo mouetur à prima causa, mouet proximam sibi. Igitur B. necessario causat mouendo C. & C. mouendo D. & sic in omnibus causis procedendo, nihil contingenter erit, si prima causa necessario causat. Ista ratio pertracta est dist. 2. quæst. 1. de infinitate probando Deum esse formaliter infinitum: & ideò non oportet hic amplius immorari. Respondeo, antecedens est verum præcisè de illo, quod dependet ex voluntate nostrā, quantum ad fieri: nihil enim aliud potest dici contingēter fieri ab actibus nostris: sed de actibus nostris est eadem difficultas eis, & tibi. An scilicet voluntas nostra mota à primo moueat? nisi quod tu potes saluare contingentiam in eius motione à primo, illi autē possunt, vt hīc arguitur. Præterea & reddit in idem, aliquod malum fit in vniuerso: ergo Deus non necessario causat. Antecedens concedunt Philosophi: probo consequentiam: quia agens necessario producit effectum suum in susceptiuo, quantū potest produci in eo: effectus primi est bonitas, & perfectio: ergo si necessario agit, producit bonitatem, in quolibet, quantum ipsum susceptiuū potest recipere: sed habens bonitatē tantam, quantæ ipsum est capax, nullam habet malitiam: ergo, &c. Etsi istud argumentū posset euadi de malo in natura, sicut tactum est dist. 2. q. prælegata: tamen de malo cōtingenter facto, quod scilicet est vituperabile, nō videtur possibilis euasio quin si aliquod tale malum eueniat, quod scilicet sit vituperabile: ac ex hoc sequatur, quod contingenter eueniat: causa prima non necessario causat, sicut ostendit ista deductio.

Ista ratio, & duæ sequentes nō valent contra Philosophos: sed valent nobis infra in materia de futuris cōtingentibus. Si enim est omnipotens: igitur nō vult necessario aliquod possibile. Probatur cōsequentia per istas tres rationes. Item *prima ex duabus rationibus sequētibus, est illa quæ posita est §. sed contrà, quæ incipit*, omnis causa necessario agens agit secundum vltimum potentiæ suæ, &c. *ad quam respōdendo pro Philosophis*, concedo: sed eminenter: requiritur autem potentia causæ secūdæ formaliter, vt causa proxima: quia ipsa vt eminenter tantum nata est esse in causa remota. Cum accipitur, nō requiritur cum causa, &c. dico, quod perfectio aliqua formaliter imperfectior eminēte requiritur: ita quod eadē eminenter habita, non potest esse ratio proxima producēdi: nec tamen per se imperfectio in proxima est ratio agendi: sed proximo, q̄ est imperfectius agere, alia perfectio eminentior est ratio agēdi remoto, q̄ est perfectius agere. Itē primitas adæquationis includit totū ordinem multorū, ad quæ causa se extendit, sicut alibi dicis de primitate trium personarū ad essentiā, & alia personæ primæ ad eandem: ita hīc: & tunc est in potē tia propinqua ad secundum, quando primum positum est, & tantum agit secundum, quantum potest ipsum agere. Ista ratio, & sequens de mobi-

N. *Dist. 39. huius primi.*

mobilitatē in non tempore ſoluūtur ex quodam extra in quarto articulo, quod ſic incipit. Arguo ſic, vbi conuincitur eſſe intentio Ariſt. quod nō poſsit eſſe proxima cauſa niſi in tēpore, & motus, & aliorū dicitur remota pro quāto dedit eſſe primo mouēti: vtraque igitur male procedit contra Philoſophū, quā immediatē poſsit aliquid præter intelligentiā, quā producit, vnam, vel omnes. Item per idē mediū ex neceſsitate cauſandi, & vltimata cauſatione ſequitur, q̄ mouebit in non tempore, aut ſaltem mutabit cœlum in non tempore: ita quod cœlū non propriè mouebitur, *de quo infra art.* 4. Nec valet illa reſponſio tacta ſupra quæſt. præallegata de infinitate: quia iſta virtus infinita habet omnem perfectionem cauſæ efficientis in ſe, quam ipſa habet cum cauſa ſecunda proxima: & ideò ſequitur, quod immediatè poteſt cauſare cum intelligentia: ergo & cauſat, ſi neceſſario agit, quidquid poteſt. Et vltra ſi cauſat illud immediatè: ergo mutat, & in non in tempore: quia potentia infinita agens ſecundum vltimū potentiæ ſuæ non poteſt agere in tēpore. Si autē aliquis motus cœli poteſt eſſe in non tempore ab iſto mouēte: igitur eſt: etſi hoc: ergo nulla eſt generatio, & corruptio in inferioribus: quæ ſunt contra Philoſophos: igitur illa, ex quibus ſequuntur iſta, ſunt falſa ſecūdum Philoſophos. Quibus omnibus poſitis, reſpondeo concedēdo concluſiones iſtarum rationū, quarū licèt forte aliquæ non conuincerent Philoſophos, quin poſſent reſpōdere: ſunt tamē probabiliores illis, quæ adducuntur pro Philoſophis: & fortè aliquæ neceſſariæ. *Vnde* prima cauſa non cauſat niſi contingenter. Ad argumēta *igitur* poſita pro Philoſophis.

Concluſio.

P. Ad primum reſpondetur, quod neceſsitas eſt perfectior cōditio, vbi eſt poſsibilis: eſt autem incompoſsibilis rationi cauſæ, vt cauſa: quia ſic loquimur, & non de eo quod eſt cauſa.

Q. Ad ſecundum *ſeu impugnationē ſolutionis primi*, de illis diuidētibus ens: dico quod neceſſarium eſt conditio perfectior in omni entitate, quā poſſibilē, cui cōditio neceſsitatis eſt poſſibilis: non eſt autem perfectio in illa entitate, cui nō eſt cōpoſsibilis: quia contradictio non ponit aliquā perfectionē: & hoc non eſt ex ratione ſui, ſed ex ratione illius entis, cui repugnat: & ita dico, quod neceſsitas repugnat omni reſpectui ad poſteri⁹: quia ex quo omne poſterius eſt non neceſſarium: primum non poteſt habere neceſſariā habitudinē ad aliquod eorum. Et cum dicis, quod omnia diuidētia perfectiora cōcomitātur ſe: dico, quod hoc eſt verum de diuidētibus, quæ dicunt perfectionē ſimpliciter, & ad ſe: vt actus & infinitas, & huiuſmodi: non autem de illis, quæ dicūt reſpectū ad aliquod poſterius: quia habere neceſſariam habitudinē ad aliquid tale non eſt perfectionis: quia non ſtat cum perfecta neceſsitate illius, quod dicitur habere talem habitudinem. Hoc confirmatur: quia talis habitudo non eſt formaliter infinita, cum tamē infinitas ſit nobilius extremum in diuiſione entis.

R. Ad tertiū, ad illud *ſcilicet* cum dicitur, ſi naturaliter cauſaret, neceſſariò cauſaret, & tunc daret neceſsitatem producto, &c. dico, quod tunc ſequitur, quod neceſſario cauſaret, ſicut ex antecedente includente incompoſsibilia, ſequitur conſequens includens incompoſsibilia. In antecedente enim repugnat ei, quod eſt cauſare, mod⁹ ille, qui eſt naturaliter: quia cauſare dicit productionē diuerſi in eſſe: & ita cōtingenter: naturaliter dicit modū cauſādi neceſſariū: & ita reſpectu neceſſarij: & ideò ſequitur cōſequēs includēs ſimul duo oppoſita, ratione cauſationis, & modi cauſandi, hoc modo. Prima propoſitio eſt vera. Et cum addis, nulla per-

fectio tollitur à causato propter modum perfectiorẽ causandi ipsius causæ: concedo, nec modus causandi voluntarie tollit aliquam perfectionẽ à causabili: sed tollit à causabili necessitatem, quæ est in se perfectio, sed in compossibilis causabili: & dat perfectionem causato cõpossibilem sibi, sicut volũtarie in causatione dicit modum compossibilem causationi.

R. Ad quartum, *seu* ad confirmationem de pluribus differẽtijs entis producibilibus per hoc apparet. Dico enim, quod ens causabile non potest habere differentias istas, necessariũ, & possibile esse: sed omne ens causabile est tantùm possibile: & ideò non est imperfectionis in causa, non posse causare istas differentias: quia ad impossibile nulla est potentia: similiter si per impossibile naturaliter causaret: & ideò necessario non produceret plures differẽtias entis: quia tantùm produceret necessaria non contingentia.

S. Ad quintum, & vltimũ dico, quod nulla est connexio causati, & causæ secundæ simpliciter necessaria: nec aliqua causa secunda causat necessario simpliciter, sed tantùm secũdùm quid. Prima pars apparet: quia quælibet dependet ab habitudine primæ causæ ad causatũ: similiter nulla causa secunda causat, nisi prima causante causatum eius: & hoc prius natura liter, quàm ipsa causa proxima causat. Prima autem non causat nisi contingenter: ergo secunda simpliciter contingenter causat: quia dependet ab ipsa causatione primæ, quæ simpliciter contingens est. Secunda pars scilicet, de necessitate secundũ quid, patet: quia multæ causæ naturales, quantum est ex parte earũ, non possunt non causare effectus: & ideò necessitas est secundum quid, quãtum scilicet est ex parte earũ, & non simpliciter: sicut ignis, quãtũ est ex parte sui, nõ potest, nõ calefacere: tamẽ potest absolutè non calefacere Deo nõ cooperãte, sicut perfectè apparuit de tribus pueris in camino ignis. Dan.3.

Expositio artic. 1. quæst. 5. distinctionis 8.

HVIVS quæstionis materia de Dei immutabilitate, tanquam de speciali eius attributo, in nostro tertio tomo huius primi libri sententiarum, vbi de attributis diuinis seorsum agitur, ac proinde, non immorabor in illa: sed summarie literã quæ indiget expositione, exponã. Tractat eam D. Thomas 1. parte quæst. 6. in duobus articulis. In hoc igitur primo articulo, cuius litera nimis diffusa est, potius ponẽda est summa textus, quàm omnium, quæ continet expositio: nẽ fastidiosum commentarium hic de re alterius loci inferamus. Proponitur ergo sententia Aristotelis, & Auicenæ quam plerique naturales Philosophi sunt sequuti, quæ asserit primam causam necessario causare primum causatum, prout habetur in corpore articuli litera G. quam probant quinque argumenta in principio articuli posita. Hãc tamen Philosoporum sententiam varie Theologi improbant. Sed primo contra illam sunt quædam rationes Henrici in quodlibeto quinto quæstione quarta, quas tradit, & soluit Doctor ibidem solutionibus quibusdam proprijs, & alijs Auicenæ, & Philosophorũ quibus Henrici rationes infirmari videntur: sed tandem illas Doctor fortificat vsque ad literam B. ibi tamen proprias rationes subtiliter proponit, quibus veritatem contra Philosophos cõcludit, & eorum sententiam satis acutè impugnat: inter quas potissima est illa, quæ habetur litera E. §. *sed contra*. Et tãdem argumenta pro Philosophorum sententia fabricata optimè soluit. Quibus peractis concluditur, Deum nihil ad extra necessario agere, sed omnia agere liberè, & contingenter. Rationes nihilominus, quibus hæc probantur egregiam doctrinam, & subtilitatem includũt; sed quia clarè habentur in textu sine glossa ibi possunt intelligi.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus sit simpliciter immutabilis?

A. AD secũdum sic proceditur, videtur, q Deus non sit simpliciter immutabilis: quia immutabile, q est ex se primum agens, *necessario agit: quia* non potest diuersimodè se habere ad effectũ suũ: quia si quandoq; agat, quandoq; nõ: videtur esse ex mutatione sui: non enim hoc potest poni propter nouã approximationẽ passi, vel amotionẽ passi, vel amotionem impedimentorum: quia actio primi agentis non requirit ista: *ergo cum Deus non agat necessariò (vt patet ex primo art.) non est immutabilis.*

B. Secundò præterea: quia *etsi*, sine mutatione voluntatis Deus in æternitate voluit aliquid aliud à se, esse pro aliquo tempore, obijcitur secundum Auer. 8. Phys. quod saltem expectabit tempus, si nõ statim ponat effectũ in esse, quando vult illum esse. Et præter hoc (secundũ eundẽ alibi) indeterminatum contingentia ad vtrũlibet talem determinationem ponit, quod sic determinatũ nõ potest ex se exire in actum, vt videtur: ergo si in Deo erit talis contingentia ad causandum, non videtur posse ex se determinari ad causandum.

Com. 8. & inde, idem com. 6. & 15.

C. Tertiò præterea: quia *absque mutatione sui*, ex se potest determinari ad hoc, vel ad illud: quare igitur voluntas diuina magis determinatur ad vnum contradictorium quam ad alterum?

D. Quartò præterea: Auicena adducit, quod actio *Dei* est in eo per essentiam, & non est in eo accidentalis: *ergo necessaria, vel si non necessaria, sed accidentalis, mutatur per eam.*

Sed contra est, quia ad Tim. 6. vlt. *ait Apostolus*, solus Deus habet immortalitatem. Quod Augustin. exponens de Trinit. lib. 1. cap. 1. dicit, quod vera immortalitas immutabilitas est. E.

Respondeo dicendũ, quod huius exclusiuæ, de qua quæritur, pars affirmatiua probatur a Philosoph. 7. Phi. per hoc, quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio. Quod probatur: quia quiescente parte, quiescit totũ, & non est procedere in infinitum in motis ab alio: quia tunc posset fieri ex eis vnum infinitum mobile, quod moueretur tempore finito. Quod est improbatum 6. Phys. & priusdist. 2. q. 1. in responsione ad vlt. argumentũ. Oportet igitur stare ad aliquod mouens, quod non mouetur ab alio, & per consequens omninò non mouetur. Probatur etiam ab eo 8. Phys. illa conclusio per diuisionẽ mouentiũ, & motorũ naturaliter, vel violẽter. Et quod vltimo oportet stare ad aliquod mouens, quod nõ mouetur ex se per se, & primo: & vlterius etiã oportet stare ad aliquid simpliciter immobile: sed processus isti, qui sunt principales in duobus libris, scilicet 7. & 8. Phys. indigent maiori expositione, ad hoc vt rationes illæ ostendantur valere: etsi forte valeant: tamen diminutè cõcludunt, sicut aliàs ostendetur. Forte non plus concludunt, nisi quod primũ non mouetur, vt corpus, vel vt virtus in corpore, sicut anima mouetur per accidens in corpore moto: ideò non insistendo modo circa declarationem illarũ rationum: ostẽdo breuiter istam partẽ esse veram ex simplicitate Dei: quia si Deus est perfectè simplex, vt probatum est ex infinitate: ideò non potest mutari ad aliquam formam, quę in ipso recipiatur: quia etiã est necesse esse (vt probatum est exprimitate efficiẽtię dist. 2. q. 1.) ideò non potest mutari ab esse in non esse, vel nõ esse in esse, quæ mutatio dicitur versio à

Text. com. 1. & inde.

Text. com. 62.

Text. com. 31.

Diffusius vide in 2. d. 2. q. 10. de motu angelorũ, & d. 25. & in 9. Met. & supra d. 3. q. 7. vel 9. alibi.

Damaſcen. omni igitur immutatione, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali dicitur Deus ſimpliciter immutabilis. Ad argumenta pro opinione Philoſophorum *reſpondetur.*

Concluſio.

G. Ad primum ad illud *ſcilicet*, quod arguunt de mutatione primi, ſi non neceſſariò ſe habet ad proximum ſibi: reſpondeo, quod voluntate antiqua poteſt fieri nouus effectus ſine mutatione voluntatis. Sicut ego volitione mea eadē cōtinuata, qua volo aliquid iā fieri: faciā illud tūc pro quando volo illud facere: ita Deus in æternitate voluit aliquid aliud à ſe eſſe pro aliquo tempore: & tūc illud creauit pro quando voluit illud eſſe.

H. Ad ſecundū reſpōdeo, quod exiſtens in tempore, & volens, aut vult efficaciſsima volitione non reſpiciē do tempus, pro quo vult illud eſſe: aut vult illud eſſe pro aliquo tempore certo. Si primo modo, ſtatim poneret volitum in eſſe, ſi voluntas ſua ſit perfectè potens: ſi ſecūdo modo, poſito, quod voluntas eius eſſet ſimpliciter potens, nō ſtatim poneret rem in eſſe: ſed pro tunc quādo vult illud eſſe: expectaret igitur tempus: quia eſt ens in tempore. Sed applicādo ad Deum, auferendæ ſunt imperfectiones: ſi enim voluntas eius potens eſt, tamen voluntas eius non habet eſſe in tempore, vt expectet tempus, pro quo producat volitum, quod vtique non vult neceſſariò tunc eſſe, quādo vult: ſed vult eſſe pro tempore determinato: quod tamen non expectat: quia operatio voluntatis eius nō eſt in tempore.

I. Et cum dicis ſecundo de indeterminatione cauſę contingēter cauſantis: dictum eſt aliàs deduplici indeterminatione, ſcilicet potentiæ paſſiuæ, & potentiæ actiuæ illimitatæ. Deus non eſt indeterminatus prima indeterminatione ad cauſandū, ſed ſecunda: & hoc non tantùm ad plura diſparata, ad quorum quodlibet effet naturaliter determinatus: ſicut ſol ſe habet ad multos effectus ſuos, in quos poteſt: ſed indeterminatus ad contradictoria, ad quorum vtrumlibet poterat ex libertate ſua determinari: & voluntas noſtra eſt indeterminata hoc modo indeterminatione virtutis actiuæ, ad vtrumlibet contradictoriorū, & ex ſe poteſt determinari ad hoc vel ad illud.

Vide ſupra diſt. 7. q.

K. Ad tertium reſpondeo, quod in diſciplinati eſt quærere omnium cauſas, & demoſtrationem ſecundū Philoſophum 4. Metaph. principij enim demonſtrationis non eſt demonſtratio. Immediatum autem principium eſt, voluntatem velle hoc: ita quod nō eſt aliqua cauſa media inter iſta: ſicut immediatum eſt, calorē eſſe calefactiuū, licèt hîc ſit naturalitas, ibi autem libertas: & ideò huius, quare voluntas voluit hoc, nulla eſt cauſa, niſi quia voluntas eſt voluntas, ſicut huius, quare calor eſt calefactiuus, nulla eſt cauſa, niſi quia calor eſt calor: quia nulla eſt prior cauſa. Etſi dicas, quomodo hîc poteſt eſſe immediatio, ſi contingētia ad vtrumlibet? dictum eſt aliàs in quæſt. de ſubiecto Theologiæ, quod in contingentibus eſt aliquid primū, quod eſt immediatum, & tamen contingens: quia non ſtatur ad neceſſarium. Non enim ex neceſſario ſequitur contingens: & ideò hîc oportet ſtare ad iſtam, volūtas Dei vult hoc, quæ eſt contingēs, & tamen immediata: quia nulla alia cauſa prior eſt in ratione voluntatis, quare ipſa ſit huius, & non alterius.

Text. co. 9. Vt inquit, Auer. 12. metaph. co. 53. quod cū fuerit, ita in voluntarijs non eſt quærēda alia cauſa.

In prolog. quæſt.

1. priorum cap. 14.

L. Ad quartum Auicenæ per hoc apparet. Ad illud, quod adducit, quod actio ſua eſt in eo per eſſentiam, & non eſt in eo accidētalis, verum eſt: quia ſuum velle eſt ſua eſſentia, tamē contingenter tranſit ſupra hoc obiectum, vel illud, ſicut infra de futuris contingentibus dicitur.

(.?.)

Expo-

Expoſitio art. 2. quæſt. 5. diſtinctionis 8.

1 QVIA vt in præambulis ad expoſitionem primi huius quæſtionis articuli promiſi, inter cæteras Dei propietates de immutabilitate in 3.tom.peculiariter agere: nō eſt hic locus examinandi, quæ circa illam poſſunt notari ex textu: ſed reſolutorie dico, non tātum Theologorum, ſed etiam naturalium Philoſophorum fuiſſe ſententiam affirmatiuam, quamuis argumenta in principio articuli poſita intendant contrarium ſuadere ex hypoteſi, quod non conceditur Deum aliquid neceſſario cauſſare: quibus optime ſatisfacit Doctor in fine articuli. Fuit ergo ſententia Ariſtotelis, & plurium Philoſophorum tenentium, Deum eſſe omninò, & ſimpliciter immutabilem, vt conſtat ex locis, quæ allegantur in textu. Sed rationes quibus hîc probant, merito cōfutātur à Doctore, *quia etſi forte, valeant, tamen diminutè concludunt*: quia *forte* (inquit) *non plus cōcludunt niſi quod primum* (id eſt Deus) *non mouetur vt corpus, vel vt virtus in corpore, ſicut anima mouetur peraccidens incorpore moto, &c.*

2 Ex Theologis vero D. Thomas 1.par. quæſt 9.art.1. in corpore triplici ratione probat Dei immutabilitatem. Prima videlicet: quia eſt aliquod primū ens, quod Deum nominamus: & huiuſmodi primum ens oportet eſſe purum actum abſque permixtione alicuius potentiæ: omne autem quod mutatur eſt aliquo modo in potentia: exquo infert impoſsibilitatem mutabilitatis in Deo. Quam rationē perficit Scotus hîc ſolutione ad 2. vbi diſtinguit de potentia actiua, & paſsiua, & probat indeterminationem potentiæ actiuæ non inferre mutationem. Atque ideō licet diuina voluntas ſit ex ſe libera, & indeterminata ad oppoſita, & ad creationē determinetur a ſe ipſa: non tamen dicitur, nec poteſt dici mutari, quia cauſa mere actiua eſt. Secunda ratio D. Thomæ eſt, quia quod mouetur partim manet, & partim tranſit. Ex quo compoſitionem ab inconuenienti infert in Deo. Tertia tandem, quia quod mouetur motu ſuo, aliquid acquirit. Vide ibi integras rationes prædictas. Doctor autem ſubtilis breuiter concluſionem hic probat ex ſimplicitate Dei, & ex eo quod Deus eſt neceſſe eſſe. Ex quibus concludit Deum ita eſſe omninò immutabilem, vt neq; mutatione ſubſtantiali, neque accidētali, mutabilis eſſe poſsit. Alibi tamen hæc eadem quæſtio tractatur exactius prout in margine textuali nōtatur.

ARTICVLVS III.

Vtrūm ſecundum Philoſophos detur aliquid, quod ex ſe formaliter ſit neceſſe eſſe, & tamen habeat eſſe cauſaliter ab alio?

AD tertium ſic proceditur, videtur, quod ſecūdum Philoſophos, nō detur aliquid, quod ſit ex ſe formaliter neceſſe eſſe, & tamen habeat eſſe cauſaliter ab alio: quia de mente Ariſt. & Auicenæ ad propoſitum dicitur, quod tribus modis poteſt aliquid ſe habere ad eſſe. Poteſt enim aliquid aliud á Deo, putà intelligentia alia à prima, tripliciter poni eſſe, vno modo, quod ex ſe formaliter ſit neceſſe eſſe, ſed ab alio cauſaliter. Secundo modo, quod ex ſe formaliter ſit neceſſe eſſe, ſed ab alio dependēter ſic, quod propter ordinē eſſentialē, cōtradictio eſſet, ſecūdum eſſe ſine primo, & non è conuerſo: & ſimiliter tertiū ſine ſecundo: ſed non è conuerſo: & eſt ordo inter perfectius, & minus perfectum: non inter cauſam, & cauſatum. Tertio modo aliquid habet eſſe ex ſe formaliter poſsibile: neceſſariò autem ab alio eſt: quia illud a- A.

liud necessariò causat. Istorum modorum primus modus includit contradictionem (vt dicitur) & ideò illum non posuit Philosoph. quia non videtur verosimile contradictoria posuisse. Quod includat cõtradictionem patet: quia quod est causaliter ab alio, est ex se non ens, & de se est posibile, aliter imposibile causaretur: sed quod est necesse esse nullo modo est posibile: ergo inconueniens est dicere, Aristotelẽ hunc modum posuisse de substantijs separatis propter contradictionem inclusam. Quod etiam negauerit tertium modum, probatur: quia etiam includit contradictionem.

B. Secundo præterea, & confirmatur
Comm.41. etiam hoc: quia Commentator 12. Metaph. in quæst. Ioannis Grammatici vult, quod motus cum sit de se posibilis, potest ab alio perpetuari: quia habet esse ab alio: substãtia autem posibilis nõ potest perpetuari: ergo substantia perpetua non est necessaria ab alio. Item vt dicit Com-
Com. 138. mentator 1. Cœl. & mund. super illud, impossibile est, vt non generabile cadat sub corruptione, exponens illud dicit, quod si inueniretur aliquod generabile æternum, posibile esse, vt natura posibilis transmutaretur in necessariam.

C. Tertiò præterea, vlterius imponi-
Text.com. 198. tur Philosopho, quod voluit ibi 1. cœl. & mund. quod quælibet substãtia habet suũ esse ex natura sua: hæc semper, hæc quãdoque: ita quod hæc necessario semper est: hęc necessario quandoq; non est; nec aliter posset esse, nisi quia vna materia mutaretur in aliam, vel quod duæ naturę cõtrariæ sunt simul in eodem, vt in eodem
Vbi supra. lib. 1. de cœl. & mund. & 12. Metaph. deducit Arist. & Comment.

D. Quartô prętерea: quia ex istis, scilicet 1. cœl. & mund. & 12. Met. ostenditur, quod negauit primum modũ supra: quia esse substantiæ separatæ, vel necessarię, attribuitur naturę eius intrinsecæ: & ita nihil perpetuum ponit causatum nisi motum in cœlo, & mediante illo, individua generabilia & corruptibilia fieri, quæ non sunt necessaria: licèt species eorum sint necessariæ. & ex quo posuit aliquem ordinem rerũ, cõcluditur, quod hoc est secundùm secundum membrum, vel secundùm modum secundũ. Sed in incorruptibilibus dixit species necessario esse in vno individuo: sed in corruptibilibus, species dixit necessario esse in pluribus individuis, & diuersis. Ita quod species de se sũt necessario incorruptibiles: tamẽ per accidens corruptibiles: sicut elemẽta secundùm se tota ponit incorruptibilia, sed secundũ partes corruptibilia.

Sed contra est: quia quod Arist. non negauerit primũ modum, hoc vi
E. *Text.co.4.* detur ex intentione eius 12. Metaph. sempiternorum principia verissima esse necesse est: quia alijs sunt causa veritatis: vnumquodq; autem sic se habet ad esse, sicut ad veritatem. Patet etiam secundum ipsum, quod omne sempiternum est necessarium, ex 1. cœl. & mund. & 9. Met. cap. penul. *Text.com.* 138. Item 5. Met. nihil prohibet quorundam necessariorũ esse alteras causas, *Text.com.* 17. cap. de necessariò. Si tamen de ratione causati esset posibilitas repugnans necessitati, sicut arguit opinio *Tex. co. 6.* *infra ponenda cuius sunt præfata argumenta*, contradictio esset, alicuius necessarij esse aliquam causam.

Respondeo dicendum, quod pars F.
negatiua illius exclusiuæ scilicet, ꝙ nihil à Deo habeat immutabilitatem (*de qua erit quintus articulus*) habet maiorem difficultatem. *Nam* circa istã partem Philosophi à Theologis discordant, & è conuerso. Ad quod cõsiderandum primo oportet videre, quæ fuerit intentio Philosophorum, & quæ motiua pro eis, quæ sunt rationes

Hæc opinio est Henric. quodl.8.q. 9. videeum qual. 6. q. vl. vbi quatuor modos tantum ponit quære ipsum quod lib. 1.q.7. & 8. Text.com. 52.

tiones contra eos. Quantum ad primum specialiter de intentione Arist. & Auicenæ dicitur, quod decem modis potest aliquid se habere adesse, sed ad propositum sufficiant tres modi, *qui positi sunt in principio articuli, vbi etiam sunt argumenta pro hac opinione.* Contra istam *tamen* opinionem, quæ imponit ista Arist. arguitur primo, quod non negauerit primũ modum. Hoc videtur ex intentione eius 12. Metaph. *vbi* concludit vnitatem vniuersi ex vnitate finis: ergo omne aliud ab illo fine est ad ipsum, vt ad finem: sed cuiuscunque est causa finalis, eius est causa efficiens: ergo, &c. Probatio vltimæ propositionis, finis non est causa, nisi in quãtum mouet efficiens ad dandum esse: mouet in quam, vt amatum, & desideratum.

Text.co.2. & 3.co.36

Hoc patet ex ratione finis. 5. Metap. capit. 2. propter quem scilicet finem amatum agens dat esse alij ad ipsum ordinando. Item Comment. 12. Metaph. concedit, quod est ibi causa, & causatum, sicut intellectum est causa intellectionis. Et Aristot. dicit, quod mouet sicut amatum, & desideratũ: balneum, vt in mente mouet secundum Commentatorem effectiuè. Itẽ saltem obiectum quantum ad intelligere mouet effectiuè: ergo & ad esse, quia imponitur Philosopho, quod posuit vnamquamque substantiarũ istarum esse suum intelligere. Item Auicena expresse ponit necessarium ab alio causaliter: ergo si non in hoc vidit contradictionem, quare debet negari ab Aristotele propter contradictionem, quam tu ponis. Item Cõmentator de substantia orbis cap. 3. corpus cœleste, *inquit*, non indiget virtute mouente in loco tantùm: sed etiam virtute largiente in se, & in sua substantia permanẽtiam æternã, &c. Et sequitur: post de opinione Arist. dixerunt quidam, ipsum non dicere causam agentem cœlum, sed causam

Ibidẽ 3. de anim. text. com. 25.

9. Metaph. cap. 4.

mouentem tantùm: & illud fuit valde absurdum eis. Respõdetur ab eis, quod qui ponunt fundamenta falsa ex rationibus verisimilibus, contingit, quod post modum contradicant eisdem ex rationibus veris. Contra ostendisti Aristotelem negare primũ modum: quia videtur includere contradictionem: & nunc concedis sibi ipsi contradicere: sed rationabilius videtur sibi non imponere contradictoria: sed quod dicat consequenter ad antecedens falsum concedendo consequens falsum.

Item, quod non posuerit secundũ modum, quem imponis ei, videtur propter irrationabilitatem illius modi. Probo: nihil dependet ab alio in essendo, à quo non habet esse: & ita nec in permanendo ab alio, à quo nõ habet permanẽtiam: quia ab eodem habet esse, & permanentiam. Nec est simile de figuris, & numeris: quia ibi prior, licet nõ sit causa effectiua posterioris, est tamen causa materialis: sicut pars, quæ est potentia in toto. In proposito autem non potest poni causalitas nisi efficientiæ, & finis secundum Aristotel. Imponitur etiam Auicenæ tertius modus, & probatur ex 6. Metaph. vbi dicit, quod causatum quantum est ex se, inest ei, vt nõ sit: quantum vero ad suã causam, est ei, vt sit: quod autẽ est ei ex se apud intellectum, prius est non duratione, eo quod est ei ex alio: & hoc apud sapientes vocatur creatio: dare scilicet esse rei post non esse absolute. Contra ipsum arguitur: quia iste modus includit contradictionem: quia si per impossibile ponitur non esse: sequitur non tantùm falsum, sed etiã impossibile, secũdùm ipsum, scilicet causam necessariam non necessario causare, & dare esse. *Quibus positis*, de intentione istorum Philosophorum Aristotelis, & Auicenæ, nescio: sed nolo eis imponere absurdiora quam ipsi

G.

Id est contra Henr.

ipsi dicãt, vel quam ex dictis eorum necessario sequatur: & ex dictis eorum volo rationabiliorem intellectum accipere, quàm possum. Respõdeo igitur, quod Aristoteles simul, & Auicena posuerunt, Deum necessario se habere ad alia extra se, *sicut visum est, & impugnatum in art.* 1. & ex hoc sequitur, quod quodlibet aliud necessario se habet ad ipsum, quod quasi immediatè comparatur ad ipsum, vel non mediante motu: quia cum vniformitate in totò ponit difformitatem in partibus mobilis: & mediante motu generabilia, & corruptibilia difformiter comparantur ad ipsum. Tenendo illud falsum fundamentum scilicet Aristot. ponendo ipsum esse causam necessariam non videtur cõtradicere sibi ponẽdo causatum necessariũ, vt vult 5. Metaph. cap. de necessariò, quod quorũdam necessariorum est altera causa: & 8. Physic. & 2. Metaph. sempiternorum principia semper esse verissima necesse est, vt argutum est. Et ita ponit non tantùm secundum modum, sed etiam primum modum, *pro cuius confirmatione* arguo *in sequenti articulo.* Ad illa *autem*, quæ adducebantur prius ad probandum, quod Aristot. negaret primum modũ. *Respondetur.*

Conclusio.

Tex. co. 6.
Text. co. 4.

H. Ad primum, quod nititur probare contradictionem, fortè diceret Aristotel. possibile obiectiuè non repugnare necessariò, si producens necessario producit: nõ enim requiritur, quod realiter posset esse nõ tale: sed quod ordine naturæ præintelligitur non tale. Hoc probatur per confirmationem argumenti, quod adducebatur ab Henrico, quæ est, quod de essentia diuina quasi de potentia generator filius, certum est enim, quod ista potentialitas, quasi subiectiua nõ prohibet necessitatem, nec quasi potentia obiectiua filij: quia genetans necessario generat.

Ad secundũ, & ad illud 12. Met. de motu patet: quia cum sit de se possibilis, non solũ potest propter hoc ab alio perpetuari: quia ab alio est: sed quia cum hoc semper habet esse nouum, & ita non est forma, quæ est necessario se habẽs: licèt necessario semper sit: quia mobile totũ necessario vniformiter se habet ad dans esse vniformiter necessario secundũ istos. Et hæc habitudo necessario vniformis mobilis admouẽs est causa, motũ necessario fieri: licèt motus nunquã habeat esse formaliter necessariũ: est etiã hic necessitas ineuitabilitatis, sine necessitate immutabilitatis in motu: sed ex necessitate immutabilitatis in causis ipsius motus. Per idẽ patet ad illud, quod adducebatur de 1. cœli, & mundi, quod vna natura mutaretur in aliã: quia potest dici, quod substantia habet esse permanens: & ideò non datur sibi semper nouũ, & nouũ esse: ergo causa necessario causante (secũdũ eum) datur sibi natura necessaria formaliter: & sic si posset non esse, mutaretur eius natura: itaque vtraq; auctoritas per hoc soluitur, sed permanẽs si est necessarium, simul habet esse, quo est formaliter necessarium: & ita si sit corruptibile contradictio erit: non sic motus.

I. *Tex. co. 41.*

Vel argumentũ Arist. cõtra Platonem 1. cœli, & mũdi procedit ex suppositione necessarij agentis: & tunc sic deduco: si cœlũ potest perpetuari ab agente necessario: ergo necessario perpetuabitur: huic autẽ nẽcessario repugnat actus iste: corrumpitur: ergo, & potentia ad illum actum: licèt non cuicunque contingenti: ergo non stat potentia ad corruptiõnem, nisi stet potẽtia ad oppositа simul. Et per hoc tenet illa consequẽtia de possibili posito in esse: nam ex positione possibilis in esse, nõ sequitur impossibilitas, nec noua incompossibilitas alicui necessario.

K.

Ad

L. Ad tertium, quod etiam sibi imponitur, quod nulla substantia est ab alio effectiuè, videtur manifestè falsum, de generabilibus: Generatio enim est ad substantiam: ergo ipsa generatione substantia accipit esse, quę prius non fuit: & ita eius, quod producitur, est causa efficiés. Nihil enim se ipsum producit ad esse. Item si corruptibile ex causa intrinseca quandoque necessario non sit, vt sibi imponitur: ergo à se corrumpetur sine corrumpente exteriori.

M. *Secundo de generat. in fine.* Ad quartum, quod etiam imponitur Arist. de necessitate specierum in corruptibilib⁹ in diuersis indiuiduis; non est verũ, nisi quia intellexit motus cœli esse, & ita productione indiuiduorum, quãdo esset talis, vel talis approximatio agentis ad passum. Necessitas enim est conditio existẽtiæ: non igitur cõuenit speciei, nisi in indiuiduis. Neque est simile de elemẽto secundum totum, & secundũ partem: nam elementum totum est singulare per se existens, & principalis pars vniuersi.

Expositio art. 3. quæst. 5. distinctionis 8.

ARTICVLVS iste continet quandam controuersiam inter Scotum, & Henricum Gandauensem, non circa veritatem propositionis: in dubitabiliter namque tenent omnes Philosophi nullum ens creatũ esse ex se formaliter necesse esse: sed tantummodo Deo competere: sed circa intelligentiam mentis quorumdam Philosophorum. Henricus etenim quodlibeto 8. quæstion 9. & quodlibeto 6. quæstione vlt. & quodlibeto 1. quæstione 7. & 8. ex quibusdam locis Aristotelis, & Auicenæ colligit, nũquam fuisse huiusmodi Philosophorum intentionẽ hoc quod est ponere aliquod à Deo creatũ, esse ex se formaliter necesse esse, quod probat quatuor argumentis positis in principio articuli. Hanc tamen Henrici opinionem ex pluribus eorundem Philosophorum locis clarioribus improbat Doctor: & supponens ex articulo 1. huius quæstionis, quod Aristoteles simul & Auicena posuerunt Deum necessario se habere ad alia extra se, sicut visum est; cõcludit hinc, quod tenẽdo illud falsum fundamentum, scilicet Aristotelis ponentis ipsum Deum esse causam necessariam non videtur contradicere sibi ponendo causatum necessarium, vt vult 5. Metaph. cap. de necessario, quod quorundam necessariorum datur alia causa. Duo igitur probat Scotus in hoc articulo; primum scilicet hanc fuisse expressam mentem prædictorum Philosophorum: alterum vero est nullam sequi implicationem in hoc, quod est aliquam creaturã esse ens necessariũ, data illa hypothesi quod Deus necessario illam causaret. Quod optime manifestatur textu: in quo tandem diluit argumenta Henrici: quia tamen huius articuli materia, non ad rẽ, sed ad intelligentiam mentis Philosophorum spectat, non est plus immorandum in expositione illius

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm secundum Philosophos necessario producat Deus aliud immutabile necessarium à se, quo mediante moueat?

A. AD quartum sic proceditur, videtur, quod secundum Philosophos, necessario non producat Deus aliud immutabile necessarium à se, quo mediãte moueat: quia ex necessitate causandi, & vltimata causatione, sequitur, quod mouebit in non tempore: aut saltem mutabit cœlum in non tẽpore, ita quod cœlum non propriè mouebitur.

Secundò præterea: quia videtur Auicen. statim contradicere sibi ipsi ponen

pon ẽ dò illud esse posibile: quia tũc necessarium non necessario compararetur ad illud: & arguitur pro Auicena: si est ab alio: ergo in conceptu quidditatiuo eius non cadit esse: ergo est de se non posibile esse, & nõ esse: sicut humanitas non est de se vna nec plures.

C. Tertio præterea, causa secunda nõ tollit à prima proprium modum causandi eius: ergo, &c.

D. Sed contra est: quia infinita potẽtia pręcise mouet orbem mediate, *vt* ponit Aristot. sed *hoc* non est posibile, nisi producat in esse mouens proximum: igitur intendit talem productionem ponere.

E. Respondeo dicendum, *in ista difficultate dupliciter posse loqui, vel secundum mentem Philosophorum, secũdum quam principaliter procedit articulus, vel secũdum Theologos. Quoad primum* arguo sic, ponit Arist. primum mouens esse infinitæ potentiæ: infinita potentia non potest immediatè mouere orbem: quia nec in tempore, nec in nũc: ergo ponit, quod præcise mouet mediate: illud potest intelligi tripliciter, *vt dictum est art. præcedenti*. Sed nullius trium modorum est posibilis, nisi quod producat in esse mouẽs proximum: quia alij duo ibi improbantur: igitur intendit talẽ productionem ponere. Istud etiam probatur: quia Arist. ponit omnes intelligentias immediate produci à primo contra Auicenã 9. Metaph. cap. 4. quia omnem motum infinitũ causat infinita potentia, & hoc mediate: nulla autem alia à prima est infinitæ potentiæ: quia quælibet est coniuncta alicui orbi: ergo finita: ergo quicunque motus est à primo mediate mouente, & à propria intelligentia motiuè immediatè mouẽte: ergo prima produxit illam motricem proximam: & sic intelligitur illud, intellectus producitur ab extrinseco 16. de animalibus: quia licet non poneret primum agere sine secundis causis: tamen materia disposita ad effectum primi principij, primum necessario (secundum ipsum) informat materiam: ita quod illa informatio est vnica, non duæ: sicut ponendo creationem, & infusionem, sicut secundo de bona fortuna dicitur, quod causa separata hominem sic dispositum immediatè mouet ad sibi proficuum, sed quommodo primum modum dicunt ambo, Auicena 9. Metaph. cap. 4. & Arist. Sed an Aristoteles intelligat de vna tantùm intelligentia producta, dubium est. Tamẽ nullum immediatè ponit à primo nisi intelligẽtiam, quam nisi esset mouẽs non produceret omninò: quia secũdum nullum trium modorum, qui habentur ibi. Itaque cõcordant Arist. & Auicena, in consequentibus ex vno principio falso: in quo cõcordant, ꝙ Deus necessario se habet ad quodlibet, ꝙ est extra se, ad quod immediatè, vel mediante immutabili cõparatur. Ratio *autẽ, quæ est infra in solutione primi argumenti*, benè probat, quod nõ ponendo mouens coniunctũ, ipsum primum, etiamsi sit potentię infinitę, nõ poterit spheram circulare in nunc: sed nec in tẽpore: propter probationem Arist. quia tunc finita potentia transferret in æquali tẽpore. Ex quibus sequitur, quod infinita potentia non potest omninò spherã circulare, & tamẽ videmus eam circulari. Hæc igitur est necessitas Auerrois ponẽdi mouens coniunctum, id est immediatum, & infinitum, sine quo primũ nihil transfert specificè: quia non potest nisi mediatè agere propter sui perfectionem, & imperfectionẽ effectus, inter quæ necessario requiritur causa proxima medians.

Text. com. 138.

Secunda cõclusio.

Prima conclusio.

F. Contra istud quæro, quid est primũ mediatè mouere? aut enim: quia producit causam proximam mouẽtem, cui dando esse, dedit virtutẽ finitam mouentem. Aut si secundũ est à se,

se, primum dat ei virtutem, & influẽtiam aliquã, qua mouet. Aut tertio: quia primum & secundũ eundẽ effectum causant ordine quodam, absque hoc, quod causa secũda aliquid recipiat à prima. Si tertiũ, sequitur, q̃ finita potentia sine aliqua causa secũda mouebit in æquali tẽpore cũ infinita, tamẽ mediãte causa secũda. Si secũdũ, sequitur, quod illud influxũ sit aliud à natura secundæ causæ: igitur si negatur primũ habere motum pro proximo effectu; est cõtra tertiũ, & in nulla intelligentia est actio: contra secũdum. Etsi dicatur, primũ esse de mẽte Arist. & quod ipsum exponit Auic. 9. Meta. de ordine intelligentiarum, & tunc infinitas motus reducatur in primum: quia etiam infinitas durationis secũdæ causæ est à prima semper causante: sicut filius semper gignitur. Primũ autem ex se est durationis infinitæ: sed successio reducatur in virtutẽ finitã mouentis proximi: ita quod nõ ob aliud est ibi primum mouens, nisi quia dans esse mouenti. Sic benè saluatur primum efficiens, & vltimus finis: quia amatus propter se, à secundo mouente: sed non primum mouens, nisi remotum & dãs esse mouẽti proximo, *ac proinde secundum Theologos aliter est loquẽdum*, quia, *vt patet ex art.* 1. virtus infinita habet omnem perfectionẽ causę efficiẽtis in se, quã habet cum causa secũda proxima: & ideò sequitur, quod immediatè potest causare omnem illum effectum in cælo per se, quem potest causare cum intelligentia. *Respondetur tamen iuxta mentem Philosophorum ad argumenta in principio articuli.*

Cap. 4.

Tertia conclusio.

G.

Ad primum scilicet, ad inconuẽiens, quod primũ transferat cælũ in instanti, posset dici, quod hoc non sequitur: quia corpus non est susceptiuum translationis instantaneæ: ideò virtus quæcunque nõ potest in hoc. Et præcipuè patet hoc in circulatione: quia si in nunc circulatur, quælibet pars lati erit in eodem instanti, in eodẽ situ, in quo fuit prius: alioquin si pars non redeat omninò ad situm eundem, & pòstea quãdo complebitur circulatio perueniet: igitur circulatur in tẽpore: sequitur ergo, quod si in nũc circuletur, quod in illo nũc, quælibet pars sit in eodẽ situ, & quãtum ad totum, & quãtum ad partes: igitur circulare in nunc est non circulare, nec omninò mutare.

Ad secundum, conceditur de isto modo possibilitatis, quę scilicet possibilitas nõ est nisi, quod ordine naturæ, hoc est capax huius, & non est illud quidditatiuè. Ex ex hoc patet responsio ad argumentum factũ cõtra Auic. quod cõtradicat sibi, quia non sequitur tale possibile posse nõ esse, nec potest poni non esse: sicut nec ens non esse vnum. Et sic Arist. cõcederet possibile, quod est necessarium ab alio: sed possibile potentia ante actũ improbat 1. cæli & mundi.

H.

Ad tertium (*secundum illos*) respõdeo, quod proprius modus causandi eius est, mediante causa secũda, causare, & non immediatè.

Expositio artic. 4. quæst. 5. distinctionis 8.

INSTAR præcedentis articuli, resoluitur præsentis materia. Si etenim in illis inquiritur, an iuxta mentem Philosophorum Deus aliquod ens ex se formaliter necessarium causet? hic iam quæritur, an hoc tale ens necessarium à Deo creatum sit immutabile & necessarium medium, quo mediante Deus cætera moueat? Et quamuis negato in primo articulo illo falso fundamento, Deum scilicet aliquid ad extra necessario producere; non esset locus, controuersiæ circa istum: seorsum nihilominus ex Doctore singulã difficultatem resolutam habemus. Duplex igitur est via procedendi in illa, prima scilicet Philosophorum, videlicet Arist.

& Auicennæ, quos sine fidei lumine partim affirmatiuam sustinuisse Doctor patefacit. Secunda vero Theologorum, qui negant posse à Deo produci aliud immutabile, quod non sit Deus. Et hîc non controuertitur de productionibus ad intra, quas prædicti Philosophi penitus ignorarũt, sed de productionibus ad extra; quibus Deus causat aliud extra se. Fuit igitur prædictam sententiam eiusmodi Philosophorũ ostendit Doctor: & argumenta oppositum suadentia infine articuli optime soluit. Circa quæ omnia litera est perspicua.

ARTICVLVS V.

Vtrùm aliquid aliud à Deo sit immutabile?

A. QUINTVM sic procéditur, videtur, quod aliquid aliud à Deo sit immutabile: quia si solus Deus est immutabilis: ergo immutabiliter se habet ad illud, ad quod immediatè se habet: ergo illud aliud est immutabile. Probatio primæ consequentiæ: quia si quandoque agat, quandoque nõ, videtur esse ex mutatione sui: non enim hoc potest poni propter nouã approximationem passi, vel amotionem impedimentorum: quia actio primi agentis non requirit ista. Probatio secundæ cõsequétiæ, ad quodcunque necessarium necessario se habet, illud est necessarium.

B. Sed contra est Augustin. septimo de Trinitate capit. sexto, omnis creatura mutabilis, solus Deus immutabilis.

C. Respondeo dicendum ad quæstionem, quantum ad exponẽtem negatiuam istius exclusiuæ, *solus Deus est immutabilis*, quod *suppositis, quæ in articulis præcedentibus dicta sunt*, dico tamen, quantum ad istam partem, quod nihil aliud à Deo est immutabile, loquẽdo de mutatione, quæ est versio: quia nihil aliud est formaliter necessarium. Quodlibet etiam aliud est mutabile subiectiuè, nisi propter imperfectionem negatiuam, puta vltimum accidens, quod nullius perfectionis est capax propter sui imperfectionem: vt puta, si sit aliqua relatio, non est mutabilis subiectiuè: quia non potest esse subiectum alicuius, hoc est, quia est imperfectum negatiuè, id est non capax alicuius perfectionis: sed nihil aliud à Deo, propter perfectionem sui, est immutabile: quia si aliquid est tale, hoc maximè esset prima intelligentia: sed illa est mutabilis ab intellectione ad intellectionem. Probatio: potest enim habere intellectionem cuiuscũque intelligibilis: quia hoc potest intellectus noster habere, non autem vnicam omnium: quia tunc illa esset infinita ex distinctione secũda quæstione prima: nec infinitas simul omnium intelligibilium: quia tunc intellectus habẽs eas in actu simul distincte, videtur esse infinitus: ergo potest intellectionem vnius intelligibilis habere post alterius intelligibilis intellectionem: ergo est mutabilis.

Conclusio.

D. Ad argumentum apparet per idem, *quod dictum est ad tertium, & quartum secundi articuli*: quia cum necessitate Dei stat, quod illud, ad quod immediatè se habet, sit mutabile: quia immediate ab immutabili est mutabile sine mutatione immutabilis: quia contingens habitudo est immutabilis ad proximum sibi: & ideò extremum illius habitudinis, licet fundamentum sit immutabile, est contingens, & mutabile.

Expositio articul. 5. quæstion. 5. distinct. 8.

EXclusiuam hanc, *nihil aliud à Deo est immutabile*, probat Doctor in hoc artic. ostendens, quod quodlibet ens aliud à Deo est duplici mutabilitate mutabile. Ad quod notat, quod mutatio alia est, quæ opponitur necessitati: & tunc idem est mutabile, quod contingens, quod scilicet, potest esse, & nō esse, secundum quod, illud dicitur mutabile, quod contingenter est: quia potest non esse. Vnde ex hoc probat Doctor in præsenti illam exclusiuam: quia nihil aliud à Deo est formaliter necessarium, & hæc mutatio vocatur ab eo *versio*, iuxta modum loquendi D. Damasc. prout patuit in ar. 2. litera F. Dupliciter autem dicitur aliquid subiectiuè mutari, vel primo prout potentia passiua transit de negatione, seu priuatione formæ ad actualem receptionem illius: sic materia prima mutatur per receptionē cuiuslibet formæ substantialis, & corpus quātū mutatur albedine, & intellectus cognitione, seu specie. Et hoc modo (inquit Doctor in textu) prima intelligētia, seu Angelus, *est mutabilis subiectiue ab intellectione, ad intellectionē*: sed adhuc hæc prima mutatio subiectiuè non est ita proprie dicta, sicut secunda, quæ in tantūhabet rationem mutationis, in quantū habet rationem motus: & ideo iuxta definitionem motus, est intelligendū quid sit mutatio in omni rigore. Motus autē alibi ex Aristotele tradidit Doctor, quod scilicet, *est actus entis in potentia secundum quod in potentia*: hoc est, est tendentia alicuius formæ imperfectæ tendentis in vlteriorem gradū perfectionis sui ipsius, vt potè in ligno calido non solū est mutatio potentiæ receptiuæ ligni, de non esse calidi ad esse calidum: sed etiam est in ipsa forma caloris motus sui ipsius, quo transit de gradu remissioris caloris, ad gradum caloris intensioris. Illa ergo tendentia vnius gradus in alium vlteriorem eiusdem formæ, est propriissimè motus: & ab illo deriuatur mutatio, non solum in potentia passiua, cui subiectiue inhæret forma caloris: sed etiam in ipso calore, prout trāsit de gradu in gradum, est vera mutatio, sicuti motus. Ex quibus ad propositum habetur, quod non tantum est mutabilis prima intelligentia: quia transit de nō intellectione ad intellectionē, seu de intellectione ad nō intellectionem, vt ait textus: sed etiam: quia potest transire de perfecte intelligente, in intelligentem perfectius, quod cōtingeret si Deus alicuius Angeli beati intellectui se perfectius vniret in ratione obiecti, quàm nunc de facto vnitur: in quo proculdubio visio intensior fieret: & vere ac propriissime Angelus mutaretur per acquisitionem intensioris gradus formæ præexistentis.

Mutatio opponitur necessitati, & dicitur versio.

Mutari subiectiue fiat dupliciter.

Aristoteles quid sit motus.

Motus quid sit.

Intelligentiæ mutatur.

DISTINCTIO NONA.

Nunc autem ad distinctionem personarū accedamus.

QVAESTIO VNICA.

De æternitate generationis Filij.

CIrca distinctionem nonam quæritur vnum, scilicet, vtrùm generatio Filij sit æterna in diuinis? Circa quod quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrùm generatio Filij in diuinis sit æterna?

¶ Secundò. Vtrùm verba omnium temporum vere dicantur de Deo?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm generatio Filij in diuinis sit æterna?

A. Ad primum sic proceditur. Videtur quòd generatio Filij in diuinis nō sit æterna: quia vbi idē est esse, & duratio, si aliquid est principiū esse, & *est* durationis: sed Pater est principiū esse Filij: quia principiū diuinitatis, secundū Aug. 4. de Trinit. cap. 17. vel 54. ergo est principium durationis Filij.

Secundò præterea: si generatio Filij est æterna: ergo Filius semper generatur: ergo Filius nunquam genitus est: & ita numquam est Filius. Hæ duæ cō-

B.

sequentiæ probantur per Augustin.83. quæst.q.37.qui semper nascitur, numquã natus est:ergo si Filius semper nascitur,nunquã natus est. Vltra ꝙ nũquã natũ est,nũquã est Filius .igitur si Filius
C. semper nascitur:ergo nũquã est Filius.

Sed contra est Ambr.1. de Trini.c.6. & ponitur in litera.Si Pater prius creat Deus, & postea genuit, generationis accessione mutatus est. Auerrat Deus hanc amentiã,semper igitur habuit Filiũ.Similiter auctoritas Hilarij in litera inter gignere,& gigni,nullũ est mediũ, scilicet,durationis.Si igitur proprium est Patri semper genuisse:proprium est Filio,quod semper genitus est.

D. Respondeo dicendũ ad quæstionẽ, & dico,quod sic:quia generatio nõ est
Conclusio. ibi sub ratione mutationis, sicut dictũ est dist.5.q.2.ideo non habet terminos correspondentes terminis generationis mutationis, scilicet, esse post non esse: propter quos terminos repugnat generationi mutationi æternitas:quia non possunt esse simul,sed alterũ ante alterũ:ergo non æternitas,sed tantũ est ibi generatio productio in esse substãtiæ per modũ naturæ.Ex hoc ostendo, quod sit æterna : quia agens omnino sufficiens,hoc est,à nullo dependens,& producens per modum naturæ,habet productionẽ sibi coæuã: & etiã productũ perfectũ,si non agit per motũ:sed Pater generans producit per modũ naturæ ; & est agens omnino sufficiens à nullo dependens : igitur habet generationem sibi coæuam : igitur, & genitũ: quia non producit per motum. Maior apparet: quia quod producens præcederet suã productionẽ,hoc non posset esse, vt videtur,nisi quia, vel in potestate eius esset agere , & non ageret:vel quia,si ex se determinaretur,tamen posset impediri propter deffectũ alicuius , à quo dependet in agendo. Hæc omnia excludũtur per ea,quæ posita sunt in maiori,scilicet, esse agens sufficiens,& producere naturaliter. Si etiã nõ ijs dispositis præcederet productũ,hoc esset:quia producens produceret per motũ:igitur istis amoris,& motu,non tantũ productio est sibi coæua producenti,sed etiã productũ. Minor apparet,quantũ ad omnes cõditiones: quia generans naturaliter generat , & est producens omnino primũ: igitur à nullo alio depẽdet in producẽdo:& naturã suam nullomodo cõmunicat per motũ:quia non potest esse motus in natura illa. Per istã rationẽ tenet illud exẽplũ Augus.6.de Trinit. c.1.de magnis, vel 2. de paruis, de igne , & splendore, quodsi ignis esset æternus,haberet splẽdorẽ sibi coæuũ . Istud exẽplũ declaro sic:quando cũq; concurrunt in aliquo ratio cõmunioris, & minus cõmunis: quidquid in illo sequitur per se rationẽ cõmunioris, sequitur etiã eã, vbi inuenitur absq; ratione minus communis. Hoc apparet in omnibus cõmunibus habentibus proprias passiones,& eorũ inferioribus : igitur si in creatura concurrat ratio causantis naturaliter, & ratio producentis naturaliter: quidquid sequitur creaturã ratione huius cõmunioris,quod est producere naturaliter: sequitur etiã eã, vbi inuenitur sine causatione naturaliter :sed quod ignis habeat splendorẽ sibi coęuũ,hoc nõ sequitur ipsum præcise per hoc,quod est causans naturaliter:sed ex hoc ꝙ est producens naturaliter:quia si per impossibile nõ causaret illũ,sed produceret, ita quod splendor esset eiusdẽ naturæ, cũ igne: adhuc nõ minus sequeretur coæuitas:igitur vbi est vere ratio producẽtis naturaliter,sine ratione causantis naturaliter:sicut est in diuinis: ibi vere sequitur, producens habere productum naturaliter sibi coæuum . Ista solutio etiã confirmatur accipiendo illud, quod reperitur perfectionis sparsim in generationibus diuersarum creaturarum,& relinquendo ea,quæ sunt imperfectionis. In generationibus enim successiuorum, hoc est, perfectionis in eis,quod dũ fiunt,sunt:imperfectionis, est in eis,quod nõ manent,sed habent esse tantum in fluxu partis post partem. In generationibus permanentium, hoc est perfectionis, quod manent,& imperfectionis,quod nõ sunt, dũ fiunt:quia hoc ponit in perfectionẽ in faciente:quia nõ est perfectũfaciens.

Doctrina singularis peripatetica ex 4.phisic.& 5.& 6.

Simi-

Similiter in facto, quod necessario habet esse post non esse. In indiuisibilibus successiuorũ, hoc est perfectionis, quod dum fiunt, sunt, & tota simul sunt: sed imperfectionis, quod raptim transeunt. Aggregando igitur perfectiones habebitur genitũ, quod simul generabitur, & erit, & permanenter erit. Hoc est genitum generati, & perfecte esse in nunc perfecte stante, quod est nunc æternitatis. Hoc est propositũ.

E. Ad primum argumentũ dico, quod principium dicitur multipliciter, sicut
Tex. cõ. 1. apparet, 5. Metaph. cap. 1. etsi accipiatur eodẽ modo, bene potest cõcedi, quod si sit principium alicuius, quod sit principium illius, quod est idem ipsi: sed principiũ non consueuit cõstrui cum hoc, quod est durationis pro principio originis: sed tantũ pro principio, quod sit quasi termini illius durationis, à quo, sicut instans, dicitur principium partis. Et siue hoc sit ex vsu Sermonis, vel ex virtute Sermonis, non concederetur ista, Pater est principium durationis Filij sine determinatione: sed bene concederetur ista, Pater est principiũ originatiuum æternitatis Filij. Quando igitur arguis, identitatem esse & durationi: quia quidquid est principium vnius & *est* alterius: concedo, si principium vniformiter accipitur respectu esse, & durationis. Sed ly principium non construitur cum ly durationis, in ratione talis principij in ratione qualis principij, ly principium construitur, cum ly esse: quia respectu esse est principium originatiuum, & ideo non sequitur, sed est fallacia æquiuocationis, vel amphibologię: sed ad hoc quod consequentia teneat, oportet determinare principium in consequente per hoc quod est originans, vel originale. Sic Pater est principium originale durationis Filij, quod concedo, vt dictum est.

F. Ad secundum dico, quod verbum nostrum est dupliciter infieri: vno modo est infieri, quod est propria gignitio ipsius verbi. Secundo modo est infieri, quod est propria inquisitio præcedens illam gignitionem illius verbi: quam inquisitionem Augustinus, vocat cogitationem volubilem; quod verbum nostrum sit infieri, hoc secundo modo, hoc est imperfectionis ex parte Verbi: quia ponit nouitatem: & ex parte intellectus nostri: quia ponit imperfectam causalitatem. Et hoc modo Verbum diuinum, non est infieri: & ideo concedit Augustin. Verbum nostrum cogitatione formari: ita quod prius sit formabile, quam formatum in illa inquisitione prima: sed quod verbum nostrum sit infieri, quantum ad gignitionem, non est imperfectionis, imò est necessarium ad perfectionem verbi, & erit etiam in prima. Et ita non est imperfectionis in Verbo æterno, semper esse infieri, id est gigni absque omni inquisitione præuia.

Vide infra disp. 17. & 18. ad hoc.

G. Ad tertium: dico, quod Augustin. videtur negare Filium semper nasci in quæstion. præallegata, cum tamen Origines dicat oppositum, sicut allegat Magister in litera super illud Hieremiæ 1. inuenta est. Gregorius tamen, Moralium 29. super illud Iob. 36. scies quando nasciturus, videtur dicere aliqua, quibus possunt ista dicta concordari: non possumus (inquit) dicere semper nascitur, ne imperfectum aliquid videatur: ne (inquit) aliquid videatur imperfectum. Non dixit imperfectio est, si dicatur semper nasci: sed videtur significari imperfectio: hoc est, iste sermo semper nascitur, non significat generationem esse ita perfectam, sicut sermo iste significat eandem esse perfectam: semper est natus. Ista enim semper est natus, magis exprimit veritatem, quam ista, semper nascitur, licet vtraque sit vera.

Capit. 1. & 13.

(.?.)

Expositio arti. 1. quæst. vnicæ dist. 9.

Litera est satis clara, & eius conclusio absque controuersia: qua Doctor concludit generationem Filij esse æternam: id tamen probat: quia tali generationi deficit omnimoda ratio mutationis. Datur enim vera productio substantialis sine aliqua actione, & mutatione prout late ostendimus supra in proprio loco. Est autem maximè ponderanda ratio, qua Doctor conclusionem probat, quæsine eo, quod repetatur hîc, perspicue habetur in textu. Quia tamē non de sunt circa ibi tradita, non nulla dubia: ideò ad huius dubij pleniorem intelligentiam sequens difficultas mouetur.

DIFFICVLTAS. LXIX.

Vtrùm Filius æternaliter generetur à Patre?

§. 1.

Proponitur ratio dubitandi.

1. QVamnis in primo articulo textuali sit præsens difficultas optimè resoluta, ob quorundam dubiorum solutionem, hic excitata est: quia tamen non inuoluit inter Scholasticos controuersiam, illam non longo temporis, & interualo persoluam. Probatur igitur pars negatiua primo, quoniam si Filius æternaliter generatur à Patre, erit vera ista, Filius semper generatur: quia æternitas sempiternitatem importat. Ex hoc autem sequitur Filium generare se ipsum, quod absit: ergo, &c. Quod autem ex sempiternitate generationis sequatur, Filium generare se ipsum, probatur: quia habens principium formale productiuum in aliquo instanti, in quo non præintelligitur habere terminum productum: semper potest tali principio formali producere: sed Filius in primo instanti æternitatis per generationem accipit idem principium formale productiuū, quod habet Pater ad generandum, scilicet, eandem memoriam fœcundam: & pro tunc non præintelligitur habere terminum productum in facto esse: quia semper est in fieri: siquidem semper generatur, eo quod æternaliter generatur: ergo in illo instanti Filius potest producere, & semper tali principio formali producit Filium. In diuinis autem ob adæquatum terminum generationis, nō potest gigni plusquam vnus, & idem Filius: ergo Filius producit se ipsum: illa autem prima maior est certa apud cotum, qui infra in distinction. 10. quæst. vnica, ideo probat, quod Filius producit Spiritum Sanctum: quia in generatione Filij, communicatur Filio principium formale productiuum Spiritus Sancti: & hoc in aliquo priori, in quo nō præintelligitur esse Spiritum Sanctum productum.

Secundo: quia quod æternaliter generatur, in quauis dieffrentia temporis generatur: nam nunc æternitatis coexistit omnibus temporis differentijs, vt patet in articul. 2. huius quæstionis solutione ad argumentum in textu. Tunc sic: ergo ista erit vera, Filius in tempore futuro generatur: siquidem nunc æternitatis, in quo generatur, coexistit tali temporis futuritioni: ergo pro tempore futuro non intelligitur Filius habere esse: quia Pater pro tali instanti vere producit illum: & pro instanti, in quo intelligitur produci in fieri, non dum intelligitur habere esse: ergo Filius nunc habens idem principium formale productiuum, quod habet Pater: quia sibi nunc illud communicat: poterit mediante tali principio se ipsum tempore futuro producere: nam pro illo tempore, non præintelligitur habere esse productum: si quidem pro illo tempore intelligitur à Patre produci: quia sicuti tale principium est Patri ratio producendi Filiū, sic similiter erit Filio ratio producendi se ipsum. Et ex consequenti idem Filius distingueretur realiter à se ipso: quia realis distinctio non potest non interesse inter producens, & productū, vt patet. 2.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & communis, cum suis fundamentis.

IN oppositum autem est litera textualis, huius primi articuli sub litera F. vbi hæc profert Doctor: *Aggregando igitur perfectiones habebitur geni-*

genitum, quod simul generabitur, & permanenter erit: hoc est, genitum generari, & perfectè esse in nunc perfectè stante, quod est nūc æternitatis. Tenet D. Thom. 1. p. q. 33. ar. 3. §. *sed contra*, & in alijs locis, & communiter omnes fideles.

4. *Æternitas licet sit attributū, est tamen quidem modus Dei.*

Pro intelligētia vero difficultatis, primo obseruare oportet, quod sicut infinitas est modus diuinæ essentiæ, sic æternitas est modus quidam (licèt aliàs sit attributū) diuinæ existentiæ, prout alibi ex Doctore notauimus. Nec officit existētiam esse de ratione formali essentiæ, ad hoc vt infinitas, & æternitas pro eodem nonsumantur: nam diuina existentia est id, quo essentia formaliter habet esse reale: & quia essentia ex se formaliter, & essentialiter habet esse reale: ideò ex se formaliter, & essentialiter, habet realiter existere. Quod in alijs extra Deum non contingit, cū cætera existant accidentaliter, eo quod eorum existentiæ sibi accidentaliter competunt: siquidem per creationem, seu aliam actionē sibi accidentalem, habent esse. Quamuis igitur existētia in Deo sit de ratione essentiæ: non tamen adhuc in Deo essentia est de ratione existentiæ, sicut licet rationale sit de ratione formali hominis: non tamen è contra, homo est de ratione formali rationalis: quia etsi cōstituens, seu quasi constituens, sit de ratione quasi cōstituti: non tamen è contra, quasi constitutū est de ratione quasi cōstituētis. Quæ distinctio sufficit, vt saluetur subtile Scoti Axioma, q̄ infinitas est mod⁹ essentiæ, æternitas vero est modus existentiæ.

5. *Existentia Dei dat esse, & decorare.*

Non tamen ob id intelligendum est, æternitatem in omnibus coæquari diuinæ existentiæ, sed tantū in duratione: nā veluti in nobis existentia, & habet dare esse reale essentiæ & habet dare tale esse per certā tēporis durationē: quia tēporis mutationibus, & successionibus subiacet: ita diuina existentia, & habet esse id, quo Deus realiter habet esse, & habet hoc reale esse extra omne tēpus: quia cū non subiaceat tēporis mutationibus, aut successionibus, est existentia immutabilis, & semper sine successione aliquapē seuerans. Est ergo æternitas duratio quædā realis: duratio autē est quædā permanentia existentiæ, seu existentia ipsa sine destructione perseuerans: quæ supra cæteras creaturę durationes addit, quod immutabiliter, & necessario sine fine permaneat: ex quo omnē successionē tēporis, aut vnius tēporis instantis post aliud penitus excludat, qua negatione successionis ratio diuinæ æternitatis cōpletur.

Quid sit æternitas.

6. Porrò est obseruandū secundo, quod ex eo q od æternitas talē successionem excludit, ex se ab intrinseco nō respicit prius, aut posterius, nec præteritū, aut futurū: sed semper est quodā nunc, quod ideò nunc æternitatis ab omnibus appellatur. Consul-ò dixi, *ex se ab intrinseco* nā per extrinsecam denominationē rerū existentiū, quibus æternitas coexistit, sæpe quæ Deo æternaliter conueniunt, iuxta præteriti, & futuri temporum differentias enunciare solemus: sic dicimus Verbū fuisse genitū à Patre, & Spiritum Sanctū à Patre, & Filio fuisse productū: & similes enunciationes de futuro admittimus, & concedimus, quæ in re ipsa veræ sunt, eo quod nunc diuinæ æternitatis non minus coexistit tēpori, quā rebus est præsens: & non minus tēpori, quod fuit rebus præteritū, quā quod eis erit futurū. Ex quo prouenit, quod istæ propositiones Pater genuit, generat, vel generabit, ex se sic debent intelligi: Pater generat in nunc æternitatis, quod nunc coexistit tempori præsenti, præterito, & futuro. Vnde ab intrinseco solū sibi cōperit illud nūc æternitatis: ab extrinseca vero denominatione à rerū duratione accepta, à qualibet tēporis differentia fit denominatio, eo quod cuilibet tēporis differentiæ æternitas coexistit.

7. *Æternitas secū patitur ab intrinseco multa instātia originis & naturæ, non vero tēporis.*

Demū est tertio obseruandū, quod licet nullę tēporis differētię; quinimonec instantia, se cūdū prius, & posterius sint cōpossibilia (nisi ab extrinseco) cū æternitate: possunt nihilominus plura instātia originis, imò & naturæ, cū illa optimè cōpati. Et ratio à priori est: quia æternitas importat durationē successioni oppositā: successio autē durationis solū in tēporis differentijs inuenitur: instantia vero originis, seu naturę, sine tali successione seruantur, vt patet. Ex quibus deducitur, quod adhuc exclusa omni successione æternitati oppositā, optimè saluatur in Deo attributa emanare, & quasi pullulare ab essentia: ibique ob id esse prius, & posterius, loquendo de prioritate, & posterioritate naturæ, vt vult Scotus, & nos infra de eius mēte soluemus. Item bene saluatur, Filium esse à Patre, ac propterea Patrem esse origine Filio

priorem: Filiumque origine posteriorē Patre, manente vtriusque æternitate. Nam licet multi conentur destruere signa originis, & naturæ in Deo, vt fuerunt OKam, Gregorius, Alphonsus Toleti, Ioannes Anglicus, Baconius, & alij: nihilominus opinio Doctoris in hoc multum prævaler, vt infra compertum erit.

8. Ex quibus infertur, quod etsi Filius sit æternaliter genitus à Patre: stat Patrem pro aliquo instāti originis esse, pro quo nondum intelligitur Filius habere esse: & pro illo instanti, quo Pater est, & nondum intelligitur Filius habens esse, est Pater generans: quia eo est Pater, quo generans: & nondum intelligitur Filius genitus; aliàs enim instantia originis cōfunderentur ad inuicem. Et exconsequēti pro illo instanti, pro quo Pater generat Filium, non habet Filius potentiam generandi sibi communicatam à Patre: quia pro tali instanti Filius non dum intelligitur esse: ergo à fortiori nondum intelligitur habere talem potentiam sibi à Patre communicatam. Imò dico, quod etsi pro illo primo instanti originis, pro quo Pater generat, iam Filius esset (quod implicat, sicut implicat idem esse à se, & ab alio) adhuc Filius pro illo non haberet potentiam generandi.

Pater æternus pro aliquo priori intelligitur esse, quā generet Filium.

9. Ad huius tamen intelligentiam, & completam difficultatis resolutionem, tandem obseruare oportet, quod potentia, seu principium generandi in Patre, est memoria fœcūda, quæ nihil aliud est, quam assentia vnita intellectui in ratione obiecti, per modum speciei intelligibilis, vt dictum est supra in difficultate 49. Hanc autem memoriam fœcundam Pater, generando Filium, communicauit illi. At tamen hæc eadem memoria fœcunda dupliciter potest intelligi, vel inquam primò per modum principij, vel secundo per modum termini: quia eadem essentia, & est principium formale producendi in Patre, & terminus formalis Filio cōmunicatus: igitur memoria fœcunda in Patre habet rationē principij formalis generationis: in Filio autē eadē memoria sibi à Patre cōmunicata habet rationē termini formalis, non vero principij: prout optimē notauit Lychetus in hoc 1. dist. 9. q. vnic. §. *Respondeo*, vers. *tertio præmitto*. Sed si queras quare hæc eadem memoria cōmunicata Filio non habet in ipso rationem principij formalis generandi, sed termini, si voluntas cōmunicata Filio habet in eo rationem potentiæ spirandi, sicut in Patre? Respondeo, quod quia productiones diuinæ sunt infinitæ, & terminantur ad terminos infinitos, & adæquatos, posito termino producto cuiuslibet productionis, non sibi restat amplius aliquid producendum, & quasi exhausta (vt ita loquar) remanet potentia per totalē, & adæquatum terminum suæ productiuæ virtutis. Atque ideo, adhuc ipsa potentia manente quoad entitatem, deficit sibi ratio principij quoad potentiam: quia potentia adæquate terminata, iam non habet rationem potentiæ: quia nihil amplius potest producere.

Memoria fœcunda est principium generādi in Patre.

Memoria fœcunda dupliciter sumitur.

Lychetus.

Memoria fœcunda in Filio habet tantum rationem termini, sed nō principij, & potētiæ.

Quia ergo prout in Patre nondū intelligitur memoria habens terminū adæquatū suæ fœcunditatis: ideo in illo habet rationem potentiæ, & principij productiui: quia vero in Filio iam supponitur terminum totalē talis memoriæ esse adæquate productum: iam ibi memoria, quoad sui fœcunditatē, est quasi exhausta respectu alterius productionis: & ideo non habet ratione principij cōmunicatiui, sed termini cōmunicati. Ex quo patet ad instantiā de spiratione, quod, scilicet, quia Pater cōmunicauit Filio volūtatē spiratiuā, antequam intelligeretur actu spirans: cōmunicauit illi eā adhuc fœcundā ad spirandū, eo quod nondum illā cōmunicauit per terminū adæquatū, quasi exhaustā, sicut de memoria visum est. Atque id ita fiat, volūtatē in Filio habere rationē principij productiui, absq; eo quod memoria in illo habeat, nisi rationem termini.

10.

Spiratio actiua in Filio habet rationem principij productiui.

§. 3.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

11. His præhabitis, difficultatē cōcludendo, dico primo, quod æternitas generationis diuinę bene cōpatitur cū prioritate, & posteritate originis. Conclusio hæc est Scoti quāplurimis in locis suę doctrinę: & infertur ex eis, quæ fides Catholica docet: nā vt ex sequenti cōclusione cōstat, de fide est, Deū esse æternū, & eius generationem æternam: sed etiam est de fide Filium

1. Concluſ.

Filium esse genitum à Patre: inter generans autem, & genitum interuenit ordo originis, qui consistit in hoc, quod est vnum productiue esse ab alio: qui ordo sine prioritate, & posterioritate nequit intelligi, cum ordo necessario prius, & posterius importet: ergo, &c.

12. Dico secundo, quod Filius æternaliter generatur à Patre. Conclusio est de fide: quæ patet ex pluribus vtriusq; Testamenti locis, præsertim ex illo Psalmi 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Et ex Psalmo 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ, & similia testimonia D. Augustinus, & plerique Patres de æternitate diuinæ generationis intelligunt. Et Paulus ad Hæb. 1. vtitur illo testimonio ad probandum generationem Filij esse æternam. Item, patet ex illo Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso.* Quod testimonium etiam solet de æternitate generationis intelligi: sed clarius habetur ex eodem Ioanne cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sunt plura alia sacræ paginæ testimonia, quæ hoc idem ostendunt. Item ex symbolo Athanasij: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, & tamen non tres æterni, sed vnus æternus.* Habetur hæc veritas ex Cõcilio Lateranensi in capit. *firmiter*, & ex pluribus alijs Concilijs.

a. Conclus.
Psalm. 109
Psalm. 2.
D. Augus. Ad Heb. 1.
Ioan. 1.
Ioan. 5.
Simb. Ath.
Cap. firmi.

13. Secundo probatur Sanctorum Patrũ auctoritatibus, vt potè ex illo D. Ambrosij 1. de Trinitate cap. 6. quod ponitur in litera Magistri, & in textu Doctoris: *Si Pater prius erat Deus, & postea genuit, generationis accessione mutatus est. Auertat Deus hanc amentiam: semper igitur habet Filium.* Item D. Hilarius in distinct. 9. à Magistro allegatus inquit: *Si igitur proprium est Patri semper genuisse, proprium est Filio quod semper genitus est.* Vide exemplum D. Augustini 6. de Trinitate capit. 1. de magnis, & paruis, quod habetur à Doctore in textu, de igne & splendore, quod maxime hanc veritatem confirmat: & reliquos Sanctos Patres, qui hanc veritatem expresse profitentur sæpissimè.

D. Ambr.
D. Hilari.
D. Augus.

14. Tertio probatur conclusio subtilissima ratione Doctoris: quæ habetur in corpore huius articuli, scilicet, *Quia agens omnino sufficiens, hoc est, à nullo dependens, &c.* Quæ ibi latè, & præclare habetur.

§. 4.

Soluuntur argumenta in oppositum.

15. *Ad arg. & ad 1.*

AD argumenta autem in oppositum, & ad primum negatur sequela: pro nullo enim instanti naturæ, téporis, vel originis est verum dicere, quod Filius sè ipsum generat. Ad eius tamen probationem, concessa maiori, ad minorem, quæ plura inuoluit, figillatim respondeo. Et primo dico, quod in eodem instanti æternitatis sunt multa instantia, seu signa originis: atque ideo in primo instanti æterni tatis, & est primum signum originis, in quo Pater intelligitur esse; in quo tamen non dum intelligitur esse Filius, nec aliquid à Patre accipere per generationẽ: & est secundum instans, seu signum originis, in quo secundo signo intelligitur Filius generari à Patre, & intelligitur Filius habens esse sibi communicatum à Patre. Et quatenus intelligitur Filius habens esse communicatum à Patre, iam intelligitur pro tali signo originis terminus adæquatè productus à Patre: quia sicut in nullo signo originis intelligitur Pater, quin intelligatur generare: sic in nullo signo originis intelligitur Filius, quin intelligatur generari: seu in nullo intelligitur generari, quin intelligatur Filius: quia sicut ratio constitutiua Patris, est Paternitas, quæ à generatione actiua sola nostra consideratione distinguitur: sic ratio constitutiua Filij est Filiatio, quæ formalissimè est ipsa generatio passiua; licet Filiatio, & generatio passiua per nostrum merum modum cõcipiendi ratione distinguantur.

In eodẽ instanti æternitatis sunt multa signa originis.

16. Quia ergo in Deo idem est fieri, & factum esse, seu vt propriè loquamur, idẽ est generari, & genitum esse: ideo ex natura rei, pro eodem instãti originis, quo intelligitur generare, intelligitur Pater: & pro eodẽ instãti, quo intelligitur generari, intelligitur Filius: licèt benè per nostros cõceptus, origines præcedãt relationes, vt ostẽditur infra sub dist. 26. Habetur igitur, quod nullũ est instans originis inter generari, & genitũ esse: vndè pro eodẽ originis instanti, pro quo intelligitur Filius generari, intelligitur quoq; Filius esse genitus, & esse terminus adæquatus

In Deo idẽ est fieri, & factum esse.

quatus generationis actiuæ: & similiter, quod hæc duo instantia originis sunt in eodem æternitatis instanti. Atque ideò verum est, quod assumitur in argumento, quod scilicet, Filius in primo instanti æternitatis (licet in secundo originis) per generationem accipit quidquid habet sibi à Patre communicatum. Sed negatur, quod pro eodem instanti, pro quo intelligitur accipere tale esse â Patre, non intelligatur iam terminus productus in facto esse.

17. Rursus, quod ibi in argumento assumitur, Filium pro tali instanti accipere à Patre per generationem idem principium formale productiuum, quod habet Pater ad generandum, est planè falsum: quia in Filio numquam est tale principium generatiuum: nam licet Pater Filio cum essentia memoriam cõmunicet: non tamen ob id ei communicat principium generandi: quoniam (vt supra notatum est) memoria, quæ Patri est ratio generãdi, per Filij generationẽ est adæquate terminata: atq; ideò nõ cõmunicatur Filio in ratione principij formalis generandi: sed per modum formalis termini generationis. Ex quo manifestè patet, Filium nullatenus generare se ipsum, quod inferebat argumentum. Quod autem assumitur de communicatione principij formalis spirandi, est longè dispar ratio: quia Pater communicat Filio virtutem spiratiuam, nondum adæquate terminatam: & ideo illi eam communicat in ratione principij formalis productiui. Vndè licet prius origine sit virtus spiratiua in Patre, quam in Filio, eo quod Pater eam habet à se: Filius autem non à se, sed à Patre (quia vt optimè notauit D. Thomas, prima part. quæstion. 40. art. 1. ad primum, communis spiratio est vna in Patre, & Filio, sicut in vtroque est eadem essentia: ergo sicut essentia prius origine est in Patre, quam in Filio, sic virtus spiratiua, seu spiratio actiua vtrique communis: nihilominus tamen actus spirandi pro eodem instanti originis, quo conuenit Patri, conuenit Filio, vt bene ex Scoto notauit Vazquez 1. p. q. 3. art. 3. in notationibus circa articulum, num. 10. quod clare docet Doctor inf. dist. 12. q. 2. art. 2. quia in eo, in quo est ordo originis inter personas diuinas, datur prioritas, & posterioritas; sed in actu spirandi, non est talis prioritas: quia Pater, & Filius simul origine spirant: licet bene sit talis ordo in virtute spiratiua, quam Pater habet à se, Filius autem à Patre: ergo, &c. Nullum est ergo simile ad propositum de spiratiua virtute: quia nec Filius habet simultatẽ originis cum Patre in actu generationis, sicut illã habet in actu spirandi: nec habet à Patre communicatam memoriam in ratione principij formalis generandi: sed in ratione formalis termini generationis.

Filius nullatenus dicitur generare se ipsum.

Vazquez. Pater, & Filius in eodem instanti originis spirant Spiritũ Sãctũ.

18. Ad secundum patet solutio ex dictis ad primum, & ex resolutione sequentis articuli textualis. Esto nãque quod nũc æternitatis omnibus temporis differentijs coexistat: non tamen in rigore est verum, quod illud quod æternaliter generatur, in quauis temporis differentia generatur. Cuius ratio à priori est: quia nunc æternitatis non pendet ab eo quod est sibi extrinsecum. Mensura autem temporis est omninò extrinseca æternitati: & ideo quod in nunc æternitatis habet esse, non pendet à differentijs tẽporis ad sui durationem: vndè hæc in rigore loquendo, erit falsa, *Verbum generabitur*: quoniam illa futuritio tẽporis importat exclusionem præteriti, & præsentis, eo quod vnum tempus succedit alteri: & huiusmodi temporis simultas ipsius temporis definitioni repugnat, cum tempus sit numerus motuum secundum prius & posterius. Si tamen intelligatur dicta propositio in legitimo sensu, ita vt sic construatur: Verbum est genitum in nunc æternitatis, quod coexistit tempori futuro: tunc erit vera propositio. Sed quia ob variam, & æquiuocam acceptionem huiusmodi locutionũ introducitur confusio loquendi: optimè in sequẽti articulo disputat Doctor, qualiter verba iuxta temporum differẽtias debeant enuntiari de Deo: & bene resoluit, quod quamuis in re ipsa omnes temporum differẽtiæ dicuntur de Deo: melius tamen est loqui iuxta modos loquendi Sanctorum Patrum: Qualiter tãdem memoria communicetur Filio, & pro quo instanti? satis patet ex dictis solutione ad primum.

Ad 2. arg.

Genitũ ab æterno non generatur in quauis tẽporis differentia.

Verbum generabitur, est falsa propositio.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm verba omnium temporum vere dicantur de Deo?

A. AD secundũ sic proceditur. Videtur, quod verba omnium temporum non vere dicantur de Deo: quia si verè dicuntur de Deo: quid significant ista verba, diuersorum temporum, cũ dicuntur de Deo?

B. Sed contra est: quia illud apparet per illud, quod adducit Magister in litera dist.9.cap.2.

C. Respondeo dicendum, quod *licet* expressius, secundum Beatum Gregorium, significatur diuinæ generationis veritas per hunc sermonem, semper natus est: quàm per istum sermonem, semper nascitur: quia per ly natus, significatur natiuitas vt perfecta: sed cũ ly semper, significatur vt perfecta, cũ omni parte tẽporis coexistere: & ita nontã tum significatur, omni parti temporis coexistere, sicut significatur per istam, semper gignitur: sed significatur etiã, omni parti temporis coexistere sub ratione perfecta, & in hoc videtur, expressissime significari veritas huius processionis: tamen vtraque est vera. Ad

Conclusio. cuius intellectum sciendum est, quod verba, cuiuscumque temporis, dicuntur de Deo vere: siue significent actus personales, siue essentiales: sicut patet per Augustinum super Ioannem Hom. 99. super illud Ioannis 16. non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur. Audiet (inquit Augustin.) de spiritu, quod vtique audiuit, & audit: quia Spiritum Sanctum audire, est à Patre Filioque procedere: & per consequens, quod audiet, audiuit, & audit: sicut quod scit, sciuit, & sciet: igitur vult ipse dicere, quod verba omnium temporum verè dicuntur de Deo.

A.

D. Ad argumentum respondeo, quod magis proprie possunt dici consignificare nunc æternitatis, quàm differentias temporis: non tamen illud nunc absolute; quia non esset variatio tunc diuersorum modorum significandi temporis; sed in quantum coexistit partibus temporis: vt cum dicitur, Deus genuit, consignificatur nunc æternitatis, vt sic sit sensus: Deus habet actum generationis in nunc æternitatis, in quantum illud nunc coexistebat præterito: Deus generat: hoc est, habet actum in nunc æternitatis, in quantum nunc æternitatis coexistit præsenti. Et ex hoc patet, quod cũ illud nunc vere coexistat cuilibet differentiæ temporis: verè dicimus de Deo differentias omnium temporum.

Expositio artic.2. quæstion.vnicæ distinction.9.

QVamuis principale motiuum huius articuli, fuerit circa modum enuntiandi æternitatem generationis diuinæ: quia scilicet, videbantur æternitati contradicere huiusmodi temporum differentiæ: dicendo, Verbum nascitur, Verbum est natum, aut Verbum erit natum: ex hoc speciali optime ad omnia, quæ verè vniuersaliter dicuntur de Deo, procedit ur: quæ quidẽ resoluuntur in textu. In quo duo examinat Doctor, primum, scilicet, quid in re sit dicendum? secundum verò qualiter, adaptãdo modum nostrum dicendi Patribus sanctis, loquendum sit in hac materia? Primum resoluit tam generaliter, quatenus ait, *Quod Verba cuiuscunque temporis dicuntur de Deo verè, siue significet actus personales, siue essentiales*: quàm etiam specialiter, quatenus comparando certas temporis differentias impositas ad generationem æternã, inquit, quod *tamen vtraque est vera*. Secundum verò, quod pertinet ad melio rem modum loquendi, resolnet in sequens Diui Gregorij sententiam, iuxta quam perfectius, & expressius significatur æternitas diuinæ generationis, dicendo, quod Verbum semper est natum, quam

quod semper nascitur, propter rationem, quam reddit in textu. Qualiter vero nunc æternitatis partibus, & differentijs temporis coexistat: planè in solutione argumenti declarat.

DISTINCTIO DECIMA.

Nunc post Filij æternitatem, de Spiritu Sancto, quantum Deo donante, videre conceditur, differamus.

QVAESTIO VNICA.

De productione Spiritus Sancti, in ordine ad principium suæ productionis?

CIRCA istam distinctionẽ decimam, quæro vnum, scilicet, vtrum Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis? Hic tamen sunt tria dubia. Primò, quomodo voluntas potest esse principium communicandi naturam, cum ita non sit in creaturis? Secundò, quomodo voluntas potest esse principium necessariò producendi, & quæ necessitas requiritur in ista productione? Tertiò, si productio sit necessaria, quomodo non est per modum naturæ, sed distincta contra illam, & libera? Circa quæ omnia quæruntur septem.

¶ Primò. Vtrùm voluntas diuina possit esse principium communicandi naturam?

¶ Secundò. Vtrùm Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis?

¶ Tertiò. Vtrùm voluntas, eo quod infinita, sit principium necessario producendi in diuinis?

¶ Quartò. Vtrùm necessitas productionis Spiritus Sancti proueniat tantum ex infinitate, & rectitudine voluntatis producentis?

¶ Quintò. Vtrùm obiectum finitum possit esse com principium voluntatis infinitæ ad productionem?

¶ Sextò. Vtrùm voluntas infinita eadem productione, qua producit amorem obiecti infiniti, producat etiam amorem obiecti finiti?

¶ Septimò. Vtrùm Spiritus Sanctus procedat per modum naturæ?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm voluntas diuina possit esse principium communicandæ naturam?

AD primum sic proceditur. A. Videtur, quod voluntas diuina non possit esse medium communicandi naturam, cũ ita non sit in creaturis: quia quod non competit alicui, siue quod repugnat alicui secundum rationem absolutam: nec

nec sibi competit si est infinitum. Alia ratio quasi probatio illius propositionis. Infinitum non dat virtuti actiuæ rationem alterius virtutis actiuæ: sed dat sibi intẽsionem, & in se, & in actione sua. Iungatur minor: rationi *autem* volũtatis (vt tale principium actiuum) non conuenit, siue repugnat sibi communicare naturam: ergo, &c.

B. Secundo præterea: *quæro enim*, vnde volũtas habet infinitatem? Si ex se: igitur vbiq; quod est falsũ in creatura. Si ab essentia: igitur voluntas infinita est vt habet assistentiam naturæ, siue essentiæ, quod dicit alia opinio *infra tangenda*.

C. Tertio præterea arguo sic: infinitas est de se eiusdem rationis in intellectu, & voluntate: ergo non est formalis ratio distinctarum productionum, quæ habent distingui ex principijs formalibus.

D. Sed contra est: quia voluntas diuina est principium amoris sibi adæquati: hoc est, tanti amoris, quanto ipsa nata est amare obiectum: nata est autem amare obiectum infinitum infinito amore: igitur est productiua infiniti amoris: quidquid est infinitũ formaliter est essentia diuina: ergo ipsa voluntas est principium communicandi essentiam diuinam amori producto.

E. Respondeo dicendũ, quod quantũ ad primũ dubiũ dicitur, quod natura diuina dicitur in diuinis quadrupliciter: vno modo apellatur natura ipsa essentia diuina, in qua tres personæ diuinæ consistunt: & dicitur natura sic pure essentialiter. Secundo modo dicitur natura principium actiuum naturale: & natura sic dicta est vis productiua similis ex simili: & sic potentia generandi actiua in Patre est natura, & sic est essentiale cõtractum ad notionale: quia est ipsa natura diuina dicta primo modo: natura enim quæ est ipsa essentia diuina, vt est sub proprietate paterna determinata ad actum generandi, est potentia generandi actiua in Filio Patre existens: & istos duos modos naturæ tangit Hylarius 5. de Trinitat. cap. 17. dicens de Filio, quod ex virtute naturæ in eadem natura natiuitate subsistit. Tertio modo dicitur natura quælibet vis naturaliter existens in natura primo modo dicta: quæ, scilicet vis, & si sit libera, tamen hoc modo potest dici natura. Et sic voluntas in Deo dicitur natura: quia scilicet, est naturalis potentia existens in natura diuina naturaliter. Quarto modo dicitur natura incommutabilis necessitas circa aliquem actum, vt natura isto quarto modo dicta non sit, nisi conditio, & modus circa actum elicitum. Ex dictis ad propositum dicitur, quod natura tertio modo est principium spirandi: quia voluntas est vis elicitiua spirationis, vt est libera liberaliter agens. Quarto modo concurrit cum voluntate. Primo modo concurrit nõ elicitiue, sed obiectiue tantum. Secundo modo non concurrit omnino. Sed vltra tertium declaratur ibidem ad quartũ articulum. Ex his ad propositum dicitur, quod nec intellectus, nec voluntas ratione, qua sunt simpliciter intellectus, & voluntas, sunt principia elicitiua actuum notionalium, per quos producitur simile in forma naturali ipsi producenti: quia tunc in quocumq; essent, essent principia productiua, vel elicitiua actuum similium, quibus produceretur simile in forma. Quod falsum est in creaturis: sunt enim solummodo ibi principia elicitiua actiuũ naturalium, vt sunt in natura diuina notionalium: & vt sic per illam habentia se naturalitatem quandam ad productiones notionales. Secundum hoc enim diximus in quæstione quadam de emanationibus in generali, quod intellectus, & voluntas, vt sunt simpliciter intellectus, & voluntas, modo, scilicet, intellectuali, & volũtario agentes: tantum sunt principia elicitiua actuum essentialium, qui sunt intelligere, & velle: licet hoc sit passiue ex parte

Opinio hæc est Henr. in sum. art. 6. q. 1.

te intellectus, & actiue ex parte voluntatis. Vt autem sunt natura, & principia actiua naturaliter elicientia actus: sunt principia actiua elicitiua actuum notionalium, qui sunt generare, & spirare, & hoc necessitate naturalitatis: quia impossibile est, Deum per principia, quæ sunt natura in ipso, huiusmodi actus non elicere.

F. Ad cuius declarationem sciẽdum, quod huiusmodi naturalitatem habent à diuina natura, in qua sunt intellectus, & voluntas: sed aliter, & aliter: quoniam intellectus diuinus habet ipsam coincidendo in rationem naturę, quæ est ratio principalis elicitiua act' notionalis: & hoc iuxta secundum modum naturæ prædictum, vt omnino naturalitas ista sit prævia, & ratio intellectus sit concomitans, vel quasi concomitans; propter quod non nisi modo naturæ, & naturali impetu, actum suum notionalem eliciat, vt magis proprie dicatur Pater generare natura intellectuali, quam naturali intellectu: vt intellectus potius intelligatur, quasi determinare naturam, quam è conuerso. Et secundum hoc, ratio, qua productum natura eliciẽte, dicitur Filius, est prima, & ratio, qua dicitur verbum est respectu illius, quasi secunda. Voluntas autem habet naturalitatem ipsam, non vt coincidendo in ratione naturæ secundo modo dictæ: ex hoc quod fundatur in illa, vt naturalitas ista inuoluntate nullo modo sit præueniens eius libertatem, nec elicitiua actus eius notionalis, penes secundum modum naturæ. Hoc enim esset omninò contra ipsam libertatem; sed potius vt sit consecutiua, & annexa libertati, & hoc nõ vt aliquid, quo voluntas suum actum notionalem eliciat principiatiue: sed vt aliquid, quo existente voluntati, voluntas ex vi, quam habet, ex eo quod est voluntas, & libera, potest elicere actum suum notionale, quẽ sine illo assistente, omnino elicere non posset.

Contra illud de natura primo modo, 5. de natura, secũdo modo dist. 7. itẽ non determinatur natura per intellectum, sed è conuerso: quia natura dicit rationem principiandi communem multis quæ. Contra illud de voluntate dupliciter, quid est assistentia. Item, cõtra, consequi prius est principalius. Cõtra dicta igitur primo, quantum ad hoc quod ponit de illa assistentia naturæ ipsi voluntati, vt voluntas vi ipsius assistentiæ possit communicare naturam: quæro, quid est ista assistẽtia? Videtur, quod non sit necessaria ad istam communicationem: quia habito supposito perfectè agente, & conueniente actioni, & principio quo agendi perfecto, non videtur esse aliquid aliud necessarium ad agendum, sed ponte, sola volũtas est principium respectu actus notionalis: & constat, quod suppositum agens est perfectum, & conueniens actioni: igitur nõ videtur illa coassistẽtia esse necessaria ad talem actionem. Præterea, quãdo aliqua sic sehabent, quod secundum prius, & posterius concurrunt ad aliquam actionem, illud, quod est prius principalius concurrit ad illã actionem: sed essentia, quæ est natura, prout accipiunt naturam primo modo, in qua tres personæ diuinæ consistunt, est prior voluntate: igitur si natura isto modo concurrat ad actionem, vt assistens voluntati, necessario erit principalius in ista productione: igitur contradictionem includit, quod concurrat, vt assistens concomitans voluntatem, & non præueniens, vt ipsi dicunt. Præterea cõtra opinantẽ pro argumentũ esset illud, quod ipse facit. Si intellect⁹, & volũtas essent principiũ cõmunicãdi in naturam: igitur in creaturis essent tales potentiæ principia communicandi naturam: si omnino esset alia ratio intellectus, & voluntatis in Deo, & in creaturis. Et similiter quæ est necessitas distinguendi inter voluntatem, quam ponit principiũ eliciendi actum, & naturam, quam ponit coassistere voluntati elicienti; si tantum est

Impugnatio opinionis Hẽrici.

Henrici.

Vt patuit, dist. 8. q. 4.

inter

inter ista distinctio rationis, sicut videtur alibi sentire de distinctione attributorũ in diuinis. Aliter ergo dico, quod voluntas potest esse principium communicandi naturam, & non voluntas vt communiter sumpta ad creatum, & increatum: sed voluntas vnde infinita est: est enim infinitas proprius modus voluntatis diuinæ, sicut & cuiuscumque alterius perfectionis essentialis, hoc patet ex ratione posita infra ad solutionem quæstionis *in 2. artitul. & hic, § sed contra.* Et si quæras ame de consistẽtia naturæ aliquo modo: dico, quod non oportet voluntati, vt est principium communicandi naturam, aliquo modo speciali assistendi ponere naturam assistere: sic enim natura posset esse principium communicandi naturam, & non voluntas, nisi poneretur aliqua perfectio minor voluntatis, quam naturæ: nulla est autem talis imperfectio: quia simpliciter ita est perfecta voluntas infinita, sicut natura infinita. Ad primum argumentum, si pro medio accipiatur repugnantia, maior est vera, & minor falsa: nam ista ratio voluntatis transcendens, quæ abstrahit à finita, & infinita: non est ratio repugnantiæ, sed limitatio superueniens illi, si accipiatur pro medio non conuenientia: dico, quod principio actiuo infinito nõ conuenit actio, nisi infinita talis, qualis transcendens competit transcendenti. Nunc autem voluntati transcendenti competit transcendenter, si vellet, sic & producere velle: igitur infinitæ voluntati competit producere infinitum velle, non per se, sed concomitanter. Infinitum velle est Deitas: finitum autem velle Angeli, non est esse Angeli. Ad minorem dico, quod communicare naturam non est actio transcendens voluntatis incommunicata, sed producere velle sibi proportionatum, & obiecto, ideo infinita voluntas infinitum produ cit: & ex consequenti naturam.

Conclusio.

H:

Ad secundum patet dist. 8. quæst. 4. à quo: quia ab essentia fundamentaliter, & ex se formaliter. Itaque concedo essentiam requiri, vt fundamentum, etiam vt realiter idem: sed illud in suo signo naturæ, in quo est formaliter infinitum, est principiũ quo, præcisum cum obiecto, sicut operãdi, sic producendi.

Ad tertiũ, dico, quod duo in actu, scilicet, libertas, & infinitas, quæ est modus intrinsecus termini, habẽt duo alia correspondentia in termino, *quo*, siue principio, *quo*, (quæ re in vltima collatione Parisiensi.) Vnde non dico, infinitatem esse formalem rationẽ respectu spirandi, sed voluntatem infinitam. Nec in hoc duo principia formalia: quia infinitum est modus intrinsecus. Aliter potest dici, quod voluntas, vnde voluntas omninò, simplex, hoc est, non componibilis naturæ, cuius est potentia, nec actui suo: nam ex hoc sequitur, quod est reductiua actus: quia competit sibi, vt est voluntas. Et vltra actus est idem naturæ, & hoc vnum simpliciter omnino: ergo communicatiua naturæ.

I:

Expositio artic. 1. quæstion. vnicæ distinct. 10.

IN textu quatuor facit Doctor: proponit etenim, & latè exponit opinionem Henrici. Secundo illã: iam explicatam impugnat. Tertiò propriam sententiam pro conclusione statuit: & tandem argumenta in principio posita soluit infine. Primum ergo clare habetur ibi, qualiter quatuor modos naturæ Henricus constituat, & ponat tertio modo voluntatem diuinam esse communicatiuam naturæ. Ponit ergo Henricus, nec intellectum, nec voluntatem ex se esse principia sic communicatiua, quatenus habent diuinam naturam sibi peculiariter assistentem: sine qua sibi sic assistente non possent elicere actus notionales, nec producere diuinas personas. Circa quæ habentur plura in textu pro expositione huius opinionis Henrici, quæ videnda sunt, sed eorum impugnatio

tio habetur litera H. resolutorie: itaque loquendo quæritur in præsenti, vtrùm voluntas diuina possit esse principium communicatiuum naturæ? ex quo in discursu articuli inuestigatur, vnde proueniat voluntati esse tale principium: an scilicet, ratione diuinæ naturæ, sibi peculiariter assistentis? vel ex eo, quod præcise est voluntas? vel tãdem ex eo, quod est voluntas infinita? Primum affirmauit Henricus, ut ibi refertur, & impugnatur a Doctore. Secundum ab inconueniẽti improbatur: quia tunc sequeretur etiam voluntatem creatam esse productiuam personæ, & communicatiuam naturæ. Tertium denique affirmat Doctor, & pro conclusione statuit litera N. dicens: *Quod voluntas potest esse principium communicandi naturam, & non voluntas, vt communiter sumpta ad creatam, & increatam. sed voluntas, vnde infinita est*, & ibi reddit rationem, quare *non oportet voluntati, vt est principium communicandi naturam aliquo modo speciali assistenti, posse naturam assistere*. Cætera sunt clara in textu.

Voluntas infinita est principium cõmunicandi naturam diuinam.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis?

A. AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Spiritus Sanctus, non producatur per modum voluntatis: quia natura est vis insita rebus, ex similibus similia procreans, secundum illam cõmunem descriptionem naturæ; Spiritus Sanctus est similis producenti. Igitur producitur per naturam, & ita non per voluntatem.

B. Secundo præterea, Auerroes 8. phy. com. 4. vult, quod vnius naturæ est tantum vnus modus communicandi: igitur si diuina natura communicatur per modum naturæ: non communicatur per actum, vel modum voluntatis.

C. Tertio præterea, voluntas est potentia activa in creaturis: non igitur factiua: & ita assimili, in Deo, voluntas non est potentia operativa, non videtur esse potentia productiua. Probatio consequentiæ quia sicut in creaturis se habent activa, & factiua, ita in Deo productiua, & operativa: sicut enim in creaturis activa habet actum immanentem, & obiectum præsupositum, factiua habet obiectum productum, & actum transeuntem: ita in diuinis actus operativæ immanet, actus productiuæ non immanet; operativa etiam præsupponit obiectum, productiua autem non præsupponit terminum.

D. Quarto præterea, nihil producitur actu voluntatis, nisi præcognitum, ex 15. de Trinitat. capit. 27. ergo si Spiritus Sanctus sic producatur, erit præcognitus, ante quam producatur: & tunc à Patre, & Filio cognosceretur, cognitione non intuitiua: quia cognitio, quæ est eius, in quantum cognoscitur, ante quam producatur, non videtur esse intuitiua: quia cognitio intuitiua non est rei, nisi vt est in se præsens, & existens. ergo, &c. Inconueniens autem est, Spiritum Sanctum, à Patre, & Filio cognosci non intuitiue: quia cognitio non intuitiua est imperfecta: ergo, &c.

E. Sed contra est Augustin. 5. Trinitat. capit. 14. vel 32. *vbi ait*, Spiritus Sanctus exijt, a Patre, & Filio, nõ quomodo natus, sed quomodo datus: exire per modum dati, & doni conuenit producto per modum voluntatis: ergo, &c.

F. Respondeo dicendum ad quæstionem, & dico, quod sic: quia in Deo est voluntas, sicut apparuit dist. 2. & etiam ex quæstione de attributis, dist. 8. patet etiam ex hoc, quod Deus ex natura sua, est beatus: beatitudo non est sine voluntate, vel actu voluntatis: est etiam in eo voluntas sub ratione principij productiui: quia principia productiua, ex quo de se nõ dicunt imperfectionem, reducuntur ad aliud vnum perfectum, vel ad aliqua perfecta in tanta paucitate reduci possunt: non possunt autem

Conclus.

omnia

tàm reduci possunt: non possunt autē omnia reduci ad vnicum principium productiuum, vel actiuum: quia illud vnicum haberet modum determinatum agendi alterius istorum, scilicet, naturæ, vel voluntatis: quia inter modos istos producendi non est aliquis modus medius: igitur non possunt hic reduci ad maiorem paucitatem, quam ad dualitatem, scilicet, principij productiui per modum naturæ, & per modum voluntatis: & cum illa, ad quæ tanquam ad perfecta stat: vt tota reductio principiorum, sint simpliciter perfecta: ambo ista principia sub ratione propria sua ponentur in Deo, vt est primum producens. Et ex his vltra probo conclusionem principalem: in quocunque est principium aliquod, quod ex ratione sua est principium productiuum, illud erit in eo principium producendi, si est in eo sine in perfectione, & non intelligatur præhabere aliquod productum sibi simpliciter adæquatum: in Deo autem, vt probatum est, est formaliter voluntas ex natura rei, & hoc sub ratione principij productiui liberi, respectu amoris, & patet quod est ibi sine imperfectione: igitur erit in Deo principium producendi amorem, & hoc secundum proportionem perfectionis suæ, in comparatione ad obiectum præsentatum: ita quod sicut voluntas creata est principium producendi amorem creatum tātum, quanto amore ipsa potest amare obiectum, qui dicitur amor adæquatus: ita illa voluntas est principium producendi tantum amorem, quanto ipsa nata est amare obiectum infinitum: nata est autem amare obiectum infinito amore: ergo nata est esse principium producendi amorem infinitum: nihil autem est infinitū nisi sit ipsa essentia diuina: ergo ille amor est essentia diuina. Ille autē amor productus non est natus esse formaliter inhærens: quia nihil est tale in diuinis: igitur est perse subsistens, & nō idē subiectens cū producente: quia nihil producit se. 1. de Trinitat. capit. 1. igitur est personaliter distinctum. Hanc personam dico, Spiritum Sanctum: quia Filius non sic producitur, vt patet dist. 6. sed per actum naturæ, siue intellectus.

G. Item, omne principium perfectum, alicui supposito perfecte habenti ipsum, potest esse principium producendi, vel sic omni principio productiuo perfecto, aliquod suppositum perfecte habens ipsum, potest producere terminum adæquatum in comparatione ad obiectum præsentatum: voluntas perfecta habens obiectum perfectum, vel primum actu sibi præsentatum, est principium productiuū perfectū amoris tanti, quanto tale obiectum est diligendū á tali voluntate, &c. sed volūtas est in persona diuina: igitur aliqua persona diuina potest sibi producere adęquatū amorē. Hoc sufficit hīc. Vndè nihil de primis, sed in distin. 2. quod si spiret, requiritur illud ad prius. Hæc minor primi syllogismi non asserit, nec negat de obiecto secūdo: sed quod certū est, scilicet, de primo dubia omnia sic hic soluuntur: nā ex minori infertur, quod voluntas infinita habens obiectum infinitum præsens, est principium productiuum amoris infiniti: quia tanto obiectum infinitum est diligendū. Hoc certū est: quid quid sit de obiecto secundario: quia illa toto conatu diligit illud, si recta est. Vel aliter, potest diligere tāto amore: hoc dicit minor: igitur diligit. Hoc sequitur ex illo, quod habet prius de volūtate actus, respectu istius obiecti: quia in necessario, quod potest esse, est. Quare primū soluitur dubium, quo modo est principiū cōmunicandi natu tā. Secundū soluitur addendo ad minorē, voluntas infinita perfecta respectu obiecti præsentis necessario diligendi ab ipsa, est necessariū principiū producendi amorem tantum, quanto obiectum tale est ab ipsa diligendum: igitur voluntas respectu obiecti infiniti præsentis, est minor: omnia hæc,

Corobora-tio proba-tionis.

&

& necessario, & infinitum, & in hoc cõmunicationem naturæ, & in hoc spirationem personæ diuinæ, &c.

H. Ad primum argumentum dico, quod illa diffinitio naturæ probat, quod Spiritus Sanctus non producitur, vt similis ex vi productionis suæ: & verum est, quod non est imago Patris, sicut Filius, qui ex vi productionis suæ procedit, vt similis Patri.

I. Ad secundum responsum est diffuse distinct. 2. quæst. 4 in illa quæstione, qua quærebatur, vtrum possent plures esse productiones in diuinis.

K. Ad tertium dicendum est (sicut dictum est distinct. 2. quæstione de productionibus, quod differentiæ accidentales potentiæ, scilicet, actiuum, & factiuum, non sunt differentiæ productiuæ potentiæ: generaliter enim tali principio producitur illud, cuius est tale principium productiuum, vel in eo in quo est, si natum est illud recipere, vel in alio, vel in nullo. Si in nullo: quia nihil natum est recipere illud: tũc producitur per se subsistens si potentia productiua sit perfecta respectu subsistentis. Ita est in proposito, Voluntas quia producens producit, nec agit producendo in supposito, in quo est, nec facit producendo in alio: sed producit terminum per se stãtem, vt personam, quæ in nullo recipitur ut subiectum. Aliter est responsum distinct. 6. vbi dictum est, quod productio non est intellectio formaliter: & quomodo tunc intellectus potest esse principium non tantum intelligendi, sed etiam dicendi.

Quæst. 4.

L. Ad quartum, & vltimum dicẽdum est, quod necesse est ad actum amandi, siue ad actum amoris, amatum esse præcognitum. Hoc dicit Beatus Augustinus de Trinit. capit 27. sed non oportet ipsam dilectionem esse præcognitã puta, si offerretur mihi aliquod bonũ honestum, non oportet, quod ante quam possem habere illum actum amãdi circa illud, quod præcognoscam illum actum. Ita in proposito oportet essentiam diuinam, cuius amor spiratur, esse præcognitam Patri, & Filio, ad hoc vt spirent: sed non oportet in illo instanti originis concedere Spiritum Sanctum (qui est amor spiratus) esse præcognitum Patri, & Filio: licet in instanti æternitatis, sit tota Trinitas nota cuilibet personæ in Trinitate: quia distinguendo inter instantia originis, non distinguitur inter durationem, & durationem: sed tantum aquo quis sit.

Aliter posset dici, quod in illo priori signo originis, ante quam intelligatur Spiritus Sanctus spirari, Pater, & Filius cognoscunt Spiritum Sanctum, vt intuitiue: licet non vt existentem in se: quia cognoscunt essentiam diuinam, quæ est ratio cognoscendi intuitiue quodcumque obiectum intelligibile: sicut Trinitas cognouit creaturam etiam intuitiue, ante quam producatur: quia essentia sua, quam intuetur, est ratio cognoscendi intuitiue quodlibet cognoscibile: licet nullum existeret in se. M.

Expositio articuli 2. quæst. vnicæ distinction. 10.

I. Conclusio huius articuli est affirmatiua in textu, & communis apud omnes Theologos famosos, qui in hoc quod est Spiritum Sanctum procedere per modum voluntatis à Patre, & Filio, conueniunt. Tenet D. Thomas 1. part. quæst. 27. art. 1. 2. 3. & 4. sed clarius quæst. 37. art. 1. in corpore, vbi inquit, quod vt in suque processionis diuinæ est *Vna per modum intellectus, quæ est processio verbi: alia per modum voluntatis, quæ est processio amoris*. Nec oppositum docet Henricus, licet in præcedenti articulo tenuerit, Spiritum Sanctum procedere illo tertio modo naturæ ibi exposito. Nec alij, qui infra in artic. 7. tenent procedere per modum naturæ, opponuntur huic conclusioni: quia talis modus naturæ (prout illum explicant) bene cum modo voluntatis compatitur. Vltra conclusionem autem tituli articuli

D. Thom. Henricus.

Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis.

articuli respondentem, multa alia præclare tradit Doctor in textu. Non enim solum concludit Spiritum Sanctum per modum voluntatis procedere: sed qualiter necessario statuenda sit processio per modum voluntatis, inuestigat, & determinat. Id namque probat ex beatitudine Dei, & ex eo quod in eo est voluntas per modum principij productiui. Ex quo per legitimũ discursum infert, Spiritum Sanctum per voluntatem procedere: quæ omnia iam supra in distinct. 2. quæst. 5. artic. 2. de duplici principio productiuo prælibauerat satis. Et ideò iuxtà hoc non est nobis hîc immorandum: quia licet hîc noua eiusdem argumenti corroboratio habeatur, quatenus videlicet, id probat ex eo, quod *Omni principio productiuo perfecto aliquod suppositum perfectè habens ipsum, potest producere terminum adæquatum, in comparatione ad obiectum repræsentatum, &c.* Quia tamen hæc probatio redit in idem, quod illic probauerat, & hic clarè habetur in litera textuali: non se offert circa illam aliquid adnotandum. Bene video OKam in hac distinct. 10. contradicere Doctori, prædictam rationem impugnando: sed quia multa ibi parui ponderis adducit, quæ potius fastidium, quàm lucrum possũt ingerere, parui ducẽda sũt: ea tamẽ ad longũ solui Lichetus in præsenti.

OKam.

Lichetus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm voluntas, eo quod infinita, sit principium necessario producendi indiuinis?

A. AD tertium sic proceditur. Videtur, quod voluntas, eo quod infinita, non sit *principium necessario producendi indiuinis*: quia dilectio creaturæ est infinita in voluntate diuina: & tamen est contingens: ergo, &c. Minor habetur hîc statim in 4. *articul.* quia, *scilicet*, voluntas non est principium necessarium producẽdi aliquem amorem alicuius obiecti, nisi sit necessarium principium amandi illud obiectum: voluntas autẽ infinita nõ est necessariũ principiũ amandi obiectum finitum: ergo, &c.

B. Secundo præterea: quia idem est principium producendi, & necessario producendi: igitur si infinitas voluntatis, vel magis voluntas infinita, non est ex se necessarium principium producẽdi: igitur, nec absolute producendi, nec communicandi naturam: quia ipsa non potest communicari, nisi necessario: igitur, & in solutione primi dubij in 1. *artic.* & in solutione quæstionis *in secundo articul.* ita oportet exprimere de obiecto, sicut hic in solutione istius dubij: *ergo non eo præcisè, quod infinita, est principium necessario producendi.*

C. Tertio præterea, & confirmatur: quia voluntas etiam infinita non est principium producendi amorem obiecti finiti: alioquin, vel erunt multi Spiritus Sancti, vel vnus erit amor productiuus omnis creaturæ, ꝙ negas: quia tunc necessario amarentur: ergo, &c.

D. Sed contra est: quia voluntas infinita non potest non esse recta, nec potest non esse in actu recto: quia tunc esset potentialis: igitur voluntas illa de necessitate est in actu recto volendi illud obiectum, quod est ex se rectè volendum: & sicut ex necessitate est principium volendi: ita ex necessitate est principium producendi amorẽ illius.

E. Respondeo dicendum, quod quantum ad istud dubium, dicitur quod triplex est actio voluntatis. Prima, quæ est elicita à voluntate, vt est voluntas simpliciter absque omni naturalitate, & necessitate, vt est illa, quæ procedit à libertatis arbitrio, siue in Deo, siue in creatura intellectuali, & in nobis tẽdit solũmodo in bonũ amatũ, ꝙ est circa summum bonum. Secunda, quæ est elicita à volũtate, vt est simpliciter volũtas, & hoc cũ sola naturalitate necessitatis immutabilis annexa illi actioni, vt est illa, quæ procedit à libertatis arbitrio, & tendit in summum bonum amatum, & aperte visum. Tertia, quæ est elicita à voluntate, non vt est voluntas simpliciter: sed vt est natura, naturalitate sibi annexa dicto modo tertio, vt est illa, quę procedit à volũtate libertate in solo Deo, & tẽdit nõ solũ in summũ bonum amatum, & visum: sed etiam in ipsum amorem procedẽtem,

Opinio Hẽrici, in sum. art. 6. q. 1.

tem,quo incentiue amatur,licet diuerſimode tendat in vtrumque,& hoc ſecundum aliam,& aliam neceſsitatem immutabilitatis annexam ipſi actioni in quantum actio ordinatur in amatum ſummum ab ipſa ſola voluntate: ratione,qua eſt libera,procedit neceſsitas immutabilitatis in actione eius ſecunda,& in actione eius tertia:in quãtum vero actio ordinatur in amorem productum,tendentem in amatumterminatiuum voluntatis,ſic ab illa naturalitate annexa voluntati procedit neceſsitas inmutabilitatis, circa ſolum actum notionalem elicitum á voluntate, vel potius ab ipſa libertate voluntatis, vt ei talis naturalitas eſt annexa. Contra *dicta autem,& præſertim*,quantũ ad hoc,quod ponitur vna neceſsitas in volitione,ſcilicet,libertatis&duplexin ſpiratione, ſcilicet,libertatis,&naturalitatis:videtur eſſe contra ipſum,& cõtra veritatem:quia ipſe ponit actus notionales fundari ſuper eſſentiales, vel in eſſentialibus, & omnes concedunt cõmuniter, quod actus eſſentiales aliquo modo præcedunt actus notionales:non videtur autem, quod infundato poſsit eſſe aliqua neceſsitas formaliter maior,quam in eo,in quo fundatur: vel quod duplex neceſsitas ſit infundato, & vnica infundamento. Probo: quia tunc per impoſsibile, vel incompoſsibile, ſeparata vna neceſsitate ab altera, adhuc remanebit illud fundatũ neceſſariũ: nõ autẽ remanebit illud: in quo fundatur neceſſariũ:quia non habuit niſi illam vnicam neceſsitatem, quæ circunſcribitur à fundamento:igitur poſſet,illa poſitione poſſita,neceſsitas eſſe infundato,& non in illo, in quo fundatur. Et ex hoc ad propoſitum: quia ſi actus ſpirandi habet neceſsitatem ex libertate voluntatis: & præter hoc ex illa naturalitate annexa voluntati: & actus dilectionis ſimplicis, non habet niſi tantum primam neceſsitatem: ergo circunſcripta tantum prima neceſsitate, circunſcriberetur tota illa neceſsitas,quæ erat in fundamento:& adhuc tamen remanebit alia neceſsitas in productione illa,ſcilicet, illa,quæ eſt ex naturalitate. Præterea videtur,quod tota illa naturalitas non conſequatur actum voluntatis: quia iſta competit voluntati,per ipſum,ex hoc, quod fundatur in eſſentia diuina: igitur cum prius ſit ratio eſſentiæ diuinæ ratione voluntatis, quidquid conſequitur rationẽ eſſentiæ diuinæ, vel voluntatem, ratione eſſentiæ, conſequitur eam per prius, quàm illud, quod ſequitur voluntatem, vt voluntas eſt: & ita videtur, quod naturalitas illa præcedat aliquo modo ipſam libertatem: & per conſequens impedit ipſam libertatẽ.

Impugnatio, præditæ opinionis.

Hæur.quod lib.6.q.1.

Ad dubium *igitur* de neceſsitate patet per idem,*quod dictum eſt in articul.*1. quia principium productiuum perfectum poteſt dare producto omnem perfectionem, quæ ſibi non repugnat: voluntas infiniti eſt principium producendi perfectum: igitur poteſt dare producto ſuo perfectionem ſibi competentem: non autem repugnat ſibi neceſsitas: imô conuenit neceſſario ſibi: quia nullum infinitum poteſt eſſe poſsibile non neceſſarium: igitur iſtud principium,quod eſt voluntas infinita,erit ſufficiens principium dandi neceſsitatem huic producto. Si autem eſt principium, quo poteſt dari neceſsitas producto: igitur datur: quia nulli,quod non eſt neceſſarium,poteſt dari neceſsitas ex ſe. Et vltra. Si eſt principium,quo datur neceſsitas producto: igitur & productioni: productum enim capit eſſe productione: non poteſt autem aliquid capere, eſſe neceſſarium per productionem non neceſſariam:non videtur *autem*, quod voluntatem eſſe rectam, ſit coaſſumendũ cũ hoc,quod eſt ipſã eſſe infinitã,quaſi aliud exæquo:quia tunc voluntas infinita non eſſet ſufficiens,quo, cõmunicandi naturã,etiã habens obiectũ præſens: ſed volũtas infinita recta. Itẽ,rectitudo illa ſit cõformitas ad rationẽ rectã ergo relatio erit principiũ productio

F.

Conclu.

nis Spiritus Sancti, saltem vt voluntas recta, sicut recta est ratio volendi: ideo sic voluntas infinita, omnino nihil addendo: ibi obiecto præsente necessario in actu volendi; ita quod ad nullum actum volendi est in potentia condicionis: quia tunc componibilis, & ipsa pro obiecto adæquato habet infinitum volibile: ergo necessario actu vult illud, & ita de productione vltra: sicut de necessaria operatione. Secundo probatur ex ratione potentiæ, quæ potest habere obiectum adæquans capacitatem eius: igitur vt infinitum, & non vt contentum sub illo obiecto: quia tunc ab aliquo finito dependeret in operando, & ita vile esceret. Tertio probatur ex ratione actus: quia volitio infinita non dependet à finito: ergo finitum non est primum obiectum eius, quæcumque
G. volitio ibi possibilis, est infinita.

Ad primum argumentum respondeo vt ibi, non videtur, & hoc extra illa dilectio est necessaria: sed non necessario transit super obiectum secundarium, à quo non dependet: sed necessario super primum, a quo quasi dependet: est etiam realiter infinita ex voluntate, & obiecto primo. Contra saltem vt transit super obiectum secundum est contingens: igitur sic non erit infinita, vel ex oppposito consequentis. Respondeo, non necessario est huius, vt modus habitudinis: non vtrobique vt modus actus fundantis habitudinem oppositam. Contra, vt transit est contingens, negatur: quia isti actui sub alio modo, vel habitudine inest necessitas, licet habitudo sit contingens: sed si hoc intelligitur in antecedente: consequenter dicatur.

H. Ad secundum concedo, quod ratio ad principalem solutionem hic, & similis de Verbo, quantum ad intellectum, & omnia illa, quæ ponuntur supra distinct. 2. q. æst. 6. non concludūt nisi accipiendo cum voluntate hic, & cum intellectu ibi principium compro ductivum, scilicet, obiectum sine quo, *non producit sicut nec cooperatur sit ex sequenti articulo patebit.*

Ad tertiū similiter dicatur ad illud, I.
scilicet, quod voluntas non est principium producendi, nisi vt habens sibi obiectum præsens, quod est sibi comprincipium producendi, & non potest esse principium habens quodcunque obiectum: sed præcise, vt habens obiectum primum sibi præsens, & cum illo. *Cætera quæ expectant ad necessitatem productionis Spiritus Sancti, vide in sequenti articulo: quare autem obiectum non possit esse comprincipium voluntati ad producendum vide in artic. 5.*

Expositio artic. 3. quæstion. vnicæ distinction. 10.

REcto ordine procedendi prosequitur Doctor inuestigādo principium productiuum Spiritus Sancti. Nam habito ex primo articulo voluntatem infinitam esse tale principium, & ex secundo, quod processio illa est à tali voluntate per modum voluntatis: modo (cum voluntas, quæ per modum voluntatis operatur, in nobis contingenter producat amorem) inquirit necessitatem productionis voluntatis diuinæ, oppositam contingentiæ, & causam huius necessitatis inuestigat. Et se ergo huiusmodi productionē necessariam excludentem omnimodam contingentiā, est certum infide. Vndè autē hæc necessitas oriatur? conuertitur in præsenti, quo circa refertur in textu opinio Henrici, qui in summa artic. 6. quæst. 1. vt suam proferat mentem, prænotat triplicem esse actionem voluntatis, vt patet ibi: primam, scilicet, quo circa bonū finitum procedit à voluntate mere libere, & contingenter, vt potè volitio circa creaturam, seu amor ad creaturā terminatus: secundam vero quæ elicitur à voluntate circa Deum clare visum, quæ necessario necessitate immutabilitatis, procedit ab ipsa. Tertiam tandem, quæ est à voluntate, non vt voluntas est simpliciter, sed quatenus habet sibi annexā naturā, sibique assistentē, sicut dictū est de tertio modo naturæ relato in primo articulo iuxta Henrici sententiam.

Spiritus Sanctus necessario procedit.

Triplex actio voluntatis secundum Henricum.

Hoc ergo tertio modo dicitur voluntas simpliciter necessario producere Spiri

tũ Sanctũ. Vnde hæc necessitas non aliũ de prouenit, nisi ab ipsa naturæ alsistentia. Prouenit ergo in iusmodi necessitas secundum Henricum in prima actione voluntatis, ab illa naturalitate tertio modo dicta, annexa voluntati, sibique coassistẽte ei, ea solum actum elicitem notionalem: vbi duplicem necessitatem constituit vt ibi patet. Hanc Henrici opinionem bene Doctor impugnat ibi, & circa hoc litera textualis eliclara. Sed litera G. difficultatem cõcludit dicens: *Quod dicitur principium, quod est voluntas infinita erit sufficiens principium dandi necessitatem huic producto.* Quod debet intelligi ex parte potentiæ: nam alias contradiceret Doctor sequentis articuli doctrinæ: vbi determinat non sufficere voluntatem infinitam, sed etiam requiri obiectum infinitum ad necessitatem spirationis. Ex parte igitur potentiæ, infinitas simul cum voluntate, est vnum principium necessitatis, spirationis diuinæ: quia voluntas de se, non esset sic principium necessarium, nisi infinita esset. Atque ideo formaliter loquendo, ratio necessitatis prædictæ, non aliunde, nisi ex infinitate voluntatis, seu ex voluntate infinita prouenit. Quod probat Doctor eadem ratione *de principio perfecte productiuo*, qua in præcedenti articulo probauerat Spiritum Sanctum procedere per modum voluntatis, ad vtrumque etenim ratio efficacissima est, vt alibi adnotauimus.

Volũtas simul cũ infinitate est principiũ necessitatis diuinæ spirationis

3. Habetur insuper in corpore articuli sno litera H. quædam additio ex insertis à veteribus Scoti discipulis intra literam textualem. Quæ additio intendit rectitudinem voluntatis, non pertinere ad necessitatem spirationis per modum principij. Sed ibi aduertendum est, non ideo negari voluntatem, necessario producere: quia recta est: sed negatur ibi rectitudinem illam esse principium formalem necessitatis: hoc enim, vt diximus, est infinitas, sed bene rectitudo infinitatem consequitur, & voluntas est recta: quia infinita: & quia infinite recta, necessario spirat, & libere producit, & operatur, vt patet ex sequenti articulo. Sed de hoc latius agitur infra in difficultate 71. de libera productione Spiritus Sancti. Item, tria argumenta quæ habentur in principio articuli, & solutiones eorum etiam sunt additiones ad textum, licet de citato, §. sub litera H. dictum sit.

Rectitudo diuinæ voluntatis nõ est ratio ad necessario producendum.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum necessitas productionis Spiritus Sancti, proueniat tantum ex infinitate, & rectitudine voluntatis producentis.

AD quartum sic proceditur. A.
Videtur, quod necessitas productionis Spiritus Sancti proueniat tantum ex infinitate, & rectitudine voluntatis producentis: quia *vt dictum est in corpore præcedentis articuli* principium productiuum perfectum potest dare producto omnem perfectionem, quæ sibi non repugnat: voluntas infinita est principium producendi perfectum: igitur potest dare producto suo perfectionem sibi competentem: non autem repugnat sibi necessitas: imò conuenit sibi: quia nullũ infinitum potest esse possibile non necessarium. Igitur istud principiũ, quod est voluntas infinita, erit sufficiens principium dandi necessitatem huic producto: igitur, & productioni: productũ enim capit esse productione.

Sed contra est: quia voluntas nõ est principiũ necessarium producendi aliquem amorem alicuius obiecti, nisi sit necessariũ principiũ amandi illud obiectũ: voluntas autẽ infinita nõ est necessariũ principiũ amandi obiectũ finitũ: quia tunc Deus necessario amaret quãlibet creaturã, imò & omne amabile: ergo nec est necessariũ principiũ producendi amorem suum comparando illud ad quodcumque obiectum: ergo nec voluntas infinita ex se sola dat necessitatem amori producto. B.

Respondeo dicendum, quod istud argumentum, *quod est in principio huius articuli, & in corpore præcedentis*, quasi à posteriori videtur C.

conclu-

concludere necessitatem productionis ex necessitate producti. Sed quæritur á priori, siue causa: quid sit, per quod voluntas ista dat necessitatem isti productioni? Respondeo, quod nec voluntas infinita ex se sola dat necessitatem amori producto, comparando ipsam ad quodcumque obiectum: nec solum obiectum amatum, quod est finis, comparatum adquamcumque voluntatem, dat necessitatem actui volendi, vel productioni amoris. Primum probo *per rationem positam, §. sed contra, & circa illud erit sequens articulus.* Secũdum probatum est de frui distinct. 1. quod voluntas ex ratione voluntatis incommuni, non necessario tendit in finem. Et si respondeas, quod voluntas potest considerari, vt voluntas, vel vt natura, comparando ad finem, vel adea quæ sunt ad finem: vt comparatur adea, quæ sunt ad finem, est voluntas: vt autem comparatur ad finem, est natura, & sic est mere necessitas. *Istud probatur auctoritate, & ratione: ratione*, quia non sunt eiusdem potentiæ actiuæ oppositi modi agendi: & maxime isti, naturaliter, & libere, qui primo distinguunt potentiam actiuam: quia si voluntas comparatur ad finem per modum naturæ: & ad entia ad finem per modum libertatis: ipsa non erit potentia actiua vna respectu istorum: & tunc nulla potentia erit, quæ eligat ens ad finem propter finem: nulla enim potentia eligit hoc propter illud, nisi velit vtrumque extremum: sicut nulla potentia cognitiua cognoscit conclusionem propter principium, nisi eadem cognoscat principia, & conclusiones: sicut arguit Philosophus. 2. de anima de sensu communi. Auctoritas est Augustini in Enchiridione, capit. 73. & ponitur à Magistro libro 2. distinction. 25. capit. 5. Neque enim culpanda est voluntas, aut votas non est, aut libera dicenda non est, qua Beati sic esse volumus, vt esse miseri non solum nolumus, sed nequaquam velie possimus. Vult igitur dicere, quod voluntas illa, qua volumus beatitudinem est libera: sed nullum finem magis necessario respicit voluntas, quam beatitudinem incommuni: igitur nullum finem necessario respicit. *Item*, ista ratio poneret, Spiritum Sanctum spirari non libere, sed per modum naturæ: quia eius principium esset voluntas, non vt libera, sed vt natura.

Quæst. 4. art.

Text. com. 146.

Itaque dico, quod necessitas huius productionis amoris adæquati: sicut necessitas dilectionis, qua formaliter habens voluntatem diligit: est ex infinitate voluntatis, & ex infinitate bonitatis obiecti: quia neutrum sine altero sufficit ad necessitatem. Ista autem duo sufficiunt hoc modo: quia voluntas infinita non potest non esse recta: nec potest non esse in actu recto: non autem omne velle est præcise rectum: quia est ab illa voluntate recta solum, quasi nihil sit volendum ex se: sed tantum, quia est volitum ab illa voluntate recta: essentia enim diuina, quæ est primum obiectum illius voluntatis, est ex se volenda: igitur voluntas illa de necessitate est in actu recto volendi illud obiectum, quod est ex se rectè volendum: & sicut ex necessitate est principium volendi: ita ex necessitate est principium producendi amorem illius. Et tunc dico, quod nec sola voluntas infinita præcise, non determinando obiectum cuius sit: nec solum bonum infinitum, non determinando quam voluntatem respiciat, vt est obiectum: est totalis causa necessariò diligendi: nec etiam necessario producendi amorem adæquatum: sed infinita voluntas habens tale obiectum, quod est ex se rectè amãdũ, perfecte præsens, est ratio necessariò tã volendi illud bonũ, quàm spirandi amorem illius boni: & talis voluntas habens tale obiectum præsens, est prin

D.

Conclus.

cipium communicandi naturam diuinam: quia principium producendi amorem infinitum productum. Talis enim amor productus proportionatur tam potentiæ, quam obiecto, non est autem ita, quando voluntas infinita respicit bonum amabile finitum: quia licèt ibi actu sit infinitus, quantum est ex parte voluntatis diuinæ: nó tamen est infinitus, quantum est ex parte obiecti.

E. Ad argumentum *ex dictis constat, quod* istud argumentum quasi à posteriori videtur concludere necessitatem productionis ex necessitate producti. *Quia autem hic quæritur ratio à priori ideo etiam ex dictis* respondeo, quod nec voluntas infinita ex se sola dat necessitatem amori producto: nec solum obiectum amatum, *bonum, videlicet, infinitũ*, sed infinita voluntas habens tale obiectum, quod est ex se rectè amandum: & talis voluntas habens tale obiectum præsens, est principium necessario cõmunicandi naturam diuinam.

Expositio art. 4. quæstionis vnicæ distinct. 10.

I. IN præcedenti articulo concluserat Doctor, principium necessitatis spirationis diuinæ esse voluntatem infinitam, quæ eo quod infinita, est recta: modo vero quærit, an tale principium sit ex se solo sufficiens ad dandam necessitatem diuinæ spirationi? Ad cuius tituli intelligentiam præ notandum est, hîc non verti indubium, an sola voluntas infinita sine obiecto præsente possit amorẽ producere? Hoc etiam in omni philosophia indubitabiliter præsupponitor certum, videlicet non posse volutatem aliquam etiam increatam, amorem nisi alicuius obiecti diligibilis elicere. Sed quod ingerit dubium, est, an requiratur, etiam ex parte talis obiecti diligibilis, infinitas? atque adeo ex vtriusque (voluntatis, scilicet, & obiecti) ratione diuinæ spirationis necessitas coalescat?

Quod dubium non inuenio tactum à D. Thom. nam 1. part. quæst. 41. art. 2. ad 3. vbi productionem Spiritus Sancti, nõ solum necessariam, sed etiam naturalẽ esse affirmat, nihil de causa huius necessitatis determinat: nec de hoc est principalis huius quæstionis controuersia: sed circa materiam septimi articuli, an scilicet, spiratio sit libera, simulque necessaria? de qua ibi, & in difficultat. 21. Nunc ergo huius necessitatis adæquatam causam subtiliter Doctor inuenit, supponendo primo, productionem Spiritus Sancti esse à voluntate, simulque ab obiecto, quod est diuina essentia. Et secundo omnem causam necessitatis esse infinitatem. Et tandem tertio, non sufficere infinitatem alterius comprincipij: sed infinitatem vtriusque necessario præterquiri.

2. D. Thom.

Voluntas, essentia, cũ propria vtriusque infinitate sit principiũ necessariũ spirãdi Spiritum Sanctum.

Hoc patet clare in textu: nam quod non sufficiat infinitas voluntatis, ostenditur: quoniam tunc voluntas diuina respiciens creaturam, necessario produceret amorem illius, qui esset Spiritus Sanctus, & tot essent Spiritus Sancti, quot creaturæ obijcerentur amabiles voluntati diuinæ. Quod autem, nec obiecti infinitas sit sufficiens, clarè patet: quia tunc Beati Dei amorem elicientes, necessario diligerent: quod improbatũ est supra in difficultate 39. vbi ostendimus Beatum per Dei potentiam posse non frui Deo clarè viso, aut actum fruitionis suspendere. Relinquitur ergo, necessario vtriusque comprincipij infinitatem prærequiri, ad hoc vt amoris productio necessaria sit: quibus à priori probat Doctor diuinæ spirationis adæquatam necessitatem. Cætera, quæ hîc de rectitudine voluntatis habentur, infra in difficultate 71. exactius explanantur.

3.

ARTICVLVS V.

Vtrùm obiectum finitum possit esse comprincipium voluntati infinitæ ad productionem?

A. AD quintũ sic proceditur. Videtur, quod obiectum finitum possit esse comprin-

com principium voluntati infinitæ ad productionem: quia quod dicitur de differentia primi obiecti, quod ipsum est comproductiuum: & secundi, quod ipsum non est comproductiuum: hoc dubium est tam de intellectu, quam de voluntate: nec aliqua causa, quæ assignatur *infra*, videtur sufficere. Prima non: quia (*quando dicitur quod* ante præsentiam obiecti secundi habet productionem adæquatam,) aut intelligitur adæquata extensiue, & peritur principium: aut intensiue, & falsa est ista, vltra autem adæquatam non potest in aliam, sicut patet in operatione: quia vltra sic adæquatam operationem, quæ est circa primum obiectum, potest in operationem, circa secundum: sed prima *adminus* hic instat, quod solum primum obiectum est comproductiuum duplicis Verbi vel amoris.

B. Secundo præterea, nec secunda valet: quia volo, quod obiectum secundum non sit comproductiuum: sed primum sit comproductiuum nõ tantum notitiæ sui, quæ est sibi præsens formaliter: sed etiam obiecti secundi, quod est in ipsa præsens virtualiter: ita quod, sicut memoria diuina continet præcise obiectum primum formaliter, & secundum non est in memoria nisi virtualiter: quia in primo: & tamen memoria est ratio intelligentiæ operandi circa vtrumque: ita est ratio producendi notitiam declaratiuam vtriusque: non quidem procedentem de vtroque: sed de infinito tantum, tamen declarantem vtrumque obiectum, scilicet, obiectum, quod est præsens formaliter, quod habet in se secundum virtualiter: ita de spiratione. Item secunda, non probat: quia sicut voluntas operatur circa obiectum, ad quod contingenter se habet: tamen respectu illius operationis quasi est principium solum modo primum obiectum, quod contingenter respicit secundum: quare non potest ita esse in productione.

Tertio præterea, hæc voluntas in prima productione non requirit com productiuum, nisi infinitum. Vnde probatur imperfectio eius, si in secunda productione requireretur compro ductiuum finitum. Item, de Verbo nõ concludit. Item placentia est necessaria. C.

Sed contra est: quia alioquin si voluntas infinita, est principium producẽdi amorem obiecti finiti, vel mutui Spiritus Sancti: vel vnus erit amor productiuus omnis creaturæ: quia tunc necessatio amarentur. D.

Respondeo dicendum, quod voluntas non est principium producendi, nisi vt habens sibi obiectum præsens, quod est sibi com principium producendi: & non potest esse principium habens quodcumque obiectum: sed præcise, vt habet obiectum primum sibi præsens, & cum illo, & hoc: vel quia ante præsentiam obiecti secundi habet productionem adæquatam: quia cum primo obiecto: vltra autem adæquatam, non potest in aliam. Vel secundo: quia principium infinitum non requirit aliquod finitum comproduceens: obiectum secundarium est finitum. Vel tertio: quia principium necessario productiuum non habet comproductiuum illud, ad quod non habet habitudinem necessariam: voluntas Dei non necessario respicit obiectum secundarium. Vel quarto: quia in istis generale suppositum vnum est, quod voluntas est principium producendi necessario requirens obiectum comproductiuum, sicut intellectus: vnde dictum est distinction. 2. quod memoria perfecta, quæ est principium completum dicendi, est intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens: ita voluntas perfecta est voluntas, habens obiectum diligibile sibi præsens, vel actu præsentatum per intelligentiam. E.

F. Sed vtrum voluntas infinita sit principium infinitum, non tantum amandi bonum infinitum, sed finitum, & producendi amorem talis boni; & hoc, vel eadem productione secundum rem, qua producitur Spiritus Sanctus, alia tamen secundum rationem: vel omnino alia, vel nulla. De hoc alias, & *in sequenti articulo*: quia similem habet difficultatem, cum productione verbi: vtrum intellectus diuinus sit principium producendi verbum essentiæ diuinæ, vel verbum alicuius alterius intelligibilis: & tunc vel productione eadem secundum rem, cum productione Verbi diuini: alia tamen secundum rationem: vel alia tam secundum rem, quam secundum rationem.

G. Ad primum argumentum, *patet infra in sequenti articulo*, quod sicut hoc principium operatiuum habet vnam operationem adæquatam sibi non tantum intensiue, sed extensiue: hoc est, circa omnia, quæ virtualiter sunt in ipsa: ita in quantum est productiuum, habet vnam productionem adæquatam vtroque modo: quia neutrum repugnat vni producto.

H. Ad tertium respondeo, quod licet quando coagat creaturæ, nunquam illam necessario requirit, sed esset tunc imperfecta principiatio. *Cæteræ difficultates huius articuli in sequenti soluuntur.*

Expositio artic. 5. quæstion. vnicæ distinct. decima.

1. TOta huius articuli litera est additio intra textum inserta: quæ potius est quædam impugnatio cuiusdam probationis præcedentis articuli, quam peculiaris difficultas: ex qua enim Doctor probauerat, prærequiri infinitatem obiecti ad necessariam productionem voluntaris: instatur contra prædicta, & infertur, posse etiam obiectum finitum esse comprincipium voluntati diuinæ ad spirandum. Hoc intendunt probare tria argumenta posita in principio. Contra quod arguit Doctor ab inconuenienti, inferendo exinde sequi multos esse Spiritus Sanctos: quia tunc omnes creaturæ necessario amarentur, &c.

Verum difficultas vrgeret, si iam non de comprincipio sursum sumpto res ageretur: quia ab omnibus indubitabiliter censetur, non posse obiectum creatum ex se solo esse diuinæ voluntati cõprincipium spirandi: sed loquendo de tali obiecto, prout simul cum increato obijcitur diuinæ voluntati, an possit esse saltim quasi partialiter comprincipium spirationis? Nam si Spiritus Sanctus formaliter ex amore creaturarum procederet, proculdubio creaturæ haberent rationem formalis comprincipij eius productionis: & in hoc sensu posset huius articuli difficultas augeri. Quo circa Doctores, qui tenent Verbum diuinum formaliter ex cognitione creaturarum procedere: etiam diuinum Spiritum ex amore creaturarum procedere arbitrantur. Ad cuius exactam ventilationem sequens difficultas mouetur. 2.

DIFFICVLTAS. LXX.

Vtrũm Spiritus Sanctus formaliter ex amore creaturarum procedat?

§. 1.

Proponitur prima sententia, quæ affertur pro D. Thoma.

BReuissime hanc difficultatem resoluam, remittendo quam plurima, quæ hîc se offerunt pertractanda, ad aliam similem, in qua infra quæritur, an Verbum procedat ex cognitione creaturarum: circa hanc etenim eodem modo videtur loquendum, quo circa illam. Vnde plerumque Doctores, qui de secũda parte affirmatiuam tuentur, etiam primam affirmatiuè concludunt. Videtur ergo fuisse sententia D. Thom. quatenus 1. 1. *Sentent. D. Thom.*

tenus prima part. quæst. 34. art. 1. ad 3. inquit. *Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit Verbum, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Ex quibus verbis perspicuè cōstat, sentire Verbum formaliter ex creaturarum cognitione procedere: sed clarius quæst. 37. art. 2. ad 3. æquiparat productionem Spiritus Sancti productioni Verbi: & videtur innuere, quod sicut Verbum procedit ex cognitione creaturarum: sic Spiritus Sanctus ex amore earundem. Ex quo plures idem de productione Spiritus Sancti intellexisse existimant, quod de Verbi productione: imò vt aduertit Vazquez 1. part. disput. 143. cap. 5. num. 25. controuersia hæc eodem modo, quo de Verbo, atque etiā eisdem omnino rationibus definiēda est. Quod expresse habetur in textu; licet oppositum sentiat Suarez, vt infra patebit.

Vazquez.

2. Probatur ergo hæc sententia, primò authoritate D. Augustini 15. de Trinit. cap. 14. vbi ait: *Nouit itaque omnia Deus Pater in se ipso, noui in Filio, sed in se ipso, tanquam se ipsum in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in se ipso.* Ex quibus Augustini verbis inferūt Verbū diuinum esse de cognitione omnium creaturarum. Ex quo sic de eodem obiecto, de quo vt cognito procedit Verbum diuinum: de eodem, vt amato, procedit Spiritus Sanctus: sed Verbum procedit, secundum D. Augustinum, ex cognitione creaturarum: ergo Spiritus Sanctus ex earundem creaturarum amore procedit.

D. Augus.

3. Secundò: nam repræsentatio creaturarum, est perfectio diuinæ essentiæ: sed omnis perfectio diuinæ essentiæ pertinet ad rationem obiecti diuini amoris: ergo diuinus amor ex creaturis in essentia repræsentatis, tanquam ex formali comprincipio, formaliter procedit.

4. Tertiò: quoniam creaturæ possibiles ab æterno habentes esse in Deo, nihil aliud sunt, quā ipsum esse diuinæ essentiæ: sed Spiritus Sanctus procedit formaliter ex amore diuinæ essentiæ: ergo procedit ex amore creaturarum, saltim possibilium, quæ in illa resplendent, & habent esse.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia cum suis fundamentis.

5. IN oppositum autem est litera textualis huius 5. articuli in corpore, vbi hæc habentur: *Principium necessario productiuum non habet comproductiuum illud, ad quod non habet habitudinem necessariam: voluntas Dei non necessario respicit obiectum secundarium.* Sed clarius infra distinct. 32. quæst. vnica, vbi expresse tenet, Spiritum Sanctum non procedere ex amore creaturarum. Sequuntur Doctorem omnes Scotistæ hic, & reliqui quicum eo tenent, Verbum ex cognitione creaturarum formaliter non procedere: sed specialiter id sentiunt Caietanus 1. p. quæst. 34. art. 3. Suarez 1. part. tractat. 3. lib. 11. capit. 2. num. 7. Vazquez loco citato, & plures alij. Verū enim vero Doctores prædicti non vna nimiter id sentiunt, sed in quibusdam distinctionibus. Prænotant etenim creaturas, prout in mente diuina existunt, ex æternitate trifariam considerari posse. Primò vt sunt aliquo modo in Deo ipso secundum existentiam realem actualem, & æternam: & hoc modo non sunt aliquid aliud, quàm ipsa creatrix essentia, quatenus eminenter continet creaturas: & vt sic idem prorsus est Spiritum Sanctum procedere ex amore essentiæ, quòd procedere ex amore creaturarum: quia illa eminentialis continentia non addit essentiæ respectū rationis ad creaturas: & idem est, Deum amare creaturas, sic consideratas, quàm se ipsum amare. Quam ob rem de hoc nullum est dubium, vt benè notauit Suarez. Secundo modo considerantur creaturæ, vt sunt ex se possibiles: quia intelliguntur esse tales essentiæ habentes esse cognitum in mente diuina, quibus non repugnat existere extra causas. Tertio modo considerantur creaturæ, vt sunt futuræ in aliqua temporis differentia, secundum existentiam realem à decreto diuinæ voluntatis præuolitam, secundum quam habent esse obiectiuum in Deo.

Caietanus. Suarez. Vazquez.

Creaturæ in mente diuinatis fariam considerantur.

6. Circa secundos duos modos posteriores est controuersia inter Doctores. Nō enim de sunt, qui sentiant ex amore creaturarum futurarum Spiritum San-

ctum procedere. Caietanus vero loco citato id negat; sed quæst. 34. artic. 3. ad primum Scoti, tenet necessario procedere ex amore creaturarum possibilium. Quod tenet sequens D. Thomam quæst. 37. artic. 2. ad tertium, vbi æquiparat processionem Spiritus Sancti processioni Verbi, vt dictum est: sed Verbum procedit ex cognitione creaturarum possibilium: quia Pater producendo Verbum comprehendit suam essentiam cum omnipotentia, quæ sine creaturis in esse possibili intelligi non potest: ergo Spiritus Sanctus procedit ex amore talium creaturarum: siquidem Pater, & Filius, necessario diligunt creaturas, vt possibiles: quia diligunt eandem omnipotentiam suam, quæ sine creaturis in esse possibili non potest intelligi.

Quid sentiat Caiet.

7. Suarez vero vbi supra singulariter tenet, non esse æquiparandam ad inuicem vtramque processionem: sed affirmans Verbum procedere ex cognitione possibilium creaturarum, sentit nihilominus, num. 10. Spiritum Sanctum non procedere ex earum, etiam possibilium, amore. Ad cuius sententiæ intelligentiam constituit differentiam vtriusque processionis in hoc, quod per scientiam re vera repræsentantur creaturæ secundum suas proprias existentias, & naturas, quatenus concipiuntur distinctæ essentialiter ab essentia creatoris: & vt sic terminant obiectiuè ipsam scientiam simplicis intelligentiæ Dei. Et ex tali scientia vt sic terminata, Verbum procedit: quod etiam necessario repræsentat omnes creaturas possibiles, etiam vt cõ distinctas a Deo: amor vero, quo Deus necessario se amat, non ita terminatur ad creaturas secundum se: sed solum, vt sunt in Deo, & vt denominantur possibiles ab omni potentia Dei. Quod totũ vere non est aliud, quàm amari id, quod est in Deo.

Quid sentiat Suar.

8. Profecto hæc Suarij speculatio subtilitate non caret: sed meo videri, difficultatem non soluit, nec Caietani argumentum euacuat: nam ad veritatem sententiæ Caietani, satis est Deum diligere creaturas, vt denominantur possibiles ab omnipotẽtia. Si etenim hæc denominatio sufficit, vt cognita omnipotentia, non possint non cognosci huiusmodi creaturæ, vt ab essentia distinctæ: eadem procul dubio sufficit, vt cuncta omnipotentia diligantur tales creaturæ, vt ab essentia distinctæ: quia non maior illarum distinctio requiritur ad terminandum amorem, quam cognitionem. Conformius ergo loquitur in hoc Caietanus, quam Suarez.

Impugnatio prædictæ sententiæ.

Vazquez vero vbi supra cap. 5. num. 15. expresse affirmat cum Scoto, Spiritum Sanctum nullatenus ex amore creaturarum possibilium procedere: sicut etiam capit. 3. cum Scoto tenet: nec Verbum ex cognitione creaturarum etiam possibilium procedere. Quæ sententia verissima est, & ab omnibus Scotistis incunctanter defenditur.

9.

Quid sentiat Vazquez.

Pro huius igitur sententiæ intelligentia, & difficultatis resolutione, prænotare oportet, hic non esse controuersiam, an Pater, & Filius eadem productione qua producunt Spiritum Sanctum, eliciant etiam amorem omnium creaturarum? Hoc etenim, loquendo in sententia eorum, qui ponunt Spiritũ Sanctum per dilectionem produci, hic supponitur, & in sequenti articulo ventilatur. Sed esto, quod eadem productione eliciat dilectionem illarum: quæritur, an creaturæ sic dilectæ habeant rationem comprincipij, hoc est, an concurrant per modum obiecti motiui habentis vim productiuam: sicuti essentia diuina mouet diuinam voluntatem ad productionem sui amoris. Et ratio dubitandi esse potest: quia quodcumque obiectum, quod attingitur à potentia, mouet illam ad hoc vt operetur circa illud: eo quod obiectum simul, & potentia operationem eliciunt. Si igitur eadem actione, qua producitur Spiritus Sanctus, elicitur amor creaturarum: videtur creaturas ad huiusmodi actionem concurrere. Et quia actio indiuisibilis est, consequenter actio, per quam Spiritus Sanctus producitur, pendet à creaturis, tanquam à comprincipio sui. Hoc est, an non solum concomitentur creaturæ productionem Spiritus Sancti: sed idem in genere causæ efficientis, seu principij elicitiui, pro aliquo priori rationis præcedant, & sic formaliter ad productionem Spiritus Sancti pertineant?

10.

Tametsi hæc difficultas (vt dixi) infra in alia de productione Verbi non ex cognitione creaturarum soluatur: hic nihilominus

11.

Dominus recolenda sunt duo, quæ sæpè alibi dementa Doctoris exposui. Primum quidem est circa differentiam obiecti primarij, & secundarij. Secundum vero circa differentiam obiecti motiui, & terminatiui. De primo igitur dico, quod in Deo est duplex obiectum, primarium, scilicet, quod ex se ipso, & per se primo mouet, & terminat diuinum intellectum, & voluntatem ad notitiam, & amorem sui: hoc tantum est diuina essentia. Secundarium vero est, quod nō per se, sed ratione primarij intelligitur, & amatur: sic dicitur obiectum secundarium, quidquid à Deo intelligitur, & diligitur vltra præcisam essentiam. Et sic non solum creaturæ futuræ, aut possibiles, verum, & relationes diuinæ, atque ipsæ personæ, & attributa, habent rationem obiecti secundarij. Quod, quia satis expositum est supra in difficultate 31. vbi quærimus, an possit videri essentia sine personis, hîc non ampliùs explanatur.

Obiectū diuini intellectus, aliud est primariū, aliud secūdariū.

12. Quod autem ad secundum attinet; etiam iam manet expositum: nam obiectum motiuum est illud, quod in genere causæ efficientis motiuè concurrit ad eliciendam operationem: terminatiuū vero est, quod illam terminat. Ex quibus duobus planè habetur, quod creaturæ habent rationem obiecti secundarij diuinæ voluntatis. Et cum obiectum secūdarium nō habeat rationem obiecti motiui, sed secundario terminatiui: consequenter etsi creaturæ eadem productione Spiritus Sancti diligerentur à Deo; non ob id haberent rationem principij elicitiui: sed meram rationem obiecti secundario terminantis dilectionem diuinam. An autē Spiritus Sanctus ex amore sui ipsius, aut ex amore Patris, & Filij procedat? infrà in proprio loco examinabitur. Illuc enim, & prælegitæ difficultati de processione Verbi non ex cognitione creaturarum, meæ huius difficultatis complementum remitto.

Obiectū motiuū, & terminatiuū diuini intellectus.

§. 3.

Statuuntur conclusiones, & argumenta soluuntur.

13. 1. Concluſ. HIs præhabitis, difficultatem concludendo: dico primo, nullam creaturam futuram formaliter concurrere ad productionem Spiritus Sancti per modum principij, seu comprincipij obiectiui. Conclusio est Doctoris, quam nō negat D. Thomas in locis citatis, vbi solum de creaturis possibilibus loquitur. Et probatur rationibus positis in textu: & insuper, quoniam Pater, & Filius necessario producunt Spiritum Sanctum, necessitate quidem omni libertati contingentiæ oppositā: sed amor, quo Deus creaturas futuras diligit, est liber, libertate contingentiæ: ergo Spiritus Sanctus non procedit ex amore illarum. Maior est certa; minor vero probatur: quia omnis futuritio creaturarum pendet ex libera & contingenti Dei volitione, quâ libere, & contingenter vult illas in tali, vel tali differentia temporis realiter esse futuras: quidquid autem Deus vult ad extra, libere, & contingenter vult: ergo à fortiori amor, quo tales creaturas futuras diligit, est liber, libertate contingentiæ. Si vero cum quibusdam respondeas, ad destructionem huius conclusionis sufficere, quod eodem actu, quo Pater, & Filius, necessario producunt Spiritum Sanctum, libere diligunt huiusmodi creaturas: satisfrivola est responsio: quia ex hoc (esto, quod esset verum) habetur talem amorem liberum non esse comprincipium formaliter pertinens ad productionem Spiritus Sancti: sed ad summum, materialiter se habere ad illam. Vel si conceditur formaliter ad eam conducere, velis nolis, fateri debes, aliquem amorem contingentem esse formale principium Spiritus Sancti, quod nemo concedet.

Creaturæ futuræ non concurrūt ad productionē Spiritus Sancti, tanquā obiectum.

Dico secundo, quod Spiritus Sanctus non procedit ex amore creaturarum etiam possibilium. Cōclusio est expressa Doctoris contra D. Thomam, & Caietanum, & plures Thomistas, quam tenent omnes Scoristæ, dempto nemine, & doctissimus Suarez, & Vazquez vbi supra: quæ probatur primo auctoritate D. Anselmi in Monologio, cap. 30. vbi ab inconuenienti hęc infert: *Si nunquam creatura esset, nullum eius esset Verbum: quid igitur? an concludendū est: quia si nullo modo esset creatura, nequaquam esset Verbum illud, quod est summa, & nullius indigens essentia, &c.* Ex quo à simili probatur conclusio: nam si creatura formaliter ad

14. 2. Concluſ. *Spiritus Sanctus nō procedit ex amore creaturarū etiā possibiliū. D. Anſel.*

produ-

productionem Spiritus Sancti cõcurreret, sequitur, quod si non esset creatura, non esset Spiritus Sanctus: sicut D. Anselmus de Verbo inferebat: hoc tamen dici nequit: ergo, &c.

15. Secundo probatur rationibus textualibus: & præterea, quoniam nulla alia ratione potest concipi Spiritum Sanctum ex amore creaturarum possibilium procedere, nisi quia essentia diuina ex se formaliter haberet ordinem essentialẽ, & realem connexionem cum illis: atqui nullus est talis ordo in essentia ad creaturas possibiles: ergo Spiritus Sanctus non procedit ex amore illarum. Maior probatur: quia diuina voluntas habens essentiam sibi præsentẽ pro obiecto, necessario producit amorem illius, qui est Spiritus Sanctus: ergo si aliqua ratione amor creaturarum possibilium ad productionem Spiritus Sancti formaliter pertineret, ea esset: quia essentia, ex qua tanquam ex obiecto procedit, habet connexionem essentialem, & ordinem cum huiusmodi creaturis: quia si talis connexio nõ est, procul dubio non tenderet voluntas in aliud vltra essentiam: sed sisteret in illa tanquam in adæquato obiecto. Si tamen talis esset connexio: tunc ex amore essentiæ necessario tenderet in illud, ad quod talis connexio, & ordo essentiæ esset. Quod autem in essentia talis connexio non sit, satis compertum est: quia diuina essentia est absolutissima, & omnino ad se, & nulla in Deo est relatio realis ad creaturas, quomodolibet consideratas. Vbi autem relatio realis non est, minimè potest esse realis ordo, aut essentialis connexio.

16. Dices attamẽ, creaturas possibiles in essentia repræsentari, ob idque comprehensiue, visa essentia, ipsas intelligi hac eadem ratione, qua intelliguntur ad cõprehensiuam visionem essentiæ, etiam amantur ad dilectionem, qua diuina voluntas essentiam diligit. Sed hac ratione etiam probatur creaturas futuras concurrere ad spirationem per modum principij: quia etiam creaturæ futuræ in diuina essentia, tanquam in causa, & in speculo relucent. Dico ergo, quod creaturas tam futuras, quam possibiles repræsentari in Deo, non est esse in illo, tanquam obiectum in specie, quæ essentialiter, vel saltim trãscẽdentaliter refertur ad illud: sed est, quia essentia diuina in se, & ad se absolute considerata, talis perfectionis est, quod etiam si nullum ens esset futurum, aut possibile extra illam: eadem omnino inuariata esset, quæ est, posito tali possibili vel futuro: quia sine vlla relatione reali, aut mutatione sibi adueniente, per solam relationem rationis comparatur vt repræsentans, quatenus, scilicet, terminat relationem rerum, quas repræsentat. De quo plura dicta sunt supra in difficultate 32. vbi quæritur, vtrum Beati videntes Deũ videant omnia, quæ repræsentantur in ipso.

17. *Ad argumenta, & ad primũ.* Ad argumenta vero, & ad primum propriori sententia remitto solutionem auctoritatis D. Augustini vsque ad difficultatem, si Verbum procedit ex cognitione creaturarum, vbi tanquam in loco proprio explanatur. Ad ea autem, quę ex tali auctoritate inferuntur, respõdeo, admittendo cum Scoto æquiparantiam vtriusque processionis. Atque ideo teneo ex eodem obiecto, ex quo vt intelligibili procedit Verbum, etiam vt amabili, procedit Spiritus Sanctus. Et notanter dixi, vt intelligibili, & amabili, non vero vt intellecto, seu cognito, & amato: quia in via Scoti, nec Pater intelligẽdo producit Filium, nec Pater, & Filius amando, producunt Spiritum Sanctum, prout visum est supra in difficultatibus 49. & 50. Atqui esto quod ex notitia, & amore esset vtraque productio: nõ ideo sequitur, Verbum produci ex cognitione creaturarum, nec Spiritum Sanctum ex amore illarum: sed ex præcisa cognitione, & amore essentiæ: quia creaturæ, tam futuræ quam possibiles habent rationem obiecti merè terminatiui, respectu intellectus, & voluntatis diuinæ: quia habent rationem obiecti secundarij, vt supra visum est. Nullum autem obiectum merè terminatiuum, & secundarium, habet rationem principij comproductiui: quia omne tale principium habens se ex parte obiecti, debet mouere intellectũ, & voluntatem: in qua motione consistit formaliter ratio talis principij, seu com principij.

18. *Ad secundum argumentum.* Ad secundum dico, quod ad rationem obiecti diuini amoris, qui est Spiritus Sanctus, non pertinet, nisi perfectio essentialis diuini esse. Imò esto, quod etiam

etiam diuinæ perfectiones attributales, & relatiuæ (dato quod relationes dicerent perfectionem) ad rationem relis obiecti spectarent: hoc esset: quia sunt perfectiones aliquid reale ponentes in Deo. At vero repræsentatio creaturarũ, non ponit in Deo aliquid reale, sed meram relationem rationis, vt dictum est: atque ideo nullatenus ad rationẽ obietalis amoris spectant.

19. Ad tertium respõsum est supra numer. 5. quod creaturæ cõsideratæ, prout continentur eminentialiter in essentia, nihil aliud sunt, quam ipsemet Deus: sed de creaturis hoc modo consideratis, non procedit præsens difficultas: bene tamen de illis, quatenus concipiuntur secundum proprias essentias à diuina essentia condistinctæ, & æternaliter existentes in Deo. Et vt sic iam sunt aliud ab ipso diuino esse essentiæ: & ideo stat Spiritum Sanctum procedere ex essentia; & non ex creaturis, quæ distinguntur ab illa.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm voluntas infinita eadem productione, qua producit amorem obiecti infiniti, producat etiam amorem obiecti finiti.

A. AD sextum sic proceditur. Videtur, quod voluntas infinita eadem productione, qua producit amorem obiecti infiniti, non producat etiam amorem obiecti finiti: *pro quo sunt rationes infra incorpore articuli insertæ: ibique solutiones earum.*

B. Sed contra est: quia sicut persona Patris necessario habet operationem voluntaris, quæ operatio est alicuius obiecti necessario, & alicuius contingenter: ita producit quasi operationem subsistentem, quæ necessario producta est alicuius necessario, & alicuius contingenter: ergo Pater necessario spirat volitionem, quæ est creaturæ.

C. Respondeo dicendum: *pro isto articulo, quod sicut dictum est*, similem habet difficultatem cum productione Verbi: vtrùm intellectus diuinus sit principiũ productiuum producendi Verbum essentiæ diuinæ, vel Verbum alicuius alterius intelligibilis? & tunc, vel productione eadem secundum rem, cum productione Verbi diuini, &c. *Pro quo* nota, *quod* in quocumque est principium productiuum, & non impedibile, nec dependens aliunde, potest illo producere terminum: nisi termino repugnet ab ipso produci. Et similiter: non potest illo producere, si termino repugnet ab ipso produci. Item, in quocumque est principium productiuum, prius quam terminus producatur, & non repugnat termino produci, ab ipso est producibilis. Et similiter non potest ab ipso produci, si non est in ipso prius quam terminus producatur. Vtraque istarum maior videtur immediata, quarum prima est, in quocunque est principium productiuum perfectum, prius quam terminus producatur, illud potest tali principio terminum producere. Maior secunda, in quocumque non est principium prius, quam terminus producatur, illud non potest producere terminum. Si simul: ideo Verbum non dicit se. Si posterius: ideo Spiritus Sanctus non generat. Vtraque inquã, istarum, videtur esse maior immediata. Vtraque etiam minor videtur immediata. Vltra, sit prima conclusio pro maiori: minor est talis: memoria perfecta est perfectum principium productiuum notitiæ declaratiuæ obiecti, tam relucentis formaliter in memoria, quam virtualiter in illo obiecto formali. Igitur habens memoriam perfectã, potest producere notitiam, siue huius siue illius, si prius habeat, quam alterius notitia sit producta. Similiter syllogizo de voluntate perfecta, & dilectione.

Tertius syllogismus (quia duo primi, computantur pro vno: & duo secundi, pro vno) fiat sic, sit conclusio D. pro

pro maiori: sit minor sic. Tota Trinitas habet memoriam perfectam, prius quã notitia declaratiua creaturæ sit producta: ex prima quæstion. Secundi: quia in primo instanti naturæ completur tota origo simpliciter personarum, & notitia creaturæ in secundo instanti naturæ: ergo tota Trinitas producit notitiam declaratiuam obiecti secundarij, consimiliter de voluntate, & amore. Consequens *autem* videtur falsum: quia vel producit in qualibet persona, & nunc in Patre erit productum aliquid: vel indeterminatis productis, quorum productionibus conspirant istas productiones, putà, notitiam creaturæ in Filio: & dilectionem in Spiritu Sancto, & tunc etiam Filius produceret aliquid in se, & Spiritus Sanctus aliquid in se. Itaque vitando conclusionem illatam: aliqua trium minorum neganda est. Si prima negetur de prius natura: quia illa stat in eodem gradu originis vbi tamen non est productio: vel gloſetur, quod vera est, si prius, quam terminus producibilis producatur, sit principium productiuum in isto: non si prius, quam secũdus: & ratio est: quia secũdus terminus est in eodem gradu originis cum prime. Vtraque responsio videtur eadem: saltem conceditur Verbum esse creaturæ notitiam declaratiuam, & Spiritum Sanctum esse dilectionem creaturæ, licet non à Trinitate produci. Cõtra distinct. 18. de dono & 27. de verbo, si negetur secunda minor de obiecto secundario: tunc difficultas reddit hic tacta supra, si dicatur vt supra: & tunc oportet aliter dicere de volantate, quã de memoria: quia voluntati per intelligentiam repræsentatur actualiter obiectum secundarium. Respondeo, non habet ex se rationem diligibilis, sicut primum obiectum tertia minor, non habet vim, nisi de prius: sicut prima minor: patet enim, quod non est vera de prius origine. De natura autem, est dubium, si tantum est differentia rationis inter productionem Verbi declarantem primum obiectum, & declarantem secundum: quia differentia rationis, non est pro ordine naturæ sufficiens.

Nota, quod illud, quod dicitur ibi supra, scilicet, in quocumque est principium productiuum, &c. si accipitur prius duratione: patet minor falsa: si *prius* natura: dubium est, & ad aliud propositum si origine, non facit difficultatem ad propositum, quod minor secũdi syllogismi non est nisi de priori natura: patet. Sed accipiendo minorem primam, tantum de priori origine videtur petere: quia minor est eadem cum conclusione. Istud de prius non cogit hic: sicut dictum est supra videlicet dist. 5. de Filio. Nota pro tribus syllogismis superius positis, quod licet minor primi negetur de priori alio, quam originis indiuinis: & per hoc videtur excludi omnis via arguendi de quis, & quo: quia prius origine est idem cum conclusione: tunc prædicta. Adhuc tamen restat difficultas de principio productiuo, quæ tangitur supra: videlicet, de obiecto secũdario: quia vel minor, cui omnino inniteris in quæstione de productionibus, erit falsa: vel difficile est, quod non estendatur ad secundarium obiectum. Concesso vero, quod non extendatur ad illud, perit illa quæstion. 1. primæ distinct. secundi, de creatura in esse intelligibili, quod sit à tota Trinitate: quia aquo est productiue notitia creaturæ, ab ipso est creatura, vt intellectus: perit de relatione obiectis secundarij, ad circ 35. de ideis, & perijt de relatione Verbi, & Spiritus Sancti ad creaturas, distinct. 18. vel 27. primi, perit, quod Spiritus Sanctus non sit necessario amor creaturæ: & oportet dicere, quod sit necessario complacentiæ, licèt non volitio existendi, & tunc per illud, scilicet, distinct. 3. contra Philosophos de necessitate creaturæ: & reddit illud Henrici ibi de complacentia. stat enim argumentum primum, quæst. 1. 2.

E.

non

Secundi. Non valet idem de respectu primi obiecti, quod Spiritus Sanctus non ita libere amat creaturam, vt Pater: quia ex productione est amor: nec Verbum virtute memoriæ, vt in ipso intelligit, sed vt in Patre.

F. Ad ista, primo ad maiorem, principium, quod ex ratione sui natum est exire prius in actum realiter producendi in subsistentia reali, concludit suum comproductiuum esse prius origine: ideſt, siue quo non alius: & ex hoc concluditur, quod ab ipso est alius. Ita de Spiritu Sancto, quod est à Patre, & Filio dist. 11. Similiter productum, quod natum est in reali subsistētia, prius produci alio, est sine quo non est aliud: igitur, à quo aliud, sic tres personæ ad creaturas in esse extra. Concedo igitur, quod natura accepta in subsistētia reali, vt habet omnia, qualemcumque ordinem in ipsa habentia, est realiter productiua personæ secundæ simul acceptæ: sed omnia in ipsa: tamen in vtraque est distinguere, quid primum est in ipsa, quo, scilicet, persona diuina est: & quid quasi aduentitium personæ quasi iam constitutæ: quale est omne comparans ad obiectum secūdum B. concedo, & C. similiter, nisi quod iuxta prædicta in A. tres inesse simpliciter personæ diuinæ præcedunt ordine naturæ, & intellectionem creaturæ: & per consequens creaturam in esse intelligibili. Hoc quidem antecedens est verum ibi dist. 12. sed negatur consequens: igitur creaturæ producuntur à Trinitate in esse intellecto. Ratio negationis est ista: quia sicut operatio circa obiectum secundum, non potest esse alia realiter à quacumque: hoc est realiter, vel subsistenter ab operatione circa obiectum primum: ita nec productio circa istud, à productione circa illud: igitur non potest esse alterius sic, vel sic realiter producti: ergo solus Pater dicit Verbum creaturæ, sicut & Verbum essentiæ suæ. Confirmatur: quia sicut hoc principium operatiuū habet vnam operationem adæquatam sibi, non tantum intensiue, sed extensiue: hoc est, circa omnia, quæ virtualiter sunt in ipso: ita in quantum est productiuum, habet vnam productionem adæquatam vtroque modo: quia neutrum repugnat vni producto. Confirmatur etiam: quia notitia, siue vt operatio, siue vt productiua, non potest esse nisi eiusdem termini primi; alioquin non nisi, vt secundariorum: ergo nulla potest esse productiua, quæ sit immediata alicuius obiecti primi, vt termini. Similiter concedo B. non peri C. quia productio obiecti secundi, in esse cognito, non est terminus realis, sicut nec terminus accipit esse reale: ergo est productio diminuta, sicut productū est ens diminutum. Talis productio potest esse, quæ non est productio, sed quasi productio, huius est cognitio: ergo Pater in se per cognitionem, in qua est virtualiter obiectum secundum, quasi producit in se obiectu illud, dum actu cognoscit. & communicans cognitionem, communicat se, vt quasi producentem idem obiectum: quia posteriꝰ est persona, cui communicatur: ergo Trinitas quasi producit obiectum: & ita producit in esse cognito: quia in illo produci est quasi produci, licet solus Pater realiter producat in Filio ex vi generationis, & Pater, & Filius in Spiritum Sanctum communicant cognitionem huius obiecti. Quæ cognitio in omnibus quasi communicata est productio diuina, & ita productio diminuta.

G. Aliter planius, cognitionem esse obiecti secundi, est ipsum producere in esse cognito. sicut ipsam esse obiecti primi, est esse eius quasi producentis cognitionem: quia primum obiectum quasi præsupponitur, & secundum quasi producitur per hoc in actu: quia cognitio est eius: ergo realiter communicans cognitionem, vt obiecti secundarij, realiter communicat illam, vt producentem obiectum secundarium 1. *Conclus.*

darium productione, quæ ibi potest esse, quæ non est nisi diminuta, siuè Pater, siuè Trinitas producat obiectum in esse cognito, non perit, distinct. 35. quia idea est obiectum secundarium, sinè productum sic, vel sic, vel non productum, sed quasi. Et si aliquis dicat ideam sic non referri realiter ad scire Dei: quia idea sic nihil est: pari ratione nec, è conuerso, scire habet aliquam relationem rationis ad obiectum secundum: quia omnino nihil: quia sicut nec fundat, ita nec terminat aliquam relationem. Non perit C. quia vodecumque producitur, vel quasi producitur obiectum secundum: persona diuina perfectum esse habet, comparando intellectum, & voluntatem ad obiectum primum. Tamen concedo, quod Verbum, quasi ex productione secundaria, est notitia creaturæ producta realiter: sicut Pater quasi secundario est notitia eius improducta, & ita necessario Filius, sicut Pater, est notitia eius. Sed ista relatio nec cum ingenitione constituit Patrem, nec cum generatione Filium: de hoc, scilicet, vel potest dici de complacentia, in quantum ostensum ostenditur habere bonitatem participatam à primo.

2. concluſ.

H. Vel aliter, sicut persona Patris necessario habet operationem voluntatis, quæ operatio est alicuius obiecti necessario alicuius contingenter: ita producit quasi operationem subsistentem, quæ necessario producta est alicuius necessario, alicuius contingenter. Et sicut non sequitur volitio creaturæ est eadem personæ Patris: igitur Pater necessario habet volitionem creaturæ: sed tantummodo sequitur: ergo habet volitionem necessario, quæ est creaturæ: ita non sequitur, Pater necessario spirat volitionem creaturæ in sensu composito; licet necessario spiret volitionem, quæ est creaturæ.

Expositio art. 6. quæstionis vnicæ distinct. 10.

1. Satis complicata est huius articuli litera: quæ non est textus Doctoris, vt ex nimia ipsius confusione apparet, sed est additio veterum discipulorum illius (sicut præcedens articulus) intra textum inserta. In qua concluditur, Spiritum Sanctum cõ comitanter ex amore creaturarum procedere. Nam habito ex 5. artic. creaturas neutiquam esse posse principium spirationis, nec etiam per modum obiecti: & ex difficultate præcedente ob id non procedere Spiritum Sanctum formaliter ex amore earum: hîc consequenter vnum quæritur, & duo resoluuntur: quorum attamen vnum ex altero pendet. Quæritur namque verum eadem productione, quâ producitur Spiritus Sanctus, qui est amor obiecti infiniti, producatur etiam amor creaturarum? & affirmatiuè hæc difficultas concluditur litera M. quod *Sicut persona Patris necessario habet operationem voluntatis, quæ operatio est alicuius obiecti necessario* (hoc est, essentiæ diuinæ) *& alicuius contingenter* (hoc est, creaturarum) *ita producit quasi operationem subsistentem, quæ necessario producta, est alicuius necessario, & alicuius contingenter.*

2. Ex qua conclusione infertur alia secundi quæsiti, videlicet, quod semel admisso eadem productione produci amorem Dei, & creaturarum, & habito creaturas non concurrere ad sui amorem formaliter per modum principij obiectiui: ibi se habere materialiter, & concomitanter. Principalem attamen conclusionem (quæ est Scoti alibi) sic expono, recolendo quæ sæpè notata sunt de duplici actu intellectus diuini, & similiter de duplici actu voluntatis. Nam diuinus intellectus, & habet actum, seu operationem essentialem, qua intelligit suam essentiam, & ea, quæ sunt Dei, & etiam qua intelligit omnia alia à se, quæ est vna, & eadem operatio: ita tamen, quod hæc talis operatio primo, & per se terminatur ad diuinam essentiam, tanquam ad primarium obiectum: deinde ad obiecta secundaria, ratione ipsius essentiæ intellectæ. Et inter obiecta secundaria ordinatè se habet, prius videlicet

Actus intellectus, & voluntatis diuinæ, alij sunt essentiales, alij notionales.

licet ad ea, quæ sunt Dei, vt potè attributa, & relationes, & personas, & deinde ad creaturas hæc eadem essentialis intellectio terminatur: & ideo eadem intellectione essentiali, qua Deus intelligit se, intelligit omnia alia à se. Non tamen pendet (vt ita loquar) hæc diuina intellectio formaliter ab obiectis secundarijs, vt sic: sed tantummodo à primario: vnde secundaria obiecta, quasi materialiter, & concomitanter se habent ad illam.

3. Secundus actus intellectus diuini est, quo producit notitiam, seu Verbũ: quia actus producendi non est essentialis, sed notionalis, & hanc notitiam vocat textus quasi operationem: quia in nobis verbum productum, est formalis ratio operandi, scilicet, intelligendi: licet in Deo oppositum sit: quia Deus non intelligit per Verbum, sicut nos: sed Verbum Dei subsistit: quam ob rem illud vocat ibi quasi operationem subsistentem: nostra autem operatio non subsistit, sed inhærens est. Æquiparat ergo literatex tualis hunc secundum actum ad illum priorem, & inquit: quod sicut vna, & eadem operatio essentialis est obiecti diuini, & creati, tanquam obiecti primarij, & secundarij, suo seruato ordine: ita tamen, quod talis intellectio non pendet ab obiecto secundario, tanquam à suo formali principio: ita iste secũdus actus notionalis est vnus, & idem vtriusque obiecti, primarij, scilicet, & secundarij: ita tamen quod obiectum secundarium non concurrit ibi, vt aliquale principium formale, sed vt merè materialiter, & cõcomitanter se habens. Quæ omnia Philosophanda sunt de voluntate diuina respectu volitionis essentialis, & productionis amoris notionalis: sicut enim Deus dilectione eadem essentiali diligit obiectum primarium, & secundarium, absque eo, quod à secundario formaliter ad sui esse dependeat: ita productione sua notionali producit amorem vtriusque obiecti, absque eo, quodà secundario aliqualiter pendeat, tanquã à formaliter principio: sed ibi merè materialiter, & concomitanter se habet.

Verbum in nobis est ratio intelligendi, non vero in Deo

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm Spiritus Sanctus procedat libere, an per modum naturæ?

AD septimum sic proceditur. A.
Videtur, quod Spiritus Sanctus non procedat libere, sed per modum naturæ: quia si productio sit necessaria, *vt ex art. 3. constat*, quomodo non est per modum naturę, sed distincta cõtra illam, & libera.

Sed contra est August. 5. de Trinitate, cap. 14. vel 32. Spiritus Sanctus exit à Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus: exire per modum dati, vel doni, conuenit producto per modum voluntatis, cuius est ex libertate sua dare, vel donare: ergo, &c. B.

Respondeo dicendum, quod restat *istud* dubium, vbi dicitur, *volũtatem non producere per modum naturæ*: quia natura agit per impressionẽ, sicut intellectus: voluntas non. Contra, hoc falsum est, & improbatum distin. 2. & 5. Item, nõ ad propositum: quia quæritur de distinctione principij actiui in modo agẽdi, siue eliciendi actione: siue aliquid agat, siue nõ. Alia respõsio, verbum est formaliter notitia memoriæ: voluntas eliciens dat obiecto primum donum, quia amorem, & in hoc se: nec ex ista ratione est donum. Vndè nec aliud simile obiecto præsentato: ideo amor non gignitur, nec est imago Spiritus Sancti, ita sicut Filius. Hoc quidem bene verum est de imagine, sed non saluatur, quomodo hæc principia elicere possint diuersimode, quãuis ponatur aliqua distinctio in terminis comparatis, ad principia in assimilari tantum. Tertia via *dicitur*, quod est necessitas, vt actus tendit in obiectum: non tamen vt dicitur à potentia. Vel aliter, sicut in actu, quasi iam vt elicito firmatur: non tamen, vt quasi prior actu elicit illum. C.

Opinio Hẽrici Quodlib. 5. q. 1.

Contra ista arguitur: ergo ex parte principij, vt quasi præcedit actum, est necessitas ad eliciendum: nec voluntas repugnat libertati: quia voluntas D.

perfecta potest habere conditionem perfecti principij productiui. Item ê conuerso necessitas non tollit libertatem, propter nunc dictum. Item, necessario, agere est conditio modi operandi: ergo non repugnat alteri diuidenti principium actiuum: sicut nec modus illi, cuius est modus: sicut, ergo duplex est principium, ita duplex est necessitas conueniens: nec est alia ratio distinctionis, nisi, quia hoc est hoc: ergo non omnis necessitas est naturalis, strictè accipiendo naturale, quomodo voluntas non est natura: in Deo autem, vt probatum est, formaliter est voluntas ex natura rei, & hoc sub ratione principij productiui liberi respectu amoris: *Et cum hoc stat: quod* est principium, quo datur necessitas producto, & productioni, *vt visum est.*

Conclusio.

E. Ad argumentum *seu rationem dubitãdi ex dictis patet*, quod necessitas non tollit libertatem.

Expositio artic. 7. quæst. vnicæ distinct. 10.

COnclusio huius articuli est, Spiritum Sanctum nullatenus per modum naturæ, sed perfectissimè liberè, & perfectissimè necessario procedere. Quia tamen hæc difficultas est ex capitalibus huius materiæ, debet latiori sermone exponi: & ideò ad exactam eius resolutionem sequens excitatur difficultas.

DIFFICVLTAS. LXXI.

Vtrùm Spiritus Sanctus procedat liberè?

§. 1.

Refertur prima sententia Diui Thomæ.

1. OMissa sententia Henrici, quam egregiè reffellit Doctor in textu (quidquid immerito Vazquez eius rationes minoris momenti appellauerit) D. Thom. 1. p. quæst. 27. art. 4. ad tertium, tenet Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio naturaliter, licèt procedat per modũ voluntatis. Ad cuius intelligentiam supponit, voluntatem sumi dupliciter. Primò, prout est natura quædam, quæ aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit in beatitudinem, & similiter Deus naturaliter vult: & amat se ipsum. Secundò autem sumitur voluntas prout est libera, quæ dicit indifferentiã ad opposita. Sic voluntas Dei respectu aliorum à se, se habet liberè ad vtrumq;. Quibus notatis, concludit, quod Spiritus Sanctus procedit, vt amor, in quantum Deus amat se ipsum. Vndè naturaliter procedit, quamuis per modum voluntatis procedat. Sequuntur D. Thomã Caiet. ibidem Capreol. in 1. dist. 6. q. 1. art. 1. conclusi. 5. & in art. 2. & distin. 10. q. 1. art. 1. Canar. ibid. in 2. p. sui Commentarij, Bañez vbi D. Thom. dub. 2. Zumel ibi sua q. 4. conclus. 6. & cæteri recentiores Thomistæ cum D. Thom. 1. part. q. 41. art. 2. ex Iesuistis autem sequuntur hanc sententiam Molina 1. p. q. 41. art. 2. disp. 3. licet ibi intendat concordare Scotum cum D. Thom. Suar. 1. p. lib. 6. de Trinitat. cap. 4. Vazq. 1. p. disp. 161. cap. 3. quam sententiam probant prædicti auctores sequentibus argumentis.

1. sententia. D. Thom. *Caietanus.* *Capreolus.* *Canarienſ.* *Bañez.* *Zumel.* *Molina.* *Vazquez.*

2. Primo, illã probat Caietanus: quia liberũ, & naturale nõ sunt differentiæ potentiarum, sed eidẽ facultati conuenire possunt: nã differentiæ facultatũ non sumuntur ex vario modo operandi ipsarũ, circa idẽ obiectũ: sed ex diuersitate obiecti primarij: quia in intellectu reperitur duplex modus operandi, nempè sine discursu, & cũ illo. Similiter in voluntate est vnus, scilicet, cũ electione, & cõsultatione, & alter sine illa: ergo in eadẽ potẽtia potest esse modus operandi naturaliter, & libere: ita vt naturalis sit, quia est necessarius: liber autẽ, quia est cũ indifferentia: sed Spiritus Sanctus non procedit à voluntate cũ indifferentia, sed necessario: ergo nõ procedit libere, sed naturaliter.

3. Secundo: quia spiratio dicitur libera, quia est sine coactione, & cũ delectatione: & hoc modo actiones etiã agentium naturalium: quia sine coactione sunt, dicendæ essent liberæ, aut saltem

saltem operationes brutorum,& appetitus animalis, quia cũ delectatione sunt, liberæ essent: quod est absurdum (inquit Vazquez, cuius est hoc argumentum) aut dicitur libera: quia indifferens est ad vtramque partem contradictionis, vt possit esse, & non esse: vel contrarietatis, vt possit velle hoc, & oppositum. Hoc autem modo non potest dici libera: quia hic modus libertatis idem est, quod modus contingentiæ, qui opponitur necessario. Aut denique tertio libera dicenda est voluntas: quia à suo principio interno determinatur ad actum, ex cognitione, & forma apprehensa: hoc autem est absurdum, & aperte falsum: nam & bruta agunt per formam apprehensam, & tamen non dicuntur libere operari: ergo, &c.

4. Tertio, si Spiritus Sanctus produceretur libere, vel quidem libertate contradictionis, vel contrarietatis, vel complacentiæ: sed nulla libertate istarum producitur libere: quia non producitur libere duabus libertatibus prioribus, neque aliqua illarum: quia tunc posset nõ produci: ac per consequens non esset ens simpliciter necessarium, quod hæreticum est. Nec tertia libertate: quia tunc non magis libere produceretur Spiritus Sanctus, quam Filius, qui etiam libertate complacentiæ producitur: ergo non procedit liberè, siquidem non est alius libertatis modus excogitabilis.

5. Quartò, quod producitur per voluntatem, vt libera est, præcognoscitur ante sui productionem: sed Spiritus Sanctus non præcognoscitur ante sui productionem: quia quod ante sui productionem cognoscitur, est exemplatum, & ideatum: hoc autem, quod est esse exemplatum, & ideatum, nõ conuenit Deo, sed creaturæ: ergo Spiritus Sãctus non procedit per voluntatem, vt libera est, & ex consequenti non liberè, sed naturaliter procedit.

6. Quintò: quia secundum Philosophũ 2. physicorum, cap. 5. omne, quod agit, vel agit natura, vel casu, vel fortuna. *Aristotel.* sed Pater, & Filius, producunt Spiritũ Sanctum, non à casu, neque á fortuna: ergo naturaliter: sed productio Spiritus Sancti est per voluntatem: ergo voluntas in productione illius est principium naturale, & Spiritus Sanctus à voluntate naturaliter procedit.

7. Sextò probatur ex D. Augustino, lib. 3. de libero arbitrio capit. 3. vbi inquit, quod illud dicitur libere agere, quod potest agere, & non agere: quod idem tenet D. Damascenus lib. 2. fidei Orthodoxæ, cap. 28. & D. Hieronymus in Epistol. ad Damasum, & plures alij Sancti Patres. Sed Pater, & Filius in productione Spiritus Sancti non possunt agere, & non agere: siquidem Spiritus Sanctus non potest non produci: quia est ens simpliciter necessarium: ergo, &c.

§. 2.

Ponitur vera, & tenenda Scoti sententia, cum expositionibus quorundam Scotistarum.

8. IN oppositum autem est litera textualis in hoc art. 7. litera D. vbi Doctor hæc profert: *Non omnis necessitas est naturalis, strictè accipiendo naturale, quomodo voluntas non est natura.* *D. Augus.* *D. Damas.* *D. Hieron.* *In Deo autem, vt probatum est, formaliter ex natura rei, & hoc sub ratione principij productiui liberi respectu amoris: & cum hoc stat, quod est principium, quo datur necessitas producto, & productioni.*

9. Tenet latissimè in Quodlibetis, quæst. 16. per totam, sequuntur Doctorem Guilielmus Rubionis in 1. distin. 10. quæst. 2. Brulefer eadem distin. in respons. ad quæstionem. Basolis ibidem quæst. vnica, §. *existis duobus*, Lichetus ibi §. *quantum ad secundum*, Tatheretus ibi. §. *contradicta*, Maironis distin. 10. quæst. 1. §. *sed hic sunt*, Vigerius ibi, §. *ad secundum dubiũ*. Antonius Andreas, ibi §. *ad vtrumque*, Pater Rada 1. part. controuersia 13. Pater Herrera in 1. disp. 11. q. 5. Philippus Faber in 1. disputat. 37. & cæteri omnes Scotistæ. *Rubionit.* *Brulefer.* *Basolit.* *Lichetus.* *Tatharet.* *Maironis.* *Vigerius.* *Anto. Andreas.* *Rada.* *Herrera.* *Faber.*

10. Controuersiahæc satis celebris, quasi forsan quæstio de nomine aliquibus visa est: verborum etenim, & non rerum, inquit Vazquez controuersiam esse cum Scoto: quia cum Doctor affirmet Spiritum Sanctum necessario esse productum; totam litem in hoc sitam esse

existimat, an scilicet, talis productio libera sit dicenda, aut naturalis. Verum, si Vazquius verba Scotica penetrasset, nō in verbis tantum modo, sed in rebus conuersiam inuenisset. Consistit igitur nodus huius difficultatis in determinando duo simpliciter necessaria ad eius resolutionem. Primum, scilicet, an forma lissima libertas cum summa necessitate sit compossibilis. Secundum vero, vtrū voluntas secundum rationem voluntatis, etiam prout diuina est, possit esse principium naturale, seu naturaliter productiuum alicuius amoris: an verò per locum intrinsecum sit necessario libera, & vt cumque libere productiua, etiam si aliàs necessario producat? Hæc etenim duo necessario ventilāda, & reddunt controuersiam celebrem, & illam, satis enucleatā resoluunt.

11. Non quidem vnanimiter veteres Scotistæ hanc necessariam voluntatis libertatem intelligunt: tametsi vnanimiter illam voluntati necessario competere asseuerent. Quidam namque illam in complacentia voluntatis, quæ cum necessitate compatitur, constituebant: eo quod libertas (aiebant) non penes contingenter operari est attendenda: sed penes amorem complacentiæ, in quo libertas consistit. Eo enim, quod voluntas complacenter producit, etiam si aliunde sibi proueniat necessario producere, libera est. Quia ergo Spiritus Sāctus est amor complacenter productus: ideo licèt necessario procedat, eo quod in Deo non est aliquid contingenter habens esse, tamen libere procedit.

Expositio quorūdam Scotistarū quos refert Basolis.

12. Hunc attamen modum exponendi libertatem possumus facillime confutare: quia liberalis huius complacentiæ, aut sumitur pro libero, vt opponitur contra naturale, aut vt opponitur contra violentum. Non enim ibi potest summi prout opponitur contra necessarium: siquidem modus iste fatetur, necessitatē cum huiusmodi libertate compossibilē esse. Si ergo, vt opponitur contra naturale, falsò asserit, libertatem in tali complacentia consistere: quia posset Deus infundere alicui animæ volitiones maximè complacentes, quibus anima magnopere complaceret sibi: & tamen respectu earum, voluntas nullam causalitatem actiuam haberet: & consequenter nullam haberet libertatem, vt liberum contra naturale opponitur: ergo, &c. Quod autem libertas non sumatur ibi secundo modo, vt liberum opponitur contra violentum, patet, quod non sit ad propositum: quia vt sic, non magis Spiritus Sanctus procedit liberè, quàm Filius liberè est productus: non enim magis productio Spiritus Sancti est libera à coactione, seu violentia, quam productio Verbi. Non igitur in tali amore complacentiæ libertas consistit.

Ostenditur libertatem non consistere in amore complacentiæ.

13. Aliter Guillelmus Rubionis hanc libertatem exponit dicens, ideo Spiritum Sanctum liberè produci: quia produci liberè, vt hîc accipitur, non est aliud, quàm produci productione perse requirente pro perse principio naturam volitiuam: cui ex hoc, quod est volitiua, competere posset agere contingenter, nisi aliud aliunde hoc sibi obuiaret. Et hoc modo Spiritus Sanctus producitur: nam producitur per voluntatem, quæ est principium, & natura volitiua, cui vt sic non repugnaret hoc, quod est contingenter agere, nisi aliud obuiaret, videlicet, essentialis identitas inter suppositum producens, & productum.

Expositio Rubionis.

14. Subtilis profecto est hæc Rubionis expositio, quatenus rationem potentiæ volitiuæ enucleat, vt præcisè volitiua est: non tamen potest sustineri, loquendo de libertate voluntatis, quatenus est potentia productiua. Benè enim admitto, volitiuam potentiam, vt sic, vt abstrahit à creata, & increata, posse dicere indifferentiam ad contingenter velle: non vero teneo, huiusmodi potentiam, prout operatiua est, posse dicere differentiam ad contingenter producere volitionem. Quæ duo distincta esse satis ostendi supra in difficultatibus 49. & 50. vbi explicui, qualiter distinguantur operatio vitalis, & actio productiua formæ vitalis. Prima etenim in intellectu est intelligere, & in voluntate velle. Secunda vero in intellectu est producere Verbum, seu dicere, & in voluntate producere amorem, seu spirare: quæ est doctrina satis plana, & trita in via Scoti. Ex qua constat, velle diuinum esse operationem essentialem: at vero productionem diuini amoris esse actionem notionalem (voco actionem id, quod ibi

Confutatur hæc expositio Rubionis.

est

est productio: quia ad intra in Deo nulla est actio propriè dicta (quæ dicitur spiratio.)

15. *Impugnatio Rubionis.* Ex quo contra Guillelmum dico, quod etsi voluntas, vt abstrahit à diuina, & creata, quatenus operatiua, potest esse principium contingenter operandi, si aliunde non impediatur eiusmodi cõtingẽtia, non tamen quatenus producti ua est, potest esse principium contingenter producendi. Et ratio à priori est: quia quod intrinsecè conuenit voluntati, vt sic in communi acceptæ, conuenit etiam voluntati diuinæ: ergo si volũtati, quatenus productiua est, competeret sic producere contingenter, etiam voluntati diuinæ posset competere contingenter producere. Hoc attamen sibi repugnat per locum intrinsecum. Quod euidenter probo: quia voluntas diuina, vt productiua est, tantum est productiua diuini amoris subsistentis in diuina natura: sed per locum intrinsecum repugnat, diuinum amorem subsistentem in natura diuina contingenter procedere: ergo per locum intrinsecum repugnat, diuinam voluntatem esse contingẽter productiuam illius. Quod autem addit Rubionis, *nisi sibi aliunde obuietur*, nõ est modificatio tollens implicationem: quia quæ per locum intrinsecum alicui conueniunt, etiam sublato quocumque aliunde aduenient, sibi necessario conueniunt. Si ergo illud, quod obuiat, nõ obuiaret, adhuc diuinæ voluntati ex sua ratione intrinseca repugnaret, aliquem amorem contingenter producere: sicut sibi repugnat, aliquem amorem creatum spirare.

16. Esse attamen voluntatem, prout operatiua est, talis naturæ, vt sibi possit competere contingenter operari, est certũ. Non enim minus voluntas diuina, quã creata est contingenter operatiua (imperfectionibus sublatis) quia quidquid ad extra vult, contingenter vult, & creaturas, quas diligit, contingenter diligit. Potest igitur diuinæ voluntati competere contingenter operari, vt infra patebit. Explicatio igitur libertatis à Rubione posita, non solum non explicat libertatem, quam quærimus: verum & ponit aliquid in ea, quod sibi per locum intrinsecum implicat.

§. 3.

Explicatur quid, & quotuplex sit libertas.

17. Reiectis igitur prædictis duobus modis, & alijs exponentibus libertatem productionis Spiritus Sancti, conueniunt Basolis, Lichetus, Tatheretus, & plerique alij cum Doctore, in definienda ratione perfectissimæ libertatis. Pro qua primo obseruare oportet, quod libertas (vt Tatheretus notauit) est multiplex: Alia est enim libertas ciuilis, quæ videlicet, seruituti opponitur: qua libertate gaudet ingenuus, seu liber, & libertinus, prout definitur in iure in Institutis lib. 1. de ingenuis §. *ingenuus*, & §. *libertini*. Et de hac libertate non loquimur in præsenti. Secundo sumitur libertas, vt opponitur coactioni, quæ coactio in quadam violentia consistit: quæ coactio cum sit alterum a extrinseca, licet cogat, & violenter præmat voluntatem ad actum aliquem extrinsecum, non absolutè tollit libertatem illius: & ideo solẽt Iuristæ asserere, quod *voluntas coacta voluntas est*, hoc est, libera in actibus à se eliciris, etiam coactione posita. De qua libertate solent Summistæ inuestigare, quæ coactio sufficiat ad reddẽdum actum, sic à voluntate elicitum, inculpabilem: vt potè sic est metus cadens in constantem virum. &c. Libertas igitur huic coactioni opposita est, qua voluntas sine subordinatione alicuius cogentis, seu constringentis, ad nutum sui placiti delectabiliter operatur. Et de hac etiam libertate præsens quæstio non procedit: sed loquimur de libertate voluntatis, prout ab intrinseca sua virtute est liberè operatrix. *Quotriplex sit libertas.*

18. Triplicem igitur libertatem Doctor in voluntate, vt sic considerata, constituit. Prima est libertas contrarietatis, quam communiter alij vocant, quoad specificationem actus: quæ potest ferri in duo obiecta contraria, ad quæ est indifferens, sicuti in album, & nigrum: seu in actus oppositos (saltim disparate) circa aliquod obiectũ, vt potè velle sic, vel sic operari circa illud. Vt si voluntati proponatur Deus diligẽdus, potest illũ

prosequi amore: vel potest actu suo positiuo talem Dei amorem refugere, seu nolle illum amare: quia actus nolitionis passiuus est: & ideo voluntas non solum est libera libertate contrarietatis ad velle hoc, aut illud: sed etiam ad velle, & nolle hoc.

19. Secunda libertas est contradictionis, quàm etiam vocant quoad exercitium. Et hæc consistit tantum in indifferentia ad actum positiuum, circa aliquod obiectum, & ad præcisam negationem talis actus. Sic proposito voluntati obiecto aliquo diligibili, potest actu suo elicito ferri in illud, vel non ferri in illud: non quidem quod per actum suum positiuũ nolit ferri in tale obiectum: quia tunc iam esset libertas contrarietatis: sed per meram negationem elicitionis actus volitiui non feratur in tale obiectum. Istæ duæ libertates important contingentiam, & indifferentiam intrinsecam voluntatis: licet aliundè ab aliquo extrinseco sibi aliquando proueniet necessitas, prout ostendimus supra in difficultate 39. num. 15. contingere in Beatis: quibus de facto, & de ordinata potentia exercitium huius libertatis non conuenit: quia ab obiecto summè bono mouetur volũtas, ad eius dilectionem: & ideò necessitate quadam ibi exposita num. 32. fruitur necessario voluntas Beati diuina essentia clarè visa.

Quid sit libertas contradictionis, seu quoad exercitium.

20. Has duas libertates habet quælibet voluntas, tam, scilicet, creata, quàm increata; licet non eodem modo, nec ad idem. Hæc etenim est differentia, quod voluntas creata habet hanc duplicem libertatem ad elicere volitionem formalem, seu amorem per actum productiuum: non vero ad operari vitaliter volendo, seu ad velle. Voluntas autem diuina è contra, vt nuper num. 14. notaui, habet vtramque libertatem ad velle, non tamen ad productionem amoris; imo neque ad omne velle: sed tantummodo ad velle, quod terminatur ad creaturas. Hæc omnia euidenter ostendo, & primo voluntatem diuinam non habere hanc duplicem libertatẽ, aut alterutram respectu productionis amoris, satis patet: quia Deus non nisi vnicum amore potest producere, qui est Spiritus Sanctus: cũ etenim diuinæ productionis ad intra necessario debeat esse terminus infinitus, & consequenter adæquans totius infinitæ volũtatis virtutem: hinc est quod eiusmodi amore semel producto, non restat diuinæ voluntati amplius alius amor producendus, aut producibilis. Hunc autẽ amorẽ producit necessario, necessitate excludente omnimodam cõtingentiam. Non ergo ad productionẽ amoris habet diuina voluntas vtramquẽ, seu alterã ex duplici libertate prædicta.

Deus non habet libertatem contrarietatis, seu contradictionis ad productionem amoris, nec ad velle ad intra, bene tamen ad velle ad extra.

Quod autẽ nec habeat libertatem ad omne velle, eadẽ ratione conuincitur: quia Deus per suum velle essentiale diligit suam essentiã, & ea, quæ sunt sibi realiter eadẽ. Sed hæc dilectio est necessaria necessitate opposita omnimodæ contingentiæ, & indifferentiæ, quæ in duabus libertatibus supra positis est: ergo, &c. quod vero respectu creaturarũ vtramq; libertatẽ ad velle habeat diuina voluntas, facile constat: quia Deus nihil ad extra diligit necessario: & sic quodcumque obiectum extra se potest diligere, & nõ diligere: ac etiam diligere, seu velle, sic vel sic. 21.

Voluntatem vero creatã habere prædictam duplicem libertatẽ, videlicet cõtrarietatis, & contradictionis ad elicitionem, seu productionẽ amoris, aut volitionis formalis, non autẽ ad velle: non erit difficile patefacere: quia voluntas creata non potest velle, seu diligere formaliter, nisi per amorem, seu volitionem formalẽ, quæ est qualitas quædam de genere qualitatis, sicut dictum est supra in difficultate 50. Hanc autem volitionem producit ipsa voluntas per actũ productiuum distinctum ab actu volendi, qua veluti forma informatur, & operatur vitaliter, volendo formaliter per talem amorem, seu volitionem: & ita velle, est effectus formalis amoris, seu volitionis formalis, quo voluntas vult obiectum sibi ab intellectu ostensum. Et quia posita forma in subiecto sibi proportionato, non potest non sequi effectus formalis: ideo posita volitione producta, in voluntate non potest non sequi actus volendi. Ex quo manifestum fit supradictum assumptum, quod scilicet, voluntas creata habet libertatem contrarietatis, & contradictionis ad elicitionem, seu productionem amoris, non vero ad operari volendo. 22.

Voluntas creata habet libertatem contrarietatis, & contradictionis ad productionem amoris, non vero ad velle.

Quod amplius cõfirmo: quia si Deus infunderet alicui voluntati creatæ amorem 23.

rem

rem alicuius obiecti, qui quidem tanquam forma volendi, illam informaret: & talis amor esset à Deo totaliter productus (quod possibile esse ostendi supra indifficultate 26.) proculdubio voluntas necessario non posset non ferri in tale obiectum, ipsum diligendo per eiusmodi amorem: ergo in actu diligendi non habet contingentiam: & per consequens quando liberè diligit, non ex eo habet libertatem contingentiæ: quia formaliter diligit: Sed quia eliciendo amorem, illum contingenter elicit: & sic eius libertas contrarietatis, & contradictionis, in indifferentia ad posse amorem elicere, vel non elicere, seu sic elicere, formaliter consistit: licet etiam possit dici libertate complacentiæ libere velle, hoc est: quia complacet sibi voluntas in operando per amorem non à se, sed à Deo productum: libertas enim complacentiæ est, qua voluntas sibi complacet in aliquo: & si respectu illius, non habeat rationem causæ: vel etiam sibi poterit cõplacere in operatione volẽdi per amorem à se ipsa producto, seu elicito.

24. Nec contra hoc valet, si dicas in nonnullis orationibus Ecclesiam petere à Deo, vt in nobis suum amorem infundat: quo nihilominus libere diligit, & meretur, qui accipit illum. Nam ibi non petit Ecclesia amorem actualem, quæ est forma vitalis: sed petit habitum charitatis, seu auxilium supplens vicem illius, quo supernaturaliter eleuetur voluntas, vt possit actum amoris elicere: in cuius libera elicitione consistit libertas ad meritum requisita: & ideo actus volendi, seu diligendi, dicitur formaliter liber, non à se, quatenus præcise talis operatio est; sed ab amore producto, quo formaliter vult tanquam per formam libere elicitam, & productam.

25. Esto igitur, quod prædicta duplex libertas nõ est, qua Spiritus Sanctus procedit: aliam libertatem inuestigare oportet, quæ diuinæ voluntati ad liberam Spiritus Sancti productionem conueniat. Hanc quidem vocauit Doctor absolutam, & essentialem, quæ ita necessario cuilibet voluntati competit: vt sine ea nulla voluntas, etiam per Dei potentiam, esse possit. Ideo namque essentialis vocatur: quia ad volũtatis essentiam pertinet, seu est eius modus intrinsecus, vt benè notauit Basolis. De qua dixit D. Augustin. in Enchiridione capit. 62. *Non enim voluntas est, aut libera dicenda est.* Vt autem hæc voluntatis libertas agnoscatur, debet necessario comparari ad principium naturale: quo cognito, facillime huiusmodi essentialis libertas nota erit. Principium igitur naturale est illud, quod ex sua intrinseca ratione est determinatum ad vnum, & immediate agit sine aliqua prævia alterius agentis operatione: & sibi effectum ex ratione formali suæ productionis assimilat. Ignis namque ex sua forma specifica est determinatus ad immediate producendum aliũ ignem sibi similem in natura: & quæuis alia causa naturalis hoc idẽ habet, quod sibi, vel in natura, vel in esse intelligibili, effectum assimilat, quantum potest.

Basolis. *D. August.*

Libertas essentialis quid sit.

26. Tria igitur habet principium naturale iuxta hanc descriptionem. Et quidem primum, quod ab intrinseco est determinatum ad vnum: ita quod non sit in sua potestate se determinare, vel non determinare ad illud: quia est intrinsecè determinatum ab auctore naturæ: & iuxta hanc determinationem sibi inditam, necessario agit secundum vltimum de potentia. Secundum est, quod immediatè sine eo, quod aliqua prævia actio præcedat, formaliter agit: quia non indiget apprehensione aliqua, vt prorrumpat in actum. Tertium denique est, quod sibi effectum assimilet ex ratione formali suæ productionis. Quæ omnia in qualibet causa naturali experimur.

Quid sit principium naturale.

27. Principium vero liberum in his omnibus opponitur principio naturali: neque etenim ab intrinseco est determinatũ ad vnũ: neq; agit immediate, sed mediante alia prævia actione: nec assimilat sibi effectũ in esse naturæ, seu in esse intelligibili ex ratione formali suæ productionis: non enim est determinatum ad vnum, non solum, quia est indifferens contrarie, vel contradictorie ad opposita: sed quia etsi necessario determinetur ad vnum, hanc tamẽ determinationem non habet à sua intrinseca ratione, & forma specifica, seu quidditatiua: sed ipsa volũtas, quę est principium liberũ, se ipsam determinat. Differentia autẽ huius determinationis hęc est, quod scilicet, determinatio principij naturalis est passiua: determinatur etenim tale principiũ

Quid sit principiũ liberum.

à sua forma formaliter,& effectiuè ab auctore naturæ, qui ipsum per talem formam actiue determinauit: voluntas uere,seu principium liberum, quod idem est,non est passiuè determinata,sed actiuè se ipsã determinat:ita vt non à forma sua passiuè determinetur, sed ipsa voluntas actiuè se determinet,prout egregie notauit Scotus in citata quæstio. 16. Quodlibetali:& inhac determinatione, qua voluntas se ipsam determinat, ratio essentialis libertatis præsertim consistit.Vnde colligo, quod libertati essentiali,vt sic,accidit per indifferentiam cõtingentię operari,eo quodbene saluatur cum determinatione ad vnum, absquè eo quod sit indifferens ad eius oppositum:& ideo etsi voluntas diuina non indifferenter se habeat, respectu productionis Spiritus Sancti,sed sit necessario determinata ad illam: adhuc tamen respectu illius, non est principium naturale: quia determinatio illa non est ab intrinseca forma ; & quidditate voluntatis:sed ab eo quod ipsa voluntas ad huiusmodi productionem se ipsam determinat: & quia non ab intrinseco passiuè determinatur, sed actiuè se ipsam determinat,est formaliter, & essentialiter libera.

Libertas essentialis.

28. Hæc autem essentialis libertas in omni libertate contingentiæ reperitur tanquam essentia ad accidentales differentias præsupposita. Accidit enim libertati,vt essentialiter est libertas,contingenter per indifferentiam operari:& sic modus contrarietatis , & contradictionis accidunt libertati . Vnde autem prouenial voluntati necessario se circa vnum determinare , sicuti ad vnum necessario diuina voluntas se determinat: aut esse sub indifferentia ad oppositа , vt patet etiam de voluntate diuina respectu creaturarum,& de voluntate creata, vt cumque considerata,infra ostenditur.Nunc enim nobis satis hæc dicta sint de prima conditione principij liberi,prout opponitur naturali, quod,scilicet, est ab intrinseco determinatum ad vnum.

Libertas essentialis in omni libertate reperitur.

29. Secunda conditioprincipij liberi est, quod non potest agere,nisiprævia actione alia alterius agentis . Quæ conditio ex eo essentialiter conuenit libertati: quia cum nihil sit volitum,quin præcognitum:non potest voluntas velle obiectum sibi non ostensum ab intellectu. Atque ideo necessario,tanquam conditionem sine qua non,præexquirit voluntas cognitionem intellectus. Quælicet sibi non sit forma agendi,vt quidam Scotistæ immerito crediderunt:est nihilominus conditio,sine qua voluntas operari non potest : quia cum sit potentia cæca debet illustrari ab intellectu , qui eam illuminat , repræsentando ei bonitatem obiecti formaliter diligibilis , in quod fertur per productionem amoris illius.In quo satis differt principium liberum à principio naturali , quod sine apprehensione aliquà prævia,aut actione alterius agentis necessario requisita, producit effectum.

Tertia tandem conditio libertatis, prout principium liberum opponitur naturali, est quod huiusmodi principiũ producit effectum simile sibi ex ratione formali suæ productionis: voluntas autem non sic: nam licet productio Spiritus Sancti assimilet productum producenti in natura: hoc non ex ratione formali sua ; sed ex materiali prouenit sibi: prout latè notatum est supra,in difficultate 52. vbi satis exploditur differentia principij naturalis , quod ad generationem requiritur,ad voluntatem,quæ generationis principium esse nequit : & ideo concluditur , ibi voluntatem producere effectum similem , non ex ratione formali sua , sed merè materialiter. 30.

§. 4.

Vnde prouenial libertatis necessitas, aut contingentia,exponitur.

HIuiusmodi igitur tres conditiones(quas etiam tradit D.Thomas de potentia,quæst. 10.artic.11.ad 11.&art.2 ad 4.)complent rationem absolutæ,& essentialis libertatis : ita vt cuicumque principio operatiuo hæc triplex conditio conuenerit , ibi perfectissima ratio libertatis reperietur, quantumuis cum necessitate fuerit composibilis.Quæ quidem triplex conditio ,quia optimè sine indifferentia,seu contingentia in aliquavolun- 31.

tate

tate perfectissima est libertas, & erit perfectissime principium liberum, prout à naturali distinguitur. Vnde autem proueniat voluntati essentialiter libere, necessario, vel contingenter operari, egregie tradit Scotus locis supracitatis, ad uerrendo, contingentiam, seu indifferentiam ex duplici capite posse libertati accidere; vel quidem primo ex limitata rectitudine potentiæ, aut ex limitata bonitate obiecti: si enim potentia fuisset perfecte recta, semper vellet quod bonum est: quia rectitudo illam intendit conformare directioni intellectus: nam intellectus practicus dirigit voluntatem ad amorem obiecti boni: & rectitudo voluntatis illam conformare intendit tali directioni. Si autem obiectum bonum voluntati ostensum, esset ita bonum, vt quodcumque aliud bonum excederet, perfecte moueret voluntatem ad sui amorem. Sed quia forsan est aliud bonum æquale, vel forsan excellentius in aliquo genere, vt potè vtilitatis, aut delectationis, saltim apparenter: ideo voluntas manet dubia, & indifferens ad eliciendum amorem circa vnum, vel circa alterum, seu ad non eliciendum amorem respectu alicuius eorum.

32. Hoc fiet manifestum exemplo: proponat, verbi gratia, intellectus voluntati hic, & nunc, esse pauperi talibus pecunijs succurrendum, & dirigat intellectus voluntatem ad talem succursum, quod est bonum honestum. Et similiter proponatur voluntati aliud bonum delectabile, vt potè, consumere pecunias illas in acquisitione actus venerei: seu proponat aliud bonum vtile, videlicet, elargiendas esse eiusmodi pecunias alicui propter remunerationem exhibendi honoris, vel lucri maioris acquirendi: profecto si voluntas esset perfecte recta, & aliquod ex istis bonis ostensis incomparabiliter esset in omni genere cæteris excellentius: non maneret voluntas dubia, nec indifferens: sed libenter se determinaret ad elicitionem amoris illius: & in tali elicitione liberrima esset: quia & iuxta rectitudinem suam se determinaret, ad eliciendum amorem excellentis obiecti: & excellens bonitas obiecti eam perfectissime moueret ad sui dilectionem. Ex duplici ergo capite prouenit voluntati indifferentia: vel quidem ex defectu rectitudinis ipsius voluntatis: quia perfecte recta non est, vt sine contingentia feratur in excellentius bonum: vel etiam ex defectu bonitatis obiecti, quæ non est adeo excellens, vt sine contingentia alterius eligibilioris moueat voluntatem ad sui dilectionem. Quia ergo nulla voluntas est ita perfectè recta, vt non possit deuiare à bono huiusmodi, nisi voluntas Dei, quæ est infinite recta: nec etiam est aliquod obiectum, quod incomparabiliter sit honestè, delectabiliter, & vtiliter cæteris excellentius, nisi Deus, qui est ens primum infinite perfectum, & infinite bonum: ideo nec est aliqua voluntas vltra diuinam, quæ perfecta rectitudine summe feratur in obiectum summè excellens: nec est aliquod obiectum vltra ens infinite bonum, quod summe moueat ad sui dilectionem.

Nulla voluntas præter diuinam, est perfecte recta.

Ex his igitur patet indifferentia, seu contingentia vnius voluntatis, & summa necessitas alterius. Voluntas enim, quæ infinitè recta non est, circa quodcumque obiectum contingenter operatur. Obiectum verò quod infinitè bonum non est, omnem voluntatem ad sui dilectionem contingenter mouet. Duo igitur requiruntur ad necessitatem liberæ operationis, seu productionis amoris: & scilicet, quod voluntas sit infinite recta, & etiam, quod obiectum sit infinitè bonum. Defectu primi, voluntas creata est contingens, & indifferens, & non necessario operans: quia non est infinitè recta: & ideo etiam Deum clarè visum, qui est infinitè bonus, non necessario hac necessitate, sed contingenter diligit, vt patet ex supra citata difficultate. Per oppositum diuina voluntas, etiam si sit infinitè recta, non necessario, sed contingenter diligit creaturas: quia ipsæ non habent rationem obiecti infinitè boni. Respectu ergo dilectionis ad intra, & productionis Spiritus Sancti, verùm quæ ad necessitatem requisitum habetur. Et quidem est voluntas infinitè recta, & obiectum infinitè bonum: & ideo Deus se diligit necessario, & necessario producit amorem suæ essentiæ, qui est Spiritus Sanctus. Et sicut ab intrinseco repugnat voluntati diuinæ non esse infinite rectam: & diuinæ essentiæ in ratione obiecti, non esse infinitè bonam:

33. *Voluntas creata est contingens & indifferens.*

Voluntas diuina ad intra necessario operatur ad extra contingenter.

ita ab intrinseco repugnat diuinæ voluntati non necessario producere Spiritum Sanctum: siquidem hæc necessitas à tali voluntate, & tali obiecto accipitur. Vndè sic concludit Scotus in Quodlibetis, quæst. 16. litera A. *Dico, quod in actu voluntatis diuinæ est necessitas simpliciter, & hoc tam in actu diligendi se, quam in actu spirandi amorem procedentem, scilicet, Spiritũ Sanctum*: Ex quibus satis concluditur ratio contingentiæ, & necessitatis, quæ libertati actioni, seu operationi conueniunt. Quæres tamen, qua necessitate necessario procedat Spiritus Sanctus, & Deus diligat essentiam suam: siquidem hæc necessitas naturalis non est?

§. 5.

Ostendetur, qua necessitate, & libertate Spiritus Sanctus procedat.

34. PRo cuius resolutione secundo est obseruandum, multiplicem assignari à Doctoribus necessitatẽ, sed prout ad præsens attinet, quatuor tantummodo necessitates ab Scoto habemus ibidem litera H. & litera N. expositas, quarum memini supra in difficultate 39. nu. 32. Alia enim est necessitas coactionis quæ (vt supra diximus) inquadam violentia consistit, qua cogitur voluntas ad eliciendum actum volitionis contra id, quod ipsa spontaneè eliceret, si suo beneplacito relinqueretur: & hæc necessitas opponitur libertati complacentiæ: sed benè cum libertate indifferentiæ saluatur: quia, vt dixi, voluntas coacta, voluntas est: licet enim cogatur ab extrinseco, intrinsecè tamen manet indifferens ad opposita. Secunda est necessitas immutabilitatis, quæ excludit posse oppositum succedere. Sic Beati necessario fruuntur Deo clarè viso: quia immutabiliter ratione perfectionis sui status diligunt illum, ita vt non possint de potentia ordinata, illum non diligere. Et hæc necessitas optimè compatitur cum libertate contradictionis, seu quoad exercitium, vt in citata difficultate notauimus. Excludit attamen libertatem contrarietatis, siquidem non est imaginabile aliquod obiectum, quod comparatum ad essentiam diuinam reddat voluntatem creatam indifferentem ad dilectionẽ istius, vel alterius. Tertia necessitas est ineuitabilitatis; quæ, scilicet, non solum excludit, posse oppositũ succedere, sed omnino excludit ipsam posse poni in esse: quia repugnat simul ex parte potentiæ, & ex parte obiecti: si voluntas diuina ineuitabiliter, & diligit essentiam, & producit Spiritum Sanctum: quia & repugnat voluntati infinitè rectæ, eo quod est infinitè recta, non diligere tale obiectum infinitè bonum, & non producere amorem illius: & repugnat obiecto infinitè bono non infinitè mouere volũtatem infinitè rectam ad dilectionem sui, & ad productionem sui amoris. Hac ergo necessitate n. cessario procedit Spiritus Sanctus: quæ necessitas excludit libertatem contradictionis, & contrarietatis, propterea que dicitur necessitas simpliciter: sed optimè cum libertate absoluta, & essentiali comparitur, vt nuper ostendimus. Quarta tandem est necessitas naturalis, quæ, scilicet, ab intrinseca ratione principij eo quod naturale est, prouenit esse determinatum ad vnum, modo exposito: hac necessitate intelligit intellectus, & ignis comburit, & cætera agentia naturalia necessario agunt: quæ etiam dicitur necessitas simpliciter, sicut præcedens. Hęc ergo necessitas est, quæ omnimodam libertatem excludit, & qua omnia agentia naturalia necessario agunt. Quia ergo Spiritus Sanctus non naturaliter, nec à principio naturali producitur: non hac necessitate procedit, nec prima aut secunda, sed tertia necessitate: & ideo libere libertate essentiali, & absoluta, & necessario necessitate ineuitabilitatis, non tamen naturali, procedit.

Quatuorne necessitates assignatæ ab Scoto, quarum tertia procedit Spiritus Sãctus.

Verum enim vero contra hoc vrget Scoti auctoritas in citata quæst. Quodlibetali, litera O. *§. de tertio principali*, vbi videtur concedere hanc necessitatem esse naturalem his verbis: *de tertio principali dicitur, quod in aliquo actu voluntatis diuinæ, scilicet, in actu spirandi Spiritum Sãctum, est aliquo modo necessitas naturalis.* Sed hoc facillime soluitur, aduertendo, Doctorem subtilem ibi loqui ex mente 35.

Henrici,

Henrici, vt ex notatione marginali satis apparet. Neque quidem iste est proprius modus assertionis ipsius: quando etenim ex mente propria loquitur, ait: *Dicendum ergo, seu ad quæstionem dico, vel dici potest, &c.* quando attamen sic loquitur, *ad quæstionem dicitur, vel de hoc dicitur, &c.* semper refert alienam sententiam. Hîc ergo refert sententiam Henrici: quam satis confutata, §. *contra istud*, vsque ad solutionem argumentorum: vbi præclare hæc fere omnia, quæ hîc sunt dicta, enucleat, & neutiquam hanc necessitatem, naturalem, aut quodammodo naturalem, vt dicebat Henricus, posse dici admittit. Vndè miror sapientissimum Patrem Rada, aliàs integerrimum Scoti defensorem, dixisse in citata controuersia 13. notabili 7. Scotum sentire cum D. Thom. Spiritum Sanctum produci naturaliter: cum nullibi (vt existimo) Scotus aliquam naturalitatem in tali productione admitat: & secundum ipsum idem prorsus sit produci naturaliter, quàm produci per modum naturæ: sicut idem est produci per modum voluntatis, quod produci liberè. Nam loco nupercitato litera S. loquendo de principio actiuo, naturali, & libero, & præsertim de intellectu, & voluntate, hæc inquit: *Sed vtrumque istorum per se acceptum, habet suum proprium modum principiandi: intellectus quidem per modum naturæ, vt de ad suum proprium actum comparatus natura est, &c. Voluntas autem semper habet suum modum causandi proprium, scilicet libere.* Vide ibi qualiter impugnat Henricum vocantem hanc necessitatem aliquo modo naturalem. Ex quibus satis cõpertum est optime compati libertatem essentialem cum necessitate ineuitabilitatis: & quidem voluntati, quantumuis necessario operanti, neutiquam posse conuenire agere naturaliter, seu per modum naturæ: sed semper vtcumque liberrimè agere.

Principiũ naturale, & liberum diuersũ habent operãdi modum.

36. Porrò est tertio obseruandum, libertatem eo maiorem esse, quo potentia est rectior circa obiectum excellens. Quia vt inquit, D. Anselmus de libero arbitrio cap. 1. *Qui sic habet, quod decet, & expedit, vt hoc amittere nequeat: liberior est, quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere.* Ex quo sit infert: *liberior igitur est voluntas, quæ à rectitudine declinare non potest.* Ex quo ostenditur, voluntatem diuinam ex eo, quod necessitate rectitudinis diligit essentiam suam, & producit amorem ipsius, longè liberiorem esse quacumque alia libertate. Quod confirmatur ex D. Augustino in Enchiridio necap. 14. dicente: *Liberius arbitrium esse quod omnino non potest seruire peccato.* Nõ solum ergo non minuitur libertas diuinæ voluntatis ex necessitate producendi, & operandi: verum maiorem libertatem inferunt huiusmodi necessariæ productio, & operatio: quia eo quod non potest cessare à libera productione, & dilectione, liberior est, quàm si quæpotest exercere, & non exercere huiusmodi actus libertatis. Si etenim libertas voluntatis consistit in hoc, quod est se ipsam actiuè determinare: & voluntas creata indiget directione intellectus rectificante ipsam, vt libere se ad actum volitionis determinet: voluntas diuina, quæ non indiget tali directione, sed ex se ipsa est infinitè recta, & ex se ipsa se ipsam determinat, longè perfectius sua vtitur libertate, quam voluntas creata: & necessitas ex tali infinita rectitudine proueniens, liberior est, & pleniorem infert libertatem, quàm contingentia, & indifferentia voluntatis creatæ: quæ vt se ipsam determinet, & sic se determinãdo liberè operetur, eget alterius potentiæ adminiculo, scilicet, intellectus directione, quæ ipsam rectificet.

D. Ansel.

D. Augus.

§. 6.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

37. His præhabitis, difficultatem cõcludendo, dico primo, quod Spiritus Sanctus procedit summè necessario necessitate ineuitabilitatis, quæ est necessitas simpliciter. Conclusio est Scoti expressa in Quodlibetis, quæstion. 16. litera A. & in hoc artic. quæ est Catholica, & communis. Illam probat Doctor ibidem sic: nam Deus necessario est Beatus: igitur necessario videt, & etiam diliget obiectum Beatificum: Similiter Spiritus Sanctus est

1. Conclus. Spiritus Sanctus summè necessario procedit necessitate simpliciter

est Deus: & per consequens summè necessarius in essendo: igitur cum accipiat esse procedendo, actus ille, quo procedit, est simpliciter necessarius. Veram que propositionem sic probat à priori: nam voluntas infinita ad obiectum perfectissimum se habet modo perfectissimo se habendi: voluntas diuina est huiusmodi: igitur ad summum diligibile se habet modo perfectissimo, quo possibile est aliquam voluntatem se habere ad ipsum. Sed hoc non esset nisi ipsum necessario, & actu adæquato diligeret, & etiam amorem eius adæquatum spiraret: quia si aliquod istorum deficeret, posset sine contradictione intelligi aliquam voluntatem perfectiori modo se habere ad obiectū: quia ille modus posset intelligi perfectior: & ille modus nō includit contradictionem: quia non est contradictio quod voluntas infinita habeat actum infinitum circa obiectum infinitum: & per consequens actum necessarium, etiam necessario: quia si posset non habere talem actum circa tale obiectum, posset carere summa perfectione. Hactenus Scotus. Qua ratione probat necessitatem dilectionis diuinæ respectu suæ essentiæ, & similiter necessitatem productionis Spiritus Sancti, & ideò addit sequentia verba. Similiter si amor adæquatus obiecti est spirabilis, vt credimus, maximè competit voluntati infinitæ esse principium spirandi illum.

38. Secundo probatur: quia produci nō necessario dicit imperfectionem in re, quæ producitur: dicit enim potentiam ad esse, & non esse: sed hoc repugnat cuilibet diuinæ personæ, quæ ex eo quod essentialiter est Deus, est ex consequenti ens simpliciter necessarium: ergo, &c.

39. Tertio, quoniam Spiritus Sanctus non minus est ens necessarium quàm, Verbum: quia non minus essentialiter est Deus, quam Verbum: ergo non minus necessario procedit Spiritus Sanctus, quàm Verbum (loquendo de necessitate excludente omnem contingentiam) sed Verbum diuinum procedit necessario necessitate simpliciter: ergo Spiritus Sanctus procedit necessario necessitate simpliciter. Quæ processio, quia per principium naturale non est, sicut processio Verbi: ideo, quatumuis simpliciter necessaria, non tamen est naturalis, vt infra patebit, sed necessitas inuitabilitatis.

40. Dico secundo, Spiritum Sanctum non procedere libere, libertate contradictionis, nec contrarietatis. Conclusio est Scoti ibi, quæ probatur, quoad primā partem: quia libertas contradictionis est indifferens ad actus contradictorios, vel inquam, ad actum, & negationem actus, nempè ad velle, & non velle: ergo si hac libertate Spiritus Sanctus procederet: posset procedere, & non procedere: quia posset voluntas illum producere, vel non producere: ergo contingenter procederet: ergo non esset ens simpliciter necessarium: ergo non esset formaliter Deus. Hæc tamen omnia sunt absurda, & contra fidem: ergo Spiritus Sanctus non procedit liberè libertate contradictionis. Secunda quoque pars conclusionis patet: quia libertas contrarietatis, vel est ad obiecta contrarie opposita, vel ad actus contrarie oppositos circa idem obiectum, vt supra notauimus. Sed diuina voluntas nec habet obiectū contrarium essentiæ: nec circa essentiam potest habere actus contrarie oppositos: non enim potest habere actum nolitionis, circa illam, vt constat: ergo, &c.

2. Conclus.

Spiritus Sanctus nō procedit libere libertate contradictionis, aut contrarietatis.

41. Dico tertio, Spiritum Sanctum non procedere per modum naturæ, nec naturaliter. Conclusio quoad primam partem est Scoti, & D. Thomæ: quoad secundam vero est Scoti contra D. Thomam, qui quamuis negauerit in Disputatis quæstion. 10. de potentia artic. 2. ad 4. Spiritum Sanctum procedere per modum naturæ, propterea que eius processionem generationem non esse: ait nihilominus naturaliter per volūtatem procedere. Probatur autem cōclusio quoad vtramque partem: quia quod per voluntatem formaliter procedit, nec per modum naturæ, nec naturaliter potest procedere: sed Spiritus Sanctus procedit formaliter per voluntatem Patris, & Filij: ergo nec per modum naturæ, nec naturaliter procedit. Maior quoad secundam partem, in qua difficultas est (nam de prima satis ostenditur supra indifficultate 49.) probatur: quia potentiæ voluntatis non potest competere esse principium naturale actiuum: ergo quod

3. Conclus.

Spiritus Sanctus nō procedit per modū naturæ.

per

per voluntatem procedit, non potest procedere naturaliter. Antecedens probatur: quia potentia naturalis, & potentia libera sunt oppositæ potentiæ: igitur eadem voluntas non potest esse potentia naturalis, & libera. Antecedens est Aristotelis 9. Metaph. textu 3. & 6. vbi adæquatè diuidit potentiam in naturalem, & liberam. Consequentia vero est manifesta: quia ex opposito idem distingueretur in se, & in oppositū sui. Quod argumentum confirmari potest: quia vnica potentia non potest habere duplicem modum operandi diuersum, & oppositum: sed agere libere, & naturaliter, sunt duo modi diuidentes potentiam actiuam immediatè oppositi: ergo voluntas non potest naturaliter, & liberè operari.

42. Dico quarto, compossibilem esse sūmam necessitatem cum summa libertate in eadem operatione, seu actione vnius voluntatis. Conclusio est Scoti, & probatur primo auctoritatibus Sanctorum Patrum. Nam D. Augustinus in Enchiridione cap. 62. ait: *Non enim voluntas est, aut libera dicenda est, qua sic volumus, vt non solum miseri esse nolimus, sed nec omnino esse possumus.* Ex quo (inferet Basolis) patet, quod necessitas stat cum libertate: vult enim dicere, quod voluntas ista, qua necessario quis vult beatitudinem, est libera: & hoc maximè in Deo qui summè necessario vult esse Beatus, & suam beatitudinem. Probatur ex eodem ibidem, his verbis: *Sic enim oportebat prius fieri hominem, vt & bene posset velle, & male: nec gratis, vel frustra si benè, nec impune vero si male: hoc est, in statu illo primo meretur, vel demeretur.* Et sequitur: *postea si erit, vt male velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato.* Et subdit idem D. Augustinus, quasi pro probatione dictorū: *Neque culpanda est voluntas, aut voluntas nō est, qua beati esse volumus, &c. Sicut enim anima nostra: nunc habet nolle infœlicitatè, ita nunc nolle iniquitatem semper habitura est.* Idem D. Augustinus 50. de ciuitate Dei cap. 4. ponit expresse libertatem, & necessitatem simul stare. Sed D. Anselmus loco supracitato, scilicet, de libero arbitrio, cap. 1. hoc expressis verbis ostendit, dum ait: *Qui sic habet quod dicet, & expedit, vt hæc amittere nequeat, liberior est quam si sic habet ipsum, vt possit perdere:* & infert ex dictis *liberior igitur est voluntas, quæ à rectitudine declinare non potest.*

4. Concluſ.

D. Auguſ.

Summa libertas cū ſumma neceſsitate in eadē actione compatitur.

D. Anſel.

Probatur item conclusio ratione ab Scoto in citata quæst. Quodlibetali litera K. nam voluntas diuina necessario vult, & diligit essentiam suam: & tamen in volendo eam est libera: ergo libertas stat cum summa necessitate, siquidem necessitas, qua voluntas diligit essentiam, summa est. Maior manet probata ex prima conclusione. Minorem vero probat Scotus: quia potentia operans circa vnum obiectum, non absolutè, sed in ordine ad illud, eadem est operatiua circa vtrumque obiectum (sicut arguit Philosophus in 2. de anima textu Commento. 146. quod illa potentia, qua cognoscimus differentiam vnius obiecti ab alio obiecto, ipsa nata est cognoscere vtrumque obiectum in se (sicut ipse arguit ibi de sensu communi,) sed voluntas ipsa diuina refert ad finem alia obiecta, quæ sunt volibilia propter finem: igitur ipsa voluntas sub eadem ratione potentiæ, est operatiua circa vtrumque: sed circa illud, quod est ad finem, scilicet, circa medium, libere operatur: quia contingenter vult illa: igitur ipsa voluntas sub ratione potentiæ liberè vult, & diligit finem earum. Talis autem finis est sua essentia infinite bona: ergo libere vult, & diligit suam essentiam, & bonitatem. 43.

44. Probat præterea Doctor eandem cōclusionem ratione à priori: quia actio circa finem vltimum, est actio perfectissima, & in tali actione libertas in agendo est maximæ perfectionis: ergo necessitas, quæ est in illa actione, non tollit perfectionem ipsius, sed magis ponit illam: ergo necessitas dilectionis diuinæ respectu essentiæ, quæ est vltimus finis, non tollit, aut minuit libertatem, quæ est maximæ perfectionis in ea.

45. Probat tandem: quia conditio intrinseca potentiæ, vel absolute, vel in ordine ad actum perfectum, non repugnat perfectioni ipsius in operando: atqui libertas, vel est conditio intrinseca volūtatis absolutè, vel in ordine ad actum volendi: igitur ipsa libertas potest stare cū conditione, seu perfectione possibili in operando: sed talis perfectio est necessita- specialiter, vbi ipsa est possibilis: &

ipsa

ipsa est semper possibilis, vbi neutrum extremum requirit contingentiam in operatione: in præsenti autem, nec ex parte potentiæ, nec ex parte obiecti, est contingentia aliqua in operatione dilectionis diuinæ: ergo ibi maximè compossibilis est necessitas cum libertate. Huiusmodi tres rationes prædictæ, quæ habentur, vt iacent, à Doctore loco citato, subtiliter probant conclusionem.

46. Dico quinto, Spiritum Sanctum procedere summe liberè libertate absoluta, & essentiali: etiam si summè necessa-
5. Concluſ. rio procedat. Conclusio est Scoti, cuius secunda pars satis constat ex prima conclusione: quoad vtramque vero etiam est D. Thomæ, qui in quæstionibus disputatis, quæst. 10. de potentia artic. 2. ad quartum, illam expresse tenet, quidquid Thomistæ oppositum ex eius mente meantur defendere. Hæc enim asserit
D. Thom. ibi: *Vndè voluntas liberè appetit fœlicitatem, licet necessario appetat illam. Sic autem, & Deus sua voluntate liberè amat se ipsum, licet de necessitate amet se ipsum, & necessarium sit, quod tantum amet se ipsum, quantum bonus est, sicut tantum intelligit se ipsum quantum est. Liberè ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter ex necessitate.*

47. Probatur conclusio ratione: quia illud, quod procedit, vt amor, procedit liberè: nihil enim liberius producitur, quam amor, nec est liberius, quàm amare. Sed Spiritus Sanctus producitur, vt amor secundum omnes Sanctos Patres: ergo procedit liberè.

48. Præterea: quia illud quod procedit, vt donum, procedit liberè: sed Spiritus Sanctus, secundum D. Augustinum, lib. 15. de Trinit. procedit vt donum: ergo procedit libere.

49. Tandem probatur: quia illud, quod non procedit per modum naturæ, procedit liberè: isti etenim sunt duo modi euacuandi omnem modum procedendi, vel principiandi, vt dictum est. Sed Spiritus Sanctus procedit non per modum naturæ, aut naturaliter, vt ostendimus supra conclusione tertia. Et etiam patet: quia tunc Spiritus Sanctus si per modum naturæ, seu naturaliter procederet, esset Filius, vel natus: quia in hoc solum distinguitur à filiatione eius processio, quod scilicet, non est per modum naturæ, nec naturaliter, sicut Filij generatio: ergo, &c. Quod confirmatur à Basole: quia Spiritus Sanctus procedit, vt nexus liberalis Patris, & Filij: talis autē nexus non nisi libere potest procedere: ergo.

§. 7.

Soluuntur argumenta primæ sententiæ.

AD argumenta igitur pro prima sententia, & ad primum Caietani, negatur non diuidi potentiā seu principium actiuum per naturale, & liberum. Nam vt Doctor ex Aristotele ostendit in citata quæstion. 16. Quodlibetali litera R. & S. hæc est diuisio, ita adæquata, vt quodcumque principium actiuum necessario sit naturale, vel liberum: atque ideo nequit vtrumque eidem facultati competere: & hoc non est sumi differentias potentiarum tantum ex vario modo operandi ipsarum, circa idem obiectum: sed ex earundem naturis, & quidditatibus. Quidditas enim principij naturalis, vt naturale est, præsertim consistit in operari determinate ad vnum, determinatione quadam: quia passiue determinatur ab auctore naturæ, prout supra, num. 26. ex posui. Quidditas vero principij liberi consistit in hoc, quod tale principium actiuè se ipsum determinet: non ergo diuersi modi operandi hæc principia diuidunt: sed ex diuersis earum naturis, diuersimode operandi proficiscuntur. Quod item non constituat libertas in cōtingentia, seu in indifferentia voluntaris, satis exposui supra num. 31.

50. *Ad argumenta pro 1. sentent. & ad 1.*

Ad illud autem, quod adducitur ibi de apprehensione, seu discursu intellectus, respondetur, paritatem rationis negando. Nam quod intellectus agat cum discursu, vel sine discursu simpliciter apprehendat obiectum, non sunt duo modi oppositi, sed intra latitudinem modi naturaliter operandi se habent: & ideo non extrahunt principium, vt potentiam intellectum, à ratione principij naturalis: & tale principium, vt naturale est, habet

51.

bet hunc duplicem modum naturaliter operandi, imò triplicem: quia scilicet, & simpliciter apprehendit simplicia: & componit seu diuidit ea: & tandem per discursum ratiocinatur ex eis. Hæc tamen triplex intellectus operatio intra ambitum naturalis operationis, & procedentis à principio naturali, continetur: atqui agere naturaliter, & agere liberè implicant eidem principio: sicut implicat eidem principio esse ab intrinseco determinatum, & non esse determinatum ad vnum: & ex consequenti extrahunt huiusmodi operandi voluntatem à ratione principij: ita quod liberè operari extrahit ipsam à ratione principij liberi: pugnantia igitur istius duplicis modi operandi, disparitatem argumenti euidenter concludit.

52. *Ad secundum.* Ad secundum Vazquij dico, spirationem non esse liberam: quia est sine coactione, & cum delectatione, neque quia est indifferens ad vtramque partem contradictionis, aut contrarietatis: quia omnimoda contingentia sibi repugnat, sicut sibi repugnat necessariam non esse: neque quia à suo principio intrinseco determinatur ad vnum ex apprehensione formæ: sed ideo est libera voluntas diuina in spirando: quia obiecto per intellectum sibi repræsentato, se ipsam actiuè determinat ad productionem amoris illius, vt supra exposui: hoc autem modo bruta non appetunt: quia non supponitur ad eius appetitum apprehensio per intellectum, quæ ad libertatem requiritur. Quamuis ergo in eis sit appetitiua potentia, est nihilominus talis potentia sensitiua: non enim habent potentiam appetitiuam rationalem, quæ est voluntas operans, præsupposita repræsentatione intellectus, sine qua nulla potest esse libertas. Nulli igitur potentiæ potest libertas competere, nisi voluntati: cuius rationem nõ aliam reddit Doctor, nisi quia hoc sibi conuenit ex sua natura. Vndè si ab eo quæramus, quare voluntati solum competit libere agere, non vero cuicumque alteri potentiæ? non aliter respondet Doctor, nisi quia hæc est hæc, & illa est illa.

Spiratio activa in Deo dicitur libera.

Bruta non appetunt libere.

53. *Ad tertiũ.* Ad tertium patet ex dictis, nulla ex triplici libertate ibi assignata Spiritum Sanctum procedere: sed libertate absoluta, & essentiali, quæ vltra tria membra diuidentia libertatem in argumento, datur in voluntate, vt patet ex conclusione 5.

54. *Ad quartũ.* Ad quartum respondeo, non requiri ad id, quod procedit per voluntatem, vt libera est, præcognosci ante sui productionem: sed bene requiritur, quod præcognoscatur obiectum, cuius sit amor per voluntatem productus. Aliud enim est prærequiri cognitionem amoris producendi: & aliud est præcognosci obiectum, cuius sit talis amor. Primum est à parte falsum communiter in productione amoris creati. Secundum verò est, ita verum, vt in vniuersum verum sit, quod nihil volitum, quin præcognitum: & ideo prius diuinus intellectus cognoscit essentiam, quàm voluntas producat amorem illius. An autem etiam amor diuinus cognoscatur ante sui productionem, nec ne? postulat resolutionem illius difficultatis, an Verbum procedat ex cognitione non solum essentiæ, sed etiam trium personarum (de qua infra sub distin. 27.) quia cum amor diuinus, qui est Spiritus Sanctus, procedat ex præcognitione eiusdẽ obiecti, ex cuius cognitione producitur Verbum: ideo si Verbum procedit ex cognitione diuini amoris, tunc diuinus amor procedit ex præcognitione sui ipsius. Sed quia ibi concluditur Verbum non procedere ex aliqua cognitione: quia intellectus Patris producit Verbum dicendo; non verò intelligendo, vt supra in difficultate propria patuit, & dato, quod intelligendo produceret, non produceret formaliter, nisi ex cognitione obiecti primarij: personæ autem diuinæ non ad primarium, sed ad secundarium obiectum pertineant; ideò, nec Verbum ex cognitione Spiritus Sancti, nisi tantum materialiter procedit, nec ipse Spiritus Sanctus ex præcognitione sui ipsius, formaliter posset procedere.

55. *Ad quintũ.* Ad quintum, dico non cognouisse Philosophum voluntatem aliquam ex necessitate agentem: quia non cognouit voluntatem diuinam necessariò producentem ad intra: hæc etenim solum necessario agit: omnis autem voluntas creata, eo quod contingenter agit, potest quodammodo dici à casu, hoc est,

non

non naturaliter agere: sed hoc non efficit veritati, qua credimus Spiritum Sanctum esse Deum, & ex consequenti ens necessarium, & necessario procedentem. Vel dic illam esse eandem diuisionem principij actiui, quæ sub diuersis nominibus habetur ab Aristotele locis citatis bimembris, per hoc quod sit liberum, vel naturale, seu secundum propositum, vel non propositum; & alijs nominibus, vt refert Doctor in sæpè citata quæst. Quodlibetali litera R.

Ad sextũ respondetur, prædictos Sanctos loquiibi de libertate arbitrij, quæ est indifferens ad agere, & non agere; nõ vero de libertate essentiali, & absoluta, quæ sine tali contingentia, seu indifferẽtia optimè reperitur, vt visum est supra, num. 31. (.?.) 56. Ad sextũ.

DISTINCTIO VNDECIMA.

Hîc dicendum est, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

De processione Spiritus Sancti, in ordine ad principium quod, suæ productionis.

CIRCA distinctionem vndecimam quæro duo, primo. Vtrùm Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio: circa quod quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrùm Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio.

¶ Secundò. Vtrùm, exordine diuinarum productionum inferatur idem principium productiuum amoris esse in Filio, quod est in Patre?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Spiritus Sanctus procedat, à Patre, & Filio?

A. AD primum sic proceditur. Videtur, quod Spiritus Sãctus non procedat à Patre, & Filio: quia Damasc. lib. 1. cap. 8. *inquit*, à Patre producentem, & in Filio quiescentem, Spiritum Sanctum dicimus. Item, cap. 11. Spiritum Sanctum dicimus ex Patre: ex Filio nõ dicimus. Item, in Epistola de Trisagio ad Iordanum Archimandritam, infine, Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus. Et subdit, Spiritus item per se subsistens est processio, atque emanatio, ex Patre quidem: Filij autem, aut non ex Filio, vt potè Spiritus oris Dei Verbum enuncians.

Secundo præterea, per rationem Græcorum, nihil tenendum est, vt articulus Fidei, nisi quod continetur in Euangelio, quod complete continet fidem, aut saltim in scriptura noui testamenti: sed non videtur expressum in nouo testamento, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio: ergo, &c. B.

Tertio præterea, dilectio in nobis non procedit à Verbo: quia notitia nõ habet causalitatem respectu volitionis: igitur similiter in prothotipo. C.

Quarto præterea, spiratio passiua est propria vni personæ in diuinis: igitur, & actiua. Probatio consequentiæ: vtra D.

que

que enim videtur æque perfecta, & æque non communicabilis.

E. Quintò præterea: voluntas ponitur tertia pars imaginis 15. de Trinit cap. vltimo: igitur non est principium producendi, sed productum.

F. Sed contra est: quia in symbolo Niceno, ex Patre Filioque procedit. Et Athanasius etiam in symbolo, Spiritus Sanctus à Patre, & Filio.

G. Respondeo dicendum, quod in ista quæstione dicuntur Græci discordare à Latinis, vt videntur auctoritates Damasceni sonare, sed de ista discordia dicit Linconiensis in notula quadam super finem Epistolæ de Trisagio, quod sententia Græcorum est, Spiritus Sanctus est Spiritus Filij: sed non procedens à Filio, sed à solo Patre, per Filium tamen: & videtur hæc sententia contraria nostræ: quia dicimus Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedentem. Sed forte si duo sapientes, vnus Græcus, & alter Latinus, vterque verus amator veritatis, & non propriæ dictionis, vnde propria est, de hac visa contrarietate disquirerent: pateret vtique tandem ipsam contrarietatem nõ esse veraciter realem, sicut est vocalis. Alioquin, vel ipsi Græci, vel nos Latini, sumus vere Hæretici. Sed quis audet hunc auctorem Ioannem, scilicet, Damascenum, & Beatos, scilicet, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nazianzenum, Cyrilum, & similes Patres Græcos arguere Hæreseos? Quis iterum argueret Hæreseos Beatum Hieronymum, Augustinum, & Ambrosium, Hilarium, & consimiles Latinos? Verosimile igitur est, quod non subest dictis verbis contrarijs cõtrariorum sanctorum sententia discors. Multipliciter enim dicitur, sicut hoc huius, sic hoc ex illo, vel ab illo: qua multiplicitate fortè intellecta, & distincta, pateret contrariorum verborum non discors sententia. Quidquid sit de eis, ex quo Ecclesia Catholica declarauit, hoc esse tenendum, sicut de substantia Fidei (sicut patet extra de sũma Trinitate, & Fide Catholica, c. firmiter) tenendum est, quod Spiritus Sanctus procedat ab vtroque. Adhoc est ratio talis: habens principium perfectum productiuum, prius quam intelligatur habere productum, potest illo principio producere quando, scilicet, principiũ est ita perfectũ, quod nõ dependet à passiuo, nec potest per aliquod impediri: sed Filius habet voluntatem, quæ est principium productiuum amoris adæquati, & habet eam, vt præintelligitur producto actu voluntatis: ergo potest ea producere: igitur, & eà produxit. Probo minorem: generatio, & spiratio habent aliquem ordinem inter se: ita quod aliquo modo generatio est prius spiratione: in illo priori communicatur genito omnis perfectio diuina, quæ ũbi non repugnat, & ita voluntas: ergo habet tũc volũtatẽ, vt priorẽ producto per actũ voluntatis: quia adhuc non intelligitur productio aliqua facta per modum, vel per actũ volũtatis. Concluſ.

H. Ad primum argumentum, *scilicet*, ad auctoritates Damas. videtur posse responderi per notulam illam Linconiensis, de qua dictum est: prima tamen auctoritas eius posset exponi, si loquatur de voluntate, & non de Spiritu Sancto: quia tunc posset dici, quod voluntas, quæ est principium spirandi, ipsa est à Patre in Filium: quia Pater communicat eam Filio, & quiescit in Filio: hoc est, non vlterius communicatur sua ratio principij fœcundi, licet eadem voluntas communicetur Spiritui Sancto in se. Sed litera Damasceni ibidem videtur loqui de persona Spiritus Sãcti, & non de voluntate, qua spiratur.

I. Ad secundũ, *nempè*, ad rationẽ illã de Euãgelio, dico, quod Christũ descendisse ad inferna, nõ docetur in Euangelio: & tamen tenendũ est, sicut articulus Fidei: quia ponitur in symbolo Apostolorũ: ita multa alia de Sacramẽtis Ecclesiæ nõ sũt expressa in Euãgelio: & tamẽ Ecclesia tenet illa esse tradita certitudi-

naliter ab Apostolis, & periculosũ esse errare: circa illa quæ nõ tãtũ ab Apostolis descẽdũt per scripta: sed etiã quæ cõsuetudine vniuersalis Ecclesiæ, tenenda sunt. Nec Christus in Euãgelio docuit omnia pertinẽtia ad dispẽsationẽ sacramẽtorũ: dixit enim discipulis suis Ioã. c. 16. adhuc habeo multa vobis dicere: sed non potestis portare modo: cũ autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Multa igitur docuit eos Spiritus Sanctus, quæ nõ sunt scripta in Euangelio: & illa multa quædam per consuetudinem traddiderũt. Similiter diuersa symbola diuersis temporibus sunt edita contra diuersas hæreses, de nouo orientes: quia quando insurgebat noua hæresis, necessarium erat declarare veritatem, contra quã erat illa hæresis: quæ veritas, & si prius erat de fide, non tamen erat prius tantum declarata, sicut tunc contra errorem illorum, qui eam negabant.

K. Ad tertium de verbo nostro dico, quod illud imperfectionis est in imagine creata: quia verbo non communicatur eadem natura cũ mente: & ideo nec libertas formaliter. Verbo autem diuino cõmunicatur natura Patris, & eadem voluntas cum Patre: & ideo habet eam, vt fœcundam respectu productionis Spiritus Sancti: quia intelligitur ordine originis præhabere illam, antequam Spiritus Sanctus spiretur.

L. Ad quartum dico, quod non sequitur: quia non potest natura diuina pluribus productionibus haberi in vna persona, sicut patebit insequenti quæst. quia vtraque productione haberet naturam, & neutra haberet: tamen vna persona potest pluribus productionibus cõmunicare naturã: & plures personæ possũt vna productione producere personam: & ideo si passiua sit tantũ in vno: non sequitur, quod etiam activa sit tantum in vno.

M. Ad quintum respondeo, quod dilectio vocatur voluntas: sed voluntas potentia pertinet ad parentem, licet non constituat parentem sed quasi aduenit, sicut secunda fœcunditas in Patre.

Expositio art. 1. quæst. 1. dist. 11.

ORthodoxæ Fidei veritas concluditur à Doctore in litera, quam & symbolis Fidei probat, & ratione confirmat, qua sæpissimè vtitur in hoc mysterio diuinarum processionum, nempè: *habens principium perfectum productiuum, prius quam intelligatur habere productum, potest illo principio producere, &c.* quæ ratio efficacissima est, & optime probat intentũ. Diuus autem Thomas 1. part. q. 36. art. 2. in corpore alia ratione hanc conclusionem probat, inquit namque: *Quod necesse est dicere Spiritum Sãctum à Filio esse: si enim non esset ab eo, nullo modo posset ab eo personaliter distingui*: & huius rationis aliam rationem reddit, sic dicens: *Non enim est possibile dicere, quod secundum aliquod absolutum diuinæ personæ ab inuicem distinguantur: quia sequeretur, quod non essent trium vna essentia.* Quam rationẽ magnopere ponderant, & exagerant Caietanus, & cæteri Thomistæ ibidem. Nihilominus tamen ratio prædicta non conuincit, nec probat veritatem conclusionis, sed assumit probandum, quod negat Scotus: quia vt infra patet in difficultate 72. etiam si Spiritus Sanctus non procederet à Filio: adhuc realiter personaliter distingueretur ab ipso: & non per absoluta, vt inferebat D. Thomas, sed per relationes: quia ad distinctionem personalem non oportet, relationes distinguentes esse oppõsitas: sed sufficit, quod disparatis relationibus distinguantur, de qua difficultate ibi. 1.

D. Thom.

Ratio igitur, qua Doctor conclusionem probat, efficacissima est, & optimè intentum sine dependentia resolutionis alterius difficultatis concludit. Item in textu est maxime ponderanda modestia Doctoris subtilis, qua Sanctos Patres, Latinos, & Græcos, reuerenter concordare laborat: & neutiquam contra alterutros labem aliquam hæreseos inferri permittit. Circa sententiam vero Græcorum in Epistola de Trisagio, relata in textu, quatenus dicitur, *Quod Spiritus Sanctus est Spiritus Filij; sed non procedens à Filio, sed à solo Patre per Filium*, potest dubitari, non circa conclusionem, qua fide firmissima tenendum est Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere: sed circa illud secundũ mẽbrũ prædictę sententiæ, vtrũ, scilicet, possit cõcedi, 2.

Spiritum

Spiritum Sanctum esse procedentem à Patre per Filium: de quo D. Thomas in titulat tertium prælegatæ quæstionis articulum, quem resoluit incorpore dicendo: *Quod quia Filius habet à Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, potest dici, quod Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium, quod idem est.*

3. Quod ibi explicat prænotando, quot modis vsurpatur præpositio *per*, vt ibi patet. Sed clarius solutione ad primum aduertit, quod in qualibet actione duo

In actione duo considerantur, & suppositum agens, & virtus, qua agit.

considerandasunt, videlicet, suppositum agens, & virtus, qua agit, sicut ignis calore calefacit. Vndè si in Patre, & Filio consideretur virtus, qua spirant Spiritum Sanctum, non cadit ibi aliquod medium: quia hæc virtus est vna, & eadem: & ideo nō potest dici, quod Filius per virtutem Patris, nec Pater per virtutem Filij, spirat Spiritum Sanctum. Si autem considerentur ipsæ personæ spirantes: sic cum Spiritus Sanctus communiter procedat à Patre, & Filio, tanquā ab vno communi spiratore: inuenitur nihilominus Spiritum Sanctum immediate à Patre procedere, in quantum est ab eo, & immediatè, in quantum est à Filio, ab eo procedere: & sic dicitur procedere à Patre per Filium. Quæ Diui Thomę expositio non aduersatur eis, quæ habentur à Doctore in textu. Doctor etenim ibi refert illam relatam Græcorum sententiam, quæ duas partes continebat: affirmabat namque, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere: & procedere per Filium. Priorem ergo partem tanquam hæreticam, & symbolo Fidei oppositam, Doctor damnauit: quia Spiritus Sanctus non minus à Filio, quam à Patre procedit. Secundam vero, quæ cō patitur cum hoc, quod est Spiritum Sanctum à Filio, & Patre procedere, non negauit. Obidquè optimè sustineri potest, salua fide, Spiritum Sanctum à Patre, Filioquè procedere: atque etiā procedere à Patre per Filiū modo exposito.

Pater producit Spiritum Sanctū per Filiū, quo modo sit verum.

4. Quod autem in solutione ad secundum inquit textus de pluribus Fidei ad salutem necessarijs, quæ non habentur explicitè in Euangelio, planè habetur expositū supra in diffic. propria, vbi vidimus multa vltra ea, quæ sunt in vtroque testamento expressa, nobis tamen esse necessaria ad salutem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ex ordine diuinarum productionum inferatur, idem principium productiuum amoris esse in Filio, quod est in Patre?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod ex ordine diuinarum productionū non inferatur idem principium productiuum amoris esse in Filio, quod est in Patre: quia probant alij istum ordinem productionis ad productionē, per hoc, ꝙ sicut se habet intelligere ad velle, ita intelligere ad spirare. *Enriq. q. 1. Quod. 6.*

Ista autem probatio videtur deficere. Velle enim præsuponit intelligere: quia per illud intelligere obiectū illud, circa quod dicitur esse dilectio, est sufficiēter præsens, & absq; illa intellectione nō esset sufficienter præsens voluntati, vt posset velle: sed per actū dicendi non est præsens volūtati præcisè obiectū, cuius amor spiratur: quia si Pater volūtatę spirat: in eo tamen non habetur obiectū præsens formaliter per notitiā genitā: quia nihil nouit notitia genita, vt dicit Aug. 13. de Trin. sed intellectione sibi ingenita habet obiectū sibi præsens: & ista est notitia, quæ præsupponitur actui spirandi: ergo nō est similis necessitas, quod generatio præsupponatur spirationi, sicut quod intellectio præsuponatur volitioni.

Sed cōtra est: quia generatio, & spiratio habent aliquē ordinē inter se: ita quod generatio est prius spiratione (*vt dictū est. art. 1.*) in illo *autē* priori cōmunicatur genito omnis perfectio diuina; quę sibi nō repugnat, & ita volūtas: ergo *existo ordine* habet genit⁹ tūc volūtatē, vt priorē producto per actū volūtatis.

Respōdeo dicendū, quod licet assū ptū etiā de ordine istarū productionū, videatur esse manifestū, ex ordine potētiarū: probatur tamē per hoc, ꝙ quando duo actus primi habent ordinē in aliquo: si vterq; sit perfecte actiuus, habent etiam consimilē ordinē in elicien do suos actus. Addidi autem perfecte

actiuus, ad excludendam formam ſubſtantialem, & qualitatem in corruptibilibus: vbi licet forma ſubſtantialis ſit actiua, & qualitas ſimiliter, & forma ſubſtantialis ſit prior qualitate: tamen qualitas habet actum ſuum prius: ſed hoc eſt ex perfectione actiuitatis formæ ſubſtãtialis: in Patre autem intellectus, & voluntas ſunt perfecte principia actiua, & habent ordinem quendam: quia fœcunditas intellectus conſtituit ipſum Patrem; non autem fœcunditas voluntatis: ergo iſta fœcunditas intellectus aliquo modo prius habebit actũ ſuum, quàm fœcunditas voluntatis actum ſuum: ſicut enim in quantum *intellectus, & voluntas*, ſunt potentiæ operatiuę, eſt aliquis ordo inter operationes earum: ita in quantum ſunt potentiæ productiuę, eſt aliquis ordo productionis earum: licet non ſit ordo neceſſitatis, propter præſentiam obiecti talem habendam formaliter per notitiã genitam. Exemplum huius eſt: ſi in igne calor, & ſiccitas ſint cauſæ, vel potẽtiæ actiuæ, natæ tamen ordinate elicere actus ſuos: ità quod ſiccitas non poſſit deſsicare, niſi calor prius calefaciat: iſta neceſsitas ordinis non eſt, quia per calefactionẽ fit obiectũ deſsicabile præſens ſicco, vt deſsicet: ſed propter naturã iſtarũ potẽtiarũ actiuarũ. Et ſi in iſto priori, in quo calidum calore calefacit, communicaret calefacto, vel produceret in calefacto nõ tantũ calorẽ, ſed etiã ſiccitatẽ, quã habuit calefactũ: eadẽ ſiccitate deſsicaret cũ calefaciente: quia in illo inſtanti naturæ, in quo eſt deſsicatio, vna ſiccitas eſt in calefaciente, & calefacto. Ità intelligendũ eſt hîc, quod in illo ſigno originis, in quo Pater producit actũ voluntatis, principiũ productiuũ, idem eſt in Patre, & Filio: & ideo Filius eadem productione producit Spiritum Sanctum cum Patre.

Concluſio.

E. Ad argumentũ, cõcedo, quod inſtãtia bene probat, quod non eſt ſimilis neceſsitas, ſed inter intellectionẽ, & volitionẽ eſt ordo propter duo, vnũ eſt propter præſentiam dictam, aliud eſt propter iſtarũ potentiarum ordinẽ in operando: quia iſtæ potentiæ tales ſunt, quarum vna eſt naturaliter ordinata prius operari, quãalia. Primarationõ eſt ratio prioritatis generationis ad ſpirationẽ: ſed ſecunda, *vt patet*, in corpore articuli.

Expoſitio art.2.q.1.diſtinct.11.

CLara eſt litera huius articuli, in qua (ſuppoſito expræcedẽte, Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere) inueſtigatur, an prædicta veritas, atque idem principiũ ſpirandi eſſe in vtroq; poſsit deduci ex ordine ipſarum productionũ? Cuius articuli cõcluſionẽ affirmatiuam tenet Doctor: ſed illam probat aliter, quàm Henricus Quodliber. 6.q.1. qui id probat ex eo, quod ſicut ſe habet intelligere ad velle, ſic ad ſpirare. Scotus vero licet concedat ordinẽ inter intelligere, & velle: ita quod intelligere neceſſario præſupponitur ad velle: quia per intelligere fit obiectũ volibile præſens voluntari: non tamen hoc idem cõcedit eodẽ modo inter producere Verbum, & ſpirare: quia Pater nõ intelligit Verbo producto: ſed notitia ingenita, & eſsẽtiali: & ideo obiectũ volibile non fit præſens volũtati per productionem Verbi. Vndè probat Doctor ibi litera B. (cuius eſt illa inſtantia) contra Henricũ, non ita ſe habere intelligere ad velle, ſicut dicere, & ſpirare: ſed bene probat concluſionẽ ex ordine quẽ habẽt inter ſe generare, & ſpirare: qui eſt diuerſus ab eo, quem habent ad intelligere. 1.

Dicere, & ſpirare in Deo, non ſe habent, ſicut intelligere, & velle.

Et cõcludit in corpore articuli, quod licet ibi nõ ſit ordo neceſsitatis propter præſentiã obiecti talẽ habendã formaliter per notitiam genitã: nihilominus, in quantũ intellectus, & volũtas ſunt potẽtiæ productiuæ, eſt aliquis ordo productionũ earũ. Exẽplũ ibi poſitũ de calore, & ſiccitate illuſtrat intentũ. Tandẽ litera F. concedit Doctor inſtantiã à ſe ſupra poſitã contra Henricũ: ſed illã diſtinguit dicens, quod inter intellectionẽ, & volitionẽ, eſt ordo propter duo, videlicet, propter præſentiã obiectiv olibilis: quia per intellectionẽ fit præſens volũtati, & etiã propter ordinẽ, quo vna potẽtia eſt nata priꝰ operari, ſeu producere, quã altera. 2.

Henrici.

ARTI-

QVAESTIO SECVNDA

De distinctione Spiritus Sancti à Filio, data hypothesi, quod ab illo non procederet.

SEcundo quæro. Vtrùm, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, posset stare distinctio realis ipsius à Filio, circa quod quæruntur duo?

¶ Primò. Vtrùm, ita repugnet Spiritum Sanctum à Filio non procedere: vt nullo modo possit sub hypothesi quæri, an si à Filio procederet, hoc, vel illud sequeretur?

¶ Secundò. Vtrùm admissa hypothesi, quod Spiritus Sanctus nō procederet à Filio, realiter distingueretur ab illo?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm, ita repugnet Spiritum Sanctum à Filio non procedere, vt nullo modo possit sub hypothesi quæri, an si à Filio non procederet, hoc, vel illud sequeretur?

A. AD primum sic proceditur. Videtur, quod ita repugnat, Spiritum Sanctum à Filio nō procedere, vt nullo modo possit sub hypothesi quæri, an si à Filio non procederet, hoc, vel illud sequeretur: quia positio includens incōpossibilia, nō potest poni, nec substineri: quia in ea statim includitur redargutio, & est incōueniens vltimū, ad quod potest respondens deduci: tali enim positione posita, nulla regula disputationis potest saluari, scilicet, cōcedendo sequens, & negādo repugnans: quia statim oportet concedere repugnantia, quæ includuntur in posito.

B. Quod autē istud positū, quod ponitur, sit tale, probatur: quia summo necessario repugnat summū impossibile: quidquid est in Deo ad intra, est summe necessariū: ergo repugnans sibi est summe impossibile: ergo positio supponens Spiritū Sanctū nō procedere à Filio, est summe impossibilis: quia oppositū est summe necessariū, scilicet, ipsum procedere à Filio: & impossibile inclūdens incōpossibilia, videtur esse magis impossibile, quā impossibile talia nō includens: ergo, &c.

C. Sed cōtra est, quod Aug. 5. de Trin. c. 6. vel 13. *ait*, si Pater non esset innascibilis, nihil prohiberet eū genuisse Filiū: & tamen ista positione concomitanter includit incōpossibilia, scilicet, quod Pater nō sit innascibilis. Et Ricar. 3. de Trin. c. 16. si sola vna persona in diuinitate esset, nihil prohiberet eā habere plenitudinē sapiētiæ, vel intellectus, cū tamen cōcomitanter ad plenitudinē sapientiæ, vel intellectus sequatur pluralitas personarum.

D. Respondeo dicendū, quod hīc dicitur, quod quæstio nulla *est propter argumētū positū in principio art.* Sed cōtra istā positionē est hoc, quod ista positio videtur esse fuga quæstionis: mouetur enim quæstio, vt inquiratur quid sit principiū distinctiuū reale Filij, à Spiritu Sācto: Vtrū Filiatio, an sola spiratio actiua? quia si Filiatio: igitur per quod-cūq; incōpossibile, circunscripta spiratione actiua, adhuc remanebit ratio distinguēdi. Itē si aliquid essētialiter inclusum in aliquo ponatur remoueri ab eo, quod tamē nō sit ratio inhærentiæ prædicati, bene potest quęri, an isto, vel illo circūscripto, insit tale prędicatū, vel nō, etiā quantūcūq; positū includat cōtradictoria. Nō tamen huic proposito repugnat, quando altera pars huius quæstionis sit determinate dāda, puta, si circūscribatur ab homine animalitas (quod tamen includit incōpossibilia) & quæratur, vtrū, hoc circunscripto, possit homo distingui ab asino? videt determinate posse respōderi, quod sic: quia nō per animalitatē cōueniebat homini sic distingui, sed per rationalitatē: igitur licet spiratio actiua esset de ratione Filij: adhuc tamē, ipsa circūscripta, quęri potest, vtrū Filius distinguatur à Spiritu Sācto, vel nō? quia nō quęritur, nisi vtrū prædicatū circūscriptū fuit pręcise cau-

Opinio Gofredi quod lib. 7. q. 4.

si distinctionis, vel aliud prædicatum non circunscriptum. Præterea, aliud est ponere aliquid, & illo posito, vlterius quærere de aliquo proposito: & aliud est quærere de veritate alicuius conditionalis: quia quærere de aliquo conditionali, ad nihil obligat: & si igitur aliquam probabilitatem haberet opinio, dicendo: posito, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, &c. nullam tamen probabilitatem habet, quãdo quæstio sic est proposita, sicut eam proposui. Vtrum, si Spiritus Sanctus, non procederet a Filio posset stare distinctio realis ipsius à Filio: ibi enim quæro de conditionali quadam, scilicet, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, an sequatur essentialiter ipsum non distingui ab eo: ita quod oppositũ cõsequentis, non possit istare cum antecedente, loquẽdo de formali intellectu eorum. Contra istam opinionem etiam sunt multæ auctoritates, vna Augustin. *& alia Ricardi, quæ posita sunt, §. sed contra.* Item, etiam Philosophus 4. tex. cõ. 58. Physicorũ arguit posito, quod esset aliquod spatiũ, & nõ haberet corpus sensibile, sed tonũ vel colorẽ, quærit? Vtrũ esset vacuum, & respondet, quod si natum esset recipere corpus, esset vacuum sinon, nõ: ergo tali posita positione, quæ tamen per ipsum ponit in compossibilia: quia accidens vtsonum, & colorem esse sine subiecto potest quæri de aliquo, an sequatur, scilicet, intelligendo de naturali cõsequentia: quia etsi positum includat incompossibilia, non tamen omnia incompossibilia naturali consequentia. Sed ad ipsum patet, sequi aliquod contradictorium naturali cõsequentia, & aliquod aliud nullo modo, nisi sicut ad impossibile, quod licet: ideoq; respondeo admittendo quæstionem.

Conclusio.

E. Ad argumentũ *dico, quod* licet positio, quæ statim ex intellectu suo includit cõtradictoria, nõ possit admitti, tamẽ illa, quæ ex intellectu suo tãtũ vnũ contradictoriũ includit, & aliud nõ, ni si per cõsequentiã accidentalẽ, vel per locos intrinsecos, bene videtur perse admitti: quia tali positione posita, possunt stare neri regulæ disputationis: potest enim cõcedi sequens cõsequentia essentiali, & negari repugnans. Si autẽ inferatur aliud repugnans sequens per locũ extrinsecũ, vel cõsequentia accidẽtali, negandũ est illud sequi: quia proposito illa, per quã talis cõsequẽtia teneret, destrueretur ex positione: nunc autẽ spiratio actiua nõ esset de perse intellectũ Filij, vt persona est, sed quasi passio cõmunis Patri, & Filio: igitur circũscripta illa, ponendo Filiũ in esse Filij, nõ ponuntur cõtradictoria ex primo intellectu posita, sed tantũ alterũ, scilicet, quod Filius sit Filius, & reliquũ non, nisi ex cõsequentia accidentali, & per locũ extrinsecũ, ex remotione quasi passionis, remouẽdo quasi passionis subiectũ: igitur ista positio nõ sic includit opposita, quin possit admitti.

Expositio art. 1. q. 2. dist. 11.

METaphisicã difficultatẽ examinat Doctor, ante quã ad Theologicã maximè capitalem perueniat. Potius etenim Metaphisicũ, quam Theologicũ est, conditiones impossibiliũ ex hypothesi ventilare. Exemplum Philosophi adductum in textu, hoc satis confirmat. Quæritur igitur, in præsentiarum liceat, hanc difficultatẽ discutere, vtrum scilicet, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, realiter distingueretur ab ipso? Quæstionem ergo Theologicam conditionalem sequens articulus disputabit: an autẽ hæc hypothesis, disputandi gratia, debeat, aut possit admitti, hic primus pertractat. Difficultatẽ igitur istam de medio tollit Gofredus Quodlibet. 7. q. 4. quod probat argumẽto posito in principio articuli: sed illud facillimè impugnat, & reijcit Doctor: quia latè auctoritate, & ratione probat in scholis deberi admitti. Illã in terminis disputat D. Tho. 1. p. q. 36. art. 2. Caietanus ibidẽ, & communiter omnes Doctores, de qua plura docet Doctor in textu, quæ quia clarè habẽtur ibi, expositione non egent.

Gofredus.

D. Thom. Caietanus.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm admissa hypothesi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab ipso?

A. AD secundum sic proceditur. Videtur, quod admissa hypothesi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo: quia secundum Boetium, de Trinitat. essentia cõtinet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem: ergo nulla persona distinguitur ab alia, nisi quæ refertur relatiuè ad illã: sed si Spirit⁹ Sãct⁹ nõ procederet a Filio, nõ posset stare distinctio realis ad ipsũ: quia nõ refertur ad ipsũ igit, &c.

lib.1.c.22.

B. Secundò præterea, August.2.de ciuitate Dei cap.10. sed ideo simplex dicitur (supple Deus) quoniã, quod habet hoc est, excepto, quod relatiuè quæ quam persona ad alteram dicitur, sicut Pater habet Filium, & non est Filius: Spiritus Sanctus igitur si non procederet a Filio, esset Filius: quia tunc nõ relatiuè diceretur ad Deum.

C. Tertiò præterea, vna ratio est ista, relatio in diuinis aut distinguit, secundum quidditatem, aut secundum esse: non secundum esse: quia sic transit in essentiam: igitur secundum quidditatem, sed secundũ quidditatẽ tantũ respicit oppositũ: igitur tantum distingui ab opposito: sed posita illa hypothesi non essent in Filio, & Spiritu Sancto relationes oppositæ: ergo, &c.

D. Quartò præterea, & est secunda ratio talis: si relationes disparatæ possent sufficienter distinguere personas: ergo cum tales duæ sint in Patre, vt generatio actiua, & spiratio actiua, Pater, esset duæ personæ. Confirmatur ratio: quia tantam distinctionem videtur habere istæ relationes spiratio actiua, & generatio actiua, quantam habent eorum relatiua, vel correlatiua: igitur ita possunt hæc distinguere, sicut illa.

E. Quintó præterea, auctoritas adducitur Anselm. lib. suo de processione Spiritu Sãcti. Sed quia ipsum adducit vterque prose, & sit altercatio magna de intẽtione eius, quæ fuerit? ideo hîc nolo multũ circa intẽtionẽ eius immorari.

F. Sed contra est Aug. 5 de Trinit. c.14. vel 32. *vbi ait*, apparet, quod Spiritus Sãctus non est Filius, & si exeat a Patre: quia exijt non quomodo natus, sed quomodo datus.

G. Respondeo dicendũ, quod admitendo quęstionẽ, vna est opinio, quæ dicit, quod si nõ procederet ab eo, nullo modo distingueretur ab eo, & habet prose duas rationes, & auctoritatẽ: *Quæ ponũtur pro tertio, quarto, & quinto argumẽtis.* Contra istã *tamen* opinionẽ sunt rationes, quæ sumuntur ex duobus medijs. Primũ mediũ est ex ratione formali cõstitutiui. Secundũ mediũ est ex distinctione emanationũ. Ex primo horum arguitur: quia quocũq; formaliter aliquid constituitur in esse, eodẽ distinguitur: quia eodẽ est aliquid ens, & vnũ vnitate conueniente tali entitati: & si vnũ: igitur in se est indistinctũ, & ab alijs distinctũ: sed Filius constituitur in esse personali Filiatione: ergo & ea formaliter distinguitur ab omni alia persona: igitur per impossibile, vel incõpossibile, circunscripto quocũq; alio, & maximè posteriori Filiatione, remanebit Filius Filiatione distinctus personaliter a quacũque persona. Assumptũ patet: Filius non cõstituitur in esse personali spiratione actiua: quia est communis Patri, & Filio: & non sunt in eo proprietates positiuæ aliæ, quã generatio, passio, & spiratio, actio: ergo, &c. Respõdetur *tamẽ ab auctoribus oppositæ sentẽtiæ*: quod formali constitutiuo nõ distinguitur aliquid a quocũq;; sed tantũ ab illis, cũ quibus maximè conuenit, & à quibus nõ distinguitur aliquo alio, nisi illo formali cõstitutiuo. Exẽplũ: homo realitate non distinguitur a lapide: sed ab speciebus animalis, cũ quibus cõuenit maximè, & a quibus in paucissimis videtur distingui: a lapide enim distinguitur animalitate, quæ nõ est formale cõstitutiuũ ens: quia lapis est inanimat⁹:

Opinio hæc est D.Tho. 1.p. q.36. art.12. Egidij, Quodl. 1: q.16.

Solutio.

ita dicitur in proposito, quod Filius cum Patre conuenit in spiratione actiua, & in hac distinguitur à Spiritu Sancto: proprie autem suo formali, scilicet, Filiatione distinguitur à Patre, cum quo maximè conuenit: quare, &c.

Impugna. Contra istud, & primo, quia quodliber habens aliquod esse distinguitur distinctione conueniente illi esse, a quocunque alio per aliquod, quod est de ratione eius, in quantum habet tale esse: Filius igitur personaliter distinguitur per aliquid, quod est de ratione eius, in quantum est persona, spiratio actiua non est de ratione eius, in quantum persona: sed Filio iam posito est quasi proprietas aduentitia. Ex hoc patet, quod exemplum ad ductum non est ad propositum: quia etsi homo distinguitur à lapide, non per rationale primo: distinguitur tamen per aliquod, quod est de essentia sua: ita quod inconueniens esset, ipsum per nihil, quod est de essentia sua à lapide distingui, scilicet, tantum per risibilitatem: ita est ergo in proposito. Ex hoc etiam patet, quod exemplum includit propositum: homo enim non distinguitur essentialiter à lapide, in quantum animal, si animal non esset de essentia eius, quod tamen est, licet non sit vltimum constitutiuum eius: sic autem arguitur in proposito, quod cumque distinguitur ab alio perse, in quantum tale, distinguitur per aliquid, quod est perse de ratione eius, in quantum tale: Filius perse distinguitur à non Filio: igitur per aliquid, quod est de essentia eius: sed hoc non est vis spiratiua: consequitur enim proprietatem constitutiuam eius: ergo, &c.

H. Secundo sic, per formale constitutiuum distinguitur constitutum ab omni alio, etiam si per impossibile, quodcumque aliud ab illo circunscribatur: quia per illud distinguitur primo, ideſt, adæquate ab omni non tali: sed quodcumque non habens illam formam constitutiuam, est non tale: igitur licet homo non tantum per rationale distinguatur à lapide, sed etiam per animatum: per illa distinguitur ab omni alio non habente aliâ. Ista ratio declaratur: quia malitatè, non etiã primo distinguitur per rationalitatem, ideſt, non adæquate: quia tunc quodliber distinctũ à lapide esset rationale: sed odæquate in genere corporis primo distinguitur à lapide per animatum: tamen circunscribendo per intellectum ab homine quodcũque aliud a rationali: per illud solum distingueretur essentialiter à quocunque non rationali, & ita à lapide, qui non est rationalis: non igitur tãtum illud distinguitur realiter, quod distinguit adæquate: sed etiam illud, quod solũ poneretur si esset incõpossibile illi, a quo distinguitur. Confirmatur ista ratio principalis sumpta ex proprio constituriuo, quia si Pater esset impossibile non spiraret, sed Filius: adhuc tamen Pater Paternitate distingueretur a Filio, & Spiritu Sancto: sicut Paternitate constituitur in esse personali.

Ex secundo medio, scilicet, ex distinctione emanationũ, arguitur sic: generatio distinguitur à spiratione: & hoc per impossibile circunscripto omni alio a ratione generationis, & spirationis, aut saltem circunscripto hoc, quod spiratio actiua esset a Filio: dum tamẽ staret distinctio principiorum generandi, & spirandi: ergo & quolibet tali circunscripto staret distinctio Filij, & Spiritus Sancti. Probatur consequentia: quia impossibile est, vnam personam duabus productionibus toralibus accipere esse: nulla enim productione aliquid accipit esse. quapropter impossibile circunscripta, non minus acciperet esse: sed si productione hac, & illa acciperet aliquid esse, & vtraque complete: quia vtraque esset perfecta: igitur vtraque circunscripta, haberet esse pro altera complete: & sic neutra, & vtraque acciperet esse.

Ad istam rationem ponuntur aliquæ responsiones ad antecedens. Et quia

quia de hoc tractabitur distinct. 13 modo non insisto: conclusiones tamen istarum rationum concedo, & magis patebit propositum, declarata illa distinctione emanationum. Pro hac conclusione, quod Spiritus Sanctus distinguitur a Filio, & si non procederet ab eo, nota auctoritatem expressam Beati Anselmi lib. de processione Spiritus Sancti, capit. 1. in fine, vbi dicit, sicut Filius est, vt interim aliam causam dicã: quoniam nondum constat, quod Spiritus Sanctus sic de illo procedat: ideo non Spiritus Sanctus est, nec Spiritus Sanctus est Filius: quia Filius nascendo habet esse de Patre: Spiritus Sanctus vero non nascendo, sed procedendo.

L. Ad primum argumentum, *nempè*, ad auctoritatem Boetij, concedo, quod relatio multiplicat Trinitatem; & tamen non tantum distinguit a relatione opposita: sed aqualibet relatione disparata, cui formaliter non est idem: quia sicut in genere qualitatis, albedo non tantum distinguitur ab altera qualitate contraria; sed etiam ab omni alia disparata: quia non est albedo dulcedo formaliter, nec odor: & si aliqua disparata esset incompossibilis alteri disparatæ in eodem supposito; non tantum distingueretur natura a natura, sed etiam requireretur distinctio suppositorum: ita aliqua relatio disparata ab alia relatione disparata distinguitur, absque aliqua alia incompossibilitate: aliquæ autem non habent tantum distinctionem in eodem suppositio, quales sunt relationes disparatæ accipiendi naturam: quia persona, quæ disparatis modis accipit naturam, non vnico modo haberet naturam.

M. Ad secundum ex Augustin. de ciuitate Dei dico, quod quælibet persona, hoc est, quod habet, nisi quod relatiuũ habet correlatiuum, & nõ est illud: posita autem illa hypothesi, Spiritus Sanctus non haberet Filium, vt correlatiuum, & spirantem. Et ideo non sequitur, quod Spiritus Sanctus est Filius: quia non haberet Filium, nec sicut intrinsece, nec sicut correlatiuum originans. Excipit autẽ Augustin. quod illud, quod habetur, non est habens, quando habetur vt correlatiuum: non igitur accipit Augustin. nisi quod habetur, vel eo modo, quo dicitur Filius habere diuinitatem, vel quomodo dicitur habere Patrem. Primus modus est, habẽdo formaliter, vel essentialiter. Secundus modus est, habendo correlatiue, vel originaliter.

N. Ad tertium dico, quod tam secundum quidditatem, quàm secundum esse, manet ibi relatio: quocumque enim modo manet secundum quidditatem, manet secũdum eius esse: quod est esse ad aliud: quia intelligendo relationem, sine esse ad aliud, non intelligitur relatio, sed absolutum: quia secũdum Augustin. 7. de Trinitate, cap 1. vel 9. si est ad aliud, non est substantia, etsi est substantia, sinè ad se, iam non est relatio: quocumque etiam modo transit esse, transit & quidditas: quia sicut esse ad aliud, quod est esse relationis, verè est idem essentiæ: ita & quidditas relationis est idem essentiæ: nihil enim est ibi, quod non est idem. Manet igitur, & quidditas & esse: quia relatio nõ est formaliter essentia diuina: quia sicut dicit Augustin. 7. de Trinitate, cap. 2. vel 12. non eo Verbum, quo sapientia: transit autem vtrumque: quia cũ hoc, quod non est formaliter idem, est verè idem, sicut sæpè dictum est. Cũ igitur dicis, aut distinguitur secundum esse, aut secũdum quidditatem? Dico quod secundum quidditatem, & secundum esse ad aliud. Et cum dicis, sic transit: ergo non sic distinguit: Cõsequentia nõ valet: quia transit secundum identitatem, & manet secundum formalitatẽ, & quia non oportet veram identitatem esse formalem: quia formalis ratio huius transeuntis non est formaliter ratio illius essentiæ, in quã transit; ideo huic rationi formali competit: quod est huic proprium. Est autem ei

proprium distingui realiter ab omni relatione tam opposita, quàm disparata ei incompossibili: & ideo cũ hoc, quod vere transit, vere manet, quantum sufficit ad distinctionem realem, tam ab opposita relatione, quàm etiam a relatione disparata sibi incompossibili.

O. Ad quartum cũ dicitur, de duobus proprietatibus in Patre: respondetur est distinct. 2. quæst. 2. non enim oportet tantam esse distinctionem, vel incompossibilitatem productionum actiuarum, quantam est productionum passiuarum: quia impossibile est idem duabus productionibus oppositis produci, & accipere esse: non autem est in cõ possibile, idem duabus productionibus actiuis communicare esse distinctis personis.

P. Ad quintum, *& si non ponatur ibi auctoritas Anselmi, nota, quod* lib. de processione Spiritus Sancti, capit. 20. facit istam consequentiam ex intentione circa medium capitis: si (inquit) Spiritus Sanctus non erit de Filio: sequitur de Spiritu Sancto Filium esse. Quære de veritate huius antecedentis: quia aut ideo Spiritus Sanctus non procederet à Filio: quia essent eadem persona: etsi sic intelligitur consequentia Anselmi: quia si sic: non magis erit Filius de Spiritu Sancto, quam è conuerso: si autẽ intelligat Anselmus, quod sint distinctæ personæ: igitur habetur distinctio inter eas ante processionem. Ista auctoritas est ponderanda.

Expositio artic. 2. quæstion. 2. distinction. 11.

PRoponit Doctor in corpore articuli sententiam negatiuam ex hypothesi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet. Cuius Auctores erant D. Thomas 1. p. quæst. 36. art. 2. & Ægidius Rom. Quotlib. 1. quæst. 16. pro qua sunt argumenta in principio posita. Hanc tamen sententiam subtiliter impugnat Doctor dupliciter: quorum prius est desumptum ex ratione formali constitutiui, quia videlicet, principium formale constitutiuum alicuius, est formaliter distinctiuum illius: & hoc medium late duplici argumento prosequitur. Posterius vero medium, sit ex distinctione ipsarum emanationum: quia, scilicet, circũscripto hoc, quod est Spiritum Sanctum procedere à Filio: adhuc generatio passiua, & spiratio passiua distinguuntur. Quæ littera textualis simul cum argumentorũ solutionibus est maximè ponderanda. Quia vero ab ætate Scoti facta est hæc quæstio nimis controuersa, & indies magis, ac magis sententiarum varietate, famosa: non potest exactè, nisi in sequenti difficultate sub eodem titulo excitata resolui. Ex eis tamen, quæ in textu habentur (quæ clara sunt ibi) aduersariorum imaginationibus satisfaciam.

DIFFICVLTAS. LXXII.

Vtrùm ex hypothesi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, adhuc personaliter, realiter distingueretur ab illo?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ, cum prima sententia Gofredi, & Gregorij.

QVM Græcis in articulo primo quæstion. 1. à Doctore relatis, & symbolis fidei, ibidem damnatis, qui asserebãt Spiritum Sanctum non à Filio, sed à Patre solo procedere, non militat hæc difficultas. Ipsi etenim libenter de facto, Spiritum Sanctum realiter à Filio distinctum, absque eo quod ab eo procederet, proterue autumarunt: suppositaattamẽ Fidei veritate, de facto Spiritum Sanctũ à Patre Filioque procedere: imò & de possibili, ita quod oppositum sit simpliciter impossibile, Catholicis Latinis quibus- 1.

quibusdam controuersia hæc in fructuosa, & prorsus inutilis visa est, atque ideò minimè in Scholis Theologicis admittenda. Sic Gofredus loco supra relato in artic. 1. textuali huius secundæ quæstionis, & in Commentario eiusdem, quem sequutus est Gregorius Ariminensis in 1. distinct. 11. quæst. 1. artic. 2. Horum fundamentum non aliud fuit, nisi quia de impossibilibus, quæ ex se manifestam repugnantiam inuoluunt, quæstio Theologica admitti non debet: quia ex vno impossibili sequitur aliud maius, & vnum impossibile ex alio inferre, est in acre laborare, & nihil fructuosum concludere: propterea que difficultatem istam ab scholis penitus abolendam esse dixerunt. Sequi autem ex hoc impossibile aliud maius, constare videtur: quia si Spiritus Sanctus à Filio non procederet: Spiritus Sanctus non esset: & ex consequenti, redditur quæstio hæc de subiecto non supponente.

Sententia Gofredi Greg. ari.

2. Hanc autem Gofredi sententiam satis confutat Doctor, pour habetur in textu articul. 1. & ideo non est cur in eius improbatione amplius immoremur. Sat enim nobis est ex ipso habere huiusmodi quæstionis euidentem vtilitatem: ex eo enim quod per illam cognoscimus rationem formalem distinctiuam Filij ab Spiritu Sancto, est vtilis controuersia: quia clarè vergit in lucrum studiosi Theologi: impossibile namque istud non est per locum intrinsecum. Illud namque dicitur impossibile per locum intrinsecum, cuius prædicatum est de essentia subiecti: sicuti quia de essentia subiecti est animal, in hac propositione, homo est animal, prædicatum est de essentia subiecti: ideo est impossibile per locum intrinsecum, hominem non esse animal: quia vero risibile non est de essentia hominis: ideo licet sit impossibile, hominem risibilem non esse: hoc tamen impossibile, non est per locum intrinsecum, sed per extrinsecum. Sic in proposito: quia Spiritum Sanctum procedere à Filio non est de quidditate, & essentia eius productionis: ideo licet sit impossibile à Filio non procedere: hoc tamen impossibile non est per locum intrinsecum. Non autem esse de quidditate talis productionis, Spiritum Sanctum produci à Filio, ex eo constat: quia non minus perfectè est voluntas spiratiua in Patre præcisè, quam in Patre, & Filio simul: & posito in solo Patre principio formali spirandi, si aliunde sibi nõ repugnaret, posset quidem Pater Spiritum Sanctum se solo producere: si enim per locum intrinsecum repugnaret Patri sine Filio Spiritum Sanctum producere, eo esset: quia non haberet ex se principium formale ad spirandum, & si bi ab intrinseco repugnaret illud habere, nisi simul cum Filio. At qui pro illo priori originis, pro quo nondum intelligitur Filius habens esse, & intelligitur Pater, vt Pater: intelligitur quidem Pater perfectissimè habens tale principiũ, quod quidem in secundo instanti originis communicat Filio.

Disputatio de aliquo impossibili aliquando est vtilis.

Ex hoc concluditur, non per locum intrinsecum repugnare, Spiritum Sanctum non esse à solo Patre, licet aliunde repugnet, vt suo loco dicetur. Admisso igitur impossibili, quod non est per locum intrinsecum: optimè potest Theologus inuestigare ex illo, an tunc Spiritus Sanctus distingueretur à Filio: ex cõclusione, etenim negatiua bene infert, solum modo relationes oppositas esse principia distinctiua huiusmodi personarum. Et per oppositum ex affirmatiua resoluitur, ad distinctionem personarum, sufficere quascũque relationes cõstitutiuas, etiam si sint disparatæ, & non relatiuè oppositæ. Et hic est status controuersiæ, quæ semper extitit celebris inter veramque scholam, & vt talis ab Scoto, & D. Thom. admittitur ventilanda. 3.

§. 2.

Refertur secunda sententia Thomistarum.

4. DE hac igitur, D. Thom. 1. part. quæst. 36. artic. 2. in corpore, cuius verba in expositione primi artic. primæ quæstionis huius distinctionis 11. retuli, tenet quod si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab eo non esset realiter personaliter distinctus: & ex consequenti in Deo duplex tantum

2 sententia D. Thom.

tantum esset persona, vna scilicet, quæ esset Pater, & altera, quæ simul esset Filius & Spiritus Sanctus. Hoc idem sentit in 1. sententiarum distin. 11. quæst. 1. quæ etiam fuit sententia Ægidij Romani Quodlib. 1. quæst. 16. sequuntur D. Thomam Durandus in 1. distinct. 11. q. 2. Capreolus ibidem quæst. 1. art. 1. Ferrara 4. contra gentes, cap. 24. & Soncinas ibidem, Caietanus 1. part. quæst. 36. art. 2. Canariensis ibi, Bañez ibidem dubio 2. Zumel ibi suæ quæst. 2. & plerumque omnes veteres, & recentiores Thomistæ. Item ex Iesuitis, Molina ibidem disp. 3. Suarez 1. p. libr. 10. de Trinitate, capit. 2. Vazquez 1. p. disput. 147. cap. 4. Gregor. de Valent. 1. part. disput. 2. quæstion. 10. puncto 3. pro qua sententia etiam citari solet D. Bonauentura in 1. distin. 11. q. 1.

Ægid. Ro. Durandus Capreolus. Ferrara. Soncinas. Caietanus. Canarienſ. Bañez. Zumel. Molina. Suarez. Vazquez. Valentia.

D. Bonau.

5. Probatur hæc sententia sequentibus argumentis, & primo ex Concilio Florentino sessione 18. vbi ex Græcis de Verbo ad Verbum ex: ressè sic habetur: *Sola differentia processionum multiplicat personas in diuinis.* Et continuò vt pateat, quæ sit hæc processionum differentia, subditur, *ad quam sola duo accomodantur: Qui ab alio est, & à quo est.* Et infra. *Nulla alia ratio distinctionis, aut discriminis est in diuinis, nisi per hoc quod persona aliqua est ab altera.* Quæ doctrina Concilij adducitur ad confirmationem Catholici dogmatis, Spiritum Sanctum, videlicet, à Filio procedere: quam confirmant auctoritates D. Athanasij, Nyseni, & Nazianzeni, quas refert Vsuason Cardinalis, in oration. dogmatica, quam habuit ad Græcos in Synodo Florentina capit. 6. quæ in fine eiusdem Concilij referuntur. Et confirmatur ex eodem Concilio Florentino sessione vltima, vbi sic dicitur: *Vt ipsi aiũt credentes Spiritum Sanctum nequaquam à Filio procedere, necesse est, vt intelligãt à solo Patre procedere, & consequẽter non esse Filium. Nam qui proferunt Spiritum Sanctum distingui à Filio, & cum hoc procedere à solo Patre, substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur diuinæ substantiæ.*

Conc. Flo.

D. Athan. D. Niscen. D. Naziã. Vsuason.

6. Secundo probatur auctoritate Patrum, qui sola oppositione relatiua aiũt, diuinas personas posse distingui. Et præsertim auctoritate Nyseni citati à Bessarion, cap. 6. suæ orationis ex lib. ad Ablanium, vbi hæc inquit, loquendo de personis diuinis: *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiã, non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus: nimirum, eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, & ex eo quod ex causa est.* Quibus verbis Nyssenus expresse contendit, nullam aliam rationem distinctiuam reperiri in diuinis personis vltra relationes originis ad inuicem oppositas: & vtitur terminis causæ, & causati instar cæterorum Patrum Græcorum, qui sic de diuinis originibus loquuntur, prout visum est supra in difficultate propria.

Nisenus.

Greg. Niss.

7. Item, hoc idem confirmat illa receptissima propositio Theologica, quam dixi mus esse Anselmi lib. de processione Spiritus Sancti cap. 3. videlicet, *quod in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*, ex qua euidenter infertur sententia supraposita: quia si vbi nõ est oppositio relatiua, omnia in diuinis sunt vnum: profecto si inter Filium, & Spiritum Sanctum oppositio relatiua non esset per origines vnius ab alio: nõ duplex, sed vnica esset persona. Ait præterea idem Anselmus ibidem: *Sic ergo huius vnitatis, & huius relationis consequentiæ se contemperant, vt nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea, in quibus prædictæ simplicitas sonat vnitatis, nec vnitas cohibeat pluralitatem, vbi eadem relatio significatur, quatenus nec vnitas amittat aliquando suam consequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat quod suum est, nisi vbi obsistit vnitas inseperabilis.* His & alijs verbis D. Anselmi in suæ sententiæ fauorem expositam, probant illam non nulli auctores eiusdem.

D. Ansel.

8. Probatur tertio ratione Durandi: nã de facto sunt in Patre duæ relationes disparatæ, Paternitas, videlicet, & spiratio actiua: & tamen non constituunt duas personas: ergo si Spiritus Sanctus non procederet â Filio, spiratio passiua, & Filiatio, non constituerent diuinas personas, nec illas distinguerent. Consequentia probatur: quia Filiatio, & spiratio passiua eodem modo essent relationes disparatæ, sicut nunc Paternitas, & spiratio actiua disparatæ sunt. Quæ ratio Durandi maiorem habet vim ex suppositione, quod Paternitas, & spiratio

actiua

actiua distinguantur realiter, prout ipse tenet loco citato, num. 16. & distin. 13. quæst. 2. quia secundum ipsum in hoc 1. distin. 33. quæst. 1. omnis distinctio ex natura rei est realis. Et ex consequenti fiet vrgentius argumentum contra Scotum, qui inter Paternitatem, & spirationem actiuam, constituit distinctionem ex natura rei, quam ipse Durandus realem esse affirmat. Ex quo sic vrget argumentum: si non obstante quod spiratio actiua, & Paternitas ex natura rei (quæ distinctio ex natura rei secundum Durandum est realis) distinguuntur: adhuc non constituunt duas personas, sed vnã, & eandem personam Patris. Similiter Filiatio, & spiratio passiua ex hypothesi quæstionis, licet ex natura rei (vel etiam realiter secundum Durandum) distinguerentur: non tamen distinctas personas constituerent, sed vnam, & eãdem: imò etsi ex via D. Thomæ tantum ratione distinguerentur Paternitas, & spiratio: hoc modo formaretur argumentum Durandi secũdum Vazquium. Duæ relationes disparatæ producentis, quales sunt spiratio, & Paternitas, non constituunt duas personas: nec in eo casu, quo Spiritus Sanctus à solo Patre procederet, duas personas constituerent: quia cum inter se non opponantur, sunt idẽ secundum rem, & sola ratione differũt: ergo duæ relationes disparatæ producti, quales sunt Filiatio, & processio, seu spiratio passiua, non constituerent duas personas, si Spiritus Sanctus à solo Patre procederet: quia eodem modo essent idem secundum rem, sicut sunt relationes actiuæ, eo quod nullo modo essent oppositæ: quare sicut idem suppositum nunc generat, & spirat, idem suppositũ generaretur, & spiraretur. Hoc argumento vtitur Vazquius, cap. 7. quod vocat optimam rationem.

9. Quartò arguit Caietanus, quem sequitur Canariensis: nam cum in Deo sit substantia, & relatio: ratio distinguendi, & constituendi personas, semper tribuitur relationibus, non vero substantiæ: quia ratio distinguendi, & constituendi tribuitur relationi secundum suam propriam rationem: propria autem ratio relationis est ordo ad terminum: ergo proprium erit illius constituere, & distinguere aliquid per ordinem ad terminum: nam per hoc distinguitur relatio ab absoluto, quod hoc constituit, & distinguit in ordine ad se: illa vero, quidquid constituit, aut distinguit, est in ordine ad terminum: ergo si relatio constituit, & distinguit in Deo personas, quatenus relatio est, tantum constituit, & distinguit in ordine ad personam, quam respicit, vt terminum. Sed non respicit personam vt terminum, nisi personam oppositam relatiue: ergo tantum constituit, & distinguit personas oppositas relatiue: & ex consequenti si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, cum ei relatiuè non opponeretur, ab eo realiter non esset distinctus.

Quintò: nam quæcumque in Deo nõ repugnant esse, in eo necessario sunt: Deo enim nihil potest adesse, & abesse, sed quæ ei conueniunt, necessario conueniunt: sed si Filius, & Spiritus Sanctus non opponerentur, non repugnaret vtrumque esse eandem personam secundum rem: ergo re vera esset. Si autem Filius non produceret Spiritum Sanctum, ei non opponeretur: ergo non repugnaret esse idem suppositum, quãm Spiritũ Sanctum: & ex consequenti necessario essent vna, & eadem persona secundum rem. Nihil autem obstare, si Spiritus Sãctus non opponeretur Filio, quominus essent idem suppositum secũdum rem, sic probatur: quia in diuinis nõ est assignanda distinctio, & pluralitas, nisi quando, & inter quos fides eam constituit, vel ratio ipsa, manifestaque repugnantia demonstrat: aliunde tamen temere assignaretur distinctio secundum rem. Sed ex hypothesi quæstionis, nec fides docet futuram distinctionem, nec ratio vllam manifestam repugnantiam demonstrat: ergo temere diceremus, Filium, & Spiritum Sanctum, tunc etiam distinguendos esse secundum rem. Primum fides id non docet: nam quamuis non certum ex fide sit, Filium, & Spiritum Sanctum distingui: tamen fides nõ docet, nunc actu eos distingui Filiatione, & spiratione passiua: sed hoc in opinione positum est: ergo, nec de fide certum est tunc distinguendum esse Spiritum Sanctum à Filio: quia tunc solum maneret ibi Filiatio, & spiratio passiua. Secundum etiam nulla ratio, aut repugnantia demonstrat, Filiationem, & spi- 10.

rationem

rationem passiuam, tunc se ipsis distinguendas esse realiter: quia rationes Scoti hoc non euidenter concludunt: ergo, &c. Hæc est potissima ratio, qua Vazquez, suo videri, sententiam prædictam corroborat.

11. Sextò: quoniam relatio disparata, vt sic, non est relatio: sed in diuinis omnis distinctio est per relationem: ergo relatio disparata in diuinis non facit distinctionem. Antecedens probatur: quia relatio, vt relatio, ex sua quidditatiua ratione dicit ordinẽ ad terminum, quem respicit: sed relatio disparata, quatenus disparata, non dicit ordinem ad terminum, neque respicit illum: Filius enim, vt Filius, non respicit Spiritum Sanctum: ergo, &c. Hæc sunt potissima argumenta, quę hanc sententiam corroborant: plura etenim alia minoris ponderis consultò omittuntur hîc.

§. 3.

Ponitur vera Scoti sententia, & exponitur D. Bonauentura, & sensus difficultatis.

12. IN oppositum autem est litera textualis huius secundi articuli quæstionis 2. distin. 11. vbi Doctor post quam rationibus subtilibus probauerat, quod etiam si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, realiter, & personaliter distingueretur ab ipso: hæc subdit sub litera K. *Conclusiones tamen istarum rationum concedo, &c.* Sequuntur Doctorem Basolis, distinct. 11. quæst. vnica art. 3. Guillelmus Rubionis ibidem, quæst. 1. §. quantum ad secundum, Antonius Andreas in eodem 1. eadem distinct. 11. quæst. 2. Maironis ibi quæst. 2. Lychetus ibidem quæst. 2. Tatheretus eadem quæstion. 2. Vigerius quæst. 2. Pater Rada 1. p. controuersia 15. art. 2. Pater Herrera in 1. disp. 11. quæst. 9. Philippus Faber in 1. distin. 38. cap. 2. & sequentibus, atque reliqui omnes Scotistæ. Tenent hãc sententiam Henricus Quodlibet. 5. quæst. 9. Dionisius Cartusianus in 1. distinct. 11. quæst. vnica, & noster Ricardus ibidem. Item Aureolus in 1. distinct. 11. quæst. 1. art. 2. cuius argumenta refert Capreol. Ex Nominalibus vero OKã, ibidem Gabriel eadem distinct. 11. quæst. 2. art. 2. Gregorius quæst. 1. art. 1. vbi semel admissa hypothesi huius difficultatis, quam admittendam esse negauerat, hanc tuetur sententiam.

Vera, & tenenda sententia Scoti.
Basolis.
Rubionis.
Ant. And.
Maironis.
Lychetus.
Tatheretus
Vigerius.
PaterRad.
PaterHer.
Faber.
Henricus.
Dion.Car.
Ricard.
Aureolus.
OKam.
Gabriel.
Gregorius.

13. Nec oppositum docet Seraphicus Doctor P. N. D. Bonauentura: nam licet in 1. distinct. 11. quæst. 1. vbi ab aduersarijs citatur, inter rationes, quas ponit in contrarium ad probandum contra Græcos, Spiritum Sanctum procedere à Filio, quarta in ordine dicit, quod si Spiritus Sanctus non procedit à Filio, non est inter eos origo, nec consequenter est relatio originis, nec distinctio: hîc autem nihil de nostra difficultate determinat: sed arguit defacto probando processionem Spiritus Sancti à Filio ex distinctione, quam defacto per relationem originis habet ab illo. Defacto etenim non est dubium, Spiritum Sanctum distingui à Filio per relationes originis: cum etenim à Filio procedat, relatiuè ei opponitur: & consequenter ab eo per relationes originis distinguitur: & in hoc nulla est apud Doctores controuersia. Quod autem hæc difficultas inuestigat, est, an si per impossibile tales origines non essent, quia, scilicet, Spiritus Sanctus à Filio non procederet: adhuc in Filio, & Spiritu Sancto essent sufficientia principia distinctiua, quibus (relatione originis vnius ab alio secluſa) distinguerentur interse realiter personaliter? Quæ hypothesis quæstionis non destruit distinctionem, quæ nunc est, per oppositas relationes originis. Hoc igitur prænotato manifeste colligitur sensus rationis sanctissimi N. Doctoris Bonauenturæ. Ac si diceret, si nõ procedit Spiritus Sanctus à Filio, non est distinctus ab illo distinctione originis per relationes originis oppositas: non tamen ob id negat esse distinctionem per relationes disparatas, quibus sufficienter distinguerentur Filius, & Spiritus Sanctus: etiam si istæ ab illo per originem non procederent.

Exponitur D. Bonau.

14. Hæc ergo Diui Bonauenturæ rationis interpretatio clarius apparebit, obseruando pro tituli controuersiæ intelligentia, in Filio esse duplicem relationẽ, sicut in Patre, licet vna tantummodo sit

in

in Spiritu Sancto. Est namque in Patre Paternitas, qua respicit Filium, & per quam ei relatiuè opponitur: & spiratio actiua, qua respicit Spiritum Sanctum, & relatiuè opponitur illi. Est item in Filio Filiatio, qua respicit Patrem, & ei relatiuè opponitur: & spiratio actiua, qua respicit Spiritum Sanctum, & ei opponitur relatiuè. In Spiritu Sancto attamen non est, nisi spiratio passiua, qua respicit Patrem, & Filium, à quibus procedit, & quibus relatiuè opponitur. Vbi autem est oppositio relatiua originis vnius ab alio, est realis distinctio personalis. Ex quo manifestum fit, Spiritum Sanctum de facto realiter personaliter distingui à Patre, & Filio, per spirationem passiuam, & Patrem, & Filium distingui ab Spiritu Sancto per spirationem actiuã: quia spiratio actiua est realiter incomposibilis Spiritui Sancto: sicuti spiratio passiua est realiter incomposibilis Patri, & Filio, eadem repugnantia, qua repugnat idem à se ipso spirari, & idem spirare se ipsum. Ex hac ergo distinctione, quæ de facto datur inter diuinas personas per origines relatiuè oppositas, probat Seraphicus Doctor, Spiritum Sanctum à Filio procedere: quia si ab eo non procedit, nulla inter eos est relatio originis, nec distinctio per relationes oppositas, quam nunc omnis Catholica Schola inter Filium, & Spiritum Sanctum contrà Græcos veteres, esse affirmat: & in hoc nullum inter Doctores est dubium.

15. Quod autem in dubium vertitur, est, an vltra huiusmodi oppositionem relatiuam, sit in Filio aliud principium sufficienter distinctiuum ipsius ab Spiritu Sancto: & hoc sit Filiatio, quæ Filium ab Spiritu Sancto realiter distingueret, etiam si (vt Græci dicebant) non illum produceret. Si etenim talis ratio distinctiua, seu principium distinctionis est in Filio: profecto duplex ratio realiter distinctiua est nunc de facto in Filio, & ex hypothesi, quod non produceret Spiritum Sanctum, vnica tãtum esset in illo: & hanc præsens difficultas inuestigat, ac si clarius quærat, vtrum Filiatio se sola, prout ab spiratione actiua condistinguitur, sit sufficienter distinctiua Filij ab Spiritu Sancto, sicuti sufficiens est ad constituendum Filium in esse Filij. Et ita ablata spiratione actiua saltim per intellectum, Filiatio sufficienter Filium ab Spiritu Sancto realiter, & personaliter distinguat.

§. 4.

Examinatur qualiter principium cõstitutiuum sit insimul distinctiuum?

16. VT autem hæc difficultas exactè discutiatur, est maximè examinandum quoddam ingeniosissimum medium, quo vtitur Doctor in corpore huius secundi articuli, §. *secundo sic*, ad probandam prædictam suam sententiam, quod, scilicet, principium formaliter constitutiuum cuiuslibet constituti est distinctiuum illius ab omni non tali: & ex consequenti, si Filiatio formaliter constituit Filium in esse personæ Filij: ipsa quoque Filium distinguit personaliter ab Spiritu Sãcto. Duo igitur, ad huiusmodi veritatem indagandam, nobis videda occurrunt. Primum, scilicet, circa illud prius Axioma, an sit vniuersaliter verum, quod principium formaliter constitutiuum est distinctiuum illius, quod constituit, ab omni alio, quod non constituit. Secundum autem, esto, quod tale principium sit vniuersaliter verum: restat videndum, quod nam sit principium formaliter constitutiuũ Filij in esse personæ? Si enim semel concluditur, primam propositionẽ esse veram: & deinceps secunda propositio resoluitur, nempe, personam Filij in ratione personæ formaliter cõstitui Filiatione: proculdubio sententia nostra satis hoc medio Scotico demonstrabitur.

Idẽ est principium cõstitutiuum, & distinctiuum, quo modo sit intelligendũ.

17. Prædicto igitur medio argumenti Scoti oppressi auctores secundæ opinionis, cõnantur eius efficaciam subterfugere: quidam, scilicet, limitando primam propositionem: alij vero illam admitrẽdo: sed varios modos inuestigando, qualiter secundã modificent. Ferrara etenim, & Caietanus, locis supracitatis limitãt propositionem illam ad principium absolutum: & aiunt, quod quando principium est absolutum, verũ est dicere, quod eo principio, quo aliquid cõstituitur, distinguitur ab omni non tali: non vero, quando tale principium constituens est relatio.

tio. Quando enim principium constituens fuerit relatio, non quidem ab omni non tali: sed tantum à suo correlatiuo, sibi relatiuè opposito, distinguet. Ex quo tenent consequenter, quod licet Filiatio secundam personam Trinitatis cõstituat minime tamen illam à tertia persona, quæ est Spiritus Sãctus, distinguit: quia Filiatio formaliter relatio est, & solum distinguit Filium à Patre, quem respicit tanquam terminum, à quo specificatur.

18. Doctrina attamen hæc facillimo negotio improbatur: quia relatio est entitas quædam, quæ in creatis peculiare prędicamentum constituit: & secundum suam præcisam rationem relationis, etiã prout ad creatam, & increatam extendi tur, est ens, & habet suam passionem vnitatis: ergo sicut in vniuersum est verum, quod quodlibet ens sua sequitur vnitas: sic de relationibus hoc Axioma verificari debet. Ex quo sic arguit Scotus: quodcunque principium formaliter constituens aliquid in ratione entis, ipsum necessario constituit in ratione vniũs: ergo constituit illud in ratione entis indistincti à se, & distincti à quolibet alio, quod scilicet, non constituitur eodem principio: igitur per illud, quo constituitur in tali esse entis, distinguitur ab omni eo, quod non constituitur per tale principium in tali esse. Hæc consequentia est euidens, & euidenter illata ex principijs perse notis: principium namque perse notum est, quod quodlibet ens sua sequitur vnitas. Item est principium perse notum, quod vnũ, vt vnum, est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Et tandem est principium perse notum, quod relatio est ens. Ex quibus euidenter concluditur, relationem eo ipso, quod est formaliter cõstitutiua alicuius, necessario esse distinctiuam illius ab omni nõ tali, non minus quam absolutum: nam licet relatio, vt relatio, peculiariter distinguat relatiuum à suo termino, quem respicit: quia, scilicet, talis distinctio est per rationes oppositas: nihilominus nõ ob id priuatur illo generali modo distinguendi, quo quodlibet principium constitutiuum alicuius, est consequenter distinctiuum illius ab omni non tali: quia hoc esset peruertererum naturas. Stat igitur, Filiationem, & distinguere Filium à Patre distinctione oppositionis, & distinguere Filium ab Spiritu Sancto distinctione reali, & personali, personarum, videlicet, non oppositarum inter se relatiuè. Est igitur satis friuola solutio Caietani, & Ferrariensis, & falso fundamento enixa: siquidem relatio constitutiua, est necessario distinctiua constituti ab omni nõ tali, seu non cõstituto per illã

Impugnatio Ferrariensis, & Caietani.

§. 5.

Referuntur quorundam sententiæ, circa constitutionem personæ Filij, quæ impugnantur.

19. HAnc ob rem alij, re melius considerata, prædictam primã propositionem admittunt, concedentes, videlicet, idem esse principium constituens alicuius, & distinguens illud ab omni non constituto per ipsum: sed circa secundam, multiplici sententiarum varietate, argumẽti euidentiam effugiunt: nam inconstituenda ratione constitutiua Filij in esse personæ, minime inter se concordant. Quidã etenim distinctã inquiunt futuram fuisse Filiationẽ ex admissa hypotesi, quãm nunc est. Et ideo inquiunt, quod tunc, non constitueret personam Filij, sicut modo cõstituit: nam Filiatio, quæ nunc Filium constituit personam, est equidem talis naturæ, vt habeat vim spirandi: illa vero tunc esset expers tali spiratiua virtute: ac ideo nõ constitueret personam Filij in esse personæ. Quæ sententia poterat confirmari quadam doctrina D. Thom. 1. p. q. 3. ar. 5. ad secundum, vbi loquendo de missione inuisibili Verbi, & Spiritus Sancti, ait: *Filius autem est Verbum, non qualecumque, sed spirans amorem.* Hac solutione vsi sunt, non solum veteres quidam, sed etiam nunc recentiores non pauci. Ex veteribus enim illã insinuauit Gregorius: ex recentioribus autem illam præbet Suarez loco citato, nu. 11. vbi ait, Filiationem, nunc constitutiuam personæ Filij, talem esse, vt voluntas diuina illi coniuncta, vt sic, fœcũda sit, & habeat rationẽ spiratiuæ virtutis, seu conditionem requisitã in principio, quod, ad spirandum: sed posita illa hypothe-

D. Thom.

Grægor. Suarez.

hypothesi, non esset Filiatio talis: & ex consequenti non constitueret Filij personam, sicut nunc constituit.

20. Verum, huius sapientissimi Doctoris venia, hæc solutio, merè excogitata videtur, & primo ad mentẽ D. Thomæ (licet nõ sit mei muneris satisfacere) alia clariora verba ipsius respondent. Nã quamuis Verbũ non sit qualecũque, sed Verbũ spirans amorem: nõ tamen exinde sequitur spirationem, seu virtutem spirativã amoris aliqualiter pertinere ad cõstitutionem personæ Verbi, quæ sola Filiatione in ratione personę, & hypostha sis constituitur, vt idem D. Tho. sequentibus verbis expresse asserit: nã 1. p. q. 40 art. 2. in corpore hæc dicit: *Sic autẽ relationes, vel proprietates distinguunt, vel cõstituunt hypostheses, vel personas, in quãtũ sunt ipsæ personæ subsistentes, sicut Paternitas est Pater, & Filiatio est Filius, eo quod in diuinis non differunt abstractum, & concretũ*: ac si manifeste dicat D. Tho. personã Patris in ratione Hypostha sis, & personæ cõstitui Paternitate, & Filiũ in ratione hypostha sis, & personæ constitui Filiatione. Ex quibus aperte, satisque cõstat ipsum posuisse adæquatã rationem constitutiuã personæ Filij in præcisa Filiatione, & hanc fuisse genuinã mentẽ D. Thomæ existimo: sed si Thomistæ aliam prædictorũ Verborũ intelligentiã præbeant: non illam nostra interest speculari, tractent enim fabrilia fabri.

21. *Impugnatio sententiæ Suarij.* Prædictã attamen Suarij sententiã, sic ratione impugno: nã Filiatio constituit personã Filij secundũ eã rationem, qua est ratio terminandi Paternitatem: per illud etenim Filius cõstituitur in esse personæ Filij, per quod terminat relationẽ Patris, eique opponitur relatiuè: siquidẽ oppositio relatiua est quæ distinguit Patrem, & Filiũ: & inter Patrem, & Filium nulla alia est distinctio, ni si personalis: sed *Filiatio* est ratio terminandi Paternitatem secundũ præcisam rationem Filiationis, abstrahendo ab omni vi spirandi, seu virtute spirativa: ergo Filiatio præcise, secundũ rationem præcisam Filiationis, & prout abstrahit à virtute spirativa, seu vi spirandi, cõstituit personã Filij. Cõsequentia est legitima: maior probatur. Nã *Filiatio* constituit personã *Filij* secundum eam rationem, qua relatiuè opponitur Patri: sed præcisè opponitur relatiuè Patri secũdũ eam rationem qua terminat Patris relationem, nempè Paternitatem: ergo secundũ illã præcisam rationẽ, qua terminat Paternitatem, cõstituit Filij personã. Et confirmatur: quia per illã rationem cõstituit formaliter Filiatio personã Filij, per quã persona Filij subsistit incõmunicabiliter relatiue ad Patrem: sed Filiatio secundũ præcisam rationem Filiationis, formalissime refert Filiũ ad Patrem, & illũ reddit incõmunicabiliter subsistentẽ relatiuè ad Patrem: nõ enim in quãtum persona reduplicatiuè subsistit subsistentia absoluta, sed relatiua: quia absoluta est essentię, relatiua autem est personalis: & sic relatiuè subsistere Filiũ, nihil aliud est quam respicere Patrem: ergo, &c. Minor prioris syllogismi probatur: quia Filiatio est ratio terminandi Paternitatem secundũ cõceptũ sibi propriũ, & nullatenus secũdũ conceptũ sibi, & Patri cõmunẽ: aliàs enim ratio constitutiua Filij esset cõmunicabilis Patri, & Filio: & tunc ratio cõstitutiua personæ, vt personæ, non esset incõmunicabilis, sed communicabilis quod est absurdũ: sed virtus spirativa, seu vis spirãdi, est cõmunis Patri, & Filio: si quidem Pater illam Filio per generationem communicat.

22. *Secũdo impugnatur Suarius.* Porrò hæc eadem sententia iterũ impugnatur, quoniã Filius formaliter cõstituitur in esse personæ Filij per aliquid nõ sibi cõmunicatũ à Patre: quia sicut Pater omnia, quæ habet, cõmunicauit Filio præter Paternitatem, vt omnes Theologi ex Sanctis Patribus docent: sic nõ cõmunicauit Filio Filiationem: quia ipsã nõ habebat Pater in se, vt illã ei cõmunicaret: ergo quidquid Filius habet sibi à Patre cõmunicatũ, nõ pertinet ad rationem cõstituiuã sui in esse personæ: sed vis spirãdi, seu virtus spirativa, est Filio à Patre cõmunicata: ergo talis virtus spirativa nequit ad rationem constitutiuã Filij pertinere.

23. *Tertio impugnatur Suarius.* Item: quia vis spirativa est voluntas prout in Patre, & Filio: sed volũtas prout in Patre, & Filio nõ est coniuncta Filiationi, vt Filiatio quædã relatio est: quinimo sibi ratione essentiæ, sibi à Patre cõmunicatæ, talis vis spirativa, seu principiũ spirandi formaliter conuenit: non enim relatio Filiationis spirat, aut est spirativa, sed habens talem relationem,

ſeu perſona conſtituta per illam, habet tale principium, non ratione relationis huiuſmodi: ſed ratione eſſentiæ, cũ qua ſibi à Patre eſt communicata virtus ſpiratiua: ſed quidquid habet Filius ratione eſſentiæ, non poteſt pertinere ad rationem conſtitutiuam perſonæ: quia quidquid pertinet ad rationem conſtitutiuam perſonæ, dicit formalem incommunicabilitatem: quod vero habet ratione eſſentiæ, talem incommunicabilitatem importare non poteſt: ergo de primo ad vltimum huiuſmodi virtus ſpiratiua, ſeu facultas ſpirandi, neutiquam ad conſtitutionem perſonæ Filij poterit pertinere.

24. *Aliorũ ſententia.*

Alij demum poſuerunt ipſam actualem ſpirationem actiuam ſimul cum Filiatione Filium in ratione perſonæ conſtituere: diſtinguunt etenim inter Filiũ, & perſonam Filij: & aiunt Filium vere in ratione formali Filij Filiatione conſtitui, at vero in ratione perſonæ Filij, non ſola Filiatione, ſed Filiatione in ſimul, & ſpiratione actiua conſtitui. Atq; ideo ſi per impoſsibile Spiritus Sanctus â Filio non procederet, neque in Filio eſſet actiua ſpiratio, nec propterea Filius, ſe ſolo eſſet perſona ab Spiritu Sancto diſtincta. Hanc ſententiã inter alios referunt P. Rada, & Herrera, qui illam ſatis impugnant. Fundamentũ vero huius ſententiæ eſt: quia de ratione Filij, vt perſona Filij, eſt, quod ſit Verbum. De ratione autem Verbi eſt, quod producat amorem: ergo de ratione Filij eſt, quod producat amorẽ, qui eſt Spiritus Sãctus.

Rada. Herrera.

25. *Impugnatio prædictæ ſententiæ.*

Profecto hæc ſententia ſatis irrationabilis eſt (vt patet ex impugnationibus dictorum Patrum ſapientiſsimorũ, quorum doctrina ab incunabulis fui nutritus.) Tum, quia rationes, quibus præcedens Suarij ſententia confutatur, contra hanc etiã acriter militant. Cum etiã: quia ſpiratio actiua eſt diſtincta relatio à Filiatione, ipſam in ſuo eſſe completo ſupponens, ex quo iam ſupponit perſonam Filij Filiatione formaliter conſtitutam: & ideo cum prius à poſteriori non dependeat, nec quidem ratio conſtituti ua Filij pendet ab ſpiratione actiua. Item, quia Verbum, vt Verbum, formaliter loquendo, non eſt ſpiratiuum amoris: nam Verbum, vt Verbum, tantũ eſt terminus actionis productiuæ intellectus: & in creatis, non neceſſario ſequitur productio amoris per voluntatẽ ad productionẽ verbi per intellectũ: alias enim quodcunque intellectus verbo cõciperet: neceſſario voluntas amore illigeret: & ex cõſequenti non eſſet voluntas creata indifferens ad eliciendũ amorem obiecti ſibi per intellectũ oſtenſi. Vndè iã ex hac parte ruit fundamentũ auctorũ prædictæ ſententiæ. Imo eſto, quod neceſſario cõſequeretur amor ad verbũ, verbũ, nõ eo quod verbũ eſt, producit amorẽ: ſed intellectio per verbũ eſt cõditio, ſine qua nõ voluntas producit amorem obiecti repræſentati in verbo: ipſum autẽ verbũ, quod qualitas quædã eſt, neutiquam per modũ principij *quod*, nec *quo*, producit amorẽ. Ex quibus cõcluditur falſitas fundamenti prædicti, quod ſcilicet, Verbũ, vt Verbum, producit amorẽ.

Indiuinis autẽ, etſi Verbũ amorẽ producat, hoc planè ſibi nõ cõpetit eo quod formaliter eſt Verbũ: quia ſi ratio producendi amorem ſibi eſſet Verbum vt Verbũ: proculdubio Pater, qui nõ eſt Verbũ, nullatenus amorẽ produceret. Non ſolũ igitur ex ratione accepta verbi creati, ſed etiã ipſius Verbi diuini concluditur, Verbũ, vt Verbũ, non eſſe ſpiratiuũ amoris. Eſt igitur Verbũ diuinũ productiuũ, & ſpiratiuũ amoris, nõ eo quod eſt formaliter Verbũ: ſed quia hoc tale Verbũ eſt perſona ſubſiſtens in diuina natura, habens volũtatẽ ſibi à Patre cõmunicatã in ratione principij ſpiratiui, quo ſimul cum Patre Spiritũ Sãctũ producit.

26.

27. *Iterum cõfutatur prædicta ſententia.*

Cæterum illo fundamẽto deſtructo, adhuc aliter confutatur prædicta ſententia: nam ſi de ratione Verbi eſſet, quatenus perſona Verbi eſt, Spiritũ Sanctũ producere: non minus eſſet de ratione Patris, vt perſona Patris eſt, producere Spiritum Sanctum: hoc tamen nemo ſanæ mentis concedet: ergo, &c. Aſſumptum probatur. Tum, quia eadem ſpiratio actiua, quæ eſt in Verbo, eſt etiam in Patre, & eadem vis ſpiratiua eſt in vtroque: ſed Verbum non ea ratione, qua eſt formaliter Verbum (vt manet oſtenſum) producit Spiritum Sanctum: ſed eo formaliter, quo habet principium ſpiratiuum in ſe: ergo ſi ratione ſpirationis actiuæ conſtituitur in ratione perſonæ: proculdubio eadẽ ſpiratione actiua cõſtitueretur Pater in eſſe

perſonæ

perſonæ Patris, quod eſt ridiculũ. Cum etiam: quia ſi eo Pater non pẽdet ab ſpiratione actiua, ad hoc vt ſit cõſtituta perſona: quia antecederẽt antecelſione originis producit Filiũ, quâ producat Spiritũ Sanctum, & hac priori productione, quæ eſt generatio, & Paternitas conſtituitur formaliter in eſſe Patris: etiam eadẽ prioritate prius eſt Verbũ productũ à Patre, quam ſpiratio actiua intelligatur in Patre, & Filio: igitur nõ minus independens eſt Filiatio ab ſpiratione actiua, quam Paternitas: ergo ſi ratione huius independentiæ ab ſpiratione actiua, Paternitas ſe ſola ſufficienter conſtituit Patrẽ in eſſe perſonæ Patris: conſequenter eadẽ prorſus ratione Filiatio independenter ab ſpiratione actiua, conſtituit Filiũ in eſſe perſonæ Filij. Quod confirmatur nunc in Filio, quiſmul eſt Filius, & ſpirator, de quo inquiro, an per præciſam relationẽ Filiationis, qua in eſſe Filij conſtituitur, præcindendo à relatione ſpirationis actiuæ, intelligatur perſona, vel non? ſi primũ dicas, habetur intentũ, quod Filiatio independenter ab ſpiratione actiua, eſt ratio conſtitutiua perſonæ. Si autẽ ſecundũ aſſeras, das mihi aliquid realiter â Patre diſtinctum in Deo, quod tamen perſona non eſt, & ex conſequenti admittis in Deo diſtinctionẽ realẽ, non perſonalẽ, quod Fidei aduerſatur. Eſſe autem Filium cũ præciſa Filiatione realiter diſtinctũ à Patre, certum eſt, & ab omnibus conceſſum: quia cũ præciſa Filiatione, eſt incompoſsibilis, & incommunicabilis Patri: ſiquidem Pater, & Filius, vt ſic, opponuntur oppoſitione relatiua, ſi igitur hoc non concedis, Filiationẽ, ſcilicet, præciſam eſſe cõpoſsibilem Patri, diſtinctionem realẽ neceſſario inter Patrem, & Filiũ independenter ab ſpiratione actiua fateris: ſi ergo vt ſic diſtinctionẽ realem inter Filiũ, & Patrem independenter ab ſpiratione actiua concedis: neceſſario quoque diſtinctionẽ perſonalẽ independenter ab ſpiratione actiua inter Patrẽ & Filium, admittis: ſed diſtinctio perſonalis nõ eſt niſi inter perſonas: ergo Filiatio independẽter ab ſpiratione actiua conſtituit Filiũ in ratione perſonæ.

28. Sententia Vazquez. Alio autẽ modo nouiſsimo reſpõdet Vazquez, c.7. ad difficultatẽ propoſitã: & ex duabus propoſitionibus, vtramque admittit. Aut enim vniuerſaliter verum eſſe, quod principiũ conſtitutiuum alicuius eſt diſtinctiuũ illi ab omni, quod non eſt cõſtitutiuũ per ipſum. Quod bene contra Ferrara, & Caietanũ conuincit. Itẽ ſecundã propoſitionẽ, videlicet Filiationem, vt eſt præciſe Filiatio, eſſe principiũ conſtitutiuũ perſonæ Filij, cõcedit, & optimè tribus rationibus ſupra poſitã ſuarij opinionẽ impugnat. At vero non ex hoc, ſequi exiſtimat, Filiũ in caſu, quo Spiritum Sanctum non produceret, ab eo realiter fore diſtinctũ. Quia cũ arbitrerur conſtitutiones diuinarum perſonarũ, non eſſe reales, ſed ſolũ per rationẽ, non oportet (inquit ipſe) vt ea proprietate, qua formaliter conſtituitur Filius, realiter diſtinguatur à quocũque alio, quod per ipſam non conſtituitur. Quod confirmat, quia in vna, & eadẽ re contingit duo principia, aut ſpecie, aut etiã genere diuerſa, quibus diuerſa genera conſtituuntur, eſſe inſeparata, vt patet de actione, & paſsione, quæ ſunt duo genera ſuprema, & tamen ſunt eadem res.

29. Quodãmodo videbatur Vazquij ſententia conformiter loqui ad illã, quã tenet de conſtitutione perſonarũ per rationẽ: ſed re vera vtraque eſt à per te falſa. Primo nãq; dicere diuinas perſonas, alias realiſsimas, tantũ per rationẽ cõſtitui, eſt potius Trinitatẽ imaginariã, quã realẽ, & verã in Deo conſtituere: quã ob rẽ hanc imaginariã, & penitus arbitrariã eſſe ſententiã, infra ſub diſtinct. 26. oſtendã. Secundo, nã eſto, quod diuinæ perſonæ tantummodo per rationem (vt ipſe volebat) eſſent cõſtitutæ: adhuc nõ ſoluitur difficultas hæc ex nouo modo dicẽdi illius. Quia hæc talis ratio cõſtitutiua, non minus cõſtituit perſonã Patris ã Filio diſtinctã, quã ſi eſſet entitas realis realiter cõſtituens: quod Vazquez negare nõ poteſt: ſiquidẽ eſt de fide huiuſmodi perſonas interſe eſſe realiter diſtinctas: & nõ ratione eſſentiæ, ſed ratione relationis perſonalis cõſtitutiuæ: ex quo euidens eſt rationẽ cõſtitutiuam diuinæ perſonæ conſtituere perſonã verè realẽ, & illã vere realiter diſtinguere ab alia perſona vere reali. Ergo Filiatio quæ cõſtituit perſonã realẽ, realiter illã diſtinguit ab Spiritu Sancto, qui per Filiationem conſtitutus non eſt: & ſic euaneſcit

Impugnatio Vazquij.

cit Vazquij imaginatio: nam mihi satis est ad destructionem fundamenti illius, quod ratio constitutiua alicuius diuinæ personæ, etiam si ipsam constitueret per rationem (secundum Vazquium) adhuc secundum ipsum, constituit personam realem, & illam realiter ab alia persona distinguit. Si etenim Paternitas, non obstante, quod personam Patris, per te secundum rationem constituit: illam mihi nihilominus constituit personam realem, & realiter distinctam à Filio: cur quæso, Filiatio eo quod similiter constituit Filiũ secundum rationem, non constituet Filium personam realẽ, & realiter ab Spiritu Sancto distinctam, sicut illam constituit distinctam à Patre?

30. Dices, quod quia Paternitas, & Filiatio sunt incomposibiles in eodem supposito: non vero Filiatio, & spiratio passiua. Sed tunc contra te sic infero: ergo non ex eo quod constitutio personarum est per rationem, & non realis, non distingueret Filiatio Filium ab Spiritu Sancto, vt tu dicebas: sed præcise ex ratione incomposibilitatis vnius relationis, cum altera, prouenit Filiationem distinguere Filium à Patre, non vero ab Spiritu Sancto. Et tunc iam assumis aliũ nouum modum soluendi: & fateris prædictum modum à te excogitatum iam destrui. Nunc autem & istum de incomposibilitate impugnabo, ostendens nõ minus incomposibiles esse Filiationem & spirationem passiuam (loquendo de præcisa ratione incomposibilitatis) quam Paternitatem, & Filiationem. Sed prius soluam illam cõfirmationem Vazquij à simili de actione, & passione in eodem motu reali.

31. Cuius disparitas est satis nota: nam quæ maiori distinctione distinguuntur minus repugnant esse in eodem: quam, quæ distinguntur distinctione minori, vt patet: quia duæ albedinis numero distinctæ in eodem subiecto naturaliter esse nequeunt: imõ nec duo colores tantum specie distincti. Possunt nihilominus eidem subiecto duæ qualitates distincti generis inhærere, vt patet de albedine, & dulcedine quæ genere differunt. Pugnantia igitur duorum respectu vnius suppositi, seu subiecti non prouenit ex maiori distinctione, sed ex incomposibilitate prouenient ex rationibus formalibus vtriusque, in vno. Licet igitur actio, & passio, quæ sunt duo distincta genera suprema, eidem rei, scilicet, eidem motui ineessent (quod nos cum Scoto negamus, siquidem actio est in agente, & passio in passo: agens autem, & passum realiter distinguntur) ad huc ramen non exinde infertur, quod duæ relationes, quæ sunt suppositalitates eiusdem naturæ, possint esse in eadem persona: etiam si tãtum secundum rationem constituerent. Quia huiusmodi personalitates constituunt personas reales, vt manet ostensum: & ex consequenti non possunt non distinguere realiter personas, quas constituunt: quia ex suis rationibus formalibus sunt incommunicabiles: ex quo prouenit incomposibilitas earum in eodem supposito.

Maior distinctio minorem repugnantiã dicit, quã minor, ad esse in eodem.

§. 6.

Ostenditur, & enucleatur Filiationem prese consideratam esse formalissimum principium constitutiuũ Filij, & consequenter distinctiuum illius ab Spiritu Sãcto in esse personali.

32. SVper est ergo nunc nobis ostendere non minus incõposibilem esse Filiationem cũ spiratione actiua, quam cũ Paternitate: ad cuius intelligentiã obseruo, non omnẽ incomposibilitatẽ rerum sumi ex oppositione earũ: sed interdũ ex ipsarũ naturis, & formalibus rationibus. Quod manifestũ fit in suppositis naturæ creatæ: nã apud omnes est certum, quod duæ personalitates non possunt esse in eadẽ numero natura: quod prouenit, non ex oppositione aliqua taliũ personalitatum in illa: quia nec opponuntur contrarie, nec cõtradictorie, nec relatiuè, nec priuatiuè vt patet: & aliã oppositionis speciem philosophi nõ constituunt, nec Dialectici inuenerũt: licet bene lato modo possit dici oppositio quælibet incomposibilitas disparata. Repugnant attamen respectu eiusdẽ naturæ duæ personalitates, tũ ex parte ipsius naturæ: quia ipsa ex ratione sua formali est finita, & limitata: & ita sa tiatur, vna personalitate, vt maneat exhausta tota eius capacitas ad existendũ simul

Incomposibilitas nõ semper sumitur exoppositione rerum, sed interdum ex earum naturis.

ſimul in alia. Cũ etiã quia cũ perſonalitas ſit de ſe incõmunicabilis, nequeunt duæ inſimul in eodẽ ſuppoſito eſſe: quia iam communicabiles fierent: & eſſet cõtradictio in adiecto, perſonalitatem quę eſt incommunicabilis ſubſiſtentia, alteri ſubſiſtentiæ incommunicabili, communicabilem eſſe. Vndè licèt in diuinis ex iſtis duabus rationibus, vna deficiat: quia, ſcilicet, natura diuina ob ſui infinitatem eſt capax plurium perſonalitatũ: ipſæ tamen perſonalitates ob incommunicabilitatem cuiuslibet, nequeunt plures eidem ſuppoſito conuenire, nec ſimul eſſe in illo. Habetur igitur non omnem incompoſsibilitatem ex oppoſitione incompoſsibilium proficiſci: ſiquidem ſine aliqua ex quatuor aſsignatis ſpeciebus oppoſitionis, vera incompoſsibilitas, & repugnantia reperitur. Ex quo concludo, non minus incompoſsibilem eſſe Filiationem ſpirationi paſsiuæ, quam Paternitati: ſi ſemel probetur Filiationem eſſe incompoſsibilem ſpirationi paſsiuæ, eo quod eſt incommunicabilis ei: etiam ſi ei non opponatur, ſicut opponitur Paternitati: nam relatiua oppoſitio arguit incompoſsibilitatẽ ſimul, cum oppoſitione in Filiatione, reſpectu Paternitatis: incompoſsibilitas autem nata ex rationibus formalibus incompoſsibilium, nõ minor eſt, quam quæcumque alia incompoſsibilitas: licèt incompoſsibilitas oppoſitionis, forſan pluribus titulis ſit quam altera. Filiatio enim eſt incompoſsibilis Paternitati ex ſua ratione formali, & ratione oppoſitionis relatiuæ, quam habet cũ illa: eſt tamen incompoſsibilis ſpirationi paſsiuæ non ratione oppoſitionis: ſed ex ſua ratione formali: & ideo reſpectu Paternitatis dicit duplicem titulum incompoſsibilitatis: reſpectu verò ſpirationis, non illum duplicem, ſed vnicum dicit: ratione cuius Filiatio eſt nõ minus incompoſsibilis ſpirationi paſsiuæ, quã Paternitati, & ſi hæc eadem incompoſsibilitas ſibi inſit pluribus titulis reſpectu vnius, quam reſpectu alterius.

Filiatio eſt incompoſsibilis, tã ſpirationi paſsiuæ, quàm Paternitati: licèt huic etiam oppo natur relatiue.

33. Nunc ergo mea intereſt patefacere Filiationem incommunicabilem eſſe ſpirationi paſsiuæ, & è contra: & ex eo, quod vtraque ex tad inuicem formaliter incommunicabilis, vtramque ad inuicẽ incompoſsibilem eſſe. Quod ſic oſtendo: & primo Filiationem ſecundum præcisam rationem Filiationis, ſeclu ſo quocunque ordine ad ſpirationem actiuam, & ſublata quacumque dependentia ab illa, eſſe verè perſonalitatem, & incommunicabilem ſubſiſtentiam, ſatis viſum eſt ſupra, num. 25. & 26. ſed præſertim, num. 27. de ſpiratione autẽ paſsiua, hoc idẽ luce clarius patefacio. Ad quod ſuppono ſpirationem paſsiuam eandem futuram fuiſſe, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, quã nunc eſt, à Filio procedens. Nam ſpiratio paſsiua non refert Spiritum Sanctum ad Patrem, & Filiũ, tanquam ad duo ſpiratores, ſed veluti ad vnum ſpiratorem: quia principium formale ſpirandi eſt omnino idem in vtroque, ac ideo eadem prorſus ſpiratio actiua eſſet in Patre, ſi ſolus ſpiraret, quæ nunc eſt in Patre, & Filio ſimul ſpirantibus. Spiratio enim actiua, non eſt duplex in Patre, & Filio, ſed vna, & indiuiſibilis ſpiratio. Si igitur eſſet eadem prorſus ſpiratio actiua in ſolo Patre, quæ nunc eſt in Patre, & Filio: eadem procul dubio eſſet ſpiratio paſsiua in Spiritu Sancto; ſi à ſolo Patre procederet, quæ nunc eſt in illo procedente ſimul à Patre, & Filio: quia manente inuariata ſpiratione actiua, inuariata quoque maneret ſpiratio paſsiua ei correſpondens. Ex his ergo ſic conficio argumentum: ſpiratio paſsiua, nunc de facto habet ex natura, & quidditate ſua eſſe ſubſiſtentiam incommunicabilem, & ſuppoſitalitatem, ſeu perſonalitatem: alias ènim non poſſet tertiam perſonam Sanctiſsimæ Trinitati formaliter conſtituere. Sed etiam ſi Spiritus Sanctus à ſolo Patre procederet: eſſet in Spiritu Sancto eadem inuariata ſpiratio paſsiua, quæ nunc eſt in illo. Ergo tunc ex natura, & quidditate ſua ſpiratio paſsiua eſſet ſubſiſtentia incommunicabilis, & perſonalis. Sed ſubſiſtentia incommunicabilis perſonalis, eſt alteri ſubſiſtentiæ incommunicabili perſonali incompoſsibilis: ergo etiam ſi Filius Spiritum Sanctum non produceret: adhuc non poſſent in eodem ſuppoſito ſimul eſſe Filiatio, & ſpiratio paſsiua, eo quod ſunt incompoſsibiles: & ideo ſi Filius Spiritum Sanctum non produceret: adhuc non poſſet vtrque eſſe vna, & eadem perſona, ſed eſſent duæ perſonæ realiter diſtinctæ.

Vrgeo hoc argumentũ: nã à Vazquio, 34.

& à quocumque ex cæteris aduersarijs quæro, an in casu, quo Spiritus Sanctus à Filio non procederet, Filiatio, & spiratio passiua essent subsistentiæ incommunicabiles, & personalitates, aut nõ? Si primum mihi concesseris: profecto necessario mihi concedes, esse personas distinctas Filium, & Spiritum Sanctũ ex iam probata incompossibilitate vtriusque personalitatis in eodem suppositio. Si tamen secundum dicas, neutra constituit personam secundam, quæ tunc esset secundum tuam sententiam: siquidem neutra incommunicabilis subsistentia, seu personalitas est. Et tunc Pater, nec esset Pater: quia non esset persona Filij ab eo genita: deficiente etenim Filiatione terminante Paternitatem, Pater non esset, & tunc tota Trinitas desineret esse: nam Pater ideo est persona Patris: quia genuit personam Filij à se distinctam. Tunc autem non esset persona Filij: quia Filiatio per se non esset subsistentia incommunicabilis: nec spiratio passiua similiter esset incommunicabilis subsistentie: & ideo non esset persona aliqua, quæ esset Filius, & Spiritus Sãctus: quia non esset per quid constitueretur talis persona.

35. Si autem dixeris, tunc ex vtraque relatione, scilicet, ex Filiatione, & spiratione passiua simul constitui talem personam. Contra, quia huiusmodi relationes seorsum sumptæ incommunicabiles essent, vt coniunctæ: quia incõmunicabilitas non potest ex tali coniunctione oriri: tunc enim ipsa communicabilitas esset formaliter incommunicabilitas, quod repugnat. Si etenim ex eò quod sunt simul compossibiles, & communicabiles, constituunt personam, quã neutra seorsum sumpta poterat constituere: procul dubio ratio communicabilitatis est ipsa incommunicabilitas, seu incommunicabilis subsistentia, quæ formaliter constituit personam: quod quã ridiculum sit, nemo nescit. Debes ergò concedere incommunicabilem subsistẽtiam, non ex tali coniunctione huiusmodi relationũ prouenire: sed ex eo, quod quælibet, vel saltem altera ex se incommunicabilis est, & sufficienter constitutiua personæ. Et tunc ad primum redeo, quod scilicet, si quælibet ex se est incommunicabilis entitas, & subsistentia personalis: consequenter ambæ sunt incompossibiles in eodem supposito: ac propterea realiter distinguuntur, & diuersas personas constituerent, etiam si Spiritus Sanctus à Filio non procederet. Si autem alteram tantum modo asseras incõmunicabilem esse, & consequenter cõstitutiuam personæ: tunc manet dubiũ, an hæc talis subsistentia incommunicabilis sit Filiatio, an vero spiratio passiua. Et non est maior ratio de vna, quam de alia: nam si Filiatio est talis subsistentia incommunicabilis: tunc independẽter ab spiratione passiua personam constituit: & ex consequenti, si nulla spiratio esset in Filio: adhuc eandem personam constitueret, quam nunc constituit, & ipsa Filiatio præcisa, est, quæ Filij personam constitueret, & constituit. Si autem spiratio passiua, esset illa incõmunicabilis subsistentia quæ talem personam formaliter constitueret: tunc Pater, vt Pater per generationem terminaretur ad personam Spiritus Sancti, & non ad personam Filij: siquidem ratio constitutiua personæ, necessario esset ratio terminatiua generationis, quæ Pater generat personam à se distinctam. Relinquitur ergo, vel vtramque relationẽ subsistentiam incommunicabilem esse, vel neutram sic incommunicabilem esse: & sic prædictum argumentum vtroque modo conuincere.

36. Verum enim vero respondebit aduersarius, bene quidem capio subsistentias incommunicabiles, seu personalitates incompossibiles esse, & consequenter Filiationem, & spirationem passiuã, si essent incommunicabiles, esse quidem incompossibiles in eodem supposito. Sed vnde nobis constare poterit huiusmodi relationes incõmunicabiles esse? Huic difficultati occurrit Scotus ostendens, quæ sint relationes incommunicabiles, & incompossibiles, & vndè hoc eis prouenial. Ad istorum ergo resolutionem, est tertio obseruandum, hic non esse dubium personalitates incommunicabiles esse: quia hoc ex definitione personæ supponitur: quæ est intellectualis natura incommunicabilis subsistentiæ. Nec etiam est nobis dubium, relationes, in quantum sunt precisè relationes, non esse constitutiuas

uas personarum: tunc enim relationes creatæ constituerent personas, quod est absurdum: sed est certum relationes diuinas, ideo esse constitutiuas personarum: quia sunt incommunicabiles subsistentiæ, seu entitates incommunicabiliter subsistentes: & eas relationes esse incommunicabiliter subsistentes, quæ in eodem suppositio incomposibiles sunt: ideo enim spiratio actiua non constituit personam: quia est communicabilis filationi, & Paternitati in Patre, & Filio. Vnde ergo proueniat relationibus in eodem suppositio incommunicabiles, & incomposibiles esse, est, quod dubium præsens inuestigat. In composibilitas ergo relationum ex duplici capite prouenire potest. Primo quidem: quia repugnat idem se ipsum producere, vel esse productum à se ipso. Secundo vero: quia repugnat vnum, & idem bis esse totaliter, & adæquate productum.

Relationes diuinæ quia sunt incommunicabiliter subsistẽtes, constituunt personas.

37. Ratione primi, sunt incomposibiles Paternitas, & Filiatio (& idem est de spiratione actiua, & passiua) eo enim quod Pater non potest esse Pater sui ipsius, nec Filius potest se ipsum generare: Paternitas, & Filiatio incõposibiles sunt, & ex consequenti incommunicabiles: ideo enim incomposibiles sunt in eodem suppositio: quia sunt formaliter incommunicabiles: propterea que sunt cõstitutiuæ personarum. Ratione vero secundi, sunt incomposibiles aliæ relationes disparatæ, vt potè Filiatio, & spiratio passiua, vel etiam paternitas, & passiua spiratio: non enim minus distingueretur Pater ab Spiritu Sancto, si à solo Filio Spiritus Sanctus procederet: quã Spiritus Sanctus à Filio, si â solo Patre esset productus: nunc autem in proposito solum de Filiatione, & spiratione passiua loquimur. Ratio ergo huiusmodi incomposibilitatis est: quia generatio, & spiratio sunt duæ productiones reales adæquatæ productiuæ adæquatorum terminorum: ita quod ideo Pater non potest plures Filios generare: quia per vnicam productionem Verbi habet terminum adæquatum totius fœcunditatis suæ memoriæ: qui terminus necessario est Verbum infinitum incommunicabiliter subsistens: & similiter ideò non possunt plures Spiritus Sancti spirari: quia spiratio est productio adæquata, & terminatur ad terminum adæquatum totius fœcunditatis voluntatis diuinæ: qui terminus est Spiritus Sanctus, infinitus, & incommunicabiliter subsistens. Ex quo sic conficitur argumẽtum: si Verbum, & Spiritus Sanctus essent vna persona: idem esset bis adæquatè, & totaliter productum per hanc dupilcem adæquatam, & totalem productionem: & idem produceretur simpliciter semel per generationem, & iterum per spirationem: & idem produceretur duabus productionibus scholasticus: nam generatio diuina est totalis productio totius termini: & similiter spiratio est totalis productio totius termini.

Vnde proueniat Spirationem passiuam, & Filiationẽ incomposibiles esse in eodem suppositio.

38. Hoc autem manifestè repugnat: nam tunc per neutram istarum productionũ illud productum reciperet esse simpliciter: quia qualibet sublata, per alteram posset suum esse recipere: & ita si simul ambæ concurrerent, per neutram totaliter reciperet esse. Vel si recipit esse per primam: profecto, iam secunda superflueret. Quod vrgeo: nam per primam adæquate communicatur productio tota natura diuina, quæ est in Patre, & cum omnibus perfectionibus, quas habet Pater cum illa: nihil igitur restaret sibi cõmunicandum per secundam: ergo nihil restaret producendum per spirationẽ: quia per productionem diuinam, necessario communicatur natura diuina producto, cum omnibus suis perfectionibus: ergo non est quid communicetur per secundam productionem: siquidem tota natura cum omnibus perfectionibus, quas habet, iam supponitur communicata producto per primam productionem: & ideo nihil restaret communicandum illi per secundam: & ex consequẽti, nihil producendum restabat, cum per productionem diuinam necessario communicetur natura, & sic secunda productio pœnitus superflueret.

39. Nec poteris dicere, per secundam productionem reproduci eundem terminum primæ productionis: nam tunc iam spiratio non esset adæquata productio termini: siquidem terminus eius totaliter supponitur præexistere per aliã productionẽ productus, & nihil de nouo poneret hæc secũda productio in productio, nisi nouã relationẽ, ad relationem autem intrinsecus aduenientem, nõ est

Productum non potest reproduci.

Ad relationem intrinsecus aduenientem nõ est perfemotus.

perse motus, sed ad fundamentum talis relationis: nam ad productionem producti, relatio comproducitur: ergo perse productio diuina non potest terminari primo, & perse ad relationẽ, sed ad fundamentum illius, nullum autem fundamentum spirationis passiuæ esset in illa persona, nec talis relatio comproducitur ad productionem producti in tali casu: siquidem totum productum iam supponitur præexistens ex vi primæproductionis. Repugnat igitur idem totaliter bis produci, & ex hac repugnantia repugnat vnam, & eandem personam totaliter produci per generationem, & spirationem, & ex consequenti Filiatio, quæ est ratio terminãdi generationem, & spiratio passiua, quæ est ratio terminandi spirationem actiuam, sunt incompossibiles in eodem supposito, tanquam rationes distinctè terminantes distinctas productiones reales, quarum quælibet totam naturam communicat producto: & hæc est ratio incompossibilitatis huiusmodi relationum in eodem supposito, videlicet quod sicut repugnat, idem totaliter bis esse productum: sic repugnat duas rationes terminandi distinctas productiones totales, posse eidem producto competere: ac ideo nequeunt Filiatio, & spiratio passiua esse in eadem persona.

40. Nec aliquid obesse potest solutio Vazquij qua cap. 6. num. 28. credit se soluere quoddam argumẽtum Scoti de duplici emanatione, vbi postquam inquit, quod Thomistæ, qui duas emanationes tunc Scoto concederent, in eo casu esse futuras: vere defendere possunt non futuras esse duas relationes producti, & duas productas personas (in quo benè penetrauit Vazquius vim argumenti Scotici) continuo solutionem propriam obij ciens, inquit, quod melius compararetur illa persona operationi intellectus, & voluntatis: si vtraque potentia eundem actum, & operationem æque primo produceret. Tunc enim sicut nullus esset ordo realis inter intellectum, & voluntatem in operando: sic etiam nullus esset inter illam personam diuinam quatenus esset Filius, & eandem quatenus esset Spiritus Sanctus: quia cum ea ratione qua Spiritus Sanctus esset, non procederet à Verbo producto per intellectum, nullum ordinem realem cum illo haberet: non inquam hæc Vazquij solutio ob esse potest, etiam si adprædicta applicetur, nec aliquid eorũ valet minuere: quia illud figmentum distinctarum potentiarum in nobis æque primo producentium eundem actum, aut eandem operationem, non potest diuinis productionibus adaptari: nam diuinus intellectus, & diuina voluntas in casu quæstionis non mutarentur ab illis formalibus rationibus, quas nunc habent. Nunc autem nequeunt diuinus intellectus, & diuina voluntas eundem actum productiuum æque primo habere: quia ex suis rationibus formalibus postulant distinctas productiones, quarum vna est per modum naturæ, & altera per modum voluntatis: & primæ formaliter competit esse generationem, non tamen secundæ hoc potest competere.

Potẽtiæ diuinæ neque unt eũdem actum productiuũ habere.

In variatis ergo rationibus formalibus potentiarum, inuariantur quoque actus productiui illarum. Quomodo igitur possent illæ duæ potentiæ eundem actum æque primo producere? nam vel ibi accipit eundem actum pro termino productionis, vel pro ipsa productione. Si illum accipiat pro termino, non inde probat ex identate termini producti nõ esse duas productiones: siquidem potest intelligi idem terminus pluribus productionibus partialibus esse productus. Et tunc iam simulat responsionem Thomistarum, quam reprobauerat, scilicet, esse duas productiones realiter distinctas, & concedit vix posse admitti duas productiones reales, quin concedantur duæ personæ productæ. Si vero accipiat ibi eundem actum pro ipsa productione, est manifeste falsum asserere eãdem numero productionem esse ab illa duplici potẽtia. Tum quia sicut modo non potest intellectus, & voluntas Dei eandem numero productionem habere, siquidẽ ex rationibus formalibus suis vna queque istarum potentiarum postulat propriam, & peculiarem productionẽ habere: sic in casu quæstionis, eo quod tunc eædem potentiæ inuariatæ manerent, non possent habere eandem numero productionem. Tum quia voluntas necessario præsupponit, in Deo etiã, actionẽ intellectus, & intellectus aliqua priritate prius producit, & operatur, quam

41.

voluntas

voluntas. Ex quo non possent æque primo producere personas: nam etsi intermino producto talis ordo non esset (vt Vazquez volebat) non tamen potest in producente per intellectum, & voluntatem, non esse ordo prioritatis, & posterioritatis in operando. Cum etiam: quia quælibet istarum potentiarum haberet eandem productionem sibi propriam: quam nunc habet: nam vt dixi, inuariata maneret potentia, sicut nunc est: & sicut productio cuiuslibet istarum potentiarum est nunc totalis respectu termini producti: sic etiam tunc esset totalis. Et ex consequenti, si vtraque æque primo produceret: vtraque æque primo totaliter produceret: & idem æque primo bis totaliter esset productum, quod implicat.

42. Non igitur potest negari tunc futuras fuisse duas productiones reales totales per intellectum, & voluntatem, sicut & nunc. Quo semel admisso, necessario admittendum est, si per has duas productiones eadem persona esset producta: quod idem bis totaliter, & adæquate produceretur, quod manifestam repugnantiam inuoluit. Ex quibus relinquitur nō solum relationes oppositas in eodem supposito incompossibiles esse, sed etiā aliquas disparatas.

43. Est denique obseruandum nemini dubium esse aliquam esse distinctionem inter Filiationem, & spirationem passiuā: nam sicut plerumque omnes scholastici aliquam distinctionem, saltem virtualē, seu rationis ponunt inter Filiationem, & spirationem actiuam in Filio: sic in casu nostræ difficultatis, quod scilicet, Spiritus Sanctus à Filio non procederet, existimant in Filio futuram fuisse spirationem passiuam cum eadem identitate, & distinctione, qua nunc est in eo spiratio actiua. Atque ideo sicut Filiatio, & spiratio actiua, nunc sunt realiter idem, & tantum virtualiter secundum illos, seu formaliter actu ex natura rei (secundum Scotum) distinctæ: sic credunt spirationem passiuam, & Filiationem futuras fuisse realiter idem, & tantum ratione, seu virtualiter, aut ad summum formaliter, distinctas, & ex consequenti in eadem persona duas relationes in tali casu non nēgant. Has autem distinguendas esse realiter, aut ratione, seu virtualiter est sub lite, quæ hīc controuertitur, quam sequentes conclusiones resoluunt.

§. 7.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

HIs præhabitis difficultatem cōcludendo, dico primo, hypothesim, huius difficultatis iure optimo admittendam esse in scholis. Conclusio hæc est communis contra auctores primæ sententiæ: ex cuius confutatione satis ibi probata manet in difficultatis principio. 44. 1. *Concl.*

Dico secundo, quod ablata spiratione actiua, aut virtute spiratiua à Filio: per solam Filiationem maneret Filius vera, & realis persona Filij. Conclusio hæc satis probatur ex eis quæ dicta sunt sunt supra à num. 21. vsque ad num. 27. vbi latè ostendi Filiationem secundum suam præcisam rationem independenter ab spiratione actiua constituere realem personam Filij: ergo si per impossibile in Filio non esset spiratio actiua, sed tantum Filiatio, secundum suum præcisum conceptum Filiationis: Filius esset realis, & vera persona Filij. 45. 2. *Concluſ.*

Dico tertio, quod etiam si per impossibile Spiritus Sanctus à solo Patre (vt Græci dicebant) procederet, & non à Filio: adhuc ab eo realiter personaliter esset distinctus. Conclusio est Scoti contra auctores secundæ sententiæ, quæ probatur primo verbis Concilij Florentini, quæ aduersarij nobis obiectant: nam pro nostra sententia faciunt manifeste, vt infra in responsione ad primum argumentū patebit. 46. 3. *Concluſ.*

Probatur secundo ingenti auctoritate D. Anselmi in lib. de processione Spiritus Sancti, c. 4. vbi hæc profert: *Nam si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus Sanctus: per solū hoc essent diuersi, scilicet, quia alter nascendo, alter existit procedendo.* Quibus verbis videtur Anselmus hāc nostrā difficultatem vidisse, & resoluere intendisse: si quidē in illa nobiscū concludit duplicē rationē distinctiuam Filij ab Spiritu Sancto, & è contra reperiri in illo: nā & Filius distinguitur ab Spiritu Sancto (vt supra ostendimus) per spirationē actiuā, per quā ei relatiuē opponitur, & per præcisam Filiationē, qua 47. D. *Anſel.*

constituitur in esse personæ. Vnde dicit Anselmus, quod etsi prima illa ratio nõ adesset, ista secunda sufficeret adhoc, vt Filius, & Spiritus Sanctus essent distinctæ personæ, dum expresse asserit, *per solum hoc essent diuersi, scilicet, quia alter nascendo*, hoc est, alter per Filiationem: *alter existit procedendo*, hoc est, alter per spirationem passiuam distinguerẽtur. Quod iam expresserat antea in cap. 2. his verbis: *Nam quomodo Filius exiſtit ex Deo nascendo, Spiritus Sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis, & processionis referuntur ad inuicem, vt diuersi; & alij ad inuicem.* Quibus verbis aperte ostendit Anselmus distinctionem Filij, & Spiritus Sancti sumi ex Filiatione, quam natiuitatem vocat: & ex spiratione passiua, quam vocat processionem: & ibi relationes disparatas ad distinctionem personalẽ sufficere, satis ostendit: nam licet tales relationes non referantur relatione oppositionis: referũtur nihilominus, quatenus comparantur: quia ibi referri idem est, quod comparari: vt benè Pater Herrera explicuit.

Referri, & comparari idem significant.

48. Item, clarius probat idem Anselmus ibidem cap. 4. dum inquit: *Habent vtique à Patre esse Filius, & Spiritus Sanctus, sed diuerso modo: quia alter nascendo, alter procedendo, vt alij sint ad inuicem: per hoc, quod dictum est, vt putà: quia alter nascitur, alter vero procedit. Et ideo cum nascitur vnus, non potest cum eo nasci ille: quia per hoc est alius ab eo: quia non similiter nascitur, sed procedit: & cum vnus procedit, nequit ille simul procedere: quia per hoc est alius ab illo, qui non similiter procedit, sed nascitur.* Hæc præclara verba D. Anselmi conclusionem nostram satis confirmant, & explicant, qui, paucis interiectis verbis, hæc subdit: *Et ideo non habet hic vnitas illa vim consequentiæ: quia pluritas obuiat, quæ ex natiuitate nascitur, & processione. Nam etsi per aliud non essent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diuersi.* Quibus verbis nõ solum probat Anselmus veritatem conclusionis: sed pro ea respõdet illi Axiomati, quod indiuinis omnia sunt vnũ: vbi nõ obuiat relationis oppositio: & inquit, quod vnitas illa non obuiat isti pluralitati, neque hic consequentia tenet: quia etsi Filius, & Spiritus Sanctus, non opponerentur relatiuè, quatenus Spiritus Sanctus à Filio non procederet, per hoc solũ, quod Filius nascitur in præciso esse Filij, & Spiritus Sanctus procedit: sunt distinctæ personæ Filius, & Spiritus Sanctus. Probatur iterum ab eodem Anselmo ibidem c. 1. in fine, verbis, quæ adducit Doctor in textu huius secundi articuli paulo ante solutionem argumentorum.

49. Secundo ratione probatur, illo, videlicet medio Scoti, supra in num. 16. examinato. Quoniam, scilicet, quod est formaliter constitutiuũ alicuius in aliquo esse, est formaliter distinctiuum ipsius à quocumque non habente tale esse: sed Filiatio est formaliter constitutiua Filij in esse Filij: ergo est distinctiua formaliter ipsius ab Spiritu Sancto, qui non est Filius. Hæc ratio declaratur ab Scoto, vt habetur in textu citati articuli secundi sub §. *secundo sic*: ex quo concluditur, quod cum ratio constitutiua personæ Filij sit Filiatio, vt satis probauimus supra, hæc eadem Filiatio est ratio distinctiua personæ Filij à quocumque alio non constituto per ipsam; sed Spiritus Sanctus non constituitur in ratione personæ Spiritus Sancti per Filiationem: ergo Filiatio sufficientissime distinguet personaliter Filium ab Spiritu Sancto. Hanc efficacissimam rationem intendunt soluere aduersarij variis responsionibus: quæ satis impugnatæ sunt supra, à num. 18. vsque ad numer. 36. vbi, & in sequentibus diffusè hæc probatur conclusio.

50. Tertiò probatur alia ratione Scoti: nã processiones per actũ intellectus, & voluntatis, eidem personæ repugnant: ergo repugnat, eandem personam produci per actum intellectus, & voluntatis. Antecedens probatur: quia quod procedit per actum intellectus, procedit simile producẽti ex ratione formali suæ processionis: illud autẽ, quod procedit per actum voluntatis, non procedit simile ex vi processionis, nec ex ratione formali ipsius: sed procedere simile, & procedere nõ simile ex vi processionis repugnat eidem personæ procedenti: ergo idẽ personæ procedenti repugnat procedere per actum intellectus, & per actũ voluntatis: sed etiam si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, procederet quidem per actum volũtatis, sicut nunc procedit: & similiter Filius per actũ intellectus:

Eadem persona non potest produci per intellectum, & voluntatẽ.

ctus:ergo vna,& eadem perſona nõ poſſet eſſe Filius,& Spiritus Sanctus.

51. Confirmatur hæc ratio à Doctore in hoc ar.2.§.*ex ſecundo medio*: nam generatio diſtinguitur ab ſpiratione: & hoc per impoſsibile,circumſcripto omni alio à ratione generationis,& ſpirationis: aut ſaltem circumſcripto, hoc quod ſpiratio actiua eſſet à Filio, dum tamen ſtaret diſtinctio principiorum generandi, & ſpirandi,quæ ſunt intellectus,& voluntas:ergo circumſcripto quocumque tali,ſtaret diſtinctio Filij,& Spiritus Sancti:hoc eſt,circumſcripto, quod ſpiratio actiua eſſet à Filio:ſtaret quidem realis,& perſonalis diſtinctio Filij, & Spiritus Sancti. Conſequentia probatur à Doctore:quia impoſsibile eſt,vnam perſonam duabus productionibus totalibus accipere eſſe: nulla enim productione aliquid accipit eſſe,qua per impoſsibile circumſcripta,non minus acciperet eſſe:ſed ſi productione hac, & illa acciperet aliquid eſſe,& vtraq; complete:quia vtraque eſſet perfecta:igitur vtraque circunſcripta haberet eſſe per alteram: & ita neutra,& vtraq; acciperet eſſe. Hæc ratio,& eius confirmatio, ita premit aduerſarios,vt vnuſquiſque prolibito varias eius ſolutiones confingat: quæ omnes fere, vt Vazquez notauit, dummodo diſtinctæ productiones concedantur in illis nõ minuunt efficaciam argumenti:ſiquidem duabus productionibus admiſsis ex parte producentis,minimè poteſt defendi, non eſſe duplicem perſonam illis correſpondẽtem ex parte producti. Neque ipſius Vazquij noua, & excogitata ſolutio aliquantulum argumẽti difficultatem euacuat, prout ſupra, à num.40.vſq; ad 42.contra ipſum oſtẽdi.

52. Nec valet etiam aliorum ſolutio dicentium,in tali caſu eandem perſonam non producendam fore æque totaliter prædictis duabus productionibus: vna etenim produceretur ſimpliciter in eſſe perſonæ,& altera ſecundum quid. Vndè admiſſa hypotheſi quæſtionis,Filius ſimpliciter produceretur per intellectũ in eſſe perſonæ Filij:ſecundum quid verò produceretur in eſſe ſpirati. Sed meherclè hæc ſolutio deſtruit quidditatem ſpirationis,& inuoluit in perſona producta manifeſtam repugnantiam. Primum oſtendo:quia ſpiratio actiua eſſet productio Paternæ voluntatis, non minoris virtutis, quam nunc eſt ſpiratio eiuſdem voluntatis,prout in Patre,& in Filio: ſed nunc,voluntas Patris,& Filij totaliter ſpirat perſonam infinitam incommunicabiliter ſubſiſtẽtem: ergo in tali caſu, etiam talem perſonam, etiam incommunicabiliter ſubſiſtentem ſpiraret. Non enim intendit virtutem ſpirati uam voluntatis pluralitas ſuppoſitorum: atque ideò ſi duo ſuppoſita Patris, & Filij neceſſario per eam ſpirant perſonam incommunicabiliter ſubſiſtentẽ: proculdubio ipſa voluntas in vnico Patris ſuppoſito habens eãdem vim ſpirati uam,neceſſario perſonam incommunicabiliter ſubſiſtentem ſpiraret. Secundum manifeſtius probo: nam ſpiratio in illo caſu eſſet realis productio neceſſario terminata ad aliquem terminum realem de nouo habentem eſſe per ipſam, quod cuilibet productioni reali conceditur. Tunc autem ſi à parte termini,iam per productionẽ intellectus præſupponitur ſimpliciter perſona Verbi producta:nihil realè de nouo per productionem voluntatis in tali perſona reſultat, niſi noua relatio ſpirationis paſsiuæ. Ad relationem autem non eſt per ſe motus, nec perſe productio, vt ſupra oſtendimus, num. 39. nec talis relatio, niſi ad nouum reale productum, poteſt comproduci: ibi autẽm nihil reale de nouo productum per ſpirationem actiuam admittitur:igitur eſt mera imaginatio ponere illam duplicem productionẽ,quarum prima producat. Simpliciter, & ſecunda ſecundum quid,eandem perſonã.

Virtus ſpiratiua non petit pluralitatem ſuppoſitorum.

53. Quarto probatur etiam ratione Scoti:quoniam ſi Spiritus Sanctus à ſolo Filio procederet,& nõ à Patre:adhuc realiter diſtingueretur à Patre,& Pater realiter diſtingueretur ab Spiritu Sancto: ergo eadem prorſus ratione, ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet,realiter diſtingueretur ab ipſo. Conſequentia probatur:quia eo Pater tunc diſtingueretur ab Spiritu Sancto:quia independẽter ab ſpiratione actiua Paternitas perſonam Patris conſtituit: ſed ſimiliter Filiatio independenter ab ſpiratione actiua conſtituit perſonam Filij,prout latè probatum eſt ſupra ânu.25. vſq; ad nu. 27. ergo non minus ſufficienter diſtinguit Filiatio Filium ab Spiritu Sancto

Spiritus Sanctus ſi à ſolo Filio procederet, diſtingueretur realiter ab illo.

in

in ratione perſonæ,quam Paternitas.

54. Reſpondent aduerſarij huic argumẽto paritatem rationis negando: nam licet Spiritus Sanctus immediatè à Patre non procederet: procederet nihilominus mediatè ab eo,quia ſcilicet, procederet à Filio, qui à Patre procedit:& tunc referretur ad Patrem mediate, & ad Filium immediatè: & ponunt exemplum de nepote, & auo, qui ſaltem mediatè refertur ad nepotem. Hæc tamen ſolutio,nec apparenter ſoluit argumentum:nam ipſum argumẽtum retorqueo contra aduerſarios,& argumentor adhominem: quia ſecundum ipſos indiuinis nulla eſt, nec poteſt eſſe diſtinctio, niſi per oppoſitionem relatiuam: ſed in tali caſu inter Patrem,& Spiritum Sanctũ nulla eſſet relatiua oppoſitio:ergo,&c. Minorem euidenter probo: quia relatiua oppoſitio tantummodo reperitur inter relationes quæ ſe mutuò reſpiciunt, & quarum altera terminat reſpectiuam tendentiam alterius: ſed Paternitas, & ſpiratio paſsiua, non ſe mutuò reſpiciunt, nec Paternitas terminat tendentiam ſpirationis paſsiuæ, nec è contra ſpiratio paſsiua terminat tendentiam Paternitatis. Quod patet: quia tunc Paternitas ex ratione formali Paternitatis referret Patrem ad Spiritum Sanctum, ſicut ſpiratio actiua Patrem refert ad illum:& non magis referretur Pater ad Spiritum Sanctum per ſpirationem actiuam,quam per Paternitatem: & conſequenter non minus eſſet intellectus Paternus principium ſpirationis,quamvoluntas:nec magis eſſet generatio actiua Patris fundamentum Paternitatis,quam relationis ſpirationis actiuæ: ſiquidem non minus ex hac generatione conſurgit in Patre relatio ad Spiritum Sanctũ: quam ex productione ſpiratiua. Hæc autem omnia ſunt manifeſta abſurda: igitur abſurdum eſt dicere Patrem per præciſam Paternitatem aliquo modo, etiã mediate, referri ad Spiritum Sanctum, ſed non obſtante, quod non refertur ad illum,per præciſam Paternitatem ab eo realiter diſtinguitur: ergo non obſtante, quod Filius per præciſam Filiationem ad Spiritum Sanctum non refertur,realiter diſtingueretur ab ipſo. Nec exemplum,quod adducunt de auo & nepotè eſt ad propoſitum. Nam eſto quod in creatis inter nepotem, & auum eſſet illa mediata relatio,quam ipſi adducũt: adhuc nõ tenet exemplum: quia nepos eſt Filius Filij naturaliter genitus, & naturaliter,ſaltim mediate ab auo deſcendens. Si autem Filius haberet poteſtatẽ creandi, & per voluntatem crearet aliũ hominem à ſe diſtinctum:iſte talis, non eſſet nepos Patris,ſui creatoris: quia nõ per naturalem generationem à principio deriuato naturaliter ab illo eſt propagatus,Sic in propoſito,ſi Filius indiuinis per principium generatiuum alium Filium naturaliter generaret: tunc iſte poteſt dici nepos Patris æterni,& teneret exemplum adductum: atqui in caſu argumenti, Filius non per intellectum, ſed per voluntatem liberè Spiritum Sãctum produceret:& ſic non eſſet nepos Patris,nec ad illum, ſaltim mediatè,referretur.

Oppoſitio relatiua ſolum reperitur inter relationes oppoſitas.

Paternitas & ſpiratio paſsiua non ſe mutuò reſpiciunt.

§. 8.

Soluuntur argumenta ſecundæ ſententiæ.

55. Iam ad argumenta pro ſecunda ſententia (prima etenim ſatis ibi confutata eſt)& ad primum deſumptum ex Concilio Florentino, patet, verba illa Concilij noſtram confirmare ſententiam. Nos enim ponimus diſtinctionem perſonarum,vbi eſt diuerſitas proceſsionũ: ibi autem dicitur ſecundum omnes Doctores tam Græcos,quam Latinos, ſola differentia proceſsionum multiplicari perſonas indiuinis. Et ideo etiam ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet,inter eos eſſet differentia proceſsionum: quia Filius procederet per intellectum: Spiritus Sanctus vero per voluntatem: quæ duæ proceſsiones ſufficientiſsime diſtinguunt Filium,& Spiritum Sanctũ, licèt inter eos nulla eſſet oppoſitio relatiua. Ad illud vero quod adducitur ex eodem Concilio ſeſsion. vltima reſpondeo,adulterata eſſe talia verba: nõ enim legitur ibi, quod aduerſarij allegant: prout videre licet in Codicibus Coloniæ typis mandatis anno Domini 1567. Vbi hæc proferuntur verba: *Nam credentes Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere,neceſſe eſt vt intelligant Spiritum à ſolo Patre procedere, & conſequenter non eſſe Filium.* Et infra. *Qui autem proferãt Spiritum*

Ad primũ argumentũ pro ſecunda ſententia.

Loca Concilij Florentini explicantur.

ritum Sanctum ex sola Patris persona procedere, ij proculdubio re substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur diuinæ substantiæ, quod à ratione, fideque valde alienum pie creditur esse. Inter quæ verba Concilij non ponitur illud per parẽtisim, quod ipsi addiderunt, vt potè (*& distingui à Filio*) sensus igitur Concilij est iste. Qui credunt Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, & non à Filio: manifestè errant: quia ex hoc sequitur, vel quod non est Filius in diuinis: vel si esset, quod Pater, & Filius, non habent eandem substantiam, & essentiam, sed diuisam, & sæparatam. Et illatio huius consequentiæ ex eo patet: quia cum voluntas Patris sit productiua Spiritus Sãcti, & Spiritum Sanctum producat: voluntas autem Filij non producat Spiritum Sanctum: ergo vel non esset eadem voluntas in Patre, & Filio: vel Pater, & Filius non haberent eandem substantiã. Hoc est, si voluntas esset eadem in Patre, & Filio, necessario Pater, & Filius simul producerent Spiritum Sanctum: alias enim substantia, & essentia Patris cum qua necessario est talis voluntas, esset substantia separata ab hyposthasi seu persona Filij. Et hic est legitimus sensus verborum Concilij, quæ nullatenus nostræ sententiæ aduersantur.

56. *Ad 2. arg.* Ad secundum ex auctoritate Patrum, & ad illa verba citata Nisseni respõdeo ipsum voluisse conuincere alios Græcos, qui Spiritum Sanctum â Filio procedere negabant: vt qui aliàs fatebantur Trinitatem personarum in Deo: cogerentur, hanc Spiritus Sancti processionem esse à Filio, confiteri: si nullam aliã rationem distinctionis diuinarum personarũ agnoscerent, nisi relatiuam oppositionem seu differentiam causati à causa. Ac ideo vsus est hoc argumento ad probandum Spiritus Sancti processionem à Filio esse: non quidem ob hoc negans alia esse principia distinctiua harum duarum personarum: sed dicens illas rationes causati, & causæ esse solas per quas deprehendebat vnam diuinam personam discerni ab alia: vt cæteri Græci credentes Trinitatem personarum: & deprehendẽtes per solas relationes causati, & causę, diuinas personas distingui: facilius conuincerentur credere Spiritum Sanctum necessario â Filio procedere: siquidẽ ab eo distinguitur realiter, & in diuinis sola distinctio per origines deprehenditur. Quo argumento nõ eos fefellit: sed assumpsit verũ mediũ arguẽdi, vt eos in Fidei articulo instrueret, tacendo tamẽ alia ibi esse principia distinctiua: quia hoc ad fidem non pertinet, sed ad Theologicã quæstionẽ, ne forsan cognito alio principio distinctiuo, quo Trinitatem personarum sine processione Spiritus Sancti à Filio possent defendere: in suo errore persisterent.

57. Ad D. Anselmum, iam patuit ex supra notatis, nu. 48. ipsum soluisse maximam illam, dum inquit, non tenere vim cõsequẽtiæ, in pluralitate processionũ, quæ obuiat vnitati, &c. Vndè pluribus modis prædicta maxima soluitur. Primo enim dicitur, & benè, quod in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio: non tamen dicitur, vbi nõ obuiat relatiua oppositio. Aliud est enim distingui per relatiuã oppositionẽ: aliud vero distingui per relationum oppositionẽ. Nam primum petit, quod relationes distinguentes, se mutuò respiciant. Secundũ vero tantũmodo petit quod relationes sint incõpossibiles simul in vno. Et ideo concedo in diuinis omnẽ distinctionem esse per oppositionẽ relationũ, quatenus oppositio sumitur pro incompossibilitate: & hoc modo oppositio relationũ, etiã relationibus disparatis conuenit: & sic processio verbi, & processio Spiritus Sancti habent hanc oppositionẽ, quæ sufficit ad distinctionẽ personarũ, sine eo quod talis oppositio sit relatiua. Vndè ibi est oppositio disparata relationum, & nulla alia distinctio realis reperitur in Deo, quæ non sit per relationes. Qua solutione satis ad mentem Anselmi respõdetur, omissis pluribus alijs solutionibus, quas Pater Herrera adducit loco citato solutione ad primum.

58. *Ad tertiũ.* Ad tertiũ respondeo, longè disparem esse rationẽ spirationis actiuæ, & passiuæ. Nã ideo spiratio actiua est simul cũ Paternitate in Patre, & cũ Filiatione in Filio: quia ex sua ratione formali, nõ est incõpossibilis illis, eo quod ex sua ratione formali nõ est incõmunicabilis subsistentia. At vero spiratio passiua est incõmunicabiles subsistentia ex sua ratione formali: & ideò est incõpossibilis Filiationi, quæ etiã est incõmunicabilis subsistentia,

tentia. Nec æquiparantia de duplici, relatione ex parte eiusdem producentis aliquid valet, vt sibi correspondeat ex parte eiusdem producti alia duplex relatio. Quia non implicat idē producens secundū diuersa principia formalia habere diuersas productiones totales, & adæquatas distinctorum terminorum: implicat tamen à parte producti, idē esse productum per duplicem productionē totalem, & adæquatam, vt ostensum est sup. nu. 37. & 56. & ideo quamuis bene possint esse plures relationes vnius producentis, iuxta plura principia formalia producendi, quæ sunt in illo: non tamē possunt esse plures relationes vnius producti, terminantes huiusmodi totales productiones: quia implicat idem totaliter bis esse productū. Stat igitur bene, in Patre esse Paternitatem, & spirationem actiuam: absq; eo quod in Filio possint esse Filiatio & spiratio passiua.

59. Ad illud vero, quod Durandus vocat distinctionem realem, omnem distinctionem ex natura rei cum summa identitate reali statuimus. Et ideo absolutè negamus Paternitatem, & spirationem actiuam distingui realiter, licet distinguantur formaliter ex natura rei. Benè tamen concedimus Filiationem, & spirationem passiuam realiter esse distinctas.

60. *Ad quartū* Ad quartum respondeo relationē esse rationem constitutiuam, & distinctiuā constituti: sed sicut non solū constituit personā in ratione relationis: sed etiam in ratione personæ: sic non solum distinguit personam, sic constitutam à suo correlatiuo, quod respicit, sed etiā à quocūque incomposibili cū persona, quā constituit: imò non solum in proposito, vbi relatio est subsistentia personalis, & personā à quocumque sibi incomposibili, necessariò distinguit realiter: quinimo relatio creata non solum distinguit relatum à suo termino correlatiuo: sed etiā à quacumque alia relatione. Paternitas enim non solū distinguit in creatis Patrem à Filio, quē respicit: sed etiam à Domino, & à simili, & ab æquali, & à cæteris relationibus disparatis. Relatio igitur quælibet & dinguit relatū à suo correlatiuo, distinctione oppositionis relatiuæ: & ipsum distinguit à quacūq; alia relatione disparata. Non ergo solum distinguit, vt Caietanus dicebat per ordinem ad terminum.

Relatio cōstituit personam in ratione personæ, & personæ relatiuæ

Ad quintum, quo Vazquez credit suā sententiam confirmari, respondeo admittendo, quod quæ Deo conueniunt, ei necessario conueniunt: & ideo Filio, & Spiritui Sancto necessario conuenit esse personas distinctas, etiam si vnus ab alio non procederet: quia repugnat spirationē passiuā Filiationi cōmunicabilē esse, eo quod vtraq; ex sua quidditate, est subsistentia incōmunicabilis personalis. Et ita repugnat vnā, & eandē personā esse simul Filiū, & Spiritū Sanctū: quia repugnat idem totaliter bis esse productū. Vndè libenter admitto non esse constituendā pluralitatē, nisi quando fides eam constituit, aut ratio ipsa manifestā repugnantiā in vnitate probabiliter persuadet, licet illā nō euidenter demonstret. Hic autē, & si fides nō doceat Filiū, & Spiritū Sanctū in casu quæstionis distinctos realiter futuros fuisse: quia tantū, quod de facto in Trinitate est, definit: ratio tamen non solum probabiliter persuadet hanc futurā distinctionē, verū illā euidenter demonstrat: quæ euidē tia satis ex argumentis Scoti, & alijs rationibus supra positis constat. Quæ si Vazquio euidentes non sunt: profecto multò minus euidentes sunt solutiones eorū excogitatæ ab illo: Quinimo etsi tales rationes euidentes non essent: sufficeret earum persuasio probabilissima: quia probabilis persuasio sufficit ad generandam opinionem, qualis est hæc. Si enim de fide constaret, iam nostra cōclusio non esset opinio, sed Fidei articulus, quod non intendit Scotus, nec Vazquij argumentū inter tales angustias nos ponit, vt necessariò fateamur, talē distinctionē futurā fuisse, asseramus de fide, vel talē distinctionē ibi non fuisse fateamur.

61. *Ad quintū.*

Repugnat eandem personā esse Filiū, & Spiritum Sanctum.

62. Ad sextū, dico relationē disparatā simpliciter esse relationē: quia etiā in quantūrelatio disparata est, respicit terminū, licet vt sic nō respiciat pro termino, nisi suum correlatiuū. Nam vt relatio est, tātū præexigit terminū quē respicit: hoc autē respicere terminū sufficit, vt sit verè relatio: non tantū ergo, in quantū respicit terminū habet esse relationē distinctiuā à termino: sed etiā à quocūq; secū incōpossibili, licet illud non respiciat: bene enim stat cū hoc, quod quatenus relatio

latio est distinguat relatũ à tali disparato sibi incomposibili. Vnde Filiatio etsi tantum respiciat Patrem: nihilominus etiam, prout distinguit Filium ab Spiritu Sancto, est relatio: quia hæc eadem entitas, quæ sic distinguit Filium ab Spiritu Sancto, ex sua quidditate habet respicere suum terminum, qui est Pater: licet enim prout sic præcise, quod respicit Patrem, non distinguat Filium ab Spiritu Sancto: prout sic tamen, quod respicit Patrem, est relatio entitatiuè: cui entitati, quæ est relatio, conuenit distinguere Filium ab Spiritu Sancto.

DISTINCTIO. XII.

Circa distinctionem duodecimam, in qua Magister agit de modo procedendi Spiritus Sancti à Patre, & Filio, quæruntur tria.

QVÆSTIO PRIMA.

De vnitate principij Spiritus Sancti.

PRimo quæro, vtrum Pater, & Filius spirent Spiritum Sanctum, in quantum omnino vnum, *vel* quantum aliquo modo distincti: & circa hoc quæruntur quinque.

¶ Primò. Vtrùm Pater, & Filius sint principium Spiritus Sancti, in quantum distincti?

¶ Secundò. Vtrùm Pater, & Filius per se magis spirent voluntate, in quantũ vna, vel in quantum concors?

¶ Tertiò. Vtrùm Spiritus Sanctus spiretur per mutuam dilectionem?

¶ Quartò. Vtrùm fœcunditas diuinæ volũtatis in ordine ad productionem Spiritus Sancti, ita de ratione suæ requirat esse in duobus, vt non possit esse in vno?

¶ Quintò. Vtrùm Pater, & Filius possint dici vnus spirator, vel duo spiratores?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Pater, & Filius sint principiũ Spiritus Sancti, in quantum distincti?

AD primum sic proceditur. A.
Videtur, quod Pater, & Filius sint principium Spiritus Sancti, in quantum distincti: quia Augustin. 6. de Trinit. c. 5. vel 16. Spiritus Sanctus est cõmunis vnio Patris, & Filij: ex hoc accipitur cõmuniter, quod nexus amborũ: nexus autẽ aliquorum, nisi in quantũ sunt distincti: est autem nexus eorũ in quantũ procedit ab eis: ergo procedit ab eis, in quantum sunt distincti.

Secundò præterea, actio est suppositi: igitur duorum suppositorũ non est vna actio: Spiritus Sanctus autẽ producitur actione Patris, & Filii, vt agentiũ: igitur in quantum distincti. B.

Tertiò præterea, si producũt, in quãtũ omnino vnum, aut in quantũ vnum in essentia, aut in quãtum persona, aut in quantũ vnum in vi spirativa. Non in quantum vnum in essentia: quia tunc Spiritus Sãctus produceret se: quia est vnum in essentia cũ Patre, & Filio. Nec secundo modo, in quantum vnũ in persona: quia sic non sunt vnum. Nec tertio modo, in quãtum sunt vnum in vi spirativa: quia tunc sequitur, quod Pater C.

ter esset duo principia respectu Filij, & Spiritus Sancti, propter duas vires productiuas in ipso, respectu eorum.

D. Quartò præterea, amor notitiæ genitæ, est tertia pars imaginis: igitur amor procedens, est amor verbi. Antecedens patet distinctio. 6. per Augustin.

E. Sed contra est, quod 5. de Trinitat. capit. 14. Pater, & Filius sunt vnum principium ad Spiritum Sanctum: sicut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt vnum principium ad creaturam: creatura autem est à tribus, in quantum vnum, non in quantum distincti: ergo, &c.

F. Respondeo dicendum, quòd in ista quæstione planum est, quod Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti: *Et secundum nuper citatam auctoritatem D. Augustini*, in quantum vnũ, non in quantum distincti Hoc declaratum est in Concilio Lugdunensi, sub Gregor. 10. sicut patet extrà. de summa Trinitat. & Fide Catholic. fideli, ac deuota, & est hodie in 6. libr. Decretalium. Ratio autem huius veritatis est ista: quia vt dictum est distinct. 2. Pater prius origine habet actum fœcunditatis intellectus, quam voluntatis: in illo priori communicatur Filio fœcunditas eadem, quæ est in Patre: quia in illo signo originis, in quo Filius producitur per fœcunditatem intellectus, communicatur sibi à Patre, quidquid ei non repugnat, & ita fœcunditas voluntatis: igitur in alio signo originis, quando producitur persona per actum, fœcunditas secundæ, scilicet, voluntatis, producitur à Patre, & Filio omnino, vt ab vno principio, propter vnam fœcunditatem principij porductiui in eis.

Conclus.

G. Ad primum argumentum, cum arguitur de nexu: dico, quod Pater, & Filius nectuntur in Spiritu Sancto, sicut incommuni producto, & quæ sic nectuntur incommuni producto: licet, sint distincta (alioquin non connecterentur) tamen non habent commune productum, in quantum distincta, sed in quantum vnum. Vndè productum vnum est ab eis, in quantum sunt vnum producens, & ita auctoritas illa, est in oppositum.

H. Ad secundum: dico, quod actio est singularis per se existentis: non oportet autem esse alicuius singularis incommunicabilis, per se existentis, sicut dictum est distinct. 4. sicut hæc est vera, Deus creat, vel Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: ita ponitur hic, quod est aliquis spirator singularis, cui primo conuenit, ideſt adæquate, spirare, qui præintelligitur aliquo modo in Patre, & Filio, quibus conuenit actus spirandi: quia vterque est hic spirator. Et tunc diceretur, quod illius per se existentis, quod est quasi commune quodam in re, ad Patrem, & Filium, est vna actio: licet illud non sit suppositum, ideſt, incommunicabile: sicut, nec Trinitas est vnum suppositum: vna tamen creatione creat. Istud non videtur hic probabile, sicut ibi, Deus creat: quia non videtur hic aliquid per se existens, commune Patri, & Filio, & non Spiritui Sancto: quia tunc illud singulare per se existens, licet non incommunicabiliter, realiter tamen referretur ad Spiritum Sanctum: & esset aliquid realiter relatum ad intra, prius aliquo modo, quam intelligeretur esse persona: ita quod non omnis relatio realis ad intra, est personæ, quod non videtur probabile.

Quæst. 2. hic.

I. Aliter dici potest, quod actio non denominat vltima denominatione, nisi suppositum, vel habens modum suppositi: dico modum suppositi, pro anima separata, & pro accidentibus separatis per miraculum: quæ denominantur ab actione vltima denominatione

natione: quia per se existunt, licet nō incommunicabiliter: quia nata sunt communicare se suppositis: dum tamen nihil cōmunicant illis, nihil denominatur ab actione eorum, nisi ipsa vltima denominatione: sed omnis forma existens in alia, vt forma dat esse illi: ita dat illi aliquo modo denominari à sua actione: & licet forma in supposito denominetur ab actione sua: non tamen vltima denominatione: sed vlterius denominatur suppositum ab eadem actione. Si tamen aliqua forma per se existens nata esset habere aliquam actionem propriā, si ipsa daret idē esse pluribus, ex quo supposita non denominātur actione formæ, nisi quia habent esse per formam: denominarentur ab eadē actione, sicut haberent idem esse illius formæ actiuæ. Exemplum, si vna albedo esset in duabus superficiebus: vna immutatione immutarentur: igitur cum voluntas fœcunda sit vnū principium spirandi, quidquid denominatur ab ista actione per hoc, quod habet esse ista forma, denominatur eadē actione. Quādo igitur dicitur, actio est suppositi: ergo plurium suppositorum, plures actiones. Nego cō sequentiam, nisi quando plurificatur in eis illud, quod est ratio agēdi, per quā ista dicuntur denominatiuè agere.

K. Etsi obijcias, ab vna anima hominis sunt multæ operationes distinctæ, vt intelligere, & velle, & etiam multæ operationes sensitiuarum partium, vt videre, audire, & talia multa, etsi partes illæ essent suppositā, esset eorum agentia plures actiones. Dico, quod nō semper, si vnica res est, est eius vnica ratio agendi: imò vnica res potest includere in se plures rationes agendi: sicut dicetur de anima respectu suarum potentiarum, si de hoc fiat quæstio. Dictū est autem in prima responsione iam habita de vna ratione simpliciter agendi, quaB liter vna ratio est in Patre, & Filio ad producendum Spiritum Sanctum.

Ad tertium dico, quod Pater & Filius spirant Spiritū sanctū, in quantū sunt omninò vnum, & non in quantū sunt vnū in essentia, nec in quātū vnum in persona: sed in quantū sunt vnum in vi spiratiua. Et cū infertur: ergo Pater esset duo principia productiua propter duplicem fœcunditatem in eo: nego consequētiā: quia ad hoc, quod dicatur plura producentia, requiritur numeratio suppositorum: *pro quo vide vltimum articulum huiusquæstionis.* L.

Ad quartū responsio est: quia tres sunt actus voluntatis respectu obiecti: actus elicitus, complacētiæ, & imperij: tertius nullo modo in Deo: quia nec est in nobis respectu propriæ intellectionis. Primus namque est principalior, secundus vniuersalior, est tamen vterque essentialis in Deo, sed amor procedens est principalior amor obiecti, nō Verbi, nisi sit Patris, neutrius forte ex prima productione, sicut nec Verbi: nisi essentiæ. In nobis omnis amor est procedens: ibi non, sed tantùm amor primus obiecti diligibilis. M

Expositio art. 1. quæst. 1. distinctionis 12.

I PLANVM esse inquit Doctor in litera, Patrem & Filium esse vnū principium Spiritus Sancti, & ita vnum, quòd ipsi non spirant, quatenus sunt distinctæ personæ, sed quatenus sunt vnum, & idem principium illius. Quod ibi satis ex Concilijs, & ex auctoritate Diui Augustini confirmat. Cuius rationem ibi reddit, & in hoc tota refunditur, quod scilicet vis spiratiua est eadem prius origine in Patre, & in secundo signo originis in Filio: nam per generationē communicauit Pater Filio, quidquid ei nō repugnat. Hoc autem, quod Filio repugnat à Patre communicari, nihil aliud est, nisi

Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti.

Spiratio ab vltima prius origine est in Patre, quàm in Filio.

ingenitam, seu innascibilitas, & paternitas: quæ sunt notiones Patris, & soli Patri conueniunt: cætera autem Filio communicantur. Virtus igitur eadem spiratiua, quæ est in Patre, est in Filio: licet Pater illam habeat à se, Filius autem à Patre. Ab identitate ergo rationis spiratiuæ, sumitur identitas principij spirantis. Nec officit Patrem & Filium esse duas personas habentes eandem virtutem spiratiuam, ad hoc vt ex duplicitate suppositorum sequatur duplicitas principij, aut actionis, vt secundum argumentum articuli intendebat. Hoc enim satis soluitur ibi: nam quãdo in pluribus suppositis, non pluificatur ratio agendi: non multiplicatur principium agens, nec actio: quia ergo in Patre & Filio, est omninò eadem inuariata ratio spirandi: est consequenter ab eis eadem inuariata actio & spiratio: & ab illis nõ tanquam à distinctis, sed tãquam ab vno principio Spiritus Sanctus procedit, vt Scotus concludit.

Notiones Patris sũt Filio incõmunicabiles.

Principiũ agens multiplicatur ad multiplicationẽ rationis agẽdi.

2 *D. Thom.* Hæc est etiam expressa sententia D. Thomæ 1.p.quæst.36.art.4.in corpore, & eadem ratione confirmata. Quæ est communis Theologorum, licet Diuus Thomas ibi referat opinionem quorundam dicentium, non posse dici Patrem, & Filium vnum principium Spiritus Sancti, nisi *vnum* ibi aduerbialiter intelligatur. Ac si dicant, quod Pater & Filius vno modo spirant. Quorum ratio erat, quia cum hoc nomen *principium* singulariter accipeum, non significet personam, sed proprietatem: non potest conuenienter dici, quod Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti. Hãc tamen rationem, & opinionẽ bene reijcit ibi D.Thom. dicens, quod licet hoc nomen *principium*, significet proprietatẽ, tamen illam per modum subitantiũ significat. Sicut hoc nomen *Pater* etiam in rebus creatis significat subitãtiuum: à forma igitur significata subitantiua sumitur numerus, atque ideò sicut Pater & Filius sunt vnus Deus propter vnitatem formæ significatæ, per hoc nomẽ *Deus*, quæ est essentia: ita sunt vnum principium Spiritus Sancti propter vnitatẽ significatæ proprietatis in hoc nomine *principium*.

Nomen principiũ significat proprietatẽ per modum subsitãtiui.

3 Quæ ratio non solum obiectionem illius relatæ opinionis egregie soluit: sed conclusionem articuli, & rationẽ Scoti satis confirmat, in solutionibus argumẽtorum textualium litera est satis clara. Sed ibi aduerte quod (sicut notatur in margine textus) quartum argumentum pro parte contraria, & solutio illius, nõ habentur in omnibus originalibus: sed est additio, quæ in aliquibus intra textũ habetur inserta.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Pater, & Filius magis spirent voluntate, in quantum est vna, vel in quantum concors?

AD secũdum sic proceditur, videtur, quod Pater & Filius magis spirent voluntate in quantum est concors, quàm in quantum est vna, ex Ricar. 3. de Trinit. cap. 3. dicente, non potest amor esse iocũdus, si non est mutuus: quare cum in amore essentiali, fœcunditas voluntatis nõ possit esse, nisi summe perfectus, & iocundus sit amor: oportet, quod voluntas, si sit fœcunda, quod sit amor mutuus, vt sit (secundũ eum ibidem) qui amorẽ pẽdat, & sit, qui amorẽ rependat: quia vt dicit cap. 7. summe diligenti, non sufficit, si summe dilectus, summã dilectionẽ non rependit. Et secundum hoc, quod cõmunis voluntas Patris, & Filij sit fœcũda ad spirandum Spiritum sanctũ, non sufficit, quod sit voluntas cõmunis amborum, & amor essentialis in ipsa, communis, qua ambo simul amant, & volunt: sed oportet, quod sit voluntas concors, & mutua duorum: qua vnus summum amorem alteri impendat, & ille vicẽ versa eundem rependat, qua existente, fœcunda est voluntas, vt ex ipsa necesse sit emanare amorem, qui est Spiritus sanctus.

A.

K.

Secũdo præterea, ex eodẽ Ricar. dicẽte vbi prius c. 11. quod in amore

B.

mutuo

mutuo, multũq; feruente, nihil præclarius, quã ab eo quẽ summe diligis, & à quo sũme diligeris, aliũ æquè diligi velis. Probatio itaque cõsumatæ charitatis, est mutua cõmunio exhibitæ sibi dilectionis: ita quod in illo, sicut mutuo diligitur, vtriusque dilectio, vt consumata sit, præhabitæ dilectionis consortium *requirit*, & non debet sic esse: sed ita debet describi, in illis itaque (vt dicit) sic mutuo dilectis vtriusque perfectio, vt consumata sit: exhibitæ dilectionis consortem æqua ratione requirit, & hoc per vim spiratiuam (quæ est concors voluntas in mutuo amore) producẽdo Spiritum sanctum, non solùm vt sunt vnum in volũtate illa, siue amore: sed vt sunt plures inter se distincti, quæ distinctio connotatur per hoc, quod voluntas dicitur esse cõcors, & amor mutuus, quod non potest esse, nisi sit plurium, secundum quod plures sunt inseparabiles *de quo erit specialis difficultas in 4. art.*

C. Sed contra est, quia si haberent duas voluntates, possent concordes esse in tali mutuitate: ergo in quantum concordes spirare: quia nec vt vnum suppositũ, nec vt vnum, quo,

D. in quantum concordes.

Respondeo dicendum, quod cum voluntas ista sit vna in duobus suppositis, quæ suppositа concorditer volunt ista voluntate, & concordia connotet aliquam distinctionẽ suppositorum concordantium, est difficultas, vtrũ Pater & Filius per se magis spirent hac voluntate in quãtum vna, vel in quantum *est* cõcors? Hic dicitur, quod suppositа producentia sunt distincta, & propter illam distinctionem, nullo modo concederentur spirare in quantum plures. Habẽt enim vnam vim spiratiuam, sed vlterius, illa vna vis spiratiua, non omni nò sub ratione vnitatis suæ est proximum principium fœcundum ad spirandum, sed sub ratione concordis voluntatis.

Opinio Hẽrici in summa art. 54.

Ista opinio confirmatur per Ricardum, *vt supra visum est. Sed* contra istam opinionẽ arguitur sic, *vt in duobus sequentibus articulis, & nunc* præterea contra illas rationes, quas innuit Ricardi pro se, scilicet, quod amor mutuus sit iocundissimus. Ex hoc sequitur, q Pater esset formaliter tali amore beatus: quia amor, quo est beatus, est iocũdissimus, & tũc Pater non esset formaliter beatus in se, sed in Filio obiectiue, quod est hæreticum. Item secundo contra illam rationem arguo ſ. in nobis amor mutuus est iocundior: quia per talẽ mutuitatem habetur in dilecto amplior ratio diligibilitatis: quicunq; enim dilectus potens diligere, si rediligat, amabilior est: quia nõ tantũ, *quod* bonitas, quæcunq; sit in eo, est ratio diligibilitatis: sed redamatio est aliqua ratio diligibilitatis. Et propter hoc ipse habens illam bonitatẽ, quæ est prima ratio diligibilitatis, & similiter redamationem, est amabilior: igitur oppositum erit in diuinis, vbi ista ratio maioris amabilitatis nullo modo poterit inueniri, nec poni, non enim Filius est amabilior Patri: quia redamans Patrem, quàm propter essentiam diuinam, propter quam primo amatur: nec ista redamatio est alia ratio amabilitatis in Filio.

E.

F.

Præterea, amor mutuus in nobis nõ est iocundior, nisi sciatur, sicut nõ amatur bonitas, nisi cognita: sic nec amatur redamans, in quantum redamans, nisi cognoscatur eius redamatio: sed si hoc modo deberet poni in diuinis amor mutuus iocundior: & propter hoc tali amore spirari Spiritũ Sanctũ: tunc Pater, & Filius non tantùm in quantum redamantes, sed in quantũ amãtes se, & scientes se redamare, spirarent Spiritum sanctum: ita quod cognitio redamationis vi-

detur, tunc esse formalius, & immediatius principium spirandi Spiritum sanctum, quã amor: & ita formalius, & immediatius erit Spiritus sanctus productus per intellectum, quã per voluntatem. Quantum igitur ad istũ articulum, concedo, quod Pater & Filius spirant Spiritum sanctum voluntate, in quantum omnino vna, & magis vt vna, quàm vt cõcordi: quia ad rationem principij præcisè, vt principium, non requiritur nisi perfectio eius in se, & vt habeatur in persona antequam intelligatur habere terminum adæquatum: voluntas autẽ omnino vna est in Patre, & Filio, & ante originem originis intelligitur in eis, quàm intelligatur habere terminum adæquatum: quia ambo sunt spirati: & ideò voluntas vt in eis, est idem principium productiuum respectu Spiritus sancti.

Conclusio.

G. Ad primum argumentum, propter verba Ricardi intelligenda, distinguo, quod multipliciter potest intelligi voluntas cõcors, aut concordãs in aliquo actu secundo elicito, putà amando idem: & tunc vel essentiam: vel amando se, & redamando, putà quod Pater diligat æquè Filium, & è cõuerso. Vel potest intelligi cõcors quasi habitualiter, in quantum actus primus natus est habere quasi actũ secundum. Duobus primis modis, nõ videtur quod Pater & Filius spirent Spiritum sanctum voluntate concordi, vt probatum erit *in sequenti articulo*, in prima ratione per duas probationes: nec enim dilectione essentiæ (vt probatum est *ibi* in prima probatione) nec sui inuicem (vt tactum est in secunda probatione) formaliter spirant: ergo oportet, quod intelligatur tertio modo voluntate concordi, id est, voluntate in quantum est actus primus, in quo nati sunt cõcordari in actu secundo, concorditer producendo amorem. Tali inquã voluntate spirant, & magis vt vna, quàm vt concordi: quia vt intelligitur actus primus, intelligitur vna voluntas in eis, & nõ habere concordiã nisi isto modo loquendo: quia istæ personæ intelliguntur posse concordari in actu, quasi secundo concorditer spirando.

Ad secundum eodem modo respondendum est. Si autem istud non sufficiat ad intentionem Ricardi: exponat eum, qui poterit: quia non videtur, quod eius determinatio bene posset stare cum dictis Augustin. qui attribuit Patri & Filio perfectam rationem vnius principij respectus Spiritus sancti; sicut Trinitati respectu creaturæ: si contradicat prædictis. *Et satis impugnatæ sunt supra* rationes quas innuit *Henricus* Ricardi pro se, scilicet, quod amor mutuus sit iocũdissimus. *De illo autem, quod infert scilicet, quod* illa voluntas nõ potest esse nisi sit plurium, secundum quod plures sunt, &c. *in 4. art. erit sermo.*

H.

Expositio art. 2. quæst. 1. distinctionis 12.

PROPTER impugnandã opinionem Henrici mouetur à Doctore præsens articulus, cuius litera præsertim continet expositionem cuiusdam auctoritatis Ricardi de Sancto Victore, qua nititur Henricus, dum asserit (prout refertur in textu litera D.) voluntatem Patris, & Filij potius esse principium spirandi, quatenus est concors, quàm quatenus vna. Quod ex eo probat, quia amor iocundus debet esse mutuus: mutuus autem amor est, quo voluntas est concors duorum, qua scilicet vnus summum amorem alteri impendat: & ille, vice versa, eũdem rependat, & hac mutua concordia fit voluntas ita fœcunda, vt necessum sit ex ipsa emanare amorem, qui est Spiritus Sanctus. Hanc autem opinionem Henrici satis improbat Doctor in

Ricard. de Sancto Victore.

in textu litera E. duplici ratione, ac deinceps in articulo 3. & 4. subtiliter reijcit. Ex quibus concludit, quod *Pater & Filius spirãt Spiritũ Sanctum voluntate in quã tum omnino vna, & magis vt vna, quam vt concordi.*

Huius ratione apertè redditur ibi, quæ est non minus perspicua, quàm subtilis: nam ad rationem principij vt principij præcisè considerati, non pertinet habere terminum adæquatum: sed sufficit quod sit in se ipso perfectum: voluntas enim antecedenter ad actualem electionem amoris præsupponitur perfectissime habere esse in ratione principij talis electionis: quia actus primus præsupponitur ad actum secundum: mutuus autem amor, quem ponit Henricus esse Spiritum Sanctum, est terminus adæquatus voluntatis spiratiuæ: ergo voluntas in præcisa ratione principij, nõ pendet à mutuo amore: si quidem antecedenter ad illum præintelligitur esse perfectum principium: ergo non est principium ex mutuo amore. Tum sic sed per mutuũ amorẽ amantis & redamantis, fit concors voluntas: ergo voluntas non habet rationem principij spirandi, quatenus concors. At qui voluntas antecedenter ad productionem termini adæquati, intelligitur vna & eadem in Patre, & Filio: hoc est antecedenter ad productionem Spiritus Sancti in Patre, & Filio præintelligitur pro illo priori originis volũtas vna, & eadem: ergo voluntas non quatenus concors, sed quatenus vna, est principium Spiritus Sancti.

2 *Ratio principij non petit habere terminum adæquatũ, sed esse in se perfectũ.*

Voluntas diuina, vt concors, non est principium Spiritus Sancti, sed quatenus vna.

3 Quæ ratio Scoti præ alijs est acuta: vnde argumentum ex Ricardo dupliciter soluit, vel primo intelligendo eius auctoritatem, sic quod Pater & Filius voluntate concordi spirant: ideſt voluntate, in quantum est actus primus in quo Pater & Filius nati sunt concordari in actu secundo, concorditer producẽdo amorem. Vel secundo remittendo expositionem prædictæ auctoritatis, cuilibet aliter volenti eam exponere; quia potius vult Doctor adhærere Diuo Augustino, cum quo huiusmodi cõcordia non cohæret, quam cum Ricardo sentire, si aliter sentiat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Spiritus Sanctus spiretur per mutuam dilectionem?

A D tertium sic proceditur, videtur, quod Spiritus Sanctus spiretur per mutuam dilectionem: quia Augustin. dicit, quod Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto, quasi sit mutua dilectio Patris, & Filij, sicut videtur loqui de Trinitate lib. 6. cap. 5. ergo, &c. A.

Secundo præterea, quoniam secũdum Ricard. lib. 3. cap. 19. quãdo duo mutuo se diligunt, & summi desiderij affectus inuicẽ impendũt: & istius in illũ, & illius in istũ affectus discurrit, & quasi in diuersa tendit, & pro hoc quod quasi in diuersa tẽdit, quo dãmodo ratione diuersus est: sed ista diuersitas est in amore, vel volũtate, qua non obstante, fœcũditas est penitus vna, & eadem in voluntate illa concordi, & amore mutuo: in qua fœcunditate, Pater, & Filius sunt penitus vnũ, & vniformiter spirãt Spiritũ Sanctũ, qui à duobus cõcorditer diligitur, & duorum affectus, tertij amoris incendio, in vnum conflatur, vt dicit ibidem Ricardus: ergo, &c. B.

Tertio præterea: quia nõ ne prius Pater, & Filius sunt amantes essentiam in se, quam spirent Spiritum Sãctum? *quare ergo non dicetur per hanc dilectionem spirari Spiritus Sanctus?* C.

Sed contra est: quia essentia diuina est formaliter infinita: paternitas, vt paternitas non est formaliter infinita: ergo Spiritus Sanctus, qui est amor infinitus, & hoc non tantùm ratione voluntatis infinitæ, sed etiam ratione obiecti infiniti (vt dictum est dist. 10.) magis spirabitur voluntate, vt est essentiæ diuinæ, quæ est obie- D.

ctum infinitũ, quã vt est Patris, vt Patris, vel Filij vt Filij, vt obiecti. Si dicatur, essentiã non esse primum obiectum voluntatis diuinæ, sed rationẽ formalẽ in primo obiecto, quod est persona: hoc falsum est: tùm quia vnũ est primum obiectum voluntatis: tùm quia ratio formalis obiecti amati, prius amatur, vt concedit propositum: quia tunc erit ratio formalis spirandi eo modo, quo primũ obiectũ concurrit ad spirare.

E. *Opinio Hẽrici in sum. art. 54.*

Respondeo dicendum, quod est difficultas alia, circa quã hîc dicitur, quod Pater & Filius producũt Spiritum Sanctũ voluntate, in quantũ cõcorditer amãtes se ea. Contra istam *autem* opinionẽ arguitur sic, si Pater & Filius producũt Spiritum Sanctũ, in quantũ concorditer amãtes se ea: igitur est alius Spiritus Sanctus prius productus: cõsequẽs est in cõueniẽs, probatio cõsequentię. Primo: quia in quocũque signo naturæ, vel originis est principiũ productiuũ perfectũ in se, & in supposito conueniente actioni, in illo signo, potest esse tali supposito ratio producendi: sed volũtas infinita intellecta ante omne velle, habens infinitũ obiectũ sibi præsens, est sufficiens principiũ productiuũ spirati amoris infiniti: & Pater & Filius sũt personæ cõueniẽtes actioni, vel productioni: ergo voluntas, vt in Patre, & Filio, non intellecta, vt qua formaliter volunt, sed vt voluntas infinita, habens essentiã diuinã præsentem sibi per actũ intelligentiæ, est Patri & Filio principiũ productiuũ Spiritus Sancti. Et ita si Spiritus sanctus producatur per voluntatẽ, in quantũ *est* volens, siue in quantũ ea Pater & Filius diligũt se actu sequeretur, quod ante Spiritum sanctũ productum voluntate volente, erit Spiritus sanctus productus voluntate, vt est actus primus, quod est inconueniens.

F. Ista ratio de volũtate, quod sit principium spirandi, vt voluntas est, non autem, vt actu volens, cõfirmatur dupliciter. Primo per formalem rationem voluntatis in principiando, quę est libertas, quæ non ita conuenit ipsi velle. Secundo, per simile de intellectu, de primo arguitur sic: volũtas, vt in nobis est actus primus, libera est ad habendũ actum volendi: non autem ipse actus volẽdi liber est, siue principium liberum producendi aliquid: quia actus volendi est quædam qualitas naturalis, etsi est principiũ alicuius, videtur esse principiũ naturale eius, non liberum: sicut si ex tali actu generaretur habit⁹ appetitiuus, naturaliter generaretur: ita quod nõ est in potestate actus generatio talis habitus, vt videtur: ergo magis videtur, quod saluatur Spiritum sanctum produci libere, si producatur voluntate, vt est actus primus, quã si producatur voluntate, vt est actus volens, vt scilicet intelligitur sub actu secũdo. Ex secũdo arguitur sic, Filius nõ producitur intellectu paterno, vt actu intelligens est: ita quod actualis intellectio sit formalis ratio, qua Pater generat Filium, sicut ostẽsum est supra dist. 2. ergo à simili, voluntas, vt actu volens non erit principiũ producendi Spiritum sanctum, sed volũtas, vt actus primus.

Secundo probo consequẽtiã principalem sic, accipiendo eandẽ maiorem, sicut prius, scilicet, in quocũq; signo naturæ, vel originis, &c. addẽdo hãc minorẽ, quod diuina volũtas habens obiectũ primũ sibi præsens, est ratio producendi amorẽ adæquatum illi, perfectius, quã habens obiectum secundarium sibi præsens, vel saltem nõ minus perfectẽ: ergo cum essentia diuina sit primum obiectum voluntatis diuinæ: non Pater, vt Pater nec Filius, vt Filius (quia tunc Pater esset formaliter beatus in pluribus obiectis distinctis) voluntas habens G.

bens essentiã diuinã præsentem sibi (siue vt amabilẽ, siue vt amatam, non curo in ista probatione secunda) magis est primum producendi amorem adæquatum illi, quã vt habet Patrem vt Pater, vel Filium vt Filius pro obiecto, vel saltim non minus: & ita cũ voluntas prius habeat essentiam pro obiecto, quàm Patrem, vt Pater est, prius spirabitur Spiritus Sanctus voluntate, vt est essentiæ diuinæ, tanquam primi obiecti, quã voluntate, vt est Patris, vel Filij, tanquam obiecti secundi. Cõfirmatur ista ratio *per eam, quæ posita est supra §. sed contra.*

H. Ex istis duabus probationibus cõcluditur, quod Pater non spirat Spiritum sanctum, in quantum diligit Filium primo: nec Filius in quantum diligit Patrem: sed Pater & Filius in quantum habent essentiam diuinam præsentem, vt obiectum primum voluntatis suæ. Et per secundam probationem cõsequentiæ principalis. Similiter spirant in quantũ habent essentiam præsentem: & non in quantũ amatam actu, sed in quantum amabilem, præsentatam actu intelligentiæ eorum, per primam probationẽ consequentiæ. Sed quomodo dilectione mutua spiratur Spiritus sanctus? Respondeo, dilectione, id est voluntate, qua Pater & Filius, vt actu primo nati sunt se mutuo diligere: hac inquã voluntate, vt existente in eis, vt est nata talis esse, qua diligũt se mutuo, spiratur Spiritus sanctus: non autem aliquo actu secundo, quasi dilectionis actualis impensæ, & repensæ.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.

I. Ad primum argumẽtum, qualiter Augustin. dicat quod Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, exponetur distinct. 32. vbi magister tractat de illa quæstione, vtrùm Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto?

K. Ad secundum, *patet ex solutionibus argumentorum præcedentis articuli, & ex nuper dictis satis constat, quod* amore mutuo, & dilectione mutua, id est, volũtate, qua Pater & Filius, vt actu primo nati sunt se mutuo diligere, spiratur Spiritus sanctus.

L. Ad tertium responderi potest sicut prius dictum est dist. 6. de productione Filij, quomodo Pater aliquo modo prius origine intelligit, quàm Filius sit generatus, & tamẽ non sic, quod intellectio actualis Patris, sit ratio gignendi Filium: sed memoria in Patre: ita potest dici de dilectione, qua Pater & Filius diligunt se cõformiter, & formaliter, & de actu spirandi.

Expositio artic. 3. quæst. 1. distinctionis 12.

1 IAM supra in difficultate 50. ostensum est, Spiritum Sanctum non procedere per actionem aliquam, quæ sit formaliter amor, seu dilectio: quia vt visum est in difficultate 49. sicut etsi per impossibile Pater, non intelligeret, adhuc produceret Verbum per actum productiuum, qui est formaliter dicere, distinctum formaliter ab actu intelligendi: sic similiter, etsi per impossibile Pater, & Filius nõ diligerẽt: adhuc producerent amorem, qui est Spiritus Sanctus, per actum productiuum, qui est formaliter spirare, ab actu diligendi formaliter distinctum. Quod ex prædictis duabus citatis difficultatibus satis constat.

Spiritus Sanctus nõ producitur per actum amãdi, sed per actum spirandi.

2 Nunc vero specialius iuxta oppositam Thomistarum sententiã, qui tenet spirationem formaliter esse dilectionẽ, quærit Doctor, an spiratio sit mutua dilectio Patris, & Filij? hoc est, an ex dilectione vtriusque tamquam obiecti sit spiratio? Quod dubium duplicem potest habere sensum, primum videlicet, an ex dilectione, qua Pater diligit Filiũ, & Filius Patrẽ, procedat Spiritus Sanctus? quia tamẽ hæc videtur quæstio propositionis de subiecto non supponẽte, eo ꝙ in via Scoti absolute negatur spirationem esse dilectionẽ: nõ est in eadẽ via hæc quæstio tanti ponderis, sicut si sit in secundo sensu, videlicet, an esto

quod ibi non sit actus dilectionis: sit nihilominus Pater, & Filius obiectum amoris producti? nam supponendo in eadem via ex obiecto infinitè amabili, & ex voluntate in ratione principij Patrē & Filium producere Spiritum Sanctū: inuestigandum est, an Spiritus Sanctus sit amor Patris & Filij? hoc est an Pater, & Filius in ratione obiecti repræsententur voluntati spiratiuæ: ita quod ex illis tanquam ex obiecto Spiritus Sanctus necessario procedat: & in hoc sensu satis controuersa redditur quæstio. Vterque tamen sensus in textu à Doctore apperitur, in vtroque enim difficultatem enucleat, & resoluit litera H.

3 Probat namque Patrem & Filium nō producere Spiritum Sanctum per aliquem actum voluntatis, qui sit dilectio: sed per actum productiuum, qui est spiratio formaliter ab actu diligendi distincta. Et litera F. postquam materiam præcedentis articuli de voluntate concordi conformiter ad ea, quæ ibi sunt resoluta, probasset, idem ostendit. Et præterea est, quod spiratio dilectio non sit: quia tamen ex obiecto diligibili necessario esse debet: concludit essentiam ipsam esse tale obiectum diligibile, ex quo primo, & per se est spiratio: Patrem vero & Filium, non habere ibi rationem obiecti: & ideò ex illis in ratione obiecti non procedere Spiritum Sanctum, ibidem resoluit citata litera H. & satis acute probauerat litera D. & litera G. quæ textualis litera in omnibus clara est.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm fœcunditas diuinæ voluntatis, in ordine ad productionem Spiritus Sancti, ita de ratione sua requirat esse in duobus suppositis, vt nō possit esse in vno?

A. AD quartum sic proceditur, videtur, quod fœcunditas diuinæ volūtatis in ordine ad productionem Spiritus Sancti, ita de ratione sua requirat esse in duobus suppositis, vt nō possit esse in vno: quia Ricardus 3. de Trinitate *ait*, intellectus perfectam fœcunditatem habere potest ad productionem Verbi, vt existit in vna sola persona: voluntas autem ad productionem Spiritus Sancti perfectam fœcunditatem habere non potest, nisi sit in gemina persona. Et hoc quia fœcunditas intellectus consistit in plenitudine perfectę sapientiæ, quæ potest esse in vnico, dicente Ricardo de Trinitate lib. 3. cap. 16. nihil diffinitur contrariū naturæ, si plenitudo sapientiæ dicatur posse consistere in singularitate personæ: nam quantum videtur, etiam si vna sola persona in Deitate esset: nihilominus plenitudinem sapientiæ habere posset. Fœcunditas autem voluntatis consistit in plenitudine veri amoris, quæ non potest esse, nisi in duobus adminus.

Secundo præterea: quia hæc præpositio, cum, associacionem importat, quæ non est nisi plurium distinctorum: & propter hoc benedicitur, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres coæterni: cum tamen ista negetur, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres æterni. Per hoc etiam quod voluntas concors est amor mutuus duorum, licet sit vnus & idem, non est eadem ratio eius, vt est à Patre in Filium impēsus: & è cōuerso, vt est à Filio in Patrem impensus: quoniam, *vt dictum est*, secūdum Ricardum lib. 3. cap. 15. quando duo mutuo se diligunt, & summi desiderij affectus inuicem impendunt: & istius in illum, & illius in istum affectus discurrit, & quasi in diuersa tendit, &c. B.

Sed contra est per Augustin. 4. de Trinitate cap. 20. Pater est principiū totius Deitatis: & per ipsum 5. de Trinitate cap. 14. patet, quod sunt vnū prin- C.

principium Spiritus Sancti, omninò vnum,& vniformiter: ſicut tres perſonæ ſunt vnum principium creaturæ: non autem omninò vniformiter ſpirarent,ſi Filius ſtatim in ſuo ſecundo ſigno originis haberet fœcunditatem ſpirandi: & Pater non haberet in primo ſigno ſuo omninò omnem fœcunditatem, ſed haberet ſolùm in ſecundo ſigno, Filio genito: ergo, &c. etſi inſtetur de potentia creandi, quod illa non ſit in Patre ante productionem Filij, & Spiritus Sancti: patebit reſponſio, partim hic exponendo intentionem Ricardi: & amplius in quæſt. de ordine productionum in trinſecarum ad extrinſecas.

In 2.dist.1 quæst.1.& in quodl.1. quæst. 8.

Reſpondeo dicendum, quod eſt difficultas alia *de qua* hîc dicitur, quod illa vis ſpiratiua non omninò ſub ratione vnitatis ſuæ eſt proximũ principium fœcundum ad ſpirandũ: ſed ſub ratione concordis voluntatis, *vt relatum eſt art.* 2. vbi connotatur aliqua diſtinctio. Et propter iſtã diſtinctionem connotatam ex parte principij, quo, poteſt concedi, quod ſpirant in quantum ſunt diſtincti. Et ſecundum hoc, in ſpiratione Spiritus Sancti, duplicirer eſt conſideranda Patris, & Filij diſtinctio, vno modo vt accipiuntur ſicut elicientes actum: alio modo, vt intelliguntur eſſe concordes in amore mutuo, & in voluntate circa rationem eliciendi actum. Et ex diſtinctione eorũ primo modo cõſiderata, nullo modo dicendi ſunt ſpirare, vt plures: licèt enim ſint plures, qui ſpirant: non tamen propter pluralitatem, quæ principaliter eſt in illis, ſpirant: ſed ſolùm ex diſtinctione eorum connotata: & ſic Pater, & Filius non ſpirãt Spiritum Sanctum, in quantum ſunt plures in eliciendo actionem: licèt concurrant in vnam rationem, ſecundùm quam elicitur actio: ſed vt plures in vnica voluntate, quæ eſt ratio eliciendi actum cõcordando, & amorem ſuũ in illa mutuando.

D.

Opin Henric. in ſum. art. 54.

Contra iſtam opinionem arguitur ſic, principium æquê perfectum in vno ſuppoſito, ſicut in duobus, æquè eſt principiũ agendi in vno, ſicut in duobus: quia ad actionẽ nõ videtur requiri, niſi principium perfectum quo, & quod, ſcilicet ſuppoſitum agens perfectum: ſed voluntas æquè perfecta eſt in vno ſuppoſito, ſicut in duobus: & vnum ſuppoſitum æquè eſt perfectum perfectione requiſita ad ſuppoſitum, ſicut duo: ergo voluntas æquè poteſt eſſe principium producendi in vno ſuppoſito, ſicut in duobus: ita quod illa mutuitas non ſit aliqua ratio producendi ex parte principij productiui. Prima pars minoris probatur: quia principium quo, non accipit perfectionem ſibi competentem à ſuppoſito: ſed dat ſuppoſito: quia eo ſuppoſitũ eſt perfectum, vt poſsit agere: ergo non eſt tale principium perfectius in pluribus, quam in vno, quando eſt idem principium in pluribus, & in vno. Et ſi dicas, quòd illud principium non eſt in vno, vt principium productiuum eſt, ſed tantùm ſic eſt in duobus, & tamen derelinquitur in Patre genito Filio. Hoc videtur abſurdum: quia omnem realitatem, tàm abſolutam, quàm relatiuam, quam Pater habere poteſt, à ſe habet in primo ſigno originis: nullam ergo habet Filio genito, quam non intelligatur habere prius origine, quàm Filius generetur: quare, & illam fœcunditatẽ, ſiue illa fœcunditas ponatur relatio, ſiue aliquod abſolutum. E.

Item, ſi in Patre eſt perfecta volũtas prius origine, quàm in Filio: non tamen eſt principium ſpirandi, per te: quæro quid intelligitur addi, vt ſit principium ſpirandi perfectum? non aliud ſuppoſitum: quia illud nihil addit principio, quo, ſed tantùm F.

illo habet, quod possit agere, si dilectio mutua per te huius in illum, & è conuerso, *vltra quod hoc iam impugnatum est in præcedenti art.* ergo relatio duplex rationis erit vltimata actualitas principij spirandi: hoc est impossibile propter duo. Primo: quia nulla relatio rationis præexigitur productioni diuinæ: vt probabitur dist. 13. contra opinionem ponentem intellectum, & voluntatem in Deo distingui tantùm ratione. Secundo: quia tunc essent duo principia formalia proxima spirandi, & ita duo supposita non spirarent præcise in quantum vnum, quod est contra August. in auctoritate præallegata 5. de Trinitate cap. 14. sicut *etiam* allegatum est in opponendo.

In 1. art.

G. Item, aut Pater voluntate, & volitione, vt in ipso, cum ista relatione ad Filium dilectum, est totale principium spirandi, aut non: si sic: sequitur quod Filius non spiret: quia non habet idem, quo, in quantum habet relationem: & è conuerso, non enim spirat in quantum diligens, quo diligere circunscripto nihilominus spiraretur Spiritus Sanctus: sed circunscripta relatione è conuerso, nihilominus spiraretur à Patre Spiritus Sãctus, vt totali principio per suũ velle, vt tendit in Filium. Si detur in prima diuisione, quod non: sequitur, quod vterque in quantum amans alterum, est diminutum principium: & ambo simul vnum principium, quasi per aggregationem, vt duo trahentes nauim: non autem vnum principium per identitatem principij perfecti. Præterea contra opinantem: quia tenet, quod Spiritus Sanctus posset distingui à Filio, etsi non procederet ab eo, propter eius distinctũ modum procedendi à Patre. Si autẽ fœcunditas voluntatis ad spirãdum Spiritum Sanctum, non est, nisi vt formaliter voluntas est in duobus, non posset Spiritui Sancto competere suus modus procedendi, alius à modo procedendi Filij, nisi esset à Filio: ergo videtur sibi ipsi contradicere.

Henr. quod lib. 3. q. 9.

H. Quantum: *ergo* ad istum articulũ dico, *quod licet*, nunquam esset voluntas proprie fœcunda, nisi in duobus: non tamen ita, quod illa fœcunditas requirat de ratione sua esse in duobus, quasi ipsa non posset esse in vno: sed propter ordinem fœcunditatum in producendo, necessario oportet, secundam fœcunditatem, quando est in potentia proxima, esse in duobus.

Conclusio

I. Ad primum argumentum, saluãdo tamen aliqualiter verba Ricardi, dico, quod quando in aliquo eodem sunt duo principia ordinate actiua, illud non est in potentia proxima ad agendũ principio secũdo, nisi præintelligatur in actu principij. Igitur Pater non est omninò fœcundus potẽtia propinqua ad spirandum (quod est actus volũtatis, vt principij, quo) nisi intelligatur in actu principij prioris, quod est intellectus. Et per consequens voluntas non est principium prioximũ, nisi vt est in duobus. Hoc sequitur: quia per illam productionẽ priorem, sine qua non est ista potentia propinqua, voluntas est in duobus: quia per actum primæ fœcunditatis communicatur personæ productæ, secunda fœcunditas, scilicet fœcunditas voluntatis, respectu spirationis Spiritus Sancti: non tamen est alia, aut maior fœcunditas in duobus, quàm in vno, sed eadem in producente, & in producto.

K. Ad secundum, *eodem modo respondendum est.* Exemplum *autem doctrinæ* istius, est aliqualiter in nobis: anima enim non est fœcunda potentia propinqua ad habendum actum volẽdi, nisi sit in actuali intellectione: licet actuali intellectione, nõ formaliter producat actum amandi, sed volun-

voluntate, vt eſt actus primus, qui præexiſtit in anima ante intellectionem: licet non in potẽtia propinqua omninò ad agendum. Si tunc anima producens intellectionem, communicaret ſibi fœcunditatem voluntatis, nõ eſſet voluntas in potentia propinqua ad producendum amorem, niſi prius eſſet productum Verbum: & ita cõmunicata ſibi volũtate fœcunda, & ita nunquam eſſet voluntas proxime fœcũda, niſi in duobus, non tamen ita, quod illa fœcunditas (*vt ſupra dictum eſt*) requirat de ratione ſua eſſe in duobus, quaſi ipſa non poſſet eſſe in vno: imò ipſa eadem iã exiſteret in ipſa mente: ſed propter *dictum* ordinem fœcunditatum. Poteſt igitur concedi, quod Pater & Filius voluntate vna, quæ eſt in eis ſpirãt, quæ eſt perfectè fœcunda in duobus ſuppoſitis exiſtẽs: quia prius intelligitur communicari genito: & ita eſſe in duobus, quam quod Spiritus Sanctus ea producatur.

Expoſitio art. 4. quæſt. 1. diſtinctionis 12.

EX ſententia Henrici relata ſupra in ſecundo articulo, qua tenet, voluntatem diuinam habere rationem principij ſpiratiui, quatenus ex mutuo amore eſt concors: ſequitur, quod deficiente hac ratione mutuæ dilectionis, ex qua voluntas fit cõcors, deficeret ei quoque ratio principij ſpirandi. Quia ergo mutua dilectio neceſſario ſupponit vnam perſonam amantem, & aliam redamantem: conſequenter infertur, ita neceſſario vtrãque perſonam ad ſpirandum requiri: vt ſi per impoſsibile vna non ſpiraret, neque altera ſpirare poſſet. Ac ideò ita neceſſario Spiritũ Sanctũ eſſe à Patre, & Filio, vt neutiquã poſſet eſſe à ſolo Patre. Illam igitur Henrici ſententiam in ſecundo articulo relatam, iterum hic refert Doctor, vt ex illa hanc inferat. Quam tamẽ optime rationibus confutat à litera E. vſque ad G. & tandem litera H. concludit. *Quod licet nũquam eſſet voluntas proprie fœcunda, niſi in duobus: non tamen ita, quod illa fœcunditas requirat de ratione ſua eſſe in duobus, quaſi ipſa non poſsit eſſe in vno: ſed propter ordinem fœcunditatum in producendo, neceſſario oportet ſecundam fœcunditatem, quã do eſt in potentia proxima, eſſe in duobus.* Quæ litera eſt ſatis clara, nam aliud eſt volũtatem neceſſario fœcundari in duobus ex ordine originis, quo ſcilicet Pater prius generat, quàm ſpiret: & communicat filio genito voluntatem ſpiratiuã: ex quo ordine habetur neceſſario fœcũdari in Patre & Filio. Aliud vero eſt voluntatem Patris prout in Patre, non eſſe ſufficienter fœcundam, ita vt ſi per impoſsibile Pater illam non communicaret Filio, non poſſet ſe ſolo ea ſpiritum Sanctũ producere. Ex his ergo duobus Doctor primum concedit, ſecundũ vero negat, & oppoſitum contra Henricum argumentis euidentibus manifeſtat.

Volũtas fœcunda perfectè eſt in Patre, & ex ordine originis eſt etiam in Filio.

DIFFICVLT. LXXIII.

Vtrùm Spiritus Sanctus procedat, vt amor Patris, & Filij?

§. 1.

Proponitur ſtatus controuerſia, cum prima ſententia D. Thomæ.

HABET locum præſens difficultas apud Doctorẽ in hoc articulo 3. huius quæſtionis 1. diſtinctionis 12. iuxta duplicem ſenſum ibi in noſtro commentario explanatũ. Sed quia in difficultatibus 49. & 50. latè oſtendimus ſupra, tàm intellectum quàm voluntatem duplicem actum habere, alium ſcilicet operatiuũ & alium productiuum: quia intellectus & intelligit, & Verbũ producit: & ſimiliter voluntas & diligit & producit amorem: ex quibus ibi concluſimus nec Verbum diuinum produci per intelligere

gere,ſed per dicere ab actu intelligendi diſtinctum: nec amorem produci per velle aut diligere, ſed per actum productiuum,qui dicitur ſpirare ab actu diligendi diſtinctum: non eſt cur faſtidio ſe hæc iterum hic repetendo,quæramus an Spiritus Sãctus per dilectionem procedat? ſed ſupponendo non procedere per actum dilectionis, benè tamen eſſe amorem productum à Patre, & Filio per actum voluntatis,qui dicitur ſpirare: eſt difficultas an procedat à Patre & Filio, non ſolum tanquam à principio productiuo: ſed etiam tanquam ab obiecto amabili?

2 *Amor ab obiecto, & à voluntate producitur.*

Ad cuius tituli claritatem, ſuppono amorem à duplici comprincipio produci, videlicet à potentia & ab obiecto. Potentia eſt voluntas, obiectum autem eſt aliquid bonum, quod intellectus voluntati oſtendit, & ei, vt amabile, repreſentat; voluntas autẽ ſimul cum tali obiecto producit amorem: ita quod amor ſic productus eſt amor illius obiecti & illius potentiæ. Ex quo Spiritum Sãctum procedere vt amorem Patris & Filij, dupliciter poteſt intelligi. Primo quidem, quod Pater, & Filius producant illum per voluntatem, & vt ſic procedat ab eis, vt amor Patris & Filij, quia Pater & Filius illum producunt, & ſunt principium eius. Hoc iam concluſit Doctor iuxta fidem ſupra in articulo primo quæſtionis primę diſtinctionis 11. Secundo vero quod Spiritus Sãctus ſit amor Patris & Filij procedens ab eis tanquam ab obiecto diligibili, & formaliter pertinente ad huius amoris productionem. Et tunc hæc cõtrouerſia vẽtilanda eſt, inſtar illius quam in difficultate 70. reſolui: an ſcilicet Spiritus Sanctus ex amore creaturarum procedat?

3 *Prima ſententia Thomiſtarum.*

Hanc igitur hîc brebiter perſtringã: nam infra diſt. 27. de productione Verbi eius plenior reſolutio conſtabit. Modo autẽ breuiter dico eſſe fere omniũ Thomiſtarum ſententiam, qui cenſent Spiritũ Sãctum procedere, vt amorem Patris & Filij, ita quod Pater & Filius formaliter pertinent ad rationem obiecti diligibilis, de quo Spiritus Sanctus formaliter procedit.

4

Probatur hæc ſententia, quoniã Spiritus Sãctus procedit ex eodem obiecto amabili, ex quo Verbum procedit vt intelligibili. Sed Verbũ procedit ex cognitione Patris & Filij. Ergo & Spiritus Sãctus procedit ex dilectione Patris & Filij, & ex amabilitate eorum. Minorẽ probat Vazquez prima parte diſp. 142. cap. 3. n. 11. quia Verbum procedit per intuitiuam cognitionem & ſcientiam, quæ verſatur circa duas perſonas, ſcilicet Patris & Filij, tanquam circa obiectum per ſe neceſſario requiſitũ. Hanc que eſſe intuitiuam cognitionem rei præſentis, & exiſtẽtis, probat, quia productio Verbi eſt actus ſcientiæ, & intellectionis: & ita produci Verbum, nihil aliud eſt quàm Verbum intelligi. Vnde efficitur eodem actu ſimul Verbum produci & intelligi: & ideò Verbum produci, eſt Verbũ intelligi: ſed cũ Verbũ producitur, eius productio ad eſſe ipſius terminatur. Ergo ſimiliter cognitio terminatur ad illud, & ex cõſequenti Verbũ procedit à notitia ſui ipſius tanquã ex obiecto. Sed paternitas, & filiatio ſunt ſimul natura, & cognitione, cum ſint relatiuæ. Ergo neceſſum eſt Verbum ex cognitione Patris & Filij procedere. Ex quo concluditur quod Spiritus Sanctus procedit vt amor Patris & Filij, ſi quidem procedit ex eiſdem obiectis ex quibus Verbum procedit. Hæc eſt potiſsima ratio, qua hanc ſentẽtiam probat Vazquez, & ſunt inſuper duo priora argumẽta textualia, quæ pro illa faciunt. *Vazquez.*

§. 2.

Proponitur vera Scoti ſententia cum fundamentis.

5

IN oppoſitũ autem eſt litera textualis in art. 3. huius quæſt. 1. diſtinctionis 12. vbi Doctor hæc ait ſub litera H. *Concluditur quod Pater non ſpirat Spiritũ Sanctum, in quantum diligit Filium nec Filius in quantum diligit Patrem. Sed Pater & Filius in quantum habent eſſentiam diuinam præſentem, vt obiectum primum voluntatis ſuæ.* Et Paulo infra ait, *ſimiliter ſpirant in quantum habent eſſentiam præſentem, & non in quantum amatam actu, ſed in quantũ amabilem præſentatam actu intelligentiæ eorum.* Sequuntur Doctorem omnes Scotiſtæ, tam

tàm veteres, quàm recentiores. Quæ ſententia in duobus, vt in principio dixi, eſt controuerſa. Primum ſcilicet an ſpiritus Sanctus procedat per actum dilectionis? Hanc partem reſoluunt hæc poſteriora verba Doctoris, quatenus ait in illis non procedere ab eſſentia vt obiecto actu amato, ſed vt amabili, & hanc de Verbi productione concludit ſupra in difficultate 49. Verbum neutiquam procedere per actum intelligendi: & in difficultate 50. conformiter reſoluit Spiritũ Sanctum per aliquem dilectionis, ſeu diligendi non procedere. Secũdũ verò eſt, an eſto; quod non per actum dilectionis, ſed ex obiecto amabili procedat: ad hoc obiectũ pertineat Pater & Filius, vt ex eorum præſentia in ratione obiecti producatur. Et hanc ſecundam partem reſoluunt priora verba Scoti, quibus inquit, nec Patrem nec Filium habere ibi rationem obiecti: ſed tantum eſſentiam ibi eſſe obiectum voluntatis. Sequuntur Doctorem Baſolis, Lychetus, & reliqui veteres ac recentiores Scotiſtæ in hac quæſtione prima huius duodecimæ diſtinctionis.

Baſolis. Lychetus.

6 *Productio Spiritus Sãcti præſupponit amorem eſſẽtialem.*

Pro huius difficultatis reſolutione obſeruare oportet, quod licet Spiritus Sanctus non procedat per dilectionem, ipſam tamen dilectionem ſupponit: quia cum in Deo ſint eſſentialia priora notionalibus: prius naturâ cõcipimus Patrem & Filium diligere diuinam eſſentiam dilectione eſſentiali, imo & diligere ſe ipſos tali eſſentiali dilectione, quam producere amorem notionalem eſſentiæ. In Deo enim non eſt multiplex dilectio eſſentialis, ita vt vna dilectione Pater & Filius diligant eſſentiã & alia dilectione diligant ſe ipſos: ſed vna & eadem indiuiſibili dilectione eſſentiali diligunt eſſentiam, & ſe ipſos & relationes & reliqua obiecta ſecũdaria. Et ideò antecedenter ad productionem Spiritus Sãcti, præintelligitur dilectio eſſentialis diuinæ eſſentiæ & perſonarum: nam ſicut Pater prius præconcipitur intelligere eſſentiam, & perſonas, antequam concipiatur producere Verbum, eadumtaxat ratione, quia ſcilicet intelligere Patris eſt eſſentiale: productio autem Verbi eſt notionalis, & eſſentialia ſunt priora notionalibus: ſic eadem prorſus ratione Pater & Filius prius concipiuntur diligere eſſentiam & perſonas, quam producere Spiritum Sanctum.

Amor eſſẽtialis vnicus eſt in Deo.

Ex quo notauit Lychetus, quod ſicut idem obiectum eſt reſpectu Paterni intellectus ad intelligere, quod ad producere Verbum: licet aliter & aliter, quia reſpectu intelligendi eſt obiectum intellectum, reſpectu vero producendi, eſt obiectum intelligibile: ſic idẽ obiectum eſt reſpectu voluntatis Patris & Filij ad ſpirandum amorem, quod eſt ad diligendum: tamen ſub eadem diſtinctione, quod ſcilicet reſpectu dilectionis eſt obiectum dilectum, reſpectu vero productionis eſt obiectum diligibile, prout in difficultate 49. notatum eſt. Ex quo ſequitur, quod ſicut intellectus eadem intellectione, qua intelligit eſſentiam, intelligit etiam perſonas: ſic eadẽ productione producit Verbum eſſentiæ & perſonarum. Et ſimiliter volũtas, ſicut eadem dilectione qua diligit eſſentiam, diligit etiã perſonas, ſic eadem productione ſpirat amorẽ eſſentiæ & perſonarum. Atque ideò eodem modo, quo perſonæ ad productionem Verbi concurrunt: ſic etiam concurrunt ad productionem amoris. Atqui perſonam ad productionem verbi concurrere, poteſt intelligi dupliciter. Vel enim poteſt intelligi ad talem productionem concurrere formaliter, aut materialiter. Formaliter dicitur cõcurrere illud obiectum ad productionem Verbi, quod mouet intellectũ & ipſum fœcundat in ratione memeriæ: & hoc tale ſolum eſt diuina eſſentia, quæ, eo quod ſola eſt obiectum primarium diuini intellectus, ſola etiam habet rationẽ obiecti motiui illius, vt diximus ſupra in difficultate 70.

7 *Pater idem obiectũ habet in intelligẽdo, ac in producẽdo.*

Pater & Filius habent idem obiectum in intelligendo, ac in ſpirando.

Perſona cõcurrit ad productionem Verbi dupliciter, formaliter, vel materialiter.

Materialiter vero dicitur cõcurrere ad talem productionem quodcumque obiectum ſecundarium, quod ex vi primarij eſt intelligibile. Quia vero omnia obiecta ſecũdaria, vt relationes, &c. ſunt cognoſcibilia à diuino intellectu, non ratione ſui, ſed ex vi obiecti primarij, quod eſt eſſentia diuina: ideò licet habeat rationẽ obiecti terminatiui, quia poſſunt diuinam intellectionem terminare

8

nare: non tamen mouent diuinum intellectum, nec habent rationem obiecti motiui illius. Quamobrem non formaliter, sed materialiter pertinent ad Verbi productionem: quia circunscripto quocumque obiecto secundario, & posito tantum primario: eadem prorsus verbi productio esset, & idem omnino Verbum, quod Verbum quod producitur positis omnibus obiectis secundarijs. Ergo nullatenus pendet Verbi productio ab aliquo obiecto secundario; & ex consequenti nullum obiectū secundarium formaliter pertinet ad Verbi productionem. Quia igitur diuinæ personæ, & relationes earum habēt rationem obiecti secundarij respectu diuini intellectus: ideò non concurrūt formaliter ad productionem Verbi producti per eam. Et ob hoc Verbū nō procedit vt Verbum diuinarum personarū per modum obiecti: sed formaliter tantum procedit, vt Verbum essentiæ.

Verbū non producitur ab obiecto secundario

9

Spiritus Sanctus in sua productione sequitur productionē Verbi.

Hoc eodem modo de voluntate, & eius productione philosophandum est: nam idem obiectum, quod est primarium, aut secundarium, respectu intellectus diuini, est etiam primarium, aut secundarium respectu diuinæ voluntatis. Vnde sicuti intellectus non mouetur, nisi â primario, quod est essentia, licet obiecta secūdaria sint terminatiua illius: sic voluntas à sola essentia mouetur, licet terminatiuè, etiam in obiecta secūdaria feratur. Sicuti igitur intellectus ad productionem Verbi, non pēdet ab intelligibilitate personarum, sed præcisè ab essentia (vt ita loquar) formaliter pendet: sic voluntas ad productionem Spiritus Sancti, non pendet ab amabilitate personarum, sed tantū modo ab essentia, & eius amabilitate. Ex quo sequitur, quod sicut Verbum, non procedit vt Verbum personarum in ratione obiecti: sic Spiritus Sanctus in ratione obiecti, non procedit vt amor Patris & Filij, sed præcisè vt amor diuinæ essentiæ.

§. 3.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis, & soluitur argumentum.

10

Prima conclusio.

His præhabitis difficultatem concludendo dico primo, Spiritum Sanctum non procedere per dilectionē Patris & Filij. Cōclusio est Scoti, vt patet ex citata eius litera & satis probatur in textu, in corpore articuli tertij, vltra quod manet probata supra in difficultate 50. vbi ostenditur non produci per actum diligendi, sed per actum productiuum formaliter ab actu diligendi distinctum.

11

Secunda cōclusio. Spiritus Sanctus procedit, vt amor.

Dico secundo, Spiritum Sanctum procedere vt amorem Patris & Filij in ratione principij productiui habentis se ex parte potentiæ. Conclusio hæc est certa & communis, & colligitur ex fide: quæ duplicem habet partem, prima scilicet est procedere Spiritum Sāctum à Patre & Filio, tanquam à principio habēte se ex parte potentiæ. Secūda vero procedere vt amorem. Prima igitur pars probatur ex Symbolo Synodi Nicenæ: *Et in Spiritum Sanctum Dominum viuificantem, qui ex Patre, Filio quæ procedit.* Et ex symbolo Athanasij, *Spiritus Sanctus â Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Symbol. Nicenum.

Symbo. Athanas.

12

D. August.

Probatur 2. authoritate D. August. lib. 5. de Trinitate cap. 14. hæc dicentis loquendo de Spiritu Sancto. *Exit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus*; & aliquibus inreriectis verbis subdit. *Si ergo & quod datur, iam principium habet eum, à quo datur, quia non aliundè accepit illud quod ab ipso procedit: fatendum est Patrem & Filiū principiū esse Spiritus Sancti.* Quod idē plures Sancti Patres confirmant diffinientes contra Græcos, Patrem & Filiū produxisse Spiritum Sanctum, & vtrūque fuisse principium productiuum illius, quæ ratio principij tenet se ex parte potentiæ, eo scilicet quod Pater & Filius habent rationem principij, quod, productionis huiusmodi: quia in vtroque est eaden voluntas, vt principium spirandi.

Secunda

13 Secunda vero pars, hoc est Spiritum Sanctum procedere vt amorem, est certissima, & probatur ex illo Ioannis, *Ioann.* *Deus charitas est*: quem locum de Spiritu Sancto ad literam exponit Diuus Gregorius Homilia 30. hæc dicens: *D.Gregor.* *Quia dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suauiter arcerunt, ipse namque Spiritus Sanctus amor est: vnde Ioãnes dicit. Deus charitas est.* Quod idem confirmat Diuus Augustin. 9. de Trinit. *D. Augus.* capite 5. hæc dicens. *Spiritus ergo Sanctus commune aliquid est Patri & Filio, quidquid est. At ipsa communio, est substantialis, & coæterna, quæ se amicitia conuenienter dici potest, dicatur: sed aptius dicitur charitas.* Et infra inquit quod Spiritus Sanctus *est ipsa dilectio.* Habetur igitur, Spiritum Sanctum in quantum Spiritum Sanctũ, esse amorem, & in quantum Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: ex quibus concluditur vt amorem procedere à Patre & Filio.

14 Dico tertio, Spiritum Sanctum non procedere vt amorem Patris & Filij in ratione comprincipij habentis se ex parte obiecti. Conclusio est Scoti vt in littera textuali satis patet. Quæ sic probatur ab eo duplici ratione. Prima est, quæ habetur in citato articulo tertio littera B. Secunda vero, quæ habetur ibidem littera G. Quæ clarius sic formatur supponendo, quod diuinæ voluntati est præsens obiectum primarium aliqua prioritate (vt inquit Doctor) naturę vel originis, quàm obiectum secundarium: quia hoc non fit præsens voluntati, nisi ratione illius licet verumque sic sibi præsens, ex quo sic: voluntas diuina habens sibi præsens obiectum primarium, est productiua amoris adæquati illi obiecto, perfectius, quàm habens sibi præsens obiectum secundarium, vel saltem non minus perfectè. Sed diuina essentia, est obiectum primarium diuinæ voluntatis, non verò Pater, vt Pater, nec Filius vt Filius. Ergo voluntas habens essentiã diuinam sibi præsentem vt amabilem, seu vt amatam (quia in probatione istius conclusionis non curat Doctor de probatione cõclusionis primæ, quã iam probauerat: sed ostendit quod probatio istius non pendet ab illa: quia etiam si Spiritus Sanctus per dilectionem procederet: adhuc non procederet per dilectionem Patris & Filij vt obiecti: sed tantum per dilectionem essentiæ) magis est productiua amoris adæquati illi obiecto, quàm vt habens pro obiecto Patrem vt Patrem aut Filium vt Filium, vel saltim non minus. Tunc sic, sed voluntas (vt suppositi) aliqua prioritate naturæ vel originis, prius habet essentiam pro obiecto, quàm Patrem & Filiũ. Ergo prius spirat Spiritũ Sãctũ ex obiecto primario, quod est essentia, quã ex obiecto secundario, quod sunt Pater & Filius. Si prius spirat adæquatè Spiritũ Sanctũ, tam hoc obiectum secundarium, scilicet Pater & Filius, formaliter non conducit ad eius productionem, si quidem ex præciso obiecto primario adæquatè supponitur Spiritus Sanctus productus: vel dices alium Spiritum Sanctum ex vi obiecti secundarij produci. Quod absurdũ est.

Tertia conclusio.

Obiectum primarium prio est præsens voluntati diuinæ quàm secũdarium.

Si autem respondeas, essentiam non esse obiectum primarium diuinæ voluntatis (inquit Doctor sub litera D.) sed rationem formalem in primario obiecto, quod est persona: hoc falsum est, scilicet quod persona, vel proprietas personalis (vt ex posuit Lycheus) sit formalis ratio obiecti primarij, vel ipsam essentiam rationem formalem in persona. Quia vnius obiecti est tantum vna ratio formalis: quæ ratio formalis est entitas perfectissima, constituens intrinsecè illud, quod dicitur obiectum primarium in tali ratione obiectali: & sic ratio fomalis obiecti primarij est essentia ipsa, seu Deitas. Et præterea esto quod ratio formalis personæ (secundum te) vt est obiectum primarium, sit essentia: etiam habetur propositum, quia ratio formalis obiecti amabilis, seu amati, prius amatur, quam ipsum obiectum: quia ipsa est ratio formalis amabilitatis obiecti, & semper saluatur, quod prius diuina essentia attingitur à voluntate, & vt sic est ratio formalis spirandi, non vero persona. Alia etiam ratio textualis posita littera D. optimè probat conclusionem: sed quia clarè habetur ibi, non est cur hîc repetatur.

15

Ad

16 *Ad argumentū pro prima sententia.*

Ad argumentū in oppositū pro prima sententia respondeo ad mittēdo, Spiritum Sanctū procedere ex eodem obiecto amabili, ex quo Verbum procedit vt intelligibili. Nego tamen Verbum procedere ex cognitione Patris & Filij, prout in difficult. 49. latè ostendi. Vnde tota machinatio probationis Vazquij facile ruit: quia cum Verbū non procedat per aliquā cognitionem: non procedit per cognitionē intuitiuam personarū. Esto tamen quod per cognitionē procederet: adhuc argumentū non concluderet: quia ad summū probaret concurrere diuinas personas materialiter ad productionem Verbi, aut Spiritus Sancti, non vero formaliter. Quia etsi simul intelligerētur essentia, & personæ, hoc est eadem intellectione: hæc tamen intellectio formaliter esset illius obiecti, quod ad eam formaliter concurreret: ad illā tamē cōcurreret formaliter solūmodo obiectū motiuum diuini intellectus seu voluntatis: obiectū autem motiuum intellectus, seu voluntatis diuinæ, solū est obiectum primariū illius: obiectū autē primariū intellectus, seu volūtatis diuinę est soladiuina essentia. Et ex cōsequēti de primo ad vltimum, tām Verbū, quā Spiritus Sanctus tantummodo ex essentia tanquam ex obiecto procedunt.

Verbū non procedit ex cognitione intuitiua personarū.

17 Sed contra ex cōmuni illo philosophico axiomate, quod scilicet *nihil volitum, quin præcognitum*: arguo sic, obiectū fœcundans voluntatē ad productionem Spiritus Sancti nō est essētia, vt sic in se ipsa cōsiderata, sed essentia vt cognita: ergo cognitio, seu intelligere concurrit formaliter ad productionē Spiritus Sancti: hoc autē intelligere nō est essētiale: si quidem principiū spirationis est quid notionale: ergo datur intelligere notionale, quod est negatum, & est illud per quod Verbū procedit: ergo cū ista intellectio sit, qua intelligitur, & producitur Verbū, iam Spiritus Sāctus procedit ex cognitione personæ Verbi.

18 Respōdeo verū esse, quod essētia quatenus habet rationē obiecti volūtatis spiratiuæ est intellecta: intellectio tamen qua intelligitur non est notionalis, sed essētialis, qua Pater & Filius pro illo priori, pro quo nōdūm intelligitur Spiritus Sāctus productus, intelligūt essentiā, vt bonū infinitū: neutiquā vero talis intellectio formaliter ad spirationē conducit: sed est cōditio sine qua nō, quæ ad nullū genus causalitatis reducitur, atq; ideò licet ex essentia cognita procedat Spiritus sanctus, nō tamen procedit ex essentia, vt cognita: quia reduplicatio, *vt*, infert formalitatē: quā prædicta conditio nō importat, illud ergo intelligere nō pertinet ad principiū spirationis, licet necessario supponatur ad illam.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Pater, & Filius possint dici vnus spirator, vel duo spiratores?

A D quintū sic proceditur, videtur, quod Pater & Filius possint dici duo spiratores: quia sunt duo spirantes: ergo duo spiratores: consequentia probatur: quia sicut singulare infert singulare: sic plurale infert plurale. A.

Secundo præterea: quia aliquando inuenitur à Doctoribus, quod Pater, & Filius sunt duo spiratores: *ergo, &c.* B.

Sed contra est: quia adiectiuum est in adiacentia essentiali ad suppositum, quod terminat eius dependentiam: & ideò non potest plurificari, nisi substantiuum, quod sistit eius dependentiam, plurificetur. Hic autem in proposito, suppositum, quod sistit dependentiam adiectiui, non potest plurificari: & ideò adiectiua sibi adiacentia non possūt plurificari, nisi propositio sit falsa. C.

Respondeo dicendum, quod iuxta quæstionem istam est vna difficultas quasi grammaticalis: vtrùm Pater & Filius possent dici vnus spirator, vel duo spiratores? Vbi multipliciter dicitur, sed quia vis est de significato nominis, non multum immoror: videtur enim, quod nullum tale nomen verbale significet principium agendi, nisi vt illud natum est denominare suppositum actiuum, sicut enim lectio significat quid- D.

quidditatiue actum per modum habitus, & quietis: ita lector significat principium huius actus per modum habitus, & quietis: vt est denominatiuum suppositi actiui. Spirator igitur significat vim spirandi, vt concernit suppositum. Et quia vna est vis in Patre, & Filio, & terminus numeralis appositus alicui determinabili, ponit suum significatum circa illud: ideò non videtur concedendum, de vi sermonis, quod sint duo spiratores: quia tunc vis spiratiua videretur numerari in eis.

E. Sed quæ est ratio, quare terminus numeralis conceditur posse apponi terminis adiectiuis, & non substantiuis? ponitur ista ratio, quia adiectiua adiacent suppositis, & significant formam in adiacentia ad suppositum: & ideò possunt numerari ad numerationem suppositorum. Sed substantiua non significant formam in adiacentia ad suppositum: sed significant aliquo modo absoluto, vel abstracto à suppositis: & ideo non possunt sic numerari: quia sic significaretur ibi numeratio formæ: & ideo non conceditur duo Dij, sicut conceditur: duo habentes deitatem.

Conclusio.

à D. Th. 1. p. q. 36. ar. vlt. ad vlt.

F Sed ista ratio non videtur sufficere: quia terminus numeralis ponit significatum suum circa significatum determinabilis: significatum autem substantiui, & adiectiui, idem est: non differunt autem, nisi in modo significandi: ideò videtur, quod terminus numeralis primo ponat significatum suum circa idem: & ideo si significetur numeratio formæ determinabilis ex vna parte, etiam ex alia, nec propter illam adiacentiam ad suppositum, quæ conuenit vni, & non alij, non ratione significati, sed ratione modi significandi, poterit esse veritas in vna, & falsitas in alia.

De hoc alias in 3. li. dist. 1. vbi quæritur vtrũ si plures naturæ assumerentur à verbo, esset vnus, vel plures homines

Assigno aliam rationem talem. G. Omne dependens dependet ad aliquid omnino, & simpliciter independens: numquam enim dependentia alicuius sufficienter terminatur, nisi ad aliquid omnino independens: & ideo quando duo æque dependent, neutrum est natum terminare alterum: sed vtrumque dependet ad tertium independens: adiectiuum est dependens ad substantiuum: quando igitur adiectiuum additur substantiuo, saltem inuenit independens, ad quod terminatur eius dependentia. Quando autem duo adiectiua adduntur sibi mutuo, neutrum ad alterum dependet: quia neutrum terminatur ad alterum, sicut neutrum terminat dependentiam alterius: sed dependet ad aliquod tertium, quod terminat sufficienter dependentiam eorum amborum: igitur quando terminus numeralis additur substantiuo: sicut si dicatur duo spiratores: statim terminus numeralis adiectiuus habet substantiuum terminans. Et quia adiectiuum terminat illud, quod eius dependentiam terminat: ideo denotatur, significatum sui substantiui numerari: quando autem additur adiectiuo: vt cum dicitur, duo spirantes: vtrumque est dependens, & ideò neutrum determinat alterum, sicut neutrum determinat dependentiam alterius: sed ambo dependent ad tertium, quod terminat eorum dependentiam, & determina-

tur per ipſam: & hoc in propoſito eſt aliqui, vel perſonæ: quaſi dicat tres aliqui, vel tres perſonæ creantes, quia licet vſitate adiectiuum maſculinum, non ſit ſubſtantiuum: tamen in diuinis, quando adiectiuum maſculinum ponitur per ſe: tunc intelligitur ibi eſſe ſubſtantiuum, vt quis, vel perſona: vt cum dicitur, Pater & Filius non ſunt vnus: ſicut dicunt authoritates, licet ſit vnus Deus, quia vnus abſolute poſitus, ſignificat adiectiue, & intelligitur habere ſuum ſubſtantium, ſcili et, quis, vel vnus aliquis, vel vna perſona.

H. Ad primum argumentum Reſpondeo, & dico, quod conſequentia, non valet: quia participium ſignificat actum vt infieri, conſignificat enim tempus, ſicut verbum & ita ſicut conceditur Pater, & Filius creant, ita conceditur quod ſint duo creantes. Non autem conceditur, quod ſint duo creatores, ſed vnus creator: quia nomen verbale non ſignificat actum per modum actus, & infieri, ſed per modum habitus, & quietis. Tunc ad illam conſequentiam ſunt duo ſpirantes: ergo duo ſpiratores: nego eam & cum probas, quia ſicut ſingulare infert ſingulare, ſic plurale, plurale. Dico quod non oportet, quod ſi ad aliquod antecedens ſequatur aliquod conſequens, quod ad diſtinctionem antecedentis ſequatur diſtinctio conſequentis: niſi quando conſequens illud diſtinguitur in antecedentibus, ſicut genus diſtinguitur in ſpeciebus. In propoſito autem ſuppoſita ſpirantia diſtinguntur, & ad ſuppoſitum ſpirans ſequitur ſpirator. Sed illud conſequens non diſtinguitur, nec numeratur, numerato antecedente. Et ideo arguendo ſpirans. Ergo ſpirator: duo ſpirantes: ergo duo ſpiratores: eſt fallacia conſequentis, arguendo a diſtinctione antecedentis, ad diſtinctionem conſequentis.

Ad ſecundum, quod ſi aliquando inuenitur a Doctoribus, quod Pater, & Filius ſunt duo ſpiratores: debent exponi eorum authoritates, & ſane intelligi. Multæ enim authoritates Sanctorum, quæ non ſunt veræ de virtute ſermonis, exponendæ ſunt ſecundum Magiſtrum diſtinctione 12. I.

Expoſitio artic. 5. quæſtionis primæ diſtinctionis. 12.



VORVNDAM opinionem refert Diuus Thomas prima parte, quæſtion. 36. articu. 4. ad ſeptimum, qui licet concederent Patrem, & Filium, eſſe vnum principium Spiritus Sancti: non tamen ob id admittunt, quod dicantur vnus ſpirator, ſed duo ſpiratores: ſicut dicuntur duo ſuppoſita ſpirantia, ſeu duo ſpirantes, & hoc propter diſtinctionem ſuppoſitorum, in quibus eſt virtus ſpiratiua. Hac tamen opinione reiecta, tenet Diuus Thomas idem, quod Doctor in littera textuali concludit: videlicet, quod licet benè dici poſsint duo ſpirantes: non tamen duo ſpiratores, ſed vnus ſpirator dicendus eſt. Et hæc eſt vtriuſque Scholæ, & communis Theologorum ſententia. Quæ concluſio pertinet potius ad modum loquendi, quam ad rem ipſam, prout notauit Doctor in textu, dum hãc quæſtionem grammaticalem appellat. 1. *Pater & Filius non ſunt duo ſpiratores, ſed vnus ſpirator.*

Verum hanc litteram Doctoris Epiſcopus Canarienſis calumniat, 1. parte. quæſtione. 36. artic. 4. in ſecunda parte ſui commentarij, & eam temeritatis nota qualificat. Eo etenim quod Doctor quæſtionem grammaticalem, & potius nominis, quam rei dixerit eſſe: exiſtimat 2.

timat illam tanquam parui pōderis quæstionem parui quoque duxisse: & Conciliorum definitionibus irruit in Doctorem dicens: ipsa Concilia diffinire Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus Sancti. Verum hæc Canariensis censura audacissima est, & Doctori propositionem falsam imponit. Primū patet, quia & si Doctor assereret quæstionem de vnitate principij esse denomine in eo sensu, quo loquuntur Durādus in 1. dist. 24. q. 2. & 3. & Gabriel dist. 12. quæ. 1. ex principio, adhuc non esset capax talis censuræ, prout bene aduertit Vazquez 1. p. q. 146. cap. 1.

3 Secundum vero est euidens: quia Doctor in quæ. 1. dist. 12. à Canariensi citata non vnicum, sed quinque articulos disputauit, vt patet de nostra articulatione ipsius literæ textualis. Et loquendo de illo articulo, an Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti, in articulo 1. litera F. sic difficultatem resoluit. *Planum est, quod Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti.* Quod confirmat eisdem definitionibus eorundem Conciliorum, quæ Canariensis adducit, vt in dicto art. 1. litera F. videre licet, vel in antiquo textu litera A. §. *in ista quæstione.* In quinto autē articulo, vbi quærit an Pater, & Filius dicantur vnus spirator: ait hanc esse quæstionem grāmaticalem, & potius denomine, quā de re, & hanc quæstionem, non definierunt prædicta Concilia: neque ista cum illa prima coincidit: nā prout vidimus opinionem â D. Thoma relatam, Doctores illius concesserunt Patrem, & Filiū esse vnum principium Spiritus Sancti, licet negauerint, non propterea dicendos esse vnum spiratorem, sed duos, quod debebat Canariensis aduertere, ne temerè Doctorem subtilem temeritatis nota damnaret. Quinimo hāc quæstionem, non in fructuosam iudicauit Scotus, sed ostendens potius esse denomine, quam de re, adhuc illam acuratissime disputat, prænotans vim difficultatis non denomine, sed denominis significato esse, dum inquit litera D. art. 4. *Sed quia vis est de significato nominis, non multum immorabor.*

DIFFICVLTAS LXXIIII.

Vtrum Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti, ita vt dicatur simpliciter vnus spirator illius?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ, cum prima sententia Durandi, & aliorum.



RES in hac vnica difficultate Controuersiæ veniūt resoluendæ: quæ hic commode expendentur. Prima est circa principium formale *quo* spirandi, an sit vnicum tantum in Patre, & Filio. Secunda, vtrum ratione huius vnici principij formalis, *quo* Pater, & Filius sint vnum principium *quod* Spiritus Sancti. Tertia tādem, vtrum Pater & Filius ita sint vnum principiū *quod* spirandi, vt dicantur vnus, & idem spirator. Primam istarum controuersiarū resoluit Doctor supra in 2. art. huius 1. quæstionis, & distinctionis 12. secundā vero in primo eiusdem quæstionis articulo explicat, & deniq; tertiam in art. 5. Circa primam igitur controuersiam, præter Græcos, qui posuerunt, Spiritū Sanctum à solo Patre procedere, & ex consequenti virtutem spiratiuā in Patre tantum ponere conabantur: nō fuit aliquis, qui negaret vnicum principiū, *quo* formale, & vnicam virtutem formaliter spiratiuam esse in Patre, & Filio, nam ex tenentibus Spiritum Sanctum procedere â Patre, & Filio, nemo hucusque, quantumuis hæreticus, plures virtutes spiratiuas, sed vnam tantummodo in vtroque fuisse confitetur. 1

Circa secundam vero fuit sententia Durandi in 1. dist. 29. q. 2. & Gregorij distin. 12. q. 1. in quam inclinat Antisiodorensis lib. 1. summæ cap. 39. tenentium, Patrem, & Filium non posse dici vnum principium Spiritus Sancti, sed duo esse principia. Cuius sententiæ fundamētum est, quia nomen *principium* potius denotat suppositum, quam potentiam, 2

1. Sentētia Durandus Gregor. Antisiodo.

seu facultatem productiuam: ideò enim dicitur, actiones esse suppositorum tanquam à principijs. Cùm ergo Pater, & Filius sint duo suppositi spirantia Spiritũ Sanctum: non vtique vnum, sed duplex principium illius dicendum est. Probatur hæc sententia: nam vel hic sumitur principium pro ratione, seu forma agendi, aut pro ipso agẽte: quia tam pro vno, quàm pro alio solet principium accipi: sed Pater, & Filius non possunt aliquo existis modis dici vnum principium, sed duplex: ergo, &c. Minor probatur: nam si sumatur ibi principium pro ratione, seu forma agendi, tunc diceretur in duobus esse vnum principium, non tamen ipsa duo esse vnum principium: si vero accipiatur pro ipso agente, Pater, & Filius sunt duo suppositi realiter distincta: non igitur possunt dici vnum principium Spiritus Sancti.

3. Circa tertiam vero fuerunt quidam auctores, quos refert D. Thom. 1. part. quæst. 36. art. 4. ad 7. qui licet concederent, Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus Sancti: non tamen admittebant fore dicendos vnum spiratorem, sed duos spiratores, sicut dicuntur duo spirantes. Cuius sententiæ fundamentum aliud nõ est, nisi quia sunt duo suppositi, quorum quodlibet dicitur spirator, sicut dicitur spirans: si igitur dicũtur duo spirantes, non minus possunt dici duo spiratores.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, cum suis fundamentis.

4. IN oppositum autem est litera textualis, quoad omnes tres controuersias. Nam quoad primam hæc inquit Doctor in art. 2. quæst. 1. huius distinctionis 12. litera F. *Concedo, quod Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum voluntate in quantum omnino vna.* Quoad secũdã vero hæc profert in artic. 1. eiusdem 1. quæstionis litera F. *Planum est, quod Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti.* Quantum ad tertiã tandẽ in ar. 5. eiusdem 1. q. lit. D. hæc ait: *Spirator igitur significat vim spirandi, vt concernit suppositum. Et quia vna est vis in Patre, & Filio, & terminus numeralis appositus alicui determinabili, ponit suum significatum circa illud: ideo non videtur concedendum de vi sermonis, quod sint duo spiratores.* Sequuntur Doctorem omnes veteres, & recentiores Scotistæ, estque sententia expressa D. Thomæ 1. part. quæst. 36. artic. 4. in corpore, & solutione ad septimum: quem etiam omnes Thomistæ sequuntur. Et est communis sententia omnium Theologorum. *D. Thom.*

5. Pro huius difficultatis resolutione, vltra ea, quæ prænotaui supra in commentario ad articulum primum de vnitate principij: est nunc obseruandum circa illam controuersiam, an Pater & Filius, eo quod sint vnum principium Spiritus Sancti, sint etiam vnus spirator. Quod licet hæc sententia sit cõmunis D. Thomæ, & Scoti, verũ tamẽ etsi vterque Doctor idem de conclusione vnanimiter sentiat: nihilominus in reddẽda ratione illius, Scotus à D. Thoma discordat. Nã licet vterque affirmet terminum numeralem apponi terminis adiectiuis, non vero substantiuis: ac proinde posse dici duos spirantes: quia ibi plurificatio, videlicet, numeri binarij, additur termino adiectiuo, qui est *spirans spirantis*: non vero duos spiratores: quia spirator est terminus substantiuus: nihilominus aliam, & aliam rationem huius differentiæ reddunt. Nam ideò (inquit D. Thomas) terminus numeralis apponitur adiectiuis, non vero substantiuis: *Quia adiectiua nomina habent numerum secundum suppositа: substantiua vero à se ipsis, secundum formam significatam.* Hanc D. Thomæ rationem latius explicatam non approbat Doctor: quinimo illam litera F. citati articuli 5. tanquam insufficientem impugnat. Cuius ratio est: quia cum substantiuum, & adiectiuum simpliciter significent idem, licet non eodem modo: non videtur posse dici adiectiuum numerari, quin numeretur substantiuum: atque ideo infertur eadem ratione, qua dicuntur duo spirantes, posse dici duos spiratores. Quod patet in exemplo de albo, & albedine: nam eadem ratione, qua duo suppositа habentia albedinem dicuntur duo alba: eadem dicitur in eis esse duas albedines. Non ergo probat ratio D. Thomæ intentum. *Pater, & Filius sunt duo spirantes, non vero duo spiratores.* *Substantiuum & adiectiuum idem significãt diuerso modo.*

6. Verũ cõtra Doctorẽ posset pro D. Th. instari: nam quando eadem numero forma

ma plura ſuppoſita denominat, tunc adiectiua numerantur ad numerationē ſuppoſitorum abſque eo, quod talis forma denominans plurificetur. Quod in creatis patet: quia ſi Deus eandem numero albedinem poneret in duobus lapidibus, eſſent procul dubio duo alba, non tamen duæ albedines. Quod etiam in diuinis clarius patet: nam in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, eſt eadem intellectio, quæ denominat tres perſonas intelligentes: ſed non ideò valet hæc conſequentia, ſunt tres intelligentes: ergo in illis eſt triplex intellectio: eo quod forma denominans eſt vna, & eadem: non igitur numeratur ſubſtantiuum, licet adiectiuum numeretur. Hoc idem videtur dicendum in propoſito de virtute ſpiratiua: quæ, quia eſt vna, & eadem, nō numeratur ſubſtantiuè; licet adiectiuè duos ſpirantes denominet. Ac propterea videtur nihil contra D. Thomam inferri ex ratione Scoti.

7. *Lychetus.*

Optimè hanc inſtantiam ſoluit Lychetus in 1. diſtinct. 12. quæſt. 1. §. *iuxta. quæſtionem iſtam* prænotans, quod intelligens, & intellector ex vi ſermonis idem ſignificāt, licet diuerſo modo: hic autem diuerſus modus ſignificandi in hoc conſiſtit, quod intelligens ſignificat per modum actus; intellector autem per modum habitus, vt patet ex contextu. Quæ differentia nulla eſt in forma ſignificata: ſed in hoc vnum per modum fluxus, & alterum per modum quietis ſignificat. Ex quo infert, quod ſi ſunt tres intelligentes, conſequenter debent dici tres intellectores: quia in forma ſignificata, idem ſimpliciter ſignificat intelligens, quod intellector. Quo præſuppoſito, inquit aliter loquendum eſſe de nomine adiectiuo ſeorſum, & abſolutè ſumpto: & aliter prout adiacet ſuppoſito, quod in propoſitione exprimitur. Priori modo non exercet munus adiectiui, ſed more ſubſtantiui accipitur, ſeu ſubſtantiuatur (vt loquar verbis Doctoris) & ſecundum quandam regulam grammaticalem, adiectiua, cum ſubſtantiuè ponuntur, loco ſubſtantiuorum conſtruuntur: & ideo abſolute dicendo tres intelligentes ex vi ſermonis, importatur ibi triplex intellectio intriplici intelligente, ſicut ſi dicerentur tres intellectores: quia vt ſic importatur diſtinctio in-

Adiectiuū aliter ſignificat ſeorſum ſumptum, & aliter additū ſuppoſito in oratione.

forma ſignificata. Atqui ſi ſumantur poſteriori modo dicuntur tres perſonæ intelligentes: & quia tunc ſignificatur, vt adiacens ſuppoſito, ad numerationem ſuppoſitorum numeratur adiectiuum, abſque eo, quod ſubſtantiuum numerari debeat. Et ideo, licet abſolutè non cōcedantur tres intelligentes: benè tamen conceditur, eſſe tres perſonas intelligentes, ſine eo, quod ſint tres intellectores: ſic in propoſito conceduntur duæ perſonæ ſpirantes, quin concedantur duo ſpiratores. Quod intelligendum eſt (vt notauit Lichetus) ex vi ſermonis: nam ex communi vſurpatione Theologica, etiam abſolutè conceduntur tres intelligentes, & duo ſpirātes: eo quod iam ſupponitur loqui de perſonis intelligentibus, & ſpirantibus, quod notauit Doctor litera G. ſed locutio ex vi ſermonis benè probat inſufficientiam rationis aſſignatæ à D. Thoma.

8.

Oſtenſa igitur inſufficientia rationis prædictæ, aliam rationem propriā aſſignat Doctor eadē litera G. quæ nō minus obſcuritatis, quam ſubtilitatis includit. Eam tamen egregie ſic exponit Lychetus, aduertendo quatuor propoſitiones haberi in huiuſmodi ratione. Prima eſt, quod omne depēdens, de neceſſitate terminatur ad aliquod indepēdens. Huius reditur ratio in textu, quia ſcilicet, nunquā depēdētia alicuius ſufficienter terminatur, niſi ad aliquod omninò independens. Sed hæc ratio limitatur, ita quod debeat intelligi in eodē genere: quia accidens pendet à ſubiecto, & tamen ſubiectū non eſt omnino independens: quia eſt effectus alicuius cauſæ, à qua depēdet, eſt tamē omnino indepēdens in eodē genere dependentiæ per in hærētiā, in quo genere accidens pēdet ab illo. In hoc igitur genere (inquit Doctor) pendet adiectiuum à ſubſtantiuo. Secunda propoſitio eſt, quando ſunt aliqua duo æquè dependentia in eodē genere dependendi, vnum nō poteſt terminare dependētiā alterius, ſed vtrūq; pender ad tertiū. Hīc ponitur alia limitatio, ſcilicet, quod dependeant æquali depēdētia: alias enim, ſi inæqualiter pendeant, benè in Sacramēto Altaris videmus albedinē terminari ad quantitatem, licet quantitas non ſit omnino independens: imò etiam in eodem genere dependendi pendeat à ſubſtātia.

Omne depē dens neceſſario termi natur ad aliquod independens.

9. Porrò tertia propositio est, quod duo spirantes sunt duo nomina adiectiua: non enim minus adiacet ly *duo*, quam ly *spirantes*: & ista duo adiectiua æqualiter pendent in eodem genere dependentiæ. Ex quo prouenit, quod ly *duo* non potest terminari ad ly *spirantes*: sed necessario tendit vlterius ad aliquod substantiuum omnino independens in hoc genere dependentiæ, à quo dependeat. Et hoc tale substantiuum est idem substantiuum, ad quod dependet ly *spirantes*: quia duo nomina adiectiua æqualiter dependentia, æqualiter terminantur ad idē tertium: ergo ista duo adiectiua, nempè, *duo*, & *spirantes*, æquè terminantur ad eas dem personas, quibus adiacent. Et est sensus, *duo spirantes*, ideſt, *duæ personæ spirantes*. At qui, quando vnum adiectiuum dependens apponitur substantiuo, quod est independens, terminatur ad illud, & ponit suum significatum circa illud. Vndè, quando ly *duo*, quod est adiectiuum, apponitur huic substantiuo *spiratores*: ly duo ponit suum significatum circa significatum spiratoris: significatum verò spiratoris est vis spiratiua: ergo ponit suum significatum circa vim spiratiuam: ità vt reddat hunc sensum, sunt duo spiratores: quia sunt duæ virtutes spiratiuæ: quod est à perte falsum. Et in hac differentiali ratione, ratio Doctoris consistit, quæ ex notatis redditur satis clara, & subtiliter ostendit, quare numerantur adiectiua, non verò substantiua. Quartà tandem propositio est, quod indiuinis adiectiuum, etiam masculinè sumptum, potest substantiuari, quod explicat Doctor: quia semper ibi subintelligitur aliquod substantiuum: quia quando dicitur generans, sub intelligitur Pater: quādo dicitur creans sub intelligitur Deus, & quando dicitur spirans, intelligitur persona, &c.

Adiectiuū pēdet à substantiuo, nō verò abalio adiectiuo.

§. 3.

Statuuntur conclusiones, atque solutiones argumentorum.

10. His præhabitis, difficultatem concludendo, dico primo, quod loquendo de principio sumpto pro principio *quo*, seu pro ratione formali spirandi, in Patre, & Filio est vnum principium Spiritus Sancti. Conclusio est communis inter Catholicos, quam probat Doctor in art. 2. huius quæst. 1. litera E. nam ad rationem principij, prout præcisè est principium, non aliud requiritur, nisi perfectio eius in se, & quod habeatur in persona, ante quam intelligatur habere terminum productum, adæquatum suæ virtuti productiuæ: sed voluntas intelligitur omnino vna, perfecta in Patre, & Filio, antequam intelligatur productus terminus adæquatus illius, nempè Spiritus Sanctus: ergo, &c.

1. Conclus.

11. Dico secūdo, quod loquendo de principio *quod*, prout principium accipitur pro ipso agente, Pater, & Filius sunt vnū principium Spiritus Sancti. Conclusio hæc est ita Fidei conformis, vt eius opposita meritò ab aliquibus, inter quos sunt Canarienſis, & Vazquez, temeraria censeatur. Conclusio est definita, & declarata in Concilio Lugdunensi sub Gregor. 10. sicut patet cap. *extra*, de summa Trinitate, & Fide Catholica, & cap. *Fideli*, & est in lib. 6. Decretalium. Probatur auctoritate D. August. 5. de Trinitate cap. 15. vbi hæc profert: *Si ergo datur, iam principium habet eum, aquo datur: quia non aliunde recepit illud, quod ab ipso procedit, fatendum est Patrem, & Filiū principium esse Spiritus Sancti, non duo principia.* Et continuò subdit sanctissimus Doctor. *Sed sicut Pater, & Filius, vnus Deus, & ad creaturam relatiue vnus est creator, & vnus Dominus, sic relatiuè ad Spiritum Sanctum, vnum principium.* Quæ verba Augustini satis probant conclusionem.

2. Conclus. *Conc. Lug.* *Cap. extra* *Cap. Fideli* *Lib. 6. Decret.* *D. August.*

12. Præterea ratione probatur à Doctore in art. 1. huius quæstionis litera F. nam Pater prius origine habet actum fœcunditatis intellectus, quam voluntatis: in illo autem priori communicat Pater Filio eandem fœcunditatem, quam habet: nam in illo signo originis, in quo Filius generatur à Patre, per fœcūditatem intellectus cōmunicatur sibi à Patre quid quid ei non repugnat: fœcunditas autē voluntatis non repugnat Filio, vt patet: ergo in illo signo originis, in quo per secundam fœcunditatem, scilicet, voluntatis, producitur persona: producitur talis persona à Patre, & Filio omnino, vt ab vno principio propter vnam fecunditatem principij productiui, quod habēt in se.

Dico

13. *Tertia cõc.* Dico tertio, Patrem & Filium posse dici duas personas spirantes, seu duos spirantes, intelligendo esse duas personas spirantes, licet nõ exprimantur personæ. Conclusio hæc probatur per ea, quæ notata sunt supra num. 9. iuxta ibi positam declarationem Doctoris.

14. *Quarta cõc.* Dico quarto, Patrem, & Filium non esse duos spiratores, sed vnum spiratorem Spiritus Sancti. Conclusio hæc est expressa Doctoris, & D. Thomæ, vt patuit supra. Quæ probatur supra posita ratione Diui Thomæ in num. 5. sed longè efficacius ratione Scoti supra posita, & exposita num. 8. & 9.

15. *Ad argumenta, & ad primũ pro sententia Durandi.* Ad argumenta in oppositum, & primo ad fundamentum sententiæ Durandi, & eius probationem, dico, principiũ indifferenter accipi pro principio *quo*, & *quod*: hoc est, pro ratione formali producendi, aut pro ipso producente. Principium ergo primo modo acceptum, nõ supponit pro supposito: bene tamẽ, si sumatur secundo modo. Et tunc non supponit pro supposito secundum rationem suppositi, sed pro supposito, quatenus est habens virtutem, seu rationem formalem producendi. Vnde si hæc virtus fuerit in singulari existente, etiam tale singulare existens erit principiũ *quod*, licet non sit suppositum: prout patet de Deo, prout est individuum Deitatis præintellectus suppositis, cui conuenit agere, & creare: & ideo quãdo dicitur, quod actiones sunt suppositorum, exponitur à Doctore, quod sunt suppositorum, vel singularium existentium. Quia igitur non supponit principium *quod* pro supposito, vt suppositum est, sed prout est habens rationem formalem producendi: ideò à ratione formali producendi numeratur principium quod. Et cum Pater, & Filius, licet sint duo supposita, habeant tamen vnam rationem formalem producendi: hinc est, quod licet sint duo supposita sunt tamen vnum principium *quod* Spiritus Sancti. Ex quo respõdetur ad probationem, quod hîc supponit principium, non pro forma agendi, sed pro ipso agente: & propter rationem dictam, non inconuenit duo supposita esse vnum principium, *quod*: quia talia supposita habent eandem formam, & rationem formalem agendi.

Principiũ sumitur, vt quo, & vt quod.

Singulare potest dici principiũ quod.

Pater, & Filius sunt vnum principiũ quod Spiritus Sãcti.

16. *Ad secund.* Ad fundamentum sententiæ eorũ autorum, quos refert D. Tho. respondeo quod etsi duo sint supposita, quę adiecti uè possunt dici duo spirantes: non tamẽ ob id dici poterunt duo spiratores, propter rationem traditam ex Doctore supra num. 7. 6. 8. & 9.

DIFFICVLTAS LXXV.

Vtrùm Spiritus Sanctus, ita necessario procedat a Patre, & Filio, vt ab altero illorum non posset procedere, secundum eandem proprietatem, & rationem, qua nunc à duobus procedit?

§. 1.

Proponitur status cõtrouersiæ, cum prima sententia Henrici, & secunda Thomistarum.

1. SVpra in difficulta. 72. quærebatur, vtrum, si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, realiter distingueretur ab ipso? Cuius controuersiæ partem affirmatiuam concluſimus. Ad illam tamen supponebatur hypothesis, intelligibile, scilicet, esse saltim per impossibile ab extrinseco proueniens, Spiritum Sanctum (vt Græci dicebant) à solo Patre procedere. Modo autem, circa eandem hypothesim, inquiritur, an idẽ Spiritus Sanctus, qui nunc est, secundũ eandem proprietatem, & rationem, qua nunc procedit, sic posset procedere à duobus; vt si per impossibile, ab vno tantum illorum procederet, iam non esset idem Spiritus Sanctus, aut saltim non haberet eandem proprietatem, & rationẽ, qua nunc de facto à Patre, & Filio procedit? Difficultatis huius materia subtiliter à Doctore resoluitur in art. 4. huius q. 1. ac ideò non multum immorabor in illa: circa quã triplex agitatur sẽtẽtia. Prima est Henr. in sum. ar. 54. quẽ refert Doctor in dict. ar. 4. litera D. dicentis, quod vis spiratiua nõ omnino sub ratione vnitatis suæ est proximũ principiũ spirãdi: sed sub ratione concordis voluntatis. Ex quo necessario cõnotatur aliqua distinctio spirantium: quia concordia non est eiusdẽ ad se, sed necessario præsupponit distincta

1. *sent. Hẽrici.*

distincta suppositа, quorũ quodlibet cõ cordetur alteri, & sic vtrumque cõcordi ter spiret. Hanc sententiam de cõcordia voluntatis latè proponit, & exponit, & confutat Doctor loco citato. Et ideo nõ restat nobis aliquid circa eius impugnationem notare, aut superaddere.

2. *Secũda sententia D. Thomæ.* Secunda vero sententia est D. Thomæ 1.p.quæst.36. art.4.ad primum, vbi inquit, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, vt sunt plures: quia procedit ab eis vt amor vnitiuus eorum. Ex quo Thomistæ quidam deducunt, ita ne cessario processionem Spiritus Sancti ex sua ratione requirere esse â duobus suppositis, vt sibi repugnet secundum eãdem rationem, videlicet talis amoris, qua nunc procedit, esse ab vno. Sequun tur hanc sententiam Caietanus, & Canarienſis ibidem. Item Capreolus in 1. distinct. 12. quæst. 1. conclus. 4. & ferè omnes Thomistæ. Item Marsilius in 1. quæst. 15. art. 3. & ex recentioribus Vazquez 1.p.disp. 150. cap. 2. & plures alij: in quam inclinat Durandus in 1. distinction. 11. quæst. 3. licet sententia hæc differat à prima in eo, quod illa ponit concordiam voluntatis Patris, & Filij, ista vero vtriusque dilectionem: conuenit tamen cum illa in hoc, quod vtraque cõstituit voluntatem spiratiuam necessario esse duorum.

Caietanus. Canarienſ. Capreolus. Marsilius. Vazquez. Durãdus.

3. *Ricard. de S. Victor.* Probatur igitur hæc sententia ab eius auctoribus primo auctoritate Ricardi de Sancto Victore 3. de Trinit. cap. 3. & 7. & 11. vbi docet non posse amorem esse perfectum, & iocundum, nisi sit saltem duorum, & cap. 16. vbi ait nihil definiri contrarium naturæ, si plenitudo sapien tiæ dicatur esse in vna tantum persona: quia in vna persona plenitudo sapientiæ esse posset: at plenitudinem amoris natura sua exigere plura suppositа, vt perfectus sit: perfectio enim amoris in eo consistit, vt mutuus sit: ergo cum Spiritus Sanctus procedat, vt amor perfectus, sit, vt etiam procedat vt mutuus amor: quod quidem non haberet, si ab vna tantum persona procedet. Quod confirmatur etiam auctoritate D. Augustini 6. de Trinit. cap. 5. hæc dicentis: *Manifestum est, quod aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à genitore diligatur, genitoremque suum diligat.*

D. Augus.

4. Ratione aute probatur à Vazquio; quia Spiritus Sanctus procedit spiratus. vt amor reciprocus: ergo, vt talis, necessario postulat à duobus mutuò se diligẽtibus spirari. Et addit Vazquez, quod non est idem procedere à duobus, & procedere, vt nexum illorum: nam procedere vt nexum, est procedere à duobus diligentibus se. Cum autem dicitur Spiritum Sanctum ideo procedere à duobus, quia procedit, vt nexus: non causa efficiens significatur, sed finalis: hoc est, ad hoc, quod Spiritus Sanctus procedat, vt nexus, qualis est proprietas sua, necessario procedit à duobus. Ex quo reprehendit non nullos Thomistas concedentes Scoto, Spiritum Sãctum, etiam si ab vno procederet, processurum esse eodem modo, quo nunc procedit, & cum eadem characteristica proprietate, quam nunc habet.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, cum suis fundamentis.

5. IN oppositum autem est litera textualis in 4. artic. huius primæ quæstionis distinctionis 12. vbi Doctor hæc profert sub litera H. *Dico, quod licet nunquam esset voluntas proprie fœcunda, nisi in duobus: non tamen ita, quod illa fœcunditas requirat de ratione sua esse in duobus, quasi ipsa non posset esse in vno: sed propter ordinem fœcunditatum in procedendo, necessario oportet secundam fœcunditatem, quãdo est in potentia proxima, esse in duobus.* Sequuntur Doctorem Basolis, Lychetus, Tatheretus, Rubionis, ibidem, & reliqui Scotistæ tam veteres, quam recentiores.

Basolis. Lychetus. Tatheret. Rubionis.

6. Hanc difficultatem (prout visum est in citato articul. 4. & in nostro Commẽtario ibi) sub duplici sensu Doctor pertractat: nam vel loquimur ex ordine diuinarum originum, vel ex ratione fœcunditatis principij formalis originis. Hæc etenim duo longè distinctam resolutionem exposulant: nam loquendo in primo sensu, ordo originum, petit fœcunditatem originis, quæ est per voluntatem, naturaliter supponere aliam originem per intellectum: quia sicut naturaliter productio intellectus præcedit productionem voluntatis: sic origo per voluntatem naturaliter supponit originem

nẽ per intellectum. Et quia origine per intellectum, procedit verbum, cui Pater communicauit integram naturam diuinam simul cum voluntate in ratione principij spiratiui: ideò ex hoc, origo per voluntatem, seu fœcunditas voluntatis necessario præsupponit Patrem, & Filium, ita vt attento hoc originum ordine, non posset in solo Patre voluntas fœcunda in ratione principij spiratiui reperiri: quia in solo Patre non supponitur prima origo per intellectum terminata ad Verbum, quæ naturaliter præsupponi debet ad originem per voluntatem. Et ideo attento hoc ordine originum, non posset Spiritus Sanctus à solo Patre procedere: sed necessariopostulat spirari à Patre, & Filio.

Origo per voluntatẽ præsupponit Patrem & Filium.

7. Secus autem dicendum censeo de fœcunditate ista voluntatis, respectu Filij: nam si per impossibile Spiritus Sanctus à solo Filio procederet (quem casum, & hypothesim aduersarij admittunt, vt patet supra in difficultate 72. nu. 54.) iam præsupponeretur ad originem Spiritus Sancti, quæ est per voluntatem, prima origo per intellectum, ex vi cuius originis Filius habet esse. Et tunc etiam attento ordine originum, Spiritus Sanctus nõ requireret à duobus produci: sed posset ab vno, nempe á solo Filio procedere. Hîc namque cessat ratio Doctoris, qua asserit *Propter ordinem fœcunditatum in procedendo, necessario oportere secundam fœcunditatem, quando est in potentia proxima, esse in duobus.* Nam in casu quo Spiritus Sanctus à solo Filio procederet: iam secunda fœcunditas, primam fœcunditatem supponeret, qua supponitur Filium processisse. Doctor enim ideò inquit, attento ordine fœcunditatum, à duobus Spiritum Sanctum procedere: quia hypothesis quæstionis est in casu, quo â solo Patre procederet, vt Græci dicebant. Quem casum supponit ad illam controuersiam, qua quærit vtrum si à Filio non procederet, distingueretur ab ipso. Et ex hac hypothesi consequenter loquitur in præsenti: quia attento ordine fœcunditatum, non posset Spiritus Sanctus à solo Patre procedere, eo quod eius processio, attento ordine originum, necessario esset ex secunda fœcunditate, naturaliter præsupponẽte primam, per quam Filius procedit. Ex quo sequebatur necessario esse à duobus, nempe à Patre, & Filio. Sed quia (vt visum est) hæc ratio cessat in casu, quo Spiritus Sanctus procederet tantum à Filio: quia sine eo, quod à Patre procederet, exacte supponitur prima fœcunditas ad secundam: ideo etiam attento ordine originum, optimè saluaretur, fœcunditatem spiratiuã non esse in duobus, sed tantum in vno.

8. Loquendo vero in secundo sensu, scilicet, attenta ratione formali fœcunditatis originis, abstrahendo ab ordine, quem vna fœcunditas dicit ad alteram: aliter esse loquendum, Doctor resoluit, dicens: *Quod licet nunquam esset voluntas proprie fœcunda, nisi in duobus: non tamen, ita quod illa fœcunditas requirat de sua ratione esse in duobus: quasi ipsa non posset esse in vno.* Fœcunditas ergo spiratiua ex sua ratione formali nihil aliud est, quam voluntas diuina habens essentiam sibi vnitam in ratione obiecti: nam sicuti intellectus, habens essentiam in ratione obiecti intelligibilis sibi vnitam, est memoria fœcunda, & adæquatum principium formale generationis Verbi: sic voluntas habens essentiam sibi vnitam in ratione obiecti amabilis, est voluntas fœcunda, & adæquatum principium formale spirationis. Hæc autem voluntas fœcunda, vt sic in ratione adæquati formalis principij spirationis, non minus reperiretur in Patre, aut in Filio, in casu, quod ab altero tantum procederet Spiritus Sanctus, quam nunc reperitur in vtroque simul: sicuti nunc de facto nõ minus rationem principij adæquati formalis voluntas in Patre, aut in Filio, quam in vtroque simul: ergo attenta ratione formali huius fœcunditatis, non magis postulat esse in duobus, quam in vno: siquidem eadem prorsus fœcunditas adæquatissima, quæ nunc est in duobus, saluaretur in vno.

Voluntas fœcunda dicit voluntatẽ & essentiam diuinam, vt obiectum.

9. Verum enim vero dices, longè disparem esse rationem vtriusque fœcunditatis: nam intellectus per solam vnionem essentiæ, in ratione obiecti intelligibilis fit memoria fœcunda: quia ad eius fœcũditatem non requiritur alia præuia actio alterius potentiæ: at qui voluntatis fœcunditas esse non potest, quin necessario præcedat operatio intellectus: illud etenim, quod vulgariter dicitur, nihil scilicet, esse volitum, quin sit prægnitum:

tum: non solum deducitur ex materiali ordine, quo vnum ad aliud præsupponi tur; sed ex formali causalitate vnius operationis ad alteram. Cum enim voluntas sit potentia cæca, indiget actu intellectus repræsentante sibi obiectum, & illustrante illud, eiusque bonitatem ostendente, vt obiectum sic ostensum vt bonũ vniatur voluntati, & eo formaliter fœcundetur: necessario ergo indiget fœcunditas voluntatis fœcunditate prima intellectus: ita vt sine illa non possit fœcundari voluntas.

Voluntas nõ fœcũdatur nisi intellecta prius fœcũdato, nõ tamen necessario.

10. Profecto negari non potest hæc fœcunditatum disparitas: non tamen exindè conuincimur, necessario primam fœcunditatem ante secundam admittere, nec propterea primam formaliter ad secundam conducere. Hoc tam in creatis, quam etiam in diuinis ostendo, supponendo, esse verum in vniuersum, quod nequit voluntas esse fœcũda sine eo, quod actus intellectus, aut intelligere, seu intellectio præcedat. Hoc tamen intelligere, seu intellectio independenter à prima fœcunditate datur in Deo: & per Dei potentiam potest dari in creatura: quo ostenso, satis infertur secundam fœcunditatem voluntatis à prima fœcunditate formaliter non pẽdere. Ad huius euidentiam, loquendo in diuinis, recolendum est, quod resoluimus supra in difficultat. 49. videlicet, Verbum diuinũ non procedere per intelligere, ac propterea nullum intelligere diuinum pendere à Verbi productione: siquidem Deus per Verbum formaliter non intelligit, & ideò intelligere Dei esse essentiale. Voluntas igitur, vt fœcundetur essentia in ratione obiecti amabilis: debet præsupponere cognitionem talis obiecti. Hæc tamen cognitio non est Verbi productio: sed intelligere diuinum, non vt actus memoriæ, sed vt actus intelligẽtiæ, quo intellectus intelligit diuinam essentiam, & ipsam sic intellectam, & cognitam in ratione summi boni infinitè amabilis voluntati repræsentat, & vnit. Hoc expresè docuit Scotus in art. 3. huius quæstion. 1. sub litera E. his verbis: *Voluntas infinita habens essentiam diuinam præsentem sibi per actum intelligentiæ, est Patri, & Filio principium Spiritus Sancti*: cum ergo diuinum intelligere à productione Verbi non pendeat: quia Deus per Verbum non intelligit: consequenter fœcunditas primæ originis, qua Verbum procedit, non conducit formaliter ad fœcunditatem secundam: siquidem sine illa intelligitur essentia, & per actũ intelligendi fit præsens voluntati, & ipsam formaliter reddit fœcundam.

11. Loquendo autem in creatis, etiam sunt in memoriam reuocanda, quæ supra docuimus in difficultate 26. vbi visum est, posse Deum producere intellectionem formalem, seu qualitatem, quæ est verbum mentis, & ipsam infundere in intellectu creato, quo informetur, & percipiat obiectum in verbo repræsentatum: & sic percipiendo illud formaliter intelligat. Ex quo manifestum fit, hũc ibi esse verum intelligere, sine productione verbi mentis: & consequenter sine fœcunditate memoriæ, seu intellectus. Hoc tamen obiectum, vt sic intellectum, sub aliqua ratione boni potest voluntatem fœcundare ad productionem autoris illius, en ergo, quo pacto, tam in Deo, quam in creatis secunda fœcunditas sine prima valet reperiri. Ex quo ad obiectionem dico, quod licet disparitas fœcunditatis intellectus, & voluntatis admittatur quoad hoc, quod secunda supponit actum intelligendi: prima autem sine aliquo actu prævio alterius potentiæ esse potest: non tamen ibi est talis disparitas, quoad hoc, quod sicut prima formaliter non perit secundam, sic nec secunda formaliter postulat primã. Et sic concluditur, secundam fœcunditatem voluntatis ex sua ratione formali, nullatenus à prima fœcunditate per intellectum pendere. Ex quibus colligitur, processionem Spiritus Sancti, quæ est ex fœcunditate voluntatis, ex sua ratione formali non pendere à processione Verbi: atque ideò ex sua ratione non postulare à duobus suppositis esse: sed si ab vno procederet: perfectissimè saluaretur in eo omnimoda ratio, & proprietas, quam nunc habet.

12. Demum hanc rationem, seu characteristicam proprietatem, non requirere hoc, quod est procedere à duobus, eo quod est à voluntate concordi, sed vt est vna, optime contra Henricum Doctor demonstrat. Ratio autem vnitatis voluntatis spiratiuæ non minus saluatur in vno, quam in duobus: ergo iam ex hac par-

te

te non requiritur processionem huiusmodi esse à duobus. Præterea, hanc necessitatem procedendi à duobus, nõ prouenire ex eo, quod Spiritus Sanctus est amor mutuus vtriusque, satis est improbatum supra in difficultate 73. vbi probauimus ex Doctore in artic. 3. huius quæstion. 1. Spiritum Sanctum ex dilectione aliqua non procedere: nec quidem vt amorem Patris, & Filij per modum obiecti. Ex quo deducitur, quod etsi nõ à duobus, sed ab vno procederet: habiturum fore eandem proprietatem, & rationem, & eandem characteristicam formalitatẽ, quam nunc habet.

§. 3.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis, & soluuntur argumenta.

13. 1. *Concluſ.* HIs præhabitis, difficultatem cõcludendo, dico primo, quod attento ordine originum, & fœcunditatum, ita necessario processio Spiritus Sancti supponit Verbi processionem, vt si prius Verbum non procederet per intellectũ, nec ipse posset per voluntarem procedere. Conclusio hæc ex supra expositis, num. 6. & 7. satis patet, & clare constat, ordinem originum, & fœcunditatum diuinarum in hoc positum esse, vt prius fœcundetur intellectus, & sic fœcundus Verbum producat: & postea fœcundetur voluntas, vt spiret Spiritum Sanctum. Hoc probatur: nam quoties in aliquo agente sunt duo principia actiua, interse ordinata, posterius non est in potentia proxima ad operandum, quousque prius operetur: sed sic se habent potentia generandi, & potentia spirandi, videlicet intellectus, & voluntas: quia voluntas cum sit posterior in operatione, non est in potentia proxima ad operãdum, donec intellectus operetur: sed in Deo per intellectum procedit Verbũ, quod est suppositum, sicut & Pater: ergo ante quam intelliganmus, voluntatem esse in potẽtia proxima ad productionẽ Spiritus Sãcti, prius intelligimus in Deo duo suppositа, in quibus est talis voluntas.

Attento ordine originis, Spiritus Sanctus præsupponit verbum productũ.

14. 2. *Concluſ.* Dico secundo, quod licet attento hoc originum ordine, nõ posset Spiritus Sãctus esse à solo Patre, quin sit etiam simul à Filio: poterat nihilominus esse à solo Filio, quin esset à Patre. Conclusio hæc est, quoad primam partem, expressa Doctoris, vt patet in litera textuali, vbi inquit, quod propter ordinem fœcunditatum in procedendo, necessario oportet secundam fœcunditatem esse in duobus. Quod ex eo probatur: quia hæc secunda fœcunditas, & origo, qua Spiritus Sanctus procedit, non potest primam fœcunditatem præsupponere, nisi præsupponat Filium genitũ per illam, & ita sit à Patre, & Filio. Ex eo autem, quod à solo Patre procederet, non necessario supponeret Filium genitũ: quia per actum intelligendi, per quem non producitur Verbũ, poterat diuina essentia fieri præsens voluntati, & illi vniri, vt supra notauimus, nu. 10. & ita iam intelligeretur Spiritus Sancti fœcũditas, & origo, quin fœcunditatem, & originem Verbi supponeret: sed attento ordine originum, necessario secunda origo, seu fœcũditas primam supponit: ergo attento hoc ordine, non poterat Spiritus Sanctus à solo Patre procedere. Secunda vero pars ex eodem Doctore colligitur, & probatur per idem: quia stat, intelligere Spiritũ Sãctum à solo Filio procedere, & eius originẽ supponere primam fœcũditatem: ex eo enim, quod à Filio procederet, iam necessario supponit, Filium per primam originem processisse à Patre: ergo ibi saluaretur ordo originum, & fœcunditatũ sine eo, quod à Patre procederet, aut esset eius fœcunditas in duobus, vt patet ex eis, quæ pro hoc puncto supra nu. 7. enucleaui.

Attento ordine originis Spiritus Sanctus nõ potest procedere à solo Patre: bene tamen à solo Filio.

15. 3. *Concluſ.* Dico tertio, loquendo de ratione formali originis, qua Spiritus Sanctus procedit, quod non ita postulat Spiritus Sãctus necessario à duobus procedere: vt non possit secundũ eandẽ characteristicam rationẽ, quam nunc habet, ab vno procedere. Conclusio est expressa Doctoris, vt constat ex eius litera textuali contra auctores primæ, & secundæ sententiæ, quæ probatur rationibus eius. Nã primo: quia quotiescũq; principium alicuius operationis, & productionis est æque perfecte in vno suppositо, sicuti in duobus, non magis postulat esse in pluribus suppositis, quam in vno: sed voluntas

Attenta ratione formali spirandi, Spiritus Sãctus nõ postulat necessario procedere à duobus.

tas diuina ad ſpirandum: ita perfecta eſſet in vno ſuppoſito, ſicuti in duobus: quia eſſet cum eadem eſſentia ſibi vnita in ratione obiecti, & haberet eandem rationem principij adæquatè ſpiratiui, quã nũc habet in duobus: ergo in vno ſuppoſito eodẽ modo ſpiraret, quo nũc ſpirat.

16. Hanc rationem Thomiſtæ ſoluere intendunt, cum Ferrara 4. contra gentes, cap. 25. dicentes, quod etſi virtus ſpirandi æquè perfectè eſſet in vno ac in duobus: nihilominus non poſſet procedere Spiritus Sanctus, niſi à duobus: quia eo quod æquè perfectè eſt potentia ſpirandi in duobus, ac eſſet in vno: ea ratione conuincitur, neceſſario à duobus procedere, ſiquidem in duobus reperitur perfectè potentia ſpirandi: hæc tamen ſolutio nec argumenti vim diluit, nec eius rangit difficultatem. Doctor enim non negat defacto Spiritum Sanctum à duobus procedere: eo quod defacto principium ſpiratiuum perfectiſsimè eſt in duobus, ſed cum probet eandem potentiam, & idem prorſus principium, quod nunc eſt in duobus, perfectiſsime quoque in vno ſuppoſito reperiri: intendit ſpirationem non requirere ex ratione ſua ſuppoſitorum pluralitatem: ſi enim nobis Thomiſtæ concedunt eandẽ prorſus virtutem ſpiratiuam reperiri in vno ſuppoſito in actu primo, quæ reperitur in duobus. proculdubio tenentur concedere ſpirationem in actu ſecundo ex ratione ſua non petere pluralitatem perſonarum, ſed in vna tantum adæquatè ſaluari.

Solutio Ferrariẽſis, & eius impugnatio.

17. Vazquez vero aliter ſoluit argumentum prædictum dicens: virtutem ſpiratiuam in caſu quæſtionis non æquè, & eodem modo futuram fuiſſe in vno, ſicuti, nunc eſt in duobus. Et hoc non quia nõ ſit tota virtus in vno, quæ eſt in duobus: hoc namque ingenuè fatetur: ſed quia ibi deficit aliqua conditio requiſita ad producendum Spiritum Sanctum, qui ex eo quod procedit, vt nexus, & amor duorum, requirit neceſſario à duobus ſuppoſitis produci. Verum hæc Vazquij ſolutiõ ſatis impugnatur ex eis, quæ ſupra in difficultate 73. dicta ſunt: vbi oſtẽditur Spiritum Sanctum non procedere ex dilectione Patris, & Filij, neque vt amorem illorum per modũ obiecti: quibus hæc Vazquij reſponſio ruit: nam ſemel ab eo conceſſo eandẽ virtutem ſpiratiuam futuram fuiſſe in vno, quæ defacto eſt in duobus, & ſupra oſtenſo non procedere, vt nexum Patris, & Filij: conſequenter cõcluditur eodem modo proceſſurum fuiſſe ab vno, quo nunc à duobus procedit.

Solutio Vazquez, & eius impugnatio.

18. Secundo probatur eadem concluſio: nam virtuti ſpiratiuæ, vtſic, non additur aliquid ex pluralitate ſuppoſitorum: ergo fruſtra dicitur prærequiri plura ſuppoſita neceſſario ad ſpirandum. Conſequentia eſt certa, antecedens probatur: nam ſi aliquid adderetur, eſſet ratio mutui amoris ex parte termini producti: nec ex parte ſuppoſiti, nulla perfectio addi poteſt, nec ratio requiſita: ſiquidem principium *quod* ex principio *quo* habet eſſe principium productiuum, & non è contra: atqui ex parte termini producti non poteſt prouenire productioni aliqua noua ratio: benè tamen è contra terminus productus illam à productione accipit: nam licet poſterius à priori dependeat, nihilominus prius à poſteriori non pendet: non igitur ex ratione mutui amoris aliquid noui accipit productio, niſi tantum relationem aliquam rationis, quæ nihil virtutis conferre poteſt principio ſpirandi, neque in tali principio reſultat aliquid reale, aut formale per ſe ex tali relatione. Concluditur ergo ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum proprietatem characteriſticam eodem modo Spiritum Sanctum proceſſurum fuiſſe ab vno, ſicut nunc à duobus procedit.

19. Ad argumenta, & ad primum ex Ricardo de Sancto Victore optimè reſpondet Doctor in citato art. 4. huius quæſtionis litera I. quæ ſolutio ibi præclare habetur, & ideo non eſt cur hic repetatur: & ſimiliter auctoritas D. Auguſtini per eandem reſponſionem manet ſoluta.

Ad argum. & ad 1.

20. Ad ſecundũ concedo, Spiritũ Sanctũ procedere ſpiratum, vt amorẽ: nego tamen ſpirari, vt amorẽ reciprocũ, aut ex parte obiecti, aut ex parte ipſius ſpirationis. Nam vt in 3. ar. Doctor probauerat, & nos in difficultate 73. latè oſtendimus, nec ſpiratio eſt dilectio, ſeu actus dilectionis, nec Pater, & Filius intrant rationem formalem obiecti illius, ſed præciſe diuina eſſentia eſt obiectum voluntatis, vt eſt principium ſpirandi: quia igitur ad fœcunditatem voluntatis per eſ-

Ad ſecũd.

ſentiam

sentiam in ratione obiecti, non requiritur pluralitas suppositorum : quia nec plura suppositа habent rationem obiecti, nec spiratio est reciproca dilectio plurium, nec propterea Spiritus Sanctus procedit, vt amor mutuus, aut reciprocus eorum: quia nec ex parte principij *quod* procedit à duobus, vt se mutuo diligentibus, neq; vt nexus amoris vtriusque: ideò non minus saluatur adæquata fœcunditas voluntatis in vno, quam in pluribus. Ac propterea secundum eandem prorsus caracteristicam formam, & proprietatem procederet Spiritus Sanctus ab vno, qua nunc à duobus procedit.

QVAESTIO SECVNDA.

De vniformitate spirandi, Patris, & Filij.

SEcundo quæro de vniformitate, qua Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum: circa quod quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrùm Pater, & Filius spirent vniformiter Spiritum Sanctum?

¶ Secundò. Vtrùm secundum priòritatem originis, prius spiret Pater Spiritum Sanctum, quam Filius

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Pater, & Filius spirent vniformiter Spiritum Sanctum?

A. AD primum sic proceditur. Videtur, quod Pater, & Filius non spirent vniformiter Spiritum Sanctum: quia August. 15. de Trinit. cap. 17. *ait, quod* Spiritus Sanctus principaliter procedat à Patre: non igitur principaliter à Filio: ergo non vniformiter omnino.

B. Secundo præterea, Hieron. Epistol. 88. Spiritus Sanctus proprie à Patre per Filium: ergo non procedit proprie à Filio.

C. Tertio præterea, Hylarius de Trinit. 22. *ait*, Spiritum Sanctum, qui à te per vnigenitum est, promerear: igitur est à Patre per Filium: ergo non vniformiter ab vtroque.

Quarto præterea, Ricard. 6. de Trinit. *dicit*, Spiritus Sanctus procedit à Patre mediate, & immediate: à Filio autē immediatè tantum: ergo, &c. D.

Quinto præterea, omnis causa prima prius agit, quàm secunda, ex prima propositione de causis, & patet ex dicto Phylosophi 1. post & 2. Metaph. necessariorum principia esse verissima semper oportet: quia sunt alijs causa veritatis: ergo omne prius producens, plus producit, quam secundum producens: sed Pater videtur prius producere, cum det Filio producere: ergo, &c. E. *1. Post. tex. com. 5. 2. Met. tex. com. 4.*

Sed contra est: quia vno principio, in quantum omninò vnum in eis, spiraat Spiritum Sanctum, ex quæst. præcedente: ergo omnino vniformiter. F. *Art. 1. & 2.*

Respondeo dicendum, quod actus potest considerari tripliciter, vel in se: vel in quantum est termini: vel in quantum comparatur ad suppositа agentia. Primis duobus modis, est omnino vniformitas, vel potius vnitas: quia verissime vna actio, & vnus terminus productus. Tertio modo loquendo, sicut ipsa vis spiratiua communicatur Filio à Patre: ita, & quod Filius spiret, hoc habet à Patre: & ita Pater spirat à se: Filius autem non à se. Per *hoc* idem patet ad omnes auctoritates adductas. Contra, igitur Pater prius spirat Spiritum Sanctum, quam Filius spiret Spiritum sanctum. *Hoc soluetur in sequenti articulo.* G. *Conclusio.*

H. Ad primum argumentum, quod propter hoc dicit Augustinus Patrem principaliter spirare, exponit enim se. Ideo princi; aliter dixi, quia quod Filius spirat, hoc habet à patre. Dicit tamen quidam Doctor, quod spirat principaliter, & principalius: Filius autem tantũ principaliter spirat: quia respectu Spiritus Sancti habet Filius authoritatem, licet Pater habeat authoritatem respectu Filij, & respectu Spiritus Sancti, in quantum spirat. Alius Doctor contra dicit sibi, quod non est ibi aliqua comparatio proprie dicta in aliqua forma vna: sed tantum est ibi comparatio in voce: sicut Michael dicitur sanctior Dæmone: vbi est tantum comparatio secundum vocem, & non secundum aliquam formam communem in vtroque extremo: sed illa forma est tantũ in vno extremo, & non in altero: ita principalitas est in Patre, vt idem sit, Patrem principalius spirare, & principaliter spirare.

Ale. Adēs. inpræsenti. dist. q. 2.

Varro in præsenti. dist.

I. Ad secundum de Hieronymo dico, quod proprietarius tantum dicitur ille, qui in habendo rem, nullomodo dependet ab alio. Vsuarius autem, qui in vtendo re, dependet ab alio, non est proprietarius. Pater igitur, qui vim spiratiuam habet à se, recte dicitur proprie spirare. Filius non sic proprie, scilicet à se spirat: licet proprie, idest, non improprie, vel imperfecte spiret.

K. Ad tertium, *scilicet*, ad Hylarium per idem patet, quando dicit, quod Spiritus Sanctus est à Patre per Filium. Distinguitur tamen, quod aliquid determinatum per hanc præpositionem *per* cũm suo casuali comparatus ad verbum transitiuum, vel in transitiuum. Si ad transitiuum: tunc notatur in casuali huius præpositionis sub authoritas: vt Pater creat per Filium. Sed si absolutum, vel in transitiuum: tunc notatur in casuali, huius præpositionis authoritas, & hoc vel in efficiente: sicut homo viuit per Deum: vel causæ formalis: sicut homo sapit per sapientiam.

Ad quartum, & ad Ricardum per idem patet. Pater enim eadem fœcunditate immediate spirat Spiritum Sanctum: sed in quantum dat filio illam virtutem spirandi, qua Filius spirat, potest dici immediate spirare: nec est hic difformitas aliqua perfectionis, & imperfectionis, siue aliquid, quod ponat diuersitatem in actu, sed tantum alius modus habendi eandem virtutem: quia Pater à se: Filius non à se sed a Patre. L

Ad quintum, & vltimum dico, quod illa propositio est vera de causa, & causato: propter hoc quod in causis ordinatis est alia virtus causandi, & principalior in priori: non autem in principio, quod non est causa: quia ibi non est alia virtus principiandi. Ita est in proposito. ideò non plus principiat primum principians, quam secundum: sicut nec causa superior prius causaret, quam causa secunda: si eadem virtute causatiua, causaret cum causa secunda. M

Expositio articuli 1. quæstionis 2. distinct. 12.

PROPTER authoritates Sanctorum Patrum pro argumentis in principio articuli positas mouetur præsens articulus. Quibus omnibus præclarè satisfacit Doctor: & concludit Patrem, & Filium vniformiter producere Spiritum Sanctum, licet verum sit, quod Pater spiratà se, Filius autem non à se, sed à Patre. Hæc conclusio clare habetur in litera, & ibi omnia sunt Perspicua.

(?)

AR-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm secundum prioritatem originis prius spiret Pater Spiritum Sanctum, quam filius?

A. AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod secundum prioritatem originis prius spiret Pater Spiritum Sanctum, quã Filius, qui in illo primo signo originis, in quo Pater habet à se esse, habet spirari a se. Et tũc Filius non spiraret: quia si Spiritus Sanctus præintelligitur habere prius esse a Patre, quam a Filio: tunc filius produceret Spiritum Sanctum, iam præexistentem.

B. Secundo præterea, & confirmatur: quia quodcunque principium productiuum in suppositò priori, intelligitur habere terminum adæquatum, non potest esse principium producendi in posteriori suppositò sic est in proposito: ergo &c.

C. Sed contra est, quia vno principio, in quantum omnino vnum in eis, spirant Spiritum Sanctum, ex quæstione præcedente, & omnino vniformite, *ex primo articulo huius quæstio. ergo, &c.*

D. Respondeo dicendum, quantum ad propositum, *nam* de istis ordinibus, siue originis, siue naturæ, & de multis ordinibus prioritatis, & posterioritatis: alias dicetur, quod non est consimilis ordo inter patrem generantem, & spirantem, sicut inter patrem spirantem, & filium spirantem. Vnde non est intelligendum, quod Pater spirat, antequam filius spiret, sicut prius origine Pater generat, quam spiret propter ordinem principiorum in producendo, quia tunc filius non spiraret, vt argumentum deducit: quemadmodum Spiritus Sanctus non potest generare Filium iam præintellectum generari. Sed est iste ordo, quod in Patre est primo vtraque fæcunditas a se. Secundo est in Patre, actus primæ fæcunditatis, & tunc in Filio est secunda fæcunditas. Tertiò est actus secundæ fæcunditatis simul a Patre, & Filio habentibus tunc simul illam fæcunditatem: adhuc tamen cum aliquo ordine: quia ille actus est Patris a se: Filij autem non est a se, sed a Patre: sicut nec in secundo signo est illa fœcunditas Filij a se: sed Patris est a se: non est ergo ordo originis inter spirationem Patris, & Filij, quasi spiret Pater in aliquo signo originis, in quo non spiret Filius: sed in eodem signo originis simul spirant: est tamen ibi ordo spirantium inspirando: quia Pater in illo tertio signo originis spirat a se: Filius autem non a se. *Conclusio.*

Ad primum argumentum per idẽ. *Quod dictum est*, patet. Ad secundum, *sen* ad conformationem dico, quod maior non est vera, si illud principium non habeat prius terminum ad æquatum antequam, aliud suppositum producatur: cui communicatur illud principium secundum totam, eius fæcunditatem: Et sic est in proposito de vi spiratiua, quam Pater communicat Filio, antequam habeat terminum adæquatum, scilicet Spiritum Sanctum. E.

(?)

Expos

Expositio artic. 2. quæstionis secundæ, distinctionis. 12.

1. NON eget litera textualis expositione aliqua, quia satis clara est: pro ea tamen videantur, quæ dicta sunt supra in distinc. 69. Insurgit attamen ex solutione ad primũ in textu quoddam dubium. Nam Spiritus Sanctus, vt habetur ex dist. 11. q. 2. art. 1. procedit à Filio, & constat actum spirandi esse eundem indiuisibilem, & indiuisibiliter à Patre, & Filio. Cur ergo dicit Doctor hic, quod Filius non spirat à se, sed à Patre? hæc enim ait sub littera *D. Adhuc tamen cum aliquo ordine, quia ille actus est Patris à se: Filij autem non à se sed à Patre.*

2. *Filius spirat nõ à se, licet spiritus Sanctus sit à Filio.* Hoc dubium facile soluitur ex contextu: nam vtrumque saluatur: & scilicet quod Spiritus Sanctus sit à Filio, & quod filius spirat non à se, sed à Patre, quia stat aliquod principium producere aliquid virtute, quam in se habet, licet illam virtutem ab alio habeat sibi communicatam. Idem ergo indiuisibilis actus est spiratio in diuinis, indiuisibiliter à Patre: cum hoc tamen saluo, quod idem actus prout est Patris, ita se habet, quod Pater Spirat à se: prout autẽ est Filij, Filius spirat à Patre. Vnde concludit bene Doctor, quod non est ordo originis in ipso actu spirandi, ita quod prius origine spirat Pater, quam Filius: sed est aliquis ordo ipsorum spirantiũ, quia Pater, quidquid ad intra, vel ad extra producit, à se ipso habet illud producere, eo quod à se habet virtutem productiuam, quæ est principium formale talis productionis. Sic à se ipso generat, quia habet memoriam in ratione principij à se ipso, & à se spirat, quia à se habet vim spiratiuam: & à se ipso creat, quia à se habet omnipotentiam &c. Filius autem, quidquid ad intra, vel ad extra producit, non à se, sed à Patre producit: quia spirat per vim spiratiuam sibi communicatam à Patre: & creat per omnipotentiam sibi cum natura diuina à Patre etiam communicatam.

DISTINCTIO DECIMA TERTIA.

Post hæc, & cætera.

QVAESTIO VNICA.

De processione Spiritus Sancti, prout distinguitur à generatione Filij.

CIRCA istam 13. distinctionem, in qua Magister agit de processione Spiritus Sancti, prout distinguitur cõtra generationem Filij: quæro, vtrum Spiritus Sanctus sit genitus, siue vtrum productio Spiritus Sancti, sit generatio, vel distinguatur ab ea? Hic sunt multæ viæ ponendi, & multi modi, quibus distinguuntur istæ productiones. Circa quod quæruntur vndecim.

¶ Primò. Vtrùm generatio, & spiratio distinguãtur per suos terminos.

¶ Secundò. Vtrùm, ex eo quod spiratio, stat cũ generatione actiua, & passiua, distinguatur ab vtraque?

¶ Tertio. Vtrum generatio, & spiratio distinguantur per relationes oppositas prioris, & posterioris?

¶ Quarto. Vtrum generatio, & spiratio distinguantur penes principia distincta, secundum rationem?

¶ Quinto. Vtrum essentia diuina sub ratione vna omnino indistincta, sit principium generationis, & spirationis?

¶ Sexto Vtrũ principia generationis, & spirationis, quæ sunt intellectus, & voluntas, sint in diuinis ex natura rei?

¶ Septimo. Vtrum intellectus diuinus (& idem est de voluntate) sit formaliter infinitus?

Octa

¶ Octauò. Vtrùm naturalitas, & libertas dicant respectum ad actus principij naturalis, & liberi?

¶ Nonò. Vtrùm voluntas sit potentia indeterminata ex se, & ipsa se determinet?

¶ Decimò. Vtrùm productio Spiritus sancti sit generatio, vel qualiter distinguatur ab ea?

¶ Vndecimo. Vtrùm productiones Filij, & Spiritus sancti, sint vniuocæ inter se?

ARTICVLVS I.

Vtrùm generatio, & spiratio distinguantur per suos terminos?

A. AD primũ sic proceditur, videtur, quod generatio, & spiratio distinguãtur per suos terminos, per illud Philosoph. 5. physic. vbi dicit, quod motus distinguuntur per terminos, vt videtur: quia alias terminus est alterius motus. Et licet istæ productiones, non sunt motus, nec mutationes, sunt tamen quasi viæ quædam ad personas: igitur per istas distinguuntur.

Text. com. 4. & 48.

B. Sed contra est: quia emanationes non habent esse per terminos: igitur nec distinctionem. Antecedẽs patet: quia habent ex se esse formaliter: consequẽtiam probo: quia ab eodem habetur esse, & distinctio.

C. Respondeo dicendum, quod *in isto articulo* vno modo ponitur *à quibusdam*, istas productiones distingui per terminos, qui sunt personæ productæ. Et confirmatur ista positio per illud Philosophi quinto Physic. *vt supra. Sed ad hoc* dico, quod illa positio de motibus, & terminis, quæ adducitur ad propositum, non est vera, nisi quando aliæ duæ sunt veræ, scilicet quod forma fluens, secundum quam est motus, est eiusdem rationis cum forma terminante: & motus est eiusdem rationis cum forma fluente. Ad propositum igitur applicando: productio ista non est fluxus aliquis, neque forma fluens, neque eiusdem rationis cum forma, quæ est terminus formalis productionis: quia formalis terminus productionis est aliquid essentiale: productio autem est relatio formaliter: & ideò non oportet ex distinctione productionum concludere distinctionem formalem terminorum. Exemplum huius quod dictum est de motibus, patet 5. Physic. quia idem vbi potest adquiri per motum rectum, & per motum circularem, qui sunt omninò alterius speciei: sicut probatur ex septimo Physic. quia non sunt comparabiles: sed hæc forma, secũdum quã est fluxus in motu, si est eiusdẽ rationis cum termino: non est ex hoc distinctiua rationis motuum: igitur nec emanationes habent distinctionem per terminos.

Op. n. Ægidij hac dist. 2. & Varronis infræ senti dist.

Text. com. 23.

Text. com. 29.

Conclusio.

D. Ad argumentum *respondetur*, quod illud quinti Physicor. est ad oppositum, non enim motus distinguuntur penes terminos, nisi quia formæ fluentes sunt eiusdem rationis cum formis terminantibus: sed hic non est fluxus eiusdem rationis cum termino, nec etiam via, quasi fluxus, est eiusdem rationis cum terminis formalibus: quia terminus formalis est essentia: illa autem productio (quæ est quasi via) est relatio.

Expositio art. 1. quæst. vnic. distinctionis 13.

LITERA huius articuli clara est, & satis habetur ex posita supra in difficultate 52. præsertim n. 30. vbi de generatione & spiratione, in ordine ad suos terminos comparatas quæ Doctor sentiat, & qualiter Ægidij & horum sententiam reijciat, prælibauimus. Cõcludit igitur in præsẽti, quod sicut emanationes non habent esse per terminos, sic nec distinctionem, quod ibi clare demonstrat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ex eo quod spiratio actiua stat cum generatione actiua, & passiua, distinguatur ab vtraque?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod ex eo quod spiratio actiua stat cum generatione actiua, & passiua distinguatur ab vtraque, *& hoc sine argumentis.*

B. Sed contra est: quia non esset primo diuersitas inter hanc productionem, & illam, nisi per hoc quod ista productio esset cum vna, & sua opposita: & alia nõ stat cum sua opposita: & ita ista non esset prima ratio distinctionis: quia prima ratio est aliqua ratio prius distinctorum.

C. Respondeo dicendum, quod hic sunt *duæ* viæ ponendi: alio *enim* modo ponitur, istas productiones distingui, per hoc, quod vna productio est ab vna persona, alia à duabus personis.

D. Tho. 1. p. q. 36. a. 2 ad vlt. & q. 27. ar. 4. vide magistrum in litera.

Contra hoc, quia si idem sit principium formale producendi aliquid propter esse eius in hoc supposito, vel in illo, non erit principium alterius rationis: quia albedo in lapide, & in equo, est principium immutationis visus eiusdem rationis: ita etiam si eadẽ albedo esset in duobus, vt in vno, esset principium immutationis vnius rationis. Istæ autẽ productiones ita distinguuntur, quod non sunt eiusdem rationis: ergo oportet istius distinctionis assignare aliam rationem, quam vnitatem, vel dualitatem suppositorum agentium. Item, secundum istam viam possunt poni infinitæ personæ in diuinis: posset enim poni quarta persona à tribus, & quinta à quatuor personis: nec esset aliqua ratio Trinitatis in personis diuinis, si tantùm esset distinctio per vnitatem suppositi agentis, & pluralitatem: & non esset distinctio per rationes producendi. Item, omnis distinctio reducitur ad aliqua primo diuersa, quæ essent distincta, si per impossibile essent ab omnibus alijs separata: ergo illa distinctio est per aliqua talia, quæ essent distincta, omnibus alijs per impossibile prætermissis, quæ etiam se ipsis sunt primo diuersa: talia non sunt vnitas, vel pluralitas suppositorum agentium, si non sit aliqua alia distinctio in principijs agendi: ergo, &c. circunscripto enim omni alio ab vnitate, vel dualitate suppositorum, non videtur, quod ista vnitas, vel pluralitas, sit prima ratio distinguendi productiones.

E. Aliter ponitur, istas productiones distingui: quia vna est cum alia, & cum oppositio eius, ita quod ratio distinctionis relationum disparatarum, est distinctio oppositarum relationum, quatenus scilicet vna relatio disparata secum compatitur duas alias relationes oppositas, sicut vis spiratiua stat cum generatione actiua, & passiua: & ideò distinguitur ab vtraque illarum.

Opinio Gofred quodl. 3. q. 3. & quodlib. 7. quæst. 1.

F. Contra istũ potest sic argui, sicut contra opinionem præcedentem, nõ *enim* assignat ista positio, quare non possent

possent esse infinitæ personæ: quia semper posterior relatio posset stare cũ oppositis relationibus prioribus. Contra istam viam, & aliam præcedentem simul arguo sic: quæro, quare spiratio actiua potest stare cum generatione actiua, & cum generatione passiua: & generatio actiua non potest stare cum generatione passiua? nulla est ratio, nisi propter distinctionem spirationes actiuæ à generatione actiua: ideò enim aliquid est compossibile, vel incompossibile alicui: quia ipsum est tale in se, & non è conuerso: quia veritas negatiue formatur, & fundatur supra veritatem affirmatiue: ideò enim homo, non est asinus: quia homo est homo, secundo Periermen. in fine, & quarto Metaph. prius igitur est aliqua distinctio generationis actiuæ, & spirationis actiuæ, propterquam est incompossibilis generationi passiuæ generatio actiua, & non spiratio actiua, quàm sit ista compossibilitas, vel incompossibilitas: ergo ista compossibilitas, & non compossibilitas, non est prima ratio distinctionis productionum. Præterea, istæ productiones distinguuntur, quia altera est per modum naturæ, altera per modum voluntatis: hæc distinctio productionum non tantùm est à suppositis producentibus, nec quia vna stat cum aliqua, & altera non stat cum illa: sed sumitur ex distinctione principiorum productiuorum, quæ habent oppositos modos principiandi: ergo, &c.

Text. com. 16.

Conclusio.

G. Respondet sic opinans, quod productio ibi est vna per modum naturæ, & altera per modum voluntatis, non quia vna persona producatur naturaliter, & alia non: sed quia productio vna est similis productioni naturali, & alia est similis productioni voluntariæ, naturale enim agens producit non præsupponens aliam productionem, & hoc in communi loquendo: licèt per accidens, vnum naturale agens præsupponat aliquod producens prius ipso. Ita enim productio Filij est per modum naturæ: quia non præsupponit aliam productionem: productio voluntatis præsupponit aliam productionem: illam videlicet, quæ est per modum naturæ, & intellectus: & ita productio Spiritus Sancti est per modum voluntatis: quia Spiritus Sanctus producitur simili modo illi productioni, quæ propriè dicitur esse productio voluntatis, scilicet præsupponendo aliam productionem.

Ista expositio non videtur secundum intentionem Sanctorum attribuentium istas productiones propriè intellectui, & voluntati: quia si tantùm debeant intelligi, distingui per hoc, quod vna præsupponat aliam productionem, & alia productio nullam præsupponit; non videtur ratio ex produtionibus, quare Filius, vel Verbum ex vi productionis suæ magis sit Filius, quàm Spiritus Sanctus: nec quod Spiritus Sanctus ex vi productionis suæ, magis sit amor, quàm Filius: quod videtur absurdum. H.

Item, multæ aliæ productiones possunt esse, vel præsupponentes, vel non præsupponentes aliquam productionem: sicut productio per modum artis videtur aliam productionem præsupponere, scilicet productionem verbi interioris in mente artificis: ergo Spiritus posset dici per modum artis, quod est falsum. I.

Et præter hæc, sicut argutum est distinct. secunda, & decima ex quo in Deo proprie est intellectus, & voluntas, & vtrũque est sufficiens productiuum cum obiecto si- K.

bi præsente: verè producet persona per actũ intellectus, vt principij productiui, & alia persona per actum voluntatis, vt principij productiui: & non tantùm metaphoricè propter talem similitudinem extraneam, scilicet produci, alia præsuppositа, vel nõ præsuppositа.

Expositio art. 2. quæst. vnic. distinctionis 13.

PLVRES modos inuenerunt Doctores, quibus distinguerẽt duas processiones diuinas: quos ferè omnes refert Doctor in tota hac quæst. sed distinctionis gratia, sunt ibi per distinctos articulos distributi. In hoc igitur refert binas opiniones, quarũ prior est D. Tho. 1. p. q. 36. art. 2. ad septimũ, & alibi prout in margine textuali habetur, qui distinguit productiones diuinas per hoc quod prima est ab vno suppositо, nempè à Patre: secunda autem est à duobus, scilicet à Patre & Filio. Hæc enim sunt verba illius: *Ipsa differentia originis est per hoc, quod Filius est à solo Patre, Spiritus sanctus vero à Patre & Filio. Non enim aliter processiones distinguerentur.* Hanc sententiam benè Doctor ibi impugnat tribus rationibus, quæ clarè habentur in textu. Secunda sententia est Gotfredi, quodlibeto 3. quæst. 3. & quodlibeto 7. quæst. 4. asserentis ex eo distingui spirationem à generatione, quia processio, quæ est generatio, non est cum paternitate compossibilis, sed tãtummodo cum ipsa spiratione: Spiratio autem simul cum paternitate, & processione Filij cõpossibilis est. Sed hanc sententiam satis clarè, & acute Doctor impugnat duplici ratione: & solutionem impugnationis iterum refutat: & tãdem partem negatiuam vtriusque opinionis resoluit. Circa quæ, quia clare sunt ibi non se offert aliquid ad notandum.

(.?.)

ARTICVLVS III.

Vtrùm generatio, & spiratio distinguantur per relationes oppositas prioris, & posterioris?

A. AD tertium sic procedi tur, videtur, quod generatio, & spiratio, distinguantur per relationes oppositas prioris, & posterioris, *& hoc sine argumentis.*

B. Sed contra est: quia ista distinctio non est prima: oportet enim dare aliquam aliam causam, quare vna est naturaliter prior alia: nec est alia ratio nisi, vel quia ista est productio talis, & illa talis: vel ex parte principiorum productiuorum, vel ex parte suppositorum agentium: ergo, &c.

C. Respondeo dicendum, quod hîc sunt *duæ* viæ: aliter *enim* dicitur, quod istæ emanationes distinguuntur per relationes oppositas, scilicet prioris, & posterioris: quia vna est prior alia. Aliter *autem* dicitur, quod emanationes distinguuntur penes principia formalia elicitiua, quæ ponuntur esse relationes personarum agentium, putà vis generatiua, & spiratiua. Sed istud *secundum* est improbatum distinctione septima, siue intelligatur de principio elicitiuo, siue de principio determinatiuo.

D. Tho. 1. p. q. 27. ar. 4. ad 1. Henric. in sum. ar. 37. quæst. 7.

D. Contra *primum vero sic*: quia relatio non distinguitur primo, & per se à relatione per relationem: quia relatio nõ refertur primo: ergo cũ istæ emanationes sint relationes, nõ distinguũtur primo adinuicẽ per alias relationes, scilicet prioris, & posterioris: & patet q̃ istæ relationes sunt

Conclusio.

aliæ

aliæ à relationibus originis : quia sunt inter alia extrema : nam relatio originis est inter producens, & productum: relatio prioris, & posterioris est inter originem, & originem.

E. Præter hoc autē contra *illud, quod secundo dicitur quæro* quommodo distinguuntur illæ relationes, vt per eas distinguerentur relationes oppositæ? Illæ enim videntur minus distinctę, quàm oppositę: quia illæ possunt concurrere in eadem persona, putà in Patre: istæ non possunt: quia nulla eadem persona duobus modis producitur, manifestius est igitur, istas emanationes distingui quam relationes oppositas ex parte productiui: igitur assignare istarum distinctionē per illas, est assignare distinctionem manifestam, per distinctionē minus manifestam, & etiam non per intrinseca: quia relatiua non sunt intrinseca suis correlatiuis.

Expositio art. 3. quæst. vnic. distinctionis 13.

ALIAS duas opiniones refert Doctor in textu circa distinctionem diuinarum processionum, quarum prima etiam (prout citatur in margine textuali) est D. Thomæ quæst. 27. a. 4. ad primū dicentis, emanationes, seu processiones diuinas distingui per relationes oppositas, videlicet prioris & posterioris: quia vna est prior altera. Sed bene attenta litera D. Thomæ in loco ibi citato, non asserit: *Nisi quod oportet, quod propria ratio huius vel illius processionis accipiatur secundum ordinem vnius processionis ad aliam: & quod huiusmodi ordo attenditur secundum rationem voluntatis & intellectus.* Ex quibus constat, non ad relationes oppositas, sed ad principia productiua reducere rationes distinctiuas processionum huiusmodi. Vnde qui admarginem in antiquo textu prædictā opinionem, á Doctore sine authore relatam, Diuo Thomæ adscribit, & quicam D. Tho. creddierit esse, fallitur procul dubio, vel alium eiusdem D. Thomæ locum pro prædicta sententia allegare debet. Illam attamē sit cuiuslibet, subtiliter Doctor impugnat sub litera C. Secunda vero opinio est Henrici in summa art. 37. quæst. 7. quæ ibi refertur, & supponitur à Doctore iam supra in dist. 7. impugnata. His ergo opinionibus reiectis concludit Doctor secundum propriam sententiam, per relationes nō posse diuinas processiones distingui. Et vis Scoticæ rationis est: quia cū processiones huiusmodi sint relationes, non possunt per alias relationes distingui: esse autem alias relationes, & cætera habentur claro in textu.

Processiones diuinæ distinguuntur per relationes.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm generatio, & spiratio distinguantur penes principia distincta secundum rationem?

A. AD quartum sic proceditur, videtur, quod generatio, & spiratio distinguātur penes principia distincta secundum rationem: quia distinctio realis *aliquādo* pręexigit necessario distinctionē rationis, *vt patet* de ideis, quæ differunt tantū ratione: & creaturæ realiter differūt, & tamen distinctio creaturarum realis necessario præsupponit distinctionem idearū rationis: igitur licèt distinctio istarum emanationū *sit* realis, est per illam, quæ est rationis tātum.

B. Sed contra est, quia quod est tantum ens rationis, tantùm habet esse in intellectu: quia ens rationis non habet esse nisi in intellectu, quod est esse diminutum ex 6. Metaphys. nihil autē, secūdū quod ens diminutū est, est propria ratio entis veri, & propria causa entis perfecti: ergo differentia rationis in causa, non est propria ratio distinctionis realis in effectu. *Text. co. 8.*

Opin. Her. q. 1. odl. 5. q. 9.

Respondeo dicendum, quod hic ponitur, quod distinguuntur penes principia distincta secundum rationem: putà penes naturam, & voluntatem, quæ habent principiare distinctas emanationes: & tamen ipsa in essentia non distinguuntur, nisi sola ratione, sicut probatur in quæst. de attributis dist. 8. Contra illud *autem sic*: distinctio realis non præexigit necessario distinctionem rationis: sed distinctio istarum emanationum, necessario præexigit distinctionem principiorum elicitiuorum: igitur illa, si est realis, non est tãtum per illam, quæ est rationis tãtùm. Maior istius rationis ab aliquibus negatur, & ponitur instantia de ideis, quæ *est pro argumento in principio art.*

Conclusio.

D. *Sed* contra istud arguitur, & primo probatur maior, secũdo excludetur ista instantia *in solutione argumenti.* Maior probatur secundum istum inlectum, quod differentia rationis in causa nõ est propria ratio distinctionis realis in effectu: quia si sic, sit A. causa, & diuersæ rationes, sub quibus causat, sint. B. C. causata *autem* sint, D. E. tunc sic, B. C. sunt rationes propriæ ipsius A. in quantum causat, D. E. ergo A. in quantum est sub B. est propria causa ipsius D. Nam si non: non est magis illa differẽtia ratio causandi distincta, quàm si ipsa differentia non inesset: quia neutra ratio est propria approprians causam ad hũc effectum. Qui igitur concedit, quod A. in quantum est sub B. & C. causat D. & E. habet cõcedere, quod vtraque ratio sit propria ratio causæ respectu sui effectus: sed illud cõsequẽs est falsum, quod A. in quantum est sub B. est causa ipsius D. quia A. in quantum est sub. B. (quod est tãtum ens rationis) tãtùm habet esse in intellectu: quia ens rationis non causatur ab obiecto, nisi in quantum cognitum, & vt sic non habet esse, nisi in intellectu, quod est esse diminutum *vt visum est supra §. sed contra.* Et istud probatur, quod omne causans verum ens, oportet, quod habeat aliquod esse existentiæ, in quantum est causa: ens autem diminutum, quod scilicet est ens cognitum, non habet esse realis existẽtiæ: ergo nec in quã tũ tale potest esse causa alicuius realis entis.

Etsi dicas, quod licet nõ habeat esse existẽtiæ sui: tamen habet esse existẽtiæ, intellectus in quo est: quia esse intellectus, participat in quãtũ habet esse in ipso intellectu. Cõtra, ex hoc sequitur, quod nulla causatio cõpetit enti cognito, in quantum tale, nisi virtute existentiæ actualis ipsius intellectus, in quo habet esse existentiæ actualis secũdum quid: & tunc vltra, voluntas non erit principium spirandi, nisi in quantum participat rationem intellectus, & tũc intellectus diuinus erit magis ratio spirãdi, quám voluntas: & ita sequitur vltra, quod intellectus, respectu generationis Verbi, erit duplex pricipium: scilicet immediatum, in quantum est principium productiuum: & mediatum in quantum ipsum est principium operatiuum, per cuius operationẽ obiectum habet esse, in quantum productiuum: sicut cognitum, in quantum cognitum, habet esse participatũ ipsius cognoscentis. Quod si non attribuas talem actionem realem ipsi intellectui existenti, sed obiecto habenti esse diminutum in intellectu: sequitur, quod actio realis erit ipsi°, quod nihilominus est tale, si illud non esset omninò: nã non repugnat alicui, quod sit ens cognitum, licet nullum verũ esse reale habeat.

Si dicatur hîc, quod intellectus diuinus nihil cognoscat, nisi intuitiuè: & ita illud, quod habet esse cognitũ in hoc intellectu, in quantum tale, habet verè esse existentiæ: non autem

tem illud, quod habet esse cognitum intellectione, & cognitione abstractiua, qualis est intellectio mea de rosa non existente modo, quæ non est intuitiua. Contra illa, ratio, quæ ponitur propria principio, scilicet Deo, in quantum principiat, ponitur causari per actum intellectus in obiecto cognito: intellectus autem diuinus nihil causat in essentia diuina, vt existens est, sicut concedunt illi de opinione opposita: quia nulla est ibi differẽtia rationis in essentia, vt est existens: sed tantùm vt cognita est. Et per se patet: quia quidquid est in essentia, vt existens est, esset in ea, si per impossibile non esset intellectus negocians circa ipsam.

G. Præterea secundo, essentia diuina vt in Filio, & Spiritu Sancto, habet naturaliter prioritatem aliquam ad intellectionem simplicem istius essentiæ, sicut enim ipsa, vt est in Patre nata est mouere intellectum Patris ad simplicem sui intellectionem: ita etiam, vt in Filio, nata est mouere quemcunque intellectum ad sui intellectionem simplicem: quia secundum Augustin. 15. de Trinitat. omnia videt Pater in Filio, sicut in semetipso: sed si essentia, vt in Filio, talem habet prioritatem circa talem intellectionem simplicem sui, igitur ipsa, vt in Filio, naturaliter præcedit omnem rationẽ, quam potest intellectus negocians fabricare circa ipsam: igitur nulla ratio fabricabilis circa eam, naturaliter præcedit eam, vt in Filio, alioquin esset circulus in prioritate naturali: quia & ratio causata per intellectum naturaliter præcederet esse eius in Filio: & è conuerso.

Cap. 16. & 23.

H. Si autem dicas, quod essentia in Patre præcedit naturaliter omnẽ rationem producibilem circa ipsam: sed vt in Filio, sequitur rationem iã productam per actum intellectus paterni, & tunc non est circulus eiusdẽ ad idem secundum eadem extrema: siue secundum existẽtiam in eodem: quia essentia secundum existentiam in vno supposito præcedit, & in alio sequitur.

I. Contra istam responsionem sic, & præterea tertio principaliter arguitur, vnius causæ in vno ordine causandi, est vna per se ratio causandi: ergo multo magis in diuinis, vbi est primitas principiandi, oportet ponere vnam rationem per se principiandi: ergo ratio principiandi generationem Verbi erit aliqua vna realis ratio per se, res autẽ & ratio non faciunt vnũ per se, quia nec passio aliqua consequens rẽ ex natura rei potest facere vnũ per se cũ subiecto, cuius est effectus: ergo nec multo magis ratio: quia nõ sequitur rẽ ex natura rei, sed tantùm consequitur eam per actum intellectus: ergo alterum istorũ erit præcisè principiũ, quo, ipsi primo producenti: non ratio sola, quia ipsa non est formaliter infinita: probatio: quia nulla relatio realis est formaliter perfectio infinita: probatio: quia tunc persona aliqua in diuinis nõ haberet omnẽ perfectionẽ infinitã formaliter: ergo nec multo magis ens rationis potest esse formaliter infinitum, & per consequens, nec est principium producendi, quo, supposito infinitum: ergo sola res, cũi attribuitur illa ratio, est principium producendi suppositum infinitum: sed in quocunq; est principium, quo respectu alicuius productionis, ei est principium producendi, si illud suppositum conueniat tali productioni. Cõueniens autẽ suppositum in diuinis ad producendum personam in diuinis, est, quod non habeat talem naturã productione ista, nec aliqua productione priori: ista talis autem est Pater: ergo sola res erit sibi principium, quo producit, & nullo modo ratio ista.

K. Præterea quarto, in diuinis, quod non est formaliter idem alicui, non est verè idem sibi, nisi vel vtrumque sit formaliter infinitum, vel alterum, vel saltem vtrumque sit verè idem alicui formaliter infinito: sed istæ rationes, quæ ponuntur quasi appropriantes principium productiuũ duarum personarum, non sunt formaliter eædem: quia tunc non essent distinctæ rationes, nec sunt verè eædem alicui formaliter infinito: quia tũc essent in isto infinito ex natura rei, sicut sapientia est in diuinitate formaliter ex natura rei: nec altera istarum est formaliter infinita, sicut probatũ est in præcedenti ratione: ergo nulla istarum est verè eadem alteri aliquo modo: ergo eo modo, quo ambo sunt ibi, ita sunt verè distinctæ, quod videtur obuiare summæ simplicitati, qualitercunque ponatur entitas earum: quia nihil potest poni ibi esse secundum quãcũque entitatem, quod sit non simpliciter idem alteri, propter simplicitatem illius essentiæ.

L. Ad argumentum, illam istantiam excludo. Primo: quia nõ videtur esse ad oppositum: si enim distinctio creaturarum necessario prę̃supponeret distinctionem idearũ: ac per hoc Deus sub rarione vnius ideæ esset causa, & propria ratio respectu vnius ideati: hoc ideò esset, quia esse diminutum Dei, scilicet esse cognitum, esset simpliciter perfectius, & prius naturaliter esse ideati: quia ideata sunt respectu Dei artificialia, & esse cognitum artificis, vel exemplaris, in quo artificiatum habet esse, est simpliciter prius ipso esse existente ipsius ideati: sed illa ratio omninò defi cit in personis diuinis: quia esse cognitum essentiæ non potest esse prius naturaliter perfecto esse essentiæ in se: & ideò licet illa prima maior falsa esset (ad cuius probationem apositæ sunt quatuor rationes) in agente artificiali: non tamen esset falsa in productione naturali: vbi esset communicatio eiusdem naturæ, sicut in proposito: quia ibi nõ videtur, quod aliquod esse cognitum posset naturaliter prę̃cedere naturale esse ipsius naturæ.

M Præterea, instantia illa sumit falsũ de ideis: quia illa distinctio rationis in Deo, non necessario præsupponitur ipsis ideatis distinctis: nec Deus sub rationibus idearum est propria causa diuersorum ideatorum: sicut patebit inferius dist. 35. de ideis, & 45. de voluntate.

Expositio art. 4. quæst. vnic. distinctionis 13.

I DVO in hoc articulo concutcantur, quæ ambo manent supra satis enucleata. Primum est circa distinctionem diuinarum processionũ: an videlicet, sit penes distincta principia? Secundum vero, an hæc distinctio sit tantum rationis? De primo puncto fuit sententia Diui Thomæ, quam in cõmentario præcedentis articuli retuli: videlicet distinctionem generationis & spirationis, sumendam esse ab intellectu, & voluntate. Hanc tamen sententiam hic textus impugnat: & manet satis supra in difficultate 52. eius impugnatio exposita: vbi resoluitur iuxta hãc literam textualem, principiatiuè, seu originatiuè, processiones distinctione habere à suis principijs, nempe ab intellectu, & voluntate. Vide pro hoc quæ habentur in citata difficultate à nu. 26. vsque ad num. 29. vbi etenim plenam huius puncti resolutionem inuenies. Si ergo in hoc sensu Diuus Thomas, & Henricus volunt processiones diuinas ab intellectu, & voluntate distinctionem accipere, ab Scoti sententia non discedũt. Si vero formaliter distinctionem istarum processionum ab istis principijs esse intelligant: longe distant ab eo: quia vt patet infra in articulo decimo, & resolutum est supra in citata difficulta

Processiones diuinæ distinguuntur per principia actiue, nõ vero formaliter.

cultate 52. à numero 20. vsque ad numerum 25. processiones huiusmodi, se totis differunt: & ideò tota ratio vnius est principium distinctiuum sui ab altera.

2 Secundum punctum in hoc articulo ventilatum est circa distinctionem earundem processionum, videlicet qualis sit: non quidem quatenus passiue sumitur spiratio: nam vt sic à generatione tàm actiua, quàm passiua realiter est distincta, sicut Spiritus Sanctus realiter distinguitur à Patre & Filio. Sed loquimur de spiratione actiua, quæ cum generatione actiua Patris, & passiua Filij, est compossibilis: & quæritur qualiter à generatione, cum qua est compossibilis, differat? Circa quam D. Thomas, & Henricus tenent tantum modo ratione distingui. Hîc vero Doctor istam sententiam confutat, & difficultatem resoluit, quod si processiones huiusmodi à suis principijs modo exposito, sumunt distinctionem, ea distinctione distingui debent, qua talia principia distinguuntur: de illarum autem principijs, dicit: *De intellectu scilicet & voluntate, quæ non tantùm distinguuntur ratione: sed intellectus formaliter non est voluntas ex natura rei.* Sed de hac distinctione intellectus à voluntate plura dixerat supra sub distinctione octaua, loquens de distinctione attributorum, inter quæ intellectus, & voluntas annumerantur. Vide pro hoc difficultate 67. per totam, vbi latissime, hæc attributorum distinctio ventilatur, & resoluitur: sed præsertim numero 27. vbi attributa esse supponitur: & à numero 58. vsque ad 64. vbi ostenditur, qualiter distinguantur formaliter ex natura rei. Quinimo qua distinctione distinguantur generatio, & spiratio, non solum habito ordine ad principia, sed secundum se ipsas, ex formalibus conceptibus suis, prælibauimus supra in difficultate 54. præsertim numero 59. & numero 95. Quæ igitur supra in locis citatis ad longum disputauimus, hîc breuiter Doctor resoluit.

(.?.)

ARTICVLVS V.

Vtrùm essentia diuina, sub ratione vna omninò indistincta, sit principium generationis, & spirationis?

AD quintum sic procedi tur, videtur, quod essentia diuina, sub ratione vna omninò indistincta, sit principium generationis, & spirationis: quia sicut duo limitata possunt esse principia duorum actuum: ita idem illimitatũ continens in se virtualiter ipsa plura, potest esse principium proprium eorundem actum, etiam sub ratione vna, nulla existẽte distinctione in eo: sed ex sola illimitatione sui ipsius, vt indistinctum est: sicut patet de sole respectu multorum generabilium in istis inferioribus. A.

Secundo præterea, confirmatur ista positio: quia oportet ponere essentiam diuinam immediate habere sapientiam, & bonitatem, & esse quodammodo, quasi radicem, & principium illarum perfectionum attributalium, & sine omni distinctione in ipsa essentia: alioquin procederetur in infinitum: igitur ita videtur posse poni immediatum principium duorum productionum. B.

Sed contra est: quia si essentia, vt omninò indistincta, esset principiũ duplicis productionis: ergo cũ intellectus sub ratione infiniti, sit sufficiẽs principium productiuum, & sufficiens ratio principiandi Verbum infinitum: & voluntas sub ratione infiniti, sit principium productiuũ amoris infiniti: & antequam intelligatur intellectus infinitus, & voluntas diuina infinita, formaliter distincta, præintelligitur essentia, & essentia in C.

finita; ergo per ipsam, vt præintelligitur, erit duplex productio intrinseca. Iterum etiam, quando posterius intelligitur, ibi intellectus formaliter infinitus, & voluntas formaliter infinita: erunt duæ personæ infinitæ productæ, virtute illorum duorum principiorum: ergo erunt quatuor personæ productæ infinitæ.

D. *Opinio Adam, lib.3. dist.6.q.4. art.2.*

Respondeo dicendum ad quæstionem, quod alia est opinio, quæ ponit quod essentia sub ratione vna omnino in distincta est principium istarũ productionum, *pro qua sunt argumenta posita in principio articuli.* Contra hoc: quia actio volendi in nobis nõ est formaliter libera: sed ipsa voluntas: quia actio illa est quædam qualitas, & quædam forma naturalis in se, & non aliquid intellectuale habens inclinationem ad oppositа: ita igitur in diuinis, ipsa productio Spiritus sancti, vt ipsa iam posita est in esse non videtur formaliter esse libera, sed præcise libertas videtur esse in principio huius productionis, in quã tum est huius: sed si nulla distinctio præcedat productionem Filij, & Spiritus sancti, prima distinctio, quæ est huius productionis, & illius, est, vt sunt posita in esse ab illo principio: ergo non est vna productio in diuinis per modum intellectus, siue naturæ, & alia per modum libertatis: quia nullum principium præcedit, quod ex se aliter se habeat ad hanc productionem, quàm ad illam, & illæ productiones, in quibus est distinctio primo, omninò in se vniformes sunt in naturalitate, vt iam positæ sunt in esse. Assumptum de volitione, licet posset multis vijs probari, patere tamen potest hoc, quod quia quidquid generat ipsa volitio, generat naturaliter. Vnde habitus appetitiui, virtute actuũ appetitus, ita generãtur naturaliter ex eis: sicut habitus intellectiui generantur naturaliter ex intellectionibus. Ex alio etiam apparet: quia nunc formaliter posset aliquis gaudere, & tristari libere, inquã tum, scilicet gaudium, & tristitia sunt passiones consequentes velle, & nolle: quia illæ, quæ sunt immediatè causæ istarum passionum, ponerentur formaliter liberè. Consequens tamen de passionibus videtur satis manifestum inconueniens: quia non videtur esse in potestate voluntatis gaudere, nisi quia in potestate eius est velle illud: ad quod sequitur gaudiũ: & ita nec tristari, nisi quia in potestate eius est nolle illud, adquod sequitur tristari: & ideò tristatus de aduentu alicuius rei nociuæ, siue displicibilis, si vult amouere tristitiam, oportet, quod desinat nolle illud, quod noluit: non autem expedit ad hoc deliberare, vt stante nolitione, & euentu noliti, non sequatur tristitia.

E. Præterea secundo, *arguitur sicut supra in §. sed contra.* Ad quod si dicatur, nunquam ibi esse infinitum intellectum, nec infinitam voluntatem ex parte rei: sed tantum esse ibi illam vnam naturam omninò indistinctam ex natura rei, & ex eius ratione esse tres personas, & intellectum, & voluntatem esse ibi præcise per considerationem intellectus: & ita non esse ibi principia productiua personarũ ex natura rei distincta. Contra. si aliqua sint ibi distincta per actum intellectus, sint A. & B. tunc quæro, aut illa ex natura rei sũt distincta, aut nõ? etsi sic: contradices tibi ipsi: si nõ, sed per intellectum: ergo intellectus sub ratione intellectus, & non naturæ, distinguit: aut igitur ante distinctionem istorum, est ibi intellectus sub ratione intellectus: & habetur propositum, quod est ibi ex natura rei. Aut non: sed ipse intellectus sub ratione intellectus, est ibi productus per actũ intellectus negociantis, & distinguẽtis, & tunc erit quærere de illo intellectu

lectu,quo actu producitur, vt ex natura rei, aut ex intellectu, vt intellectus est, & procederetur in infinitũ. Vel vbicunque stabitur,ibi erit intellectus in quantum intellectus, & ex natura rei: vel prima distinctio, quæ ponetur ibi, erit ex natura rei, cuius oppositum ponis.

F. Ad argumenta pro opinione ista nunc improbata,*& infra improbanda*

In 6. & 7. artic. *respondetur.*

G. Ad primum cum dicitur,infinitum ex se omninò indistinctum, potest esse principium distinctorum: verum est, vbi illa distincta non requirũt ex ratione sui distinctionem priorem in principijs: talem autem requirit productio libera, & naturalis: quia ad illa non potest esse prima distinctio: sed præexigitur aliqua distinctio in principijs, quæ aliquo modo habent principiare naturaliter, & libere personas diuinas.

H. Ad secundum, *seu* ad confirmationem illam,quæ adducitur ibi, per hoc patet, quod essentia habet sapiẽtiam,bonitatem, & omnes alias perfectiones attributales,ante omnem considerationem intellectus, & hoc absque omni distinctione præsupposita in essentia: verum est: quia illæ perfectiones attributales non requirunt oppositum modum principiandi, nec distinctionem in principijs: ita enim essentia naturaliter est intellectus, sicut est voluntas. Similiter illa attributa non sunt proprie principiata ab essentia dinina: licèt essentia diuina concedatur aliquo modo habere rationem perfectionis radicalis, & fundamentalis respectu eorum.

Expositio art.5.quæst.vnic. distinctionis 13.

CONTROVERTITVR in præsenti artic. vtrum essentia diuina sub ratione omnino vna indistincta, sit principiũ generationis & spirationis? Quæ controuersia triplicẽ potest habere sensum: nã sicut duplex est compricipium, tã generationis, quã spirationis, quorum vnum est obiectũ, & alterum potentia: potest intelligi difficultas, primo de comprincipio ex parte obiecti: vel secundo ex parte potentiæ: vel tertio,quod nec per modum potentiæ, nec per modum obiecti, sit comprincipium: sed sicut natura in creatis: est immediatum principium generationis, imo sol est principium plurium diuersarum generationum, & plurium generabilium: sic natura diuina sit immediatum principium generationis, & spirationis. Si difficultas huius articuli in primo sensu procederet: facile resolueretur secundum Doctorem affirmatiuè: quia secundum ipsum eadem essentia diuina sub ratione vna omninò indistincta secundat intellectum, & voluntatem: & in ratione obiecti, est vnũ comprincipium vtriusque productionis. Si vero in secundo procedat: sicut illam Adãgodan ibi citatus in margine textuali, tenuit: negatiua pars concluditur à Doctore in textu, vbi pluribus rationibus probat non posse vnicam essentiã, sub ratione vnius, habere rationem principij naturalis & liberi: quod requiritur ad naturalem generationem Verbi, & liberam spirationem amoris cuius litera satis efficacitatis continet. Si tandem in tertio sensu loquamur, in quo videntur illam duo argumenta posita in principio probare: iam manet resoluta supra in difficultate 48. contra Durandum & Gregor. videlicet productiones diuinas minimè esse à natura immediatè, sed per intellectum & voluntatem: quod probat Doctor in distinctione 2. quæst. 5. art. 2. imo Durandi sententiam, temerariam & errori proximam censendam esse, resoluimus in citata difficultate 48. num. 19. Ex quibus concluditur essentiam diuinam in 2. & 3. sensu nullatenus esse generationis principium, & spitationis, sub ratione vnius.

Ad Angod.

Essentia diuina nõ potest esse principium naturale, & liberum.

ART.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm principia generationis, & spirationis, quæ sunt intellectus, & voluntas, sint in diuinis ex natura rei?

A. AD sextum sic proceditur, videtur, quod principia generationis,& spirationis,quę sunt intellectus, & voluntas,non sint in diuinis ex natura rei,*& hoc sine argumentis.*

B. Sed cõtra est:quia Deus est ex natura rei formaliter beatus:& non formaliter in relationibus rationis: beatitudo autem eius est formaliter in intellectione, & volitione:ergo,&c. Confirmatur ista ratio per Philosophum *infra*.

C. Respondeo dicendum,quod si dicatur *ab auctoribus oppositæ sententiæ*, tantùm esse ibi illam vnam naturam omninò indistinctam ex natura rei, & intellectum, & voluntatem esse ibi præcisè per considerationem intellectus: & ita non esse ibi principia productiua personarum realium ex natura rei. Contra per Philosophum 12.qui probat, quod si Deus non sit actu intelligens, nihil honorabile in erit ei:se habebit enim,vt dormiens: ergo secundum ipsum non est perfectus ex natura rei,nisi ibi esset formaliter intellectus ex natura rei, & per consequens est ibi intellectus distinctè ex natura rei:quia non potest intelligi actualis intellectio formaliter,sine intellectu formaliter.

Text.com. 51.

D. Præterea, si intellectus non est ibi formaliter ex natura rei, sed fundamentaliter: ergo intellectus formaliter non est perfectio simpliciter: quia non est ibi melius habere ipsum formaliter,quàm non habere ipsam: imò per se in essentia illa (quæ optima est) non habetur formaliter, sed tantũ opposito modo habendi: ergo nõ potest cõcludi ibi esse intellectũ: quia est perfectio simpliciter, sed magis videtur sequi oppositum. Quid igitur? dicit Ansel. monol.15. quod quidquid est in Deo,melius est ipsum, quàm non ipsum: sicut est de sapiente. Et August.15. de Trinitate cap.4. vel 5. neque enim diuinorum librorum auctoritas tantummodo, esse Deum prædicat, sed omnis quæ noscircunstat natura,proclamat,habere se præstantissimum conditorẽ: qui nobis mentem,rationemque naturalem dedit, qua viuentia non viuentibus,prædita sensu non sentientibus,intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, iniustis iusta, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus,inuisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione præponimus: oportet enim, & summe viuere, & cuncta sentire atque intelligere. Et parum post,iustissimũ,speciosissimũ,optimũ,& beatissimũ fateamur, &c. quære ibi August. Beatitudo autẽ est formaliter in intellectione, & volitioen: ergo intellectus,& volũtas,quæ sunt principia istorum, sunt ibi ex natura rei: *nam* quæ consequentia esset illa *ex Augustin.* si ratio naturalis dictat beatum esse meliorẽ misero:ergo Deus est beatus, si ipsum,quod est in creaturis, melius est suo opposito, hoc est propter eius realitatem,& in Deo ex natura rei nõ est *per te* aliquo modo realitas illa,sed tantùm fundamentum cum oppositodo formalitatis huius?

Expo-

Expositio art.6.quæst.vnic. distinctionis 13.

PROBAT Doctor in litera huius art. (quæ perspicua est) in Deo esse intellectum & voluntatem ex natura rei, & non solùm per considerationem intellectus. Cuius conclusio communis est; nam licet, vt infra sub distin.26. videbitur, non desunt, qui ponant constitutionem personarum esse per rationem: principia tamen productiua earum, quæ sunt intellectus & voluntas, omnes plerumque concedũt ex natura rei esse in Deo. Nam quamuis inter illa non admittant distinctionem ex natura rei, vt vidimus supra in art.4. ipsa tamen in Deo ex natura rei esse, non negant. Rationes vero, quæ id probant in textu, sunt efficaciſsimæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm intellectus diuinus (& idem est de voluntate) sit formaliter infinitus?

A. AD septimũ sic proceditur, videtur, q intellectus diuinus, (& idem est de voluntate) non sit formaliter infinitus: *quia tũc* intellectus est omninò infinitus formaliter ex se sicut essentia: *hoc non est dicendum: ergo, &c.*

B. Sed contra est: quia intellectus diuinus intelligit simul infinita intelligibilia, secundum Augustin. 12. de Ciuitat. Dei cap. 18. ita neque numeros propter infinitatem nescit omnipotens Deus: etsi vsque ad quãdam summam numerorum scientia Dei peruenit, & cæteros ignorat: quis hoc vel dementiſsimus dixerit? Et subdit parum post: infiniti itaque numeri, quamuis infinitorum numerorum non sit numerus: non tamen est incomprehensibilis ei, cuius sapientiæ non est numerus.

C. Respondeo dicendum, quod intellectus, qui probatur *articulo præcedenti*, ibi (*scilicet in diuinis*) esse ex natura rei, quod sit infinitus: probo, intellectus enim, vt intellectus, essentiam comprehendit, vt obiectum formaliter infinitum: nihil autem comprehendit obiectum formaliter infinitum, nisi ipsum comprehendens sit formaliter infinitum: ergo, &c.

D. Etsi dicas, intellectus non est formaliter infinitus, in quantum intellectus: sed in quantum est idem essentiæ diuinæ infinitæ: & ideò non habet inquantum intellectus, quod sit principiũ productiuum alicuius personæ infinitæ, & ita non erunt duæ personæ diuinæ.

E. Contra hoc arguo: quia hoc modo posset dici, quod paternitas est formaliter infinita: quia est idem essentiæ infinitæ, & tunc non esset magis incõueniens Filium non esse formaliter intelligentem, quàm ipsum non esse formaliter Patrem: quod est manifestè absurdũ. Probatur etiam ex alio: quia illa, quæ non sunt formaliter infinita in diuinis, si accipiantur in abstracto, non prædicantur de se inuicem, etiam per identitatem, sicut nec formaliter: hæc enim non conceditur, paternitas est innascibilitas: cuius ratio dicta est dist. 8. quæst. de attributis: quia illa abstractio tollit illud, quod fuit causa veritatis, scilicet identitatem extremorum: quia vt præcisè sumuntur, neutrum est formaliter infinitum: & ideò neutrum, vt præcisè abstractiue sumptum, includit, quod sit idem alteri: sed ista est vera, intellectus est paternitas, & intellectus est filiatio: licet non sit formalis prædicatio: ergo intellectus

habet

habet infinitatem formalem, qualem non habet filiatio, vel paternitas, vel innascibilitas. Etsi quæras, est ne omninò infinitus formaliter ex se sicut essentia? *habes responsionem his in solutione argumenti.*

F. Ad argumentum respondeo, potest dici, quod sicut distinguēdo res ab inuicem, aliqua res est infinita à se, & in se, sicut Pater, & prima persona in diuinis: aliqua res est in se infinita, sed non à se, sicut Filius, & Spiritus sanctus: aliqua autem res ex se finita, & in se simpliciter finita, sicut creatura. Ita considerando aliqua, quæ non sunt formaliter eadem: potest aliquid accipi tanquam infinitū in se, & omninò à se, sicut essentia diuina, quæ est radix, & fundamentum, quæ infinitatem a nullo habet. Vnde Ioannes Damasc. cap. 12. esse Dei est velut pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatū.

G. Aliquid autem est infinitum per se, & in se: sed nō omninò à se tanquā prima radix, & fundamentum omnis infinitatis, sicut attributa diuina, quę secundum eundem Damasc. cap. 5. dicunt aliquid quasi circa essentiam: & bene possunt esse talia formaliter infinita, & in se, & per se: sed radicaliter in essentia, sicut in fundamēto, cui sunt eadem: vlterius aliquid est, quod nec in se formaliter est infinitum, nec idem formaliter infinito: sicut personales proprietates. Sed quæ ratio, quare ista non habent formalem infinitatem aliam ab essentia, sicut intellectus habet? hoc alias poteris patere.

Expositio art. 7. quæst. vnic. distinctionis 13.

INTELLECTVS infinitatem probat Doctor in textu, ex comprehensione essentiæ vt obiecti infiniti: eo quod nō potest obiectum infinitum comprehēdi, nisi ab intellectu formaliter infinito. Et prænotat differentiam habendi infinitatē formaliter in se, aut à se. Illa etenim diuina essentia, quæ est primo infinita, est formaliter in se, & à se infinita. Intellectus vero & volūtas sicut cætera attributa, sunt formaliter infinita in se, non vero à se: quia infinitas sibi prouenit ab essentia, tanquam à radice omnis infinitatis. Nec huic doctrinæ obuiat instantia de relationibus, quia ipsæ formaliter infinitæ non sunt, nec à se sicut essentia, nec in se sicut attributa: sed tantum identice ratione realis idētitatis, quam habent cum essentia: de hislate diximus supra in difficultate 68. n. 34. & 37. litera vero textualis in reliquis clara est.

Essentia diuina est in se, & à se formaliter infinita, secus attributa.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm naturalitas, & libertas dicant respectum ad actus principij naturalis & liberi?

A. *Articulus iste integer non est textualis, sed assumptus ex additione quadam alterius Doctoris, intra ipsam Scoti literam inserta.*

AD octauū sic proceditur, videtur, quod naturalitas & libertas nō dicāt respectum ad actus principij naturalis, & liberi: *quia vt dictum est supra artic. 5.* actio volendi in nobis non est formaliter libera, sed ipsa voluntas: quia actio illa est quædā qualitas, & quædā forma naturalis in se, *&c.* Ex alio etiam apparet: quia tunc formaliter posset aliquis gaudere, & tristari libere, in quantum, scilicet gaudium, & tristitia sunt passiones consequentes velle & nolle, *&c.*

B. Secundo præterea: quia libertas est conditio absoluta, quia perfectio simpliciter: *ergo non dicit respectum.*

Sed cōtra est: quia hæc ratio, si cōclude-

cluderet:concluderet necessario distinctionem intellectus à voluntate in creatura, & hîc distinctionem realitatis à parte rei, quod non videtur necessarium.

D. Respondeo dicẽdum, quod idem illimitatum eodem principio potest habere aliam, & aliam habitudinem ad secundo producta, & ad duas productiones: nunc autem naturalitas, & libertas, non dicunt essentialiter principium actiuum, & actiuum, sed aptitudinalem habitudinem principij ad productum: & non habitudinem aptitudinalem: putà naturalitas determinationem ex se actus primi ad secundum, & tertium: libertas *autem* non determinationem huius: igitur libertas est aliquo præcedente actum, sed non absolutè in illo: sed dicit respectum illius ad actum: & naturalis, similiter dicit alium respectũ eiusdem absolutè præcedentis ad alium actum.

E. Contra, igitur in quo est distinctio? vbi est quo productionum, nisi tantùm rationis? quia non relationis ad productionem, vel productum, nisi tantùm rationis. Respondeo, cõcedo quod libere, & naturaliter dicant habitudinem ad agere, vel tantùm determinatam, & non determinatam, tamen concludunt in fundamentis: quia perfectionis simpliciter est, esse absolutum a respectu ad posterius: igitur principium, cui competit absolutio maior respectu principiandi, est simpliciter perfectius illo, cui cõperit determinatio maior, respectu principiandi. Hæc si principiãda sint æquè perfecta, vel principiandum absoluti, perfectius principiando naturalis est: quia ad æquè perfectum posterius, absolutius est perfectus: ergo si velle nostrum non sit minus perfectum nostro intelligere, & ex respectu libertatis in volũtate ad velle: & naturalitatis in intellectu ad intelligere, sequitur, voluntatem fundamẽtum respectus esse simpliciter perfectius, huiusmodi consonat distinctioni potentiarum, de quo in 4. dist. 49

Sed quid in Deo? videtur idem sequi: quia Spiritus Sanctus est æquè nobilis cum Filio: igitur principium productiuum non erit perfectius, qnod est absolutius. Respondeo, vtrumque est infinitum, & in quãtum operatiuum, & in quantum productiuum: igitur nulla excellentia cũ formalibus, sed tantùm forte rationis comparantis formalitates infinitas, ad infinitas, cum quibus conueniũt, & sic conueniens cum perfectione, concipitur habere quandam rationẽ nobilitatis: id est relationem ad nobilius. F.

Ad argumentum, Spiritus Sanctus, & Filius nõ sunt posteriora principijs, nec aliqua imperfectiora: sed eadem illis: ideò absolutio ibi non arguit maiorem perfectionem: nec determinatio imperfectionem, sed tantùm alium modum producendi. Alia via dist. 10. quia voluntas infinita non magis est indeterminata ad operationem, vel productionem, quàm intellectus. Contra, saltem respectu creaturarum, intellectus naturaliter intelligit: volũtas libere vult: ergo respectu illarum, voluntas est nobilior. Respondeo, habitudo hæc, & illa ad primas operationes, & producta, si essent posteriora, concluderent excellentiam fundamenti: sed quando primæ operationes, & prima producta, non sunt posteriora, sed idem vel æqualia simpliciter, habitudines stant alterius rationis, & in formalitatibus alijs, sed sine excellẽtia fundamenti ad aliud, qualitercũque illa fundamenta comparantur postea sub istis respectibus ad posteriores operationes, ad producta, quæ sint simpliciter posteriora, non G.

sequi-

sequitur aliqua excellentia fundamẽti huius ad reliquum.

H. Ad primum argumentum, *patet ex dictis*, *sed* ad formam concedo, neutrum positum esse liberum: igitur libertas est in aliquo præcedente actum: concedo, sed non absolutè in illo, sed dicit respectum illius ad actum, & naturalis similiter dixit aliũ respectum eiusdem absolutè præcedentis ad alium actum. Similiter in proposito, est facilior responsio: quia ad vtrumque, & productionẽ, & productum, videtur principium, quo, naturaliter se habere. Dist. 10. supra.

I. Ad secundum respondeo, dat intelligere simpliciter perfectionem: sed non dicit, nisi respectum. Correlatium, igitur tota deductio dist. 2. de dualitate prima principiorum actiuorum, non valet, nisi de relationibus, quæ dicunt habitudinem principij actiui ad productum, & videtur probabile, quod ad simpliciter vnũ fit status, tàm in principio productiuo, quo (licet non, quod) quàm in causa: quia esse, quo, per te conuenit vni simpliciter, sicut causa.

Expositio art. 8. quæst. vnic. distinctionis 13.

TOTA huius articuli litera, est additio discipulorum Scoti, ex eius manuscriptis ab eis intra Scoticum textum inserta: sicut cæteræ additiones quæ in antiquo textu cum pura eius littera commiscentur; quod patet ex confusione stylli, qui valde ab Scoti littera discordat. Et ideò non est cur in eius expositione immoremur. Conclusio autem illius est, quod scilicet tàm naturalitas principij generationis, quàm libertas principij spiratiui dicunt respectum ad suos actus.

(?)

ARTICVLVS IX.

Vtrùm voluntas sit potentia indeterminata ex se, & ipsa se determinet?

A. AD nonum sic proceditur, videtur, quod voluntas non sit potentia indeterminata: quia *non apparet*, vnde hæc indeterminatio voluntatis *proueniat*.

B. Sed contra est: quia quidquid est in suo ordine sufficiens, si ab alio determinatur ad agendum, iam prius fuit determinatum ad hoc in suo ordine, siue quantum in ipso fuit: quod enim non egit, non fuit propter defectum formæ, nec determinationis ex parte eius: sed superioris, à quo dependet ad agendum, & operandum operatiua, & actiua: sed libertas magis per se respicit actionem, saltẽ immediatius: nec igitur est determinata ad agendum ad aliquam operationem, quæ non est circa obiectum essentialiter perfectum: stat autem cũ libertate, quod sit determinata ad operandum circa illud, & ad agendum per consequens respectu illius operationis. Probatur de voluntate diuina respectu Dei, dist. 10. hîc: imò infinita determinatur necessario.

Totus iste articulus sicut præcedens est desumptus ex additione aliorum, intra Scoti literam inserta, & non est textualis.

C. Respondeo dicendum, & nota, quod potentia libera, est potentia sufficienter actiua, non determinata ex se ad operandum circa aliquod obiectum, quod non est finaliter perfectiuũ. *Est* actiua de genere actionis actiuæ, & ex consequenti operatione, nec sufficienter actu operatiua: quia sic erit actiuus intellectus, licet sit palsiuus sufficienter in suo ordine agendi: igitur nullum actum recipit ab alio, quo agat in suo ordine: quia tunc esset sufficienter actiua. *Est* non determinata ex se, id est ex suo actu primo

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

primo, & hoc in suo ordine causandi sequitur ex correlatiuo sufficienter: & ex isto quod se determinat ad agendum, non quidem alia determinatione præcedente actionem de genere actionis: sed determinat se, id est indeterminata ex suo actiuo primo; tamen determinate agit, nullo alio determinante ad agere. Hæc conclusio sic exposita probatur *ratione supra posita §. sed contra.*

Secunda cõclusio.

D. Sed nũquid libertas finita determinatur ad operandũ circa illud *obiectum, quod scilicet est essentialiter perfectũ*? Respõdeo, libertas nõ obuiat, patet de infinita: nec perfectio proba: quia perfectionis est determinare se ad obiectum perfectum, patet de voluntate Dei respectu sui: igitur perfectiori magis conuenit determinare se respectu obiecti perfectiui: voluntas creata est perfectior intellectu creato, & intellectus creatus necessario determinatur ad obiectum sui perfectiuum: igitur magis voluntas. Oppositum tenetur dist. 1. quæst. 4. Respondeo, determinare se naturaliter ad quodlibet est imperfectionis maioris, quam ad obiectum non perfectissimum libere non determinare se: quia determinatio ad non perfectum, est imperfectionis: ad quodlibet autem necessario determinatur intellectus: quia naturaliter: igitur, &c. Ad illam *autem*, perfectionis est, determinari ad obiectum perfectissimum, verum est, sic: quod ad illud solum, & per consequens non naturaliter: igitur perfectiori magis competit. Verum est vniformiter: quia voluntati diuinæ, & nulli intellectui. Sed si ex perfectione maiori voluntatis creatæ, quàm intellectus, statim inferas, quod necessario determinetur ad perfectiuum: consequitur: quia determinatio ad necessitatem illam naturalem, quæ cõpetit intellectui, voluntati repugnat: alia autem non potest competere voluntati ex perfectione voluntatis in cõmuni: sed tantùm voluntati infinitæ, aliter intellectus necessario determinatur: ab alio *autem* perfectionis est, non determinari, & indeterminante se, quod necessario determinet se ad perfectiuũ, & hoc conuenit soli voluntati.

Ad argumentum respõdeo, quod hæc indeterminatio voluntatis non *prouenit* ab intellectu, qui necessario determinatur ad quodcunque determinatur, sed impeditur persensibilia, sicut graui est impossibile, ne descendat: imò quando hic per sensibilia determinatur, necessario determinatur sic. Per hoc ad propositum, est indeterminatio radicaliter ab essentia: formaliter ex propria ratione volũtatis: quia enim natura est quasi illimitata cui scilicet multa possunt esse cõuenientia, non actus est ei appetitus illimitatus ad oppositа conuenientia: sed intellectus apprehensiuus se determinat secundùm euidentiam determinatam, vt dirigat aliquis: ergo vltra, vt determinatum ad vtrum libet determinetur. E.

Expositio art. 9. quæst. vnic. distinctionis 13.

ARTICVLVS item iste est integer ex additione formatus sicut præcedens: materiam attamen continet satis vtilem, videlicet circa determinationem voluntatis; vbi duplex habetur conclusio. Prima, quod voluntas ex se in actu primo non est determinata ad operandum. Secũda vero, quod ipsa se determinat, & non ab alio determinatur: quia in differentia voluntatis nõ est in actu secũdo: nã quodlibet est, necesse est esse: & ideo, quod in actu secũdo iã operatur, necessũ est, vt operetur. Libertas igitur in duobus consistit. Primo quidem, in eo quod in actu primo volũtas est indifferẽs, & indeterminata: in quo differt à causa naturali, quæ in actu primo est determinata ad vnum. Secundo vero, in eo quod vt pro-

rumpat in actum secundum, ipsa se determinat, & vt se determinet & velit aliquod obiectum, determinat se ipsam ad volendũ illud. In quo differt à causa naturali, quæ non se ipsam determinat, sed a suo principio intrinseco est determinata ad vnum, sicut ignis est determinatus ad comburendum. Hæc & alia ad libertatem pertinentia, habentur in litera huius articuli. Sed circa illam, & determinationem voluntatis supra in difficultate 71. à num. 27. vsque ad n. 33. plura remanent prælibata, quibus huius articuli materia illustrior redditur.

ARTICVLVS X.

Vtrùm productio Spiritus sancti sit generatio, vel qualiter distinguatur ab ea?

A. AD decimum sic proceditur videtur, quod productio Spiritus sancti sit generatio: probo: quia generatio in creaturis per hoc distinguitur ab alijs mutationibus, quod est ad substantiam, vel per hoc, quod ea producitur aliquid in esse substantiæ: spiratione autem producitur Spiritus sanctus ineſſe diuino, sicut generatione producitur Filius: ergo productio Spiritus sancti est generatio. Confirmatur ratio: quia mutationes, & motus distinguuntur per terminos formales eorum, secundum Philosophũ 5. Physic. sed formalis terminus Spiritus sancti est idem cum formali termino generationis: quia essentia cõmunicatur vtrobique: ergo spiratio est generatio.

Text. com. 48.

B. Secundo præterea, quæcunq; vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem: igitur quę eidem sunt vniuoca, inter se sunt vniuoca: generatio, & spiratio sunt vniuocæ productiones, comparando ad idem tertium, vt ad Patrẽ: quia sicut dictum est supra dist. 7. vtraque productio est vniuoca in se: igitur istę duę erũt vniuocę productiones inter se, & ita vnius rationis.

Tertio prætere:, differentia realis C. non dependet à differentia rationis: quia est perfectior: sed differẽtia principiorum istarum productionũ sunt natura, & voluntas, quæ differunt tantum secundum rationẽ: quia differentia realis absolutorum non videtur posse stare cum simplicitate diuina: ergo distinctio istarum productionum, quæ præexigit istam, tantũ erit rationis. Probatur etiam minor aliter dupliciter. Primo: quia alias intelligere, & intellectum in Deo, erit relatio realis, & ita distinctio realis: consequentia probatur: quia vbicũque intellectus ex natura rei distinguitur ab intelligere: intellectus recipit intelligere, vel est ratio recipiẽ di ipsum, & ita ibi erit relatio realis recipientis ad receptum. Et cõfirmatur: quia si intellectus in Deo non sit ratio recipiendi intelligere: non magis proprie dicetur Deus intelligere intellectu, quàm voluntate: ita etiam potest argui de relatione prioris: quia principium est prius illo, cuius est principium. Secundo probatur minor: quia absolutè intellectus est principium, quo, respectu intellectionis, & in eliciendo, & recipiendo: igitur eodem addito vtrobique, intellectus infinitus erit sic principium respectu intelligere infiniti, & ita erit ibi relatio realis.

Sed contra est Augustin. quinto D. de Trinitate, cap. decimoquarto, Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio, non quomodo natus, sed quomodo datus.

Respõdeo dicendũ ad quæstionẽ, E. q̃ productiones se ipsis formaliter distinguũtur, generatio enim formaliter

liter se ipsa est generatio, & spiratio se ipsa formaliter est spiratio, & ex rationibus formalibus earum, impossibile est generationem esse spirationem, circunscripto per impossibile quocunque alio: ita quod non oportet quærere, quibus distinguuntur: quia tota ratio formalis vnius, & nõ eadem toti rationi formali alterius. Hoc apparet per Augustin. 15. de Trinitate cap. 27. vbi dicit, sic enim videbis, quid distet natiuitas Verbi, à processione doni. Et paulo post, volũtatem de cognitione procedere, non tamen esse cognitionis imaginem, &c. quære totum vbi vult ex processionum distinctione concludere distinctionem personarum procedentium. Similiter 5. de Trinitat. cap. 9. & 14. cur Spiritus sanctus non sit Filius, cum tamen à Patre exeat? & soluit dicens, *vt supra citatum est*, exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus: soluit ergo ibi quæstionem de distinctione personarum per distinctas earum emanationes.

F. Et̃ obijcitur, quod emanationes non sunt à se: ergo non distinguũtur à se. Consequentia probatur: quia à quo aliquid habet entitatem, ab illo habet vnitatem 4. Metaph. quia dicũtur ad conuertentiam ens, & vnum. Respondeo, differentiæ specificæ non sunt a se effectiuè: & tamen sunt se ipsis primo distinctæ formaliter: ab eo tamen sunt distinctæ effectiuè, à quo habent esse effectiuè: distingui autem primo formaliter, non est distingui per aliquid inclusum in vno aliquo, & in aliquo conuenire: sed se toto formaliter distingui, etiam si per impossibile omne aliud à ratione sua circũscribatur. Ita dico, quod si differẽtiæ vltimæ, oppositæ essent, se totis distinguerẽtur, & se totis essent primo diuersæ formaliter: ita dico in proposito, quod si per impossibile istæ personæ distinctæ, vel productiones, possent esse imprincipiatæ: se totis essent formaliter distinctæ: ita quod nihil formaliter inclusum in vna, esset formaliter inclusum in altera: & tamen sicut principiatæ sunt: ita principiatiuè, seu originatiuè distinguuntur à suis principijs, intellectu scilicet, & voluntate, quæ non tantum distinguuntur ratione, sicut argutum est contra penultimam opinionem *huius quæstionis impugnatam in articulo quarto*: sed intellectus formaliter non est voluntas ex natura rei. Et cum infinitas addita alicui, non variet rationem eius formalem: intellectus infinitus non est formaliter voluntas infinita. Et licèt non necesse sit distinctionem illam formalẽ reducere ad aliã, in quantum est formalis: tamen quod est formale in principiatis, reducitur ad istam distinctionem principiorum.

Text. com. 1.

G. Si dicatur, quod duo distinguũtur à tribus, non tamen duo infinita à tribus infinitis distinguuntur. Contra istud quærãtur argumenta. *Nunc autem respondetur*, ad argumẽta principalia.

H. Ad primum dico, quod videtur concludere contra eos, qui ponunt quasi subiectũ generationis esse essentiam diuinam: nam cum in creaturis generatio sit naturalis ex inclinatione principij passiui non autem ex ratione principij actiui: quia si voluntas mea generaret ignem de materia illa: generatio passiua esset naturalis propter inclinationem potentiæ passiuæ ad formam: licet principium actiuum esset liberum. Ita videtur, si diuina essentia esset quasi subiectum in diuinis, respectu proprietatum personalium: æquè naturaliter inclinaretur essentia ad proprietatem Spiritus sancti, sicut & Filij: & per consequens productio Spiritus sancti, scilicet passiua,

esset æquè naturalis, sicut & Filij: licèt ab alio principio actiuo, esset hæc productio, & illa: sed contra me non concluſit: quia nego ibi esse generationem sub ratione mutationis, & omninò quodcunque passiuũ respectu actus, sicut patuit dist. 5. sed præcisè pono ibi generationem sub ratione productionis, cuius termini sunt producens, & productum. Præcisè igitur dicitur illa generatio naturalis, quia illa habitudo inter producens, & productum est naturalis, & naturalitas huius habitudinis est ex parte naturalitatis ipsius producentis: quia producit principio naturaliter inclinato ad agendum, & hoc modo non spirat Pater.

I. Alio modo dicitur, quod generatio sumitur vno modo pro generatione substantiæ, vel alio modo specialiter pro productione viui ex viuo, & hoc modo dicitur animal generari, & non ignis, & ibi communiter concurrit ex parte agentis inclinatio naturalis, siue forma naturalis, quæ est principium generandi, & hoc modo vltimo videtur esse generatio in diuinis. Prima responsio forte est melior.

K. Ad secundum dico, quod quando comparantur duo ad tertium illimitatum secundum illud, secundum quod comparantur ad tertium: non sequitur ex vnione eorum in tertio vnio eorum inter se. Exemplum, si ego sum cum Deo hîc, & Papa sit cum Deo Romæ: ergo sum simul cum Papa: non sequitur: quia Deus est illimitatus secundum præsentiam: quia est præsens omnibus locis. Ita etiam non sequitur, ego sum cum æternitate, & Abraham fuit cum æternitate: ergo ego sum, vel fui cũ Abrahã: quia Deus æternus, & æternitas eius, sunt illimitata. Ita dico in proposito quod pater habet in se duplicem fœcunditatem perfecte, vtraque autem productio correspondet præcisè vni fœcunditati: & ideò Pater respectu duarum productionum, est illimitatum, vel quasi indeterminatum comparatum ad determinata: & ideò non sequitur, quod si vtraque productio sit vniuoca in tertio tali, quod illæ productiones sint vniuocæ inter se. Contra istud arguitur, *sed pro illo erit sequens articulus.*

L. Ad tertium dico, quod antecedens de distinctione principiorum sola ratione, falsum est. Ad primam probationem, cum arguitur, quod oppositum non staret cum simplicitate diuina: responsum est prius sæpe dist. 2. & 8. vbi mentio habita est de non identitate formali absque distinctione reali. Ad secundam probationem, cum arguitur, quod aliter esset relatio realis inter intellectum, & intelligere, respõdeo, intellectus est potentia operatiua, & productiua, primo modo, scilicet in quantum est principium operatiuum, nec intellectus, nec suppositum, cuius est actio, habet relationem realem ad operationem realem, quæ nata est esse in ipso: sed hoc accidit in nobis, quod est ibi distinctio realis, seu differẽtia inter ipsum, & operationem, ad quam est: vt autem est principium productiuum, licet ipsum nõ habeat relationem realem ad productum: quia idem est producto: nec ad productionem propter idem: tamen producens ipso habet relationem realẽ ad productum, propter distinctionẽ eorum realem: & hæc sufficit ad hoc, ꝙ productio sit realis: sed talis relatio nõ requiritur inter intellectũ, & intelligere ad hoc, quod operatio intellectus sit realis, sed nec ipso intellectus nec operans eo, habet relationẽ realẽ ad intelligere: quia non est distinctio realis huius, & illius: nec hoc ꝙ intellectus dicitur Patri esse principium

pium

piũ ad intelligẽdũ notat relationem realẽ ipsius intellectus ad intellectionem, quæ ineſt Patri ſecundum hoc principium: quia hoc magis videtur de gignitione, quàm de intellectione: quia gignitio maiorem diſtinctionem requirit. Nec tamen cum dicitur, intellectus eſt Patri principium dicendi, notatur relatio realis intellectus ad dicere.

M. Et cum arguitur, quod tunc non magis intelligeret intellectu, quàm voluntate, conſequentia non valet: nec tamen dicitur, ita intellectu intelligere: quia ſit relatio realis intellectus, vel Patris ſecundum intellectum ad intelligere: ſed tantùm, quia iſta ſit aliqua perfectio operatiua, ſecundùm quam nata eſt competere Patri talis operatio. Nec ſequitur, quòd non magis intelligat Pater intellectu, quàm voluntate: quia hæc operatio, quæ eſt intellige re, nata eſt primo competere intellectui: non autem eſt nata competere voluntati: nec eſt aliqua alia ratio, niſi quia intellectus eſt intellectus, & voluntas eſt voluntas. Cuicunque enim principio operatiuo, ex eo quod tale, ſiue ſit res per ſe, ſiue vnitiue contineatur in aliquo, nata eſt competere propria operatio.

N. Contra, conceditur in Patre, intellectum eſſe ſibi principium intelligendi: ſed eſſe principium, importat relationem aliquam: & ſi eſt ex natura rei principium: eſt ex natura rei relatio, & per conſequens realis. Reſpondeo, quidquid competeret alicui, ſi eſſet res realiter, hoc idẽ debet ei competere, & non alteri, vbi eſt ratio, vel ſecundũ rationem, hoc modo eſt in Patre intellectus reſpectu intelligere: quia principium eſt omninò idẽ realiter cum intelligere.

O. Ad aliam rationem de æqualibus, & eodem addito, quòd adhuc debet tenere conſequentia, & ita eſt in propoſito. Reſpondeo, ſicut dicitur in conſequẽtijs: etſi conſequentia teneat eodem addito, adhuc tenebit: & verum eſt, addito non deſtruente rationem conſequentiæ: ſicut eſt cum dicitur, homo: ergo animal, omnis homo: ergo omne animal: reſpectu cuiuſcunque prædicati, vel è conuerſo negatiuè: ita in propoſito dico, quod inæqualitas intellectionis, & intellectus, eſt propter limitationem extremorum: propter quam, vel ſine qua, alterum excedit alterum additum ex vtroque extremo: additum autem infinitum vtrique extremo, tollit ab vtroque extremo limitationem: & ideò in æqualitatem: & ideò tunc non ſequitur, quod ſint æqualia: imò æquę perfectionis eſt intellectus infinitus, & intelligere infinitum.

P. Etſi obijcias contra hoc, quod infinitas non tollit omnem inæqualitatem: quia albedo infinita adhuc excederet in perfectione nigredinem infinitam. Dico, quod infinitas, addita alicui limitato ex ſe eſt infinitas ſecundum quid, qualis ſcilicet poteſt competere rationi talis limitati: quia non dicit infinitatem, vel illimitationẽ, niſi ratione illius, cui additur: quia hoc non poteſt eſſe formaliter ſimpliciter infinitum. Infinitas autem addita alicui perfectioni ſimpliciter: cui ſcilicet non repugnat infinitas ſimpliciter, eſt infinitas ſimpliciter in illa ratione: & ideò eſt ſimpliciter, infinitas: intelligere autem, & intellectus ſunt ex ſe perfectiones ſimpliciter formaliter, nec ex ſe limitationem includunt: & ideò infinitas addita vtrique dicit infinitatem ſimpliciter, non tantùm in iſtis rationibus: ſed concomitanter in entitate, veritate, & bonitate, & omni perfectione ſim pliciter vniuerſaliter: quia om-

nis perfectio simpliciter, mutuo, & vnitiue se includit: & ideò intelligere infinitum simpliciter æqualiter intellectui infinito *identificatur vnitiue*, & è conuerso.

K.

Expositio art. 10. quæst. vn. distinctionis 13.

LITERA textualis huius articuli decimi mirificam Doctrinam includit. Sed quia supra in difficultate 52. longo sermone sub titulo eodem tractatur, & illi communia quæ hìc se discutienda offerunt, sunt resoluta: nihil noui circa hanc materiam restat iterum exponendum: quæ enim Doctor hic asserit, ibi enucleantur exactè. Sunt igitur hic duo puncta. Primũ est, quomodo generatio, & spiratio differant. Secundũ verò, vtrùm processio Spiritus Sancti sit generatio? vtrũmque tamen in prælegata difficultate resolvitur. Et quidem primo, huiusmodi processiones se ipsis formaliter & se totis differre: quod ostenditur ibi à n. 20. vsque ad 25. & n. 50. & 51. secundo vero, Spiritus Sancti processionem non esse generationem: quod per totam difficultatem probatur n. 45. Ratio vero quare non sit generatio, late apperitur n. 52. & 53.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm productiones Filij, & Spiritus Sancti sint vniuocæ inter se?

A.

AD vndecimũ sic proceditur, videtur, quod productiones Filij, & Spiritus sancti sint vniuocæ inter se: quia si productiones non sunt vniuocæ, sed sunt alterius rationis: ergo termini productionum erunt alterius rationis: ex quinto Physico. igitur cum in terminis productis requirant talem distinctionem formalem: termini nõ erunt vniuoci alicui tertio: ergo ex oppositio, si termini sunt vniuoci alicui tertio, & productiones erunt vniuocæ inter se. *Text. com. 43 & 49.*

Secundo præterea: intellectus, & voluntas, prout sunt potentiæ operatiuæ, requirunt distinctionem formalem in obiectis: etsi respectu obiectorum essent potentiæ productiuæ, talem producerent distinctionẽ in obiectis: ergo cum termini producti requirant talem distinctionem formalem: termini non erunt vniuoci. B.

Tertio præterea: productum per intellectum ex vi productionis suæ, est notitia genita: productum autem per modum voluntatis est amor procedens: sed notitia vt notitia, & amor, vt amor, videntur alterius rationis formaliter: ergo, &c. C.

Sed contra est: quia idem vbi potest adquiri per motum rectum, & per motum circularem, qui sunt omninò alterius speciei, sicut probatur ex septimo Physicorum: ergo, &c. D. *Text. com. 21.*

Respondeo dicendum, quod Pater respectu duarum productionum, est illimitatum tertium, vel quasi indeterminatum comparatum ad determinata; & ideò non sequitur, quod si vtraque productio sit vniuoca in tertio tali, quod illæ productiones sint vniuocæ inter se. *Et quod dicitur supra in tertio argumento*, non est ad propositum: quia tenentes in diuinis generationẽ esse æquiuocam in se, haberent dicere, eam in se æquiuocam esse, propter æquiuocationẽ termini producti à producente: similiter habent dicere, spirationem in se esse æquiuocã propter differentiã spirantis à spirato: nõ igitur sufficeret eis ad illã conclusionẽ, quod D. *Conclusio*

quod genitum, & ſpiratum eſſent æquiuoca. Argumentum autem in ſe, ſi quid probet, non probat, niſi diſtinctionem geniti, & ſpirati: vel formalium terminorum generationis, & ſpirationis, & ita non propoſitum eorum.

F. Sed contra arguo ſic, non tantùm notitia, vt notitia, & amor, vt amor, ſunt alterius rationis: ſed etiã notitia, vt notitia actualis, eſt alterius rationis a memoria, & amor, vt amor, eſt alterius rationis a voluntate, vt eſt actus primus: ergo ſi concedatur diſtinctio formalis in terminis productionum, ſcilicet notitiæ, & amoris: & quod producantur iſti termini, ſcilicet notitia, & amor virtute memoriæ, & voluntatis: oportet cõcedere diſtinctionem formalem principij productiui, à termino formali producto: & ita æquiuocationem in vnaquaque productione.

G. Reſpondeo, poteſt dici, quod illud aſſumptum, ſcilicet, quod genitum ex vi productionis ſuæ, ſcilicet generationis ſuæ, ſit notia actualis, poteſt diſtingui de primitate originis, & primitate adæquationis. Si intelligatur de primitate originis: poteſt negari, quia tunc nõ eſſent tres perſonæ vniformiter Deus: eſſentia enim in Patre, intelligitur eſſe in eo quaſi principium, & fundamentum cuiuslibet perfectionis: & tunc ſi in Filio præintelligitur notitia ante eſſentiam: Filius tunc non haberet eſſentiam ante quodcunque aliud in ſe: ſicut non ante notitiam: & ita non eſſet vniformiter Deus cum Patre.

H. Quantum igitur ad iſtam primitatem (*quæ* licet non ſit originis, correſpondet tamen primitati originis plurium perfectionum in vna creatura) poteſt dici: quod primum in quacũque perſona eſt eſſentia: quia quando aliquid continet in ſe plures perfectiones communicabiles: communicans illud vnum, communicat omnes in eo, eo ordine, quo natæ ſunt eſſe in illo vno. Exemplum, tàm in diſtinctione rerum, quàm nõ rerum: tamen ex parte rei, principium quidem: ſi ignis generaret totum ignem, & produceret, tàm materiam, quàm formam, prius origine communicaret materiam, quã formam: eo ordine, ſcilicet, quo illa ſunt in generante. Exemplum ſecundi, ignis eſt ſubſtantia corporea inanimata, & elementum: ſicut tunc ſunt iſta per ordinem in igne generante: ita communicantur ſimili ordine igni genito, & tamen primus terminus ſecundum adæquationem eſt ignis, vt ignis: quia hoc eſt, quod principaliter intendit ignis generãs, & in quo perfectiſsimè ſibi aſſimilatur, ignis genitus, ſcilicet ignis, vt ignis. Ita poteſt dici in propoſito, quod licet eſſentia diuina in qualibet perſona ſit omninò primũ, quaſi fundamentum cuiuslibet perfectionis eſſentialis: prima tamẽ perſona appropriate habet memoriam, & virtute illius principij productiui, producit prima productione adæquata ſecundam perſonam: & ſecunda perſona quaſi adæquata principio productiuo, producitur, vt notitia actualis: & Spiritus Sanctus, quaſi adæquatus ſuo principio productiuo, producitur, vt amor actualis.

De hoc in 2. diſtin. 1. quæſt. 1.

I. Sed adhuc videtur ſtare argumentum: quia vniuocatio, vel æquiuocatio, magis videtur concludi ex primitate adæquationis: quàm ex primitate originis, licet enim ſol ſit ſubſtantia, & vermis ſit ſubſtantia: non propter hoc dicitur generatio vniuoca vermis à ſole: quia non aſſimilat ſibi terminum in forma ſpecifica: ita igitur hic videtur æquiuocatio, ex quo primus termi-

nus productus adæquatus non est omninò vniuocè eiusdem rationis cum principio productiuo.

K. Respondeo, & dico, quod non est æquiuoca productio, si principium productiuum non est eiusdem rationis cum termino formali producto, loquendo de termino formali primo producto, & de principio primo productiuo: sed requiritur, quod illud, quod est principium productiuum, non communicetur eiusdem rationis genito: & quod illud, quod est terminus formalis in producto, non sit eiusdem rationis in producente: oppositæ autem istorum sunt in proposito: quia memoria est formaliter in notitia genita actuali, & notia est formaliter in persona generante: licèt neutrum illorum sit prima ratio agendi, & prima ratio terminandi productionem. Exemplum huius est, si asinus generaret asinum, licet forma specifica non sit primum principium producendi asinum: & ideò propter hoc non est vniuoca generatio, nec æquiuoca: quia illud, quod est per se formalis terminus generationis est eiusdem rationis in generante, & genito, licèt non sit ibi prima ratio producendi, siue generandi: quod autem aliquid eiusdem rationis primo sit in isto, vt producente, & primo in illo, vt in termino producto: non requiritur ad generationem vniuocam: ita potest poni exẽplum de carne animata generante carnem animatam naturaliter, virtute caloris naturalis, vbi tamen ipsa anima, vel quæcunque alia forma detur, non est necessario primũ principium producendi in producente: & primus terminus formalis in producto: ideò hoc saltem non requiritur ad vniuocationem in generatione.

L. Ad primum argumentum dico, quod illa propositio de motibus, & terminis, quæ adducitur ad propositum non est vera, nisi quando aliæ duæ sunt veræ, *pro quo vide primum articulum huius quæstionis ibi enim hoc late expositum est.* Et ista responsio tacta est supra dist. 2. quæst. de productionibus, pro argumento Commẽtat. Et si obijcias, saltem primi termini, scilicet termini formales, erunt non vniuoci, ex quo productiones nõ sunt vniuocæ, & ita personæ, quæ sunt primi termini erunt, non vniuocæ inter se, & ita neque erunt vniuocæ in tertio. Respondeo, productio non includit formaliter essentiam diuinam: persona autem includit formaliter eam: quia persona non est tantùm proprietas, siue relatio: sed hypostasis subsistens in natura diuina, sicut Sortes non tantùm includit proprietatem indiuidualem, sed etiam naturam humanam: licet enim primi termini sint eiusdem rationis cum productionibus, quantũ ad hoc quod primi termini includunt relationes: & productiones, sunt relationes: non tamen sunt eiusdẽ rationis, quasi adæquatè: quia primi termini non tantũ includunt relationes, sed etiam absolutũ, & tunc non oportet eos tãtùm distingui, sicut productiones distinguũtur: quia quæ includũt aliqua distinctiua, non oportet tantũ distingui, sicut illa, vt dictum est supra dist. 8. quæst. illa, vtrùm Deus sit in genere? Quia differentiæ sunt primo diuersæ, non tamen includentia eas sunt primo diuersa.

M. Ad secundum de potentijs dico, quod, vt sunt potentiæ operatiuæ, nõ requirunt distinctum obiectum formale: imò illud idem, quod est primum obiectum formale intellectus diuini, est etiam primum obiectum formale voluntatis diuinæ: ita quod vtraque potentia beatificatur in eodem obiecto primo, secundum eandem rationem formalẽ primi obiecti

cti: nulla enim perfectio quasi radicata in ipsa essentia diuina, est primo beatificatiua intellectus, vel voluntatis diuinæ: sed ipsa essentia diuina sub omni modo primæ rationis, vt sic, est fundamentum omnis perfectionis infinitæ: ita quod argumentum est ad oppositum: quia sicut non requiritur distinctio formalis in obiectis, vt sunt potentiæ operatiuæ, ita nec in potentijs, vt sunt productiuæ.

N. Ad tertium dico, quod non est ad propositum, *vt bene visum est supra in corpore articuli. Item*, quod generatio actiua, & spiratio actiua non sunt idem formaliter, nec primi termini formales ipsorum, scilicet notitia actualis, & amor actualis sunt idem formaliter: & tamen primi termini producti illis productionibus sunt vniuoci inter se; & producēti: quia personæ productæ habent omninò eandem perfectionem absolutam inter se, & eandem cum producente.

Expositio art. II. quæst. vnic. distinctionis 13.

1 CONCLVDIT Doctor in litera, productiones diuinas non esse vniuocas, licet termini earum vniuoci sint. Sed tria argumēta in principio collocata oppositum probare intendunt: ita vt primum ex vniuocatione terminorum, nempe Patris & Filij inferat processiones ipsas vniuocas esse. Secundū vero, & tertiū idē ab inconuenienti intēdut. Nā per oppositū probāt quod si tales processiones non sunt vniuocæ: consequenter earum termini æquiuoci erunt. Sed eorum argumentorum solutiones clarè habentur in textu, in quo videnda sunt plura notatu digna circa vniuocationem, seu æquiuocationem productionum, & terminorum, quæ ibi sine expositione possunt intelligi.

Verum circa illud, quod dicit Doctor litera E. §. *Sed contra argumentum*, occurrit dubium circa solutionem illius argumenti, quod sibi obiecit, de illo quod in eius solutione distinguit, quod aliud est loqui de primo termino productionis, scilicet, primitate originis, & primitate adæquationis. Quæ solutio vt intelligatur, prænotādum est plura ibi à Doctore includi, quæ expositione indiget. Primum namq. est, quod quando Doctor inquit, genitum ex vi suæ productionis esse notitiam actualem, debet intelligi, vt loquatur, appropriate, pro vt Lychetus exposuit. Nam verè & formaliter Verbum diuinum, non est notitia actualis aut intellectio: quia non est Patri forma intelligendi. Sed ex quo Verbum producitur per intellectū in ratione memoriæ: sicut in creatis producitur verbum, quod est intellectio: sic Verbum diuinum appropriate dicitur intellectio, seu notitia actualis. Nā licet intellectio, & actualis notitia Dei sit tribus personis communis: Verbo nihilominus, ex hoc quod per intellectū procedit, appropriatur hæc ratio intellectionis; & ideò notitia actualis dicitur à Doctore. Hæc expositio ex eodem textu deducitur, quatenus Doctor sub litera G. de Patre inquit, quod appropriatè habet memoriam. Nam licet memoria sit in omnibus personis, ea ratione, qua intellectus est in illis: quia tamē memoria fœcunda, vt est principium productiuum, est tantùm in Patre: ideò memoria non vt tale principium productiuum, sed vt est intellectus habens obiectum, quæ, vt sic verè conuenit tribus, appropriate tantùm dicitur esse in Patre. Sicut ergo appropriatè memoria dicitur esse in Patre, eo quod Verbum producit: sic appropriatè dicitur Verbum esse notitiam actualem, quia à Patre per intellectum producitur.

2

Verbum dicitur appropriate notitia actualis non formaliter.

Secūdum, quod expositione indiget, est, quod prioritas originis dupliciter potest intelligi. Primo rigorosè, & vt sic reperitur tantummodo inter originans, & originatum, hoc est, inter procedens & producens per veram productionem: in quo sensu tantum reperitur hæc prioritas inter personas productas & producentes in Deo. Secundo vero

3

Prioritas originis dupliciter sumitur stricte, & latè.

modo latè accipitur ordo originis inter ea, quorum licet vnum per productionem ab alio non procedat: communicatur tamen cum illo, ordine quodã, quo vnum ab alio ducit originem, saltem tãquam à sua radice seu fundamento. Sic se habent humanitas & risibilitas, & ideò qui communicaret alteri humanitatẽ, à qua risibilitas dicto modo habet originem: licet simul communicaret illi humanitatem risibilem: prius nihilominus prioritate originis hoc secundo modo accepta, cõmunicaret illi humanitatẽ, quã risibilitatem. Quod exemplũ posuit Doctor ibi, dum per parentilim inquit ibidem, loquendo de prioritate originis: *quæ licet non sit originis, correspondet tamen primitati originis plurium perfectionum in vna creatura*. Sic persona diuina producens communicans essentiam personæ procedenti: simul cum essentia communicat omnes perfectiones. Sed quia tales perfectiones ab essentia tanquã à radice dimanant: ideo prius origine, loquendo de prioritate originis, in dicto sensu, cõmunicat illi essentiam, quàm perfectiones illas, quæ ab essentia dimanant. Quia ergo inter perfectiones huiusmodi est intelligere, seu intellectio, aut notitia actualis, quæ Filio, vt dictũ est, appropriatè tribuitur: ideò prius origine communicat Pater Filio essentiam, quàm notitiam actualem. Quando igitur Doctor in textu condistinguit Paternitatem originis à Paternitate adæquationis, loquitur de primitate originis in hoc secundo sensu. Ex quibus concludit, quod primũ in quancumque personã, prioritate originis est essentia.

Tertium, quod debet exponi, est quãdo loquitur hic de memoria, & de notitia actuali: nam tunc non loquitur de memoria, vt est principium notionale producendi, nec de notitia, vt est Verbum, quod dicitur notitia genita: sed de memoria (quod supra tetigi) vt est quid essentiale conueniens tribus personis, & similiter de notitia essentiali, quæ est intellectio diuina toti Trinitati conueniens: licet dixerit tàm memoriã Patri, quàm notitiam actualem Filio appropriatè cõpetere. Cum quo tamẽ stat, quod notitia actualis verè est in Patre producente, & memoria est in Filio producto. Ex quibus ad argumentum supra positum sibi obiectum respondet Doctor, quod nec notitia actualis differt à memoria, necè contra memoria differt à notitia actuali: quia licet appropriatè memoria competat producẽti, & non producto: notitia autẽ actualis competat producto, & non producenti: nihilominus verè & formaliter notitia actualis est etiam in producente, & memoria etiam in producto: quia in vtroque est eadem essentia, à qua tanquam à radice dimanant memoria, & notitia actualis. Quod similiter de voluntate, & dilectione dicendum est. Ex quibus habetur, non eodem modo distingui notitiam actualem à memoria, nec actualem dilectionem à voluntate, quo ipsæ productiones notitiæ notionalis, & amoris notionalis, distinguuntur inter se: & sic stat illarum terminos vniuoce conuenire tatione termini primi, primitate originis, quem habent, qui est essentia: licet ipsæ productiones æquiuocæ sint.

DISTINCTIO XIIII. & XV.

QVÆSTIO VNICA.

De missione temporali Spiritus Sancti.

CIRCA istam decimamquartam distinctionem, & duas sequentes, scilicet decimãquintam, & decimamsextam, vbi magister agit de missione temporali Spiritus Sancti, quæritur vnum generaliter quan-

quantum ad omnes personas. Et circa hoc quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrum quælibet persona diuina mittat quamlibet personam, & mittatur?

¶ Secundò. Vtrùm possit teneri, quod licet mitti non sit commune: mittere tamen commune sit tribus personis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm quælibet persona diuina mittat quamlibet personam, & mittatur?

A. AD primum sic proceditur, videtur, quod quælibet persona diuina mittat quamlibet personam, & mittatur: quia quidquid est essentiale in diuinis, conuenit tribus: missio tàm actiua, quàm passiua est quid essentiale: quia dicit respectum ad creaturas: respectus autem ad creaturas, communis est tribus. Quod autem, tàm mittere quàm mitti dicat respectum ad creaturam, probatur: quia dicitur de Deo ex tempore: nihil autem dicitur de Deo ex tempore, nisi quod dicit respectum ad creaturam: ergo &c.

B. Secũdo præterea: quia in Ioan. de Patre dicit Saluator, & de se ipso, ad Deum veniemus &c. ergo Pater etiã venit temporaliter ad aliquem: hoc venire dicit aliquem effectum Trinitatis: ergo videtur, quod Pater possit mitti à tribus personis, sicut Filius, & Spiritus Sanctus.

C. Tertio præterea: secundum Augustinum ad Dardanum: quælibet persona dat, & datur: ergo pari ratione mittit, & mittitur.

D. Sed contra est Augustin. 4. de Trinitate cap. 20. sed Pater cum ex tempore, à quocunq; cognoscitur, non dicitur missus, non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat. Ad hoc etiam adducit Magister auctoritatem Augustini in litera.

E. Respondeo dicendum, quod aliter videtur posse dici ad quæstionem, *quàm opinio Magistri, de qua in sequenti articulo erit sermo*: manifestum est enim, secundum intentionem Augustini 4. de Trinitate cap. 20. quod Pater non *est* missus: ergo oportet, quod mitti, cum hoc, quod dicit respectũ adextra, connotet productionem ad intra, & tunc rationabile videtur consimiliter dicere de mittere, quod licet dicat principaliter respectum actionis actiuæ adextra: tamen connotat respectum productionis actiuæ adintra, & sic neutrum est mere essentiale: sed mitti tantùm cõuenit personæ productæ, & mittere, tantùm personæ producenti, & ita *Conclusio.* sunt duæ personæ mittentes, scilicet Pater & Filius: & duæ tantùm missæ, scilicet Filius, & Spiritus sanctus. Neque aliqua persona se ipsam mittit, nec producta producẽtem. Huius simile potest haberi in alio: nam Pater dicitur per Verbum creare, & posset concedi Filium creare per Spiritum sanctum, non autem sic è conuerso: vbi creare per Filium non dicit absolutè actionem adextra: sed actionem cum auctoritate, & in hoc connotat productionem actiuam in operante, respectu illius personæ, per quam quasi subauctoritatiuè operatur: ita posset dici, quod mittere personam est operari per eam: & ita operari effectum cum illa persona per modum auctoris dantis illi personæ actionem: quod tantùm conuenit producenti, respectu personæ productæ: & mitti diceret idem, quod subauctoritatiue operari, virtute personæ mittentis: sed quod non est, ni-

si quando persona operãs accipit ab alijs virtutem agendi.

F. Et ad argumentũ etiam Magistri posset dici, quod consequentia non valet: quia commutatur qualiter, vel quale, in quid, vel res in modum: nõ enim sequitur, Filius non operatur per Filium, sicut Pater operatur per Filium: ergo Pater aliquid operatur, quod non Filius; sed sequitur, ergo aliquo modo alio operatur Pater, quo modo non operatur Filius: quia auctoritatiuè: & hoc est verum. Ita etiamsi Pater mittat Filium, & non Filius se, debet inferri, quod auctoritas agendi effectum in creatura, est in Patre, & non in Filio, & hoc est verum.

G. Ad primum argumentum dico, quod non omne dictum de Deo ex tempore est commune tribus, quando importat non tantùm respectum ad creaturam: sed cum hoc connotat respectum intrinsecum, sicut est de mitti.

H. Ad secundum concedo, quod Pater venit inuisibiliter, & inhabitat, sed tamen non dicitur mitti: quia nõ habet de quo sit, non enim manifestatur procedere, nisi procedat: tamẽ manifestari potest absolutè, vel manifestari, quod producat: sed manifestari sic, non notatur per mitti.

I. Ad tertium concedo, quod quælibet persona dat quamlibet: quia dare est liberaliter communicare: quælibet autem se ipsam communicat liberaliter voluntate, vt sui est. Nec sequitur ex hoc, quod quælibet mittat quamlibet: quia iam patet, quod dare non includit talem respectum intrinsecum, qualem includit mitti.

Expositio art. 1. quæst. vnic. distinction. 14. & 15.

DVPLICEM in hoc, & in sequenti articulo sententiam problematicè Doctor defendit. Primam enim hic ex mente propria tenet: in secundã verò, quæ est Magistri in sequẽti articulo inclinat, & eam sub quadam expositione amplectitur. Sed circa primam, quæ hic continetur, patet, quod huius articuli litera est satis perspicua: & non est in ea aliquid egens expositione. Conclusio ergo est negatiua, non etenim quælibet persona mittit, nec quælibet mittitur: nam cum mittere dicat productionem intrinsecam, seu actionem connotantem intrinsecã productionem: illa tantummodo persona mittitur, quæ producitur, seu procedit: & illa tantummodo mittit, quæ aliam personam producit. Ex quo concluditur, quod persona procedens, solum ab illa persona potest mitti, a qua procedit; & è contra, persona tantum potest illam aliam personam mittere, quam producit. Atque ideo si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab eo mitti nõ posset. Pater igitur est persona, quæ mittit, sed non mittitur: quia non producitur, sed producit. Spiritus sanctus verò mittitur, sed non mittit: quia producitur, sed non producit. Filius autem & mittit, & mittitur: quia producitur, & producit. Hanc sententiam tenent Seraphicus Doctor D. Bonauentura in primo dist. 15. quæst. 4. §. *Respondeo dicendum.* Et Alexander Alensis 1. parte quæst. 77. memb. 1. & D. Thomas 1. par. quæst. 43. art. 8. in corpore.

Non quælibet persona mittit, aut mittitur, sed ea mittit, quæ producit, & ea mittitur quæ producitur.

D. Bonau.

Ale. Alen.

D. Thom.

ARTICVLVS II.

Vtrùm possit teneri, quod licèt mitti non sit commune, mittere tamen cõmune sit tribus personis?

AD secundum sic proceditur, videtur, quod non possit teneri, quod cum mitti non sit cõmune: mittere tamen commune sit tribus personis: quia si mitti importat

A

tat aliquomodo duplicem respectũ æternum, & temporalem, cum non dicat respectum, nisi ad eum cui mittitur, vel ad mittentem, patet, quod primus est communis tribus: quia est respectus rationis ad extra: secundus autem, est realis, aut rationis. Si rationis: ergo potest esse in Patre respectu filij, sicut Pater potest dari, & dare: non enim repugnat Patri mitti propter respectum rationis tantùm, si mitti dicat respectu realem tantùm admittentem, putà processionem a mittente: igitur mittere nõ est essentiale: quia tunc Spiritus sanctus non mitteret Filium: cum non producat eum. Vel arguitur sic; si mitti includat relationem æternam: aut ergo respectus eius, cui mittitur persona: quod non contingit: quia hoc est tẽporale: aut ad mittentem, & tunc omnis missus a mittente, ab eo procederet: & sic cum Filius dicatur mitti à Spiritu sancto, procederet ad eo.

Secundo præterea: mittere & mitti videntur idem significare, licet diuersimodè, quantũ ad modos grammaticales: igitur si vnum connotat aliquem respectum ad intra: & reliquum connotabit. Si igitur mitti connotat produci: igitur mittere connotat producere: & ita neutrum est merè essentiale: vel si vnum non connotat respectum ad intra, nec reliquum: sed tantum respectum ad aliquid extra: & ita vtrunque erit commune tribus, & hoc est, quod sic breuiter potest argui. Si mitti includit produci: ergo mittere includit producere. ergo Spiritus sanctus non mittit Filium: quia non producit eum.

Tertio præterea: mittere & mitti videtur dicere relationes oppositas: ergo si mittere non includit producere, nullo modo includit correlatiuum. Consequentia patet per hoc, quoniam acceptis duabus correlationibus, sicut primum se habet ad tertium, ita secundum ad quartũ, & è conuerso: sed mittere, & mitti dicunt correlationem: & producere, & produci similiter: igitur si persona, quæ mittitur, producitur, mittere est producere.

Sed contra est Augustin. 2. de Trinitate cap. 6. vel secundo, vbi dicit Augustin. de Filio, proinde mitti à Patre sine Spiritu sancto non potuit, & probat: quia putà intelligitur misisse eum, secundum quod fecit eum ex fœminina, quod non fecit Pater sine Spiritu sancto: ergo Spiritus sanctus misit Filium: & cõstat, quod ipsemet se ipsummet misit, sicut habetur ab Augustino, eodem cap. ergo mittere conuenit cuicunque personæ. Et probat Magister per rationem: quia alias aliquid efficeret vna persona Trinitatis, quod non alia: cum mittere sit effectum aliquem creare.

Respondeo dicendum, quod in ista quæstione videtur esse opinio Magistri, quod mitti non conueniat tribus: sed tantùm duabus personis procedentibus: quia secundum Augustinum nulla persona mittitur, nisi quæ habet aliam, de qua sit: secundum hoc, mitti dicit respectum ad creaturam: tamen connotando respectum processionis æternæ: sed mittere est commune tribus secundum magistrum, quod probatur per auctoritatem Augustini, *nunc supra posità*. Contra istam opiuionem potest argui *sicut in principio articuli*. *Et* videtur aliter posse dici ad quæstionem, *vt patuit in articulo præcedenti*.

Vnde secundum istam viam, ad illud, quod Magister adducit pro se de Augustin. quod Spiritus sanctus mittit Filium, & quod Filius mittit se, posset exponi primo, primum de Filio incarnato: non de Filio, vt incarnando: quomodo Ambrosius in 3. libro de Spiritu sancto cap. 2. vel 3. dicit

3.dicit, quod spiritus Domini misit Filiũ, sicut legitur Esaiæ 1. Spiritus Domini super me, &c. bene dicit Ambrosius, spiritus Domini misit me ad prædicandum, quia quasi Filius hominis est missus, & vnctus: nam secundum Deitatẽ, non super Christum est spiritus: sed in Christo: ergo illa auctoritas Esaiæ, quæ dicit, Christum missum à Spiritu sancto, intelligitur de Christo homine, non autem de missione Verbi æterni incarnãdi. Similiter posset exponi illa auctoritas, quod Filius misit se *secundum istam viam.*

G. Licet autem hæc via videatur probabilis, tamen quia auctoritates Augustini videntur sonare non tantùm de Christo homine misso: sed de Verbo, eo misso: quia incarnando, sicut ipse dicit, intelligitur missio ipsa incarnatio: ideò potest teneri opinio Magistri hoc modo secundum. Augustin. quarto de Triuitate cap. vigesimo, cum ex tempore cuiuscunque prouectus mente concipitur, & mitti quidem dicitur. Et planius hoc idem paulo post: mitti est de Filio cognosci, quod à Patre sit. Ita Spiritum sanctũ mitti, est cognosci quod ab illo procedat mitti: ergo est manifestari personam procedere: nec conuenit omnibus personis: quia nõ omnes procedunt, & mittere est manifestare personam procedere: hoc manifestare est merè cõmune: quia tota Trinitas manifestat personam procedentem procedere: sed manifestari personam procedere, connotat personam procedentem. Et si ista sunt significata istorum vocabulorum: quia significata accipienda sunt ex vsu. Auctorum, sequitur, quod mittere sit mere essentiale: nec connotat respectum realem æternum in mittẽte: sed mitti connotat respectum in persona missa, quatenus manifestatur eius processio æterna. Et posset quidem aliud verbum poni, quod significaret manifestare personam procedere, & eius passiuum, quod significaret manifestari personam procedere: & illud actiuum esset commune tribus personis: passiuum tantùm competeret duabus personis, quæ producuntur. Secundum hoc, ad argumenta quæ sunt contra opinionem Magistri *respondetur.*

Ad primum dico, quod mitti dicit H. respectum rationis ad mittentem formaliter, sed cõnotat respectum æternum, non quidem ad mittẽtem: quia mittens: sed ad aliquem indistinctè. Vnde hæc propositio est neganda, quod mitti nullum respectum dicit, nisi ad eum cui mittitur, vel admittentem: si intelligatur in quantum mittens, & hoc tàm de principali significato, quàm de connotato: dicit enim connotando respectum procedentis, & hoc ad producens, in quantum mittens: quia etiam aliqua persona mittens, potest esse non producens, licet semper producens sit mittens: quia tota Trinitas manifestat personam procedentem procedere: sed manifestari personam procedere, nec conuenit omnibus personis, nec omnes procedunt. Exẽplum de memoria, quod signum secundum Augustin. manifestant memoria, intelligentia, & voluntas: in quo tamen signo memoria manifestatur. Vnde hoc manifestare, est mere commune.

Ad secundum cõcedo, quod actiuum, & passiuum significant idem, I. sub alio, & alio modo grammaticali: sed aliquid idem potest esse connotatum in vtroque, quod non diuersificatur penes istos modos. Manifestare quidem, & manifestari, quæ principaliter importantur, diuersificantur penes illos diuersos modos: sed non ita hoc, quod est, personam procedere, illud enim est, quod connotatur

tatur vniformiter, tam per actiuum, quam per passiuum. Exemplum in alijs, scio ignem calefacere, & scitur ignem calefacere: licèt hic sit variatio grammaticalis quantum ad scire, & sciri: non tamen quantum ad illud quod notatur esse terminus ipsius scire: illud enim vniformiter se habet vtrobique. Etsi imponeretur vnũ actiuum ad significãdum hoc totum, scire ignem calefacere: suum passiuum non connotaret, sciri ignem calefieri, sed tantùm ipsum sciri per modum passiui: & illud aliud connotaretur per modum actiui.

K. Ad tertium, & ad illam confirmationem per hoc patet, mittere, & mitti sunt correlatiua, quantum scilicet ad formalia significata, & vtrunque dicit per se respectum rationis: tamẽ vnum illorum potest includere, vt connotatum, aliquod extremum relationis, & reliquum non includere correlatiuum illius: sicut in exemplo posito apparet, quod illud verbum sic impositum includeret calefacere, & tamen verbum passiuum correspondens sibi non includeret hoc, quod est calefieri.

Expositio art. 2. quæst. vnic. distinction. 14. & 15.

PROPONIT Doctor in textu opinionẽ Magistri asserentis propter authoritatẽ Augustini, personam missam tantum esse personam procedentem: mittentem verò, non esse aliquam peculiarem personam, sed totam sanctissimam Trinitatem: quia D. August. expresse ait, Spiritum sanctum mittere filium: Filium autem ab spiritu Sancto non procedere, Fides docet. Non igitur illa solummodo persona, quæ producit, mittit: sed etiam persona quæ non producit; & sic à tota Trinitate est missio. Circa hanc Magistri sententiam dupliciter Doctor se habet in textu. Primo quidem oppositam illi conclusionem tenẽdo, vt patuit in art. 1. & tunc ad auctoritatem D. Augustini respondet ibi, intelligendum esse, spiritum Sanctum misisse Christum Dominum, vt hominem, non verò vt Deum. Secundo vero intelligendo etiã dictam auctoritatẽ Augustini de Christo Deo, Magistri sententiam approbat, explicando tamen quid per missionem sit intelligendum: ait enim tunc mittere idem esse, quod manifestare personam procedentem. Et quia hæc manifestatio est quid ad extra, & ex consequenti, est opus totius Trinitatis: ideò mittere à tota Trinitate esse concedit. In quo sensu clarissima est hæc sententia, & non opponitur illi, quam in 1. art. tenuerat: nam variatio vtriusque sumitur ex varia acceptione missionis. Sed propter clariorem resolutionem huius materiæ, mouetur sequens difficultas.

Mittere aliquando sumitur pro manifestare.

DIFFICVLT. LXXVI.

Vtrùm eidem personæ diuinæ possit competere se ipsam mittere?

§. 1.

Proponitur status difficultatis cum vera sententia D. Bonauenturæ, & Scoti, & suis fundamentis.

DIFFICVLTAS hæc ex litera textuali huius art. 2. excitatur. Quam pulchre resoluit Seraphicus Doctor D. Bonauentura in 1. dist. 15. quæst. 4. sed prius oppositas sententias referens ait. *In hac quæstione sapientes opinantur contrariè sapientibus. Nam Magister dicit expresse, & nititur probare auctoritate & ratione, quod Spiritus sanctus mittat se, & dat se. Nec oportet secundum ipsum quod inter mittentem, & missum cadat personalis distinctio, sed solum quantum ad rationẽ intelligendi, vt ipse sit mittens in quantũ Deus & idem ipse sit missus in quantum donum.* I

Alios

Aliorum Magistrorum, & antiquorum fuit positio, quod mittere, & mitti de ratione sui nominis, importat subauctoritatem, & auctoritatem, & distinctionem: & ideò nullo modo potest dici, quod vna persona mittat se, vel mittatur à se. Hactenus D.Bonauentura, qui has sapientium refert sententias. Sed nunc sententia negatiua probatur

D.Augst primo ex D. Augustino 15. de Trinitate cap. 19. Vbi inquit, quod datum dicitur relatiuè ad dantem: mitti autem est dari: ergo diuina persona non datur, nec mittitur, nisi ab eo, ad quem relatiuè dicitur. Sed non dicitur, relatiuè ad se: ergo non datur aut mittitur à se.

2. Secundo, nam sicut Pater est prima persona in Trinit. antequam nullà alia persona est in diuinis: sic Spiritus sanctus est posterior persona, postquam non est alia: sed Pater non potest dici missus, quia nõ habet personam, ex qua sit: ergo cum Spiritus sanctus non habeat personam, quæ ab eo sit, nullo modo dicitur mittere: ergo non potest se ipsum mittere: & ex consequenti sicut nulla persona se ipsam producit, sic se ipsam mittere non potest.

3. Tertio, quia vbicunque est missio, ibi vera notatur distinctio: sed persona non distinguitur à se ipsa: ergo nõ mittit se ipsam. At qui si tota Trinitas mitteret aliquam ex diuinis personis, eadẽ persona mitteret se: quia non minus se mitteret, quàm cæteræ personæ: cum omnes in Trinitate æquè includantur: ergo Trinitati non competit mittere, nec propterea alicui personæ se ipsam mittere potest competere.

4. *Vera Scoti sententia.* In oppositum autẽ est litera textualis in 2. art. huius quæstionis vnicæ, vbi Doctor hæc ait sub litera F. *Mittier go est manifestari personam procedere: nec conuenit omnibus personis, quia non omnes procedũt: & mittere est manifestare personam procedere. Hoc manifestare est mere commune: quia tota Trinitas manifestat personam procedentem, procedere.* Sequũtur Doctorem Bassolis, Tataretus, Lichetus, Antonius Andreas, & reliqui Scotistæ tã veteres, quã recentiores ibidẽ. Et est expressa sentẽtia Magistri in hac distinct. tenent eam Seraphicus D. S. P. Bonauentura loco citato, §. *& propterea ad intelligentiam.* Et D. Thomas 1. part. quæst. 43. art. 8. in corpore §. *Vtrunque.* Et fere omnes Thomistæ, quæ sententia est cõmunis.

Bassolis. Tataretus. Lichetus. Ant. And. D. Bonau. D. Thomas Magister.

5. Pro huius difficultatis intelligentia primo obseruare oportet, Doctorẽ subtilem nihil ex mente propria diffinisse in illa, sed problematice se habere, primo quidem dicendo contra Magistrum, teneri, quod sicut nulla persona mittitur nisi procedens; sic nulla mittit, nisi producens: & ita Pater mittit Filium, & Spiritum sanctum: Filius verò, Spiritum sanctum: atque Spiritus sanctus nullam personam mittit, & à fortiori non mittit se ipsum; nec propterea aliqua est persona, quæ se ipsam mittere possit: nec ob id mittere toti Trinitati competit, & vt vidimus optime soluit auctoritatem D. Augustini, quod scilicet intelligi debeat de Christo homine, sicut in textu iuxta mentẽ, D. Ambrosij, & aliorum sanctorum intelligẽdam esse exponit. Postea verò magis eiusdem D. Augustini auctoritati præstans obsequium, inquit, posse teneri sẽtentiam Magistri, intelligendo mittere esse idem, quod manifestare, iuxta quem sensum, tenent eius sententiam citati doctores.

6. *Missio de se duo importat, processionẽ, & manifestationem; & hanc principaliter.* Vt autem exacte intelligatur prædicta sententia, est obseruandum secũdo ex D. Seraphico vbi supra, quod missio de se duo importat, & quidem emanationem, seu processionẽ, & manifestationem: ex his autem duobus, principalius ex ratione suæ significationis, significat manifestationem; quod probat ex D. Augustino 4. de Trinitate. cap. 20. vbi dicit, quod mitti est cognosci esse ab alio: quia tunc Filius mittitur, cum ex tempore cuiusquo mente percipitur: quia ergo (resoluit sanctus D.) mittere principaliter importat manifestationem, & in persona missa connotat processionem: ideò manifestatio sumitur per hoc, quod est mittere per modũ actionis, & per hoc, quod est mitti per modum passionis: quia verò principale significatum horum verborum est manifestatio, non emanatio, ideò in hoc sensu conceduntur istæ, Filius mittit se, & Spiritus sanctus mittit se. Ac si dicat, quod mittere importat actionẽ totius Trinitatis, & eadẽ ratione Filius mittit se, qua tota Trinitas mittit Filũ, & similiter mittit Spiritum sanctum. Quia verò (subdit ipse Sanctus D.) tam

mittere

mittere quàm mitti, important emanationem circa missum, & persona Patris non emanat ab aliquo, similiter nec Trinitas: ideò persona patris nusquam legitur missa, nec ipsa Trinitas. Ex quo patet, quod mittere secundum D. Bonauenturam conuenit toti Trinitati: mitti verò non nisi personis procedentibus.

Mittere cõuenit Trinitati, mitti personis productis.

7

Porrò est 3. obseruandum, quod diuina persona mittitur, tàm visibili, quàm inuisibili visione (vt in difficultate sequenti patebit) & ideò vtraque missio cum sit aliquis effectus adextra, duo importat, & quidem personam procedentem mitti, & mitti ad talem effectũ, verbi gratia, mittitur verbum ad terminandam naturam humanam in incarnationis mysterio: vbi reperiuntur, & persona quæ mittitur, quæ procedit à Patre: & effectus ad quem mittitur, quia est incarnatio. Ita igitur duo dicunt respectus ad sua principia; nam persona missa quatenus procedens, dicit relationem ad Patrẽ, à quo procedit: opus autem incarnationis, ad quod talis persona mittitur, dicit respectum ad principium, à quo est: & quia est à tota Trinitate: quia est opus adextra, quod indiuisibiliter à tota Trinitate producitur: dicit respectum ad totam Trinitatem: ex quo duplici respectu summitur duplex ratio missionis. Nam vel persona Filij considerator, vt missa, secundum quod cõnatur eius processio, & sic tantùm mittitur à Patre, ad quem refertur, & à quo procedit: vel considerator penes effectum, secundũ quẽ attenditur missio: & sic tota Trinitas est quæ mittit (vt etiam tenet D. Thomas loco citato) & quia Verbum simul cum alijs personis Trinitatis, est principium talis effectus; iduò dicitur secũdum istam considerationem se ipsum mittere in eo sensu, quo tota Trinitas dicitur mittere illud.

Persona mittitur visibili, & inuisibili visione.

Incarnatio dicit respectum ad totam Trinitatem, tanquam opus ad extra.

8.

Ex quibus collige, quod si Pater carnem assumeret: non diceretur propterea missus: quia etiam si tota Trinitas esset principium effectus incarnationis illius: nihilominus, quia persona incarnata non esset producta, nec procedens, deficeret sibi vna ex duplici ratione, ad missionem requisita, nempe processio; & ideò missio ibi esse nõ posset. Secundo collige, non requiri quod persona missa hoc modo specialiter mittatur ab illa persona, à qua procedit: sed sufficere, quod ab aliqua persona, procedat, etiam si specialiter nõ mittatur ab illa: nam Filius in hac consideratione iuxta D. Augustinum dicitur missus ab Spiritu sancto, & tamen non procedit ab illo. Cuius ratio est, quia licet mitti sit quid notionale, & ideò non omnibus personis, sed aliquibus, videlicet illis, quæ procedunt, potest competere: & nihilominus mittere est quid commune, & essentiale, & ideò omnibus æqualiter conuenit. Quãobrem non magis dicitur Filius missus à Patre, quàm à se, aut ab Spiritu sancto sicut appropriatè opus incarnationis Spiritui sancto attribuitur.

Persona missa non requirit procedere ab ea persona, à qua mittitur.

§. 2.

Statuuntur conclusiones, & soluuntur argumẽta.

9.

1. Concluſ.

His præhabitis difficultatem cõcludendo dico primo, quod sumpta missione pro emanatione, seu processione diuina, persona non mittitur, nisi ab illa persona, à qua procedit. Conclusio hæc est expressa Doctoris in primo art. & in 2. tenet D. Bonauentura, & D. Thomas. Quæ probatur tribus rationibus positis in principio huius difficultatis, & argumentis textualibus in principio 2. art. collocatis.

10.

2. Concluſ.

Dico secundo, quod sumpta missione pro manifestatione connotante processionem personæ procedentis, licet mitti necessario conueniat personis procedentibus: mittere nihilominus conuenit Deo, vt Deus est, seu toti Trinitati. Conclusio similiter est Doctoris, & D. Bonauenturæ, & D. Thomæ. Quæ probatur 1. nam missio idem est, quod temporalis donatio: sed tẽporaliter dare conuenit toti Trinitati, quia tota Trinitas dat Spiritum sanctũ, vt dicit D. Augustinus 4. de Trinitate cap. 20. ait enim: quod mitti à Patre Filius sine Spiritu sancto nõ potuit: ergo missio Filij cõuenit Spiritui sancto, &

D. Auguſt.

eadē ratione missio Spiritus sancti cōuenit Filio, & toti Trinitati. Nec valet solutio in textu posita, quod scilicet D. Augustinus loquitur de Christo homine misso, non autem de Verbi persona: nā missio est qua mittitur persona Verbi ad carnem sumendam: ergo præsupponitur persona missa, vt missa ad humanitatē: ergo non potest intelligi missio Filij de Christo vt homine, sed de ipso vt Deo. Secundo probatur: quia missio de principali significato, est manifestatio personæ procedentis: sed non magis manifestat personam procedentem illa persona, à qua procedit, quàm tota Trinitas: si quidem talis manifestatio est actio adextra toti Trinitati conueniens: ergo non magis competit mittere personæ producenti, quàm toti Trinitati.

3. *Concluſ.* Dico tertio; loquendo in sensu conclusionis 2. quod quælibet persona procedens dicitur mittere se ipsam. Cōclusio est manifesta, quia tota Trinitas dicitur mittere personam procedentem: sed persona procedens includitur in Trinitate: ergo persona procedens dicitur mittere se ipsam.

12. *Ad argumēta, & ad primum.* Ad argumenta, & ad primum respondeo, quod omnis actio ad extra non cōpetit alicui supposito in particulari, sed toti Trinitati, seu immediatius huic Deo individuo deitatis: licet quandoq; apropriatè alicui personæ peculiariter attribuatur. Vndè quādo dicitur nobis esse datum Christum iuxta illud Hymni *Nobis datus, nobis natus, &c.* Hæc datio non refertur ad aliquam peculiarē personam, sed ad Deum vt sic, seu ad totā Trinitatem, tanquam ad causam effectiuam incarnationis: in qua & includitur Verbum procedens à Patre, & eiusdem Verbi incarnatio, qua manifestatur visibiliter persona procedens. Hæc autem duo respiciunt distincta principia; nam Verbum respicit Patrem vt principium notionale: incarnatio verò, sub qua mittitur Verbum, respicit totam Trinitatem, vt principium commune, & essentiale: & in Trinitate respicit Verbum ipsum. Dico ergo, quod persona missa distinguitur relatiuè ab eo, à quo mittitur: & sic Verbum distinguitur à Patre, & incarnatio, sub qua mittitur, distinguitur à tota Trinitate tanquam effectus à sua causa, & consequenter ab ipso Verbo: & sub hoc sensu dicitur, quod vna persona mittit se ipsam, hoc est, causat illud, quo manifestatur ipsa, & vt sic non inconuenit ad se ipsam se manifestantem referri, sicut refertur ad totam Trinitatem manifestantem se.

Actio ad extra non cōpetit speciali personæ, sed toti Trinitati.

12. Ad Secundum dico, quod ad missionem passiuam duo requiruntur, vt suprà notauimus. Primum est, quod persona, quæ mittitur ab alia procedat: secundum verò, quod manifestetur eius processio. Primum deficit Patri: & ideò etiam deficit secundum, quia cum Pater non procedat ab alia persona, nō potest manifestari, vt procedens: ad missionem verò actiuam non requiritur actiua productio, sed actiua manifestatio. Vnde licet Spiritus sanctus nullam personā producat: potest nihilominus aliam personam manifestare, eo quod manifestatio est actus ad extra toti Trinitati conueniēs: & sicut tota Trinitas potest manifestare Verbum incarnatum, seu Spiritum sanctum in columbæ specie, &c. sic ipse Spiritus sanctus in Trinitate inclusus, potest & Verbum & se ipsum manifestare.

Ad secund. *Missio passiua duo requirit.*

14. Ad Tertiū respōdetur per solutionē primi argumēti, quod in missione verè notatur distinctio: personā autē in suo esse, quod est manifestatio, à se ipsa distingui nō incōuenit: quia manifestatio est aliquid ad extra, & cōsequēter bene ponit distinctionē inter mittētem & missum, vt ibi ostendimus.

Ad tertiū

DISTINCTIO XVI.

Nunc de Spiritu Sancto, &c.

Quæst.

QVAESTIO VNICA.

De missione visibili Spiritus Sancti.



IRCA distinctionem decimam sextã, quæritur, vtrùm conueniat Spiritui sancto missio visibilis? Et circa hoc quæritur vnum.

ARTICVLVS Vnic.

Vtrùm Spiritus Sanctus possit visibiliter mitti?



A. D vnicum articulũ sic proceditur, videtur, quod Spiritus Sanctus non possit visibiliter mitti, *quia* Augustin. 4. de Trinit. cap. 9. & ponitur in litera) *dicit*, fateamur Filium minorem factũ & in tantum minorem, in quantum factum: & tantum factum, in quantũ missum: igitur Filius est hic, qui est sic missus visibiliter: quia de illo ibi loquitur, quod sic est minor: igitur si Spiritus Sanctus, sic mitteretur à Patre, & Filio, esset minor Patre, & Filio, quod non conceditur.

B. Secundo præterea: si Spiritus sanctus mitteretur visibiliter, aut cõcurrit cũ ea missione reuelatio interior, aut non. Si non: frustra fieret missio exterior in aliquo visibili signo: quia tunc ad nihil esset. Si autem concurrat reuelatio interior: tũc frustra fieret missio, vel apparitio exterior visibilis: quia tale signum sensibile exterius distraheret à reuelatione interiori: cũ occupatio circa exteriora, distrahat intellectum ab interiori cõsideratione.

C. Sed contra est Magister in litera, & allegat Augustin. & Ioannem cap. 14. cum venerit ille Paracletus veritatis. Et iterum ibidem, si enim abiero, mittã vobis eum, vbi loquitur de missione temporali.

D. Respondeo dicendum, quod cum personam mitti, sit eam manifestari procedere: vt patet alibi quæst. præcedẽte: & missio passiua visibilis est cum signo sensibili cognosci personam procedere, quod quidem signũ oportet esse cõueniens ad manifestandum suam processionem: ergo cum Spiritus sanctus possit manifestari procedere, signo sensibili conuenière suę processioni sequitur, quod Spiritus sanctus poterit visibiliter mitti. De missione verò sensibili Filij, quæ fuit per incarnationem, dicetur in tertio libro. *Dist. 1.*

E. Ad primum argumentũ dicendũ, quod nõ est simile: quia Spiritus sanctus non vnit sibi naturam signi sensibilis, quo ipsius processio manifestetur: & ideò non oportet, quod illa, quæ conueniunt naturæ talis signi, quod conueniãt Spiritui sancto: sed Filius vniuit sibi naturam humanam in vna persona: & ideò quæ dicuntur de ista natura, verè dicuntur dẽ diuino supposito sustentificante illã naturam. Vnde Filius potest dici minor Patre ratione naturæ assumptæ, non sic autem Spiritus sanctus: quia non habet in tali natura esse speciali modo, nisi sicut in signo.

F. Ad secundum concedo, quod frustra esset reuelatio exterior, nisi concurreret illustratio interior, & reuelatio talis: quia illa apparitio exterior nõ est, nisi quoddam signum sensibile repræsentans tale significatum ex institutione humana ad placitũ, & non ex natura: quæ æquè posset,

quantum est ex se aliud significare, sicut illud, si placeret instituenti, etsi non esset reuelatio interior, nō cognosceretur per talem apparitionem exteriorem: non enim potest signum sensibile ex institutione cognosci, quod significet ex ratione repræsentatis, vel repræsentatiui, nisi cognoscatur per repræsentatum, per repræsentatiuum.

G. Ad probationem dico, quod licèt intellectus distrahatur ab intelligēdo, quādo occupatur sensus circa sua sēsibilia, alia à suo intelligibili, quod ibi intelligit: quia sic potētiæ se inuicē impediunt, nec mutuo se iuuāt in actibus: tamen quando sensus occupantur circa singulare sensibile, cuius vniuersale per speciem intelligitur: vt videlicet quādo sensus sentit illud obiectum, quod phantasiatur, & intellectus intelligens non distrahitur: tunc intellectus maximè confortatur: quia tunc potentiæ circa idem obiectū, sibi administrant eius præsentiam, vt à qualibet secundum eius propositionem apprehendatur. Hoc patet in exemplo, quando volumus colere Christum, & passionem eius compati: facilius eam contēplamur, si imaginem crucifixi frequentius intuemur, & ex tali intuitione, talis species in phantasia generatur: & hoc totum est modo propter ordinem naturalem potentiarum primarum in agendo. Prophetæ vero erant distracti per sensibilia: nec eos sensibilia multum iuuarent ad prophetiā: quia non erant eis conuenientia: nā talia parum faciūt ad reuelationem, quæ est de his, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. quæ hominibus enarrare non licet secūdū Apostolum Cor. 13. sed erat aliquod sensibile eis præsens in imaginatione: quia, vt communiter, omnes prophetæ erant multū imaginarij, per Aug. 12. super Genes. quare, &c.

Expositio art. vni. quæst. vnic. distinctionis 16.

SATIS clara est litera textualis. In ea autem notandum est de missione visibili olei à Doctore, præquiri signū sensibile conueniens, & proportionatum suæ processioni, vt per illud persona procedens visibiliter in tempore manifestetur. Nā quia Verbi processio est natiuitas, iuxta illud Symboli Niceni, *& ex Patre natum ante omnia sæcula*: Sic manifestatio processionis huiusmodi, fuit natiuitas temporalis secundum carnem: & sicut æterna Verbi natiuitas ex duobus non fuit, sed tantùm ex vno, nempe ex Patre: sic temporalis natiuitas non ex duobus coniugibus, sed tantū ex vno fuit, nempe ex matre: & alia fuerunt insuper sensibilia signa in hac Christi natiuitate, quæ processionem Verbi manifestarunt. Item in missione visibili Spiritus sancti fuit signum sensibile proportionatū suæ processioni: nam sicut æterna eius processio fuit per modum amoris, & amor voluntatem inflammat: sic in forma ignis apparuit: nihil etenim ex creatis plus amorem significat quàm ignis.

DIFFICVLT. LXXVII.

Vtrùm personæ procedentes nō solum visibiliter, sed etiam inuisibiliter mittātur?

§. 1.

Proponitur ratio dubitādi, cū vera Scoti sententia, & eius fundamentis.

DE visibili missione veriusque personæ procedentis pertractat textus huius articuli: & ideò hac visibili missione suppositā, ad aliam inuisibilem peruenientes; quærimus, an etiam vtraque persona procedens inuisibiliter mittatur? Et videtur quod solum inuisibiliter mittatur Spiritus

ritus Sanctus: quod probatur. Primo: quia missio Diuinæ personæ est quædam processio, vt supra vidimꝰ, qua mittitur persona procedens ad sanctificationē animæ: sed missio Spiritus sancti ad hoc satis sufficit: ergo missio inuisibilis Verbi ad hoc superflueret.

2 Secundo, quia missio inuisibilis diuinæ personæ attenditur secundum dona gratiæ: ideò enim mittitur, vt per gratiā sanctificet creaturā beatificabilem: sed omnia dona gratiæ pertinent ad Spiritum sanctum: ergo inuisibiliter nō mittitur Verbum, sed solùm Spiritus Sāctus. Minor est D. Pauli 1. ad Chorin-
1. Corinth. tos cap 12. vbi dicit Apostolus: *Quod*
cap. 12. *omnia operatur vnus atque idē Spiritus diuidens singulis prout vult.*

3 Tertiò, quoniam missio diuinæ personæ fit secundum gratiam gratum facientem: sed dona, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, non sunt dona gratiæ gratum facientis, cùm sine charitate possint haberi iuxta illud Pau-
1. Cor. 13. li 1. ad Chorintos 13. *Si habuero Prophetiā & nouerim mysteria, omnia, & omnē scientiā & si habuero omnē fidē, ita vt montes transferam, charitatē autem nō habeā, nihil sum.* Tū sic: sed si Verbū mitteretur, eius missio esset proportionata suæ processioni, quæ est per intellectū: ergo mitteretur tantū, vt perficeret intellectū: ergo nō mitteretur secundū gratiam gratum facientē, aut secundū charitatē, quæ ad intellectum non pertinet.

4 In oppositum autem est litera textualis in art. 2. quæst. vnicæ dist. 14. vbi sub
Vera sentē tia Scoti. litera F. hæc profert Doctor. *Mitti est manifestari personā procedere.* Vbi non magis loquitur de missione visibili, quàm de inuisibili: nec nō magis procedit Spiritus sanctus, quā Filius: ergo non minus mittitur Filius inuisibiliter, quā Spiri-
D. Bonau. tus sanctus. Sententia hæc est cōmunis, tenet illa D. Bonauētura in 1. dist. 15. q. 4.
D. Thom. §. *De missione Filij, & Spiritus sancti.* Et D. Thomas 1. part. quæst. 43. art. 5.

5 Pro cuius intelligētia primo obseruare oportet, difficultatem istā de missione inuisibili posse iuxta duplicem sententiā
Missio quid importet. in 1. & 2. articulis præcedētis distinctionis notatam, resolui: vel enim tenendū est, missionem notionalem esse nō solū ex parte personæ missæ, sed etiā ex parte personæ mittentis; & sic mittere pō-

toti Trinitati, sed solùm personis producentibus conuenire: sicut in 1. art. resoluitur. Vel quidem est asserendū, quod quamuis ex parte personæ missæ missio sit notionalis: eo quod personæ tantummodo procedentes mittuntur: ex parte tamen personæ mittētis, sit essentialis: quia hoc mittere est toti Trinitati commune. In primo sensu expresse *D. Augus.* loquitur D. Augustin. 4. de Trin. cap. 20. propemedium, vbi ante quā prædictam difficultatē resoluat, primo statuit, quis mittat, & quis mittatur, hæc dicens loquēdo de missione Verbi. *Ab illo ergo mittitur Dei Verbū, cuius est Verbū: ab illo mittitur, de quo natū est: mittit, qui genuit, mittitur, quod genitū est.* Et infra ait. *Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est: ita Pater misit, Filius missus est. Sed quēadmodū qui genuit & qui genitus est: ita & qui misit, & missus est, vnum sunt: quia Pater, & Filius vnum sunt.* Et continuò loquens de missione Spiritus sancti, subdit: *ita etiam Spiritus sanctus, &c.* Vbi ad longum probat, Spiritum sanctum à Patre & Filio mitti.

Licet autē hæc sit expressa mens D. Au- 6.
gust. non inconuenit etiam difficultatem resoluere in secundo sensu. Quia ibi variatio sententiarū, non ex mentiū contradictione, sed ex varia acceptione missionis procedit, prout ex Doctore notauimus in præcedēti dificultate: nā alibi, scilicet loco à Doctore ibi allegato, oppositum docet idem D. Augustinus, nempe Spiritum sanctū mittere Filium & non est credendū Doctorem Sanctissimū sibi contradixisse: sed est hæc ratio diuersitatis in hæresiæ, quod scilicet quando accipit missionem pro processione: asserit personam producētem tantummodo mittere. Quando verò accipit missionem pro manifestatione personæ procedentis: tam Trinitatem mittere asseuerat. Verūtamen missionem secundum rigorem vocabuli, vt tunc includere, scilicet processionem personæ, & manifestationē personæ procedentis, expressit idem Augustinus loco citato, dum ait: *Non ergo eo ipso, quod à Patre natus est, missus est Filius; sed vel eo quod apparuit hunc mō do Verbum caro factum, &c.* Quibus verbis vtrunque ad missionem requiri concludit.

Hoc igitur præsupposito de vero 7

intellectu missiones diuinarum personarum, secundo obseruandum est, dupliciter mitti diuinas personas procedentes, scilicet visibiliter, & inuisibiliter. Vtrãque istã missionẽ enucleauit D. Augusti. eodem lib. 4. de Trin. cap. 20. prope mediũ hæc dicens. *Missus dicitur Filius, vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum: vnde dixit exiui à Patre, & veni in mundum: vel eo quod ex tempore cuiusque mente percipitur. sicut dictũ est, mitte illũ* (id est sapientiã) *vt mecũ sit, & mecũ laboret.* Vbi Verbi Æterni duplicem nobis missionẽ ostendit, vnã quidẽ visibilem, & alterã inuisibilẽ. Prima fuit, quando *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei*, vt Paulus dicebat ad Titũ ca. 3. nam Verbũ æternũ caro factum in tempore visibiliter manifestatũ est nobis. Secundam verò scilicet inuisibilẽ, inquit Augustinus esse, quando ex tempore intellectu cuiuscũq; fidelis percipitur verbum esse natum à Patre. Nã cum manifestatio personæ procedẽtis, sit propriè missio: tũc inuisibiliter (hoc est insensibiliter) manifestatur Verbũ à Patre procedere, cum mens fidelis desuper illustrata per fidem aut reuelationem percipit Verbum productũ esse à Patre, vel etiã Theologice percipit modum talis processionis. Nam vt paulo antea idem Augustin. hãc inuisibilem missionẽ difinierat: non solum fidei perceptionem, sed theologicam etiam illustrationem, aut forte eleuatissimam Dei reuelationem causat in intellectu hæc inuisibilis missio Verbi.

persona visibiliter, & inuisibiliter mittitur

Ad Titũ.

8. Hæc nãque exprimit D. August. ibi loquendo de inuisibili Verbi missione. *Et tunc vnicuique mittitur, cum à quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci, & percipi potest; pro captu, vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis.* Quæ verba manifeste declarãt nõ quãcunq; Verbi procedẽtis notitiã sufficere, vt Verbum dicatur mitti ad intellectum percipientem: sed illam, qua cognoscitur Verbum, quantum cognõsci, aut percipi potest iuxta capacitatẽ, vel perfectionis animæ rationalis iuxta subtiliorẽ intellectum, qui Theologice perfectius capit Verbi processionẽ: vel animæ melius proficientis in Deũ, hoc est animæ iustæ, cui Deus liberaliter reuelat mysteria. Nam sicut dicitur Sapiẽtiæ cap. 1. *In maleuolam animam nõ introibit sapientia*, quæ est Verbum, iuxta communem expositionem, & præsertim Diui Thomæ 3. part. quæst. 27. art. 4. in corpore. Sic per oppositum in animã iusti per reuelationem diuinitus mitti tur sapientia, hoc est Verbum, & ab eo percipitur, quantum percipi potest, pro captu animæ proficiẽtis in Deum.

Sapientiæ cap. 1.

D. Thomas

9 Hæc igitur est inuisibilis missio Verbi, cuius effectus est illustratio intellectus creati in cognitione, & perceptione perfecta Verbi procedentis à Patre. Et iuxta hunc sensũ D. Thomas intellexit verba Augustini, 1. part. quæst. 43. art. 5. ad primũ, vbi inquit, quod hæc visibilis missio Verbi est ad intellectum: quia per appropriationẽ atribuuntur Filio illa dona, quæ pertinent ad intellectũ. Verum hæc missio (vt credo) non est appropriata, sed vera; quia quæ appropriate dicuntur vni personæ competere, verè formaliter toti Trinitati cõueniũt. Atque licet mittere competat toti Trinitati: minime tamen illi, aut Patri potest competere mitti: quia mitti necessario connotat processionẽ personæ: Pater autem, aut tota Trinitas non procedit. Vnde licet stando in opinione Magistri, qui dicit totam Trinitatẽ mittere, possumus dicere, hoc mittere appropriatè tribui Patri: non tamẽ possumus dicere Patri, aut toti Trinitati posse competere mitti propter dictam rationẽ. Si igitur mitti non verè conuenit Trinitati, nõ appropriatè conuenit Verbo, sed verè: quia verè procedit, & verè manifestatur, & ideo verè mittitur. Vnde non admitto illam appropriationẽ referendã esse ad illud mitti: bene tamen potest referri ad illã cognitionẽ seu perceptionẽ intellectus; quia est effectus ad extra, & necessario toti Trinitati cõueniens. Vnde intellectus verè à tota Trinitate illustratur ad cognitionẽ Verbi procedẽtis à Patre: & hæc illustratio est quæ appropriatè tribuitur Verbo: appropriatè quidẽ, quia licet sit à tota Trinitate, eo tamẽ quod pertinet ad intellectũ, Verbo per intellectum procedenti appropriatur: verè tamen ipsum Verbum notionaliter mittitur ad hãc illustrationẽ intellectus: & ideo respectu missionis passiuæ ipsius, non appropriatè, sed verè mittitur Verbum,

ve

vt ab alijs personis condistinctum.

10. *D. Augus. Missio Spiritus sancti est duplex.*

De missione verò Spiritus sancti, alias duas missiones ponit idē D. Aug. in eodē lib. 4. de Trinitate cap. 20. propè finem, vbi ponit missionem inuisibilem Spiritus sancti, præcessisse eiusdē visibilem missionem: nam visibilis missio fuit, quādo Christus post Ascēsionē suam misit Spiritum visibiliter super Apostolos in ignis linguis. Inuisibilis verò, fuit alia ante Ascensionem, quādo sic liter insufflauit in eos dicens, *Accipite Spiritum sanctum*, Ioannis cap. 20. *Ioann. 20.* Hæc namque inquit, de his duabus missionibus Augustinus. *Quis enim dementissimus dixerit alium fuisse Spiritum, quē insufflās dedit, & alium, quem post Ascensionem suam misit, vnus enim Spiritus est, Spiritus Dei Patris, & Filij, Spiritus sanctus: qui operatur omnia in omnibus: sed quod bis datus est, dispensatio certæ significationis fuit.* Et ibi latè declarat primam missionē istarū fuisse inuisibilem, scilicet per sufflatum: secundam verò visibilem. De prima patet nam dixerat antea: *Nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflās in faciem discipulorum ait: accipite Spiritum sanctū; nec enim status ille corporeus cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus sancti fuit: sed demōstratio per cōgruā significationem non tantum à Patre, sed à Filio procedere Spiritum sanctum.* Quæ verba benè ostendunt intentum. De secunda autem missione dicit infra: *De visibili autem demonstratione Spiritus sancti, siue per columbæ speciem, siue per linguas, igneas, &c.*

11 *Ioan. 19.*

Sed inquiri potest, quem effectum habeat inuisibilis missio Spiritus sancti: nam de visibili ipse Saluator dicit Ioannis 19. cap. *Spiritus veritatis, quem Pater mittit in nomine meo, docebit vos omnem veritatem, &c.* & dedit linguas loquendi &c. de quibus plura habentur in Actibus Apostolorum. De missione igitur inuisibili quærimus ad quid sit, & quem effectum habeat in nobis? nam de Verbo iam vidimus, ideo mitti, vt intellectū in eius perceptione illustret. De Spiritu ergo sancto, dico, ad id inuisibiliter mitti, vt voluntatem in amore, & charitate inflamet. Hos duos effectus huiusmodi duabus personis inuisibiliter missis tribuit D. Thom. in citato art. 5. solutione. Ad secundū, dum inquit. *Non igitur secundum quamlibet perfectionem intellectus mittitur Filius: sed secundum talem institutionē, vel instructionem intellectus, qua prorumpat in affectū amoris.* Acsi dicat, quod Verbum missum, non tantum speculatiuè instruit intellectum ad speculatiuā perceptionem sui: sed quod practice instruit intellectum, & illum reddit directiuum voluntatis ad eliciendū amorem, & dilectionem obiecti sic cogniti, & percepti: ad quod adducit illud Psalmi *In meditatione mea exardescit ignis.* *D. Thom.*

Ex quibus, solutione ad tertium, comparat D. Thomas has duas inuisibiles missiones, scilicet Verbi, & Spiritus sancti, & cōcludit dicens, quod *Quatenus ad effectum gratiæ sic communicant duæ missiones in radice gratiæ: sed distinguuntur in effectibus gratiæ, qui sunt illuminatio intellectus, & inflamatio affectus.* Vbi clarè constituit duos effectus prædictarum missionum quas ait distingui, sicut distinguuntur, generatio, & spiratio: effectus igitur missionis Verbi, est intellectū, ad quē mittitur, illustrare: effectus verò missionis Spiritus sancti, est voluntatem inflamare. 12 *Comparatio missionum Filij, & Spiritus sancti.*

§. 2.

Statuuntur cōclusiones, & soluuntur argumenta.

HIS præhabitis difficultatē cōcludendo, dico primò, personas procedentes in Deo, non solum visibiliter, sed etiam inuisibiliter mitti. Conclusio est communis in vtraque scola, & probatur expressis auctoritatibus supra positis D. August. quibus & veritas confirmatur, & difficultas exponitur. 13. *Prima conclusio.*

Dico secundo, quod non minus mittitur Filius inuisibiliter, quàm Spiritus sanctus. Conclusio est etiam communis & probatur ex illo Sapientiæ cap. 9. vbi de Verbo, quod est sapientia genita dicitur: *Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ*, patetque ex D. August. qui verbis supra citatis, & alijs in prædicto lib. 4. de Trinitate cap. 20. satis probat conclusionem. 14 *Secunda cōclusio.* *Sapient. 9.*

Ad argumenta ergo, & ad primū respondeo, missionem diuinæ personæ nō esse præcisam processionem, sed mani- 15. *Ad arg. & ad primum*

festationem connotãtem personæ processionem, quod supra patet ex dictis numero 6. ex D. Augustino. Fateor tamen missiones vtriusque personæ distingui, sicut processiones earum distinguũtur: sed non ob id vna seu altera superfluit, quia habent distinctos effectus ad salutẽ hominis necessarios: qui sunt illustratio intellectus ad cognitionem Verbi procedentis, & inflamatio voluntatis ad amorem illius; qui vterque effectus est opus gratiæ, necessarium ad salutem. Nam licet intellectus illustratus per verbum, dirigat voluntatem: ipsa tamen voluntas in ratione principij, eget inflamatione charitatis, quæ est effectus missionis Spiritus sancti ad eliciendum actum amoris, quo Deo modo perfectissimo sibi possibili vniatur.

16 *Ad secundum. Dona gratiæ cur Spiritui Sãcto attribuantur.*

Ad secundum, respondetur Spiritui sancto, eo quod donum est, attribui omnia dona gratiæ, in quantum sunt dona secundũ rationẽ doni. At vero secundũ rationes propriasspeciales, nonnulla etiam Verbo attribuuntur: & præsertim dona, quæ pertinent ad intellectũ. Quia ergo illustratio intellectus est effectus missionis Verbi: ideò hoc donum secũdum propriam rationem talis illustrationis attribuitur Verbo.

Ad tertium dico, illustrationẽ intellectus in cognitione personæ procedẽtis, etiam pertinere ad gratiam gratum facientem: non enim solũ habitus gratiæ, seu charitatis, est gratia gratum faciens: sed omnis habitus supernaturalis pertinens quomodolibet ad sanctificationẽ animæ dicitur gratia gratũ faciẽs, prout distinguitur à gratia gratis data: quæ nõ in propriam sanctificationẽ, sed in ordine ad alterius vtilitatem datur alicui: prout late in quæstionibus de visione gratiæ, tractant Doctores. Sed esto quod gratia gratum faciens tantùm pro charitate supponeret: adhuc prædictæ duæ missiones ad hanc gratiam pertinent, si quidem illustratio intellectus in cognitione obiecti, est conditio, seu causa necessaria ad hoc, vt voluntas eliciat actũ amoris circa illud: nã in vniuersum est verum, quod nihil volitum, quin præcognitum. Non ergo potest voluntas diligere obiectum, quod non cognoscitur ab intellectu: & ideò iste duplex effectus, scilicet illuminatio intellectus, & inflamatio volũtatis, qui sunt effectus gratiæ, per hanc duplicẽ missionem, requiritur ad animæ sanctificationem.

Ad tertiũ. Omnis habitus supernaturalis quomodolibet sanctificãs dicitur gratia gratum faciens.

Annotatio ad distinctionem 17.

HAEC literalis, & textualis distinctio 17. hic in proprio loco collocãda erat, ne Scotici textus integritas, per articulos suo ordine distributa, huic libro deficeret: quia tamen plures, & profundissimas difficultates, vtpotè de Habitibus, de Charitate, de Merito, de Bonitate actus moralis, deque alijs pluribus, quæ varias Theologiæ materias concernunt, subtiliter comprehendit, quæ eo quod longe distinctos tractatus expostulãt, has quæstiones de Sanctissimi Trinitatis mysterio, longissima digressione interrumperet, & diuerteret, ac volumen istud nimia magnitudine redderet onerosum: ad tertium huius primi libri Sententiarum tomum remittitur, & consulto transferturibi namque ab ea sumitur exordium, vbi commodius & exactius, plura, quæ ad ipsius distinctionem pertinẽt, perstringũtur. Hic igitur, nec articulorum commentarios, quinimo, neque ipsos textuales articulos adijcio: ne hic, illicque fastidiosa eorundem repetitio fiat: sunt ergo sub distinctione 17. tres quæstiones quarum prima octo articulos comprehendit: secunda vero decem amplectitur: tertia tandem est per nouem articulos distributa, quos quidem omnes in principio tomi tertij textualiter, & nostris commentarijs explanatos, cum difficultatibus eorum literam concernentibus, diuino fouente numine, fœliciter collocantur.

DIS-

DISTINCTIO XVIII.

Prætereà, &c.

QVÆSTIO VNICA.

De proprietate Spiritus sancti, in quantum donum.

CIRCA istam distinctionem decimam octauam in qua Magister agit de temporali processione Spiritus sancti, quantum ad proprietatem, per quam temporaliter procedit, quæritur, vtrùm scilicet donum dicat proprietatem personalem Spiritus sancti? Circa quod in ordine ad rem in se, & ad intentionem Augustini, quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrùm donum sit proptietas personalis Spiritus sancti?

¶ Secundò. Vtrùm donum esse proprietatem personalem Spiritus sancti sit contra intentionem Augustini?

ARTICVLVS I.

Vtrum donũ sit proprietas personalis Spiritus Sancti?

A. AD primum sic proceditur, videtur, quod donũ non sit proprietas personalis Spiritus sancti: quia si Spiritus sanctus ex sua proprietate personali dicatur donum, cum per Spiritũ sanctum dentur dona, per donum daretur dona: sed hoc videtur impossibile: quia donum includit rationẽ donabilis: igitur si includeret rationem donantis, includeret relationes oppositas, scilicet dantis, & dati. Hoc sit quantum ad primam quæstionẽ Magistri, an per Spiritum sanctum donum donentur dona?

B. Secundo prætereà sic: si Spiritus sanctus ex proprietate sua sit donũ: ergo ex proprietate sua est donabile: quia omne donum est donabile. Quæro, cui sit donabilis? nõ Patri, & Filio, certum est: igitur creaturæ: sed hoc est falsum, scilicet quod dicatur donum ab æterno ex sua proprietate personali: quia donabilis creaturæ: quia tũc eadem ratione Filius diceretur donum: quia ab æterno processit à Patre, vt donabilis creaturæ. Vnde dicitur in Isaia, Filius datus est nobis, &c. Hoc quantum ad terciam quæstionem Magistri: vtrùm Spiritus sanctus sit donabilis Patri & Filio, vel tantum nobis?

C. Tertiò prætereà sic, proprietas personæ procedentis dicit processionem, qua accepit essentiam: ergo si donum sit proprietas personalis Spiritus sancti: donum dicet processionẽ eius, qua Spiritus sanctus procedit, & accepit essentiam: sed donũ non dicit nisi donationem, quæ non competit Spiritui sancto ab æterno (cum non prius daretur, quàm esset cui daretur) ergo processio eius non esset ab æterno, quod est falsum.

D. Quarto prætereà sic, inter dantẽ & datũ est relatio: sed Spiritus sanctus dat donũ: ergo si ex proprietate sua personali sit donum: igitur Spiritus

sanctus referretur ad se secundū relationē donantis,& donati,siue dātis &dati:sed nulla relatio realis,vel personalis est eiusdem ad se: ergo, &c. hoc sit quantum ad quintam quæst. Magistri, an Spiritus sanctus referatur ad se ipsum.

E. Sed contra est,quod Augustin. 4.de Trinit.cap.20.inquit:sicut enim natum esse est Filiū à Patre esse,ita missi est Filio cognosci,quod ab illo sit: & sicut Spiritui sancto donum Dei esse,est à Patre procedere:ita missi est cognosci,quod ab illo procedit: & sequitur, nec possumus dicere, quod Spiritus a Filio non procedat: ergo Spiritus sanctus eo est donum, quo a Patre Filioq́, procedit,& per consequens donum est proprietas personalis Spiritus sancti.

F. Respondeo dicendum, quod *hæc difficultas dupliciter potest tractari*, primo ad rem in se,secundo ad intētionem Augustin,*& de hoc secundo erit sequens articulus,circa primum autē: imo & circa vtrunq́*; hic dicitur, quod donum potest accipi tripliciter, siue equiuocè, sicut habere possumus ab Augustin. in auctoritatibus prædictis, *& in art.sequēti ponendis*. Vno modo aptitudinaliter.Secundo modo habitualiter.Tertiò modo actualiter.Tertiò modo loquitur Augustin. in prima auctoritate allegata de dono:secundo modo loquitur Augustin.5.de Trinit.cap.15.vbi inquit:vtrū ergo erat (suple donū) antequam daretur: sed nondum erat donum: aut eo ipso datum erat cum Deus: iam donū erit antequam daretur,&c.parū post respondit dicens:sed quia sic procedebat,vt esset donabile,iam donū erat, & antequam esset,cui daretur.Primo scilicet aptitudinaliter: donum dicitur,vt aptum natum est dari,vt ei nō repugnat dari,etsi in futuro non daretur,sicut loquitur Aug.in auctoritatibus ad oppositum,*sequenti artic. ponendis*: & isto modo donum habet rationem proprietatis personalis: vel est donū ex processione sua, scilicet in quantum donabilis.

G. Sed hoc non cōcedo, licet distinctionem approbemus,& quod sit falsum arguitur:quia proprietas personalis est ad intra,& non ad extra:sed donabilitas illa non est ad intra,sed ad extra, vt ad creaturam: quia non ad Patrem,nec ad Filium: ergo, &c. Probo maiorem:quia persona quælibet diuina habuit perfectū esse diuinum,& personale,antequā fuerit aliqua creatura: quia ex se est necesse esse: creatura vero in nullo esse, nec intra,nec extra est necesse esse, neq; in esse existētiæ, neq; in esse essētiæ, scilicet diminuto,siue intellecto.Ratio huius est: quia necessitas est conditio existentis:& tale esse abstrahit ab existentia: etiam hoc esset magis inconueniens, quàm si esset necesse esse in esse reali: sed quod est ex se necesse esse,prius est quā illud,quod est possibile,vel nō necesse esse:ergo in illo priori est persona tertia, siue eius processio:& non respectus eius dē ad creaturā: quia nō est intelligere aliquā relationē esse ad creaturā, nisi creatura esset,vel intelligatur esse:quia relatio requirit terminum simul cū ipsa esse. Secundo probatur maior sic: quia relatio rationis non per se includitur in persona diuina, quæ est ens reale:etsi includeret relationē rationis,esset ens rationis: etsi cū hoc plura realia includeret: quia cōstitutū sequitur debiliorē partē: sed relatio Dei ad creaturā,siue actualis,siue habitualis,siue aptitudinalis, est ens rationis: ergo,&c. Itē ad principale sic, vna persona non constituitur formaliter duabus relationibus distinctis:sed Spiritus sanctus per spirationē passiuā,quæ dicit respectum ad spirantes,cōstituitur in esse personali: sed si relatio aptitudinalis esset

neces-

necessaria ad hoc, ipsa esset alia relatio ab illa. Probo, tùm quia sunt ad diuersos terminos, tùm quia vna est realis, alia rationis.

H. Respondeo *ergo* primo ad rem in se, & quantum ad rem dico, quod nulla persona cõstituitur in esse personali per aliquem respectũ ad creaturam: nec aliqua proprietas personalis dicit respectum ad creaturam: imò quidquid est intrinsecũ in diuinis, siue absolutum, siue respectiuum in quocunque esse reali, siue intelligibili, abstrahitur ab omni respectu ad creaturã: & est prius quocunque esse creaturæ: ita quod si per impossibile, vel incõpossibile, nihil aliud à Deo posset esse in aliquo esse: nihilominus esset in Deo quidquid sibi conuenit ad intra secundũ quodcunque esse essentiale, vel personale: quia prius intelligitur tota Trinitas in esse personali, secundũ quodcunque esse, quam creatura intelligatur, secundum aliquod esse: quia quodcunque esse attribuitur creaturæ, siue reale, siue diminutum: illud est à tota Trinitate: & ideò creatura secundum quodcunque esse eius, necessario est posterior omni esse ad intra: & ideò nihil intrinsecum in diuinis includit necessario respectũ ad creturam, quæ est posterior: cuius respectus, quo Spiritus sanctus dicitur donum, sit ad creaturam: quia nõ esset donum nisi creaturæ, cui daretur: quia non Patri, nec Filio sic datur: sequitur quod donum nõ sit proprietas constitutiua Spiritus sancti sed tantùm spiratio passiua: quæ accipit esse à Patre, & Filio; quæ proprie significatur hoc nomine Spiritus sanctus in sensu cõpositionis, quidquid dicat August. 5. de Trinit. cap. 11. quod scilicet eius relatio magis appareat in hoc nomine donũ, quàm in hoc nomine, Spiritus Sanctus. Dico ergo, quod maximè apparet illius tertiæ personæ proprietas constitutiua hoc nomine, Spiritus sanctus, non intelligendo per Spiritum sanctum naturam intellectualem, vel spiritualẽ: quia sic, hoc nomen, Spiritus, est cõmune tribus personis: sed accipiendo Spiritum sanctum pro spirato volũtate vnica, & sancta Patris, & Filij: quia talis volũtas habẽs obiectũ infinitũ infinite dilligibile sibi præsens, est principiũ sufficiens producẽdi amorem infinitum, & perconsequens per se stãtem, qui spiritus dicitur. Est tamen sciendum, quod donum multipliciter potest accipi, *de quo in sequenti art.* *Nunc vero* intelligẽdũ est, quod donum dicit proprietatẽ personalem Spiritus sancti, per connotationem, & non secundũ suam principalem significationem: hoc per exemplum *in sequenti art.* declaratur. *Secunda cõclusio.*

Ad primum argumentum concedo, quod per donum dona dentur: quia per amorem, qui est primũ donum dãntur dona omnia, sicut, dicẽdum est *in sequenti articulo*. Ad probationem dico, quod non est oppositio in relatis, nisi accipiantur respectu eiusdem, non enim opponuntur in eodem paternitas, & filiatio, ita quod idem respectu diuersorum sit Pater & Filius: quia potest esse Filius Patris sui & tamen Pater Filij, quem generat: non tamẽ potest esse Filius Patris sui, & ipsius Pater: quia tunc idem produceret se, quod est inconueniens 1. de Trinit. cap. 1. Spiritus sanctus autem est donum, in quantũ connotat eius processionem personalem, & est similiter cum Patre, & Filio dator, vel donator cuiuslibet doni, quod datur creaturæ. Nec est hoc inconueniens, quod sit dans, & donum, vel datum respectu diuersorum. I. I. M. I

Ad secũdũ dicendũ, quod donabile dicitur vno modo, q̃ est aptum natũ donari: alio modo dicit idẽ, quod K.

Prima cõclusio.

est

est posſibile dari: nec ſunt iſta eadē: quia aliquod eſt poſsibile eſſe tale, quod tamen non eſt aptum natū eſſe tale: lapidem enim eſt poſsibile ferri ſurſum, & tamen non eſt aptus natus eſſe ſurſum, nec habet ad hoc aptitudinem: corpus etiam neutrum, quod nec de ſe eſt natū ferri ſurſum, nec deorſum, vt corpus circulare, poſsibile eſt deferri deorſum, & ſurſum. Secundum autem primum modum, perſona Spiritus ſancti habet ex proceſsione ſua, & à proprietate perſonali aptitudinem: quia Spiritus ſanctus procedit vt amor donabilis, non ſic Filius, ſed vt Verbum declaratiuum eſſentiæ Patris: & ideò non procedit Filius proprietate perſonali, vt habens aptitudinē, vt detur: procedit tamen penes ſecundum modū, vt poſsibilis dari à Patre & à Filio, & à Spiritu ſancto: & ita nō ſunt idem, vt patet in exemplo prælegato.

L. Ad tertium concedēdū eſt, quod Spiritus ſanctus præſtat eſſentiam ſine vllo temporis initio, de Patre Filioque proceſsio, ſicut dicit Auguſt. 15. de Trinit. & quod iſta proceſsio includatur in hoc nomine donum, nō vt principale ſignificatum, ſed vt connotatum.

M. Ad quartum dico, quod Spiritus ſanctus eſt datiuus ſui, quantum ad extra, ſed iſte reſpectus non eſt proprietas eius.

Expoſitio art. 1. quæſt. vnic. diſtinctionis 18.

1 ALITER in hoc primo articulo inueſtigat Doctor rationē doni, & qualiter Spiritui ſancto cōueniat eſſe donum, quàm in ſequēti. Ibi etenim D. Auguſtinum mentem circa hāc materiam ſpeculatur: hīc autem rationem doni ſecundum ſe, & qualiter Spiritui ſancto conueniat, ſcrutatur. Ad cuius intelligentiam prænotandum eſt, quod donum proprie eſt quædam datio irredibilis ſecundū Philoſophum 4. Topicorum, id eſt, quod non datur intentione retributionis, vt explicat Doctor, & D. Thom. 1. p. q. 38. art. 2. & ſic importat gratuitam donationem. Vnde donū importat habitudinem ad id quod donatur: quia nomina rebus, quas ſignificant, adaptari debent. Quod autem donatur, & ſignificatur per hoc nomē donum, importat habitudinem ad duo, ſcilicet ad illum, à quo donatur, & ad illū, cui donatur: nam neceſſariò ſupponit aliquem, cuius ſit: quia non daretur ab aliquo, niſi eſſet illius: & ideò dicit habitudinem ad illum, cuius eſt: non vt præciſe eſt eius, ſed quia eo quod eſt eius, datur ab eo. Item dicit habitudinem ad illud, cui datur: nam ideò ei datur, vt cuius ſit. Vnde reſoluitur, donum duplicē terminum reſpicere, ſcilicet terminum à quo datur, & terminum ad quem, ſeu cui datur.

Donum igitur ſic explanatum, diuiditur, prout refertur in textu, in aptitudinale, habituale, & actuali: ſed quocunq; modo accipiatur, concludit Doctor nō eſſe proprietatem conſtitutiuam Spiritus ſancti: neque eſſe ipſam relationem ſpirationis paſsiuæ, quam ſolummodo ait perſonam diuinam conſtituere. Cuius rationem apriori aſsignat: quia donum quomodolibet ſumatur, dicit reſpectum, ſeu habitudinem ad illud cui datur: ſed perſona diuina, & tota Trinitas prius intelligitur in eſſe perſonali, quàm creatura intelligatur ſecundum aliquod eſſe: ergo ratio cōſtitutiua perſonæ non poteſt dicere aliquem reſpectum ad creaturam: & ideò donum non poteſt intelligi, nec eſſe ratio conſtitutiua illius.

2 *Donum eſt triplex.*

Donum nō eſt ſpiratio paſsiua conſtitutiua Spiritus ſancti.

Qualiter autem intelligatur perſonam diuinam eſſe donum, patet quia perſona diuina dicitur eſſe alicuius, vel ſecundum originem, ſic Spiritus ſanctus eſt Patris, & Filij, à quibus datur: vel in quantum ab aliquo habetur: habere autē (vt inquit D. Tho. 1. p. q. 38. art. 1. in corpore) id, quod libere poſſumus vti, vel frui, ni volumus: & per hunc modū diuina perſona nō poteſt haberi, niſi à rationali creatura Deo cōiuncta,

3 *Habere aliquid, quid ſit.*

Definitio doni.

iuncta: & quia sola creatura intellectualis potest Deo coniungi fruendo illo, aut vtendo effectibus eius: ideò ad solã creaturam intellectualem dicit habitudinem hoc donum: quia sola illa potest haberi. Concludit igitur Doctor, quod donum dicit proprietatem personalem Spiritus sancti per connotationem, & non secundum suam propriam significationem, quod per exemplum declaratur in litera textuali sequentis art.

ARTICVLVS II.

Vtrùm donum esse proprietatem personalem Spiritus Sancti, sit contra intentionem Augustini.

A. AD secundũ sic proceditur, videtur, quod donum esse proprietatem personalem Spiritus sancti, sit cõtra intẽtionem Augustini. quia secundum Augustin. 15. de Trinit. cap. 19. Spiritus sanctus in tantũ donũ Dei est, in quãtum datur eis, quibus datur: sed non quia datur eis, quibus datur, habet suam proprietatem personalẽ: quia sic datur ex tẽpore: ergo ex sua proprietate personali, nõ habet quod sit donum: quia secundum eundem ibidem vbi supra, apud se (inquit) Deus est, etsi nemini detur: quia Deus erat Patri, & Filio coæternus, antequam cuicunque daretur. Hoc sit quãtum ad illam quæstionem, qua magister quærit, vtrùm Spiritus sanctus eadem ratione dicatur donum, & datum.

B. Secundo præterea sic: quo aliqua persona accipit essentiã, eo habet essentiã: sed Spiritus sanctus processione accipit essentiã: ergo processione habet essẽtiã: ergo eodẽ addito vtrobique, quo habet essentiã, eo est essẽtia: sed processione habet essentiam: ergo processione est essentia: quia si habet essentiã: est essentia: sic igitur sequitur, q̃ Spiritus Sanctus dono sit essẽtia: quod falsũ est: quia Spiritus sanctus non est eo donũ, quo Deus nec Filius, eo Filius, quo Deus; eo autẽ quo est Deus, est essentiã: ergo nõ eo essentia, quo procedit, nec eo donũ, quo Deus: hoc est, quod dicit Augustin. 7. de Trinit. cap. 1. de magnis.

C. Tertio præterea sic: donum habet relationẽ ad illud, cui datur, *vt videtur ex Augustin. vbi sup. 15. de Trinit.* igitur si Spiritus sanctus habet ex processione, quod sit donũ creaturæ, per cõsequens haberet, quod sit spiritus creaturæ: hoc falsum est: quia eadem ratione Filius esset Filius creaturæ, cum sit nobis datus. Et hæc ratio innuitur in 4. q. Magistri, an Filius possit dici noster, cum sit nobis datus, sicut Spiritus sanctus dicitur noster?

D. Sed cõtra est ipse Aug. 5. de Trini. cap. 2. sed tamen (inquit ille) Spiritus sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate, intelligitur in eo, quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relatiuè dicitur, cũ ad Patrẽ, & Filiũ refertur: quia Spiritus sanctus, & Patris, & Filij Spiritus est: sed ipsa relatio nõ apparet in hoc nomine: apparet autem cũ dicitur donum: dici donum enim est Patris & Filij: quia & à Patre & Filio procedit: hæc ille: ergo *iuxta intentionẽ Augustini*. donum est proprietas personalis eius secundum quam à Patre Filioque procedit.

E. Respondeo dicendũ: ad intẽtionẽ Augustini. & propter auctoritates eius est sciendũ, quod donũ multipliciter potest accipi: vno modo potest donũ dici quodcunq; liberaliter productũ: & sic dare nihil aliud est, nisi liberaliter producere, & dari liberaliter produci: & isto modo potest concedi Spiritum sanctum ab æterno datum esse, & donum: quia ab æterno spiratur: & sic donum non dicit, nisi proprietatẽ personalẽ: quia ab æterno Spiritus sanctus est spiratus. Vnde sic dare, & dari nihil aliud est, quã spirare, & spirari: & sic nõ loquũtur sancti de dono: nã concedũt ipsum esse

donum

donũ ab æterno, sed nõ dari ab æterno: quia ipsum dari ab æterno includit creaturam, cui datur fore ab æterno, non enim potest aliquid dari, nisi sit illud cui datur. Alio modo potest intelligi per donũ, amor concors Patris & Filij, quo Pater impendit amorem Filio, & ille rependit amorẽ eũdem, quomodo loquitur Ricard. 3. de Trinit. de amore: & sic non intendit hic August. loqui de dono: quia sic donũ, quod idem est, quod amor, est mere essentiale, secundum vnam opinionem, vel mere personale, secũdum aliam opinionem.

F. Et ideò dico, quod donũ per se aliquid vnum principaliter significat, & aliud ex consequenti connotat, & sic est vniuocum, significat enim per se respectũ rationis ad creaturam, & tunc significat aliquid essentiale: & nõ per se, vel principaliter significat proprietatem notionalẽ alicuius personæ: cõnotat tamẽ notionalẽ, vt superius de dari dictũ est. Vel si dicatur ℣ significat vtrũq; per se: tũc erit æquiuocũ, & nõ significat per se vnũ. Supponendo tamen, quod significat aliquid per se: dico, ℣ primo, & per se significat respectum donabilitatis ad creaturam, vel donatiui, vel donandi: quia donum potest tripliciter accipi respectu creaturæ, vt dixit prior opinio *in art. præcedenti*, & in hoc bene: sed tamẽ cõnotat proprietatẽ tertiæ personæ procedentis à Patre & Filio: quia amor est verus ex vi processionis suæ: & sic ve: è libere donum: inter enim omnia dona dantis, primum donum, quod datur, & quis quis dare potest, est amor eius, quem primo dat amato, qui est ratio cuiuscunque alterius doni: nihil enim habet rationem doni, nisi in quantũ cadit sub actu amoris: non enim cultellus, vel rosa, neque aliquid exterius habet rationẽ doni, vel meretur nomen doni, nisi quia communicatum amicabiliter acta amatorio voluntatis: ideò omnia dona dicuntur talia ratione amoris dantis, etsi non recipientis: Spiritus autem sanctus ex vi processionis suæ, est primus amor, & infinitus, & procedens per actũ amoris à Patre, & Filio eũ liberaliter producentibus: & ita donum, si sit essentiale per se significans respectum ad creaturam, connotabit tamẽ necessario proprietatẽ Spiritus sancti, qui est primus amor essentiæ procedens à Patre & Filio per actum amoris.

G. Et sic intelligendę sunt auctoritates August. superius ad partẽ oppositã allegatę, quod donũ dicat proprietatem personalẽ Spiritus sancti per connotationem, & non secundũ suã principalem significationẽ. Hoc per exemplum declaratur: hoc nomẽ dator non significat primo respectum virtutis spiratiuæ Patris & Filij: sed primo significat respectum rationis ipsius ad creaturam cõnotando processionem passiuã, vel proprietatẽ personalẽ Spiritus sancti, per respectum tamen ad virtutem spiratiuam, per quam producitur primus amor spiratus infinitus. Eodẽ modo donũ non primo modo significat proprietatem personalem Spiritus sancti. *Conclusio.* .A

H. Ad primum argumentũ patet respõsio per ea, quæ dicta sunt: quia donum non primo significat proprietatem personalem Spiritus sancti: nam in tantùm est donum, in quantum datur eis, quibus datur: & ita per se significat respectum ad creaturam, cõnotat tamen proprietatem Spiritus sancti.

I. Ad secundum dicendũ, quod illa est falsa, quo Spiritus sanctus habet essentiam, eo est Deus: quia processione habet essentiam, non tamen ea est Deus: nã non eo Pater, quo Deus: neque eo Spiritus sanctus, quo Deus: sicut patuit superius per August. Filius etiam natiuitate habet essentiã, non tamẽ nascibilitate est Deus: sed Deitate. Et cum probatur, personam habere

habere essentiã est ipsam esse Deũ: ergo eodem addito vtrobique, quo persona habet essentiã, eo est Deus. Nego consequentiam, sed est fallacia figuræ dictionis, penes primum modum: nam ablatiuus, quãdo cõstruitur cum eo, vel in ratione principij actiui, vel in ratione actionis, & fieri: vt lignũ habet esse calidum calore, veligne: ibi iste ablatius, calore significat, quod calor habitus in ligno sit principiũ calefactionis in ligno: cùm vero dicitur, lignum habet esse calidum calefactione, construitur ablatiuus in ratione factionis, & fieri. Sed cùm ablatiuus construitur cum verbo substantiuo, construitur cum eo, in ratione principij formali essendi: vt cum dicitur, lignum est calidum calore, Et ita in proposito, Spiritus sanctus habet essentiam processione: construitur ablatiuus cum verbo in ratione actionis, quasi in esse, & fieri: sed cum dicitur, processione est essentia, & Deus, significat ibi, quod processio sit formalis ratio, qua est Deus: quod non est: & sic est ibi fallacia figuræ dictionis ex simili terminatione. K.

Ad tertium dicendum, quod Spiritus sanctus dicitur donum creaturæ, & spiritus noster, secundum illum respectum, quem cõnotat ex sua processione: quia sicut donũ primo significat respectum ad creaturam, cõnotando tamen æternam processionem: ita è conuerso, Spiritus sanctus primo significat processionem æternam, vel personam illam constitutã, connotando respectum aptitudinalem ad creaturam. Filius autem ex processione sua non significat, nec illum connotat: quia naturaliter, & non per modum doni procedit: erit enim non quomodo datus: sed quomodo natus. Augustin. 5. de Trinitate cap. 14.

Expositio art. 2. quæst. vnic. distinctionis 18.

LITERA huius articuli est satis perspicua: in qua Doctor clare enucleat doctrinam præcedentis: & eam D. Augustini esse concludit, siquidem iuxta illam, eius auctoritatis exponit. Vtriusque tamen articuli clarior redditur doctrina ex difficultate sequenti.

DIFFICVLT. LXXVIII.

Vtrùm eadem ratione, qua Spiritus Sanctus procedit, vt amor spiratus, procedat vt donum?

§. 1.

Proponitur sententia D. Tho. & ponitur sententia Scoti cum suis fundamentis.

DIVVS Thomas 1. p. q. 48. art. 2. in corpore, vt vidimus supra in cõmentario ad primũ artic. postquã dixerat, donũ esse gratuitam donationem: subdit: quod ratio gratuitæ donationis est amor: ideò enim damus aliquid alicui (inquit ipse) quia volumus ei bonum: & primũ, quod damus ei, est amor, quo volumus ei bonũ. Vnde amor habet rationẽ primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Ex quibus colligit, Spiritũ sanctũ eadem ratione, qua est amor, esse donum: nã sicut eadem ratione, qua Verbũ procedit vt Verbum, procedit vt Filius: sic eadem ratione, qua Spiritus Sãctus procidit vt amor, procedit vt donum. Hoc idem sentit in 1. dist. 18. quæst. 1. art. 4. quẽ sequitur ibi Capreolus quæst. vnica ad primum argumentum, & alij. Sententia hæc probatur eisdem auctoritatibus Diui Auguustin i quæ habentur in textu 2. art. I *Prima sententia Diui Thom.* *Capreolus*

Ratio-

2 *Vazquez.*

Ratione quoque probatur à Vazquio 1.p.disp.154 cap.2. nam Spiritus Sanctus ideò est donum: quia actu, quo procedit, donari potest: hac enim ratione, & non alia, ipsi soli conuenit substantialiter esse donum: cætera namque dona denominatiuè, & ex sola extrinseca denominatione sunt dona. Sed hoc habet Spiritus Sanctus ratione proprietatis, eo quod ratione illius procedit per actum amoris, quod donari potest: ergo.&c.

3

Secundo, quoniam si aliqua ratione posset negare Scotus rationem doni esse eandem rationem amoris, qua personaliter Spiritus Sanctus procedit, ea esset: quia donum refertur ad illud, cui donatur: & consequenter Deus respiceret creaturam intellectualem, cui donatur: hoc tamen non obstat: quia etiam Verbum dicit respectum ad creaturas in ratione Verbi, eo quod ex earum cognitione procedit: ergo ratio doni erit proprietas Spiritus Sancti, sicuti illa est proprietas Verbi.

4 *Vera sententia Scoti.*

In oppositum autem est litera textualis in primo art. quæst. vnicæ huius dist. 18. sub litera, vbi hæc profert Doctor: *Cum respectus, quo Spiritus Sanctus dicitur donum, fit ad creaturam, quia non esset donum, nisi creaturæ daretur: quia non Patri, nec Filio sic datur: sequitur, quod donum non sit proprietas constitutiua Spiritus Sancti, sed tantùm spiratio passiua, qua accipit esse à Patre & Filio.* Sequuntur Doctorem Basolis ibidem §. *Sed dico*, Guillelmus Rubionis eadem dist. quæst. 1. art. 1. concluf. 3. Viguerius quæstione vnica §. *quantum ad tertium*, Pater Herrera in primo disput. 11. quæst. 12. conclusione 3. & quæst. 13. conclusione 2. Philip. Faber in 1. disp. 43. & reliqui omnes Scotistæ, ex Thomistis autem Caietanus supra D. Thom. loco citato.

Basolis. Rubionis. Viguerius. Herrera. Faber. Caietanus.

5 *Donum, & datum inter se differunt.*

Pro intelligentia huius sententiæ, & difficultatis resolutione, primo obseruandum est ex Io. anne Viguerio loco supra citato, datū & donum in hoc differre: quod datū dicit respectum ad actu aliter recipientem, non enim aliquid dicitur datum, nisi sic actu receptū: secus tamen donum recipitur, dicitur potius oblatum, quàm datum. Donum autem dicit aptitudinē vt donetur, quæ aptitudo dicitur donabilitas. Præterea aliam differentiā addit P. Herrera, videlicet quod datum abstrahit ab hoc, quod est dari gratis, siue liberaliter, & dari ex aliquo debito: donum autē de ratione sua petit liberaliter esse donatum. Verum hæc proprietas nō est multum cōsiderabilis: quia quod datur ex debito, quomodolibet vt debitū, potius est solutio debiti, seu remuneratio, &c. quam datio: & ideò intelligo datum in rigore, non minus quàm donum, requirere liberalem elargitionem: ideòq; à Philosopho, & Auicena dicitur donū datio irredibilis. Hanc ergo differentiā reperio inter datum, & donum, quod licet datum non supponat aliquod debitum: non tamen excludit compensationem. Vnde quando aliquis gratis recipit aliquid, potest postmodum titulo gratitudinis compensare receptum illud remunerando alia datione. Quinimo qui dat, potest ea intētione dare, vt post modum compensationem recipiat, licet hæc intentio non exprimatur in datione. At verò donum est ita datio irredibilis, vt in sua ratione excludat quam libet compensationē: sed est meta elargitio liberalis nullam retributionem expectans.

Ex illa ergo priori differentia dari, & doni colligitur, donum dicere habitualem, seu aptitudinalem donabilitatem, ratione cuius nō potest intelligi donū esse aliquid absolutum: sed in ratione doni dicere intrinsecum ordinem ad illud, cui donabile est, & ex cōsequēti nō posse intelligi donum, non intellecto tali termino, ad quem sic refertur. Duplicem tamen respectū dicit donū, vnū, scilicet ad donantem, & alium ad illud, cui donatur, & vtrūque respectū necessario requirit, ad hoc vt sit donum: licèt aliter, & aliter, nā secundū significat de principali, primū autē de connotato: sed primus est realis: quia est relatio doni ad habētem illud, nemo enim dat quod non habet: & ideò notauit D. Thom. in art. 1. quod donū non daretur ab aliquo, nisi esset eius: Persona autem diuina dicitur esse alicuius, à quo datus, secundū originem: quia scilicet ab eo procedit. Ex quo (vt dixi) duplicem respectum constituere debemus in persona, quæ est donum: & quidem realem ad donantem,

6 *Donum dicit respectū ad duo.*

nantem, quæ est idem respectus, seu eadem relatio originis, vt docet Doctor in artic.2. & respectum rationis, quem dicit illa donabilitas ad creaturã beatificabilem, cui donatur, seu est donabilis.

7. *Spiritus sãctus procedens, vt amore procedit vt donum.*

Aliter ergo loquendum est de primo respectu, quam de secundo: nãm loquẽdo de primo, verum est quod eadem ratione, quâ spiritus Sanctus est amor, & procedit vt amor, procedit vt donum: quia eadem relatione, qua refertur ad spiratorem, refertur ad donatorem: nã vt docet Doctor, sic dare, nihil aliud est, quam liberaliter producere. Loquẽdo vero de secundo respectu, aliter dicendum est: quia, vt inquit Doctor ipse, antequã intelligatur aliqua creatura in aliquo esse, quamcumque minus diminuto: iam præsupponitur, persona spiritus Sancti adæquatissime, & completissime constituta. Sed donum ex sua intrinseca ratione, & de suo principali, & formali significato, dicit respectum ad illud, cui donatur, seu est donabile: & non potest dicere talem respectum, quin prius præsupponat huiusmodi terminum, quem respicit: ergo pro illo priori, pro quo spiritus Sãctus procedit, vt persona spiritus Sancti, & vt amor, non potest procedere vt donum, & ex consequenti non eadem ratione, qua procedit vt amor, procedit vt donum.

8. *Donum est ens per se.*

Qualiter autem spiritui Sancto conueniat ratio doni: optime præhibuit Doctor in art.1. dum inquit: *Intelligendum est, quod donum dicat proprietatem personalem spiritus Sancti per connotationem, & non secundum suam principalem significationem.* Ad cuius intellegentiã, secundo obseruare oportet ex ipso in art.2. quod donũ non est ens per accidẽs, sed per se: & ideo de formali significato nõ potest æqualiter significare duo, vt posse illos duos respectus: sed de principali significat vnũ, de connotato autẽ aliud importat. Significat ergo de principali illum respectũ ad creaturam beatificabilem: connotat tamen illã relationem originis: quã dicit ad illũ, à quo procedit vt amor. Cuius ratio à priori est: quia aliter abesset amor, quin esset donũ: vt pote si nulla creatura esset possibilis, cui talis amor esset donabilis: non tamẽ posset esse donum, quin esset amor: quia inter omnia donantis, primum, & potissimũ donum est amor, & quid quid donari potest, est amor eius, quem primo dat amato: vt inquit Doctor in ar.2. & D. Tho. in 1. qui amor est ratio cuiuscumque alterius doni: nihil enim habet rationem doni, nisi prout cadit sub actu amoris, nam anulus, verbi gratia aureus, seu quodcumque aliquid exterius, quod donatur, non habet rationem doni, vel nomẽ doni non mereretur, nisi prout est amicabiliter cõmunicatum actu amatorio voluntatis. Amorem igitur connotat donum, vt donum est: sed formaliter significat respectum illum ad rem, cui donatur, seu cui est donum vel donabile.

9. *Solus spiritus Sanctus est donum, & eius donum est proprietas personalis, non tamẽ constitutiua.*

Quia ergo inter diuinas personas, solus spiritus Sanctus est personaliter amor, & procedit per voluntatem liberaliter, vt amor: ideo soli spiritui Sancto conuenit esse donum. Quia tamen antecedenter ad omne esse creaturæ cui esset donabilis (in respectu adquã ratio doni consistit) intelligitur perfecte, & completissime constitutus in esse personæ, & talis personæ: ideo esse donum non est proprietas eius personalis constitutiua, nec formaliter eo est donum, quo est amor. Sed bene ratio doni, quæ in tali respectu ad creaturam consistit connotat amorem sic à Patre, & Filio liberaliter productum, & illum significat, prout donabilis est creaturæ intellectuali beatificabili. Vnde de principali significat donũ illum respectum amoris ad creaturam, vt bene probat Bassolis: connotat tamen relationem originis eiusdem amoris ad Patrem & Filium, à quibus procedit, seu ipsum amorem, prout secundum rationem talis amoris refertur ad Patrẽ & Filium, ac exvi suæ processionis procedit vt amor.

10.

Porrò hunc respectum ad creaturam, quam dicit donum, in ratione doni, esse quid essentiale, illum autem, quem connotat amoris ad producentem, esse quid notionale: expressit Doctor in artic.2. & quidem relationem amoris ad spiratorem, notionalem esse, non est quis dubitet: esse vero illum respectum ad creaturas essentialem,

Iii lem,

Ex duobus respectibus doni vnus est essentialis, & alter notionalis.

lem, non minimum dubium includit: quia tunc tota Trinitas videtur habere rationem doni: & sic non erit proprietas Spiritus Sancti, si quidem omne essentiale cõuenit tribus. Varie hâc propositionem Doctoris explicant Scotistæ: sed ipse clarius illis se explicat per hoc exemplum: ad quod prius supponitur, quod quid ad extra datur, vel fit, est à tribus. Ad cuius euidentiam recolenda sunt, quæ dixeramus supra in difficultate. 76. de missione, quæ, & si actiue sit à tribus, passiue tamen est vnius personæ, quia tota Trinitas mittit: sed sola persona procedens est, quæ mittitur. Cuius instar modi intelligendum est exemplum, & Doctrina Scoti: nam persona donata, quid notionale necessario supponit, scilicet esse personam procedentem ex vi suæ processionis, per modum amoris: at vero donatio actiua non solum est à personis producentibus Spiritum Sanctum, sed à tota Trinitate: quia est datio ad extra, nempe, facta creaturæ. Tunc ergo declarat Doctor intentum per exemplum: hoc nomen *dator* non significat primo respectum virtutis spiratiuæ Patris, & Filij: sed primo significat respectum rationis ipsius dantis ad creaturam, connotando tamen processionem passiuã, vel proprietatem personalem Spiritus Sancti per respectum ad virtutem spiratiuam, per quam producitur primus amor infinitus. Ita quod dans ibi intelligitur: non persona spirans, sed Deus, seu tota Trinitas: quia dare est aliquid ad extra, & quid essentiale conueniẽs tribus: licet connotet, quod illud, quod datur sit persona procedens.

Donatio actiua est à tota Trinitate.

11 Eodem ergo modo (inquit *Doctor*) intelligendum est donum passiue acceptum, prius importare pro significato formali ipsum respectum ad creaturas: de connotato vero dicit relationem ad spiratorum. Ea igitur ratione, qua donatio actiua est respectus, non spiratoris, vt spiratoris, sed Dei, vt Deus est, seu Trinitatis, ratione cuius est quid essentiale, & non notionale: eadem, inquam, ratione in ipso dono, vt respicit donantem, vt donantem, est respectus ad aliquid essentiale, Et in hoc sensu loquutus est Doctor, dum inquit, respectum doni esse, quid essentiale: ipsum vero donum in se est quid notionale, quia necessario est amor, vt amor procedens. Vnde sicut de missione dicebamus, quod licet mittere sit essentiale conueniens tribus: mitti tamen est notionale tantum conueniens personæ procedenti. Sic in præsenti dico: quod licet donare sit essentiale conueniens tribus: nihilominus esse donum, est quid notionale conueniens tantum personæ procedẽti per modum amoris, ex vi suæ processionis.

§. 2.

Statuuntur conclusiones, & soluuntur argumenta.

12 HIS præhabitis, difficultatem concludendo dico primo, quod esse donum, est proprietas soli Spiritui Sancto conueniens. Conclusio est communis, & probatur, ex D. Augustin. 4. de Trinitate. cap. 20. & 5. libro, cap. 12. & 15. capit. 19. in quibus locis inquit, quod sicut natum esse, est Filio esse à Patre, sic donum esse est Spiritui Sancto esse à Patre, & Filio. Et probatur præterea ratione, quia illud habet esse donum, quod habet rationem amoris: sed in diuinis solus Spiritus Sanctus habet rationem amoris: ergo soli Spiritui Sancto est proprietas esse donum.

1. Conclus.

Donum est proprietas solum Spiritus Sancti.

13 Dico secundo, quod esse donum, non est proprietas constitutiua Spiritus Sancti, in esse personæ Spiritus Sancti. Conclusio est *Doctoris* expressa, vt patet in litera, qui eam probat late in vtroque articulo huius quæstionis. Sed præterea illam probat Bassolis, nam ens in actu non constituitur, per aliquid habituale, vel potentiale: sed persona Spiritus Sancti est ens in actu: ergo non constituitur per illam relationem habitualem, quæ est donabilitas. Item quia ens diminutum non est de formali ratione eius, quod est necesse esse, & purissimus actus: sed respectus ad creaturam est ens diminutum, & secundum quid: persona autem Spiritus San-

2. Conclus.

Donum nõ cõstituit Spiritũ Sanctũ.

Sancti est necesse esse, & actus purissimus: ergo talis respectus non potest esse ratio constitutiua Spiritus Sancti.

14 Dico tertio, quod Spiritus Sanctus non eadem ratione, qua procedit vt amor, procedit vt donum. Conclusio hæc satis probatur ex dictis: si enim esset donum non esset proprietas constitutiua Spiritus Sancti: bene infertur, quod non procedit vt donum, ea ratione, qua procedit vt amor: nam procedere vt amor, est procedere secundum suam proprietatem constitutiuam. Sed secundum hanc non procedit, vt donum: ergo, &c. Præterea, quia etiam si per impossibile nulla esset dabilis creatura, ad hunc Spiritus Sanctus procederet vt amor: sed si nulla esset dabilis creatura, nullus esset respectus donabilitatis ad illam: ergo tunc iam esset Spiritus Sanctus, in quantum amor, sine tali respectu: sublato autem huiusmodi respectu donabilitatis, tollitur ratio doni: ergo, &c.

2. Concluf. Spiritus Sanctus non ex eo q̃ procedit, vt amor, procedit, vt donum.

Ad argumenta autem, & primo ad ea quæ sunt D. August. optime respondet Doctor in textu. Ad primum vero, quod erat argumentum Vazquij, negatur prima propositio. Non enim Spiritus Sanctus est ideo donum, quia actu, quo procedit, donari potest. Si enim nulla creatura esset possibilis, cui donari posset: non esset donum: & nihilominus procederet eodem actu, quo nunc procedit: nam quamuis talis processio connotetur a dono, vt dixit Doctor, nõ tamen significatur ab illo: & ideo ratio doni non pertinet ad proprietatem constitutiuam Spiritus Sancti. 15

Ad arg. & ad. 1.

Ad secundum conceditur maior, & minor negatur, & similiter negatur eius probatio: quia nec procedit Verbum ex cognitione creaturarum, nec ad illas refertur eadem ratione, qua procedit à Patre. Vide solutionem. 2. arg. textualis in art. 1. vbi habetur qualiter Verbum non sit donum, sed solus Spiritus Sanctus. 16

Ad. 2.

DISTINCTIO. XIX.

Nunc postquam, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

De æqualitate personarum.

CIRCA distinctionem decimam nonam, in qua Magister agit de proprietatibus, & conditionibus, quodammodo essentialibus, & quodãmodo personalibus Trinitatis, quæro primo. Vtrum personæ sint æquales secundum magnitudinem: circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primo. Vtrũ possit reperiri æqualitas non fundata in quantitate molis?

¶ Secundo. Vtrum inter diuinas personas sit æqualitas?

¶ Tertio. Vtrum negata quantitate de Deo possit concedi magnitudo de ipso?

¶ Quarto. Vtrum æqualitas personarum dicat perfectionem in diuinis?

ARTICVLVS. I.

Vtrum possit reperiri æqualitas non fundata in quantitate molis?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non possit reperiri æqualitas, nõ fũdata in quãtitate molis: quia in quãtitate pro- A

prium est secundum eam (vt in prædicamentis dicitur) quod aliquid æquale, vel inæquale dicatur: *sed hoc procedit de quantitate molis, vt patet: ergo, &c.*

Cap. de quãtitate.

B Sed contra est, quod dicit Philosophus. lib.10. Metaphysic. Quod omne ens omni enti comparatum est idem, vel diuersum: ita quod omne ens omni enti comparatum, est æquale, vel inæquale: ergo, &c.

C Respondeo dicendum: quod hic primo videndum est de æqualitate propriè sumpta. Secundo de ipsa generaliter sumpta. De primo, Philosophus cap. de relatione, distinguit tres relationes fundatas super vnum, scilicet idem, simile, & æquale. Et loquendo deistis strictè, & proprie appropriantur diuersis generibus: vt identitas substantiæ, æqualitas quantitati, & similitudo qualitati: & ita forte possent aliæ rationes proprie fundari supet res aliorum generum: sicut proportionalitas, super relationem, siue similitudinem duarum proportionum: & hoc videtur Auicen. dicere saltem de his tribus relationibus communibus, quas expresse ponit Philosophus. Dico tamen, quod fundamentum remotum istarum relationum, est res illius generis: puta, æqualitatis fundamentum, est res de genere quantitatis: similitudinis, est res de genere qualitatis: identitatis, est res de genere substantiæ: proximum tamen fundamentum, vel ratio proxima fundandi, est vnitas talis rei: quia supra rem talis generis, (vt diuersa est) fundantur relationes disparatæ, non communes.

Tex. cõ. 20.

D De secundo dico, quod quodcumque ens est in se quid, & habet in se aliquem gradum determinatum in entibus, & est forma, vel habens formam: & secundum hoc, sicu potest tripliciter considerari quodcumque ens, ita etiam super ipsum potest fundari triplex relatio communiter sumpta: quia identitas super quodcumque ens, in quantum est quid: & æqualitas, & inæqualitas, super quodcumque ens, in quantum habet magnitudinem aliquam perfectionis, quæ dicitur quantitas virtutis: de qua dicit Augustin. 6. de Trinitate cap. 7. Quod in his, quæ non magna mole sunt, idem est melius esse, quod maius esse. Similitudo autem, vel dissimilitudo, potest fundari super quodcumque ens, in quantum est quale, & qualitas quædam. De hoc modo qualitatis loquitur Philosophus. 5. Metaphysicor. capit. de qualit: *dicens*, quod vnus modus qualitatis, est differentia substantiæ, ideſt, differentia essentialis. & hoc modo individua eiusdem speciei, sunt essentialiter similia, in quantum habent eandem differentiam specificam, quæ est vt qualitas essentialis ipsorum.

Conclus.

Tex. cõ. 19.

Et hoc modo communiter, & non strictè accipiendo istas relationes cõmunes, dicit Philosophus, *vt super vi sum est*, 10. Metaphysico. quod omne ens omni enti comparatum, est idem, vel diuersum: ita quod omne ens omni enti comparatum est æquale, vel inæquale. Sicut igitur fundamentum identitatis, æqualitatis, & similitudinis, hoc modo communiter sumptarum, est ens in communi comparatum ad quodcumque ens in communi: ita & illæ relationes sunt transcendentes, licet non conuertibiles, cum disiunctione tamen diuidentes ens: sicut diuiditur in necessarium, & possibile.

E.

Tex. cõ. 12.

F.

Ad argumentum, *satis patet ex dictis, quod procedit*, de æqualitate strictè, non vero communiter sumpta.

Vide solutionem argumenti primi seq. art.

(?)

Exposi

Expositio artic. 1. quæstionis primæ, distinctionis. 19.

TRIA relationum genera posſuit Philoſophus in loco allegato in textu: quorum vnum fundatur in actione, & paſsione, aliud in vnitate, & aliud in menſura, & menſurabili. De ſecundo agit Doctor in præſenti, & relationes huius generis inquirit in Deo. Quia tamen tria ſunt, prædicamenta abſoluta, vt pote ſubſtantia, quantitas, & qualitas, (cætera enim ſunt relatiua: nam quartum eſt prædicamentum de ad aliquid, & ſex poſteriora ſunt relationes extrinſecus aduenientes, vt lo te Dialectici Scotiſtæ tuentur de mente Doctoris) hinc eſt, quod ſupra quodlibet eorum, quæ abſoluta ſunt, peculiare genus relationum fundatur. Nam per ſubſtantiam dicimur idem vel diuerſi: per quantitatem æquales, vel inæquales: per qualitatem ſimiles, vel diſſimiles. Ac ideo ſuper ſubſtantiam, hoc eſt ſuper quidditatem cuiuslibet rei (hic enim ſumitur ſubſtantia proquidditate) fundatur relatio identitatis, ſeu diuerſitatis: ſuper quantitatem autem fundatur relatio æqualitatis, & inæqualitatis: ſuper qualitatem verò relatio ſimilitudinis, & diſſimilitudinis. Has igitur relationes, nempe identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis in Deo inueſtigat. Sed in præſenti, vbi agitur de æqualitate, inquirit, an relatio æqualitatis neceſſario in quantitate molis fundetur? Et quia in formis intenſiuis, & in alijs entibus perfectis reperitur quantitas virtutis, & perfectionis, ſecundum quam vnum eſt perfectius alio: ideò non ſolum in quantitate molis, ſed etiam in quantitate virtutis, & perfectionis, æqualitatem reperiri, concludit in textu.

Tria tantũ ſunt prædicamenta abſoluta, reliqua relatiua.

Super prædicamenta abſoluta varia genera relationum fundantur.

ARTICVLVS. II.

Vtrum inter diuinas perſonas ſit æqualitas?

AD ſecundum ſic procedi-
tur. Videtur, quod inter diuinas perſonas nõ ſit æqualitas: quia in prædicamentis, dicitur, quod quantitati proprium eſt, ſecundum eam, quod aliquid æquale, vel inæquale dicatur: quantitas non eſt in Deo, ſecundum Auguſt. 5. de Trinit. cap. 1. Deus eſt magnus ſine quantitate, & bonus ſine qualitate: ergo, &c. A

Secundo præterea: nihil eſt ponendum in Deo, quod dicit imperfectionem: æqualitas eſt huiuſmodi: ergo. Probatio: quia repugnat perfectioni in creaturis, quod patet per Auguſt. 83. quæſt. quæſ. 41. ſi omnia (inquit) eſſent æqualia, non eſſent omnia: igitur perfectio vniuerſi non poſſet ſtare cum æqualitate. AEqualitas igitur non eſt in omnibus melior ſuo oppoſito: igitur non erit perfectio ſimpliciter: igitur non erit in Deo tanquam eſſentiale, vel commune tribus. B

Tertio præterea ſic: perfecta æqualitas eſt mutua: hic non eſt mutua ſecũdum Auguſtin. 6. de Trinit. cap. vltimo: imago, ſi perfecta eſt, æquatur ei, cuius eſt imago, non illud, ſuæ imagini. C

Sed contra eſt, quod in ſymbolo Athanaſij: perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. Et Magiſter in litera probat hoc ſpecialiter per Auguſt. de Fide ad Petrum. cap. 1. D

Reſpondeo dicendum, quod hic videndum eſt, qualis eſt æqualitas E

in propoſito: & *de inde* oſtendendum eſt, quod hoc modo in diuinis perſonis ſit vere, & perfecte æqualitas. De primo dico, quod ſicut nullum genus, nec aliquid alicuius generis dicitur de Deo formaliter: ita nec paſsio alicuius generis: & per conſequens, nec aliqua relationum communium, ſecundum quod ſtricte ſumuntur, vt ſcilicet, ſunt paſsiones generum determinatorum. Sed quia ens dicitur formaliter de Deo, & quæcumque paſsio conuertibilis eſt cum ente, & paſsionum non conuertibilium, ſed diſiunctarum ſemper nobilius extremũ: ideò hoc modo illud extremum dicetur de Deo, quod vel dicit nobilitatem, vel non repugnat nobilitati, ſed reliquum repugnat.

De ſecundo, dimitendo nunc de identitate, & ſimilitudine, de quibus nunc non eſt quæſtio: dico de æqualitate, quod ipſa eſt perfecte in perſonis diuinis: & licet æqualitas aliquorum entium cauſatorum poſſet ſumi, ſecundum quantitatem continuam, ſiue diſcretam: & ſecundum continuam vel permanentem, vel ſucceſsiuam: ac per hoc poſſet quæri, vtrum in perſonis diuinis eſſet æqualitas ſecundum numerum, ſi ibi eſſet perfectus numerus: & an ibi eſſet perfecta æqualitas, ſecundum durationem, vel, ſecundum æternitatem, quæ correſpondet quantitati ſucceſsiuæ in creaturis: primum tamen non pertinet ad diſtinctionem iſtam: ſed ad diſtinctionem vigeſimã quartã: nec de hoc tangit hic aliquid Magiſter: quia non ponit ibi numerum poſitiue: ſed forte in illa diſtinctione, tangetur. De ſecundo, aliqualiter tangit Magiſter, & adducit Auguſtin. de Fide ad Petrũ, & probatum eſt diſtinctione nona. De tertio eſt quæſtio, ſcilicet, de æqualitate, ſecundum magnitudinem, & quod iſta ſit perfecta in diuinis, probatur. Tum ex fundamento remoto, ſcilicet magnitudine: tum ex ratione proxima fundandi, ſcilicet, vnitate.

F

Concluſ.

Primum patet ex hoc, quod magnitudo virtutis non eſt perfecta: niſi quia non repugnat ſibi infinitas: & nihil eſt perfectum, cui non repugnat infinitas, niſi ſit infinitum: omnis autem alia magnitudo virtutis finita eſt, ſola iſta eſt infinita: ſicut patuit diſt. 2. quæſtion. 1. De ſecundo probatur propoſitum: quia in omnibus alijs æqualibus, eſt diminuta vnitas magnitudinis, ſecundum quam æquales dicuntur: quia illa magnitudo numeratur in ipſis æqualibus: hic autem eſt perfecta vnitas magnitudinis: & tamen eſt cum hoc diſtinctio ſufficiens relatiuorum, quæ requiritur ad relationem realem.

G

Sed hic eſt vnum dubium: quia cum magnitudo tranſeat in eſſentiam, non videtur, quod relatio fundata ſuper magnitudinem ſit alia à relatione fundata ſuper eſſentiam, vt eſt quid: & ita non videtur differre æqualitas ab identitate. Aut ſi æqualitas, & ſimilitudo poſſent attendi in illis, quæ videntur quaſi paſsiones eſſentiæ: non attenduntur in eis, niſi in quantum habent magnitudinem virtutis: iſta autem magnitudo non eſt aliud attributum à perfectione tali: quia dicit modum intrinſecum illius: ſicut ſæpe ſupradictum eſt: ergo ſi ſimilitudo ſit ſecundum talem proprietatem: æqualitas ſecundum magnitudinem illius proprietatis non differret á ſimilitudine, ſecundum iſtam proprietatẽ: & ita videtur, quod æqualitas, ſecundum quod æqualitas, non ſit hic ponenda: quia neque vt diſtincta ab identitate, loquendo de æqualitate infinitæ eſſentiæ: neque vt diſtincta à ſimilitudine, loquendo de æqualitate, quæ eſt in magnitudine perfectionum attributalium. Eſt etiam aliud dubium: quia videntur ponendæ æqualitates

H

Diſt. 8. q. 3. & 4.

tes personatum infinitæ (si possent esse infinitæ perfectiones attributales) quælibet enim habet magnitudinem suam, tamquam modum intrinsecum sui, secundum suam rationem propriam: ergo quot sunt perfectiones attributales, tot magnitudines erunt, & æqualitates. Ad ista quære responsiones dist. 31. *nunc autem respondetur* ad argumenta principalia.

I Ad primum dico, quod non est ibi quantitas molis, sed virtutis. Et si nomen quantitatis appropriatur ad magnitudinem molis: magnitudo autem non appropriatur ad magnitudinem molis: tunc potest proprie concedi, quod est magnitudo ibi sine quantitate: & ita magnitudo vere est fundamentum æqualitatis transcendentis: quia hoc modo, omne ens est magnū, vel paruum, æquale, vel inæquale, licet magnitudo ista non sit fundamētum æqualitatis, prout est passio quantitatis, quæ est genus. Sed contra istud arguitur, *in sequenti art. vide ibi quoq; solutionem.*

K Ad secundum dico, quod perfectio simpliciter, idest, quæ formaliter posset esse infinita, non dicit, nisi aliquid, quod potest esse essentiale in diuinis, & ad se: & tale aliquo modo præintelligitur relationibus originis: cuiusmodi sunt bonitas, &c. *An vero æqualitas sit huiusmodi? patebit in articulo quarto.*

L. Ad tertium dico, quod aliquando super aliquam relationem communem fundantur relationes oppositæ disquiparantiæ. Sicut si dicatur assimilans, & assimilatum. Ista dicunt relationem actiui ad passiuum, fundatam super hanc relationem communem, quæ est similitudo. Assimilans enim est causans similitudinem, sicut dealbans est causans albedinem: & assimilatum est causatum secundum similitudinem, sicut dealbatum est causatum secundum albedinem. Est igitur hic relatio actiui, & passiui in assimilante, & assimilato, sicut videtur in dealbante, & dealbato. Sed in dealbante, illud, in quo fundatur relatio actiui, est absolutum: in hoc autem, scilicet, in assimilante, illud, in quo fundatur relatio actiui, est relatio æquiparantiæ: & tale nomen, quod importat duas relationes tales, vnam communem, & aliam disquiparantiæ, quantum ad illam communem relationē, mutuitatem habet ad correlatiuum illius relationis: non autem mutuitatem habet ad correlatiuum secundum relationem disquiparantiæ: ita etiam hic coæquari importat relationem coæquati ad coæquans: & illa æqualitas mutua est. Filius enim, qui æquatur Patri est æqualis Patri, & è conuerso. Sed alia relatio per modum passiui: scilicet, accipere æqualitatem ab alio, illa non est mutua, sed competit præciso Filio: & relatio opposita disquiparantiæ, scilicet, coæquare, conuenit Patri: idest dare æqualitatem Filio. Est igitur imago æqualis, & è conuerso: sed sola imago coæquatur intelligendo duas relationes prædictas.

Expositio artic. 2. quæstionis primæ distinctionis. 19.

SVPPONIT Doctor in Deo illam quantitatem, seu magnitudinem perfectionis, quam in præcedenti articulo in rebus quantis, extra quantitatem molis concluserat, vt ex inde æqualitatem diuinarum personarum scrutetur. Concludit igitur, æqualitatem perfecte esse in personis diuinis. Quod ibi satis probat, & bene soluit argumenta in oppositum. Dubia autem quædam, quæ mouet in corpore articuli, magnam difficultatem involuūt: hic tamen sine solutione habentur: quia nō sunt omnia in omnibus conculcanda. Remittit ergò Doctor solutionē eorum

ad distinctionem 31. vbi specialius de relatione æqualitatis in secundo, art. agitur: & ibi, & per totam distinctionem, huiusmodi & alia dubia ad materiam huius distinctionis concernentia prælibantur.

ARTICVLVS III.

Vtrum negata quantitate de Deo, possit concedi magnitudo de ipso?

A. AD tertium sic proceditur. Videtur, quod negata quantitate de Deo, non possit cõcedi magnitudo de ipso: quia non videtur verũ, quod aliquid possit dici de Deo, nisi illud, quod est de intellectu illius, dicatur de eo: ergo cũ de intellectu magnitudinis sit quãtitas, magnitudo non potest concedi in Deo & negari ibi quantitas.

B Secundo præterea: quia quærenti, quantus est Deus? bene Respondetur, quod est immensus: si autem non esset ibi quantitas, quæstio nulla esset: erg, &c.

C Tertio præterea: passio communis toti generi, non conuenit alicui per differentiam specificam, æqualitas est passio communis toti generi quãtitatis: ergo non conuenit alicui per aliquam differentiam specificam, de genere quantitatis: & ita non posse poni in Deo aliqua differentia de genere quantitatis, negando ibi genus quantitatis, & quod per talem differentiam sit ibi æqualitas.

D Sed contra est, quod secundum Philosoph. 5. Metaph. cap. de quanto, magnitudo est passio entis diuisa contra paruum: & sic in omni ente est alterum extremum: ergo &c. *Tex. cõ. 18.*

E Respondeo dicendum, quod magnitudo est æquiuocum, secundum quod est species quantitatis distincta contra multitudinem. 5. Metaph. & secundum quod opponitur paruitati, & eius concretum, quod est magnum opponitur paruo. Ista distinctio satis habetur à Philoso. 5. Metaph. & 10. in simili, de longo & breui, multo & pauco, multo, & vno. Primo modo non transfertur magnitudo ad Deum, nec differentia eius, vt aliquid eius: sicut patet ex distin. 8. quia tunc transferretur genus, quod includitur in eo: nec etiã secundo modo, vt magnum propriè sumitur, & dicit passionem quantitatis: quia etiam propria passio non est sine suo proprio subiecto. Sed alio modo magnitudo est passio entis diuisa contra paruum: & sic in omni ente est alterum extremum. Hoc patet, *vt supra visum est*, per Philosophum. 5. Metaph. cap. de quanto. Sunt autem, & magnum & paruum, maius, & minus, secundum se, & ad inuicem dicta quãti passiones secundum se: transferuntur etiam, & ad alia hæc nomina: quasi dicat propriè sumpta dicunt passiones proprias quantitatis: communiter sumpta dicunt passiones communes entis. *Tex. cõ. 18.* *Tex. cõ. 18.* *5. Met. cõ. 18.* *10. Meth. tex. cõ. 20.* *1. Conclus. Quæs. 2. ar.* *2. Conclus.*

F Ad primum argumentum, *patet ex dictis*, quod magnitudo non transfertur ad Deum, primo, nec secundo modo, sed vt est passio entis diuisa contra paruum.

G Ad secundum *de quærente*, quantus est Deus? neganda est quæstio esse rationabilis si negetur in Deo quantitas. Si autem concedatur, quæstio erit rationabilis: sed tunc concedenda est, esse quantitas virtutis, non molis.

H Ad tertium dico, quod ratio non concludit, nisi quod æqualitas, vt est passio generis quantitatis, non conuenit Deo per aliquam differentiam generis quantitatis: nec transfertur ad diuina. Et concedo, quod nulla differentia de genere quantitatis cõuenit Deo, nec aliqua passio illius generis conuenit Deo: sed passio transcendens.

Ex-

Expositio art.3.quæst.1. distinct.19.

LITERA huius articuli est satis perspicua, in qua Doctor triplicem magnitudinem distinguit, & ostendit, quæ illarū Deo conueniat, vbi non se offert aliquid specialiter adnotandum. Conclusio ergo est, quod magnitudo, quæ est passio entis, prout diuiditur contra paruū, est in Deo: non vero magnitudo primo, aut secundo modo accepta.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum æqualitas personarum dicat perfectionem in diuinis?

A AD quartum sic proceditur. Videtur, quod æqualitas personarum non dicat perfectionem in diuinis: quia æqualitas repugnat, perfectioni in creaturis: igitur non erit in Deo perfectio. *Antecedens patet*, per August. 83. q. quæst. 41. si omnia (inquit) essent æqualia, non essent omnia. Igitur perfectio vniuersi non posset stare cū æqualitate.

B Secundo præterea, quia ordo est perfectionis: sed ordo videtur requirere inæqualitatem. *Ergo vbi est æqualitas, non est perfectio.*

C Sed cōtra est, q̄ Aug. li. de quantitate animæ loquēs ad discipulum, æqualitatē (inquit) inæqualitati iure præponis, nec quēquā æstimo humano sensu præditum, cui non illud videatur.

D Respondeo dicendum, quod perfectio simpliciter, id est quæ formaliter posset esse infinita, non dicit, nisi aliquid, quod potest esse essentiale, in diuinis, & ad se. Et tale aliquo modo præintelligitur relationibus originis, cuius modi sunt sapientia, bonitas, &c. Æqualitas autem non præintelligitur relationibus originis, nec potest esse ad se. Pater enim non est æqualis sibi, sed Filio: & ideo æqualitas hoc modo nō dicit perfectionem simpliciter. Dicit tamen perfectionem, quæ in omni natura comparando ad aliquid eiusdem naturæ, melior est suo opposito: quia oppositum eius de necessitate dicit imperfectionem. Non enim est inæqualitas *in* eadem natura, nisi alterum individuum imperfecte habeat illam naturam. Ex quo igitur relatio potest esse interposita in ista natura, imperfectionis esset inæqualitas in eis: quia in altero poneret perfectionem diminutā. Æqualitas autem non est ibi imperfectionis: imo magis præexigit perfectionem simpliciter: quia præexigit naturam perfectam, & perfecte in vtroque relato: & hoc est, quod dicit August. *loco citato*, quod vtrique verum est cōparando aliqua in eadem natura, & simpliciter, quibus compossibilis est æqualitas, magis possunt esse perfecta, quā illa, quibus æqualitas non est compossibilis, quia illorum aliquod necessario imperfectum.

1. *Conclus.*

2. *Conclus.*

Ad primum argumentum, cū probas de perfectione creaturæ: respondeo, quod aliqua sunt necessaria ad perfectionem creaturarum, quæ tamē nō dicunt perfectionem simpliciter. Et hoc est, quia creaturæ de se imperfectæ sunt. & sine illis non possunt habere perfectam perfectionem, quanta & qualis est eis possibilis: & ideo illa aliqualiter supplēt imperfectionem creaturarum: sicut dictum est supra. dist. 7. vbi negatum est, quod differentia specifica alicuius, sit perfectio simpliciter. Ita dico, quod perfectio limitata, non potest esse tanta in vna natura limitata, sicut potest esse in pluribus naturis ordinatis: & ideo ibi ordo naturæ (hoc est, perfectionis inæqualis) necessarius est, ad maximā perfectionē eis cōpossibilem: non autem est simpliciter necessarius ad perfectionem maximam: quia illa potest in naturam perfectis-

E.

fectissima illimitata, sine ordine perfectionis inæqualis.

F Ad secundum Respondeo, & dico, quod ordo originis stat cum perfectione ordo autem inæqualitatis nõ stat cum perfectione: non igitur omnis ordo est perfectionis: sed aliquis stat cum perfectione in eadem natura, & aliquis non.

Expositio art. 4. quæst. 1. distinct. 19.

1. HVIVS articuli doctrina est solutio Doctoris ad quoddam argumentum D. August. 83. qq. quæst. 41. quod est primum argumentum in principio articuli. Quæ solutio in hoc consistit: quod perfectio simpliciter, prout visum est, supra in difficultate propria, non nisi enti absoluto in diuinis potest competere. Ens enim absolutum est ibi essentiale, & ad se, sicuti sunt essentia, & omnia attributa. Vnde magnitudo etiam est simpliciter perfecta: quia cum cæteris essentialibus, ad notionalia præintelligitur. AEqualitas autem licet fundetur in magnitudine: non tamen præintelligitur ad personas, nec ad relationes, sicuti ipsa magnitudo ad illas præsupponitur: quia supponit personas esse distinctas, vt sint æquales: nulla enim persona est sibi æqualis, & ideo fundatur in magnitudine, non vt cumque, sed prout est eadem indistinctis personis, & ratione cuius, vna persona est alteri æqualis.

Perfectio simpliciter in diuinis, non nisi in absoluto cõsistit.

Non igitur est æqualitas quid essentiale, si quidem non ad notionalia præsupponitur, sed ad ipsa consequitur: & ideo non est perfectio simpliciter, nec propterea est quid merum notionale: quia non est aliqua relatio originis, nec ad originem pertinens: sed iam origines personarum supponit: quam ob rē non negatur absolute de æqualitate, quod sit perfectio, sicut negatur de relationibus originis in difficultate citata. Est ergo æqualitas ratione fundamenti perfectio simpliciter: nam ratio proxima fundandi æqualitatem, est magnitudo, seu vnitas magnitudinis, quæ est perfectio simpliciter, quia est quid essentiale. Ratione autem suæ formalitatis, seu formaliter considerata æqualitas, licet non sit perfectio simpliciter propter rationem supradictam, est nihilominus perfectio, vt opponitur imperfectioni: quia in creaturis inæqualitas est imperfectio, & per oppositum æqualitas in illis dicit præfectionem, prout perfectio imperfactioni inæqualitatis opponitur, & quia in Deo non potest esse inæqualitas personarum: ideo æqualitas nec modo perfectionem importat, illius instar modi, quo in creaturis perfectio est.

2. *Æqualitas non est perfectio simpliciter, nec quid essentiale, necmerum notionale.*

QVAESTIO SECVNDA.

De circumincessione personarum diuinarum.

CIRCA istam distinctionem, secundo quæro de circumincessione personarũ diuinarum, vtrum, quælibet persona diuina sit in alia? Circa quod quæruntur quinque.

¶ Primò. Vtrùm vna diuina persona sit in alia?

¶ Secundò. Vtrùm Pater sit in Filio secundum totum, an vero secundum partem?

¶ Tertio. Vtrum sola diuina essentia sit ratio inexistentiæ, qua Filius est in Patre?

¶ Quarto. Vtrum in rebus creatis sit aliquis modus inexistendi, similis illi, quo vna diuina persona est in alia?

¶ Quinto. Vtrum ex eo, quod Pater est in Filio, & Filius in Patre, inferatur, quod Pater est in se?

AR-

ARTICVLVS. I.

Vtrum vna diuina persona sit in alia?



AD Primum sic proceditur. Videtur, quod vna diuina persona non sit in alia: quia si quod libet esset in quolibet, secúdum opinionẽ Anaxagoræ, esset maxima confusio: ergo si personæ diuinæ essent in se inuicem, confusse essent, contra illud Athanasij, neque confundẽtes personas, neque substantiam separantes. Et confirmatur ratio: quia indiuisibile non distinguitur ab indiuisibili, nisi sit extra illud: quod probatur per Philosophum. 6. Phys. quia duo indiuisibilia simul posita non faciunt maius: quia essent vnum indiuisibile: igitur cum personæ diuinæ sint indiuisibiles, si sunt simul, non sunt distinctæ. *Tex. cõ. 18.*

Secundo præterea. Si cum personam esse in persona, esset distinctio aliqua: ergo, & compositio. Probatio consequentiæ: si aliquid esset in deitate, quod non esset ipsa, tunc deitas esset compositibilis, vel composita: quod patet per Augustin. 11. de Ciuit. Dei, cap. 10. & ponitur distinct. 8. ideo simplex est Deus, quia est illud, quod habet, excepto quod persona dicitur relatiue ad aliam, & non est ipsa: ergo si persona habet aliquid in se, quod non est ipsa, ipsa est composita, vel compositibilis, quod est falsum, & prius improbatum.

Tertio præterea, in eodem, in quo est Filius, est filiatio: in Patre est Filius per positam circumincessionem: ergo in Patre est filiatio. Et vlterius: illud in quo est filiatio, est Filius: ergo Pater esset Filius.

Quarto præterea: si Pater est in Filio: ergo Deus est in Deo. Et vlterius: ergo Deus distinguitur à Deo.

Quinto præterea: quod exit ab alio, non est in eo: sed Filius exit à Patre, vt dicitur *Ioannis. 16.* exiui à Patre: ergo, &c.

Sed contra est Ioan. cap 10. ego in Patre, & Pater in me est, & Magister adducit authoritatem in litera, Ambrosij, Augustini, & Hylarij.

Respondeo dicendum, quod istius quæstionis veritas est plana, & certa ex authoritate Saluatoris in Ioanne, & alibi in multis locis, & etiam Sanctorum exponentium. Sed vt aliqualiter possit intelligi, tria sunt videnda, *in sequentibus articulis.* Primo, de modo, quo persona est in persona. Secundo, quæ sit ratio istius inexistentiæ. Tertio, si iste modus essendi, in, posset reduci ad modum aliquem essendi, in rebus in creaturis: loquendo de illis modis, quos ponit Philosophus. 4. Phys. vel vtrum posset declarari per aliquem modum, qui possit in creaturis inueniri. *Conclus.* *Tex. cõ. 23.*

Ad primum argumentum dico, q̃ confusio esset, si quodlibet esset in alio, secundum opinionem Anaxagoræ: quia sic quodlibet esset in alio, sicut pars eius: sicut videtur Philosophus imponere sibi: sed persona non est in persona, sicut pars eius: & ideo non sequitur confusio. Cum confirmatur ratio per illud. 6. Phys. de indiuisibilibus: Respondeo, quod aut illud est falsum, quod indiuisibilia quantitatis non sunt distincta, nisi differant situ (de quo alias:) aut si est verum, nihil est ad propositum: quia ratio illa, quæ esset ibi, non esset in personis diuinis, quibus non conuenit situs.

Ad secundum dico, quod deitas est communis omni subsistenti in natura diuina, & est aliquid subsistentis,

in

in natura diuinâ: & ideo non posset realiter distingui ab aliquo, nisi esset aliquo modo componibile cum isto: quia non est intelligibile, quod in aliquo subsistente sint plura, nisi vnum sit componibile cnm altero: persona autem non est aliquid cuiuscũque subsistentis in natura ista: & ideo licet persona sit in persona: non tamen oportet, quod sit ipsa, vel componibilis ipsi, sicut oporteret dicere de deitate.

K Ad tertium dico, quod quando abstractum dicitur esse in aliquo, aut de virtute sermonis denotatur esse, in, sicut forma in informato: sicut cum dicitur, color est in lapide, non significatur esse in, sicut pars in toto: sed sicut forma in informato: & tunc ista propositio est neganda. Filiatio est in Patre: & tunc prima consequẽtia nõ valet. Aut hoc non habetur de virtute sermonis: sed exvsu, sicut dicimus calorem esse in luce, non sicut in subiecto: & tunc concedi potest ista, Filiatio est in Patre, accipiendo esse, in, pro inexistentia intima, *de qua infra. Aut*, nec sequitur vltra: igitur Pater est Filius: sed est fallacia æquiuocationis, inferendo ex antecedente, quasi in, acciperetur ibi per modum formæ.

L Ad quartum concedo, quod Deus est in Deo, & hoc concedit Hylarius, 7. de Trini. Sed cũ infertur: ergo Deus distinguitur à Deo: nego consequentiam, propter fallaciam consequentis. Hæc enim præpositio, in, non notat virtutem confundendi suum casuale: nec hoc habet, & ideo potest casuale, eius stare pro supposito aliquo determinato indeterminate. Distingui autem distribuit terminum huius relationis, õ fuse, & distributiue propter negationẽ inclusam: & ideo casuale huius præpositionis, non infert terminum huius relationis: sicut non sequitur, Deus generat Deũ: ergo Deus distinguitur à Deo, propter similem rationem.

Ad quintum dico, quod exitus Filij à Patre, est processio producti à producente: nunc autem talis exitus nihil prohibet, quin exiens maneat in eo, à quo exit: quia recipit eãdem naturam, cum eo à quo procedit. M.

Expositio art. 1. quæst. 2. distinct. 19.

DISTINCTVM, & clarum ordinem procedendi in tota hac quæst. proponit huius art. litera: Nam postquam concludit Doctor in illa, conclusionem esse planam, quod vna persona diuina est in alia, iuxta illud Ioannis cap. 10. *Ego in Patre, & Pater in meest*: tria inquit videnda esse, vt id, quod circa hoc fides docet, ratio scrutetur. Filium namque esse in Patre, & Patrem in Filio, de fide est. Qualiter autem vnus sit in alio, inuestigat Theologia. Ordinate ergo Doctor procedit, postquam fidei veritatem conclusserat. Primo quærendo modum, quo vna persona est in alia? quod in 2. art. resoluit. Deinceps quærit rationem huius inexistentiæ vnius personæ in alia? Cui respondet in 3. art. Tandem aliquẽ similem modum in existendi vnius creaturæ in alia inquirit: vt exemplo creaturarum facilius prædicta veritas perpendatur: & hoc in 4. art. concludit. In quinto vero ostendit, ex eo quod vna persona sit in alia, non inferri esse in se ipsa. Quinque autem argumenta, quæ intendunt probare in principio articuli, vnã personam diuinam non esse in alia, optime soluuntur in textu. *Ioan. c. 10.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Pater sit in Filio secundum totum, an vero secundum partem?

AD secundum sic proceditur. A
Videtur, quod Pater non sit in Filio secundum totum: sed se

secundum partem: quia illud, quod est in alio primo, *id est secundum totum*, quælibet pars eius est in eo æque primo: sicut si terra primo esset in centro, quælibet pars terræ est æque primo, quantum est ex se: igitur si Pater primo est in filio, quælibet pars Patris primo erit in filio: & ita Pater nō est æque primo, sicut deitas in Filio. Et ex hoc vltra: sicut Deitate Filius est Deus: ita paternitate Filius erit Pater, quod est falsum.

B Secundo præterea: quia illud, in quo primo est aliquid, videtur quasi ambire illud, & penetrare, & continere: idem autem respectu eiusdem continere, & contineri, ambire, & ambiri, non est intelligibile: ergo, &c.

C Sed contra est, quia esse, in, non dicit aliquid ad se, secundum omnem opinionem: igitur relationem personæ ad personam: non relationem originis: quia illa non est eiusdem rationis in extremis: Personæ autem vniformiter sunt in se inuicem secundum istos; *quorum sunt proposita argumenta*: ergo dicit relationem communem: sed relatio communis, secundum eandem rationem fundamenti, est in supposito, quod refertur, & in supposito, ad quod refertur: sicut similitudo requirit eandem rationē aibedinis in simili, quod refertur, & in simili, ad quod refertur: igitur, si illud aliud, ad quod refertur persona inexistēs, sit tale primo, quod in ipso sit persona illa: sequitur quod persona inexistens primo erit relata illa relatione, & non per aliquid sui præcise.

D Respondeo dicendum, quod duobus modis potest intelligi aliquid esse in alio, *vt à quibusdam* dicitur: primo, ideſt secundum totum: sicut vinum est in amphora. Vel secundum partem: & hoc dupliciter, vel ita quod pars sit in alio, & nihil eius sit, vt pes auis in laqueo, & nihil eius est: & per hoc auis tota dicitur esse in laqueo: vel quod pars eius sit in alio, & sit aliquid eius, & per hoc illud, cuius est pars, dicitur esse in illo, in quo pars illius dicitur esse: sicut si aliquod monstrum habens duo capita, & duo corpora, haberet tamen duos pedes: tunc vnum diceretur esse in alio per pedem eius, qui est alterius.

Henric. in sum. art. 15 & quotli. 6 quæst. 2.

Ad propositum dicitur, quod Pater non est in Filio primo modo: quod probatur dupliciter, *argumentis positis in principio articuli*. Ex quibus igitur oportet, quod sicut in creaturis dicitur aliquid secundum partem esse in alio, non primo: ita vna persona dicatur esse in alia, secundum aliquid sui, quod nihil sit eius, in quo est: quia illud esset relatio personalis personæ inexistentis: & istud non est ratio, qua persona est in persona: sicut patebit in sequenti articulo, in quo concordo secum: ergo illud est essentia, quæ ita est aliquid inexistentis, quod est aliquid eius, in quo coexistit. Et quod propter istam essentiam Filij inexistentem Patri, Filius sit in Patre, probatur, *argumento secundo sequentis artic.* Distinguitur tamen de persona, quæ est in alia, & in qua est alia: quia licet persona, quæ est in alia ponatur in ea non primo, sed per aliquid sui, ideſt, per essentiam: tamen persona, in qua est alia, est in qua primo est alia ideſt se tota: quia se tota habet aliquomodo rationem ambientis, & continentis Dei tatem: quæ licet non sit pars personæ existentis, est tamen aliquid personæ.

E

Opinio eiusdem Henri.

Contra istam opinionem primo, *vt supra. §. sed contra a.* Secundo sic: quando aliquid dicitur esse in alio secundum partem: eodem modo est in isto secundum partem, quo ista pars est in isto primo. Exemplum: si homo sit in terra per pedem: sicut pes est in terra localiter: ita homo est in terra localiter per partem: non autem si pes est, ibi, quasi in loco, homo erit ibi si-

F

cut

cut forma in materia: ita etiã si albedo est in homine secundum partem: quia secundum faciem eo modo essendi, in quo est in facie primo, puta, vt accidens in subiecto: eo, inquam, modo est in homine per partem: quia sicut in subiecto: ergo si Filius est in Patre per essentiam, quæ formaliter est in Patre: sequitur, quod Filius erit in Patre quasi formaliter: licet secundum aliquid sui, quod non est esse, in, secundum circumincessionem.

G. Respondetur, quod maior est vera, loquendo de illo, quod est ratio proxima alicuius essendi, in non autem de ratione remota. Essentia autem, vt est formaliter in Patre, non est ratio proxima Filij essendi in Patre: sed remota: proxima autem est, vt est sub proprietate personæ inexistentis.

H Contra hoc concedit propositum: quia illud dicitur conuenire alicui primo, quod non conuenit ei secundum aliquam partem sui, sed secundum, quod est ex omnibus partibus suis integratum: igitur ita hîc, cum non sit in persona (secundum istos) nisi relatio, & essentia: quidquid conuenit personæ non præcise ratione alterius istorum, sed ratione essentiæ cum relatione simul, vel è conuerso: hoc conuenit sibi primo: quia hoc dicit personam secundum se totam. Præterea, proprietas personæ, vt est incommunicabilis, non conuenit formaliter essentiæ, sicut essentia non generat, nec generatur: non distinguitur, nec refertur: nec etiam ê conuerso, proprietas, quæ est essentiæ, vt communicabilis, conuenit personæ: quia iste est proprius modus essentiæ, vt distinguitur à persona: quia essentia est vna in tribus: persona autem nullo modo: nec primo, nec secundum aliquid sui, est vna in tribus: igitur iste modus essendi, in, quo essentia est in Patre, vt quasi forma, puta, vt qua Pater est Deus, nullo modo cõuenit personæ: quia iste est proprius modus essentiæ, secundum quod distinguitur á persona.

Quantum ergo ad istũ articulũ, di I.
co quod prædicatũ conuenit alicui toti primo (vt primo distinguitur contra illud, quod est secundum partem) *Tex.com.1*
vt dicitur. 5. Phys. in principio, quod non conuenit ei præcise: quia parti illius conuenit: & per oppositũ nihil dicitur conuenire alicui toti secundum partem, nisi quod conuenit parti, & per partem dicitur de toto: sicut patet per Philosoph. 5. Phys. in eius exemplo: sanatur homo, quia thorax eius sanatur: nam formaliter sanari, dicitur *Tex.com.1*
de thorace, & primo: & per cõsequẽs, per hoc de toto: cuius totius thorax est pars: tale prædicatum primo inhærens alicui toti, aliquando nulli parti ipsius totius inest. Exẽplum primi, triangulus primo habet tres angulos, &c. & tamen nulla pars trianguli (loquendo de partibus integralibus) habet hoc prædicatum, scilicet, habere tres. Similiter homo primo est risibilis, & tamen nulli parti eius primo inest hæc passio: & compositum generatur primo: licet nulla pars eius generetur primo, loquẽdo de isto modo eius, quod est generari: & ita vniuersaliter in omnibus subiectis etherogeneis, & passionibus eorum.

Et ratio est ista: quia natura talis sub K
iecti, adæquata est tali prædicato, quã adæquationem notat talis primitas, sicut patet ex diffinitione vniuersalis, *Tex.com.2*
primo poster, & natura illius totius adæquati, in nulla parte saluatur: & ideo eius passio nulli parti conuenit. Exemplum secundi est: si ignis sit primo calidus, quælibet pars ignis erit primo calida. Ita etiam Philosop. 7. Phys. c. arguit, quod nullum corpus *Tex.com.1*
potest à se moueri primo: quia tunc *& 2.*
quiesceret ad quietem partis: non enim primo mouetur, nisi motus in

esset

esset cuilibet parti eius: si enim alicui parti eius non inesset motus, tunc toti primo non inesset: & ita est vniuersaliter in subiectis omogeneis, & passionibus eorum. quia natura ista, cui primo, ideſt, adæquate conuenit talis passio: ipsa est eiusdem rationis in parte, & in toto: igitur prædicatum adæquatum tali naturæ conuenit cuilibet, in quo est ipsa natura: & ita conuenit parti: non igitur propter rationem primitatis, oportet prædicatum, quod conuenit toti naturæ, conuenire parti: imo nunquam propter hoc oportet, quod conueniat parti: sed præcise, quando natura totius est eadem in toto tali, & in parte eius.

L Ad propositum *applicando*, dico quod iste modus essendi, in, non est per illum modum, quo natura est in supposito, vel forma in materia: sed sicut subsistens est in subsistente, secũdum Hylarium. 7. de Trinit. cap. 6. vbi dicit sic, inesse, non vt aliud in alio, vt corpus in corpore: sed sic inesse, ac subsistere vt in subsistente insit: vt sit ita inesse, vt ipse subsistat. Subsistere autem, ideſt, incommunicabiliter per se esse, conuenit personæ primo: non non enim de persona dicitur, quia de essentia, vel de relatione dicitur: sicut etiam agere in creaturis, vel produci, primo conuenit supposito toti, ideſt, non sibi, quia parti: ergo, & subsistere, in, primo conuenit personæ. Licet enim natura primo insit Patri, vt natura in supposito: illa tamen non est subsistentia, vel inexistentia subsistentis in subsistente: sed præcise illa inexistentia, qua totus Filius inexistit præsentialiter, & intime in toto Patre. Cui alludit illud Ambrosij in Hymno 2. In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater. Et tunc ad argumenta dictæ opinionis contra istud membrum *Respondeo*.

Conclusio. Ambr. hymno. fer. 2. ad andes.

M Ad primum dico, quod illa maior est dupliciter falsa: primo, quia nõ oportet, omne illud prædicatum, quod primo conuenit toti, conuenire parti, vt ex determinatis satis patet. Secundo quia si alicui parti conuenit, vel totiratione alicuius partis, non oportet alteri parti competere ratione cuiuscũque partis: & maxime: quãdo illæ partes non sunt eiusdem rationis in integrando totum: sicut homo est primo rationalis. quia differentia specifica, sicut rationale, primo dicitur de specie: primo etiam habet homo actum illum, qui conuenit animali rationali, in quantum rationale, scilicet intelligere, vel ratiocinari: & tamen nõ æqualiter conuenit istud prædicatũ vtrique parti hominis, scilicet animæ & corpori: forte enim formaliter potest dici de anima, & nullomodo de corpore: nõ tamẽ dicitur de homine, quia de anima: quia tunc competeret homini secundum partem: sicut esse longum competit homini secundum partem: quia secundum corpus: & si etiam intelligere neutri parti competeret: ita quod non posset dici de ea: non tamen æqualiter se habet vtraque pars ad inhærentiam prædicati totius: non enim est ita corpus ratio inhærentiæ huius prædicati, sicut anima. Et hoc, quia illæ partes, scilicet corpus, & anima, non sunt partes eiusdem rationis, in integrando totum: sed altera materia, altera forma. Materia enim non est ratio operandi, sicut forma, ipsi toti primo operanti. Ita igitur in proposito, propter Patrem primo esse in Filio, non oportet concedere diuinitatem esse in Filio: vel paternitatem, in illo modo essendi, in. Si tamen concederetur, nõ oportet adhuc concedere ex æquo: quia non sunt eiusdem rationis in persona, quæ includit eas.

Et vlterius, cum arguitur: si æque essent in Patre: ergo si vnum formaliter: & reliquum: non valet: sed est falla N

cia

tia æquinocationis: quia in antecedente, accipiendo illa esse in Patre, accipitur esse in subsistente, vt præsentialiter: & in consequente infertur alius modus essendi, in, qui non est ille modus formaliter: licet præsupponatur illi modo essendi, in: vnde ex modo essendi, in, per præsentiam, concluditur modus essendi, in, per informationem.

O. Ad secundum dico, quod illud nō est tantum contra membrum istud de esse in primo: sed etiam contra cōclusionem principalem, *quæ est in præcedente art 1ª* enim videtur esse impossibile in creaturis, quod idem respectu eiusdem contineat, & cōtineatur, vel ratione partis contineatur, & ratione totius contineat: sicut quod idem primo contineat, & contineatur. Et ideō respondeo ad argumentum, & dico q̄ iste modus essendi, in, non dicit continentiam, sed præsentiam subsistentis in subsistente: & ita est vltius rationis in vtroque: quia sicut hoc subsistens est præsens illi, sic illud isti.

Expositio art. 2, quæst. 2. distinct. 19.

LITERA huius artic. non est tam plana: sicut illam planam iudicauit Lychetus: nam quāuis sit plana conclusio articuli præcedētis, vt dicit Doctor, quod scilicet, Pater est in Filio, & Filius in Patre: modus tamen, quo vnus est in alio, tam in se, quam circa ea quæ habentur in textu, difficilis est: quia tamen de hoc erit sequens difficultas, nempe difficultas 7ª, illic ea differo exponenda, vt quæ difficilia sunt, clara reddantur, & Henrici, & aliorum sententiæ declarentur. Nunc ergo reiecto, Henrico concludit Doctor in textu, Patrem esse in Filio secundum se totum, & similiter Filium in Patre, quod idem est de Spiritu Sancto.

Lychethus

ARTICVLVS. III.

Virum sola diuina essentia sit ratio inexistentiæ, qua filius est in Patre?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod sola diuina essentia sit ratio, in existentiæ, qua Filius est in Patre: quia sicut in creatis dicitur aliquid esse in alio: ita vna persona esse in alia secundum aliquid suū: non est autem secundum aliquid suū, quod nihil sit eius, in quo est: quia illud esset relatio personalis personæ inexistentis, & istud non est ratio, qua persona est in persona: ergo illud est essentia, quæ ita est aliquid inexistentis, quod est aliquid eius, in quo coexistit. Et quod propter istam essentiam Filij inexistentem Patri Filius sit in Patre, probatur *in secundo argumento*.

A

I

Secundo preterea: quia vbicunque est fundamentum relationis alicuius, ibi est relatio fundata in ea: ergo vb cūque est essentia, in qua fundatur filiatio, ibi est filiatio: *ergo quia* essentia Filij inexistit Patri, Filius est in Patre.

B.

Sed contra est: quia tunc Pater esset in se, quod falsum est, eo modo quo intelligit saluator Patrem esse in Filio, & Filium in Patre: quia sic inesse, requirit distinctionem realem.

C

M

Respon-

D. *Prima conclusio.*

Respondeo dicendū quantum ad tertium articulum,& dico,quod nec essentia sola est ratio huius inexistentiæ:nec relatio sola.Primo probo *ratione iam posita*:quia Pater esset in se, &c.Secūdo probo: tùm quia relationes originis nonsunt eiusdē rationis in personis relatis, & ita si illæ essent formales rationes essendi personarū in se inuicē,non essent personæ in se inuicem vniformiter,quod est cōtra prædicta *in 2.art.arguendo contra primam opinionem*. Tumsecundo,quia si per impossibile ipse Deus produceret alium Deum:non esset iste Deus in illo:quia secundum Damasc. cap. 5.si essent duo dij,nō possent esse simul,& ita neuter esset immensus, & ita nec Deus:tamē vere esset relatio producētis ad productū. Tùm tertio quia si per impossibile duæ personæ essent sine origine, sed tamē haberēt eandem essentiam cum distinctione reali, essent in se inuicem : quia non posset essentia vnius personæ esse in alia,nisi ipsa,quæ omninò eadē est illi essentię,esset in ea,licet alio modo essendi,in. Tùm quarto, quia in creaturis sunt verę relationes originis,& principiantis, & principiati , & tamē ibi propter diuersitatē naturę in ipsis relatiuis, neutrum est in alio.

E. *Secunda cō clusio.*

Ex his sequitur,cum nō sit in persona,nisi essentia & relatio , secundū communem opinionē, quod ambo erunt totalis ratio inexistētiæ. Et ad intelligendum quomodo hoc sit, potest accipi exemplum in creaturis de similitudine: nihil enim est sibi simile,sed alteri:similitudo tamen fundatur super vnitatem in æqualitate secundum Philosophū 5. Metaph.cap. de ad aliquid , nec igitur sola diuersitas relatiuorū,nec sola vnitas fundamenti, sufficit ad similitudinem , sed ambo requirūtur per se,sicutvna causa totalis:ita hic,nec distinctio personæ inexistentis,& in qua est alia:nec vnitas essentiæ, per quam sunt in se inuicem , est tota ratio ine^xistentiæ: sed ambo simul.

Text. com. 20.

Ad primum argumentum *patet ex dictis , & per* exemplum in creaturis de similitudine. Ex quo sequitur, quod essentia, & relatio ambo erunt totalis ratio inexistentiæ. F.

Ad secundum,*respondetur,quod (sicut dictum est)* ambo erunt totalis ratio inexistentiæ: sicut tamen in similitudine est principalior ratio vnitas fundamenti, quàm distinctio ibi extremorum, & similiter immediatior: ita hic potest poni immediatior, & principalior ratio inexistentię istius, vnitas essentiæ,quàm distinctio personarum. G.

Expositio art.3.quæst.2. distinctionis 19.

POSTQVAM in præcedenti art. cōclusorat Doctor vnā personā in alia esse secundum se totam: hic consequenter quærit rationem istius inexistentiæ, qua vna est in alia: an scilicet sit sola essentia,an sola relatio cōstitutiua personæ,an vtraque simul? & vt consequenter loquatur , asserit neutram se sola,sed vtrāque simul,tàm scilicet essentiam, quàm etiā relationem esse rationem omnem inexistendi vnam personam in alia. Vazquez verò, 1. part. dis. 169. cap. 2. etiamsi Doct. sententiam amplectatur, quoad hoc quod est vnā personam esse in alia secundum se totā nihilominus in reddēda ratione huius inexistentiæ , dicedit ab eo: nam postquam num.6. refert sententiam Durandi, qui distinguit rationē, & fundamentum duplicis relationis : nempe vnius ex parte illius personæ , quæ continet aliam: & alterius, ex parte illius personæ, quæ continetur , seu est in alia: ita quod prima ratio inexistendi est secundum totum esse personæ:secunda verò secundum partem illius, scilicet secundum essentiam. Cuius sententiæ fundamentū nullum aliud est,nisi quod persona continens , secundum se totam cōtinet aliam: persona verò contenta, secundum partem sui, vtpotè secundum essentiam est in alia. I

Hæc itaque sententia relata, inquit Vazquez, severius existimare idem omnino esse fundamentum, & rationē vtriusq; relationis: & hanc esse essentiam, connotatis personis, & simul esse fundamētū diuersæ relationis in distinctis personis, cōtinentis videlicet, & quæ cōtinetur: & antea numero 5. absolute dixerat rationem huius inexistentiæ esse solam essentiam. In quibus duo dicit Vazquez, vnum est, idem esse fundamentū vtriusque relationis: & in hoc bene dicit, & conformiter doctrinæ Scoti, quā hic se sequi affirmat. Nam in art. sequenti sub litera F. hæc inquit Doctor. *Iisto modo essendi, in, vtrūque extremum secundū eandem rationem est in alio, quia hic notatur præsentia mutua, non continentia extremi, ab extremo.* Alterum est, hoc tale fundamentum, seu rationem, esse essentiam: quod etiam tenet Suarez 1. parte tractat. 3. lib. 4. cap. 6. num. 6. In quo ab Scoto discedunt, qui expresse ponit totam personā, scilicet vt complectentem essentiam, & relationem, esse rationem huius inexistentiæ: nō quidem connotatiue vt Vazquez aiebat, sed formaliter, ita quod essentia, & relatio de principali significato simul sunt ratio inexistendi, vnam personam in alia. Hoc expresse tenet Seraphicus Doctor, D. Bonauentura, in primo dist. 19 quæst. 4. §. *Respondi dicendū* hæc dicens. *Ratio circumincessionis est perfecta vnitas essentiæ cum distinctione personarum.* Etsi nobis obijciat Vazquez rationem inexistentiæ huiusmodi, esse eandem, quæ est similitudinis: hæc autem est essentia ergo, &c.

Suarez.

Optime respondet Doctor solutione ad 2. argumentum, quod ambo erunt totalis ratio inexistentiæ. Sicut tamen in similitudine est principalior, & immediatior ratio, vnitas fundamenti, quā distinctio extremorum: *sic in præsenti immediatior, & principalior ratio in existentiæ istius, erit vnitas essentiæ, quàm distinctio personarum.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrū in rebus creatis sit aliquis modus inexistendi, similis illi, quo vna diuina persona est in alia?

QUARTVM sic procedi tur, videtur, quod in rebus creatis sit aliquis modus inexistendi, similis illi, quo vna diuina persona est in alia, *quod probatur per exempla infra in corpore articuli ponenda.* A.

Sed contra est, quod dicit Hylar. 3. de Trinit. & ponitur in litera, naturaliter enim intelligentia humana rationem huius dicti non capit: nec exemplum aliquod rebus diuinis comparatio humana præstabit. B.

Respondeo dicendum quantum ad quartum articulum, & dico, quod modus essendi, in, non est aliquis istorum modorum formaliter, quos ponit Philosophus 4. Physic. formaliter dico: quia omnes illi modi sunt per hoc, quod contentum est aliquid continentis, quo modo non è conuerso. Vel per hoc, quod continens est aliquid contenti quo modo non è cōuerso, neutra illarū rationū in proposito: quia diuersitas est ibi maior ratio essendi, in, quàm vnitas, contrarium est in proposito: ideò bene dicit Hylarius, *vt supra*, quod nec exemplum aliquod rebus diuinis cō paratio humana præstabit. C. *Prima conclusio.*

Colligendo tamen ea, quæ sunt perfectionis in creatura, tollendo ea, quæ sunt imperfectionis, possunt poni aliqua exempla huiusmodi essendi, in: licet enim haberi perfecte non possunt, tamen imperfecta exempla imperfectè representantia illum modum essendi, in, possunt adduci: primo quidem de illapsu essentiæ diuinæ respectu creaturarum, ad quem illapsum concurrunt simul immensitas naturæ diuinæ, & eius manutenentia. Circunscribatur ergo ab illapsu, ratio manutenentiæ: ita quod reseruetur ratio potentiæ propter immensitatem, absque ratione conseruationis, siue ratione potentiæ actiuæ pertinentis D. *Secunda cō clusio.*

ad

ad manutenentiam: hoc circunſcripto, ſicut Deus (quia immenſus) præſens eſt omni creaturæ, abſque hoc quod illud manuteneat, & tunc ſi ponatur vna natura in præſente, & in illo cui eſt præſens: propterquã naturam vnam, oporteat ipſum eſſe præſens: erit exemplum ad propoſitum de iſto modo eſſendi, in.

Aliud exemplum eſt de anima nõ informante corpus, præſente tamen corpori, ſicut in inſtanti mortis: aut de Angelo non informante corpus, ipſo tamen præſente: aut de corpore glorioſo, præſente corpori non glorioſo: vel melius exemplum, ſi poſſet corpus glorioſum inexiſtere alij corpori glorioſo æquè ſubtili: in his omnibus, eſſe, in, eſt ſubſiſtentis, & præſentis, non per informationem per modum partis. Etſi in iſtis addatur vnitas naturæ, quæ de neceſsitate naturæ exigat talem præſentiam: eſt perfectius ſimile.

G. Aliud etiam eſt exemplum de potentijs animæ, quæ ſi ponãtur differre ex parte rei, & cum hoc tamen eſſe idem realiter eſſentiæ animæ: de neceſsitate, vnã erit in alia: quia in alia eſt eſſentia animæ, cui illa potentia eſt eadem: igitur diſtincta aliquo modo realiter erit indiſtincta: ſed ſi vtrumque iſtorum eſſet per ſe ſubſiſtens: diſtinctum erit in ſubſiſtente præſentialiter, & erit exemplum eſſendi, in, pro omnibus iſtis exemplis.

H. Et ad declarationem duorum articulorum præcedentium, poteſt addi: quod in iſto modo eſſendi, in, vtrũque extremum ſecundum eandẽ rationem eſt in alio: quia hic notatur præſentia mutua, non continẽtia extremi ab extremo: quia ſi intelligatur corpus eſſe in loco: hoc eſt ſicut contentum à continente, non enim eſt hoc modo, in: ſed ſi intelliguntur duo corpora eſſe in eodem loco in ſe inuicem: hoc eſt ſecundum eandẽ rationem: quia ſunt ſimul, & ſi multas dicit relationem communem vnius rationis in extremis: etſi per impoſsibile circũſcribatur locus, & ponatur ſimul præſentia corporum, erit relatio vnius rationis in extremis, & vtrunque in altero ſine continentia, vel vnius ab altero, vel amborum à tertio.

Nota pro art. 1. & 3.

Ad argumentum *de exemplis, ſatis patet ex dictis, quod* ſunt exempla imperfecta imperfectè repræſentantia illum modum eſſendi, in.

Expoſitio art. 4. quæſt. 2. diſtinction. 19.

LICET cum D. Hylario fateatur Doctor, nullum exemplum eſſe in creaturis, quo hæc inexiſtentia vnius perſonæ in alia, perfectè percipiatur: nam vt inquit D. Bonauẽ. in 1. diſt. 19. quæſt 4. § *Reſpondeo dicendum* & alibi; *hoc proprie & perfectè eſt in ſolo Deo* imperfectè tamen à creaturis, non nulla ſumit exẽpla quibus hunc modũ inexiſtẽdi aliqualiter declarat. Sed præomnibus præclarius eſt poſterius de potentijs animæ, vt ipſe ait. Nã ex eo quod exẽplorum non requiritur veritas in omnibus: non inconuenit, potentias animæ eſſe realiter indiſtinctas, & neutram per ſe ipſam ſubſiſtere, ad hoc vt poſsit in illis poni exemplum: quia poteſt intellectus illis ſuperaddere aliquid vltra ea, quæ ex natura rei habent: vt ex inde per illas intelligat exemplificatũ. Si ergo potentiæ huiuſmodi realiter diſtinguerentur adinuicem, ſaluo tamen hoc, quod ſic diſtinctæ, eſſent realiter idem cum tertio, nempe cum anima; & inſuper vnaquæque per ſe ſubſiſteret: tunc vna potentia eſſet in alia, quia in alia eſt eſſentia animæ, cui illa potentia eſt eadem: & erit diſtinctum in diſtincto, & ſubſiſtens in ſubſiſtente. Hoc ergo modo ſublatis imperfectionibus exemplorum, Pater eſt in Filio, & Filius in Patre.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ex eo, quod Pater est in Filio, & Filius in Patre, inferatur, quod Pater est in se?

A. AD quintum sic procedi
I tur, videtur, quod ex eo, quod Pater est in Filio, & Filius in Patre inferatur, quod Pater est in se: quia si Pater est in Filio, & Filius est in Patre: ergo Pater est in se. Consequentia probatur, per Philosophum 4. Physic. si aër in igne, & ignis in cælo: ergo aër est in cælo: igitur à simili hic.

Text. com. 14.

B. Secundo præterea, confirmatur per illud Philosophi, in anteprædicamentis, quidquid sequitur ad prædicatum, sequitur ad subiectum: & per istas maximas, quidquid sequitur ad consequēs, sequitur ad antecedens, & quidquid antecedit ad antecedēs, antecedit ad cōsequens, & quod est prius priore, est prius posteriore, & quidquid est causa causæ, est causa causati.

C. Sed contra est: quia non sequitur: quidquid est simul cum A. est simul cum omni eo cum quo est A. *vt infra patebit: ergo, &c.*

D. Respondeo dicendum, quod iste modus arguēdi tenet, vbi vera est talis propositio, per quā tenet talis modus arguendi: tenet autē generaliter per talē propositionē, quidquid habet aliquā habitudinē ad aliquid, habet similē habitudinē ad illud, ad q illud aliud habet habitudinē talē: ista propositio frequenter vera est in relatiuis suppositionis, & superpositionis, non tamē est vniuersaliter vera. Sed de isto non dico modo: quia argumentum hoc procedit de esse, in, quod (vt sumitur in proposito) notat relationem communem.

E. Quantum igitur ad relationes cōmunes dico, quod ista propositio est vniuersaliter falsa, putà quidquid est simile Sorti, est simile omni simili Sorti: hoc enim includit, quod aliquid sit simile sibi ipsi: quia illud cadit sub ista distributione, omni simili. Sed ad hoc, quod sit vera, oportet addere specificationem istam, omni alij à se, & tūc virtute talis propositionis specificantis, tenet talis modus arguendi, procedendo, nō cōuertēdo: putà, non sequitur: Sortes est similis Platoni: Plato est similis Sorti: igitur Sortes est similis Sorti: quia propositio ista est falsa, quidquid est simile Sorti, est simile omni simili Sorti: nisi addatur omni simili Sorti, alij a se: & tunc nō cōcluditur Sortes sub ista distributione, nec potest argui conuertendo ad Sortem: sed tantum procedendo.

F. Sed adhuc talis additio non sufficit ad veritatē talis propositionis, nec ad efficaciam talis argumentationis: sed oportet addere, quod mediū ad quod cōparātur extrema, sit limitatum secundum talē rationem: quia non sequitur, quidquid est simul cū A. est simul cum omni eo, cū quo A. est simul omni inquam alio à se, si ipsum A. sit illimitatum: quia tunc existens Parisijs, esset simul cum existēte Romę: quia sunt simul cum Deitate immēsa, & illimitata ad illos. Nec etiam omnia ista sufficiunt, nisi addatur, quod mediū non varietur, vt cōparatur ad extrema.

G. Ad propositum ergo dico, quod argumentū, scilicet Pater est in Filio, & Filius est in Patre: ergo Pater est in se, non valet: quia arguitur conuertendo, non procedendo. Vt tamen de relatiuis disquiparātię breuiter dicatur: dico, q talis modus arguēdi generaliter nō tenet, nisi per rationem prioris, & posterioris, quod fere est cōmune omnibus talibus relatiuis, quid-

quidquid enim est prius priore, est prius posteriore: & vt generalius dicatur, quidquid habet ordinem ad aliquid, habet similem ordinem ad quodlibet aliud, ad quod illud habet ordinem talem. Ista propositio est vera in ordine essentiali, non intelligendo conditionem specialem ordinis, putà mediationem, vel immediationem, propinquitatem, vel remotionem.

H. Ad primum argumentum *satis ex dictis patet*, quod non valet: quia arguitur conuertendo, non procedendo, & propositio confirmans talem modum arguendi falsa est: argumentum tamen Philosophi 4. Phisicor. tenet: quia arguit tantùm procedẽdo, & accipiendo medium limitatũ, & non variatum: sed argumentum est in relatiuis suppositionis, & superpositionis. Vnde non multum est ad propositum de esse in in proposito, vt dicit relationem communem: de relatiuis tamen disquiparantiæ *iam supra constat, qualiter* tenet talis modus arguendi: quia igitur esse, in, ipsius aëris in igne, dicit ordinem essentialem, & similem modum dicit esse, in, ignis in cælo: tenet illa consequentia procedendo: & hoc quia proceditur secundum rationem generalem ordinis: non specificando ordinem mediatum, vel immediatum, propinquum, vel remotum. Vnde non sequitur, A. est Pater, B. B. est Pater, C. ergo A. est Pater C. vt Pater denotat immediatũ ordinẽ ad C. vt ad Filiũ, sed bene sequitur, vt notat principiatum in cõmuni, prout Pater extenditur ad auum, vel proauum.

I. Ad secundum *iam responsum est in corpore art. & exinde constat, vide ibi qualiter* talis modus arguendi tenet per modum prioris, & posterioris, & *qualiter* quidquid est prius priore, est prius posteriore.

Expositio artic. 5. quæst. 2. distinctionis 19.

CONCLVSIO est, non sequi ex eo quod Pater sit in Filio per inexistentiam, quod Pater sit in seipso: quia requiritur distinctio personalis vnius personæ ab alia, vt vna sit in alia, quam distinctionem non habet Pater à se, vt per circuminsessionem dicatur esse in se. Litera clara est, in qua Doctor subtiliter tradit certum modũ, & formam arguendi, vt teneat consequentia: & quia textus expositione non indiget, non plus immoramur in illo.

DIFFICVLT. LXXIX.

Vtrũ vna diuina persona per circuminsessionẽ sit in alia secundum se totam, aut tãtum secundum essentiam?

§. 1.

Proponitur opinio Henrici, & Aureoli.

TAMETSI plena huius difficultatis resolutio à Doctore habeatur in 2. artic. textuali huius q. 2. quia nihilominus oportet circa hoc aliorũ placita recensere, & rem exactius indagare: difficultas præsens subexcitatur. Aqua facillime se eximit D. Thom. 1. p. q. 42. a. 5. in corpore, dum ait Patrẽ esse in Filio quia est sua essentia, & cõmunicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Vnde sequitur quod cũ essentia Patris sit in Filio, quod in Filio sit Pater: & similiter è contra, cum Filius sit sua essentia, sequitur quod sit in Patre, in quo est eius essentia. Etiam secundũ relationes manifestum est (inquit D. Tho.) quod vnum oppositorũ relatiue, est in altero secundum intellectum, & secundum originem. Etiam ait manifestum esse, quod processio Verbi intelligibilis non est

D. Thom. quid senserit.

aliquid ad extra, sed manet in dicente: & asserit, quod eadem ratio est de Spiritu sancto. Quibus concludit D. Thom: vnam personam esse in alia secundum essentiam, & relationem, & originem: sed qualiter hoc sit, non sufficienter declarat: & ideò manet anceps, & dubius intellectus circa intelligentiam huius difficultatis.

2 *Opin. Henrici.*

Henricus verò, quem refert Doctor in textu citati art. 2. vlteriùs progreditur: non enim solùm determinat secundum quam rationem sit vna persona in alia: sed etiam modum, qualiter sit in illa resoluit. Circa primum ergo dicedit à D. Thoma: quia tantùm arbitratur vnâ personam esse in alia secundum essentiam, non verò secundum relationẽ, aut originem. Circa secundum verò ponet illos duos modos essendi in alio, qui habentur in textu in expositione sententiæ illius, de vino in amphora secundũ se totum: vel de aui in laqueo secũdum partem, aut demonstruo illo, &c. quæ quia latè habẽtur in 2. art. textuali à Doctore relata, non repetũtur hic. Quibus tamen prænotatis concludit Henricus vnam personam non esse in alia secundum totum suum esse: sed secundũ partem, hoc est secũdum essentiam: & hoc non sicut auis in laqueo, sed secundum aliquid, quod est vtrique cõmune: quia ergo essentia est vtrique personæ communis: ideò secundum illam vna persona est in alia. Hunc modum dicendi sequitur Durand. in 1. dist. 19. q. 4. necnon & Aureolus ibid. quæst. 1. quam sentẽtiam probant argumenta, quæ habẽtur in textu: vltra quę insuper secũntur hæc.

Durand. *Aureolus.*

3 Primo, quoniam si vna persona esset in alia plusquam secundum essentiam, consequenter esset in illa secundum relationem: & sic Pater esset in Filio secũdum paternitatem: ergo in Filio non tantùm esset essentia Patris, sed etiã paternitas illius: & tunc Filius esset Pater, quod est absurdum. Et similiter si Filius esset in Patre secundum filiationem: Pater haberet in se filiationem; & consequenter esset Filius: hæc autem sustineri non possunt: ergo, &c.

4 Secundo arguit Durandus, & est tertium argumentum illius: nam illud, per quod vna persona distinguitur ab alia, non potest esse ratio, quare vna sit in alia: quia illud, per quod vna est in alia, est commune vtrique, & est in vtraque: alioquin non esset ratio, quare vna persona esset in alia: sed relationes, quibus personæ diuinæ distinguuntur, nõ sunt communes ipsis personis: ergo secundum relationem non dicitur vna persona esse in alia.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, cum suis fundamentis.

IN oppositum autem est litera textualis in 2. art. huius quæst. 2. dist. 19. vbi Doctor loquendo de inexistentia, qua Pater est in Filio, hæc profert: *Est præcisè illa inexistentia, qua totus Filius inexistit præsentialiter, & intime in toto Patre.* Sequũtur Doctorẽ Bassolis, Rubionis Lychetus, Tataretus, Ioannes Vigerius in eadem quæst. 2. & omnes alij Scotistæ tàm veteres quã recentiores: est q; ex pressa sententia Seraphici Doctoris Bonauent. in hac dist. 19. quæst. 4. tenet D. Thom. vbi supra: nam licet non tradat modum existendi: concludit nihilominus vnam personam secundum essentiam, & relationem, & originem esse in alia. Sequuntur Caietan. & Canariens. ibidem, ac Capreolus in 1. dist. 19. q. 1. art. 1. ad tertium, Ferrara 4 contra gentes cap. 9. & omnes Thomistæ: ex Nominalibus autem Gabriel eadem dist. 19. quæst. 2. art. 1. Marsilius in 1. q. 22. art. 2. Item ex Iesuitis Molina 1. p. quæst. 44. Suarez 1. p. tractatu 3. lib. 4. cap. 16. nu. 9. & Vazquez 1. p. disp. 169. cap. 2. licet hij duo differunt à supradictis auctoribus, in hoc quod ponunt adæquatam rationem huius inexistentiæ, esse vnitatem essentiæ, prout supra vidimus in expositione ad art. 3.

5

Basolis. *Rubionis.* *Lychetus.* *Tataretus.* *Viguer.* *D. Bonau.* *D. Thom.*

Caietan. *Canariens.* *Capreol.* *Ferrara.* *Gabriel.* *Marsil.* *Molina.* *Suarez.* *Vazquez.*

6. Pro intelligentia huius difficultatis, primo obseruare oportet, circuminsessionem nihil aliud esse, quàm mutuam in existentiam, qua vna persona est in alia: sic Basolis in quæst. 2. art. 1. nam vt docet Doctor Seraphicus vbi supra, circuminsessio est, qua dicitur, quod vnus est

est in alio, & è cõuerso. Et hæc proprie & perfectè est in solo Deo: quia circuminsessio in essendo ponit distinctionem simul, & vnitatem: quia nulla persona per circuminsessionem est in se ipsa: & ideò necessario est in alia à se distincta: ideòque postulat distinctionem personalem. Præterea nulla est in alia, nisi in qua est eadem essentia, quam ipsa habet: & ob hoc petit vnitatem essentiæ: vnde patet quod circuminsessio postulat vnitatem, & distinctionem simul: quia autem in solo Deo est vnitas essentiæ cũ distinctione personali: ita quod distinctio est inconfusa (inquit D. Bonauentura) & vnitas indistincta: hinc est, quod in solo Deo est circuminsessio perfecta. Cuius ratione apriori reddit: quia ratio circũinsessionis est perfecta vnitas essentiæ cum distinctione personarum: & quoniam hoc est proprium solius Dei: ideò circuminsessio perfecta est propria solius Dei. Hoc idem resoluit Doctor in artic. 4. & ideò non inuenit aliquod exemplum huius circuminsessionis in creatis: nam exempla quæ ibi ex creaturis adducit, fatetur ipse esse imperfecta.

Circuminsessio quid sit, & quid requirat.

7 Secundo obseruandum est, non solũ requiri ad circuminsessionẽ perfecta, de qua hic loquimur, distinctionẽ personalem, & vnitatem essentiæ, vt dictũ est: sed quod vna persona sit in alia secundum ipsam essentiam, cuius est vnitas: & secundum relationem, ratione cuius est distinctio personalis. Hoc aperte affirmant D. Bonauent. D. Thom. & Scotus, vt patuit in litera. Modus autẽ quo Pater, secundum essentiã, & paternitatem, est in Filio, & Filius secũdum filiationẽ, & essentiam est in Patre, habetur à Doctore in 2. & 3. articulis huius quæst. 2. in quibus duo determinat, & quidem primo, totum Patrem esse in Filio, & totum Filium esse in Patre: nõ secundum partem, vt Henricus, & Dutandus dicebant: quod in 2. act. determinat, sed secundũ se totũ. Secundo verò rationem essendi Patrem in Filio, & è contra, non solũ esse essentiã, vt Vazq. autumat: sed essentiam & relationem simul: quod in 3. art. resoluit, & D. Thom. loco citato expresse affirmat, quidquid Vazq. illum in sensum suæ sententiæ retorqueat.

Modum ergo, quo intelligitur vnam personam secundũ se totam esse in alia, & rationem essendi in alia, non solũ esse essentiam, sed etiam relationẽ, nobis tradidit Doctor in 2. & 3. articulis. Vnã igitur personam esse in alia, vt Doctor supponit, non est esse in illa, sicut natura est in supposito, vel forma in materia, sed tanquã subsistens in subsistente. Dupliciter ergo potest aliquid esse in alio: primo quidem secundũ se totum, quod vocauit Doctor secundum se primo, id est adæquate, vt ipse explicat: sic est aqua in vase, aut vinũ in amphora, vt dicebat Henric. seu quodlibet locatum in loco. Et bene ibi est adæquatio: quia nec amphora potest plus vini recipere, si se semel sit plena: nec vinum illud, maius vas expostulat. Secundo dicitur aliquid esse in alio secundum partem: hoc latè explicat Doctor in art. 2. qualiter prædicatum conueniat toti adæquatè, aut parti, & ideò hic non repetitur. Ex quibus omnibus, quæ ibi per plura exempla illustrat, cõcludit, quod cum vna diuina persona sit in alia, vt subsistens in subsistente, & subsistere incommunicabiliter, seu personaliter (de quo hic loquitur) conueniat adæquatè toti personæ: quia non conuenit essentiæ, quæ secundum se est communicabilis: nec relationi, quia ipsa proprie nõ subsistit, sed est subsistentia, qua subsistit persona, vt bene notauit Viguerius, & non dicitur hoc subsistere de persona, eo quod dicitur de essentia, aut de relatione: sed toti personæ primo, & adæquatè competit: ideòresoluit, quod subsistere in alio, vel hoc inexistere primo, & adæquate competit toti personæ, Nam licet essentia primo insit Patri, vt natura supposito: illa tamen existentia, aut subsistentia, qua essentia sic est in Patre, non est subsistẽtia, vel inexistentia subsistentis in subsistente: sed præcisè illa subsistentia, qua totus Filius adæquate subsistit, quatenus est tota persona Filij, est inexistentia, qua totus Filius inexistit præsentialiter, & intime in toto Patre: & sic Filius secundum se totum est in Patre, & Pater secundum se totum est in Filio: & similiter in Spiritu Sancto, prout in fine corporis citati articuli D. Thom. notauit.

8

(.?.)

§. 3.

Quãlibet perſonam eſſe in alia per præſentiam, potentiam, & eſſentiam oſtenditur.

9. VERVM qualiter ſecundum quãlibet ſui rationem, ſit Filius in Patre, ſeu Pater in Filio egregie penetrauit Sapientiſsimus Suarez, qui præcæteris recencioribus hanc difficultatem (meo vt deberi) enucleat. Ad cuius intelligentiam adducit ex D. Tho. 1.p.q.8. art.3. illum triplicem modum, quo Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiam, potentiam, & præſentiã: & illum ſublatis in perfectioribus applicat ad propoſitum dicens, quamlibet perſonam diuinam eſſe in alia per præſentiam, potentiam, & eſſentiam. Primo etenim dicuntur eſſe in ſe inuicẽ per præſentiam, quia Filius inexiſtit præſentialiter in Patre. Hæc tamen præſentia non ſolum eſt illa, qua Filius, tãquam correlatiuum, Patris cognoſcitur per cognitionem illius, vt explicat Vazquez ex D. Thoma, cum Caietano, & tenet ipſe Suarez ex D. Chryſoſtomo in oratione 9. ex his quæ habentur in fine 5. tomi, vbi ait, non intelligẽdam eſſe hanc inexiſtentiã *Corporaliter, ſed ſecundum Animi contemplationem; quia nec Filius ſine Patre, nec Pater ſine Filio cognoſcitur*; quia hoc modo non minus diceretur per circumlocutionem eſſe in creatis vnum correlatiuum in altero, quàm in diuinis: nam relata eſſe ſimul natura, & cognitione, nõ minus in creatis, quàm in diuinis, eſt verum axioma. Sed *præſentialiter*, vt dixit Doctor in art. 2. in fine corporis ar. cubi *eſt inexiſtentia, qua totus Filius inexiſtit præſentialiter & intime in toto Patre*. Hæc tamen intima præſentialitas plus eſt, quàm cognitio vnius relatiui per aliud: quia correlatiua diſtantia, & abſentia, hoc modo poſſunt cognoſci, abſque eo quod vnum ſit præſentialiter in altero: nec tamẽ ob id per oppoſitum, neceſſe eſt perſonam vnam intime alteri eſſe præſentem, vt illi communicet ſuam relationem; nam, ſi vtamur exemplo Suarij, licet Deus perfectiſsime ſit in omnibus rebus intime per præſentiam: non tamen ob id eis ſuum eſſe formaliter communicat. Bene igitur intelligi poteſt totum Patrem etiam cum Paternitate eſſe in toto Filio intime præſentem, abſque eo quod Paternitatem Filio communicet, aut è cõtra. Intelligo ergo hoc modo exponẽdam eſſe hãc intimam præſentiam perſonarum, non tantum per hoc quod vnum relatiuum intelligatur per aliud: ſed per intimam inexiſtentiam vnius in alio: longe enim intimior eſt vna perſona in altera per præſentiam, quã Deus eſt in rebus creatis: ſed Deus eſt intimior præſens rebus creatis, quàm vnum relatiuum alteri in ratione cognitionis: ergo intimior eſt præſens vna perſona alteri in diuinis per præſentiã, quã ratione cognitionis vnius relatiui per aliud.

Admitto igitur à Suario hunc egregium modũ exponendi per præſentiã, quia vt patuit, eſt Scoti: hanc tamẽ præſentiã non ſolũ in cognitione vnius relatiui per aliud: ſed in intima inexiſtentia cũ Doctore conſtituo. Nec D. Chryſoſtomi auctoritas oppoſitũ docet, quia ibi tantum modo intendit præſentialitatem vnius perſonæ in alia, non eſſe corporaliter intelligendam, ſicuti corpus locatum eſt loco præſens, aut obiectum corporeum potentiæ ſenſibili: ſed ſpiritualiter, qua vna perſona per aliam cognoſcitur, non ſolum tamquam vnũ correlatiuum per aliud: quia cognitio relatiui vt relatiui, per correlatiuum, eſt ſatis imperfecta, & in obliquo, vt in creatis patet, ibi etenim ſatis confuſe cognoſcitur Filius per cognitionem Patris, vt Patris. In Deo ergo ideo eſt perfecta cognitio vnius per alium, nõ quia præciſe correlatiua ſunt: ſed quia ſunt correlatiua habentia eandem numero naturã. Et ideo cognito vno, cognoſcitur aliud: eo enim quod in vtroque eſt eadem natura, cognito Patre, perfecte cognoſcitur eius correlatiũ, quod eſt Filius, vt vnus alteri intime præſens eſt per inexiſtentiam, qua vna perſona eſt intimior alteri, quàm Deus eſt intimè præſens rebus creatis. Ex hac igitur intima præſentialitate, qua Pater eſt in Filio, cognito Patre, cognoſcitur Filius: quia cognoſcitur eſſe aliud ſuppoſitũ eiuſdem naturæ, quæ eſt in Patre:

&

Suarez.

Vazquez. D. Thom. Caietanus. D. Chriſoſtomus

Triplici modo ſcilicet per præſentiam, potentiam, & eſſentiam eſt vna perſona in alia. Vide qualiter.

10

Qualiter vna perſona, ſit in alia per præſentiam.

& ideò præcisa ratio relatiui, ad hanc cognitionem non sufficit: sed ratio relatiui simul cum intima præsentialitate vnius suppositi in alio eiusdem naturæ. Secundum quod, & non aliter, intelligendum esse existimo D. Chrysost. tom. & illud per illud Saluatoris Ioānis cap. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrē*. Si enim hoc esset ratione præcisæ cognitionis vnius correlatiui per aliud: nō minus quilibet Filius in creatis dicere posset, qui videt me, videt & Patrem meū: quidem non minus refertur Filius ad Patrem in creatis, quàm in diuinis, sublatis imperfectionibus; quod tamen nemo cōcedit. Ratione igitur vnitatis naturæ simul & relationū, eo quod vna persona sic in alia intime præsenzialiter inexistit, datur in diuinis cognitio Patris per Filium: non verò ratione præcisæ cognitionis vnius relatiui per aliud, vt Suarez, & Vazquez cum Caietano dicebant.

Porrò alium modum inexistendi vnam personam in alia, scilicet per potētiam, optime applicatū reperio in Suario iuxta supra traditā doctrinā D. Tho. quatenus ait, vnam personā esse in alia per originem. Hoc enim modo Filius est in Patre, quia ab illo est per actionē immanentem productus: actio enim qua Verbum producitur, vocatur dicere, & est actio immanens. De ratione autem talis actionis immanentis est, quod productum per illam maneat in producēte. Quia ergo Verbum diuinum productū per talē actionē est subsistens, & nō potest esse inhæsiue in producente, tanquā in subiecto, sicuti Verbum creatum, & quælibet forma per actionem immanentem producta est in potētia producente: ideo Verbum diuinum secundum originem est in Patre tanquā subsistens in subsistente, quam differentiam indicauit D. Damascenus lib. 1. de fide c. 9. dum ait: *lux ab igne gignitur, & ab eo non separatur, sed semper in eo est*. Hæc tamen est differentia: *nam lux (inquit ipse) manet in igne tanquam accidēs inhærens illi: Verbum autē manet in Patre, tanquā subsistens in subsistente*. Hoc igitur modo est Filius in Patre secundum potentiam, hoc est secundam potentiam generatiuam, seu principiū generandi, à quo est origo, & processio Verbi.

Qualiter vna persona est in alia per potentiam.

Verum obstabit, ex hoc tantum haberi, personam productam esse in producente: & sic bene intelligitur Filium esse in Patre, & Spiritum Sanctum in Patre, & Filio: at qui illa inexistintia est circuminsessio, & ideo per illam non minus est persona producta in producēte, quàm producens in producta: sed per emanationē, seu actionem immanentem, est productum in producente, nō tamen producens in producto: ergo per originem seu secundum potentiā non erit Pater in Filio, licet bene sit Filius in Patre. Hāc obiectionē excitauit Aureolus, vt refert Suarez: sed ipse eā facile dirimit, ponēdo quod sicut Deus est in rebus creatis per potentiam, quatenus eas creat, & perpetuo conseruat: ita secluſis in perfectionibus, persona producens est in persona producta, quatenus illam ex æterminate producit, & in æternū eam generat, aut spirat. Quæ responsio egregie soluit difficultatem Aureoli: vt dicatur secundum originē non solum Filium esse in Patre, sed eā è conuerso, Patrem esse in Filio secundum originem, & potentiam.

Denique tertius modus inexistendi vnam personam in alia, videlicet secundum essentiam, facilime ab omnibus recipitur, ita, vt plures crēdant rationem illā adæquatam inexistentiæ huiusmodi, esse vnitatem essentiæ: & reliqui ad minus censent esse vnam ex rationibus inexistendi. Quinimo & Doctor ait, essentiam esse immediatiorem, & principaliorem rationem inexistendi vnam personam in alia: & ita omnes hunc modum circuminsessionis per essentiam libenter admittunt. Dicitur ergo vna persona esse in alia per essentiam: quia essentia vtriusque personæ, tam scilicet inexistentis, quàm illius in qua inexistit est eadem. Si ergo essentia Patris est eadem Filij, consequenter essentia Patris est in Filio. Ergo Pater, qui habet talem essentiam, est in Filio, & è conuerso; ac de qualibet diuina persona fit idē discursus. Nec valet si ex hoc arguas, quod in desequitur, Patrē esse inse: quia ad circūinsessionem non solum sufficit vnitas essentiæ, sed exquiritur distinctio personarū, prout in 5. art. satis probat Doctor. Habetur ergo ex dictis diuinas personas in se inuicem esse, non solum se-

Qualiter vna persona fit in alia præsentiam

cundum partem, ſed ſecundum totum, vt docet Doctor, & non ſolum ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum eſſentiã, & relationes, & origines, vt dixerat D. Thom. Qui triplex modus inexiſtendi optimè explicatur per hoc, quod quælibet perſona eſt in alia per præſentiam potentiam, & eſſentiam: quibus circuminſeſsio perſonarum ſatis remanet præſtabilita.

15 Sed numquid hæc circuminſeſsio eſt quid abſolutum, aut reſpectiuum? & eſto quod ſit relatio, erit ne realis, aut rationis? Ad primũ patet, relationem eſſe, quia non poteſt intelligi, niſi in ordine ad aliud. Ad ſecundũ vero non vnanimiter reſpondent: quia tamen ſub diſtinctione. 31. de relationibus æqualitatis, & ſimilitudinis, & identitatis in diuinis latior erit ſermo in propria difficultate, vbi plura quæ ad hanc relationem pertinent, explanantur: hic breuiter ad propoſitum dubium reſpondendo dico, hanc relationẽ à Suario numero 12. cenſeri eſſe rationis, idque Vazquius num. 7. ita credit eſſe verum, vt aſſerat ita eſſe ex omnium ſententia. Sed profecto Vazquium latent plurium grauiſſimorum Doctorũ placita, quæ deberet videre, vt ſic vniuerſaliter loqueretur. Nam Ioannes Vigerius ſapientiſsimus Scoti interpres in hac q. 2. diſt. 19. §. *& tũc ad argumenta* hæc ait: *Sed eſt ne iſta circuminſeſsio relatio realis, vel rationis? dico quod eſt relatio realis, ſicut, & alię relationes cõmunes.* Omnes autẽ Scotiſtæ, qui minus de hac relatione loquuntur, dicunt eſſe ſicut cæteras relationes cõmunes, ſcilicet æqualitatis, & ſimilitudinis, & identitatis. Sic Baſolis & alij. Tales autem relationes, reales eſſe, tenet Scotus infra in diſt. 31. & plerique Scotiſtæ cum eo vt ibi patebit. Ac ideò breuiter nũc hãc relationem circuminſeſsionis realem eſſe ſuppono: quod clarius in citata diſtinct. & difficultate propria patefiet.

Circuminſeſsio non eſt relatio rationis, ſed realis.

Vigerius.

§. 4.

Statuuntur concluſiones huius difficultatis, & ſoluuntur argumenta.

HIs ergo præhabitis, difficultatẽ concludendo dico 1. in diuinis vnam perſonam eſſe in alia per circuminſeſsionem. Concluſio eſt de fide, quæ probatur primo, teſtimonijs ſacræ Scripturæ, ex illo Ioannis c. 14. *ego in Patre, & Pater in me eſt*, & alijs huiuſmodi. Secundo ex Patribus: nam D. Atanaſius in expoſitione fidei in hoc ſenſu inquit: *Spiritus Sanctus ſemper eſt in manibus Patris & Filij.* Quo etiam modo locuntur D. Auguſtinus D. Damaſcenus, D. Hylarius D. Fulgentius, & plerũq; omnes Sancti Patres tàm Latini, quàm Græci.

16

Prima concluſio.

Ioan. 14.

D. Athan.

D. Auguſ.
D. Damaſ.
D. Hylar.
D. Fulgen.

Dico ſecũdo: vnã perſonã non eſſe in alia ſolum per eſſentiam. Concluſio eſt Scoti, & fere communis: quæ ſatis probatur ex ſupranotatis, & rationibus textualibus, quibus Doctor impugnat in articulo 2. opinionem Henrici.

Secunda cõcluſio.

Dico tertio, vnam perſonam eſſe in alia ſecundum ſe totam. Probatur concluſio ex Diuo Ambroſio in Hymno feriæ 2. ad Laudes, vbi ait, *in Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Item ex Diuo Fulgentio de fide ad Petrum cap. 1. vbi inquit: *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater eſt in Filio, & Spiritu Sancto, totus Filius eſt in Patre, & Spiritu Sancto, & totus Spiritus Sanctus in Patre, & Filio.* Quibus addit Fulgentius, *quod nullus horum extra quemlibet ipſorũ eſt.* Vltra quod probatur concluſio ſuprapoſitis rationibus Doctoris, quibus confirmatur præcedens. Vlterius probatur, quoniã ſi vna perſona tantum eſſet in alia, ratione eſſentiæ, non aliter vna perſona eſſet in alia: quã ipſa eſſentia ſit in perſona: neq; alia habitudo ſignificaretur per hanc circũinſeſsionem perſonarum, quàm exiſtentiæ deitatis in perſona: hoc autem dici non poteſt: quia eſt extra quæſtionis intentũ. Sequela vero probatur, quia quãdo totũ ſolum eſt alicubi, vel in aliquo ratione partis: non aliter conuenit toti illa denominatio, quã parti, vltra quod parti conuenit immediate, & toti ratione partis: in reliquis enim, eadem eſt ratio conueniendi, ergo, &c.

17

Tertia concluſio.

D. Ambr.
D. Fulgen.

Probatur item, quia hæc inexiſtentia nihil aliud eſt, quàm intima quædam præſentia diuinarum perſonarum inter ſe: hanc vero præſentiam non ſolum habent diuinæ perſonæ in eſſentia, ſed

18

in

in proprijs etiã relationibus: ergo,&c. Maior ex supra notatis patet,& expressè illam probauit Scotus in articulo secundo contra opinionem Henrici, & amplius patet: nam si hæc mutua existẽtia esset sola identitas in natura: tãtum diceretur personæ esse vna natura, non vero dicerentur esse vna in alia, quod in 1. conclusione ostendimus fidei aduersari. Quod ergo illã præsentiam habeant etiam secũdum proprias relationes, satis ostensum est supra, qualiter per præsentiam, & potentiam, hoc est secundum relationem, & originem vna persona in alia sit. Ex quibus, & alijs supra obseruatis, satis confirmatur conclusio.

20 *Ad argumẽta ad primum.*

Ad argumenta ergo, & ad primum respõdeo, quod aliquid esse in alio per circuminsessionum, non infert de nominationem formalitatis, sed inexistentiam per intimam præsentialitatem. Quis enim negare potest Deum intime esse in rebus, plusquam ipsæ sunt in se ipsis? Nemo tamẽ propterea dicet ex hac intima Dei præsentialitate, rem denominari formaliter Deum. Cuius ratio nõ est alia, nisi quia intima præsentialitas alicuius, non communicat suum esse formaliter illi, cui sic est intime præsens. Ad propositũ ergo dico, quod Pater etiam secundum paternitatem inexistit in Filio, & ex consequenti in Filio est paternitas, sicut est Pater in illo: non tamen paternitas ex hoc formaliter communicatur Filio; & ideo Filius non est, nec denominatur Pater: quia intima præsentialitas Patris in eo, non ei præbet hanc denominationem.

21 *Ad secundum.*

Ad secundũ dico, vtrãque rationem, scilicet vnitatem essentiæ, & relationẽ esse rationem huius inexistentiæ. Nam licet vnitas essentiæ sit immediatior, & principalior ratio inexistendi, vt dictũ est ex Doctore: nihilominus etiã relatio est ratio inexistendi, quatenus cõstituit personam, quæ inexistit: quæ sine tali relatione nec esset persona, neque in alia inexisteret: vnde etiã ratione relationis huiusmodi, vna persona in alia inexistit. Vnde falsum est, quod ait Durandus, videlicet illud per quod vna persona distinguitur ab alia, non posse esse rationem inexistendi in illa: quod satis probat Doctor in articulo tertio.

DISTINCTIO XX.

Nunc ostendere restat, &c.

QVÆSTIO VNICA.

De æqualitate personarum quoad potestatem.

CIRCA istam distinctionem vigesimam quæro vnum: vtrùm tres personæ sint æquales in potentia? Circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò. Vtrùm sub omnipotentia contineatur potentia generandi Patris, ita vt Pater, & nõ Filius, sit omnipotens?

¶ Secundò. Vtrùm potentia actiua Patris respiciat Filium, vt possibilem?

¶ Tertiò. Vtrùm inferatur per locum intrinsecum, ex eo quod Pater non posset generare sibi Filium æqualem, quod esset impotens?

¶ Quartò. Vtrùm tres personæ sint æquales in potentia ad extra?

ART.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sub omnipotentia contineatur potentia generādi Patris, ita vt Pater, & non Filius sit omnipotens?

A. AD primū sic proceditur, videtur, q̄ sub omnipotentia cōtineatur potentia generādi Patris: ita vt Pater, & nō Filius sit omnipotens: quia omnipotentia est ad omne, quod non includit contradictionem: sed Patrem generare, non includit contradictionem: Filium autem generare includit contradictionem: ergo, &c.

B. Secundò præterea, aliter est de actionibus transeuntibus adextra: & aliter de actionibus immanentibus intra: posſibilitas actionis transeuntis iudicatur ex ratione actionis in se, & termini eius: posſibilitas autē actionis immanentis, non iudicatur ex his præcisè: sed cū hoc in cōparatione ad agēs, in quo manet talis actio: cū igitur generatio sit actio immanens, posſibilitas eius iudicanda est, non tantū ex se ipsa in se, & cum hoc ex termino eius: sed quia est posſibilis illi suppoſito agenti, in quo debet manere: est autem compoſibilis generatio Patri, & non Filio: igitur idem quod prius.

C. Tertiò præterea: quia omnipotens dicitur, quod potest in omne illud, ad quod habet formam, per quā potest, & non dicitur omnipotens, si non potest in aliquam actionem, ad quam se non extendit sua forma: sicut ignis non dicitur omnipotens: quia non potest frigefacere; quia non habet potentiam ad frigefaciēdum. Pater autem habet formam cōuenientem generationi, & Filius nō: igitur Pater non est omnipotens, si non potest generare: non autem Filius est impotens, si non potest generare: & ita posſe generare pertinet ad omnipotentiam Patris, & non ad omnipotentiam Filij.

D. Sed contra, non comparando generare ad aliquod suppoſitū: quæro, aut illud, vt est geniti, tanquam termini, est aliquid, ad quod nata est esſe aliqua potentia actiua, aut non: si sic: ergo in quocunque non est potentia ad illud, non est omnipotentia, hoc est, non est potentia ad omne illud, ad quod nata est esſe potentia. Si non: ergo in nullo est potētia ad illud: & ita non pertinet ad omnipotentiam Patris.

E. Respondeo dicendum, quod omittendo potentiam logicam, quæ dicit modum compoſitionis ab intellectu factæ: & potentiam metaphoricè dictam, qualis est in geometricis (secundum quod ipſi Geometrę imaginantur) punctum est in potentia ad lineam, & linea ad superficiē: hic potentia sumitur propriè, vno modo sicut dictum est dist. 7. prout est differentia entis oppoſita actui, alio modo secundum quod significat idem, quod principium, sicut loquitur de ea Philoſophus 5. Metaph. cap. 9. & potentia isto secundo modo sumpta, diuiditur in potentiam actiuam, & paſiuam: etsi vtrolibet modo sumatur, potest intelligi, aut pro ipſa relatione principij, quam significat, aut pro fundamento proximo istius relationis. *Text. com. 17.*

F. Ad propoſitum, planum est, quod in Deo oportet ponere omnipotentiam actiuam, cū sit principium efficiens, ex dist. 2. & æqualem, sicut de ista loquitur Magiſter dist. ista, & huius æqualitas potest intelligi duplicitèr, aut secundum extenſionem obiectorum posſibilium, ad quæ se extendit

dit potentia, aut ſecundum intenſionē illius potentiæ in ſe. Exemplū, potentia calefactiua dicitur æqualis extenſiue ſi ad æqualia calefactibilia ſe extendat: ſic omnis charitas eſt æqualis: quia extendit ſe ad omnia diligibilia ex charitate ſecundum intenſionem, ſi æquè perfecta ſit potentia, & in æquè perfectum actū poſsit: licet nō tot poſsibilia ſibi ſubeſſent, ſicut ſubeſſent alij potentiæ, vt patet poſito iſto caſu, qui ponitur diſtin. 7. q. calor productione ſibi adæquata produceret alium calorem, & iſtæ duæ æqualitates frequenter concomitantur ſe: poteſt tamen intelligi vtralibet ſine altera. Loquendo autem de æqualitate extenſionis, non eſt difficultas, niſi de actibus notionalibus, & de terminis iſtarum actionū: quia illi duo termini non ſunt producibiles ab omnibus perſonis: ſed Filius à ſolo Patre, Spiritus ſanctus autem à Patre & Filio.

G. *Opinio Ægidij Romani in hac diſt.*

Vnde quoad hoc dicitur ſic, quod potentia generandi pertinet ad omnipotentiam in Patre, non in Filio, quod declaratur dupliciter, *in primo & ſecundo argument. ſuprapoſitis. Et* tertia declaratio additur *pro tertio: ſed patet ratio ſuprapoſita* cōtra iſtud. Itē iſta via non ſaluat, quomodo Pater, & Filius ſint æquè potentes: quia Pater poteſt in actum generationis, qui per ſe eſt terminus potentiæ ſimpliciter, in quē actum non poteſt Filius: & ita non erunt æquè potentes quantum ad extenſionem.

H. *Prima concluſio. Dictū Varronis hac diſtinct. q. vnica art. 3.*

Quantum ergo ad iſtum articulū dico, quod irrationabilitas illius dicti, quod ſub omnipotentia de virtute ſermonis contineatur potentia generandi: non autem ſecundum vſum Sanctorum, ex hoc *quod dictum eſt, & ex dicendis in ſequentibus articulis* apparet: quia etſi aliquando Sancti, vel Doctores dicant, potentiam generādi eſſe potentiā, & generari eſſe terminum potentiæ: tamen de virtute ſermonis, neutra eſt vera ſimpliciter loquendo de potentia prout reſpicit terminum poſsibilem.

I. *Secunda cōcluſio.*

Sed ampliando rationem potentiæ ad rationem principij, prout in communi reſpicit principiabile: hoc modo loquendo ad quæſtionem de æqualitate potentiæ in diuinis perſonis, reſpondeo, & dico, quod etiam ſic ſunt æquales: quia ſecundum Magiſtrum diſt. 7. huius lib. eadē eſt potentia, qua Pater poteſt generare, & Filius poteſt generari: ſed tunc iſta æqualitas potentiæ nō eſt ad idem, ſicut ſi poneretur æqualitas potentiæ in colore ad immutandum viſum, & ſapore ad immutādū guſtum: eſſent quidē iſta duo æqualis potentiæ: nō tamen haberent eandem potētiam, nec ad idem: ita in propoſito, loquēdo de potentia hoc modo extenſiue ad actum notionalem, æquales ſunt Pater, & Filius in potentia, quę eſt in Patre ad actum generandi, eſt æquè perfecta in Filio, & ad æqualia obiecta, non tamen eſt hoc modo omninò eadem potentia, ſicut potētia eſt eadem, quæ eſt reſpectu eiuſdē poſſibilis. Et hoc modo concedēdū eſt, quod in Filio non eſt omnis potētia, vel non eſt in eo potentia ad omne, accipiendo ſic potentiam extenſiue, licet in ipſo ſit omnipotentia, quæ dicit potētiam ad omnia poſsibilia. *Tertia concluſio.*

K.

Etſi quæras, ſi idem abſolutum eſt in Patre & in Filio, ſuper quod fundatur potentia æqualis ſecundum extēſionē, & intenſionē, etiā illa, quæ eſt ad intra, quare nō eſt potētia omnis eadem in vtroque? Reſpondeo, dico, quod etſi idē abſolutū, quod eſt potētia, ſit in Patre, & Filio: non tamen ſub ratione potentiæ, quantum ad actum notionalē, eſt in vtroque: quia non eſt ſub ratione prioris ad illum actum, & potentia, ſiue principium requirit ordinem prioritatis ad terminum. Et confirmationes *in oppoſitū* non valent *vnde ad illa reſpondeo.*

M

Ad

L. Ad primũ argumentũ dico, quod non valet: quia omnipotẽs potest in omne illud, quod est terminus potẽtię simpliciter, & hoc producendo illud in eo in quo natum est produci, si natum est produci in aliquo: vel producendo ipsum in se subsistens, si non est natum produci in aliquo: nõ autem oportet, quod posset producere omne tale formaliter in se, sicut potest producere cursum animalis in animali, vt in homine, vel in asino, in quo natus est esse cursus: sed hoc non potest producere in se, nec potest formaliter currere: quia tunc per illud verbum neutrum significaretur, quod talis forma esset in ipso formaliter. Licet igitur Filius nõ possit formaliter generare, vt generatio sit in ipso, nec possit principiare generationem in se ipso: tamen si istud sit terminus omnipotẽtię, oportet dicere, quod Filius possit principiare generationem in eo, in quo nata est esse: nullo autem modo Filius potest principiare generationem in se, nec in isto: in quo non est nata esse: tamen omnipotẽs, vt potest actionem illam causare in eo: quod potest eam recipere: sicut nõ esset omnipotens, si non posset causare intellectionem in intellectu potente recipere eam: generatio autem non potest aliquo modo esse à Filio, nec vt in Filio, nec in alio: igitur si generare est terminus omnipotentiæ simpliciter, Filius non erit omnipotens. Ad secundum *respondetur per idem.*

M Ad tertium dico, quod etiam non valet: quia quod habet formam limitatam ad agendum, non est omnipotens ad agendum: licet enim ignis sit potens ignire, & calefacere: si non posset frigefacere, non esset simpliciter omnipotens: quia forma eius limitata ad vnum actum, concludit ipsum non esse simpliciter potentem: ergo Filium non habere formam cõuenientem omni actioni, quam actionem, nata sit potentia simpliciter respicere, concluderet Filium non esse simpliciter omnipotentem.

Expositio art. 1. quæst. vnic. distinctionis 20.

LICET in quæst. hac non pauca ad omnipotentiam pertinentia Doctor explanet: ea tamen omnia cõparatiuè ad diuinas personas pertractat, & ideò quia de omnipotentia Dei inter cætera attributa ipsius, infra in to. 3. huius operis disputatur: nõ venit hic aliquid de omnipotentia resoluẽdũ: nisi tantũmodo prout ad diuinas personas inter se inuicè cõparatur. Cũ ergo omnipotentia dicat potentiam actiuam: in hoc art. quærit Doctor, an potentia actiua generãdi Patris, sit pars subiectiua omnipotentiæ, ita quod omnipotentia potentiam generandi sub se contineat? Ex quo consequenter se quæretur Filium, non esse omnipotentem, si quidem generare non potest. Partem afirmatiuam probant tria argumenta posita in pricipio articuli. Doctor vero vt articuli difficultatem resoluat, primo diuidit potentias, antequam diffiniat, de qua potẽtia procedatur: & determinat sermonem esse de potentia, prout idem significat, quod principium. De hac ergo potentia resoluit planum esse, quod in Deo oportet ponere omnipetentiam actiuam, cum sit principium efficiens omnium creaturarum. Hãc autẽ ait esse æqualẽ in onibus personis: sed hæc æqualitas potest intelligi quoad extensionem obiectorum possibilium, ad quæ se extendit potẽtia: aut secundum intẽsionem illius potentiæ in se ipsa; quam diuisionem satis ibi per exemplum illustrat; & resoluit respectu creaturarũ, quo ad vtrumque æquales esse diuinas personas in omnipotentia. Quia tamẽ quoad extẽsionẽ omnipotẽtiæ exorta est cõtrouersia circa actiones notionales, & terminos illarũ, quia duo termini producti nempe Filius & Spiritus Sanctus non sunt produçibiles ab omnibus personis: refert opinionem Ægidij Romani asserentis potentiã generan-

nerandi Patris ad omnipotentiam pertinere. Ex quo videtur inferri Filium & Spiritum Sanctum, non esse sicut Patrē omnipotētes, eo quod sicut Pater generare non possunt. Hanc Ægidij opinionem reijcit Doctor, & triplici conclusione difficultatē resoluit. In prima etenim irrationabilem prædictam opinionem appellat, eo quod potentiam generandi Patris, sub omnipotentia cōtineri affirmat: quia omnipotentia respicit obiectum possibile: ad intra autē nihil est possibile: & ideo determinat omnipotētiā æqualiter esse in omnibus personis. In 2. vero ampliando rationē potentiæ ad principium productiuum, & terminum eius ad principiabile per productionem, ita vt potentia possit reperiri ad intra, concludit, quod ad huc vt sic, diuinæ personæ sunt æquales in potentia; quia eadē est potētia, qua Pater potest genarare, & Filius potest generari: quod ibi optime confirmat, & explicat per exemplum. In tertia tandē asserit, quod si potentia extensiue sumatur, hoc est respectu principiabilium: non est æqualis potentia in diuinis personis: quia Filius non potest generare alium Filium, sicut Pater. Cætera sunt clara in textu.

ARTICVLVS II.

Vtrùm potentia actiua Patris respiciat Filium, vt possibilem?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod potentia actiua Patris respiciat Filiū, vt possibilem: quia potentiæ actiuæ, primum correlatiuū est possibile: *non ergo apparet*, quomodo potentia generandi dicatur potentia, cum non sit respectu alicuius possibilis.

B. Sed contra est: quia possibilitas, quæ repugnat necessitati ex se dicit imperfectionem: ergo in se non transfertur ad diuina.

C. Respondeo dicendum, quod potentiæ primum correlatiuum est possibile: hoc autem intelligendum est de possibili obiectiue, scilicet quod est terminus potentiæ: non de possibili subiectiuè: quia illud non est correlatiuum conuertibile, respectu potentiæ actiuę: non enim omnis potentia actiua habet aliquod sic possibile sibi correspondens: sed solum illa potentia actiua, quæ est transmutatiua: æquatur igitur possibile obiectiuè, vt correlatiuum potentiæ actiuæ: non autem possibile subiectiuè, & tale est illud possibile, de quo adducitur Auicen. 6. Metaph. & alibi, quod opponitur ex se necessario formaliter. Quod autem istud differat à necessario ex se formaliter, siue à producente, posset confirmari per Philosoph. 5. Metaph. vbi vult, quod principium, & causa conuertuntur realiter, omne autē causatū est aliud à causa: ergo & possibile, hoc est principiatum, est aliud (secundūm eum) à principio. Confirmatur etiam per rationem potētiæ actiuæ positam in 5. Metaph. quod ipsa est principium transmutandi aliud in quantū aliud: ergo multomagis est principiū producendi aliud: quia nō potest causatū, ita esse idem causæ, sicut actiuum potest esse idem passiuo in creaturis.

Text. com. 1.

Text. com. 17.

D. Sed tunc restat *præsens* dubitatio, quomodo potentia generandi dicatur potentia, cum non sit respectu alicuius possibilis, secundum prædicta? Respondeo, possibile potest sumi, adhuc magis extendendo nomē, quam vt opponitur necessario ex se: dicēdo illud esse possibile, quod opponitur necessario esse à se. Et hoc modo omne originatum esset possibile, & hoc modo posset concedi Filium esse possibilem: quia originatū, & ita potentiam correspondentem actiuam huic termino, esse potentiā: sed nec sic videtur sancti cōmuniter loqui, nec etiam Philosophi.

Prima conclusio.

Ve-

E. Verius tamen cõceditur, Filiũ eſſe principiatum, & non poſsibilẽ. in Patre tamen cõceditur potentia actiua generãdi: quia potẽtia actiua in creaturis aliquam dicit perfectionẽ: poſsibilitas autẽ ſibi correſpõdens, quæ repugnat neceſsitati ex ſe, dicit imperfectionem: transfertur igitur ad diuina nomen vnius, quod ſignificat perfectionem, nomẽ autem alterius correlatiui, quod dicit imperfectionem, non transfertur in ſe, ſed in aliquo communiore ſe: vt ſic ex parte producentis dicatur eſſe potentia, & tamen ex parte producti, nõ dicatur eſſe poſsibilitas, ſed tantũ ratio principiati.

Secunda cõcluſio.

F. Ad argumentum *ſatis ex dictis patet, quod* etſi poſſet concedi Filium eſſe poſsibilem: quia originatum: verius tamen conceditur eſſe principiatum, & non poſsibilem: *quia etſi* in Patre conceditur potentia actiua generandi, *non eſt* loquendo de potentia, prout reſpicit terminum poſsibilẽ, ſed ampliando rationem potẽtiæ, *vt dictum eſt art.* 1. ad rationem principij, prout in communi reſpicit principiabile.

Expoſitio artic. 2. quæſt. vnic. diſtinctionis 20.

D. QVIA potentia dicit ordinem ad poſsibile, & in Deo conceſsimus in articulo præcedenti eſſe potentiam generandi, prout potentia idem eſt quod principium: quærit Doctor in præſenti, an potentia generatiua Patris, reſpiciat Filium vt poſsibilẽ? & reſpondet diſtinguẽdo de poſsibili obiectiue, aut ſubiectiue. Quam diſtinctionem explicat. Et inſuper accipit poſsibile, quatenus opponitur neceſsario, quod eſt à ſe: quia in diuinis tantũ Pater eſt neceſſario à ſe, quia non eſt ab alio, & ideò hoc modo concludit: poſſe concedi Filium eſſe poſsibilem, hoc eſt, neceſſario non à ſe, ſed à Patre. Sed in ſecunda concluſione difficultatem articuli reſoluit, verius tamen concedi, Filium eſſe principiatum, & non poſsibilem: licet in Patre bene concedatur potẽtia generãdi: eo quod Deo tribuitur quidquid in creatis dicit perfectionem, & Deo negatur, quidquid dicit imperfectionem in illis. Quia ergo in creatis eſſe poſsibile eſt imperfectio, potentia autẽ actiua eſt perfectio: ideò negatur Deo poſsibile, & conceditur potentia generandi, litera eſt ſatis clara.

ARTICVLVS III.

Vtrùm inferatur per locum intrinſecum, ex eo quod Pater non poſſet generare ſibi Filium æqualem, quod eſſet impotens?

A. AD tertium ſic proceditur, videtur, quod inferatur per locum intrinſecum, ex eo quod Pater non poſſet generare ſibi Filiũ æqualẽ, quod eſſet impotẽs: quia ſic arguit Auguſt. contra Maximinum lib. 3. ſi Pater non poteſt generare ſibi Filium æqualem, eſt impotens: ergo è conuerſo, ſi non eſt impotens, ſed omnipotens, poteſt generare Filium: & perconſequens poſſe generare pertinet ad omnipotentiam, *ſicut arguebatur in art.* 10. & ita ſi Filius non poteſt generare, nõ eſt æquè potens, vel æqualis potẽtiæ cum Patre: *ergo ſicut infertur de Filio, quod ſit impotens, ita de Patre, &c. Aliter enim* ſicut Pater poteſt generare, ita Filius poſſet generare. Probatio huius cõſequẽtiæ *eſt illud* Aug. cõtra Maximinũ *Cap. 13.*

B. Secundo præterea: Filius nõ eſſet omniſciens, ſi nõ ſciret generationẽ Patris: nec igitur omnipotens, ſi non poſſet in iſtam generationẽ: *ergo ita è conuerſo de Patre dicendum eſt.*

C. Sed cõtra eſt: quia *dicta* cõſequẽtia nõ tenet hic, quaſi ſub iſta vniuerſali, contineatur iſtud ſingulare: ſed quia iſtud vniuerſale, *omnipotẽs*, concomitatur infinitas eſſentiæ, & ita cõmunicabilitas in æqualitate.

D. Reſpondeo dicendum, quod illud argumentũ, *ſcilicet* ſi Pater nõ poteſt gene-

Conclusio. generare sibi filium æqualẽ: ergo est impotens: non tenet per locũ intrinsecum, quasi per locum à toto in quantitate ad partem totius in quantitate: quasi posse generare, sit aliquod posse: sed tenet per multas propositiones subintellectas, & habet illud argumẽ tũ reduci ad multos syllogismos. Hoc modo, concessit Maximinus Patrem Filiũ generare: sed non æqualem. Cõtra August. arguit sic: si genuit, & non potuit generare Filium æqualem sibi: ergo fuit impotens. Probatio huius cõsequentiæ, ex quo dedit Filio deitatẽ (etiam secundum Maximinũ) quia aliter non esset generatio: sed Deitatẽ (secundum eũ) minorem Deitate Patris: ergo Deitas non est infinita ex se: quia infinito non potest esse aliquid maius: nec infinitum potest minui. Et si Deitas non est infinita: ergo habens eam non est omnipotens: nihil enim est omnipotens (cum omnipotentia requirat potentiam infinitam) nisi habeat infinitam essentiã. Nõ igitur tenet consequentia hic, quasi sub ista vniuersali contineatur istud singulare: sed quia istud vniuersale, *vt dictum est*, quod est omnipotens concomitatur infinitas essentiæ: & ita communicabilitas in æqualitate. Et similiter sequitur, si Pater non potest intelligere, Pater non est omnipotens: sed nõ sequitur per locum intrinsecũ, quasi intelligere Patris sit terminus omnipotentiæ: sed per istas propositiones subintellectas, quod non potest intelligere, non habet omnem perfectionem simpliciter, & tunc non est infinitæ essentiæ, ac per hoc nec omnipotens.

E Ad primum argumentum dico, ꝙ illud argumentum Augustini, contra Maximinum, non tenet per locum intrinsecum, *vt satis dictum est*, Et ad illam consequentiam, cuius probatio est argumentũ Aug. Respondeo negando illam, quantum ex forma cõsequentiæ.

F. Ad secundum, cum arguitur postea de omni sciente, dico ꝙ scientia non requirit ordinem determinatũ ad scibilia, nec ordinem prioris, nec ordinẽ posterioris: quia potest esse siue respectu prioris, vt obiecti, siue posterioris: potentia autem requirit determinatũ ordinem ad terminum, vt prioris ad posterius: & ideo scientia de necessitate extendit se ad omne ens: quia omne ens est scibile. Potentia autem non extendit se (vt ad obiectum) ad omne ens: sed tãtum ad ens possibile: quod, quomodocũque sumendo possibile, natum est esse posterius: & ideo nõ est ad illud, quod non est natum esse posterius: & ideo non est ad illud, quod est natum esse in persona infinita, idẽ illi personæ.

Expositio arti. 3. quæst. vnicæ, distinct. 20.

CONCLVSIO est, non inferri per locum intrinsecũ, Patrem omnipotentẽ esse ex eo, quod generare non posset: bene tamen inferri per multas alias propositiones subintellectas, quarum aliquas ponit Doctor in textu, in quibus omnibus est litera satis perspicua, & expositionem non indigens.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum tres personæ sint æquales in potentia ad extra?

AD Quartum sic proceditur. A Videtur, quod tres personæ non sint æquales in potentia ad extra: quia Ricard. 2. de Trin. cap. vlt. probat, quod non possunt esse plures omnipotentes, quia tũc vnus posset facere alium omnipotẽtem: ergo à simili videtur argui in proposito, si ponãtur plures personæ diuinę æq; potẽtes. Et sicut ista cõsequẽtia Rica fuit declarata, di. 2. per duas vias cõsimiliby vijs, etiã declaratio in proposito deduo

bus personis. Primo, quia vna persona posset suo velle producere omnia posibilia, & eis productis in esse, persona alia non posset ea producere: eadem enim non possunt bis totaliter produci. Confirmatur ista probatio: quia Pater prius ordine originis habet velle creaturarũ, quam Filius, & Filius (secundum Hilarium) est potens per se, licet non à se: igitur prius origine, quam Filius producat, intelligitur Pater producere, & ita in isto signo, in quo Filius intelligitur debere producere, nulla sunt sibi posibilia.

B Secundo præterea, arguitur ex secũda via: quia omnipotens potest suo velle impedire omnia posibilia alterius omnipotentis, si esset: quia non est necesse, voluntates eorum concordare in alijs à se: quia ista omnia contingenter volunt: ita hìc non videtur necessarium esse, quod volũtas vnius personæ concordet in actu volendi alterius personæ. Quod si dicas eandẽ esse voluntatem eorum: & ideò cõcordare in alijs volendo eadem. Contra, forma, quæ est principium agendi (si est in pluribus) eodem modo est principium agendi vnicuique eorũ: sicut si esset in vno tantũ: sicut si albedo esset in duobus superficiebus, esset eis principiũ disgregandi eodem modo, sicut si esset in vno tantum. Sed si voluntas esset in solo Filio, esset principium volendi contingenter lapidem esse: ita quod illa voluntate posset Filius velle æque lapidem esse, vel nõ esse: igitur posito, quod sit in Patre, erit principium in Filio contingenter volendi, vel non volendi lapidem: & ita quicquid ponatur in Patre, Filius potest æque velle lapidem esse, vel nõ esse. Et ita si Pater vellet lapidem esse, & Filius non: vnus omnipotens faciet alium nullipotentem, impediẽdo omnia posibilia volita ab eo.

C Tertio præterea. Prima causa plus causat, quam secũda, propositione prima de causis, & 2. Metaph. & primo posset. Sed Pater dat Filio virtutẽ creandi, & non è conuerso: ergo Pater plus potest. *Tex. com. 4 Tex. cõ. 2. 4*

Sed contra est Magister, dist. 19. istius in littera, & adducit August. de fide ad Pe. cap. 2. Idem August. cõtra Maximin. 3. cap. probat istam conclusionem tripliciter. Primo, authoritate Saluatoris in Euãgelio Ioan. omnia, quæ habet Pater, mea sunt. Secũdo, per rationem: quia si non potuit dare potentiã æqualem, fuit impotens, si noluit, fuit inuidus. Tertio, per simile: quia Pater corporalis generaret sibi Filium æqualem, si posset, vel maiorem: ergo multo magis in proposito. D *Cap. 16.*

Respondeo dicendum, quantũ ad istum articulum, *& suppositis eis, quæ de potentia in primo art. dicta sunt: Nunc* dico aliter, quod potentiæ actiuæ primum correlatiuum est posibile: non communiter sumptum, vt opponitur imposibili: quia hoc modo posibile est Deum esse, & tamen illud posibile, non est terminus alicuius potentiæ actiuæ: ergo oportet, quod posibile, vt est potentiæ actiuæ correlatiuum, sumatur determinatius. Hoc autẽ nõ videtur, nisi secundum, quod Auicen. accipit posibile 6. Metap. & alibi frequenter, prout opponitur ei, quod est necessarium ex se. Et tunc cum quodlibet intrinsecum Deo sit in se formaliter necessarium, vel per identitatem cum essentia, quæ est formaliter ex se necessaria: nihil intrinsecum Deo erit terminus potentiæ proprie dictæ. Et si hoc est, cum ad omnia alia ab essentia diuina, eandem rationem principij habent tres personæ: quia prius intelligitur principiũ illud producẽdi creaturas, communicatum tribus, quam possit habere actũ producendi ista alia: sequitur, quod æqualis erit potentia trium personarum, quantũ ad numerũ posibiliũ. Assũptũ autẽ declaratur inq illa de ordine productionũ. ex trin. E. *De hoc vide diffusius infra, dist. 42. & in quodlib. q. 7 Conclus.*

trinsecarum ad intrinsecas. 2. lib. dist. 1. quæstion. 1. Et breuiter patet ex hoc, quod si sit principium necessariũ respectu vnius productionis, & contingens respectu alterius productionis: prius est principiũ producendi necessariũ, quam contingens: quicquid autem sit principium producendi pearsonas, necessario se habet ad productionem illarum. Contingenter autem se habet principium producendi creaturas ad ipsas creaturas. Prius igitur cõmunicatur tribus personis: quam possit habere actum respectu possibiliũ extra. Ex hoc apparet, quod potẽtia est æqualis in personis diuinis, nõ tãtum quantum ad extensionem: sed etiam quantum ad intensionem. Siue enim potẽtia accipiatur pro absoluto, quod est fundamentũ relationis principij: patet quod illud, secundum eandem magnitudinem est in tribus: non tantum secundum eandem magnitudinem secundum quid: sed simpliciter, sicut dictum est in quæstio. præcedente de æqualitate magnitudinis. Siue accipiatur pro relatione fundata, super illud absolutum: eadem ratio est triũ: & si quam habet magnitudinem: eadẽ est magnitudo illius relationis in tribus, & ita omni modo est æqualitas potentiæ, & secundum extensionem, & secundum intensionem. Quod autem dictum est de primo correlatiuo potentiæ actiuæ, quod sit possibile, intelligendũ est de possibili obiectiue, non de subiectiue, *vt dictum est in 2. artic.*

F. Ad primum argumentum, cũ arguitur per Ricardum, dico, quod argumentum valet, si ponerentur duo. Dij per impossibile: sicut declaratum est distinct. 2. non autem de duabus personis æquepotentibus, eam probatur primo, quod vna persona posset facere aliam nulli potentem, volendo omnia possibilia, & ponendo ea in esse, dico, quod nõ potest velle isto: alia persona non volente. & ita non ponerentur in esse ab vna persona, alia persona non volente, & ea in esse nõ ponente. Sed sicut in eodem instanti naturæ intelliguntur, tres personæ habere principium sufficiens ponendi ea in esse: ita in eodem instanti intelliguntur habere actum, quo ponuntur ista in esse. Sed si ponerẽtur duo. Dij, vnus propria actione posset omnia ponere in esse: & alius non posset producere ista eadem productione: ergo vel ista eadem non posset producere: & ideo non esset omnipotens: vel posset producere illa actione: & ita idem posset si, accipere esse, quod est impossibile. G

Ad secundum, quod vnus omnipotẽs posset impedire alia volita ab alio: dico, quod illa probatio bona est de duabus voluntatibus: quia per impossibile, habens suam volũtatem, posset vti ea contingẽter ad quodlibet aliud obiectum à se: non sic autem est de duobus habentibus eandem voluntatem: quia propter eandem necessitatẽ, est vnus vsus voluntatis, propter quã voluntas est vna: & ideo non potest vna persona ista voluntate velle, & alia nõ velle: sicut non potest vna persona habere istam voluntatem, & alia non habere illam.

Cum obijcitur contra istam responsionem de forma, quæ est in duobus, quod sit principiũ operãdi eodẽ modo vtrique, sicut si esset in vno solo: cõcedo, quod Filius non quasi naturaliter, vel coacte valet voluntate ista, quasi si Pater volens, prædeterminauit Filiũ ad volendum idem, & non sit in potestate Filij idem velle, sicut erat in potestate Patris, sed in eodem instanti naturæ Pater, & Filius intelliguntur habere voluntatem, & æque libere quilibet actum volendi habere, vt est illius obiecti, sicut si alius non haberet, istam voluntatem. Est igitur illa forma cuilibet habenti principium vni H

formiter operandi: ſicut eſſet, ſi ille ſolus haberet eam: ſed non eſt alicui habenti principiũ operandi,& alij principium non operandi, operatione,quæ eſt eadem illi voluntati: ſicut iſta non eſt eadem voluntas,& nõ voluntas. Vnde neceſsitas iſtius cõſequẽtiæ,ſi Pater vult hoc,Filius vult hoc, non eſt contra libertatem volitionis Filij:ſicut nec contra libertatem voli tionis meæ,eſt iſta conſequentia:ſi volo,volo: ita nec ibi,ſi Pater vult.A. Filius vult.A. quia idem velle eſt Patris, & Filij.

I. Quæſ.2.ar. Ad tertium de cauſa prima,& ſecũda,reſpõſum eſt diſt.12. quod iſta propoſitio veritatem habet propter aliam virtutẽ, ſiue vim cauſandi in cauſa priori,&poſteriori:illa,quæ eſt prior eſt principalior,& hoc fallit in principio priori ſecundum originem,& poſteriori:in quibus eſt eadẽ vis, vel virtus cauſandi reſpectu tertij: cuiusvis eſt in propoſito, & ideo in propoſito non valet.

Expoſitio art.4.quæſt.vnicæ diſtinct.20.

IN ordine ad creaturas,& reſpectu omnium,quæ ſunt poſsibilia adextra,concludit Doctor æquales eſſe omnes tres perſonas in potentia: & ad huius euidentiam diſtinguit depoſsibili, non ſolum vt opponitur impoſsibili:quia ſic Deum eſſe eſt poſsibile:ſed arctius prout dicit negationẽ neceſsitatis ex ſe,hoc eſt,quatenus opponitur entl ex ſe neceſſario, qualiter eſt poſsibile quodcumque ens extra Deũ. Vbi aduertenda eſt differentia neceſſarij à ſe,aut neceſſarij ex ſe: nam præpoſitio *ex* refertur ad rationem formalem rei,cui cõiungitur: ſic dicitur homo ex ſe rationalis. Præpoſitio v ero,A. denotat originem,& ad eã refertur. Vnde licet quælibet perſona diuina ſit ens neceſſarium ex ſe : non tamen quælibet eſt neceſſe eſſe à ſe:quia ſolus Pater eſt ex ſe,& à ſe:Filius vero,& Spiritus Sanctus habent neceſsitatem ex ſe,hoc eſt, ex ſua natura:non tamen à ſe, quia ab alio habent originem. Poſsibile igitur, aut opponitur neceſſario à ſe : & tunc etiam Filius,aut Spiritus Sanctus dicitur poſsibilis,prout reſoluit Doctor in art.2. aut vero opponitur neceſſario ex ſe:& ſic nulla perſona diuina eſt poſsibilis:ſed omne poſsibile neceſſario eſt, quid extra Deum:& ideo loquendo de hoc poſsibili,concludit in hoc articulo,poſsibile eſſe aliquid extra Deum,& ex conſequenti reſoluit potentiam actiuam correlatiue dictam ad poſsibile,ſic conſideratum,non eſſe quid notionale in aliqua peculiari perſona:ſed quid eſſentiale omnibus perſonis æqualiter conueniens. Cuius rationem clare reddit in textu,& probat tam intenſiue,id eſt,ſecundum rationem potentiæ, quã extenſiue,hoc eſt,quantum ad numerũ poſsibilium, æqualem eſſe potentiam trium perſonarum.

Poſsibile quot modis ſumitur. Differẽtia inter præpoſitionem ex & à

DIFFICVLTAS. LXXX.

Vtrum per potentiam generandi ſit ſolus Pater omnipotens?

§. 1.

Referuntur prima ſententia Ægidij & 2. Marſilij.

SVB hoc titulo mouetur præſens controuerſia de æqualitate potẽtiæ perſonarũ,ſub qua, ea,quæ ad potentiam generandi ſpectant, &qualiter ſit ab omnipotentia diuerſa: ſatis commode expenduntur:omnia enim hæc Doctor in huiusquæſtionis articulis præclare enucleat: in ea nihilominus referam breuiter varia Doctorum placita:quorum confutationibus concluſio Scotica erit illuſtrior. Et primo potentiam generandi,imo & ſpirãdi ad omnipotentiam pertinere,cenſerũ nõ pauci:inter quos prior fuit Ægidius Romanus,in hac diſt.20.quam refert Doctor in art.1.tenent Marſilius in 1.q.23. ar.2.p.2.Gabriel diſt.7.q.3.Thomas de Argentina diſt.20.Capreolus ibid.& q̃ mirũ eſt,ex recentioribus Torres de Trinit.q.42.in cõment.ar.6.pro qua ſentẽtia citatur etiam D. Thomas.1.p.q.42. art.6.

I

1. *Opinio*

Ægid.Romanus. Marſilius. Argentina Capreolus Torres.

D. Thom.

art.5.ad 3.(sed meo videri) immerito: ibi enim cõceditur in Filio esse eandẽ potentiam, quæ est in Patre, licet diuerso modo: sed nõ cõcedit potentiam generandi ad omnipotentiam pertinere: nisi videatur id censere, quatenus nõ respondet ad argumentũ id probãs, ex D. Aug. Ex prædictis attamen quidã ponũt hanc potentiam generãdi in Patre pertinere ad omnipotentiam, non vero in Filio. Vnde per illam Patrem esse omnipotentem, non vero Filium, affeuerare videntur: sed reuera non exinde sequi concedũt Filium, aut Spiritum Sanctũ esse minus omnipotentem, quam Patrẽ.

2. Huius rationem reddunt: quia ad omnipotentiam Patris non pertinet generare se ipsum, vel alium Filium: quia hoc sibi repugnat: nec ex hoc dicitur minus omnipotens, quia non generat se ipsum, vel alium Filium, licet ad omnipotentiam eius pertineat Filiũ generare: quia Filium generare non sibi repugnat, & potentia generãdi sibi ineſt: sic ad omnipotentiam Filij non pertinet generare, nec potentia generandi: quia hoc sibi repugnat, vnde est tale suppositum: non tamen dicitur ex hoc minus omnipotens, quia non repugnat sibi ex defectu alicuius perfectionis, vel formæ, quæ dicat perfectionem. Quod similiter dicunt de potentia Spirãdi Patris, & Filij, respectu Spiritus Sãcti. Huius sententiæ author est Egidius, vt refert Doctor in art.1. & illi cõsentit Thomas de Argentina. Cuius sentẽtiæ fundamentum habetur in tribus argumẽtis positis in principio citati art.1. textualis, quæ optime ibi à Doctore soluũtur.

Ratio quare secundũ aliquos filius non sit minus omnipotens, quã Pater, licet potentia generandi ad omnipotentiam pertineat.

3. Alij vero supponentes potentiã generãdi sub omnipotetia contineri, pro inconuenienti reputant, hanc omnipotentiam alicui diuinarum personarum deficere: atque ideo potentiã generandi (& idem est de potentia spirandi) in omnibus tribus personis esse contẽdũt, licet non omnes generare possint. Et si ab eis quæratur, quare si omnes habent potentiam generandi, generare nõ possunt? per exemplum respondent, quod sicut si idem calor sit in viro, qui est in fœmina, non tamen generaret lac in viro, sicut in vberibus fœminæ: sic licet potentia generandi sit in omnibus tribus personis, non tamen ob id omnes potẽ

2. Sentẽtia.

rũt generare, sed solus Pater: huius sententiæ sunt Marsilius Canarienſis, & alij. Sed quidquid sit de istorum, & aliorum placitis, quoad principale difficultatis intentum probatur, potentiam generandi sub omnipotentia contineri, ob idq; Patrem per illam esse omnipotentem. *Marsi. Canarienſis.*

Primo: nam D. Aug. li.3. contra Maximinum. c.14. ait. *Si Pater genuit Filiũ minorem: aut non potuit, aut non voluit gignere æqualem. Si autem dicitur quod non voluit, eum inuidum esse dixisti: si autem non potuit, vbi est omnipotentia Patris?* Quod argumentum Aug. Maximinum haud quaquam conuinceret, si potentia generandi Filium sibi æqualem sub omnipotentia non cõtineretur: facilime etenim Aug. Maximinus responderet, omnipotentiam Patris non esse ad generãdum, sed ad creandum: & exinde Filiũ creaturam esse concluderet, vt ipse hæreticabat: vt igitur argumentum prædictũ D. Aug. valeret, necessario potẽtia generandi, sub omnipotẽtia clauditur. 4. *D. August.*

Secundo: quoniam omnipotentia est ita respectu omnium, vt potentia illa, quæ nõ potest in aliquam actionem, ad quam non se extendit, omnipotẽtia nõ sit: ideo enim ignis omnipotens nõ est, quia licet possit caleficare, & comburere: non tamẽ potest frige facere, quia ad id non habet potentiam: & ideo omnipotens dicitur illud, quod potest in omne id, ad quod habet formã, per quã potest: Sed Pater AEternus habet formam conuenientem generationi, quã Filius habere non potest: ergo per hãc potentiam generandi est Pater omnipotens, & non Filius, & sic potentia generandi sub omnipotentia continetur. 5.

Tertio quia ad omniscientiam pertinet scientia generandi: ergo ad omnipotentiam pertinet potentia generandi: qui enim nesciret generare, nesciret omnia: ergo qui non potest generare, non potest omnia, & ita non est omnipotens. 6.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & alia quæ fundamenta illius explanantur.

7 IN oppoſitum autem eſt litera textualis in ar.1.huius q.1.diſt.20.ſub lit.E.&F.vbi Doctor hæc profert. *Quantum ergo ad iſtum articulum dico, quod irrationabilitas illius dicti, quod ſub omnipotentia de virtute ſermonis continentur potentia generandi, ex hoc apparet,&c.* Sequũtur Doctorẽ Baſſolis hac diſt. 20. q.vn.§.*eſt igitur*, per totũ, Maironis ibi. q.2.§.*ideo ponitur*, Lychetus, hac diſt.q. vn. Tateretus,& Ant.And.ibid.Rubionis,q.2.Vigerius q.vn.§.*reſpondeo omittẽdo*. Quod etiam tenent omnes Scotiſtæ recentiores, eſtque expreſſa ſententia S.P.Bonauent.hac diſt.20.q.2. quam tenet Durand.in primo diſtinct.10.quæſtio.1.

Baſſolis. Maironis. Lychetus. Tateretus. Ant. And. Rubionis. Vigerius D. Bonau. Durand.

8 Pro huius ſententiæ intelligentia, & difficultatis reſolutione tria videnda ſũt. Primo quidem quid ſit potentia generãdi in Deo. Secundo, an hæc potentia generandi ſit in Filio,& Spiritu Sancto, ſicut eſt in Patre. Tertio tandẽ, an huiuſmodi potentia generandi contineatur ſub omnipotẽtia. Circa primũ ergo obſeruare oportet de potentia generandi, vt ſic loquutos fuiſſe tã veteres, quam recentiores Theologos: quidam etenim illam conſtituebant in relatione Paternitatis, alij in eſſentia, alij in eſſentia ſimul & paternitate. De quo puncto peculiarẽ mouit difficultatem Vazquez 1.p.diſp. 164.vbi inter alias in c.2.n.8.refert opinionem Scoti, in hoc 1.diſt.7. q.1.§. *ad quæſtionem igitur*,& §.*quia autem alia argumenta*, dicẽtis ſolam eſſentiam diuinã, in ſe abſolutam, eſſe potentiam producendi in Deo, conditionem vero vt producat, eſſe proprietatem talis, aut talis perſonæ. Quæ verba, nec ſic habẽtur in Doctore, nec talem proferunt ſententiam in ſenſu, quo Vazquez illam refert: nam in dicto.§.*ad quæſtionem igitur*, quæ littera habetur in noſtra articulatione, hic in art.1. diuidit Doctor potentiam in triplici differentia, ſcilicet, in potentiam logicam,& in potentiam prout excludit actum, ſeu diuiditur contra actũ, &in potentiam realem: de primo cõcludit in Deo eſſe potentiam his verbis. *Si hoc modo quæratur de potentia generandi in diuinis: dico quod ipſa eſt poſſibilitas, comparãs generationem ad quemcũque actũ, nõ repugnantem generationi.* Loquendo vero de potentia ſecundo modo, ſic reſpondet. *Alio modo dicitur potentia diuiſa cõtra actum: iſta non eſt in Deo.* De potentia autem tertio modo ait. *Relinquitur igitur potentia realis, quæ dicitur principium agendi vel patiendi*,& ſubdit. *Hic autem tantũmodo agitur de potentia agendi*,& hanc illico ſubdiſtinguit his verbis,*& tunc diſtinguitur, quod hoc nomen potentia poteſt ſumi, vel pro eo, quod ſignificat, vel pro eo, quod cõnotat, quod eſt proximũ fundamentum relationis*,& loquendo de potentia ſumpta, pro eo quod ſignificat, inquit. *Primo modo accipiendo dico, quod potentia ſignificat relationẽ: ſicut potẽtialitas, vel principiatio. Et hoc modo quæſtio non habet difficultatẽ, quia potentia generandi in diuinis dicit eſſentialiter relationem.*

Quid Vazquez impoſuerit Scoto.

Tripliciter poteſt cõſiderari potentia in Deo ſecundũ Scotũ.

9 En quomodo Vazq. imponit Scoto dixiſſe potentiam generandi eſſe ſolam eſſentiam,&c. Quid ergo Scotus ſenſerit, ſatis patet,& infra patebit amplius. Proſequitur autẽ Doctor ſic. *Secũdo modo eſt difficultas quæſtionis, quærẽdo quid ſit illud abſolutum, quod eſt fundamentum proximũ illius relationis? Et tũc loquendo ſemper præciſe de potentia actiua, ſiue productiua (de qua eſt modo ſermo) diſtingo vlterius de potẽtia denominatiuè ſumpta, quod aliquãdo ſumitur pro fundamento præciſe: aliquando autem pro ipſo cum omnibus alijs, quæ concurrunt ad hoc vt poſſit elicere actũ: quæ ſcilicet requiruntur, ad rationem potentiæ propinquæ, cuiuſmodi ſunt in creaturis, approximatio paſſi,& impedimenti remotio.* Hactenus Scotus, qui plura ibi prænotat, & difficultatem reſoluit infra ſub §. *loquendo tunc*, dicens quod iſtud fundamentũ potentiæ nõ eſt relatio, ſed quid abſolutũ. Ex quibus iam conſtat falſo fuiſſe relatã à Vazquio ſupra poſitam ſententiã, pro ſententia Scoti: ſi quidem Doctor accipiendo potentiam pro principali ſignificato, ait eſſe relatiuam: ſumptam vero pro fundamento connotato cum ſuma præciſione, inquit eſſe quid abſolutum.

Potẽtia actiua productiua in Deo accipitur pro eo, qꝙ ſignificat, aut pro eo, quod connotat. Primo modo eſt quid relatiuum. 2. eſt quid abſolutum.

10 Hoc autem abſolutum non intelligẽdum eſt eſſe eſſentiam diuinam præciſe, vt excludentem intellectum: nam vt optime notauit Viger.in 1.diſt.7.quæſt.vn. §.*hic eſt opinio*. poſſet quis inſtare, quod quæſtio illa de potentia generandi à Doctore mota in diſt. 7. ſuperflueret, eo qꝙ iam determinatũ eſt ſub diſtinctione. 2. memoriam fæcundam eſſe principiũ

quo

quo, & potētiam producendi Verbum: ergo frustra est nunc discutere de potentia generandi. Ad quod tamen respondet ipse Vigerius, quod ibi satis ostensum est memeriam fæcundam esse potentiam generandi, & principiū *quo* generationis diuinæ. Quomodo autem ipsa memoria fæcunda sit proprie Patri, & quod vt proxime fæcunda, nō cōueniat Filio aut Spiritui Sancto: & vnde proueniat memoriam esse propriā Patri: declaratur in dist. 7. à Doctore, & ideo ex dictis, & obseruatis vtrobique habetur completa scientia de principio, seu potētia generationis diuinæ.

11. Vt ergo potentiam generandi (ommissis opinionibus in loco citato, à Doctore relatis, quia ibi de illis actum est) explanemus: supponēdum est, hic neutiquam controuerti de principio *quod* generationis diuinæ, hoc enim supponitur esse Pater. Principium ergo *quo*, seu potentia generandi (quod idem esse testatur Doctor vbi supra) non est cōceptus, ita simpliciter simplex, quin sit in duos conceptus alios resolubile: cum etenim diuinæ productiones non sint immediate per naturam, vt contra Durandum, concludimus supra in difficultate propria, sed per intellectum, & voluntatem: & intellectus seu voluntas, tanquam potentiæ operatiuæ non, nisi simul cum obiecto, possint producere: hinc est quod integrum, & adequatum principium diuinæ productionis ex obiecto insimul, & potentia coalescit. Intellectus igitur in ratione potentiæ, & essentia in ratione obiecti illi vnita, cōstituunt vnum integrum, & totale principium generationis, quo Pater generat Filium, & in hoc nulla, vt credo (dēpto Durando) est inter Scolasticos cōtrouersia, & ideo hoc tale integrū principium, esse potentiam generandi, non dubito. Controuersia attamē sita est in determinādo, an tale principiū sit quid notionale aut essentiale? nam cū essentiale sit præintellectū ad relationes sicuti essentia: notionale vero ex natura rei sit idē quod relatio: idē est quærere, an hoc principiū sit ipsa essentia, ꝙ si quæratur, an sit quid essentiale: item idē est, quærere, an relatio sit, quod si quæratur an sit quid notionale. Ex resolutione enim huius difficultatis, pendet resolutio illius, an scilicet potētia generādi sit tantū in Patre, an vero sit simul in omnibus personis diuinis. Si nāque concluderetur potētiam generandi esse quid essētiale: in omnibus proculdubio esse, necessum est. Si vero sit quid notionale, nō pluribus, sed tantummodo personæ generanti conuenit, quod idem respectiue de Spiritu Sancto concluditur.

Principiū quo generationis, seu potentia generandi, nō est conceptus simpliciter simplex.

12. Egregie ergo hanc dificultatē nobis ē nucleauit Scotus in verbis nuper relatis: ibi etenim duobus modis potentiam realē actiuā, seu productiuā considerat: vel quidē si summitur pro eo, ꝙ significat, vel secundo pro eo, quod connotat tāquā fundamentū. Primo modo ait potentiā generandi esse relationē. Secūdo vero modo, scilicet si præcisse pro fundamento summatur, ait esse quid absolutū. Inquit ergo: primo modo esse relationem: non quidē ꝙ relatio ibi sumatur secūdū expressum conceptum relationis, secūdū quē Paternitas personā Patris cōstituit. Nec secūdū rationem originis, iuxta quā præintelligitur à nobis prius esse generationem, quam Paternitatem. Summitur secundū conceptū principij producentis, seu proxime productiui, in quo sunt omnia requisita ad producēdū & nullum est ibi impedimētū, sed adsūt omnia necessaria, vt producat. Et quia, hæc tria scilicet principiū generandi, & generatio, & Paternitas sunt vna, & indiuisibilis relatio ex natura rei formaliter eadem: licet à nobis inadequate, cōceptibus à creaturis, desumptis, non vt vnum, sed vt tria concipiatur: prout late infra in difficultatibus de cōstitutione personatū sub dist. 26. explanatur: ideo sumpta potentia generādi, pro eo quod significat, in ratione principij dicitur à Doctore relatio: quia ex natura rei relatio formaliter est.

Potētia realis productiua dupliciter consideratur.

13. Secūdo autē modo principiū summitur præcise pro fundamēto proximo talis relationis. Nā si summatur, (vt notauit Doctor) pro ipso fundamento nō præcisso, sed cū omnibus alijs, quæ concurrūt ad hoc, vt possit elicere actum, quæ scilicet requiruntur ad rationem potentiæ propinquæ, &c. tunc idem est de principio hoc modo cōsiderato, quod de principio primo modo, quod scilicet est relatio modo exposito. Sumptum ergo principiū profundamēto præcise, nihil

aliud est, quam præcisa memoria fæcũda, hoc est, intellectus habens sibi vnitã essentiam in ratione obiecti intelligibilis. Hæc tamen est differentia memoriæ hic & illic, scilicet vt est fundamentum potentiæ, & vt est potentia: videlicet, quod illic est talis memoria cum omnibus requisitis, quæ concurrunt ad hoc, vt eliciat, & producat: & vt sic habet omnem impedimentum iam remotum: & ideo ibi memoria est vere potẽtia generãdi: hic vero consideratur memoria præcisse in ratione memoriæ, quædesenon dicit habere omnia requisita ad producendum, nec omne impedimentum esse amotum, vt Doctor notauit. Vnde si hæc eadem memoria esset in Filio (quod infra patebit) adhuc in ipso non haberet rationem potentiæ generatiuæ: quia consideratur in illo, vt præcise est memoria, non tamen vt habens omnia requisita ad producendũ. Non est enim ibi sublatum impedimentum, quod est ad generandum: quia ibi est repugnantia exorta ex æquatione termini iam per generationem producti. Quæ repugnantia est impedimentum, ratione cuius deficit memoriæ, prout in Filio, hoc, quod est habere omnia requisita ad producendũ. Vide quæ circa hoc punctum dicta sunt supra in diffic. 89. nu. 9.

Memoria fæcũda, & est potentia & fundamentũ potẽtiæ generãdi.

14 Memoria ergo, vt sic præcise considerata, est fundamentum proximũ potentiæ generandi: quia illo impedimento ablato, etiam esset in Filio potentia generandi, sicut in Patre. Quia igitur, hoc impedimentum auferri repugnat: ideo repugnat, memoriam esse potentiam generandi in Filio. Concluditur ergo ex dictis, eandem memoriam fæcũdam diuersimode consideratam, & esse fundamentum potentiæ generandi, & esse ipsam potentiam generandi: quatenus est potentia generandi, est quid notionale, & relatiuum: quatenus vero est fundamentum potentiæ generandi, est quid essentiale, & absolutum. Sub qua distinctione bene resoluitur primum punctum, huius difficultatis, videlicet? quid sit potentia generandi in Deo, tã sumpta pro potentia generandi, pro eo quod per se significat, quam etiam pro filius fundamento proximo connotato.

§. 3.

Qualiter principium generandi dicatur esse in Filio, aut Spiritu Sancto, exponitur.

PORRO circa secundum punctum est inter Scotistas distinctio: quidam enim ponunt potentiam generandi, seu principium generationis non minus esse in Filio, & Spiritu Sancto, quam in Patre. Cuius rationem reddunt: quia Pater cõmunicauit Filio memoriam fæcundã, eo quod ei communicauit intellectum, habentem sibi vnitam essentiam in ratione obiecti intelligibilis: quam etiam memoriam Pater, & Filius communicauerunt Spiritui Sancto. Ex quo inferũt, vnam, & eandem potentiam generandi esse in Filio, & in Spiritu Sãcto, quæ est in Patre. Sic Lychetus loco citato §. *ibi hoc modo*, & sæpe alibi, quod plures alij censent. Vigerius vero in distinct. 20. sub §. *quantum ergo*, prope finem, ait quod memoria fæcunda in ratione potentiæ generandi, non est in Filio: quia non est sub ratione prioris ad illum actum: potentia enim siue principium requirit ordinem prioris, & posterioris ad actum, seu ad terminum productum per illum: memoria ergo fœcunda formaliter includit relationem prioris ad actum: & vt sic est in solo Patre. Quæ prioritas est prioritas præsupositionis, vt habetur ex Doctore in quodlibetis, quæst. 2. art. 3. solutione ad. 2. argumentum. Plures alij Scotistæ hanc sequuntur sententiam: quæ semper mihi longe rationabilior visa est, quam præcedens.

15

16 Verum enim vero optime possunt cõciliari authores prædicti cum litera Doctoris, ita vt omnes eandem doctrinam Scoticam tueantur: distinguendo, videlicet, potentiam generandi, sicut Doctor illam supra distinxit: sic vt sumatur vel pro præciso fundamento proximo connotato, quod est præcisa memoria, scilicet intellectus habens sibi essentiam vnitã in ratione obiecti: qualiter non est proprie potentia generandi,

Potentia generandi dupliciter sumitur, & quomodo dicatur esse in tribus.

di,sed fundamentum illius:& vt sic,est quid absolutum,vt inquit Doctor in loco citato distinctionis.7.Et quia omne absolutum est cõmune tribus personis: ideo memoria vt sic,est nõ minus in Filio,& Spiritu Sãcto,quam in Patre: sed æqualiter est in omnibus. Secundo vero sumpta pro eo,quod per potentiam generandi significatur,dicit relationẽ, seu est ipsa relatio,vt dicit Doctor modo expolito,& vt sic non potest Filio, aut Spiritui Sancto competere: sed tantummodo est in Patre. Ex quibus resoluitur secũdum punctum,quod scilicet,& si memoria fœcunda,quæ est fundamentum relationis, æqualiter sit in tribus personis: ipsa tamen memoria prout formaliter est potentia generandi,tantummodo est in Patre:& ideo Filius,& Spiritus Sanctus non habent æqualem potentiam generandi cum Patre,quod non inconuenit,eo quod notionalia omnibus personis cõmunia esse non possunt.

17 Tandem circa tertium punctũ, videndum est,quid sit omnipotentia,subqua Doctor negat generandi potentiam cõtineri.Quod satis patet ex ar.1.& 2.textualibus,vbi constat omnipotentiæ obiectum esse illud possibile, quod excludit necesse esse ex se, prout expositum est ibi,& in comentario articuli 4. Ad eius tamen clariorem, intelligentiam egregie prænotauit Bassolis vbi supra in §. *est igitur alia opinio*, quid sit omnipotentia,cum quo est tertio obseruandum,quod signum distributiuum vniuersale non apponitur termino singulari,sed termino aliquo modo vniuersali. Hoc patet,quia non dicitur omnis Petrus:bene tamen omnis homo: hoc igitur signum distributiuum *omne* apponitur alicui termino de se non singulari. Vniuersale autem est duplex,vel quidem vniuersale prædicationis, vt homo,& hoc est formaliter vniuersale(loquendo primo intentionaliter)vel vniuersale vniuersalitate virtutis per latitudinem perfectionis,vt patet de virtute solis,quæ in se est formaliter singularis:tamen est vniuersalis in virtute ad producendum aurum,& murem,& hominem,&c. Cuilibet ergo ex his vniuersalibus potest addi signum distributiuum:ita tamen,quod signum distributiuum additum termino vniuersali,distribuit illum secundum naturam,& cõditionem ipsius termini:ita quod si terminus fuerit vniuersalis in prædicando,distribuit illum pro suis contentis formaliter:quia formaliter continetur in eis,de quibus prædicatur,sicut homo formaliter includitur in suis indiuiduis,pro quibus distribuitur,quãdo dicitur *omnis homo*.Terminus vero in se formaliter singularis, vniuersalis tamẽ secundum virtutem seu perfectionem latitudinis, non includitur formaliter in suis contentis,sed æquiualenter, seu æquipolleter, aut virtualiter, seu supereminenter:& ideo non formaliter distribuitur pro contentis sub se,sed æquipolleter: quia non formaliter,sed æquipollenter continet illa.

Signum distributiuum vniuersale, non apponitur termino singulari.

Hæc ad propositum applicando(inquit Bassolis) quod cum potentia Dei formaliter accepta, sit quædam potentia singularis contenta sub potentia in communi,sicut essentia diuina continetur sub essentia in communi: in quãtum vero supereminenter cõtinet omnem potentiam creatam, habet aliquo modo rationem vniuersalis, non formaliter,sed secundum virtutem,& latitudinem perfectionis:& vt sic potest sibi addi aliquod signum distributiuum, quod distribuit ipsam pro omnibus cõtentis, non formaliter,sed æquiualenter,ac super eminenter:ideò signum distributiuum additum potentiæ Dei,vt pote,quando hoc signum *omnis* additũ *potentiæ*,& dicitur *omnipotentia*:tũc hoc tale signum non distribuit potentiam Dei formaliter pro hac potentia, vel illa:quia tunc sequeretur,quod in Deo formaliter prohac potẽtia,vel illa:quia tunc sequeretur,quod in Deo formaliter esset potentia cerui, & potentia equi,& leonis,& hominis,& deniq; omnes aliæ potentiæ creatæ, & creabiles: quod dicendũ nõ est. Distribuit ergo ipsam pro omnipotentia supereminenter, & æquiualenter, ita vt sit sensus, Deus est omnipotens,id est, Deus habet vnam potẽtiam in se formaliter singularem: æquiualentem tamẽ,& supereminentem,secundum virtutem omni potentiæ causatæ,vel causabilis:æquiualentem quidem, quia quicquid potest quælibet creata,aut creabilis potentia face-

18 *Potẽtia Dei est formaliter singularis.*

Omnipotẽtia: quid significet.

facere, potest diuina potentia. Super eminentem autem, quia vltra omnem potẽtiam creatam, & creabilem potest, vt pote creare, iustificare, & cætera, iuxta illud saluatoris Matth. cap. 10. data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, hoc est communicata est mihi â Patre cum essentia per generationem omnis potentia ad naturalia, & supernaturalia, prout exponit Bassolis. Non formaliter, quia verbo non fuit communicata formalis potentia Leonis, aut Tauri: sed æquiualenter, & supereminenter.

Mat. c. 10.

19 Hæc igitur potentia vna formaliter singularis in se, multis æquialet & distribuitur omnibus, quæ non sunt formaliter in Deo, sed virtualiter tantum, vt dictum est: quia vero potentia generandi (& idem est de potentia spirãdi) non virtualiter, sed formaliter est in Deo: ideo non cadit sub omnipotentia: quia non cadit sub signo distributiuo vniuersali, quod tantum distribuit potentiam actiuam Dei pro potentijs, quæ æquiualenter, & non formaliter sunt in illo, vt visum est.

Potẽtia generandi nõ cadit sub omnipotẽtia.

20. Non igitur est in Patre aliqua omnipotentia, quæ non sit in Filio: si quidẽ potentia generandi non est omnipotentia, nec ad omnipotẽtiam pertinet: nec propterea Pater per potentiam generandi omnipotens est. Obiectum ergo potentiæ generandi Patris, & obiectum omnipotentiæ Dei in hoc differũt, quod licet vtrumque dicatur à Doctore possibile, vt patuit in artic. 2. & 4. & vtrumque dicatur possibile, prout opponitur necessario: Nihilominus quia vnum est necessarium ex se, quod scilicet ex natura sua, & ex ratione formali est, necesse esse, qualiter solus Deus est sic ens necessariũ ex se: aliud vero est necessarium â se, & sic sola persona improducta, qualis est Pater, est quid necessarium: ideo possibile, vt opponitur necessario ex se est creatura & obiectum omnipotentiæ: possibile autem, vt opponitur necessario à se, potest esse quælibet ex duabus personis productis, quæ sunt necessariæ ex se, sed non à se, vt notatum est supra, ex Doctore in Comentario, ad art. 4. & possibile hoc modo est obiectum potẽtiæ generandi, seu spirandi in Deo. Ex quibus omnibus satis habetur, quid sit omnipotentia Dei, & qualiter non cõtineat sub se potentiam generandi, & quomodo per hanc potentiam generãdi non sit Pater omnipotens: ac proinde, licet potẽtia generandi sumpta pro per se significato, sit tantum in Patre, sumpta tamen præcise pro fundamento proximo, est in omnibus personis æqualis, sicuti etiam omnipotentia in eis æqualis est. Quæ omnia ex supra notatis patent, & in sequentibus conclusionibus probantur.

Pater nõ est omnipotens ratione potentiæ generandi.

Possibile & dicitur de creatura, & de personis diuinis productis.

§. 4.

Statuuntur conclusiones, & solutiones argumentum.

HIS ergo præhabitis, difficultatem concludendo, dico primo, quod potentia generandi, seu memoria fœcunda, pro vt formaliter est potentia generandi, non est quid absolutum, nec propterea est in tribus personis: sed est quid relatiuum, & solum in Patre. Conclusio hæc est Doctoris expressa, vt patet ex verbis illius supra relatis num. 7. & probatur: nam vt ipse ait ibi, potentia generandi in diuinis dicit essentialiter relationem: ergo formaliter quid relatiuũ est, & non absolutum: quia quod essentialiter est tale, à fortiori formaliter tale est. Sed quicquid in diuinis formaliter est relatiuum, & non absolutum, nõ est commune tribus personis, sed proprium alicui personæ, cui relatio, seu origo talis relationis competit: ergo cũ sola persona Patris sit, quæ genuit & generare potest, in solo Patre est potentia generandi.

21

1. *Concluſ.*

Potentia generandi pro formali, nõ est quid absolutũ, nec est in tribus.

Dico secundo, quod potentia generãdi, seu memoria fœcunda sumpta pro cõnotato fundamento proximo relationis, quid absolutum est, & est eadem in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Conclusio hæc similiter est Doctoris, vt patuit. Et probetur: quoniam potentia generandi, vt sic est essentia simul cum intellectu, quam in ratione obiecta intelligibilis

22.

2. *Concluſ. Potentia generandi fundamentaliter est quid absolutũ cõmune tribus personis.*

bilis fœcundit,& reddit memoriam : at talis memoria,vt præcisè memoria est, quid absolutum est,& æqualiter tribus personis conuenit:ergo,& cætera. Maior supponitur ex supra notatis in nu. 13.& 14. Minor vero probatur, quoad vtramque partem : vna enim ex alia infertur,quia si est in tribus,necessario est quid absolutum: esse autem in tribus cõstat,quia Pater communicans Filio naturam,simul ei communicauit cum ea intellectum habentem essentiam sibi vnitam in ratione obiecti intelligibilis:sicut enim illum ei communicauit in ratione inteligentiæ,sic etiam in ratione memoriæ:quia ei communicauit intellectum perfectissimè,sicuti illum habet in se.Et similiter Pater,& Filius communicant Spiritui Sancto talem memoriã eadem ratione, qua illi communicant essentiã:igitur memoria,vt sic,est quid absolutum,& æqualiter habens esse in tribus personis.

23 Dico tertio,potentiam generandi tã formaliter sumptam, quam etiam pro fundamento proximo connotato, ad omnipotentiam non pertinere,nec cõtineri sub illa. Conclusio est Doctoris contra AEgidium,quæ duplicem habet partem,primam; videlicet,quod formaliter sumpta sub omnipotentia non cõtinetur.Quæ probatur ab inconueniẽti:nam ex inde sequeretur Filium,&Spiritum Sanctum,non habere eãdem omnipotentiam,quæ est in Patre,si quidem non habent eandem potentiam generãdi,quæ est in illo:nam vt vissum est supra in concluſ.1.potentia generãdi formaliter sumpta est quid relatiuum soli Patri conueniens.Si ergo Filius,&Spiritus Sanctus,non habent hanc potentiam,quæ pars subiectiua omnipotentiæ est,erunt proculdubio minus omnipotentes,quam Pater.Nec valet solutio pro AEgidio supra relata in eius opinione,quod scilicet eo,quod Pater non potest generare se ipsum,non ideo tollitur ab eo omnipotentia respectu generationis. Vnde infert similiter,Filiũ nõ esse minus omnipotentem,eo quod nõ possit alium filium generare,quia hoc sibi repugnat.Hanc etenim responsionem egregie Doctor impugnat duplici ratione in art.1. Prima habetur littera D.& secunda sub littera.F.& bene *Du-*

3.*Concluſ.*

Potẽtia generãdi quo modolibet ſumpta, nõ cadit ſub omnipotentia.

rando vbi supra,num. 6. eandem reijcit responsionem,ex eo quod omnipotentia tantummodo dicitur respectu eorum,quæ contradictionem non implicant,non quidem respectu efficientis, sed absolute in se.Ideo enim cum Doctore negamus memoriam in Filio habere rationem formalem potentiæ generandi:quia absolute in se implicat Filiũ generare:sed non solum respectu efficientis,seu producentis : quia absolute repugnat Filium generare, quod etiam in simili optime D.Th.1.p.q.25.ar.3.nota uit.

Et quidem si omnipotentia diceretur 24
etiam respectu eorum,quæ implicationẽ in volunt,vt prædicta AEgidij sententia aiebat:proculdubio quilibet homo diceretur omnipotens, respectu saltem actionum imanentium, vt bene notauit Vazquez.Quia licet non posset in ea,quæ sibi implicant: possit tamen in omne possibile à se fieri,quod est absurdum. Nulla ergo potentia dicitur potẽtia,nisi respectu eorum, quæ per illã absolute fieri possunt: non vero respectu eorum , quæ sibi aliquo titulo implicãt. Vnde nec memoria in Filio,aut Spiritu Sancto est potentia generandi, sicut in Patre.Nec ob id si talis potentia generandi esset pars subiectiua omnipotentiæ , talis omnipotentia esset eadem illis,quæ esset in Patrè: & sic nõ essent Filius,& Spiritus Sanctus,ita omnipotentes,sicut per illam est omnipotens Pater.Quod argumẽtum supra positum concludebat: ex quo à prædicto inconuenienti probato sequitur potentiam generãdi formaliter sumptam,sub omnipotentia non contineri: quæ erat prima pars conclusionis prædictæ.

Secunda vero pars probatur,quia me 25
moria fœcunda præcisè considerata, nihil aliud est,quam intellectus habens essentiam sibi vnitam in ratione obiecti intelligibilis : omnipotentia attamẽ est in Deo distinctum formaliter attributum ab intellectu:potius enim pertinet ad eius potentiam executiuam, & cætera. De quo infra difficultate propria huius attributi,in to.3.huius operis:ergo,&c.

Ad argumenta autem pro prima sen- 26
tentia,& ad primum D.Augustin. varias alij,& alij solutiones respondent : Sed

longe

longe præstantior illis Doctor hic in ar. 3. in corpore, & ad primum, quæ solutio hic non repetitur, quia est ibi in textu satis clara, & optime exponit mentē, Aug. licet etiam clarius habeatur ab eodem Scoto in quodlibetis, q. 7. solutione ad primum argumentum.

Ad argumentū, & ad primū.

27. Ad secundum patet, ex supra notatis, omnipotentiam esse respectu creaturarum, quia est respectu omnium possibilium, prout possibile opponitur enti necessario ex se. Potentia vero generandi non respicit hoc tale possibile tanquam obiectum: sed personam diuinam, quæ est quid necessarium ex se, & simpliciter necesse excludens huiusmodi possibilitatem: & ideo non pertinet potentia generandi ad omnipotentiam. Si autem ad aliquam actionem, circa hoc tale obiectū possibile, quod est creatura, omnipotentia non posset se extendere: non esset omnipotentia, vt intendit argumentum.

Ad 2.

Ad tertium dico, quod non est simile de omniscientia ad omnipotentiam: quia scire, vel scibile, absolute loquendo nullum habent ordinem realem inter se, ad inuicem. Et ideo scientia alicuius potest cadere super omnia tanquam super obiecta, & etiam supra se ipsum: quia inter scientē & obiectū non requireretur distinctio realis essentialis: ac vero aliud est de omnipotentia, quæ respicit determinate aliquod possibile dependens ab ipsa coessentialiter posterius ipsa, & ex consequenti essentialiter distinctum ab omnipotente. Patet ergo disparitas similitudinis de omni scientia ad omnipotentiam: quia omniscies debet scire omnia, & se ipsum: omnipotens vero debet posse in omnia, non tamē se ipsum: quia idem non potest à se ipso essentialiter dependere. 28.

Ad 3.

Discrimen inter omniscientiā, & omnipotentiam.

DISTINCTIO. XXI.

Hîc oritur quæstio, &c.

QVÆSTIO VNICA:

De veritate istius propositionis, solus Pater est Deus.

CIRCA istam distinctionem vigesimam primam, quæro vnum, Vtrum hæc sit vera, solus Pater est Deus? circa quod quæruntur tria.

¶ Primo. Vtrum solus Pater est Deus, sit propositio vera?

¶ Secundo. Vtrum ista sit bona consequentia, solus Deus, qui est Pater, est Deus: ergo solus Pater est Deus?

¶ Tertio. Vtrum hæc propositio, solus Pater est Deus, sit conuersa istius, solus Deus est Pater?

ARTICVLVS. I.

Vtrum solus Pater est Deus, sit propositio vera?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod solus Pater est Deus, sit propositio vera: quia solus Deus est Deus: ergo solus Pater est Deus. Tum quia in antecedēte stat personaliter: quia est indiffinita. Similiter probatur consequentia: quia antecedens infert vtramque exponētem consequentis. Et quod inferat exponentem affirmatiuam probo: sequitur A

quitur,ſolus Deus eſt Deus:ergo omnis Deus,eſt Deus, & ita Pater eſt Deus: ergo ſequitur affirmatiua exponens conſequens. Sequitur etiam, ſolus Deus eſt Deus: ergo non alius à Deo eſt Deus:ergo non alius á Patre eſt Deus. Probatio huius conſequentiæ:hic videtur fallacia conſequentis, alius à Deo:ergo alius à patre : ergo arguendo negatiue eodem ordine, erit bonum argumentum. Probatio aſſumpti: quia ſi alius à Deo inferret alium à Patre: hoc eſſet propter diſtributionem termini relationis diuerſitatis:ſed non diſtribuitur. Probatio: quia tunc eſſet omnis propoſitio falſa,vbi prædicaretur relatiuum diuerſitatis de aliquo: puta,quæcumque talis:homo eſt diuerſus,vel aliud:datur enim hic intelligi correlatiuum primum huius relatiui,& per conſequẽs ſequeretur,quod homo eſſet alius ab alio. Et ſi terminus relationis diſtribuatur,ſequitur,quod ſit alius à quocumque alio:igitur alius à ſe.

B. Secundo præterea: quia negatiua exceptiua,& affirmatiua excluſiua de parte excepta conuertuntur:ſed Matthæi.11.nemo nouit Patrẽ,niſi Filius: ergo ſolus Filius nouit:igitur ſolus eſt Deus.

C. Tertio præterea.6.Trinit.cap.7.tãtus eſt ſolus Pater,quantus eſt ſimul Pater,& Filius:igitur ſolus Pater eſt ſic magnus:igitur ſolus Pater eſt Deus.

D. Sed contra eſt: quia oppoſitũ patet per Aug.lib.6.de Trinit.cap.8.vbi ſic ait:ſiquis interroget, vtrum ſolus Pater ſit Deus? quomodo reſpondebitur non eſſe,niſi forte ita dicamus,eſſe quidem Patrem Deum,ſed non eſſe ſolum Deum? eſſe autem ſolũ Deũ Patrem,Filium,& Spiritũ Sanctum.

E. Reſpondeo dicendum ad quæſtionem,quod poteſt fieri diſtinctio, ſicut diſtinguitur cõmuniter,& bene:quod ſolus,poteſt teneri cathegorematice, & ſincathegorematice. Solus quippe ſignificat idem,quod non cum alio: ſicut patet per Phyloſophum.1.Elẽcho. Iſta autem negatio aſſociationis poteſt intelligi determinare aliquid in ſe,ſiue in natura rei, vel determinate aliquid,vt eſt extremum compoſitionis in habitudine ad aliud extremum: puta,negando aſſociationem alterius ab iſto in recipiendo prædicationẽ talis prædicati. Primo modo non admittitur in diuinis hoc nomẽ ſolus: quia nihil eſt ibi ſolitarium. Secundo modo conceditur,quandocumque non aſſociatur ſubiecto aliquid, de quo dicatur idem, prædicatum: ita non eſt, prædicando eſſentiale de perſonali: quia eſſentiale conuenit alij ab iſto incluſo: & ideo talis propoſitio negatur. *Cap.4.* *Concluſio.*

Declaratio iſtorum, ſcilicet, qualiter ſincathegorema diſponit extremum intellectus componentis, & diuidentis,reſpectu alterius extremi: & quomodo differat ſincathegorema ab intentione ſecunda, & quo modo diuerſæ determinationes ſincathegorematicæ inter ſe differunt: longum tractatum requireret: ſed non oportet hic immorari, propter alia magis neceſſaria. Probatur etiam falſitas propoſitionis propoſitæ per illam cõmunem regulam in ſophiſmatibus: affirmatiua excluſiua infert vniuerſalẽ affirmatiuam de terminis tranſpoſitis: igitur iſta,ſolus Pater eſt Deus, infert iſtam, omnis Deus eſt Pater, vel omnis perſona diuina eſt Pater. Regula iſta probatur ex ratione excluſionis, quæ videlicet,notat præciſionẽ in illo, cui additur reſpectu alterius extremi,ſiue cõmenſurationem,ſcilicet,quod alterũ extremũ non excedat illud. Et hoc notat iſta vniuerſalis affirmatiua determinis tranſpoſitis,& maxime in terminis cõmunibus, vbi poteſt vtrumque extremum accipi vniuerſaliter. F. G

Probatur etiã logice per vnã propoſitionẽ,quæ exprimit totũ intellectũ excluſiuæ:iſta enim,tãtũ homo eſt viſibi-

risibilis:licet ponatur cõmuniter habere duas exponentes;sufficienter tamen ex primitur per istam, nullus nõ homo est risibilis:ex qua sequitur nullum risibile est non homo per conuersionem,& vltra:igitur nullum risibile non est homo per illud secundi periarum:ex negatiua de prædicato finito, &negatiua de prędicato negato Quod probatur per primum principium:de quolibet affirmatio,vel negatio vera est: & hoc in prædicatis simplicibus: quia negando istam consequentiã, negatur vtraque opposita ab eodẽ,& vltra:ergo omne risibile est homo per æquipolẽtiam primo.Hĩc aliqui instãt, quasi vno correlatiue incluso, aliud nõ excluditur:quia vnum est cõmuniter de intellectu alterius: quia posita seponunt,&c. et sunt simul natura:
Tex. cõ. 8. sed hoc est contra intentionem Philosophi.1.Physi. arguentis ibi, si tantũ principium est, principatum non est: ergo correlatiuum non est de intellectu correlatiui:sicut aliquid eius: puta pars essentialis,vel integralis:sed sicut aliquid,ad quod terminatur intellectus eius,&tale est sufficiẽter diuersum ab incluso tanta diuersitate, quanta diuersitas requiritur adhoc,quod ipsum excludatur.

H Ad primum argumentum dico, ꝙ ex negatiua exponẽte antecedens,nõ sequitur negatiua exponẽs cõsequũs. Cem probatur, quia nõ sequitur alius a Deo:ergo alius à Patre.Nego:quia illa consequentia non est bona.Et cũ vlterius probatur,quod terminus huius alietatis non distribuitur:quia tunc esset impossibilitas enunciandi tale relatiuum de aliquo. Respondeo,quod in omnibus relatiuis æquiparãtiæ,cõmune secũdũ se acceptũ, vt cõmune est, non refertur:quia ex quo vt cõmune est abstrahitur ab omnibus relatinis,siue terminis relationũ:quia relatio realis nõ est, nisi distincti ad distinctũ: sed sicut sic referretur:oporteret ibi dare terminũ sibi relatũ distinctum:& ideo nõ referretur ad aliquid eiusdẽ rationis cũ relato:sed referretur ad aliquid alterius rationis.Refertur igitur tale relatiuum tantũ pro suo inferiori, sicut simile non refertur prosimili in cõmuni ad simile:sed pro aliquo inferiori: quod potest distingui à simili, ad quod refertur:ita etiã est de indifferenti: nõ enim refertur ad indifferens in cõmuni,quasi ad primũ correlatiuum,quasi essent duo extrema prima relationis, & vtrumque communissimũ ad omne indifferens; sed differens est differens ab hoc differenti.

Et si obijcias,quod relatiuũ dat primo intelligere suum correlatiuum cõmune.Respondeo,nõ est tale correlatiuum eius vt cõmune, nisi ipsum, vt sumptũ pro aliquo inferiori,pro quo distingui potest à correlatiuo. Exẽplũ huius est in rebus : quia si tota natura ignis esset in vno individuo , illud individuum non posset generare:quiasi sic tunc generaret alium ignẽ, in quo esset tota natura ignis:& essent quasi duæ species ignis,quod est impossibile:& tamen nunc in vno individuo natura ignis est ratio generandi: quia habet vnitatem sufficientem pro principio actiuo,& distinctionem sufficientem:ita hæc similitudo bene est ratio alicui referendi, vel terminandi relationẽ: sed nec refertur ,nec terminat, nisi accipiatur prodistincto,in quo sit: ita quod nec vnitas, nec distinctio per accidens,sed vtrumque per se respectu talis relationis,sicut dictum est in quæs. de circũincessione, nõ enim sequitur non alius a Deo:ergo non alius à Patre: sed in affirmatiua est bona consequentia ratione distributionis termini huius relationis,propter negationem inclusam in ratione alietatis. I.

Ad aliam probationẽ,cum dicitur, K solus Deus:ergo solus Pater,vel solus Filius. Respondetur,quod subiectũ ex

cluſi

clusiuæ potest cõperari, vel ad exclusionem, vel ad prædicatum. Primo modo habet suppositionẽ simplicẽ: quia exclusio fit ab eo ratione significati. Secundo modo habet suppositionẽ personalem: quia prædicatũ attribuitur sibi prosuppositio. Contra istud, vnum extremum in vno actu componendi, & diuidendi, habet rationẽ vnã, secũdũ, quã accipitur respectu alterius extremi: quia diuersæ rationes accipiendi idem extremum respectu eiusdem termini, non videntur stare cũ vnitate actus componendi. Et si dicatur, q̃ respectu exclusionis supponeret sub vna ratione: & vt accipitur sub exclusione respectu prædicati, supponit sub alia ratione. Cõtra, subiectum nõ supponit respectu suæ dispositionis: sed respectu prædicati: & ita præcise habet illam suppositionem, quam intelligitur habere respectu prædicati, vt accipitur sub sua dispositione.

L. Ideo dico aliter, quod subiectũ affirmatiuæ exclusiuæ supponit confuse tantũ: sicut & prædicatum vniuersalis affirmatiuæ. Quod probatur ex eõ uertibilitate earum: & sub termino sic stante confuse tantũ, non licet descendere. Posset tamẽ dici in proposito aliter, quam in creaturis: videlicet, quod Deus sub exclusione stat pro hoc Deo, qui cõmunis est tribus personis. Quæ *Quæst. 2.* responsio tacta est dist. 4. pro quo stat ibi subiectũ, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & posset etiam valere dist. 12. quid est illud subiectũ, cui primo conuenit agere respectu creaturarum. quia hic Deus, vt est hac deitate Deus, non intelligendo aliquam personalem proprietatem: licet omne prædicatum, quod verum est de hoc prædicato primo, verum sit de Patre, per se: sed non de solo Patre: sed de Filio, & Spiritu Sancto.

M. Ad secũdum, nemo idem nullus homo, Deus dicitur homo, homo fecit *Matth. 22.* nuptias filio suo: igitur accipiatur cõmune Deo, & nullus Deus, & nullus intellectualis, vt sit substantiuum, nisi Pater nouit, cõcedatur. Et ista, nullus intellectualis alius à Patre: quia alius notat alietatem in significato sui substantiui. Sic vniuersaliter, vbicumque habet substantiuum commune tribus, vera est propositio, cum solus, & cum vnus.

Ad tertium patet, cum solus sumitur sincatheogorematice. N.

Expositio art. 1. quæst. vnicæ distinct. 21.

HIVS art. & totius quæs. materia potius ad modum enuntiationis dialecticæ, quàm ad Theologiæ veritatem spectat. Pro eius tamen intelligentia plura notãt Vigerius, Aureolus, & Maironis: quæ quia prolixa sunt, hic ommitto, breuiter, cum Vigerio obseruãdo, quod exclusiua potest tribus modis exponi. Primo quidem ratione alietatis: vt v. g. in ista propositione, solus Pater est Deus, quæ potest sic exponi ratione alietatis: Pater est Deus, & nihil aliud à Patre est Deus: ergo solus Pater est Deus. Secũdo, ratione infinitationis, quomodo sic exponitur prædicta propositio, Pater est Deus, & nullus non Pater est Deus: ergo solus Pater est Deus. Tertio, ratione pluralitatis, & contingit, quando dictio exclusiua additur termino numerali: vt si dicatur, solus vnus est Deus, quæ sic debet exponi: vnus est Deus, & non plures Dij vno Deo sunt Deus: ergo solus vnus est Deus. Propositio itaque, solus Pater est Deus, sic primo, & secũdo modo, non tamen tertio, & vtroque modo est falsa. Rursus notatur à Doctore in textu duplex modus intelligendi dictam propositionem, cathegorematice scilicet, & sincategorematice: quam distinctionem ait esse communem, & eã approbat, et quia clare habetur in textu non indiget hic exponi. Concludit tamen tam cathegorematice, quam sincathegorematice propositionem prædictam *Viger. Aureolus. Propositio exclusiua tripliciter exponi potest.*

ctã falsam esse: cathegorematice enim ait, quod *primo modo non admittitur in diuinis, hoc nomen solus, quia mihi est solitarium.* Loquẽdo vero de illa sincathegorematice intellecta subdit: *ita non est prædicandũ essentiale de personali: quia essentiale conuenit alijs ab isto inclusso, & ideo talis propositio negatur.* Eodem fere modo loquitur D.Tho.1.p.q.31.ar.3. in corpore, & art.4. Item Varronis sentẽtiam refert Doctor in sequenti arti. quia existimat posse hanc propositionẽ in sensu diuiso esse verã, licet sit falsa in sensu composito, modo ibi explicato. Sed ibidem eam cõfutat Doctor, & probat, nec logicè, nec grammaticè esse verã, vide ibi. In reliquis perspicua est litera textualis, ibique egregie soluuntur argumenta posita in principio articuli, & tradit Doctor plura notatu digna.

D.Tho.
Varro.

ARTICVLVS. II.

Vtrum ista sit bona consequentia, solus Deus, qui est Pater est Deus: ergo solus Pater est Deus?

A AD secundum sic proceditur. Videtur, quod ista sit bona consequentia: solus Deus, qui est Pater, est Deus: ergo solus Pater est Deus. Quæ cõsequentia probatur per simile: quia sequitur, solum animal, q̃ est homo, currit: ergo solus homo currit. Antecedens *autem, ex quo hæc consequentia infertur*, patet: quia solus Deus, qui est Pater, est Trinitas.

B Secundo præterea: quia similis consequentia tenet in creaturis in sensu diuisionis: ergo, &c.

C Sed contra est per August. 6. Trinita. cap. 7 vbi ait esse solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: ergo, &c.

D Respondeo dicendum, quod antecedens, *istud scilicet*, solus Deus, qui est Pater, est Deus, distinguitur secundum compositionem, & diuisionẽ sicut ista omnis homo, qui est albus, currit. Sensus compositionis falsus est: quia ibi Deus determinatur ad standum pro Patre, per istam implicationem, qui est Pater, sicut determinatur hoc modo ad standum pro homine albo in sensu compositionis ibi, homo, qui est albus: & tunc consequentia tenet. Sensus tamen diuisionis verus est, quia tunc enunciantur duo prædicata de eodẽ subiecto, de quo ambo sunt vera, scilicet, de Deo esse Patrem, & esse Deum: quasi enunciarentur. ista duo in duabus propositionibus cathegoricis copulatis sibi inuicem, quarum neutra specificaret alteram: & tunc consequentia nõ valet: *quia est*, a superiori ad suum inferius cum exclusione.

1. Concluſ.

2. Concluſ.

E Aliqui etiam distingunt principalem propositionem, quasi ista, solus Pater est Deus, possit habere sensum compositionis falsum, & sensum diuisionis verum, adducentes illud Prisciani. 2. construct. inter exigens, & exactum cadit aliquid medium: sed istud non est logice dictum, nec grãmatice. Logice non, quia tunc nõ posset aliquid contrahi, vel determinari per aliquam contractionem, vel determinationem, quamtumcumque enim immediate adderetur alicui determinatio cathegorematica, vel sincathegorematica, vt homo albus currit, vel omnis homo albus currit: adhuc restaret distinguere, sicut hic in sensu compositionis, & diuisionis: & in vtroque sensu, restare vlterius distinguere, & sic in infinitum. Nec posset aliquis sensus determinate exprimi: nec docuit Philosophus in talibus multiplicitatem, secundum compositionem, & diuisionẽ: sed tantum in illis, vbi eadem materialia composita, & diuisa, diuersum sensum faciunt: ista autem materia-

Varr. li. 3. distin. 2. q. vn. & S. Bona. li. 1. distin. 4. du. 4. lit. Priscian. lib. 2. de cõstruct.

terialia, omnis homo currit, vel omnis homo albus currit, composita, & diuisa nullum alium sensum faciunt: secus est hic; iste videt nũc me currere, componendo, nunc aduerbium cum verbo præcedente, vel sequente: nec etiam est dictum grãmaticè: quia exigens, & exactum dicuntur constructibilia, quorum alterum dicitur à Prisciano, regere alterum ex vi aliqua: non est autem sincathegorematicum cõstructibile respectu cathegorematici, quasi vnum regat aliud ex aliqua vi: & ideò licet hic cadat medium, vel implicatio, media cappa Socratis, id est cappa, quæ est Socratis: non tamen hic, homo albus, & omnis homo albus.

F. Ad primum argumentum, antecedens, *vt dixi*, distinguitur secundum compositionem, & diuisionem: & tunc *vide supra qualiter* consequentia non valet; *quod ex sequenti solutione amplius patet.*

G. Ad secundum respondeo, quod si commune idem innumeratum possit competere pluribus inferioribus: non teneret illa consequentia in sensu diuisionis: tenet enim ibi præcisè: quia illud animal, quod est rationale diuidẽdo, nõ est aliud ab animali, quod est rationale in componendo: in proposito autem ratio illa non tenet: quia iste idem Deus, qui est Pater, in sensu compositionis non est Filius, qui distingitur à Patre: & ita Deus, qui est Pater in sensu diuisionis, potest dici veri de aliquo, de quo nõ dicitur in sensu compositionis: non sic autẽ de animali, quod est homo, quia illud in sensu diuisionis, de nullo verè prædicatur, de quo verè non prædicatur idem in sensu compositionis: vel è conuerso: & ideò prædicatur ibi indifferenter: non sic hic cum non sit idem antecedens secundum compositionem, & diuisionem.

Expositio artic. 3. quæst. vnic. distinctionis 21.

IN hoc art. de eadem quasi propositione, *Solus Pater est Deus*, agitur, sed variato subiecto. In primo namq; art. actum est de illa sub hoc subiecto *solus Pater*, in hoc autem adduntur aliæ particulæ, quæ illud mutant: hæc etenim adduntur a parte subiecti, *Deus qui est*, quæ reddũt subiectum aliud à subiecto propositionis articuli præcedentis. De hac igitur propositione, *solus Deus, qui est Pater, est Deus*, inquirit litera textualis, an vera sit? quam sub distinctione Doctor resoluit. Ait enim subiectum huius propositionis posse intelligi in sẽsu diuisio, aut in sensu composito: vt exemplificat in ista; *omnis homo, qui est albus, currit*. Concludit ergo propositionem hanc esse veram in sensu diuisio, & falsam in sensu composito. Quod ibi satis declarat, & amplius ex confutatione opinionis Varronis illustrat. Cætera sunt ibi perspicua, & expositione non egent.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæc propositio, solus Pater est Deus, sit conuersa istius, solus Deus est Pater?

AD tertium sic proceditur, videtur, A. hæc propositio, solus Pater est Deus, sit conuersa istius, solus Deus est Pater: *& hoc patet ex bonitate consequentiæ*. Consequentia *enim* probatur per conuersionem exclusiuæ: antecedens *vero*, *ex quo deducitur*, patet per exponentes.

B. Secundo præterea: *quia si ob id non est eius conuersa, quia (vt dictum est in articulo* 1.) affirmatiua exclusiua infert vniuersalem affirmatiuam de terminis transpositis: ergo Aristoteles male docuit, & insufficienter conuersiones: non docendo vniuersalem affirmatiuam, conuertendam in exclusiuam affirmatiuam.

1. Priorum cap. 2.

C. Sed contra est: quia *supra articulo* 1. probatur per illam communem regulam in sophismatibus, affirmatiua exclusiua infert vniuersalem affirmatiuam de terminis transpositis: igitur ista, solus Pater est Deus, infert istam, omnis Deus est Pater, vel omnis persona diuina est Pater.

Conclusio.

D. Respondeo dicendum *ad hunc articulum*, & dico, quod illa non est sua conuersa, nec illa consequentia tenet, sed est fallacia consequentis: quia sicut probatum est in solutione quæstionis *ad articul.* 1. exclusiua est conuertibilis cum vniuersali affirmatiua de terminis transpositis: ergo inferre exclusiuam de terminis transpositis, æquiualeret illationi vniuersalis affimatiuæ ex vniuersali affirmatiua de terminis transpositis: in tali autem illatione vniuersalis ex vniuersali, est fallacia consequentis: omnis homo est animal: ergo omne animal est homo, à superiori ad suum inferius affirmando: ita est in proposito, & probatur: quia semper ex vi sermonis proceditur ab inferiori ad superius cum distributione, prædicatum enim vniuersalis affirmatiuæ, non notatur esse conuersibile: sed stat, quod sit superius ad subiectum: ergo ex distributione subiecti vniuersalis non sequitur distributio prædicati respectu eiusdem, nec potest sequi distributio prædicati respectu inferioris ad aliquid, si non sequitur distributio prædicati respectu superioris ad illud: arguendo ergo sic; omne. B. est. A. ergo omne. A. est, B. est fallacia consequentis: quia ex distributione eius, quod notatur esse inferius, non sequitur distributio superioris, & hoc respectu prædicati, quod notatur esse inferius ad prædicatum superius, sed est fallacia consequentis: sicut si argueretur, omnis homo est animal: ergo omne animal est Sortes.

E. Ad primum argumentun dicitur, quod exclusiua non conuertitur, Philosophus vero hoc non ostendit: quia determinat de simplicium propositionum conuersionibus, quæ pertinent ad syllogismum cathegoricum, & simplicem: sed quod conuertatur patet per probata.

F. Ad argumentum *tamen* dico *sicut supra*, quod illa non est sua conuersa, nec consequentia tenet. Sed cum probatur illa consequentia per conuesionem propositionis exclusiuæ, respondeo, quod non omnis illatio in terminis transpositis, notat tantam vnionem extremorum, quantam haberi potest virtute primæ. Vnde vniuersalis negatiua non conuertitur in particularem negatiuam in terminis transpositis, licet inferat eam: ad propositum dico, quod illa de terminis transpositis, quæ tantùm capit de intellectu exclusiuæ affirmatiuæ, quantum aliqua potest capere de terminis transpositis, est vniuersalis affirmatiua: sicut probatum est in secunda ratione ad solutionem principalem: ergo talis exclusiua affirmatiua conuertitur in vniuersalem affirmatiuam, & pari ratione, è conuerso vniuersalis affirmatiua in exclusiuam affirmatiuam.

G. Ad secundum respondeo, quod cõuersiones docuit Aristoteles propter

ter perficiendam imperfectionē imperfectorum syllogismorum: non autem exclusiua alium locum teneret in perficiendo syllogismum imperfectum, quàm aliqua indiffinita non exclusiua: quia non aliam conclusionem inferret quàm prius inferebatur in syllogismo imperfecto: & ideò benè, & sufficienter docuit conuersiones, quantum necessariū sibi fuit ad propositum.

Expositio artic. 3. quæst. vnic. distinctionis 21.

ARTICVLVS iste inuestigat conuersionem propositionis principalis: hoc est illius, qua quærebatur in 1. art. an solus Pater sit Deus: videtur enim esse conuersam istius, solus Deus est Pater. Ad quod notandum est ex parua dialectica, & ex 1. Priorum, quod conuersio simplex siue simpliciter, dicitur quæ ex se conuertitur, ideſt, non concurrente alia propositione. Conuersio autem per accidens non se sola cōuertitur, sed indiget alia propositione. Non ergo conuertitur ista, nullus homo est lapis, in istam; aliquis lapis non est homo: sed in istam nullus lapis est homo. Ratio autem quare vniuersalis negatiua conuertitur solum simpliciter est, quia aliquando maior identitas notatur inconuersa, quam inconuertente, vt patet in exemplo de vniuersali negatiua in particularem negatiuam. Quia cum dico nullum animal currit, tàm homo quàm animal stat cōfusse distributiue mouiliter: ergo aliquod currens non est animal: ibi currēs supponit tantum determinate; & ideò maior identitas extremorū est in prima quā in secūda: sed rigore: ergo sermonis vniuersalis negatiua non conuertitur in particularē negatiuā, licet inferat illā. In vniuersali autē affirmatiua de terminis transpositis, tanta identitas est extremorum, quanta haberi potest in exclusiua. Quia cum dicitur solus homo est risibilis, ly homo stat confusse tantum, & ly risibile stat confusse distributinè mobiliter; quia bene sequitur, & hæc sunt omnia risibilia, ergo tantū homo est hoc risibile, & hoc risibile, & cætera: & similiter omne risibile est homo: quæ est vniuersalis affirmatiua correspōdens illi exclusiuæ, & cætera: quia ly risibile stat confusse distributiuè mobiliter, & ly homo confusse tantum; & ideò exclusiua affirmatiua conuertitur in vniuersalem affirmatiuam de terminis transpositis, & è contra. Sic patent, quæ docet Doctor in textu, quæ quia potius ad Sūmulistas, quàm ad Theologos spectare videntur: aliquid fastidij afferunt: & idéò non est in eis plus immorandum. Qui tamen de his plura desiderat, videat Lycheetum, Vigerium, Bassolem, & alios veteres Scotistas, &c.

Conuersio simplex & conuersio per accidēs, quid sint.

Vniuersalis negatiua solum conuertitur simpliciter.

Exclusiua affirmatiua conuertitur in vniuersalem affirmatiuam.

DISTINCTIO XXII.

Post prædicta, & cætera.

QVÆSTIO VNICA.

De nomine, quo est à nobis nominabilis.

CIRCA istam distinctionem vigesimam secundam, quæro vnũ, vtrùm Deus sit nominabilis à nobis viatoribus aliquo nomine significante essentiam diuinam, vt hæc: circa quod, quæruntur quatuor.

¶ Primò. Vtrùm Deus sit nominabilis à viatoribus, secundum, ꝙ tantum intelligitur ab eis?

¶ Secundo. Vtrùm Deus sit nominabilis à viatore nominibus significantibus ipsum in communi?

¶ Tertiò. Vtrùm Deus sit nominabilis ab homine viatore, aliquo nomine proprio?

¶ Quarto. Vtrùm Deus sit nominabilis à viatore, secundum rationem immensitatis?

ARTICVLVS I.

Vtrûm Deus sit nominabilis à viatoribus, secundum quod tantum intelligitur ab eis?

A. AD primũ sic proceditur, videtur, quod Deus sit nominabilis à viatoribus, secundum quod tantum intelligitur ab eis: quia Augustin. 7. de Trinit. cap. 4. *ait*: verius cogitatur Deus, quàm dicitur, & verius est, quàm cogitatur: ergo, &c.

Secundo præterea, probatur auctoritate Arist. & Commentatoris 4. metaph. nihil potest significari ab aliquo, quod ab ipso non potest intelligi, & 1. Perhierm. voces sunt notæ passionum, id est conceptuum: ergo non potest esse alicuius significati remoti, nisi sub ea ratione, sub qua cõceptus est signum proximum illius: *ergo in tantum potest Deus à viatore nominari, in quantum potest ab eo cognosci.* B. *Text. com. 10. & inde.*

Tertio præterea, quia ista propositio est communis multis, sicut aliquid intelligitur, sic nominatur: ergo, &c. C.

Sed contra est: quia cum substantia non sit intelligibilis à viatore, nisi in conceptu communi entis (sicut probatum dist. 3.) si non posset distinctius significari, quàm intelligi: nullum nomen impositum à viatore significaret aliquam rem de genere substantiæ: sed sicut præcisè intelligitur (cõcipitur enim ab intellectu viatoris aliqua proprietas, a qua imponitur nomen: quæ proprietas communiter exprimitur per ethimologiam nominis) ita præcisè talis proprietas significaretur per nomen. D.

Respondeo dicendum breuiter ad quæstionem, *ad quam* potest dici, quod ista propositio cõmunis multis opinionibus, quod scilicet, sicut aliquid intelligitur, & nominatur, falsa est, si intelligatur præcisè: quia distinctius potest aliquid significari, quã intelligi, quod videtur persuaderi ex hoc, ꝙ nuper dictum est de substãtiæ intelligibilitate, quod scilicet substãtiæ proprietas præcisè significaretur per nomẽ: puta, per hoc nomẽ lapis E.

non

nō significaretur,aliquid de genere ſubſtātiæ: ſed tantùm aliquid de genere actionis, puta læſio pedis quam exprimit ethimologia huius nominis, & fuit ratio à qua imponebatur nomen: ita poteſt argui de omnibus alijs nominibus impoſitis rebus de genere ſubſtantiæ: quod nullum eorum ſignificat aliquid, niſi proprietatem accidentalem aliquam, quæ intelligebatur ab imponēte. Vel oportet dicere, quod ipſe diſtincti' nominabat ſubſtantiam, quam intellexit.

F. Qualiter autem hoc ſit poſsibile poteſt intelligi ſecundum viam Auguſtini 6. de Trin. cap. 6. qua probat compoſitionem in omni creatura: nā concipiuntur ab aliquo multa accidentia concurrentia in eodem, puta talis qualitas, & talis quātitas: & probatur neutrum illorum eſſe alterum: quia vtrumque illorum manet ſine altero. Probatur etiam ſecūdo, vtrique illorum aliquid aliud eſſe ſubiectum commune: quia vtrūlibet illorum poteſt deſtrui, non deſtructo altero: ergo aliquid concluditur eſſe ſubiectum vtrique, vt quantitati, & qualitati: illud autē quod ſubeſt, non concipitur in cōceptu quidditatiuo, niſi entis, vel huius entis, & tamē frequenter accidit, quod talis qualitas, & talis quantitas coniunguntur in aliquo: & alibi non coniunguntur: & hoc non ex natura qualitatis, & quātitatis, vt præoſtenſum eſt ſupra.

G. Concluditur igitur, quod eſt ex natura illius tertij, in quo fundantur ambo iſta, non autem coniungantur talia in iſto tertio, qualia in illo. Ex quo etiam diuerſimodè coniunguntur in diuerſis, concluditur ſubſtractum iſtis, eſſe diuerſum à ſubſtracto illis: & ex hoc concluditur tertium illud eſſe aliud ab alio tertio: ergo cognoſcitur aliud tertium eſſe ſubſtractum, & ſimiliter, quod ſit aliud à ſubiecto alterius, neque enim cognoſco diſtinctè quid ſit in ſe, niſi quod ſit ens, vel res affecta talibus accidentibus. Vnde vlterior conceptio, quam poſsim de illo habere quid ſit, eſt res aliqua habens talia accidentia, & relationes. H.

Ad propoſitū ergo, non accidenti busillis, ſed iſti alij ſic diſtincto (quid quid ſit, quod eſt cum iſtis coniūctis, quæ intelliguntur) imponitur nomē aliquod, illud videtur eſſe proprium ſignum huius, ſub ratione, qua hoc: ita quod imponens nomen intendit illā eſſentiā de genere ſubſtantiæ ſignificare, & ſicut intendit ſignificare, ita nomen, quod imponit, eſt ſignū, & tamē ipſe non intelligit illud diſtinctè, quod diſtinctè intendit ſignificare per hoc nomen, vel per hoc ſignum. Exēplū eſſet, etiā ſi quis imponeret characteres Hebræos, neſciens voces Hebræas in particulari: ſciens tamē quod aliqua vox eſt prima, aliqua ſecunda, & aliqua tertia: imponeret ſic, aliqua eſt prima, quæcunque ſit illa, volo quod ſignificetur tali nomine, vel tali charactere, illi characteres eſsēt ſigna illarū vocū Hebrearū, quas aliquis Hebræus diſtinctè cognoſceret, obiectis ſibi talibus ſignis, non Hebræus autē, etſi cognoſceret quid ſignificaretur per iſtas figuras, non tamen illud, quod ſignificatur, diſtinctè cognoſceret: ſed tantū in ratione primæ vocis, vel ſecundæ. Breuiter igitur dici poteſt, quod ſi verū eſt, quod diſtinctius poteſt ſignificari *res*, quā concipi: poteſt Deus nominari à viatore nomine ſignificante hāc eſſentiam, *etiam* tenendo, quod viator non poteſt habere proprīū conceptum quidditatiuum de Deo. *Concluſio.* I.

Ad primum argumentū Auguſt. verius cognoſcitur, quàm dicitur, *dico quod* verum eſt comparando veritatem ad ſignū vocale: quia cognitio eſt ſignū nominale, quod verius eſt, quā vocale, quod eſt ad placitum. *Soluſiones primi, & ſecundi arg. ſumptæ ſūt ex reportatis Doctoris in hoc, & hac diſt. quæſt. 1.*

K. Ad secundū dico, quod non sequitur, nō perfectè intelligitur: ergo nō significatur: quia quod quis cognoscit confusè, potest sub propria ratione nomen imponere, *vt ex dictis constat: nec auctoritates concludunt oppositum.*

L. Ad tertium *dictum est iam, quod talis* propositio falsa est, si intelligatur præcisè: si autem ista propositio esset vera, quod nullum nomen potest alicui imponi distinctius, quàm intelligatur: hæc tamen est falsa, quod nullus potest vti nomine distinctius significante rem, quàm ipse posit intelligere.

Expositio art. 1. quæst. vni. distinctionis 22.

1 *Sicut aliquid intelligitur, sic & nominatur, non est verum præcisè.*

DETERMINAT Doctor, quid tenendum sit de veritate illius propositionis, quæ est à pluribus opinantibus recepta: videlicet, *sicut aliquid intelligitur, sic & nominatur.* Et resoluit falsam esse si intelligatur præcisè quia distinctius potest aliquid significari, quàm intelligi. Quod ratione probat & exemplo confirmat: & ex his concludit, quod dato esse verū, quod distinctius potest significari res, quàm concipi: potest Deus nominare à viatore nomine significāte eius essentiā: etiā, tenendo, quod viator non potest habere propriū conceptum quidditatiuum de Deo.

2 *Opinio Aureoli.*

Aureolus verò hic quærit consimilē quæstionem, vtrùm scilicet Deus possit aliquo proprio nomine nominari? Vbi tenet, quod trāscendentia non dicuntur vniuocè de Deo, & creaturis, cōtra id quod supra in difficultate 58. de mente Doctoris ostensum est. Tenet insuper, quod nullus intellectus potest imponere aliquod nomen ad distinctè significandam rationem aliquam, nisi prius ipsam rationē distinctam, & propriam apprehēdat: in quo etiam aduersatur Doctori. Item Caperolus hac dist. inquit nullum nomen à nobis impositū significare essentiam diuinam, secundū quod in se est: sed tantum secundum eam rationem, qua à perfectionibus creaturarum representatur. Quæ sententia est D. Thomæ 1. part. quæst. 13. art. 6. vbi concludit, quod quantum ad rem significatam per nomen, per prius dicuntur sapiens, iustus bonus, & alia similia nomina de Deo, quam de creaturis: quia à Deo huiusmodi perfectiones in creaturas manant. Sed quantum ad impositionem nominis, per prius à nobis imponuntur creaturis, quas prius cognoscimus. Vnde expresse tenere constat D. Thom. Deum non esse nominabilem à viatoribus, nisi tantùm secundùm quod intelligitur ab eis; & quia tātum per creaturas à viatore cognoscitur Deus, non potest viator ei nomen imponere, quod prius non imposuerit creaturæ, quam præcognouerat. Et ita videtur apud D. Thom. illa propositio quod scilicet secundum quod res intelligitur nominatur.

Caperolus.

D. Thom

Hanc autem propositionem falsam esse determinat Doctor in textu. Quod probat, quia distinctius aliquid nominatur quàm intelligitur: nam aliqua substantia nō potest intelligi à viatore secūdum propriam, eius rationem, & quidditatem, sed tantum in conceptu communi entis: & tamē vt sic potest ei nomen imponi, & distinctius quàm intelligatur: ergo & cætera. Maior probatur quia si intellectus viatoris sic cognosceret substantiam, consequenter, substātia non existente præsente, manentibus tamen omnibus accidentibus illius, tunc intellectus naturaliter cognosceret eī absentiā: consequens autē apparet falsum in Sacramento altaris, vbi non aliter cognoscit viator substantiam naturaliter, quàm ante consecrationem: nisi aliunde, hoc est ex fide, credat ibi substantiam non esse post consecrationem. Minor probatur, quia aliàs nullum nomen impositum à viatore significaret aliquam rem de genere substantiæ: nā nomina imponuntur secundum aliquā proprietatem substantiæ conceptam præcisè ab intellectu viatoris: quæ proprietas communiter exprimitur per ethymologiam nominis, vtpote per nomen lapidis. Vide quæ sequūtur in textu quæ sunt valde perspicua.

3 *Aliquid distinctius nominatur, quam intelligatur.*

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus sit nominabilis à viatore nominibus significantibus ipsum in communi?

A. AD secũdum sic proceditur, videtur, q̃ non sit Deus nominabilis à viatore nominibus significantibus ipsum in communi: quia Augustin. de verbis Domini cap. 34. *ait*, quidquid potest fari non est ineffabile: Deus autem est ineffabilis: ergo, &c. hãc minorẽ probat Augustin. per hoc quidem, quod continuo subdit dicens: si enim raptum se dicit Apostolus Paulus vsque ad tertium cælum, & audisse ineffabilia verba: quanto magis, & ipse ineffabilis est, qui talia demonstrat?

2. Cor. 12.

B. Secundo præterea: Augustin. in Ioannem homil. 19. exponens illud Ioan. 5. non potest filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, dicit: quod videre Filij; est ipsum esse Verbum Patris, quod demonstrari verbo non potest.

C. Tertio præterea: quia Hylarius 3. de Trinitate cap. 9. *ait*, sermonem humanæ naturæ virtus generationis excedit: ergo, &c.

D. Sed contra est, quod Exodi 3. videtur Deus dicere, hæc dices Filijs Israël, qui est misit me ad vos, hoc nomen mihi est in æternum, & videtur in Psalm. 75. in Israël magnum nomẽ eius. Item Augustin. contra Adamantium cap. 3. illi sublimitas inæstimabilis, vt auribus congruat humanis sonis, seruanda est.

E. Respondeo dicendum *de isto articulo, quod sicut dicebatur supra*, hic dicitur, quod sicut Deus intelligitur à nobis, ita potest & à nobis nominari: secundum igitur, quod diuersimodè aliqui asseiunt de cognitione Dei ab intellectu viatoris: ita consequenter dicunt diuersimodè de possibilitate etiam nominandi Deum: & qui negat cõceptum vnitocum Deo, & creaturæ, & ponit duos conceptus analogos: quorum scilicet alter, qui est creaturæ attribuitur alteri, illi scilicet, qui est Dei: dicit secũdum hoc consequenter, quod Deus est nominabilis à viatore, nomine exprimente illum conceptum analogum. Sed contra istam positionem specialiter arguo: quia omnis conceptus realis possibilis haberi de essentia diuina natus est fieri in intellectu virtute illius essentiæ. Probatur: quia quodcunque obiectum intelligibile minimum natum est facere in intellectu conceptum omnem realem possibilem haberi de eo: sed secundũ istos, tantùm vnicus cõceptus realis natus est haberi de essentia diuina virtute eius: licet intellectus negotians, possit plures conceptus causare, & fabricare circa idem obiectũ: ergo quodcunque obiectum potest facere conceptum realem in intellectu de Deo, potest facere illum vnicum conceptum, quem illa essentia esset nata de se facere: sed ille vnicus est huius essentiæ, vt est hæc: ergo quodcunque obiectum faciat aliquam notitiam de Deo in intellectu nostro, facit (secundum opinionem istam) conceptum eius, vt est hæc essentia: & ita nominabilis est à viatore nomine significante hanc essentiam, vt *est* hæc. *Suppositis igitur, quæ in 1. artic. dicta sunt. Nunc* dici potest, quod ad minus nomina multa imponuntur, quæ significant Deum in communi: quia sic naturaliter potest cõcipi à simplici viatore, vt patet dist. 3. & ideò simpliciter concedendum est, quod multis nominibus vti potest viator exprimen-

Hẽr. in su. ar. 22. q. 1. & 3.

Conclusio.

mentibus essentiam diuinam.

F. Post prædicta autem differendum nobis videtur de nominum diuersitate, secundum quod ait Apostolus ad Roman.10.corde creditur ad iustitiam:ore autem confessio fit ad salutem. Secundum hoc Magister in isto primo libro,postquam ostendit, quid de Deo,& de diuinis sit credendum:in hac secũda parte docet,qualiter de creditis loquendum est: & quod ista diuisio sit secundum intentionem eius, patet considerãti literam huius distinctionis in principio. Hæc autem pars diuiditur in duas,in proœmium,& tractatum,qui incipit ibi,illud ergo præcipuè:& illa diuiditur in duas :in prima determinat de nominibus diuinis in communi:ponendo duas differentias nominum dictorum de Deo. Secũdo exequitur de illis differentijs separatim &sigillatim,&illa pars incipit ibi,sciẽdum est ergo. Et illa secũda in duas, in prima determinat,de illis nominibus,de quibus sufficit breuiter tractare. In secũda determinat de quibusdã,quæ specialem,& difficiliorẽ tractatum requirunt. Secunda incipit ibi,in principio distinctionis 36 cumque disseruimus. Prima in duas, primo determinat de nominibus absolutis. Secundo de relatiuis in dist.26. nunc de proprietatibus personarũ. Prima in duas. Primo de nominibus absolutis, ponit regulam, ex qua apparet distinctio eorum à nominibus relatis. Secundo excipit ab illa regula communi hoc nomen persona. Et hoc in dist.23. prædictis adijciendũ. Prima in duas: quia primo ponit regulam illam, & probat per August. Secundo adducit probationem Augustini, qua probat conclusionem illam assumptam. Secunda ibi: Deus autem non est magnus ea magnitudine, &c.

G. Ad primum argumentum August. dico quod Deus est ineffabilis quãtum ad illum, cui fit expressio: quia non potest iste,cui loquitur,per hoc complete intelligere essentiam diuinam. Vel si debeat concedi respectu cuiuscũq; creaturæ: tunc dico,quod est intelligendum, quod non potest comprehendi ab aliqua creatura.

Ad secundum dico, quod videre Verbũ Dei,est idem quod nasci:sicut ibi loquitur, & nullum verbum vsitatum potest explicari nasci.

Ad tertium,& ad Hylarium dico, quod intelligit, quod nõ potest per sermonem vsitatum, &c.

Ista tres solutiones sũ præsumptæ ex reportatis Doctoris in hoc primo huius dist. quæst. 1.

H.

I.

Expositio art. 2. quæst. vni. distinctionis 22.

HIC refert Doctor opinionẽ Hẽrici, qui ex prædicta communi propositione supra impugnata videlicet, quod sicut res intelligitur à nobis,sic nominari potest: concludit, quod Deus est nominabilis à viatore,nomine exprimente conceptum analogũ. Quia(vt visum est supra in dist. 3.q.1. art. 1.) ipse negat conceptum vniuocum Deo,& creaturis. Ex quo Doctor ad hominem arguit (cuiusmodi sunt omnes fere rationes, quas facit contra Henricum, in quibus vt in plurimum arguit ex concessis) & concludit intentum. Nam cum ipse dicat,quod tantum vnus conceptus realis natus est haberi de essentia diuina, virtute illius, sic infert: igitur quodcunque obiectum faciens aliquam notitiã de Deo in intellectu nostro facit, secundum Henricũ, istum conceptum eius, vt est hæc essentia: & ita nominabilis est à viatore, nomine significante hanc essentiam, vt est hæc; quia secundum eum, non potest fieri per quodcunque obiectum, alius conceptus de diuina essentia, nisi ille vnicus, quem ipsa est nata facere de se. Sic ergo impugnato Henrico, concludit Doctor,quòd ad minus nomina multa imponũtur Deo, quæ ipsum significant in communi.

Henricus.

Re-

2 *Opinio D. Tho. circa ordinem significationis nominum.*

Refert insuper quasdam nominum differentias, quas ponit Magister, tàm de creditis, quàm etiam de nominibus aliter impositis: quæ omnia Deo conueniunt, & ipsum significant. Sed D. Thom. 1. p. q. 13. art. 1. tenet hunc ordinẽ seruari in significatione: quod videlicet nomen significat cõceptũ: & cõceptus, qui est similitudo rei, significat rẽ: & consequẽter non potest imponi nomen distinctius significans essentiam diuinam, quàm intelligatur a nobis. Hãc tamen opinionẽ impugnat Basolis in 1. dist. 22. q. 1. §. *Ista opinio*, & Viguerius quæst. vnica §. *Dici potest*. Imò Doctor in lib. 1. Periher. quæst. 1. ostẽdit quod hæc tria, conceptus, nomen, & litera, immediatè sunt signa rei: quia tria sunt signa immediatè rem significantia, scilicet mentale, vocale, & scriptum: inter quæ non est ordo signi, & signati: sed signorum diuersimodè representatiuum immediatè idem significatum.

Improbatur. Basolis. Viguerius.

3 *Voces sunt signa conceptuum, explicatur.*

Nec valet si ex Arist. 1. de interpret. cap. 1. obijcias, quod voces sunt signa conceptum. Nam tibi dico conceptum esse duplicem, scilicet obiectiuum, & formalem. Primus est res cõceptibilis: secũdus verò est verbum mentis, quod est conceptus rei, seu formalis notitia eius. Dico ergo, quod Arist. ait voces esse signa conceptuũ obiectiuorũ, & nõ tantum formaliũ, quia conceptus formalis est signum, & vox non est signũ alterius signi. Ex quo concluditur, nomen, quo Deus à Viatore est nominabilis, non pendere à conceptu, quo ipse intelligit, aut concipit Deũ. Vide quæ habentur in textu circa hoc, & quæ tradit OKam in hac dist. Circa ordinem verò signi & signati, Vazquez sequitur Scotum 1. part. disp. 57. cap. 2. num. 8.

Vazquez.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Deus sit nominabilis ab homine viatore aliquo nomine proprio?

A AD tertium sic proceditur, videtur, quod Deus non sit nominabilis ab homine viatore aliquo nomine proprio: quia Ambrosius 1. de Trinit. cap. 5. ait, vox silet, non mea tantum, sed Angelorũ, loquimur de generatione Filij: *sed generatio Filij est quid proprium Deo, ergo, &c.*

B. Secundo præterea per rationem, nihil potest significari ab aliquo, quod ab ipso nõ potest intelligi: sed Deus ab homine viatore, conceptu proprio non potest intelligi: ergo, &c. maior probatur auctoritate Arist. & Comment. *ar. 1.* Minor probatur Exod. 33. non videbit me homo, & viuet: & per rationem: quia ille conceptus proprius, si haberetur, includeret virtualiter notitiam omniũ illorum propriã, quæ necessario insunt Deo. Hæc consequentia probatur: quia vniuersaliter etiã in creaturis cõceptus proprius subiecti, virtualiter includit notitiã propriã, illorũ, quæ insunt subiecto: & tũc sequitur vltra, quod sicut habens propriũ conceptum sibi, potest naturaliter scire omnia scibilia simpliciter de subiecto: ita viator habens talem cõceptum, posset naturaliter scire omnes veritates de Deo necessarias, & perconsequens omnia illa, de quibus habemus fidem, quantum ad vnitatem, & Trinitatẽ in diuinis, & quãtum ad potentiam creatiuam, & incarnatiuam: & sic de alijs necessario conuenientibus ipsi Deo.

C. Tertiò præterea: nomen siue verbum vocis debet esse symbolum inter loquentem, & illum cui loquitur: sic quod res signata sit nota vtrique in se: & notũ etiam sit vtrique, quod nomen ad significandum ipsam rem sit imitutum: sed veritas diuinæ essentiæ nota est ipsi Deo soli, quoad rationem immensitatis suæ: ergo solus Deus nomen sibi proprium vocale posset imponere.

D. Sed contra est, quod Exod. 6. cap. videtur Deus dicere: Ego Dominus:

qui apparuit Abraham, &c. nomen meum Adonai non indicaui eis. Et præterea per rationem: quia viator potest habere proprium conceptum de Deo: ergo & nomine proprio nominare: antecedens probatur: quia naturali ratione potest cognoscere aliquod ens esse primum, & infinitum, & illud esse vnicum, & esse hoc: ergo potest habere conceptum de illa essentia, vt est hęc: talis conceptus maximè videtur proprius esse de quocunque obiecto, scilicet concipere ipsum, vt est hoc inse.

E. Respondeo dicendum ad quæstionem, & præmitto quædam, primo quod nomen quodcunque aliquid significans, quod huic soli conuenit, potest dici propriſsime nomen huic: sed ſimpliciter nomen propriũ huius non est, nisi, quod primo significat hoc sub ratione propria: quia solum illud est proprium signum vocale huius. Secundo præmitto, quod nominari ab aliquo potest intelligi dupliciter, vel vt nomen imponente vel vt nomine vtente: & vtrunque dupliciter, scilicet perfectè, vel imperfectè: perfectè vti nomine, est nõ tantum vti nomine, vt re quadã naturali, formando scilicet sonum illũ: sic enim potest auis edocta formare: sed est vti nomine vt signo: non tantum conceptus possibilis haberi ab aliquo per illud nomen (sic posset Latinus aliquod verbum Hebræum proferre Hebræo, nescius quid diceret) sed vt signo conceptus habiti ab vtente: vt sic perfectè vti nomine, sit illo vti, vt signo conceptus proprij expressiuo, vti autem illo, vt quodã modo causa similis conceptus haben di ab audiente per rememorationẽ non est necessarium ad perfectè vti ſimpliciter: sed ad perfectè vti illo vt signo communi inter duos: ideò requiritur ad hoc, quod est vti nomine perfectè moraliter: quia requiritur ad vtendum nomine ad finem debitum, & hanc vtranque perfectionem tangit Augustinus ſuper Ezequiel 13. verba instituta sunt, per quæ in alterius notitiam quisque cogitationes suas proferat (per quæ quisque cogitationes suas proferat) ecce perfectio prima (in alterius notitiã) ecce secunda, intellige alterius, vel quasi alterius: quia quandoque aliquis se ipsum loquendo efficacius ducit in intelligendo per rememorationẽ, quam sine loquela intelligeret, & in notitiam non tũc nouam, sic loquimur Deo orando.

Item de prima perfectione (cogitationes suas) subdistingue, vel habet conceptum, ita proprium, sicut nomen significat: & tunc significat perfectè (cogitationes suas) vel habet minus proprium, vel confusum, vt potè non habens, nisi conceptum animalis, proferat hanc vocem, homo, intendens illud exprimere audienti, quod alij concipiunt per nomen, & ad quod est impositum, sciẽs ipsum esse impositum alicui speciali sub animali: quod tamen non intelligit in particulari, sicut significatur per hoc nomen. Est igitur hic ordo, vti nomine, vt re tali, vlterius vt signo ad placitũ alicuius cuius tamẽ nullum conceptum habet, vt ens, nisi in hoc vniuersalissimo, quod est aliquod significatum hoc nomine. Tertio vti nomine, vt signo alicuius, cuius conceptum vniuersalem tantùm habet, vt ens: intendit tamẽ illud exprimere, vt significatur per nomen, licet illud sic in particulari non concipiat. Quarto vti nomine, vt signo expressiuo proprij conceptus in particulari, & semper hic prior gradus est imperfectior respectu posterioris: primus igitur est imperfectissimus: vltimus simpliciter perfectus.

F.

His præmissis ad quæstionem dici potest, quod *vt supra dix:* si verum

G.

est

est, quod distinctius potest res significari, quàm concipi, potest Deus nominari à viatore, nomine significante hanc essentiam. Quidquid tamen sit de istis, verisimile est, Deum nominari tali nomine, & hoc siue illud nomen sit impositum ab ipso Deo, vel ab Angelo cognoscente ipsum Deū, vel a viatore: verisimile est enim, q̄ multa nomina sint in sacra Scriptura, distinctè illam essentiam significantia, sicut Iudæi dicunt de nomine Dei, quod vocant Tetragramaton. Est ergo Deus nominabilis à viatore nomine significante propriam essentiam, vt est hæc essentia: quia viator potest vti illo signo, & intendere exprimere significatum illius signi, siue ipse imposuerit illud, siue alius quicunque, qui cognouit significatum, & tali etiam signo potest viator vti tanquam nomine, licet non potuerit illud imponere tanquam signum.

H. Et ideò simpliciter concedendum est, quod multis nominibus vti potest viator, exprimentibus essentiam diuinam sub ratione essentiæ diuinæ: *specialius tamen procedendo iuxta assignatos gradus*, sit prima conclusio, quod possibile est Deum simpliciter nomine proprio nominari à viatore imperfectè, secundum tres gradus primos prædictos. Secunda conclusio est, non est hoc possibile perfectè, scilicet secundum quartū gradum. Tertia cōclusio est qualiter de facto à nobis nominatur. Primo probatur: quia si non, hoc esset, quia nō potest habere conceptum proprium de Deo, & oportet rem sic concipi, sicut nominatur: sed ista est falsa. Probo: quia *vt probatum est art.* 1. de nulla substantia habemus conceptum proprium, & per se: si igitur non est possibile distinctius nominare, quā concipere, sequitur quod viator nullo nomine significat aliquam substantiam distinctè: neque vtens nomine, neque aliquod nomen impositum à viatore significabit aliquam substantiam distinctè: consequens est falsum: igitur & antecedens: nam illa propositio prima, quod non intelligimus aliquam substantiam distinctè, probata est supra dist. 3. q. 1. 2. & 3.

Prima conclusio.

Secunda cōclusio.

Tertia conclusio.

I. Qualiter autem oppositum consequentis sit verū (quia hoc est præambulum ad propositum) declaratur primo de nominatione substantiæ, vtēdo nomine imposito. Secundo de nominatione eius, imponendo sibi nomen. Primum sic hæc minor: per hoc nomen homo, non intendimus tantum significare animal (pater) sed aliquid sub animale distinctum ab equo, & alijs. Vnde hæc est nobis nota tanquam vera, homo per se distinguitur ab equo, &c. Nec intendimus per hoc nomen significare aliquod accidens, vel aliqua accidentia, imò speciem in genere substantiæ tātum. Vnde hæc est nobis verè cognita: homo per se distinguitur à quocunque accidente, distinctione etiam maxima: quia secundum genus generalissimum. Nec intendimus significare aliquam discriptionem ex animali, & accidenti, vel accidentibus: imò aliquid per se vnum, & in se natum habere vnum per se conceptum diffinitiuum. Maior, quod autem intendimus significare sub propria ratione, nec tamen illud, si intelligimus, nominamus imperfectè secundum tertium gradum, & modum, vt dictū est prius: quare, &c.

K. Consimiliter patet de impositione, sicut de vsu: sicut enim si Adam intelligens hominem sub propria ratione imposuisset sibi nomen proprium, quo ego vtens intendo illud significare, sicut nomen est sibi impositum, de quo tamen non habeo cōceptum, nisi in vniuersali imperfectum, vel peraccidēs, vel in quadam des-

descriptione. Sic si idem nõdum nominatum, sicut intelligeretur, posset sibi nomen imponere, intendens per illud nomen sic ipsum significari: sicut nunc intendo per nomen significare ab alio sibi impositum. Et hoc modo licet quandoque imponens non habuit conceptum de re, nisi in quadam descriptione, quam significat ethimologia nominis, non tamẽ impositum est nomen ad significandum illam descriptionem, sed illam substantiam, cuius est illa descriptio, sicut hoc nomen lapis non est impositum ad significandum actionem istam, lędere pedem: quia tunc lapis per se esset in genere actionis; sed imponitur illi substantiæ sub propria ratione, cuius est hæc descriptio lædens pedes.

L. Hoc patet etiam, quia eidem quãdoque imponuntur multa nomina secundum multas proprietates: non ab eadem proprietate: sed alia, vt lapis petra: nec imponuntur illis proprietatibus: quia tunc non essent eiusdem per se in numero: imo nomen vnum alicuius esset de genere actionis, aliud de genere passionis: vt petra, pede trita. Patet igitur quod alia est ratio, à qua nomen imponitur: & hoc significat ethimologia: alia cui imponitur, & ita licet imponens non habuit distinctum cõceptũ, nisi rationis à qua imposuit: non tamen illi nomen imposuit. sed illi substantiæ, cuius est hæc descriptio: & hoc sub propria ratione, quã tamen non sic intelligit, & per consequens iste nominat vt imponens imperfectè, secundum tertiũ gradũ.

M *Solut. 1. argument. est sumpta ex reportatis Doctoris in hoc 1. dist. 22. q. 1.*

Ad primum argumentum Ambrosij dico, quod non sufficienter exprimitur: ideò non silet.

N. Ad secundum, *satis probatum est hic, & art. 1. quod illa* propositio nihil potest significari ab aliquo, quod ab ipso non potest intelligi, est falsa si intelligatur præcise: *& sic etiam* tenendo quod viator non potest habere proprium conceptum de Deo (*vt dictum est*) *nõ valet argumentum*: quia potest vti nomine distinctè significãte rem, quam ipse possit intelligere.

O. Ad tertium *dico*, quidẽ solus Deus cognoscit se sub ratione immensitatis suæ, quantum ad affirmatiuam, quod ipse sic cognoscat se, est certissima: sed quantum ad negatiuam, quod nullus intellectus sub illa ratione illum cognoscit, improbatur *in sequenti articulo, & nunc* dico, quod est intelligendum, quod non potest cõprehendi ab aliqua creatura: quia sola intellectio comprehensiua Dei repugnat intellectui creato: sed alia de Deo sub ratione immẽsitatis eius potest esse non comprehensiua, vt probatur *infra*. Nominantem *ergo* obiectũ sub aliqua ratione, non oportet comprehendere illud sub illa ratione: sed sufficit, quod distinctè apprehendat illud dici.

H.

Expositio artic. 3. quæst. vnic. distinctionis 22.

I *Opinio D. Thom.*

POSTQVAM Doctor in præcedẽti articulo resoluerat Deũ à viatore nominabilẽ esse, cõmunib⁹ nominibus, in præsenti inquirit, an sub proprio nomine sit à viatoribus nominabilis, quærens, an aliquod nomẽ proprium dicatur de Deo? Circa quod D. Tho. 1. p. q. 13. art. 3. in corpore tenet quod quia Deum cognoscimus ex perfectionibus procedentibus in creaturas ab ipso, quæ quidem perfectiones in Deo sunt, secundum eminentiorem modum, quam in creaturis; intellectus autẽ viatoris eo modo apprehẽdit eas quo sunt in creaturis, & secundũ, quod apprehendit ita significat per nomina: ideò in nominibus quæ Deo attribuimus, duo considerari debent, scilicet perfectiones ipsæ significatæ, vt bonitas, vita, &c. & modi significati. Quantum

tum igitur ad id, quod significant prædicta nomina, propriè competunt Deo & magis propriè, quàm ipsis creaturis. Quantum verò ad modum significandi non propriè dicuntur de Deo: habent enim modum significandi, qui propriè competit creaturis. Fundamentū huius sententiæ D. Thomæ est illud commune, quod scilicet intellectus viatoris, secundum quod apprehendit, sic per nomina significat.

2 Hoc tamen fundamentum esse falsū ostendit Doctor in 1. art. & in isto 2. quem resoluit prænotando, quod nominare aliquid stat dupliciter. Vel quidē 1. imponendo ei nomen: vel secundo vtēdo nomine ab alijs imposito. Et hoc secundum membrum adhuc subdistinguit, vel etenim quis vtitur nomine ab alio imposito imperfectè, vt præcisè nomen est; aut perfectè in ratione signi, quia scilicet illud refert ad significatum, quod per tale nomen significare intendit. Primo modo auis quædam, addiscit nomen ab homine illud proferente, & formatē eundē sonum, quo tale nomen profertur in præcisa ratione vocis sui nominis: sed non in ratione signi, quia nescit quid significet. Secundo ergo modo viator vtitur nomine, vt signo conceptus habiti à se: tanquam ab vtente. Cuius exemplum patet ex textu de Latino vtēte nomine Hebræo, &c.

Impugnatur præcedens opinio

Nominari aliquid contingit tripliciter.

3 Ponit ergo Doctor quatuor gradus vtendi nomine, quorum primus est imperfectus nimis, & quartus simpliciter perfectus, imo perfectissimus. Iuxta quos resoluit difficultatē, dicens, quod licet quarto gradu non sit Deus nominabilis nomine proprio à viatore: potest nihilominus tribus prioribus gradibus, ab eo nomine proprio nominari, licet hoc tale nomen proprium nō sit ab ipso viatore impositū, sed à Deo, vel ab Angelo, vel ab homine beato: vt patet de nomine Tetragammatō, & alijs, quæ sacra pagina continet. Tribus ergo conclusionibus difficultatem articuli dirimit. Prima quidem, quod scilicet, *possibile est Deum simpliciter nominari à viatore nomine proprio imperfectè*, secundum tres gradus priores prænotatos. Secunda cōclusio est, *quod hoc non est possibile, secundū quartum gradum*, hoc est simpliciter perfectè. Tertia conclusio est, quod *de facto nominatur à nobis nomine proprio*. Harum igitur primam, in qua difficultas consistit, egregie probat ibi, & ratio est clara in textu, qua satis prima opinio confutatur.

Gradus vtēdi nomine sunt quatuor.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Deus sit nominabilis à viatore secundum rationem immensitatis?

AD quartum sic proceditur, videtur, quod A. Deus non sit nominabilis a viatore secundum rationem immēsitatis: quia veritas diuinæ essentiæ nota est ipsi Deo soli quoad rationē immensitatis suæ: ergo *quoad hoc* solus Deus nomen sibi proprium vocale posset imponere.

Secundo præterea: quia viator nō potest concipere diuinam essentiam, nec eo modo, quo beati vident: *sed nec beati vident diuinam essentiam*, secundum rationem immēsitatis: quia veritas diuinæ essentiæ, quoad rationem immensitatis suæ, nota est ipsi Deo soli: ergo, &c. B.

Tertio præterea: quia *etsi beatus secundum immensitatem, diuinam essentiam nominare posset, esset quia* intuitiue intelligit illam: sed nō potest viator Deum intuitiue intelligere, sicut beatus: ergo, &c. C.

Sed contra est: quia nulla potētia operatiua potest perfectissime quietari, nisi in obiecto includēte summā perfectionē possibilem obiecto adæquato ipsius potentiæ: immensitas autem, siue infinitas est perfectio simpliciter possibilis enti, vel vero, vel cuicuicūque rationi transcendenti: & aliquod eorum est obiectum adæquatum cuiuscunque intellectus: ergo intellectus, non perfectè quietatur, nisi in Deo sub ratione immēsitatis suæ: D.

telle-

maior apparet, & in exẽplo de viſu, & conueniẽtiſſimo viſibili, & etiam ratione: quia quocunq; alio habito, adhuc inclinatio potẽtiæ eſt in aliud non habitum, & principalius quàm ad iſtud habitũ. Prima pars minoris probata eſt diſt.2.quæſt.1.& ſecunda pars diſt.3.quæſt.3.

E. *Henric. in ſumma ar. 22.q.1.& 3.*

Reſpondeo dicendũ, quod hic eſt opinio talis, nomẽ ſiue verbũ vocis debet eſſe ſymbolũ inter loquentẽ, & illum cui loquitur: ſic quod res ſignata ſit nota vtriq; in ſe:& notũ etiã ſit vtriq;, quod nomẽ ad ſignificandum ipſam rem ſit inſtitutũ:ſed veritas diuinæ eſſentiæ nota eſt ipſi Deo ſoli,quo ad rationẽ immẽſitatis ſuæ: ergo ſolus Deus nomen ſibi propriũ vocale poſſet imponere. Subditq́ue pro ſecunda minori ſumenda ſub prima maiori, quod beati cognoſcunt illam eſſentiã in ſe: ergo aliquo verbo,vt ſigno illius eſſẽtiæ ſub propria ratione poſſunt ipſi Deũ nominare: ſiue illud verbum ſit inſtitutũ à Deo, ſiue ab aliquo Beato. Tertia minor eſt, quod viator non poteſt concipere diuinã eſſentiã,nec ſecundum rationem immenſitatis: quia eſt proprium Deo:nec eo modo, quo beati vident: & ideò ſignum impoſitum illi eſſentiæ,primo modo,vel ſecundo modo, non poſſet eos ducere ad aliquam diuinæ eſſentiæ notitiam:ſicut nec ſe perducit cæcus natus ad notitiam coloris per verba, ſicut videntes colorem, & cognoſcẽtes per rememorationẽ,perducuntſe ad coloris notitiam. Quarta minor, intellectus viatoris aliquo modo poteſt concipere Deũ:ergo proportionabiliter nominare. Addit ibi,quod nullum nomen propriũ Deo,ad placitũ viatoris impoſitum, poteſt eſſe trãſlatum à creaturis: quia quodlibet etiam tale nomen eſt commune creaturis,& primo illis impoſitũ: ſed debet illud nomen primo,& principaliter ei imponi,pro tãtillo tamẽ,quod de Deo à creaturis poteſt cognoſci. Infertvlterius,quod hoc nomẽ Deus ex impoſitione ſua ſignificat, quod eſt perfectionis ſimpliciter, quaſi in ſumma, & in generali reſpectu aliorum nominũ, quæ quaſi particulariter exprimunt aliquid,quod rationẽ dignitatis habet in Deo, vt ſunt ſapiẽs,bonus,&c.hoc etiã nomẽ Deus primo eſt ſibi impoſitũ,itaquod creaturæ non conuenit,niſi translatiuè,ſicut Moyſes dictus eſt Deus Pharaonis Exod.7. ideò inter omnia nomina,nomen proprium eſt ſibi hoc nomen,Deus,& ſic eſt proprium ſibi in lingua Græca hoc nomen Theos.

F.

De ratione huius opinionis,quomodo maior habeatveritatẽ? dicitur in ſolutione *art.*3.Minores *autẽ*, vel diuerſæ partes eiuſdem minoris,dubiæ videntur. Prima quidem, ſolus Deus cognoſcit ſe ſub ratione immẽſitatis ſuæ,quantũ ad affirmatiuã, *vt ſupra dictũ eſt*,eſt certiſsima:ſed quãtum ad negatiuã, quod nullus intellectus ſub illa ratione,illum cognoſcit,improbatur,ſicut *ſupra* §.*ſed contrà*.Et ſecundo ſic,ſola intellectio cõprehenſiua Dei,repugnat intellectui creato: ſed alia de Deo ſub ratione immenſitatis eius poteſt eſſe non cõprehenſiua eius:ergo,&c.minor probatur:quia actus cõprehenſiuus obiecti infiniti, eſt infinitus intenſiuè: quia eſt ita perfectusin ratione actus ſicut obiectum in ratione obiecti: & ideò ſimpliciter adæquatus:ſed obiecti vt immenſi poteſt eſſe actus nõ infinitus: quia ſicut obiectũ poteſt eſſe ſimpliciter perfectius actu,& hoc ſub illa ratione ſub qua eſt obiectũ actꝰ: ita infinitũ,ſiue infinite actus. Cõfirmatur:quia nõ apparet, quare circa obiectũ ſub ratione infinitatis, non eſſe poſſet, vel haberi actus perfectior in vno,& minus perfectus in alio. Ex haçparte minorisimprobata, improbatur concluſio correſpõdẽs. Primo ſic,nominantẽ obiectũ ſub aliqua

Artic.3.

Prima concluſio.

qua ratione, non oportet comprehẽdere illud sub illa ratione: sed sufficit quod distinctè apprehendat illud dici: intellectus creatus potest sic apprehendere Deum sub ratione immẽsitatis (vt patet ex rationibus iam positis) igitur potest nominare illum sub ratione immẽsitatis. Maior probatur, quia Adã imposuit nomina propria diuersis speciebus animaliũ Genes 2. & tamen non cõprehendit illas: quia tunc æque perfectè nouisset eos, sicut anima Christi: quod non tenetur Tertio, quia signum naturale verius significat quàm signũ ad placitũ: intellectio creata potest esse signũ naturale Dei secundum rationem immẽsitatis illius: igitur sic intellectus potest imponere signũ ad placitum sibi sub illa ratione. Minor probatur: quia intellectio vt est obiecti, est naturale signum eius, 1. Perierm. passiones sunt notæ rerũ, & naturalitèr: & hoc ideò quia propria intellectio est propria ratio obiecti: probatum est etiã prius quod alia intellectio creata potest esse Dei sub ratione immensitatis. Item, quia nomẽ quodcunque est signũ finitũ, etiã si ponatur à Deo sibi secundũ rationẽ immẽsitatis suæ ergo adhoc, vt sit alicui intellectui signũ, nõ oportet, quod illud habeat intellectionẽ infinitam. Potest igitur Deus quocũque nomine nominari ab intellectu finito: imò plus non potest Deus se nominare aliquo nomine ita excedente nomẽ, quo nominabilis est à beato, quãtuncũque cõprehensio Dei excedit apprehensionem beati: nec mirũ: quia nec necessario in nobis est proportio nominis ad nomẽ in significãdo, sicut intellectionis ad intellectũ imponẽtis, vel disponẽtis: & ideò nomẽ ab vtrolibet impositũ potest esse signũ ambobus: ergo ita hoc nomẽ impositũ à Deo cõprehendẽte potest esse cõmune sibi & beato: quia tantũ finite significat, nec per consequens infinitã intellectionẽ in vtẽte requirit: & ideò viator potest vti illo signo, & intẽdere exprimere significatũ illius signi, huc alius quicunq; , qui cognouit significatũ, imposuerit illud signũ: & tali etiã signo potest viator vti tanquã nomine, licet non potuerit illud imponere tanquam signum. *Tertia conclusio.*

Quarta pars minoris, licet sit in se vera, tenẽdo quod viator non potest habere propriũ cõceptũ quidditatiuũ de Deo, & beatus nomẽ imponit ad significandũ conceptũ proprium, qualẽ habet de Deo: tamẽ arguitur, quod repugnat dictis istius *Doctoris* alibi: primo sic, cõcedit enim, viatorẽ aliquẽ conceptũ quidditatiuũ posse habere de Deo: & patet, quod alias nullũ posset habere qualitatiuũ, vel relatiuũ de ipso: nã conceptus qualitatiuus semper requirit conceptum quidditatiuũ, cui insit: sed secũdũ ipsum nõ potest haberi cõceptus quidditatiuus de ipso communis Deo, & creaturæ: igitur erit propriꝰ: nã simpliciter primo diuersus à conceptu creaturæ: ergo nomẽ impositũ à beato ipsi Deo sub propria ratione, non sic erit viatori: sicut nomẽ coloris cæco. Secũdo, obiectũ perfectũ potest facere in intellectu proportionato quẽcunq; cõceptũ realẽ possibilem haberi de se. Hoc probatur: quia etiã hoc potest obiectũ minus perfectum: sed essentia diuina (secundũ istũ) in intellectu proprio nõ potest causare, nisi vnicũ conceptũ realẽ: alij autem (si habentur) habentur per negationẽ sui intellectus: ergo vnicus cõceptus realis est possibilis de illa essẽtia: igitur si habet aliquẽ conceptum de Deo, habet illũ, qui erit propriꝰ. Nec accipitur in ista ratione cõceptꝰ, pro actu cõcipiendi: sed pro obiecto formali terminante actũ. Huius rationis licet maior videatur probabilis: tamen negaretur de intellectu proportionato, id est, infinito: quia ille est cõprehensiuus vnico cõceptu, & ita nõ

G.

capax

capax multorũ de obiecto, ſicut intellect° nõ cõprehẽſiuus negaretur etiã de quocũque intellectu intelligẽdo de obiecto immediatè in ſe mouẽte: quia ipsũ propter perfectionẽ ſuã nõ moueret ad conceptus imperfectos poſsibiles haber de ſe per motionẽ aliorũ obiectorũ imperfectè ducentium in cognitionem eius.

H. Ad primũ argumẽtũ, *illa propoſitio*, ſolus Deus cognoſcit ſe ſub ratione immẽſitatis ſuæ, quãtũ ad negatiuã, quod nullus alius intellectus ſub illa ratione illũ cognoſcit, improbatur *ſatis ſupra*. Poteſt igitur Deus quocũq; nomine nominari ab intellectu finito: & viator poteſt vti ſigno (ſiue alius impoſuerit) tq quã nomine, licet non potuerit illud imponere tãquã ſignũ

I. Ad ſecũdũ dico, q licet ſit in ſevera illa maior tenẽdo, quod viator nõ poteſt habere propriũ cõceptũ quidditatiuũ de Deo: & beatus nomẽ imponit ad ſignificandũ conceptũ propriũ, qualẽ habet de Deo: eſt nihilominus Deus nominabilis à viatore tali nomine, & hoc ſiue illud nomen ſit impoſitũ ab ipſo Deo, vel ab Angelo cognoſcente ipſum Deum.

K. Ad tertiũ: reſpondeo, quod hoc nõ obſtat: quia nunquã per nomẽ fit cognitio intuitiua rei ſignificatæ: ſed tantũ quædã rememoratio ad conſiderandũ rẽ prius notã: apparet in exẽplo, nam cæcus nõ natus, qui aliquã do videt colorẽ, benè vtitur nomine coloris tanquã ſigno cõmuni ſibi, & videnti: quia vterq; per rememorationẽ poteſt intelligere colorẽ: licet cæcus nõ poſſet nũc intueri colorẽ.

Expoſitio art. 4 quæſt. vnic. diſtinctionis 22.

1 PROPONIT Doctor opinionem Henrici, qui negat, viatorem poſſe Deum nominare ſecundũ rationem immenſitatis, quam opinionem probat Henricus, quodam ſyllogiſmo ex quadruplici minori ſub vnica maiori confecto. Maior enim ſyllogiſmi eſt hæc: nomen debet eſſe ſymbolum inter loquentem, & illum cui loquitur, ſic quod res ſignata per nomen ſit nota vtriſquo in ſe, & notum etiam ſit vtriſque, quod nomen ſit inſtitutũ ad ſignificandum rem ipſam. Quæ maior ſic debet intelligi, quod ſcilicet ille, qui nomen imponit, & ille cui rem per tale nomen ſignificat, debent cognoſcere rem, cui nomen imponitur: & inſuper debent ſcire tale nomen fuiſſe impoſitum ad ſignificationẽ talis rei. Sub ergo maiori ſic intellecta ſunt quatuor minores, & ex qualibet illarum ſub prædicta maiori ſic diſtinctus ſyllogiſmus concludens intentum Henrici. Prima igitur minor eſt hæc: *ſed veritas diuinæ eſſentiæ nota eſt ſoli Deo, quoad rationem immenſitatis.* Ex quibus duabus propoſitionibus, maiori ſcilicet, & minore, hãc infert conſequẽtiam. Ergo ſolus Deus nomen ſibi proprium ſub ratione immenſitatis poſſet imponere. Secunda autẽ minor hæc erat. *Sed beati cognoſcunt illam eſſentiã in ſe.* Ex qua & ex illa maiori, hãc conſequentiam infert. Ergo aliquo verbo vt ſigno illius eſſentiæ, poſſunt ſub propria ratione Deum nominare, ſiue illud Verbum ſit inſtitutum à Deo, ſiue ab alio beato. Rurſus hæc erat tertia minor. *Sed viator nõ poſſet concipere diuinã eſſentiam, nec ſecundum rationem immenſitatis, qui eſt proprium Deo, nec eo modo, quo beati vident.* Ex quibus hanc infert conſequentiam. ergo nec nomen impoſitum illi eſſentiæ ratione immenſitatis, quo modo ſolus Deus ſibi nomen imponit, nec ratione qua beati illam vident, poteſt ducere viatorem in aliquam notitiam diuinæ eſſentiæ: ſicut nec cæcus à natiuitate ducitur ad notitiã coloris per nomẽ coloris ſibi enuntiatum ab alio, ſicut vidẽs colorem. Quarta minor ſub eadem maiori eſt. *Sed intellectus viatoris aliquo modo poteſt Deum concipere.* Et ex illis hanc conſequentiam infert: ergo proportionabiliter ad ſuum cõcipere poteſt Deũ nominare.

Hanc igitur ſic intellectã Hẽrici ſententiam, ſic Doctor recenſet. Et primo de maiori illa quomodo habeat veritatem, remittit ſe ad art. 3. in corpore vbi hoc ſub diſtinctione pertractat, vide ibi. De quatuor vero minoribus, ſeu de qua- 2 *Impugnatur Henricus.*

quatuor partibus eiusdem minoris (vt ipse ait) asserit dubias esse: nam de prima, quæ ait, quod solus Deus se cognoscit sub ratione immẽsitatis, inquit duas habere partes, quarũ prima est affirmatiua: & certissimum est Deũ sic se cognoscere. Secũda autem negatiua est ratione illius exclusiuæ, *solus*, & hanc ait esse falsam: quia aliquis intellectus creatus Deum sub ratione immensitatis cognoscit. Quod probat duplici ratione: prima posita est in lit. D. Secũda autem sub litt. F. & vtraque efficaciter concludit intentum. Sicque ex improbatione huius partis illius primæ minoris, improbat conclusionem illã, *quod scilicet, solus Deus nomen sibi propriũ sub ratione immensitatis posset imponere.* Et rationes ad hoc probandum sunt subtilissimæ, & satis corroboratæ. Ex quibus cõcludit posse beatum Deo nomen proprium imponere, etiam sub ratione immensitatis: quia quodcũque tale nomẽ etiam si ab ipso met Deo imponatur, finitum est, & tantum finite significat: nec per cõsequens infinitã intellectionem innominante requirit.

3. Concluditur ergo, quod Beatus potest Deo imponere nomen proprium sub ratione immensitatis, quam intuitiue videt in Deo, & viator potest vti illo nomine, vel signo, & intendere exprimere significatum illius signi: etiã si alius (nẽpe Beatus) qui cognouit significatum illius, ei tale imposuerit nomen. Vnde potest viator vti tali immẽsitatis signo, tanquam nomine, licet nõ potuerit illud huiusmodi significato imponere, tanquam signum: quia tale significatum non cognoscit: & hæc est conclusio titulo articuli respõdẽs. De secunda autem minor illius syllogismi Henrici, & de tertia, non agit Doctor: quia illas veras esse supponit. De quarta vero ait, quod licet in se sit vera, tenendo quod viator non potest habere proprium conceptum quidditatiuum de Deo: & Beatus potest nomen imponere ad significandum conceptũ proprium, qualem habet de Deo: nihilominus contra Henricũ ostendit hæc non cohærere cum dictis ipsius, & sic ad hominem arguẽdo (vt solet) quoad hoc eius sententiam improbat. Aduertendũ est tamen litteram huius articuli non haberi in omni textu veteri, sed in aliquibus: credo tamen textualẽ, & Scoticam proculdubio esse, vt ex eius stylo, & doctrina patet. Sed quia plura manu scripta Doctoris non fuerunt simul in primis codicibus typis mandata, sed postea in editionibus alijs fuere locis proprijs restituta: ideo non nulla quæ in prioribus editionibus non habentur, tanquam vera de mente Scoti in posterioribus extant.

Beatus potest imponere nomen, proprium Deo ratione suæ immensitatis.

DIFFICVLTAS LXXXI.

Vtrum Deus sit à viatore nominabilis pluribus nominibus distincte, eius essentiam significantibus?

§.1.

Refertur prima opinio D. Thomæ.

ESSE Deum nominabilem nomine cõmuni, & proprio, non solum à se, sed etiam à comprehensore, & viatore, & quomodo, late, & subtiliter Doctor per quatuor articulos huius quæstionis resoluit: quia tamẽ hæc inter cæteras vtriusq; Scholæ cõtrouersias collocatur: hic iterũ eam examinare oportet, & hinc simul inuestigare, quod nã sit hoc Dei nomen, & an sit vnũ, an plura, & qualiter Deum significent. Hæc enim omnia præsens difficultas inquirit. 1.

1. Opinio

D. Th.

D. Tho. 1. p. q. 13. ar. 1. in corpore loquens de Deo ait. *Sic igitur potest nominari à nobis ex creaturis nõ tamen ita quod nomen significans ipsum exprimat diuinã essentiam secundũ quod est.* Et art. 6. in corpore, tenet, Deũ nominari eisdẽ dumtaxat nominibus, quibus significetur id, quod ex Deo cognoscimus. Et quia nõ aliter eum cognoscimus, nisi prout in creaturis splendet: ideo Deum cognoscimus, ex perfectionibus procedẽtibus in creaturis ab ipso: quæ quidem perfectiones in Deo sunt secũdũ eminẽtiorẽ modũ, quã in creaturis: quia intellectus viatoris non aliter Deũ nomina- 2.

re, aut ſignificare poteſt, quam prout ipſum cognoſcit, aut apprehendit: ideo non alijs nominibus eũ nominat, aut ſignificat, niſi illis, quæ conueniũt creaturis: quæ quidem nomina quantũ ad modum ſignificandi nõ proprie dicuntur de Deo. Et hæc ſpecialiter ait, de his nominibus, bonitas, vita, & huiuſmodi: ſed ſpecialius agẽs de hoc nomine *Deus* in art. 8. eandem ſententiã tenet, dum in corpore articuli hæc ait. *Quia igitur Deus non eſt notus nobis in ſua natura ſed innoteſcit nobis ex operationibus eius: ex his poſſumus eum nominare, vt ſupradictum eſt. Vnde hoc nomen Deus, eſt nomen operationis.* Ex his igitur D. Tho. tenet nullum eſſe nomẽ diſtincte ſignificans Dei eſſentiã, ſi quidem hæc omnia nomina Deo, & creaturis cõmunia ſunt, eo q̃ à creaturis, vt ex effectibus Dei accipiuntur, vt Deum nominẽt, & ſignificent. Sequuntur D. Tho. Caiet. ibid. Ferrara 1. Contra gentes, cap. 31. Capreolus in primo, diſt. 22. art. 1. q. 1. & plerique Thomiſtæ: fuit opinio veterum Theologorum, vt Henrici in ſumma ar. 23. q. 9. Alex. Alenſ. 1. p. quæ. 48. memb. 1. Alber. Mag. in primo diſt. 2. art. 6. Antiſiodor. lib. 1. ſummæ q. 1. ca. 3. Ricar. diſt. 22. art. 1. q. 1. quam ex recentioribus tenet Suarez 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 31.

D. Thom. *Caietanus.* *Ferrara.* *Capreolus.* *Henricus.* *Alexãder.* *Albertus.* *Antiſiodo.* *Ricardus.* *Suarez.*

3 Probatur hæc opinio, primo, quia Deus ineffabilis eſt, quæ ineffabilitas reſplẽdet in hoc, quod Deus eſt innominabilis nomine diſtincte ſignificante eius eſſentiam præcipue à viatore: nã Prouer. c. 30. dicitur, *Quod eſt nomẽ eius, aut quod eſt nomen filij eius, ſinoſti,* & Geneſis c. 32. *cur quæris nomen meũ.* Item Concilium Lateranenſe in capitulo *firmiter* de ſum. Trin. & fide Catholica, vbi hæc profert. *Ex hoc autẽ deduci videtur, quod neque etiam Deus ſit nominabilis. idẽ enim eſſe videntur eſſe ineffabile, & eſſe innominabile.*

Prou. c. 30. *Geneſis.* *Cõc. Late.*

4 Secũdo probatur: quia ſi aliquod nomen Deum proprie, & diſtincte ſignificaret, eſſet hoc nomẽ Deus iuxta illud ſapientiæ c. 14. *Incommunicabile nomen lignis, & lapidibus impoſuerunt.* Sed hoc nomen Deus, non ſignificat Dei eſſentiam: eo quod ab operationibus, & effectibus Deo imponitur: nam alia nomina, quæ Deo imponuntur ab operationibus ſiue ab effectibus eius, vt bonus ſapiens, & huiuſmodi, non proprie aut diſtincte ſignificãt eius naturam, ſi quidem pluribus creaturis ſunt communia: ergo, &c.

Sapien. 14.

Tertio, ea ſolũ modo nomina diſtincte naturam alicuius ſignificãt, quæ ei ſunt propria: nam quæ ſunt cõmunia ei, & alijs, ſatis confuſe ſignificãt: ſed omne nomen Deo impoſitũ eſt cõmune ſibi, & alijs, vt patet per omnia diſcurrendo: nã nomina perfectionum, vt pote bonus, ſapiẽs, miſericors, &c. etiã creaturis conueniunt: quinimo & ipſum nomen Deus ſatis cõmune eſt, nõ ſolum pluribus alijs, de quibus dicitur in Pſal. 49. *Deus Deorum Dominus locutus eſt*, ſed etiã pluribus hominibus, de quibus dicitur in Pſal. 81. *ego dixi, vos Dij iſtis*: ergo, &c. 5

Pſal. 49. *Pſal. 81.*

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia.

IN oppoſitum autem eſt littera textualis in arti. 3. huius quæſt. vnicæ diſt. 22. ſub litt. F. vbi Doctor hæc profert. *Veriſimile eſt enim, quod multa nomina ſunt in Sacra Scriptura diſtincte illam eſſentiam ſignificantia, ſicut iudei dicunt de nomine Dei, quod vocant Tetragammaton.* Sequuntur Doctorem Guilermus Rubionis, eadem diſt. 22. quæſtio. 1. §. *quantum ad ſecundum* Lychetus, ibidem quæſt. vnica. §. *vltimo dicit.* Antonius Andreas *ibi* §. *dico*, Tateretus ibidem §. *nunc ponitur.* Vigerius ibi §. *poteſt dici*, item Faber, in primo, diſput. 48. cap. 2. tenet Vazquez 1. parte. diſput. 57. cap. 2. & alij, quæ eſt ſententia communis omnium Scotiſtarum, cui fauet Seraphicus Doctor S. Bonauentura, hac diſtinct. 22. q. 1. §. *reſpondeo dicendum*. Nec oppoſitum docet Baſſolis in q. 1. art. 2. §. *dico igitur* concluſ. 3. vbi citatur à Vazquio, nam ibi tantum negat poſſe nominari eſſentiã perfecte à viatore, loquendo de perfectione comprehenſiua, & vt ſic ait, quod nec etiam à Beato poſſit nominari, dũ inquit: *Credo quod ipſe poteſt per*

6

Rubio. ibi. *Lychetus.* *Ant. And.* *Tatare.* *Vigner.* *Faber.* *Vaz.* *D. Bonau.* *Baſſolis.*

fcte nominari à nulla creatura: quia nulla creatura potest ipsum comprehendere: sed tamen distincte potest ipsum intelligere, & eius immensitatẽ, &c. Hactenus Basolis.

7 Pro huius difficultatis resolutione videndum est primo, quid sit nomen, & quotuplex. Secundo, quis potest rebus nomen imponere, vt eas distincte per talia nomina significet, & qualiter nõ sit idem, imponere nomen, & nomine vti. Tertio tandẽ qualiter nomina Deo conueniant, & quæ eius essentiã distincte significare credantur. Circa primũ ergo est obseruandum, nomen esse signum quoddam ad placitum ab aliquo impositum ad significandum illud, cui imponitur: hoc est, ad significandã rẽ ipsam: nam quamuis ex Arist. 1. de interpre. habeatur, voces, & nomina esse signa conceptuum: intelligendũ est, quod sunt signa conceptuum obiectiuorũ, prout exposui, supra in cõmẽtario articuli secundi. Plura autẽ nomina rebus fuerunt imposita ex ethymologia proprietatis alicuius, vt pote, ex actione, aut passione prouenientis respectu rerum, quas significant. Alia vero ex conuenientia naturæ rerum, quas nominant. Primi generis extant in lib. Geneseos duo nomina ab Adamo Euæ imposita: primum quidem sumptũ ex ethymologia passionis: secundũ vero ex ethymologia actionis: nam ex eo ꝙ de viro formata est, ait sacer textus. *Et vocabitur virago, quia de viro sumpta est. cap. 2.* Ex eo vero, quod ab illa omnes gentes, & nationes procedunt dicitur, cap. 3. *Et vocabit Adam, nomen vxoris suæ Eua, eo quod esset mater cunctorum viuentium.* Sic etiam asserunt D. Tho. & Scotus ethymologiam lapidis, & petræ esse ex actione, & passione: quia lapis dicitur à læsione pedis: eo enim ꝙ lapide læditur pes, impositũ est ei nomen lapis: eo, vero quod lapis teritur pede, vocatur petra, hoc est, pede trita. Et plura alia nomina sunt à similibus proprietatibus rebus imposita, vt constat.

Arist. Nomẽ quid sit, & quibus de causis rebus imponitur.

Genes. 2. Genes. 3.

8 Nomina vero secũdi generis, quæsci licet, cõueniũt ipsis rerũ naturis, sunt ea, quæ imponũtur ad significãdũ illud quod ex ipsa natura rei formaliter est in rebus. Quia tamen plura significata per sæpe eidẽ rei formaliter insunt, in primo, vel saltim in secũdo modo dicẽdi per se, hoc est, quidditatiue, vel denominatiue: & quidẽ quidditatiue dupliciter, vel secũdũ rationẽ genericã, vel secũdũ rationem differẽtialẽ: quia in homine, & est animal, & rationale, & risibile: quorum duo priora sunt formaliter in eo, in primo modo dicendi per se, sed animal per modũ rationis cõmunis genericæ, rationale vero per modũ specialis differẽtiæ: tertiũ autem in secundo modo dicẽdi per se, hoc est formaliter denominatiue est in illo: ideo potest esse nomen impositũ ad significandũ quodcũque istorũ, quæ formaliter sunt in homine ex ipsa natura rei, omnibus istis modis. Et ita animal significat ratione viuẽtis sensibilis, quæ formaliter quidditatiue est in homine: rationale vero significat illam rationẽ formalem cõstitutiuam naturæ hominis, quæ item formaliter quidditatiue est in illo: risibile autẽ significat quandã proprietatẽ dimanantẽ à rationali, quæ formaliter denominatiue est in homine. Ad hanc ergo nominũ diuisionẽ reducenda sunt nomina, quæ Deũ tam ex ethymologia alicuius proprietatis, quam ex cõuenientia eorũ, quæ formaliter sunt in illo, nominãt, & significãt.

§. 3.

Inuestigatur, quinam possit nomẽ rẽbus imponere, & circa id proponitur triplex opinio, & dubium resoluitur.

9 *Triplex opinio, circa impositionẽ nominis.*

POrrò est circa secũdũ pũctũ videndũ, quis nã possit rebus nomẽ imponere: de quo triplex est opinio: prima asserit, nomẽ solũ modo posse distincte imponi ab eo, qui rẽ distincte cognoscit. Sic putauit Henricus prout refertur supra in 2. ar. textuali: & vt vidimus cũ D. Th. tenent plures thomistæ. Et quia viator Deũ distincte cognoscere non potest, nequit Deus á viatore distincte nominari. Secũda opinio primã propositionẽ prædictæ opinionis admittit, videlicet, nõ posse nomen distincte significãs rem, ei imponi: nisi ab eo, qui rem distincte intelligit: negat tamen secundam: quia asserit posse viatorem Deum,

distincte intelligere: & ideo concludit cum Doctore, posse Deũ distincte à viatore nominari, nomine ab ipso viatore imposito. Sic tenet Rubionis, loco citato conclu.2. & quinque rationibus probat. Tertia vero sententia, primã propositionem Hérici improbat: tenet enim, quod non requiritur in eo, qui nomen rei alicui imponit, ipsius rei distincta cognitio: secundam vero concedit, videlicet, viatorem non cognoscere Deũ distincte, in quo secundæ sententiæ adhærsatur. Et quia non requiritur *Dei* distincta cognitio, vt ei posset nomen imponi: ideo concludit, Deum posse à viatore nominari distincte, tã nomine ab ipso viatore imposito, quam vtẽdo nomine imposito ab alio, vt pote ab ipsomet Deo, seu ab aliquo Beato, vel etiã ab alio viatore. Sic sentit Doctor in 2. & 3. articulis, quem plerumque omnes Scotistæ sequuntur, & Vazquez citatis locis. Quomodo autem possit intelligi nomen aliquod distincte imponi rei alicui, distincte non præcognitæ, explanat Doctor, in tertio art. huius q. quod in quarto confirmat.

Rubion.

10

Nominare abstrahit ab imponere nomẽ & nomine vti.

Ad cuius euidentiam, est secũdo obseruandũ, quod nominare abstrahit ab hoc, quod est nomen imponere, & nomine vti: tam etenim ille, qui rebus nomen imponit, nominat eas, quã qui vtitur nominibus ab alio impositis. Quod planum est: nam Adamus, qui nominauniuersis rebus imposuit, & Chain, qui nominibus à patre impositis vtebatur, res omnes eisdem prorsus nominibus nominabãt absque eo forsan, & Chain ita distincte cognoscceret nominum significata, sicut illa Adamus cognoscebat. Rursus hoc, quod est imponere rei nomen distincte significans eius naturam, vel sumitur perfecte, vel imperfecte. Priori modo, imponens nomen alicui rei, proculdubio prærequirit ipsius rei distinctam cognitionem. At vero posteriori modo, nõ sic: sed sufficit sibi habere distinctam cognitionem illius rationis, qua rei nomẽ imponit. Hæc est subtilissima Scoti distinctio, qua (meo videri) eius sententia illustratur, vt patet in fine corporis articuli tertij: hæc namque sunt verba illius. *Patet igitur, quod alia est ratio à qua nomen imponitur, & hoc significat ethymologia: alia, cui imponitur.* Ad cuius clariorem intelligentiã supponendum est, neminem posse alicui nomen imponere, quin præcedat cognitio: & ex consequẽti vt imponat nomen distincte significans illud, debet quoque aliqua distincta cognitio præsupponi. Hoc quidem optime concludit Rubionis vbi supra, & oppositũ est prorsus inintelligibile: quicquid Vazq. ex Scoto probare intendat. Verum hæc distincta præcognitio, non est illa, quã Rubionis intendebat, sed alia: quia distincta cognitio potest esse duplex: vel quidem illius rationis, à qua nomẽ imponitur, vt pote ex ethymologia alicuius rationis, qua res innotescit: vel est cognitio ipsius rei, cui nomen imponitur. Hanc secundam cognitionem prærequiri, aiebant Héricus, & Rubionis: sed hoc negauit Scotus. Primum autẽ Scotus expresse prærequiri affirmat, hæc dicens ibidem. *Et ita, licet imponens non habuit distinctum conceptum, nisi rationis, à qua imposuit: non tamen illi nomẽ imposuit: sed illi substantiæ, cuius est hæc discriptio, & hoc sub propria ratione, quam tamen non intelligit.*

11

In quibus verbis quatuor docet Doctor: primũ quidem, quæ, & qualis cognitio requiratur, & quæ non requiratur ad nominis impositionem: dum ait, nõ requiri conceptum distinctum de re, cui nomen imponitur: bene tamẽ prærequiri distinctum cõceptum, seu cognitionẽ distinctam illius rationis, à qua nomen imponitur: hoc est, ethymologiæ, &c. Secundum vero est, quod licet à tali ratione nomen imponatur, non propterea ipsi rei distincte præcognitæ imponitur nomẽ, sed illi rei, seu substantiæ, quæ subiacet tali rationi. Tertium, quod etiam si talem rem non præcognoscat distincte, ei tamen à prædicta ratione nomen proprium, & distinctum, & sub propria ratione imponit. Quartũ tãdem, quod & si tali rei, seu substantiæ, huiusmodi nomen, sub distincta, & propria ratione imponat: talẽ tamen distinctam, & propriam rationem illius non capit. Hæc omnia ibidẽ exẽplo lapidis Doctor illustrat: & plane de nominibus substantiarum suam exprimit mentẽ, dum inquit, in corpore 3. artic. *De nulla substantia habemus conceptum proprium, & per se: si igitur non est possi-*

possibile distinctius nominare, quam cõcipere, sequitur quod viator nullo nomine significat aliquam substantiam distincte, neque vtens nomine, neque aliquod nomen impositũ à viatore significabit aliquam substantiã distincte: consequens est falsum: igitur, & antecedens. Quod de materia prima, & de alijs clarius exẽplificatur ibi. Quæ quia clare habentur in textu, nõ immorabor in eis. Sufficit ergo cognitio distincta illius rationis, à qua nomen imponitur, licet non præcognoscatur res ipsa, quæ nominatur, vt ei nomen, propria, ac distincta ratione eam significans imponatur: quibus concluditur satis secundi puncti propositi resolutio.

12 Iam ergo circa tertiũ sunt hæc omnia ad propositũ applicanda: nõ quidẽ loquendo de nominibus, quæ metaphorice, aut translaticè Deo conueniũt, vt esse Leonẽ, &c. Sed de nominibus, quæ cõpetunt ei vere, & proprie, videndũ est, quæ nomina, & qualiter Deo conueniant: & præsertim, quibus vtatur viator, & à quo fuerint Deo imposita. Quibus ergo nominibus Deus sit nominabilis, constat ex eis, quæ supra, nu. 7. prænotauimus, posse, scilicet, Deũ nominari ex ethymologia alicuius proprietatis, vt pote, ex aliquibus actionibus, quæ ab eo receptæ in nobis nos docẽt ei nomen imponere: quo tamẽ distinctius eũ significamus, quã ipsum cõcipimus: sic D. Amb. in hymno de festiuitate Spiritus Sancti, & D. Greg. ac D. Hyla. ibid. & D. Greg. Nazi. li. 4. Theologiæ. & Orig. li. 2. Peria. & reliqui Patres vocant Spiritũ Sanctũ hoc nomine, *Paraclitus.* Quod nomen Christus Dominus ei imposuit Ioan. cap. 14. & 15. nomen vero hoc ex sua ethymologia sumitur à verbo Græco *Parachaleo*, quod significat, docere, illustrare, hortari, consolari, patrocinari, & cætera: & ideo *Paraclitus*, idẽ est, quod Doctor illustrator, adhortator, & consolator, patronus, &c. Eo enim quod hæc omnia operatur Spiritus Sanctus in nobis, eum paracliti nomine nominamus. Cuius nominis significata de eo canit Ecclesia in missa eiusdem ante Euangelium dicens: *veni dator munerum, veni lumen cordium, consolator optime, &c.* Et quia etiam significat *Parachaleo*, intercedere, dicitur etiã Christus Dominus Paraclitus, hoc est, aduocatus, vt notauit D. Bernard. in serm. 5. Andreæ, ex illo Ioann. 14. *Alium Paraclitum dabo vobis*: quia apud Patrem pro nobis perpetuus intercessor existit. Hoc ergo nomen *Paraclitus* potest viator Deo imponere: quia potest distincte cognoscere eius ethymologiam ab effectu diuinarum operationum, quas in se experitur: quia scilicet, sentit solatium animæ, & cordis illustrationem, &c.

D. Gregor. D. Hylar. D. Ambro. D. Nazian. Origines. Ioan. 14. & 15.

Quibus nominibus Deus nominatur.

D. Bernard.

13 Quinimo hoc nomen *Deus*, etiã fuisse impositum ex ethymologia alicuius talis proprietatis, tenet D. Thom. 1. p. q. 13. art. 8. dicens, quod hoc nomẽ *Deus* est nomen operationis, quantum ad id, quod imponitur ad significandum: imponitur enim hoc nomen ab vniuersali rerum prouidẽtia: vnde dixit D. Dionis. de diuinis nominibus ca. 12. *Quod Deitas est, quæ omnia videt providentia, & bonitate perfecta.* Quod potest confirmari ex eo, quod aliqui volunt hoc nomẽ *Deus* esse deriuatum à *dando*. Sed quid de hoc sit tenendum, iuxtà Hæbreorũ, Græcorum, & Latinorum interpretationem, supra ostendi in difficulta. 40. nu. 13. & infra patebit.

D. Thom.

D. Dionys.

14 Nomina ergo alia sunt Deo imposita, quæ congruunt non solùm ethymologiæ alicuius actionis illius, sed ipsi naturæ diuinæ: & hoc, vel in primo modo dicendi per se per modum alicuius prædicati cõmunis: sicut Deus est ens, & vnus, & verus. Quæ nomina distincte viator potest imponere, eo quod cognoscit distincte rationem entis: nã ens vniuocè cõuenit Deo, & creaturæ, prout patuit supra in dif. 58. sicut ergo possumus distincte cognoscere, & nominare rationẽ entis in nobis: sic in Deo, propter vniuocationẽ cõceptus obiectiui. Itẽ alia sunt nomina perfectionũ cõmunium, quæ Deo conueniunt in secũdo modo dicendi per se, vt bonitas, sapientia, & cætera: quæ nomina, quia etiã ex creaturis cognoscũtur distincte, & Deo formaliter attribuũtur, quia sunt perfectiones simpliciter: & sapientia v. g. seu iustitia vniuoce prædicatur de creata, & increata, vt patet ex notatis in nuper citata diff. 58. nu. 20. ideo possunt etiã à viatore Deo distincte imponi.

Viator potest nomina imponere Deo, & quæ sint talia.

15 Hæc igitur nomina Deo imposita secũdũ illã rationẽ præcisam, qua vniuo-

ce Deo,& creaturis conueniũt,possunt à viatore distincte Deo imponi, vt distincte significantia ea,quæ formaliter sunt in illo: imo & possunt perfecte ab eo imponi,eo quod rem ipsam significatam tali nomine viator distincte cognoscit. Quamuis etenim non cognoscat distincte Deum,& eius sapientiam: cognoscit tamen distincte rationẽ præcisam entis, quæ formaliter est in Deo: & rationẽ præcisam sapientiæ,quæ formaliter est in sapientia diuina, secũdũ illum conceptum,quo vniuoce,tã ens, quam sapientia,prædicãtur de Deo,& creaturis.

16 Nomen vero significans quidditatẽ diuinæ naturæ,in primo modo dicendi per se,per modũ alicuius prædicati specialis,non potest perfecte à viatore imponi: quia non potest viator distincte cognoscere talem quidditatem, prouc Doctor notauit in corpore 3. art. hæc dicens,*Non est hoc possibile perfecte, scilicet, secundum quartum gradum*, Attamen potest ab illo,etiam si à se ipso non sit impositum: ab eo ergo imponitur tale nomen perfecte,quia eius significatum perfecte distincte cognoscit: quidditatem vero diuinam solus Deus,& Beati, qui ipsum facie ad faciem vident, distincte cognoscũt: Deus igitur,ac Beati perfecte ei nomen imponunt: sed bene potest viator vtili nomine à Deo,seu à Beatis imposito. Quod autẽ sit istud nomẽ? Extant in sacra pagina non nulla, quæ incommunicabilia sunt, & quodlibet Dei quidditatẽ videtur exprimere: huiusmodi est hoc nomẽ Tetragammatõ, & hæc scilicet Ieoba, Adonay, Helohin, Deus,& alia,quibus vtebantur Hæbrei,de quibus omnibus tractat Iare Rabi,Aben Hezras in præfatione ad Moysen. Quia tamen hæc est materia lata, & nobis nõ hic necessaria,eam ommitto. Præsertim ergo præalijs nominibus, hoc vnum est,quod Deum propriſsime significat, vt pote,*qui est*: iuxta illud: ego sum,qui sum: nam licet cætera etiã distincte Deum significent: quia significãt distincte eius essentiam, iuxta ea, quæ dicit D. Atan. in epistola quadã de decretis synodi Nicenæ,quæ incipit,*recte ante factum*, his verbis: *Cũ dicimus Deũ nihil nos eorum, quæ circa eum sunt, sed ipsius esse substantiæ significamus.* Nihilominus clarius loquitur D. Damas. 1. de fide ca. 12. dicẽs, quod hæc duo nomina, scilicet *Deus*,& illud,quod habetur Exodi cap. 3. *qui est*, inter cætera Dei nomina primatum tenent: quia perfectius,& distinctius Deum significant. Sed inter hæc duo perfectius inquit, diuinam naturam significari per hoc nomẽ, *qui est*: cuius rationem reddiderat Nazian. in orat. 16. n. 20. quia scilicet, hoc nomen, *qui est*, abditissimum Dei esse significat: hoc vero nomen *Deus*, eius perfectissimam operationem: quod congruit illi sententiæ D. Th. ex D. Dio. prælegatæ.

Rabi. Aben

D. Athan.

D. Damas.

D. Nazia.

Nomina, *Ieoua*, & Tetragammatõ, esse duo nomina distincta, imposita ad idem significãdum, esseque prorsus synonima, tenent cõmuniter Hæbrei, vt testis est Lyppomanus in Catena super locum 3. *Exodi, qui est misit me, &c.* & Beda. 4. to. in annotationibus in eundẽ locum Exodi. Esse autem Ieoua, seu Tetragammaton, nomen distinctũ à nomine, *qui est*, tenet D. Th. q. 13. art. 11. ad 1. vbi ait esse magis proprium hoc nomẽ *qui est*: quia est impositum ad significãdã Dei substantia in incõmunicabilem. At communior est sententia opposita: quod testatur Clemens Alex. 5. lib. Stromatum, fo. 5. Naz. in ora. 36. Theod. super Exodum q. 15. & plures alij: qui omnes tenet, hoc nomen, *qui est*, esse prorsus idem, quod Tetragammaton, seu *Ieoua*.

17

Lyppomar. Beda. D. Thom. Cle. Alex. Nazian. Theodo.

Sed quid significetur per hoc nomẽ, *qui est*, non omnes vnanimiter sentiũt: quidam enim dicunt per illud significari sempitetnã Dei durationẽ,& in æternitate perseuerantiã: sic videntur sentire D. Hylar. 1. de Trinit. à principio,& D. Aug. de vera,& falsa religione. cap. 49. & alij. Sed reuera tunc ineffabile nomen non Dei quidditatem, sed quoddã peculiare Dei attributum, vt pote, æternitatem, rãtum nobis exprimeret,& diuina essentia non per illud nobis innotesceret. Vnde sententiam D. Atha. Nazianzeni vbi supra,& plerumque omnium insequens, dico, hoc nomen, *qui est*, distincte Dei quidditatem, & essentiam significare: illud etenim Deus distinctus significat, & ipsum ab omni alio cõdistinguit. Essentialiter autem esse ita Deo competit, vt nulli alteri à Deo possit competere: quia per locom

18

D. Hylar. D. August.

in

intrinſecũ repugnat aliquid extra Deũ
D. Athan. eſſentialiter exiſtere, ſicut per locũ in-
D. Nazia. trinſecũ repugnat aliquid extra Deum
diri, quod ſit neceſſe eſſe: omnia namque præter Deum cõtingenter exiſtũt: & ideo, vt explanaui ſupra in difficul. 40. & alibi ſæpè, primum prædicatũ accidentale cuiuſlibet creaturæ, eſt exiſtẽtia. Deo autẽ ita generaliter cõuenit exiſtere, quod exiſtentia eſt de quidditate, & conceptu formali diuinæ eſſentiæ: atque ideo, ſuum eſſe eſt ſua eſſẽtia, & ſua eſſentia eſt ſuum exiſtere: qui igitur ſolus eſſentialiter eſt, & aquo ſolo omnia ſunt, nominatur qui eſt: & hoc nomen eſt ſibi proprium diſtinctum, & incõmunicabile alteri, quod eius eſſentiam diſtinctè ſignificat.

§. 4.

Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta.

19 HIS præhabitis, difficultatem concludendo, dico primo, q̃ Deus eſt nominabilis nomine proprio, eius videlicet naturam diſtincte ſignificante. Concluſio hæc eſt communis, & probatur pluribus locis Sacræ Scripturæ, in quibus Deus nominibus proprijs nominatur: nam Exodi, cap. 6. dicitur: *Ego dominus, qui apparui Abraham, &c. nomen meũ Adonay*, & cap. 3. *hæc dices filijs Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum*, & in Pſalm. 75. *in Iſrael magnũ nomen eius*. Quod intelligitur de nomine Tetragammaton, vt Nicolaus de Lyra, & alij exponunt.

1. Concluſ.

20 Dico ſecũdo, q̃ Deus eſt nominabilis naturaliter à viatore nominibus cõmunibus, ſignificantibus aliquid cõmune formaliter exiſtens in ipſo Deo, & in creaturis, tã per modũ quidditatis, quã qualitatis. Concluſio hæc eſt communis etiam D. Thom. artic. 6. quæſt. 13. licet non eodem modo probetur ab eo, quo ab Scoto. Cum etenim vniuocationem conceptus obiectiui communis Deo, & creaturis, negauerit, ait quod ad rem ſignificatam, per prius dici de Deo, quam de creaturis: at vero quoad nomen impoſitum è contra, prius de creaturis, quam de Deo. Doctor vero, eo quod vniuocationem prædictam concedit, in ea præciſe ratione conceptus communis obiectiui, æqualiter tenet, nominabilem eſſe Deum, à creaturis, nominibus ſignificantibus talem præciſum conceptum, vt putà, quod Deus eſt ens, verus, vnus, bonus, ſapiens, iuſtus, & cætera. Quæ concluſio quoad hoc late probatur ſupra in diffi. 58. de vniuocatione entis.

2. Concluſ.

Dico tertio, quod Deus eſt nominabilis nomine proprio, diſtincte ſignificante eius eſſentiam, non ſolum à ſeipſo, ſed etiam ab Angelis, & beatis, quinimo atque à viatore. Concluſio hæc, quoad primam partem, eſt communis: quoad ſecundam vero eſt contra Henricum: & quoad tertiam cõtra D. Tho. ſed quoad omnes eſt expreſſa Scoti, vt patet, pluries per totius huius quæſtionis diſcurſum, quæ probatur. Et quidem primo eſſe Deum à ſeipſo nominabilem non eſt, qui dubitet: quia cũ ipſe ſolus ſuam eſſentiam non tantum diſtincte, ſed etiam comprehenſiue cognoſcat ipſe ſolus poteſt ſibi nomẽ imponere, perfectiſſime, & comprehẽ ſiue ſuam quidditatem ſignificans. De Angelis autem, & beatis probatur: quia & ſi Angeli, & beati Deum non comprehendant: eorum tamen notitia de Deo eſt diſtincta, quidditatiua, & intuitiua, ſeu viſiua, & rei præſentis: ſed notitia huiuſmodi, neceſſario eſt eſſentiæ, vt eſſentiæ, quatenus in ſe eſt infinita, & vt ſibi ſua prædicata quidditatiua conueniunt: ergo vt ſic, poſſunt diſtinctè ei proprium nomen imponere, & illam perfectè nominare. Quia ad perfectam cognitionem obiecti, non requiritur eius comprehenſio: bene tamen ad perfectiſſimam, quæ in quarto gradu ſupra poſito à Doctore reperitur.

21 *Deus poteſt à nobis, & ab Angelis nominari nomine proprio eius eſſentiã diſtincte ſignificante.*

3. Concluſ.

22 Secundo probatur eadem pars concluſionis: quia potentia nõ poteſt quietari, niſi in illo in quo inuenit perfectiſſimam rationẽ ſui per ſe primi obiecti & ſecundũ q̃ eſt huiuſmodi: ſed in Deo, ſecũdũ rationẽ ſuæ imẽſitatis, & infinitatis & quidditatis perfectiſſime, & in ſummo eſt ratio primi obiecti potentiæ beatificabilis: ergo vt ſic à beatis videtur: ſed ſecũdũ Hẽricũ nõ poteſt nomẽ imponi, niſi à diſtincte cognoſcẽte rẽ, cui imponi-

ponitur ergo necessario fateri posse tale nomen à beatis Deo imponi.

23 Quoad tertiam vero partem de Viatore, qui distincte diuinam essentiã nõ cognoscit, de quo principaliter difficultas procedit, satis in art.2.3.& 4.textualibus à Doctore, & ex hìc prænotatis probatur, quod, scilicet, Deus distincte sit nominabilis, saltem imperfecte, tam imponendo ei nomen distincte significans eius essentiam, quam etiam vtendo tali nomine à Deo, aut à beatis imposito, vt patet ex illo de imponente nomen substantiæ, & si substantiam distincte sub proprio conceptu non præcognouerit. Ex quo deducitur non requiri distinctam cognitionem rei, ad impositionem nominis distincte rem significatis. Quæ, quia late habentur in textu, non repetuntur hìc.

24 Dico quarto, Deum pluribus nominibus, distincte significantibus eius essentiam, nominabilem esse. Conclusio probatur primo illis locis Sacræ Scripturæ, quibus probata est prima, vbi plura nomina habentur, quæ Deus sibi ipsi imposuit, & quibus se ipsum nominat. Item sunt nomina personalia, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sãctus, quæ diuinis personis sunt propria: nam licet etiam in creaturis reperiantur Pater, & Filius: non tamen secundum eã rationem, qua paternitas, & filiatio, tanquam hypostases subsistentes, personas constituunt. Patet igitur, ex illo Matth. cap. 10. vbi Saluator mittens ad prædicandum Apostolos, inquit. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: & alia plura extant loca vtriusque testamenti, quæ Dei, & diuinarum personarum, varia nomina manifestant.

4. *Concluſ.*

Deus eſt nominabilis pluribus nominibus eius eſſentiã ſignificantibus.

Matth.10.

25 Ratione probatur conclusio: quia de Deo possunt plures conceptus formari, siue à parte obiecti sit actualis distinctio ex natura rei, vt supra docuimus in difficultatibus de distinctione relationum, & attributorum inter se, & ab essentia: siue adsit fundamentalis distinctio, vt alij volebant: quia talem distinctos formales conceptus (licet non obiectiuos) de Deo formabiles admittunt: ergo omnibus nominibus, distincte significantibus tales conceptus obiectiuos, seu formales, est distincte nominabilis Deus.

26 Ad argumenta autem pro prima sententia, & ad primum, dico, ineffabilitatem diuini nominis non esse, quia nominari non posset: sed quia non omnibus nominari decebat: nam illud nomen Tetragammaton, seu *Ieoua*, solum à sacerdotibus in lege veteri exprimi poterat. Et ideo ineffabile dicebatur: quia ob eius reuerentiã potius erat adorãdum, quam fandum. Vel dic, quod ineffabile viatoribus dicebatur: quia non perfecte à viatore, sicut à Beatis, aut ab ipsomet *Deo* nominatur. Vel tertio dicito, quod quia solus Deus comprehensiue sibi nomen imponere potest: ideo omnibus vltra Deum ineffabile hoc modo est nomen illius: & sic patet ad alias authoritates, & ad locum Concilij.

Ad arg. & ad primum. Deus cur ineffabilis dicitur.

Ad secundum dico, quod & si hoc nomen *Deus* ab Ethymologia prouidentiæ, quam in nobis experimur (vt D. Dionisius dicebat) esset impositum: optime tamen Dei essentiam significat: quia & si operatio sit ratio, à qua imponitur nomen, non tamen tali rationi imponitur, sed substantiæ, quæ subiacet illi, vt dictum est supra, num. 20.

27 *Ad 2.*

Ad tertium patet ex dictis, quod nomina, sapiens, bonus, &c. significant distincte aliquid formale Deo existens, secundum rationem communem sibi, & alijs. Deus vero distincte significat essentiam: nam licet dicatur de sacerdotibus per participationem dignitatis: non tamen significat in eis Deitatem existere. De idolis autem planum est, falso Deos vocari: hic autem non est sermo de nominibus falso impositis, sed de illis, quæ vere sunt signa rerum, quas nominant.

28 *Ad 3.*

Nomẽ Deus distincte ſignificat eſſentiam, & cur de ſacerdotibus dicatur.

DIS-

DISTINCTIO XXIII.

Prædictis, &c.

QVÆSTIO VNICA:

De persona, vt est communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto.

CIRCA istam distinctionem vigesimam tertiam, quæro vnum. Vtrum persona, secundum quod dicit aliquid commune Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, dicat præcise aliquid secundæ intentionis? circa quod quæruntur tria.

¶ Primo. Vtrum persona pro formali significet negationem?

¶ Secundo. Vtrum à diuinis personis, seu constitutiuis earum, possit abstrahi aliquis conceptus communis positiuus, aut negatiuus?

¶ Tertio. Vtrum persona, prout dicit quid commune in diuinis, dicat præcise aliquid secundæ intentionis?

ARTICVLVS. I.

Vtrum persona pro formali significet negationem?

A. AD primũ sic procedit. Videtur, q̃ persona pro formali non significet negationem: quia, & si hoc sit verum, tunc videtur dubium, quomodo negatio possit esse communis tribus personis: ni. si affirmatio aliqua sit eis communis, præterquam sit in eis talis negatio? quia negatio non videtur tribus cõuenire, nisi consequatur affirmationem: non est autem Deitas ista affirmatio: quia ipsa nõ numeratur in tribus: ergo oportet dare aliquod commune positiuum, prius ab eis abstractum, quam sit negatio talis: tunc habetur propositum.

Secũdo præterea, quia si etiam dicat persona talem negationẽ præcise: non videtur dicere solam rationẽ personæ, quia persona dicit rem ad dignitatem, vel ad perfectionem pertinẽtem: negatio autem, nullam dignitatem, vel perfectionem ponit: ergo, &c. B

Tertio præterea: quia videtur etiam, quod negatio dicat relationem rationis per hoc, quod suum oppositum, scilicet, communicabile, tantum dicit relationem rationis in essentia diuina: est enim essentia communicabilis Filio, & tamen essentia non refertur realiter ad Filium: ergo in communicabile dicit relationem rationis. C

Sed contra est, quod Ricard. 4. de Trinita. cap. 22. ait, quod persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia. Per quam diffinitionem exponitur, vel corrigitur diffinitio Boetij dicentis, quod perso- D

Lib.de duabus naturis & vna persona Christi

na est rationalis naturæ individua substantia: quia sic sequeretur, animam esse personam, quod est inconueniens.

E Respondeo dicendum ad quæstionem, quod accipiendo diffinitionem personæ, quã ponit Ricardus, per quã exponitur, vel corrigitur diffinitio Boetij, sine omni operatione intellectus est in Patre natura intellectualis, & entitas incommunicabilis. Ista autẽ incõmunicabilitas dupliciter potest intelligi, ex supradictis in dist. 2. quia communicabile pluribus dicitur dupliciter: vnomodo dicitur cõmunicabile pluribus, quod est idem cuilibet eorum: ita quod quodlibet sit ipsum: sicut vniuersale dicitur communicari suis inferioribus. Alio modo cõmunicatur alicui, vt forma, qua aliquid est tale secundum ipsum: sed non est ipsum: vt anima communicatur corpori. Et vtroque modo Deitas est cõmunicabilis: & neutro modo persona est communicabilis. Deus habet vnã communicabilitatem, anima aliam: diuinitas vtramque. *Siautem* diffinitio Boetij *valeret*, sequeretur animã esse personam. Multi addunt, & Deitatem esse personam: & etiam non conueniret proprie Deo: quia indiuiduũ non est, nisi vbi est diuiduũ: quod nõ conuenit Deo. Similiter, tantum proprie nomen personæ conueniret homini: qui consimiliter solus proprie dicitur rationalis, & ita, *sicut dictum est de duplici communicabilitate, etiã* duplex est incommunicabilitas pertinẽs ad rationẽ personæ. Propter quod anima separata, licet habeat primam incommunicabilitatem: tamen nõ est persona, quia non habet secundam: & vtraque incommunicabilitas requiritur ad rationem personæ.

F. Contra istud potest obijci, quia secũdum istud, videtur, quod persona tantum significet duplicem negationem duplicis communicabilitatis. Ad q̃ respondeo, quod persona non tantum dicit incõmunicabilitatem: sed dat intelligere naturam intellectualem, in qua est, sicut indiuiduum, scilicet, naturam incommuni. Dubito tamen, si dicat existentiam formaliter cum duplici incommunicabilitate: aut dicat tantum formaliter incõmunicabilitatem, & existentiam in concreto, tanquam modum habendi naturam: vt sit sensus, persona est incommunicabilis, habens existentiam in natura intellectuali? Teneo igitur, quod persona formaliter significet duplicem negationem communicabilitatis, & quod importet naturã intellectualem, & forte formaliter etiã importat existentiam personæ: & tũc non tantum negationem communicabilitatis importat: sed etiam positiuum aliquod; vel forte non dicit formaliter existentiam, & tunc de formali significato est tantum duplex negatio dans intelligere duplex positiuũ, scilicet naturam, & modum habendi naturam: & per hoc, quacumque via data, patet, quod si persona dicat existentiam in abstracto, & modum habendi naturam in concreto, est formaliter positiuum, & tunc persona est formaliter existentia incommunicabilis, habens naturam intellectualem. Si autem tantum formaliter importat negationem: tunc connotat existentiam in natura intellectuali: & sic stat pro illo, quod est incommunicabile.

1. Conclus.

2. Conclus.

G Ad primum argumentum *satis respondebitur in sequenti art. & sic nunc ex dicendis ibi*, dicẽdũ, quod maior est falsa: quia negatio est vnius rationis: quia opponitur affirmationi vnius rationis: & non quia consequitur affirmationem vnius rationis: non homo enim est vnius rationis: quia homo, cui opponitur, est vnius rationis: & non quia consequitur affirmationẽ vnius rationis: non homo enim commune est enti, & non enti, quibus nihil affirmatiuum, siue positiuum est cõmune.

Ad

H Ad secũdum cum obijcitur, quod negatio non dicit aliquid ad dignitatẽ pertinens, & ad hoc etiam possunt adduci rationes, *quæ erunt ad 3.ar.* quia negatio non adoratur, nec etiam est terminus actionis realis, posset dici quod negatio in genere differt à negatione extra genus, & à priuatione. Priuatio quippe requirit subiectũ aptũ, vel secũdũ se, si est priuatio secũdũ se, vel secundum genus, si est priuatio secũdũ genus: sicut talpa dicitur cæca. 7. Metaphysic. cap. de priua. Negatio extra genus absolute nihil requirit: quia æqualiter dicitur de ente, & de nonente. negatio autem in genere quasi mediat, quia requirit subiectum, de quo dicatur, non tamen aptitudinem ad formam: talem forte negationem importat diuersitas (de quo alias) quia negat identitatem, vel notat non identitatẽ talẽ in ente: ergo talem potest nominare incõmunicabilitas, vt importatur in persona: quia notat negationẽ duplicis communicabilitatis in natura intellectuali: nec tamen dicit aptitudinem ad aliquam cõmunicabilitatẽ: sed negationẽ illã in natura positiua intellectuali: & ita dicit aliquod pertinens ad dignitatem, non ratione significati: sed ratione connotati, & subiecti. Et sic posset concedi personã generari, & adorari: sicut cæcus ambulat, vel amatur: non quod cæcitas sit ratio ambulãdi: sed quod illud, in quo est talis priuatio, sit subiectum respectu talis prædicati.

7 x. cõ. 27

I Ad tertium cum arguitur de cõmunicabili, & incommunicabili: dico, ꝙ vnũ oppositum potest esse relatio rationis, & alterum relatio realis, vel saltẽ negatio, vel priuatio realis alicuius relationis: sicut idem perfecta identitate dicit relationem rationis. 5. Metaph. cap de eodem, & tamen diuersum quod negat istã identitatem cõuenit, rei absq; actu rationis intellectus. Et ratio est: quia licet aliquid non conueniat rei, nisi ex opere, vel actu intellectus: tamen potest repugnare rei ex se sine actu intellectus: sicut forti viuere saltas repugnat, quæ tamen nõ cõuenit homini, nisi per actum intellectus operantis, & negociantis circa hominem. Et si igitur cõmunicabilitas dicat tantũ relationem rationis in essentia: tamen potest repugnare personæ ex aliquo, quod est in re, & propter idem potest sibi incommunicabilitas competere.

ex. nonha bẽte cõmẽt.

Expositio arti. 1. quæst. vnicæ, distinct. 23.

DE materia huius art. late egimus supra in difficultate. 53. & ibi mentẽ Doctoris aperuimus: quare non hic se offert aliquid de nouo peculiariter adnotandum in textu: in eo etenim cõfirmatur doctrina ab ipso ibi tradita circa rationem suppositi, seu personæ: nãposteaquã diffinitionem Boetij per aliam exactiorem Ricardi corrigit, articuli difficultatem enucleat. Ait enim, quod stando in diffinitione Boetij, qui ait, quod persona est rationalis naturæ individua existentia, infertur, animam rationalem esse personam, quia est individua existẽs in natura rationali: & per oppositũ, ꝙ nec Deus, nec Angeli essent personæ, sed homo solus: quia illi soli competit rationalitas. Hæc igitur Boetij diffinitio corrigitur, vel exponitur per illam Ricardi, qua ait quod persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, seu subsistẽtia, & hæc Deũ ipsũ, Angelos, & homines comprehẽdit. Huius igitur incommunicabilitatis rationem explanat, & in corpore articuli cõcludit, quod & si incommunicabilitas duplicem negationem communicabilitatis, scilicet vt quod, & vt quo, dicat de suo significato, eo quod significatũ incommunicabilis dicit negationẽ cõmunicabilitatis: tamen pro connotato duo positiua importat, videlicet, naturam intellectualem, quæ incõmunicabiliter subsistit, & modum positiuũ incommunicabiliter subsistendi: qui est modus

Personæ diffinitio enucleatur.

Ratio personæ in posito cõsistit.

modus sic habendi naturam. Ex quibus amplius patet, quod supra in illa citata difficultate, 53. dixeramus de mente Scoti, personam, scilicet, de formali, non iam duplicem negationem, sed modũ positiuum vltimæ solitudinis, qui per duplicem negationem exponitur, importare. Cætera sunt clara in textu.

ARTICVLVS. II.

Vtrum à diuinis personis, seu constitutiuis earum, possit abstrahi aliquis conceptus communis positiuus, vel negatiuus?

A AD secundum sic proceditur. Videtur, quod à diuinis personis, seu constitutiuis earũ, possit abstrahi aliquis conceptus communis positiuus, & sine illo nõ posse aliquem negatiuum: quia dubitatur, quomodo potest negatio esse communis sine positiuo, cui insit.

B. Secundo præterea videtur, quod oporteat ponere aliquod positiuum possibile abstrahi ab eis, propter verbum Augu. de Doctrina Christiana: & verbum Magistri in littera dist. 25. dicit *enim* Aug. quod res, quibus fruendum est, sunt Pater Filius, & Spiritus Sanctus. Vnde secundum ipsum sunt tres res: & tamen est commune tribus personis, & numeratur in eis. Magister etiam esse ponit tres personas per tres subsistentias, vel tres subsistentes: subsistentia autem est, quid commune tribus, & numeratur in eis: ergo, &c.

C Sed contra est: quia negatio est vnius rationis: quia opponitur affirmationi vnius rationis: & non quia cõsequitur affirmationem vnius rationis: non homo enim est vnius rationis: quia homo, cui opponitur, est vnius rationis, & non quia consequitur affirmationem vnius rationis: non homo enim est commune enti, & non enti: quibus nihil affirmatiuum, siue positiuum est commune: ergo, &c.

Respondeo dicendũ, & dico, quod ab vltimis distinctiuis, & constitutiuis personarũ, nihil potest abstrahi cõmune dictum, de eis in quid: quia illa sunt primo diuersa, id est nihil, idem realiter includentia. Tunc enim esset quærere de eis, per quid distinguerẽtur: & ideo omne cõmune abstractum ab eis vel est conceptus omnino negatiuus, vel saltem non est quidditatiuus conceptus vnius rationis. Certum est autẽ quod aliqua negatio cõmunis potest abstrahi ab illis vltimis, & hoc vnius rationis, per hoc ꝙ repugnat affirmationi vnius rationis: quibuscũque igitur repugnat affirmatio vnius rationis, cõuenit negatio vnius rationis: & ita tribus personis, & etiam distinctiuis illarum vltimis, potest cõpetere negatio aliqua cõmunis. Si illa dicatur esse incommunicabilitas, & si ponatur in cõmunicabilitatem solã esse, de per se ratione cõstitutiui personæ: ita ꝙ personalitas sit incommunicabilitas subsistentis in natura intellectuali: & ita omnia alia præter primũ, sint addita in ratione personæ: tũc persona proprie non diceret aliquem cõceptũ proprie positiuum. Sed tamẽ nõ dicet aliquẽ conceptũ secundæ intẽtionis, *vt in sequẽti art. patebit.* Ista igitur via supposita, sicut certa, quod à personis potest abstrahi aliquis conceptus negatiuus negationis in genere: & hoc non solũ à personis, quasi constitutis, sed etiã á formalibus cõstitutiuis earũ, est dubitatio vlterior, vtrum tale cõmune solummodo, negatiuum sit abstrahibile ab eis, vel aliquod cõmune positiuũ: *sed hoc iam est solutum: & amplius in solutionibus arg. soluetur.*

D 1. *Conclus.* 2. *Conclus.* 3. *Conclus.* *Vide quod sit nega. in gen. in 1. d. ad 2.*

E Ad primum respondeo, ꝙ quantũ cũque diuersis, si nihil etiã commune haberẽt, potest esse negatio cõmunis, sicut non Sortes est cõmune vniuocũ ad omnia alia entia à Sorte, & non ẽtia: & licet illa, quibus negatio est cõmunis, habeant aliquod positiuum commune: nõ tamen oportet, quod per illud

lud cõmune insit eis negatio cõmunis, non rationalitas enim cõuenit vltimæ differentiæ asini, & equi: & per aliquid commune in illis, quibus conuenit ista negatio: quia vel nihil est cõmune differẽtijs vltimis: vel si entitas est eis communis, non propter entitatem conuenit eis talis negatio, sicut nec propter entitatem repugnat illis talis affirmatio.

F Ad secundum potest dici, quod ab indiuiduis, non tãtum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem indiuiduorũ: sed etiam aliud quasi propriũ.

Expositio arti. 2. quæst. vnicæ, distinct. 23.

Personalitas nõ dicit aliquã realitatẽ cõmunẽ omnibus personis.

TRES conclusiones habentur in textu, prima est, quod licet ex art. præcedẽte supponat Doctor, personalitatem quid positiuum esse: non tamen exinde inferẽdum fore concedit, personalitatẽ, vt sic esse aliquem conceptum positiuum, cõmunem omnibus personalitatibus, ita quod v. g. in diuinis à paternitate, filiatione, & spiratione, quatenus sunt personalitates, seu hypostases incommunicabiles, abstrahatur aliqua ratio communis positiua, in qua omnes vniuoce conueniant: nam licet à tribus personis abstrahatur vna diuina essentia, in qua omnes sunt essentialiter, idem numero: ab ipsis tamen personalitatibus constitutiuis earum nulla ratio communis positiua abstrahi potest. Et rationẽ huius à priori reddit Doctor in textu: quia scilicet huiusmodi personalitates sunt primo diuersæ, & in nullo conuenientes: primo enim diuersa dicuntur ea, quæ nihil idem realiter excludunt. Paternitas autem ita realiter distinguitur à filiatione, vt nihil realiter filiationis includat, nec è contra filiatio includit aliquid paternitatis: nec altera includit aliquid spirationis passiuæ, necè contra. Quod in vniuersum est verum de vltimis differentijs, & de differentijs indiuidualibus. Quamuis igitur ab indiuiduis eiusdem speciei abstrahatur natura specifica, non tamen abstrahitur à differentijs indiuidualibus talium indiuiduorum, aliqua natura communis, seu conceptus realis communis. Similiter licet à suppositis eiusdem indiuidualis naturæ abstrahatur vna numero essentia, seu natura: à suppositalitatibus tamen ipsis, eo quod sunt quædam cõstitutiua, primo diuersa, non est abstrahibilis aliqua ratio communis positiua, seu conceptus realis positiuus. Et sic patet prima cõclusio textualis, *quod ab vltimis distinctiuis & constitutiuis personarum, nihil potest abstrahi de eis in quid.* Quæ est communis apud fere omnes, eam tenet D. Bonauent. in primo, dist. 25. art. 2. q. 2. D. Thom. 1. p. q. 31. art. 4. in corpore, hæc dicens: *Manifestum est autem, quod non est cõmunitas rei, &c.* nec oppositum docet Alex. Alen. male allegatus à pluribus. 1. p. q. 56. memb. 4. art. 2. Secunda, & tertia conclusio asserunt, dabilem esse aliquam negationem communem abstractam, non solum à personis, vt personæ sunt, sed etiam ab vltimis cõstitutiuis earum. Quia quamuis talia constitutiua formaliter negationes non sint. consequuntur tamen, ad illa quædam negationes, vt pote incõmunicabilitatis, à quibus est abstrahibilis conceptus communis, eis vniuoce conueniens, vt Doctor concedit in solutione ad primum argumentum.

D. Bonau. D. Thom.

Alex. Alẽ.

ARTICVLVS. III.

Vtrum persona, prout dicit quid commune in diuinis, dicat præcise aliquid secundæ intentionis?

Primo diuersa, quid sint.

A Ad tertium sic proceditur. Videtur quod persona, prout dicit quid commune in diuinis, dicat præcise aliquid secũdæ intẽtionis: quia omne cõmune pluribus vniuocum, & distinctum, *& plurificatũ in eis, dicitur de eis secundum* aliquam rationem vniuersalis: persona est commune vniuocum Patri, Filio, & Spiritui Sancto, & plurificatum in eis, etiã secundum Aug. 7. de Trin. c. 4. & 6. ergo dicitur de eis, secundum aliquã rationem vniuersalis, & si dicat aliquã

inten-

intentionem ſecundam: vere eſt in diuinis aliqua ratio vniuerſalis, quod nõ videtur inconueniẽs. Si vero dicat intentionem primam, erit in diuinis vniuerſale reale cõmune, & ita aliqua realitas potentialis: quod videtur inconueniens.

B. Secundo præterea: quia ſicut in diuiduum reperitur in omni natura: ita ſuppoſitum in natura ſubſtantiali, & perſona in natura intellectuali: ſed in diuiduum, & ſuppoſitum dicunt tantum rem ſecundæ intẽtionis: ergo, & perſona dicit tantum rem ſecũdæ intentionis. Confirmatur ratio: quia natura, in qua ſunt iſta, vt eſſentia, nõ eſt per ſe ratione iſtorum, vt additum: igitur nõ variat rationes formales iſtorũ.

C Tertio præterea: omne commune dictum de pluribus, dicitur de eis ſecũdũ rationẽ alicuius vniuerſalis: ergo ſi perſona ſignificet rem primæ intentionis cõmunem tribus: illa dicetur de eis ſub ratione generis generaliſsimi, aut alicuius intermedij: aut ſecundum rationem ſpeciei ſpecialiſsimæ. Quorum oppoſita ſunt manifeſta, quod non ſit ſpecies ſpecialiſsima, manifeſtum eſt: quia tunc ſequeretur quod duæ ernnt, quaſi ſpecies ſpecialiſsimæ reſpectu earundem perſonarum. Deitas enim ſecundũ Damaſ. c. 5. notat, quaſi ſpeciem circumplectiuam hypoſtaſeon, & perſona etiã notabit ſpeciem ſpecialiſsimam reſpectu earundem: ergo, &c.

D Sed contra eſt: quia perſona eſt terminus productionis realis, & adoratur: ſecunda intẽtio nõ terminat productionem realem, nec adoratur: ergo, &c. Præterea, Trinitas in diuinis non eſt tantum conceptuũ, ſed rerũ, contra errorem Sabellij.

E Reſpondeo dicendum, quod hic *eſt opinio, ſecundum quam* dicitur, quod perſona tantum dicit intentionem ſecũdã. Additur huic opinioni, quod licet perſona dicat aliquid ſecũdæ intentionis, non tamẽ dicit illud in abſtracto, ſed in concreto: & ideo poteſt prædicari de re primæ intentionis, & ſupponere pro ea. Exemplum: ſpecies eſt ſecunda intentio, ibi accipitur ſpecies pro ipſa intentione in ſe: & ſpecies prædicatur de pluribus differentibus numero: ibi accipitur ſpecies pro re, quam denotati non enim prædicatur hic hæc intẽtio ſpecies de pluribus, vt videtur, ſed homo vel aſinus, de quibus dicitur hæc intentio.

Opinio Egidij, & Hermei.

F. Contra iſtud, & primo contra opinantem: quando cũq; à formalibus cõſtitutiuis aliquorũ poteſt abſtrahi aliquid cõmune primæ intentionis: pari ratione, vel meliori poteſt abſtrahi aliquid cõmune à conſtitutis per illa. Perſonæ autem diuinæ (ſecũdũ iſtos) cõſtituũtur per relationes formaliter: ab illis autem conſtitutiuis poteſt abſtrahi aliquid cõmune reale primæ intentionis: paternitas enim eſt relatio; filiatio eſt relatio, & hoc vniuoce ſumendo relationẽ: quia poteſt eſſe certitudo decõceptu relationis ad intra, dubitando de quolibet cõceptu ſpeciali: & talis ſic certus non tantũ habet certitudinem de voce, ſed de cõceptu aliquo: ergo conceptus ille de relatione in communi, alius eſt à conceptu illius in ſpeciali: ergo multo magis à conſtitutis per iſtas relationes poterit abſtrahi aliqua res primæ intentionis. Aſſumptum autem de vniuocatione relationis magis patebit inferius in iſta quæſt.

G Contra opinionem in ſe: quia omnis intẽtio ſecũda eſt relatio rationis: non quæcũq; ſed pertinens ad extremũ, vel actũ intellectus cõponentis, vel diuidentis, vel ſaltẽ cõferẽtis vnũ ad alterum. Hoc patet, quia intẽtio ſecũda (ſecũdũ omnes) cauſatur per actũ intellectus negociantis, circa rem primæ intẽtionis, quæ nõ poteſt cauſare circa obiectũ, niſi rãtũ relationẽ rationis. Perſona autẽ nõ dicit relationem

nem rationis, & præcipue nõ dicit relationem pertinentem ad actũ intellectus cõparantis. Quod autẽ nõ dicat aliquã relationem rationis videtur: quia tunc saltẽ necessario coexigeret correlatiuũ, ad quod referretur: quia impossibile est intelligere relationẽ, & nõ esse ad aliquem terminũ, & correlatiuũ: sicut omnis intentio secũda requirit correlatiuum, ad quod refertur: vt species respicit genus pro suo correlatiuo, & particulare vniuersale pro suo correlatiuo: & sic de alijs: persona autẽ nõ dicitur alicuius personа: vel saltem nõ dicit extremũ intellectus cõferentis. Tertia ratio, quod dicit intentionẽ est relatio rationis: quia extremũ, in quantũ vnomodo dicit intentionem primã: cõcedo quod negationem duplicis cõmunicabilitatis per se significat vltimate: igitur non est intentio secunda. Contra negatio est non ens incõmunicabile dignitatis. Respondetur, vltra essentiam connotatur de modo positiuo, quẽ sequitur incommunicabilitas.

H Dubium est, si persona illũ per se significat? si non, tunc est tantũ cõmune negatiuum: si sic, quando illud nõ vniuersale, nec includit: quia illa sequitur omnem primam negationem, nõ sequitur modus positiuus, quomodo contrahitur ad vltima distinctiua? *Satis de hoc dictum est in duobus articulis præcedentibus.* Præterea, contra addirũ arguo sic: adiectiuũ non determinat aliquid, nisi illud, ad quod terminatur eius dependentia: sed adiectiuũ non potest terminare dependẽtiã alterius adiectiui: quia æqualiter dependent, & ambo sunt æque dependentia: ergo neutrum determinat alterũ: ergo si hoc nomen persona sit tale cõcretũ nõ potest terminare dependẽtiã alterius, cuiusmodi est ille terminus numeralis, tres: igitur non bene diceretur, quod sunt tres personæ, nisi intelligendo aliquod substantiuum, quod determinetur per vtrũque adiectiuũ, sed nõ est dare aliquod substãtiuum tale subintellectũ: ergo, &c. Itẽ non potest terminare dependẽtiã alterius adiectiui, cuiusmodi est terminus numeralis, tres: igitur nec per ipsum determinatur. Respõdeo, multa sunt cõcreta, quæ non sunt adiectiua, sicut causa, genus, & species. Contra, adiectiuum arguis, non cõtra cõcretum.

Ad quæstionem *igitur* Respõdeo, I quod accipiendo diffinitionem personæ, quam ponit Ricardus, *de qua in 1. art. actũ est*, dico, quod nihil proprie est in hac diffinitione Ricardi q̃ significet intentionem secũdã: quia existere rei, sine omni operatione intellectus est in Patre natura intellectualis, & entitas incommunicabilis: & vtraque incõmunicabilitas, *quæ* requiritur ad rationem personæ, est in re ex natura rei, & ita nihil de ratione personæ dicit intentionem secundã. *Et licet* dicat tantum formaliter incõmunicabilitatẽ, vt sit sensus, persona est incõmunicabilis habens existentiã in natura intellectuali, posito quod sic esset: adhuc dico, quod persona nõ dicit intentionem secundam: quia secũda intentio solũ causatur per intellectũ negociantem circa obiectũ: quicquid igitur mouet intellectũ ad intelligendum ante negotiationem, non est intentio secunda, sed res mouens intellectũ mouet ad negationẽ sui obiecti, ante negotiationem intellectus: quia negatio talis consequitur rẽ ex natura rei ante negociationem: & hoc ideo est, quia vnũ oppositorũ mouet ad notitiam sui oppositi, ante negotiationẽ intellectus, propter quod dicit Philosophus, quod eadẽ est scientia oppositorum. Ideo quamuis ponatur personam tantum dicere formaliter negationem: non tamen intentionem secũdã: quia negatio, quæ consequitur ex natura rei, non est secũda intentio, & præcipue negatio in genere, cuius modi est incommunicabilitas. Quando igitur dicitur, quod negatio

Conclusio.

1. *Thopi. c.* 11.

est

est ens rationis: dico quod est negatiua entitas ex natura rei: sicut enim fortes est homo ex natura rei, ita est non asinus ex natura rei. Sunt autem negationes in intellectu entitates: quia prima motio intellectus, nō ante affirmationē, sed negationē, est ad apprehensionē negationis. Sic igitur teneo, ꝙ persona non sit nomen secūdæ intentionis, sed primæ: omnis enim cōceptus est intētionis primæ, qui natus est fieri immediate à re, sine opere, vel actu intellectus negotiantis, qualis est conceptus, non tātū positiuus, sed negatiuus: & sic persona stat pro illo, ꝙ est incommunicabile, & sic adoratur & est terminus productionis realis.

K Ad primū argumentū *dico*, quod Aug. de Doctrina Christ. & ponitur in littera dist. 1. & dist. 25 primi lib. dicit, quod res, quibus fruendū est, sunt Pater Filius, & Spiritus Sanctus. Vnde secundū ipsum tres personæ sunt tres res: res autem nō videtur dicere secūdam intentionē, & tamen est cōmune tribus personis, & numeratur in eis: ergo non oportet dicere personā significare secundā intentionē: quia est cōmune numeratū in multis. Magister etiam dist. 25. c. 8. esse ponit tres personas per tres subsistētias, vel tres subsistentes: subsistentia autem nō videtur significare rem secundæ intentionis, & tamen est commune tribus, & numeratur in eis.

L Ad secundū duco rationē eorum ad oppositū: quia vnitas est passio entis, sicut patet. 4. Metap. & per consequens cōsequitur rē ex natura rei, &
Tex. com. 3 maxime est verū de illa vnitate, quæ est vera vnitas, cuius modi est vnitas indiuidui: ergo talis vnitas non dicit intentionē secundam: & sicut nō vnitas incommuni, ita nec vnitas in natura intellectuali. si igitur persona dicat vnitatem in natura intellectuali, sicut indiuiduū in cōmuni, sequitur oppositum conclusionis *argumenti* eorum.

Ad tertiū, *in quo arguitur*, quomodo persona possit vniuoce prædicari de pluribus indiuiduis, nisi sit vniuersale: *dico*, quod cādē difficultatē petit de relatione, & eodē modo sequitur: magis enim videtur, quod à cōstitutis possit abstrahi cōmune, quā à cōstituentibus. Sed quomodo potest abstrahi aliquod cōmune primæ intētionis, & tamen non vniuersale reale, dicetur, dist. 26. M

Expositio art. 3. quæst. vni. dist. 23.

CONclusio est negatiua, qua Doctor negat personā, vt quid cōmune tribus diuinis personis, esse aliquid secūdæ intētionis, & improbat opinionē Egidij, & Heruei opppsitū asserentiū, quos satis impugnat cōfutando primo sic opinantē Egidiū, cōtra quē arguit ad hominē cōcessis ab eo. Secundo subtiliter opinionē eius improbat, & tertio, illud additum opinioni prædictæ, quatenus scilicet, dicitur, secūdā intētionē illā nō esse in abstracto, sed in cōcreto, egregie cōfutatur: tādē cōclusionē suā negatiuā sustinuit, & cōfirmatione illustrat: quæ tamē ex difficultate sequenti erit illustrior.

DIFFICVLTAS. LXXXII.

Vtrum personalitas, secundū ꝙ hoc nomine exprimitur, sit diuinis personis quid primo, aut secundo intentionaliter commune?

§. 1.

Referūtur tres opiniones circa difficultatē.

NOn dari ex ipsa rei natura aliquā realitatē positiuā cōmunē diuinis personalitatibus illis, in aliquo cōceptu reali, seu cōmuni cōuenientē: est ab omnibus cōmuniter receptū, prout in cōment. 2. art. prænotaui: & ideò hoc nō vētilatur in hac cōtrouersia: quia tamē hoc nomē *persona*: xque prædicatur de tribus diuinis nō enim minus valet ista, Spiritus Sāctus est persona, quā ista Pater est persona. Filius est persona: inquiritur, an de significato huius nominis *personalitas*, quid sit? de quo variæ circunferuntur sententiæ. I.

Prima

2. 1. *Sententia Ægidius. Herbeus.*

Prima est Ægidij Romani, quam refert Doctor in textu articuli tertij, & sequitur Herbeus, prout notatur margine textuali: quæ asserit personam, vt sic sumptam pro personalitate, tantùm dicere secundam intentionem, non in abstracto, sed in concreto, propterea quæ posse prædicari de re primæ intentionis, & pro ea supponere. Quæ sententia faciliùs explicatur, per illud quod in prædicabilibus dicunt Dialectici; quod scilicet prædicabilia, quæ sunt secundæ intentionis, in concreto secundum Scotum de suis inferioribus prædicantur in actu signato, non verò in actu exercito. Valet enim in actu signato dicere, quod species prædicatur de pluribus differentibus numero, seu indiuiduis: non tamen valet in actu exercito dicere, indiuiduum est species: sed exercetur ista prædicatio in primis intentionibus, quæ subsunt secundis dicendo, Petrus est homo. Huius instar modi, inquit hæc sententia, quod persona est secunda intentio in concreto, quæ prædicatur de pluribus personaliter distinctis in actu signato: non tamen valet in actu exercito dicere, persona Patris est illa secunda intentio, quæ significatur huius nominis *persona*, sed benè in actu exercito valet, Pater est persona, etiam prout persona pro personalitate supponit.

3. *Confutatio prædictæ sẽtentiæ.*

Hanc Ægidij sententiam satis confutat Doctor ibidem arguendo ad hominem, contra opinantem, ex concessis ab eo: & deinceps eius opinionem ac etiam modum, quo illam explicat improbando. Sed nunc vlterius illam impugno ex exemplo speciei ab Ægidio adducto. Nam species (idem est de quolibet prædicabili) ideò est secunda intentio: quia primam supponit: aliàs enim secunda non esset: & ideò in actu signato prædicatur de pluribus numero differentibus, quia concernit primam intentionem: hoc est naturã communem, quæ in actu exercito prædicatur de illis. Non enim diceremus quod species hominis, quæ est secunda intentio, prædicatur de eius indiuiduis nisi ei subesset aliqua natura communis, quæ esset prima intentio, vt de illis in actu exercito verificaretur, dicendo, Petrus est homo. Sic igitur instо ex hoc contra Ægidium. Nam vel hæc secunda intentio importata per hoc nomen *personalitas* supponit aliquam primam intentionem, seu aliquem conceptum realem communem, qui subsit illi secundæ intentioni, vel non. Si primum dicas, ia̲ fateris personalitatem vt sic, primo & per se dicere illam primam intentionem, quæ subest secundæ, & ab ea denominatur: sicut ab indiuiduis hominis abstrahitur natura communis, quæ à parte rei eis conuenit, & quæ secundo intentionaliter denominatur species. Et tunc iam redditur falsa tua sententia, qua dicebas, hoc nomen *persona*, vt sic, tantùm dicere secundam intentionem. Si vero dicas secundum, cõtradictionem in tua conclusione inuoluis: quia est contradictio in adiecto dari secundam intentionem, quin primam supponat, quam secundo intentionaliter denominet. Ex quibus, & alijs apparet falsitas primæ sententiæ.

omnis 2. intentio prædicabilis Præsupponit primã.

4. 2. *Secunda sententia. D. Thom.*

Secunda autem opinio est D. Thomæ 1. part. quæst. 31. art. 1. in corpore, vbi postquam concludit, non dari aliquam naturam communem significatam per hoc nomen *persona* secundũ rationem personalitatis: quia sic sequeretur vnam esse personam trium, sicuti essentia est vna: & negat huiusmodi nominis significatum esse aliquid secundæ intentionis, aut aliquid negationis: quæstionem tamen resoluit dicens, tã in diuinis, quã in humanis, hoc nomẽ *persona*, vt sic, significare quid commune cõmunitate rationis: non quidem sicut genus, vel species, quia tunc esset secunda intentio: sed sicut indiuiduum vagum, vt aliquis homo: hoc enim indiuiduum significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, vt scilicet sit per se subsistens distinctũ ab alijs: & hoc modo inquit, hoc nomen esse commune tribus diuinis personis. Sequuntur hanc sententiam nonnulli Thomistæ.

5.

Sed profecto, hæc sententia videtur coincidere cum alia à se negata in hoc, quod negata realitate vnius cõcepetus

cõmunis obiectiui, & abſtracta ab omnibus perſonis, vt D. Thomas negat nõ eſt dare aliquam rationem communẽ conuenientem in diuiduis à parte rei, quę ſit in diuiduũ vagũ. Nã vel illa talis ratio indiuidui vagi eſt à parte rei communis tribus perſonis, vel non eſt communis, ſed ſingularis vnicuique. Si primum dicatur, iam datur prima intentio communis à parte rei, & aliquis conceptus realis communis, quod Diuus Thomas negauerat. Si autem ſecũdum, tunc hæc erit prædicatio identica, perſonalitas Patris eſt perſonalitas, & nihil amplius habetur in ſubiecto, quàm in predicato: ſi quidem hoc indiuiduum vagum per Diuum Thomam ſignificat naturam communem cum determinato modo eſſendi: perſona autem Patris, nihil aliud importat, niſi naturam diuinam communem cum determinato modo eſſendi per paternitatem. Non igitur includitur aliquid in ſubiecto, quod nõ ſit in prædicato, & tunc iã propoſitio eſt prorſus identica. A propoſitione autem identica, vt identica eſt, non abſtrahitur aliquis conceptus communis conueniens pluribus: quare, &c.

6. 3. Cõcluſio.

Thomiſtarum. Caietanus Capreolus. Vazquez.

Supra poſitam Diui Thomæ ſententiam, aliqui Thomiſtæ extendunt ad quandam rationem communem dictam de diuinis perſonis, non ſolum vt ſunt præciſe perſonæ, ſed etiam vt ſunt tales perſonæ, vtpote Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Sic ait, vbi Diuus Thomas, Capreolus in primo diſtinctione vigeſima quinta quæſtione prima articulo 1. & alij. Sed hæc facillime à Doctore reijcitur, ex eo quod rationes huiuſmodi conſtitutiuæ diuinarum perſonarum ſunt primo diuerſæ, & in nullo conueniunt. Vt autem Vazquez hanc Thomiſtarum ſententiam corrigeret eam limitauit prima parte diſputatione 130. capite ſecundo admittens illum conceptum rationis communis, non quidem communem eſſe tribus perſonis, vt exprimitur relationibus conſtitutiuis, vt ſcilicet ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: ſed vt præciſe ſunt perſonæ, & vt ſignificantur eodem nomine. Sed quia hoc potius de perſona, quàm de perſonalitate intelligit, quod non hic, ſed in difficult. 84. ventilatur, illuc remittitur.

Impugnatur hæc ſententia.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia cum fundamentis, & concluſione.

IN oppoſitum autem eſt litera textualis, in hac quæſt. vnica diſt. 23. art. 2 litera D. vbi Doctor hæc profert. *Et ita tribus perſonis, & etiam diſtinctiuis illarum vltimis, poteſt competere negatio aliqua communis.* Et in art. 3. in corpore prope finem, tenet hanc negationem importatam per hoc nomen *perſona*, nõ eſſe ſecundam intentionem, ſed primã his verbis: *Sic igitur tenet, quod perſona non ſit nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ.* In vtraque aſſertione ſequũtur Doctorem Baſſolis ibidẽ eadem q. vnic. §. *dico ergo* Rubionis ibi §. *ex prædictis omnibus*, Lychetus §. *reſpondeo, & dico*, Tataretus §. *ad quæſtionem reſpondetur*, Viguerius §. *ad quæſtionem reſpondeo*, Antonius Andreas §. *at nota*, & omnes alij tàm veteres, quàm recentiores Scotiſtæ.

7.

Baſſolis. Rubionis. Lychetus. Tataretus. Vigerius. Antonius Andreas.

Pro intelligentia huius difficultatis primo obſeruandum eſt, perperam aliquos impugnaſſe prædictam Scoti ſententiam, ex eo quod ipſæ aſſerat, perſonalitatem in duplici negatione conſiſtere. Non etenim præſens difficultas pẽdet ab illa, in quo ſcilicet ratio perſonalitatis conſiſtat: nam vt ſupra in diffic. 53. & hic in commentarijs art. 1. oſtendi, ſecundum Doctorem non conſiſtit ratio perſonalitatis in illa duplici negatione: ſed in modo quodam poſitiuo qui explicatur per tales duas negationes prout etiam in loco nuper citato exponit Baſſolis: & nihilominus tenet Doctor, hoc nomẽ *perſona* importare quid negatiuum. Stat igitur perſonam in poſitiuo aliquo conſiſtere, & nihilominus hoc nomen *perſonalitas* non eſſe rationẽ aliquam communem poſitiuam conuenientem omnibus perſonis, ſed negatiuam. Cuius ratio à priori eſt, quia ratio communis poſitiua non eſt abſtrahibilis, niſi ab aliquibus habentibus vllam realem conuenientiam, vt Doctor infert: quia autẽ perſonæ, ſecũdũ quod præciſè perſo-

8.

Ratio perſonæ in communi in quo conſiſtit.

personæ supponunt pro personalitatibus, sunt primò diuersæ, nullam realem conuenientiam habentes: ideò ab eis abstrahibilis non est talis communis ratio positiua. Nam etiam si quælibet persona per modum positiuum formaliter sit persona: isti tamen modi positiui, qui sunt personalitates, inter se ita primò, & summe distant, vt in nullo conueniant; atque ideò nulla ratio cõueniẽtiæ illis communis ab eis abstrahi potest.

10 Quia verò negationes illæ, quo ad talem modum positiuum consequuntur, habent communem conuenientiã à parte rei: omnis enim personalitas est æquè ratio incommunicabilitatis: nam omni intellectu cessante, est verum dicere, omnem personam per personalitatem æquè incommunicabilẽ esse: ideò ab omnibus personalitatibus constitutiuis personarum, abstrahitur quidam cõceptus communis negatiuus, vtpotè talis incommunicabilitatis, qui per hoc nomen *personalitas* significatur.

11 Secũdo obseruare oportet, negationẽ non esse formaliter ens rationis, sed fundamentum illius. Ens enim negatiuum, & præsertim loquendo de negatione in genere, quam Doctor explicat in textu, est à parte rei, sicut priuatio. Nam non videns dicitur cæcus, & cæcitas à parte rei illi inest: ita vt cæcitas sit prima intentio: non etenim est merum nihil, quia nihil est negatio omnis entitatis: priuatio verò est carentia alicuius entitatis debitæ in speciali, vel tali subiecto, quod necessario connotat, & ideò hæc carentia à parte rei inest tali subiecto: huius instar modi philosophandũ est de negatione in genere, quæ per id differt à negatione extra genus, quia est in aliquo determinato genere: sicut inæqualitas sub genere quantitatis, dicit negationem æqualitatis: & dissimilitudo sub genere qualitatis, dicit negationem similitudinis: sicut ergo inæqualitas seu dissimilitudo inest à parte rei subiecto inæquali, vel dissimili: sic incommunicabilitas, quam vocat Doctor negationem in genere, inest à parte rei ipsi incommunicabili personæ. Ex quo apparet, quod sicut inæqualitas est prima intentio, ita & incommunicabilitas. Ex his ergo habetur intentum, videlicet quod hoc nomen, *personalitas*, significat conceptum negatiuum communẽ diuinis personis, & quod talis conceptus non est quid secundæ intentionis, sed prima intentio.

Negatio nõ est formaliter ens rationis.

His præhabitis difficultatem concludendo dico primo: nec personam, nec personalitatem esse nomen secundæ intentionis, sed primæ. Conclusio est expressa Scoti, vt patet in litera, quæ ab eo probatur: quia persona est terminus productionis realis, & adoratur à fidelibus: secunda autem intentio non potest terminare productionem realem, nec adoratur: Persona autem Patris, seu Filij, seu Spiritus Sancti, & omnes simul in Trinitate adorantur: imo ipsa proprietas personalis adoratur, iuxta illud præfactionis in festo sanctissimæ Trinitatis, quod canit Ecclesia: *Vt in confessione veræ sempiternæq; deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.* Probatur insuper eadem conclusio rationibus, quæ contra Ægidium habentur in textu, quæ clarè sunt ibi, & subtiliter conclusionem confirmant.

12 *Prima conclusio.*

Nomẽ personæ non est 2. intentio sed prima.

Dico secundo, quod non est dabilis aliqua ratio communis positiua conueniens tribus diuinis proprietatibus constitutiuis personarum, sed benè tribus proprietatibus potest competere negatio communis duplicis communicabilitatis, quæ per hoc nomen personalitas importatur. Conclusio est expressa Scoti, vt in litera habetur, & probatur ab eo latè in 2. & 3. articulis, ex quibus amplius habetur huius difficultatis resolutio. Quid autem de persona dicẽdum sit, vide infra in difficultate 84.

13 *2 Cõclusio Personis diuinis nulla datur ratio communis positiua.*

DISTINCTIO XXIIII.

Hæc diligenter, &c.

QVÆSTIO VNICA.

De numero, qui reperiri possit in diuinis.

CIRCA ista distinctionem vigesimam quartam quæro, vtrum in diuinis sit proprie numerus: circa quod quærun tur duo.

¶ Primò. Vtrùm numerus simpliciter, & in re reperiatur in diuinis?

¶ Secundò. Vtrum in diuinis possit concedi numerus secundū quid?

ARTICVLVS I.

Vtrùm numerus simpliciter, & in re reperiatur in diuinis?

A. AD primum sic procedi tur, videtur, quod numerus simpliciter, & in re reperiatur in diuinis: quia 10. Metaphys. dicitur de vno, quod constituit numerum, &c. vnum apud intellectum vnitate, & primitate ordinis, potest habere rationem mensuræ secundum rationem: numerus est tale vnum per distantiam certam vnitatis vltimæ à prima; igitur numerus est mensura secundum rationem: sic fortè diceret Augustinus de tempore.

B. Sed contra est: quia quælibet persona diuina est infinita, & quælibet proprietas personalis est eadem infinito; sed nihil, quod est ex se formaliter infinitum, vel idem infinito, est potentiale, vel pars alicuius: quia tunc esset aliquid maius infinitum: quia totum esset maius infinito, si tamen pars esset infinita: *ergo cum numerus partes contineat*, in diuinis non erit numerus.

C. Respondeo dicendum, quod aut ponitur, quod numerus habeat vnitatem formalem respectu cuius formalitatis, vnitates sunt materiales, & sicut materia illius formæ: aut ponitur, quod numerus est tantum vnus aggregatione vnitatum, sicut aceruus lapidum dicitur vnus aggregatione lapidum: quod horum verum sit alias videbitur, quando tractabitur de numeris: primo modo dico, quod in diuinis non est numerus, *cum ibi non sit* aliquod potentiale, vel pars alicuius, & ideò illā propositionē tenendo, non erit numerus in diuinis: si secunda positio vera est, scilicet quod numerus est tantùm vnus aggregatione vnitatum: cum aggregata sint simpliciter diuersa, ita quod non faciunt, nec sunt aliquid per se vnum: imo sunt minus vnum, quã illa, quæ sunt vnum per accidens: & quæ sunt in diuinis, sunt idem alicui verè vni naturæ, quod est essentia: sequitur, quod nulla est aggregatio ibi reiad rem: & ita nullus est numerus secūdā positionem

Text. com. 5. & 10.

Capit. 4. & lib. 5.

nem. Sed ommittēdo de numero, an sit in intellectu, & loquendo de numero in re, dico: quod numerus simpliciter non est in diuinis, tenendo alterutram illarum duarum opinionum primarum.

D. Ad argumentum *patet*, *quod* contra est: quia mensuratum secundum aliquid sui mensuratur, si secundum quantitatē: ergo ipsum in se est quātum distinctum. Dico *ergo*, quod si tantum numerus habeat esse in intellectu, tantum simul concipiente plura vna, vel plures vnitates: cum intellectus aliquis possit concipere tres personas simul, vel vnā solā, nō concipiendo tres personas, & non sit conceptus ita perfectus concipiendo vnam personam, sicut concipiendo tres personas: vnde aliqui distincti articuli Fidei respiciunt distinctas personas: posset poni, quod ibi est vnus numerus quasi vnus conceptus totalis Trinitatis in intellectu.

Expositio art. 1. quæst. vnic. distinctionis 24.

CONCLSIO est negatiua, quā Doctor concludit, *quod numerus simpliciter non est in diuinis*, tàm tenendo quod numerus supponat pro vnitate formali, respectu cuius omnes vnitates, quibus numerus constat, sunt vnitates materiales (quæ opinio est probabilior certa in eius schola) quā etiam stando, in sententia aliorum, quæ ponit, quod numerus supponit pro vno ex aggregatione vnitatum: quæ omnia sunt clara in textu.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in diuinis possit concedi numerus secundum quid?

AD secundum sic proceditur, videtur, quod in diuinis non possit concedi numerus secundum quid: quia Boetius 1. Trin. cap. 3. *ait*, hic est verè vnum, in quo nullus est numerus: ergo, &c. A.

Secundo præterea: quia vnus est prius natura, quàm duo: item pars, quā totum: *sed in diuinis vna persona non est prius natura, quam altera: ergo, &c.* B.

Tertio præterea: quia Auic. secūdum substantiam, aut secundum relationem. C.

Sed contra est: quia quodlibet est ibi quasi species; non autem sunt plura sub eadem specie contenta: igitur tantum numerus secundum quid, scilicet cum additione personarum, & attributorum *est ibi*. D.

Respondeo dicendum tenendo communem viam, quod de ratione numeri sunt tria: primum est, quod vnitates, quæ sunt partes numeri, sūt vnius rationis, & non tantum conceptus vnius; sed singularis eius, hinc & inde, sunt vnius rationis. Secundo dico, quod vna sunt distincta: ita q̄ sic vnū nō includit sic vnū: idcò vnitas naturæ nō facit numerū cū vnitate suppositi, nec cū vnitate formalitatis: quia natura in vno includitur, & aliud includit. Tertio requiritur, q̄ in vtraque vnitate, vel vtroque numero sit potentialitas partis ad totū. E.

Propter primum, Deus nō connumeratur creaturæ: quia est vnitas singularis, quæ est in Deo existēs, non est eiusdem rationis cum alia: quia F.

tunc contraherectur per infinitum: & ita Deus esset compositus. Propter secundum album, & dulce non sunt duo: tamen dulcedo, & albedo sunt duo: ratio grammaticalis est: quia terminus numeralis adiectiuus determinat substantiuum, ideſt subiectum.

G. In primo notãtur esse duæ vnitates distinctæ: in secundo est forma, & forma: propter idem albedeneitas, & coloreitas sunt duo: nõ tamẽ albedo & color: quia sic vnum includit sic vnum, sicut album cum etiam includit vtrãque naturam. Præterea posset etiam istorum assignari ratio, & distinctio per principium: quia vnitas suppositi naturæ, & formalitatis, non sunt vnitates vnius rationis: ideò nulla connumeratur alij. Propter tertium, nec intra, nec extra aliquid intrinsecum Deo est connumerabile: quia nec potentiale.

H. Tamen extendendo numerum ad distinctionem entium cõceditur numerus in diuinis: & hæc duo, scilicet entitas, & distinctio numeratorum requiritur ad numerũ, sed non sufficit ratio. Vbi propter ista sola ponitur numerus, ponitur imperfectè; sic, tres personæ.

I. Correlarium; ternarius lapidum est per se vnum secundum opinionem communem, ita quod non tantum est hic, hic hic: sed Trinitas personarum est tantum hic, hic, hic: nec magis vnum alio modo diceretur, si numerus poneretur in intellectu: quia tunc concordaret vtrobique. *Nota quod* vnum duplex sinonimum, quod consequitur formam, & principium numeri, addit super vnum rationem mensuræ: & ideò est de genere quantitatis, & est aliud, quod consequitur formam propter materiam: sic duplex numerus quinto Metaphisicorum, vel triplex, formalis, mathematicus, & sensibilis: primus est ibi, & est ab vno, & seruat vnitatem: secundus non est ibi.

Respondeo *ergo, quod* numerata sunt plura diuisa: vnde partes in toto non numerantur, nisi in potentia: sed quæ sunt nata contineri in vnitate vnius continui, omnia nata sunt esse vnum, & ideò vnius speciei, & in materia alia, & alia; alter non est numerus simpliciter, sed cum determinatione formarum: in Deo nulla sunt diuisa ab inuicem propter vnitatem essentiæ: per oppositum in specie immateriali est numerus formalis: ita quod si vnius speciei indiuisio prohibet, diuisio essentiæ, & alia diuisio prohibet: conuenit tamen cum numero mathematico in aliquo, *quo* ab vnitate essentiæ, vt à radice oritur: differt etiam, quia hic vnitas non diuiditur, sed quasi specie distinguitur: in hoc conuenit cum numero formali: sed ille nunquam radicatur in vna forma singulari, & est ibi differentia per formas absolutas, hic verò non. K.

Respondeo tamen *ad quæstionem, quod* conceditur ibi numerus secundum quid, scilicet cum hac determinatione personarum: quia ibi fit abstractio illius à numero, quod non dicit imperfectionem, scilicet distinctione ma eo, quod notat imperfectionem distinctionis, aut in vtroque numeratorum, aut saltem in altero, scilicet à potentialitate, si numerus est vnus secundum formam: vel à diuersitate, si numerus est vnus per aggregationem vnitatum plurium: benè tamen ibi conceditur distinctio sine diuersitate, vel potentialitate, vel etiam aggregatione: quia dicunt imperfectionem aliquam in vnitate. L.

Ad

L. Ad primum argumentum *patet*, quod non est vnũ numero: quia non constituit numerum.

M. Ad secundum, quod loquitur de numero cum determinatione, personarum scilicet.

N. Ad tertium *dico, quod* multitudo est nobis magis nota, & positione significatur: sed est vnitatum diuisio, quæ est negatio vnionis: ideò non est multitudo simpliciter, nisi cum determinatione: è conuerso in Deo licet secundum modum nominis significet negationem: illa tamẽ negatio non est ibi negans, & ita secundum rem vera esse potest.

Expositio artic. 2. quæst. vnic. distinctionis 24.

DOCET Doctor, tres conditiones ad rationem numeri prærequiri, quæ clare notantur in textu, secunda tamen illarum est, quod vna vnitas non claudatur in altera. Ex qua conditione infertur, quod licet in Deo concedantur, vna existentia absoluta, & tres relatiuæ, prout visum est supra in difficultate 55. & similiter concedantur tres subsistentiæ relatiuæ, & vna absoluta, prout etiam ostensum est, in difficultate 56, nihilominus non ob id poterunt concedi in Deo quatuor existentiæ, aut quatuor subsistentiæ. Cuius ratio est; quia cum existentia, seu subsistentia absoluta includatur per identitatem realem in existentijs, aut subsistentijs relatiuis; hinc est, quod vnitas subsistentiæ, seu existentiæ absolutæ, includitur in vnitate cuiuslibet existentiæ, seu subsistentiæ relatiuæ: & ideò existentia, aut subsistentia absoluta, non auget numerum cum relatiuis. Cætera verò, quæ de numero enucleat Doctor, sunt ibi satis perspicua: ex quibus concludit *in diuinis, tantum concedi posse numerum secundum quid*, vtpotè cum hac determinatione, vt dicatur numerus personarum: quæ sententia est communis. Sed nunquid poterunt hic concedi tres vnitates, sicut conceditur numerus ternarius, dicendo tres esse personas, aut concedentur tres veritates, sicut sunt ibi tres entitates personales? Vazquez prima parte disputat. 122. capit. septimo, illas concedit: sed timidè loquitur, & acutè aduertit de hoc esse loquendum cum Diuo Bernardo libr. quinto de Consideratione antemedium, dum ait: *Cum sint tres personæ, quis numerum neget? Nam vere tres sunt: qui numerat tamen? Nam verè vnum sunt.* Et paulo infra: *Dicamus itaque tres, sed non ad præiudicium vnitatis: dicamus vnum, sed non ad confusionẽ Trinitatis.* Quæ verba Bernardi non videntur concedere tres vnitates, quas Vazquez infert ex illis, qui ibi tantum concedit Sanctus Doctor numerum ternarium cum illa limitatione, qua illum Scotus admitit, scilicet secundum quid. Verum enim vero, si caute (vt inquit Vazquez) loquamur, non inconuenit tres vnitates, & veritate, ibi concedere: eius instar modo, quo supra in difficultate 68. numero 73. & 74. cõcessimus cum Scoto, relationes esse bonas, & quamlibet, suã dicere bonitatem. In quo sensu bene placet Vazquij sententia, quia nihil habet periculi.

Vazquez.

D. Bernar.

In Deo nõ datur numerus existentiarum, nec subsistentiarum.

DISTINCTIO XXV.

Præterea, &c.

QVÆSTIO VNICA.

De diuina persona, vt abstrahit à tribus suppositis.

CIRCA istam distinctionem vigesimam quintam, quæro: vtrùm persona in diuinis dicat substantiam, vel relationem, circa quod quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrum persona in diuinis dicat relationem propriam aut communem?

¶ Secundo. Vtrùm persona significet substantiam secundam, & quidditatem in diuinis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm persona in diuinis dicat relationem propriam, aut communem?

A. AD primum sic procedi tur, videtur, quod persona in diuinis dicat relationem propriam, aut communem: *quod ponitur* sine argumentis: *sed probari potest*: quia relatio prædicatur vniuocè de paternitate, & filiatione: ergo est vniuersalis *respectu illarum*. ergo, &c.

B. Sed contra est, quod Augustin. 7. de Trinit. cap. 5. *ait*, quod Pater non est persona Filij, nec è conuerso.

C. Conclusio. Respondeo dicendum, quod persona non dicit relationem propriã, nec dicit relationem communem: *primum* probatur: quia hoc nomen persona est commune tribus secundum Augustin. 7. de Trinit. cap. 7. si tres personæ sunt, commune est eis, hoc quod est persona: & non communitate æquiuocationis: sicut hic homo est communis Sorti, & Platoni hoc quidem est æquiuocè: quia pronomen hoc, quod demonstrat, hoc significat: non ita hic: quia æquiuocum non numeratur in æquiuocatis: non enim dicentur pisces & sydus duo canes: quia numeratio alicuius in aliquibus requirit vniuocationẽ eius in eis: persona est sic cõmunis, quod numeratur in eis. *Secundum*: probatur per Augustin. *vbi supra*, quod *scilicet* Pater nõ est persona Filij, nec è conuerso: & ista ratio potest deduci sic: ad quodcumque dicitur relatiuum inferius, ad idem dicitur relatiuum superius, licet non primo: exemplum: si duplum est duplum dimidij: & hoc primo duplum est multiplex dimidij licet non primo: & hoc non solũ hoc sed etiam vsque ad generalissimum est relatiuum dimidij, licet non primo, ideſt adæquatè: ergo si persona diceret relationem communem: tũc Pater, sicut est Pater Filij primo, ita pater esset persona filij per se, licet nõ primo, quod est falsum: non *ergo* persona significat relationẽ: cõnotat tamen (secundũ vnã opinionẽ *quod* persona dicit negationem in genere cõmunem tribus) aliquod positiuum: & primo connotat illud, de quo primo prædicatur; putà Patrem, & Filiũ & Spiritum Sanctum: non quasi ex primo intellectu suo: sed sicut commune

mune connotat inferius, pro quo supponit. Secundo connotat relationē qua Patri conueniat talis negatio cōmunis, & Filio similiter: tertio & vltimo connotat essentiam, quæ licet sit in primo connotato, non autem est in eo ratio istius negationis.

D. Ad argumentum *dico quod* relatio infra suum genus non distinguitur, nisi per illa, supra quæ fundatur, & sic non est in ea verè ratio vniuersalis, nisi quia super vniuersale fundatur: exemplum de similitudine, & albedine: omnis autem relatio diuina fūdatur supra essentiam, quæ nullo mōdo potest habere rationem vniuersalis: quia natura vniuersalis est sola illa, quæ ex ratione quidditatis, est natura secundum Auic. 5. Metaph. cū concernendo rationem vniuersalis, vel particularis: sed nata in se recipere rationem vtriusque singularitatis per esse terminatum in supposito: vniuersalis verò, per hoc quod est nata cadere in cōsideratione intellectus, vt vna secundum rationem, tamen applicabilis per prædicationem pluribus, in quibus est multiplicata: essētia autem de se est singularitas quædam. Quanquam igitur relatio prædicetur vniuocè de paternitate, & filiatione, non tamen est vniuersalis.

cap. 1. & 21.

Expositio art. 1. quæst. vnic. distinctionis 25.

HIc breuiter resoluit Doctor hoc nomen *persona* non importare relationē propriā nec cōmunē. Quod probat ratione satis perspicua, quæ explicationem non eget: ex art. autem sequēti clarius hoc habetur, eo quod ibi concludit, & probat personā primo, & per se nō supponere, etiā in diuinis, pro aliquo absoluto, aut respectiuo: sed pro aliquo abstrahente ab vtroque. Si ergo persona vt sic relationem de primo significato non dicit, facilius cōstare potest nō dicere relationem propriam, nec communem. Videretur igitur articulus iste impertinens, si ex sequenti concluditur, primum significatum personæ relationem non esse; sed re vera subtiliter hīc inuestigat Doctor, an esto quod persona significaret relationem: hæc quidem relatio in Deo esset relatio propria alicuius personæ, aut aliqua tribus cōmunis? & quia nulla relatio propria posset pro omnib⁹ personis supponere: si quidem tūc Paternitas v.g. aut filiatio esset tribus personis cōmunis: nec aliqua relatio communis his tribus personalitatibus, quæ se totis distinguūtur, & in nullo reali cōueniunt, est dabilis: ideò concludit hoc nomē *persona*, nec proprie relationem communem significare; & vtrāque cōclusionis partē manifestat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm persona significet substantiam secundam, & quidditatem in diuinis?

AD secundum sic proceditur, videtur, quod persona significet substantiam, & quidditatem in diuinis: quia persona significat substantiam secundam, & quidditatē, per hoc quod dicit Aug. 7. de Trinit. cap. 4. quærendo per hoc, quid est tres personæ? & respondet ad quæstionem illam, qua quæritur in diuinis, quid est tres? quid autem quærit essentiam. A.

Secundo præterea: dicit Augustin. 7. de Trinitat. cap. 5. quod non est aliud Deum esse, & personam esse: ergo persona est merè essentiale, & per consequens significat substantiā secundam, & quidditatem. B.

Sed cōtra est: quia non numeratur in tribus personis illa substantia, & quidditas: persona autem numeratur secundum duas opiniones tactas C.

in quæst. de persona distinct. 23. ergo &c.

D. Respondeo dicendum, quod nec persona dicit substantiam secundam, id est quid ditatē: quia illa, *vt dictum est*, non numeratur in tribus personis: *& sic* secundum vnam opinionē *iuxta quam* persona dicit negationē in genere communem tribus, nō significat substantiā. Si autem teneatur alia opinio in quæst. illa de persona, scilicet, quod persona dicat aliquid positiu ũ abstractū à tribus, vt quasi propriū, non vt species: tūc dici potest, quod significat positiuū: sed nec substantiā, nec relationē: & hoc extendendo substantiā, tàm ad primā, quàm ad secundam: sed aliquid positiuum indifferens ad vtranque: ratio enim subsistentis indifferens est ad absolutum, & relatiuum, tenendo personas diuinas esse relatiuas primo: ex consequenti tamen dat intelligere, sicut superius suum inferius, illud, pro quo accipitur relatiuum superius, de quo dicitur persona: putà Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctū & secundo ipsas relationes; & tertio essentiam.

Prima conclusio.

Secunda cōclusio.

E. Itaq; vtraq; opinio posita dist. 23. concordat in hoc, quod persona de prima ratione nō dicit relationē, nec substantiam, & hoc nec primam, nec secundam. Secundum vnā opinionem, dicit conceptum negationis in genere communis tribus, quæ distinguitur in eis. Secundum aliam opinionem dicit conceptum positiuum communis distincti in eis: & secundum vtranque opinionem, tale commune, siue positiuum, siue priuatiuum connotat, sicut suum inferius, illud de quo formaliter dicitur, putà Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & quasi secundo connotat formalia distinctiua in eis, & tertio essētiam communem in eis.

F. Ad primum argumentum respondeo, quod quid quandoque quærit diffinitionem, quandoque quærit illud, de quo aliquid dicitur. Primum patet ex primo Thopic. diffinitio est oratio indicans, quid est esse rei. Secundum etiā patet per Phylosophū 10. Metaph. toraliter quærendum est quid vnum, quemadmodum, & quid ens? tanquam non sufficiens, quia hoc ipsum istius naturæ, intendit dicere quod non sufficit dicere ipsum vnum esse principium, sicut aliqui antiqui Phylosophi ipsum vnum esse principium dicebant, sicut Platonici: sed aliquid, de quo dicitur vnum: & secundum hoc quæstio ista, quid est elementum? duplicem habet responsionem: vnam assignādo elemēti diffinitionem, aliam assignando illud, de quo dicitur elementum: putà ignis est elementū: nūc autem catholicis confitentibus tres secundū canonicam epistolam Ioannis 5. cap. quæsierunt hæretici, quid tres? non interrogantes huius nominis diffinitionem, sed quid esset illud substantiuū, quod determinaretur per illud adiectiuum tres, siue de quo diceretur? & ad hoc benè respondetur, quod per hoc quod est persona. Cū igitur accipitur quod quid quæritur de essentia, non est verùm generaliter, nec specialiter in proposito.

Cap. 4.

Text. co. 7.

Ad secundum, de Aug. patebit dist. sequenti, quod persona est ad se, tàm in se, quàm in suis inferioribus, licet non ita sit ad se, sicut essentia est ad se: & hoc si ponitur diuinas personas esse constituras in esse personali per aliqua absoluta. Si autem hoc non ponatur, difficile videtur exponere auctoritatem beati Augustī. sed de hoc dicetur ibi.

G.

(.?.)

Expo-

Expositio art. 2. quæst. vnic. distictionis 25.

LATE ostendimus duo supra in difficultate 53. primũ scilicet in quo ratio suppositi, seu personę consistat, an videlicet in aliquo positiuo, aut in negatiuo. Secundum vero quid in rigore sit subsistẽt a: quod habetur à num. 17. Nũc vero Doctor vtrumque commemorat, & quidem rationem personæ, secundum quorundam opinionem esse quid negatiuum, seu negationem communicabilitatis, & secundum aliam (quam teneo ibi esse propriam eius mentem) consistere in positiuo, atque etiam qualiter subsistere indifferens sit ad relatiuum & absolutum, resolutorie tradit. Ex primo igitur istorum propriam conclusionem statuit, dicens, quod quomodolibet accepta persona, hoc est, licet negatione constituatur, aut in positiuo consistat, vtroque modo saluetur eius præcisam rationem ab vtroque abstrahere, & ad vtrumque esse indifferẽtem. Ex secundo vero hanc conclusionem sic probat: quia scilicet ratio subsistendi indifferẽs est ad absolutum & relatiuum. Vnde supposito quod diuinæ personæ sunt relatiuæ, illa præcisa ratio personaliter subsistendi, quæ competit personæ non pro relatiuo supponit, sed ad relationem, vt est relatio, præintelligitur. Ex quo nõ licet inferre contra Doctorem, ipsum dixisse diuinas personas cõstitui proprietatibus absolutis. Nam hîc non quærit rationem constitutiuã personæ, sed primum significatum illius. Et esto quod de constitutiua proprietate loqueretur; non quidem absolutam esse affirmat; sed aliquid ad absolutum, & relatiuum indifferẽs, & eis præintellectum. Sed reuera hoc nõ est agere de principio constitutiuo cuiuslibet personæ inparticulari, quod sequens distinctio inuestigat, sed in communi inquirere, & resoluere, pro quo hoc nomen *persona*, vt de tribus dicitur, formaliter, & primo supponat? quæ omnia clarius in sequẽti difficultate patebunt.

DIFFICVLT. LXXXIII.

Vtrùm persona, prout dicitur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, in relatione formaliter consistat?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ cum quorundam opinionibus.

VIA inquilibet diuinarũ personarum reperiuntur duo, ratione ratiocinata (vt volũt Thomistæ) vel ex natura rei formaliter (vt nos cum Doctore supra in difficultate 54. latè concluſimus) distincta, scilicet absolutum, hoc est substantia seu essentia diuina, & relatio: & persona est nomen concretum ex his duabus rationibus constitutum: quærit præsens difficultas, an de formali significato persona relationem importet, de materiali vero absolutum: vel è conuerso significet de formali absolutum, & de materiali relationem? an vero nulla facta distinctione de materiali & formali significato, hoc nomen *persona* se tota relationem, vel absolutum importet? 1

Durãdus alios Antiquiores sequutus in primo dist. 23. quæst. 1. num. 24. asserit nomen *personæ*, nec aliquid absolutum, nec relationem, aut negatiuam incommunicabilitatem, seu aliquid primæ intentionis, directè, vel indirectè significare: sed tantùm eius significatũ esse denominationem quandam secundæ intentionis; eius instar modi, quo indiuiduum secunda intentio est: esse autem indiuiduum secũdam intentionem non probat, sed tanquam verum supponit. Hanc tamen Durandi sententiam possemus probare, eo quod persona, sicut & indiuiduum dicitur de hac, & illa persona: non enim minus dicimus Pater est *persona*, & Filius est *persona* quàm Petrus est indiuiduum, & Paulus est 2

Prima opinio Durandi.

est indiuiduum: prædicari autem de aliquo est denominatio secundæ intentionis. Sed tunc facilis est solutio, quia hîc non quærimus illam intentionem formalẽ prædicandi: sed rem, quæ sub est tali de nominatione: stat enim genus secundo intentionaliter prædicari, sicut & speciem, & nihilominus tàm generis, quàm speciei naturas, quæ sunt primæ intentiones concedimus: quod similiter de indiuiduo dicendum est. Quæ sententia coincidit cùm illa Ægidij, quam retulimus supra in difficultate 82. & satis confutata est cum illa. Vide Vasolem acriter impugnantem hãc sententiam in primo dist. 25. quæst. vnica art. 1.

Vassolis

3. *Secũda opinio. Grabiel. Marsilius. Capreolus. Canariensis Alexand.*

Iam ergo loquendo de prima intentione personæ, Grabriel in primo dist. 25. quæst. prima art. 2. cõclusione prima 2. & 3. Marsilius q. 26. art. 2. Capreolus dist. 25. quæst. 1. art. 1. conclusione 2. Canariensis prima parte quæst. 29. art. 4. pro qua opinione etiam citatur noster Alex. Alensis 1. parte quæst. 56. memb. 2. & alij dicunt nomen *personæ* diuinæ directè significare substantiam, consequenter vero relationem. Cuius ratio est quia persona diffinitur per hoc, quod sit indiuidua substantia rationalis naturæ: ergo directum significatum huius nominis est indiuidua substãtia: quia tamẽ redditur indiuidua, hoc est incõmunicabilis per relationem: hinc est, quod relatio connotetur hoc nomine *persona* in obliquo.

4. *Tertia opinio. Caietanus. Zumel.*

Caietanus vero, & plures Thomistæ prima part. quæst. 29. art. 4. inter quos ex recentioribus est Zumel ibidem sua quæst. vnica conclusione 2. sentiunt, quod licet persona incommunicabilitate, vt abstrahit à diuina, & humana non significet relationem: hoc tamen nomen *persona* in diuinis significat formaliter, & directè relationem, materialiter vero, & quasi consequenter, vel non directè substantiam: quam sententiam aiunt esse Diui Thomæ ibidem, eamque probant sequentibus argumentis.

5. Primo, nam illud significat persona formaliter, & directè, quod est formale constitutiuum, & distinctiuum illius à quolibet alio: sed huiusmodi est relatio, ergo, &c. maior est certa: nam ideò homo significat de formali rationale, quia per rationale constituitur in esse hominis, & distinguitur ab equo. Minor etiam constat: quia personæ diuinæ non habent, quo constituantur, & distinguantur, nisi rationibus, cum vltra essentiam tantum relationes includant.

6. Secundo, persona diuina est formaliter relatiua, vt habetur ex infra dicẽdis in dist. 26. ergo formaliter significat relationem. Consequentia probatur: quia quælibet res formaliter talis, formaliter significat illud, per quod est talis: igitur si persona diuina formaliter est relatiua, procul dubio relationẽ formaliter importat.

7. Tertio: quia abstractis relationibus à diuinis personis, personæ diuinæ non remanebunt: ergo persona diuina relationem formaliter dicit. Consequentia videtur satis perspicua, nam ideò persona humana non remanet, abstracta subsistentia, quia dicit formaliter subsistentiam: ergo similiter abstractis diuinis relationibus, ideò diuinæ personæ non remanerent: quia de formali diuinas relationes important.

8. *Vazquez.*

Inter has duas oppositas sententias media Grabiel Vazquez prima parte disputation. 127. cap. 2. sequens (vt ait) sententiam Diui Thomæ tenens videlicet hoc nomen *persona* significare in recto substantiam, & insimul in recto relationem: licet primum significatum sit de formali, secundum vero de materiali: essentiam autem connotare in obliquo. Hæc tamẽ sententia quantumuis à Vazquio explicata sustineri nõ potest: quia nulla substãtia, vt relationi opposita vel ab ea condistincta, est in diuinis præter essentiam. Si ergo persona substantiam de formali directè importat: quo modo connotat essentiam in obliquo? Sed si respõdeas, quod hoc totum, quod cõstat ex relatione & essentia, est persona includens vtrũque & dicit vnum de formali, & aliud de materiali, & illud quod de formali dicit, nõ est relatio, sed substantia, vt à relatione condistincta. Tunc inquiro, quare ipsam substantiam quam de formali directè importat, in obliquo etiam connotat? & redditur in idem, quod prius dicebamus? vnde profecto

fecto sententia hæc mihi improbabilis redditur.

6 Alij vero dixerunt, q̃ cũ nomẽ *personæ* sit absolutum, & non connotatiuum non duo, sed vnicum tantum habet significatum adæquatum, ac ideò non esse necessariam distinctionem de significato formali aut materiali; & per consequens quod significatum personæ in diuinis sit id, quod ipsa relatio est, & per identitatem est essentia; atque ideò persona in Deo significat relationem, & essentiam, non vt essentia exercet munus essentiæ, sed, vt per omnimodam identitatẽ, est ipsa relatio subsistens. Hãc sententiam partim tenuisse videtur Guillermus Rubionis in primo dist. 25. q. 2. art. 2. partim, inquam, quia supra in dist. 24. tenuit cum Scoto essentiam à relationibus formaliter esse distinctam.

Quinta opinio.

Rubionis.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia cum suis fundamentis, cõclusionibus, & solutionibus argumentorum.

10. IN oppositum autem est litera textualis in hac dist. 25. quæst. vnica art. 1. litera C. vbi Doctor hæc profert, *Respondeo, quod persona non dicit relationem propriam, nec dicit relationem communem*, & a. 2. litera D. inquit, *nec persona dicit substantiam secundam, id est quidditatẽ*, & paucis interiectis verbis hæc subdit. *Tũc dici potest, quod significat positiuum, sed nec substantiam, nec relationem, & hoc extendendo substantiam, tàm ad primam, quàm ad secundam: sed aliquid positiuum indifferens ad vtrumque, hoc est ad substantiam, & relationem. Ratio enim subsistentis indifferẽs est absolutum, & relatiuum.* Et paulo infra, *persona de prima sua ratione non dicit relationem nec substantiam, & hoc nec primã, nec secundã.* Et inferius sic prosequitur, *tale cõmune positiuum connotat, sicut suum inferius illud, de quo formaliter dicitur, putà Patrem Filium, & Spiritum Sanctum, & quasi secundo connotat formalia distinctiua in eis, & tertio essentiã communem in eis.* Sequuntur Doctorem Tataretus ibidem, item Lichetus, Antonius Andreas, & Vigerius ibi, Rada 1. part. controuersia 22. cõclusio 12. & ferè omnes alij Scotistæ.

Vera Scoti sententia.

11. Pro intelligẽtia huius difficultatis, recolenda sunt omnia, quæ ad rationem personæ pertinẽt, quæ satis enucleata remanent supra in difficult. 33. Hæc omnia igitur, quæ dicta sunt ibi de persona (supponendo iuxta Doctorem probabilius esse personam in positiuo, quàm in duplici negatione consistere) æquè competũt, tàm diuinæ, quàm creatæ: nam ratio personæ, vt sic, æquè vtrique competit, cum tàm persona creata quàm increata veram induat rationem personæ. Quare persona creata, & increata in aliquo conueniunt, & in aliquo differũt adhuc præcisa ratione diuinitatis, conueniunt quidem: quia vtraque est intellectualis naturæ incommunicabilis subsistẽtia: & ideò persona vniuocè dicitur de Deo, & creaturis, vt infra in difficultate sequenti suponitur & ex supradictis in difficultate 58. satis patet. Differunt verò, quia persona creata est absoluta, diuina verò relatiua: quare in illis ab alio sumitur ratio personæ, ab alio verò esse absolutum, vel relatiuum. Vnde præsens difficultas non procedit de persona creata, cum nullam relationem includat; sed de diuina, quæ relatiua est. Cum ergo persona diuina duo includat scilicet essentiam, vt cõdistinctam à relatione, & relationẽ, vt condistinctam ab essentia, quamuis non sit composita persona, est tamen realiter, & simpliciter constituta ex aliquibus distinctis, non solùm per intellectum, sed formaliter ex natura rei, vt habetur ex supra ostensis in difficultate 34. hinc ergo inquirimus, an persona diuina importet de formali significato relationem?

Persona creata & increata, in quibus conueniunt, & in quibus differunt.

12. Pro cuius intelligentia est iterum obseruandum, quod persona, vt abstrahit ab absoluta, & relatiua, in hoc tantũ præciso, & formali conceptu personæ dicit incommunicabilem subsistentiam in natura intellectuali: hæc autem ratio communis cõtrahitur, seu determinatur ad modum speciei per differentias materiales, nempè per esse absolutum, & relatiuum, quorum primum est in creatis, secundum verò in diuinis; ita quod sicut homo prædicatur de Petro & Ioan-

Persona abstrahẽs à creata, & increata, quid importet.

Ioanne: ſic perſona de abſoluta, & relatiua; non quidem quod conueniant ſpecie perſona diuina, & creata, ſicut Petrus, & Ioannes: ſed quia differentiæ quæ contrahunt perſonam, ſunt materiales, ſicut differentiæ, quæ contrahunt ſpeciem. Quæritur ergo hic, an perſona diuina dicat de formali ſignificato perſonã, vt ſic, vt præciſe dicit rationẽ ſubſiſtentis incommunicabiliter in natura intellectuali, an vero relationem, per quam talis ratio communis contrahitur?

13. *Perſona creata quatuor dicit.*

Porrò eſt tandem obſeruandũ, quod increatis perſona quatuor dicit, primũ de formali, & cætera de materiali ſignificato, habito tamen ordine, ita quod perſona primum, & per ſe, dicit de formali diffinitum in diffinitione perſonæ abſtrahendo ab omni differentia materiali; & vt ſic, vt optimè loco allegato inquit Scotus, perſona neque dicit abſolutum, nec relationem, ſed dicit quid indifferẽs adverumque. Dicit ergo vt ſic ſubſiſtens incommunicabiliter in natura intellectuali: & hoc ita eſt formalis ratio perſonæ creatæ in ratione perſonæ, quod quælibet alia ratio ibi cõſiderata erit materialis, dicit vero de primo materiali illum hominem in individuo, pro quo ſupponit, vt verbi gratia, Petrum: & de ſecundo materiali importat rationem diſtinctiuam, & conſtitutiuam, quæ conſtituit Petrum ineſſe talis perſonæ, hoc eſt abſolutæ perſonæ, & diſtinguit illũ ab omni alia perſona: tertio vero connotat humanitatẽ, quæ tali ratione determinatur adeſſe perſonã. Sic ſimiliter ad propoſitũ inquit Doctor conſiderandam eſſe diuinam perſonam, quæ etiam alia quatuor includit, nimirum vnum de formali, & cætera de materiali: de formali igitur ſignificato perſona diuina tantum præciſe importat ſubſiſtens incommunicabiliter in natura intellectuali, in quo (vt infra ex difficultate ſequẽti patebit & latè patet in 58.) vniuocè conuenit cum perſona creata, quamvis ab illa differat per hoc, quod perſona diuina eſt in natura intellectuali diuina, creata vero minimè: & nihil aliud dicit perſona diuina de formali ſignificato. De primo vero materiali perſona in diuinis importat ea, pro quibus ſupponit, vtpote Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; & quaſi connotat ſecundo diſtinctiua in eis, quæ ſunt proprietates hypoſtaticæ, ſeu relationes diuinæ conſtitutiuæ perſonarum. Tertio tandem connotat diuinam eſſentiam, & naturã, quę, quaſi determinatur huiusmodi perſonalitatibus, ſeu determinat ſibi diuinas perſonas, & eſt eis communis.

His præhabitis difficultatem concludendo dico primo, quod perſona etiam in diuinis, nec dicit relationem, nec abſolutum ſecundum præciſum, & formalem conceptum perſonæ. Concluſio eſt Doctoris, vt patet in litera, & facile probatur ex diffinitione perſonæ. Nam ſubſiſtens incommunicabiliter in natura intellectuali dicit formalem, & adæquatam rationem perſonæ præciſe ſumptæ: ergo cõuenit cuilibet perſonæ in particulari: ergo vt ſic non dicit relationem, neque illam in ſuo conceptu formali includit, vt præciſe perſona eſt: aliàs enim, cum omnis perſona neceſſario hunc formalem conceptum importet, conſequenter quælibet perſona erit formaliter relatiua, & tũc non daretur perſona aliqua extra Deũ. Si vero diceret in tali conceptu rationem abſoluti, tunc pariformiter quælibet perſona neceſſario erit abſoluta: & ex conſequenti excluderentur diuinæ perſonæ, quæ ſunt formaliter relatiuæ, à ratione perſonæ, quod dicendum non eſt. Quod autem etiam in diuinis diuina perſona quatenus præciſe perſona eſt illum præciſum conceptum perſonæ de formali importet, probat Scotus, nam ſi perſona diuina importaret de principali ſignificato relationem, ſequeretur, quod ſicut Pater dicitur Pater Filij, ſimiliter diceretur perſona Filij. Conſequens autem eſt contra D. Auguſt. 7. de Trinitate cap. 5. ergo perſona, etiam in diuinis, non ſignificat formaliter relationẽ. Sequela probatur: quia ad quodcumque refertur relatiuum inferius, dicitur ad ſuperius: ſed Pater refertur ad Filium: ergo perſona, quam ſupponis eſſe relatiuam, & eſt quid ſuperius ad Patrem, ſi quidem de Patre prædicatur in hac propoſitione, Pater eſt perſona, refertur cõſequẽter ad Filium, & ex conſequenti ſicut

14 *Prima concluſio. Perſona vt ſic, nec dicit conceptum abſolutum, nec relatiuum.*

D. Auguſ.

Pater

Pater dicitur Pater Filij, diceretur perſona Filij.

15. *Secunda cõcluſio.* Dico ſecũdo, quod diuina perſona de primo ſignificato materiali ſignificat, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum de ſecundo vero connotat non aliquid abſolutum, ſed relationes diuinas, & tandem de tertio diuinam eſſentiam, & naturam, in qua incommunicabiliter ſubſiſtit. *Perſona diuina quid de materiali, & de formali dicat.* Concluſio hæc quoad omnes ſui partes eſt Scoti, vt patet ex nuper notatis ab eo, & quoad primam probatur, quia tres diuinæ perſonæ prædictæ tantummodo ſunt, quæ reperiuntur in Deo. Quod autem non aliquid abſolutum, ſed relationes de ſecundo materiali importet, probatur: quia in diuinis nõ eſt aliqua ſubſiſtentia abſoluta perſonalis, ſed quidquid eſt abſolutũ in Deo eſt eſſentia ſeu eſſentiale. Sed nullum eſſẽtiale in Deo eſt incommunicabile. Igitur nullum abſolutũ eſt, pro quo perſona, de huiuſmodi materiali, ſupponat & quod ſic connotet: ſed tantum dicitur eſſe relatiuum, quiquid perſonale eſt ibi. Tertiam tandem partem probat Doctor à ſimili de perſona creata, quia ſicut illa connotat tertio naturam intellectualem creatam, ſic perſona diuina connotat tertio naturam intellectualem diuinam, in qua ſubſiſtit.

16. *Tertia concluſio.* Dico tertio, conſequenter ad ea, quæ dicta ſunt, quod perſona diuina ex vi ſuæ ſignificationis de formali ſuo conceptu primario ſignificat ſubſiſtens incommunicabiliter in natura diuina, vt abſtrahit ab abſoluto, & relatiuo. Cõcluſio eſt Scoti, & ſatis patet ex dictis & notatis, quia ſi non ſignificat de formali abſolutum, neque relatiuum, non eſt aliud ſignificatum, quod de formali importare poſsit, niſi illud eſſe indifferens ad vtrumque.

17. *Ad argumẽta.* Ad argumẽta autẽ, & ad primũ dico, quod quãuis verũ ſit, quod perſonæ diuinæ cõſtituũtur relationibus, vt in ſequentibus difficultatibus latè patebit, hoc eſt loquendo de perſona diuina cũ omni ſua contractione, vt ſic enim iam ſupponitur relatiua. Modo autẽ abſtrahimus à relatione, & concipimus perſonam diuinam, quatenus præciſe perſona diuina eſt. Et vt ſic ſatis eſt cõſiderare incõmunicabilẽ ſubſiſtentiã in natura intellectuali diuina, vt verè concipiatur diuina perſona, quia relatio non eſt de formali conceptu incommunicabilis ſubſiſtentiæ, vt præciſe incommunicabilis ſubſiſtẽtia eſt. Licet igitur hęc incommunicabilis ſubſiſtentia in particulari relatio ſit, eſt nihilominus ab ea abſtrahibilis ratio incommunicabiliter ſubſiſtendi, ſine eo quod ibi includatur aliqua ratio referendi: quia abſtrahentium non eſt mendacium, neque iſta abſtractio tollit, perſonam cõſtitui per ſubſiſtentiam incommunicabilem, quę à parte rei relatio eſt: ſed conſiderat perſonam ſecundum prædicata quidditatiua, & formalia perſonæ, in quibus ſaluatur vera, & formalis ratio perſonæ, etiam diuinæ, vt præciſe perſona eſt: ſic etenim de formali non aliud importat, quam incomunicabilem ſubſiſtentiam in natura diuina.

Ad ſecundum, & tertium eodem modo reſpondendum eſt, ſicut ad primũ. 18.

DIFFICVLT. LXXXIIII.

Vtrùm hoc nomen perſona in Deo ſignificet aliquem conceptum à parte rei communem vniuocum Patri, & Filio, & Spiritui Sancto?

§. I.

Proponitur ſtatus controuerſiæ cum quorundam opinionibus.

DE perſonalitate quoad ſui rationem communẽ, actũ eſt iam ſupra in difficultate 82. modo autem vniuocationem, & cõceptum realem huius nominis *perſona* in diuinis inquirimus. Et non agitur hic de cõceptu vniuocè cõmuni perſonæ creatæ & increatæ, de hoc etenim pũcto latè egimus ſupra in difficult. 58. vbi nõ ſolũ generaliter de conceptu obiectiuo entis 1

entis à parte rei communi Deo,& creaturis,ſed etiam ſpecialiter de relationibus, & atributis eandem vniuocationem numero 20.reſoluimus.Verum de perſonis ipſis diuinis adinuicem comparatis inquirimus: vtrùm aliquis conceptus a parte rei illis cõmunis vniuocus,per hoc nomen *perſona* importetur? Et ratio dubitandi ex eo maximè vrget: quia cũ relationes diuinæ ſeu perſonalitates,quæ ſunt proprietates perſonales,vt habetur ex difficultate 52. diſtinguãtur, & ſint prima diſtinctiua perſonarum:dato quod,vt in difficultate 82. concluſimus,non eſt vltra negationem communicabilitatis, aliqua alia ratio conuenientiæ in ipſis rationibus diſtinctiuis:videtur quoque nullam aliam rationem conuenientiæ à parte rei poſſe in perſonis per tales proprietates cõſtitutis reperiri: neque ob id erit eis aliquis conceptus obiectiuus vniuocè cõmunis.

2 Hac ratione conuicti plures exiſtimant,nullum conceptum realem huius nominis *perſona*, ſeu,inquam, à parte rei dari vniuocum tribus diuinis perſonis.Quinimo id eſſet omninò certum apud omnes,ſupponit Grabriel Vazquez 1. parte diſput. 130.cap. 1. ita vt tantummodo hic inquirat, an ſignificatum huius nominis *perſona* ſit commune tribus perſonis per rationem, ſicut genus ſpeciebus, vel quodcumque prædicatum vniuerſale eſt commune particularibus?Hæc tamen Vazqui ſuppoſitio à prima fronte terminos videtur confundere: nam ſi ibi in primo membro excludat cõceptum à parte rei communem diuinis perſonis, ſicuti diuina eſſentia communis eſt illis:bene ſupponit à nemine conceſſum eſſe reperiri à parte rei aliquod ſignificatum per hoc nomen *perſona* diuinis perſonis commune. Si vero per ſecundum membrum intendat excludere conceptum obiectiuũ realẽ à parte rei communem ita, vt ſolum, vellit ibi reperiri ſecundam intentionem generis, non vero rem primæ intentionis, quæ ſubeſt huic ſecundæ intentioni: tunc non benè ſupponit, quia id non aliter quærimus de conceptu à parte rei communi vniuoco diuinis perſonis,quàm alibi quærimus: vtrum detur conceptus obiectiuus communis à parte rei Deo, & creaturis; ibi autem non ſolum ſecundam intentionem, ſed primam, quæ ſubeſt ſecundæ intentioni prædicationis inueſtigamus. Credo attamen in hoc ſenſu loquutum fuiſſe Vazquium,vt patet ex alijs,quæ ibi ipſe notat.

Pro ſententia igitur negante dari talem conceptum à parte rei, facit illa, quæ ponit perſonam non per aliquid poſitiuum, ſed per meram negationem cõmunicabilitatis conſtitui. Circa quam quid Scotus ſenſerit ſatis expoſui ſupra in difficultate 53. nunc autem ſupponendo cum eo conſtitui per poſitiuum, quod per duplicem negationem exponitur, non pro hac ſententia eſt allegandus Doctor. Eam attamen tenet Gabriel in 1. diſtn. 13. quæſtione prima art.primo, quẽ ſequi videtur Canarienſis 1. p. quæſt.29. art. 3. ad tertium:argumenta autem, quæ hanc opinionem confirmant, fere ſunt illa, quæ perſonã in illa duplici negatione conſiſtere probant, licet non efficaciter ex illis poſsit inferri intentum; quia negationes, ſeu priuationes quæ à parte rei pluribus conueniunt, aliquem conceptum communem ſaltem priuatiuum ſeu negatiuum important.Plures etenim cæci à parte rei vniuocè in cæcitate conueniunt(ſi cõceptus negationum, quæ ſunt à parte rei, legitimè vniuocus poteſt vocari) vnde etiam ſi teneretur probabilis ſententia de negatione cõmunicabilitatis, adhuc ſuſtineri poſſet in ſenſu prædicto vniuocatio perſonarum.

3 *Prima ſententia.*

Gabriel.

Canarienſis.

4 Tenentes vero perſonam, vt ſic, in Deo relationem directè importare:cõſequenter omnem rationem vniuocationis à parte rei tenerẽtur negare,ſi cũ Scoto ſentirent relationes perſonales ſe totis differre; quia vbi nulla eſt ratio conuenientiæ à parte rei, neutiquã vniuocatio eſſe poteſt. Quia vero plerumque tenent Thomiſtæ cum Caietano (vt viſum eſt ſupra in difficultate 52. numero 21.)huiuſmodi relationes in aliquo conceptu reali à parte rei conuenire: etiam poſito,quòd teneant perſonam formaliter importare relationem,optimè poſſunt conſequẽter aſſerere,perſonam dicere conceptũ re:

Caietanus.

realem communem diuinis personis.

5. Difficultas igitur vrget in via Scoti: nam cum teneat personalitates, seu relationes personales se totis esse distinctas, & in nullo positiuo reali vniuoce conuenire, vt patet ex difficultate 82. videtur quoque nullam vniuocationem à parte rei in personis posse admitti, prout ex ratione dubitandi apparet.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia cum suis fundamẽtis.

6. *Vera Scoti sentẽtia.*

IN oppositum autem est litera textualis in articulo primo huius quæstionis vnicæ dist. 25. litera C. vbi Doctor hæc profert. *Persona est communis tribus secundum August. 7. de Trinit. cap. 7. si tres personæ sunt, commune est hoc quod est persona, & non communitate æquiuocationis*: ergo communitate vniuocationis: quia secundum Scotum inter vniuocum, & æquiuocum non est medium. Sed clarius supra in distin. 13. quæst. vnica art. 11. vbi concludit productiones diuinas non cõuenire vniuocè inter se: licet earũ termini, qui sunt diuinæ personæ, vniuocè conueniãt. Sequuntur Doctorẽ Basolis in primo dist. 25. quæst. vnica a. 3. §. *dico tamen*, Gillelmus Rubionis ibidem quæst. 1. artic. 2. cõclusione 3. Viguerius ibi. qui in huius sententiæ fauorem adducit Aureolum, Tataretus ibidem, Lychetus §. *quidam arguit*, P. Rada prima parte cont. 22. art. 3. conclusione 3. & reliqui Scotistæ. Tenet Seraphicus Doctor in primo dist. 25. ar. 2. quæst. prima, Alexander Alensis 1. p. quæst. 56. membr. 4. art. 2. est que sententia D. Thomæ prim. parte quæst. 31. art. 4. quem sequuntur Caietanus ibidem, & fere omnes Thomistæ, & Capreolus in 1. dist. 25. quæst. prima art. primo, item Durãdus ibi. Marsilius in primo quæst. 28. conclusione 2. & plures alij.

Basſolis. *Rubionis.* *Viguerius.* *Areolus.* *Tataretus.* *Lychetus.* *Rada.* *D. Bonau.* *Alexand.* *D. Thomas* *Caietanus.* *Capreolus.* *Durandus.* *Marsilius.*

7. Pro huius sententiæ, & difficultatis intelligentia obseruare oportet ex Doctore loco nuper citato aliter loquendum esse de personalitatibus, aliter vero de ipsis personis, nam personalitates, quæ sunt relationes constitutiuæ personarũ, cum se totis differant, prout habetur ex supradictis in difficultatibus 51. & 82. non cõueniunt in aliquo conceptu obiectiuo reali, qui sit eis vniuocus, nisi tantum in negatione communicabilitatis, prout visum est ibi; quod Doctor ostẽdit in citato art. 11. quæst. vnicæ dist. 13. loquendo de duabus productionibus diuinis: & idem concludit de prædictis relationibus constitutiuis in distinctione 23. quæstione vnica art. 2. At vero personæ non solum ratione essentiæ, in qua sunt idem: sed quatenus personæ sunt, dicunt à parte rei cõceptum vnum sibi communem, & vniuocum: & hoc siue in positiuo, siue in negatiuo consistat persona, prout hic in ista quæstione distinctionis 25. resoluit: quia persona etiã vt persona nõ solum est relatio, siue proprietas relatiua, sed hypostasis subsistens in natura diuina, vt Doctor notauit in citato loco illius distinctionis 13. vnde à Patre, & Filio & Spiritu Sancto, non tãtum vt sunt vna Deitas, sed etiam prout sunt tres personæ subsistentes, potest abstrahi vnus conceptus personaliter subsistendi in natura diuina: qui quidem conceptus non tantum est formalis, sed obiectiuus à parte rei illis vniuocè conueniens. In quo quidẽ conceptu non includitur ipsa formalitas relationis paternitatis, aut filiationis, aut spirationis: sed præcisum subsistere personaliter in natura diuina. Quod subsistere (vt ex difficultate præcedente constat) neque relatiuum, neque absolutum importat; sed præconcipitur ad vtrumque indifferens secundum præcisum esse personaliter subsistẽdi in natura diuina. Quod esse est formaliter persona diuina secundum præcisum esse personæ in quo, & non aliter vniuocè conueniunt tres diuinæ personæ, de quibus persona communiter dicitur. Neque ex hoc debes inferre etiã ab ipsis relationibus abstractè sumptis posse abstrahi alium similem conceptum personaliter subsistendi, qui eis vniuocus sit: nam relationes secundum suas formalitates consideratæ abstrahunt ab essentia: & prout sic abstrahunt, non dicunt rationem illam communẽ, quam habent personæ, eo quod

Tribus diuinis personis datur vna communis ratio vniuoca.

natura diuina subsistunt. Et ideò non est talis ratio vniuoca, seu conceptus communis à parte rei ab eis abstrahibilis, sicuti à personis. Non igitur quia persona constituitur relatione, vt relatio est, neque solum quia essentia personarum est eadem in eis, personæ conueniunt vniuoce in ratione personæ: sed quia sunt hypostases subsistentes in natura diuina: & hoc totum simul. quod est hypostatice subsistere in natura diuina, quod dicit de formali, istud sic hypostatice subsistere, & quasi de materiali modo exposito connotat diuinã naturam, est quodam esse commune, in quo diuinæ personæ vniuocè conueniunt.

§. 3.

Statuuntur conclusiones, & solui tur ratio dubitandi.

9 *Prima conclusio. Nomẽ personæ, quid significat.*

His ergo præhabitis difficultatẽ cõcludendo dico primo, quod hoc nomen *persona* significat illud, in quo diuinæ personæ conueniũt tanquam in aliqua ratione communi à parte rei, quatenus personæ sunt. Conclusio est Doctoris, vt patet in litera, & probatur, quia à parte rei: Pater quatenus est persona diuina, formaliter subsistit incommunicabiliter in diuina natura: & similiter Filius, & Spiritus Sãctus: ergo à parte rei quatenus personæ sunt, conueniunt in ratione sic in cõmunicabiliter subsistendi in natura diuina. Sed persona diuina est tale incommunicabiliter subsistens in natura diuina: ergo, & cætara.

10 *Secunda cõclusio. Significatũ nominis personæ est vniuocum tribus.*

Dico secũdo, quod significatũ huius nominis *persona* est vninocum Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & vniuocè dicitur de eis quatenus sunt personæ. Cõclusio est expressa Doctoris in hoc secũdo arti. & vltra quod satis probatur ab eo ibi, & in loco citato distinctionis 13. facile patet ex diffinitione vniuoci: nã vniuoca sunt ea, quorum nomen commune est, & ratio significata eadem. Sed quælibet diuinarum personarum eodem personæ nomine nominantur; & præcisa ratio hypostatice subsistendi in natura diuina est in qualibet eadem: ergo, &c.

11 *Ad rationẽ dubitandi.*

Ad rationẽ dubitãdi respõdeo, quod etsi accipiãtur proprietates personales, secundũ quod constituunt diuinas personas sub expresso conceptu relationis prout infra in difficultate 87. erit compertum, adhuc ab eis abstrahi potest ratio personæ ipsis vniuocè communis: quia omnes sic relationibus constitutæ conueniunt in hoc vno, quod est hypostaticè subsistere in natura diuina. Neque hic est contradictio aliqua eorum, quæ ibi dicũtur, nam aliud est personas relationibus, quæ sunt subsistentiæ, secũdum expressum relationis conceptum constitui: aliud vero in tali expresso cõ conceptu relationis conuenire. Dico ergo quod quia relationes huiusmodi constitutiuæ personarum, secundum quod relationes sunt, se totis differunt: ideò in tali conceptu relationis non est conuenientia aliqua inter personas, quia vero huiusmodi relationes insimul sunt subsistentiæ, hypostaticæ, in quo præcisa ratio personæ vt sic in communi, abstrahendo ab absoluto, & relatiuo, consistit: ideò personæ, quæ per illas in natura diuina subsistunt, à parte rei, & vniuocè conueniunt in ratione personæ: nam, etsi persona diuina constuatur relatione, vt relatio est, in ratione talis personę: in tali tamen relatione reperitur duplex ratio, & quidem illa, qua constituitur persona, vt præcise persona est: & alia, qua constituitur persona, vt talis. Prima est indifferẽs ad absolutũ, & relatiuum, vt patet ex difficultate præcedenti, & in hac vniuoce conueniunt diuinæ personæ. Secunda vero est sub expresso conceptu relationis, secundum quem constituitur non solũ persona vt præcise persona est, sed persona vt relatiua. Et in hac secunda relatione nulla est conuenientia, quia relationes, vt relationes sunt, se totis distinguũtur, vt dictum est: & ideò in nullo cõceptu obiectiuo conueniunt.

Aliud ej personas relationibus cõstitui: aliud in relationibus cõuenire.

DIS-

DISTINCTIO XXVI.

Nunc de, &c.

QVAESTIO VNICA.

De constitutione diuinarum personarum.

CIRCA istã distinctionem vigesimam sextá, quæro. Vtrùm personæ diuinæ cõstituantur in esse personali per relationes originis? circa quod quærũtur duodecim.

¶ Primò. Vtrùm personæ diuinæ se ipsis distinguantur?

¶ Secundò. Vtrùm diuinæ personæ sint absolutæ, & per absoluta constituantur?

¶ Tertiò. Vtrùm diuinæ personæ constituantur per origines?

¶ Quartò. Vtrùm ponere diuinas personas constitui proprietatibus absolutis, contrarietur fidei?

¶ Quintò. Vtrũ probabiliter sustineri possit, diuinas personas constitui proprietatibus absolutis?

¶ Sextò. Vtrùm diuinæ personæ constituantur relationibus originis inesse personali?

¶ Septimò. Vtrùm personas diuinas constitui relationibus originis, contrarietur auctoritati Sanctorum Patrum?

¶ Octauo. Vtrùm omnes relationes diuinæ, etiam quæ sunt cõmunes, sint cõstitutiuæ personarum?

¶ Nono. Vtrùm relatio constitutiua personæ (vt putà paternitas) sit formaliter incommunicabilis de se, an verò quia diuina?

¶ Decimò. Vtrùm aliquis conceptus communis quidditatiuè dicatur de proprietatibus cõstitutiuis diuinarum personarum?

¶ Vndecimò. Vtrùm persona, vt constituta ex relatione, & essentia, sit vnum ens per se?

¶ Duodecimò. Vtrùm diuinæ personæ per relationem constitutæ competat ratio primæ substantiæ, vel esse per se?

ARTICVLVS I.

Vtrùm personæ diuinæ se ipsis distinguantur?

AD primũ sic proceditur, ui detur, quod personæ diuinæ se ipsis distinguantur: quia persona diuina, est quid simplex sicut essentia: essentia autem propter sui simplicitatem se ipsa distinguitur à quocunque: igitur & persona. A.

Secundo præterea, abstractum, & concretum idem significant: ergo paternitas & Pater: ergo dicere Patrum distingui paternitate, est dicere ipsum se ipso distingui. B.

C. Sed contra est: quia quæcumque non sunt primo diuersa, aliquo sui distinguuntur: quia quæ se totis distinguuntur, sunt primò diuersa: si enim non sunt primò diuersa, sed aliquid idem entia, tunc non distinguũtur, quo sunt idem, sed aliquo sui, quo sunt non idẽ: sed personæ diuinæ nõ sunt primo diuersæ, quia sunt eiusdẽ essentiæ: ergo adhuc est quærere, quo distinguuntur.

D. Respondeo dicendum, quod opinio quorundam est, sicut Præpositiui, quod personæ se ipsis distinguuntur, & ita non est quærere, quo formaliter distinguũtur, vel quibus cõstituuntur: quia non habent constitutiuum. Cõtra istud arguitur ab alijs: quia si Pater se toto distinguitur à Filio, pari ratione, & à Spiritu Sancto: etsi eodem distinguitur ab vtroque: ergo eandem habitudinem habet ad vtrumque: igitur, è conuerso, vterque habet ad ipsum eandem habitudinem eiusdem rationis: sicut si Paulus est similis Petro, & Lino: ergo Petrus, & Linus habent similitudinem eandem, & relationem eius dem rationis ad Paulum: & tunc Filius videtur distingui à Patre relatione eiusdem rationis cum ea, qua distinguitur Spiritus Sanctus à Patre.

E. Sed forte istud argumentum non concludit: quia quocumque Pater constituitur inesse personali, eo distinguitur primo personaliter à Filio & Spiritu Sancto: non tamen sequitur è conuerso, quod Filius, & Spiritus Sanctus distinguerentur aliquo eiusdem rationis à Patre: *ideò* contra ipsum aliter arguitur sic. Plures proprietates sunt in eadem persona, sicut in Patre innascibilitas, & generatio actiua, & distinguuntur hic secundum Augustinum 5. de Trinitate cap. 6. vbi vult, quod si Pater non esset ingenitus, posset tamẽ esse Pater, & è conuerso: ergo etsi per impossibile vna nõ distingueret Patrẽ ab aliquo, posset aliqua distinguere, & è conuerso: ergo sẽper est aliquid quo distinguitur Pater à Filio: ita q̃ non primo se toto. Itẽ in Patre est generatio actiua: & spiratio actiua, & spiratione actiua nõ distinguitur à Filio, quia illa est in Filio: ergo Pater nõ se ipso toto æque primo distinguitur: sed aliquo, quod est in eo. Item in præfactione de Trin. dicitur in personis proprietas: nõ autẽ persona est in se ipsa hoc modo, sicut proprietas intelligitur esse in persona: ergo aliquo modo persona dici potest distingui proprietate formaliter, quo non distinguitur se ipsa primo: adhuc ergo est quærere, quo diuinæ personæ distinguuntur: quia quæ se totis, *vt dictũ est*, distinguuntur sunt primo diuersa. *Conclusio.*

F. Ad primũ argumentũ dico, quod verum est, quod persona est simpliciter, sicut essentia: persona tamen includit aliqua, quorum vnum non est formaliter alterum: non ita includit essẽtia, & ideo se tota distinguitur, licet persona nõ se tota distinguatur per essẽtiã, quæ cõmunis est: sufficit enim talis idẽtitas non formalis in aliquo, ad hoc vt vno distinguatur Filius, & non altero.

G. Ad secundum dico, quod concretum siue significet, siue cõnotet, saltem dat intelligere subsistens in forma, vel natura: abstractum autẽ præcise dat intelligere formam, Etsi hoc sit alicui dubium de concreto adiectiuo: saltem hoc videtur certum de substantiuo concreto, quod vel significat, vel necessario connotat subsistens in natura, quæ importatur per abstractum eius: abstractum autem præcise dat intelligere formam: in proposito autem subsistens habens paternitatem, cum hoc etiam habet essentiam diuinam, quę non est formaliter paternitas, nec è con-

conuerſo,prout dicitur 7. de Trinit. cap.1.& cap.4. & ideò Patrem diſtingui paternitate, accipiendo Patrem non adiectiuè, ſed ſubſtãtiuè pro hypoſtaſi (prout accipit Magiſter) non eſt dicere Patrẽ ſe toto diſtingui primo: ſed aliquo:quod eſt in eo,dans tamen intelligere totum,non autem omni eodem modo per ſe includit Pater,vt ſubſtantiuè accipitur, & paternitas Deitatem.

Expoſitio art. 1.quæſt. vni. diſtinctionis 26.

COnclusio eſt,diuinas perſonas neutiquam ſe ipſis diſtingui, atque ideo neceſſario quærendũ eſſe aliquod diſtinctiuum ipſarum. Vnde impugnatur opinio Præpoſitiui oppoſitum aſſerentis: ad quod adducitur ratio aliorum, quam tanquam inſuficiẽ tẽ reijcit Doctor,& reddit alias, quibus probatur concluſio. In ſolutione autẽ ſecundi argumenti optima traditur diſtinctio de concreto, & abſtracto: in quibus ſatis perſpicua eſt litera textualis. Quæ autem in hac tota quæſtione deſiderantur, exactè in difficultatibus ſequentibus, quæ pertinent ad conſtitutionem perſonarum habentur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm diuinæ perſonæ ſint abſolutæ, & per abſoluta conſtituantur?

A. AD ſecũdum ſic proceditur,videtur,quod diuinæ perſonæ ſint abſolutæ,& per abſoluta cõſtituantur. Primò: quia relatione aliquod refertur formaliter, ſicut albedine aliquid albatur: non autem ipſamet relatio refertur: quia ſecundum Beatum Auguſti. 7. de Trinit.cap.2. omne relatiuum eſt aliquid,excepta relatione:& in principio tertij cap. ſi Pater (inquit) non eſt aliquid ad ſe,non eſt quod refertur:ex hoc videtur, quod relatio nõ refertur: ſed illud, quod refertur eſt aliquid ad ſe. Quod etiã probatur: quia illud, q̃ refertur relatione,non eſt aliquid poſterius ea, nec ſimul natura: ergo eſt prius naturaliter, & ita eſt ad ſe:ſed eſſentia diuina nõ refertur realiter:quia non diſtinguitur realiter: ergo tantùm ſuppoſitum refertur:ergo prius eſt ibi realitas ſuppoſiti naturaliter,quàm relatio: non igitur primò ſuppoſitũ diſtinctum conſtituitur in eſſe ſuppoſiti per relationem.Et ex hoc vltra infero, & eſt probatio aſſumptorum, ſuppoſitum primo realiter refertur, ſequitur,quod ſuppoſitũ primo non conſtituitur in eſſe ſuppoſiti per relationem.Probatio iſtius vltimæ cõſequentiæ,omne compoſitũ neceſſario præexigit partes,& partiũ vnionem, & hoc non tantum in compoſito per ſe vno: ſed in compoſito per accidens vno, ſicut enim eſſentia hominis præexigit eſſe corporis,& eſſe animæ,& vnionem eorũ,ita eſſe hominis albi eſſe hominis, & albedinẽ, & vnionem eorum: ergo eſſe alicuius relati,quo dicitur referri primo, quaſi totũ quoddam præexigit relationem,vt formam,& illud quod refertur relatione, quaſi ſubiectum, & vnionẽ iſtorum: prius igitur aliquid informatur relatione, quàm ſit aliquod relatiuum, quaſi compoſitum, quod dicatur referri primo: illud autem prius informatum relatione, poteſt dici referri: quia omne informatum aliqua forma, poteſt dici tale: ergo nihil in diuinis poteſt dici referri, niſi aliquid ſit quaſi totum, quod denominatiuè dicatur referri:illud vero non conſtituetur relatione formaliter tanquam per ſe incluſa in ipſo. Patet

quidē, quod est differentia relati primo ad illud, quod de nominatiuè dicitur referri: & illud non potest esse nisi suppositum, vt primo ostensum est: ergo.

B. Confirmatur ista ratio in simili: quia sicut homo non esset animatus primo, nisi corpus esset quasi priusin formatū anima: ita vt videtur, erit in proposito, quod nihil erit relatū primo, quod cōstituatur in esse formaliter primo relatione, nisi aliquid prius sit relatū quasi denominatiuè per denominationē realē à relatione.

C. Secūdo præterea: iuxta hoc posset argui, sed minus efficaciter sic. Si relatio nō refertur, nec essētia diuina: patet igitur, quod tātū persona refertur: sed quod refertur prius est ad se. Probo secūdū August. 7. de Trin. c. 1. vel 3. quapropter si & Pater nō est aliquid ad se ipsū, nō est omninò quid relatiuè dicatur. Hoc etiā probatur ratione: quia quod refertur, nō est simul natura cūrelatione, nihil enim simul est cū relatione, nisi relatio: igitur illud, quod refertur est relatio: & ita relatio referretur. Nec posteriꝰ est relatione: quia q̄ est quale qualitate, nō est posterius qualitate: similiter de quātitate, & alijs formis: ergo à simili de relatione, ergo oportet dare tertiū mēbrū, scilicet quod illud, quod refertur, est prius relatione, & tūc videtur sequi, quod sit absolutum: quia nihil videtur prius relatione, nisi absolutum.

D. Tertio præterea: relatio realis præexigit extrema realia, vel distinctionē realē extremorū: ergo nulla relatio realis causat primo distinctionē realē extremorū: ergo nec hic. Probatio antecedētis, Phylosoph. 5. Metaph. c. de codē probat identitatē nō esse relationē realē: quia nō præexigit realē distinctionē extremorū. Si dicatur, quod illa relatio nō est realis, quæ nec præexigit, nec facit distinctionē realē extremorū. Contra, ergo istud argumentū, extrema non sūt distincta realiter, ergo nō est relatio realis, nō valeret: aut enim accipitur in antecedēte, quod extrema nō sunt distincta realiter distinctione præcedēte relationē, & tūc nō sequitur: ergo relatio non est realis: quia sic posset accipi in proposito. Aut accipitur in antecedente, quod extrema nō sunt distincta distinctione facta hac relatione, si sic accipis: ideò nō est facta distinctio realis extremorū per illā: quia illa nō est relatio realis: ergo inferre ex antecedēte sic sumpto, relationē non esse realem, est inferre, quia non est realis, quod nihil est.

Text. non habentur

E. Aliter dicitur, quod maior est vera de accidētali relatione, quæ aduenit extremis iam distinctis, talis non est ista, sed est constituēs suppositum formaliter distinctū per ipsā. Cōtra istud, relationi, vnde relatio est, conuenit, quod sit ad aliud, etsi nō est ad aliud nō est relatio, alioquin posset dici, quod paternitas posset esse relatio realis absq; Filio, si nō oporteret aliquo modo extrema relationis esse distincta, sicut nec extrema idētitatis: aut ergo hæc paternitas est ad aliquid distinctū sola filiatione, aut ad aliud distinctū distinctione priori, quā illa, quæ esset à filiatione. Si secūdo modo, habetur propositū. Si primo modo: ergo arguēdo, Paternitas nō est ad distinctū: ergo nō est realis, est arguere sic, huic relationi nō est relatio realis opposita: ergo non est realis: sed hæc videtur esse manifesta petitio principij: quia antecedens nō videtur esse manifestius cōsequē te: nullū igitur argumētū haberetur in multis relationibus ad concludendum, eas non esse reales per hoc, quod non sunt inter extrema realiter distincta, sed esset communiter petitio principij.

F. Quarto præterea sic: omnis relatio primo terminatur ad absolutum, pri-

primus autē terminus relationis in persona est alia persona,& nō essentia. quia sicut nō refertur, ita nō terminat relationē: ita enim terminus relationis distinguitur, sicut relatū: ergo persona,in quantū est distincta ab alia,terminās relationē eius ad se est absoluta. Maior declarabitur dis. 30.q.de relatione Dei ad creaturā.

G. Sed contra est: quia Ecclesia, vel quicūq; exprimit veritatē tenēdā de Trinitate exprimit personas nominibus relatiuis: sicut patet in symbolo Apostolorum,in symbolo Athanasij, & in symbolo Niceno, & in alijs quibuscumque autenticis declarationibus fidei per Ecclesiā vniuersalē: ergo oppositū repugnat Fidei, vt ipsa est ab Ecclesia declarata.

H. Respondeo dicendum, quod est opinio concordans rationibus, & auctoritatib⁹ adductis, *& adducēdis ad probandum personas non constitui relationibus*, quæ ponit diuinas personas esse absolutas: quod ne videatur nouum, & extraneum, adducitur dictum cuiusdam Doctoris antiqui distinguentis aliquid dici dupliciter secundum substantiam: dicit enim, sic intelligēdū esse, quod dicit Ricardus de Sancto Victore, dici secūdū substātiá, est dupliciter, vno quidē modo indicādo substantiā secundū naturā cōmunē, & sic dicitur homo secundū substātiā: alio modo indicādo sustātiā, vt suppositū certū, vt quidā homo. Primo modo dicere substantiā, est dicere quid: secūdo modo dicere substātiā, est dicere aliquid. Dicit igitur, quod hoc nomen substātia, vel essētia dicitur secundū substantiā: quia indicat naturā communē: sed hoc nomē persona dicitur secūdū substātiā: quia indicat suppositum certum distinctum: natura autem communis non multiplicatur, nec refertur: & ideò quod dicit substantiā secundū naturam cōmunem, non dicitur ad se, quod nullo modo potest dici secundū relationē: & modo diuiditur ex oppositō contra aliquid. Suppositum autē, siue hypostasis natū est plurificari, & ad aliud cōparari, & ita referri: & quod sic dicitur secundū substantiā, nihil impedit ratione relationis superadditæ, dici secundū relationē: & hoc vult dicere Ricardus de Sancto Victore. Secundū hoc igitur, poneretur quod personæ diuinæ distinguerentur per aliquas realitates incōmunicabiles absolutas: nō tamē illa constituētia, & distinguētia essent absoluta primo modo: sed secūdo modo: quia etsi nō essent formaliter relationes: constituta tamen per ipsas essent referibilia.

Opinio Ioānis de Ripis in suo dist. 25. & 26.

I. Etsi obijciatur: quo modo tūc saluabitur cōmunis sentētia Sanctorū dicētiū, personas distingui per relationes? ad hoc potest accipi quodā dictū eiusdē Doctoris: idē enim Doctor in q. illa, an proprietates distinguāt personas? dicit, quod secundū quod sūt habitudines nō distinguūt personas, sed secundum, quod sunt origines: *sed de hoc dicto in sequēti artic. erit sermo.* Per ista duo dicta primū de duplici absoluto, secūdū de origine distinguēte, possūt multæ auctoritates exponi, quæ vidētur in cōtrariū: *auctoritates verò hæc sūt*: allegatur auctoritas Christi in Euangelio Mat. vlt. sicut postea tāgetur infra *in sequēti ar.* Adducitur ad hoc Boec. de Trinit. qui multa videtur tangere de hoc. Et August. similiter 5. de Trinit. c. 8. qua propter illud præcipue teneam⁹, quidquid ad se dicitur præstātissima illa, & diuina sublimitas substātialiter dici. Et paulo post quidquid ad se ipsos de singulis dicitur nō pluraliter in sūma, sed singulariter accipiatur. Et ibidem 23. de paruis, quidquid ergo ad se ipsum dicitur, Deus de singulis personis singulariter dicitur, id est Patre, Filio, & Spiritu sancto. Et ibidem capite 11. vel 27.

D. Bonau. in 1. distin. 26. quæst. 3

Capit. 8. de magnis.

quod autem propriè singula in eadem Trinitate dicuntur nullo modo ad se ipsa: sed adinuicem, aut ad creaturam dicũtur: & ideò relatiuè, non substantialiter ea dici, manifestũ est. In his expresse videtur haberi, quod omne dictũ ad se conuenit tribus, & est commune tribus, & quidquid non est cõmune tribus, est relatiuũ, vel relatio: constitutiuum autem, & distinctiuum personæ, non est cõmune tribus: ergo est relatiuũ, vel relatio. Item Augũst. 11. de Ciuit. Dei cap. 10. Deus est quidquid habet, excepto, quod vna persona dicitur ad aliam, & non est ipsa: nam habet, Pater Filium, nec tamen est ipse Filius, & Filius habet Patrem, nec tamen est ipse Pater. Item Boetius de Trinit. in fine: ita igitur substãtia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem: & multa alia verba ibidem ad hoc. Item Damasc. cap. primo, & quoniam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, secundum omnia vnũ sunt, prẽter ingenerationem, & generationem, & processionem: & ibidem cap. 10. in his solis enim hypostaticis proprietatibus ad inuicẽ differunt, hæc sanctæ tres hypostases. Itẽ Damas. ibi 3. de Trinit. cap. 5. differentia autẽ (inquit) hypostaseõ, id est personarum: in solis tribus proprietatibus, annectio, ideſt incausabili, & filiali, & causali, & processibili recognoscimus. Itẽ videtur Ricard. dicere de Trinit. 3. quod personæ nõ distinguũtur in diuinis, nisi per aliũ, & alium modum habendi eandem naturam: ergo. Item Anſel. de proces. Spiritus Sãcti dicit, quod in diuinis omnia sunt vnum: vbi nõ obuiat relationis oppositio.

I. Ad illa, quæ videntur esse contra eam opinionem respõderetur discurrendo per ordinem. Ad illas auctoritates, quæ cõtra eam superius sunt inductæ, ad primum de Euangelio responsum *erit infra in sequenti art.* Ad auctoritates Augusti. 5. de Trinitate respondet per distinctionem positam in principio opinionis, quod Augusti. loquitur de his, quæ sunt ad se; ita quod nec sunt relatiua, nec referibilia: sed etiam opposita relationi, sicut patet per exempla sua: videtur enim ipsemet dicere ibi, quod aliquid est ad se, licet sit referibile ad aliud; sicut expresse vult Augustinus 7. de Trinitate cap. 4. vbi tractans quo modo græci dicũt tres esse substãtias, vult, quod subsistere, secũdum quod competit substantiæ illo modo sumptæ, sit ad se: subdit enim ibi, si aliud est Deũ esse, & aliud subsistere, sicut aliud est Deũ esse, & aliud Patrem esse: relatione igitur subsistit sicut relatio nec gignit. Et ex hoc infert: itaque substantia iam non erit substantia: quia relatiuum. Et infrà, absurdũ est autem, vt substãtia relatio dicatur: omnis enim substãtia ad se subsistit; quãto magis Deus. Quid expressius? quàm substantia, secundum quod Græci accipiunt eam, scilicet pro persona, scilicet substantia prima, non secunda sit ad se: & ad se subsistat illo subsistere, quod competit substantiæ sic dictæ.

Etsi obijciatur, quod ista verba Augustini de substantia, & persona non debent magis accipi de personali, quàm de essentiali: quia dicit quod eodem dicitur Deus, & persona. Respondeo, eodem, id est aliquo dicto ad se, distinguendo illud, quod est ad se contra illud, quod est ad aliud: eo quod Pater non est persona Filij, sicut nec est Deus Filij; quemad modum Sortes non est Sortes alicuius, sicut nec homo alicuius, id est intelligendo, vt correlatiuum: sed non portet quod omninò eodem sit Deus, & persona, ita quod persona omninò ad se dicatur, sicut Deus dicitur ad se, vel Deitas: quia tũc sicut non fuerit tres Deitates, & per hoc nec tres magnitudines secundũ eũ: K.

quia

quia magnitudo dicitur omninò ad se, sicut Deitas: sic nec essent tres personæ, quod ipse negaret. Quæ igitur omninò sunt ad se non numerantur: quæ omninò ad alterum non sunt communia tribus: quæ autem ad se, sed non omninò ad se, sed referibilia, quia non repugnat eis referri, sunt communia: sed numerãtur, aut possunt dici propria, à quibus potest abstrahi aliquod esse numeratum.

L. Ad August. 11. de Ciuit. Dei cap. 10. concedo, quod Pater est quidquid habet, excepto relatiuo, quod habet; & quod non est ipsum, habet quidem correlatiuum, sicut Pater habet Filium: & ideò concedo, quod prima persona, & quidquid habet ad quod non refertur, non est autem secunda persona quam habet, vt correlatiuum: licet ista relatione non primo constitueretur. Ad Boetium, quando dicit, quod relatio multiplicat Trinitatem, &c. dico, quod Doctor ille accipit relationem pro origine, & sic intelligendo, accipitur multiplicare, non pro formaliter distinguere: sed quasi principiatiuè cor respõdẽt er principio effectiuo, *de quo infrequenti artic.* Et hoc quidem non est extorquere verba, multiplicare enim est multa facere, sicut Christus multiplicauit panes Euangelicos, & tamen ipse non fuit forma illa, qua formaliter multiplicabantur panes illi; & Deus creatus multiplicat animas, non tamen est ipse forma, qua formaliter animæ distinguũtur.

M. Ad Ioannem Dam. dico, quod vna eius auctoritas soluit aliam: quia cap. 8. vel 9. præcise ponit in generationem, & in lib. 3. cap. 5. ponit paternalem proprietatem: istæ autem duæ proprietates distinguuntur secundum August. 5. de Trinit. cap. 6. igitur excludendo omnia alia in Patre in cap. 1. præter generationem intelligit per generationem omne personale Patris: & ita vbicunque excludit ab aliqua proprietate alicuius suppositi omne aliud per illã proprietatem inclusam: includit omne aliud personale, & ita includeretur ibi realitas absoluta, si qua esset, & maximè includeretur, vt videtur: quia in creaturis incluso accidente non excluditur subiectum: & ita inclusa relatione in persona diuina, non excluditur illud, quod refertur ea, sicut si diceretur, q̃ sola paternitas est, non propter ea excluditur Pater, qui paternitate esset Pater.

Ad Ricardum dico, quod modus existentiæ alius est, & hoc pertinet ad originem: sed ex hoc non sequitur, quod originatum non sit aliquid subsistens ad se distinctum aliqua realitate personali absoluta ab originante. N.

Ad Anselmũ similiter dico, quod omnia sunt vnum, & eadem, vbi nõ obuiat relationis oppositio, vel formaliter, sicut relatio obuiat alicui relatiuo; vel sicut natum referri relatione opposita: & isto modo personæ (si essent absolutæ) distinguerentur: quia in eis sunt relationes principiantes. O.

Contra istam *tamen* opinionem potest obijci; quod ipsa non videtur stare cum fide. Primo: quia Saluator exprimens Matth. vlt. totam veritatem fidei, quæ de Trinitate tenenda est, nominat tres personas nominibus relatiuis. In nomine (inquit) Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Similiter Ioannes in Canonica sua prima, cap. 5. tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus. Et generaliter vbicumque scriptura Canonica loquitur de personis diuinis, exprimit eas nominibus relatiuis: videtur igitur, quod ponere eas esse absolutas, contradicat scripturæ: & ita etiam fidei. Item, quia Sancti, & communiter Doctores catholici de isto articulo tractantes, tantùm po- P.

nunt, & saluant Trinitatem personarum relatiuarum, quorum doctrinam saltem multorum autenticauit Ecclesia vniuersalis: sicut patet in canone dist. 15. sancta Roman. igitur dictis Sanctorum istorum contradicere, est contradicere Ecclesiæ autenticanti dicta eorum. Si dicatur ad istam obiectionem, quod dicta opinio non solùm fidei non repugnat: sed (quod magis est) scripturę sanctæ concordat: *videantur rationes quibus hoc probatur, in 4. art.* *Conclusio.* *Nunc autem* potest respõderi, quod suppositum non est tantùm relatio, sed tamen est relatiuũ: nõ absolutũ.

Q. Ad primum argumentum conceditur, quod relatio non refertur, sed aliquid, quod non est tantùm relatio; refertur relatione: non quidem essentia refertur: sed suppositum, quia suppositum non est tantùm relatio, sed tamen est relatiuum non absolutum, & ita conceditur tota deductio vsque ad vltimam cõsequentiam, quæ negatur. Et ad eius probationẽ, quod accipitur, quod omni composito oportet prius intelligere partes, & vnionem partiũ: tenentes, quod relatio est in essentia, quasi actus in susceptiuo, oportet quod dicant, quod in ipsa persona, quæ est quasi totum, nõ oportet præintelligere informationem, quasi partis à quasi parte per denominationẽ, antequam intelligatur totum: sed si præintelligatur quasi talis informatio, non tamen intelligitur quasi per modum formæ denominantis. Sed melius videtur dicendum, quod relatio non est quasi forma, vel actus respectu essentiæ sicut tactum est dist. 5. sed magis videtur essentia esse quasi forma, & actus, qua relatio subsistens est Deus: & hoc videtur probari ex hoc quia quandocunque fundamentum est potentiale ad relationem, prius naturaliter informatur fundamentum relatione, quàm suppositum. Conceditur etiam ibi relatum esse aliquid formaliter ipso fundamento, siue secundum ipsum fundamentum: sicut conceditur, Sortem esse similem albedine, vel secundum albedinem: neutrum autem videtur esse dandum in proposito, nec quod paternitas prius insit essentiæ, quã Patri: nec quod Pater Deitate siue secundum Deitatem sit formaliter Pater: quia hoc videtur Augustin. 7. de Trinitate capit. 5. & 9. negare dicendo, quo circa, vt substãtia Patris, ipse Pater est: non quo Pater est: sed quo est: ergo secundũm ipsũ alio est Deus: alio Pater: sed est Deus Deitate formaliter: igitur non est Pater Deitate formaliter, sed alio secundum Augustinum.

R. Ideò aliter dici potest tenendo opinionem communem, quæ dicit personas constitui per relationes, *de qua infra*, quod si partes præexigantur toti: & vnio partium, & quasi partes, & quasi vnio partiũ præexigũtur quasi toti: tamẽ vbi nõ est partialitas nec quasi: sed perfecta identitas eorum, quæ aliàs essent partes, nisi alterum illorum esset infinitum, non oportet præintelligi toti vnionem talium: sed perfectam idẽtitatem vnius ad alterum: & ita videtur in proposito, quod Pater, qui dicitur primo referri, præintelligitur aliquo modo perfecta identitas relationis ad essentiam: sed non vnio quasi formæ, alicui quasi materiæ, vel quasi potentiali: nec tamen talis perfecta idẽtitas est ratio propter quam essentia formaliter denominatur relatione.

S. Ad confirmationem, cum *scilicet* confirmatur ratio per hoc, quod nihil est quantum primo, & per se, nisi aliquid sit quantum per se, & non primo, sed denominatiue, dicitur, quod si quantitas posset esse eadem alicui, quod aliàs esset susceptiuum eius,

eius, & ita eadem, quod non informaret illud: benè posset esse aliquid quantum primo, & tamen nihil quâtum per informationem. Nec hoc videtur mirabile: quia primum videtur posse separari ab eo quod est per se, & non primum: igitur potest aliquid poni primo relatum, licet nihil sit relatum non primo, sed per se, quasi informatum relatione.

T. Ad secundum quòd arguitur, iuxtahoc, negatur illa propositio, quod refertur, prius est aliquid ad se. Ad primam probationem, quæ accipitur ab Augustino, respondeo, quod refertur est aliquid excepto relatiuo: hoc est, includit aliquod absolutum, quod est fundamentum relationis: & ideò si Pater nihil est ad se, nec includit aliquod absolutum: nõ erit Pater ad aliud: sed non intelligit Augustin. quod omne relatiuum est formaliter ad se, antequam sit ad alterum per relationem. Ad secũdam probationem negatur propositio, quam nititur probare, scilicet quod illud, quod refertur, est prius relatione: siue (quod idem est) quod omnis relatio præsupponit illud, quod refertur: hæc enim propositio falsa est in relatione constituente suppositum, & vera in alijs. Cumprobatur per diuisionẽ: dico, quod si debeat dari aliquod istorum trium membrorum diuisioni, magis daretur, quod relatio est prior, sicut forma est prior ente per formam. Nec sequitur, suppositum est quasi posterius relatione: igitur ipsum est relatio: sed sequitur: igitur est relatio, vel relatiuum constitutum per relationem, & sic secundum est verum.

V. Ad tertium dico, quod sicut quælibet forma se ipsa est talis forma, nec est alia ratio intrinseca, quare est talis forma, ita etiam relatio aliqua se ipsa est formaliter realis, & aliqua se ipsa formaliter est tantùm relatio rationis: tamen huius, vel illius aliquando sunt causæ extrinsecæ effectiuæ, vel materiales; aliquando etiam aliqua causata, vel aliqua signa posteriora sunt: ex quibus possunt, hæc inferri demostratione quia. Dico tũc, quod identitas, quia identitas, est relatio rationis: nec est alia ratio formalis, propter quid; paternitas etiam, quia paternitas, est relatio realis, nec etiam est alia ratio formalis propter quid: tamen quia relatio realis est nata habere causas extrinsecas causantes eam, cõmuniter loquẽdo in creaturis, sequitur ibi q relatio, quæ non habet tales causas, nõ est realis: sicut à destructione causæ sequitur destructio causati. Similiter relatio aliqua realis, si non habet talẽ distinctionẽ causarũ priorẽ, saltem causat distinctionem: & tunc ex remotione tã causæ, quàm causati, quorum alterum correspondet relationi reali, potest concludi aliquã relationem nõ esse realem; ita quod sequatur, hæc relatio non præexigit extrema distincta, nec facit ea esse distincta: igitur nõ est relatio realis: & vnde præmissæ sunt veræ, oportet quærere media probantia: sed consequentia est bona, sicut ex destructione causæ sequitur distructio causati, & ex remotione causati sequitur remotio causæ demostratione quia; aut saltem alterum eorum oportet concurrere ad relationem realem; ita quod vbicunque vtrunque remouetur, sequitur consequentia per extrinseca, scilicet remotio relatio realis.

X. Cum dicitur vlterius: ergo inferre relationẽ non esse realem, quia non est inter extrema realiter distincta, est inferre, non est realis: dico, quod non, quia licet non sequatur: ideò non distinctinguit extrema, quia non est realis, quasi arguendo à causa ad causatum: tamen sequitur, non distinguit, ergo non est realis; sicut à causato ad causam: & hoc addito

dito isto, quod non præexigit distincta extrema: quia tũc concurrũt ibi, & negatio causæ relationis realis, & negatio signi. Ex quibus cõcurrẽtibus perfectè infertur negatio relationis realis: sed quandoque distinctione præcedẽte relationes reales, quãdoque non, sed tantùm formaliter causata per ipsas relationes. Et hoc nõ tãtùm est verũ in diuinis; sed etiam in creaturis, & relationibus accidentalibus. Voluntas enim mouet se, & mouetur à se; & non tantùm est relatio realis voluntatis ad volitionem, sed etiam volũtatis vt actiua est, ad se ipsam vt passiua: & vniuersaliter effectus dependens a principio actiuo, & passiuo necessariò requirit relationem realem. Et cum dicitur, voluntas, quæ est fundamẽtum istarum relationum oppositarum mouentis, & moti, etiam denominatur abvtroque earũ, dico, quod oportet procedere ad inferendum conclusionem, quod nec extrema sunt distincta distinctione præcedente relationem, scilicet distinctione pertinente ad genus relationis: sicut nec sequitur, dicuntur de eodẽ: ergo nõ sunt reales, id est, non sunt ex natura rei sine actu intellectus. Vnde benè potest concedi, si tamen illa sint probata, quod consequentia est bona, sed oportet vltimo deuenire ad hoc, præmisso eo quod est de distinctione extremorum: statim enim sequitur; si relatio non consequitur ex natura rei, non est realis, oporteret exponere antecedens, quod extrema, nec distingunt distinctione præcedente relationem.

Y. Ad quartum dici potest, quod benè potest absolutum terminare relationem, & semper terminat in relationibus mensurati, & hoc principaliter soluitur dist. 30. quod relationes creaturarũ terminantur ad Deũ in quantum absolutus est. Vniuersaliter loquendo non oportet concedere terminum relationis esse absolutũ, nisi in relationibus diffinibilibus, de quibus arguitur ibi, quæ scilicet sunt in genere; quales non sunt diuinæ. Vel de termino formali, scilicet ratione cuius primus terminus terminat: non autem de primo termino: quemadmodum enim in relato fundamentum est absolutum: sed non semper illud, quod refertur secundum istam opinionem: ita etiã illud, quod est ratio terminandi relationem, semper absolutũ est: & præexigitur a parte termini relatiui, sicut fundamentum ex parte relati.

Expositio art. 2. quæst. vni. distinctionis 26.

MATERIA huius articuli est satis difficilis: circa quam Doctor quid, Ioannes de Rippis, & alij senserint, suis argumentis fulcitum latè proponit, ex quo nonnuli hanc prædicti Ioannis opinionem ponentem diuinas personas absolutas esse, absolutisque rationibus esse formaliter constitutas, Scoto non dubitarunt imponere: eo quod ipse non hic videatur assertiuè oppositum concludere; quinimo prædictam opinionem de constitutione per absolutum ad lõgum exponat, & quasi tueri videatur. Ab hac tamen calumnia, infra in difficultate 86. & 87. facillimè Doctor liberatur: nèque inconuenit id per verba, *potest dici*, fuisse locutum: sæpe etenim vt patet similibus verbis propriam resoluit sententiam. His igitur propriam in præsenti concludit: *nunc autem potest responderi, quod suppositum non est tantum relatio, sed tamen esse relatiuum, non absolutum*: & hãc esse propriam eius mentẽ satis constat ex eo quod argumenta in cõtrarium fabricata latissime, & acutissime soluit. Nec obstat, quod etiam in art. 4. soluat alia argumenta in fauorem oppositæ sententiæ: quia ibi non agit de veritate, aut falsitate opinionis: hoc etenim iam in hoc secundo concluserat; sed de qualificatione, & censura illius

illius; an scilicet sit contra fidem, necne? & postquam resoluit contra fidem non esse: respondet ad testimonia, & auctoritates, quæ illam de fide esse suadebant (idem fere dicendum est de quinto articulo vbi probabilitatem prædictæ sententiæ inquirit) videatur ergo attentè tota huius articuli litera, & clarè intuenti patebit, Doctorem subtilem neutiquam à communi sententia deuiasse, sed cum omnibus dixisse, diuinas personas relationibus esse constituras; quod expressius tenet infra in art. 6. Demum hanc esse expressam eius mentem confirmatur ex eis, quæ latè tradit in quatuor articulis quæst. 3. dist. 28. vbi concludendo in primo per relationem constitui personam Patris: in reliquis inuestigat, quæ sit talis relatio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm diuinæ personæ constituantur per origines?

A. AD tertium sic proceditur, videtur, quod diuinæ personæ non constituantur per origines, *quod* arguitur comparãdo relationem ad originẽ, ex *quæ* via arguitur primo ex ordine, quem necessario requirit originatio, qui videtur duplex: nam principium originãs videtur prius originato: videtur etiam prius origine. Ex prima via arguitur primo sic: originans est prius originato, relatiuum nullo modo est prius suo correlatiuo: quia sunt simpliciter simul: ergo, &c.

B. Cõfirmatur quasi ex oppositõ cõclusionis sic, si personæ nõ sunt absolutæ, sed primo relatiuæ, tunc non erit aliud, Patrẽ originare Filium, quã Patrem habere Filium correlatiuũ; sed patet, quod Pater ex se, eo quod Pater habet Filium correlatiuũ: quia in nullo instanti, nec naturæ, nec originis potest intelligi Pater sine Filio, vel nisi intelligatur habere Filiũ: igitur Pater ex se sine origine habet Filium: ergo non originat eum, si nihil originatur, nisi suum correlatiuum. Hoc manifestiusſit arguitur, illud nõ originatur, quod posito innascibili, & circunscripta omni actione, habet suum totum esse: tale est correlatiuũ innascibilis: quia ex sola natura relationis, quæ est actus primus, circunscripta omni actione, siue actu secundo, correlatiuum innascibilis est, innascibili existente: ergo, &c.

C. Secundo præterea, relatio nõ potest originari, nisi aliquo absoluto prius originato, & hoc aut in relato, aut in termino, sicut nec motus potest esse in ad aliquid, nisi per accidens: quia est per se ad aliquid absolutum in subiecto, vel in termino relationis, vt patet quinto Physicorum: ergo persona diuina, quæ primo originatur, non potest esse tantum relatio subsistens, sed oportet ponere aliquod absolutum, quod primo originetur. Confirmatur ista ratio, maximè si negetur essentiam esse formalem terminum huius productionis: tunc enim nec originatum erit ad se, nec formalis terminus generationis, vel originationis: quod videtur inconueniens. Text. 60. 12.

D. Tertio præterea, omne relatiuum æquè naturaliter respicit suum correlatiuum: ergo æquè naturaliter spirans respicit spiratum, sicut generans generatum: igitur si producitur vtraque productione tantum relatiuum: vtrumque æquè naturaliter producitur, & ita non erit in diuinis duplex productio, scilicet per modum naturæ, & voluntatis, tunc enim æquè verè potest dici, quod & Spiritus Sanctus producitur per modum naturæ, sicut, & Filius, quod est contra omnes.

Quarto

Quarto præterea: quia tunc nulla productio in diuinis erit generatio: quia generatio est ad primam substã tiam, vt ad productum : hîc autem ponitur relatio, vel relatiuum primum productum : ergo erit productio in genere relationis, & non generatio.

F. Quinto ex secunda via huius viæ sic: suppositum aliquo modo præintelligitur actioni, quia prius intelligitur vnũ quodcumq; per se esse, quã per se agat: in illo priori si est suppositũ ad se, habetur propositum : si nõ est suppositũ ad se, sed ad aliud, vt ad Filium: ergo simul intelligitur filius, & ita Filius præintelligitur generatio ni, & ita Filius non est terminus generationis. Et cõfirmatur, quia quacumq; prioritate vnũ correlatiuum præintelligitur alicui, eadem prioritate, præintelligitur reliquum eidẽ, propter simultatem relatiuorũ. Iuxta hoc posset argui de tertia prioritate, scilicet relationis ad personam, quod probatur per Philosophum 7. Metaph. cap. 3. forma enim est prior composito secundum Philosophum ibi : ergo paternitas est prior persona prima : & perconsequens relatio oppositа paternitati erit prior persona prima : igitur ipsa non habetur à prima persona per actionem primæ personæ. Cõsequentia de relatione oppositа probatur per simultatem relatiuorum.

Text. co. 7.

G. Sed contra est, quod Damascen. cap. 1. *ait*, & quoniam Pater, & Filius & Spiritus sanctus, secundum omnia vnum sunt, præter ingenerationem, generationem, & processionem. Et ibidem cap. 10. In his solis enim hypostaticis proprietatibus abinuicem differunt hæ sanctæ tres hypostases.

Lib. 1. fidei orthodoxæ.

H. Respondeo dicendum, quod ad hoc potest accipi quoddam dictum eiusdem Doctoris *allegati in præcedẽti articulo*, idem enim Doctor in quæstione illa, an proprietates distinguãt personas? dicit: quod secundũ quod sunt habitudines non distinguũt personas: sed secundum, quod sunt origines. Quod verum (licet forte ipse non sic intelligat) potest exponi, quod origines non distinguũt personas formaliter; sed quasi principiatiue, sicut motus in creaturis, & maximè si esset in mouente, & non in moto, non distingueret terminos talis motus formaliter, sed effectiuè, eo quod pertineret ad genus causæ efficientis, quemadmodum etiam si natura humana poneretur in vno homine, & ipsa non posset multiplicari, nisi per generationẽ, posset dici, quod generatio multiplicat homines, non quidem formaliter, quasi homines distinguerentur formaliter à generationibus, vt sunt generationes: sed quasi effectiue: quia generatio reducitur ad genus causæ efficiẽtis. Ita posset dici in proposito, quod natura diuina non cõmunicatur suppositis, nisi per originem, & ita origine distinguuntur personæ in natura quasi principiatiuè reducendo ad ipsum principians, quod distinguit nõ formaliter, sed quasi correspondenter distinguenti effectiuè in creatura. Et tunc posset poni exemplum, quod sicut, si anima intellectiua primo perficeret, vel constitueret cor in esse suppositi, & secundo cor animatum posset producere manum in esse suppositi: non essent aliqua distincta in natura animati, nisi per origines: & tamẽ formaliter essent aliqua absoluta, quorum vnum producitur per alterũ in ipsis: tamen verè essent relationes producentis, & producti, non æquè minus saluãtur relationes, sed magis, vt videtur, si ponantur aliqua absoluta, quæ possent referri, quàm si non ponantur aliqua talia absoluta. Per ista duo dicta, primum de duplici absoluto, *de quo in præce-*

S. Bonauẽ. in 1. distin. 26. q. 3.

Conclusio.

precedente art. secundum de origine distinguente, quasi correspondenter primo principio effectiuo in creatura, non formali, possunt multæ auctoritates exponi, quæ videntur in contrarium.

I. Ad primum argumentum, & secundum simul dico, quod Patrem originare Filium, est Patrem habere Filium pro correlatiuo, non quocũque, sed tali correlatiuo: & quia talis correlatio est relatio originis: ideò vnum extremum potest esse prius origine altero, licet sint simul natura.

K. Ad secundum similiter hæc respõsio *tenet, scilicet ad argumentum* de prioritate suppositi ad actionem, sicut declarabitur dist.28.

L. Ad tertium dico, quod falsa est illa propositio, quod relatio non potest esse terminus formalis generationis, vel originis, siue actionis, vel mutationis, sicut patebit in materia de Incarnatione. Et quidquid sit de termino formali, saltem relatiuũ potest esse terminus productus, ita ꝙ essentia, quæ est ad se, in relatiuo sit per se formalis terminus, & hoc modo positũ est in dist. 5. in productione personæ. Cum igitur dicit relatio non originatur, nisi absolutum originetur, si intelligas originari, sicut primus terminus generationis, vel productionis, posset concedi de relatione, nõ de relatiuo. Si autem intelligas de originari, sicut formalis terminus, primus posset simpliciter cõcedi, & neutro modo est contra positum: quia nec ponitur relationẽ primo originari, sed suppositum, nec ponitur relationem esse terminum formalem productionis, sed essentiã simpliciter absolutam.

M. Ad quartum dicitur, quod est generatio: quia ista relatio habet vim constituendi secundam personam, vel primam substantiam in natura diuina, saltem oportet dicere (tenendo istam viam) quod relatio ista potest esse proprietas personalis subsistentis in natura diuina, sicut si esset aliqua proprietas personalis absoluta: & ita eius productio erit productio subsistentis in natura substantiæ: & ideò generatio: quia generatio est generatio ex formali termino, qui est natura communicata producto: non autem ex indiuiduali, siue incõmunicabili proprietate producti, sicut vniuersaliter, omnis motus recipit speciem à formali termino motus.

Ad quintum, videtur eis difficile N. respondere, qui dicunt personas esse relatiuas, & cum hoc relationes esse principia agendi: quia tunc nec ex parte agentis, nec ex parte principij agendi, potest esse libertas. Sed licet teneatur opinio *ista* quantum ad primum dictum, secundum tamẽ negaui dist.7.

Expositio art. 3. quæst. vni. distinctionis 26.

NON profert Doctor sententiã directè afirmatiuam, aut negatiuam circa huius articuli substantiam: sed tantum sententiam D. Bonauenturæ de constitutione personarũ per origines proponit, & qualiter hæc Seraphici Doctoris sententia possit sustineri exponit. Ad quod adhibet optimam distinctionem de cõstitutiuo principiatiuè, seu causaliter, & constitutiuo formaliter: qua distinctione egregie ab Scoto explanata, redditur sententia D. Bonauenturæ verissima, quæ etiam aliter infra in difficult. 86. à nobis exponitur. Sed aduertendum est, quod licet origo non sit formaliter ipsa relatio, sed potius relationis fundamentum in creaturis, atque ideò simpliciter loquendo sit quid absolutum, eo quod relatio distinguitur â suo fundameto: nihilominus in diuinis idẽ formaliter ex natura rei est origo, ꝙ relatio, etsi secũdũ nostros inadæquatos cõcept⁹, origo à relatione distin-

tinguatur. Ex quo patet lógê diuersam esse prædictam D. Bonauenturæ sentẽtiam ab opinione Præpositiui: quinimo asserere personas constitui per origines, non est simpliciter asserere cõstitui per absolutum, aut per non relationes: sed est dicere constitui per id, quod ex natura rei formaliter est relatio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ponere diuinas personas constitui proprietatibus absolutis, contrarietur fidei?

A.  D quartũ sic proceditur, videtur, quod ponere diuinas personas constitui proprietatibus absolutis contrarietur fidei: quia Saluator exprimens Matth. vlt. totã veritatem fidei, quæ de Trinitate tenenda est, nominat tres personas nominibus relatiuis: in nomine inquit Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti. Primo *igitur sic*, quare voluit Saluator personas nominibus relatiuis exprimere, si sunt absolutæ: & absoluta si sint, nolatuissent eum, & congruum videtur baptismum dari inuocando personas diuinas proprijs nominibus ipsarum.

B. Secundò præterea sic, articulus quando traditur à Christo, conueniens est illum accipere, secundũ illum intellectum, qui maximè potest haberi a Christo: talis est de personis relatiuis, & nullo modo de absolutis: igitur videtur, quod ponere eas esse absolutas contradicat scripturæ, & ita etiam fidei, *si quidem* generaliter vbicunque scriptura canonica loquitur de personis diuinis exprimit eas nominibus relatiuis.

C. Tertiò præterea sic, consequentię Sanctorum, & Doctorum supponendæ sunt esse necessariæ: sed illis vtẽ do vel similibus, concluditur ex manifestè credito, quod personæ non sunt absolutæ: sicut patet in multis deductionibus magistrorum, quorũ doctrinam (saltem multorum) autẽticauit Ecclesia vniuersalis: sicut patet in can. dist. 15. sancta Roman. igitur dictis istorum Sanctorũ contradicere, est contradicere Ecclesiæ autenticanti dicta eorum.

D. Sed contra videtur esse, quia nihil asserẽdum est, esse de veritate fidei, nisi quod traditur in scriptura, vel ab vniuersali Ecclesia declaratur in scriptura, vel ex altero istorum sic tradito, vel declarato necessariò, & euidenter infertur: tale non videtur esse, personas nullis proprietatibus absolutis distingui: igitur, &c.

E. Respondeo dicendũ, quod dicta opinio (vt dicitur) non solũ fidei nõ repugnat: sed (quod magis est) scripturæ sanctæ cõcordat, primũ ostenditur dupliciter. Primo sic: quia quid quid de Trinitate sacra scriptura tradidit, vel Ecclesia declarauit, vel Doctor autẽticus manifestè asseruit: hęc dicta opinio cõcedit, videlicet, quod tres personæ congrue exprimuntur nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: quia cõcedit ibi verè relationes originis: quia concedit verã originationẽ vnius personæ ab alia, quę est generatio: & ita persona genẽrãs est Pater, & persona genita est Filius, & processionem tertiæ à duabus, & ita procedens est Spiritus sanctus, & spiratur volũtate casta, & sancta: sed non dicit scriptura, nec vniuersalis Ecclesia alicubi declarando, quod personæ solũ his relationibus distinguuntur: sicut nec dicit, quod distinguuntur proprietatibus absolutis: nunc autem licet tenendum sit pro vero quidquid tradit auctoritas, nõ tamen est negandum esse verũ, quid quid ipsa non tradit: multa *enim* (inquit ille Christi secretarius Ioannes) opera, & signa fecit Iesus, quæ non

sunt scripta in libro hoc. Ioann. vlt. Certe nec alicubi: quia addidit, existimo mundum non posse capere libros.

Logice etiam *loquẽdo patet*: quia locus ab authoritate negatiue non tener. Secũdo, *sicut probatũ est supra §. sed cõtra: cuius argumenti* prima pars minoris videtur plana, quod *scilicet* scriptura nusquã hic tradidit personas nullis proprietatibus absolutis distingui: quia relationes affirmat, absolutas *tamen* proprietates nusquam negat. Secunda pars patet, quia quæcumque tenenda Ecclesia circa articulos de Trinitate declarasse inuenitur, continentur in symbolo Apostolorum, vel Athanasij, vel Niceni, vt extra de sum. Trinit. & fid. Cathol. capitulis firmiter, & damnamus: quæ duo capitula edita fuerunt in Concilio Generali sub Innoc. Tertio celebrato, vel ex. de sum. Trinit. & fid. Cath. fideli: & hodie, in 6. lib. quod capitulum editũ fuit in Concilio Lugdunensi Generali, sub Gregorio. X. celebrato, non inueniuntur plura scripta authẽtica declarationem Ecclesiæ, circa articulum de Trinitate continentia: nec in aliquo istorum declaratur personas per proprietates relatiuas constitui, *quod* patet intuenti. Tertia pars minoris probatur: quia rationes, quæ fiunt ad inferendum propositum, ex tradito per scripturam, vel declarato per Ecclesiam, videntur omnes esse solubiles, sicut postea respondebitur ad eas. Secundum, scilicet, quod hæc opinio Scripturæ cõcordet, ostẽditur per illud Pro. 30. vbi post multas quæstiones motas de Deo quærit Salomõ, quod nomen eius, & quod nomen Filij eius, si nosti?

F.

Ex hoc arguitur sic: omnis quæstio aliquid certum supponit, & aliquod dubium quærit. ex 7. Metaph. ca. vlt. hic igitur est certũ filium esse: & quæritur, quod est nomen eius? & pari ratione per naturam relationis supponitur illud, cuius est Filius, esse, scilicet Patrẽ, & quæritur, quod eius nomen? igitur hoc existente certo, scilicet, hunc esse Filium, & hunc Patrem, dubium est, quod nomẽ huius, & quod illius? Sed si istæ personæ primo constituantur in esse personali per paternitatem, & filiationem: proprium nomen huius est Pater, & propriũ illius est Filius: & ita esset certitudo de Filio, & non dubitatio, quod nomen esset eius: ergo Salomon videtur intẽdere, quod non primo constituãtur filiatione, & paternitate, sic quod nec Filius sit proprium nomen eius.

G

Sed quod sit Filius, adhuc restat quærere secundum ipsum, quod nomen eius: hoc breuiter sic arguitur ad impossibile deducendo. Dato, quod proprium nomen personæ, quæ est Filius, sit Filius, quod sequitur si primo cõstituatur relatione, vel filiatione: igitur idem quærit Salomon, & supponit: supponit enim propriũ nomen personæ, & quærit quod est nomen eius? Sed si dicto modo respondeatur ad obiectionem de fide factã, contra *hanc* opinionem: contra hanc responsionem arguitur *sicut in principio articuli*: isto *tamen* modo diceret aliquis nihil inueniri contra opinionẽ prædictam.

H

Ad primum argumẽtũ forsan diceret aliquis, quod propter duo saluator sic expressit personas cõgrue. Primũ, quia nos docuit, sicut eramus capaces: si autẽ sunt proprietates absolutæ: vidit eas nos nõ posse cõcipere, vel nõ cõcipere ita faciliter, sicut relationes: quia nec per viam causalitatis, & eminẽtiæ possunt cognosci à nobis, cum non sint perfectiones simpliciter: nec per aliquid simile in creatura, sicut forte possumus concipere relationes, ex relationibus originis in creaturis: quia illis incommunicabilibus absolutis, si sint,

I

nulla sunt similia in creatura : imo nec alicui incommunicabili increato est aliquid simile: quia quodlibet tale, primo est diuersum à quocumque alio, & hanc impossibilitatem, vel difficultatem cognoscendi illas absolutas proprietates (si sint) possit quis concipere ex præmissa quæstione Salomonis. Exemplum huius patet in communi modo loquendi: vbi expressius, & frequentius exprimimus personas aliquas nominibus relatiuis, quam absolutis : quia illa nomina sunt notiora : tamen constat personas, quas intendimus illis nominibus exprimere, esse in se absolutas: verbi gratia, hoc fecit Papa, vel Episcopus, vel Rex: non ita sæpe diximus, Petrus, vel Ioannes: quia officia sunt notiora personis absolutis : ita posset esse hoc, quod originem personæ possumus concipere per proprietatem absolutam, si habet, vel non possumus, vel non ita faciliter. Secundo: quia si sint proprietates absolutæ, & secundum hoc personæ possent nominari nominibus absolutis: sic tamen nominando eas, non exprimitur illis nominibus tantum de necessitate fidei, quantum istis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: quia istis non tantum exprimitur distinctio personarum, sed etiam origo, quæ est in eis, & aliquo modo consequenti vnitas essentiæ: quia in tali origine perfecta est communicatio eiusdem essentiæ: per tria nomina absoluta, non sic exprimerentur hæc omnia. K

Ad secundum forsan aliquis diceret, primo, quod ille intellectus, quē Christus expressit, scilicet, quod sint personæ relatiuæ, est absque dubitatione tenendus. Sed de eo quod tacuit, scilicet, an sint absolutæ? non est magis contra intellectum articuli vna pars, quam alia, nisi ostendatur repugnare intellectui, quem expressit. Secundo diceret, quod articulum fidei restringere ad intellectum specialem, qui tamen traditus est in generali, quasi non possit intellectus generalis esse verus, nisi specialis sit verus: hoc videtur articulum reducere ad incertitudinem: videtur enim incertum, quod potest sine incerto teneri, saltem maior reuerentia videtur fieri articulo, in vniuersali tradito, si dicatur intellectum eius vniuersalem posse esse verum, quocumque speciali posito, vel negato, quod non est traditum, & tenendum, quam quod non possit esse verus, nisi aliquod determinatum speciale sit verum, Exemplum huius in alijs articulis. Creator cœli, & terræ: non oportet hoc arctare ad hoc, quod nisi omnipotentia in Deo aliquo modo distinguatur à voluntate, non potuit creare, & ita de parte opposita. Similiter Verbum factum est homo, non oportet arctare ad multa specialia, nec ad aliquod illorum, cum quorum quolibet, & etiam opposito, potest stare hoc verum.

Aptius exemplum videtur: si in Iudæis erat traditum, vt crederent Deum esse vnum, & de Trinitate nihil explicite: non solum minor reuerentia, sed irreuerentia, & falsitas esset asserere, hunc articulum non posse esse verum, nisi esset vnus personaliter, sicut est essentialiter. Et tamen hoc videretur tunc esse magis consonum verbis articuli eis traditi, quam oppositum. Sicut igitur illi tunc neutram partem debuerunt asserere esse necessario tenendam: sed vtraque posita, necessario tenendum esse illud, quod in generali fuit eis traditum: ita videtur, quod circa articulos nobis in vniuersali traditos, nō debeamus asserere sine declara L

tione

tione Ecclesiæ necessario hoc speciale, vel illud esse tenendum, cum quorum vtroque possunt articuli stare, vt traditi sunt: non enim Deus, qui scit in speciali istam veritatem, sine causa tantum secundum intellectum vniuersalem tenendam de fide tradidit: & nec ad hunc modum specialē, nec ad illum, tamquam ex fide tenendum arctauit. Tertio, quia in proposito non videtur propter reuerentiam istarum personarum dicendum, quod sint tantum relationes in essentia, nisi hic certissime traderetur, & hoc propter modicam entitatem relationis respectu entis absoluti.

M Ad tertium diceret forsan aliquis, quod præcise propter rationem solubilem, à quocumque fiat, non est tenendum aliquid esse de substantia fidei. Nec forsan propter conclusionem talis rationis, quatenus præcise est per illā rationē cōclusa, sic arguēs se exponeret morti: nec aliquis secūdum rectam rationem, se deberet exponere: oportet igitur habere maiorem authoritatem ad hoc, quod aliquid teneatur esse de fide, quam quod Sanctus aliquis sic arguat: sæpe enim quis arguit, quod non omnino asserit. Licet illud, quod Sanctus autē ticatus ab Ecclesia, quantum ad doctrinam asserit esse tenendum, sit certum: tamen aliæ authoritates dubiæ possunt exponi, & multo magis aliorum minus autenticorum scribentium: isto modo diceret aliquis, nihil inueniri contra opinionem prædictam.

Expositio art. 4. quæst. vnica dist. 26.

NT Visum est supra in commentario art. 2. non agitur in hoc art. de veritate opinionis præpositui, sed de qualificatione illius: an scilicet sit de fide certum, diuinas personas relationibus formaliter in esse personali constitui? Circa quod tria facit Doctor, & quidem primo quæ sit propositio de fide ostendit, de quo ait. *Quod nihil asserendum est esse de veritate fidei, nisi quod traditur in Scriptura, vel ab vniuersali Ecclesia declaratur in Scriptura, vel ex altero istorum, sic tradito, vel declarato, necessario, & euidenter infertur.* De secundo vero probat hanc propositionem, scilicet, *personæ diuinæ relationibus constituuntur*, neque esse traditam in scriptura, nec ab vniuersali Ecclesia declaratam, neque ex aliquo scripturæ loco, aut declaratione Ecclesiæ euidenter necessario illatam. Tertio tandem concludit, ex primo & secundo, propositionem prædictam non esse de fide. Quantum igitur attinet ad primū certissima est Doctrina Scoti, & ab omnibus vniuersaliter recepta. Quantum vero ad secundum, non est, qui illam expresse contra fidem esse dixerit, aut vt expresse hæreticam damnauerit: licet illam erroris insimulauerint Canarienſis 1. p. quæst. 40. arti. 2. secunda parte Commentarii sui, & alij pauci. *Canarienſ.* De tertio tandem dubium est se non potest, quia est conclusio optime ex præmissis illata. Sed circa huius articuli litteram maxime ponderandum est pro confirmatione eorū, quæ supra in commentario secundi articuli notauimus, qualiter contronertatur Doctor pro liberanda prædicta sententia a labe erroris, eius tamen falsitatem supponens. Si etenim ei, vt propriè assentiret, & eius veritatem intenderet patefacere: profecto non in hoc laboraret, sed ipsam quoad veritatē ostenderet. Nec obstat, & ibi dicat lit. E. (*& quod magis est*) *scripturæ Sāctæ concordat*: hoc enim nō est aliud quā si sic diceret: nō solū nō cōtrariatur euidēter præ-

dicta opinio scripturæ, quod requirebatur, vt esset contra fidem: quinimo si attendatur aliquis locus scripturæ (quem ibi ipse assignat) videtur concordare cum illo. Et quod hæc sit mens genuina Scoti, aperte constat: nam si aliud ibi intenderet: proculdubio, sicut intendit non esse de fide personas relationibus constitui, quia scripturæ non contradicit: consequenter probaret oppositum esse de fide, quia scripturæ concordat, quod absit. Satis ergo habetur ex dictis legitima textus intelligentia.

ARTICVLVS V.

Vtrum diuinas personas constitui proprietatibus absolutis sit improbabile?

A AD Quintum, sic procedit. Videtur, quod diuinas personas constitui proprietatibus absolutis, sit improbabile: quia si per absolutum constituitur persona in diuinis: ergo absolutum additur absoluto: sed absolutum additum absoluto necessario facit compositionem. Sed si in absoluto aliquo conueniunt personæ diuinæ, constat quod non eodem absoluto, quo conueniunt, distinguntur personaliter: ergo absoluto alio: ergo est ibi absolutum, & absolutum: ergo compositio. Hoc non sequitur de relatione: quia relatio nihil addit supra suum fundamentum, nec facit compositionem cum eo. Aliter confirmatur ista positio, & ista ratio: quia relatio vno modo potest transire in substantiam, & per hoc non facere compositionem cum absoluto: alio modo potest manere per comparationem ad oppositum: & ita distinguitur realiter. Istæ duæ rationes non videntur competere absoluto: quia absolutũ, vel omnino manet, vel omni modo transit. Si omni modo transit, non distinguit, sicut nec essentia, inquam transit. Si omnimode manet: ergo compositio.

Secundo præterea, eadem natura B non potest esse in diuersis suppositis absolutis, nisi distinguatur in eis: licet enim possit esse in diuersis suppositis relatiuis: quia idem illimitatũ potest esse fundamentum plurium relationum in diuersis suppositis non tamen in diuersis suppositis absolutis videtur posse esse, nisi distingueretur in eis. Si enim sunt duo suppositа absoluta: videtur quod quicquid est in vno, sit aliud à quocumque, quod est in alio: ergo essentia diuina numeratur in personis, si personæ diuinæ constituerentur in esse personali per absoluta.

Tertio præterea, secũdum omnes, C relationes sunt in personis diuinis: ergo si non constituunt personas, videtur sequi duo inconueniẽtia. Primo quod erunt ibi, quasi accidentales, & aduentitiæ personis constitutis, quod videtur esse contra simplicitatem diuinarum personarum. Secundo quod tales relationes, quæ sunt propriæ personis erũt relationes rationis: quia relatio Dei ad creaturam, ideo, non est realis, quia præsupponit diuinam personam in esse perfecto, & non depẽdente ad creaturam, nec naturaliter, vel necessario coexigentem eã ad suũ esse personale: igitur à simili, idẽ videtur in proposito: si persona prima sit absoluta, non dependebit ad secundam, patet. quia etiam præintelligitur perfecta, in sua habitudine personali, ante secundam personam, & per consequens non necessario coexigit personam secundam ad suum esse personale: ergo habitudo eius ad secundam personam erit tanum

tum relatio, vel habitudo rationis.

D Quarto præterea, si proprietas absoluta A. exprimatur, vel pullulat ab essentia, & similiter. B. & expressum est in eodem supposito, cum eo, à quo exprimitur, secundum istum modum exprimendi, qui ponitur: ergo A. & B. erunt in vna persona, & ita nulla persona originabitur ab alia: quia propria earum erunt in eadem persona numero: imo sequitur, non erit distinctio personalis.

E Quinto præterea, sequitur, quod non sit ibi origo: quia persona originata per originem capit essentiam: sed persona, si est absoluta, præcedit ipsam relationem originis: igitur secunda persona præcederet inessendo ipsam originem passiuam, & ita non haberet esse per eam.

F Sed contra *videtur*, quod August. 7. de Trinit. cap. 1. vel 3. ait, qua propter, si & Pater non est aliquid ad se ipsum: non est omnino, qui relatiue dicatur: ergo, &c.

G *Respondeo dicendum, quod vltra argumenta proposita sunt aliæ tres rationes, ex quarum solutione soluitur difficultas: prima ratio est hæc.* Si proprietas absoluta aliqua constitueret, non esset tantum virtualiter in Deo: quia tunc non esset magis tali proprietate hæc persona, quam asinus: includit enim Deus virtualiter perfectionem asini in se: ergo oportet, quod sit ibi actualiter: ergo est ibi, vt actus: ergo dans esse: ergo in diuinis essent tria esse. Hæc ratio secunda: proprietas illa absoluta, si faciat vnum cum essentia: alterum est actus, alterum vero potentia, & alterum perfectio alterius: essentia non perficit illud personale: quia non præsupponit illud: sed magis è cõuerso: ergo absolutum personale erit perfectio essentiæ.

H Et sequuntur duo inconuenientia. Primum, quod essentia secundum se, non sit perfecta omnino. Aliud, quod vna persona non sit omnino perfecta: quia non habet absolutum alterius personæ, quod est perfectio: ex præostensis. Et confirmatur hoc secundum: quia secundum Anselmum Mono. decima quinta, præter relationes, omne aliud aut est simpliciter melius ipsum, quam non ipsum, aut non, sed in aliquo melius non ipsum, quam ipsum: quod secundo modo se habet, non est in Deo secundum ipsum: ergo omne aliud à relatione, quod est in Deo, est simpliciter melius ipsum, quam non ipsum: ergo erit perfectio simpliciter: & ex hoc sequitur, quod nulla persona erit simpliciter perfecta, quia nulla habet absolutum alterius. Sequitur etiam, quod duæ sunt quid perfectius, quam vna, quod est contra Augustinum octauo de Trinitate, capitulo primo, & tertio.

I Tertia ratio, multiplicato aliquo absoluto, multiplicatur omne aliud absolutum circunstans illud: exemplum, multiplicata quantitate, multiplicatur albedo. & è conuerso: ergo si sic sint distinctæ proprietates absolutæ, quæ circunstãt essentiam diuinam, distinguerent etiam essentiam diuinam. Et confirmatur maior: quia plura eiusdem speciei non possunt esse in eodem: istæ si ponuntur, erunt eiusdem speciei: quia si non: erunt igitur alterius speciei. Et ita oportebit quærere, per quid alterum istorum sit incommunicabile: sicut enim ponitur paternitatem, quæ differt specie à filiatione, non posse esse de se incommunicabilem: ita sequitur de A. in Patre, si sit absolutum, & B. in Filio, si differunt specie, quod neutrum erit de se,

incommunicabile: & oportebit stare ad aliqua propria eiusdem rationis. Confirmatur ista ratio saltem: quia non sunt plura eiusdem rationis in eodem perfecto, sicut in diuinis non sunt plura Verba, neque plures Patres: quia hoc videtur esse imperfectionis, quod in aliqua natura possint esse plura, non omnino similia: ergo in natura diuina simpliciter perfecta non erunt plura absoluta eiusdem rationis.

L Prima ratio innititur propositioni huic, scilicet, omne absolutum est actus, & per consequens dans esse. Hæc improbatur multipliciter, tum quia in creaturis (vbi maxime dicitur habere probabilitatem) habet instantiam de proprietate hypostatica: quia illa non est dans esse: quia hinc natura humana in Christo, non haberet idem esse, quod haberet dimissa. Similiter, actus dans esse, dat operationem, proprietas hypostatica in creaturis non dat operationem, quod patet per Damasce. lib. 3. cap. 15. ibi naturales, & non hypostaticas, animus, & voluntates, & operationes: si enim hypostaticas, ideſt, personales, dabimus eas etherotheleas, ideſt aliud volentes, & etheroenergeas, ideſt, aliud operantes: tres hypostases Sanctæ Trinitatis dicere cogemur. Vbi ipse, ex hoc quod personæ diuinæ non habent tres operationes, concludit, quod operatio non est hypostatica, & in communi, siue de proprietate absoluta, siue relatiua. Præterea tertio, in omni eo, quod aliquo modo habet esse aliquo, præter illud, quod dat sibi esse, est aliquid, ratione cuius recipit esse. Patet de composito ex materia, & forma, & omnibus aliis compositis ex actu, & potentia. Igitur in omni habente esse per aliquid dans esse, est aliquid, quod non est actus dans esse, sed ratio recipiendi esse: & ita videtur in suppositio naturæ: quia cum suppositum habeat esse, & natura det esse, proprietas hypostatica erit ratio recipiendi esse.

Ad argumentum tunc potest dici, quod cum dupliciter sit ratio entitatis, quidditatiuæ scilicet, hypostaticæ: sicut quidditatiuæ, est dare esse: quia ipsa est de se communicabilis: ita hypostaticæ est, vt non sit actus dans esse: quia de se est incommunicabilis vt quo: & licet in creaturis proprietas individualis det esse: quia est alicuius gradus entitatis positiuæ vltra entitatem quidditatiuam naturæ: tamen vltra entitatem singularem, proprietas suppositi nullam entitatem dat. Imo nullum positiuum addit, ex prima quæstion. 3. lib. Et licet illud adderet: tamen non esset ratio dandi esse: quia hæc natura existens, in qua includuntur natura, & entitas singularitatis, est ratio totalis dandi esse: & ita quicquid intelligatur aduenire, siue positiuum, siue priuatiuum, siue absolutum, siue respectiuum, non dabit esse: quia per illud, quod iam præintelligitur, datur esse. Licet igitur in diuinis non sit proprietas personalis tantum negatio: sed aliqua proprietas, vel entitas positiua: tamen quia natura diuina est de se hæc per se existens, ipsa habebit totam rationem dandi esse: sicut est in creaturis: & licet natura existens det totaliter esse: non propter hoc proprietas aduenies est tantum negatio: imo si aduenirent proprietas positiua, nihil tolleretur ab hac natura existēte. Ita nec in diuinis tolletur ab hac natura, quæ est de se existens, quando dabit totaliter esse personæ: licet in persona intelligatur proprietas personalis positiua. M

Ad

M Ad argumentum igitur, cum probatur quod sit actus, cum non sit ibi tantum virtualiter, sed actualiter: dico, quod est ibi fallacia æquiuocationis. Vno modo ens in actus est differentia opposita potentiæ, et hoc modo diuiditur omne ens. Alio modo actus cũ potentia constituit aliquid totum, sicut loquitur Phylosoph. 8. Tex. cõ. 15. Metaph de potentia, & actu, quod nõ est verũ de potentia opposita actui: quia illa non manet cum actu. Ista igitur proprietas, non tantum est virtualiter in essentia diuina, sicut est asinus qui est in potentia ante actum, & per consequens hæc proprietas est actus ibi, prout actus opponitur tali potentiæ: sed nõ sequitur: ergo est actus dãs esse. Adhoc enim requireretur, quod esset actus formalis: hoc enim modo materia daret esse: quia est in composito in actu, non in potentia ante actum.

Secunda ratio videtur deficere: quia istud non habet se ad essentiam, vt perfectio ad perfectibile, vt diffuse declaratum est, etiam de proprietate relatiua personæ, distin. 5. vbi dictum est, quod persona non componitur, ex essẽtia, & proprietate, sicut ex quasi potentiali, & quasi actuali, imo essentia habet magis rationem actus. Si igitur ista proprietas intelligatur posterior aliquo modo essentia, non tamen est perfectio eius: ibi enim est idem ordo originis, & perfectionis: & ideo prius origine est, prius perfectione, sicut fuit tunc declaratum diffuse.

N Secundo dato, quod aliquo modo se haberet ad essentiam, vt informans ipsam. non tamen esset perfectio simpliciter: quia (secundum Anselmum) ratio perfectionis simpliciter, est quod sit in quolibet melius ipsum, quam non ipsum, quod est impossibile de proprietate hypostatica: quia illa de ratione sui repugnat contradictorie, cuilibet alij ab illo, cuius est: & ita non potest in quolibet alio esse melius ipsum, quam non ipsum: quia cuilibet alij repugnat. Sic igitur ad rationem patet, quod falsum assumitur, si accipiatur, quod istum absolutum perficiat essentiam. Nec probatio huius valet, per hoc quod aliquo modo sequitur, & non procedit: quia in diuinis, sicut potest poni processio, actus & forma est primum.

O Tertio dato, quod haberetur hoc, quod informat: non sequitur, quod sit perfectio simpliciter: nec illa, quæ inferuntur vlterius, scilicet, quod essentia diuina non sit simpliciter perfecta, vel quod vna persona non sit simpliciter perfectas in se Præterea, ista ratio melius concluderet contrarium relatione: quia probabilius videtur, quod relatio posset esse perfectio, quam proprietas hypostatica sit perfectio: quia nulli proprietati hypostaticæ conuenit esse perfectionem, nec in creaturis, nec in alijs: alicui tamen relationi, secundum propriam rationem conuenit esse perfectionem Aliqua enim est perfectior altera, vt patet de æqualitate respectu inæqualitatis: quia secundum Augustin. de quantit. animæ, cap. 7. inæqualitati æqualitatem iure præponis: nec quisque omnino est (vt opinor) humano sensu præditus, cui nõ id videatur: hoc autem nõ est tantum à fundamento: potest enim inæqualitas fundari in fundamentis perfectioribus, quam æqualitas. Patet etiam, quod si esset tantum ex fundamento, Augustinus faceret petitionem principij, intendit enim cõcludere excellentiam, puta circuli ad figuras rectineas, & hoc facit ex æqualitate, & inæqualitate: quia si illa excellentia non esset, nisi ex fundamentis, & ex illa concluderet excellentiam fundamentorum, circulum faceret.

P Si dicatur, quod dictum Augustin. verum est ratione fundamentorum proximorum, non remotorum: proximum autem fundamentum æqualitatis est paritas: hoc falsum est, & nihil ab B. Quæro enim, aut par dicit aliquid ad se: & tunc potest intelligi aliquid esse par absque hoc, quod sit alicui par. Et similiter tunc, vnde perfectionem habebit paritas respectu imparitatis in triangulo: vel enim paritas diceret quantitatem: & tunc vel eandem cum illa, quæ communiter ponitur fundamentum æqualitatis: & tunc non erit distinctio aliqua alia, quam rationis inter fundamentũ proximum, & remotum: vel aliam: & tunc in isto æquali diceretur esse duas quantitates. Vel fingas aliquem modum alium, quo paritas posit esse absolutum perfectius in paritate, & aliud à quantitate. Si autem dicat relationem: sicut videtur manifestũ: ergo relatio fundabitur in relatione: imo videtur dicere eandem relationem, quam æqualitas: quantum enim est par quanto, & æquale quanto.

Q Ad illud Anselmi monol. respondetur, quod loquitur tantũ de quidditatibus, non de proprietatibus hypostaticis: quod probatur primo per exempla eius de sapientia, & veritate, ex vna parte: auro, & plumbo ex alia parte. Secundo per rationem: quia solum illud est perfectio simpliciter, quod potest esse in aliquo infinitum: solum illud erit in aliquo melius nõ ipsum, quam ipsum, quod ex se est infinitum: hæc conueniunt quidditati, scilicet esse finitum, vel infinitum: nõ autem proprietati hypostaticæ: quia proprietas personalis diuina qualiscumque sit, nec est infinita formaliter, nec finita. Similiter proprietas hypostatica repugnat cuilibet, præterquam vni, cuius est: ergo non potest esse cuilibet melior ipsa, quam non ipsa: sed nec alicui. Excludit autem Anselmus ab vniuersitate quidditatũ relationem secundum quidditatem: & tũc omnis quidditas absoluta, vel est perfectio simpliciter, vel limitata, sed non sequitur ex hoc propositum de proprietate hypostatica absoluta.

Tertia ratio habet maiorem falsam in omnibus ordinatis essentialiter, ex forma: licet gratia materiæ quandoque sit vera. Et similiter in omnibus non æque illimitatis: in nullo enim ordine essentiali ex propria ratione prioris, & posterioris, oportet ipsa commultiplicari, sed potest fiare cõmultiplicatio posterioris, sine multiplicatione prioris, sed non ẽ cõuerso. Similiter, quandocumque aliqua duo comparantur ad aliquod tertiũ, quod est illimitatum, eo modo quo illa. Duo non sunt illimitata, nõ oportet condistingui in eis. Exemplũ, anima intellectiua comparatur ad partes: quia quodammodo est illimitata, eo modo quo partes non sunt illimitatæ: *& ideo*, non oportet animã distingui in distinctis partibus. Illa igitur maior est falsa dupliciter ad propositum. Primo, quia essentia eo modo, quo est ibi proprietas, prior est ipsis proprietatibus, non ẽ conuerso, secundum eos: igitur non oportet essentiam distingui ad distinctionem istarum proprietatum. Et secundo: quia essentia est formaliter infinita: istæ autem proprietates non sunt formaliter infinitæ, & non oportet infinitum formaliter distingui ad distinctionem eorum, quæ non sunt formaliter infinita. Si etiam maior accipere tur generaliter de quibuscumque absolutis circunstantibus idem, habet instantiam manifestam de anima, & in potentijs, quæ potentiæ multiplicantur, non multiplicata anima.

R

Sed si hic euadatur specificãdo maiorem de his, quæ sunt eiusdem speciei,

S

cici: sicut accipit illa prima confirmatio maioris: nec tunc propositio est vera vniuersaliter in relationibus, patebit enim dist.8.tertij lib. quomodo plura eiusdem speciei esse in eodem absoluto, non est contradictio, si aliquod illorum non sit actus alterius adæquatus ei, in quo est. Cum autem maior declaratur per inductionem fit fallacia consequentis: quia accipiũtur aliqua singularia, non similia proposito, puta in quibus distinctio priorum constituit distinctionem posteriorum, vel in quibus est consimilis limitatio vtrobique, & non illimitatio in vno respectu alterius. Ex his enim non potest propositum inferri vniuersaliter: quia falsa est, vbi deficiunt conditiones, sicut in proposito. Sed ad illud vltimum additũ ad confirmationem maioris per idem, quod in eodem simpliciter perfecto, non possunt esse plura eiusdem rationis, posset dici, quod sicut simpliciter perfectum idem numero est communicabile pluribus suppositis eiusdem rationis: ita quod non repugnat sibi ex hoc, quod est perfectio simpliciter: sed conuenit sibi, quod ipsum sit in pluribus suppositis eiusdem rationis: ita ex perfectiones, eius sibi potest competere, quod plura eiusdem rationis possint esse in eo, sicut suppositа in natura, & per consequens sunt in eo plures proprietates hypostaticæ eiusdem rationis: sed non potest ita esse de alijs, de quibus exemplificatur, puta, de Patre, & Verbo: eo quod perfectio diuina requirit, quod quælibet productio habeat terminum adæquatum: non autem ita requirit quod aliqua proprietas hypostatica sit adæquata illi naturæ in constituendo suppositum. Per istud posset dici ad illam primã confirmationem maioris, applicando eam ad propositũ, quod est ibi fallacia æquiuocationis: Maior enim, si esset vera, debet intelligi de ineſſe in: sicut actus est in eo, quod informatur: sed minor non est vera: proprietas autem non est in essentia, vt informans eam: sed vt constituens suppositum in ea.

Posset tamen ad vtramque confirmationem dici, quod istæ proprietates non sunt eiusdem rationis formaliter: sicut in creaturis proprietates indiuiduales sunt primo diuersæ, & non eiusdem rationis. Et si ex hoc inferatur, quod sunt alterius speciei, siue quod vtraque earum habet rationem alterius speciei, & per hoc oportet ipsam per aliud determinari ad incommunicabilitatem: non sequitur: sicut nec in proprietatibus indiuidualibus in creaturis, licet non sint eiusdẽ rationis in aliquo, tamẽ nulla est entitas quidditatiua, & cõmunis: sed de se hæc. *Ex dictis ergo, & dicẽdis in solutionibus aliorum argumentorũ*, difficilius videtur sustinere originem, ponẽdo extrema tantum esse relatiua formaliter, quam ponendo ea esse absoluta: nam si tantum sint relatiua, nihil aliud erit personam originare personam, quam relatiuum habere correlatiuum: sed relatiuum positum sine omni actione alia, videtur habere correlatiuum. Si autem ponantur absoluta, non videtur tanta difficultas, quomodo vnum suppositum gignatur ab alio, cum in creaturis (secundũ eos) suppositа sit, absoluta: & tamen non negatur originatio vnius ab alio.

T

Conclusio.

D. Tho.

V

Ad primum argumentum, potest dici, quod si realitas absoluta aliqua constituat personas: non tamen faciet compositionem cum essentia diuina: sicut nec relatio constituens faceret. Quod confirmatur per locum à maiori: quia realitas propriæ subsistẽtiæ in creatura, non facit compositionem cum natura: relatio autem in creaturis facit compositionem cum fundamento, vt alias declarabitur:

ergo, si hæc relatio potest non facere compositionem cum essentia, multo magis nec realitas suppositi faciet compositionem, cum realitate naturæ. Et cum confirmatur ratio, quod absolutum, aut manet omnino aut transit omnino, dico (sicut dictū est declarando secundo positionem) quod relatio manet: ex hoc quod eius ratio non est formaliter ratio essentiæ, & transit: quia secundum perfectam identitatem est essentia. Vel dici potest, quod realitas absoluta (si cō stituat personam) transit quidē per perfectam identitatem ad essentiam: manet tamen: quia non est formaliter realitas essentiæ. Et confirmatur, ista respōnsio: quia perfectiones attributales videntur esse absolutæ, & nō relatiuæ (sicut dictum est super dist. 8. de attributis) & tamen manent, & transeunt: ita quod non faciunt compositionem: nec sunt idem formaliter ipsi essentiæ: & si aliqua illarum, secundam rationem formalem haberet distinguere realiter ab altera: illa distinctio esset per eam formaliter, & non per essentiam, & tamen non esset compositio.

X Ad secundū argumentum dico, quod ponendo personas relatiuas, oportet ponere eas vere subsistentes, & in eis esse eandem naturam indiuisam. Hoc non potest poni propter aliquam imperfectionem personarum in subsistendo: quia ponantur ita vere subsistentes, sicut si essent absolutæ: ergo oportet, quod ponatur propter infinitatem essentiæ, quæ est in subsistentibus: sed eadem esset infinitas essentiæ, si personæ essent absolutæ: ergo non oportet, tunc naturam diuidi: sicut nec si proprietatibus relatiuis constituentur. Probetur igitur ista, omnis natura communis suppositis absolutis, distinguitur, & pluralificatur in eis: hæc quidem vera est in creaturis: sed in proposito

V perit conclusionem principalem.

Ad tertiū instando dicitur, quod Patri, constituto in esse personali, & Filio etiam constituto in esse personali, quasi aduentitia est proprietas spiratio actiua (secundum aliquos) & tamen non est quasi accidentalis, secundum eos, nec etiam relatio rationis. Quare igitur non posset intelligi in proposito personam constitui in esse personali, realitate absoluta, & ei, quasi constitutæ in esse tali realitate, aduenire secundū modū relationem, & non tamen esse, nec accidentalem, nec rationis? Et cum probatur, quod sit relatio rationis, per simile de relatione ad creaturam: dico quod non est simile, illa enim relatio ad creaturam non est ex necessitate naturæ fundamenti, sicut est hîc.

Z Ad quartum, quod etiam procedit ex falsa imaginatione, quod istæ proprietates exprimuntur ab essentia, quasi per originem, quod non fuit dictum. Sed sicut aliqui concedūt, quod relationes pullulant in essentia (si tamen hoc proprie dicatur) quasi posset contra eos concedi, quod istæ proprietates absolutæ (si sint) pullulant in essentia: & licet quælibet sit in eodem supposito, cum illo, ex quo pullulant: quia essentia est in omnibus personis: non tamen aliqua est in eadem persona cum illa, à qua habetur per veram originem. Nec repugnat vera originatio personæ habenti vnā à persona habente aliam: licet omnes istæ non originentur, sed aliquo modo pullulent in essentia, sicut alij habenti dicere, qui dicunt suppositum constitui per relationem, quod Filius pullulat à Patre, per originem: & tamen filiatio aliquo modo pullulat in essentia, siue ab essentia diuina.

Ad quintum respondetur, quod videtur deficere: quia difficilius videtur

detur sustinere originem, ponendo extrema tantum esse relatiua formaliter, quam ponendo ea esse absoluta, *vt patuit supra.* Cũ arguitur, tũc quod absolutum præcedit relationem, & ita originationem. Respondeo: dictũ fuit, quod originatio pertinet ad genus causæ efficientis, non formalis: & sicut in creaturis, terminus nõ habet esse originatione formaliter, sed quasi effectiue: nec ex hoc, quod non est formaliter illo, sequitur quod præcedat illud: ita posset dici in proposito: nec videtur maior difficultas de prioritate absoluti, & respectiui in creaturis, quam hîc.

In fine corporis articuli 3.

Expositio art. 5. quæst. vnicæ dist. 26.

SVPPOSITO ex articulo præcedente, non esse expresse contra fidem asserere diuinas personas relationibus formaliter esse constitutas: inuestigat Doctor, an probabiliter id sustineri possit, vel saltim improbabile non sit? quia in eis, quæ fidei non repugnant, speculatur Theologus quæ magis sint rationi consentanea: & in eis rationabiliter Theologizat. Rationes igitur fortiores, quibus improbabilitas sententiæ prædictæ suadetur, ponuntur à Doctore, non solum in quinque argumentis in fronte articuli collocatis: verum in alijs tribus, quæ exacte examinantur in corpore: eorum attamen nullũ conuincit euidenter improbabilitatem eiusmodi sentẽtiæ: quinimo si rationi naturali esset standum, concludit Doctor sub litt. I. *Quod difficilius videtur sustinere originem, ponendo extrema tantum esse relatiua formaliter, quam ponendo ea esse absoluta.* Cuius rationem reddit ex faciliori intelligentia ex creaturis desumpta: ait enim, *nam si tantum sint relatiua, nihil aliud erit personam originare personam, quã relatiuũ habere correlatiuum: si autem ponãtur absoluta, non videtur tanta difficultas, quomodo vnum suppositum gignatur ab alio: cum in creaturis supposita sint absoluta, & tamen non negatur originatio vnius ab alio.* Soluit igitur Doctor argumenta in oppositum, & ostendit nullam rationem conuincere improbabilitatem prædictæ sententiæ. Cum etenim id scriptura non tradat expresse, neque Ecclesia diffiniat, neque ratio Theologica euidenter ex illis illata id probet, vt ex art. 4. habetur: nec naturale argumentum suadeat: quinimo ex creaturis ratiocinando, oppositum videatur concludi, eo quod facilius suadet discursus ex creaturis supposita originantia, & originata esse absoluta: ideo resoluit, ex hoc non esse prædictã sententiam improbabilem, neque aliquo ex dictis argumentis intellectũ necessario constringi, vt teneat relationibus diuinas personas formaliter esse constitutas.

ARTICVLVS VI.

Vtrum diuinæ personæ constituantur relationibus originis in esse personali?

AD sextum, sic proceditur. A
Videtur, quod diuinæ personæ non constituantur relationibus originis in esse personali: quia relationes originis sunt alterius rationis, sicut relationes specie differentes in creaturis. Quod apparet: plus enim differt paternitas à filiatione, quam filiatio à filiatione, vel paternitas à paternitate: ergo cõstituta per eas formaliter, differunt specie, & ita generatio est æquiuoca in diuinis, quæ improbata sunt distinct. 7.

Secundo præterea, qua ratione relationes originis constituunt personas, eadem ratione relationes communes constituerunt eas: & ita eadẽ persona constitueretur duplici formali constitutiuo, quod est inconueniens. Consequentia probatur per hoc: quia relationes cõmunes æqua- B

lem

lem distinctionem requirunt in extremis, sicut relationes originis: & eodem modo stant cum vnitate essentiæ: ergo æqualiter distinguunt.

Tertio præterea, relationes oppositæ de secundo modo relatiuorum possunt fundari in eodem, sicut voluntas mouet se: relatio autem mouentis, & moti pertinent ad secundum modum relatiuorum: ergo pari ratione relationes producentis, & producti, quæ pertinent ad eundem modum, possunt esse in eodem: & ita per eas non distinguuntur suppositа.

Confirmatur ratio per Boetium, qui in fine libri sui de Trinitat. dicit quod relatio, ista est, quasi eiusdem ad se: ergo relationes istæ non distinguunt.

Sed contra est, quod Boetius ibidem *ait*, substantia cõtinet vnitatem: relatio multiplicat Trinitatem.

Respondeo dicendum, quod est opinio communis, quæ dicit personas constitui per relationem: pro hac opinione allegatur authoritas Christi in Euangelio Matth. *& multæ aliæ rationes in præcedentibus articulis positæ.* Contra istam conclusionem arguitur quadrupliciter. Primo comparando relationem ad relatum, *vt visum est art.2.* Secundo comparando relationem ad originem, *vt patuit arti.3.* Tertio ex propria ratione ipsius constitutiui: quod erit in artic. 9. & sequentibus. Quarto per authoritates, *de quibus erit art.7.*

Sed tenendo hanc opinionẽ, quæ est magis communis, potest respõderi ad rationes, *& authoritates*, contra eam. De modo igitur ponendi, qualiter possit relatio constituere personas, & easdem distinguere: declaratur per hoc, quod producens necessario distinguitur à suo producto realiter: quia idem non producit se ipsum, secundum Augustinum 1. de Trinit. cap. 1. ergo erit aliqua relatio realis, & distinctio realis aliquorum, quæ sunt in essentia diuina: non autem possunt ibi esse aliquomodo per informationem propter simplicitatem diuinam: ergo erunt personæ per se subsistentes, in illa natura: ergo erunt per se realiter distinctæ. Qualiter autem ex hoc, nõ sequatur distinctio etsẽtiæ, in qua subsistunt, declaratur. Quia idem illimitatum potest esse fundamentum relationum oppositarum. Et tunc illa relatio dicitur, vno modo manere, & alio modo tranfire: & circa hoc fiunt multæ altercationes, secũdum quam relationem relatio distinguat.

Sed breuiter posset dici, secundum istam viam, quod relatio non est formaliter essentia: quia secundum Augusti. 7. de Trinit. cap. 1. si essentia est ad aliud, non est essentia. Et potest argui similiter è conuerso, scilicet, si relatio formaliter est entitas ad se: igitur non est relatio: ipsa etiam ex hoc, quod est relatio, est oppositi necessario, vt termini: ita quod comparare eam ad essentiam, non includendo habitudinem ad oppositum, est non cõparare relationem ad essentiam: & ex hoc quod est oppositi, necessario distinguitur realiter ab illo: & tamen nõ oportet essentiam realiter distingui: quia essentia non formaliter est relatio distincta. Nec oportet ibi esse cõpositionem: quia licet relatio maneat sic, quod non est formaliter essentia: tamen relatio, propter infinitatem essentiæ, transit in eam secundum perfectam identitatem ad eam. Manet igitur formaliter relatio: quia ratio eius, secundum quam est formaliter relatio, non est ratio essentiæ: & transit propter perfectam identitatem ad essentiam: licet non in identitatem formalem: & illud manare sic, sufficit ad distinctionem formalem, & ideo lem, sine aliqua distinctione essentiæ, & ex hoc quod essentia ista simplex est: ista distinctio non erit informantium:

Conclusio.

rium, sed subsistentium. Et ex hoc quod illa essentia est infinita: istud manere formaliter, est sine compositione.

I Ad primum argumentum, patet quomodo personæ non differūt specie: neque etiam productio personæ à persona est æquiuoca, vt tactum est de hoc dist. 7.

K Ad secūdum dicitur, secundum tenentes istam opinionem, quod relationes communes, non primo modo pullulant in essentia: sed prius pullulant in ea relationes originis: & ideo primæ constituant, & non aliæ: quia quasi adueniunt personis constitutis. Tamen non videtur hoc posse stare, sed oppositum: *& idcc de hoc erit peculiaris articulus.*

L Ad tertium respōsum est, dist. 3. quod quædam sunt relationes secundi modi incompossibiles in eodem suppposito, quæ scilicet dicunt ordinē essentialem, vel ordinē originis: quædam autem eiusdem modi non sunt incompossibiles, quæ scilicet dicunt ordinem accidentalem, vt mouens, & motum: non enim dependet motū à mouente, nisi per accidens, quoad illum, scilicet actum quem recipit ab eo, scilicet mouere: & ideo licet volūtas possit mouere se: nullum tamen idem suppositum potest producere se: & ideo relationes producentis, & producti sufficienter distinguūt realiter suppositа.

Infra ar.

M Ad Boetium respondeo, quod intelligit de relatione identitatis, secūdum naturam, non formaliter, quasi diceret, quod quædam relationes necessario exigunt diuersitatem naturæ in extremis: ista autem relatio, quæ est relatio originis, non ita exigit: sed compatitur secum identitatem naturæ: & ideo quasi eiusdem ad se propter identitatem relatorum in natura, licet sit distincti ad distinctum, loquēdo de distinctione suppositorum.

Expositio art. 6. quæst. vnicæ dist. 26.

HABITO ex secundo articulo personas diuinas relationibus formaliter esse constitutas, relatiuasque formaliter esse: hic consequēter inquiritur, an talia cōstitutiua sint relationes originis vnius ab alio: quam difficultatē breuiter Doctor resoluit affirmatiue conformando se cum communi sententia his verbis. *Sed tenendo hanc opinionem, quæ est magis communis: potest responderi ad rationes cōtra eam, &c.* Et ibi declarat egregie modum, quo potest intelligi relationibus originis personas constitui: littera clara est, & clarius infra in difficultatibus 86. & 87. prælibatur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum personas diuinas constitui relationibus originis contrarietur authoritati sanctorum Patrum?

AD septimum sic proceditur Videtur quod personas diuinas constitui relationibus originis, contrarietur authoritati sanctorum Patrum, & ex hac via arguitur, per authoritatem Augu. 7. de Trinit. cap. 1. & 2. & 6. *vbi ait*, omne relatiuum est aliquid excepta relatione: ergo sicut deduxit prima ratio, *quæ est in art. 2.* eiusdem August videtur concedere, quod illud, quod refertur, est aliquid ad se. A

Secundo præterea, in eodem lib. cap. 4. *ait idem* August. omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus, & loquitur de subsistere, quod conuenit substantiæ, prout Græci accipiunt substantiam: accipiunt autem ipsi (secundum eum) substantiam, sicut nos personā: ergo subsistere, quod conuenit B

perso

personæ, in quantum persona numeratur in tribus, prout scilicet dicũtur tres subsistentes, illud est ad se secundum eum: & videtur dicere, quod inconueniens est, personam diuinã subsistere ad aliud, hoc modo accipiendo subsistere.

C Tertio prærerea, omnia quæ ponũtur in diffinitione personæ, siue à Boetio de duabus naturis, siue à Ricardo 4. de Trinit. cap. 22. & 23. sunt absoluta: ita quod nullum illorum includit relationem essentialiter: & diffinitio debet exprimere intrinsecam rationem diffiniti: ego, &c.

D Sed contra est *idem* Augu. 5. de Trini. cap. 8. *vbi ait*, qua propter illud præcipue teneamus, quicquid ad se dicitur, præstantissima illa, & diuina sublimitas substantialiter dici: & ibidem, cap. 11. vel 27. *subdit*: quod autem proprie singula in eadem Trinitate dicũtur, nullomodo ad se ipsa, sed ad inuicem, aut ad creaturam dicuntur: & ideo relatiue, non substantialiter ea dici, manifestum est.

E Respondeo dicẽdum, quod ad authoritates Augustin. iam adductas, *quæ sunt quæ hanc difficultatẽ maxime vrgent*, in hac via, respondetur, quod Augu. loquitur de formali significato huius nominis persona, non de materiali. Formaliter autem significat, hoc nomen persona aliquid indistinctum in se, & ab alio distinctum in natura intellectuali. Accidit autem huic significato formali, per quid sit talis distinctio: tamen in aliqua natura, necesse est, illud distinctum esse absolutum, sicut in natura creata: in aliqua autem, relationem esse, sicut in proposito.

F Contra hanc *tamen* responsionem arguo, aut Augustin. intelligit in illo significato formali personæ indistinctum in se, & distinctum ab alio secũdum essentiam, & tunc non magis haberet concedere, quod sint tres personæ, quam tres essentiæ, siue tria distincta secundum essentiam, quod videtur manifeste contra intentionem suam, vbi vult quod aliter vtimur nos nomine substantiæ, quam Græci: igitur ipsi vtuntur pro prima substantia, & concedunt tres substantias eo modo, quo nos tres personas. Aut intelligit in distinctum in se, substantiam incommunicabilem, & sic distinctũ ab alio: & tunc si illud, secundum formale significatum est ad se, habetur propositũ. *Notandũ est ergo, quod secũdũ quod* ipse Augustin. intendit, græci non proprie concedunt tres substãtias: sed tãtum propter necessitatem loquendi. Vnde cap. eodem 4. videtur præferre modum loquendi Latinorum, quod sunt tres personæ. Sed & illud probat consequenter non esse propriũ, ostendens personam simpliciter dici ad se secũdam essentiam finalem: ergo cõclusionem eius de hac materia: accipe cap 6. volumus (inquit) vel vnum aliquod vocabulum seruire huic significationi: quia intelligitur trinitas, ne omnino taceremus interrogãti, quid tres? Dicẽdo igitur, siue tres personas à Latinis, siue á Græcis tres substãtias, diceret Augustin. improprie dici, & tantum propter necessitatem loquendi. *Conclusio.* Non igitur ex eius intentione habetur, quod aliquid significans subsistẽs incommunicabile in diuinis sit ad se, sed tãtum, qnod illa nomina, quæ ab aliquibus accomodata sunt ad exprimendum tale incommunicabile, sunt secundum se nomina absoluta: imo mere absoluta, ita quod sunt essentialia. Oporteret enim primum habere ab ipso, ad hoc quod haberet propositũ in ista quæstione, pro illa opinione, quæ ponit in re, hoc subsistens incommunicabile esse ad se: & non tantum posse exprimi aliquo nomine essentiali accommodato ex vsu, vel necessitate loquendi, & per hoc ad omnia, quæ adducuntur de August.

G Ad primum argumentum de August.

gustino, responsum est supra post responsionem primi argumenti contra opinionem, *Quæ ponit personas relationibus constitui, in secundo articulo.*

H Ad secundum, & authoritatem Augustin. respondeo, *quod* Augustin. ibi in septimo, à principio capituli quarti inquirit, quomodo est dictum vna essentia, & à Græcis tres substantiæ: à Latinis autem tres personæ. Et in illa litera, quæ adducitur, quæ accipitur ex quarto, cap. quod substantia est ad se, & quod non proprie dicuntur tres substantiæ: quia substantia, sicut conceditur, in diuinis, est ad se: & ideo eadem est essentia, & substantia, & ita (inquit) non dicendæ sunt tres substantiæ, vt non dicantur tres essentiæ: non igitur intendit ipse quod substantia (sicut accipiunt Græci, scilicet pro persona) sit ad se: sed *sicuti dictum est supra*, quod ipsi non proprie concedunt tres substantias, sed tantum propter necessitatem loquendi.

I Ad tertium de Ricardo, & Boetio dico, quod sicut ab aliquo absoluto, & respectiuo, loquendo quidditatiue, potest abstrahi aliquid commune quidditatiue: ita etiam ab incommunicabili tali, & tali abstrahitur aliquod commune, quod nec est de se incommunicabile absolutum, nec incommunicabile relatiuum. Tale quid describitur à Ricardo, & Boetio, hoc addito, quod illud sit in natura intellectuali: ita quod sicut descriptio personæ, quod sit incommunicabilis in natura intellectuali, non debet includere aliquid proprie pertinens ad incommunicabile absolutum: sic nec proprie ad incommunicabile relatiuum: sed debet esse indifferens ad vtrumque: & ita describit vterque personam. Concedo igitur, quod nec in diffinitione personæ assignata à Ricardo, nec á Boetio, ponitur aliquid relatiuum: & ita dico, quod nec ponitur, vnde diffinitum exprimatur esse absolutum: sed est indifferens ad vtrumque: ita quod sicut in aliqua natura non inuenitur ratio illa in communi assignata, nisi in absoluto, & in ratione absoluti, sicut in creatura: ita etiam in natura diuina non inuenirur, nisi in relatiuo.

(?)

Expositio art. 7. quæst. vnicæ dist. 26.

QVIA Non nullæ Patrum authoritates videbantur suadere, diuinas personas proprietatibus absolutis cõstitui: earum legitimus sensus in hoc articulo explanatur: & clare mentem Diui Augustini, circa significatum, *personæ* Doctor enucleat: ac breuiter Ricardi de Sancto Victore, & Boetij authoritates a veram intelligentiam reducit.

(§)

ARTI.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum omnes relationes diuinæ, etiam quæ sunt communes, sint constitutiuæ personarum?

A

AD octauum, sic proceditur. Videtur, quod omnes relationes diuinæ, etiam quæ sunt cõmunes, sint constitutiuæ personarum: quia *si ex eo solum*, relationes originis constituunt, *vt dicunt aliqui*, quia primo pullulant in essentia, non tamen aliæ, Hoc non videtur posse stare: sed oppositum: quia magnitudo magis pertinet ad essentiam, vt intelligitur abstracta à personis, quam actio, vel passio, quæ non est, nisi suppositi: ergo relationes consequentes magnitudinẽ (cuius modi est relatio æqualitatis) magis possunt intelligi in essẽtia, vt essẽtia videtur abstracta à persona, quam relatio originis. Consimiliter potest argui in proposito de similitudine, quæ consequitur essentiam, vt habet rationem formæ, in qua suppositа assimilantur: ergo non prius pullulant istæ, quam illæ: quod si relationes communes æque, vel prius pullulant: & istæ possunt constituere, vt probat ratio *supra posita*: ergo constituunt: non est enim ibi posibilitas ad aliquid, quod non est in actu: nec forma aliqua potest ibi constituere personam, nisi actu constituat, si illa forma actu est, vt videtur: sicut nec forma aliqua potest actu constituere aliquid in specie, quin ipsa, si sit, & non habeat imperfectũ esse, constituat aliquid in specie.

Art.6.arg. 2.

B

Secundo præterea: quia essentia, vt est intellectus, & vt est voluntas, est principium productiuum personæ, & communicatiuum essentiæ: ergo si relatio producentis, & producti prius pullulat in essentia, quã relatio æqualitatis, vel similitudinis: exista *positione* videtur sequi, quod intellectus, & voluntas non sunt attributa: quia attributum quasi perficit in esse secundo aliquid, quasi præsuppositum in esse primo: ergo nihil quod pertinet ad essentiam, prius quam intelligatur quãta, vel qualis, est attributum.

C

Tertio præterea, ex hoc videtur simiiliter, quod intellectus, & voluntas, non distinguãtur ex natura rei: consequens est contradicta dist.13. consequentia probatur: quia illud, quod in Deo præcedit rationem quantitatis, & qualitatis, est tantum quid: quid autem, vt quid, non distinguitur in Deo ex natura rei: quia tunc nõ esset quid eius simplex ergo, &c.

D

Sed contra est: quia relationes cõmunes non primo pullulant in essentia: sed prius pullulãt in ea relationes originis: & ideo primæ cõstituunt, & non aliæ: quia quasi adueniunt personis constitutis.

E

Respondeo dicendum, quod tenẽdo personas constitui per relationes, in speciali ponitur vlterius, quod nõ quæcumque relationes etiam reales constituunt personas diuinas, nec eas distingũt: sed relationes originis: quia *vt dictum est*, illæ pullulãt in essentia diuina: quia primo in essentia diuina est duplex fœcunditas, in quantũ est intellectus infinitus, & volũtas infinita. & mediantibus istis, statim pullulãt relationes originis pertinentes ad communicabilitatem naturæ, quæ natura vel essentia diuina cõmunicatur secũdũ istam duplicem fœcunditatẽ, iã dictam: quibus iã præintellectis, pullulant cõmunes relationes semper præsupponentes illas: & ideo tales relationes cõmunes, & si sint reales: nõ tamẽ distinguũt nec cõstituũt personas,

sed

§. 1.

Proponuntur quorundam sententiæ.

1. *Prima opinio. Præpositinus.*

INTER veteres quidam Prepositiu⁹, quē cōmemorat Scotus in 1. dist. 26. quæst. vnica art. 1. & D. Thomas 1. par. quæst. 40. art. 1. ac etiam omnes ferè scolastici, opinatus est, nullas esse in diuinis personis proprietates, neque quidem relatiuas, neque absolutas: ac propterea nullis proprietatibus esse diuinas personas constitutas, sed distingui se ipsis, hoc est, se totis nullo autem modo constitui; ac ideo non esse quærenda formalia constitutiua earū. Hæc opinio quā- *Gregorius.* sequitur Gregorius in primo dist. 26. & 27. quæst. 1. duo dicit, primum est in Deo nullas esse proprietates personales: secundum vero, personas diuinas nullo constitutiuo constitui, quæ opinio his argumentis suadetur.

2. Primō: quia persona diuina est quid simplex, sicut essentia: essentia autem propter sui simplicitatem se ipsa distinguitur à quocunque alio: ergo & persona.

3. Secundō: nam abstractum, & concretum idem significant quoad rem significatam, licet differant in modo significādi: ergo paternitas, & Pater idem significant. Sed paternitas se ipsa distinguitur à filiatione: ergo dicere Patrem à Filio distingui paternitate, non est aliud, quàm dicere Patrem à Filio se ipso esse distinctum: & ex consequenti diuinæ personæ distinguuntur se ipsis.

4. *Secunda opinio. Caietanus. D. Thom. Canarienſ. Molina. Vazquez.*

Caietanus vero prima parte quæst. 40. art. 2. ex D. Thom. in 1. sentent. dist. 26. quæst. 2. art. 1. atque Canariensis 1. parte quæst. 40. art. 2. tertia parte commentarij, & 2. commentarij art. 4. quem nouissime secutus est, post Molinam ibidem disp. 1. Gabriel Vazquez eadem prima parte disp. 158. cap. 2. à num. 5. ap probant dictam Præpositiui, & Gregorij sententiam quoad secūdam partem, si intelligatur ex natura rei: dicūt enim, quod de personis diuinis dupliciter possumus loqui, primo, secundum esse, quod habent à parte rei, & secundum hanc considerationem se ipsis constituuntur, & distinguuntur tanquam formæ simplicissimæ. Secundo autem possumus loqui de eis, prout à nobis concipiuntur, & nostris nominibus significantur, & vt sic non distinguuntur se ipsis, sed suis proprietatibus. Aiunt itaque personas diuinas nullo constitui, si constitutio earum intelligatur ex natura rei, sed solum esse constitutionem per intellectum eo modo, quo constituitur species ex genere, & differentia.

5. Fundamentum potissimum huius opinionis nititur in alia ipsorū, imo & omnium Thomistarum latè impugnata supra in difficultate 54. qua arbitrantur Thomistæ relationes, seu personas, & essentiam solum distingui per intellectum: ex quo sic arguunt primo, constitutio ex natura rei postulat distinctionem ex natura rei inter id, quod constituit, & id, quod constituitur: idem enim ex natura rei non constituitur se ipso: sed quidquid aliquo cōstituitur, eo modo ab eo distinguitur, quo ab illo dicitur constitui. Tùm sic, sed persona, essentia & proprietas sunt omninò idem ex natura rei: ergo ex natura rei persona non potest constitui essentia, aut proprietate: vt autem constituatur per intellectum satis est per intellectum relationem à persona distingui: ergo personæ diuinæ non ex natura rei, sed solummodo per intellectum constituuntur.

6. Secundo probatur, hæc eadem sententia ex differentia inter compositionem, & constitutionem: nam ideò dicimus hominem constitui ex animali & rationali, seu eis constare, quia huiusmodi constitutio fit per intellectum: at nomine compositionis non hoc intelligimus, quia videtur compositionē requirere distinctionem ex natura rei: cum ergo abstineamus à nomine compositionis in constitutione diuinarum personarum, non tamen à nomine cōstitutionis: signum est tantummodo esse per rationem, non vero ex natura rei.

.7.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

7 *Vera Scoti sententia.*

IN oppositum autem est litera textualis in hoc 1.dist.26.quæst. vnica art. 1. in corpore, vbi Doctor hæc ait: *Pater non se ipso toto æquè primo distinguitur, sed aliquo, quod est in eo*, quod idē ait de alijs personis. Sed expressius in quotlibetis quæst. 4. littera F. quoad secundum punctum huius difficultatis, hæc profert: *Relatio non constituit personam nisi secundum quod est in re, & ex natura rei, alioquin non cōstitueret personam realem: quia reale non constituitur nisi per illud quod est in re ex natura rei.* Hæc Scotus, quibus verbis manifeste vtrumque punctum difficultatis concludit. Sequūtur Doctorem Basolis in 1.dist.26 quæst. 2. art. 1. Rubionis ibid.q.2.art.1. Lychetus q. vnic. §. *de modo igitur*, Tataretus q.vnic. §. *contra illud*, Vigueriusibi. §. *Respondeo*, Maironis quæst.4. §. *quantum ad primum*, Antonius Andreas ibi.quæst. vnic. §. *persona includit*, dominus Rada prima parte contro. 23.art. 1. conclusione 3. Pater Herrera in 1.disp.7.q.3.notab.3. & solutione ad tertium pro prima sententia, & ex professo quæst.5. & omnes Scotistæ, tàm recentiores, quàm veteres. Suarez vero prima parte tractatu 3.lib.7.cap.3. quamuis reijciat sententiam Caietani, & fateatur num. 9. sibi aliquando placuisse hanc nostram: mediam tamen nunc tenet sententiam. Cum enim teneat cum cæteris Thomistis relationes, & essentiā non distingui ex natura rei, & aliàs videat falsitatem sententiæ Caietani, anceps remanet in quadam medietate, ita vt hæc fateatur: *Fit ex vi huius constitutionis conuenire diuinis personis quidquid conuenire solet rei vere ac realiter constitutæ, ratione formæ, seu proprietatis constituentis, seclusa tamen distinctione actuali in re, & quacunque alia simili imperfectione.* Hæc Suarius.

Basolis. Rubionis. Lychetus. Tataretus. Viguerius. Maironis. Ant. And. Rada. Herrera. Suarez.

8 Circa primum punctum huius difficultatis, primo obseruare oportet iam neminem hodie in Ecclesia coluctari, omnes enim Doctores fatentur diuinas personas, non se totis distin gui, aut constitui. Circa secundum vero, cum omnes Thomistæ, & plures alij distinctionem ex natura rei inter relationes, seu personas, & essentiam supra in difficultate 54. negauerint: consequenter plures illorum cōstitutionem personarum ex natura rei negare intendunt, quamuis non omnes hoc ita neget expresse. Nam ad constitutionem ex natura rei (secundum aliquos) sufficit distinctio rationis ratiocinatæ: quam non nulli esse eandem cum distinctione ex natura rei formali existimant. Cum vero Scotistarum cuncta schola cum Doctore prædictam ex natura rei tueātur: necessario vt huic sententiæ conformē tur, tueri debent, diuinas personas ex natura rei esse constitutas. Hac ergo suppositā distinctione ex natura rei formali necessario confitendum est in omni Theologia personas diuinas ex natura rei constitui. Imo etiam, si dicta distinctio non admitteretur, non video, quomodo possit saluari, diuinas personas realiter identificari in essentia, & realiter ac personaliter distingui inter se, & non esse realiter constitutas ex aliquo, in quo realiter conueniant, & ex aliquo per quod realiter distinguantur. Hoc enim inintelligibile prorsus esse videtur,

9. Vt igitur, & ponderatio confirmetur, secundo obseruandum est, non esse præcisè necessarium admittere distinctionem ex natura rei actualem inter essentiam, & relationes, ad hoc vt sit constitutio realis personarum: quod ad uerto, vt etiam secundum eos, qui hanc distinctionem admittunt tantum virtualem (inter quos sunt Vargius, & Herrera ex nostra schola, & plures ex alia) constet veritas nostræ præsentis sententiæ, & falsitas contrariæ: nam cum distinctione virtuali potest esse constitutio formalis: quia de ratione realis, & formalis constitutionis non est propria vnio: vnio enim est coniunctio entis adens: sed saluari optimè potest cum vera vnitate inter constituentia, dummodo respectu constituti, ita se habeant, vt ex formalitate vnius habeat constitutum suum esse proprium: ex formalitate vero alterius habeat esse commune. Hoc quidem

ita est in diuina persona: in illa enim simplicissima entitate est duplex formalitas saltim (secundum eos) virtualiter distincta, vna scilicet absoluta communis, hæc est essentia: & altera relatiua propria: hæc est proprietas: ab illa ergo habet persona esse commune cũ alijs personis, ab ista vero habet suum esse propriũ, quo ab illis distinguitur: & ideò secundum relatiuam formalitatem, & constituitur, & distinguitur: non tamen distinguitur secundum absolutam formalitatem: quia non potest secundum idem, & per idem ab alio distingui, & conuenire cum illo. Habetur igitur vera realis constitutio personarum, etiam si tantum distinctio ex natura rei virtualis admittatur.

10. Tertio obseruandum est hanc esse differentiam inter compositionem, & constitutionem, quod scilicet quamuis vtraque prærequirat plura aliquo modo (hoc est realiter, seu formaliter) distincta: nam idem neque se ipso componitur, neque se ipso constituitur: attamen compositio prærequirit plura habentia se per modum partium, quarum altera se habet per modum actus, & altera per modum potentiæ. Constitutio vero, neque requirit plura per modum partium, neque habentia se per modum actus, & potentiæ: sed vtrumque se habet per modum actus respectu constituti. Vnde prouenit, quod species, scilicet homo, non dicatur præcisè constitui, sed componi: nam genus, & differentia saltim metaphysicè sunt partes, quarum prima habet rationem potentiæ, & secunda rationem actus. Nulla igitur est differentia inter compositionem, & constitutionem, per hoc quod est esse per intellectum, vel secundum rem: cum etiam per intellectum detur vera compositio. Vnde in hoc, iam aduersariorum fundamentum pro defensione suæ sententiæ euanescit.

§. 3.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

IS præhabitis difficultatem concludendo dico primo, quod in diuinis vltra ipsam Dei essentiam sunt proprietates personales. Conclusio hæc est ita in Ecclesia communis, vt vniuersi eius Doctores oppositũ erroris nota insinuent: & ipse Magister asserat in primo distinctione 33. nullum ausum fuisse negare proprietates in personis. Probaturque à Doctore ex illo, quod in præfatione, quam in festo sanctissimæ Trinitatis canit Ecclesia, scilicet *in essentia vnitas, & in personis proprietas.* 11. *Prima conclusio.* *Magister.*

Probatur præterea ex sexta Synodo act. 11. vbi hæc verba habentur: *Hoc quidem propter naturam, & identitatem, illud verò, propter, alterificat horũ trium proprietates, propterq́ dissimilitudinem proprietatum, quæ inconfuse vnamquamque figurant personam.* 12. *Sexta Synodus.*

Dico secundo, quod personæ diuinæ non distinguuntur se ipsis, sed proprietatibus personalibus. Hanc conclusionem sic probat Doctor vbi supra: nam quæcunque non sunt primo diuersa: aliquo sui distinguuntur, & non se totis: sed personę diuinæ nõ sunt primo diuersæ: ergo aliquo sui distinguũtur, & nõ se totis. Nõ autẽ est aliud, quo distinguantur, nisi suis proprietatibus: ergo non distinguuntur se ipsis: sed proprietatibus personalibus. Probatur maior, nam quæ non sunt primo diuersa, sunt idem in aliquo: ergo in aliquo conueniunt, & in aliquo distinguuntur. Sed non distinguuntur in eo, in quo sunt idem: ergo tantum distinguuntur in eo, in quo non sunt idem: ergo distinguuntur, quæ non sunt primo diuersa, in aliquo sui. Illã verò primam minorem probo: quia primo diuersa sunt, quæ in nullo conueniunt quidditatiuè, sed diuinæ personæ, vt fides catholica docet, sunt eiusdẽ numero naturæ, & essentiæ: ergo & cætera. 13. *Secunda cõclusio.*

Secũdo sic arguit Scotus in Patre est generatio actiua, & spiratio actiua: sed spiratione actiua non distinguitur à Filio: quia illa est in Filio, ergo non se ipso toto distinguitur, sed aliquo, quod est in eo. Consequentia probatur, quia si se toto distingueretur, etiam distingueretur spiratione actiua, quam habet, quia qui totũ dicit, nihil ex 14

cludit. Probatur tandem eiſdē auctoritatibus pro prima cōcluſione adductis, & præterea ex Concilio Lateranenſi in cap. *Firmiter de ſumma Trinitate, & fide catholica*, vbi hæc habentur: *hæc ſancta Trinitas ſecundum eſſentiam indiuiduam, ſecundum proprietates perſonales diſcreta*.

Cap. Firmiter.

15. *Tertia concluſio.*

Dico tertio, quod perſonæ diuinæ nō conſtituuntur ſe ipſis, ſed ex eſſentia, & ſuis proprietatibus perſonalibus. Concluſio hæc eſt etiam cōmunis Theologorum, & probatur eiſdem rationibus, & auctoritatibus præcedētium: nam idem eſt principium diſtinctiuū, & conſtitutiuum. Cum ergo perſonæ (vt probatū eſt) non diſtinguantur ſe totis, ſed ſuis proprietatibus: ſequitur eiſdem proprietatibus conſtitui.

16 *Quarta concluſio.*

Dico quarto: quod diuinæ perſonæ non ſolū per intellectū, ſed realiter ſecundum eſſe, quod habent à parte rei, non ſe totis, ſed proprietatibus perſonalibus ſunt verè conſtitutæ. Concluſio, hæc eſt directè contra ſecundā ſententiā, & adeò certa, vt oppoſita nimis improbabilis videatur, quæ probatur nō ſolum argumentis ex diſt. formali ex natura rei actuali inter eſſentiā, & relationes deductis, verū & alijs (argumenta enim ex tali diſtinctione fabricata ſupponuntur, etiam ſecundū aduerſarios, ſatis cōcluſionem probare) primo ergo eā probo ex communi modo loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum, & deinceps efficacibus (meo videri) rationibus, & in primis ex Concilio Toletano II. vbi abſolutè diffinitur, quod numerus perſonarum inſinuatur per relationes, & non per eſſentiā: & in multis alijs dicitur diuinas perſonas *diſtingui ſuis proprietatibus*: ſed ſi ſolum intelligerent de conſtitutione rationis, non ita abſolutè loquerentur, cum conſtitutio rationis non ſit vera, ſed ficta conſtitutio: ſicut ens rationis non eſt ens niſi confictum, & excogitatum: ergo inſinuant à parte rei conſtitui, & diſtingui perſonas ſuis proprietatibus, nō vero per intellectū.

Concil. Toletanū.

17 Secundo, nam iſta conſtitutio, ſi eſſet tantum rationis, non debuiſſent Sancti Patres, & omnes Theologi de illa fatagere, illamque ſimpliciter eſſe, aſſerere, & cōſtanter defendere: imō nihil aliud videtur D. Gregor. voluiſſe. Cur enim negaret poſſe nos cogitare, aut fingere modum dictæ conſtitutionis, inſtar cōſtitutionis creatæ? profectò ideò de cōſtitutionibus diuinis ipſe, & alij Sancti Patres loquuntur, quia à parte rei ſunt ipſæ perſonæ realiter conſtitutæ. Sed reſpondebit Thomiſta, quod quamuis ſit verum ſecundum fidem in Deo eſſe proprietates & eſſentiam, ſecundū quā Sancti Patres loquuntur, non tamen eſt certum iuxta eandem fidem, neque ſecundum mentem Sanctorum Patrum conſtitutionem perſonarum per tales proprietates eſſe à parte rei.

Sed contra, quia ſicut ſancti Patres dicunt perſonas cōſtitui proprietatibus, ita frequentius ſentiunt proprietatibus diſtingui, nam (vt ex citata Præfactione Eccleſiæ conſtat) in perſonis eſt vnitas eſſentiæ, & proprietatū diſcretio: ergo in eodem ſenſu intelliguntur cōſtitui, in quo intelliguntur diſtingui: & ideò ſicut proprietatibus diſtinguūtur, ſic etiam proprietatibus conſtituuntur: nō autem diſtinguuntur proprietatibus tātum noſtro modo concipiendi per intellectum, ſed re ipſa, vt fides catholica docet: ergo & conſtituuntur, non tantū noſtro modo concipiendi per intellectum, ſed re ipſa, & à parte rei. 18.

Si autem dicas, quod quāuis ſit verū ſecundū fidem, perſonas re ipſa diſtingui, non tamen eſt verū diſtingui re ipſa, ratione proprietatis, ſecundū eandē fidem. Hæc ſolutio ſi ab aliquo daretur, facillimè confutari poteſt: nam de fide eſt, quod perſonæ diuinæ diſtinguūtur re ipſa: vel ergo diſtinguūtur re ipſa ratione eſſentiæ, vel ratione proprietatis vel ſe ipſis primo. Primū & tertium dici non poteſt: ergo diſtinguūtur re ipſa ratione proprietatū. Conſequentia legitima eſt, quia nōeſt excogitabile aliquod aliud, per quod à parte rei realiter diſtinguantur. Minor vero probatur, nam in primis quod non diſtinguantur ratione eſſentiæ, eſt de fide expreſſum, aliàs enim iam eſſent tres eſſentiæ, & Deitates, quod abſit. Quod autem nō ſe ipſis primo diſtinguantur, ſic probo: nā quæ re ipſa diſtinguūtur ſe ipſis primo, in nulla quidditate re ipſa ſunt idem: ſed tres diuinæ perſonæ re ipſa, ſunt idem in eadē numero eſſentia, vt fides docet: ergo re ipſa nō ſe ipſis primo diſtinguūtur, ſed nō poſſunt re ipſa diſtin 19

gui,

tingui, nisi se ipsis primo, aut essentia, aut proprietate, vt dictum est: ergo cum non distinguantur re ipsa ratione essentiæ, neque se ipsis primo: necessario fatendum est distingui re ipsa ratione proprietatum. Ratio autem distinctiua est verè cõstitutiua illius, quod distinguit: ergo sicut distinguit, sic constituit: sed vt ante inferebamus, distinguit à parte rei: ergo necessario dicendum est à parte rei constituere, & sic ex ipsa rei natura diuinam personam constitui.

20 Tandem eadẽ cõclusio sic probatur, quoniã diuinæ personæ, secluso opere nostri intellectus, per se, non constituũtur, aut distinguũtur proprietatibus: ergo secluso opere nostri intellectus in diuinis personis non sunt proprietates, quibus constituantur, & distinguantur. Consequens tamen est falsum: ergo & cætera. Probatur minor, nã secluso opere nostri intellectus in diuinis non sunt proprietates, quibus ex natura rei constituantur diuinæ personæ: ergo tantùm habent diuinæ personæ esse constitutas ex nostro modo concipiẽdi: ergo ex eo præcisè, quod alia & alia consideratione, alio & alio conceptu, cõcipimus essentiam diuinã, modo est Pater, & modo Filius, & modo Spiritus Sanctus: ergo secluſa tali consideratione, & cõceptu nostri intellectus, in diuinis à parte rei, neque est Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus. Consequẽtia videtur euidenter illata, quia si tota ratio constitutiua istarum personarũ pendet à cõsideratione intellectus, cessante tali cõsideratione, personæ diuinæ non erunt distinctæ, neque constitutæ. Consequẽs autem manifestè fidei aduersatur, vt patet: ergo & cætera.

21. Adhuc tamen dictam cõsequentiam amplius probo: nam personæ distinguũtur proprietatibus, vel ergo distinguuntur illis secundũ esse, quod habent à parte rei, vel vt præcisè à nobis concipiũtur. Si primum dicas, intentum ab eo quia nobiscum sentis, & tunc tibi iam contradicis. Si verò secundum, ergo si non concipiantur personæ à nobis, neque constituuntur, neque distinguũtur: ergo ex nostro conceptu tantummodo prouenit personis personalis, & relatiua distinctio, & constitutio. Tũc sic, sed in diuinis omnis constitutio, & distinctio est relatiua: ergo cessante nostro cõceptu, nulla esset in diuinis distinctio, aut constitutio: sed negare distinctionẽ personarum à parte rei esse in Deo, est aduersus fidem: ergo cum per idem distinguantur, & constituantur personæ, sicuti non potest salua fide negari à parte rei esse personas distinctas: sic nõ potest negari à parte rei esse personas cõstitutas.

§. 4.

Soluuntur argumenta primæ, & secundæ sententiæ.

22. *Ad primã arg. pro prima opinione.*

IAM ad argumenta pro prima opinione, & ad primum respondetur, quod simplicitas in suo rigore opponitur tantùm compositioni, quia dicit carentiam potẽtialitatis ad vnionẽ: nam compositio realis requirit vnionẽ realem, quia est cõiunctio entis ad ens: ac ideò simplicitas, quæ omnẽ vnionẽ realem excludit, opponitur ei: at constitutio non requirit vnionẽ, sed cum vnitate saluatur, vt dictum est: quare simplicitas non opponitur constitutioni: & ideò quamuis persona sit ita simplex, sicut essentia, non inde infertur non esse constitutam, sicut essentia non est constituta: quia intra latitudinem simplicitatis reperitur res constituta, qualis est persona, & non constituta, qualis est essentia. Vnde non refertur, quod sicut essentia se ipsa distinguitur, sic persona distinguatur se ipsa.

23. *Ad secundum.*

Ad secundum, relictis alijs solutionibus, respondeo, quod paternitas dupliciter potest cõsiderari: primo ad modũ formæ partis, quatenus scilicet est quædam proprietas, quæ cũ essentia constituit personã Patris, & vt sic idẽ est paternitas, quod relatio. Secundo autẽ sumitur paternitas ad modũ formæ totius, taliter, vt sicut à toto homine metaphysicè cõposito ex animali, & rationali abstrahitur humanitas: sic à toto Patre cõstituto ex essentia, & proprietate abstrahitur paternitas. Dico ergo, quod abstractũ habens se ad modum formæ partis, & cõcretum, non significãt idem: quia rationalitas non significat idẽ, quod homo, cum homo dicat animal vltra rationalitatem: attamen abstractum habens

ſe ad modũ formæ totius, & concretũ, quamuis in forma ſignificandi diſtinguantur: idem tamen in re ipſa ſignificant, quia in re idem importat homo, quod humanitas.

24 Sic ſimiliter paternitas ſi ſumatur ad modum formæ Patris, eſt proprietas conſtituens, & relatio, & vt ſic non ſignificat idem, quod Pater: quia Pater includit in conceptu formali eſſentiam: paternitas autem, vt ſic conſiderata minimè, cum eſſentia non ſit de conceptu formali relationis, neque è conuerſo. Si verò ſumatur paternitas ad modum formæ totius, tunc non eſt merè proprietas, ſed quædam entitas cõſtituta includens ipſam proprietatem, & eſſentiam, & vt ſic idẽ in re ſignificat Pater, quod paternitas: ſed argumentum, & difficultas nõ procedit de paternitate, niſi quatenus eſt proprietas conſtituens, & quaſi forma partis.

25. *Ad primũ argum. pro ſecunda opinione.* Ad argumentum vero ſecundæ opinionis reſpondeo, & ad primũ concedo totã maiorẽ: negatur tamẽ minor, nam vt dictũ eſt ſupra num. 9. diſtinctio formalis ex natura rei actualis ſupponitur inter eſſentiam & relationes: ſed nihilominus, etſi talis diſtinctio non daretur in actu, vt plures Thomiſtæ volunt: illa quidem diſtinctio virtualis, ſeu fundamentalis, quam ipſi concedũt, ſatis ſufficeret ad conſtitutionem realem perſonarum. Vnde non eſt præciſe recurrendum ad diſtinctionem actualem, vt notatum eſt, nam etſi clariùs ſuppoſita diſtinctione actuali huiuſmodi conſtitutio oſtendatur: nihilominus ſufficiẽtiſſimè ex virtuali, ſeu fundamentali diſtinctione concluditur realis cõſtitutio perſonarũ, vt notat Pater Herrera vbi ſupra ſolutione ad tertium, & quæſt. 5. ad primum, vbi ait ſufficere diſtinctionem rationis ratiocinatæ, quæ cum diſtinctione fundamẽtali, & virtuali coincidit ad huiuſmodi conſtitutionem realem: nam licet diſtinctio rationis ratiocinatæ non importet actualẽ diſtinctionem ex natura rei, ſed tantum per operationem intellectus: attamen cum talis diſtinctio habeat fundamentum in re, & reale: hinc eſt, quod ſufficiat ad cõſtitutionẽ. Eſſentiam diuinam eſſe idẽ realiter cum relatione, nõ prouenit ex ratione formali relationis, neque ex ratione formali eſſentiæ: ſed ex modo intrinſeco illius nẽpe ex infinitate; ex eo enim præciſe, quod eſſentia infinita eſt, identificat ſibi realiter quidquid in diuinis reperitur: quia ergo modus intrinſecus (ſecundum Scotũ) non variat eſſentiam rei: hinc eſt, quod adhuc poſita idẽtitate reali, ratione infinitatis, inter eſſẽtiam & relationis, optimè ſaluatur diſtinctio ex natura rei actualis, vel ad minus fundamentalis, ſeu virtualis: & quia poſita tali diſtinctione, ſaluatur optimè illud axioma, quod idem non conſtituitur ſe ipſo: nam ex rationibus ſuis formalibus ad minus fundamentaliter diſtinguuntur: ideò talis diſtinctio ſufficit ad conſtitutionem ſecundum rem.

26 *Ad ſecundum.* Ad ſecundũ dico, hominem verè cõponi ex animali & rationali, quia compoſitio metaphyſica, ſecundum omnes Philoſophos, vera compoſitio eſt: nam ibi genus habet rationem potentiæ, & differentia habet rationem actus, quod ſufficit ad rationẽ veræ compoſitionis: non ergo ex eo, quod ſit per intellectũ amittit compoſitionem, neque è cõuerſo, conſtitutio ex eo, quod ſit ex natura rei, illam habet, ſed ideò præciſe illa eſt compoſitio, quia eſt ex partibus habentibus rationem potẽtiæ & actus: & ideò iſta non eſt compoſitio, quia ex dictis partibus non eſt.

DIFFICVLT. LXXXVI.

Vtrùm proprietas conſtitutiua diuinæ perſonæ ſit entitas abſoluta, an verò relatio?

§. I.

Proponitur triplex Doctorum ſententia.

1 ELEBRIS hæc difficultas varijs ſententijs agitata habet locum apud Doctorem in fere tota hac diſtinctione 26. quæ ſemper à primæua Theologorum ſchola eſt controuerſa. Nunc ergo iam habito ex difficultate præcedenti diui-

diuinas personas ex ipsa rei natura cõstitui proprietatibus: inquiritur, an dictæ proprietates in se ipsis sint formaliter absolutæ, an vero relationes? Circa quod quidam vetustissimus Doctor Ioãnes de Ripis in suo primo dist. 25. & 26. quem refert Scotus hic in art. 2. tenuit personas diuinas cõstitui ex essentia, & quibusdam proprietatibus absolutis: & consequẽter ipsas diuinas personas absolutas esse, non vero relatiuas. Aiebat enim quatuor reperiri in diuina persona, scilicet essentiam, & proprietatem absolutam constitutiuã personæ, & originem, secundum quã vna persona originatur ab altera, & tandem relationem qua vna persona ad aliam refertur. Ex istis igitur quatuor, duo priora dicebat pertinere ad rationem personæ, duo vero posteriora aduenire personis iam constitutis, & perconsequens ista nomina *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*, nõ esse nomina propria diuinarum personarum: sed nomina quædã relatiua, quibus vtimur, eo quod alia absoluta ignoramus. Prædictus Auctor, & Sectator huius sententiæ singularis est, quãvis Vazquez 1.p. disput. 58. cap. 3. pertinaciter velit eam etiam secutum fuisse Scotũ, eo quod ipsam ad longum cum omnibus suis fundamentis probaret. Sed ab hac calumnia satis liberatus est Scotus supra in cõmentario 2. art. quæst. vnicæ huius dist. 26.

Prima opinio Ioannis de Ripis.

2. Probatur ergo hæc sententia efficacibus argumentis, & primo testimonio sacræ paginæ Prouerbiorum capit. 30. vbi dicitur interrogatiue: *Quod est nomen eius, aut nomen filij eius, si nosti?* Tùm sic: si Filius cõstitueretur filiatione, & pater paternitate: ergo vtriusque nomen esset sapientissimo Salomoni notum: quia iam supponitur cognoscere nomina Patris, & Filij, secundum quod Pater & Filius sunt: si quidem Patris & Filij nomina propria, quæ illis conueniunt in ratione personarum; inquirit: ergo frustra quæreret de nomine illius, hoc est Patris, & de nomine Filij eius. Sed hoc non est dicendum: ergo paternitas & filiatio supponunt alias proprietates absolutas, quæ Patrem & Filium in ratione personarum constituant.

Prou. 30.

Secundo probatur auctoritate Diui Augustini, qui septimo de Trinitate capite sexto, loquens de diuinis personis, hæc ait: *Persona Patris dicitur ad se, non ad Filium, neque ad Spiritum Sanctum, sicut Deus ad se dicitur.* Sed quæ sunt ad se, sunt absoluta, quæ vero ad aliud relatiua: ergo persona Patris (& idem est de alijs) secundum Augustinum constituũtur proprietate absoluta, non vero relatione. **3.**

Tertio, ratione probatur: quia vnum quodque prius est in se, quã operetur: ergo suppositum, vel persona diuina prius præsupponitur constituta, quàm operetur: quia in omni philosophia agere supponit esse, nam quod nondum est, non potest operari. Sed relatio paternitatis supponit operationem, hoc est generationem tanquam fundamentum, vel saltem tanquam rationem fundandi: igitur cum operatio supponat personam constitutam, à fortiori relatio paternitatis supponit personam Patris constitutam in esse personæ. **4**

Quarto, quoniam absolutum secundum naturæ ordinem est prius relatione: ergo distinctio per absoluta est prior, quàm distinctio per relationem: sed prima omnium distinctionum realium est distinctio diuinarum personarum: ergo talis distinctio debet esse per absolutas entitates, non vero per relationes. **5**

Quinto tandem, probatur eadem opinio, quia relatio realis supponit extrema realia realiter distincta: sed diuinæ relationes sunt relationes reales: ergo supponunt personas realiter distinctas, inter quas sint, iam constitutas realiter. Patet consequentia, quia personæ sunt extrema talium relationum. Hoc manifestatur exemplo: nam prius est esse duo alba, quàm sit similitudo vnius ad alterum, & prius est fuisse Dauidem, & Salomonem, quàm consurgeret relatio paternitatis in illo, & filiationis in isto. Sed diuinæ personæ non sunt realiter distinctæ, nisi quatenus personæ sunt: ergo relationes diuinæ supponunt personas constitutas per absolutas proprietates. **6**

7. *Secunda opinio.*

Fuit, & alia antiquissima opinio, quã refert D.Thomas 1. parte quæst. 40. ar. 2. dicens, quod hypostases diuinæ constituũtur originibus, personæ vero relationibus, & cõsequenter dicebat, quod abstractis per intellectum relationibus non manebãt personæ, manebant tamẽ hypostases. quia persona supra hypostasim addit quandam dignitatem, huius opinionis fundamentum nullum assignatur, quia ad libitũ distinguit inter hypostases, & personas: propterea quẽ tanquam irrationabilis prorsus à D. Thoma, & ab omnibus confutatur, & reijcitur.

8. *Tertia sententia quæ D. Bonauentura cõmuniter solet tribui.*

Seraphicus autem Doctor Sanctus P.N. Bonauentura in prima distin. 26. quæst. 2. nu. 21. reiecta prima opinione conuenit cum cæteris Theologis in hoc quod est diuinas personas relatione cõstitui: sed loquendo de relatione eam distinguit, quatenus tria habet, videlicet, *oriri, & esse, & ad alterum se habere, quæ tria in diuinis sunt idem, & tantum secundum nostram rationem intelligendi, ita sunt ordinata, vt primum sit oriri, de inde intelligatur esse, & tandem ad alterum se habere: quia tamen hæc tria idem sunt in Deo, ideò eodem nomine generationis designantur; propterea quẽ generatio dicit originem, & dicit esse, & habitudinem: tamen proprie loquendo generatio dicit originem, & paternitas habitudinem: quoniam ergo proprietas diuina secundum communem vsum loquendi, importat habitudinem, & originẽ, ideò tenendũ, quod proprietates non solum sunt ratio innotescendi, sed etiam distinguendi.* Hæc omnia sunt verba D. Bonauenturæ. Ex quibus communiter deducunt Doctores iuxta eius mẽtem tertiam sententiã in hac difficultate, videlicet diuinas personas, & constitui, & distingui proprietatibus, nõ secundũ illã rationem habitudinis, hoc est per illud, quod est ad alterũ se habere: sed secundũ illam rationẽ originis, id est secũdum generationem, qua habent duæ personæ ab alia oriri, & prima, vt ab ea secũda oriatur. Quid quid tamen sit de mente Doctoris Sanctissimi patebit infrà. Opinio tamen hæc, quam sequitur Marsilius in primo quæst. 31. art. primo, & vt probabilem tenet Maironis in dist. 26. quæst. 4. art. primo, & alij, nonnullis argumentis probatur, & primo ex D. Damasceno primo libro de fide cap. 2. vbi ait: *Quod in Trinitate omnia sunt vnum, præter nascentiam, innascentiam, spirationẽ*: sed istæ sunt origines: ergo per origines constituuntur, & distinguuntur diuinæ personæ, & non per relationes,

Marsilius.

Maironis.

9.

Secundò, nã tota ratio multiplicationis diuinarum personarũ est origo, seu processio: sed eadem ratio, quæ est multiplicationis, est etiã distinctionis, & cõstitutionis: ergo personæ diuinæ per origines constituuntur, & distinguuntur: maior probatur, nam sublata origine implicat in diuinis esse plures personas.

10.

Tertio, quoniam quidquid distinguitur ab alio, distinguitur per aliquid proprium, & intrinsecũ: ergo diuinæ personæ distingũtur per illud, quod principalius est sibi propriũ, & intrinsecũ: hoc autẽ tale est relatio, nõ quatenus habitudo, sed quatenus origo: ergo, &c. Probatur minor, nam origines antecedũt relatione: ergo origo principalius est intrinsecũ, & propriũ personæ, quã relatio: antecedens patet, quia hæc est vera causalis, ideò aliquis est Pater, quia generat: nõ tamen ista, ideò aliquis generat: quia est Pater.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, à qua non discedit D. Bonauent. & eius fundamenta explanãtur.

11. *Vera Scoti sententia.*

IN oppositum autem est litera textualis in hac dist. 26. quæst. vnica ar. 2. vbi Doctor hæc ait. *Tenẽdo opinionem secundam, quæ est magis communis, potest respõderi ad rationem contra eam.* Opinio autem illa hæc erat. *Opinio communis dicit personas constitui per relationes.* Et in quotlibetis quæst. 4. litera C. inquit, *dico quod alia relatione constituitur secunda persona, & alia sibi opposita prima persona.* Et infra sub litera F. hæc ait, *relatio nõ constituit personã, nisi secundum quod est in re ex natura rei.* Quod idem pluribus alijs in locis, & præsertim dist. 28. huius primi quæst. 3. per totam affirmat. Tenet ergo expresse diuinas personas relationibus esse

se constitutas, & quod hæc sit mens Doctoris subtilis, & non alia, tenent non solum nostrates, sed etiam ex alienis

Molina. Molina prima parte quæst 40.art.2.disput.1.membro 2. dices, *quod Scotus simul cum communi Theologorum sententia defendit personas diuinas constitui, non proprietatibus absolutis, sed respectiuis.* Sequuntur ergo Doctorem Basolis in primo dist. 26.

Basolis. Rubionis. Viguerius. Tataretus. Lychetus. Maironis. Rada. Herrera. quæst.1 art.3. Guillielmus Rubionis q. tion.2.art.1.cõclusione 3. Viguerius q. vnica, §. *tenendo opinionem secundam*, Tataretus ibi quæst. vnica eodem §. Lychetus §. *ad primã primæ viæ*, Maironis quæst. 4.art.1. Dominus Rada 1. parte controuersia 23. art3. conclusione 1. Pater Herrera in 1. disp. 7. quæst. 3. & omnes veteres, & recentiores Scotistæ, estque expresa

D. Thom. sententia D. Thomæ 1. parte q. 40.art.4. & de potentia quæst.8.art.3. & communis inter omnes Thomistas, & etiam inter Iesuitas. Imo est sententia

D. Bonau. D. Bonauenturæ, prout Viguerius defendit, nam in quæstione citata §. *tertia opinio*, hæc profert; *Hæc tertia opinio ponit diuinas personas esse absolutas, & imponitur Sancto Bonauenturæ: sed non est opinio sua, inquit enim ipse, quod necesse est ponere proprietates, quibus diuinæ personæ constituũtur, & distinguũtur: & dicit illas proprietates cõstitutiuas esse relationes; & ita ponit ibi relationes, proprietates, & notiones (vt cõmuniter dicunt Theologi) proprietates enim relationes sunt: sed non omnis relatio est proprietas, vt patet, quia Spiratio actiua est relatio, & tamen non est proprietas, &c.* Vnde aduertũt ipse Viguerius & alij Scotistæ, Doctorẽ subtilẽ intendisse D. Bonauenturam ab hac calumnia liberare, soluendo argumenta contra ipsum fabricata: vt ostenderet tantum, Doctorem Seraphicum intendisse, non esse cõtra fidem asserere diuinas personas absolutis proprietatibus constitui, sicut ex articulo 4. patet: & tunc origines, quæ formaliter sunt relationes, à relationibus quasi condistinctas concepit. Est igitur vniuersalis fere omnium catholicorum sententia diuinas personas relationibus esse constitutas.

12. Pro intelligentia, ergo huius sententiæ, & totius difficultatis claritate, primo obseruare oportet, hic esse dubiũ de proprietate personali constitutiua personæ: non secundum præcisum modũ nostri conceptus, sed vt se habet à parte rei. Quia cum ex præcedentibus habeamus diuinas personas ex ipsa rei natura constitui proprietatibus habentibus esse à parte rei secluso ordine ad nostrum intellectum: modo in eodem met sensu inquirimus, an istæ proprietates etiam ex natura rei, & in se, secluso ordine ad intellectum, sint absolutæ entitates, an vero relationes? nam de ipsis proprietatibus secũdum modum nostrum concipiendi, & sub quo expresso conceptu constituãt, in sequenti difficultate proprius erit sermo.

13. Ex hoc ergo prænotato colligitur non esse reijciendam in hoc loco sententiam illam de constitutione per origines, vt ab habitudinibus condistinctas, quæ D. Bonauenturæ tribuitur, sed amplectendam; cum ipse, vt loco citato constat, hæc asserat, hæc tria scilicet, *oriri, esse, & ad alterum se habere, idem esse*: certissime ergo docet, & sentit Seraphicus Doctor cum communi Theologorum schola, secũdum rem ipsam, & ex natura rei proprietates cõstitutiuas diuinarum personarum esse relationes: cum ex natura rei (quod est verum apud omnes) relationes ab originibus nullo modo, neque etiam formaliter distinguat. Et miror viros doctissimos in hac verissima, & communissima totius Ecclesiæ sententia Doctorem illustrem eiusdem Ecclesiæ, vt aduersarium impugnantes, cum eadem distinctione secundum rationem inter illa tria, qua vtitur Sanctus Pater, vtantur ipsi, & idẽ D. Thomas, & Scotus, vt infra patebit. Constat ergo Doctorem Seraphicum in hoc puncto, & in sensu huius difficultatis non deuiare ab hac communi sententia. Sed quidquid peculariter ex sententia propria docet, non ad hanc, sed ad sequentem difficultatem pertinet: in ea enim examinatur sub quo cõceptu relationes (nostro modo concipiendi) constituãt personas: & ibi veriorem sententiam amplectemur.

14. Est igitur obseruandum secundo ex Doctore subtili in quotlibetis quæst. 4. litera P. & Q. & R. quod hæc tria scilicet aptitudo ad generandum, & generatio, & paternitas, prout in creaturis reperiuntur, in cludunt aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis. Nã in aptitudine ad generandum perfectio

Aptitudo, potentia generandi, & generatio, dicunt perfectionem, imperfectionem.

est, quod maneat, & non raptim transeat, & sic non tantum est infieri, sed in esse quieto, & permanenti, sicut cæreræ aptitudines. Imperfectio vero est, quod careat actu, & separetur ab actuali generatione: quia hoc quod est carere actu, est communiter quid imperfectionis in qualibet potentia: quia est perfectibile carere suo perfectiuo. Rursus imperfectio est in generatione, quod raptim transeat: quia hoc importat mutationem, & viam ad rem genitam; nam trãsacta generatione remanet generãs absque actu, & consequenter eius potentia imperfecta, tanquam potentia carens suo perfectiuo. Perfectionis vero est, quod per genarationem actualiter communicetur natura generantis. Tandem in paternitate perfectio est (sicut dicebamus de aptitudine ad generandum) quod permaneat, & non raptim transeat: sed est imperfectio, quod requirat generationem, vt viam, & fundamentum sui, & quod ab actuali genetione separetur: nam transacta generatione, manet paternitas. Cum igitur in diuinis quæcunque considerantur instar creaturarum, considerãda sint sublatis imperfectionibus: restat nunc videamus, quid in diuinis reperitur huius modi imperfectionibus se motis: & consequenter in diuinis, quid verè sit diffiniamus. Est ergo in diuinis aptitudo ad generandum coniũcta cum actuali generatione, seu cõmunicatione naturæ, ne ibi sit perfectibile sine suo perfectiuo: imo est ipsa generatio actualis, quia in diuinis idem est esse, & posse: & hæc eadem generatio actualis numquam trãsit, neque dicit motum, aut mutationẽ aliquam: sed semper est in actu: & ab ea non separatur paternitas: sed eadem ipsa ex natura rei formaliter est paternitas. Vnde constat, quod aptitudo ad generandum, generatio actualis, & paternitas est vna, & eadem prorsus formalitas ex natura rei, licet per nostros in adæquatos cõceptus à creaturis desumptos distinguãtur, & concipiantur, ac si re vera non essent vnum, sed tria.

15. Ex dictis ergo hæc infert Doctor litera S. his verbis. *Patet ergo, quod ista ratio distinctionis non manet in diuinis, quia ibi non est generatio nisi completa, & necessario secum ponens terminum in esse, neque est paternitas consequens communicationem, sed perpetuæ communicationis.* Nulla ergo distinctio, quæ datur in creatis inter aptitudinem ad generandum, & generationẽ & paternitatem manet in diuinis. Cuius rationem reddit Doctor: quia completa generatio, qualis est generatio diuina, necessario secum ponit terminũ in esse producto: & per consequens nõ supponitur generatio ad paternitatẽ: sed ipsa generatio completa est paternitas ipsa: & eo quod perpetuo pater communicat naturam Filio, est perpetua generatio, & perpetua paternitas. Addit insuper Doctor ad confirmationem huius doctrinæ in eadem quæstione 4. quodlibetali litera P. sequentia verba. *In Deo omnino eadem relatio realis est generatiuitas (hoc est aptitudo ad generãdum) generare, & paternitas.* Quibus iterum cõfirmatur defensio legitima D. Bonauẽturæ, qui ponendo ex natura rei personas originibus esse constitutas, consequenter ponit relationibus constitui.

16 Hæc omnia, quæ dicta sunt de persona Patris, intelligi debent de alijs personis. In Filio enim idem est posse esse genitum, & actualiter generari, & esse Filium, hoc est referri ad Patrem, & in Spiritu Sancto idem est posse spirari, & actualis spiratio passiua, & referri ad Patrem, & Filium. Vnde colligitur, quod proprietas, quæ cum essentia cõstituit Patrem, est vna entitas relatiua, quæ ex natura rei formaliter est aptitudo ad generandum, & ipsa generatio actualis, seu actus generandi, & habitudo referens Patrem ad Filium. Proprietas vero, quæ cum essentia constituit Filium, est vna entitas relatiua, quæ ex natura rei formaliter est quoddam posse generari, & est ipsa actualis generatio passiua, seu ipsum generari, & est habitudo referens Filium ad Patrem, seu filiatio. Proprietas vero, quæ cum essentia constituit Spiritum Sanctum, est vna entitas relatiua, quæ ex natura rei formaliter est posse spirari, & ipsum actuale spirari, & habitudo referẽs Spiritum Sanctum ad Patrem & Filium, quæ habitudo dicitur spiratio passiua.

17 Tertio obseruãdum est, quod vt egregie docet Scotus in citata qua st. 4. quodlibetali solutione ad argumentum principale, in hoc assimilantur entitas communi-

communicabilis, & incommunicabilis, quod ſicut prima entitas communicabilis non ſupponit aliam entitatem cõmunicabilem priorem ſe (aliàs enim iam non eſſet prima) ſic prima entitas incommunicabilis non poteſt ſupponere aliam entitatem incommunicabilem priorem ſe, & ratio eſt, quia ex oppoſito iam non eſſet prima entitas incommunicabilis. Conſtat igitur quod ſicut eſſentia diuina, quæ eſt prima entitas communicabilis, non ſupponit aliam entitatem communicabilem: ſic proprietas perſonalis, quæ eſt prima omnium entitatum incommenicabiliũ, non ſupponit aliam entitatem incommunicabilem priorem ſe. Ex quibus infertur, quod ſuppoſitum non eſt per ſe primo incommunicabile, quia eſt incommunicabile per aliud, hoc eſt per primam entitatem primo, & per ſe incommunicabilem, qualis eſt proprietas perſonalis. Cum ergo iſta entitas primo, & per ſe incommunicabilis, ratione cuius perſona diuina incommunicabilis eſt, ſit relatio: non eſt quærenda alia entitas abſoluta incommunicabilis, ratione cuius ſupponatur perſona diuina conſtituta ante relationem. Nam in creatis ideò neceſſario relatio originis ſupponit conſtitutum ſuppoſitum, quia ſuppoſitalitas eſt prima entitas incommunicabilis, ratione cuius ſuppoſitum incommunicabile eſt. Relatio verò originis cum ſuppoſitalitatem ſupponat: iam non eſt prima entitas incommunicabilis: at verò in diuinis (vt dictum eſt) ipſamet relatio eſt prima entitas incommunicabilis: & per conſequens eſt, quæ conſtituit perſonam ineſſe perſonæ: nam ratio formalis perſonæ eſt incommunicabilitas ſubſiſtentiæ, ſeu ſubſiſtere incommunioabiliter, prout in difficultate 83. viſum eſt.

§. 3.

Exponitur diſtinctè modus conſtitutionis primæ perſonæ, & aliarum.

PORRO, quia ſtudioſus lector forſan non acquieſcens dictis, ſed interrogabit modum, quo diuinæ perſonæ conſtituuntur: placet breuiter aliqualiter id exponere. Ad quod prius aduerto, longè aliter rem ſe habere in diuinis, ac in humanis: nã in humanis prius ſupponitur perſona conſtituta, deinde generans, & tandem referens ſe ad genitum: in diuinis autem hæc omnia ſunt idem, vt dictum eſt, ex natura rei formaliter: & ideo difficultas ſummopere vrget in prima Trinitatis perſona. Quo modo ergo intelligatur relatione Paternitatis conſtitui, ſic intelligo, videlicet, quod intellectus diuinus, habens ſibi preſentem eſſentiã diuinam in ratione obiecti ſeu ſpeciei intelligiblis, producit Verbum, eo modo, quo dictum eſt ſæpe alibi, ſed præſertim in difficultate 49. ea actione notionali, quæ eſt dicere: ex eo ergo quod producit verbum, reſultat quædam relatio producentis ad productum, quæ non eſt diſtincta aliquo modo à parte rei ab ipſa productione: & ideo non vere reſultat, licet reſultare intelligatur; ſed eſt formaliter ipſamet productio: hæc ergo relatio ſeu productio habet ſe ex parte producentis, quia actio realis eſt, & ideo vocatur generatio actiua: & vt ſic ſimul cum eſſentia conſtituit primam perſonam, quæ eſt Pater. 18.

Sed dices, Deus vt Deus nõ generat, bene tamen vt perſona: ſed intellectus diuinus ſic producens, eſt intellectus Dei, vt Deus eſt, quia nondũ intelligitur perſona Patris conſtituta, cũ per ipſam productionẽ cõſtituatur: ergo ruit doctrina data. Reſpõdeo, maiorem eſſe veram reduplicatiuè loquendo: ad minorem vero dico, quod intellectus cum eſſentia ſibi vnita eſt principium formale *quo* productionis: & hoc idem principium nondum intelligitur incommunicabile, ac ideò ad primam identitatẽ incommunicabilem præſuponitur, & conſequenter non eſt Patris, ſed Dei, atque ideò omnibus perſonis pro illo priori, quatenus præciſe concipitur, vt memoria, nondum habens terminum adæquatum ſuæ productioni, eſt communis. Nam vt optimè docet Scotus in quæſt. 4. quodlibetali litera Y. & litera. 19.

81 A.A. *poſſe agere nullo modo ex natura rei præ ſupponitur ipſi agere, imo agens eſt primo potens ipſo agere, ſed præſupponit illud* quo, *vt principio formali, aliquid eſt potens agere.* Hæc ſunt verba Scoti, qui continuo ſe declarat, & in fine cuiuſdam declarationis oſtendit, quod nam ſit iſtud principium formale his verbis: *Non eſt difficile concipere, quod actio non præſupponit ſuppoſitum neque vt agens, neque vt potens: ſed tantum præſupponit eſſentiam, quæ eſt quaſi ratio formalis agendi.*

20. Hæc Doctor, ex quibus verbis aduerte, quod principium formale eſt duplex, adæquatum ſcilicet & partiale: primum eſt memoria perfecta, hoc eſt intellectus ſimul cum eſſentia ſibi vnita in ratione ſpeciei intelligibilis: ſecundum vero eſt quodlibet iſtorum ſeorſum ſumptum: tàm ergo memoria perfecta, quàm eſſentia præſupponuntur, vt docet idem Scotus ibidem ſub litera X. his verbis: *Originatio actiua eſt prima entitas incommunicabilis in diuinis: quia illam nihil procedit, niſi memoria perfecta, vel eſſentia, & totum hoc eſt communicabile, ſed primum producere non poteſt communicari.* Hæc Doctor ſupra, quæ verba docet Lychetus ibidem; §. *reſpondet Doctor*, quod memoria perfecta ſupponitur ad actionem originis, & pro tanto poteſt dici ſuppoſita, pro quanto eſt per ſe ſtans, non tamen ſuppoſitum, quia communicabilis: ſuppoſitum vero incommunicabile. Conſtat igitur intellectum ſic conſideratum in ratione præciſæ memoriæ communicabilem eſſe, & perconſequens pro illo priori non intelligi intellectum paternum, ſed Dei. At vero intellectus iam producens Verbum in ratione principij, *quo*, eſt intellectus Patris: nam quamuis in re non ſupponatur Pater conſtitutus antecedenter ad generationem, ſeu relationem, ſatis tamen eſt, quod ipſamet relatione, ſeu generatione cõſtituatur in ratione perſonæ Patris, vt intelligamus principium producens *quo* eſſe intellectum diuinum, non ſolum Dei, vt Deus eſt, ſed iam prout in Patre, & principium, *quod* dictæ productionis eſſe ipſum Patrem.

21. Sed dices ſecundum Scotum, poſſe agere, nullo modo à parte rei præſupponitur ipſi agere: ergo principium formale productionis non præſupponitur ad ipſum agere: & perconſequens cum agere ſit Patris: etiam intellectus pro illo priori erit intellectus Patris. Reſpondeo, Scotum loqui de principio *quod* productionis, quod ſecundum ipſum, idem eſt poſſe, & agere. Loquendo vero de principio formali *quo*, ipſe Scotus ait, ad agere præſupponi. Quamuis ergo increatis ob imperfectionem noſtram, hæc non poſſent in inſtanti contingere, in diuinis nihilominus in eodem inſtanti (ſuppoſito quod diuina eſſentia ſit vnita intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis) intellectus diuinus in ratione principij, *quo*, producit Verbum, & iſta actio, ſeu productio, & relatio productionis, cum ſit prima entitas incommunicabilis dicens incommunicabilem ſubſiſtentiam, cõſtituit perſonam: & quia talis entitas eſt productio, conſtituit perſonam producentem: & quia non eſt productio qualiſcunque, ſed generatio, conſtituit perſonam generantem: & quia eſt relatio, & paternitas, conſtituit perſonam relatiuam, nempè Patrem: & quia talis relatio includit non eſſe ab alio, ſed à ſe, conſtituit perſonam non habentem eſſe ab alio, ſed à ſe: quare vocatur perſona ingenita, ſeu innaſcibilis, & eſt prima perſona: & cum inter producens, & productum neceſſariò interueniat realis diſtinctio, quia nihil ſe ipſum poteſt producere, ſed aliquid à ſe diſtinctum: ideò hæc prima perſona Sanctiſsimæ Trinitatis, eo ipſo manet à cæteris realiter diſtincta. *Conſtitutio primæ perſonæ.*

22. Quæ quidem omnia, quamuis à nobis ſecundum prius, & poſterius intelligantur: in ſe autem ſunt omninò idem, ac in eodem inſtanti originis: & ſic eſt verum dicere principium *quo*, huius generationis eſſe intellectum, non vt cunque, ſed prout in Patre: quia eſt verum dicere, quod Pater per intellectum producit Verbum. Si tamen quæras, an iſta relatio paternitatis producatur ab eſſentia? Dico, quod omnes relationes identificantur realiter cum eſſentia, licet ab ea ex natura

rei

rei formaliter distinguantur: & ideò continentur realiter in ipsa, ab ea tamen non producuntur: sed ab ipsa, tanquam à prima radice, in qua virtualiter continentur (nostro modo loquendi) quasi pullulant. Hoc tamen dico de omnibus relationibus diuinis respectu essentiæ, & præsertim de paternitate, quæ nec producitur, nec comproducitur. De filiatione vero & spiratione aliter vlterius est dicendum: nam licet à diuina essentia non producantur, sed pullulent: nihilominus à personis producentibus possunt intelligi comproduci: nam Pater ad productionem Filij comprodúcit filiationem in eo: & Pater & Filius ad productionem Spiritus Sancti comproducunt spirationem, quæ illum in esse personæ constituit: & nec filiatio, nec spiratio, dicuntur produci: quia nulla est actio per se primo ad alterutram terminata. Paternitas ergo nec producta, nec comproducta, sed immediatè ab essentia pollulata, cum ipsa essentia primam personam constituit.

23. *Constitutio secundæ personæ.*

Demum de secundæ personæ constitutione faciliùs constare potest, cum enim inter producens, & productum sit mutua relatio, dato quod productio, seu relatio producentis ad productum constituit primam personam: consequenter relatio producti ad producens constituit personam: & sicut illa constituit personam generantem, scilicet Patrem: sic ista constituit personam genitam, scilicet Filium: nam veluti ex eo quod per intellectum producentem à parte producentis, qua si resultat relatio, quæ, modo exposito, primam personam constituit: ita à parte producti, productione, qua Pater Filium producit, comprodúcit filiationem, seu generationem passiuam illius, quæ est relatio filiationis, & cum essentia Filio communicata à Patre producente, constituit secundam personam, quæ est Verbum æternum, Filius Patris, sapientia genita, & imago Patris, ac speculum bonitatis illius. Cum vero ad rationem Verbi, Filij, &c. duo necessario requirantur, scilicet similitudo cum Patre quoad substantiam, & distinctio à Patre quoad personalitatem. Primum habet Filius ab essentia, quam sibi communicat Pater cum omnibus attributis. Secundum vero habet à relatione generationis passiuæ, quæ ideò distinguit Filium à Patre, quia incomposibilis est cum relatione generationis actiuæ, quæ est paternitas.

Ex his sequitur, quod quamuis Filius ex se habeat esse Deum, hoc est ex natura sua, quam formaliter habet in se: non tamen à se, sed à Patre habet esse Deum, esse bonum, esse sapientem, intelligere, &c. quia præpositio, *A.* denotat originem: & cum Filius originetur à Patre, quidquid habet essentiale, habet à Patre sibi communicatum. 24

Hæc tandem omnia, quæ dicta sunt de generatione passiua, & ratione filiationis, qua Filij persona constituitur: sunt adaptanda constitutioni Spiritus sancti, qui procedit à Patre, & Filio in ratione vnius spiratoris: nam habentes essentiam sibi præsentem in ratione obiecti summè boni, & infinite amabilis, per voluntatem fœcundam in ratione principij *quo* per actionem notionalem, quæ dicitur spiratio actiua, producunt amorem: cui spirationi actiuæ ex parte producentium, correspondet à parte amoris producti spiratio passiua, quæ similiter est origo, & relatio, & entitas primo & per se incommunicabilis, dicens incommunicabilem subsistentiam: quæ propterea cum essentia constituit tertiam personam sanctissimæ Trinitatis eodem prorsus modo, quo de Filij constitutione dictum est. Hæc breuiter dicta sunt crassa Minerba, quia ob inopiam intellectus humani, non clariùs arcana huius mysterij profundissimi (secundũ quod à parte rei se habent) valemus exponere. Qui sic ea potest capere, capiat, vsque ad sequentem difficultatem, vbi adaptando ea ad nostrum modum concipiendi, loquemur. 25. *Constitutio tertiæ personæ.*

§. 4.

§. 4.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

26 *Prima conclusio.*

His ergo præhabitis difficultatem concludendo, dico primo, quod proprietates quibus diuinæ personæ constituuntur, non sunt entitates absolutæ. Conclusio hæc est Scoti, vt patet in eius litera, & aduersatur primæ sententiæ: in cuius primæ sententiæ qualificatione summopere laborant Doctores, sed quid de hoc sit dicendum, breuiter patet ex commentario articuli quarti, quæstionis vnicæ distinctionis vigesimæ sextæ. Probatur ergo veritas nostræ conclusionis ex *Conc. Tole.* Concilio Toletano II. vbi habetur, quod in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio: sed diuinæ personæ eo constituuntur inesse personali, quo personaliter distinguuntur: ergo cum distinguantur relationibus, consequenter relationibus, & non proprietatibus absolutis constituuntur.

27 *Conc. Flor.*

Probatur secundo, ex Concilio Florentino vbi dicitur, quod *Pater omnia dedit Filio, præter hoc, quod est esse Patrem*: igitur Pater nullam rationem absolutam sibi reseruauit, & retinuit: sed retinuit proprietatem, qua inesse Patris constituitur: ergo proprietas constitutiua Patris non est entitas absoluta. Quod autem nullam entitatem absolutam sibi retinuerit, infertur ex dictis Concilijs, quia esse Patre, quod sibi retinuit, est esse relatiuum: ergo non retinuit aliquid absolutum.

28 *Secunda conclusio.*

Dico secundo, quod personæ diuinæ secundum rem non constituuntur, nec distinguuntur originibus distinctis à relationibus: bene tamen originibus, quæ formaliter sunt relationes. Conclusio est Diui Bonauenturæ, & Scoti, vt patet ex verbis citatis vtriusque, & debet esse communis: quæ probatur ex supranotatis, & præsertim quoad primã partem: nam ex natura rei nulla est in diuinis origo à relatione distincta: ergo non constituitur diuina persona, vt sic per originem, vt distincta à relatione. Secunda pars patet, quia si ex natura rei idem sunt origo, & relatio: optimè per essentialem consequentiam infertur, quod constitutum ex natura rei relatione, constituitur origine. Sic tenet Torres locutum fuisse D. Bonauenturã, & non ex alio sensu.

29 *Tertia conclusio.*

Dico tertio, quod personæ diuinæ constituuntur, & distinguuntur relationibus. Cõclusio hæc est Doctoris, & ex prima patet esse communem in Ecclesia: quæ probatur auctoritatibus Cõciliorum ibi adductis, & præterea ex omnibus locis sacræ Scripturæ in quibus loquitur de diuinis personis: ibi enim semper de eis, sicut de relatiuis loquitur, vt patet ex illo Ioannis capite decimo, *ego, & Pater vnum sumus*, & ex alijs. Probaturque conclusio quoad vtramque partem: nam quamuis non omnes vnanimiter sentiant eandem relationem constitutiuam, esse etiam distinctiuam illius personæ, quam constituit: omnes nihilominus concedunt per relationes cõstitui personas, & per relationes constitutiuas, vel nõ constitutiuas, distingui. Vnde hæc conclusio in hoc, quod continet, in Ecclesia est certa absque controuersia.

30 *Conc. Tol.*

Secundo probatur, ex Concilio Toletano II. in confessione fidei, vbi hæc habentur: *Hæc ergo sancta Trinitas, quæ vnus est Deus, quæ neque recedit à numero, neque capitur numero, in relatione enim personarum cernitur numerus, &c.* Item Ioannes Theologus in Concilio Florentino Sessione 19. sic loquitur: *Ita vt in nullo alio differat, nisi quia Pater est Pater, & Filius, &c.* & in fine Sessionis eiusdem hæc subdit: *Quæ quidem substantia, & proprietas licet vnum reipsa sint, & per suas proprietates re inter se differant, quando quidem ad aliquid sunt, &c. hoc est eo quod relatiuæ sunt.* *Conc. Flor.*

31. *D. Augus.*

Tertio probatur, eadem veritas auctoritatibus Sanctorum Patrum: nam Diuus Augustinus passim in libro quinto de Trinitate cap. secundo, de Patre, & Filio sic loquitur: *quidquid ergo ad se dicitur, non dicitur alter sine altero*, & septimo de Trinitate cap. vltimo, explicans illũ locum citatum Ioannis: *ego, & Pater vnum sumus*, ita exponit, vt *vnum* referat

ad

ad essentiam, & ly *sumus* ad relationem personalem. Et libro 9. capit. 1. inquit: *Credamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnum esse Deum, neque Patrem esse Filium, neque Spiritum Sanctum vel Patrem esse, vel Filium sed Trinitatem adinuicem relatarum personarum, & vnitatem essentiæ.* Item D. Abrosius libro 1. de fide ad Gracianũ cap. 1. & D. Hieron. in expositione fidei ad Damasum, Boecius lib. de Trinitate versus finem, D. Anselm. lib. de Incarnatione cap. 3. & de processione Spiritus Sancti cap. 1. D. Damascen. 1. de fide cap. 10. & reliqui omnes sancti Patres sentiunt, personas diuinas relationibus constitui, & distingui: ex quo patet veritas conclusionis.

D. Ambro. *D. Hieron.* *Boetius.* *D. Ansel.* *D. Damas.*

32. Tandem ratione probatur, quia diuinæ personæ verè constituuntur, & distinguuntur: sed non constituuntur, aut distinguuntur seipsis, nec essentia: ergo relationibus: consequẽtia patet, quia in diuinis vltra essentiã, & essentialia, non est aliqua proprietas nisi relatiua.

33. *Quarta conclusio.* Dico quarto, quod in Patre est duplex relatio, scilicet paternitas, & spiratio actiua: & in Filio est duplex relatio, nempe filiatio, & eadem numero spiratio actiua, quæ est in Patre: ita quod per Paternitatem refertur Pater ad Filium, per spirationem vero actiuam ad Spiritum Sanctum: Filius autem per filiationem refertur ad Patrem, & per spirationem actiuam ad Spiritum Sanctum. Conclusio hæc de se constat, & probatione non eget.

34 *Quinta conclusio.* Dico quinto, quod spiratio actiua, nec constituit primam, nec secundam personã. Conclusio hæc facillime probatur duplici ratione. Primo nãq; quia spiratio actiua supponit primam, & secundam personam constitutas per paternitatem, & filiationem, & consequẽter non potest illas constituere. Et secũdo, quia proprietas constitutiua personæ, vt dictum est, debet esse entitas primo incõmunicabilis: relatio autẽ spirationis actiuę est Patri, & Filio cõmunis.

35 *Sexta conclusio.* Dico sexto, quod prima persona constituitur formaliter in esse personæ per paternitatem, secunda autem per filiationem, tertia vero per spirationẽ passiuam. Conclusio vera est & cõmunis, & patet ex supra notatis de modo constitutionis personarum.

§. 5.

Soluuntur argumenta opinionum primæ, & tertiæ.

AD argumenta ergo pro prima sententia, & ad primum varijs modis respondent Doctores sub diuersis sensibus intelligentes illa verba Salomonis: quibus omnibus admissis, nunc tamen omissis ob prolixitatem vitandam breuiter dico, ibi non interrogasse Salomonem de alio nomine magis proprio personæ Patris, aut Filij: sed de nomine adæquato, hoc est, quod adæquatè significat naturam, & proprietatẽ Patris, aut Filij: & quia ex tale nomen ineffabile est: ideò dicit, si nosti? quasi dicat, impossibile est, quod illud cognoscat, eo quod nomen eius sit supra omne nomen, quod excogitari potest. 36 *Ad argumenta primæ sententiæ, & ad primum.*

Ad secundum respõdetur, D. Augustinum voluisse significare in illis verbis, quod persona Patris, priùs intelligitur in se constituta, quàm quod ad Filium referatur. Et iste modus loquendi, seu intelligendi ad difficultatem sequentẽ spectat. Sic respondet Pater Herrera. Et quod hæc sit mens Augustini constat ex multis locis suæ doctrinæ, in quibus tenet, diuinas personas relationibus constitui: & non est credendum nunc sibi contradixisse. 37 *Ad secundum.*

Ad tertium dico, argumentum illud procedere de operatione cõstituti, non vero de operatione constitutiua. Vnde sicut in creatis actio non supponit agẽs in ratione agẽtis, sed ipsum constituit, quanuis illud in alio esse supponat, hoc est in ratione suppositi: imo etsi per impossibile talis actio creata esset entitas primo incommunicabilis, non supponeret ipsum agens cõstitutum in ratione suppositi, sed ipsum constitueret, cũ entitas primo incommunicabilis sit cõstitutiua suppositi: sic similiter dicendũ est, quod actio diuina Patris, scilicet generatio, non supponit agens in ratione agentis, sed ipsum constituit: & cũ primum suppositũ diuinum in ratione suppositi sit formaliter agens (accipio hic agere pro eodem quod est producere) quia hoc tale agere est ipsa entitas primo incommunicabilis constituens suppositum 38 *Ad tertiũ.*

positũ etiam in ratione suppositi: hinc est quod operatio diuina, vel inquam productio non supponit diuinam personam constitutã: quia ergo productio creata non est, nec potest esse prima entitas incommunicabilis, non potest suppositum constitutum non supponere (admittendo nũc disputationis gratia, actiones necessario esse suppositorum) ac ideò dicitur operatio constituti, hoc est suppositi iam constituti, antequam agat: quia vero productio diuina adintra est entitas primo incommunicabilis, non potest suppositum cõstitutum supponere, sed ipsa est constitutiua illius.

39 *Ad quartũ* Ad quartum conceditur antecedens, consequẽtia vero negatur: nam per oppositum dicendum est, quod si prius est absolutum, quàm relatiuum, prius erit distinctio relatiua, quàm absoluta. Cuius ratio est, quia sicut prima vnitas est maxima vnitas, sic prima distinctio est minima distinctio: nam vnitas opponitur distinctioni. Minima autem distinctio est relatiua, & minus distinguuntur duo relatiua, quàm duo absoluta: ergo prima omnium distinctionum relatiua est.

40 *Ad vltimũ* Ad vltimum respondetur distinguendo maiorem, quia relatio realis est duplex: alia enim est inhærens, & alia subsistens. Ex his igitur prima supponit extrema realia realiter distincta: non vero secunda, quæ ipsa extrema realiter distinguit. Ad minorem vero dicitur, quod relationes diuinæ non sunt inhærentes, sed subsistentes: & ideò non supponunt extrema realiter distincta, sed ipsa extrema realia constituunt, & realiter distinguunt: nam cum ex natura sua sint entitates subsistãtiales subsistentes, & primo per se incommunicabiles, non possunt præsupponere aliqua, in quibus sint: quia vt dictum est aptitudo ad generandum, generatio, & paternitas idem sunt.

41 *Ad argum. pro secunda sententia.* Ad argumenta autem pro tertia sententia respondeo, non militare contra nos in hac difficultate, vbi de proprietate constitutiua, non secundum nostram considerationem, sed secundum rem ipsam loquuti sumus, & per cõsequens verũ est in hoc sensu diuinas personas, tàm originibus, quã relationibus esse constitutas. Vnde opinio illa distinguens inter relationes, & origines pertinet ad distinctionẽ penes nostros modos cõcipiendi, de qua in sequenti difficultate. Opinio: ergo quæ D. Bonauẽt. tribuitur, est eadem Scoti, qui in quodlibetis quæst. 4. litera x. §. *ad argumentum principale*, hæc ait: *Et ad probationem illius conceditur, quod illa relatio constituens primã personam, pertinet ad originem, imo ipsa est originatio actiua.*

DIFFICVLT. LXXXVII.

Vtrùm relationes diuinæ constituãt personas sub expressa, & formali ratione relationis?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ, cum quorundam sententijs.

I XAminata veritate huius celebris quæstionis secundum rem ipsam, quatenus ex natura rei relationes diuinæ constituunt personas, in difficultate præcedente: iam humani intellectus subtilitas relationis cõstitutiuæ, non vnum, sed plures fabricare conceptus non dubitat, & sub quo tali relatio sit constitutiua inuestigat: conceptibus enim imperfectis, & in adæquatis creaturis desumptis, secundũ distinctas considerationes, eandem formaliter entitatem, distinguit: nam supposita iam reali constitutione per entitatem, quæ formaliter est relatio, ad nostrum concipiendi modum recurrit, inquirendo sub quanam ratione diuinæ relationes constituant personas.

2 Potissima ratio dubitandi est duplex, prima videlicet, quia prima persona est prior origine, quàm secunda: si autem constituitur relatione sub formali ratione relationis, non constituitur nisi vt actu respicit Filium: & per consequens non potest intelligi constitutus Pater, nisi prius intelligatur Filius constituendus: non enim potest Pater Filium respicere, quin ipse Filius constitutus sit, cum relatio supponat terminum, quem

sed vnde constat, quod non prius pullulant relationes communes, *vel nō* æquè primo?

F. Ad istud potest dici, quod sicu quelibet essentia creata, licet ipsa sit quidditas, & quanta, ita quod semper est in certo gradu perfectionis æqualitatis essentialis, sicut tangetur distinctione 31. prius tamen est quidditas, quàm quanta, vel qualis: prius est in individuo ratio identitatis ad aliud individuū, quàm æqualitatis, & similitudinis: ita etiam est prius suppositio ratio agendi (si est forma actiua) quàm ratio æqualitatis, vel similitudinis. non enim posterius consequitur ipsum ratio actiui, quàm esse rationem identitatis. In diuinis ergo cum communicare sit actio, cuius formale principium est essentia, vt quid, quodammodo prius in ea erunt relationes pertinentes ad communicationem, quàm aliæ æqualitatis, vel similitudinis, quæ fundantur in ipsa ratione quantitatis virtualis, & qualitatis essentialis.

G. Cōtra: hæc respōsio videtur supponere essentiam mere, vt est quid, esse rationem communicandi in diuinis: cuius oppositum determinatum est distinct. 13. Respondeo, *quod* essentia, vt quid, est ratio communicandi essentiam: nec solum hoc: sed cum hoc, essentia, vt est intellectus, & vt est voluntas, est principium productiuum personæ, & communicatiuum essentiæ, sicut dictum est distinctione secunda huius primi. Nunc autem sicut essentia intelligitur prius ratio communicādi se, quàm intelligatur esse quanta, vel qualis: ita etiam intelligitur ratio operandi prius, quàm quanta, vel qualis: non enim posterius conuenit essentiæ, esse principium operatiuum respectu operationum propriarum tali naturæ, quàm sibi conueniat esse principium actiuum: & hoc siue productiuum respectu producibilium in illa natura: siue communicatiuum ipsius naturæ. Essentia autem diuina est principium operationum propriarum tali naturæ, in quantum natura est intellectus, & voluntas: quia intelligere, & velle sunt propriæ operationes illius naturæ: ideò prius est essentia, non tantum essentia, sed etiam intellectus, & voluntas, quàm sit quanta vel qualis. Quamvis igitur productio non conueniat soli essentiæ, vt essentia est, tanquam principio productiuo, sed etiam intellectui, & voluntati, tanquam principio productiuo cum essentia, in quantum essentia: adhuc stat, quod relatio producētis, & producti prius pullulat in essentia, quàm relatio æqualitatis, vel similitudinis.

Ad primum argumentum per hoc dico, quod nec actio, nec æqualitas potest intelligi in eadem natura ad intra, nisi sint suppositorum, vt relatiuorum: tamen erunt naturæ, vt fundamenti: & prius est eorum actio, quàm æqualitas, sicut ipsa actio prius consequitur fundamentum, ratione cuius est suppositorum, quàm æqualitas consequatur. H.

Ad secundum dico, quod si in substantia creata, potentia, siue illud, quod est principium propriæ operationis conuenientis tali naturæ, non est aliquid pertinens ad genus qualitatis; sed vel est mere ipsa substantia, cui competit operatio, vel est aliqua perfectio identicè contenta in substantia, & hoc pertinens ad ipsam substantiam, vt substantia est, non autem quasi quædam qualitas circunstans eandem substantiam (quomodo esset ponendum de potentijs animæ, ponendo aliquam distinctionem realem inter ipsas, & tamen ipsas non esse I. *De his vide in 2. dist. 16.*

accidentia) multomagis essentia diuina, circunscripto omni eo, quod est qualitas, habet in se, vt essentia est, illa, quæ sunt principia propriæ operationis conuenientis Deo: huiusmodi sint intelligere, & velle. Concedo igitur, quod (propriè vocando attributa illa sola, quæ quasi qualitates perficiunt in esse secundo rem præsuppositam in perfecto esse primo, scilicet quantum ad omnem perfectionem, quæ conuenit rei, vt est substantia) hoc modo intellectus, & voluntas non sunt attributa: imò sunt quædam perfectiones intrinsecæ in essentia, vt præintelligitur omni quantitati, & quasi qualitati. Istud declaratur, quia sicut ab aliquibus conceditur, quod vita, vel viuere non sit attributum: quia dicit tale esse, non talitate quasi accidentali, sed quasi per se contrahente rem (sicut homo est animal tale: quia est rationale) eodem modo cum intellectus sit quædam vita, & voluntas quædam vita: non erunt propriè attributa.

1. Vel aliter declaratur, & melius: quia hæc essentia, vt hæc essentia præcedens omnem quasi qualitatem, est intellectualis, & volitiua essentia: ita quod sicut rationalitas non est attributum homini: sic nec intellectualitas huic essentiæ. Istud patet per simile de infinito, quod alias negaui esse proprium attributum: quia dicit modum intrinsecum cuiuslibet in Deo, tàm substantiæ, quàm cuiuslibet attributi: ita intellectualitas dicit modum intrinsecum huius essentiæ, propriè autem attributa sunt sapientia, & charitas, & alio modo transcendentia, veritas & bonitas.

L. Ad tertium dico, quod quid Dei simplex, non est punctualiter simplex, quasi vnicam solam perfectionem in se continens: sed hæc essentia est simplex, & illimitata: quia illimitata non tantum intensiuè in vna ratione, sed in omnibus, quæ sunt principia propriarum operationum Dei, sicut natura creata est, quodammodo illimitata: quia identicè est, quodlibet principium tale operandi. Cum hac tamen illimitatione essentiæ diuinæ quasi extensiua, stat simplicitas: imò ex infinitate sequitur simplicitas: quia infinitum nulli est cõponibile, vt pars parti: sed tamen potest esse realiter idem, licet non formaliter cuilibet infinito.

Expositio art.8.quæst. vni. distinctionis 26.

EO quod plures relationes reales non solum originis, sed etiã alias esse in Deo Doctor admittit infra in distinctione 31. quæstione vnica articulo primo, vt patet de relationibus identitatis, æqualitatis, & similitudinis (de quibus agitur ibi) identitas vero, æqualitas, & similitudo sunt omnibus personis communes: hîc quærit, an omnis relatio realis in Deo etiã si sit cõmunis, personã constituat? Cuius partẽ affirmatiuã priora argumenta suadẽt. Doctor vero concludit nullam relationem communem, etiam si realis sit, esse constitutiuam personæ: cuius rationẽ reddit in corpore articuli, & clare habetur solutione ad primum: quia videlicet æqualitas non potest esse nisi inter ea, quæ ante eam supponũtur esse distincta: eiusdem etenim ad se ipsum æqualitas esse non potest, quod idem de similitudine, & identitate constat: circa quæ omnia clara est litera textualis. De spiratione autem actiua maior difficultas suboritur ex notatis in corpore articuli: nam si ratio agendi per intellectum, seu voluntatem, eo quod præsupponitur ad æqualitatem, personas constituit, non vero æqualitas:

tis: quare actiua spiratio non constituat personam, sicut generatio seu paternitas, cum etiam sit ratio agendi sicut illa, de hoc dictum est iam supra in difficultate 72. à numero 19. vsque ad 32. nonnullos posuisse spirationem actiuam pertinere ad constitutionem personæ Filij, ideoque præcise distinguere Filium ab Spiritu Sancto: ita quod si in Filio talis spiratio non esset, non quidem esset Filius persona ab Spiritu Sancto distincta. Ibi tamen hæc, & aliæ similes opiniones satis remanent confutatæ: & num. 37 ostenditur spirationem actiuam ex se communicabilem esse, passiuam vero incommunicabilé; quod etiam traditur infra in art. 9. ad 3. videnda sunt insuper, quæ circa hoc punctum dicuntur in sequentibus difficultatibus.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm relatio constitutiua personæ, vt putà paternitas, sit formaliter incommunicabilis de se, an vero quia diuina?

A. AD nonum sic proceditur, videtur, quod relatio cõstitutiua personę vt putà paternitas, non sit formaliter incommunicabilis de se, sed quia diuina. Tùm primo, quia secundum eos, qui tenent hanc opinionem, nulla quidditas de se est incommunicabilis: ergo nec paternitas.

B. Secundo præterea: quia paternitas non est de se hæc, circunscripto omni eo, quod non est de conceptu formali paternitatis, circunscripta enim Deitate, quæ non est de forma li ratione paternitatis secundũ Augustin. septimo de Trinitate cap. 2. & 4. quod non eo Pater quo Deus; paternitas non est de se formaliter infinita, & per consequens non est de se hæc. Probatur hæc consequentia, continens per identitatem aliquid, quod est extra eius rationem propriam, vel primam, est quodam modo illimitatum: ergo continens formaliter tale hoc est simpliciter illimitatũ, & infinitũ: cõtinentia enim formalis requirit maiorem perfectionem continentis. Ex hoc vltra, si paternitas non est de se hæc: nec multomagis erit de se incommunicabilis: quia incommunicabilitas præsupponit singularitatem.

Tertio præterea: quia quælibet relatio diuina originis est æquè eadem essentiæ diuinæ: ergo si ex illa contraheret aliquam incommunicabilitatem: quælibet æqualiter eam contraheret: sed hoc est falsum: quia spiratio actiua, licet sit hæc, non tamen incommunicabilis est: quia est in duobus, Patre, scilicet, & Filio. C. D.

Quarto præterea ex hoc probatur: quia cum opposita relatiue videantur vniformiter se habere ad incommunicabilitatem: & spiratio actiua non sit de se sic incommunicabilis: ergo nec spiratio passiua sibi opposita: ergo non constituet Spiritum sanctum in esse personali, quod est falsum, si ponatur relationem constituere. E.

Quinto præterea: quia etiam si ponerentur quæcunque positiones impossibiles, vel in compossibiles, stante intellectu rationalitatis, repugnaret sibi diuidi in plures naturas specificas, puta si ponatur, quod rationale esset differentia spe-

cifica caloris : & quod ille calor posſit cauſare ſubſiſtentias denihilo, vel quæcunque talia. Posita autem hac positione impoſsibili, quod prior eſſe productio voluntatis, quã intellectus, ſaluata ratione generationis, & ſpirationis, ſpiratio actiua eſſet in vno ſuppoſito, & generatio actiua tunc eſſet in duobus: quia tunc Spiritui Sancto in primo inſtanti, in quo ſpiratur, communicaretur vis generatiua: ergo modo generationi actiuæ in ſe, non repugnat in ſe formaliter communicabilitas.

F. Sed contra eſt: quia quando hæc duo conſtituunt per ſe aliquod tertium: neutrum illorum habet ab altero illam conditionem, quæ eſt propria ſibi, in quantum conſtituit: ſed vtrumque habet ex ſe primo, verbi gratia, materia & forma conſtituunt per ſe compoſitum, & materia non habet à forma potentialitatem, quæ eſt eius conditio in cauſando compoſitum, nec forma habet à materia aliquam actualitatem, quæ eſt eius conditio in cauſando compoſitum, ita & in diffinitione, genus non habet à differentia conceptum determinatum, vel determinabilem, nec differentia habet à genere conceptum ſpecificum indiuiſibilem in plura ſecundum ſpeciem: ergo ſi perſona conſtituatur ex eſſentia, & proprietate incommunicabili: neutrum habebit ab altero, quod eſt ſibi proprium: ſed ſicut eſſentia non habet communicabilitatem à proprietate, ſed eſt ex ſe ipſa communicabilis, circunſcribendo per intellectum proprietatem: ita proprietas non habebit ab eſſentia incommunicabilitatem, ſed erit ex ſe primo talis, circunſcripta per impoſsibile eſſentia.

G. Reſpondeo dicendum, quod *ad impugnandam* opinionem, quæ dicit, perſonas conſtitui per relationes, *erat quædam via* ex propria ratione ipſius conſtitutiui, & quantũ ad iſtam viam arguebatur ſic: quidquid conſtituit formaliter in aliquo primo eſſe, & in vnitate correſpondente tali eſſe, ſe toto repugnat diſtinctioni oppoſitæ illi vnitati, & eſſe. Exemplum, ſi rationale primo conſtituit hominem in entitate, & vnitate ſpecifica: ſe toto primo repugnat diſtinctioni ſpecificæ: ita quod circunſcribendo per impoſsibile, vel poſsibile, quodcunque aliud à rationali, quod non eſt de intellectu eius, ſtante ſolo intellectu rationalis: repugnabit ſibi diuiſio in diuerſas naturas ſpecificas. Et probatur iſta propoſitio: quia ſi non toti conſtitutiuo repugnat talis diſtinctio: ergo per aliquid ſui ſibi repugnat. Sit illud A. ſi ipſi A. ſe toto repugnat, habetur propoſitum: ſi non, ſed repugnat ipſi A. per B. erit proceſſus in infinitum, vel vbicunque ſtabitur, illud erit vltimum conſtituens in tali vnitate, & illi ſe toto repugnabit diſtinctio oppoſita tali vnitati: igitur, ſi paternitas conſtituat primum ſuppoſitum in eſſe perſonali, ſub ratione incommunicabilis, oportet, quod paternitati primo ex ratione ſua repugnet communicabilitas: ſed hoc videtur falſum multipliciter, *vt conſtat argumentis ſupra poſitis.*

H. Ad iſtud argumentum de primo incommunicabili, reſpondetur dupliciter, vno modo, quod paternitas, licet non ſit incommunicabilis, vnde paternitas: tamen paternitas diuina, ſiue vnde diuina, eſt incommunicabilis. Aliter dicitur, quod paternitas ſubſiſtens, qualis eſt iſta, quæ eſt in Deo, eſt incommunicabilis: ſed non paternitas inhærens

hæren', qualis est creata. Contra primam responsionem, licet cõcludant vltimæ tres rationes, vel probationes: tamen arguo aliter dupliciter, primo: sicut *supra* §. *contra*. Præterea, quia essentia non dat incommunicabilitatem Patri, vt mere essentia est: quia ipsa est communicabilis: ergo vt ipsa intelligitur habere virtualiter paternitatem in se, & ita item vt virtualiter in essentia erit ratio incommunicabilitatis sui ipsius, vt formaliter tale, quod est inconueniens: tùm quia de illo, vt est virtualiter in essentia, quæram, aut est communicabile, aut incommunicabile? si communicabile: non erit ratio incommunicabilitatis paternitati, vt formaliter in se: si incommunicabile, & ab essentia: secundum illam responsionem, iterum arguitur, quod non ab essentia, vt mere essentia, sicut prius, & sic in infinitum, aut communicabile, aut incommunicabile? Tùm, quia nulla vnitas veriùs, vel intensiùs conuenit alicui, vt est vnum virtualiter tantùm, quàm vt est vnum formaliter, & hoc loquendo de vnitate propria illi, & hoc patet sicut de entitate propria. Tùm, quia quod est in aliquo, est in eo per modum eius: ergo quod est in essentia virtualiter, vt præcisè est in ea, non est ibi, vt incommunicabile. Contra illud, quod respondetur postea de relatione subsistente, quod ipsa est incommunicabilis: quæro, cum prius oporteat intelligere aliquid esse hoc, quàm subsistens, per quid paternitas sit hæc? non de se, cum non sit formaliter infinita: ergo nec multomagis est de se subsistens: ergo nec de se est incommunicabilis.

Ad *hoc ergo* dico, quod paternitas est de se formaliter incommunicabilis: non tamen iste conceptus, qui (secundũ dicta aliàs) potest abstrahi à Paternitate diuina, & creata. Sed ista realitas, quæ est in diuinis, quæ non est formaliter essentia, est ipsa formaliter incõmunicabilis, & non quasi per determinationem extrinsecam, putà quia diuina: ratio enim incommunicabilitatis eius est ista: quia sicut essentia est actus vltimus, & ideo non potest per aliquid determinari, respectu cuius sit ipsa quasi potentiale: ita quidquid est in ea vltimum in vltima actualitate sibi possibili, ita quod in illo instanti naturæ, in quo sapientia pullulat in essentia, ipsa pullulat secundum vltimam determinationem, quam potest habere. Vnde & ista realitas, quæ est sapientia, formaliter est non determinabilis, & similiter quidquid potest esse incommunicabile in primo instanti naturæ, in quo pullulat in natura, pullulat, vt incommunicabile: & non prius, vt communicabile: quia tunc esset determinabile per aliquod, per quod fieret incommunicabile. I. *Prima conclusio.* *Secunda cõclusio.*

Etsi dicas, quod tunc paternitas non est incommunicabilis, nisi quia est in essentia diuina, hæc enim realitas non habet, vt ex se sit vltimate determinata, nisi quia est in essentia diuina. Dico, quod quasi originaliter, vel fundamentaliter, quidquid est intrinsecum in diuinis, est ab essentia: quia secundum Damascen. lib. primo cap. duo decimo, est pelagus quoddã infinitæ substantiæ: sed tamen illa alia habent formaliter rationes suas, & se ipsis sunt primo talia formaliter, ita quod sapientia, licet ab essentia, K.

quasi fundamentaliter, & originaliter habeat, quod sit perfectio simpliciter: est tamen formaliter perfectio simpliciter, & in se formaliter infinita: ita quod in eodem instanti naturæ, in quo sapientia iam actu est in essentia, si circunscribatur per impossibile ipsa essentia, & remaneat intellectus sapientiæ: erit intellectus perfectionis simpliciter infinitæ: ita in illo instanti naturæ, in quo intelligitur paternitas in essentia ipsa, se ipsa est incommunicabilis formaliter, circunscripta tunc per impossibile ipsa essentia. Nec videtur esse contradictio, quod aliquid quasi originaliter, vel causaliter habeat ab aliquo, hoc quod sibi conuenit formaliter: sicut calidum formaliter contrariatur frigido, licet causaliter sit ab igne, cui ignis non contrariatur formaliter: ita est in alijs, quod illa entitas, qua constituitur aliquid inesse specifico, ex se formaliter est indiuisibilis in plures species, etiam dato per impossibile, quod esset in causata: licet modo, ista in diuisionem habeat causaliter, vnde est causaliter.

L. Etsi obijcias, quare aliqua entitas originatur in essentia communicabilis, & aliqua incommunicabilis? Respondeo, quod huius non est ratio formalis alia, nisi quia hæc entitas est, & illa entitas est illa. Et hæc entitas, quia hæc, est communicabilis: & illa, quia illa, est incommunicabilis, ita quod ista originari non posset, nisi incommunicabilis formaliter oriretur. Ratio autem istius extrinseca, quasi fundamentalis, vel originalis est, quia essentia est radicaliter infinita, ex qua oriri possunt intrinsecè non tantum perfectiones simpliciter, & communicabiles, sed etiam proprietates personales incommunicabiles: quælibet tamen, quando originatur, originatur in summa determinatione sibi possibili, & per hoc patet ad omnes alias probationes, quæ ostendunt paternitatem non esse ex se incommunicabilem, *quæ pro argumenti sponuntur.*

Ad primum *enim* argumentum, patet, quod nec illa propositio est vera, quod omnis quidditas est communicabilis: sed tantùm quidditas, quæ est perfectio simpliciter, aut diuisibilis. Prima enim communicatur in vnitate naturæ: secunda communicatur cum sui diuisione: hæc quidditas non est perfectio simpliciter, nec diuisibilis, quia est in natura perfecta simpliciter. M.

Ad secundum cum dicis, quod non est de se hæc, falsum est, intelligendo formaliter de realitate illa, quæ est paternitas, non de conceptu communi huic paternitati, & illi: quia sicut expositum est distinctione octaua, & distinctione vigesima tertia, potest esse conceptus aliquis communis absque ordine realitatum intra, quarum vna sit contractiua, vel determinatiua alterius: paternitas tamen hæc, id est illa realitas, non est de se hæc fundamentaliter: sed ab essentia, & ab ipsa eadem essentia est paternitas incommunicabilis: quia non prius hæc, & quasi cõmunicabilis, & postea quasi facta incommunicabilis per aliud determinans, sed sine omni ordine singularitatis ad incommunicabilitatem in ista realitate oritur realitas summè determinata in primo instanti naturæ, in quo oritur. N.

Ad tertium, & quartum patet *etiam*, quod nec illa propositio est vera, O.

vera, quod relationes oppositæ sunt æquè incommunicabiles ex se: immo spiratio actiua oritur communicabilis duobus; nec vnquam potest fieri incommunicabilis per aliquod determinans: spiratio autem passiua ex se formaliter in eodem instanti, in quo est in diuinis, est incommunicabilis.

P. Ad quintum, quod etiam dicit, quod quacunque positione facta possibili, vel impossibili, stante ratione sua, ipsum remanet incommunicabile. Concedo, *quod* stante ratione eius, & non posito aliquo repugnante rationi suæ, quod si ponatur, ratione eius manere, & aliquid repugnare: tunc ex oppositis in antecedente, sequuntur opposita, scilicet, quod ipsum sit incommunicabile ex se formaliter; & possit communicari: & ita in proposito, si ponatur, spirationem præcedere generationem actiuam: ponitur aliquid incompossibile paternitati Patris, & tamen rationem Patris manere: & ita sequitur, paternitatem esse communicabilem ex primo: & tamen incommunicabilem ex secundo. Vnde formaliter contradictio est, generationem esse secundam productionem in diuinis. Paternitas igitur in diuinis: quia diuina: est incommunicabilis, ita quod ly, quia, sit circunstantia principij originalis, siue fundamentalis: non autem contrahentis, siue determinantis; eo modo quo contrahitur album, cum dicitur, homo albus, vel albedo humana. Hæc enim albedo præintelligitur in se existens, vt sic esset indeterminata, & determinabilis, vt sit hominis, & ad hoc determinatur, cum dicitur, albedo humana, non autem, quod albedo oriatur ex natura hominis, & in illo instanti, ipsa de se sit determinata. Ita per oppositum, in proposito: quia sicut causa non causaret effectum, nisi daret sibi esse conueniens effectui: nec produceret istum effectum, nisi produceret aliquid, quod natum esset habere talem effectum, ita nulla causa causaret triangulum formaliter, nisi produceret aliquid, quod necessario haberet tres *angulos*, etsi posset producere aliquid, quod non necessario haberet tres, &c. non produceret istum effectum, sed alium. Nec est alia ratio huius, nisi quia formalis ratio trianguli est, vt sit triangulus. Ita dico, quod Deitas non esset ratio fundamentalis alicuius realitatis intrinsecæ, nisi ipsa oriretur talis, vt in primo instanti, in quo est, sit determinata vltima determinatione. Si igitur produceret aliquid determinabile per aliquam realitatem quasi sibi aduenientem: iam productio non esset ab intrinseco in diuinis: si etiam produceret aliquid communicabile, non produceret proprietatem personalem, sed aliquid aliquo modo aliud ab illa.

Expositio art. 9. quæst. vni. distinctionis 26.

MATERIA huius articuli est satis celebris, & eius resolutio necessaria ad intelligendã constitutionem diuinæ personæ. Cum etenim (vt ex sæpè dictis habetur) diuinam personam incommunicabilẽ constitui ex essentia, & relatione, & aliàs essentiam communicabilem esse, sit planum: indubitabiliter concludetur, personam ratione relationis constitutiuæ incommunicabilem esse. Vnde autem

tem huiusmodi relationi proueniat esse incommunicabilem, & ex consequenti constitutiuam personæ, inuestigat Doctor in textu. Et potissima ratio dubitandi satis vrget, nam relatio v. g. Paternitas, & habet formalem, & præcisum conceptũ relationis, & habet quod talis relatio est diuina. Secundum priorem conceptum non est incommunicabilis: tunc etenim quælibet similis relatio, vtpotè paternitas creata esset incõmunicabilis, & constitutiua personæ: sequitur ergo ideò esse incommunicabilem, quia diuina est. Tunc sic, quidquid habet eo quod est diuina vltra suũ formalem conceptum, habet ab essentia, à qua pullulat, & cum qua est realiter idem: essentia vero non potest relationi dare illud, quod non habet in se. Igitur cum essentia ex se sit communicabilis, non potest reddere relationem incommunicabilem. Hæc ratio simul cum alijs in principio articuli positis eius resolutionem reddit difficilem.

2 Doctor vero postquam aliorum solutiones refert, & confutat, illam subtiliter clarificat primo distinguendo in relatione v.g. Paternitatis, seu in qua libet alia constitutiua, quæ est in Deo, duos formales conceptus, primum quidem paternitatis communiter sumptæ, prout ad omnem paternitatem, etiam creatam extenditur: secundum vero huiꝰ paternitatis, quæ in diuinis est quædam realitas, quæ Patrem constituit, vide in textu litera H. Dicit modo, quod paternitas secundum priorem conceptum non est incommunicabilis, sed sub secundo. Rursus hanc realitatem, quæ est paternitas in Deo, subdistinguit vel quidem secundum proprium, & formalem conceptum, & provt sic ab essentia distinguitur ex naturarei (vt late dictũ est supra in difficultate 54.) vel secundum quod ab essentia pullulat, & ab ea quasi originatur. Dicit ergo, quod paternitas formaliter sumpta, prout ab essentia formaliter distincta habet in se ipsa formaliter esse incommunicabilem: originaliter autẽ, seu fundamentaliter, hoc habet ab essentia, in qua virtualiter cõtinetur, sicut in ea continentur cætera, quorũ est pelagus: & egregie ostendit, quod nõ inconuenit essentiam esse formaliter incõmunicabilẽ, ad hoc vt etiã sit virtualiter incõmunicabilis. Causa enim potest esse formaliter talis, quoad sui entitatẽ, & nihilominus virtualiter causatiuam distinctæ entitatis, seu qualitatis: & ponit exemplum de igne & calore, quod est in textu.

Essentia ergo diuina secundum se, eo 3
quod est pelagus infinitæ substantiæ, virtualiter continet, & perfectiones simpliciter, quæ communicabiles sunt, vt sapientiam, bonitatem, &c. & etiã proprietates personales, quæ non sunt perfectiones simpliciter (vt vidimus supra in difficultate 68.) sed sunt incommunicabiles. Habent igitur huiusmodi relationes esse incommunicabiles formaliter à se ipsis, virtualiter vero, seu originaliter ab essentia, atque ideò circunscripta per intellectum essentia seu Deitate, & manente conceptu formali illius realitatis, quæ est paternitas: adhuc talis realitas est de se formaliter incommunicabilis, & consequenter constitutiua personæ. Vnde patet, quod esse sic incommunicabilem, non adest formaliter à diuinitate, licet benè originaliter. Sed si amplius quærere intẽtas, quare formaliter est hæc realitas incõmunicabilis ex se ipsa? respondet Doctor sub litera H. vt solet in reddendis rationibus primarum rationum: videlicet, quia hæc talis entitas seu realitas talis est ex natura sua, hoc est, quia huic relationi ex natura sua formaliter conuenit esse formam hypostaticam, quæ formaliter incommunicabilis est. Vide plura quæ subtiliter, & clarè habentur in textu.

ARTICVLVS X.

Vtrùm aliquis conceptus communis quidditatiuè dicatur de proprietatibus constitutiuis diuinarum personarum?

AD decimum sic proceditur, videtur, quod nullus conceptus communis quidditatiuè dica-

dicatur de proprietatibus conſtitutiuis diuinarum perſonarum: quia ab vltimis diſtinctiuis, & conſtitutiuis aliquorum, non poteſt abſtrahi aliquod commune dictum in quid de eis. Probo: quia ſi eſt aliquid cõmune eis: illo communi non diſtinguerentur primo: ſed aliquo contrahẽte diſtinguerentur: & ita nõ ſunt primo diſtinctiua: ſi igitur sũt primo diſtinctiua, nihil eſt eis commune, dictum in quid de eis: a paternitate autem, & filiatione abſtrahitur hoc commune dictum, quod eſt relatio, quæ videtur eis commune eſſe, & vniuocè, poteſt enim intellectus certus eſſe de relatione, & dubius de hac relatione, vel illa: igitur & iſta, à quibus abſtrahitur, non ſunt primo conſtitutiua, vel ſi ſunt primo conſtitutiua nihil eſt commune dictum in quid de eis.

B. Si reſpondetur negando minorem, dicendo quod relationes diuinæ ſunt primo diuerſæ. Contra hoc eſt argutum frequenter, & poteſt vnum medium iterari.

C. Sed contra eſt: quia ſi tunc ſciens vnam originationem in diuinis, & neſciens, vtrùm illa originatio eſſet generatio, vel ſpiratio, nullum conceptum haberet, niſi de voce: vana igitur eſſent illa problemata, quæ fiunt de generatione, ſiue de productione in communi, & ſoluuntur per propria media, antequam quæratur de productionibus in ſpeciali.

D. Reſpondeo dicẽdum *ad iſtum articulum*. *Et* dico, quod licet aliquis conceptus communis poſsit haberi, qui dicatur in quid de generatione diuina, & ſpiratione diuina: imo forte, qui dicatur in quid de paternitate diuina, & creata: tamen nulla realitas poteſt eſſe in diuinis aliquo modo diſtincta ex parte rei, à qua ſumatur iſte cõceptus dictus in quid: quæ realitas ſit determinabilis per aliam realitatem, ſicut conceptus communis eſt determinabilis intellectu per alium conceptum: & impoſsibilitas huius, & ratio ſatisfacta eſt. **E.**

Supra diſt. 8. & 23. & alibi. Concluſio.

Dico igitur, quod paternitas, & filiatio non ſunt duo primo diuerſa quantum ad intellectum, quin poſſit intellectus abſtrahere ab eis aliquem conceptum realem communem: ſed ſunt primo diuerſa quantum ad realitatem, ita quod nullum vnum gradum realitatis includunt, qui ſit quaſi potentialis, & determinabilis per proprias differentias, vel quaſi proprias: ſicut albedo, & nigredo includunt realitatem aliquam eiuſdem rationis determinabilem per proprias differentias ſpecificas earum, ſiue realitates, à quibus ſumuntur earum differentiæ ſpecificæ.

Ad argumentum tunc *per ea quæ dicta ſunt* dico, quod illa propoſitio maior, quod primo diſtinctiua ſunt primo diuerſa, tantum debet intelligi de ipſis realitatibus, quæ primo conſtituunt, quantum ad non conuenientiam in aliqua realitate vna formali, quam formaliter includant ambo. **F.**

Expoſitio art. 10. quæſt. vni. diſtinctionis 26.

ALIQVIBVS forſan videbitur Doctorem ſibi ipſi eſſe contrarium ex litera huius articuli, dixerat namque ſupra in diſtin. 13. quæſt. vnica art. 10. in corpore, generationem & ſpirationem actiuam ſe ipſis, & ſe totis formaliter eſſe diſtinctas, ita quod nulla eſſet realitas, in qua conueniant (quod nos late in difficultate 51. de eius mente notauimus) modo autem concedit conceptum realem vtrique productioni, ſeu relationem communem de illis dictum in quid. In quibus cõtradictio apparet. Sed de revera quod ibi dixerat, id modo confirmat, aliud enim eſt dari realitatem dictis relatio-

nibus communem: aliud vero dari conceptum realem communem. Conceptus enim realis dictus in quid poteſt abſtrahi ab vtraque per intellectum, abſque eo quod à parte rei præſupponatur ratio obiectiua communis, quæ dicitur conceptus obiectiuus. Realitas verò eis cõmunis neceſſario eſſet gradus aliquis ſuperior, qui à parte rei in Deo daretur per rationes inferiores quaſi contrahibilis, ſeu determinabilis. Concordat igitur hæc litera cum illa citata: & quod obiter tradit Doctor in præſenti, dari videlicet conceptum dictum in quid de relatione increata, & creata, reſoluendum eſt inſtar illorum, quæ ſupra diximus de vniuocatione entis in diſſ. 58.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm perſona, vt conſtituta ex relatione, & eſſentia, ſit vnum ens per ſe?

A. AD vndecimum ſic proceditur, videtur, quod perſona, vt conſtituta ex relatione, & eſſẽtia, ſit vnũ ens per ſe? quia primum conſtitutiuum ſuppoſiti in aliqua natura, videtur facere per ſe vnum cum illa natura: quia non videtur, quod aliquod vnum per accidens poſsit eſſe primum ſimpliciter in aliquo genere, ſecundum Tex.n.66. Philoſophum 2. Phyſic. primum autem, de quo natura dicitur per ſe, eſt eius propriũ ſuppoſitũ: ergo, &c. ſed ſicut in creaturis, relatio eſt alterius generis ab abſoluto, & ideò non facit per ſe vnum cum eo, ita in diuinis non videtur conceptus vnus eſſe per ſe abſoluti, & relationis: ergo ſi perſona iſta duo includat eſſentialiter, eſſentiam, ſcilicet, & relationem, non videtur eſſe ſuppoſitum per ſe vnum, & primum talis naturæ: ſed quaſi ſuppoſitum per accidens, & ita videtur, quod poſſet dari aliquid prius conſtitutiuum per ſe ſuppoſiti in illa natura.

B. Secundò præterea confirmatur ratio ſic, prima identitas videtur eſſe primæ naturæ ad proprium ſuppoſitum: ergo illa identitas, nec eſt per accidens, nec quaſi per accidens, ſed omninò per ſe: ergo ſuppoſitum non includet aliquid quaſi alterius generis à natura.

C. Tertiò præterea cõfirmatur: quia aliter, magis per ſe eſſet identitas naturæ creatæ ad ſuppoſitum ſuum, quàm naturæ diuinæ ad ſuum: quod videtur inconueniens.

D. Quartò præterea cõfirmatur: quia ſecunda ſubſtãtia dicit totum quod quid eſt primæ ſubſtantiæ: ergo in prima ſubſtantia non concurrit aliqua quidditas diſtincta à quidditate ſecundæ ſubſtantiæ: ergo nec quidditas relationis, quæ eſt diſtincta à quidditate eſſentiæ, pertinet ad rationem primæ ſubſtantiæ: ſi enim prima ſubſtantia includit per ſe quidditatem diſtinctam à quidditate ſubſtantiæ ſecundæ: ergo non magis eſt per ſe ſuppoſitum ſubſtantiæ, quàm illius quidditatis alterius, & ita neutrius, vel vtriuſque.

E. Quintò præterea: quia nec valet reſponſio hæc, quod hæc quidditas eſt illa per identitatem: & ideò idem per ſe vnum poteſt eſſe per ſe ſuppoſitum vtriuſq; quidditatis: hoc enim non ſaluat per ſe vnitatem ſuppoſiti: quia ſuppoſitum ponitur per ſe ſuppoſitum quidditatis acceptæ ſecundum formalem rationem: nõ autem propter identitatem realem, & non formalem ipſius ad aliam: tunc enim per ſe ſuppoſitum entis eſſet per ſe ſuppoſitum vnius, propter veram idẽtitatẽ vnius ad ens, ita quod ſuppoſitum per ſe vnum eſt tantum per ſe ſuppoſitum quidditatis per ſe vnius formaliter: & per conſequens nul-

nullius formaliter distinctæ ab alia, & perconsequens nullam naturam formaliter distinctam includet per se primo: quia non esset ratio, quare non esset per se suppositū illius quid ditatis distinctæ, quam per se primo modo includeret. Si instetur hîc de attributis: non est simile, quia nullum attributum constituit per se suppositum Deitatis, sed est quasi passio secundum Damasc. lib. 1. cap. 4. & 9. & non est inconueniens quasi passionem cum quasi subiecto, quasi per accidens esse idem, & etiam cum suppositō subiecti: licet sit inconueniens primum suppositū primi subiecti esse in se ens per accidens.

F. Sed contra est: quia propria ratio rerum, quantum ad genera, vel quasi genera, non facit totum esse ens per accidens, sed habitudo rei ad rem: putà non identitas simpliciter: nunc autem quamquam propria ratio relationis, quæ manet ibi, non includat formaliter rationem essentiæ: tamen vnum in re, verisimè est idem alij, propterquam identitatem, non est habitudo realitatis ad realitatem, qualis requiritur eorum, quæ constituūt ens per accidens: ergo, &c.

G. Respondeo dicendum, quod *ad istud*, quod procedit ex per se vnitate suppositi naturæ diuinę, respondetur *ab alijs*, quod relatio constituit, vt transit in essentiam: & ita non vt est alterius generis. Nec propter hoc sequitur, quod constitutum sit absolutum: quia relatio seruat illud, quod est proprium sibi, benè tamen conceditur, quod illud, quod derelinquitur per relationem, est absolutum: quia illud derelictum est essentia diuina. Contra istam responsionem arguitur sic, & quæro, aut relatio constituit, vt est idem essentiæ formaliter, siue quidditatiuè, aut non? si sic: sequuntur duo inconuenientia, vnum quod relatio non erit relatio: quia secundum Diuum Augustinum septimo de Trinitate, si est ad alterum formaliter, iam non est substantia, & pari ratione, si est formaliter substantia, iam non est ad aliud. Similiter aliud sequitur inconueniens: quia quidquid constituitur aliquo, in quantum est formaliter absolutum, est formaliter absolutum: & ita suppositum constitutum esset formaliter absolutum: Aut constituitur relatione, in quantum transit, siue est idem essentiæ, non formaliter, sed realiter, & cum hoc stat, quod constituatur relatione propriè, vt relatio est: quia relatio nullo modo potest considerari in diuinis, quin sit realiter eadem essentiæ: si igitur secundum aliquem modum considerata constitueret suppositum, non prohiberetur constitutum esse ens per accidens, dato quod sic constitueret: cum secundum omnem modum considerata, est realiter eadem essentiæ, sed non formaliter, sequitur quod ex hoc, quod ipsa, vt realiter eadem essentiæ constituit, non prohibet constitutum esse ens per accidens: non autem potest constituere, vt magis idem essentiæ quàm realiter, nisi vt formaliter: sed non est idem formaliter. Præterea, quod dicitur, relationem derelinquere esse absolutum: hoc videtur repugnare sibi ipsi; quia forma non derelinquit aliud esse à se, sicut albedo non derelinquit aliud in albo, quo est album, nisi se ipsam; ergo proprietas constituens, si conseruat hoc, quod est sibi proprium, derelinquit hoc, quod est sibi proprium, & nihil aliud. Similiter quomodo esse absolutum posset derelin-

D. Thom. & Ægid.

qui

qui à proprietate relatiua, si præcederet eam in persona.

H. Ad *istud ergo* de supposito per accidens dicendum, quod alio modo de per accidens loquitur Metaphisicus, & aliter Logicus: Metaphisicus enim dicit esse ens per accidēs, quod includit in se res duorum generum: sicut patet 5. Metaph. cap. de ente & vno: Logicus vero dicit propositionem esse per accidens, cuius subiectum non includit rationem inhærentiæ prædicati: etsi ex duobus talibus fiat vnus conceptus, quorum neuter est per se determinatiuus alterius, dicit illum conceptum esse vnū conceptū per accidens. Exemplum non est in creaturis de cōceptu vno per accidens logico, nisi cui correspondet vnū per accidens metaphisicum: quia etsi hæc sit per accidens, rationale est animal, tamen iungendo vnum cōceptū alteri: vnus est per se determinatiuus alterius: & ideò totus conceptus non est vnus per accidens: sed tantū aliquis aggregans cōceptus duorū generū, est vnus per accidens, & ei semper correspondet vnum per accidens apud Metaphisicum. Ad propositū, hæc potest cōcedi, per accidēs paternitas est Deitas: quia subiectū, vt subijcitur, nō includit rationem inhærentiæ prædicati, vt prædicati: quia subiectum non est formaliter prędicatum, iungendo etiam conceptum subiecti conceptui prædicati: sicut, Deus Pater, vnus cōceptus non per se determinat alterū: quia secundū Damasc. proprietates determinant hypostases, non naturam. Iste igitur conceptus non est in se, & per se vnus, & ita non dicit conceptum per se suppositi respectu alicuius: quod enim non est in se, & per se vnum, non est alicuius per se suppositum, & sicut nec in rebus, sic nec in conceptibus. Sic igitur logicè loquendo posset concedi, quod Pater non est per se suppositum Dei.

Tex. co. 13. Tex. co. 7.

Doctrina Philosophi 1. Post. tx. 9. & com. 34. & 35.

Sed contra hoc arguo: quia prima identitas nō potest esse per accidēs, & sicut nec in rebus, sic nec incōceptibus: prima autē identitas in prædicatione, videtur esse per se naturę ad suū suppositū: igitur illa non est per accidens, sed per se. Respondeo, *quod* prima identitas prædicationis est cuiuscunque ad se, vt homo est homo, Deus est Deus: sed cōparando hunc Deum ad suppositum, & quærendo identitatem, dico, quod realiter loquendo, secundum Metaphysicum, cum hīc non sint genera, nec aliquid alicuius generis, ex dist. 8. nihil erit ens per accidēs. Neque sequitur est suppositū per accidens logicè: ergo est suppositum metaphysicè: quia esse suppositū logicè dicit habitudinem alicuius, vt subiecti ad aliquid, vt prædicatū: & ita potest dici suppositum per accidens, propter accidentalitatē ex parte inhærentiæ, non extremorū. Etsi obijcitur, quod hic cōceditur esse res quasi duorū generū, scilicet substantiæ, & accidentis, vel relationis. Respōdeo, *quod vt dictū est supra §. sed contra*, propria ratio rerū quantum ad genera, vel quasi genera, non facit totum esse ens per accidens, sed habitudo rei ad rem, qualis *non est hic.*

I. *Prima conclusio. 2. Physico. tex. co. 66.*

Secunda cōclusio.

Si obijciatur contra primū membrū, cum in creaturis possit esse per se suppositū naturæ: quare non hīc? posset dici, quod absolutum imperfectum potest esse incōmunicabile, & vniuersaliter aliquod contrahēs per se in aliquo genere potest esse incōmunicabile, sicut aliquod cōmunicabile: & ita in quocunq; creato, quod pertinet ad genus aliquod, potest esse aliquid illi' generis cōstituēs incōmunicabile: simpliciter autē perfectū non potest esse incōmunicabile, neque aliud eiusdē rationis, quale, secundū istā viam, est omne absolu-

K.

tum

tum in diuinis: & ideò nihil quasi eiusdem generis cum essentia, potest constituere suppositum ibi, sed tantum aliquod, quod sit quasi alterius generis.

L. Ad primum argumentum *patet per nuper dicta, & est* exemplum, si quodlibet de genere substantiæ vsque ad vltimum inclusiue, quo cõstituitur hæc substantia, esset perfectio simpliciter, & perconsequens communicabile: nõ posset hæc substantia vlterius per aliquid contrahi in se: quia quod est hoc, non est vlterius determinabile in se. Si tamẽ posset aliquid de genere qualitatis, vel quantitatis constituere in hac substantia aliquod incommunicabile: putà, quia quantitas, vel qualitas non esset perfectio simpliciter: tunc istud constitutum ex substantia, & quantitate necessario esset suppositum per accidens, & etiam esset ens per accidens, si vna illarum realitatum non esset perfectè eadem alteri. Ita ponitur in proposito, quod essentia est perfectio simpliciter, & quidquid est eiusdem rationis cum essentia, quidquid scilicet ad se: & ideò quodlibet tale est communicabile, & de se hoc. Et ex hoc vltra, illud, quod est de se hoc, non potest contrahi vlterius: sed tamẽ potest in eo, quod est hoc, constitui aliquod incommunicabile per aliquid, quod non est perfectio simpliciter: & ideò nec eiusdem generis cum essentia: sed quasi alterius. *Tamen vt dictum est*, propria ratio rerum, quantum ad genera, vel quasi genera, non facit totũ esse ens peraccidens, sed habitudo rei ad rẽ, putà non identitas simpliciter.

M. Ad secundum, *iam supra dictum est, quod* prima identitas prædicationis est cuiuscunque ad se. Sed comparando hunc Deum ad suppositũ, & quærendo identitatem: dico, quod realiter loquendo secundum Metaphysicum, cum hîc non sint genera, nec aliquid alicuius generis: nihil erit hîc ens per accidens.

Ad tertium, quo infertur, quod N. verior esset identitas substãtiæ creatæ ad suum suppositum, quàm naturæ diuinæ ad suum: hoc non sequitur, si intelligatur ex parte rei: quia licet entitas indiuidualis in creaturis per se determinet naturã, & faciat per se vnum cum ea: tamen illud vnũ est compositum aliqua compositione, etiam reali: relatio autem, licet non per se determinet naturam diuinam, tamẽ ita verè est idem ei, quod nulla sit ibi cõpositio: & ideò realiter, siue metaphysicè loquendo, multo est verior identitas suppositi diuini, & in se, & ad naturã, quàm suppositi creati in se, vel ad suam naturam. Logicè tamen loquendo, benè potest concedi, quod substantia creata formaliter dicitur de suo supposito: quia per se primo modo: non sic Deus de Patre: quia Pater non habet ita per se vnum conceptum in intellectu, sicut Sortes. Si inferas, igitur prædicatio hæc verior est, quam illa. Negari potest cõsequentia: quia aliqua prædicatio non formalis, vel nõ per se, potest esse verior, quam illa formalis, & per se, si quidem maior est identitas extremorũ in re, in quorum conceptu est minus formalis cõclusio, vel inhærentia.

Ad quartũ, potest concedi, quod O. Logicè loquendo, neutrius quidditatis est per se suppositum: realiter autem, est suppositum naturæ, non relationis: quia relatio est ibi proprietas incommunicabilis, natura non. Similiter, relatio trãsit in essentiam, non è conuerso, propter infinitatem essentiæ.

Ad quintum, *ex dictis patet solutio.*

Expo-

Expositio art. 11. quæst. vni. distinctionis 26.

CVM persona ex essentia, & relatione constituatur, & essentia sit ens absolutum, videtur quidem ex absoluto, & relatione, non posse constitui vnum per se, sed per accidens, ac ideo personam sic ex essentia, & relatione constitutã non esse vnum ens per se. Hæc ratio dubitandi excitauit difficultatẽ huius articuli; ad cuius resolutionem refert Doctor sententiã D. Thomæ, & Ægidij, vt notatur in margine textuali, dicentium relationem constituere, prout in essentiam transit. Hanc tamen opinionem impugnat: & seruata distinctione formali relationis etiam vt constituentis, ab essentia: adhuc concludit personam nullatenus esse ens per accidens, sed per se: quod perspicuè ostendit, & soluit argumenta in oppositum, quæ omnia, quia clarè habentur in textu, non egent longiori expositione.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm diuinæ personæ per relationem constitutæ, cõpetat ratio primæ substãtiæ, vel esse per se?

A. AD duodecimũ sic proceditur, videtur, quod diuinæ personæ per relationẽ constitutæ, non cõpetat ratio primæ substantiæ, vel esse per se: quia prima substantia est maximè substantia, secundũ Philosophũ in prædicamentis: & hoc nõ est imperfectionis: ergo videtur, ꝙ hoc modo posset poni prima substãtia in diuinis, videlicet persona, cui maximè competat subsistere, id est, per se esse: relatio autem nõ videtur posse formaliter cõstituere aliquod subsistens: *ergo* nec perconsequens primam substantiam.

B. Secundo præterea: quia cum secũda substantia non includat aliquid, quod non est formaliter substantia: igitur nec prima substantia, quæ est maximè substãtia, includet, quia substantia non est ex se non substantia.

C. Tertio præterea: quia si oportet in his, quę sunt ad aliquid in diuinis, non tantum ponere quidditatẽ, putà non tantũ paternitatem, sed etiam hanc paternitatem, & vltra hanc etiã sub ratione incõmunicabilis: & hæc omnia cõpetere sibi, in quãtum est ad aliud: & vt non est formaliter illud, quod est ad se: quare non potest ita in eo, quod est ad se, nõ per illud formaliter, quod est ad aliud, haberi hoc, quod est incommunicabile?

D. Quarto præterea, confirmatur istud efficaciter: quia in substãtia creata, licet imperfectionis sit limitari ad vnam subsistentiam, siue ad vnũ esse perfectissimũ, quod nullo modo est determinabile, vel contrahibile, nec potest esse aliquid alicuius: tamen ꝙ natura ipsa sine alio alteriusgeneris, possit habere vltimum esse, quod nõ est natum aliquo alio contrahi: hoc non est alicuius imperfectionis: quia hoc est commune substantijs, & conceditur substantijs, & negatur ab accidentibus, propter eorum imperfectionẽ: ergo videtur, quod natura diuina, vt est ad se, habebit vltimũ esse actuale, & vltimã vnitatẽ absque limitatione ad esse subsistentiæ vnius.

E. Sed contra est, quod *licet pater sit prima substantia*, tamen secundum Augus. 7. de Trinit. c. 4. Pater non eo est, quo est Pater: sed quo est Deus: ergo, &c.

F. Respondeo dicendum, *quod hic est duplex modus dicendi secũdum primũ*: respõdetur ad *hoc*, *quod* procedit ex ratione primæ substantiæ dicendo, quod relatio habet vim proprietatis incommunicabilis primæ substãtiæ: & ideò habet vim constituendi hanc primam substantiam, vel supositũ secundæ substãtiæ. Quod confirma-

tur

tur per hoc: quia quæ sparsa sunt in inferioribus, vnita sunt in superioribus: & ideò licet alio conueniat alicui in creaturis esse ad aliud, & subsistere, vel esse quo, & subsistere: tamen ista possunt eodem competere Deo, vel personis diuinis. Contra istud arguitur sic: quæro, quàm vim intelligis? aut vim causæ efficiētis, aut formalis: si efficientis: quasi causabit ibi quandam realitatem absolutam, quæ formaliter constituet ibi primā substantiam: & ita cōceditur propositum, quod substantia constituitur aliqua realitate absoluta: & cum hoc additur vnū aliud impossibile, quod relatio posset causare illam realitatē absolutam. Si secūdo modo, scilicet formaliter: cum nulla forma habeat vim constituēdi aliquid formaliter, nisi tale, quale natum est esse tali forma, sicut albedo non habet vim cōstituendi aliquid, nisi album, & quæ includūtur in albo: sequitur quod relatio, quæ est essentialiter habitudo ad aliud, nō habet vim cōstituēdi aliquid ad se. Confirmatio illa nihil videtur valere, nō enim fit talis vnio in Deo, nisi propter infinitatē essentiæ diuinæ, quæ in se includit vnitiuè omnē perfectionē simpliciter, & omnē etiam realitatē sibi cōpossibilem: proprietas autē non est infinita formaliter: ergo nō oportet in ea vniri omnem realitatem, & maximè nō illam, quæ videtur sibi formaliter repugnare, aut nō posse in ea includi, quasi maiorem perfectionē diceret formaliter, quam ista, vel omninò non minorem.

G. *Aliter ergo* dicitur, quod prima substantia in creaturis aliquid habet perfectionis secundū vltimam vnitatem: & ideò est indiuisibilis, & hoc consequitur vltimā actualitatē, propter quā cōpetit sibi per se esse, & duo opposita his conueniunt substantiæ secundæ, quæ & est diuisibilis, & non habet esse, nisi in prima substātia. Istas conditiones primæ substātiæ habet essentia diuina ex se, & nō per relationem formaliter, est enim de se hæc, & ex se subsistit, id est, per se est, vel saltem est totaliter ratio subsistēdi. Vltra hoc, prima substātia creata, quia est limitata, non habet communicabilitatem: quia idē numero limitatū non est cōmunicabile: hæc proprietas primæ substantiæ non cōuenit essentiæ diuinæ: per hoc patet ad *argumenta*. Hic igitur cōcedo essentiam determinari ex se ad per se esse, siue vt quod, siue vt quo: sed tamen cum hoc, esse communicabilem personæ relatiuæ, vt quo ipsa persona relatiua habeat idem per se esse.

Nota quod subsistere nō est aliud quam esse per se.

Conclusio.

Ad primū argumentū per *dicta* patet: quia concedo, quod prima substantia in diuinis, quoad hoc quod est maximè esse substantiam, & per se subsistere, non constituitur formaliter relatione, sed Deitate. H.

Ad secūdū similiter, *scilicet*, quod prima substātia nō includit nō substātiá, verū est propter conditiones perfectionis cōuenientes ei, & ideò vbicunque saluantur istæ conditiones, nō erunt per nō substātiā. Sed in qua natura non potest esse per substantiā illa conditio, quæ est imperfectionis in prima substantia creata, scilicet incommunicabilitas (sicut ponitur in Deo, vbi quodlibet ad seponitur simpliciter perfectū, & ita cōmunicabile) ibi verum est primā substantiam, quantum ad illam conditionē habēdam includere non substantiam. I.

Ad tertiū respondeo, quod paternitas, & hæc paternitas incōmunicabilis (quidquid sit de istis in conceptu) in re omninò sunt idē: ita quod nulla est ibi distinctio realis, nec formalis: & ideò res illa in primo instanti, in quo est, siue pullulat in esse, est ibi sub ratione vltimæ determinationis sibi possibilis, alioquin in K.

illo

illo instanti esset potentialis ad determinationem. Quia igitur relationi non repugnat determinatio ad incommunicabilitatem: ideò ipsa non tantum est quidditas, & hæc, sed incommunicabilis: sed Deitas est communicabilis: ita quod repugnat sibi per aliquid quasi sui generis (secundum istam opinionem) esse incommunicabilem. Nego igitur cõsequẽtiam, in relatione est quidditas, & hæc est incommunicabilis in quantum est relatio: igitur hæc possunt inveniri in eo, quod est ad se: quia vltimum repugnat cuilibet ad se in Deo (secundum istam opinionem) non relationi: & ideò statim relatio habet eam.

Opinio de qua hic loquitur est quam ipse sequitur a. 6. de relatione constitutiua personæ diuinæ.

L. Ad quartum dico, quod per se esse conuenit huic essentiæ, vel Deo vnde Deus: sed non posse esse, quo formaliter aliquid per se sit: hoc conuenit naturæ creatæ ex limitatione propter quam est incommunicabilis, vt quod, & vt quo, de qua duplici incommunicabilitate dictum est dist. 23. Verum est igitur, quod substantia creata habet per se esse, non autem accidens, & hoc cõpetit substantiæ ex perfectione: sed quod non possit illud per se esse communicari alicui, in quo sit: hoc est limitationis. Concedo igitur essentiam determinari ex se ad per se esse, & tamen cũ hoc esse communicabilem personæ relatiuæ, *vt dictum est.*

Expositio art. 12. quæst. vni. distinctionis 26.

DVPLICEM conditionem primæ substantiæ, prout est in creaturis, distinguit Doctor, vt concludat diuinam personam esse primam substantiam, & à quo habeat primam substantiam esse. Nam prima substantia in creaturis aliquid habet perfectionis secundum vltimam vnitatem, ex quo sibi prouenit indiuisibilem esse, quæ quidem vnitas consequitur vltimã actualitatem, ratione cuius sibi conuenit esse per se, & perfectè subsistere: & per hoc distinguitur à substantia secunda, quæ est diuisibilis in plura, de quibus prædicatur: & non habet esse nisi in prima substantia. Quæ est prima cõditio primæ substantiæ creatæ. Secũda conditio est, quod nullum ens limitatum idem numero est communicabile, & ideò prima substantia creata incõmunicabilis est. Ex his ergo duabus conditionibus prima conuenit essentiæ diuinæ, non vero secunda. Persona igitur habet ab essentia, quod sit prima substãtia secundum primam conditionem, & ab illa habet perfectissime per se esse, & per se subsistere: quod quidem à relatione non habet. Secunda autem conditio conuenit personæ ratione relationis, per quam incommunicabilis est, & incommunicabiliter subsistit. Hæc autem conditio nullam perfectionem dicit in creaturis, neque in Deo, prout visum est supra in difficultate 68. Hæc est attamen differentia, quod in creatis vtraque conditio conuenit naturæ, vt est vna natura numero, quia cum vna natura numero naturaliter subsistat incommunicabiliter, sibi conuenit subsistere per se, & incommunicabilem esse, seu incommunicabiliter subsistere. In diuinis verò prima tantùm conditio conuenit naturę, etiam prout est vna numero, & personæ ratione naturæ. Secunda verò non conuenit naturæ, neque personæ ratione naturæ, sed conuenit personæ ratione relationis. Cætera clare habentur in textu.

DIFFICVLT. LXXXV.

Vtrùm diuina persona ex natura rei, sit verè constituta ex essentia, & proprietate personali?

§. 1.

quem respiciet: si ergo ad constitutionem Patris prærequiritur Filius cõstitutus, aut erit circulus, aut saltem non erit Pater prior origine Filio. Secunda ratio dubitandi est: quia vt dictum est supra in difficultate 83. persona diuina dicit incommunicabile subsistens abstrahens ab absoluto, & relatiuo: non ergo videtur constitui posse in ratione personæ, relatione secundum formalem rationẽ relationis.

3 In hac ergo difficili controuersia, quæ satis Scholasticorum ingenia acuit, primo tamquam propria huius loci repetenda veniebat sententia Seraphici Patris N. D. Bonauenturæ, qua aiebat, relationes diuinas in ordine ad nostros conceptus, non secundum rationem habitudinis, sed secundum rationem originis constituere: & etiam argumenta pro ea. Sed quia iuxta morem communem cæterorũ Scholasticorum (quamuis meo videri extra locum proprium) iam in præcedenti difficultate collocauimus: vbi probauimus, secundum rem sententiam huiusmodi non differe à nostra, propterea que verissimam esse: in hac solummodo pro veneratione tanti Doctoris Sanctissimique totius Ecclesiæ Magistri millies debita, opere pretium erit eius sententiam iuxta mentem Scoti exponere, eiusdemque subtilis Doctoris verbis: quod fit in cõclusione propria, ne vt cæteri, etiam ex nostratibus, absque vrgente necessitate, nostri præclarissimi Patris, & Doctoris Seraphici sententiam impugnemus.

4 Est igitur sententia Sãcti Thomæ secũda in ordine, quam tradit prima parte, quæstione 40. art. 4. in corpore, vbi ait, relationẽ dupliciter posse considerari: primo, vt proprietas personalis est: secundo vero, vt est relatio. Priori ergo modo inquit, relationes constituere personas: posteriori autem tantum referre. Sententiam hanc tenent fere omnes Thomistæ: quamuis enim ex diuersis D. Th. assertionibus, ex varijs ipsius locis de sumptis, alio, & alio modo loquãtur: cõueniũt nihilominus cũ eo in hoc, quod est, relationes nó cõstituere secundũ præcisam, & formalẽ rationẽ relationis in vltima actualitate consideratã: nã Caieta. vt sequatur D. Thomam, ibidem distinguit de relatione iuxta, duplicem considerationẽ: ait enim quod relatio vel potest considerari, vt concepta, seu (vt alij dicunt) vt signata: vel secundo, vt exercita. Primo modo inquit, concipi relationem, vt in se existentem, seu vt adhærentem, vel efficientem illud, cui conuenit. Secundo vero modo, vt tendentem ad terminum. Sub priori igitur ratione, ait Caietanus, relationem constituere personam: & sic vocari à D. Thoma proprietatem personalem: sub posteriori autem ratione vocari à D. Thoma relationem. Hanc sententiam tenet Canarienfis ibidem, quamuis in verbis differat à Caietano: ait enim, duo spectare ad rationem relationis, vnum videlicet, esse formam, & proprietatem relatiui, sicut albedo est forma albi: & hoc idem est quod relatio concepta, seu signata. Alterum est referre vnum ad aliud: & hoc nihil aliud est quam exercere munus relationis. Asserit ergo personas diuinas constitui relationibus, secundum quod relatio est forma relatiui, non vero secundum quod refertad aliud.

Caiet. exsitio.

Modus Canarienſis. exponendi relationẽ.

5 Sententiam hanc sequuntur nonnulli ex recentioribus Thomistis: imo ex nostris eam amplectitur Pater Herrera in primo dip. 7 quæst. 4. conclusione 5. & 6. quam ait esse Doctoris: quamuis autem citet, & referat eius literã, qua (vt vidimus in difficultate præcedente num. 14) distinguit Doctor noster modo concipiendi inter aptitudinem ad generandum generationem, & relationẽ, nõ tamẽ ibi ait Doctor, cõstitui aut distingui personas, relatione in actu signato, vt iste doctissimus Pater ait: nec tale ex eius verbis colligitur.

Sequitur. P. Herr.

Tert. Sent. quorundam Thomistarũ

6 Alij autem Thomistæ distinguũt relationem, quatenus dicit *in*, & quatenus dicit *ad*: in creatis enim relatio, & est accidens, & est relatio: in quantum accidens, dicit *in*, inquantum vero relatio dicit *ad*. Similiter relatio increata, in quantum dicit, *in*, est forma subsistens, in quantum vero dicit *ad*, habet respicere. Ait ergo hæc opinio, quod paternitas secundũ quod dicit *in*,

Secũd. sent. D. Thomæ.

in, constituit personam Patris, ea ratione, qua persona est in se subsistens: eadem autem relatio, prout dicit *ad*, cõstituit eandem personam in ratione incommunicabilis. Et quia incommunicabilitas non est præcipua ratio in persona, sed tantum modus intrinsecus personæ: præcipua vero ratio personæ est subsistere: ideo principaliter constituitur persona per paternitatem, vt dicit *in*, & minus principaliter per eandem paternitatem, vt dicit *ad*. Hãc opinionem tenet Bañez 1. parte quæstio. 40. articulo 4. conclu. 1.

Bañez.

7

Capreolus. Ferrara.

Capreolus autem in primo dist. 26. q. 1. ar. 2. ad tert. Scoti, & Ferrara 4. cõtragẽt. c. 26. planius seqũtur sententiã D. Thomæ: dicũt enim relationẽ dupliciter posse considerari. Primo, vt formam hypostaticam & proprietatem personalem, & hoc modo aiunt constituere personam, optimeque intelligi Patrem constitutum prius, quam intelligatur generare Filium, & referri ad ipsum. Secundo accipitur relatio, vt relatio est: & sic aiunt, non constituere personam, bene tamen illam distinguere ab alia persona sua correlatiua, cum in diuinis omnis distinctio per oppositionem relatiuam sit. Hanc

Quarta sententia.

Marsilius.

sententiam tenet etiam Marsilius in 1. quæstio. 29. ar. 2. Dubio 1. cõclu. 1. quæ sententia supponit aliam difficultatẽ supra ventilatam in difficultate 72. videlicet, personas diuinas non distingui eodem principio, quo constituuntur, quod quidem dictum à nobis ibi improbatur contra Thomistas: quo tamen sublato, eandem sententiam tenet Dominus Rada, nam quamuis cum Scoto teneat idem esse principium constitutiuum diuinarum personarum: tenet tamen dictam sententiam quo ad primum pũctum 1. parte controuersia 23. art. 3. sub expositione quæstionis in secundo sensu controuersia 3. & 4. addit tamen in quarta cõclusione, ad prædictam sententiam, quod relatio, vt forma hypostatica cõstituẽs abstrahit ab absoluto, & respectiuo.

Rada.

8

Vazquez. Quinta sententia.

Vazquez autem 1. part. disputation 159. capite 5. ait Patrem præintelligi ad actum generandi sub conceptu innascibilis, & fœcundi ad producendum: sed quia non ausus est dicere ipsa innascibilitate cõstitui personã Patris, hæc subdit: *adde, quod cum dico concipi à nobis primam personam, antequam intelligatur generare: nõ affero tunc necessario intelligi constitutam, sed simplici posse conceptu apprehendi.* Cum ergo Vazquez, & Molina (vt visum est supra difficultate. 58) arbritrentur personas diuinas non à parte rei, sed per intellectus considerationem solum constitui: quidquid dicunt de constitutione personarum, non in sensu præcedentis difficultatis, hoc est in esse reali, sed in ordine ad nostrum intellectum loquuntur. Et hoc modo etiam fatentur posse cõcipi Patrem potentem adgenerare, antequam generet, & referatur. In hoc ergo conueniunt omnes citatæ opiniones, quod personæ diuinæ non constituuntur relationibus sub præcisa relationis forma, sed per relationem sub ratione proprietatis.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

9

IN oppositum autem est litera textualis in sequenti distinctione 28. huius primi libri quæstion 3. art. 2. vbi Doctor hæc profert. *Prima persona constituitur relatione positiua ad secundam personam, quia nec aliquo alio, sicut argutũ est ad oppositũ per viam diuisionis, nec oportet distinguere qualiter illa relatio cõsideratur, vt est cõstitutiua: quomodocũque enim varietur secũdum considerationẽ: eadẽ tamen est in re: & secundum quod est in re, constituit personam realem.* Et in Quotlibetis quæst. 4. litera *I.* vbi hæc ait, *detur illud ergo, quod dicitur constituere, vt proprietas, dicatur A. quæro ergo consequenter, an entitas eius in re sit formaliter ad se, vel ad alterum: si formaliter ad se, constitutum per ipsum, est formaliter ad se: si formaliter ad alterum, ergo illud sub ratione formali, qua constituit, est relatio, quod est propositũ.* Et li. K. ait, *si Paternitas, vt Paternitas sit relatio, Paternitas, vt proprietas, erit relatio.* Hæc omnia

Sco-

Scotus inquit impugnans sententiam Diui Thomæ, & plura alia verba similia eiusdem excitatis, & alijs quæstionibus referri possent. Sequuntur Doctorem Basolis in 1. dist. 27. qæst. 1. articulo 2. §. *quantum ad istum*, Liquetus in Quotliberis quæst. 4. sub art. 2. §. *ad secundum dubium*, & per totum articulum, vbi hanc sententiam perlucide defendit, Tataretus in primo dist. 28. quæstion 3. §. *ad quæstionem*, & in Quodlibetis quæst. 4. prope medium, Vigerius, & Antonius Andreas ibidem, atque omnes veteres, & recentiores Scotistæ, præter duos citatos, qui etiam (vt infra patebit) nobis consentiunt: item Durandus in 1. dist. 29. quæst. 1. art. 3. dubio 4. & ex Thomistis Zumel 1. part. quæstion 4. art. 4. Sua. quæst. 1. con. 5. & 6. & 7. atque etiam doctissimus Suarez 1. p. tracta. 3. libro. 7. numero 9. & decimo, & 11. & plures alij, qui omnes censent diuinas relationes sub expresso, & formali conceptu relationis constituere.

Basolis. *Liquetus.* *Tataretus.* *Vigerius.* *Antonin.* *Andreas.* *Durandus.* *Gabriel.* *Zumel.* *Suarez.*

10 Pro huius sententiæ, & controuersiæ intelligentia primo obseruare oportet, difficultatem istam principalius procedere de persona Patris, qua ratione constituatur: non enim facile intelligibile est concipere personam generatem, quin prius concipiatur constituta: nam de alijs personis non ita vrget difficultas: nam etiam si dicamus relationibus constitui, vt relationes sunt: de persona filij v. g. facillime intelligitur prius originari à Patre, quam intelligatur constituta: quia in vniuersum prius est produci, quam esse: & cum constituatur ratione filiationis, quæ consequitur ad originem, recte omnia constant: quod idem de Spiritu Sancto dicendum est. Nihilominus de omnibus personis difficultas procedit, sed præsertim de prima propter rationem hic tactam, & alias dubitandi assignatas.

11 Porro est obseruandum secundo, (vt notauit Scotus, in hac distinctione 26.) aliter posse loqui in ista difficultate de constitutione personarum principiatiue, & aliter in sensu formali: quod quidem hoc exemplo, & alijs Doctor illustrat. Natura humana poneretur in vno homine, & ipsa non posset multiplicari nisi per generationem: posset dici, quod generatio multiplicat homines: non quidem formaliter, quasi homines distinguerentur formaliter per generationes, vt sunt generationes: sed quasi effectiue: quia generatio reducitur ad genus causæ efficientis. Hoc ergo modo potest considerari, personas diuinas dupliciter constitui, scilicet, quasi principiatiue, vel formaliter. Principiatiue igitur dicentur, quasi constitui originibus, formaliter vero relationibus. Rursus dupliciter possent considerari personæ: primo in ratione personæ vt sic, & tantum vt persona diuina est: secundo vero, vt persona diuina vt talis, hoc est in ratione personæ Patris, seu Filij. De hoc igitur secundo modo præsertim procedet difficultas, quamuis etiam primum sensum inuoluat.

12 Demum est tertio obseruandum, quod aliud est personam concipere constitutam: aliud vero concipere aliquid personæ constitutæ. Primum intelligi nequit absq; eo, quod cognoscatur ratio formalis constitutiua personæ: quia implicat rem aliquam distincte cognoscere, non cognita eius ratione formali: implicat enim concipere hominem, non concepto rationali, quod est ratio formalis illius. Secundum vero optime intelligi potest, cognita non ipsa ratione formaliter constitutiua, sed aliqua ratione communi indifferenti abstrahente à ratione inferiori, v. g. quamuis non possim concipere hominem constitutum absque eo quod concipiam rationale: possum tamen in homine concipere hoc animal indiuiduum animalis conceptu indifferenti abstrahente à rationali, & irrationali: & tunc non concipio hominem constitutum, sed aliquid hominis constituti: ita tamen quod ibi non concipio animal in communi sed animal in singulari, & in indiuiduo, licet non intelligam animal iam contractum singularitate alicuius conceptus inferioris, sed tantum in indiuiduo animalis, cum præcisa hæccitate, qua præcise est hoc animal. Quod præclarè illustrat Scotus in quæstio-

ne quæra,quodlibetali littera. V. hæc dicens . *Intelligo aliquando, non solum ens sed hoc ens, vel substantiam hanc, non determinate concipiendo in intellectu meo singulare alicuius inferioris, puta hoc animal, vel hunc lapidem: sicut quãdo video à remotis, prius apprehendo, quod est corpus quã animal, & animal, quã hoc animal.* Quibus adde, & prius apprehẽdo hoc animal, quam hominem: & hominem, quam quemdam hominem : & quia prius cognoscitur in ratione indiuidui vagi, quam determinati, prius apprehendo, quod est quidam homo, quam quod est hic homo puta Petrus. Ex eo ergo, quod in hoc homine intelligo præcisam rationem huius animalis, non intelligo hominem constitutum, sed aliquid hominis. Primum patet: quia implicat hominem intelligere, non intellecta ratione constitutiua hominis: hæc autem non includitur in hoc animali præcise considerato. Secundum vero satis constat quia hoc animal est pars hominis, & aliquid eius.

15 Vt autem hæc ad propositum applicemus, recolenda sunt ea, quæ supra diximus in difficultate præcedente de mente Doctoris, num. 14. de distinctione relationis diuinæ, secundum nostram meram considerationẽ, & alia huiusmodi, quæ tradit Doctor, saluando diuersitatem conceptuum, siue diuersorum modorum concipiẽdi relationes diuinas, vt ipse ait littera. Q. Relatio ergo diuina, verbi gratia, Paternitas, quæ secundum se (vt ibi diximus) est indistincta : tamen iuxta nostram meram considerationem, distincto ac distincto modo est conceptibilis: nam eo quod in re ipsa dicit subsistentiam, & incommunicabilitatem, & cum subsistentia incommunicabilis, idem sit quod hypostasis, vt dictum est supra in difficultate. 35. ideo relatio diuina est proprietas hypostatica, & est generatiuitas, seu potentia ad generandum, & est ipsa generatio, seu origo, & est relatio, seu paternitas. Istæ autem rationes, quamuis in re non sunt multæ, sed vna, & eadem formalitas: tamen vt docet Scotus in citata quæst. 4 Quodlibetali littera T. cuius hæc sunt verba) *in intellectu nostro, habent rationem conceptibilis prioris, & posterioris, sicut natæ essent concipi ab obiectis proportionabiliter motiuis nostri intellectus.* Ac si dicat, ab obiectis creatis, in quibus istæ relationes habẽt istas rationes prioris, & posterioris ex natura rei distinctas.

16

Vnde nostro mero modo concipiẽdi, relatio diuina, v.g. paternitas secundum quod præcise subsistentiam dicit dat Patri præcisum esse subsistens : & secundum quod est hypostasis, seu hypostatica proprietas, id est, subsistẽtia incommunicabilis, dat illi præcise incommunicabiliter subsistere: & cõsequenter præcise esse personam abstrahendo ab absoluta, & relatiua. Vt vero est generatiuitas dat illi præcise posse generare: vt est actualis generatio, seu origo, dat illi præcise ipsum met generare: vt autem est relatio, qua respicit filium se cum coexistentem, est paternitas, & constituit Patrem in esse personæ Patris. Quæ quidem rationes quamuis in conceptu indifferenti constituant : cum hoc tamen stat, quod vnaquæque in suo esse præcise det esse, non commune, sed indiuiduale: prout apertè docuit Doctor litera Q. dicens. *Secundo autem modo possum concipere hunc hac generatione generatiuum, hunc potentem hac generatione generare, hunc hac generatione generantem, hũc quia hac generatione genuit hunc, quia hac generatione habet genitum secum coexistens.*

17

Ex dictis in fero primo, quod potest noster intellectus conceptu imperfecto à creaturis desumpto, concipere in Patre (& idem dico de alijs personis, proportione tamen seruata) vltra rationem Deitatis, rationem subsistendi, ac etiam incommunicabiliter subsistendi, & per consequens rationem personæ, vt sic abstrahendo ab absoluta, & relatiua, absque eo quod intelligatur generatiuitas, generatio, seu relatio : quod expressis verbis tenet Scotus litera T. in fine dicens, quod *separata relatione secundum, quod istas considerationes amplectitur: adhuc forte sine contradictione pos-*

sit

set intelligi, quis incommunicabiliter subsistens. Ex quo iterum confirmatur, quod supra dixeramus, in diffi. 84. personam scilicet, etiam in diuinis significare incommunicabiliter subsistens, vt abstrahit ab absoluto, & relatiuo.

16 Infero secundo, quod qui hæc præcise in Patre conciperet, non concipere rer personam Patris constitutam: sed conciperet in Patre rationem communem personæ: non enim proprio conceptu, sed conceptu communi, conciperet, vt egregie notauit Suarez: nã in eo conuenit cum alijs relationibus, & subsistentijs personalibus. Quia vero præcise sub hac ratione confusa nõ sufficienter constituitur persona particularis: necessarium est aliquid addere, vt intelligatur persona, non in communi, sed hæc talis persona constituta. Et ideo addimus quamdam negationem, quam significamus, cum dicimus primam personalitatem, ideſt, nõ secundam, & hoc non est concipere personam Patris, sed hanc personam præcise, eo modo, quo in homine præcise concipi potest hoc animal: quia positiuam rationem propriam, qua Pater constituitur, addere non possumus donec propriam eius relationem, vt munus relationis exercentem, concipiamus.

17 Tertio infero, quod qui sub hac dicta ratione incommunicabiliter subsistentis, præcise primam personam conciperet, vere concipit aliquid personæ Patris constitutæ: quia quamuis paternitas in re ipsa sit subsistens, incommunicabilis, & relatiua: qui tamen secundum nostram imperfectam consideratione hæc distinguit, & vnum concipit præcise, non concepto alio: non falsum concipit: sed vnum verum concipit, & aliud verum non negat, sed præscindit: sicut qui in homine concipit hoc animal præcise, nõ negat rationale de homine, sed illud præscindit.

18 Quarto tãdem infero, quod sicut vt concipiatur homo constitutus, nõ sufficit cõcipere hoc animal præcise: sed necessario debet concipi ratio eius formalis, scilicet, rationale: sic vt cõcipiatur persona Patris constituta, nõ sufficit cõcipere subsistens incommunicabiliter: sed necessario debet concipi eius formale constitutiuũ, videlicet, relatio, qua Pater Filium respicit. Et hoc idem forsan docuerunt P. Rada, & Herrera locis citatis, quatenus supra citatas conclusiones tenent, loquendo de cõceptu non integro: si enim per ly cõceptũ non integrũ intelligant conceptũ, quasi partialem: in hoc omnes simul idem cum Scoto sentimus. Nam idem est, ac si dicant tali conceptu non concipi integram Patris personã, sed eius quasi partem (vtita loquar) ideſt, rationem, & conceptum indifferentiorem, vt docet Scotus lit. V. eius instar modi, quo qui concipit hoc animal in homine, non concipit integrum hominẽ, sed eius partem: & ideo cõceptus iste nõ est integer, sed partialis. Et hoc profecto nullus Authorũ, quos pro nostra sententia allegauimus, negat, aut negare potest: cum de conceptu à creaturis desumpto loquantur. *Conciliatio P. Rada, & Herrera.*

19 Est denique obseruandum pro maiori claritate prædictorũ, q animal quamuis sit species subgenere viuẽtis: adhuc semper est perfectibile per differentiã actomã, hoc est, per rationale, vel irrationale: & consequenter etiã hoc animal indiuiduum huius speciei, semper perfectibile est per hoc rationale, &c. Nam licet in præciso esse animalis, vt animal est quoddã totum actuale includens in se viuẽs sensibile, dicat quoddã esse cõpletũ, vt optime notauit Sua. 2. tom. suæ Metaph. disp. 33. sect. 1. n. 23. adhuc tamẽ cũ isto esse stat animal esse per se perfectibile per dictã differentiã ad quã est in potentia: ac ideo cocepto animali præcise, non quiescit intellectus: cũ enim concipiat illud secũdũ esse, quod habet, & sic sit perfectibile per vlteriorẽ differentiã: semper intellectus tendit in illã, vsq; ad vltimũ cõplemẽtũ prædicamenti substantiæ, in quo est. Cũ igitur intellectus noster à creaturis sumat cõceptũ, eodem modo fingendo distinctionẽ in relatione diuina: hinc est, q quãuis (vt dixi) possit suo imperfecto conceptu rationẽ personæ præcise in Patre cõcipere, cõcipiendo videlicet illũ præcise sub ratione incõmunicabiliter subsistẽtis: cũ tamẽ incõmunicabiliter subsistens vt sic, quãtũcũq; præscindatur, adhuc tamẽ tẽdat in

vlteriorem rationem, nempe in rationem relatiui, vt relatiuum respicit terminum: hinc prouenit, quod concepta illa ratione personæ, vt sic, nõ quiescit in illo cõceptu intellectus: sed semper vlterius tendit, vsque ad vlteriorẽ rationem, qualis est relatio, vt relatio: & sic adhuc cũ istis præcisionibus cõcepta tantum ratione incommunicabiliter subsistendi, cõcipitur persona, non tamen concipitur cum illa ratione vlteriori, ad quam per se tendit, qualis est relatio, vt exercens munus relationis.

20 Porro obseruat Doctor in hoc primo dist.28.q.3.ar.3. quod simultas relatiuorum, quæ dicuntur esse simul natura, est ista, videlicet non posse esse sine se inuicem, sine contradictione, si sint relatiua mutua. Nã vna relatio nõ potest esse sine termino: quia si posset esse sine eo, esset ens ad se, & eadem ratione, nec relatio alia sibi correspondens, potest esse sine isto termino: quia similiter tũc esset ad se. Igitur istæ duæ relationes, quando sunt mutuæ, nõ possunt esse sine se inuicem absque cõtradictione. Ex quibus colligit, & concedit Doctor, personam primam, & secũdam, non posse esse sine se inuicẽ absque contradictione: & hanc contradictionem, ait, non esse ab aliquo extrinseco, sed ex formali ratione istarum personarum: & tamen cum hoc stat prioritas originis, & vna sit ab altera. Nam vt ibi infert Scotus: cuius sunt omnia hæc dicta, & dicenda ad litteram eodẽ, quo aliquid est prius origine alio, est simul natura cum eodem, eo modo quo simultas naturæ requiritur ad correlatiua, loquendo de ea simultate, qua aliqua non possunt esse, sine se inuicẽ. Nam cum prius origine, & posterius origine, se mutuo respiciant, non possunt esse sine se inuicem. Ex quibus infert Doctor, quod prioritas, & posterioritas originis, stant cum simultate naturæ. Quod item habet expresse, in 2.dist.1.q.1.litt.H. vbi ponit totũ processum originis, & ordinem prioris, & posterioris originis in primo instanti naturæ.

§. 3.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

HIS ergo præhabitis difficultatem concludẽdo, dico primo, quod nostro modo concipiendi, diuinæ personæ cõstituuntur, & distinguũtur originibus, nõ formaliter, sed quasi principiatiue. Cõclusio est expressa Doctoris, in hoc primo, dist.26. q. vn. art. qui hoc modo, & his verbis explicat Seraphicum Patrem nostrum D. Bonauenturã. *Potest exponi, quod origines non distinguũt personas formaliter sed quasi principiatiue, sicut motus in creaturis: & maxime si esset motus in mouente, & non in moto: non distingueret terminos talis motio formaliter, sed effectiue, eo quod pertineret ad genus causæ efficientis.* Et posito exemplo, quod supra posuimus subdit: *ita posset dici in proposito, quod natura diuina non communicatur suppositis, nisi per originem: & ita origine distinguũtur personæ in natura, quasi principiatiue reducendo ad ipsum principians, quod distinguit nõ formaliter, sed quasi correspondenter distinguenti effectiue in creatura: & hoc modo* (inquit Doctor) *possunt multæ authoritates exponi, quæ videntur in contrarium.* Hæc omnia Scotus: ex quibus manet cõclusio probata, authoritate ipsius, & ratione, & à simili, & D. Bonauenturæ sententia egregiè explicata: atque secũdum hanc distinctionem soluuntur argumẽta fabricata pro tali sententia. 21 1.Concl. *Conciliat Scotus, & explicat D. Bonauent.*

Dico secundo, & eadem proprietas, quæ constituit personã, illã distinguit. Cõclusio hæc ex sæpe dictis cõstat, & late habetur probata supra in diffic. 72. 22 2.Concl.

Dico tertio, & proprietas, quæ cõstituit personã diuinã secũdũ se, essentialiter est relatio. Cõclusio hæc est cõmunis, & satis probata in diffi. præcedẽti. 23 3.Concl.

Dico quarto, & relatio, etiam in quãtum est proprietas, formaliter est relatio. Cõclusio hæc est expressa Scoti loco citato, nu.14. contra D. Thomam, quæ satis patet ex infra dicendis. 24 4.Concl.

Dico quinto, quod relatio diuina nõ cõstituit personã præcise, vt cõcepta, seu vt signata. Conclusio hæc est Scoti, contra Caietanum, & eius sequaces: quæ probatur, nam relatio concepta, 25 5.Concl.

vt

vt relatio concepta, debet concipi secundum vltimam rationem constitutiuam relationis: ergo debet cõcipi, vt habens suũ effectum formalem in eo, quẽ constituit: sed effectus formalis relationis, vt relatio est, est referre ad alterum eum, cui inest: ergo necesse est talem relationem sic conceptam, esse exercitã. Prima consequẽtia est euidẽs etiã: quia relatio si concipitur, vt constituens, concipitur etiam, vt intrinsece informans. Tunc sic, concipitur vt informãs: ergo vt relatio informãs: ergo cõcipitur, vt relatio habens suũ effectum formalem in eo, quẽ constituit, & informat: ergo concipitur, vt referens illum. Patet consequentia: nã iste est effectus formalis relationis, vt relatio est: ergo iam concipitur vt relatio exercita: quæ erit vltima consequentia: & hæc etiã patet, quia relatio exercita nihil aliud est, quã, vt referens ad alterum. Cõfirmatur: nam in hoc præcise differt effectus formalis formæ absolutæ ab effectu formali formæ relatiuæ, quod hic est ad aliud, ille uero ad se: ergo relatio concepta, seu signata, si relatio est, necessario per locũ intrinsecũ debet tribuere ei, in quo est, hoc, quod est actu respicere aliud: hoc autem est relatio in exercitio: ergo, &c:

26 Dico sexto, ℣ relatio diuina non cõ
6. Conclus. stituit personã, vt præcise dicit *in*. Cõclusio hæc est Scoti, & contra Bañez, quæ sic probatur: nã relatio cõstituit personã actualissimã: ergo secũdũ rationẽ actualissimã relationis: sed actualissima ratio relationis, sine qua concipi non potest, nõ est præcise dicere *in*, sed etiã *ad*: ergo non costituit præcise, vt dicit *in*. Minor probatur: quia si relatio secundum suam actualem rationẽ potest concipi absque *ad*, pro culdubio concipitur relatio, quin cõcipiatur relatio. Contradictio enim esset concipere aliquid sine aliquo, quod est ratio formalis illius: sed ratio formalis relationis est esse ad aliud: ergo, &c.

27 Dico septimo, quod relatio secun-
7. Conclus. dum præcisam rationẽ subsistẽtiæ, seu hypostasis, aut formæ hypostaticæ, nõ constituit personã in particulari. Conclusio hæc est Scoti, & contra Capreolum, ac Ferrara, quæ sic probatur: nam quando isti sumunt relationem, vt formam hypostaticam, suo vt subsistẽtẽ, secluso *ad*, interrogo, qualis sit illa forma, quæ præcise subsistens cõcipitur? Aut enim est relatiua, aut absoluta. Primum dicere non possunt, quia præcisa vltima differentia contrahente, non manet forma in tali specie cõstituta: sed exercitium relationis, hoc est ipsum *ad*, est quasi differentia constituẽs formã relatiuã: ergo forma hypostatica, præciso exercitio relationis, seu esse *ad*, secundũ rationẽ præcisam hypostasis, non manet relatiua. Secundũ nõ concedent prædicti Auctores: quia cũ D. Thoma, & communi sententia tenent, personã diuinã nullo modo cõstitui proprietate absoluta: ergo nullo modo cõcedi potest, relationẽ secundum præcisam rationẽ subsistendi, seu formæ hypostaticæ, cõstituere diuinã personam in particulari. Argumentũ hoc efficacissimum est Scoti.

Verum ad ipsum respondẽt Auctores oppositæ sententiæ, quod illa forma hypostatica, vt sic cõstituens, nec est relatiua, nec absoluta, sed abstrahens ab vtraque ista ratione. Sed contra arguit Scotus: nulla datur, nec est dabilis entitas extra animã indifferẽs, quin per se formaliter entitas hæc necessario sit ad se, vel ad alterum: ergo illud, quod dicitur constituere, vt proprietas, seu vt forma hypostatica, præcisa ratione referendi in re, vel est formaliter ad se, vel ad alterũ. Si primũ dicas, tunc per absoluta constituuntur personæ diuinæ. Si vero secundũ: ergo illud sub ratione formali, qua constituit, formaliter est relatio. Confirmatur: quia iste conceptus indifferens, dato quod in in diuiduo sit, vt hoc animal per intellectum abstractum, vt sic constituit personam: ergo constituit illam ea præcisa ratione, qua constituuntur personæ, etiam creatæ: & per consequens in illo præciso conceptu non cõcipitur persona diuina: quod quidẽ nõ est respõdere quæsito difficultatis. Cõsequẽtia est nota: quia in hoc, ℣ est hypostaticè, seu incõmunicabiliter subsistere, omnia supposita, etiã creata, cõueniũt.

Si tamen dicas, quod determinatur 28
istecõceptꝰ hypostasis tãtũ ad personas diuinas ex parte naturæ diuinæ: quia est intellectualis diuinæ naturæ incõ-

municabilis subsistentia. Contra, quia tunc secundum hanc præcisam rationem, non concipio personam hanc diuinam, vt ab alijs personis diuinis est distincta: v.g. non concipio personam Patris, cuius constitutionem inquiro: ergo necessarium est concipere conceptum relationis illius, vt respicientis terminum, vltra rationem formæ hypostaticæ: vel aliàs non concipio personam Patris. Prima consequentia patet, nam subsistentia incommunicabilis, vt præcisè determinatur ex parte naturæ diuinæ, non minus conuenit Patri, quàm Filio, quàm etiam spiritui Sancto.

29 Secundo, eadem conclusio probatur, & prædicta ratio cõfirmatur: nam vel illa subsistentia incommunicabilis, qua tu concipis Patrem, anteceden ter ad relationem, esse personam, constituit, quatenus subsistentia præcisè: & hoc non: quia tunc Deus, vt sic, esset persona: vel vt subsistentia incommunicabilis: sed subsistentia incomunicabilis ideo formaliter incommunicabilis est, quia est relatio: ergo adhuc vt sic conceptum relationis includit. Minor probatur: nam ideo subsistentia personalis est incommunicabilis, quia vna est cum alia incõpossibilis (quod nemo negabit) & ideo est vna cum alia incompossibilis, quia opponũtur (vel oppositione relationis disparatæ ad minus, quod nos cõcedimus: vel oppositione vere relatiua, qua relatiua mutuo se respiciunt, quod tenent Thomistæ, & reddit fortius nostrũ argumẽtum) sed non opponuntur, nisi quia sunt relationes: ergo de primo ad vltimum, ideo subsistentia incommunicabilis est, quia est relatio. Patet consequentia: nam in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.

30 Dico octauo, quod Pater non constituitur in ratione personæ formaliter per esse ingenitum. Concluſio hæc est contra Vazquium, cuius probationem habes infra in difficult. 91. quæ est propria huius concluſionis.

8. Concluſ.

31 Dico nono, quod personæ diuinæ, non tantum secundum se, sed etiam in ordine ad nostrum conceptum, formaliter constituuntur per relationes, sub expressa, & formali ratione relationis, hoc est, inquantum munus relatiuis exercent. Concluſio hæc, vt supra patuit, est expressa Scoti, contra D. Thomam, & fere omnes Thomistas: cuius primam partem probo, quia personæ diuinæ formaliter sunt relatiuæ: ergo constituuntur relationibus. Antecedens est conforme fidei. Cõsequentia probatur: quia constitutum habet esse specificum á constituente. Ex quo patet, diuinas personas secundum se constitui relationibus sub expressa forma relationis: quod erat prima pars concluſionis, in qua omnes conueniunt. Secunda vero pars, quæ scilicet, respicit ordinem ad nostrum conceptum, probatur: nam constitutio mentis nostræ, seu per nostrum intellectum, vt vera sit, debet esse consentanea fundamento, in quo fundatur: aliàs enim esset mera fictio intellectus: ergo si ita formetur, sicut in rebus ipsis diuinis fundari potest, necessario talis constitutio per intellectum erit per relationem sub expressa ratione relationis, cum à parte rei sit per relationem, vt relatio est: Consequentia patet: quia aliàs non esset conformis fundamento, ex quo sumitur.

9. Concluſ.

32 Secundo: nam vel illa ratio referendi, quam à relatione separas, & vt sic distinctam à relatione, vt relatio est, cõsideras, & afferis personam constituere (quæ vocetur proprietas, vt vocat D. Thomas) constituit Patrem, vt proprietas, & vt condistincta à ratione relationis, vel non. Si secundum, habemus intentum. Si autem primum dicas, sic arguo cum Doctore, & interrogo quando dicis, quod paternitas non vt relatio, sed vt proprietas constituit personam Patris: vel ly vt, dicit reduplicationem illius termini, vt, proprietas, vel dicit reduplicationẽ alicuius, ꝙ in re, seu in intellectu sequitur ad proprietatem. Atqui primum non est dicendum, quia proprietas, vt proprietas concipitur, ab habitudine, seu ratione relationis distincta, est ens rationis: cum sit tantum ex comparatione nostri intellectus sic distinguentis resultans: Pater autem æternus non est dicendũ, ꝙ cõstituatur aliquoente, seu relatione relationis, quia hoc esset absurdum

surdum. Nec secundum etiam dici potest: quia illud, quod in re sequitur proprietatem, nihil aliud est, nisi ipsa paternitas: cum dictum sit in re nullomodo distingui, nec per consequens ad aliud sequi. Si autem dicas, quod est modus concipiendi nostri intellectus: contra insurgit Scotus, vel enim intellectus isto modo concipiendi concipit illud, secũdum quod est à parte rei: & tunc etiam habemus intentum, cũ à parte rei proprietas sit relatio: vel cõcipit secundum distinctionem, & comparationem â se fabricatam, quam dicimus esse relationem rationis. Tũc sic: sed per hoc, quod intellectus sic considerat, nihil variat in ratione illius, quod primo considerat (nam alias iam eius conceptus esset fictio) ergo, &c.

33 Confirmatur ratio à Doctore hoc exemplo: risibile enim comparatur ad hominem sub illa ratione, & habitudine, qua est proprietas eius: & rationale vt est differentia eius specifica: & humanitas sub ratione, qua est natura, siue adæquata quidditas eius: atqui in omnibus istis comparationibus nõ variatur essentia per se illius, quod comparatur: nam si risibile, secundũ quod risibile est qualitas, etiam vt est per se passio, demonstrata de homine, est qualitas, non autem est relatio, licet illud, quod est esse proprietatẽ hominis, dicat relationem, quatenus adipsum comparatur: similiter de rationali, & de humanitate, dicendum est: ergo consimiliter cum paternitas, secundum quod paternitas sit per se, & essentialiter relatio, etiam vt proprietas constitutiua erit per se, & essentialiter relatio.

34 Tandem probatur conclusio: nam ratio simplicissima (secundum quod simplicitas etiam constitutioni opponitur) vel se tota constituit, vel nullo modo constituit: sed huiusmodi est diuina relatio, quæ est prorsus forma simplicissima: ergo qualitercumque consideretur, vel secundum rationem relationis constituit personam, vel illã non constituit. Secundum non est dicendum: ergo primum.

35 Dico decimo, quod conceptu partiali nimis imperfecto à creaturis desumpto potest intellectus concipere in Patre rationem personæ, vt abstrahit ab absoluta, & relatiua: sed in isto conceptu non personam Patris constitutam, sed aliquid personæ Patris constituræ concipit. Conclusio hæc satis probatur ex eis quæ dicta sunt supra à num. 12.

10. Concl.

§. 4

Soluuntur rationes dubitandi.

AD rationes autem dibitandi satis respondetur ex supra dictis num. 20. quia cum prioritate origis bene stat simultas naturæ: & sic Pater intelligitur prior origine Filio, stante simultate naturæ vtriusque. 36

Attamen contra hæc, & ea quæ ibi dicuntur, insurgunt aduersarij, nam in quocumque instanti, non solum naturæ, sed etiam originis, in quo intelligitur illud alterum: quia impossibile est, relationẽ esse sine extremis in aliquo signo: ergo in quocumque instanti originis, quo Patrem intelligo, intelligo Filium: ergo non solum sunt simul natura Pater & Filius, sed etiam sunt simul origine. 37

Ad hoc argumetum respondet Doctor in Reportatis supra primum dist. 28.q.2.§. *contra in* his verbis. *Dico, quod hæc conclusio est vniuersaliter falsa, & in Deo, & in creaturis: & c dicitur, cũ intelligo hoc esse alterius in illo signo intelligo alterũ. nego, quia in relatiuis originis intelligo vnum correlatiuum in primo signo originis, & suum correlatiuum in secundo signo, & impossibile est quod in eodẽ: sic enim non esset vnum magis ab alio, quam è contra.* Hæc Scotus. 38

Sed contra, in illo priori concipio Patrem vt, Patrem: ergo concipio Patrem, vt relatiuum: ergo concipio Patrem, vt actu respicientem Filium: ergo intelligo Filium: quia videtur impossibile posse cognosci relatiuum, vt relatiuum, non cognito termino, quẽ actu respicit. Respondeo, impossibile esse cognoscere relatiuum vt relatiuũ, non cognito ordine ad terminum. benè tamen possibile esse illum cognos- 39

cere,non cognito ipso termino. Cuius ratio â priori est:quia qui cognoscit relatiuum,vt relatiuum, cognoscit relatiuum,vt respiciens aliquid, quod quidem aliquid non est de ratione relatiui,sed est quid terminans respectũ illius. Vnde terminus est extrinsecus relatiuo: ordo vero ad terminum est illi intrinsecus,& essentialis,vt relatiuum est. Stat ergo pro aliquo priori originis cognoscere Patrem,vt habentem,& respicientem Filium,quin pro tali signo originis,ipse filius cognoscatur:non tamen stat in aliquo instanti naturæ cognoscere Patrem,non cognito filio:quia Pater,& Filius sunt relatiui,& relatiua sunt simul natura.

40 Sed adhuc contra:quia implicat cognoscere aliquid absque eo,quod intrat eius definitionem: atqui terminus intrat definitionem relationis : ergo implicat cognoscere relatiuũ nõ cognito termino. Ad hoc respõdeo maio rẽ esse verã,loquẽdo de eis,quæ intrãt definitionem in recto,vt animal rationale in definitione hominis: sic enim quodlibet istorum prædicatur de illo, & sine alterutro non potest intelligi homo: non autem esse veram de his, quæ intrant definitionem in obliquo. Sic intrat terminus definitionem relationis in obliquo:ordo autem ad terminum,in recto:& idcò non potest intelligi relatiuum sine ordine ad terminum , bene tamen sine ipso termino. Etsi tandem replices, ordinem illum non posse intelligi,non intellecto termino,quem respicit, siquidem ordo,vt sic est tendentia,quæ non percipi potest sine eo,ad quod tẽdit,eo q intellectus nonquiescit in illo ordine: quia cum ordinem respicientem concipiat, vlterius progreditur, inquirendo terminum quem respiciat talis ordo. Dico,quod cognitio distincta ordinis non requirit cognitionem distinctam termini:sed satis est, præsupponi cognitionem confusam termini ad cognitionem distinctam ordinis:& sic vt cognoscã Patrem,vt Patrem, distincte,satis est mihi cognoscere eius Filiũ in confuso: quia satis est cognoscere hunc,qui est Pater, habere Filium, vt cognoscã distincte ipsum formaliter esse Patrem.

41 *Ad secundam rationem dubitãdi.* Ad secundam vero rationem dubitandi dico,personam diuinam indifinite loquendo,hoc est, vt abstrahit ab hac,& illa,abstrahere consequenter ab hac, & illa ratione constitutiua:& per consequens ab hac, & illa relatione. Vnde vt sic tantũ importat præcisam rationẽ omnibus personis communẽ, scilicet,incommunicabiliter subsistere,vt abstrahit ab absoluto, & respectiuo. Hæc tamen non pugnant cum eis quæ dicta sunt, cum hîc de constitutione personæ in singulari actum sit.

DISTINCTIO XXVII.

Hic quæri potest,&c.

QVÆSTIO PRIMA.

De verbo intellectus creati.

CIrca istam distinctionem vigesimam septimã quæro tria de Verbo,& primo de verbo intellectus creati,circa quod quæruntur sex.

¶ Primum. Vtrũ Verbum intellectus creati sit intellectio declaratiua supponens aliam simplicem intellectionem?

¶ Secundo. Vtrum verbum creatum sit terminus productus per intellectionem?

Tertio,

¶ Tertio. Vtrum Verbum creatum sit intellectio actualis?

¶ Quarto. Vtrum quælibet intellectio actualis sit Verbum?

¶ Quinto. Vtrum de ratione Verbi perfecti, quod scilicet, repræsentat Verbum diuinum, sit quod inquisitiue signatur?

¶ Sexto. Vtrum ad rationem Verbi perfecti concurrat voluntas?

ARTICVLVS. I.

Vtrum Verbum intellectus creati sit intellectio declaratiua supponens aliam simplicem intellectionem?

A AD primũ sic procedit ur. Videtur, quod Verbum intellectus creati, sit intellectio declaratiua, supponens aliam simplicem intellectionem. Ad quod intelligendum ponitur sic. Intellectus primo recipit intellectionem simplicem ab obiecto: qua impressione recepta, intellectus, vt actiuus est, conuertit se supra se, & super actum suũ, & obiectum, intelligendo se intelligere Secundo requiritur impressio notitiæ declaratiuæ in intellectum nudum conuersum: & hoc ab intellectu informato notitia simplici: ita quod intellectus informatus tali notitia, est ratio imprimendi notitiam declaratiuam: & intellectus nudus conuersus, est proprium receptiuum: & inter has duas intellectiones, primam scilicet, quæ est ratio imprimendi, & secundam, quæ est impressa, est habitudo media, quæ est actio de genere actionis: quæ notatur per hoc, ꝙ est dicere. Est enim dicere illud exprimere, vel imprimere notitiã declaratiuã notitiæ simplicis: & istam notitia declaratiua impressam in intellectũ nudũ conuersum, & terminans illũ actum dicendi, est verbum. Non igitur quæcumque intellectio actualis est verbum: sed illa, quæ est declaratiua, quæ præsupponit intellectionem actualẽ simplicem, & conuersionem actualem super illam, & gignitur actu dicendi: cuius principium actiuum est notitia simplex, & receptiuum est intellectus nudus conuersus. Ista opinio recitata est supra, dist. 2. quæst. de duabus productionibus.

Sed cõtra est: quia in omni actu reflexiuo potest haberi aliquis actus rectus perfectior: quia actus rectus intellectus, quo intelligit quidditatẽ, est perfectior eo actu, quo intelligit intellectum intelligere. quia habet obiectum nobilius: ergo cum verbum sit notitia perfecta rei, non includit actũ quo sciat se scire. B

Respondeo dicendum, quod *vt lo co argumenti visum est*, ad quæstionem *dicitur*, quod verbum est intellectio actualis, & non quæcumque: sed declaratiua. *Sed* cõtra istam opinionem, arguo primo. Irrationabile videtur ponere eandem potentiam esse actiuam respectu vnius actus sui, & passiuam respectu actus alterius: quia ex hoc videtur, quod non est potentia eiusdem rationis: quæcumque enim potentia vnius rationis importat similem habitudinem potentiæ ad obiectum: visus enim non est actiuus respectu vnius actus videndi, & passiuus respectu alterius: vnde quicumque actus vnius potentiæ habet similem habitudinem potentiæ ad obiectum: igitur si intellectus est tantum passiuus respectu notitiæ simplicis lapidis, & perfecte actiuus respectu cõuersionis, quæ est actus secũdus, quo intelligit se intelligere lapidem: non erit, vt videtur, vna potentia. Videtur etiam inconueniens, quod non possit C

Opinio Hẽrici, quodl. 6. q. 1. & sum. ar. 46

sit habere aliquam actiuitatem respectu actus imperfectioris: & tamen possit esse totale actiuum respectu actus perfectioris. Ponitur autem à quibusdam, quod conuersio illa est actus perfectior intellectione simplici. Quod posita additur, quod intellectio actualis est ratio gignendi notitiam declaratiuam: hoc videtur esse inconueniens in nobis: quia forma imperfectior non potest esse ratio perfecta gignendi perfectam: illa autem prima notitia in nobis confusa est, & imperfectior notitia distincta: ergo, &c.

Præterea, si notitia prima est ratio gignendi secundam: aut hoc est, quãdo prima non est: & tunc non ens erit ratio agendi: aut quando est: & tunc aut sunt eiusdem rationis, aut alterius. Si secundo modo, & prima est imperfectior secunda: non igitur est principium gignendi secundam: quia imperfectius non est principium producendi perfectum. Vnde in productione æquiuoca, semper causa est perfectior effectu. Si primo modo, tunc duo actus intelligendi eiusdem speciei sunt simul in eodem, siue in eadem potentia: quia memoria, & intelligentia sunt vna potentia, & respectu eiusdem obiecti, & in eodem instanti. Item, tunc non poneretur Trinitas in mente, secundum quod mens est: quia mens non habet aliquã actiuitatem propriam, secundũ quod mens est: sed præcise per accidens eius peraccidens, quod est notitia simplex: sicut nec lignum habet aliquam actiuitatem respectu calefactionis, quæ attribuitur sibi per calorem, qui est accidens eius per accidens: & ita videtur Augustinus frustra quæsiuisse in mente, secundum quod mens est, parentem, & prolem: quia ratio parentis non videbitur competere animæ, secundum aliquid sibi essentiale: sed secundum aliquod accidens præcise, quod imprimitur ei ab obiecto. Itẽ sicut, *sc habet* intellectio cõfusa ad obiectum confuse præsentatum, sic distincta ad distinctum: quare *ergo* non esset verbum obiecti, sed actus.

Ad argumentum, *ex illa opinione fabricatum satis patet, ex dictis*: & præterea quod dicit de conuersione, quod illa sit necessario præuia cognitioni verbi, videtur esse contra Aug. 15. de Trinit. cap. 16. vbi videtur dicere, q verbum perfectissimum nostrum erit in patria respectu obiecti beatifici: & tamen ibi ille actus non erit conuersiuus: quia visio beatifica nõ habet aliquid creatum pro obiecto immediato: omnis autem actus conuersiuus in nobis habet aliquid creatum pro obiecto immediato: nec illa visio præsupponit conuersionem: quia si illa visio est effectus solius essentiæ diuinæ, aut intellectus cooperantis diuinæ essentiæ, præcedit naturaliter conuersionem intellectus, super suum intelligere.

Quod etiam dicit, quod vt cõuertitur, est mere actiuus, & tamen vt cõuersus, est mere passiuus respectu notitiæ genitæ, quæ est verbum: videtur valde irrationabile, quod idem sub ratione, qua est actiuum, sit tantũ passiuum respectu actus eiusdem rationis: & in quantum est mere passiuum, sit actiuum respectu actus eiusdem rationis: intellectus autem in quantum respiciens notitiam simplicem, est tantum passiuus: & in quantum est se conuertens, est tantum actiuus: igitur videtur, quod inconueniens sit, quod in quantum conuersus sit passiuus respectu generationis Verbi: & in quantum habens notitiam simplicem, sit actiuus respectu eiusdem generationis.

Expo-

Expositio art. 1. quæst. 1. dist. 27.

LATE impugnauerat Doctor supra in dist. 2. q. 5. art. 6. sententiam Henrici, quam iterū refert, & improbat de intellectione declaratiua, & notitia conuersiua, &c. Quam sententiam nobis in cōmentario ad dictum art. explicuimus: quæ autem ibi dixerat Hēricus, vt probaret exinde dualitatem productionū diuinarum, modo de verbo intellectus creati affirmat. Quem Doctor in textu satis impugnat, & nihil noui se offert explanandum, circa huius articuli materiam.

ARTICVLVS. II.

Vtrum verbum creatum sit terminus productus per intellectionem?

A AD secūdum sic proceditur. Videtur, quod verbum creatum sit terminus productus per intellectionem: quia Augustin. 6. de Trinit. cap. vlt. *ait*, verbum est proles, & genitum à memoria: actio autem non gignitur, sed est qua aliud gignitur: ergo verbum est aliquid formatū per actum intelligendi, & non est ipse actus.

B Sed contra est: quia gignere verbū, non est actus intelligentiæ: sed memoriæ, secundum Augustin. omnis autem intellectio actualis est intelligentiæ, non memoriæ, secundum eum. 14. de Trinitate. cap. 17. ergo nulla actualis intellectio est ratio gignendi verbum.

14. de Trinit. c. 7.

C Respondeo dicendum, quod verbū nec etiam est terminus aliquis productus per intellectionem, *quod dicebant aliqui, scilicet esse* aliquid per actū intelligendi formatū: quia intellectio non est actio productiua alicuius termini: tunc enim incompossibile esset eam intelligere, & non esse termini: sicut incompossibile est intelligere calefactionem esse, & non esse calorem ad quem fit calefactio: nō est autem impossibile intelligere intellectionem in se, non intelligendo, quod sit alicuius termini, vt producti per ipsam. Confirmatur etiam, quia operationes tales dicuntur esse actus vltimi, ex primo eth. & 5. Metaph. De hac materia dictum est, supra dist. 3. qualiter est quædam actio de genere actionis: & alia, quæ est qualitas, cuiusmodi est intellectio.

Conclusio.

Egi. Rom. quodl. 5. q. 6.

Cap. 5. Tex. com. 6

D Ad argumentum concedo, quod notitia est proles, & vere genita: sed productio illa non est actualis intellectio: quia (vt dictum est supra) actualis intellectio non est actio de genere actionis: sed est qualitas nata terminare talem actionem, quæ significatur per hoc, quod est dicere: vel in cōmuni, per hoc quod est elicere: nō igitur verbum est aliquid productum actione, quæ est intellectio: quia ipsa intellectio non est productiua alicuius, sed ipsa est producta actione, quæ est de genere actionis, sicut dictum est supra.

Expositio art. 2. quæst. 1. distinctionis. 27.

SVPRA in difficultate 49. vbi de productione Verbi diuini sermonem habuimus: etiam de verbo creato ostendimus, sub num. 10. non esse terminum intellectionis, seu actus intelligendi, sed produci per actum dicendi ab actu intelligendi distinctum. Huius igitur actus dicendi, seu dictionis, verbum creatum est terminus: vt ibi notatum est, & hic cōcluditur

tur à Doctore: non vero est terminus actus intelligendi, seu intellectionis, de quo ibi plura sunt dicta, quæ hanc difficultatem reddunt perspicue resolutam.

ARTICVLVS III.

Vtrum verbum creatum sit intellectio actualis?

A AD tertium sic proceditur. Videtur, quod verbũ creatũ, non sit intellectio actualis: quia Aug. 8. de Trin. c. 6. *ait*, phantasia Carthaginis in memoria mea est verbum eius: phãtasia *autem* illa sumitur proprie pro specie, nõ pro actuali imaginatione: ergo eodem modo verbũ intellectuale est species intelligibilis, B & non intellectio actualis.

Secundo præterea: quia *idem* Aug. 15. de Trin. c. 11. & 25. *ait*, proinde verbũ, quod foris sonat, signũ est eius verbi, quod intus latet, verbũ autẽ exterius est signũ rei, & nõ intellectionis: alioquin quælibet affirmatiua esset falsa, in qua non prædicatur idem de se: quia intellectio subiecti nõ est intellectio predicati, licet res sit res: ergo verbum est obiectum, & non actualis intellectio. C

Sed contra est: quia 6. de Trinit. cap. vlt. vocat Augustinus verbum notitiam. Et 15. de Trinitate. c. 15. & 27. est visio de visione, & scientia de scientia. D

Respondeo dicendum, quod quia ratio verbi præcipue accipitur ab Augustino libris de Trinatate supponẽda sunt quædam certa, quæ secundum ipsum conueniunt verbo. Et secundo per diuisionem sunt illa remouẽda ab omni eo, quod non est verbum: sicut facit Philosophus 3. Etic. ad inquirendum genus virtutis, vbi diuidit illa, quæ sunt in anima vt potẽtias, passiones, & habitũ. Tertio illis remotis, quæ nõ cõueniunt illi, de quo quæritur: ex illis inuestigandum est, quid est in intellectu, cui potissime conueniant illa, & illud ponẽdũ est verbũ. Verbũ igitur secũdũ ipsum est actus intelligẽtiæ, vt patet cõparando Trinitatem, quam ponit. 9. de Trin. cap. vlt. Trinitati, quam ponit, cap. 11. lib. 10. notitia enim correspondet intelligẽtiæ. Verbum etiã nõ est sine actuali cogitatione: sicut patet. 15. de Trinit. c. 15. verbum etiã genitum est de memoria, vel de scientia in memoria, vel de obiecto relucẽte in memoria, siue in scientia: sicut patet per ipsum. 15. de Trinit. cap. 10. & 24. formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbũ est, & c. 14. verbum nostrum de nostra scientia nascitur, & Verbum Dei de Patris scientia natum est. Et ista omnia sunt eadem: quia secundum ipsum 9. de Trin. cap. vlt. à cognoscente, & cognito paritur notitia, quæ duo sunt vna causa integralis respectu notitiæ genitæ, sicut dictũ est dist. 3. q. 7. Verbum etiam ab eo inquiritur propter imaginẽ in mẽte, & ponitur secunda pars imaginis, scilicet proles, sicut patet per ipsum, 9. de Trini. ca. vlt. Est igitur quædam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia eius, quæ est proles eius, ac de ipsa, verbum eius, & amor tertius. E

Posset igitur describi verbũ, quod verbum est actus intelligentiæ productus á memoria perfecta, non habens esse sine actuali intellectione, repræsentans Verbum diuinum: propter illud enim Augustinus inquisiuit de verbo nostro. Ex his apparet, quod verbũ nihil est pertinens ad voluntatẽ, neque ad memoriam: quia est secunda pars imaginis: nec prima, nec tertia: & per consequens non est species intelligibilis, nec habitus, nec aliquid pertinens ad memoriam: est igitur aliquid pertinens ad intelligentiam. Intelligentia autẽ non videtur esse, nisi vel actualis intellectio, vel obiectũ termihãs illã

intellectionẽ. Vel ſecũdum alios, ſpecies genita in intelligẽtia de ſpecie in memoria, quæ ſpecies in intelligentia præcedit actum intelligẽdi. Vel ſecundum aliquos, eſt aliquid per actũ intelligendi formatum. Vel ſecundũ alios, ipſa met intellectio, vt paſsio quaſi cauſata à ſe, vt actio. Et ſecũdũ hæc quinque poſſunt eſſe quinq; opiniones de verbo: non eſt autẽ verbũ ſpecies in intelligentia, prior actu intelligendi: quia talem ſpeciem ſuperfluum eſt ponere: ipſa enim nõ repræſentat perfectius obiectũ, quã ſpecies in memoria, & ſufficit habere vnũ perfecte repræſentans obiectum, ante actũ intelligendi. Quod autẽ non perfectius, probatur per Aug. 15. de Trinit. ca. 13. nihil plus in prole, quã in parente. Tunc etiã eſſent duæ ſpecies eiuſdem rationis in eadem potentia: quia iſtæ duæ ſunt eiuſdem rationis, & ipſe intellectus vt memoria, & vt intelligentia, eſt vna potentia: quia idem eſt actus primus, & quo habẽs operatur, ſiue quo habẽs actum primũ eſt in actu ſecundo. Tunc etiã habitus nõ eſſet immediatũ principium actus, nec habens habitum eſſet in potẽtia accidentali ad agendũ ſecundum illũ habitũ: quia requireretur forma prior ipſa operatione, alia ab habitu. Nec iſta ſpecies in intelligentia poſſet poni gigni naturaliter, ſi numquam poſſet eſſe ſine actuali intellectione: quia actualis intellectio ſubeſt imperio volũtatis. Nec etiam poſſet dici gigni libere, vel eius gignitionẽ ſubeſſe imperio voluntatis, vt videtur, ſi ponatur forma prior ipſa operatione: quia videtur, quod primum pertinens ad intellectum, quod eſt in poteſtate noſtra, eſt actualis intellectio.

F Nec ipſum obiectũ poteſt poniverbũ, ſicut dicit alia opinio: quia obiectũ ſecũdũ ſe, nõ eſt aliquid productũ virtute memoriæ, ſiue alicuius in mẽte, quale eſt verbũ, nec ipſum obiectũ vt in memoria producitur virtute memoriæ: vt patet: ipſum autẽ obiectũ, in intelligẽtia, nõ gignitur, niſi quia aliquid prius gignitur, in quo obiectũ habet eſſe: quia ſic dictũ eſt dist. 3. Iſtæ actiones, & paſsiones intẽtionales nõ conueniunt obiecto, niſi per aliquã actionẽ, vel paſsionẽ realẽ, quæ cõuenit ei, in quo obiectũ habet eſſe intẽtionale. Nec etiã eſt terminus aliquis productus per intellectionẽ, *vt viſum eſt ar. 3.* Improbatur etiã hæc via, & ſequẽs de intellectione paſsione per idẽ mediũ: quia tũc intelligentia gigneret verbũ, & non memoria, quod eſt cõtra Aug. intelligentia enim produceret illũ terminũ actionis intelligẽdi (ſiquis eſſet) & intelligentia produceret intellectionẽ paſsionẽ, ſi qua eſſet. Iſta etiã via de intellectione actione, & paſsione non videtur rationabilis: quia intellectio eſt forma vna: quæ licet poſſet cõparari ad agens, à quo eſt, & ad ſubiectũ in quo recipitur: tamẽ ipſa ex hoc nõ habet talẽ diſtinctionẽ, vt poſsit eſſe quaſi cauſa ſui, vel eſſe terminus actionis, ſecundũ hoc, & nõ ſecũdũ illud: quia ſi eſt terminus actionis, hoc eſt, ſecundũ ſe, nec ſecundum iſtum reſpectũ, nec ſecundum illum: ſed eã concomitantur iſti reſpectus.

Sequitur igitur, per viã diuiſionis, G
ꝙ verbũ eſt actualis intellectio: & hoc cõfirmatur per Aug. 15. de Trin. ca. 16. cogitatio quippe noſtra peruenies ad illud, quod ſcimus, atque inde formata, verbũ noſtrũ eſt. Idem etiã habetur ab eodẽ. 15. de Trin. c. 10. & 14. formata quippe cogitatio, &c. verbũ eſt, ſicut ſupradictũ eſt. Et cõfirmatur iſtud per ſimile de verbo vocali, & imaginabili: formatur enim verbũ vocale, ad ſignificãdũ, & declarãdũ illud, ꝙ intelligitur: ſed quod vox non ſtatim formatur ab intelligente in quantũ intelligens, ſed per aliquã potentiã mediã, puta motiuã hoc eſt imperfectionis in intellectu: Si igitur ſtatim gigneretur, *Concluſio.*

vel

vel formaretur,vt expressiuum illius, quod latet in intellectu,& hoc virtute intellectus intelligẽtis,nõ minus esset verbũ:obiectũ autẽ habitualiter cognitum latet in memoria. Si igitur virtute eius statim causaretur aliqua intellectio actualis,quæ genita exprimat, & declaret illud obiectum ibi latens: vere est ibi verbum: quia expressiuũ latentis,& genitum virtute eius ad exprimendum ipsum.

H Ad primũ argumentum patet,quod illa authoritas indiget expositione:dicit enim ipsa ibi,phantasia eius, scilicet Carthaginis,in memoria mea verbum est. Patet autem secundũ ipsum. 15.de Trinit.cap.8.quod verbum non est formaliter in memoria:ergo oportet,quod intelligatur causaliter, non formaliter.

I Ad secundum,licet magna altercatio fiat de voce,vtrum sit signũ rei, vel conceptus:tamen breuiter concedo, quod illud, quod significatur per vocem,proprie est res. Sunt tamen signa multa ordinata eiusdem significati litera,vox,& conceptus:sicut sunt multi effectus ordinati eiusdẽ causæ,quorum nullus est causa alterius, vt patet de sole illuminante plures partes medij:& vbi est talis ordo causatorũ, absque hoc,quod vnum sit causa alterius, ibi est immediatio cuiuslibet respectu eiusdem causæ,quorum nullus est causa alterius,excludendo aliud in ratione causæ:nõ autem excludendo aliud in ratione effectus immediatioris. Et tunc posset concedi aliquo modo effectum propinquiorem esse causam, respectu effectus remotioris,non proprie,sed propter prioritatem illã,quæ est inter tales effectus ad causam: ita potest concedi de multis signis eiusdem significati ordinatis:quod vnum aliquo modo est signũ alterius: quia dat intelligere ipsum: quia remotius non significaret, nisi prius aliquo modo immediatius significaret: & tamen propter hoc vnum proprie non est signum alterius: sicut ex alia parte de causa,& causatis.

Expositio art.3.q.1.dist.27.

POstquam in præcedenti art. docuerat Doctor, verbum nõ esse terminum intellectionis:cõcludit modo in litera, verbũ esse ipsam actualem intellectionem. Quæ litera est satis clara:concordanda tamẽ cũ eis,quæ notauimus supra in difficu.49. nu.10.sed clarius in diffi.26.â nu.15.vbi late ostendo ex verbis Doctoris,qualiter verbum sit intellectio ipsa: iuxta quæ dico modo,quod verbum ita est actualis intellectio,vt nõ sit ipse actus intelligẽdi:sed ipsa actualis forma, qua informatus intellectus actu intelligit. Distinguũtur igitur verbum,& actuale intelligere,tanquam forma,& eius effectus formalis,vel sicut concretum,& abstractum. Verbum igitur est forma,qua intellectus actu intelligit obiectum repræsentatum in ipso verbo. De quibus plura latissime dicta sunt in citatis locis,& alibi sæpe per totius huius operis discursum:& ideò non hìc immoramur in eis. Hanc autem esse genuinam huius textualis literæ expositionem, clarè patet ex verbis expressis Doctoris in Quodlibetis.q.15.lit.Z.vbi hæc ait. *Nunc autem licet intellectus actiue causet intellectionem:non tamen dicitur intelligere,in quantum causat: quia si Deus causaret illam eãdem intellectionem,non tamen dicitur intelligere illa intellectione: sed intellectus ille, in quo causatur intellectio. Igitur & modo intellectus dicitur intelligere,non quia causat,sed quia recipit intellectionem.* Vide in cit.diffic.26.qualiter intelligendum sit hoc recipere:nam ibi iuxta mentẽ Doctoris concludimus,hoc recipere, non formaliter esse intelligere, sed quasi causatiue immediate. Ideo enim formaliter intelligit intellectus:quia percipit obiectum repræsentatum in verbo: & hoc percipere necessario, & formaliter supponit illud recipere. Quære hæc ibi,& clare inuenies mentem Scoti enucleatam.

AR-

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm quælibet intellectio actualis sit Verbum?

A. AD quartum sic proceditur, videtur, quod quælibet intellectio actualis sit verbum: quia *secundum* Augustin. 15. de Trinitate cap. 16. cogitatio quippe nostra perueniens ad illud, quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum est: ergo, &c.

B. Sed contra est: quia per Augustin. 9. de Trinitate cap. 10. omne quod notum est, verbum dicitur animo impressum, quandiu de memoria diffiniri, & proferri potest.

C. Respondeo dicendum, quod restat dubitatio vlterius, vtrùm quælibet intellectio actualis sit verbum? Ad hoc dicitur, quod non: sed oportet addere quasi differentiam specificam, quæ est declaratiua. Contra hoc arguitur: quia in Patre est notitia declaratiua formaliter: nam intellectio, quæ est Patris, in quantum est intelligentia, est declaratiua Patris, in quantum est memoria, ita perfectè, sicut actualis intellectio, vt in Filio declarat habitualem, vt in memoria Filij: in Patre tamen non est verbum formaliter (sicut dicitur in solutione secũdæ quæstionis.) Similiter verbum declarat se secundum Augustin. septimo de Trinitate cap. 3. si (inquit) hoc verbum, quod nos proferimus temporale, & se ipsum ostendit, & ipsum, de quo loquimur: quãtomagis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, &c. supple, se ipsum ostendit? declarare igitur non dicit relationem realem, nec per cõsequens relationem geniti: Verbum autem non est nisi intellectio genita, alioquin posset poni in Patre formaliter. Aliter dicitur quãtum ad istum articulum, quod verbum est notitia actualis, quæ est terminus inquisitionis, *sed de hac opinione in sequenti articulo erit forma.*

Opin. Henr. quodlib. 2. quæst. 6.

Ideò istis omissis opinionibus, quoad istud dico, quod nõ quælibet intellectio actualis est verbum, sicut probatur contra istam viam, quæ ponit declaratiuum esse proprium verbi: sed tantùm notia genita: ideò in Patre non est verbum formaliter: quælibet autem notitia genita, quã Augustin. vocat prolem, est verbum. *Hoc* declaro: quia quælibet intellectio actualis, gignitur de memoria imperfecta, vt de imperfecta: sicut perfecta de perfecta: igitur quælibet notitia est proles, & expressiua parentis, & genita ad exprimendum parentem. Et istud confirmatur per Augustin. 15. de Trinitate capit. 12. igitur nec interest quando illud dicerit, qui quod scit, loquitur: aliquando enim statim vt scit, hoc dicit: & breuiter, quæcunque differentia inueniatur inter notitiam primam genitam imperfectam, & illam, quæ sequitur inquisitione, non est differentia formalis, propter quam hæc possit dici verbum, & ista non: vt videtur.

D. *Prima conclusio.*

Secunda cõclusio.

E. Ad argumentum *patet ex dictis ar ticul.* 3. quod verbum genitum est de memoria, vel de scientia in memoria, vel de obiecto relucente in memoria, &c. sicut patet per ipsum Augustin. 15. de Trinitate cap. decimo, & vigesimoquarto. Formata (*inquit*) cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est: quælibet *ergo* notitia genita, quam Augustin. vocat prolem, est verbum, nõ *tamen* quælibet intellectio actualis est verbũ, sicut probatur *supra.*

Expositio art. 4. quæst. 1. distinctionis 27.

FAcillime ex litera præcedentis articuli resoluitur difficultas præsentis. In sensu etenim, quo verbum est intellectio actualis, quælibet intellectio est verbum secundum eam considerationem, qua verbum præcise habet esse representatiuum obiecti, & formam actualem intelligendi. Et quia Pater in diuinis non intelligit per Verbum: ideò intellectio eius verbū nō est. Præterea quælibet intellectio in omni rigore verbi, est verbum, quia verbum ve verbum, petit esse prolem memoriæ: & ideò si Deus verbum crearet in intellectu creato, quo talis intellectus intelligeret: profecto istud verbum esset vera forma intelligendi, & actualis intellectio: non tamē esset verbum, eo quod non esset proles memoriæ illius, quem reddit intelligentem: quia ab ipso non producitur, sed à Deo. Imo etsi intellectio ab ipso intellectu, qui per illam formaliter intelligit, producatur, si tamen ab eo naturaliter non procedat, in hoc rigore verbum non erit: prout expresse resoluit Doctor in quodlibetis quæst. 14. litera BB. & nos supra de eius mente late tradimus in difficultate 25. vbi concluſimus, beatos Deum vidētes verbum non producere, etiam si visionem producant. Vide ibi plura, quæ habes de hoc puncto latissime prælibata.

ARTICVLVS V.

Vtrùm de ratione verbi perfecti, quod scilicet repræsētat Verbum diuinum, sit, quod inquisitiue gignatur?

A. AD quintum sic proceditur, videtur, quod de ratione verbi perfecti, quod scilicet repręsentat Verbum diuinū, sit, quod inquisitiue gignatur: quod ostenditur per Augustin. 9. de Trinit. cap. vlt. vbi dicitur, quod verbum est partum, siue proles: est autē partum: quia est repertum: non est autem repertum, nisi quia inquisitū. Vnde vult, quod partum istud mentis præcedit appetitus impellens intellectum ad inquirēdum: ergo, &c. A.

Secundo præterea: quia idē videtur velle 15. de Trinit. cap. 15. vbi ait: tunc fit verum verbū, quando illud, quod nos dicimus volubili motione iactare, ad illud, quod scimus, peruenit, atque inde formatur eius omnimodam similitudinē capiens: vt quo modo res quæque scitur, sic etiā cogitetur: ista autem volubilis cogitatio est inquisitio, qualis non erit in patria, sicut innuit cap. 16. fortasis etiam non erunt ibi volabiles cogitationes nostræ, &c. B.

Sed contra est: quia si de ratione verbi sit sic gigni inquisitiuè; igitur Deus non habet verbum. Secundo: igitur Angelus non habet verbum de naturaliter sibi cognitis. Tertio, igitur beatus non habet Verbum de essentia diuina, nec de aliquo perfecto cognito sine inquisitione. Quarto, igitur habens perfectum scientiæ habitum, statim operans per illum habitum, non potest habere verbum: quæ omnia videntur absurda: ergo, &c. C.

Respondeo dicendum, quod *iuxta secundam opinionem positam in præcedenti articulo*, ponitur, quod post notitiam confusam sequitur inquisitio per diuisionem, & argumentationem, & vltimo deuenitur ad perfectam notitiam, quæ quasi gignitur ipsa inquisitione, & illa perfecta notitia, quæ est terminus inquisitionis, est verbum. Contra istud *autem* arguitur §. *sed contra*, & (*vt iam dictum est*) quæcunque differentia inter notitiam imperfectam, & illam, quæ sequitur inquisitione, non est formalis D.

lis,propter quam ista posit dici verbum, & ista non. *Etsi* autem quælibet notitia genita, quàm Augustin. vocat prolem est verbum: non tamen eo modo,quo Augustin. ponit verbũ perfectũ:quod scilicet repręsentet Verbum diuinum. *Hoc* secundum declaro sic,scilicet,quod intellectus noster non statim habet perfectam notitiam obiecti:quia secundum Philosophum 1.Physicor. innata est nobis via procedendi à confuso ad distinctum: & ideò prius ordine originis imprimitur nobis notitia obiecti confusa, quàm distincta: & ideò necessaria est inquisitio prævia verbo perfecto: quia non est verbum perfectum, nisi sit notitia actualis perfecta: sic igitur intelligendum est, quod cognito aliquo obiecto confuse, sequitur inquisitio per viã diuisionis differentiarum conueniẽtiũ illi, & inuentis omnibus illis differentijs, cognitio diffinitiua illius obiecti, est actualis cognitio perfecta, & perfectè declaratiua illius habitualis notitiæ, quæ primo erat in memoria: & ista distincta notitia perfectè declaratiua est perfectum verbum. Hoc dicit Augustin. 9. de Trinit. cap.10.nam placet mihi,quod noui, & diffinio, quod sit intemperantia: & hoc est verbum eius. Et ibidem permisit in eodem ca. Augustin. quod iam superius positum est, quando de memoria proferri, & diffiniri potest,id est,distinctè,& diffinite,actualiter cognosci virtute eius, quod est in memoria: non igitur de ratione verbi est gigni post inquisitionẽ: sed necessarium est intellectui imperfecto: quia non potest statim habere notitiam diffinitiuam obiecti:habet enim notitiam talem post inquisitionem: & ideò verbum perfectum nõ est in nobis sine inquisitione:& tamẽ quando verbum perfectum sequitur talem inquisitionem:illa inquisitio nõ est generatio ipsius verbi formaliter: sed quasi prævia ad hoc, vt generetur verbum.

Prima conclusio.

Et tunc si obijciatur;ad quid tunc inquisitio esset necessaria?posset dici ad istud, quod motus est necessarius ad hoc, quod inducatur forma perfecta, quæ non posset statim in principio motus induci,vel inductio multarum formarum ordinatarũ ad inductionem vltimæ formæ:& ablq; illo ordine formarum, non posset vltima forma induci statim, & sic secũdum hoc ponitur iste ordo: ita quod primo est habitualis notitia confusa. Secundo,actualis intellectio confusa. Tertio,inquisitio,& in inquisitione multa verba de multis notitijs habitualibus virtualiter contentis in memoria:quam inquisitionem sequitur distincta,& actualis notitia primi obiecti, cuius cognitio inquiritur, quæ notitia actualis distincta imprimit habitualem in memoria perfecta,& assimilatur memoriæ in Patre. Vltimo ex memoria perfecta gignitur verbum perfectum sine inquisitione mediante inter ipsam, & verbum: & illa gignitio assimilatur gignitioni Verbi diuini perfecti, ex memoria paterna perfecta: nullũ igitur verbum est perfectè repræsentans Verbum diuinum (quod potissime inuestigat Augustin.) nisi illud, quod gignitur de memoria perfecta sine inquisitione media inter talem memoriam,& tale verbũ: licet nec illa memoria possit haberi in nobis propter imperfectionem nostri intellectus, nisi præcedat inquisitio. E.

Secunda conclusio,

Ad primum argumentum *patet*, quod quælibet notitia genita,quam Augustin. vocat prolem, est verbum, non tamen eo modo,quo Augustin. ponit verbum imperfectum: *sed* notitia distincta perfectè declaratiua est verbum: non *autem* est de ratione verbi gigni post inquisitionem, F.

sed necessarium est intellectui imperfecto, *vt dictum est.*

G. Ad secundum dico, quod bene innuit Augustin. in auctoritate præallegata 15. de Trinitate cap. 15. hac, atque illac volubili quadam motione iactamus, cum â nobis nunchoc, nũc illud, sicut inuentum fuerit, vel occurrerit, cogitatur: & tunc fit verum verbum, quando ad illud, quod scimus, peruenit, atque inde formatur verbum eius, &c. innuens, quod illa iactatio, idest inquisitio, non est gignitio verbi formaliter, sed eam sequitur gignitio verbi, de eo, quod scimus, id est de obiecto, in memoria habitualiter cognito.

Expositio art. 5. quæst. 1. distinctionis 27.

HAEC est confutatio cuiusdam partis opinionis Henrici dicentis, quod verbum creatum necessario expostulat gigni per inquisitionem, & vt sic repræsentare Verbum diuinum. Clarè autem proponitur, & impugnatur in textu; & ideò nec dicta opinio, nec eius impugnatio indigent explanari.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ad rationem Verbi perfecti concurrat voluntas?

A. AD sextum sic proceditur, videtur, quod ad rationem verbi perfecti concurrat voluntas, putâ quod de ratione eius sit, quod si notitia voluntate genita, vel voluntate agente, vel copulante eam memoriæ, quod videtur secundum August. in multis locis.

B. Sed contra est: quia istam quæstionem mouet August. 9. de Trinitate cap. 10. rectè ergo (inquit) quæritur, vtrùm omnis notitia sit verbum, an tãtùm amata notitia? nouimus enim & ea quæ odimus, sed non concepta, nec parta dicenda sunt animo: & respondet, nõ omnia, quæ quo quomodo tangunt, concipiuntur secundum aliqua, vt tantùm nota sint: non tamen verba dicantur, sicut illa, de quibus nunc agimus: aliter enim dicuntur verba, quæ spatia temporum syllabis tenent, aliter omne, quod notum est, verbum dicitur, quandiu de memoria proferri, vel diffiniri potest, quamuis res ipsa displiceat. Et subdit postea: verum tamen cum illa quæ odimus rectè displicent, rectèq; improbãtur, approbatur eorum improbatio, & placet, & Verbum est: & neque vitiorum notitia nobis displicet, sed ipsa vitia.

C. Respondeo dicendũ, quod de ratione verbi, non est gigni amore obiecti cogniti, sed nec etiã gigni amore notitiæ, quæ est verbũ: tamen cõcomitatur perfectũ verbum duplex actus voluntatis, vnus præuius, quo imperatur actus ille, & inquisitio præuia, sine qua non perueniretur ad verbum perfectum, sicut patet 9. de Trinitat. cap. vlt. & alius, quo intellectus quiescit in intellectuali notitia iam habita, sine qua nõ permaneret intellectus in notitia iam habita: nõ igitur actus voluntatis est de essentia verbi, nec formaliter, nec vt causa: sed cõcomitatur necessario ad generationẽ eius in nobis propter inquisitionẽ eius præuiam, & ad continuationẽ eius similiter: propter hoc, q̃ si intellectio voluntati nò placeret: in ista notitia intellectus non permaneret in ea, & ita ista notitia non haberet rationẽ verbi permanentis: ista tamen permanẽtia nõ est de ratione perfecti verbi intensiue: quia nõ minus perfecta est albedo vnius diei, quàm

quam vnius anni.

D. Ad illud, quod *dicitur* esse secundum Augustin. in multis locis *patet*, quod voluntas respiciens obiectum, cuius est Verbum, non pertinet ad rationem Verbi, nisi stricte sumendo Verbum, quomodo Augst. pertractat cap. præallegato nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto: hoc dicere includit acceptationem obiecti dicti: & addit aliquid vltra rationem verbi absolutè.

1.Cor.c.12

Expositio art. 6. quæst. 1. distinctionis 27.

CONCLVSIO est, Verbi productionem neutiquam ab aliquo actu voluntatis pendere: licet bene inquisitio, & permanentia in notitia habita actum amoris requirat. Quæ clarè & breuiter habetur in textu.

QVAESTIO II.

De Verbo diuino.

SECVNDO quæro de Verbo diuino, an Verbū in diuinis dicat proprium personæ genitæ? Circa q̄ queruntur tria.

¶ Primò. Vtrùm Verbum diuinum sit notitia declaratiua intellectus Patris, virtute notitiæ actualis simplicis?

¶ Secundò. Vtrùm Verbum diuinum sit de intellectu genitum, tanquam de materia, seu quasi materia?

¶ Tertiò. Vtrùm Verbum in diuinis significet proprietatem personalem secundæ personæ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Verbum diuinum sit notitia declaratiua intellectus Patris virtute notitiæ actualis simplicis?

A. AD primum sic proceditur, videtur, quod Verbum diuinum sit notitia declaratiua intellectus Patris, virtute notitiæ actualis simplicis: *quia* cōformiter *ad ea, quæ in 1. art. primæ quæstionis dicebat prima opinio*: respōdetur ad secundā quæstionem, quod intellectus Patris primo informatur, quasi notitia simplici essentiæ, ad quam fuit quasi mere in potentia passiua: & factus est in actu isto notitiæ simplicis, vt nudus conuertitur supra se ipsum sic informatum, & in ipsum conuersum, quasi in passiuum dispositū: sic imprimitur notitia declaratiua virtute notitiæ actualis simplicis, quæ notitia declaratiua est terminus actus dicendi, & Verbū. Et secūdū hoc patet, quod Verbum est terminus generationis, sicut & Filius, & ita erit proprium secundæ personæ.

Opin. Henric. quodlib. 6. q. 1. & sum. ar. 54.

B. Sed contra est: quia ista cōuersio est respectu actus primi, vt obiecti: igitur est notitia declaratiua illius actus, sicut omnis notitia declarat obiectum, cuius est: igitur ante gignitionem Verbi, quæ sequitur istam conuersionem (secundum eum) habetur notitia declaratiua primi actus, & ita Verbum ante Verbum.

C. Respondeo dicendū, quod cōtra istā opinionē, *quæ* recitata est supra dist. 2. quæst. de duabus productionibus, cōtra etiā illud, quod dicitur ad

hanc secundam quæstionem, videtur posse obijci per idem, *quod supra quæstione prima huius disputationis articulo primo*: quia intellectus Patris, vt conuertitur, est mere actiuus, & vt habens notitiam simplicē, est mere passiuus (secundum eum) igitur videtur inconueniens, quod vt conuersus, sit illud de quo gignitur Verbum, & vt noscens notitia simplici, sit ratio gignendi Verbum quasi actiue. Præterea, aliqui dicunt, conuersionem istam intellectus paterni esse quasi dispositionem materiæ, quod videtur inconueniens: quia materiæ dispositio non est perfectior, neque æque perfecta cum forma actiua agentis: hæc autem conuersio est actus æque perfectus cum notitia simplici, vel perfectior: ergo.

D. Item ista opinio quantum ad hoc, quod ponit intellectionem Patris esse rationem gignendi Verbum, improbata est supra dist.2. quæst. *citata* de productionibus, & quantum ad hoc, quod ponitur intellectum Patris esse illud, de quo gignitur Verbum: improbata est ibidem, & dist.5. Et repeto vnum argumētum ibi tactum: quia intellectus, vt conuersus est alicuius suppositi: conuersio enim ista (secūdum eum) est quædam actio intelligendi: actus autem sunt suppositorum: ergo conuersio ista est alicuius suppositi: quæro cuius suppositi est, vt conuertitur? si Verbi, & vt conuertitur præcedit gignitionem Verbi (secundum eum) igitur præcedit Verbum, & ita Verbum est ante Verbum. Si Patris, est ista conuersio: & cuius est, vt conuertitur, eius est, vt de quo generatur Filius per impressionem: & cuius est, vt de quo generatur aliquid per impressionem, eius est, vt illud impressum sit in illo: per consequens, eius est, vt habet illud impressum: ergo de primo ad vltimum sequitur, quod intellectus Patris, vt Patris, habet formaliter notitiā genitā impressam sibi: & ita Pater formaliter intelliget notitia genita, quod est contra August.7. de Trinitate cap.3. Respondetur *ab auctore prædictæ opinionis*, quod intellectus in primo signo, vt est in Patre, sic conuertitur super se, & ista conuersio est dispositio materiæ ad generationem. *Sed hæc responsio in sequenti articulo specialiter improbabitur, nunc autem* ad quæstionem dico, quod patet etiam, quod ratio gignendi Verbum, non est Pater, vt actu intelligens, sed Pater, vt memoria perfecta, scilicet intellectus habens obiectum intelligibile sibi præsens, sicut declaratum est supra dist.2. quæst. de productionibus. *Conclusio.*

Ista *igitur* opinio, quantum ad hoc, quod ponit intellectionem Patris esse rationem gignēdi Verbum, & quantum ad hoc, quod ponit intellectū Patris esse illud, de quo gignitur Verbum improbata est nunc, & citata dist.2. quæst. de productionibus, *sed de hoc secundo amplius in sequenti articulo.* E.

Expositio art. 1. quæst. 2. distinctionis 27.

QVÆ supra in art. 1. & 2. quæstionis 1. dixerat Henricus de productione Verbi creati, hic etiam ad productionem Verbi diuini applicare intendit, dicendo, Verbum diuinum esse notitiam declaratiuam intellectus paterni, virtute notitiæ actualis simplicis. Cuius oppositum à Doctore concluditur in præsenti, & à nobis supra in difficultate 49. sat is ostensum est: & ibi probata est conclusio huius articuli, videlicet: *Quod ratio gignendi Verbi, non est Pater, vt actu intelligens, sed Pater, vt memoria perfecta, scilicet intellectus habēs obiectum intelligibile sibi præsens.* Quomodo autē differant intelligētia, & memoria, ibi expla-

explanatũ habes, à num.19. vsque ad 21. Quære & inuenies exactam vtriusque differentiam, quam item reperies in commentario articuli quarti quæst. 5. distinct.2.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Verbum diuinum sit de intellectu genitum, tanquam de materia, seu quasi materia?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod Verbũ diuinum sit de intellectu genitum tanquam de materia, seu quasi materia: quia *vltra ea, quæ dicebat opinio in præcedenti articulo improbata*, additur, quod decipiuntur aliqui arguentes contra istam opinionem, de quo, quasi de materia, vel quasi materia: quasi imaginantes ibi esse distinctionem, quasi potentiæ passiuæ ab actu: quod non est verum, sicut tenetur generaliter à quibusdam de atributis: sed tantùm, sicut est ibi sapientia formaliter, & bonitas formaliter sine distinctione: ita ponitur ibi quod est verè impressio, & verè imprimens, & omnia, quæ dicunt ibi esse sine distinctione: distinctio autem istorum non est nisi per actum intellectus negociantis circa idem vnum, quod est in re.

B. Secundò præterea: quia *si contra hoc, quod dicit dicta opinio*, quod intellectus est, de quo immediatè generatur Verbum, non vt Patris, sed vt conuersus est, si contra hoc, *inquã*, obijcitur, quod non magis generatur de intellectu, vt est Patris, quam de intellectu, vt est Filij, vel Spiritus Sancti: negatur consequentia: quia est ibi duplex, vt vnum, quod connotat rationem immediati principij, de quo: & sic generatur de eo Verbum, vt nullius, quasi de immediato principio susceptiuo. Aliud, vt, est, quod notat rationem immediati principij dispositi ad formam illam, quæ est terminus, licet non ratio immediati receptiui. Absolutè igitur Verbum generatur de intellectu, vt nullius: vt tamen præfuit Patris, & prius existens in Patre. Ita quod neutra reduplicatio est præcisè sine altera, & tamen per hoc, quod Verbum generatur de eo, non est in subsistentia Verbi, neque Patris, neque vllius.

C. Sed contra est: quia, *vt probat argumentum, quod* repeto *in præcedenti articulo*, sequitur, quod intellectus Patris, vt Patris, habet formaliter notitiam genitam impressam sibi: & ita Pater formaliter intelliget notitia genita, quod est contra Augustinum 7. de Trinitate cap. 3.

D. Respondeo dicendum, quod *iuxta viam, quæ ad hoc argumentum* respõdetur, sicut in generatione in creaturis est distinguere tria signa naturæ: primum instans est, in quo materia est sub forma corrumpenda: secundum instans est, in quo est materia sub nulla forma, sed quasi nuda, & in proxima potentia ad formã generandam: & tertium instans, in quo est forma geniti: ita correspondenter potest dici in diuinis, quod intellectus in primo signo, vt est in Patre, sic conuertitur super se: & ista conuersio est quasi dispositio materiæ ad generationem: & in secundo signo, in quo est quasi nullius personæ, tunc est in potentia proxima ad terminum generationis: & in tertio signo, in quo est sub proprietate personæ genitæ, est tunc illius personæ. Exemplum ponitur, si vinũ sit in proxima potentia ad acetũ, ita quod for-

ma vini præexigitur ordine naturali in materia ad hoc, quod sit in potentia proxima respectu aceti, & cũ hoc materia vini esset illimitata ad istas duas formas, & perconsequens neutra inducta expelleret aliam: etsi cum hoc vtraque esset hypostatica dans esse personale: tunc acetum generaretur de materia, vt fuit vini, quasi de materia dispositā dispositione prævia necessariò præcedēte formam istam.

E. Sed si quæratur, cuius est illa materia, vt immediatè acetum generatur de ea? Respondeo *secundum illos, quod* nullius, sed generatur de ea immediatè, vt materia est sub neutra forma hypostatica: per hoc ad formam argumenti hîc in proposito, conceditur, quod est Patris, sicut materia est vini, vt est disposita ad formam aceti. Et cum arguitur, vt igitur est Patris recipit notitiam genitam: negatur consequentia, imò per hoc quod recipit notitiam genitam, est alterius subsistentiæ, & est de quo immediatè generatur Verbum, non vt Patris, sed vt conuersus est.

F. Contra ista *sic arguo*, in creaturis videtur esse formaliter mutatio, pro eo quod materia, vt nullius prius, postea intelligitur sub vna forma geniti, per hoc enim intelligitur trãsmutari à priuatione ad formam, quæ transmutatio est formaliter generatio: igitur si sub hac ratione ponatur potentia passiua in diuinis, erit tunc in diuinis vera mutatio, saltem in intellectu negociante, & ita necessariò imperfectio: vel si tantùm per actum intellectus negociantis fiat ista conuersio, & gignitio Verbi: Verbum non erit persona realis, sed tantùm rationis, & intentionalis. Confirmatur ratio in eorum exemplo: quia si vinum non corrumperetur ingeneratione aceti, verè tamen illa generatio esset mutatio à priuatione ad formam, licet non cõcurrat ibi alia mutatio à forma ad priuationem, sicut accidit modo cõmuniter, quod vnum generatur, & aliud corrumpitur: tunc enim concurrunt ibi duæ mutationes, & quatuor termini, duæ formæ, & duæ priuationes: sed circunscripta altera mutatione, & terminis eius, nihilominus esset reliqua mutatio: ergo ita erit in proposito, quod illud, in quantum est prius nullius, & ita sub priuatione termini ad quem, & post sub illo termino, mutatur. 1. & 5. Phi sicor.

G. Præterea, si primo est Patris, secundo nullius, tertio est Filij per hoc quod recipit notitiam illam impressam: ergo per hoc quod est Filij, est quasi potentiale recipiens formale Filij: & est Filij, vt est terminus formalis communicatus Filio per generationem, sicut ostensum est. dist. 5. ergo Filius quasi duplici modo habendi, habebit intellectum: ita quod vtrolibet istorum duorum modorum circunscripto nihilominus haberet alio modo habendi: sicut modo in creaturis compositum habet materiam, vt aliquid sui, & verè habet, licet non sit terminus formalis generationis: idem etiam compositum habet formam, vt aliquid sui, & verè habet, licet non sit subiectum generationis. Consequens autem illatum, scilicet quod Filius duplici modo habendi habeat essentiam, siue intellectum, videtur impossibile, tàm in re, quàm in consideratione intellectus negociantis. Probatur etiam per hoc: quia quod est materiale generationis, est in potentia ad formalem terminum eius: idem enim sub eadem ratione, nec in mente, nec in re est in potentia ad se: ergo nec intellectus erit sic simul potentia receptiua, & terminus formalis eiusdem generationis.

Ad

H. *Conclusio.* Ad quæstionem *igitur* dico, quod Verbum non potest habere aliquid, de quo producatur, ex dist.5. quia si principium productiuum habeat virtutem sufficientem ad producẽdum per se subsistens, producit tale, & maximè si tale non sit natum alicui inhærere: notitia autem ista expressa non est nata alicui inhærere: igitur est nata per se subsistere, & principium productiuum eius est sufficientis virtutis, quia est infinitum: igitur,&c.

I. Ad primum, quod additur ad excludendũ deceptionem, *dico*, quod videtur esse dictum decepti: quia illud dictum videtur in se absurdum, & se ipsum interimere. Primum probatur per hoc, quod tunc ita verè ex natura rei intellectus est potentia passiua, & ita verè recipit, sicut Deus ex natura rei, verè est actus purus, & sapiens, & bonus: quod videtur absurdum, quod illud, quod in creaturis necessario habet imperfectionem annexã, vel est imperfectio, sicut ratio potentiæ passiuæ, quia semper dicit imperfectionem, prout diuidit ens contra potẽtiam actiuam, quod ponat ita veraciter in Deo, sicut illud, quod est perfectum simpliciter. Etsi dicas, imò potentia passiua dicit perfectionem, licet non distinctam ab actu: etiam hoc videtur esse fictio: quia nihil perfectionis est in creaturis inferius ratione potentiæ passiuæ, in quantum passiua est: hæc enim ratio verè cõpetit materiæ primæ, quæ ponitur infinitum entium: ergo verius potest dici, quod sit formaliter lapis, quàm potentia passiua, si propter perfectionem aliquam in ratione potentiæ passiuæ debet ibi poni formaliter potentia passiua.

K. Secundum scilicet, quod hoc dictum interimat se ipsum, probo: quia non videtur intelligibile, quod ibi sint relationes oppositæ, quin sicut sunt relationes oppositæ, ita sint relationes distinctæ: si reales, realiter, si rationis, ratione distinguuntur: ergo si ibi est ex natura rei imprimens, & quod imprimitur, & illud cui imprimitur, quæ non possunt intelligi sine relatione: erit ibi distinctio ex natura rei: quia ponere ibi ista ex natura rei sine omni distinctione, est contradictio: si sunt ex natura rei, si non sunt ex natura rei, qualiter debent poni?

L. Ad secundum, quod additur de duplici, vt, ex parte materiæ, quasi ad illud, vt, quod est ratio proximi susceptiui, necessario præexigitur illud, vt, quod est eiusdem, vt, sub forma ordinata ad formam generandã, videtur non esse per se requisitum in creaturis: quia si poneretur materia illa, quæ est sub forma vini absque omni forma, & agens creatum posset agere in illud, sic à forma denudatum: ipsum esset proximum susceptiuum cuiuscunque formæ natæ imprimi in materiam puram, & ab agẽte sufficiente quocunque, à quo posset talis forma induci: igitur secundum, vt, sufficit præcisè in creaturis ad potentiam proximam, licet frequenter modo concomitetur ille ordo illud, vt: quia nunquam materia est sine forma, & vt est sub forma, non transmutatur indifferenter à quocumque ad quamcunque peragens creatum: sed à determinata in determinatam. Istud probatur: quia quando intelligitur, vt nullius: tunc non est sub forma priori, quæ ponitur quasi dispositio ad formam generandi: tunc igitur ordo eius ad formam priorem, non est, nisi relatio posterioris ad prius, quæ forte non est relatio positiua: quia terminus ad quem, tunc non est ex natura rei, aut si est relatio realis, nõ videtur esse ratio propria in materia recipiendi

piendi formam inducendam: & ex his ad propositum videtur, quod licet oporteat, intellectum esse prius origine in Patre, quàm in Filio: tamen si ponatur receptiuus notitiæ genitæ, poneretur talis non essentialiter propter aliquem talem ordinẽ ad essentiam in Patre: sed secundum quod nullius est præcise, & secundum quod ipsi dicunt quasi nullius.

Expositio art. 2. quæst. 2. distinctionis 27.

SVbstantia huius articuli est eadẽ cum difficultate supra in distinctione 5. quæst. 2. art. 10. vtrobiq; enim expressus titulus, & idem interrogationis modus proponitur, prout etiã alibi in repetitione eorundẽ, quæ aliàs dicta sunt, sæpe contingit. Qui defectus ortus est ex eo, quod omne fere scriptum Oxoniense fuit posthumum: nam post Doctoris obitum, discipuli eius codices manuscriptos collegerunt, quos non solùm sine clara dispositione, verũ & plura in eis sæpe ac sæpe repetendo, typis mandauere. Hæc attamen in eius schola, ita sunt pro litera textuali recepta, vt nulli Scotistæ fideli, literam veterem, quoad sui puritatem liceat addere, vel minuere. Quamobrem integram (methodo tantummodo articulationis mutata) adijcio, & reuera defectus iste repetitionis ex hoc fit satis tollerabilis, quia licet hîc repetatur eiusdem difficultatis substantia: non tamen deficit aliquid noui, quo hic & illic digne legi mereatur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Verbum in diuinis significet proprietatem personalem secundæ personæ?

AD tertium sic proceditur, videtur, quod Verbum in diuinis nõ significet proprietatem personalem secũdæ personæ: quia Augustin. 9. de Trinitate capit. 10. *ait* Verbum est cum amore notitia. hîc autem omnia posita in diffinitione Verbi sunt essentialia: ergo Verbum non dicit proprium personæ genitæ, sed essentiale. A.

Secundo præterea, 15. de Trinitate cap. 7. de magnis, vel 15. de paru. sicut Pater intelligit sibi, & vult sibi, & meminit sibi: ita Filius, & Spiritus Sanctus: actus autem proprius intelligentia, vt intelligentia est, ponitur esse Verbum: ergo sicut in Patre est formaliter intelligentia, ita in eo est Verbum, vt Verbũ. Assumptum probatur per hoc, quod illa Trinitas, quam assignat Augustin. 9. de Trinit. cap. vlt. mens, notitia, & amor: quæ notitia est Verbum, secundum eum ibidem: & illa assignata secundum eum 10. de Trinitate memoria, intelligentia, & voluntas correspondent sibi inuicem: prima pars primæ parti, & secunda secundæ, tertia tertiæ: ergo sicut non est perfecta voluntas sine amore formaliter, nec mens perfecta sine memoria formaliter: ita nõ est perfecta intelligentia sine Verbo formaliter. B.

Tertio præterea, nõ sunt duo principia vnius personæ: quia vnius constituti inesse est vnum formale constitutiuum: filiatio est proprietas cõstitutiua personæ genitæ, secundum Augustin. de fide ad Petrum cap. 2. nõ ergo Verbum: non enim videtur ista dicere proprietatem eandem: quia non omnis Filius est Verbum, nec omne Verbum est Filius. C.

Sed contra est: quia Augustin. 7. de Trinit. cap. 4. *ait*, eo Verbum, quo Filius, & vtrunque relatiue dicitur. D.

Res-

E. Respondeo dicendum ad quæstionem, & dico: quod idem per se significat abstractum, & concretum, licet alio modo significandi: sicut Filius,& filiatio:quia sicut filiatio significat relationem de genere relationis:ita & Filius,per modum tamẽ denominantis, suppositũ relatiuum: etsi accipiatur substantiuè, idẽ significat cum tali subsistente. Ita igitur idem significat Verbum, & abstractũ eius: abstractum autem eius, si esset nominatum, esset verbatio,quæ notat relationẽ formaliter, idem enim significat,quod expressio passiua ali cuius de intellectu: sed sicut Filius connotat naturam viuentem,in quo est talis relatio: ita Verbum connotat actualem notitiam, cuius est talis expressio: igitur cum in diuinis intellectualiter exprimi, sit proprietas secũdæ personæ, sequitur,quod Verbum sit ibi mere personale, & significet proprietatem personalem.

F. Ad primum argumentum cum arguitur secundum Augustinum de Trinitate 15. verbum est cum amore notitia,dico, quod per hoc,quod dicit cũ amore, circũloquitur in nobis notitiã genitam:quia amor non habet causalitatem respectu verbi, nisi vt imperat intellectui gignitionem ipsius, sicut dictum est quæstione præcedente:in diuinis autem Verbum est notitia naturaliter expressa: quia quod voluntas in nobis habeat causalitatem respectu verbi gignendi per imperium eius:hoc est imperfectionis in intellectu: quia non statim habet verbum perfectum. Et de hoc quomodo differenter voluntas se habeat in Deo,& in nobis, dictum est dist.6.

G. Ad secundum 15. de Trinitate cõcedo in Patre intelligentiam formaliter: sed nego istam, quod omnis actus intelligẽtiæ formaliter est verbum: quia hoc non est verum, nisi de intelligentia illa, quæ potest habere aliquem actum genitum,vel notitiam genitã: talem actum non potest intelligẽtia habere, vt Patris est: quia Pater est à se, & nihil habet per generationem: tamen potest concedi, quod intellectio actualis Patris, est quasi genita virtute memoriæ,vt in Patre, sed non verè genita: quia non distincta.

Ad tertium dico,quod non sunt duo propria,sed idem: quia eandem relationem per se significant Filius, & Verbum,licet alia connotet: quia Filius naturam viuentem in communi, & Verbum notitiam intellectualem actualiter expressam: ista connotata non semper sunt eadem, sed relatio passiua significata semper est eadem. H.

Expositio art. 3. quæst. 2. distinctionis 27.

AD expositionem conclusionis huius articuli (quæ est facillima) prænotat Doctor,quomodo abstractum, & concretum in re significata, sint idem: & tantùm differant in modo significandi: quod apud Dialecticos est satis perspicuum. Ex quibus infert, relationem Verbi idem esse quod Verbum, & relationem Filij idem esse quod Filium. Vnde quod dixerat Diuus Augustinus, & notatur in textu *eo Verbum, quo Filius, &c.* intelligendum est de formali significato huius relationis:nam eadem relatione respicit secũda persona,quatenus Filius, primã personam, vt Patrem generantem: & quatenus Verbum, ipsam primam personã, vt dicentem. Differentia tamen est in natura connotata à tali relatione, quia videlicet filiatio connotat naturam viuentem, quia est per generationẽ, quæ est origo viuentis â viuente: Verbum autem connotat memoriam: quia Verbum exprimitur ab intellectu in ratione memoriæ: & quia generatio Filij est intellectualis expressio per quam formali-

maliter Verbum procedit, & Filius est secunda persona in Deo: ideò Verbum significat eandem proprietatem secundæ personæ, quam significat Filius.

QVAESTIO III.

De respectu Verbi ad creaturas.

TERTIO quæritur, vtrum Verbum diuinum dicat respectũ ad creaturam? Circa quod quæruntur tria.

¶ Primò. Vtrùm Verbum diuinũ dicat respectum realẽ ad creaturam?

¶ Secundò. Vtrùm respectus, quẽ dicit Verbum ad creaturas, sit proprius sibi?

¶ Tertiò. Vtrùm per rationem naturalem possit cognosci Verbum non esse essentiale in diuinis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Verbum diuinum dicat respectum realem ad creaturam?

A. AD primum sic procedi tur, videtur, quod Verbum diuinũ dicat respectum realem ad creaturam: quia Augustin. 6. de Trinitate cap. vlt. Verbum est ars omnipotentis, vel plena omnium rationum viuentium: ars dicit respectum *realem* ad artificiatum: ergo & Verbum ad creaturas.

B. Secundò præterea, *patet* propter auctoritatem Augustini 83. quæstionum quæst. 63. ibi enim loquens de principio Euangelij Ioannis ait, quod Græce Logos dicitur, Latine, & Verbum, & rationem significat: sed hoc loco melius Verbum interpretatur, vt significatur non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiã, quæ per Verbum facta sunt operatiua potentia.

C. Sed contra est, quod Augustin. 7. de Trinitate cap. 4. per idem, quod prius: Filius non dicit respectum ad creaturas: ergo nec Verbum: quia eo Verbum, quo Filius.

D. Respondeo dicendum, quod ad quæstionem dicitur quod sic, propter auctoritatẽ Augustini *vbi supra*. Sed cõtra istud potest argui, sicut supra de dono, formaliter enim respectus notitiæ expressæ ad exprimentem, alius est à respectu illius ad creaturam declaratam: quia ad alium terminum: & non solùm hoc, sed etiam respectus Verbi expressi ad exprimẽtem, & respectus eiusdem, vt declarantis ad eundem, vt declaratũ, sunt duo respectus: quia primus realis, & secundus rationis: isti autem duo nõ faciunt aliquod vnum per se: quia res vera, & ens rationis nihil vnum per se constituunt: ideò si ambo isti respectus vno nomine significentur, non propterea faciunt vnũ per se cõceptum: sed alter eorum præcisè est proprietas secundæ personæ, scilicet expressio illa passiua, quæ est respectus realis: alter autem, scilicet respectus declaratiui, est respectus rationis tantùm, siue sit ad Patrem declaratum, siue ad creaturam declaratam: quod aliqualiter tactum est supra per auctoritatem Augustini 7. de Trinitate cap. 3. vbi vult, quod Verbum declarat se, & idem 15. de Trinitate cap. 14. proinde (inquit) tanquam se ipsum dicens Pater, &c. hoc est se ipsum

ipsum perfectissimè declarans, &c. ex quibus duabus auctoritatibus patet, quod idem potest ad se referri, vt declarans ad declaratum, & per consequens non est relatio realis.

E. *Secunda cõclusio.*

Sed tamen hæc est difficultas melior, quàm sit ista de ratione declaratiui, scilicet vtrum Verbum exprimatur virtute intellectus paterni, non tantùm de essentia diuina, quasi obiecto præsente intellectui Patris, sed de alijs intelligibilibus, vt sic habeat respectum ad creaturas, non vt in se sunt, sed vt habent esse intellectui paterno prius origine (vt videtur) quam Verbum exprimatur? & tunc haberet ad illas relationem expressi: esset enim tunc Verbum expressum non tantùm de essentia, vt obiecta intellectui Patris, sed etiam de alijs intelligibilibus: & de hac difficultate aliâs in quæstione de vniformi habitudine Trinitatis ad alia à se.

Quæst. quod lib. 13. subtilissime.

F.

Ad primum argumentum, Augustin. 6. de Trinitate concedo, quod Filius est ars, ita etiam dicitur sapiẽtia Patris, & virtus: & tamen sicut Pater formaliter est sapientia, & virtus: ita etiam formaliter est ars: si autem Pater formaliter creat, & hoc vt artifex, creatiua ratio formaliter est in Patre, & ita ille respectus artis ad creaturas, vt ad artificiata est communis tribus, *vt infra latius dicetur in sequenti articulo*, licet approprietur Filio sicut appropriatur sapientia propter conuenientiam cum productione, *& talis* relatio, *vt dictum est*, non est realis.

G.

Ad secundũ, pro opinione de 83. Quæstionum q. 63. potest dici, quod melius interpretatur, Logos Græcè per illud, quod est verbum Latine, quàm per illud, quod est ratio: quia ratio non ita significat respectum ad Patrem, sicut Verbum: non autem vult Augustin. dicere, quod Verbum dicat essentialiter relationẽ ad creaturam sub ratione declaratiui: quia dicit, vt significetur non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiã, quæ per Verbũ facta sunt operatiua potẽtia: Verbum autem non dicitur operatiua potentia Patris, nisi sicut dicitur sapientia Patris, & ars Patris, quę non sunt eius, nisi secundum appropriationem: aut si aliter, scilicet intentat, quod hoc nomen Verbum vtrunque respectum significet, tunc non significat præcisè proprietatem secundæ personæ, sed cum hoc aliũ respectum appropriatum, & tunc congrua est interpretatio, Logos, in verbum, & in rationem: quia ratio, nec respectum proprium, nec appropriatum ita significat, vera est quidẽ interpretatio in Verbum, propterea, quod plus dicit, quàm proprietatem personæ. Nec Augus. dicit interpretationẽ esse in aliquid, quod significat proprietatem personæ secundæ.

Expositio art. 1. quæst. 3. distinctionis 27.

IN articulo breuiter resoluuntur à Doctore duæ difficultates, prima circa improbationem cuiusdam opinionis Henrici ponentis Verbum diuinum dicere respectum realem ad creaturas, propter auctoritates D. Augustini, quæ habentur pro primo & secundo argumentis. Sed hac sententia facile impugnata, transit Doctor ad difficultatem secundam, quæ ingentissima est, & ex capitalibus huius materiæ, quam hîc inuestigat, sed non cõcludit: ipsam tamen latè disputat & resoluit in secundo distinct. 1. quæst. 1. & in quodlibetis quæst. 14. hic autem à nobis venit tanquã in loco proprio disputanda.

(?)

DIFFI-

DIFFICVLT. LXXXVIII.

Vtrùm Verbum diuinum formaliter ex cognitione creaturarum procedat?

§. 1.

Proponitur ſtatus controuerſiæ cum varijs Doctorum opinionibus.

1 VIVS controuerſiæ titulum, & ſequentium, non ſatis aliqui capientes, eius exactam reſolutionē non poſſunt attingere. Quidam enim ex noſtris cum negauerint Verbum per actum intelligendi procedere, ſicut negat Scotus: iam credunt, hoc ſemel negato, huius quæſtionis difficultatem pœnitus manere exauſtam. Vt igitur in fronte illius, quid hîc quæritur, patefiat, eſt prænotandum, quod cum Verbum diuinum per actū intellectus paterni procedat, & intellectus Patris, & ſit memoria, & etiam ſit intelligentia, prout in difficultate 49. viſum eſt: ita vt quatenus memoria, obiectum, vt intelligibile habeat ſibi vnitum, quatenus vero intelligentia, iam idem obiectum, vt actu intellectum includat: eſt modo vidēdum, quæ obiecta in huiuſmodi intellectu in ratione memoriæ, Verbi productionem præcedunt, quæ vè in ratione intelligētiæ: & vtrùm omnia, quæ talem productionem præcedunt, formaliter ad productionem Verbi conducant? Intellectus igitur, vt memoria, poteſt intelligi habere ſibi in ratione obiecti, vnitum omne obiectum intelligibile, vtpotè eſſentiam ſecundum præciſum conceptū eſſentiæ, inſuper attributa, & omnes perfectiones diuinas, item relationes, atque ipſas perſonas, necnon & creaturas poſsibiles & futuras: in ratione vero intelligentiæ, poteſt concipi intellectus, vt hæc omnia actu intelligens.

Modo vero multiplex hinc ſuboritur difficultas, prima videlicet, vtrùm intellectus Patris, quatenus intelligentia eſt, intelligat actu hæc omnia obiecta, ante quam Verbum producat. Secunda, vtrū ex cognitione huiuſmodi omnium obiectorum producat Verbum? quia benè poterant aliqua ibi materialiter præcedere, abſque eo quod formaliter ad productionem Verbi cōcurrerent. Rurſus eſto, quod Verbum non procedat ab intellectu in ratione intelligentiæ, ſed in ratione memoriæ, eſt tertia difficultas, an omnia talia obiecta in Patris memoria Verbi productionem præcedant? Et tādem quarta: vtrùm eſto, quod ibi præcedant, an ad Verbi productionem concurrant, & ab eis tanquam à formali principio Verbum procedat? Hic ergo poſterior ſenſus eſt, qui in noſtra ſchola Scotica vrgere poteſt, vt rationes & argumenta infra ponenda ſuadent. Quia tamen de quolibet obiectorum ſeorſum diſtincta reſolutio exigitur: ideò hic de creaturis: in ſequentibus autem difficultatibus, ſigillatim diſputatur de his, quæ formaliter ſunt in Deo. 2

Verbum igitur ex cognitione creaturarum procedere tāquam ex principio formaliter concurrente ad eius productionem, tenet D. Thomas prima parte quæſt. 34. art. 3. & nō ſolum tenet, quod alibi, videlicet Verbum per intellectum in ratione intelligentiæ, & per actū intelligendi procedere, ſed inſuper ſupponit creaturas in ratione obiecti præcedere in intellectu paterno Verbi productionē: & deinceps affirmat, creaturas, vt ſic intellectas ad Verbi productionē formaliter concurrere. Sequuntur D. Thomam, Caietanus ibidem, vbi obiter falſo imponit Scoto, dixiſſe, Verbum de ſcientia, & cognitione eſſentiæ procedere: quod expreſſe ſæpiſsimè Doctor negauit. Item Ferrara tertio contra gētes capit. 3. Canarienſis prima parte q. 27. art. 3. Bañez cum D. Thoma in ſuo commentario ad eius articulū, Zumel ibidem ſua quæſt. 1. & communiter omnes Thomiſtæ. Item tenent Ægidius Romanus in primo diſtinct. 27. quæſt. 4. Ricardus ibidem art. 2. quæſt. 3. Gabriel q. 3. & alij Nominales. Ex Ieſuitis vero Molina

3. *Prima ſententia Diui Thomæ.*

Caietan.

Ferrara. Canarienſ. Bañez. Zumel.

Ægidius. Ricardus. Gabriel.

Molina 1.parte quæst. 34.art.3. disput. vnica, Suarez 1.parte lib.9. de Trinitate cap.6. Gregor.de Valent.1.p.disp.2. quæst.8.puncto 2.

4 Hanc sententiã acriter probant prædicti Doctores, primo ex D.August.83. Quæstionum quæst.63. vbi exponens illum locum Ioannis primo, *In principio erat Verbum, &c.* hæc profert: *Hoc loco melius Verbum interpretatur, vt significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiã, quæ per Verbum facta sunt operatiua potentia.* Et 15.de Trinitate cap.13.& 14.ait: *Non enim se ipsum Pater integre, perfecteq; dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quàm in ipso.* Ex quo sic arguunt, Pater æternus omnia, & insimul creaturas agnoscit: sed Verbum diuinum procedit ex scientia Patris: ergo si non procederet ex scientia omnium, quę cognoscit, non integrè, & perfectè Verbum suum produceret. Item, ipse D.August.lib.11. Confessionum cap.7.ait: *Verbum sempiterne dicitur, & eo sempiterne dicuntur omnia.* Et citato 15.de Trinitate cap.14.inquit: *Nouit itaque omnia Deus Pater in se ipso, nouit in Filio, sed in se ipso tanquam se ipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de ijs omnibus, quæ sunt in se ipso.* Item probatur ex D. Anselmo in Monologio cap.28. vbi dicit, *Deũ vnico Verbo suo omnia dicere.*

D.Augus.

D.Ansel.

5 Secundo ratione probatur: quia Verbum diuinum procedit ex cognitione cõprehensiua diuinitatis: sed talis cognitio est etiam possibiliũ creaturarum: quia secundũ communem Theologorũ sentẽtiam, Deus cognoscit omnia in se ipso, tanquã in prima causa: quia comprehendendo se, & omnipotentiã suã, necessario cõprehendit omnes creaturas: igitur cum Verbum diuinum procedit ex perfectissima, & comprehensiua cognitione essentiæ, & omnipotentiæ, quæ sine creaturis possibilibus, comprehendi non potest, necessario ex earum cognitione procedit.

6 Tertio: nam Verbum diuinum ex vi suæ productionis, nõ solùm essentiam, verum etiam creaturas possibiles repræsentat: sed omne verbũ formaliter procedit ab eo obiecto, quod repræsentat: ergo Verbum diuinum formaliter ex cognitione creaturarum, ad minus possibilium, procedit.

7. Quarto tandem probatur: nam Filius ex vi suæ generationis, habet cognitionem creaturarum: ergo Pater prius origine habuit illam: si quidem quæ Verbo cõmunicauit, prius habuit in se: ergo talis creaturarum cognitio in Patre præcesit ordine originis processionẽ Verbi: sed Verbum procedit à Patre per actũ intelligendi omnia, quæ ante sui productionem Pater intelligit: si quidem procedit per perfectissimum actum intelligendi: ergo, &c.

Ex prædictis autẽ, & alijs oppositarũ clasium Doctoribus, quidam ab alijs discedunt, in intelligenda sentẽtia D. Thomæ. Nõnulli etenim ipsam de omnibus creaturis, tàm possibilibus, quã futuris, intelligunt: & ex omnium cognitione Verbum procedere arbitrantur. Plerũque vero cæteri existimant, non de futurarum, sed tantùm de possibilium cognitione Verbum procedere, quæ sentẽtia communior est apud illos. 8

§. 2.

Ponitur vera Scoti sentẽtia, & nonnulla eius fundamenta explanantur.

IN oppositum autem est litera textualis in hoc art.1.quæst.3. distinct. 27. vbi Doctor hanc difficultatem inuestigat: sed expresse illam determinat in 2.lib.dist.1.q.1.art.2.sub litera H. his verbis: *Non igitur Verbum prima productione producitur de lapide, vt est in memoria Patris: quia vel lapis non habet esse in memoria Patris, vt memoria est principium producendi Verbum, vel si habet esse in memoria, non tamen prius naturaliter, quàm ipse intelligatur in tribus.* Tenet idem in quodlibetis quæst. 14.art.2.à §. *hic intelligendum est.* Sequuntur Doctorem Basolis in 1.dist.27.q.3. art.2. Lychetus in 2.dist.1.quæst.1.§.*secunda difficultas*, Tataretus ibi satis diffuse per totam quæstionem, Antonius Andreas ibidem, dominus Rada 1.p.controuers.11.art.2. Pater Herrera in primo disp.10. quæst.14. Philippus Faber in 2.dist.2.cap.3. Franciscus de Ouando in 2.dist.1.sub proposit.6.§.*secundum argumentum*, & reliqui omnes Scotistæ, tàm veteres, quàm recentiores, imo & Gabriel Vazquez Doctorem sequitur 9

Vera Scoti sentent.

Basolis.
Lychetus.
Tataretus.
Ant. And.
Rada.
Herrera.
Faber.
Ouando.
Vazquez.

1.p.

1.p.disp.143. cap.3. & sequentibus.

10 Pro intelligentia ergo huius sententiæ, & resolutione præsentis difficultatis, supponẽdũ est, neutiquam nos hic cum Thomistis intendere denuo excitare controuersiam illam celebrẽ de Verbi productione per actũ intellectus; qui est dicere, formaliter ab omni actu intelligendi distinctum: hoc etenim iam ex difficult. 49. citata habetur ostẽsum. Vnde si ex ibi notatis supponitur Verbum diuinum ex nullius obiecti, nec etiam ipsius essentiæ cognitione procedere: longè facilius de alijs obiectis secũdarijs, & præsertim de creaturis, hoc idem manet probatum. Sed quia difficultas vim habet respectu actus illius, quo Verbum producitur, non tantùm si est actus intelligẽdi, imo vero si ab omni intelligere sit distinctus, si quidem talis actus necessario est â potẽtia & obiecto: tota præsens cõtrouersia est, an creaturæ sim ul cum essentia concurrant tãquam formale obiectum ad huiusmodi actum, quo Verbum producitur: siue talis actus, sit intelligere, siue sit præcisũ dicere ab omni intelligere formaliter condistinctum: & hoc est punctum difficultatis.

11 Est igitur primo obseruandum, quod cũ quælibet potẽtia moueatur ab obiecto ad operandum, seu producẽdũ: hinc Doctor in quodlibetis citata q.14. litera Q. inter ordinem huiusmodi motionũ, ponit, quod intellectus diuinus mouetur ab essentia diuina tanquam primũ mobile â primo motiuo: saluat tamẽ ibi hanc motionem esse, *sicut loqui possumus, licet improprie accipiendo motionem.* Verum adhuc hæc motio eiusdem motiui, etiã respectu eiusdem mobilis, accipi debet magis, & minus propriè pœnes talem, & talem actum, qui est ab eis. Nam vel essentia mouet intellectum, quatenus ei, vt intelligibilis vnitur, & eum reddit memoriam fœcundam: & vt sic mouet ad productionem Verbi. Vel mouet illũ, quatenus actu intelligitur ab eo, & ex hoc motiuo, & mobili, est actus intelligẽdi, qui est operatio intellectus diuini. Si de prima motione loquamur, profecto motio vera, & rigorosa est, sublatis tamen imperfectionibus motionis: nam licet hæc motio vocetur à Doctore improprie dicta: hoc non est nisi ad exclusionem imperfectionum, quæ cũ motu, & motione creata adiunctæ reperiuntur. In eodem enim sensu, quo in diuinis est vera productio, quin sit vera actio, eo quod actio dicit causalitatem, & ex consequenti imperfectionẽ in causato, quæ adintra dari repugnat, vt visum est supra in difficultate 46. & ideò impropriè ibi conceditur actio: in eodem prorsus sensu concedimus in productione diuina motionem, quin ibi imperfectio aliqua motionis, in qua interfit causatio, adsit. In hunc igitur modum, & in hoc sensu est vera motio in diuinis. Prima igitur motio obiecti, ex duabus notatis, est in hoc sensu motio rigorosa, & verè motio: quia motio obiecti, prout docet Scotus, pertinet ad genus causæ efficientis, ad quod omne principium productiuum reducitur: quia talis motio est realis, & necessario ad terminum realem, distinctum â producente terminatur.

Subtilis doctrina Auctoris.

Dupliciter mouet essentia intellectum diuinum, scilicet ad intelligere, & ad producere: sed ad primum nõ vero mouet, bene tamẽ ad secundum.

12 Quia igitur Pater memoria sua realiter Verbum producit in vnione obiecti, quod est essentia, quæ mouet intellectum paternum: ideò necessario talis motio realis esse debet: quæ verè non esset motio obiecti, si ex ea non produceretur realiter aliquis terminus: nec verè realiter posset aliquis talis terminus produci sine huiusmodi motione ex ipsa rei natura.

13 Ex quo manifestè patet, secũdam illam motionem motiui primi ad primũ mobile, verè motionem non esse, licet sumpta metaphora à nostris operationibus, motio appelletur: nam obiectum ibi non mouet ad aliquam productionem, neque aliqua realis productio ex illa, aut ad illam consequitur: quia essentiale intelligere Dei, seu Patris, est quid essentiale, & nullatenus aliquid productum: neque ad ipsum præsupponitur potentia in actu primo, sicut ad productionem Verbi præintelligitur intellectus in ratione memoriæ: sed idem prorsus, quod intelligitur esse potentia in actu primo, intelligitur etiam esse in actu secundo: nam in actu primo est intelligentia, quæ non est aliud, quam potentia actualiter intelligens. Et ita hoc intelligere est Deo essentiale, vt ipse Deus, seu essentia diuina, sit suum intelligere. Quia igitur hæc operatio intelligendi

ligendi, nō est aliquid à Deo productū: ideo obiectum primo motiuum nō vere mouet intellectum ad illam: sed metaphoricè dicitur mouere, & satis improprie, in tar operationis nostræ, ad quam naturaliter præsupponitur verbi productio, quæ est per veram, & propriam motionem.

14 Hoc manifestatur amplius per exēplum: nam si Deus totaliter produceret verbum alicuius obiecti: ve pote lapidis in intellectum meo (quod possibile esse ostendimus de mente Scoti supra in diffic. 26.) hoc modi verbo intellectus meus informaretur, & operaretur vitaliter, formaliter intelligendo obiectum sub eius modi verbo repræsentatū. Sed tunc intellectus verè intelligeret sine aliqua motione obiecti: quia nihil ageret, aut produceret, sed præcisè operaretur: si quidem per præcisam receptionem talis verbi à Deo totaliter producti, perciperet obiectum repræsentatū in illo, quod est formaliter intelligere. Tunc ergo inquiro, vnde proueniet hoc tale intelligere esse sine motione obiecti? optime respōdebitur mihi, ideo ibi nō esse motionem obiecti: quia iā supponitur à Deo totaliter productum verbum, ad cuius naturalem productionem requirebatur motio obiecti: si ab intellectu meo esset producēdum. Ex quo infero, quod si sine verbo, aut productione verbi, intellectus meus intelligeret, quandocumque intelligit: non esset necessaria aliqua motio obiecti in genere causæ efficiētis, quæ illum moueret. Ex his ergo iterū infero, quod nulla motio obiecti, quatenus motiui, requiritur, nisi in ordine ad productionem verbi, si quidem nulla causalitas, aut efficiētia datur ex parte obiecti, nisi respectu productionis verbi. Tunc sic, sed diuinum intelligere non est per Verbum, nec est agere, aut producere, sed præcisum operari: ergo diuinum intelligere non requirit motionem obiecti; imo nec ibi talis motio esse potest.

15. Fateor, hanc doctrinam non ita vrgere in Schola Thomistarum: vere tamen concludit in nostra: nam Thomistæ admittunt, ipsam productionē Verbi esse actum intelligendi: & tunc bene ad diuinum intelligere notionale supponitur motio obiectiua, si quidē hæc talis motio ad realē productionē, quæ est ipsū intelligere prærequiritur. At quia in via Scoti, vbi nullum notionale intelligere, nec productiuum, nec producere intellectiuum conceditur: neutiquam veram motionem obiecti motiui respectu actus intelligendi valemus concedere. Quando ergo Doctor asserit, diuinam essentiam habere rationem obiecti primi motiui, & intellectum diuinum ratione primi mobilis: sic debet intelligi, quod scilicet, respectu productionis Verbi, est ibi vera motio: improprie tamen, quatenus motio dicit motum, & imperfectiones: & ideo est vera motio, sublatis imperfectionibus, vt dictum est. Respectu vero operationis, seu actus intelligendi, non est vera motio, sed metaphorica, eius instar modi, quo in creatis dicitur causa finalis causare: ita vt ibi non sit aliqua motio pertinens ad genus causæ efficientis, sicuti est motio obiecti motiui, sed sicut nostro modo intelligendi dicitur intellectus diuinus quodammodo moueri à diuina essentia, tanquā ab obiecto sibi vnito, & à se apprehenso per modum obiecti motiui ad actualem intellectionem ipsius, & cæterorum obiectorum, quæ virtute illius, tanquam virtute obiecti primarij intelliguntur. Et sic intelligēdus est Doctor toties quoties, ait, intellectum diuinum ab essentia in ratione obiecti motiui ad actum intelligendi moueri. In hoc namque sensu cum illo sæpe dicimus essentiam esse obiectum motiuum, & primarium intellectus diuini. Quæ prorsus eadem de motione voluntatis dicenda sunt, vt docet Doctor ibidem litera R. Quibus | prænotatis, ponit Doctor celebrem ordinem motionis diuinæ essentiæ, vt primi obiecti motiui, & intellectus diuini, vt primi mobilis.

§. 3.

Exponitur triplex ordo, videlicet durationis, naturæ, & originis, & quinam eorum habeant esse in Deo.

16 AD huius ergo ordinis intelligentiam secundo obseruare oportet ex Doctore in 2. dist. 1. q. 1. lit. H. quod ordo est triplex, alius enim est ordo durationis, alius naturæ, & alius originis: & quia ordo est successio vnius ad aliud, quilibet illorum ordinum erit successio vnius instātis ad aliud eiusdem rationis. Vnde ordo originis est successio vnius instātis: & similiter ordo naturæ est successio vnius instantis ad aliud instans naturæ: & tandem ordo durationis est successio vnius instātis durationis ad aliud durationis instans: sic tamen se habēt huiusmodi ordines, quod in vno durationis instanti, seu gradu possunt simul esse plura instantia originis, & naturæ: in vno vero instanti naturæ possunt esse plura instantia originis: sed non e contra, in vno instanti originis possunt esse plura instātia naturæ: nec in vno instanti naturæ plura instantia durationis. Doctrina hæc est in omni schola communis, qui autem ordines istorum reperiantur in Deo, non est ita commune: licet omnes fateantur, ordinem durationis non esse in Deo: siquidem omnia ibi in nunc æternitatis existunt: nihilominus circa ordinem naturæ, & originis, non est ita communiter certum. Nunc tamen ex resoluendis infra in difficultat. 93. & cum Doctore loco iupercitato suppono hic, in Deo vere esse naturæ ordinem, & originis, quod tenet Licherus, & plerique discipuli Scoti cum eo.

17 *Isti* igitur ordines sic se habent in Deo, quod in eodem nunc æternitatis assignatur totus ordo naturæ, & originis: & in primo instanti naturæ assignatur totus primus ordo originis: & optimè restrinxit Doctor totum primum ordinem originis, quia duplex ordo originis est in Deo: primus scilicet qui seruatur in productione personarum: secundus vero, quo persona producta à producente habet intelligere, & velle creaturas, vt infra patebit. Totus ergo primus ordo originis in primo instanti naturæ assignatur: totus vero secundus ordo originis assignatur in secundo naturæ instanti. Quodnam igitur sit in Deo primum, aut secundum instās naturæ, egregie enucleat Doctor per comparationem obiecti ad intellectū, seu voluntatem diuinam: duplex enim est obiectum, aliud quidem primarium, quod est essentia, & secundarium, quod sunt creaturæ: nam licet etiā respectu præcisæ essentiæ relationes, & attributa sint obiecta secundaria, prout patuit supra indiffi. 31. hic tamen ad propositum solum modo creaturas, vocat obiecta secundaria: quia istæ tantum sunt, quæ non sunt ex se obiecta, sed ideo sunt obiecta, quia producta per intellectum, & voluntatem Dei, in esse naturæ, vt Doctor aduertit ibidem.

Primum igitur instans naturæ est, in 18
quo intellectus diuinus respicit obiectum primarium: secundum vero instans naturæ est, quando idem diuinus intellectus respicit obiectum secundarium. Standoigitur in primo instanti naturæ, cōcipitur prima persona perfecta habens intellectum, & in ratione memoriæ, & in ratione intelligentiæ: hoc est, habens intellectum, cui diuina essentia est præsens in ratione intelligibilis: ita quod huiusmodi prima persona suo intellectu, in præcisa ratione memoriæ, potest producere Verbū talis essentiæ: & in ratione intelligentiæ, quatenus videlicet ipsam essentiā intelligit. Pro aliquo tamē priori, quo scilicet essētialia sunt priora notionalibus, intelligit essentiā suā, antequā intelligatur producere Verbū: & pro tali priori intelligitur persona illa perfecte beata beatitudine, quæ pertinet ad intellectū: nā vt bene notauit Lich. in 2. dist. 1. q. 1. §. *sed dubitatur inhoc*, non intelligitur prima persona ante Verbi productionē, perfecte beata, loquēdo de beatitudine adæquata, quæ actū volūtatis, simul cum actu intellectus includit: sed tantum beatitudine visionis præcisæ, quæ pertinet ad intellectū. Rursus hæc eadē persona sic beata,

actu

actu eiusdem intellectus in ratione memoriæ, producit notitiã adæquatam eidẽ obiecto: & cum hoc obiectum sit infinitũ, hæc talis notitia est infinita, & Verbũ infinitũ: & quia tale productũ est incomunicabiliter subsistẽs in natura diuina: ideò est persona diuina formaliter infinita per se subsistens.

19. Prima autem persona producendo secundam, quæ est Verbum, seu notitia genita, illi communicat, simul cum essentia, intellectũ, non in ratione principij productiui, quia vt sic, per eius productionẽ iam supponitur tale principium infinite, & adequate terminatũ, sed in ratione principij operatiui, seu intelligentiæ: & deò Verbũ à Patre habet, quod intelligat essentiam: sicut à Patre habet essentiam, & intellectum: cum intellectu attamen Pater, qui est prima persona, communicat secundæ personæ productæ diuinam voluntatem, non solum vt operatiuã, sed etiam vt productiuam, & nondum habẽtem terminum adæquatum productũ. Ista igitur vnica voluntate, persona prima, & secunda, operantur circa obiectum intellectum, sibi repræsentatum, quod est diuina essentia, amando eã infinitè: & in hoc actu amoris perficitur completa, & formalis beatitudo vtriusque personæ, & tã Pater, quam Filius, sunt tali actu perfectissime, & complete beati, vt docet Scotus ibi.

20. Ex quibus colligẽ iuxta prædictã literam Doctoris, Patrẽ non esse adæquate beatum, antequã generet Filiũ: sed tunc ad illam authoritatem satis tritam in via Scoti, *quod Pater est prius origine perfecte beatus, quam generet*: quæ huic doctrinæ eiusdem Scoti expresse videtur contradicere: optime respondetur ex Lichero loco citato, quod ibi intelligitur locutus fuisse Doctor de beatitudine, pro ea parte, quæ pertinet ad actum intellectus, quatenus scilicet beatitudo in intellectione, & visione diuinæ essentiæ, secundũ alterius classis sententiam consistit, vel quasi materialiter, seu præsuppositiue, secundum ipsius Scoti viam, ponitur beatitudo in intellectu: loquẽdo vero de integra, & adæquata ratione beatitudinis, quæ cõsistit formaliter in dilectione, & fruitione voluntatis, non sic: sed prius intelligitur Filius genitus, habens voluntatem sibi communicatam à Patre, quàm Pater actu voluntaris essentiam diligat: in cuius dilectione vtriusque personæ perfectissima beatitudo formaliter consistit.

Præter hoc autem (subdit Doctor) 21.
illa eadem voluntate vna in eis, istæ duæ personæ producũt amorẽ adæquatum huic obiecto cognito, nempe essentiæ, sub ratione amabilis: & hic amor productus est infinitus, incommunicabiliter subsistens, & consequẽter persona: & ideo producendo hũc amorem, spirant personam diuinam infinitam: quia nihil est formaliter infinitũ, nisi quod per identitatem est Deus. Ex quibus Doctor concludit, quod stando præcise in primo instãti naturæ, cõparando essentiam diuinam ad intellectum, & voluntatem, habetur totus primus ordo originis: quia scilicet, duæ personæ originantur perfecte, & tota perfectio diuinarũ personarum ad intra in intellectu, & voluntate habetur in primo instanti naturæ, vt sunt potẽtiæ operatiuæ circa illam essentiã: quia tota perfectio simpliciter cuiuslibet personæ est intelligendo, & volendo essentiam diuinam: quia in intelligendo, & volendo eam, sunt beatæ formaliter: hæc fere omnia tradit Scotus vbi supra.

Porrò, quod ad vtrumque actum vo- 22.
luntatis diuinæ præsupponatur productio Verbi, ita vt non mediet inter intelligere, & dicere Patris, aliquis actus voluntatis, etiã essentialis: vltra quæ per te id determinat Doctor in nuper tradita doctrina, in 2. dist. 1. q. 1. lit. H. expressius, & clarius idẽ ostẽdit in Quodlibetis q. 14. lit. R. vbi ponit vtrumque instans originis, intellectus scilicet, & voluntatis his verbis. *Sic igitur completa est actio mere naturalis, & ad terminum omnino primum, scilicet infinitũ, vbi motio omnino prima, est elicere, vel quasi elicere intellectionẽ in intelligẽtia paterna: & huic proxima est gignere Verbum. Hanc sequitur actio, quæ nata est esse ad terminũ omnino primũ, puta, ad essentiã primã communicandam: quæ licet non sit naturalis, tamẽ est omnino necessaria, & hæc est motio voluntatis: & hæc quasi est duplex. scilicet, ad amare simplex & etiam ad amorem procedentem*

Nullus actus voluntatis diuinæ mediat inter intelligere, & dicere Patris

tem, & hæc duplex motio voluntatis correspondet duplici motioni naturali, quæ dicta est esse in intellectu ad intelligere, & dicere. Ex quibus verbis Doctoris, philosophatur egregie Tatheretus in 2.dist.1.q.3.§.6. *dico*, cuius verba fideliter referã tanquam ponderabilia maxime ad propositum, hæc ergo ait. *Intellectus Patris operatur notitiam essentialem: & secundo, Pater producit illam notitiam genitam, communicando illi voluntatem suam: quam voluntatem nullum actum adhuc habuisse intelligimus, nec in Patre, nec in Filio. Sed solum vt diximus de intellectu, quod habuit actus suos duos, scilicet operatiuum, & productiuum: voluntas autem nullum, & ita communicatur Filio voluntas nullũ actum adhuc habens.* Hactenus Tatheretus, qui plura ad idem propositum in sequentibus dictis illustrat. Tatheretus.

Hoc idem declarat, & tenet P. Herrera, in 1.dispu.10.q.17.notabili 3. Herrera.

23 Verum enim vero, ex præfata Scoti Doctrina videtur manifesta subsequi contradictio ad alia verba eiusdẽ. Nã in hoc primo dist.6.quæst.vnica art.1. expresse docet oppositum, tenens Patrem prius intelligere, & velle, quam producere Filium: hæc etenim sunt expressa verba illius. *Dico, quod Pater hoc modo gignit Filium volens: quia Pater in primo signo originis intelligit formaliter, & tunc etiam potest habere actum, volendi formaliter.* Et deinceps hæc subdit. *In secundo signo originis gignit Filium, &c.* Videtur igitur manifeste Doctor sibi metipsi contrarius. Contradictio quædã apparẽs ex verbis Scoti.

24. Fateor ex istis, & suprapositis Verbis Scoti à prima frõte deberi intellectũ cuiusliber fidelis Scotistæ cõtradictione opprimi vehemẽter: ab hac tamen oppressione nos eripit quedã accutissima animaduersio sapientissimi Magistri mei Patris Herrera in 1.disp.10.q.17. notab.3. vbi prænotat in hoc posteriori loco, Doctorem subtilem soluere quæstionem, ad eundem sensum, quo illam in eius titulo mouet: ibi ergo interrogat Doctor, *an Deus Pater genuerit Deum Filium voluntate?* non autem absolute inquirit, vtrùm Pater Filium genuerit voluntate? & quamuis Pater præcise sumptus sit Deus: non tamen, vt Deus concipitur, sed præcise, vt Patris persona. At verò quando exprimitur Deus Pater, intelligitur in eo sensu, quo concedimus, quod Deus generat Deum: in quo non sanè conceditur, quod Deus, vt Deus, reduplicatiuè genuit Deum, sed specificatiuè: ac si dicatur, Deus, qui est Pater, genuit Deum, qui est Filius: quæ propositio deducitur ex hac, Pater, qui est *Deus*, genuit Filium, qui est Deus.

His ergo prænotatis, aliter, & aliter 25
loquendum est de isto duplici sensu: nam quia Deus primo intelligitur habere operationes essentiales, quam sit aliqua productio notionalis, in quo sensu dicuntur in diuinis essentialia esse priora notionalibus: ideò Deus Pater ea ratione, qua est Deus, prius præsupponitur, nõ solum intelligere, sed etiam velle antequam intelligatur Verbum esse productũ. Et quia in hoc sensu velle diuinæ voluntatis præcedit Filij generationem: ideò, inquit Doctor, in eodem sensu *Deum* Patrem voluntate antecedẽte producere Deũ Filium. At qui loquendo de Patre præcise sumpto, Pater nullo actu voluntatis, nec essentiali, nec notionali, producit Verbum: non solum, quia nulla voluntas est principium formale productionis illius: sed etiam, quia nullus actus voluntatis præcedit in Patre Filij productionem, sed tantum voluntas in actu primo, seu per modum actus primi: quia Pater, vt Pater, non operatur nisi postquam talis voluntas intelligitur Verbõ communicata. Et sic conciliãtur verba Scoti in illis locis, vbi videbantur esse contraria. *Optima cõciliatio verborum Scoti.*

26 Sed adhuc instabis ex eodem Patre Herrera ibi, quod ex dictis nõ solum sequitur Patrẽ prius producere Verbũ, quam diligat essentiam: verũ etiam infertur Verbi productionem esse omnino ante intelligere Patris, si quidem intelligere est operatio essentialis, quæ præsupponit Patrẽ cõstitutũ in esse Patris: & per cõsequẽs Filiũ productũ: eoq; Pater per productionẽ Filij cõstituitur in esse Patris. Ex quo mouetur prædictus Magister cõcedere Patrẽ, vt Patrẽ prius dicere, quã intelligere: quod aduersatur prædictæ doctrinæ Scoti in citatis locis libri 2. & Quotlibetorũ. Sed profecto, hæc sententia, vltra quã in hoc expresse contradicit Scoto, non est cõs- *Obiectio ex solutione P. Her.*

tans

tans Doctrinæ sui authoris: ipse enim in citata disp.10.q.14. tenet cum Tatharetò ex Doctore, intelligere in Patre: prius esse, quam dicere, non autem velle: & ideo aliter loquendum est de intelligere, quam de velle.

Hæc dubitatio facillime soluitur aduertendo, quod intellectus Paternus non ideo prius intelligit, quam Verbū producat, quia intelligere aliqualiter ad Verbi productionem conducit: nam, vt dictum est supra in dist.49. etiam si per impossibile Pater non intelligeret, adhuc diceret: sed quia obiectū secundarij intellectum Patris in ratione memoriæ, non solum ipsam mouet (loquendo de motione vt supra) ad dicere, sed etiā ad intelligere, vt expresse docet Scotus in loco cit. secundi lit. & quia idem obiectum, quatenus vnitum intellectui, simul mouet ad operari, & ad producere: & hæc motio est naturalis: quia intellectus naturaliter mouetur ab essentia, sic sibi vnita in ratione obiecti: hinc est, quod intellectus nō potest nō moueri naturaliter à tali obiecto simul eadem duplici motione, & simul elicere, seu quasi elicere operationem intelligendi, & producere Verbum. Quia tamen intelligere est essentiale, & producere est notionale: ideo ordine præconceptionis in eodem instanti originis intelligere præsupponitur ad dicere, & ideò Pater, etiam vt persona, prius intelligit, quam dicat: & si etiam, si per impossibile non intelligeret, adhuc diceret: licet benè considerando Patrem, vt præcise est Pater reduplicatiuè, prius concipiatur dicens, quàm intelligens, eo quod dicere est idē formaliter, quod formaliter esse Patrē: & est in hoc reduplicatiuo sensu, Pater prius concipitur Pater, quam Pater intelligens: cum hoc tamē, quod in Patre prius sit intelligere quam dicere. At verò motio voluntatis non sic se habet, quia est in alio instanti originis, in quo necessario præsupponitur intellectio, & productio naturalis intellectus, vt resoluit Doctor in illa quæstione 14. Quotlibetali: & ideò licet Pater prius intelligat, quam Verbum producat prioritate præconceptionis in eodem instanti originis: prius nihilominus prioritate originis Verbum producit, & intelligit, quam velit, aut amorem per voluntatem producat.

27 Solutio obiectionis.

Demum his de primo ordine originis prænotatis, obseruat Doctor, vbi supra in 2.lib.dist.1. in secundo instanti naturæ posse assignari alium secundū ordinem originis: nam cum primū instans naturæ sit per comparationē obiecti primarij ad intellectum, & voluntatem diuinam, vt supra diximus: sic secundum instās naturæ est per comparationem obiecti secundarij ad eumdē intellectū, & voluntatem: & sicut primus ordo originis est in primo instanti naturæ, per talem comparationē obiecti primarij ad intellectum, & voluntatē: sic secundus ordo originis est per comparationem creaturarū, quæ sunt obiectum secundarium, ad intellectū, & voluntatem diuinam, non absolute, sed prout sunt in tali, & tali persona. Ponamus ergo, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, simul intelligunt lapidem possibilem, vel futurum vnica intellectione: quia omnis actio ad extra est in diuisa: nihilominus quia hoc intelligere est essentiale, hac ratione, quod est à tribus communicatur personæ productæ à producēte: atq; ideo est verū dicere, quod Filius intelligit lapidē, non à se, sed à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: Pater autē à se: & similiter de volūtate dicendū est, quod Filius vult lapidem à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, Pater autē à se. Hæc Doctrina est expressa D. Augustin. 15. de Trinit. cap. 14. vbi hæc profert loquens de Verbo diuino, *Hoc est omnino, quod Pater, nō tamen Pater, quia est Filius ille Pater: ac per hoc nouit omnia quæ nouit Pater: sed ei nosse de Patre est, sicut esse.* Attamen aduertit Doctor, hūc secundū ordinē originis non quidē esse penes originationē vnius personæ habentis esse ab aliā: & ideò non esse ordinē originis simpliciter, sed secundūquid: quia est quodāmodo originatio operationū ad extra, quæ cōsequitur personas iā productas in esse perfecto personali, & habētes quodcūque esse, & operationes ad intra, respectu obiecti primarij, seu etiam cuiuslibet obiecti secundarij, quod formaliter est in Deo, vt

28

sunt perfectiones attributales,& personæ,seu relationes diuinæ.

§. 4.

Ostenditur primum esse creaturarum fieri per actum intelligendi trium personarum.

29 ISTE ergo secundus ordo originis est respectu eorum, quæ diuina essentia extra se secundario repræsentat. Et quia talis ordo supponit origines primi ordinis, quo præintelligũtur personæ habere esse: ideò ad quodcumque esse creaturarum, iã diuinæ personæ supponuntur habere esse essentiale,& personale:& ex consequenti, nec Verbum, nec Spiritus Sanctus aliquod esse creaturarũ ad sui productionem supponit. In secundo ergo instanti naturæ simul tres diuinæ personæ producũt creaturas in esse intelligibili per intellectum, prout iam est in tribus, in quo esse fundatur earũ possibilitas: quia antecedenter ad diuinũ intelligere, non nisi in potentia Logicã, per meram non repugnantiam præcedebant: Diuinum attamen intelligere, intelligendo dat ipsis primum esse earum. Quod quidem esse adhuc nõ dicitur esse possibile, sed est esse possibile per ordinẽ ad omnipotentiã Dei: ita vt si per impossibile Deus non esset omnipotens,& nullum existeret agens potens hoc tale esse earũ ad realem existentiam in rerum natura reducere: proculdubio creaturæ illæ haberent esse intelligibile absque eo, quod possibiles essent: quia tunc dicitur aliquid esse possibile, quando adest potẽtia, quæ illud ad actũ possit reducere. Per hoc igitur intelligere Dei producuntur creaturæ in primo esse earum, quod dicitur esse diminutum: quia tãtummodo est præcisum esse intelligibile rerum, productum, seu quasi productum, per intellectionem diuinam.

Hoc autem esse creaturarum eodẽ
30 actu intelligendi, quo producitur, intelligitur: ita quod eodem actu, quo creaturæ intelliguntur à Deo, producuntur ab ipso, & è contra. Quia tamen nullus actus intelligendi est in Deo, qui ab alio obiecto, quam à primario, quod est sua essentia, tanquam ab obiecto motiuo, habeat esse: ideò ad productionem prædictam intellectiuam creaturarum, diuina essentia secundariò mouet, seu quasi mouet intellectum diuinum; hoc est, quod ipsa iam cognita à diuinis personis, mouet intellectum diuinum, vt iam præsupponitur existens in tribus ad cognitionem, seu intellectionem, qua ipsæ creaturæ intelliguntur, & producuntur in esse intelligibili.

Dices attamen, quod non potest es- 31
sentia mouere ad cognitionem creaturarum, nisi illas per modum speciei repræsentet: sed creaturæ antequam intelligantur ab intellectu diuino, non habent aliquod esse, nec etiam intelligibile: ergo pro illo priori, pro quo nõ dum intelliguntur, non possunt à diuina essentia repræsentari: nec ipsa per modum speciei, seu obiecti primarij, potest secundario mouere intellectum ad cognitionem illarum. Respõdeo, diuinam essentiam esse repræsentatiuam omnium repræsentabilium: creatura autem, quæ nec habet esse reale, nec intelligibile, non repræsentatur ab ea: sufficit tamen præsupponi eminentialem, & virtualem continentiam, qua omnia obiecta secundaria continentur in diuina essentia ob sui infinitatem, vt intellectus ex congnitione illius, tã quam obiecti primarij, secũdario creaturas intelligat, & eas intelligendo, ipsas in esse intelligibili producat, seu quasi producat. Nec mirum est, quod secundum Scotum, diuinum intellige re sit productiuum creaturarum in tali esse diminuto: cum Thomistæ omnes pro viribus tueantur productionem Verbi diuini in esse reali, esse formaliter actum intelligendi: si igitur actus dicendi, qui est maxima, & realissima omnium productionum, est intellectio sui termini (non enim solum arbitrantur esse cognitionem essentiæ, sed etiam ipsius Verbi diuini, quod per illam producitur) multo facilius capitur illam minimam productionẽ creaturæ, videlicet, in esse intelligibili, &

de

de minuto, esse intellectionem ipsius creaturæ, quæ per illam producitur.

32. Resoluitur ergo, quod creaturæ nõ solum non concurrunt per modũ principij, ad productionem Verbi (quod idem dico de Spiritu Sancto) verũ nec supponuntur etiam in esse intelligibili habere esse in intellectu diuino ante productionem, seu generationem illius: cum eius productio pertineat ad primum ordinem originis in primo instanti naturæ: productio autem creaturarum sit in secundo originis ordine, & in secundo instanti naturæ.

§. 5.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

33 HIS præhabitis difficultatem concludẽdo dico primo, Verbum diuinum non procedere ex cognitione alicuius obiecti creati, nec increati. Cõclusio hæc
1. Concluſ. est Scoti expressa pluribus in locis, & satis probata supra in difficultate 49. vbi tradit Doctor actum dicendi ita esse ab actu intelligendi formaliter distinctum, quod si per impossibile Pater non intelligeret, ad huc diceret, & perdicere produceret Verbum: quod nos etiam hîc de eius mente supposuimus. Ex quo concludit, nullum actum intelligendi pertinere ad productionem Verbi; licet aliquis actus intelligendi, ad actum dicendi, materialiter supponatur.

34 Dico secundo, quod etiam si Verbũ diuinum per actum intelligendi, seu per cognitionem alicuius obiecti pro-
2. Concluſ. cederet: nõ quidem procedere ex cognitione creaturarum futurarum. Conclusio hæc est apud omnes ferè aduersarios communis: & probatur, quia futuritio creaturarum pendet ex libero diuinæ voluntatis decreto: decretũ autem diuinæ voluntatis, & quæcumque volitio Dei, supponit Verbũ productum, per actum intellectus: si quidem actus voluntatis consequitur ad actum intellectus, veluti voluntas ad intellectum: ergo, &c.

35. Dico tertio, quod etiã si Verbũ pro-
3. Concluſ. cederet per actum intelligendi ex cognitione alicuius obiecti, & creaturæ possibiles præcederent Verbi productionem: adhuc posset intelligi Verbũ non procedere ex cognitione earum. Conclusio hæc ex supra notatis manifesta est: quia potest optime intelligi eamdem cognitionem plurium obiectorum esse productiuam alicuius verbi, quod tantum esset verbum vnius obiecti ex sic cognitis: nam cum verbum non possit excedere obiectum, à quo tanquam à principio formali producitur: consequenter Verbum infinitum erit tantum modo Verbum obiecti infiniti. Quamuis igitur eadem cognitione intelligerentur à Patre prius illo priori, quo Verbum producit, obiecta finita (qualia sunt creaturæ possibiles) simul cũ obiecto infinito (quod est essentia) adhuc tamen creaturæ nõ haberent rationem formalis principij productionis Verbi: sed solum obiectũ infinitum cognitũ tali cognitione haberet rationem principij formalis illius. Igitur etiam si Verbum per intellectionem procederet, & creaturæ possibiles præcederent eius productionẽ, vt cognitæ eadem intellectione, qua Verbum procedit: optime nihilominus intelligi potest, verbum non procedere ex cognitione illarũ: licet procederet ex cognitione essentiæ, quæ etiam esset cognitio earum.

Ad cuius conclusionis intelligẽtiã 36
aduerte cũ Doctore, quod bene potest aliquid concomitãter se habere ad productionem alicuius, licet formaliter ad huiusmodi productionẽ nõ pertineat. Vnde esto, quod eadẽ intellectione (in casu huius cõclusionis) qua Pater producit Verbũ, eadẽ intelligeret creaturas: adhuc creaturæ nõ haberent se per modũ principij formalis, sed tantũ cõcomitãter. Cuius ratio à priori est, quia Verbũ infinitũ (vt dixi) tãtũ habet esse ab obiecto infinito. Hæc expresse tradit Doctor in 2. dist. 1. q. 1. sub lit. H. §. *ita dico in proposito*: & etiã patet, quia alias sequeretur, Verbũ esse imaginem creaturarũ, & esset naturalis similitudo illarũ, sicuti est imago, & naturalis similitudo Patris in essentia: & tunc respiceret creaturas finitas, tanquam suum formale principium. Quæ quàm absurda sint, nemo nescit.

37 Dico quarto, quod nec Verbum procedit ex cognitione creaturarum eriã possibilium, nec creaturæ possibiles aliquo modo pertinent ad productionem Verbi per modum principij formalis illius. Cõclusio hæc satis ex præcedente probatur, sed præterea cum sit principaliter responsiua difficultati, amplius cõfirmatur: cuius prima pars satis ex conclusione, & ex sæpe dictis, & alibi probatis constat, videlicet Verbum per nullius obiecti intellectionẽ procedere. Secũda vero pars, quod scilicet, nec per modum obiecti in ratione intelligibilis, sicut concedimus concurrere essentiam, adhuc ad Verbi productionem conducat probatur. Et primo authoritate D. Anselmi, quam optimè ad propositum Vazquez adducit, qui in suo Monologio, cap. 30. hæc ait. *Si numquam creatura esset, nullum eius esset Verbum: quid igitur? an concludendum est, quia si nullo modo esset creatura, nequaquam esset Verbum illud, quod est summa, & nullius indigens essentia? aut fortasse illa summa essentia, quæ Verbum est, essentia quidem esset æterna, sed Verbum non esset, si nihil vnquam per illam fieret?* Quæ verba Anselmi manifeste probant conclusionem prædictam: nam & si ibi videatur non resoluere difficultatem, sed ipsam proponere procul omni dubio id sentit, prout patet ex sequentibus verbis, quibus difficultatem à se proposita perspicuè dirimit hæc dicens. *At si æterne se intelligit, æterne se dicit, si æterne est verbum eius apud ipsum. Siue ergo ille cogitetur, nulla alia existente essentia, siue aliis existentibus, necesse est Verbum coæternum illi, esse cum illo.* Ac si aperte dicat, Patrem necessario habere Verbum suæ essentiæ: & hoc Verbum nullatenus ex alia essentia creata pendere: siue illa talis essentia sit possibilis, & vt sic possibilis coexistens æternitati, & in essentia diuina repræsentata, siue non: ita quod nullam connexionẽ Verbi ad creaturas quomodolibet consideratas admittit Anselmus.

38 Item probatur authoritate D. Augustini, quam Doctor adducit in 2. dist. 1. q. 1. qua st. 5. de Trinit. cap. 14. hæc dicentis. *Sed sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiue vnus creator, & vnus Dominus: sic relatiue ad Spiritum Sanctum vnum principium: ad creaturam vero Pater & Filius, & Spiritus Sanctus vnum principium. sicut vnus creator, & vnus Dominus.* Quæ verba maxime ponderabilia sunt, eo quod per particulam *sicut* assimilat rationem principij creaturarũ principijs diuinarũ productionum. Ac si aperte dicat, sicut Pater est principium Filij, & Pater, & Filius sunt principiũ Spiritus Sãcti: sic Pater, & Filius, & Spiritus Sãctus sunt vnicũ principiũ creaturarum. Sicut igitur Pater non procedit à Filio, quia Pater est principium Filij; nec Pater, & Filius procedunt ab Spiritu Sancto, quia sunt vnicum principium Spiritus Sancti: imo è contra, Filius procedit à Patre, & Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio: sic similiter nulla diuinarum personarum procedit à creaturis, cum ipsæ personæ diuinæ sint vnicum principium creaturarum, quinimo ex consequenti creaturæ in quocumque suo esse producuntur à diuinis personis. Ex quo patet Verbi productionem non esse à creaturis, sed creaturas esse à Verbo producto.

39 Iam ergo ratione probatur conclusio primo, quia si Verbum diuinum à creaturis possibilibus procederet: realiter referretur ad illas: sed nulla diuinarum personarũ realiter refertur ad creaturas: ergo, &c. Minor est certa apud Scotum, & D. Thomam: nam licet D. Thomas 1. p. quæst. 34. art. 3. concedat, Verbum dicere relationem ad creaturas: non tamen admittit relationem huiusmodi esse realẽ, sed rationis. Ait enim esse relationem, sicut creatoris ad creaturam, quæ ad actionem creationis consequitur: vt patet ex eis, quæ ibi expresse tradit solut. ad secundum. Maior vero sic probatur ab Scoto, in loco cit. secundi lib. sub lit. G. Nã producti ad quodcũque principium productiuum, à se realiter distinctum, est relatio realis: ideò enim non refertur Verbum realiter ad essentiam, quæ est eius principium productiuum, quia ab illa realiter nõ distinguitur: atqui creaturæ etiam possibiles, realiter distinguuntur à Verbo distinctione illa, qua distinguitur finitum ab infinito: ergo

Prima ratio pro cõclusione.

D. Anſel.

D. Auguſ.

4. Conclu.

si Verbum à creaturis procedit, cum alias ab eis realiter distinguatur, ad eas refertur realiter.

40 *Duplex solutio Thomistarum.*

Dupliciter quidam Thomistæ inrẽdunt soluere hoc argumentum. Quidam enim distinguũt cum D. Thoma, ibidem solut. ad tertiũ, inter hæc duo, scilicet, procedere à creaturis, & procedere ex cognitione creaturarũ. Nã procedere à creaturis dicit hoc, quod est procedere per cognitionem acceptã ab ipsis creaturis: ita quod ipsæmet creaturæ in ratione obiecti motiui, concurrant ad huiusmodi cognitionem, qua Verbum producitur: & in hoc sensu negant Verbum à creaturis procedere. In secundo autem sensu intelligũt Verbũ procedere ex cognitione creaturarum, quæ habent rationem obiecti non motiui: sed quod diuina essentia moueat ad cognitionem sui, & etiam creaturarum. Atque ideo Verbum nõ procedit à creaturis, sed ex cognitione creaturarum: & ideò nõ oportet, quod ad creaturas referatur realiter, si quidem, vt dictum est, non procedit ab illis.

41 Secunda solutio est, quod creaturæ prout concurrunt ad Verbi productionem, non habent esse reale, sed possibile, & vt sic existunt in Deo: vt sic autẽ existentes in Deo, nõ distinguũtur realiter à Verbo: quam ob rem, nec Verbũ realiter refertur ad ipsas, & sic ruit argumentum Scoti.

42 Verum vtraque solutio claudicat, & neutra vim argumenti euacuat: nam prima plura conculcat, quæ examine egent. si enim obiectum tantum motiuum habet rationem principij, non vero terminatiuum (quod verum censeo) & ob id essentia repræsentans creaturas habet rationem principij, non vero ipsæ creaturæ: iam ex hoc facile conuincitur, solam essentiam, non vero creaturas ad Verbi productionem per modum formalis principij pertinere, quod Scotus intendit. Et præterea contra primam solutionem sic arguo, inquirendo, an creaturæ in se ipsis, & secundum proprias, & formales rationes habeant rationem principij productionis Verbi diuini, an vero prout in essentia continentur? Et hæc

Impugnatio 1. solutionis, quorundã Thomistarum.

continentia ipsarum in essentia, adhuc est duplex: vel enim est virtualis, & eminentialis, tãquam effectus in causa, & ens minus eminens in ente eminentissimo continentur: & vt sic creaturæ non sunt aliquid, nisi ipsamet essentia diuina. In quo sensu non disputatur hæc difficultas: nam Verbum hoc modo procedere à creaturis, non est aliud quam procedere ab essentia, quod nemo negabit.

43. Vel autem secundo continentur in essentia tanquam repræsentatum in repræsentante, seu sicut obiectũ in specie, aut in notitia sui: & vt sic, ipsæ creaturæ concipiuntur secundum suum esse formale, & specificum, licet non secundum esse reale. At quia realitas est modus existentiæ, non varians rationem formalem, nec essentiam: non obstat, quod eis deficiat esse reale, ad hoc vt habeant totum suum esse formale quidditatiuum, & specificum. Hoc autem esse proprium formale, & quidditatiuum creaturarum, est esse finitum, & limitatum. Essentiam ergo esse principium productionis Verbi, prout sic est repræsentatrix, seu cognitio creaturarum, non est aliud, quam esse tale principium, prout reduplicatiue respicit proprias quidditates illarum, videlicet, prout ipsas creaturas in suis proprijs quidditatibus cognitas repræsentat: igitur non solum ipsa essentia, sed etiam creaturæ repræsentatæ in illa, secundum suum proprium quidditatiuum, & limitatum esse concurrunt ad Verbi productionem: ergo si Verbum procedit ex cognitione creaturarum, necessario procedit ex ipsis cognitis creaturis. Consequentia patet: nam cognitio creaturarum, eò quod non est cognitio distincta à cognitione essentiæ, est ipsa actio productiua Verbi, in via D. Thomæ, qui per hanc cognitionem produci affirmat. Sed actio productiua intellectus non potest habere rationem principij productiui: est enim actio ipsius productiui principij, quod supponit, sicut quælibet actio supponit principium, cuius est: ergo si Verbum producitur ex cognitione creaturarum, non procedit ab earum cognitione, tanquam à princi-

pio, sed tanquam ab actione productiua: ab ipsis vero creaturis sic cognitis procedit tanquam à principio formali suæ productionis: & ex consequēti ruit supra data prima solutio. Debes ergo concedere, Verbum ex cognitione creaturarum non procedere: si quidē fateris, non procedere ab ipsis cognitis creaturis.

44 Secunda vero solutio facilius impugnatur: nam & si creaturæ secundū ideas, quæ sunt in Deo, non distinguantur ab ipso: Deo nihilominus propriū, & formale esse illarum, est esse finitū & infinitè distans ab essentia Dei: alias enim creaturæ secūdum esse propriū, & quidditatiuum, eo quod sunt obiectiuè in mente diuina, essent formaliter infinitæ, quod est absurdum: sufficit ergo distinctio finiti ab infinito ad fundandam relationem prædictam. Et si dicas, quod esse earum, prout sunt in Deo, est esse diminutū, & non reale, & ideò non potest habere rationem extremi realis, quod requiritur ad relationem realem: iam debes fateri, quod ex parte Verbi esset relatio realis, si ex parte creaturæ realitas esset, quæ illam realiter terminaret.

45 Hoc præterea vrgeo, nam si per impossibile ab æterno creaturæ haberent realitatem, pro illo priori, pro quo habent esse possibile: proculdubio essentia esset repræsentatrix earum, sicut tu ponis ipsas in esse possibili repræsentasse ante Verbi productionem. Iā ergo tunc procederet Verbum ex creaturis habētibus esse reale, & à Deo realiter distinctis: ergo iam realiter Verbum referretur ad illas, si quidem ab illis procederet. Sed tunc eadem prorsus ratione concurrerent ad Verbi productionem, sicut de facto concurrunt, per te, creaturæ possibiles: ergo sicuti tunc referretur realiter Verbū ad creaturas: sic nunc ex parte sui realiter refertur ad illas. Hæc proxima minor probatur, quia nunc tota ratio concurrendi creaturas possibiles ad Verbi productionem, est quia cognoscuntur eadem cognitione, qua cognoscitur essentia ante Verbi productionem: sed tunc (vt supponimus) etiam eadē cognitione cognoscerentur creaturæ reales: ergo, &c.

Præterea probatur prædicta conclusio: quoniam, quod est simpliciter ens, & penitus independens, non potest pendere ab ente diminuto, quod tantū habet esse secundum quid, & ad sui esse pendet ab alio: atqui Verbum diuinum est ens simpliciter, & omnino independens, quia est essentialiter Deus: creaturæ autē possibiles habēt esse diminutum, secundum quid, & omnino dependens a ipso Deo: ergo Verbum diuinum non procedit ab illis in ratione obiecti, nec principij formalis, nec ab eis aliquatenus potest pendere. Cōfirmatur ratio: quia ideò Verbum non dependet à Patre, licet ab eo procedat: quia dependentia requirit vnum esse ab alio in alteritate naturæ: Verbum autem habet eādē numero naturam cum Patre: sed si Verbum à creaturis procederet, proculdubio esset ab eis in alteritate naturæ, vt patet ex eo, quod naturæ earum infinitè distant à natura Verbi: ergo, &c. 4 2. Ratio

47 Dices attamē, Verbum ex creaturis, seu ex cognitione creaturarū procedere, nihil aliud esse, quam creaturas cognosci eadem cognitione, qua cognoscitur essentia, & producitur Verbum. Verum hæc solutio satis confutatur ex supra notatis: nam hoc non est procedere ex cognitione creaturarum, sed procedere ex cognitione, quæ etiā est cognitio creaturarum: quod potest cōtingere materialiter, & concomitanter absque eo, quod creaturæ aliquatenus habeant rationē principij formalis, respectu productionis Verbi.

48 Tertio tandem probatur eadem conclusio ratione Scoti, qua subtiliter vtitur, vt impugnet sententiam D. Thomæ, in 2. lib. sententiarum loco citato. Nam si Verbum procederet ex cognitione, non solum essentiæ, sed etiā omnis intelligibilis, & consequenter creaturarum: sequereturquoque, Spiritum Sanctum spirari, non solum ex amore essentiæ, verum etiam ex amore omnis amabilis, & ex consequenti creaturarum: ita quod sicuti Verbum est Verbum omnis obiecti intelligibilis, ita Spiritus Sanctus, ex vi suæ processionis esset amor omnis obiecti amabilis, & amor creaturarum. Consequens autem est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur

Tertia efficacissima ratio Scoti.

quitur. Sequela manifesta est ex æquiparantia vtriusque potentiæ respectu sui obiecti: nam sicut se habet diuinus intellectus ad suum obiectum, sic diuina voluntas ad suum. Quod expresse tenet D. Thomas 1. p. quæst. 37. ar. 2. ad tertium, vbi æquiparat productionē Spiritus Sancti productioni Verbi diuini: ita vt sicut Verbum procedit ex cognitione obiecti intelligibilis: sic Spiritus Sanctus procedit ex dilectione eiusdem obiecti, vt amabilis. Minor autem probatur, videlicet, quod consequens illud sit falsum: nam vel Deus necessario amat creaturas possibiles in productione Spiritus Sancti, quas præintellexerat in productione Verbi vel non. Si hoc secundum dicas, iam Spiritus Sanctus necessario non procederet, si quidem principium formale productionis illius necessarium non est, neque dilectio creaturarū, qua producitur Spiritus Sanctus, non esset necessaria. ex causa etenim, seu principio non necessario, non potest sequi productum necessarium: si igitur Pater, & Filius necessario non diligunt creaturas possibiles in ratione obiecti amabilis, & talis dilectio creaturarum est formale principium productionis Spiritus Sancti: profecto Spiritus Sanctus necessario non procedit, quod est error manifestus. Si vero primum asseras, videlicet, quod Pater, & Filius necessario diligunt creaturas. Cōtra, quia voluntas diuina nihil ad extra necessario diligit, aut vult: sed quidquid ad extra vult, & diligit, liberrimè, & contingenter diligit: sed Spiritus Sanctus producitur actu voluntatis, quo Pater necessario diligit obiectum diligibile, ex qua dilectione procedit amor, qui est Spiritus Sanctus: ergo si intra obiectū sic diligibile clauduntur creaturæ possibiles; sequitur, quod Pater, & Verbū eadem necessitate diligunt creaturas, qua producunt Spiritum Sanctum: & ex consequenti non liberè, sed necessario summa necessitate diligunt aliquid extra se, quod est apertè falsum.

49. Solutio Caiet.

Hac ratione efficacissima Scoti, vtuntur plerumque, qui eius sequuntur sententiam: sed illam duplici solutione existimat soluere Caietanus. Primo namque asserit, Spiritum Sanctum, necessario ex amore creaturarum procedere, nullum esse inconueniēs, si vniformiter intelligatur de creatura, quæ diligitur, sicut intelligitur à Deo. Secunda solutio est, negando paritatem rationis: nam aliter intellectus respicit creaturas, & aliter voluntas: amor enim respicit res amabiles, vt sunt in se ipsis, & ideo diuinus amor respicit creaturas, vt sunt in se ipsis in suo genere: Verbum autem respicit res intelligibiles, non, vt sunt in se ipsis, sed vt in intellectu: vnde Verbum diuinum respicit creaturas possibiles, prout habent esse in intellectu diuino. Rursus creaturæ non producuntur à Deo in esse simpliciter, naturaliter per intellectū, sed libere per voluntatem: & ideò amor creaturarum nō est naturalis Deo, sed liber: Spiritus Sanctus autem nō producitur ex amore libero creaturarum, sed ex amore naturali: at qui creaturæ ipsæ, vt habent esse in mente diuina, pertinent ad cognitionem naturalem Patris: & quia Verbum diuinum nascitur ex cognitione naturali Patris, ideò nascitur etiam ex cognitione creaturarum.

50 Impugnatur Solutio.

Prima harum responsionum Caietani facillime impugnata remanet ex nuper probatis in ratione, quam soluere intendit, vbi ostenditur planè maximum esse inconueniens, Deum necessario diligere creaturas. Secunda autē, quæ cōmuniter est plausibilis illis sententiæ sectatoribus, multipliciter reijci potest. Et primo ex probatis supra in difficultate 71. videlicet, Spiritum Sānctum ex amore naturali non procedere liberè enim à Patre, & Filio per voluntatē procedere patefecimus. Quia tamen hæc libertas cum summa necessitate compatitur, & propterea quæstio de nomine aliquibus visa est difficultas prædicta: ideo aliter Caietani solutionem impugno. Nam diuinus amor, quo diligit creaturas, non solum ad ipsas in se ipsis existentes terminatur, verum etiam ad easdem, prout in diuina mente intellectæ relucent. Et in hoc fit omnimoda æquiparatio creaturæ, vt amabilis, ad creaturam vt intelligibilē: nam, vt supra ostendimus, creaturæ, prout habent rationem obiecti intelligibilis ad Verbi productionem, non intelli-

intelliguntur tantum ſecundum illud eſſe virtuale, quo ſunt intra eſſentiam: nam vt ſic, iam oſtenſum eſt, creaturas eſſe prorſus eandem eſſentiam. Loquimur ergo de creaturis poſsibilibus ſecundum eſſe quidditatiuū, & propriū earum, quatenus concipiuntur ab eſſentia cōdiſtingui. De his igitur loquimur in præſenti, non autem de ipſis, vt habētibus proprium eſſe, iam extra cauſam realē in rerum natura: ſed de ipſis prout habentibus propriū eſſe quidditatiuum condiſtinctum ab eſſentia, ſed in eſſentia repræſentatum, & reluceus.

51 Si igitur Caietanus intendat diuinū amorem terminari ad creaturas, vt ſolum modo habentes eſſe reale exiſtens in rerum natura, & in hoc ponit differentiam inter creaturas, vt amabiles & intelligibiles, & dicit diuinum amorē, in hoc ſenſu terminari ad creaturas in ſe ipſis: falſum profecto dicit. Quia alias Deus non diligeret creaturas ante quā ipſas in re exhibita creaſſet. Si vero intēlligit in alio ſenſu amorem diuinum terminari ad creaturas in ſe ipſis, hoc eſt prout habentes propriū, & quidditatiuum eſſe repræſentatum in eſſentia, ſeu cognitione: tunc non minus in ſe ipſis, & prout in ſe ipſis terminant creaturæ poſsibiles intellectionē Patris, quam dilectionem Patris, & Filij. Si igitur ex cognitione earū, vt ſunt obiectum, ſic intelligibile Verbum procedit: eadē prorſus ratione ex dilectione ipſarum, vt habent rationem obiecti diligibilis Spiritus Sanctus procedit: ſi quidem in ſe ipſis vtrobique eſt eadem ratio terminādi diuinum intelligere, & diligere: & ſic ruit ſolutio Caietani.

52 Nec valet ſi dicas, diſparitatem rationis cōſiſtere in hoc, quod diuina volitio libere, & contingenter fertur ad creaturas, licet naturaliter cognoſcat ipſas. Nam illa volitio, quæ eſt decretū futuritionis ipſius creaturæ, iam ſupponit (ſecundum omnes) Spiritum Sānctum productum, & ideo de hac nō eſt quæſtio. Dilectio autem, de qua hīc loquimur, eſt ante tale decretum, & ſolum reſpicit creaturas ſecundum idem eſſe, quo ſupponuntur, ſecundum aduerſarios, ad Verbi productionē. Hoc autem eſſe, eſt præciſum eſſe poſsibile earū, nihil habens de futuritione. Idē igitur eſſe creaturarum quod terminat intellectionem, quæ eſt productio Verbi, terminat dilectionem, quæ eſt productio Spiritus Sancti, antecedenter ad illam volitionem contingentē, qua Deus per decretum ſuum ipſas eſſe futuras determinat.

Dico quinto, quod creaturæ, nec cognoſcuntur eadem cognitione, qua Pater cognoſcit eſſentiā, ante Verbi productionem, nec fœcundant intellectū paternum in ratione memoriæ, nec aliquo modo ipſius Verbi productionē præcedunt. Concluſio hæc triplicē habet partem, & quoad omnes facile probatur ex ſupra notatis hac vnica ratione. Nam cognitio creaturarum, ſeu quodcumque eſſe earum eſt in ſecundo inſtanti naturæ, prout ex Doctore oſtendimus: ſed totus primus ordo originis, in quo ſunt diuinæ productiones, in primo inſtanti naturæ completur: igitur ante quam creaturæ habeant aliquod eſſe, vel cognoſcantur à Deo, præſupponuntur diuinæ productiones: ergo nec creaturæ cognoſcuntur eadem cognitione, qua Pater antecedenter ad Verbi productionem cognoſcit eſſentiam: nec creaturæ, pro illo priori habent aliquod eſſe, quo poſsint per modum obiecti fœcundare intellectū Paternum in ratione memoriæ: nec aliquo modo præcedunt productionem, verbi: quinimo, nec Spiritus Sancti: quæ eſt in primo inſtanti naturæ, in quo non dum intelliguntur creaturæ habere eſſe. 53 Cōcluſio.

§. 6.

Soluuntur argumenta Primæ Sententiæ.

53 AD argumenta vero, pro prima ſententia & ad primū ex authoritatibus D. Aug. D. Anſelmi deſumptum, varias præbent ſolutiones Patres Rada, & Herrera, & Gabriel Vazquez, illis tamen omiſsis, ſigillatim ad omnia verba *Auguſtini*, reſpon- *Ad argumenta, pro 1. ſententia & ad primum.*

reſpondeo, & primo ad illa priora ſuper illud Ioannis primo, dico ibi non intendiſſe Doctorem Sanctum, quod Verbũ a creaturis proceſſerit: ſed ad ſummum, quod illas reſpectu ſibi non repugnante (qui eſt reſpectus rationis) reſpiciat. Ex quibus ſequitur, Verbum dicere reſpectum ad creaturas, non ſicut ad Patrem, à quo procedit, qui eſt realis: ſed ſicut ad illa, quæ per ipſum facta ſunt: & hic reſpectus nõ eſt originati ad originẽ, ſed cauſæ ad effectũ: ex eo enim, quod per Verbum facta ſunt omnia, omnia realiter referuntur ad Verbum: & ex eo, quod Verbum omnium relationes reales terminat, ad illa reſpectu rationis refertur, ſicut creator ad creaturas. Quod indicant illa verba: *quæ per Verbum facta ſunt operatiua potentia.* Ad ſecundam authoritatem eiuſdem dico, quod in illis, *nouit Deus Pater in ſe ipſo, &c.* clarè oſtenditur, non loqui Diuum Auguſtinum de creaturis in ſe ipſis, ſed prout idem cũ eſſentia: & ſic idem eſt, Patrem noſſe creaturas, quod noſſe eſſentiam. Quod vero ſubdit, *in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de his omnibus, quæ ſunt in ſe ipſo*, ad eumdem ſenſum debet intelligi: hoc eſt, de omni obiecto ſecundario, quod eſt in eſſentia prout in eſſentia virtualiter, ſeu radicaliter, aut eminentialiter continetur: quod quidem obiectum, vt ſic, non eſt aliud formaliter, quam ipſa eſſentia. Et tandem ad illa verba, ex 15. de Trini. reſpondeo nõ aliud concludere, niſi quod quidquid Pater cognouerit, vel ex parte obiecti habuerit ſibi præſens, & vnitũ ad Verbi productionem: hoc idem, & nõ amplius, aut minus Verbo communicauit: & in hoc non ingreditur creatura ſecundum aliquod ſui eſſe. Verba autem Anſelmi nihil obſtant, qui animo eius mens in alijs præallegatis pro confirmatione quartæ conclu. eſt ſatis perſpicua.

55 Ad ſecundum dico in primis, Verbum diuinum non procedere ex cognitione aliqua Dei, vt ſæpe dixi: ſed diſputationis gratia admiſſo, quod ex cognitione procederet: talis cognitio comprehenſiua non eſſet, licet bene intuitiua. Cuius ratio eſt: quia cognitio perfecte comprehenſiua deberet eſſe omnium intelligibilium, ſaltem ad intra: illa autem intellectione non intelligitur aliqua ex diuinis perſonis, quæ non præſupponitur illi, vt in difficult. ſequenti patebit, nec aliquod decretum voluntatis diuinæ: quia omnis actus diuinæ voluntatis Verbi productionem conſequitur, vt ex Scoto oſtẽdi. Si ergo non eſt cognitio comprehenſiua eorum, quæ formaliter ſunt in Deo, multo minus creaturarum, quæ habent eſſe extra Deum. Eſto autem, quod hac cognitione Pater omnipotentiam comprehendat, quæ ſi cõcurrat per modum principij ad Verbi productionem, aut non, patebit infra in difficult. 90. non ex inde infertur comprehendere, aut cognoſcere creaturas: quia & ſi omnipotẽtia â nobis per modum formæ reſpectiue concipiatur: in ſe tamen eſt forma abſolutiſsima, & nullatenus reſpiciens creaturas, nec poſsibiles: licet bene creaturæ, vt poſsibiles omnipotentiam Dei reſpiciant: atque ideo recte valet, omnipotentiã comprehendi, creaturis etiam poſsibilibus non cognitis.

Ad 2. arg.

Ad tertium bene fateor, Verbum eſſe repræſentatiuum eſſentiæ, & creaturarum: ſed ita repræſentat creaturas, vt non ſolũ creaturas poſsibiles, ſed etiã futuras diuino intellectui repreſentat: non tamen ab illis procedit, quia Verbum repræſentans obiectũ primariũ, & ſecundariũ non ab hoc, ſed ab illo procedit: ab illo enim procedit, â quo ſufficienter procedit, etiam circunſcripto, & ſecluſo quocumque alio: ſed ſi omne obiectum ſecundarium circunſcribatur, adhuc Verbum diuinũ ab obiecto primario, quod eſt eſſentia perfectiſsime procedit: ergo etiam ſi ſecundarium repræſentet, non tamen procedit ab illo. Imo dico, quod pro illo priori, pro quo Verbum eſt productum, nõ repræſentat creaturas: nã pro illo priori originis, & naturæ, creaturæ nullum intelligũtur habere eſſe: quod autẽ nõ habet eſſe, nõ poteſt repræſentari: quia intelligibile non eſt: ſed habent eſſe in ſecundo inſtanti naturæ. Verbum igitur pro illo priori eſt repræſentans tãtummodo obiectum, quod ad eius productionem ſupponitur, & eſt repræſentatiuum cuiuuis obiecti intelligibilis

56. Ad 3. arg.

bilis, quando tale obiectum intelligibile fuerit. Quia ergo in secundo instanti naturæ, & non antea, creaturæ habent esse intelligibile: ideò in tali istãti naturæ repræsentantur à Verbo, non autem in primo, in quo non dum habent esse intelligibile. Ad hoc potest adaptari exemplum desumptum ex supra notatis in difficultra. 31. vbi inquit Doctor, quod si Beatus aliquis per Dei potentiam videret essentiam non visis personis, & postea Deus illi personas ostenderet, eadem prorsus visione, qua prius essentiam sine personis, videret postea simul essentiam, & personas, nõ addita aliqua noua entitate, sed tantũ addita noua terminatione personarum quas denuo per illam videret. Hoc igitur modo (seruata tamen proportione) intelligendum est Verbum in secundo instanti naturæ repræsentare personas, quas antea non repræsentabat in primo.

57. Ad quartum negatur, Filium ex vi suæ productionis habere cognitionem creaturarum. Quia vt nuper dixi, pro illo signo originis, & naturæ, quo Verbum producitur, non intelliguntur creaturæ habere esse, nec à fortiori Pater, qui est prior origine Filio, earum cognitionem aliquam habuisse, concipitur: & sic ruit machina argumenti. *Ad 4. arg.*

DIFFICVLTAS LXXXIX.

Vtrùm Verbum formaliter procedat ex cognitione diuinarũ personarum, seu relationum?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ cum quorundam opinionibus.

1 NON multum immorabor in huius controuersiæ ventilatione: plura etenim, quæ pro ipsa resoluẽda, enucleanda se offerunt, satis in præcedente remanent præhibata. Non ergo hic specialiter quærimus, an Verbum diuinum ex cognitione diuinarum personarum procedat, quoniam de hoc satis diximus hucusque, & iam Verbum diuinũ ex nullius obiecti cognitione procedere supposuimus. In duplici ergo sensu restat nunc disputanda præsens difficultas: primo, an ex hypothesi, quod per cognitionem aliquam Verbum procederet: procederet quidẽ ex cognitione relationũ diuinarũ, seu personarũ. Secundus vero sensus est, an etiã si per nullius obiecti cognitionem procederet, præsupponerentur diuinæ relationes, seu personæ, ad eius productionem in ratione obiecti intelligibilis fœcundantis intellectum Paternũ in ratione memoriæ.

2 In qua difficultate Authores omnes, qui cum D. Thoma tenuere, in difficultate 88. Verbum procedere ex cognitione creaturarum, tenent quoque procedere ex cognitione personarum, ita quod Verbum procedit ex cognitione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: quia si Verbum procedit ex cognitione creaturarum: quia procedit ex cognitione omnis obiecti intelligibilis: quia procedit ex cognitione cõprehensiua Patris: intimius includi videtur, in hac comprehensione Trinitas personarum, quam possibilitas creaturæ. A fortiori igitur Verbum procedit ex cognitione personarum, quam creaturarum possibilium. 1. *sententia*

3 Varie tamen specialiter in hac re, loquuntur Doctores, etiã ipsi, qui in difficultate præcedẽte vnanimes extitere. Quidam enim simpliciter omnes relationes, & personas ad productionem Verbi concurrere per modum formalis principij affirmarunt, freti potissime illa super tacta ratione, quod scilicet, procedit Verbum per comprehẽsiuam scientiam Patris, quæ est scientia omnium, quæ formaliter sunt in Deo. Ex quo concludunt ex cognitione omnium personarum procedere. Alij vero ex Caietano 1. par. q. 34. art. 3. conãtur colligere nouam sententiam, nimirum Verbum procedere ex cognitione sui ipsius, & Spiritus Sancti: quatenus tamen Verbum, & Spiritus Sãctus cognoscuntur à Patre, cognitione quidem non intuitiua, sed abstractiua. Cuius sententiæ fundamentum est: quia notitia non terminatur ad obiectum 2. *Sent.*

non

ctum non dum existens: abstractiua vero ab existentia abstrahit, & ideò res nõ existentes considerat. Quia igitur pro illo priori, quo Pater Verbum præcedit, non adhuc intelligitur Verbum existens, quia pro illo priori originis non dum productum concipitur, nec habens esse in Deo: ideò non potest terminare notitiam intuitiuam, qua illud Pater producit. Quia autem à fortiori Spiritus Sãctus pro illo priori nõ intelligitur esse productus, nec existẽs: ideo similiter, vel multo minus, potest notitiã intuitiuã, qua Verbũ procedit, terminare. At qui ipsũ Verbũ, & Spiritus Sãctus antequã intelligantur existentiam habere, abstractiue intelliguntur à Patre: & vt sic clauduntur in cognitione comprehẽsiua illius. Quia ergo Pater per comprensiuam cognitionẽ Verbũ producit: ideò stat, hanc cognitionem esse abstractiuam diuinarum pesonarum, non vero intuitiuam.

4. Ferrara autẽ 4. cõtra gẽtes cap. 13. alia incedit via, affirmãs videlicet, Patrẽ ideo Verbũ producere, vt per illud notionaliter intelligat, quæ sunt in se ipso. Vnde videtur asserere, nec quidẽ ex cognitione ipsius Verbi, nec ex cognitione Spiritus Sancti, Verbum procedere. Si quidem vt Verbum ipsum, & Spiritum Sanctum Pater cognoscat, Verbũ producit: si igitur Verbi productio ad hanc notionalem scientiã præsupponitur: proculdubio Verbum, nec de cognitione sui ipsius, nec de cognitione Spiritus Sancti procedit. Hæc tamen sententia Ferrariensis, licet verũ affirmet, quatenus ex ea colligitur Verbum non procedere ex cognitione sui, nec Spiritus Sãcti: falso nihilominus nititur fundamento, in eo quod dicit Patrem Verbum producere, vt per illud aliquid cognoscat. Nam vt *D.* Augustinus sæpissime clamat, & præsertim lib. 83. quæstionum, q. 23. Pater nõ est sapiens sapientia genita, quod nos late de eius mente supra in difficult. 67. demonstrauimus: atque ideò reijcienda est penitus hæc Ferrariensis opinio.

3. Sentent.

5 Gabriel Vazq. vero in sua sententia tripartitur, & medius inter oppositas classes versatur: nã quãuis in difficultate præcedente nobiscũ asseruerit, Verbum neutiquã ex cognitione creaturarũ etiã possibiliũ procedere: & modo, in 1. p. disp. 142. ca. 3. cũ aduersarijs teneat cõtra Scotũ, Verbum diuinũ procedere ex cognitione Patris, & Filij: nihilominus in eadem disp. c. 4. cum Scoto contra aduersarios sentit, Verbũ minime ex cognitione Spiritus Sãcti procedere. Fundamentum suæ sententiæ in cap. 3. vltra cõmune aliorũ Thomistarum, quo scilicet tenet contra secũdã sentẽtiã Verbum procedere ex cognitione intuitiua Patris, & Filij, & non tantum per abstractiuã, sic probat: quoniam cũ productio Verbi sit actus sciẽtiæ, & intellectionis, & Verbum produci, nihil aliud sit quã intelligi: hinc est, quod eodem actu simul Verbũ producitur, & intelligitur: sed cũ Verbũ producitur, eius productio ad esse ipsius terminatur: ergo similiter eius cognitio terminatur ad illud. Cũque simul Paternitas sit cum Filiatione, nõ solũ natura, sed intellectione: quia relatiua sunt simul natura & cognitione: consequens est, intellectionem productiuam Patris esse ad ipsam quoque paternitatem terminatam.

4. Sentent.

6 Si autem cõtra arguas pro parte Scoti (inquit Vazq.) quod scilicet, tunc Verbum esset imago sui ipsius, si ex se ipso tanquam ex obiecto procederet, quod vt absurdum infert Scotus, minime sequitur: nam vt Verbũ sit imago alicuius tanquam obiecti, debet realiter ab eo distingui: quia nihil est imago sui ipsius, & imago in vniuersum includit originem ab eo, cuius est imago.

7 Et si iterum obijcias (inquit ipse) ꝙ si Verbum producitur cognitione sui ipsius, fit, vt prius fuerit in memoria Patris in actu primo, per modũ obiecti: eorum autem, quæ sunt in intellectu per modum actus primi, Verbum est imago: ergo Verbum erit imago sui ipsius. Respõdet, primum eodem modo illud intelligi de his solum, quæ sunt in actu primo intellectus, à quibus realiter differt Verbum: nam talis distinctio necessaria est inter imaginem, & id, cuius est imago: igitur cum Verbum non distinguatur à se ipso, etiam si dicatur fuisse in intellectu Paterno per modũ actus primi, non licet inferre esse imaginem sui ipsius.

Præ-

8 Præterea respondet Vazquez ad prædictam obiectionem ex inconuenienti Scoti, Verbum diuinum non præfuisse in memoria Patris per modum actus primi eo modo, quo sunt obiecta intelligibilia, quæ solũ in actu secundo intelliguntur, absque eo quod producantur: sed fuit in memoria Patris, tanquam in principio producente simul, & intelligente: quia Verbum diuinum simul à Patre producitur, & intelligitur: imo eius intelligi, est produci. At qui Verbum solum potest esse imago eorum, quæ fuerunt in memoria Patris in actu primo permodum tãtum obiecti intelligibilis: hæc enim rè præsentare potest: sed non est imago eius quod fuit in memoria Patris, vt in principio producente: & ideò non est imago sui ipsius. Quod quidem in humanis patet: nam verbum mẽtis nostræ, quod fuit in memoria, & actu primo intellectus, non est imago sui: quia fuit in illo, vt in principio productiuo: est tamẽ imago obiecti, quod repræsentat: quia fuit illud in actu primo intellectus, vt obiectum tantum, non vt in principio productiuo. Hæc ferè omnia sunt verba Vazquij, quæ probare intendunt eius sententiam, pro illa parte, qua asserit Verbum ex cognitione sui ipsius, & Patris procedere.

9 Pro alia vero parte, qua negat Verbũ procedere ex cognitione Spiritus Sancti ponit rationem ex Scoto desumptam, quæ infra pro intelligentia quæstionis explicabitur. Sed quia plerique alij oppositæ classis, non tantum de cognitione Patris, & Filij, sed etiam de cognitione Spiritus Sancti, Verbum procedere arbitrantur, probatur hæc pars contra Vazquium pro illorũ sententia. Nam cognitio, qua Pater Verbum producit, est cognitio intuitiua omnis actus naturalis, qui est in Deo: sed Spiritus Sanctus procedit per actũ naturalem ipsius Patris: ergo cognitio, qua Pater Verbum producit, est cognitio Spiritus Sancti: esse autem productionem Spiritus Sancti, actum naturalem, tenet ipse Vazquez cum cæteris Thomistis, quatenus negant libere per voluntatem procedere, & cum D. Thoma affirmãt procedere naturaliter. Ex quibus deducitur non tantum ex cognitione Patris, & Filij, sed etiam ex cognitione Spiritus Sancti procedere.

§ 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

IN oppositum autem est Doctor subtilis, qui in secundo sententiarum dist. 1. q. 1. sub litera F. §. 10 *Sed contra istud*, vt probet ab incõuenienti secuto, Verbum non procere ex cognitione creaturarum: quia etiam tunc procederet ex cognitione omnis intelligibilis, hæc ait. *Item non tantum Pater nouit creaturas formaliter: sed etiam nouit Filium formaliter: igitur si de omnibus, vt notis Patri, gignitur Verbum de Verbo, vt noto Patri, gignitur Verbum: & ita Verbũ gignitur de Verbo.* Quibus verbis, hoc infert Doctor absurdum, quod scilicet Verbum procederet de se ipso. Tenet igitur nullam personam, nec relationem, ad Verbi productionem concurrere. Et quod non tantum ibi sentiat Verbum non gignidese ipso, sed nec etiam de aliqua diuinarum personarũ, patet ex verbis eiusdem infra in hoc primo dist. 32. quæst. 2. ar. 3. solut. ad 4. vbi loquens de productione Spiritus Sancti, quam ipse ferè æquiparat productioni, hæc ait *Licet autem ex vi productionis suæ, primo sit amor essentiæ: tamen concomitanter potest dici amor Filij: quia illæ personæ sunt in natura primo amatæ ex necessitate illius naturæ.* Ex quibus colligit Caietanus Scoti sententiam, quæ in hoc consistit, nimirum, quod licet aliquæ diuinæ personæ concomitanter, seu quasi materialiter concurrant ad productionem alterius: non tamen est aliqua quæ veluti principium formale, seu per modum principij formalis illius ad eam pertineat. Sequntur ergo Doctorem omnes Scotistæ citati pro eius sententia in difficultate præcedẽte, cum omnes cum eo sentiant à nullo obiecto secundario Vebum procedere: de qua videndi sunt Dominus Rada prima parte controuersia. 11. art.

Vera Scoti sent.

Rada.

art.2.conclusione 4.& Philippus Faber in 2.dist.2.cap.2. Vazquez vero, vt visum est, Scotum sequitur quoad eam partem, qua asserit Verbum ex cognitione Spiritus sancti non procedere.

11 Pro intelligentia ergo huius Scoticæ sententiæ, & difficultatis resolutione primum obseruari oportet, quod licet Doctor senserit nullam diuinam personam formaliter per modum obiecti, seu formalis principij *quo*, ad alterius personæ productionem concurrere; admittit nihilominus in verbis citatis aliquam concomitanter ad illam se habere: atque ideò vnum de omnibus vniuersaliter est asserendum, nimirum Verbum non procedere formaliter ex cognitione alicuius diuinæ personæ: nec aliquam diuinarum personarum formaliter se habere per modum obiecti intelligibilis fœcundantis intellectum paternum ad Verbi productionem: quod idem prorsus de productione Spiritus Sancti dicendum est. Aliud vero non ita in vniuersum, sed sub distinctione de mente Doctoris asserimus, videlicet non omnes diuinas personas concomitanter se habere ad productionem Verbi, seu Spiritus sancti: sed illas solùmodo, quæ ad tales productiones præsupponuntur habere esse personale. Ex quo manifestum fit, Verbum diuinũ non solùm formaliter, quinimo, nec concomitanter, seu quasi materialiter ex cognitione Spiritus sancti procedere, quod benè colligit Vazquez ex Scoto, & hic rectè eius doctrinã speculatur: nam Spiritus sancti persona in nullo esse personali ad Verbi productionem præsupponitur: si igitur non eam præcedit, minimè ipsius formale principium concomitari concipitur. Non solùm ergo formaliter, quinimo, nec concomitanter ad Verbi productionem Spiritus sanctus concurrit.

12 Porrò nec Verbum concomitanter posse ad sui processionem concurrere ostenditur contra Vazquium: quia pro illo priori originis, pro quo Pater concipitur generans, nondum intelligitur Verbum genitum: nam terminus nequit præintelligi actioni, per quam producitur ipse, sed benè actio in omni rigore Philosophiæ præintelligitur suo termino. Non igitur potest Verbum præcedere se ipsum, vt terminum generationis diuinæ: ergo non potest cõcomitari Patrem generantem pro illo priori originis, pro quo generat, & est Pater. Igitur non solùm formaliter, vt Vazquez dicebat, quinimo, nec concomitanter Verbum se ipso, aut ex sui cognitione procedit.

13. Loquendo autẽ de Patre aliter est dicendum: nam cum Pater, vt Pater prioritate originis Filiũ præcedat: optimè intelligitur paternitatem ipsam Patris personam concomitanter se habere ad generationem Filij: quia pro illo priori originis, pro quo nondum intelligitur Filius genitus, & intelligitur Pater, vt generans, intelligitur essentia, non vt præcisè essentia, sed vt iam terminata per paternitatem. Paternitas igitur illã concomitatur in ratione obiecti: ita vt licet ad generationem per modũ principij formalis, seu obiecti intelligibilis, formaliter non pertineat, concomitatur nihilominus essẽtiã, quæ formaliter est principium generationis per modum talis obiecti, atque ideò Verbum diuinum à paternitate, siue à Patre, licet non formaliter, benè tamen concomitãter procedit.

14 Cæterũ Spiritus sanctus, non de se ipso formaliter, aut cõcomitãter est, sed sicut Doctor in litera relata ostẽdit, formaliter est de essẽtia: & ideò formaliter est solius essentiæ amor. Cõcomitanter vero est de Patre, & Filio: quia iã supponũtur esse in essentia, seu natura illa, cuius est amor, quinimo ipsi prius diligũt essentiã, quam de illa tanquam de obiecto diligibili amorem notionalem, qui est Spiritus sanctus, producant: quia ergo præsupponitur essetia terminata per paternitatẽ, & filiationem, & tales duæ personæ iam subsistũt in tali natura primo amata (ibi enim non solùm de Filio, sed etiam de Patre aperte loquitur Scotus dum pluraliter inquit *personæ sunt*) ideò inquit Doctor, quod potest dici Spiritũ sanctum concomitanter esse amorẽ Patris, & Filij: eo quod ab ipsis concomitanter se habentibus, ad obiectum formale, procedit.

15. Demum est obseruandum secundo, non solũ creaturas, sed etiam relationes

diuinas,quinimo & attributa,eſſe obiecta ſecundaria (de attributis autem ſpecialiter agitur in difficultate ſequente) nam omnia,quæ formaliter non ſunt ipſa præciſa eſſentia, ſed ab eſſentia, tanquam à radice, quaſi pullulant, ſeu dimanant, obiecta ſecundaria ſunt reſpectu eiuſdē præciſæ eſſentiæ: quæ tantūmodo eſt obiectū primariū intellectus, & voluntatis Dei: illud namque ſolum modo eſt obiectum primarium eius, quod tantùm mouet, ſeu quaſi mouet potentiam, & primario terminat illam: diuinus vero intellectus, ſeu voluntas, non mouetur ab alio, quàm ab eſſentia ſua, & ad illam tantummodo primario terminatur: nam ex motione,ſeu quaſi motione illius, primo terminatur intellectus ad ipſius eſſentiæ cognitionem, & voluntas ad eiuſdem dilectionem:ſecundario autem ad cognitionem eorum, quæ virtute talis obiecti primarij cognoſcuntur. Vnde eſt quod diuinæ relationes,ſeu perſonæ: imo & attributa, ſunt obiecta ſecundaria intellectus, & volūtatis ipſius Dei. Quod, vltra omnes ferè veteres Scotiſtas, ex Doctore notarunt dominus Rada 1.parte controuerſ 6.notabili 2. & concluſione 3.& 5. ac Pater Herrera in primo diſput. 10. quæſt. 15. notabili 2. In huiuſmodi ergo obiectis ſecundarijs,hæc eſt differentia, quod omnia ſeruant hunc ordinem inter ſe,nimirum quod attributa præcedunt relationes: relationes præcedunt creaturas poſsibiles: & creaturæ poſsibiles præcedunt ſe ipſas futuras: licet omnia hæc ſint verè obiecta ſecundaria,quia virtute obiecti primarij à diuino intellectu cognoſcuntur.

16 Loquendo igitur de obiectis ſecundarijs, quæ formaliter habent eſſe in Deo, quædam ſunt, quæ protinus diuinas productiones præcedunt, quædam vero,quæ (modo ſupra expoſito) conſequuntur ad ipſas:prioris generis ſunt attributa diuina: nam Pater pro illo priori originis, pro quo nondum intelligitur Verbum productum, eſt perfectiſsimè ſapiens,bonus,&c. Antecedenter ergo ad productiones diuinas intelliguntur attributa Dei ab eſſentia pullulare: ac proinde concipiuntur huiuſmodi attributa diuinas productiones præcedere. Ex quo ſatis conſtat latitudinem ordinis eſſe intra obiecta ipſa ſecundaria ad inuicem conſiderata, licet omnia reſpectu eſſentiæ ſecūdaria ſint. In ſecundo ergo genere ſunt relationes ſeu origines, quæ ſe inuicem reſpiciūt, & etiam aliæ diſparatæ: ſic filiatio conſequitur paternitatem, & ſpiratio actiua paternitatem, & filiationem: & ſpiratio paſsiua conſequitur vtranq; productionem diuinam.

§. 3.

Statuuntur concluſiones huius difficultatis.

HIs ergo præhabitis,difficultatem concludendo dico primo, non omnes relationes diuinas præcedere productiones Verbi, & Spiritus ſancti,benè tamē aliquas, ita quod paternitas tantummodo præcedit Verbi productionem,non vero filiatio, nec ſpiratio: ipſa vero paternitas, & filiatio præcedunt productionem Spiritusſancti,non vero ſpiratio. Concluſio hæc ſatis probatur ex ſupra notatis à num.11. vſque ad decimum quartum. 17 *Prima concluſio.*

Dico ſecundo, quod data hypoteſi, quod diuinæ perſonæ procederent per cognitionem intellectus, & dilectionē voluntatis, Verbum concomitanter, ſeu quaſi materialiter procederet ex cognitione paternitatis,ſeu Patris:non tamen procederet, etiam concomitanter ex cognitione ſui,aut Spiritus Sancti. Cōcluſio eſt Scoti vt ex verbis eiuſdem ſupra relatis patuit: quæ ex notatis manet ſufficiēter probata, & oſtēſa. 18 *Secunda cō cluſio.*

Dico tertio: quod etiam data hypoteſi, quod Verbum per cognitionem intellectus Paterni procederet, minime procederet formaliter ex cognitione alicuius diuinæ perſonæ,aut relationis:neque aliqua relatio,ſeu perſona per modum obiecti intelligibilis, vt principij formalis, formaliter ad eius productionem concurrit: quod idem prorſus de productione Spiritus Sancti dicendum eſt. Concluſio hæc eſt Doctoris, vt conſtat ex eius relatis Verbis, & pro- 19 *Tertia concluſio.*

probatur primo, ſigillatim de qualibet perſona: nam vt Verbum diuinũ proce deret ex cognitione Spiritus Sãcti, iam Spiritus Sanctus neceſſariò præſuppo neretur Verbi productioni exiſtẽs: quia intuitiua cognitio qualis (ſecundũ aduerſarios) eſt Verbi productio, termi natur ad obiectũ exiſtens: ergo ſi ex cogni tione intuitiua Spiritus Sancti Verbum formaliter procedit, procul omni dubio Spiritus Sanctus præſupponitur exi ſtens ad huiuſmodi intuitiuã cognitionem, & conſequenter ad productionẽ Verbi: quæ (ſecũdũ eos) eſt ipſamet cog nitio intuitiua, & multò magis ad ipſum Verbũ: nam ſi præcedit actionẽ, per quã Verbũ producitur, à fortiori præcedit terminum talis actionis, & tunc Spiritus Sanctus aliqua prioritate originis eſſet prior ipſomet Verbo: quod quã falsũ ſit nemo neſcit, eo nãq; quod Spiritus ſanctus à Filio procedit, eſt poſterior origi ne Filij: non igitur Verbum ex cognitio ne Spiritus ſancti procedit: nec Spiritus Sãctus aliquatenus ad Verbi productio nem poteſt concurrere.

20. De cognitione autẽ ipſiuſmet Verbi ſatis oſtenditur ratione Scoti: quia tunc Verbũ diuinũ ſibi ipſi præſupponeretur exiſtens, & ante ſui productionẽ perſonaliter exiſteret, ſeu abſq; repugnantia præconciperetur exiſtens: ſi quidem (vt ſupra notaui ex aduerſarijs) productio Verbi eſt cognitio intuitiua ab obiectũ exiſtens terminata: ſed repugnat produ ctũ præintelligi ſuæ productioni: ergo repugnat Verbũ ex cognitione intuitiua ſui ipſius produci, nec neceſsum eſt (vt Vazquez putauit) probare hanc par tem concluſionis ex ratione imaginis, quam ſibi obijcit ex Scoto ſup. n. 6. qua nuſquã Doctor vſus eſt: nam hic tantũmodo intendimus, nec Verbũ, nec Spiri tũ ſanctũ ſecundũ exiſtentias relatiuas, quibus perſonaliter exiſtunt, præſuppo ni ad Verbi productionẽ, vt à fortiori in feratur, nõ cõcurrere formaliter per mo dũ obiecti intelligibilis, vt principij for malis ad Verbi productionẽ: negata ete nim exiſtentia cauſæ, benè negatur cau ſalitas eius. In ſequẽti autẽ probatione, nimirũ de perſona Patris, alia via proba tur concluſio: quia videlicet etiã exiſtẽ te Patre ante Verbi productionẽ, nõ ha bet Pater rationem obiecti intelligibilis concurrentis formaliter ad productionẽ Verbi. Verbũ igitur vt cognitũ, ſe ipſum nõ poteſt præcedere, vt productum eſt, q̃ Doctor in illa ratione demõſtrat.

Argumẽtũ autẽ de imagine, quod ſibi ex Scoto obijcit Vazquez, nõ eſt ad pro poſitũ, nec illo nititur huiuscõcluſionis veritas: nã Verbũ nõ eſt imago eſſentiæ, ſed Patris: eo quod tũc eſſet imago ſui ip ſius, cũ Verbũ formaliter ſit eſſentia, & nihilominus eſſentia habet rationẽ prin cipij per modũ obiecti ad Verbi produ ctionẽ nõ autẽ Pater. Quãuis igitur Ver bũ non eſſet imago ſui ipſius poterat ni hilominus â ſe ipſo procedere in ratio ne obiecti, ſicut procedit ab eſſentia, cu ius nõ eſt imago, quod ſatis ſufficeret ad intentũ difficultatis pro aduerſariorum ſententia: nihil igitur obſtat probatio ni noſtræ concluſionis tota machina ſo lutionũ, quas Vazquez præbet obiectio ni prædictæ de imagine, atque ideò non eas hic ſpecialiter improbo. 21.

Tandẽ ergo de Patris perſona proba- 22.
tur cõcluſio, nõ ex eo quod non præce dat: diximus nãq; ſupra, verè Patrẽ præ cedere Verbi productionẽ, & vt ſic be ne poſſe intuitiuè intelligi eadẽ cogni tione, qua Verbũ producitur, ſi talis pro ductio intellectio eſſet. Cæterũ cõcomi tãter tantũmodo, & nõ formaliter ſe ha bere ad productionẽ huiuſmodi, proba tur: nã ſi per impoſsibile Pater ſe ipſum nõ cognoſceret ante Verbi productio nẽ, ſed tantũ intuitiuè eſſentiã intellige ret: eſſentia quidẽ eſſet ſufficiẽs obiectũ, & formale principiũ ad perfectiſsimã, & cõpletiſsimã Verbi productionẽ: ſed quãdo duo ſic ſe habẽt ex parte princi pij, quod vno illorũnõ cõcurrẽte, adhuc idem prorſus terminus eſſet productus, qui produceretur, ſi duo ſimul concur rerẽt: illud quidẽ quo circũſcripto, vel ſublato, aliud ſufficienter producit, nõ eſt neceſſariũ, nec formale principiũ ta lis productionis: ergo cũ circunſcripto Patre ex parte obiecti, & poſita tantum modo eſſentia, idem Verbum produce retur, quod produceretur cũ cognitio nẽ eſſentiæ ſimul & Patris, conſequẽter cognitio Patris tantũmodo concomitã ter, & neutiquam formaliter ad Verbi productionem ſpectat.

Quibus accedit ad maiorem proba- 23
tionem concluſionis, quod cum Ver-

bum, ita independenter ab actu intelligendi procedat, quod etiam si per impossibile Pater non intelligeret: verè produceret idem Verbum, quod præsuppositâ intellectione essentiali, notionaliter producit: hinc est, quod ad Verbi productionē nō concurrit Pater per modum obiecti intelligibilis, vt principij formalis, & ex consequenti Verbum ex nulla relationum, siue personarum cognitione procedit.

§. 4.

Soluuntur rationes dubitandi, & fundamenta prioris sententiæ, & aliarum.

24 *Ad fundamentū primæ sententiæ.*

AD argumenta vero in oppositum respondetur, primo ad fundamentum prioris sententiæ patet solutio ex supra dictis in difficultate præcedenti nume. 51. nimirum Verbum diuinum non procedere ex cognitione comprehensiua omnium intelligibilium: nec ex vi suæ productionis repræsentare omne intelligibile. Vnde sicut ibi dictum est hac ratione nō procedere ex cognitione creaturarum: sic nunc dicimus, neque ex cognitione personarum procedere: nam licet inter obiecta secūdaria, intimiora sint, quæ sunt formaliter in Deo, quàm creaturæ: personæ nihilominus in hoc cum creaturis conueniunt, quod est in præcedere Verbi productionem: & siquæ est, quæ præcedat, qualis est Pater, concomitanter tantùm & non formaliter ad Verbi productionem concurrit.

25 *Ad fundamentum secundæ sententiæ.*

Ad fundamentum vero secundæ sententiæ (quam benè improbat Vazquez) dico, notitiam abstractiuam haberi non posse de aliqua diuinarum personarum in ratione personæ, aut talis personæ: quia qui cognosceret personam diuinam abstrahēdo ab eius personali existentia, quæ est idem, quod subsistentia: non personam conciperet, sed tantùm naturam diuinam: cùm in persona diuina non sit aliquid aliud, quàm essentia & subsistentia, seu existentia personalis: & tunc idem dicitur, quod nos asserimus, videlicet ex sola essentia Verbum produci. Concipere igitur personam non existentem personaliter, esset mera fictio concipientis, hic autem omnem fictionem excludimus.

26 *Ad fundamentū tertiæ sententiæ*

Ad fundamentum tertiæ sententiæ pro ea parte, qua militat contra nostrā, patet solutio ex confutatione illius posita ibi.

27 *Ad fundamentū Vazqui.*

Ad Vazquem vero, quatenus ait, Verbum procedere ex cognitione sui & Patris, & ad eius fundamentum respōdeo, in primis Verbi productionem scientiam non esse, vt sæpe dixi: & ideō non esse idem Verbum intelligi, & produci: quo tota machina argumenti facillimè dissoluitur. Esto nihilominus, quod Verbi productio esset scientia: adhuc profectò non concluderet argumentū propter duo. Primum quidem est: quia etsi intellectio esset productio, non posset præintelligi terminus suę productioni, nec intellectio suo obiecto: nam intellectio intuitiua terminata ad obiectū, præsupponit ipsum obiectum vt existens, à quo vt vera notitia paritur. In quo differt notitia intuitiua ab abstractiua: nā hæc est, & potest esse de quolibet obiecto, quod ad ipsam nondum existēs supponitur: illa vero necessariam existentiam obiecti essentialiter præsupponit. Esto igitur, quod esset notitia intuitiua, non terminaretur ad Verbum, quod nō præsupponeret vt existēs. Quod autem infert Vazquez, quod si productio est intellectio, sicut productio terminatur ad esse sui termini, sic intellectio terminatur ad illud: libenter admitto, sed argumentum retorqueo contra Vazquium: nam intellectio ista est productio: ergo sicut productio non habet esse à termino, ad quem terminatur: imò terminus habet esse à productione: sic nec intellectio ista habet esse à Verbo, ad quod terminatur: sed Verbum habet esse ab illa, & consequenter productio Verbi nō potest esse ab ipso Verbo, quod est intentū.

28

Secundū autem est, quia etiam si Verbum sui productionē præcederet, sicut de Patre diximus: adhuc tamen materialiter, & concomitāter se haberet ad Verbi productionē, non verò formaliter: sicut de Patre cōclusimus. De solutionibus verò Vazqui ad obiectionē de imagine, satis dictum est supra num. 21.

DIF-

DIFFICVLT. XC.

Vtrùm Verbum diuinum procedat ex cognitione attributorum simul, & essentiæ?

1 RESTAT nũc breuiter controuersiam de productione Verbi complere ex huius difficultatis resolutione, quæ satis ex dictis in duabus præcedentibus constare poterat: quia tamen peculiarem rationẽ dubitandi includit, peculiariter hic mouetur. Auctores igitur omnes, qui cum D. Thoma existimant Verbũ ex cognitione creaturarum, & personarum, seu relationum procedere: à fortiori de attributis id tenent, quod ita indubitanter apud eos est certum, vt existimet Vazquez, neque Scotum docuisse oppositũ: vt patet ex eis, quæ asserit 1.p.disp.142. cap.2.sub num.4.

2 Disputando igitur hanc difficultatẽ in eodem sensu præcedẽtium vrget hic potissima ratio dubitandi: nam attributa diuina præcedunt productiones, atq; ideò ex hac parte non inconuenit Verbum ex cognitione harum produci. Et præterea: quia diuina essentia, vt fœcũdãs intellectum paternũ, est perfectissima: nõ autẽ perfectissima esset, si prout sic non haberet bonitatem, sapientiam, iustitiam, &c. ergo ex cognitione attributorum Verbum procedit.

3 *Vera Scoti sententia.* In oppositum autem est Doctor subtilis in 2.dist.1.q.1.litera Q. vbi loquendo de obiecto formaliter fœcundante intellectum paternum ad productionẽ Verbi diuini, hæc profert: *In memoria autem paterna, &c. sed tantũ essentia diuina prius est actu intelligibilis, & ipsa quasi facit omnia alia intellecta.* Nec hic est admittẽda Vazquij interpretatio, quod per essentiam intelligit Scotus omnia attributa: quia ipse tenet attributa esse obiecta secundaria, essentiam autem solummodo habere rationem obiecti primarij. Quod expresse declarat in illis verbis, *& ipsa quasi facit omnia alia intellecta*: vbi ostẽdit omia obiecta secundaria, inter quæ enumerat attributa, intelligi virtute obiecti primarij, & quod sola essentia, quæ est obiectũ primariũ habet rationẽ obiecti intelligibilis fœcundantis intellectũ paternum per modum principij formalis in ratione memoriæ ad productionem Verbi. Debent sequi hanc sententiam omnes Scotistæ tãquam expressam Scoti: nam vt supra in difficult. 31. de eius mente ostendimus, attributa non pertinent ad obiectum beatificum, sed sola ipsa præcisa essentia, quæ perfectissime beat intellectum paternum. Obiectum igitur sufficiens se solo intellectũ beare, est quoque sufficiens ipsum perfectissime fœcundare in ratione memoriæ. Quia tamen à paucis difficultas hæc in terminis agitatur: non pro illa plures allegamus auctores, sed breuiter eã ex supra notatis in præcedentibus resoluo.

Quibus præhabitis difficultatem concludendo dico primo, quod licet cognitio attributorum ad productionem Verbi formaliter non pertineat: ipsa tamen attributa in ratione obiecti intelligibilis, huiusmodi productionẽ præcedunt ea prioritate, qua essentialia sunt priora notionalibus in Deo. Conclusio hæc est quo ad secũdam partem communis, & satis clara ex dictis supra in difficultate 89. num. 11. ex quibus sufficienter probatur. Quoad primam vero patet ex cõclusione sequenti. 4 *Prima conclusio.*

Dico secundo, quod quãuis Verbũ diuinũ possit dici cõcomitanter Verbum attributorũ, quatenus attributa concomitanter se habent cum essentia formaliter fœcundãte intellectũ ad ipsius Verbi productionẽ: non tamen formaliter per modũ obiecti necessariò requisiti, aut, vt formale principiũ, ad Verbi productionẽ concurrunt. Prima pars huius conclusionis patet ex notatis: nam quæcũq; entitas, quæ formaliter est in Deo, præcedens Verbi productionem, saltim concomitanter se habet ad illam: diuina autẽ attributa tanquã intimiora diuinæ essentiæ, quàm productiones, præcedũt ipsas productiones diuinas: ergo ad illas concomitanter concurrunt. 5 *Secunda conclusio.*

Secunda vero pars eiusdem conclusionis probatur, quia nullum obiectum secundarium requiritur à parte obiecti ad Verbi productionem: diuina autem 6

attributa sunt obiecta secundaria, vt dicet Scotus: ergo non requiruntur à parte obiecti ad productionem Verbi, si vero non requiruntur à parte obiecti, non formaliter habent rationem principij talis productionis: ergo, &c. Maior est Scoti, & patet: quia illud solùm obiectũ requiritur ad productionẽ Verbi, quod mouet intellectum paternum ad illam: sed intellectus paternus non mouetur ab aliquo obiecto secundario ad productionem Verbi: quia obiecta secundaria non virtute sui; sed virtute obiecti primarij attinguntur à tali intellectu: ergo, &c. Minor etiam est manifesta: quia sola essentia est obiectum primarium intellectus paterni.

7 *Tertia conclusio.* Dico tertio, quod sola diuina essentia non vt cognita, sed vt intelligibilis fœcundat intellectum paternum ad productionem Verbi, ita vt Verbum nõ ex cognitione essentiæ, sed ex essentia, tanquam ex obiecto intelligibili formaliter fœcundante intellectum paternum in ratione memoriæ, & habente rationem formalis principij, formaliter procedit. Conclusio hæc satis quoad vtranq; partẽ constat ex sæpe dictis, & late probatis in præcedentibus duabus difficultatibus, & amplius ex difficult. 49. patet essentiam nõ in ratione intelligentiæ, sed in ratione memoriæ ad Verbi productionem concurrere: & ideò non est hic opus deinceps eam probare.

8 *Ad rationem dubitãdi.* Ad rationem igitur dubitandi facillime respõdeo, quod etsi attributa Verbi productionem præcedant: ex hoc tãtùm colligitur concomitanter, non vero formaliter ad talem productionem concurrere. Quod autem assumitur de obiecto perfecto, & perfectè fœcundante intellectum in ratione memoriæ, dico, diuinam essentiam ex se sola, adhuc attributis præcisis, esse quidditatiuè perfectissimam omni perfectione eminentissimo modo: ita vt etiamsi perfectiones attributales non essent, adhuc ipsa ex se est perfectissima omni perfectione eminentissimo modo æquipollenti perfectionibus attributalibus. Est enim pelagus omnium perfectionum, ex cuius infinita, & quidditatiua perfectione, quasi pullulant omnes perfectiones attributales: de quo plura diximus supra in difficultate 31.

ARTICVLVS II.

Vtrùm respectus, quẽ dicit Verbum ad creaturas, sit proprius sibi?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod respectus, quem dicit Verbum ad creaturas, sit proprius sibi: quia Verbum ex ratione sui est notitia declaratiua: ergo competit sibi ex ratione sui declarare.

B. Secundo præterea: quia appropriatur etiam Filio relatio ad creaturas: appropriatio autem non fit nisi propter conuenientiam talis appropriati ad proprietatem personæ, cui illud appropriatur: ergo, &c.

C. Sed contra est: quia (*vt arguitur de dono in distinctione octaua*) prius intelligitur tota Trinitas in esse personali secundùm quodcunque esse, quàm creatura intelligitur secundum aliquod esse: quia quodcunque esse attribuitur creaturæ, siue reale, siue diminutum, illud est à tota Trinitate: & ideò creatura secundùm quodcunque esse eius necessario est posterior omni esse ad intra, & ideò nihil intrinsecum in diuinis includit necessario respectum ad creaturam, quæ posterior est: ergo, &c.

Hæc ratio desumpta est ex dist. 18.

D. Respondeo dicendum, quod *ad dicta pro opinione in articulo* 1. additur etiam, quod Verbum dicit propriũ respectum ad creaturas: & declaratur istud per simile de dono: & simili modo ponitur, sicut ibi, quod donũ, vt connotat relationem aptitudinalem, pertinet ad proprietatem Spiritus Sancti: ita Verbum, vt dicit relationem aptitudinalem, non actualem, nec habitualem, pertinet ad secundam personam.

Opin. Henrici.

Con-

D. Contra istud, potest argui, sicut supra argutum est de dono: quia nullus respectus ad creaturam est proprietas personæ diuinæ: nec per se intrinsecè includitur in aliqua proprietate personæ diuinæ, sicut probatur ibi: ita potest hic probari, quod concedo. Tũc non est vis, nec contẽtio de re, nec de aliquo intrinseco personæ diuinæ: sed solũ de hoc nomine Verbũ: sed supposito hoc, *quod dictum est in primo art. quod* formaliter respectus notitiæ expressæ ad exprimentem, alius est à respectu illius ad creaturam declaratam, & de istis respectibus in se, quod alter sit proprietas, & alter non: quid dicitur de hoc nomine verbum? num quid significat vtrumque, vel alterum? videtur quidem, quod verbum significet per se respectũ istũ realẽ: & primo, quia eius abstractum (vt dictum est) prius significat eundem: sed quia cõnotat notitiam perfectam, quæ notitia habet respectum rationis ad cognita per eam, ideò etiam connotat quasi adhuc remotiùs rationem declaratiui: & ita verbũ significabit proprietatẽ secundæ personæ: licet connotet aliquod absolutum in illa persona, quod est quasi terminus formalis productionis illius personæ, & mediante illo, quasi remotiùs connotet respectum ad omne illud, ad quod illud absolutum potest habere respectum rationis, scilicet ad omnia declarata.

E. Cum *igitur* additur postea *de respectu diuino se*, quod Verbum dicit respectum ad creaturas proprium sibi: hoc videtur multo salsiùs, quàm conclusio opposita ei, quam teneo: quia nõ tantùm ad creaturam relatio non includitur in ratione essentiali alicuius personæ: sed nec aliquo modo potest pertinere ad aliquam, quin vniformiter pertineat ad totam Trinitatem: quia tota Trinitas vniformiter se habet ad omne aliud secundum quodcunque esse, siue secundũ esse in re, siue secundùm esse intelligibile.

Conclusio.

Ad primum argumentũ cum probatur per declaratiuum, dico: quod intellectio actualis Patris est declaratiua: nec declaratiuum est propria ratio Verbi, sed notitiam expressam cõcomitatur declaratiuum: quia illa expressio est notitiæ actualis, vel in notitia actuali: & ideò sibi appropriatur declaratiuum, licet non sit proprium eius. F.

Ad secundum cum additur postea, quod appropriatio non fit, nisi propter conuenientiã cum proprio, nõ sequitur ex hoc, quod appropriatum sit proprium, sed oppositum: & cõcedo, quod proprium Filij, quod est exprimi, habet conuenientiam cum sapientia, & declaratiuo, & cum arte: pro eo quod ista expressio est alicuius per modum intellectus, & virtute intellectus, & talis expressio est notitia actualis, cuius est declarare notitiam habitualem, de qua exprimitur. G.

Expositio art. 2. quæst. 3. distinctionis 27.

CONTINVATVR hîc propositio opinionis Henrici confutatæ supra in artic. 1. qui non solũ ibi volebat respectus reales Verbi ad creaturas: sed hunc respectum hic asserit esse ita proprium Verbi, vt nulli alteri personæ conueniat, contra quem Doctor insurgit in hoc articulo ostendens falsiorem esse conclusionem istam, quã illam. Dato namque, quod Verbo talis respectus realis ad creaturas competeret: hic talis non posset non alijs personis conuenire, si quidem *tota Trinitas vniformiter se habet ad omne aliud secundum quodcunque esse, siue secundum esse in re, siue secundum esse intelligibile*. Quæ omnia clare habentur in textu.

ARTICVLVS III.

Vtrùm per rationem naturalem possit cognosci Verbum non esse essentiale in diuinis?

A. *Articulus iste non est textualis, sed ex additionibus.*

AD tertiũ sic proceditur, videtur, quod non possit cognosci per rationem naturalẽ, Verbum non esse essentiale in diuinis: quia tunc Trinitas ratione naturali cognosceretur.

B. Secundo præterea: quia in creatura verbum est æquè, scilicet cuiuslibet suppositi in natura: ergo, &c.

C. Sed contra est: quia cognoscitur non esse verè, primam personam esse Verbũ: sed alia est à prima: ergo, &c.

D. Respondeo dicendum, quod solutio ad illud de negatione patet, quod conceptus termini, siue verus in se, siue non, ostendit negationem de affirmatiua, hæc posset demonstrari: nam propter effectum causantem conceptum communem potest non per impossibile, & quodlibet cõtrariũ solui. Vtrùm *autem* ratio Verbi sit prior respectus Filij in secunda persona? quod sic: quia est magis per se terminus principij productiui. Contra, non prior notitia. Cõtra 7. de Trinitate cap. 4. opinio veri intelligibilis. Contra, natura substantiæ dicit principium moderatiuum. Solutio, Filius est subsistens in natura intellectuali genitus virtute naturæ, respectu existentis in eadem natura.

Ad argumenta *respondetur ex dictis.* E.

Expositio art. 3. quæst. 3. distinctionis 27.

CONCLVSIO est affirmatiua, & facilis ex breuiter dictis in textu, quæ expositione non egent.

DISTINCTIO XXVIII.

Præterea, &c.

QVAESTIO I.

De ingenito, prout est proprietas.

CIRCA distinctionẽ vigesimam octauam, in qua Magister agit de proprietatibus constitutionis, tria quæruntur, & primo quæro de ingenito, & ad primam quæstionem dico, quod duo sunt videnda: primo qualiter ingenitum soli Patri conueniat, & secundo, quomodo possit esse proprietas, cum videatur tantùm negationem importare. Circa quæ quæruntur quatuor.

¶ Primò. Vtrùm ingenitũ importet priuationem in diuinis?

¶ Secundò. Vtrùm ingenitum soli Patri conueniat, & sit eius proprietas?

¶ Tertiò. Vtrùm inspirabile sit notio diuina, sicut ingenitum?

Quar-

¶ Quartò. Vtrùm ingenitum sit proprietas Patris secundũ præcisam rationem priuationis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ingenitum importet in diuinis priuationem?

A. AD primum sic proceditur, videtur, quod ingenitum non importet priuationem: quia nulla est priuatio in diuinis: quia priuatum est imperfectum: ergo, &c.

B. Secundò præterea: *ingenitum cõstituit diuinam personam*: & in genitũ est negatio: sed negatio non constituit personam primam; quia nec secundam: tùm quia est alia notio, & vt sic non dicit essentiam tantùm, neque rem positiuam aliam â duabus, & tunc in quantum negatio, dicit dignitatem: ergo, &c.

C. Sed contra est, quod *ait* Augustin. 15. de Trinitate cap. 26. Pater enim solus non est ab alio: ideò solus appellatur ingenitus: & idem vult ad Orosium secundo.

D. Respondeo dicendum quantum ad primum, & dico, quod omnis dictio composita ex aliquo multiplici, & particula priuatiua, est dupliciter multiplex: tùm ex multiplicitate affirmationis oppositæ: tùm ex multiplicitate priuationis, sicut patet per Philosophum 5. Metaphysic. capit. de potentia, vbi impotentiam distinguit secundum multiplicitatem potentiæ, & præter hoc secundum multiplicitatem priuationis, quæ ponitur cap. de priuatione eodem 5. & ita hoc nomen ingenitum est multiplex, & multiplicitate eius, quod est genitum; & multiplicitate particulæ priuatiuæ. Quãtum ad primum, genitum dicitur proprie productum per generationem, vt primus terminus: extendendo autem genitum, dicitur genitum communicatum per generationem, quod est terminus formalis generationis, sicut dicit Hylar. quod nihil, nisi natum habet Filius. Tertio modo extenditur genitum ad productum, siue ad præexigens generationem, licet ipsum in se non sit terminus generationis, nec primus, nec formalis. Priuatio etiam licet multipliciter possit distingui in priuationem proprie dictam (putà quando aliquid caret eo, quod natũ est habere, & quãdo, & vt oportet, &c.) & in priuationem cõmuniter dictam (scilicet quãdo aliquid caret illo, quod natũ est habere) non tamen secundum conditiones prædictas: & adhuc communius, quando caret illo, quod ipsum natum est habere, non secundum se, sed secundum genus: sicut talpa dicitur cæca: quia visio, qua priuatur per cæcitatem, nõ repugnat animali secundum genus, licet repugnet talpæ secundum se.

Et isto modo, tanto generaliùs aliquid diceretur priuatum, quanto habitus, cuius est priuatio, natus est cõpetere communiori conuenienti ipsi priuato, putà communius diceretur priuatum aliquod, quod non haberet illud, quod natum est sibi competere secundùm rationem corporis, quàm cui natum esset competere secundùm rationem corporis animati: & adhuc communiùs, quod natum esset habere secundum rationem substantiæ, quàm quod natum esset habere secundùm rationẽ corporis: & communissime, si natum esset habere illud secundùm rationem entis. Exemplum primi, si lapis dicitur esse inanimatus, & priuari anima, hoc est: quia conuenit sibi se-

E.

Text. com. 17. *5. Met. tx. com. 27. & 10. Meta. tx. com. 19*

Tex. co. 27

cundum rationem corporis, cuius animatum eſt differẽtia. Exemplum ſecundi, ſicut Angelus dicitur incorporeus. Exemplum tertij, ſicut omnis creatura dicitur imperfecta, non quia nata ſit habere omnem perfectionem in ſuo genere: ſed quia habere omnem perfectionem, non repugnat enti: quia vni ſoli enti conuenit eſſe ſimpliciter perfectum. Negatio etiam diſtinguitur per negationem extra genus, quæ contradicit affirmationi ſimpliciter, & iſta vera eſt de quolibet, de quo falſa eſt affirmatio, ſiue de ente, ſiue de non ente. Alia eſt negatio in genere: & iſta præſupponit naturam generis, de qua dicitur: iſta poteſt intelligi multipliciter ſecundùm multiplex genus communius, & minus commune.

F. Ad propoſitum igitur loquendo de multiplicitate importata per hãc particulam, in, licet fiat altercatio: vtrùm importet negationem in genere, vel priuationem? Tamen videtur, quod idem ſit in propoſito, accipiendo negationem ſecundùm genus communiſsimè, ſi natum eſt habere illud, & priuationem ſecundùm genus communiſsimè: quia negatio in apto nato eſt priuatio ſecundùm Philoſophum 4. Metaphyſ. ita quod nihil addit priuatio vltra negationẽ, niſi quod requirit naturam aptam, in qua ſit: igitur negatio in genere, quocunque modo accipiatur genus, cum ſit in apto nato aliquo modo, licet non ſecundùm ſe apto, ipſa erit priuatio aliquo modo ſecundũ genus, licet non propriè in tali, ſecũdùm quod tale. Quod autem hoc modo multæ priuationes accipiantur in creaturis, patet, non ſolùm per illud Philoſophi de talpa: ſed etiam per communem diuiſionem communis in habitum, & priuationem, ſicut animal in rationale, & irrationale, irrationale quidem dicit priuationem in boue: non eius, quod natum eſt haberi in boue ſecundùm ſpeciem, ſed eius quod natum eſt haberi in boue, ſecundùm quod eſt animal: genus quidem quaſi commune habitui, & priuationi, eſt illud, cui conuenit aptitudo ad vtrunque.

Tex.com.4

In propoſito autem extendendo illud, quod eſt genus, ſiue intelligamus pro priuatione, ſiue negatione ſecundùm genus (per quæ ambo idem intelligo) poſſumus hic accipere quaſi genus id, quod eſt commune ad tres perſonas, vt perſona, ſiue ſubſiſtens: & tũc dicamus Patrem priuari aliquo ſecundùm genus: vel quod in Patre dicatur negatio aliqua ſecundùm genus alicuius, quod natum eſt competere non tantùm enti, ſed ſuppoſito, quod eſt commune Patri & Filio: & tunc hoc nomen, ingenitus, poterit ad propoſitum quadrupliciter accipi, vno modo propriſsimè, prout ſignificat carentiam propriam eius, quod importatur per hoc nomen genitum, vt ſcilicet primi producti per generationẽ: & hoc modo non eſt in diuinis: quia ibi nihil caret eo, quod ſibi natum eſt ineſſe. Secundo modo prout ſignificat communiter carentiam illius, quod ſignificatur propriè per genitum: & tunc connotat ſubſiſtens, ſiue perſonam, & ſignificat carentiam geniti proprie ſumpti: & hoc modo videtur competere de virtute ſermonis, Patri, & Spiritui Sancto, quorum vterque eſt ſubſiſtens, & non eſt genitus: non ſic conuenit eſſentiæ: quia ipſa licet ſit ens, & non genita, non tamen eſt per ſe ſubſiſtens, & perſona. Tertio modo, vt dicit carentiam, ſecundùm genus, & hoc geniti ſecundo modo ſumpti, ſcilicet pro communicato per generationem, & hoc modo eſſentia

G.

non

non dicitur ingenerabilis remouendo aptitudinem ad communicationem: sed vt in Patre potest dici non communicata, & ita ingenita, si hoc modo sumatur ingenitum. Quarto modo significat carentiam secundum genus, geniti communissimè sumpti: & tunc idem est ingenitum, quod subsistens non productum, & hoc modo accipitur à sanctis, prout scilicet significat negationem geniti communissime sumpti, scilicet producti, connotando subsistens in natura diuina: ita quod idem est ingenitum in diuinis, quod improductum proprie dictũ, quod patet per Augustin. *vbi supra.*

Conclusio.

H. Ad primum argumẽtum respondeo, quod concludit de priuatione, secundùm rationem propriam subiecti priuati: si enim ipsum carens aliquo, natum esset secundùm se habere illud: imperfectum esset: sed si natum sit secundùm rationem generis, non autem secundùm se, habere illud, non esset imperfectum, licet careret ipso.

I. Ad secundùm Respondeo, *quod est* dignitas personalis. Item negatio incommunicabilis, & propria: quia nec vna, sicut nec ens: nec de aliquo, nisi propter positionem, & sic instantia concludit, quod (*in quantum præcisè negatio*) non est notio.

Expositio art. 1. quæst. 1. distinctionis 28.

EXPONIT Doctor præclare hoc nomen *ingenitum*, circa quod resoluitur, qualiter priuationem importet: quia tamen quæ hic habentur, latius in difficultate sequenti prælibantur: ideò illuc remittitur plenior huius articuli expositio.

DIFFICVLT. XCI.

Vtrùm Pater constituatur in esse primæ personæ per paternitatem, an vero per hoc nomen ingenitum, seu per innascibilitatem?

§. 1.

Proponitur sententia affirmatiua.

AVCTORES quidã, quos innominatim refert Bonauentura in 1. dist. 28. quæst. 1. tenentes innascibilitatem, quam significat hoc nomen *ingenitum*, dici secundum relationem, & positiue: quia priuando vnam ponitaliam, sicut inæqualitas priuatę æqualitatis ponit relationem ei oppositam: dixerunt similiter, hoc, quod est ingenitum dicere priuationem relationis ad genitorẽ, & ponere relationem oppositam ad nõ genitorem. Ex quo consequenter probant innascibilitatem, seu ingenitũ esse notionem præsuppositam ad paternitatem: & ideò constituere Patrem in esse personæ Patris antecedenter ad paternitatem, & sic paternitatem non constituere Patrẽ in esse personæ Patris. Hãc sententiam nouissimè videtur excitasse Gabriel Vazquez 1. p. disput. 159. cap. 5. vbi licet dixerit Patris personam nõ necessariò intelligi cõstitutam, antequam generet: quia tamẽ innascibilitatem ad generationem præintelligit in persona Patris, videtur in hoc cũ prædictis opinantibus coincidere. Probatur igitur hæc sententia sequentibus argumentis.

1 *Prima sententia.*

Primo probatur auctoritate Diui Damasceni lib. 1. cap. 8. vbi inquit: *in diuinis omnia esse vnum præter in generationem, generationem, & processionem*: vbi tres rationes constitutiuas diuinarũ personarũ diffiniuit: sed Filius constituitur generatione in esse personæ, sicut Spiritus Sãctus processione: ergo Pater nõ per aliud, nisi per in generationẽ cõstituitur in esse personæ Patris. In generatio autem est innascibilitas, seu ingenitum: ergo, &c.

2 *D. Damasc.*

Secun-

3. Secundò: nã quod in resolutione est vltimum in constitutione est primum: sed in resolutione Patris vltimũ est innascibilitas, nõ vero paternitas: ergo in constitutione illius primũ est innascibilitas, non autẽ paternitas. Minor probatur: quia illud est vltimum in resolutione, in quo sistitur, & vlterius non progreditur resolutio: hoc tale est innascibilitas & non paternitas: poterat enim Pater esse Pater, etiam si innascibilis nõ esset: nõ tamẽ poterat esse innascibilis, & ab alio: ergo cũ in Patre vtraque hæc ratio reperiatur, nõ paternitas, sed innascibilitas est, in qua fit resolutio eius.

4. Tertiò, nã illa est ratio cõstitutiua Patris in esse personæ, quæ est ei ratio incõmunicabilitatis: sed innascibilitas est huiusmodi, non vero paternitas: ergo, &c. maior patet: quia persona est intellectualis naturæ incõmunicabilis subsistẽtia: minor vero probatur: nã per illud est Pater primo incommunicabilis, & sibi, & nõ alteri personæ potest cõpetere: sed ingenitũ ita cõpetit Patri, vt nõ possit alteri personæ cõpetere, nã solus Pater est ingenitus, hoc est improductus, cæteræ vero personæ sunt productæ: quare illis innascibilitas non potest cõpetere: quod de paternitate dici non potest: quatenus enim habet rationẽ productionis, conuenit Filio: quia Filius etiã producit, quinimo etiã in ratione paternitatis sibi non repugnat, nisi ex eo quod generatio habet terminũ adæquatũ: ex formali autẽ ratione generationis non repugnat ei: quia Filio, vt Filio non repugnat memoria fœcũda, quæ est in Patre principiũ generandi, imo illã Pater Filio cõmunicauit: ergo ex ratione propriæ generationis, aut paternitatis, non repugnat Filio esse Patrem: repugnat tamen sibi esse ingenitũ etiam ex ratione formalissima suæ proprietatis: ergo potius redditur Pater incõmunicabilis per ingenitũ, quàm per paternitatem.

§. 2.

Proponitur vera Scoti sentẽtia, & eius fundamenta explanantur.

5 *Vera Scoti sententia.* IN oppositum autem est litera textualis in ar.3.quæst.huius dist.28.vbi Doctor cõparando ingenitũ ad paternitatẽ probat, non posse Patrem cõstitui ingenito: quia est negatio: sed paternitate: quia est proprietas positiua. Hæc enim sunt verba illius: *Primæ personæ non est propria ista negatio, non esse ab alio, nisi quia eidẽ propria est aliqua affirmatio prior, quam consequitur ista negatio: ista affirmatio prior nõ potest esse essentiæ, ergo aliqua proprietas positiua.* Et postquã tribus rationibus idem probat ibidẽ, sic concludit: *Istæ rationes, licet forte non conuincerẽt aduersarium, quin possent solui: quia tamen non videtur probabile personam primam cõstitui sola negatione formaliter, vel negatione formaliter esse personam: ideò potest concedi conclusio istarũ rationum.* Sequuntur Doctorem omnes Scotistæ dempto neminine: estq; hæc sentẽtia D. Bonauent. in 1. dist. 28. quæst. 3. §. *respondeo dicendum*, & D. Thom. 1. p. quæst. 33. art. 4. & communis fere omniũ scholasticorum. *D. Bonau.* *D. Thom.*

6. Quo tẽpore, & qua ratione hoc nomẽ *ingenitum* à quibusdã Patribus reiectũ fuerit, ab alijs vero admissum, & in Ecclesia introductũ benè inter alios Vazquez cõmemorat 1. p. disp. 140. ca. 1. & 2. in quo quia potius ad Historiographos, quã ad Theologos pertinet, non immorabor. Sed breuiter aduerto, quod hoc nomen *ingenitum*, adeò Græcos Patres nõnullos summo opere abhorrebat in detestationem Arrianorũ, qui vtebãtur illo ad cõfirmandam suam Hæresim, qua Verbum genitũ à Patre, eiq; consubstantiale esse negabãt. Ingenitũ etenim id apud illos significat, quod increatũ: ex quo differẽtiã inter Patrẽ & Filiũ ponebãt per hoc, quod Filiũ esse à Patre creatũ dogmatizabant: Patrem autẽ ingenitum, hoc est increatum oppositione facta ad Filium appellare cõsueuerũt. Hac igitur ratione D. Atanas. D. Dionysius Alexand. & alij hoc nomẽ *ingenitum* veluti suspectum in fide habuerunt. Alij vero inter quos nonnulli fuerunt Latini, eo quod in sacris literis non esset inuentũ, illud admittere renuebant. Alij tandẽ, vt fuit D. Basilius tale nomen tanquã ab Eunomio introductũ, vt significaret nullã in diuinis esse generationẽ, reijciebãt. Sed post modũ re altius considerata, tã Græci, quã Latini Patres ad significandã Patris proprietatẽ, hoc nomen *ingenitũ* in Antiochena Synodo tanquã Patris notionẽ propriã admisserunt, quod postea Con- *D. Atana.* *D. Dionys.* *D. Basil.* *Synod. Antiochen.*

Concil. Tolet. 6. & 11. in confessione fidei confirmauit: & omnes plerunque Patres ingeniti voce ad idem significādum vtuntur. Vnde ab eorum ætate in Ecclesia, scholis catholicorum extitit hoc nomen ingenitum catholicè receptissimum.

7 Quid vero ingenitum in Patre significet Theologicè ventilatur: quidā etenim, quos refert D. Bonauent. in citata dist. 28. quæst. 1. dixerunt (vt supra vidimus num. 1.) ingenitum dici secundum relationem positiuè. Hanc tamen expositionem merito ipse Sanctus Doctor impugnat: quia scilicet tūc in Deo essent quinque relationes. Alij vero, quos etiam refert idem Seraphicus Doctor, dicebant ingenitum tantùm dicere relationem priuatiuam: & hoc solū sufficere, vt sit proprietas Patris: quia sicut ouis non signata per priuationem signi, differt assignata: sic nō generatio sufficit ad innotescendum Patrem, vt à Filio distinctum. Alij censebant ingenitum, seu innascibilitatem dici, non tantum negatiue: sed importare vel vtrūq; simul, nimirum quod Pater à nullo est, & quod principium aliorum est, vel importat vniuersalem auctoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem. Hāc sententiam referunt idem Seraphicus Pater in quæst. 1. huius dist. 28. §. *tertius modus dicendi*, & D. Thom. citata quæst. 33. art. 4. ad primum, & Doctor subtilis vbi supra, quam sentētiam plerumque moderni tribuunt D. Bonauent. imo & in margine antiqui textus Scotici hoc etiam apparet. Sed qui hanc marginem textui addiderunt, licet possent suaderi hanc sententiam esse Doctoris Seraphici, eo quod ipse illam advnguem exponit: deberēt nihilominus vlterius progredi, & tunc viderent hoc tertio modo relicto, alium quartum fuisse, quem ex mente propria docet D. Bonauentura his verbis: *Sed quoniam ingenitus de ratione sui nominis non videtur dicere nisi priuationem, vel negationem generationis, propter hoc dicendum est quarto modo, &c.*

Verba quæ indicāt mē tem D. Bonauent.

8. *Ostenditur sententia D. Bonau. esse eandem sententiam Scoti. & Diui Thomæ.*

En ergo quomodo non sistit sanctissimus Doctor in tertio modo relato de fontali plenitudine, quem Scotus, & Diuus Thomas locis citatis impugnant: quartus ergo modus, quo Seraphicus Pater mentem exprimit suam circa hoc pūctum est, quod ingenitum duo dicit; scilicet relationem priuatiuam, seu negatiuam generationis, & ex consequenti dicit relationem positiuā, ac si dicat, quod ingenitum dicit vnum de formali, & aliud de connotato: de principali enim, & formali suo significato, primo dicit negationem generationis: de connotato autem dicit relationem paternitatis: quam sententiam explicat ipse, vt infra patebit: pro nunc enim sat nobis sit sententiam illam ab Scoto, & Diuo Thoma impugnatam non esse propriam Diui Bonauenturæ: sed ipsum sentire, ingenitum prout cōuenit Patri, proprie dicere negationem generationis, quæ est expressa sententia Scoti, & Diui Thomæ locis citatis. Nam Scotus etiam ponit ingenitum de formali importare negationem: supponere tamen relationem positiuam, quā consequenter connotat: nam vt supra relata eius verba ostendunt, licet ingenitum de formali dicat negationem, hæc tamen negatio non est Patris proprietas, nisi quia est ei propria aliqua affirmatio prior, quæ est paternitas, quam consequitur, & ita ingenitum dicit relationem priuatiuam, seu negatiuam ex consequenti, quod dicit illam relationem positiuam, quæ est paternitas: & sic in hac sententia Scotus, D. Bonauēturæ concordat.

Pro intelligentia igitur prædictæ sententiæ, & difficultatis resolutione, est primò ex eodem Doctore Seraphico obseruandum, hoc nomen ingenitum multipliciter posse considerari. Primo quidem prout dicit negationem præcisam generationis: hoc modo quidquid non generatur dici potest ingenitum: in qua consideratione non solùm Pater dicitur ingenitus, sed etiam essentia diuina, quæ non generatur, & Spiritus Sanctus ingenitus dicitur. Secundo vero modo, prout non solùm dicit negationem generationis, sed etiam dicit negationem communicationis per generationem: & tunc illud dicitur ingenitum, quod non generatur, nec cōmunicatur, aut accipitur per generationem: hoc modo ingenitum non cōuenit essentiæ: quia etsi essentia non ge-

9.

neretur: communicatur tamē Filio per generationem, à quo per generationē accipitur & habetur. Adhùc tamen ingenitum in hac consideratione convenit Spiritui Sācto: quia nec generatur, nec communicatur, aut accipitur per generationem. Tertio modo considerari: potest ingenitum, prout dicit negationem generationis, & communicationis per generationem, & consecutionis ad generationem: & tunc illud dicitur ingenitum, quod nec generatur, nec per generationem communicatur, nec ad generationem consequitur: sic Spiritus Sanctus non est ingenitus.

10. Per primum igitur membrum huius diuisionis ingeniti excluditur Filius: quia non dicit negationem generationis passiuæ. Per secundum excluditur essentia, quæ non est ingenita: quia nō dicit negationem cōmunicationis per generationem. Per tertium excluditur Spiritus Sāctus, qui non est ingenitus: quia eius processio præsupponit generationem secundū ordinem originum: quia procedit vt amor, cuius processio supponit processionem Verbi; quæ est generatio & ad illam consequitur. Ingenitum ergo hoc tertio modo acceptum importat non esse ab alio, nec per generationem, nec per communicationem in generationem, nec per consecutionem, & generationem, & ex consequenti nullo modo esse ab alio, & per consequens esse à se: quia non est alius modus excogitabilis essendi ab alio in diuinis: atque ideo soli Patri conuenit esse ingenitum.

11. Quia verò hæc negatio essēdi ab alio nō potest alicui competere, nisi ratione alicuius affirmationis: & talis affirmatio non est essentia, vt probat Doctor: & in Patre nihil aliud est, quàm essentia, & relatio paternitatis: ideò affirmatio, ratione cuius Patri competit esse ingenitum, est paternitas. Optime ergo sic concludit Scotus: *Quod primæ personæ non est propria ista negatio, non esse ab alio, nisi quia eidem Patri propria est aliqua affirmatio prior, quam consequitur ista negatio.* Ista ergo affirmatio prior non potest esse essentia: ergo est proprietas positiua, quæ est paternitas. Quod etiam concludit D. Bonauentura, quatenus dicit, quod ingenitum secūdum, quod conuenit Patri propriè dicit relationem priuatiuè, seu negationem generationis: sed ex hoc ipso consequenter dicit relationem positiuam: quia ex hoc ipso, quod dicit priuationem, seu negationem, sequitur dicere affirmationem, ratione cuius talis negatio ei conuenit: & sic propriè (hoc est formaliter) dicit negationem, & consequēter dicit illam affirmationem, ratione cuius ei negatio proprie conuenit.

12. Verumtamen, quia quandoque vocatur ingenitum priuatio, quandoque negatio, & item nonnunquam dicitur relatio priuatiua, vt illud vocat D. Bonauentura, & è conuerso solet dici priuatio relatiua: videri oportet, vnde hæc nominum variatio ortum habeat? ad cuius intelligentiam ex D. Bonauentura loco citato, & ex Scoto vbi supra, tertio obseruare oportet, quod negatio est duplex: vel enim est negatio extra genus, vel negatio in genere. Prima est illa, quæ non determinat sibi aliquod genus peculiare: sed cuicunque generi conuenit, dempto illo subiecto, cui affirmatio ei opposita conuenit: ponatur enim quod albedo inhæret parieti, & papyro, & alijs corporibus: tunc non tātùm de corporibus, non habentibus albedinem, sed etiam de omni ente, quodcunque illud sit, prædicatur nō album: quia hæc est vera prædicatio, coruus est non albus, & ista ethiops est non albus, Deus est non albus, Angelus est non albus, chimera est non alba: quia non solùm verificatur negatio de subiecto capaci albedinis, vt ethiops, & coruus: sed etiam de incapaci illius, qualis est Deus, seu Angelus, seu chimera, quibus eo quod corpora, seu quantitates nō sunt, nequit inhærere albedo. Negatio vero in genere iam determinat aliquod genus peculiaris subiecti, cui potest inesse: nam inæqualitas determinat quantitatem: & ideò extra quantitatem esse non potest: sic non potest dici equus inæqualis animæ rationali, aut Angelo, in quibus quantitas non est. Item dissimilitudo determinat qualitatem: vnde paries albus non est dissimilis Angelo, in quo non est color: est tamen dissi-

disſimilis coruo nigro: quia tàm albedo, quàm nigredo ſunt ſub determinato genere coloris, & vnus dicit negationem ſimilitudinis ad alterum. Hoc igitur ſecundo modo dicitur ingenitum negatio: quia determinat ſibi ſubiectum, & in diuinis verſatur, in quibus, nec conuenit eſſentiæ, nec Filio, nec Spiritui ſancto, ſed tantùm Patri, vt dictum eſt.

13. Rurſus hæc negatio ingenere ſolet dici priuatio, eo quod cum priuatione conuenit in hoc, quod vtraque determinat ſubiectum: licet hæc ſit differentia vtriuſque, quod priuatio determinat ſibi ſubiectum aptitudinis, eſt enim aptum natum, ad illam formam, qua caret: negatio vero determinat ſubiectum prædicationis: quia prædicatur de ſubiecto, quod eſt intraidem genus cum alio habente affirmationem ſibi oppoſitam. Ex qua conuenientia interdum priuatio pro negatione ingenere ſumitur, in quo ſenſu ingenitum, ſeu innaſcibilitas priuatio à Doctore, & à Diuo Bonauentura non vnquam dicitur.

14 Demum, eſſe priuationem, ſeu negationem relatiuam, ex eo prouenit, quod cum negatio, aut priuatio diffiniatur per ordinem ad habitum, eo quod in ſe ipſa entitatem diffinibilem non habeat: ideò ab habitu accipit eſſe abſolutum, aut reſpectiuum: ita quod priuatio entitatis abſolutæ dicatur abſoluta priuatio: priuatio vero relationis, ſeu entitatis relatiuæ, ſit relatiua priuatio, ſeu relatio priuatiua: quia ergo ingenitum negat, ſeu priuat relationem generationis paſsiuę, ſeu illius, quod per generationem communicatur, aut ad generationem conſequitur, vt dictum eſt ſupra: ideò dicitur a Diuo Bonauentura relatio priuatiua, & à Doctore relatiua priuatio.

15. Hæc ergo priuatio, ſeu negatio relatiua, eſt Patris proprietas, eo quod ſoli Patri in diuinis poteſt competere, non quia Patrem conſtituat in ratione perſonæ: ſed quia affirmatio, ratione cuius, hæc negatio eſt propria Patri, eſt relatio conſtitutiua illius. Qualiter autem eam conſtituat latè oſtendimus ſupra in difficultate 86. numero decimo octauo, vbi ſpecialiter oſtendimus, qualiter Sanctiſsimæ Trinitatis prima perſona conſtituatur.

§. 3.

Statuuntur concluſiones, & ſolauntur argumenta primæ ſententiæ.

HIs ergo præhabitis, difficultatē concludendo dico primo, ingenitum eſſe proprietatem Patris. Concluſio eſt communis, & probatur: nam ingenitum dicit negationē generationis paſsiuę, & cuiuslibet communicati, ſeu communicabilis per generationem, & conſecutionis ad ipſam, ſed hæc negatio in diuinis tantummodo competit Patri: quia Filius eſt genitus, & eſſentia communicatur per generationem, & Spiritus ſanctus ad generationem conſequitur, prout egregiè D. Bonauentura oſtendit: ergo ſoli Patri poteſt conuenire ingenitum, & ex cōſequenti eſt Patris proprietas. 16 *Prima concluſio.*

Dico ſecundo, quod ingenitum, ſeu innaſcibilitas non eſt proprietas conſtitutiua Patris in eſſe primæ perſonæ. Cōcluſio eſt Scoti, quæ probatur pluribus rationibus, ſed primo præſertim: quia nullum poſitiuum conſtituitur in eſſe poſitiui per entitatem aliquam priuati, uam, aut negatiuam: aliàs enim tale cōſtitutum poſsitiuum non eſſet, ſed formaliter negatiuum: atqui perſona Patris eſt formaliter poſitiua, ingenitum vero, prout à paternitate concipitur cō diſtingui, eſt formaliter negatio, ſeu priuatio, vt ſupra expoſuimus: igitur ingenitum non eſt proprietas conſtitutiua Patris. Minor vlterius cōfirmatur: quia ingenitum ſignificat eſſe ſineprincipio, eſſe autem ſine principio nihil poſitiuum importat, ſed tantùm negationem ſignificat: ergo, &c. 17 *Secunda concluſio.*

Secundo, quia illud, quod de ſe nihil ponit, ſed ſupponit, non poteſt conſtituere in Deo primam perſonam, nam illud, quod conſtituit primum, debet eſſe primum conſtituens: quod autem aliud 18

ſupponit ſe ipſo prius, iam non eſt primum, nec primum cõſtituens, & ideo primam perſonam nequit conſtituere. At qui ingenitum ſeu innaſcibilitas nihil ponit in perſona Patris, ſed aliquid ſupponit in ipſa. Vel enim innaſcibilitas eſt affirmatio vel negatio: non affirmatio à paternitate diſtincta: quia in Patre vltra eſſentiam & ſpirationem actiuam non eſt alia affirmatio niſi paternitas, & ſi ingenitum eſt affirmatio prout cum paternitate conuertitur, iam quidẽ non ingenitum, ſed paternatas eſt, quæ conſtituit, quod eſt intentum. Si autem fatearis ingenitum eſſe negationẽ neceſſario debes conuinci aſſerere hanc negationẽ aliquam affirmationẽ ſupponere, ratione cuius cõuenit Patri: quia nulla negatio in genere determinato cõuenit ſubiecto alicui, niſi per poſitionẽ alicuius affirmationis, ratione cuius alia affirmatio ſibi oppoſita ibi ſimul in eſſe repugnat, nulla autẽ affirmatio eſt in Patre, ratione cuius ingenitũ ſibi cõueniat, niſi paternitas: ergo paternitas non vero ingenitum Patrem in ratione perſonæ conſtituit.

19 Tertio tandem: quia illa proprietas conſtituit primam perſonam, quæ ex natura ſua poſtulat aliã perſonã, reſpectu cuius ſit prima: innaſcibilitas autẽ, ſeu ingenitũ non ita conſtituit perſonã primã, vt ex hac conſtitutione poſtulet aliam ſecundam perſonam, in ordine ad quam illa perſona à ſe conſtituta ſit prima; quia nullam dicit relationem ad ſecundam, eo quod ſolùm dicat non eſſe ab alio: prima autem perſona eſt relatiua, & vt reſpiciens ſecundam neceſſario conſtituitur in ratione primæ perſonæ: ergo, &c.

20 *Tertia concluſio.* Dico tertio, quod Pater conſtituitur in eſſe perſonæ per relationem paternitatis. Concluſio eſt communis, & probatur primo: nam Pater in quantum prima perſona conſtituitur in ordine ad ſecũdam: ergo per aliquid, quod ipſam referat ad ſecundam: ſed tantùm refertur ad ſecundam perſonam per paternitatem: ergo, &c. Secundo: quia in Patre eſt eſſentia, & ingenitum, & paternitas, & ſpiratio: ſed non conſtituitur eſſentia: quia eſt communis tribus perſonis: nec ingenito: quia eſt negatio, nec ſpiratione, quia ſupponit Patrem, & Filium conſtitutos: ergo paternitate.

21 Ad argumenta igitur pro prima ſententia, & ad primum reſpondet Doctor vbi ſupra, quod per ingenerationem intelligit Diuus Damaſcenus paternitatem, & omnia perſonalia, quæ Patri conueniunt, & probat non intendiſſe Diuum Damaſcenum in generationem, vt ſonat, eſſe proprietatem conſtitutiuam: quia alibi ſæpe numerans proprietates conſtitutiuas, ait eſſe paternitatem, filiationem, & proceſſionem. Vnde inquit ibi non explicaſſe Patrem per proprietatem conſtitutiuam, ſed per notionem propriam Patri notificatiuam illius, qualis eſt ingenitum, ſeu ingeneratio, eo quod per hanc notionem ſufficientiſſime Pater innoteſcit.

22 Ad ſecundum admitto maiorem, nego tamen reſolutionem vltimam fieri in ingenitum: nam paternitas in diuinis, non eſt qualiſcunque paternitas potens aliud principium ſupponere, ſicut in creatis contingit: ſed eſt paternitas includens in conceptu ſuo rationem primi principij, cum quo non compatitur eſſe ab alio: & ideò hæc eſt vera cauſalis, quia eſt Pater eſt innaſcibilis, & ingenitus, non tamen è conuerſo: quia Pater in Deo dicit primum principium, & ex eo quod eſt primum principium conſequitur ad hanc affirmationem illa negatio, ſcilicet non eſſendi ab alio: quamobrem vltima Patris reſolutio fit in paternitatem, & ex conſequenti primum in Patre eſt paternitas, non vero ingenitum.

23 Ad tertium patet, quod innaſcibilitas non eſt ratio incommunicabilitatis, ſed paternitas: quia nulla negatio, vt præciſe negatio, poteſt tribuere naturæ incommunicabiliter ſubſiſtere: hoc igitur à paternitate prouenit Patri. Ad probationem vero minoris dico, ingenitum non eſſe illud, quod primo conuenit Patri, ſed paternitatẽ: ideò enim ſoli Patri competit ingenitum: quia ſoli Patri competit paternitas: nã ratione huius affirmationis, vt dictum eſt, hæc negatio conuenit Patri. Nec valet, quod arguitur, quod paternitas

etiam

etiam in ratione productionis conuenit Filio: nã productio, prout primi principij, non conuenit filio: paternitas autem non est vt cũque productio, sed productio primi principij. Quod autem assumitur de potentia generandi in filio, bene admitto, quod si nõ esset productus terminus adequatus potentiæ generatiuæ, vt pote memoriæ fæcundæ, posset filius alium filium generare: & tunc non repugnaret sibi esse Patrem: atqui non esset Pater eiusdem rationis cum Patre, qui nunc est: quia & si esset Pater: nõ tamen esset primum principium diuinarum productionum: Pater autem sic est Pater, vt sibi repugnet, non esse primum principium ex ratione, qua est Pater: & ideo hæc proprietas est sibi ita intrinseca, & propria, vt per locum intrinsecum repugnet alteri personæ competere, & ideo illam in ratione primæ personæ constituit.

ARTICVLVS II.

Verùm ingenitum soli Patri conueniat, & sit eius proprietas?

A AD secundum sic proceditur. Videtur, quod ingenitũ nõ cõueniat soli Patri, nec sit eius proprietas: sic: nulla proprietas dicitur formaliter de essentia: sed essentia (vt videtur) est formaliter ingenita: ergo ingenitum non est proprietas alicuius personæ: Spiritus Sanctus etiam est ingenitus formaliter (vt probabo) ergo esse ingenitum, non est proprietas Patris. *Maior* probatur ratione: quia tunc ipsa essentia distingueretur. Patet etiam exemplo: sicut essentia non dicitur formaliter generans, nec genita: spirans, nec spirata: probatio assumpti, quia essentia nõ est genita: ergo est nõ genita. Cõsequentia patet per Phylosophũ secũdum perihærm. quia affirmatiua de prædicato infinito, sequitur ad negatiuam de prædicato finito: & è conuerso cum constantia subiecti: & vlterius: ergo est ingenita. Hæc consequentia probatur per Aug. 5. de Trin. cap. 7. qui dicit, quidẽ est ingenitum, & non genitum. Consimiliter argui potest de Spiritu Sancto si non est genitus: ergo est non genitus, & vltra: igitur est ingenitus.

B Secundo præterea: omnis proprietas personalis est relatiua: quia quidquid ad se dicitur, est commune tribus, ex. 5. de Trinitate: ingenitum autem non dicit relationem (vt probabo) ergo &c. Probatio minoris: quia si sic, igitur omne ingenitum est relatum. Hæc etiam est vera, omne genitum est relatum: hanc conuerto per contrapositionem: ergo omne non relatum est non genitũ. Tunc arguo, omne non genitum est relatum: omne non relatum est non genitum: ergo omne non relatum est relatum. Conclusio impossibilis est, ergo aliqua præmissarum: non ista. quæ sequitur ex vera per conuersionem per contrapositionem: ergo alia.

C Tertio præterea: si innascibilitas esset proprietas Patris: ergo inspirabilitas esset notio Patris, & Filij, & ita essent sex notiones, quod negatur communiter.

D Item, Ambrosius. 4. de Spiritu Sancto noluit vti hoc nomine ingenito, sicut Magister dicit in litera.

E Sed contra est, quod August. ad Orosium 2. *ait*, non duos esse ingenitos, certa fides declarat: ergo, &c.

F Respondeo dicẽdum (pro opinione prima) *quod* proprietas incõmunicabilis cõstituit ingenitum, hoc *constat* 5. de Trinitate, cap. 6. & si Filius non genitus esset, nihil prohiberet eũ (scilicet patrem) dicere ingenitum, & si gignat quisque filium, non ex eo ipso est ingenitus; quia geniti homi-

nes gignunt alios. Post ca.7. nec ideo quisquis Pater, quia genitus: nec genitus, ideo quia Pater. Post inquit, alia notio est, qua intelligitur genitor: alia qua ingenitus. Et Cap.8. cum ingenitus dicitur Pater, non quod sit, sed quod non fit, ostenditur. Cap.6. etiã cum dicitur ingenitus, non ad se ipsum dicitur: sed quod ex genitore non sit, ostenditur. Contrà, de respectu ad prius. Item absolutũ prius est: ergo quanto magis habet de ratione absoluti, tanto magis est prius. Item non habere per productionem, præcedit produci. quia pertinet ad rationem potentiæ: sicut est amotio impedimenti. Cõfirmatur per simile de inspirabili: modo essentia prius est in aliquo, nõ communicata, quam communicata: essentia secundum se non est communicata: ergo. Respõdeo, potentia illa propinqua nullo modo in re præcedit negationem, sed tantum secundum conceptos absolutos, sicut dist. 27. dictum est. Nõ etiam est simile: quia ibi constituto per ordinẽ ad posterius, prius est necessario ratio ordinis ad prius. *Suppositis igitur, quod (vt supra articulo 1. dictum est)* ingenitum quarto modo, idem est quod subsistens non productum. Dico, quod ingenitum secundum vsum Sanctorum, prout scilicet significat negationem geniti communissime sumpti (scilicet, producti, connotãdo subsistens in natura diuina) sic conuenit soli Patri: sicut patet per auctoritatem Augustini iam præallegatam. *Conclus.*

Ad primum argumentum, nego minorem. Cum probatur per Philosophum secundo Perihermen., dico, quod illa consequentia Philosophi tenet per virtutem primi principij huius, scilicet à quocunque remouetur vnum contradictoriorum, de eodem dicitur reliquum: vt sic autem non potest concludi affirmatiua de prædicato infinito, nisi vbi illud prædicatum infinitũ significat negationẽ extra genus contradictoriam affirmationi: quia negatio in genere non contradicit affirmationi: & tunc non sequitur, non est ingenitum: ergo est non genitũ: nisi in negatione extra genus est: & hoc modo non genitum non conuertitur cum ingenito, licet conuertatur in accipiendo non genitum, prout dicit negationẽ in genere: quo modo intelligit Augustinus. F

Ad secundum concedo, quod nulla proprietas personæ secundum viam communem dicit aliquid ad se: nec tamen oportet omnem proprietatem dicere relationem positiue: sed sufficit, quod vel positiue, vel negatiue, si enim relatio sit personalis, & propria alicuius personæ: negatio etiã relationis erit personalis propria alij personæ, & ita non ad se, neque communis tribus. Et hoc modo, scilicet negatiue, ingenitum dicit relationẽ, sicut patet per Augustinum 5. de Trinitate 8 & tunc ista est falsa, omne non genitum est relatum: & tamen non sequitur: ergo nõ genitũ dicit aliquid ad se sed sequitur, q̃ vel dicat aliquid, q̃ ad se, vel negationẽ proprię relationis, siue relationem negatiue: & sic conceditur conclusio, quod omne nõ relatũ, sit relatũ positiue, vel negatiue. G

Ad tertium dicitur, quod inspirabile non dicit aliquam dignitatem, sicut dicit ingenitum: & ita non est notio: sed hoc videtur esse falsum in se: quia æqualis dignitatis est in Patre, & in Filio non spirati: sicut in Patre, non generati: & etiam ad propositũ, non videtur valere: quia non videtur necessariũ ad proprietatẽ, siue ad notionẽ dicere proprie dignitatẽ. *Vnde, pro solutione huius tertij argumenti erit sequẽs articulus.* H.

Ad quartum, & vltimũ de Ambrosio, patet per Magistrũ, quod illud vocabulum, ingenitus, non erat tẽpore suo ita notũ, vel ita necessarium ad expres- I.

preſsionem fidei, quod oporteret omnem Catholicum eo vti, & primam perſonam illa proprietate exprimere: *imo* erat occaſio ſimplicibus fidelibus erroris: quia videtur dicere aliquid adſe: quia non ita manifeſte importat relationem, ſicut importat genitum: & ideò ſecurum, & cautum erat ſimplicibus fidelibus, non vti illo vocabulo propter hæreticos malignantes: licet hoc vocabulum in ſe proprie, & primo competat Patri.

Expoſitio articuli ſecundi quæſtionis 1. diſtinctionis 28.

TRIA argumenta in principio articuli poſita probare intendunt innaſcibilitatem, ſeu ingenitum, non eſſe Patris proprietatem: quæ fauent opinioni primæ fundata in varijs ſignificationibus huius nominis, pro qua in corpore articuli adducuntur auctoritates D. Auguſt. Sed Doctor concludit, quod ingenitū *ſecundum vſum Sanctorum, prout ſcilicet ſignificat negationem geniti communiſsime ſumpti (ſcilicet, producti cõnotando ſubſiſtens in natura diuina) ſic conuenit ſoli Patri.* Quæ autem primam opinionem impugnant, non ſunt propriæ rationes Scoti, ſed eſt additio diſcipulorū eius, vt de alijs ſæpe notaui: ſolutiones vero argumentorum ſunt legitime textuales: in quibus Doctor egregiam tradit Doctrinam: ad primum nanque, adducit illud principium Ariſtotelicum: *à quocunque remouetur vnum contradictorium, de eodem dicitur reliquum.* Cuius ratio eſt, quia cum inter contradictoria nullum ſit medium, valet argumentum à tali principio: vt concludat prædicatum, non remotum neceſſario dici de eo, à quo eius contradictorium remouetur. Vt attamen hoc in vniuerſum ſit verum, ſeruanda eſt nobis regula à nobis alibi tradita ex Doctore, nimirum, quod non addatur aliqua particula exiſtis, *formaliter, eſſentialiter, perſe*, & ſimilibus: nam in iſta v.g. vel Petrus currit, vel non currit: ſed currere remouetur ab eo, quia negatur, quod currat: ergo neceſſario de eo dicitur, q̃ non currit, optime tenet principiū prædictū. Si tamen adderetur particula *per ſe*, aut alia ex dictis, tale principium non teneret: quia nec currere, nec non currere competit Petro perſe: & ideo ſtat vtrumque cõtradictorium negare, & neutrum dici de Petro: quia Petrus nec per ſe currit nec perſe non currit. Cætera ſunt clara in textu.

ARTICVLVS III.

Vtrùm inſpirabile ſit notio diuina ſicut ingenitum?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod inſpirabile non ſit notio diuina, ſicut ingenitū: quia ſi inſpirabilitas eſſet notio Patris, & Filij, eſsẽt ſex notiones: *ſed* hoc negatur cõmuniter: ergo, &c.

Secũdo præterea, Inſpirabile non dicit aliquam dignitatem, ſicut dicit ingenitū: *ergo* nõ eſt notio, ſicut ingenitum.

Tertio præterea: inſpiratum non dicit dignitatẽ: quia ſpiratū dicit *dignitatem: ergo* non eſt ſexta notio.

Sed contra: quia tempore Ambroſij non videntur fuiſſe vſitatæ tres notiones in Patre: quia noluit hoc nomine ingenitus vti: licet hoc vocabulū in ſe proprie cõpetat Patri: ergo non videtur inconueniẽs, *quod* eſſent ſex notiones, *eo quod* negatur cõmuniter.

Reſpondeo dicendū, quod ingenitum dicit non productū, ſicut expoſitū eſt in primo ar. ſolutionis: & *tũc* poteſt cõcedi, *quod* hoc modo inſpirabile, quia continetur in eo, non eſt alia notio ab eo: ſequitur enim, non productum: ergo non ſpiratum, & nõ è conuerſo: ergo non alia notio. Contra *tamen: quia* ingeneratio eſt tãtũ in Patre, inſpiratio autẽ eſt in Patre, & Filio: ergo hæc notio nõ eſt illa. Sed ſi iſta cõſequẽtia ſit cõcedẽda, erunt

ſex notiones, niſi alia ratio aſsignetur, quare inſpiratio non ſit notio: & ſi videatur abſurdum ponere ſex notiones: quia communiter non ponuntur tot: poſſet dici, quod locus ab authoritate non tenet negatiue. Tempore autem Anſelmi (de tẽpore enim Ambroſij, *ia⁊ ſupradictum eſt*) non videntur fuiſſe vſitatæ duæ notiones poſitiuæ in Patre: quia non vtitur ipſe vi ſpiratiua: ſed pro illa accipit dignitatem communem Patri, & Filio: & ſi tunc à principio fuerunt tãtum notæ tres proprietates notionales, ſcilicet, paternitas, filiatio, & ſpiratio: & hoc ex verbo Saluatoris in Euangelio, & Ioannis 1. canonica ſua, ca. 1. tamen poſtea per inueſtigationem innotuerunt aliæ notiones, & proprietates, quæ prius erant in re, licet non prius notæ: & ita ſicut poſteriores cõceſſerunt plures, quam priores, nõ tamen priores eas negauerunt, licet nõ eas dixerint: ita non videtur inconueniens de poſterioribus ad illos Doctores ponere tales notiones, dum tamen poſsint concludere illas ex dictis priorum.

Matth. vltim. c.

Concluſ.

F Ad primum argumentum, *ſatis ex dictis conſtat, quod* locus ab authoritate non tenet negatiue

G Ad ſecundum *patet*, quod illud videtur eſſe falſum in ſe: quia æqualis dignitatis eſt in Patre, & Filio nõ ſpirari, ſicut in Patre non generari: & etiam ad propoſitum non videtur valere: quia non videtur neceſſarium ad proprietatem, ſiue notionem, dicere proprie dignitatem.

H Ad tertium *patet per idem, & vt conſtabit ex dicendis ſequenti articulo in corpore*, quod habere Deitatem ab alio, ſimpliciter non eſt dignitatis, ſed ſolũ ratione modi notionalis habendi per ſpirationem: & exponitur ingenitum: conſideratur enim vno modo ſimpliciter, & ſecundum ſe. Alio modo, vt conſideratur, circa talem naturam. Primo modo ſubſtractum, non eſt niſi eſſentia, ita quod ſi eſſet hypoſtaſis in eſſentia ſine proprietate eſſet ingenita. Secundo modo aliquid eſt ſubſtractum negationi eius tripliciter, vel ſcilicet, vt in quo fundatur, in primo, vel tertio, vt cuius eſt notificat reſpectum ſubſtantiæ ſolius formaliter, in quo fundatur, nõ tamen, niſi vt eſt ſub proprietate Patris. Contra, melius diceretur ad argumentum, quod dignitatem importat reſpectu fundamenti tantum: nec ſequitur, quod non dicit dignitatem propriam: quia eſſentia eſt differens ad plures dignitates perſonales, quas ponit. 15. de Trin. Confirmatur: quia vbi ad prius eſt habitudo poſitiua, prius eſt, quam ad poſterius: igitur & negatiua: & hoc eſt quod dicitur, quod ratio primi præcedit ordine ad poſterius: & nunquam alicubi abſolutum prius eſt relatiuo, ingenitũ ſe poteſt competere ſuppoſito abſoluto, ſi eſſet.

Expoſitio artic. 3. quæſtionis 1. diſtinctionis 28.

HVIVS articuli veritatem indicabit ſequens difficultas, vbi inquiritur numerus notionum in diuinis: ex reſolutione namque illius clara mens Doctoris conſtabit circa notionem inſpirabilitatis. In textu autem duo intendit patefacere: & quidem primum, non eſſe ſtrictum aſſenſum Theologicum cõmuni veterum auctoritate negatiuè: bene tamen poſitiuè: & ſecundum non negaſſe Patres expreſſe in ſpirabile eſſe notionem. Primum ergo explicat illo axiomate, quod ſcilicet, *locus ab authoritate non tenet negatiue*. Hoc autem intelligendum eſt, non de aſſertione negãte, ſed de non aſſertione affirmante: quod ſic de-

declaro: nam circa doctrinã veriſsimã de conceptione immaculata Virginis Deiparæ, dupliciter potuit eſſe negãti ue Patrũ authoritas, vel quidẽ primo: quia plures aſſertiue negauerũt ipſam in laue fuiſſe cõceptã. Vel ſecũdo: quia alij circa eiusmodi immaculatã cõcep tionẽ mere negatiue ſe habuerunt, hoc eſt, nihil de ea dixerunt: vel forte, quia nihil tunc temporis de hoc puncto age batur, vel alia ex cauſa. Ex quo duplici modo intelligendi hanc particulã *negatiue* oritur duplex modus arguendi. Primus quidẽ, quãdo arguitur ex hoc, quod Patres aſſertiue negarunt, Virginem Sãctiſsimã in originali culpa fuiſſe conceptã: & hoc argumentũ eſt effi caciſsimũ in materijs ſimilibus, quarũ reſolutiones maxime pendent ex Sanctorũ Patrũ conſenſu: iuxta quẽ modum nõ eſt intelligendus Scotus: quia argumentũ ab authoritate, ſic negatiue aſſerente, maxime tenet, & vrget, & ſæpiſsime ſimilibus argumẽtis ſacra myſteria cõprobantur. Secundus vero modus arguendi eſt, quando ſic arguitur: Sancti Patres, v.g. Athanaſius, Baſilius, & alij forſan non dixerunt Virginem à labe originali fuiſſe immunẽ: ergo immunis nõ fuit à labe originali: hoc quidem argumẽtũ nihil valet, nec probat: quia potuit apud illos de hoc nulla moueri dubitatio, & ſic potuerunt circa iſtud mere negatiue ſe habere. Tunc igitur valet axioma ab Scoto, in textu adductum, videlicet, *quod locus ab authoritate non tenet negatiue*. Ad ſecundũ ergo deueniens, egregie ad materiã huius articuli illud applicat Doctor: nam & ſi Patres non dixerint inſpirabile eſſe nationem Patris, & Filij: ſufficit tamẽ id non aſſertiue negaſſe: vt hoc argumentum non teneat: quia potuit apud illos de hoc nulla quæſtio eſſe, ſicut tempore D. Ambr. ingenitum in vſu nõ erat.

Exponitur axioma Scoticũ, quod argumentũ authoritate non tenet negatiue.

DIFFICVLTAS XCII.

Vtrum in diuinis ſint plures notiones, ac relationes, & quot ſint?

§ 1.

Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum quorumdam opinionibus.

LICET longo ſermone, ex recentioribus aliqui, hanc difficultatem diſcutiãt: nos nõ ita late illã enucleabimus. Suppo nendo igitur circa quæſtionem de an eſt? in diuinis eſſe relationes, & notiones, inquirimus in præſenti, quæ, & quot ſint relationes, & notiones diuinæ. Primum abſq; controuerſia eſt: omnes enim eaſdẽ relationes in Deo concedunt. Secundũ vero circa notiones, non vnanimiter ſentiũt Theologi: nã OKam in primo diſt. 28. quatuor tãtũ notiones in diuinis admiſit: cuius ſẽtentiæ fundamentum erat: quia omnes notiones negatiuæ reducendæ ſunt ad affirmatiuas. Cum autem in diuinis tãtum ſint quatuor notiones affirmatiuæ, nempe, quatuor relationes, ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua: cõſequenter quatuor ſunt ſolummodo notiones in Deo. 1

Prima opinio.

OKam.

D. Thom. vero 1.p.q.32.art.3. tenet in diuinis, vltra enumeratas notiones, aliã tãtũmodo eſſe, nempe innaſcibilitatem, ſeu ingenitum, ac ideo quinque notiones in Deo eſſe affirmat: vltra quas aliam ſextam admittere omnes Thomiſtæ, ita incunctanter negant, vt nõnulli arbitrentur temerariũ eſſe ſextã aliã notionem in Deo cõcedere. Cuius ſententiæ fundamẽtum eſt, quia vt temerarium iudicari debet in regraviſſima diſcedere à cõmuni ſententia Patrum abſque ratione vrgente, ſed Patres omnes, ac Theologi prædictas quinque notiones dumtaxat admittũt in Deo: ergo temerarium eſt eis aliam ſuperaddere. 2

Secunda opinio.

D. Thom.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, cum ſuis fundamentis.

In oppoſitũ autem eſt litera textualis in art. 3. q. 1. huius diſt. 28. vbi Doctor poſtquã cũ cõmuni ſententia tenet quinque notiones eſſe in Deo: admit- 3

tit, nihilominus propter rationes ibi datas, & infra assignandas posse concedi aliã sextã notionem, quæ est inspirabilitas: hæc enim sunt verba illius. *Et si videatur absurdum ponere sex notiones: quia cõmuniter non ponuntur tot, posset dici, quod locus ab authoritate non tenet negatiue.* Sequuntur Doctorem omnes Scotistæ veteres super hanc literã, & præsertim Tateretus. §. *tertio arguitur*, ex recentioribus vero P. Rada 1.p.cont.25. ar.3, & P. Herrera in 1.disp.11.quæst. 2. ac reliqui.

Tateretus. Radã. Herrera.

4 Vt autem hæc sententia intelligatur, & resoluatur difficultas, opere præcium erit prius videre, quid per hoc nomẽ *notio*, importetur. Notio ergo describitur, seu diffiniturperhoc, ꝙ sit ratio existẽs in re, per quã persona diuina perse & prout ab altera distincta cognoscitur, & quamuis apud antiquos inter notionem, & proprietatem, nulla videbatur esse differentia: secundũ recẽtiores vero in hoc differunt notio, & proprietas, quod notio non vni tantũ personę, sed duabus etiã potest competere: proprietas vero non duabus, sed vni solũ personæ conuenire potest. Vnde proprietates sunt tres, scilicet, paternitas, filiatio, & spiratio passiua: notiones vero quinque, videlicet, prædictæ tres proprietates: & præterea ingenitũ, seu innascibilitas, & spiratio actiua. Quamuis enim paternitas sit notio, & proprietas, spiratio tamẽ actiua nõ est proprietas sed notio. Sed dices, ingenitũ, seu innascibilitatem etiam conuenire, vnitãtũ, nempe Patri: ergo nõ tãtũ est notio, sed etiã est proprietas. Respõdeo, proprietatem aliã esse personalem, aliã vero proprietatem personæ: ad primã requiritur, quod constituat personam: & sic tantũ sunt proprietates personales illæ tres cõstitutiuæ supradictæ. Ad secundã vero non requiritur quod constituat: sed sufficit, quod cõueniat vni personæ, & non alteri, sic innascibilitas, seu ingenitũ est proprietas Patris: quia licet non sit proprietas personalis, est tamen proprietas talis personæ.

5 Porro aliud est in diuinis notio, & aliud est actus notionalis: nam cum nomine notionum Doctores tantum intelligãt principales rationes cognoscẽdi personas diuinas, vt distinctas: consequẽter notiones erunt ipsæ rationes, quę diuinas personas distinguũt, scilicet paternitas, filiatio, & spiratio passiua: cætera vero, quæ personis conueniunt, vt sunt origines, non dicuntur notiones, sed actus notionales: vnde generatio actiua, seu passiua, & processio non notiones, sed actus notionales sunt, seu quid notionale: cũ enim diuinæ personæ nõ cõstituãtur, nec distinguãtur originibus formaliter, sed quasi principiatiue, vt dictum est: consequẽter huiusmodi origines non sunt notiones, sed actus notionales.

6. Demum pro perfecta cognitione notionis non vllas regulas obseruare debemus. Prima nimirum, & quod personæ, essentia, & attributa possunt dici de notionibus, & è cõuerso, vt verbi gratia, in his prædicationibus, paternitas est essentia, paternitas est sapientia, vel Pater est paternitas, essentia est paternitas, sapientia est paternitas. Eratio huius est, quia in huiusmodi prædicationibus, tantũ notatur identitas realis prædicati, & subiecti, hæc etenim omnia sunt inter se eadẽ, identitate reali.

7. Secunda regula est, quod actus essentiales, vel notionales, qui tribuuntur essentiæ in concreto, hoc est, huic Deo, vel personis, non tribuuntur notionibus: & voco actus essentiales, omnes etiam ad extra, qui conueniũt immediate huic *Deo* vnde ista est falsa: paternitas intelligit, vult creat, generat, spiratio spirat, &c. & ratio huius est: quia quãuis Pater, & paternitas idẽ sint: pater tamẽ supponit pro principio: *quod* agẽdi, nõ verò paternitas. Et quia actiones necessario supponũt principiũ *quod*, cuius sũt: hinc est, ꝙ illæ propositiones sũt falsæ istæ autem sunt veræ, Pater creat: quia hic *Deus* creat: Deus generat, quia Pater generat.

8. Notauit insuper egregie Canariensis 1. parte, quæst. 32. articu. 3. prope finem articuli, quod cum in Deo sint plures affirmationes, & negationes: si Sancti Patres plura nomina imposuissent ad eas significandum, nullum esset inconueniens plures notiones cõcedere: imo necessario concedenda essent. Ratio autẽ ob quam quinque prædictas dumtaxat inuenerunt, est: quia inuentæ sunt, vt Hæreticorum errores de-

Canariẽsis.

destruerent: & non indigemus pluribus, quam his, quæ nostro cõceptui satisfaciant. Quod autem magis assignetur pro Patre innascibilitas, quam pro Patre, & Filio inspirabilitas, cum non minus competat Patri, & Filio, nõ spirari, quam Patri non generari, non satis constat, cum vtraque dicat negationem, vt in difficultate præcedente de ingenito vidimus: & non minoris dignitatis sit in Patre, & Filio non spirari, quam in Patre non generari (quidquid alij dicant, contra quos arguit Scotus vbi supra) ac ideo asserit, quod quãuis argumenta ab auctoritate Sanctorum cõcludant ab probandum esse quinque illas notiones: nõ probant negatiue, modo exposito supra in commentario ar. 3. huius quæstionis, non esse aliam vltra illas. Vnde si ratio conuincat ad ponendam sextam rationem, non inconuenit, quod Sancti eam non posuerint: nam vt ait idem Scotus ibi, plures Sancti pro alio, & alio tẽpore vsi sunt paucioribus, & pluribus: nã tempore Ambrosij non fuerunt vsitatæ tres notiones in Patre, quas nunc in illo confitemur: nimirum esse ingenitum, paternitatem, & spirationem actiuam: quia noluit hoc nomine *ingenitum* vti: & tẽpore D. Anselmi non fuerunt vsitatæ duæ notiones positiuæ in Patre: quia non vsus fuit spiratione actiua, sed pro illa vtebatur nomine dignitatis communis Patri, & Filio. Si igitur tunc à principio (inquit Doctor) fuerunt tãtum notæ tres notiones, scilicet, paternitas, filiatio, & spiratio: & hoc ex Verbo Saluatoris in Euangelio Matthæi c. vltimo: & Ioann. cap. 1, tamen postea per inuestigationem, innotuerunt aliæ notiones, quæ prius erant in re, licet non prius notæ: ita sicut posteriores concesserunt plures notiones, quã priores, non tamen priores eas negauerunt, licet non eis dixerint ita non videtur inconueniẽs de posterioribus ad illos Doctores ponere tales notiones, dũ tamen possint concludere illas ex dictis priorum: hæc omnia sunt verba Scoti, quibus preclare exprimit intentũ

Tandem est obseruandũ, q̃ cũ innascibilitas, & inspirabilitas negationes importẽt, & relationes positiuæ nõ sint quãuis in relationibus quæritur, vt puta innascibilitas in paternitate, inspirabilitas autẽ in spiratione actiua, qua propter ad relationes reducuntur, nõ tamen formaliter sunt relationes: hinc est, quod differentia inter relationes, & notiones assignari solet, videlicet, quod notiones, & sunt negatiuæ, & positiuæ: at vero relationes tantũ sunt positiuæ. Et præterea alia differẽtia est, quod scilicet, per relationes habẽt personæ se inuicẽ respicere, nõ tamen per notiones, vt præcise notiones sunt, sed per illas, quæ simul sunt notiones, & relationes.

§ 3.

Statuuntur conclusiones, & soluuntur fundamenta oppositarum opinionum.

HIS præhabitis, difficultatẽ breuiter cõcludẽdo, dico primo q̃ in diuinis tantũ sunt quatuor relationes, scilicet, paternitas, filiatio, spiratio actiua, & spiratio passiua: hæc conclusio est ita certa in Scholis Catholicorum, vt nulla probatione indigeat. 10 1. Conclus.

Dico secũdo, q̃ in diuinis sunt quinque notiones, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio actiua, spiratio passiua. Cõclusio hæc est Doctoris, & cõmunis: quæ probatur, nã ratio cognoscendi vnã personã, vt ab alia distinguitur, est vera notio in diuinis: sed per dictas quinq; notiones possumus diuinas personas cognoscere, vt inter se distinctas: ergo, &c. Minor à sufficiẽti diuisione cõstat: nã in Patre reperitur esse principiũ, quod nõ est ab alio principio: sed hoc tãtũ cognoscimus per innascibilitatẽ, seu ingenitũ: per paternitatẽ enim tantũ cognoscimus aliquid esse genitum ab eo: & eodem modo de alijs notionibus dicendũ est: ergo, &c. 10 2. Conclus. 11

Dico tertio, quod nõ esset incõueniens à Doctoribus nostræ ætatis ponere sextã notionẽ, scilicet, inspirabilitatẽ, dũmodo illã possent concludere ex dictis Sanctorũ Patrum, & antiquorũ Doctorũ, licet ipsi eã expresse non posuerint. Cõclusio hæc est Scoti, vt vidimus, & satis ex prænoratis probata, quæ amplius cõfirmatur: quia nulla alia ratione à Sanctis Patribꝰ enumeratur innascibi- 3. Conclus.

cibilitas inter cæteras notiones diuinas, nisi, quia dicit negationem generationis passiuæ, & communicabilitatis per generationem, & consecutionis ad generationem, vt visum est supra in difficultate præcedēti de ingenito: quæ negatio non aliud supponit ex parte affirmationis, ad quam consequitur, nisi paternitatem per modum principij, cui per locum intrinsecum generari repugnat. Hæc attamen omnia reperiuntur in inspirabilitate, quæ, seruata proportione, etiam sicut ingenitū, dicit negationem spirationis passiuæ, & communicabilitatis per spirationē, &c. & supponit in Patre, & Filio ex parte affirmationis, spirationem actiuam, ratione cuius per locum intrinsecum repugnat Patri, & Filio, vt sic spirari, aut per spirationem habere esse ab alio: ergo si vbique reperitur eadem ratio notionis; & hac ratione dum taxat Sancti Patres, & Doctores antiqui ingenitum, seu innascibilitatem inter notiones enumerant: ex eorum dictis profecto colligitur, in spirabilitatem quoque inter alias notiones, pro sexta notione esse collocandā: non igitur est inconueniens sex notiones huiusmodi in *Deo* admittere: si quidem hoc rationi, nec Sanctis Patribus contradicit: quinimo ex eorū dictis manifeste deducitur.

12 Ad fundamentum vero sententiæ OKam facile respondetur, quod licet in Deo tantum sint quatuor relationes, plures nihilominus notiones debent cōcedi eo, quod diuina persona: non tantum per relationem, sed etiam per notionem negatiuam potest nobis innotescere.

13 Ad fundamentum vero sententiæ D. Thomæ respondeo, aliud esse contradicere torrenti Sanctorum Patrum, & Doctorum, & aliud esse dicere posse addi aliquid ex dictis Sanctorum, & Doctorum, quod ab ipsis dictum non fuit. Primū quidem fateor temerariū esse: & sic nos non negamus esse quinque notiones, quas Sancti Patres, & Doctores assertiue, & expresse posuerunt in Deo. Secundum vero nulla temeritatis nota inficitur, & præsertim loquendo, ita modeste, sicut loquitur Scotus: hoc est, quia cū in diuinis sint plures affirmationes, & negationes, ad quas exprimendas, si Doctores, & Patres imposuerunt plura nomina, plures essent notiones, quam quinque. Et quam euidens sit argumentum ab authoritate negatiue nō valere, plane ostenditur â Doctore in artic. 3. & satis à nobis ibi in commentario explanatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ingenitum sit proprietas Patris secundum præcisam rationem priuationis?

AD quartum, sic proceditur. A
Videtur, quod ingenitum non sit proprietas Patris secundum præcisam rationem priuationis: quia Anselmus in fine retract. *ait*, non secundum quod non est, est ingenitus: sed quod vnicum Filiū genuit: *ergo*, &c.

Secundo præterea, quia ingenitū B
dicit tantum priuationem ingenere, vel tantum negationem. *ergo* ex ratione sua formali non dicit aliquam dignitatem, nec aliquid ad dignitatē pertinens: sed nihil potest poni proprietas personæ diuinæ, nisi sit aliquid pertinens ad dignitatem: ergo oportet quod ingenitum connotet aliquod positiuum, ratione cuius connotati, sit proprietas.

Sed contra est, quod August. 5. de C
Trinit. cap. 8. *ait* cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit, ostenditur. Cap. 6. etiam cum dicitur ingenitus, non ad se ipsum dicitur: sed quod ingenitore non sit, ostenditur.

Respondeo dicendum, quod de isto articulo dicunt aliqui, quod cū in- D
genitum dicat tantum priuationē in genere, vel tantum negationē, & per consequens ex ratione sua formali, non dicit aliquam dignitatem, nec aliquid

Opinio S. Bona. in 1. dist. 27. q. 2. & dist 28

q. 1. & dist. 13. q. 4.

liquid ad dignitatẽ, pertinens, oportet quod connotet aliquod positiuũ ratione cuius sit proprietas: hoc autẽ positiuum ponitur ab eis esse fontalis plenitudo, quæ est in solo Patre, in quo est omnis fæcunditas, tam ad intra, quam ad extra.

E

Aliter dicitur, quod hoc positiuũ est esse à se, & dicitur esse intẽtio Ricardi: & quod à se est aliquid propriũ positiuum circumlocutum per ingenitum, & præcedit relationem ad filium: quia enim aliquid est à se, ideo oportet secundum Ricardum, quod ab ipso sit omne esse, & omne existere. Sed contra illud *primum*, arguitur primo: quia ista fontalis plenitudo nõ intelligitur ad extra, quæ talis fæcunditas est communis tribus: sed intra non est in Patre, nisi duplex fæcunditas, scilicet ad generandum, & spirandum: hæc autem fæcunditas nõ est aliquod vnum positiuum in Patre, nisi essentia; essentiam autem non connotat, vt propter hoc dicatur esse proprietas Patris. Quod autẽ, ista fontalis plenitudo non sit aliqua positiua rẽlatio vna in Patre, patet: quia tũc in Patre essent tres relationes positiuæ, scilicet generatio actiua, spiratio actiua, & illa relatio, quam circumloquimur per hoc, quod est fontalis plenitudo fæcunditatis, licet innominata: & tunc essent quinque notiones, quod non conceditur communiter. Saltem non conceduntur in Patre tres proprietates positiuæ relatiuæ.

F

Præterea ingenitum non videtur connotare illam fontalem plenitudinem: quia non primam fæcunditatẽ: quia secundum August. 5. de Trinit. cap. 6. & si Pater Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dici ingenitum: igitur ingenitũ potest præcedere generationẽ actiuam. Multo magis etiam non connotat, secundã fæcunditatem: quia si per impossibile, non posset esse productio per modũ voluntatis adhuc tamen esset status in generatione ad aliquam personã ingenitam sub propria ratione: ergo videtur, quod illa fontalis plenitud, quæ nihil dicit, nisi duplicem fæcunditatem, non potest connotari, per hoc quod est ingenitum. Tertio quia ratio eorum nõ videtur valere: quia si proprietas personalis diceret dignitatem simpliciter: igitur alia persona, quæ non habet illam, nõ haberet omnem dignitatem simpliciter, quod est inconueniens.

Contra *secundum sic*, esse à se, si est positiuum, & absolutum, erit commune tribus: aut relatiuum, & non ad prius: quia prius non est, nisi negatio relationis ad prius: igitur erit ad filiũ: & ita etiam à se. Vel si dicit habitudinem ad præcedens, erit negatio relationis, & ita negatio est ingenitum: ergo non est proprium positiuum illius. Ideo videtur dicendum quod in genitum sub propria ratione sua, vt significat non habere genitorem, est proprietas Patris.

G

Conclusio.

H

Nota *tamen*, quod sicut relationes potius fundantur in essentia ex natura rei, sic & ista negatiua: ex natura enim essentiæ est, quod in aliqua persona sit ratio, qua ipsa non sit ab alia: & sic subtractum ipsius relationis non est, nisi essentia diuina. Vt sit sensus: ingenitus, ideſt habens diuinam essentiam non ab alio: ex se enim habere dignitatem, & à nullo principiatiue, est libere habere: sicut rex regnat: ideo vt sic est dignitatis: negatio enim præcise, vt negatio, non importat dignitatem, nisi ex hoc, quod circa talẽ affirmationem fundatur. Vnde habere Deitatem ab alio simpliciter non est dignitatis: sed solum ratione modi notabilis habendi, scilicet per generationẽ, & spirationem. Propter hoc dicitur, quod ingenitum stricte, scilicet non productum per generationẽ,

dicit dignitatem: sed ingenitum est negatio, & non vt conuenit Spiritui Sancto, sed tantum Patri, sicut dicit simpliciter nullo modo esse ab alio.

I Ad primum argumentũ respõdeo, *sicut infra quæst. 2. ar. 1.* Quod licet ingenitum non connotet, nisi aliquã personam subsistentem in essentia diuina: tamen ista affirmatio non est tota ratio inhærentiæ huius negationis, quæ est ingenitum: sed oportet in re, aliam proprietatem positiuam aliquo modo præcedere ingenitum, per quam insit, licet non connotetur per ingenitum, tanquam aliquod proprium subiectum: & secundũ hoc debet intelligi dictum *Anſel.* est ingenitus, secundum quod filium genuit.

Math. vlt. cap.

K Ad secundum dicẽdum, quod ingenitum, vt significat non habere genitorem, & est proprietas Patris, sufficienter importat dignitatẽ, idest, non in dignitatẽ: hoc enim sufficit ad personalem proprietatem, quod non sit in dignitas: sicut & personæ in diuinis non dicũtur esse imperfectiones, non tamen perfectiones simpliciter, idest, vniuersaliter in quolibet melius ipsum, quam non ipsum.

Et si omnino fiat altercatio, quod omnino oportet proprietatem dicere dignitatem, non absolutã, sed personalem: potest dici, *quòd* ingenitum in quantum negat habere genitorẽ, dicit dignitatem personalem primæ personæ in diuinis: quia sicut dignitas est in secũda persona habere principium originans: ita est dignitas in prima persona non habere: & tamen ista dignitas nõ oportet, quod sit dignitas formaliter alicuius positiui pro prij connotati, per hoc quod est ingenitum. Vnde negatio potest dici esse dignitatis in aliquo, pro quanto in dignitatis esset, si oppositaffirmatio poneretur in eo, sicut dignitatis est in Rege, quod non sit scælestus, vel mercator.

L

E

Expositio articuli 4. quæstionis 1. distinctionis 28.

QVÆ in hoc articulo à Doctore tractantur, satis in difficultate 91. remanent prælibata: egregie attamen hæc in textu habentur, & ita clare, vt expositione non egeant.

QVÆSTIO SECVNDA.

De ingenito in ordine ad constitutionem primæ personæ.

SECVNDO quæritur de ingenito, seu innascibilitate, vtrùm sit proprietas cõstitutiua primæ personæ in diuinis: circa quod quæruntur duo.

¶ Primo. Vtrùm ingenitum sit proprietas constitutiua Patris?

¶ Secundo. Vtrùm essentia diuina ex se determinet sibi generationem actiuam, seu primam subsistentiam?

ARTICVLVS 1.

Vtrum ingenitum sit proprietas constitutiua Patris?

AD primum sic procedi tur. Videtur, quod ingenitũ sit proprietas constitutiua Patris: quia Damasc. lib. 1. cap. 2. *ait*, omnia

A

nia sunt vnum, præter ingenerationem, & generationem, & processionem cõstat, quod non excludit omnes proprietates personales: quia tũc in Patre non esset aliqua proprietas, nisi innascibilitas: igitur excludit omnia alia in ratione proprietatis personalis constitutiuæ: ergo vult omnes istas, & solas, esse tales relationes: igitur ingeneratio est proprietas constitutiua personæ.

Secundo præterea, per August. 5. de Trini. cap. 6 vbi vult, quod si Pater non genuisset, nihil eum prohiberet dici ingenitum: ergo potest intelligi aliquis ingenitus, non intelligendo ipsum generasse: intelligendo autem ingenitum, intelligitur suppositum incommunicabile subsistens: ergo videtur, quod prius cõstituitur ibi persona per ingenitum, quam per aliquam proprietatem positiuam.

Tertio præterea: in omni ordine essentiali, negatio ordinis ad prius videtur immediatius consequi ipsum, in quantum tale: igitur similiter in ordine personarum, prius conuenit primæ personæ negatio ordinis ad priorem, quam ordo ad secundam personam: ergo prius intelligitur ingenita, quam generans, in illo priori intelligitur persona incommunicabilis in natura diuina: ergo.

Quarto præterea: si (secũdum imaginationem Philosophorum) non esset in diuinis, nisi vnum suppositũ absolutum, constitueretur per essentiam, absque proprietate constitutiua: & si aliqua concurreret, non esset, nisi illa negatiua, quæ esset, non esse ab alio: ergo videtur, quod cum origo posita in diuinis nihil auferat ipsi essentiæ, nec etiam huic proprietati negatiuæ, *scilicet*, nõ esse ab alio: ergo per ipsam poterit modo aliqua persona constitui.

Sed contra est: quia sicut secunda persona se habet ad filiationem, sic prima persona ad paternitatem: sed filiatione constituitur secunda persona: ergo paternitate prima.

Respondeo dicendum ad quæstionem secundam, *quod* videtur posse dici, quod sic hoc modo intelligendo: essentia enim diuina, ante quam intelligatur communicata per productionem, videtur in aliquo intelligi non communicata actu, vt in prima persona propter primitatem eius: non quidem non communicabilis, sed non actu communicata: quia non videtur posse communicari alicui quasi passiue, nisi præhabeatur in aliquo, non communicata sibi quasi passiue: & hoc modo in isto primo signo, in quo tantum intelligitur essentia in aliquo, & ista negatio non communicata actu, videtur haberi intellectus alicuius incommunicabilis. Si enim essentia, vt non communicata actu, non esset incommunicabilis: igitur ipsa, vt non communicata, posset esse in pluribus, & tunc possent esse plures primæ personæ, in quibus æque primo esset essentia: & nõ esset eius status in aliquo primo: sed si habetur aliquis incommunicabilis subsistẽs in natura diuina, tunc habetur persona prima: ergo ante omnem intellectũ proprietatis positiuæ intelligendo solum essentiam, & ingenitum (hoc est non communicatum per generationem) habetur aliquis subsistens incommunicabilis in natura diuina, qui est ingenitus: accipiendo ingenitum proprie, sicut potest accipi in diuinis. Item essentia, vt prior relatione, est non communicata, & dans per se esse: igitur est hypostasis ingenerãte. Antecedẽs probatur: quia vt prior, non est communicata, & vt sic dat per se esse, 7. de Trinitate ca. 9. Consequentia probatur, vt non communicata, non est communis pluribus suppositis: ergo est in vno tantum: & nõ est nisi in ingenito (quia in genito est com-

communicata: & hoc redit in illud, quod essentia per se ens hoc, vel hic Deus, generatim quātum habet principium formale: & per se esse, & non præintelligitur aliquid generationi, nisi quod habet principium illud, quo non ab alio, & quasi expectat relationem consequentem, quæ consurgit, termino iam posito. Contra igitur per in generationē, est proprietas positiua in Patre, sicut in Filio. Potest concedi, quod in neutro est, vt per se terminus, nec primus, nec formalis: sed concomitans primum terminum, qui est Filius: quia relationes mutuæ concomitantur per se terminum, qui est vnum extremum. Et si obijciatur, quomodo sola negatio poterit constituere personam diuinā? Respondetur, quod persona includit essentiam diuinam, quæ est communicabilis, & cum hoc aliquid, quod est incommunicabile per hoc, quod habet naturam in se, habet in se omnē perfectionem positiuam, quæ potest poni in ipsa: per negationem autem cointellectam potest habere rationem incommunicabilis, & hoc maxime, si incommunicabilitas non dicit, nisi aliquam negationem in genere.

G Contra istam viam arguitur sic: nulla negatio est de se incommunicabilis: quia sicut nō est de se vna, neque indiuisibilis aliqua indiuisione: sic nō est de se hæc, & incommunicabilis: sed tantum per affirmationem sui primo repugnat diuidi, & per hoc negationi conuenit non diuidi: & ideò negationi, non conuenit primo non diuidi, sed consequenter: ita etiam videtur de incommunicabili: quia communicari, non repugnat negationi, de se, sed tantum per aliquam affirmationem, cui primo conuenit talis incommunicabilitas: ergo negatio non erit prima ratio incommunicabilitatis.

Respondeo, *quod* negatio principiati in ente est omnino incommunicabilis: quia omne aliud ab vnico ente est principiatum. Vnde est ista negatio incommunicabilis in esse? Dico quod ex natura entis: quia illi repugnat istam negationem in ipso pluribus communicari. Contra, igitur illud positiuum est prius communicabile. Non sequitur: imo si nō tantum vnicum ens esset principium, nec tantum vnum esset non principiatum. Instantia in animato, ponendo, quod forma mixti manet eadē, quæ prius, non est instantia: quia & si sic mixto inest inanimatio, & tunc est propria illi, quia animatio non fuit. Itaque quod essentia, non vt cum aliqua proprietate, nec vt in aliqua persona est principium generans, ita vt recipit, & aliquod prius quocūque in re: sed tantum sic dicendo, vt actu principiat, quo principiat, quo hoc est, vt actu fundat: quia in hac dist 28. quæst. vltima, dicitur, quod generatio est omnino primo determinatiua essentiæ. Præterea, nulla negatio est propria alicui subiecto, nisi per aliquam affirmationem propriam ei, quam sequitur talis negatio: ergo primę personæ, non est propria ista negatio, non esse ab alio, nisi quia eidem propria est aliqua affirmatio prior, quam consequitur ista negatio: ista affirmatio prior non potest esse essentia: ergo aliqua proprietas positiua. Præterea, si prima persona sit incommunicabilis formaliter negatione, & secunda est incommunicabilis relatione positiua, scilicet, filiatione, & tertia similiter spiratione passiua: ergo non vniformiter se habent istæ personæ in ratione personalitatis, neque sunt æque positiuæ personæ, neque æque perfectæ, in quantum personæ: quia non est æque perfecta personalitas negatiua, & proprietas aliqua positiua.

Istæ

I

Istæ rationes, licet forte non conuincerent aduersarium, quin possent solui: quia tamen non videtur probabile, personam primam constitui sola negatione formaliter, vel negatione formaliter esse personam: ideo potest concedi conclusio istarum rationum.

Conclusio.

K

Ad primum argumentum in oppositum dico, sicut dictum est distinct. 26. quod ly Pater non excludit aliqua personalia: sed excludit essentialia: & includit in proprietate inclusa omne personale illius personæ. Vnde & in generatione includitur tam paternitas, quam spiratio actiua, & est in Patre, & omnia personalia, quæ conueniunt Patri. Quod etiam probatur per eum alibi, vbi nominat paternitatem filiationem, & processionem: ergo non intendebat in primo loco solas illas tres esse proprietates personales, nec etiam intendebat illas solas tres constitutiuas esse personales: sed per illas intendebat omnes alias, & quod omnia essentialia, quæ excluduntur per ly Pater, sunt vnum in tribus.

L

Ad secundum, quod arguitur per August. de prioritate ingeniti ad paternitatem? Respondeo, quod aliquando priuatio non connotat affirmationem: & tamen nunquam inest formaliter priuatio vt propria, nisi priuatio insit formaliter talis positio. Exemplum: cæcus non connotat, nisi oculum, qui est commune subiectum cæcitatis, & visionis: & tamen numquam inest oculo per solam rationem oculi: sed per aliquam aliam entitatem positiuam, quam sequitur ista priuatio: puta, per talem mixtionem in oculo, cum qua non posset stare visio. Ita potest dici hic, quod licet ingenitum non connotet, nisi aliquam personam subsistentem in essentia diuina: tamen ista affirmatio non est tota ratio inhærentiæ huius negationis, quæ est ingenitum: sed oportet in re aliam proprietatem positiuam aliquo modo præcedere ingenitum, licet non connotetur per ingenitum, tamquam aliquod proprium subiectum. Et secundum hoc, dictū Aug. debet intelligi, quod ingenitū, quātū est de per se ratione ingeniti, non connotat Patrem, non tamen potest inesse proprie in re, nisi affirmatio ista, vel aliqua alia absoluta, vel relatiua sit qua si ratio inhærentiæ eius.

M

Ad tertium dicitur quod ista propositio est vera de primo in ordine, quod est ad se, cuius scilicet esse, non est esse ad secundum: ita non est in ordine personarum habentium eandē naturam, vt in proposito: quia hic primam personam esse, est ordo eius ad secundam: & ideò ordo ad secundā, quasi præcedit negationem principij, sicut constitutiuum formale alicuius entis positiui præcedit in eo negationem alicuius entis sibi repugnantis. Vel sic, vbi natura primi non est eadē cum natura secundi, ibi negatio principiati statim sequitur naturam primi, antequam intelligatur ordo ad secundum: sed vbi est eadem natura primi, & secundi, negatio principiati nō sequitur naturam, sed aliquid proprium illi: illud hic non potest esse secundum communem opinionem, nisi relatio.

N

Ad quartum dico, quod si esset ita secundum imaginationem Philosophorum gentilium, tunc essentia diuina esset determinate ex se ad hanc subsistentiam, & constitueret hanc: non per aliquam negationem, sed se ipsa (secundum eos) quia esset omnino determinata ad hanc, sicut in creaturis hæc natura est omnino limitata ad hoc suppositum: nunc autem ponendo ibi esse originem, oportet essentiam, non esse omnino determinatam ad vnam personam, & ideo nō

conse-

constitueret per se aliquam personã. Et cum dicitur, ponere originem, nihil aufert essentiæ, nec illi, quod per se cõstituit: verum est, quod nihil aufert: sed ponit oppositum illius hypothesis, propter quam essentia de se cõstitueret personam, scilicet, determinationem essentiæ ad vnicam subsistentiam, quæ hypothesis aufert essentiæ perfectionem: quia videretur ponere limitationem: sed oppositum illius hypothesis ponens originẽ, non aufert perfectionem: aufert tamen modum incomposibilem cõstitutiuum personæ, qui esset verus ex hypothesi.

Expositio articuli 1. quæstionis 2. distinctionis 28.

MATERIA huius articuli supra in difficultate. 91. & 92. remanet resoluta: hic autem textualiter à Doctore tractatur exacte. Primo namque ponit quatuor argumenta probantia, ingenitum esse proprietatem constitutiuam Patris. Deinceps in corpore articuli refert viam dicentem hoc esse probabile, cuius fundamentum ponit. Hanc tamen viam sub litt. G. tribus efficacissimis rationibus improbat, quarum consequentiam pro conclusione propria adijcit, & denique argumentorum solutiones subtilissimas præbet, quæ sunt satis clara in textu.

ARTICVLVS II.

Vtrùm essentia diuina ex se determinet sibi generationem actiuam, seu primam subsistentiam?

A AD secundum sic proceditur. Videtur, quod essentia diuina non determinet sibi ex se generationem actiuam, seu primam subsistentiam: quia tunc staret in quolibet, vbi esset essentia: consequens est falsum: quia non in filio, ergo.

B Secundo præterea: quia relationes sunt æque primo in essentia: ergo non determinat sibi ex se primam subsistentiam.

C Tertio præterea: quia si essentia determinatur ex se ad primam personã: ergo non potest esse in alia.

D Sed contra est: quia si velis dicere, quod essentia non est in prima persona ex se: sed per proprietatem determinantem: eadem quæstio esset, per quid determinaretur ad proprietatem determinantem: siue per quid pullulat in essentia ista proprietas? Et tunc vel oportet procedere in infinitum, vel oportet stare, quod essentia, quæ de se esset primo (ideſt, adæquate) in tribus, si non haberet ordinem, quod ipsa est de se immediate in primo istorum habentium ordinem: ergo, &c.

Articulus iste est ex hac & sequẽti quæstione desumptus.

E Respondeo dicendum, quod essentia illimitationem determinat: quia prima, & aptitudinalis: igitur actu per aliquid, non per relationem: quia ipsa non est, ante quam fundetur: nec per aliud infinitum: igitur ex se primo dicitur adæquate immediate primo modo secundum intensionem *determinari*. Sic ratio, & exemplum contra Godfred. secundum extensionem, non immediate. Quidquid se habet ad plura ordinem habentia, respectu eius aliud habet primum sic, & sic. Exemplum Solis. Exẽplum animæ. Essentia igitur immediatissime se habet ad primam: per illam ad secundam, in quantum principium: tenet enim mediate cõtra productum per diuisionem.

F Ad hoc *igitur* dico, quod quando aliquid est illimitatum in aliqua

qua ratione causæ, ita quod correspondeat sibi plura in aliquo extremo, vel aliquod vnum continens plura, sit inter ipsa plura est aliquis ordo vel absolute, vel in se habendo ad illud vnum: nunc non est idem primum in respectu talis illimitati (& hoc loquendo de primitate adæquationis) & primum primitate immediationis. Exemplum huius, primo in causa efficiente, vbi est manifestius, quia Sol vt causa illuminet medium totum: & tamen est, quasi agens illimitatum, cui correspondent plures partes medij illuminati, & inter istas partes ordo aliquis: quia prius illuminatur pars propinquior, quam remotior: primum correspondens soli, vt illuminanti, est totum medium. vt includit omnes partes, primum in quam quasi adæquatum, tamen non est primum, vt immediatum, sed pars propinquior soli immediatius illuminatur, quam pars remotior. Ita etiam informa, accipiendo animam intellectiuam, quæ est forma aliquo modo illimitata, correspondet sibi pro primo perfectibili, corpus organicum secundum se totum, includens in se multas partes perfectibiles. Primum igitur perfectibile animæ intellectiuæ, idest adæquatum, est totum corpus organicum: sed quia in partibus huius totius est ordo originis, vel in se, vel in habendo animam: quia primum est cor, deinde aliæ partes, decimo sexto de animalibus, ideo ista forma non primo, idest æque immediate perficit totum: sed sic primo perficit cor immediate, & mediante ipso, alias partes. Si igitur anima esset tota essentia cordis, & manus per identitatem: & tamen daret eis esse distinctum, quale modo dat eis, licet in toto: & cum hoc cor, & manus non essent partes eiusdem totius: quia hoc esset imperfectionis, sed hæc essent suppositа distincta; esset adhuc anima propter sui illimitationem habens corpus organicum pro adæquato perfectibili, siue habens omnia illa suppositа, quæ non sunt partes corporis pro vno adæquato: & tamen haberet vnum illorum, quod scilicet est primum origine, pro primo immediate perfectibili: ita potest dici vniuersaliter in omni illimitato, cui correspondent plura, inter quæ est aliquis ordo, propter quem vnū illorum immediatius respicitur ab illo illimitato, quam alterum.

G

Ita in proposito, essentia diuina non habet aliquam subsistentiam vnam primam, idest adæquatam sibi: quia tunc non posset esse in alia: sed sic adæquantur tres subsistentiæ illi naturæ, quod tamen in istis tribus est ordo in habendo naturam: & ideo essentia vna primitate, scilicet, immediationis respicit primum illorum ordinatorum: ita quod sicut essentia ex se primo esset in tribus, si esset in eis sine ordine: & hoc tā primitate adæquationis, quam primitatæ immediationis: ita nunc ex se est in tribus primitate adæquationis: sed non primitate ordinis immediationis: sed prius in primo illorum, & virtute illius in alijs, quibus communicatur ab illo primo.

H

Cum igitur quæris, per quid est essentia in prima persona? Dico, quod ex se. Et si quæras, vnde determinatur essentia ad primam per sonam? Respōdeo, quod determinatio est duplex opposita duplici indeterminationi. Vna indeterminatio est ad opposita contradictorie: sicut materia est indeterminata ad formam, & ad priuationem. Alia est ad diuersa positiua: quæ tamen stat cum determinatione ad alteram partem vtriusque contradictionis. Exemplum huius secundi: sicut Sol est in

Conclusio.

de

determinatus ad producendum vermē, & plantā, tamquam ad diuersa positiua: cū tamē ex se sit determinatus ad alteram partem contradictionis, tam huius quā illius, sicut si esset agens particulare, tantum natum producere vnicum illorum tantum. Dico tunc in proposito, quod essentia de se determinatur ad primam personam, determinatione opposita indeterminationi primæ: quæ est ad contradictoria: non tamen determinatione opposita secundæ indeterminationi: quia illa non staret cum illimitatione ad plura.

I Ad primum argumentum, cum dicitur, quod determinaret sibi in quolibet supposito: dico, quod non oportet in quolibet, in quo est, quod determinet ad formaliter habendum generationem actiuam: sed oportet, quod illud sit in alio, aliquo modo. Et concedo, quod Pater in Filio est per circumincessionem: licet non formaliter.

Hæ solutiones primi, & secūdi argumēti, non habentur in textu Oxoniensi & ideo desūptæ sunt ex Reportatio Doctoris, hac dist. quæst. 3.

K Ad secundum, loquendo de essentia, vt distinguitur contra notionem, dico, quod relationes oppositæ æque primo fundantur in essentia, loquendo de ista primitate, quæ est relatiuorum, quæ est, non posse esse sine se inuicem: sed non æque primo primitate originis; neque in medijs: quia in origine primum præcedit secundum.

L Ad tertium argumentum: si ex se determinatur ad istam: igitur non potest esse in alia: patet per hoc, *quod dictum est de duplici determinatione*, quod consequentia tenet, loquendo de determinatione secunda, quæ opponitur illimitationi ad plura: & hoc modo non determinatur essentia ad vnam, sed ad tres subsistentias: quia illa determinatio est ad primum adæquatum: non tamen tenet consequentia, loquendo de determinatione primo modo, quia illa est ad primum immediatum non adæquatum: & stat cum illimitatione indeterminati ad plura.

Expositio articuli 2. quæstio. 3. distinctionis 28.

QVALITER diuina essentia sibi determinet proprietatem primæ personæ, hic Doctor inuestigat & resoluit. Circa quod littera eius difficultatem inuoluit. Quia tamen hoc punctum est à nobis supra in pluribus locis, & infra in commentario ad artic. 4. quæstionis 3. satis enucleatum: non hic denuo Doctrinam illius repetimus: & etiam quia littera textualis est simul accuta, & clara.

QVÆS-

QVAESTIO III.

De constitutione primæ personæ.



Primo hic quæro, per quid constituatur prima persona in esse personali? Circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò. Vtrùm prima persona in diuinis constituatur in esse personali, aliqua realitate absoluta?

¶ Secundò. Vtrùm prima persona constituatur in esse personali aliqua relatione positiua ad secundam personam?

¶ Tertiò. Vtrùm relatio secundum, quod relatio est, constituat personam Patris?

¶ Quartò. Vtrùm prima persona habeat esse per productionem ab essentia?

ARTICVLVS I.

Vtrùm prima persona in diuinis constituatur in esse personali aliqua realitate absoluta?

A.



D primũ sic proceditur, videtur, quod prima persona in diuinis constituatur in esse personali aliqua realitate absoluta non quidditatiua: quia sicut ingenitum præintelligitur paternitati, & ingenito videtur præintelligi aliqua realitas propria primæ personæ: igitur cum illa non possit esse relatiua, erit aliqua absoluta propria illi personæ. Probatio primi assumpti, tùm per Augustin. quinto de Trinitate capite sexto, si Pater non genuisset, nihil prohiberet, cum dici ingenitum: tùm quia fœcunditas ad aliquam productionem in diuinis, non intelligitur quasi potentia, nisi vt est in non habente illam fœcunditatem per actum illius fœcunditatis, sicut voluntas non intelligitur fœcunda ad spirandum, vt in aliqua persona, nisi vt in qua sit vt non communicata per fœcunditatem voluntatis: & ideò videtur communiter concedi, quod vis spiratiua in Patre, & Filio præintelligitur non habere voluntatem per spirationem: ergo à simili, huic fœcunditati generandi, vt quasi potentia propinqua videtur præintelligi innascibilitas, quæ notat eam non haberi per actum fœcunditatis intellectus, scilicet generationis. Probatio secundi sequitur ex improbatione opinionis in quæstione præcedente.

Secundò præterea, nulla relatiua primo referuntur adinuicem, ita quod relatum, vt relatum, primo terminet relationem: patet in creaturis: quia relatum, vt relatum, requirit illud, ad quod refertur ad sui esse, & ad sui diffinitionem: ergo illud, ad quod refertur, est aliquo modo prius relato, vt relatum: si igitur è conuerso, ipsum, vt terminans refertur: ergo pari ratione requirit illud, ad quod

B.

refertur,propter sui esse,& sui diffinitionem : ergo circulus esset in necessariò coexigendo , & hoc ita, quod vtrumque exigeret alterum, sicut prius essentialiter se , vt diffiniens se : sed circulũ esse in proprietate essentiali, est impossibile : ergo impossibile est relatiuum , vt relatiuum , siue secundum illud esse , quo dependet à correlatiuo,vt ad terminum , esse terminum dependentiæ alterius correlatiui : & à simili videtur in proposito,quod relatiuum nõ refertur primo ad relatiuum , vt ad terminum huius relationis: ergo secunda persona,si referatur ad personam primam , oportet ponere aliquod absolutum , vt terminum huius relationis : non est autem illud absolutum essentia : quia illa sicut non refert , non determinat relationem : quia non distinguitur : ergo est absolutum personale , quod potest distingui á secunda persona.

C. Sed contra est : quia Saluator exprimens Matthæi vltimo capite, totam veritatem fidei , quæ de Trinitate tenenda est , nominat tres personas nominibus relatiuis. In nomine (inquit) Patris & Filij & Spiritus sancti. Similiter Ioannes,in Canonica sua prima capite quinto,tres sunt,qui testimonium dant in Cælo , Pater , Verbum , & Spiritus sanctus.

D. Respondeo dicendum , quod *sunt tres opiniones ponentes primam personam relatione constitui,de quibus in sequentibus articulis.* Aliter ponitur tenendo conclusionem oppositam istis tribus opinionibus , scilicet, quod prima persona non constituitur relatione aliqua ad secundam personam : & hoc loquendo de primo constitutiuo illius personæ in esse personali : sed aliqua realitate absoluta , non quidditatiua , sicut tactum est distinctione vigesima sexta.Pro hac opinione arguitur specialiter *supra* de prima persona. Contra istam *autem* opinionem arguitur , quod sit hæretica : sed quia tacta sunt argumenta, & solutiones distinctione vigesimasexta artic. 2. ideò modo transeo , *&* ad quæstionem istam,cui non placet opinio de personis absolutis, potest dici tenendo communem viam , supponendo scilicet personas esse relatiuas, quod prima persona constituitur relatione.

Opin. Ioan. de Ripa distinct. 25. & 26. huius primi.

E. Ad primum argumentum, quod arguitur de prioritate ingeniti ad paternitatem , & ad illud , quod arguitur per Augustin. *satis respondetur supra in quæstione præcedenti articulo primo ad secundum*,quod dictum Diui Augustini debet intelligi,quod ingenitum , quantum est de per se ratione ingeniti,non connotat Patrem , non tamen potest inesse proprie in re , nisi affirmatio ista , vel aliqua alia absoluta , vel relatiua, sit quasi ratio inhærentiæ eius . *Et ad aliam probationem constat ex dist. 26.quæst. vnica.*

F. Ad secundum dici potest , *sicut supra distinct. 26. quæstione vnica art.* quod benè absolutum semper terminat relationem , in relationibus mensurati: & hoc principaliter soluitur distinct. 30. quod relationes creaturarum terminantur ad Deum, in quantum absolutus est. Vniuersaliter *tamen* loquendo , non oportet concedere terminum relationis esse absolutũ,nisi in relationibus diffinibilibus, de quibus arguitur ibi,quæ scilicet sunt in genere, quales non sunt diuinæ,

vide ibi.

Expo-

Expositio art. 1. quæst. 3. distinctionis 28.

QVOD Doctor de constitutione diuinarum personarum in cõmuni supra distinct. 26. quæstio nevnica tractauerat: hic speciaLiter de persona Patris specialibus argumentis inuestigat, & in hoc articulo de illa determinat Patrem relatione ad Filium constitui; conformiter ad ea quæ in articulo sexto, prælegatæ quæstionis concluserat. Quod autem hic arguitur de termino absoluto relationis, satis respondetur, quod regulariter est verum de relationibus, quæ sunt sub genere. Vbi notandum est sententiã Scoti circa relationis terminum, quod quatenus relatio ad absolutum terminatur, hoc est intelligendum de relationibus creaturarum, minime vero de diuinis, quæ sub genere nequeunt comprehendi: quia tamen circa terminationem relationis per absolutum, ingens se offert inter Scoti discipulos, & Thomistas metaphisica controuersia: infra in difficultate 96. tãquam loco proprio ventilatur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm prima persona constituatur in esse personali, aliqua relatione positiua ad secundam personam?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod prima persona non cõstituatur in esse personali, aliqua relatione positiua ad secundam personam: quia prima persona præintelligitur in esse personali, antequam gignat: agere enim suppositi est: igitur præintelligitur in esse suppositi, etiam antequam agat: si autem constitueretur relatione ad secundam personam, cointelligeretur cum ipsa existente, secundam personam esse: & per consequens secunda persona cointelligeretur esse, antequam prima gigneret: & ita secunda persona non esset terminus illius generationis: ergo, &c.

B. Secundò præterea, & confirmatur *præcedens* ratio: quia quandocunque sunt simul natura, quocunque vnum est prius, *est* & alterum: relatiua sunt simul natura: ergo si prima persona formaliter constituitur in esse personali per relationem ad secundam: quocunque prima persona prior est in esse personali, eo *est* & secunda: sed generatione, quæ est actio primæ personæ, videtur prima persona esse prior in esse personali: igitur & secunda: & vt prius tunc non erit terminus formalis generationis.

C. Tertio præterea, in omni ordine primum videtur esse absolutissimũ, sicut apparet procedendo in quibuscunque ordinibus: ergo ita erit in ordine personarum, quod prima erit absolutissima: & ita non constituetur per relationem ad secundam.

D. Sed contra est: quia prima persona non constituitur in esse personali, Deitate: quia non est incommunicabilis: nec spiratione actiua: quia communis est sibi, & Filio: nec innascibilitate, ex quæstione præcedente: ergo per viam diuisionis, aliqua relatione positiua ad secundam personam.

E. Respondeo dicendum, quod hic distinguitur de relatione, vt relatio est, & vt origo est, & ponitur, quod constituat, vt origo, non autem

S. Bonauẽ. lib. 1. dist. 26. q. 3.

vt relatio: quia ratio originis aliquo modo præcedit, & in ea quasi fundatur relatio: prima autem persona constituitur per primam originem ibi, per quam distinguitur. Contra hoc obijcitur: quia origo, vt origo, non est propria forma, nec personæ, in qua est, nec personæ, ad quam est, sed est quasi via, & tunc neque primæ personæ est forma: sed quasi præsupponit eam: nihil autem constituit aliquid in aliquo esse, nisi in quantum est forma eius. Si tamen ista via intelligitur de distinguere quasi principiariuè alicuius correspondentis causæ effectiuæ in creaturis (sicut expositum est distinctione vigesimasexta) & nō per modum principij formalis: tunc ista positio posset habere veritatem: nec hoc argumentum esset contra eam. Tenendo *tamen* communem viam potest dici ad quæstionē istam, supponendo personas esse relatiuas, quod prima persona constituitur relatione positiua ad secundam personam: quia nec aliquo alio: sicut argutum est ad oppositum per viam diuisionis.

Conclusio.

F.

Ad primum argumentum patet ex dicendis *in sequenti articulo*: quia primum suppositum præcedit secundam originem, & tamen sunt simul natura, sicut requiritur ad relatiua. Et cum arguis, quod primum suppositum præcedit generationem: igitur & secundum. Respondeo, quod in antecedente, potest intelligi generatio actiua, & passiua: si generatio actiua, nego: imò primum suppositum est generatione actiua subsistens: quia quomodocunque intelligatur illa relatio, non est differentia in re, dicendo Patrem subsistere, vel generationem subsistere, vel generantem subsistere. Si autem intelligatur in antecedente de generatione passiua: concedo, quod prima persona sicut origine præcedit Filium, ita præcedit origine generationem passiuam: & cum arguitur sic, Filius præcedit eandem generationem passiuam: quia est simul cum Patre: ista consequentia non valet: quia non est in isto modo simul cum Patre, quomodo Pater est prior generatione passiua, Filius enim est simul cum Patre natura, sicut pertinet ad correlatiua, Pater autem præcedit generationē passiuam non sic, sed origine.

Ad secundum patet ex dictis, nunc autem ista propositio, quandocunque aliqua sunt simul, quocunque est vnum prius, *est* & reliquum: falsa est, nisi intelligatur de simultate eiusdem rationis cum illa prioritate, & posterioritate, sicut ista est falsa, si aliqua sunt simul tempore, quidquid est prius natura vno, *est* & reliquo: sed ista est vera, si ista sunt simul tempore, quidquid est prius tempore vno, & altero.

G.

H.

Ad tertium argumentum dico, quod vera est illa maior in ordine essentiarum: quia ibi intelligitur in perfectionibus quidditatiuis, & status est ad perfectionem quidditatiuam infinitam, quæ est absoluta: sed in personis habentibus eandem naturam distinctam tantùm per originem, sicut oportet intelligere in proposito secundum communem opinionem, propositio maior est falsa: quia ibi primū præcisè est illud, quod est formaliter per esse ad secundum.

(.?.)

Expositio art. 2. quæst. 3. distinctionis 28.

FACILE capitur conclusio textualis si namque personam Patris, relatione formaliter constituí, ex præcedẽti articulo habetur per viam diuisionis, inductiuê ostẽdit Doctor, Patrem constitui relatione ad Filium, quæ relatio formaliter est paternitas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm relatio, secundũ quod relatio est, constituat personam Patris?

A. AD tertium sic proceditur, videtur, quod relatio, secundũ quod relatio est, non constituat personam Patris: quia *vt intendit primum argumentum præcedentis articuli*, prima persona intelligitur in esse personali, antequam gignat, agere enim suppositi est: si autem constitueretur relatione (*vt relatio est*) ad secundam personam cointelligeretur cum ipsa existente, secundam personam esse, & perconsequens secunda persona cointelligeretur, antequam prima gigneret: ergo, &c.

B. Secundò præterea: quia *non videtur*, quomodo prima persona requirit secundam personam simul secum: cum tamen præcedat: ergo, &c.

C. Sed contra est: quia proprietas, vt proprietas, est aliqua entitas (alioquin non constitueret aliquod ens) aut igitur est entitas ad se, aut adalterũ, aut neutrũ, entitatẽ enim aliquam esse singularem, quæ nec sit entitas ad se, nec ad aliud, non videtur intelligibile: ergo oportet, quod ista entitas formaliter, vel sit ad se, & tunc constituit personam absolutam: vel ad alterum: & tunc vt proprietas erit relatio: & tunc non euadetur difficultas, licet alia ratio sit considerandi eam, vt proprietas, & vt relatio.

Respondeo dicendum, quod hîc communiter conceditur pars affirmatiua quæstionis: sed propter difficultatem primi argumenti, distinguitur de ipsa relatione constituente primam personam. Vno modo, quod ipsa potest considerari, vt proprietas, vel vt relatio: vt proprietas præcedit generationem: vt relatio, sequitur: & tunc secundum quod constituit primam personam, non oportet secundam simul esse cum prima, licet vt est relatio quasi consequens generationem, oportet secundam simul esse cum ea. D. *D. Tho. 1. p. q. 40. a. 4.* E.

Contra istud *est ratio supra posita §. sed contra*, & confirmari potest ratio per exemplum: quia etsi albedo possit cõsiderari, vt albedo, vel vt qualitas: etsi consideretur vt albedo: hoc est secundùm propriam rationem specificam suam: si autem vt qualitas: hoc est secundum rationem imperfecti sui generis: tamen quidquid constituitur albedine, vt albedo est, non constituitur aliqua entitate, quæ non sit qualitas: quia albedo etiam vt albedo includit essentialiter qualitatem, & est essentialiter qualitas, ita quod albedo non potest constituere album, vel aliquid in esse albo, nisi etiam constituat in esse qualitatiuo: ita etiam videtur in proposito de proprietate relatiua sic, & sic considerata. Præterea iste dicit alibi, q̃ in diuinis nõ potest esse ordo: quia nec essentiæ ad relationes, nec relationũ inter se: quia relatiua sunt simul natura. Quod si proprietas posſ-

sit considerari eo modo, quo non esset relatio, & hoc modo non oportet, quod haberet correlatiuum simul natura: argumentum non valeret.

F. *D. Bonau. in 1. distin. 26. q. 3.*

Aliter distinguitur de relatione, vt relatio est, & vt origo est, & ponitur, quod constituat vt origo, non autem vt relatio: *sed hic modus dicendi expositus est supra articulo secundo.*

G. *Henr. quod lib. 9. q. 1. & 3.*

Alio modo dicitur, quod sicut eadem actio potest diuersimodè intelligi, in quantum aptitudinalis, in quantum potentialis, in quantum futura, in quantum actu, & in quantum præterita: ita relationes fundatæ super actionem possunt diuersimodè accipi, vt sit relatio fundata super generationem quasi aliquo modo præteritam: alio modo, vt quasi præsentem: alio modo super eam, vt quasi futuram: alio modo super eam, vt quasi potentialem, & vlterius, vt quasi aptitudinalem. Dicitur autem, quod relatio sub prima ratione constituit primam personam: prima autem ratio est ratio aptitudinalis: quia illud sequitur ad aliud, non è conuerso: ergo generatio tali modo constituit Patrem, & hoc modo significatur per hoc, quod est generatiuitas.

H. Contra istud, prima persona nō cōstituitur proprietate habente minus perfectè esse positiuum, quā habeat proprietas constitutiua secundæ personæ: quia tunc non videretur esse æquè perfecta in esse personali: secunda autem persona constituitur secundùm istos filiatione, vt filiatio est: ergo prima persona non constitueretur relatione potentiali, quæ minus perfectum esse habet de ratione relationis, quàm proprietas secundæ personę: sed relatio generatiui ad generabile (quam ponunt esse primam, & constitutiuam) est relatio potentialis: ergo non constituit, ita perfectam personam actualem, sicut secunda. Probatio assumpti: nullum esse actuale exigit ens potentiale: quia ens potentiale est minus perfectum quàm actuale, dummodo sint eiusdem rationis: relatio autem generatiui requirit generabile, quod dicit relationem potentialem ex parte Filij: ergo ista relatio generatiui in Patre, non est relatio actualis.

Præterea contra istam opinionem, & contra duas præcedentes arguitur: quia relatio, si constituat ibi primam personam, hoc non est, nisi secundum quod est in re: alioquin non cōstitueret personam realem: non est autem in re, nisi vnica relatio personæ primæ ad secundā: nec est ibi, nisi sub ratione actualissima, quomodocunque possit diuersimodè accipi: ergo sub illa ratione actualissima cōstituet illam primam personam, & sub ea ratione correspondet sibi relatio in secunda persona: non est autem in secunda aliqua, nisi vt actualissima: frustra igitur quæritur distinctio quasi potentialis, vel aptitudinalis ibi à ratione actiui: quia ista distinctio in modis concipiendi, nihil facit ad constitutiuum primæ personæ, quin prima persona semper exigat secū simul secundam: & tamen propter hanc difficultatem, scilicet ne poneretur personam primam habere simul secundam, quæritur ista distinctio relationum aptitudinalium, & potentialium, ne Filius ponatur præcedere generationem Patris, eodem modo posset argui contra primam opinionem, & secūdam: quia illa relatio quomodocunque concipiatur, non est ibi, nisi vt vnica. I.

Præ-

K. Prætèrea contra omnes tres opiniones arguitur: quia si Pater generat Filium per hoc, quod actione Patris, relatio Filij est in essentia diuina, & actione sua (secundum istas opiniones) paternitas, vt paternitas est in essentia diuina: quia secundum eos paternitas, vt paternitas: tunc primo est, quando filiatio est, vt filiatio, licet prius præceserit aliquid origo, vel generatiuitas, vel proprietas: igitur Pater, ita generabit se patrem, sicut generabit Filium: aut saltem ita erit paternitas in Patre per generationem, sicut filiatio in Filio, quod videtur absurdum.

L. Præterea, contra omnes opiniones, alia est difficultas, quomodo essentia determinetur ad personam primam, vel proprietatem? si ex se non videtur communis alijs personis: *sed quia de hac difficultate dictum est in quæstione præcedenti, & infra amplius dicetur omittitur modo.*

M. Ad quæstionem igitur istam respondendo, non oportet distinguere, qualiter illa relatio, qua prima persona constituitur, consideretur, vt est constitutiuum: quomodocunque enim varietur secundum considerationem, eadem tamen est in re & secundum: quod est in re, constituit personam realem: nec est difficultas alia, nisi quomodo requirit secundam personam simul secum, cum tamen præcedat. Vbi tamen breuiter dico, quod simultas relatiuorum, quæ dicuntur esse simul natura, est ista, scilicet non posse esse sine se inuicem, sine contradictione, si sint relatiua mutua: nam vna relatio non potest esse sine termino: quia si posset esse sine eo, esset ens ad se: pari ratione, nec relatio alia sibi correspondens potest esse sine isto termino: quia tunc esset ad se: igitur istæ duæ relationes, quando sunt mutuæ, non possunt esse sine se inuicem, absque contradictione: omne autem prius natura potest esse sine contradictione, sine posteriori: ita quod si ponatur hoc esse sine illo, non est contradictio, sicut patet per Philosophum quinto Metaphysic. capite de priori. Isto modo concedo personam primam, & secundam non posse esse sine se inuicem absque contradictione, & non est contradictio ex aliquo extrinseco: sed ex formali ratione istarum personarum: & tamen cum hoc stat prioritas originis, quod vna sit ab altera.

Quod declaratur primo: quia si Sortes sit Pater Platonis, Sortes non intellectus, vt subiectum paternitatis, sed vt sub paternitate: & Plato intellectus, vt sub filiatione: ista sunt simul natura: quia sic intelliguntur, vt correlatiua: & tamen, vt sic, Sortes est prius origine, quàm Plato: quia sic intelligitur sub paternitate, quæ est formaliter prioritas originis: ergo videtur, quod eodem, quo aliquid est prius origine in creaturis, est simul natura cum eodem, eo modo quo simultas naturæ requiritur ad correlatiua. Hoc secunda sic persuadetur, quia prioritas naturæ, vno modo est prioritas secundum perfectionem: ita quod priora dicuntur esse perfectiora secundum naturam nono Metaphysic. capite septimo, nunc autem cum simultate correlatiuorum secundum naturam, videtur posse stare prioritas secundum perfectionem in vno respectu alterius: quia si genus relationis diuidatur per proprias differentias oppositas, sicut alia genera: vna differentia diuisiua erit dignior, N.

& alia indignior: quia duæ ſpecies
Tex. com. non ſunt æquales, octauo Metaph.
10. & perconſequens ſpecies conſtituta minus nobili differentia erit minus nobilis: & tamen duæ ſpecies conſtitutæ ex duabus differentijs oppoſitis poſſunt referri ſibi inuicem: quia omnis relatio diſquiparantiæ eſt aliquid alterius ſpeciei: igitur relationum ſibi correſpondentium, altera poteſt eſſe prior, id eſt perfectior alia, & tamen ſimul natura, quantum ad hoc, quod eſt non poſſe eſſe ſine ſe inuicem: ergo multomagis videtur etiam, quod prioritas originis, ſecundùm quam, ſcilicet vnum extremum in natura, non excedit aliud extremũ: ſed eſt à quo aliud eſt: poſsit ſtare cum iſta ſimultate relatiuorum.

O. Confirmatur per Auguſtin. per illud de quãtitate animæ cap. 7. æqualitatẽ inæqualitati iure præponis, & loquitur non ratione fundamenti: quia ex nobilitate æqualitatis concludit fundamentum eſſe nobilius, cui conuenit, quàm illud, cui non conuenit, patet ibi de circulis, & alijs figuris: igitur relatio habet propriam nobilitatem in ſuo genere, & ſic vna *eſt* nobilior alia, & tamen inter duas ſpecies correlatiuorum, eſt quandoque relatio diſquiparantiæ.

P. Ad primum argumentum, *reſponſum eſt iam in præcedenti articulo ſolutione ad primum.*

Q. Ad ſecundum, *hic late dictum eſt, & probatum, quomodo cum ſimultate naturæ*, ſtat prioritas originis, quod vna perſona ſit ab altera. Et ad hoc
Cap. 2. etiam adducitur Auicena 6. Metaphyſic. vbi videtur velle, quod cauſa, in quantum cauſa, prior ſit natura cauſato, in quantum cauſatum eſt: & tamen cauſa, in quãtum cauſa, eſt ſimul cauſato ſimultate requiſita ad correlatiua: iſta autem prioritas naturæ, quæ eſt cauſæ ad cauſatum, videtur magis repugnare ſimultati naturæ correlatiuorum, quàm prioritas originis tantùm. Tunc breuiter, prima perſona conſtituitur in eſſe perſonali per relationem poſitiuam, ad ſecundam (*vt ſupra dictum eſt*) & è conuerſo: & impoſsibile eſt eſſe ſine ſe inuicem: & tamen ipſa perſona prima conſtituta in tali eſſe eſt prior origine perſona ſecunda: ita quod prima perſona conſtituta in tali eſſe eſt á qua originata eſt ſecunda, & ita prioritas originis non repugnat ſimultati relatiuorum.

Expoſitio art. 3. quæſt. 3. diſtinctionis 28.

LONGE difficilior eſt articulus iſte, quàm præcedentes huius diſtinctionis: relationem etenim prout ſubſiſtentem, ſeu formam hypoſtaticam, conſtituere perſonam Patris, facile capitur: ipſam tamen ſub expreſſo, & formali relationis conceptu, eſſe proprietatem conſtitutiuam, difficillime intelligitur: ad perfectam attamen huius puncti reſolutionem, videnda ſunt, quæ diximus ſupra in difficultate 86. ibi namque principalius de conſtitutione primæ perſonæ, de qua difficultas ſpecialiter vrget, & in difficult. 87. actũ eſt. Hic ergo in litera Doctor ſubſtinendo Patrem paternitate conſtitui, præbet modum ſubſtinendi, quomodo nimirum poſsibile ſit Patrem generare Filium: ita quod in eodem inſtanti in quo Pater eſt, ſit Filius: etiam ſi generãs debeat eſſe prius in generando, & prius genito. Ait igitur Doctor, ad hoc ſufficere, quod ſit generans prius origine generato, licet non ſit prius natura quã illud: ſicut vt vidimus ſupra in difficultate 88. & infra in difficultate 93. patebit, in eodem naturæ inſtanti dãtur plura inſtantia originis. Et quando in textu arguitur, quod agere ſupponit eſſe: optimè ex Doctore, & ex D. Bonauentura, & D. Thom. & Henrico reſpondetur, & cõmuniter ſoluitur, quod quãdo

ipſum

ipsum esse per agere constituitnr, tunc agere non supponit esse: sic Pater generatione constituitur, &c. Acutius tamē Tataretus hic §. *ad primum argumentum* respondet, quod duplex est esse, aliud simpliciter, & aliud hypostaticum: primum est esse essentiale, secundum vero personale. De primo igitur est vniuersaliter verum, quod agere supponit esse essentiale: sic generatio actiua Patris supponit essentiam. De secundo autem non est ita verum in vniuersum: quia tale esse hypostaticum in Deo, per ipsum agere constituitur. Cætera sunt clara in textu.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm prima persona habeat esse per productionem ab essentia?

A. AD quartum sic proceditur, videtur, quod prima persona habeat esse per productionē ab essentia: restat enim dubium, quam circunstantiam principij notat, ex, vel, de, cum dicitur essentia de se, vel ex se determinat sibi proprietatem primam. Etsi fingas quod ibi non dicit rationem principij alicuius: sed excludit comparticeps principium: non obstat: quæro enim, quomodo essentia determinat, & in ratione cuius principij est respectu proprietatis? & dicit vna solutio hîc, quod producentis: quia sine illa non est ratio principij formalis, nec materialis: & quia forma actiua est per se ens, per se agit, de qua propositione quære dist. septima extra.

B. Secundò præterea, probatur propter congruentiam de tertio principio productiuo, ex qua congruentia fit vna instantia dist. 2. quæst. de duabus productionibus: sed corrigitur, quod hic Deus producit Patrem: non autem essentia propriè loquendo.

C. Tertiò præterea: quia si essentia determinatur ex se, quæro rationem cuius principij habet essentia indeterminando se ad proprietatem primam: non materiæ, ex distinctione quinta: non formæ: quia priuatio formæ præexigit principiationem producentis, sicut de causa formali, & efficiente: ergo essentia quasi productione se determinat, & ita prima persona erit aliquo modo producta. Nec potest dici, quod proprietas ex se determinatur: quia proprietas ex se determinatur: quia impossibile est qualitercūque duo esse omninò prima: sed omnis multitudo stat ad omninò primum, & vnum: illud hîc non est nisi essentia, vt est pelagus: ergo ipsi attribuitur ratio principij aliqualis, respectu cuiuscunque secundi.

D. Quartò præterea: quia quandocunque aliquid determinatur ad aliud ex se, vbicunque est, habet illud: & tunc essentia vbicunque esset, haberet personalitatem primæ personæ: si autem ab alio determinatur: hoc videtur esse contra rationē primæ personæ: quia tunc videtur esse originata, vel aliquo modo posset ab alio poni in tali subsistentia.

E. Sed contra est per auctoritatem Magistri dist. 5. propterquam negat essentiam gignere, vel gigni: pari ratione negandum est ab ipsa producere.

F. Respondeo dicendum, quod quamuis in diuinis negatur omnis prioritas, secundum naturam, & tamen concedatur prioritas originis communiter, vel prioritas secūdum naturalem intelligentiam, tamē omnimodo oportet aliquam prioritatem dare essentiæ respectu relationis: tùm quia est fundamentum se-

cundum omnes: tùm quia est formaliter infinita: relatio non: tùm quia qualitercunque distinguantur, non sunt ex æquo omninò prima, nec relatio prior: merito igitur quæritur, vnde essẽtia determinet sibi proprietatem primam? & cum non inueniatur aliquod determinans: quia semper est eadem quæstio, vnde essentia habeat illud, nisi procedatur in infinitum? standum est, quod essentia ex se præcisè determinat in se, vel in fundamento primam relationem, *sicut dictum est in quæstione præcedente art.* 2. falsa est igitur illa radix, scilicet nullum indeterminatum ex se ad aliqua, determinatur ex se ad aliquod eorum sicut benè habetur: hæc infra de duplici determinato, & de duplici prioritate adæquationis, & immediationis.

G. Si quis vellet dicere, quod essentia, vt hæc, per se est, & sic per se agit, iuxta primum argumentum factum distinctione septima contra Thomam, posset dicere, quod hæc essentia communicat quasi productiuè se personæ primæ: & in prima communicat se secundæ: & in prima, & secunda, tertiæ: & sic tres productiones, secundum triplex principium scilicet essentia, vt essentia, vt intellectus, vt voluntas. Contra *hoc sic*, nihil producit se. igitur est distinctio inter personam primam, & essentiam. Item, hæc productio non est generatio: quia Pater est ingenitus, nec spiratio, patet, nec sunt aliæ in diuinis. Item actio est suppositi: ergo essentia est quartum suppositum.

H. Potest dici ad primum, quod aliquid produci benè potest producere totum, quando illud aliquid est prius per se ens, & habens in virtute reliquum, quod concurrit cum ipso composito. Exemplum non est in creaturis in productione substantiali: quia ibi non præest, nisi materia, quæ non habet nisi virtualiter formam: sed benè est exemplum in productione accidentali, vbicũque subiectum habet actiue accidens, ipsum subiectum producit compositum illud, sicut à qua prius calefacta, & postea sibi derelicta, producit aquam frigidam. Ita diceretur hîc, quod essentia per se ens in illo primo signo, quando relatio pullulat, producit se in persona relatiua: vel magis propriè, communicat se illi.

Ad formam conceditur antecedens, prout se refert præcisè idem, & sic consequens, quod distinctio, hoc est, non est omnimoda identitas essentiæ ad personam relatiuam: quia includit aliquid præter essentiam. I.

Ad secundũ hîc potest dici, quod productio illa est generatio, & productio Verbi dictio, sicut si ignis esset intelligibilis, vel intelligens igneitate gigneret, intellectu diceret. K.

Ad tertium, forma per se ens, id est non inhærens, vt accidens, vel forma, vt substantialis, vel quidditas suppositi, posset esse agens, nec tamen est suppositum: quia non est incommunicabilis, & sic videntur euadi tres rationes. L.

Sed restant insolutæ duæ auctoritates, prima confirmans rationem primam Magistri, *quæ posita est hic*, §. *Sed contra*, alia est in secunda ratione: quia Augustin. dicit Patrem esse ingenitum: propter primam posset dici, quod in omninò primo signo, non tantùm est Deitas per se ens, sed hic Deus, & ille producit se Patrem, *vt in secundo argumento intenditur*, & tunc euaditur hîc ista locutio, essẽtia producit: licet ille producat, in quo nihil est, nisi essentia: sic corrigitur dicta via quantum ad sermonem. Ad secundam posset dici, quod sancti supponentes proprietatem M.

pri-

primam esse in essentia, vnde cunque pullulauerit primum suppositum,& non loquebantur, nisi de productione suppositi à supposito: ideò dixerunt illam personam esse improductam, quæ non producitur à supposito:consimiliter dixerunt,relationes oppositas non posse esse nisi in distinctis suppositis,quod verum est, si vtraque sit suppositi:sed non si vna sit alicuius per se entis singularis, & non suppositi, putà huius Dei.Et ratio est: quia singulare non suppositum potest se communicare, & ita non distinguitur à producto: quia enim est singulare per se ens: ideò potest agere: quia non suppositum: ideò potest communicari: suppositum autem nunquam se communicat: & ideò si producit,suppositum distinctum producit,cuius ipsum nihil est.

N. Qualiter autem improbabitur hæc phantasia, tam dissona dictis Sãctorum? Respondeo *sicut supra quæst. præcedent. art.* 2. quod essentia est in prima persona ex se, & dico tunc in proposito,quod essentia de se determinatur ad primam personam determinatione *ibi signata.* Et sic cõtra istam viã,*qua quis* vellet dicere, quod essentia communicat quasi productiuè se primæ personæ, *etiamsi* corrigatur,quod hic Deus producit Patrem,non autem essentia propriè loquendo: fiunt tres rationes, & tres auctoritates adducuntur, quæ videtur omnes euadi aliqualiter:sed quia male sonat primã personã esse productam,potest dici,quod essentia determinat proprietatem sibi primam in ratione principij formalis, non quidem informantis, sed sicut quidditas dicitur forma suppositi:& quod quidditas non causaliter necessariò, nec sic formaliter determinat aliquod suppositum, sicut pagani ponerent de supposito absoluto:nos autẽ de primo relato.Et ratio est: quia talis quidditas se ipsa sistit se, & se ipsa est alicuius quidditas.Tunc ad illa pro via alia.

Conclusio.

Ad primum dico, quod omnem formam informantem præcedit causa efficiens: ideò primum efficiens non sic habet formam, sed non omnem formam quidditatiuam dantem esse supposito præcedit efficiens, vel producens: quia hîc non est causa,& causa intrinseca cõpositi, quas oporteat vniri per agens: sed est per se ẽtitas, quæ se ipsa est entis in ipsa. Quod si obijcitur,vel essentiam informare proprietatem, vel è conuerso:responsum est dist.5. nevtrum est: sed est perfecta identitas, quæ identitas non habet principium efficiens: sed habet quidditatem in ratione principij formalis illius, cui se ipsa primo est eadem. O *quæst.2.*

Ad secundum, ista via benè saluat congruentiam: quia essentiæ, vt essentia est, & vt prior omni ratione potentiæ,est dare esse formaliter, & sic determinat se: vt autem est talis, & talis potentia,eius est principiare: ita quod duo sunt principia productiua, & vnicum est non productiuum ex se solo, sed dat tantùm esse formaliter primo supposito. P.

Ad tertium, *per idem patet, quod* habet quidditatem in ratione principij formalis,non quidem informãtis,sed sicut quidditas dicitur forma suppositi. Q.

Ad quartum,*iam dictum est*, quod essentia de se determinatur ad primã personam determiuatione opposita indeterminationi primæ (*ex illis quæ posita sunt in quæst.præced.art.* 2.) quæ est ad contradictoria,non tamen determinatione opposita secundæ determinationi, quia illa non staret cum illimitatione ad plura *vide ibi.* R

(.?.)

Ratio hæc soluitur hic vt pertinet adhunc art. fortis tamẽ est pro parte Doctoris ad inpugnãdas tres opiniones,quas refert in præced.art. vbi eã ponit, & est vltima in ordine.

Expo-

Expositio art.4. quæst.3. distinctionis 28.

1 Difficultas huius articuli maxima esse videretur, nisi & processum Doctoris exponeremus, & apperiremus eius mentem. Oritur ergo difficultas ex determinando qualiter essentia se habeat ad primam personam, & qualiter sibi secundam proprietatem personalem determinet. Circa quod principalia quatuor argumenta intendunt primam personam Patris, ab essentia esse productam. Hoc tamen cõtradicit Doctor litera, E. per rationem D. August. quia cum ex ipso habeatur essetiã nec generare, nec generari (quod latè habetur ex supra dictis in difficultate 64.) Consequenter concluditur non esse personam Patris genitã ab essentia.

2 Rursus in corpore articuli refert opinionem communem negantem dari in diuinis prioritatem naturæ, sed concedentem prioritatem originis. Quæ opinio propria non est, si quidem ipse (vt vidimus supra difficultate 88.) non solum ordinem originis, sed etiam ordinem naturæ in Deo concedit: de quo sequens difficultas specialiter erit. Sed adhuc in sẽsu opinionis oppositæ quod in Deo non esset ordo naturæ: inuestigat aliquam prioritatem essentiæ respectu relationis. Sed reuera hæc non est in rigore prioritas naturæ: quia vt in secundo distinctione 1. quæst. 1. sub littera H. Doctor resoluit, totus primus ordo originis in eodem primo instanti naturæ est. Non solum igitur prioritas naturæ essentiæ respectu paternitatis, in rigore non datur: quinimo & omnis ordo diuinarum productionum, in eodẽ naturæ instanti ponitur à Doctore. Quã obrem à fortiori ibi inter essentiam & primam personam, seu paternitatem, prioritas naturæ esse non potest.

3 Hoc semel habito, progreditur Doctor inquirendo hîc, sit ne forsan ordo originis inter essentiam, & Patrem seu paternitatem? quia alius ordo ibi esse nõ potest. Ponit littera G. opinionẽ alicuius innominatim: nõ quod aliquis hoc dixerit, sed quia diceret forsan essentiã producere Patrem: tunc etenim ibi bene saluaretur ordo originis: quia inter producens, & productum est propriſsime talis ordo. Sed contra hunc sic dicẽtem tripliciter redarguit, prout ibi habetur. Quia tamen rationes, quibus sic redarguit, non sunt naturaliter concludentes, illas intendit soluere, non quidem directè soluendo, sed dicẽdo, *quod potest dici ad primum, &c.* Ostendit nihilominus, quod quãvis rationes prædictis solutionibus euadantur: auctoritates tamen remanent insolutę.

Tunc autem aliud effugium imaginatur ad primam auctoritatem: an scilicet, esto quod essentia, nec generat, nec generatur, erit ne hic Deus indiuiduum Deitatis, prout præintellectus personis, qui generat Patrem? Ad secũdam vero, quæ erat eiusdem Augustini dicentis Patrem esse ingenitum, responsio confingitur dicens, Augustinum, & alios Patres dixisse esse ingenitum, hoc est improductum ab alio supposito: nõ vero negarent productionem suppositi ab essentia. Hæc omnia proponit Doctor, vt studẽtium ingenia acriter excitaret: resoluendo attamen difficultatem iuxta propriam mentem, prædictum modum dicendi in litera H. appellat phantasiam dissonam dictis Sanctorum, & difficultatem resoluit dicens: *Quod essentia determinat proprietatem sibi primam in ratione principij formalis, non informantis, sed sicut quidditas dicitur forma suppositi,* & ad huiusmodi primam personam determinatur esse.

4

Sed tunc ad illud, quod dicitur primo determinare sibi personam Patris vbi ponitur distinctio de prioritate immediationis, aut adæquationis, exponitur à Tatareto ibidem §. *secunda dubitatio* duplici exemplo, de sole videlicet, & de anima rationali: quorum secundum est aptius. Inquit ergo, quod anima, quæ est quodammodo illimitata, comparata ad plures corporis partes, vel ad corpus vnum tanquam habens plures partes, sic se habet, quod loquendo de primitate immediationis nõ primo totum corpus informat: sed primo informat cor (vt tenet Philosophus) & deinceps alias partes corporis. Loquendo vero de primitate ad-

5

ad-

adæquationis,non primo aliquam partem,sed totum corpus informat: vndè stat,dari primitatem immediationis sine primitate adæquationis. Sic ad propositum (inquit Tataretus)diuina essentia est quid illimitatum, quæ cõparatur ad plura diuina suppositа, ad quæ omnia simul æque primo terminatur,& nõ prius ad vnum,quam ad aliud, loquendo de primitate adæquationis:loquendo attamen de primitate immediationis, primo terminatur ad Patrem quàm ad cæteras personas: quia prius origine est in Patre,quàm in illis; Pater etenim illam habet à se,cæteræ vero personæ non à se, sed à Patre habent essentiam: quinimo, & Spiritus Sanctus illam habet à Patre,& Filio.

DIFFICVLT. XCIII.

Vtrùm in Deo detur ordo originis,& naturæ, ita vt ibi aliquid prius, aut posterius natura, seu origine dici possit?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ cum prima sententia Diui Thomæ, & aliorum.

1 QVIA in Symbolo Diui Atanasij iuxta fidem catholice confitemur, quod in hac Trinitate nihil est prius nec posterius, & alias passim per istarum distinctionum discursum,& alibi sæpe asserit Doctor,Patrem esse priorem origine Filio, Patremque & Filium esse priores Spiritu sancto: quod visum fuit aliquibus prædicto Symbolo fidei contradicere: non immerito ad hanc apparentem contradictionem delendam,hic præsens controuersia excitatur. Quidã etenim etsi realem ordinem inter diuinas personas necessariò esse fateantur: ita nihilominus à vocibus prioris, & posterioris se abstinent, vt illas in Deo proferre, non consonum fidei esse, arbitrentur.

Diuus enim Thomas prima parte quæstione 42.art.3. in corpore sic refugit prioritatem, nec dum originis, in Deo statuere, vt hæc verba protulerit. *Vnde oportet ibi esse ordinem secundum originem absque prioritate: & hinc vocatur ordo naturæ secundum Augustinum, non quod alter sit prius altero, sed quod alter est ex altero.* Quem modum loquendi sic obseruauit Caietanus ibidem, vt licet Scoti sententiam in re ipsa approbauerit: has tamen voces prioris,& posterioris proferre in Deo non ausus est: quinimo, hæc de infra ponenda Scoti sententia dixerit: *Sententia tenet, linguam vero cohibeat: quia dum concedit prius, & posterius in diuinis secũdum rem, videtur asserere vnam esse alia antiquiorem.* Idem tenet Bañez ibi in commentario articuli 3. & nonnulli Thomistæ, vltra quos sequuntur Diuum Thomam, Gregorius in primo distinctione 9. quæstione prima, & Gabriel ibidem quæstione 3.

2 *Prima sententia Diui Thomæ.* *Caietan.* *Bañez.* *Gregor.* *Gabriel.*

Hæc quidem sententia duo nobis offert examinanda: primum videlicet circa naturæ ordinem, inter personam, & personam,quem ibi Diuus Thomas cõcedit, & Scotus expresse negat. Secundum vero est,ibi nec naturæ, nec originis ordine admittere vnam personam esse alia priorem, aut posteriorè: quod D. Thomas tenet, Scotus vero oppositum asserit, hanc prioritatem, & posterioritatem admittendo in Deo. Circa vtrumque igitur probatur hæc opinio.

3

Et primo inter diuinas personas esse naturæ ordinem,patet auctoritate Diui Augustini, quem refert D. Thomas, vt vidimus,dicentem inter diuinas personas esse ordinem naturæ, & ex Symbolo Atanasij,prout refert ipse D. Thom. vbi dicitur in diuinis personis non esse confusionem : vbi autem ordo naturæ non est,interuenit confusio necessario: ergo inter diuinas personas datur ordo naturæ.

4

Secundo vero circa secundum,nimirum

5

rum in Deo nihil esse prius, aut posterius, ex eodem symbolo Athanasij constat, vt vilum est. Et præterea: quia vt aliquid aliquo modo dicatur alio prius, debet necessariò ad illud in aliquo instãti præsupponi: & tunc pro illo instanti, si Pater est prior Filio, verũ erit dicere, quod est Pater, & non est Filius pro tali instanti: & tunc Pater aliquantulum est antiquior Filio: & Pater, & Filius sunt antiquiores Spiritu sancto: hoc autem dici non potest: ergo, &c.

6. Tertio tandem idem probatur, quia diuinæ personæ sunt relatiuæ, quatenus personæ sunt, eo quod in ratione personæ, per relationem constituũtur: sed relatiua sunt simul natura, & cognitione; ergo nulla Diuinarum personarum est prior altera, non solùm natura, sed nec dum cognitione. Consequentia patet, quia si verbi gratia Pater per relationem ad Filium constituitur: nõdum intelligitur Pater habere esse, quousq; Filius genitus sit: & ex consequenti non est Filius Patre posterior, nec Pater Filio prior.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

7. *Vera sententia Scoti.*

IN oppositum autem est litera textualis in hoc quarto articulo quæstionis tertiæ distinctionis 28. vbi Doctor hæc profert: *Quamuis in diuinis negatur omnis prioritas secundum naturam, & tamen conceditur prioritas originis communiter, vel prioritas secundum naturalem intellectionem: tamen omnimodo oportet aliquam priori-tatem dare essentiæ, respectu relationis, &c.* Et comparando personas adinuicem, id sæpe dicit: sed non tantùm comparando eas adinuicem, verum etiam ad operationes essentiales, quas simul quasi eliciunt, hæc ait in secundo distinct. 1. quæstione 1. litera H. §. *in secundo instanti naturæ*, cuius hæc sunt verba. *Potest assignari quidam ordo originis: quia prius origine Pater intelligit lapidem, quam Filius: quia Pater intelligit à se, Filius non à se, sed à Patre habet intelligere, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio.* Ex quibus omnibus verbis possumus tres comparationes habemus, primam, scilicet essentiæ ad relationes, seu etiam ad attributa. Secundam, personarum inter se adinuicem, loquendo de ipsarum originatione. Tertiam tandem de comparatione earundem personarum adinuicem, prout tamen operationes essentiales ad extra attingunt. De prima & tertia non loquitur D. Thomas in præsenti sed tantùm de secunda omnes nihilominus hic de mẽte Doctoris apperiemus. Dari igitur prioritatẽ, & posterioritatẽ inter diuinas personas adinuicem in se ipsis comparatas, tenet Doctor ex professo, quem sequuntur non solùm Basolis ibidẽ, Rubionis, Maironius, Lychetus, Tataretus, Antonius Andreas, Viguerius, Vargius, & reliqui veteres Scotistæ, & ex recentioribus Pater Ruis prima parte controuers. 5. Pater Herrera in primo disput. 9. quæst. 5. & reliqui, verum ex Thomistis, & Iesuitis Scotum sequuntur Zumel prima parte q. 42. art. 3. sua quæstione 1. conclus. 2. Molina ibidem suo art. 3. §. *quo loco obserua*, Suarez prima parte 3. lib. 4. cap. 15. nu. 7. & expressius Vazquez prima parte disput. 167. capit. 2. & plures alij Theologi.

Basolis. *Rubionis.* *Maironis.* *Lychetus.* *Tataretus.* *Ant. And.* *Viguerius.* *Vargius.* *Ruis.* *Herrera.* *Zumel.* *Molina.* *Suarez.* *Vazquez.*

8. Plura de prioritatibus, & posterioritatibus se nobis hic offerunt explananda, ad omnia tamen tanquam præambulum, est necessariò supponendum, nanc esse differentiam inter plura habentia ordinem inter se, ac plura talem ordinẽ non habentia: quod scilicet hæc non se mutuo respiciunt, sed disparate se habent: illa vero respiciunt se aliquo modo, quatenus saltim vnum præexigit aliud, vel ad illud naturali sequella consequitur. Vnde si solum penes distinctionem numericã, plura numeremus: hæc talia nullum ordinem inter se habent, nec mutuo se respiciunt: sic de tribus hominibus, quorum neuter ab altero pendet, neque ad illum ordinem aliquem dicit, absolutè loquẽdo dicamus ibi esse tres personas humanæ naturæ, absque eo quod dicatur vna prima, aut altera secunda, seu tertia. Si attamen aliquẽ ordinem inter se haberent, necessario

sario dicerem, non solùm tres esse personas, sed ita tres esse, vt vna sit prima, & alia secunda, & alia tertia: nam ordo (vt supra notaui in difficultate 88.) est successio vnius ad alterum: ex eo quod sine tali successione in aliquo esse, ordo esse non potest: & ideò nequit ordo intelligi sine priori, & posteriori, sicuti sine successione ista, qua saltim vnum succedit alteri, vel ad illud consequitur, esse non potest. Vnde illud, quod ad alterum supponitur, intelligitur in aliquo genere, esse prius illo, & quod alteri succedit, pariter posterius illo intelligitur esse.

9. *Non datur ordo sine priori, & posteriori.*

Ex quo fit, quod quando dicimus Patrem esse primam Trinitatis personam, & Filium secundam, ac Spiritum sanctum tertiam: non alia ratione id dicimus, nisi, quia Pater ad Filium præsupponitur, & ex consequenti est Filio prior, Filiusque Patre posterior, & Spiritus sanctus posterior vtroque. Quæ prioritas, & posterioritas non aliunde prouenit, nisi quia inter huiusmodi personas est ordo realis: quo tamen ordine circunscripto, non relatiuè primam, secundam, & tertiam personas appellaremus: sed absolutè tres personas fateremur esse in Trinitate, vt egregiè Vazquez notauit. Non igitur potest intelligi ordo sine prioritate, & posterioritate eorum, quæ talem ordinem important, quod etiam ex Diuo Thoma prima secundæ quæstione vigesima sexta articulo primo, benè Pater Herera concludit vbi supra notabili primo.

D. Thom.

10. *Duplex ordo alter secundum rationem, & alter ex natura rei.*

Semel ergo admisso, ordinem necessario importare prioritatem, & posterioritatem eorum, quæ ordinem seruant: restat videndum, quotuplex genus ordinis apud Theologos concedatur, vt exinde totuplex esse genus prioris, & posterioris concludamus. Ordo igitur alius est per rationem intellectus, & alius ex ipsa natura rei: primus ordo vocatur, ordo præintellectionis, seu præconceptionis, qui etiam potest dici ordo præsuppositionis, hic talis ordo est inter illa, quorum vnum secundum rationem nostræ considerationis præcedit aliud, seu ad aliud consequitur. Hoc modo dicebamus supra in difficultate 86. & 87. in Patre se habere potentiam generandi, generationem, & paternitatem: quæ quia tantùm per nostram rationem distinguuntur, & per illam concipiuntur vnam succedere alteri, licèt ex natura rei sint vna, & eadem formalitas: ideò ordine præintellectionis dicimus generationem, seu originem esse priorè paternitate: quia secundum intellectum præconcipitur illi.

11. *Triplex ordo durationis.*

Ordo autem ex natura rei est triplex, & de his ordinibus egimus supra in præallegata difficultate 88. nimirum durationis, naturæ, & originis: quia tamen huiusmodi ordines ad plura confusè à Doctoribus aliquibus applicantur, eo quod vnum pro alio ordine non vnquam acceperint: ex quo confunditur satis ordo cum ordine: iure optimo hos tres ordines Doctor, & eius discipuli in alias ordinis species subdiuiserunt. Ordo igitur durationis est triplex, primus quidem vocatur æternitas, secundus æuum, & tertius tempus. Æternitas respicit tantùm diuinam existentiam, quæ sine principio, aut fine sempiternè durat: ibi tamen non est ordo durationis, sed benè sempiterna duratio: quia respectu Dei non est aliquid prius, aut posterius: sed omnia ibi simul in nunc æternitatis existunt. Æuũ respicit Angelos, qui quamuis inceperint esse, tamen sine fine erunt, & non mensurantur aliquo numero motuum, sed per existentias Angelorum, quas respicit æuum, mensurantur. Ibi autem verus est ordo: quia est vera successio existentiæ Angeli. Temporis autem duratio, prout diffinit Aristoteles quarto Physicorum capite primo, per hoc quod sit numerus motuum secundum prius, aut posterius, temporis successionem importat, qua temporis duratione mensurãtur omnia, quæ sub primo mobili existunt: & ibi est verus ordo realis secundum veram successionem temporis, iuxta prius, & posterius. Quia igitur ex his durationibus, sola æternitas est in Deo, in qua nullus ordo reperitur: ideò in Deo ordo durationis non est.

Aristoteles

12. Porrò ordo naturæ etiam est multiplex apud Tataretum, Lychetum, & alios

alios plures Scotistas, à quibus satis prolixè diuiditur: quorum placita mihi in aliquibus non probantur, nec variæ descriptiones huius ordinis naturæ, quas tradunt. Quam ob rem aptiorem præaliis censeo descriptionem ordinis naturæ, quam ex Doctore tradit Maironis in primo distinctione decimatertia quæstione prima: nam licet ibi etiã, secuti alij, plures ordines naturæ constituat, definit nihilominus talem ordinem præstantius cæteris, dicens, quod ordo naturæ est, *qui cõsequitur extrema ex suis formalibus rationibus*. Quæ descriptio debet intelligi ex rationibus formalibus, formaliter distinctis, aut ex naturis formalibus distinctis. Ex qua descriptione sic intellecta, duo colligo, vnum est generale (vt dixi) cuicunque ordini, quod videlicet vnum extremum ordinate se habeat ad aliud, vel tanquam ad principium, vel tanquam ad radicem, seu quomodolibet ad illud ordine naturali consequitur: secundum vero est, quod talia extrema distinctas habeant quidditates, & rationes formales: deficiente autem quolibet istorum, ordo naturæ non erit. Defectu igitur primæ conditionis, non est in homine habilitas prior, aut posterior natura, quàm risibilitas: quia licet habeant distinctas rationes formales, neutra tamen pendet ex altera, sed disparate se habent. Defectu secundi non est prior natura albedo, hac albedine in indiuiduo: quia differentia indiuidualis non addit naturæ aliquam rationem formalem, aut quidditatiuam, sed tantùm materialem: benè tamen rationalitas est prior natura risibilitate: quia risibilitas, & respicit rationale, tanquam radicem, à qua dimanat, & habet quidditatem, & formalitatem à rationali ex natura rei distinctam. Et quamuis ordo naturæ sic descriptus, sub multiplici differentia diuidi possit: nihilominus plera, quæ in diuinis ordinem naturæ possunt habere, hac duntaxat descriptione præhabita valent expendi.

Ordo naturæ quid sit.

15. Est igitur prædictus ordo naturæ in diuinis inter ea, quæ habent formalitates, & quidditates ex natura rei formaliter distinctas: quorum tamen vnum tanquam à radice, seu principio, ab alio pullulat, seu quasi dimanat, aut ordine naturali ad illud consequitur. Sic est ordo naturæ inter attributa, & essentiam, testibus eodem Maironio ibidem, & reliquis Scotistis cum Doctore: quia attributa (vt habetur ex supra probatis in difficultate 67.) habent formalitates, & quidditates ex natura rei formaliter ab essentia distinctas. Et præterea ab essentia tanquam à radice dimanant. Eadem ratione inter essentiam, & relationes datur idem ordo naturæ: nã quamuis Doctor in hoc articulo qnarto (vt in litera vidimus) dixerit, quod in diuinis negatur omnis prioritas secũdũ naturam, loquitur de opinione communi, quæ ex eo quod negat distinctionẽ ex natura rei inter essentiam, & relationem, seu attributa, negat quoque ordinem naturæ eorum ad illam, prout notaui supra in commentario prædicti articuli. Sed ibi vt etiam iuxta eorũ sententiam, eos conuincat, probat aliquam prioritatem esse essentiæ ad relationes.

16. Datur item talis ordo naturæ inter productiones intellectus, & voluntatis: nam quamuis voluntas ab intellectu tanquam à radice non pullulet: quia vtraque potentia immediatè pullulat ab essentia: sic tamen se habent, vt ordine naturali vna productio consequatur ad aliam: quia prius intellectus generat Verbum, quàm voluntas spiret amorem: & aliàs generatio per intellectum, & spiratio per voluntatem, formalitates ex natura rei distinctas important: & ideò prior natura est in Deo generatio, quàm spiratio: in his igitur omnibus est ordo naturæ.

17. Ex quibus colligitur, inter Patrem, & Filium, ac Spiritum sanctum verè ordinem naturæ non esse, cuius ratio est: quia processio vnius ab altero non est in naturis distinctis, aut in distinctis formalitatibus: cum eandem prorsus naturam, & formalitatem, secundum quam Filius procedit à Patre, & quam Pater præhabet in se, illam omninò eandem communicet Filio: in creatis vero benè Pater est Filio prior natura, quia distinctam naturam, & formam ei communicat. Quia igitur natura, quæ est in

Filio

Filio, non eſt diſtincta formalitas, & quidditas à natura, quæ eſt in Patre: ideò Pater non eſt Filio prior natura: nec Pater, & Filius ſunt priores natura Spiritu ſancto: nec inter tres diuinas perſonas adinuicem, eſt verus ordo naturæ. Ex his ergo colligitur, ordinem naturæ non prærequirere diſtinctionem realem extremorum, ſed benè formalẽ ex natura rei.

16 Sed tunc in oppoſitum clamat auctoritas Diui Auguſtini, à D. Thoma prælegata, ponentis videlicet ordinem naturæ inter diuinas perſonas. Verũ egregie reſpõdet ſapientiſsimus Suarez vbi ſupra dicens: hunc ordinem à D. Auguſtino, & Diuo Thoma non vocari ordinem naturæ, eo quod inter diuinas perſonas vna natura ſit prius quàm alia, aut vna perſona ſit prius natura quàm alia: ſed dicitur ordo naturæ; quia ipſamet eſſentia Dei ex ſe, & natura ſua poſtulat, vt immediatè ſit in Patre ſine vlla proceſsione: in Filio vero per proceſsionem eius ex ſola prima perſona: in Spiritu ſancto per proceſsionem ex vtraque: atque ita (inquit ille) hic ordo naturæ nihil aliud eſt, quàm ordo originis.

17 *Quid eſt ordo originis.* Eſt tandẽ ordo originis habitudo inter extrema, quorum vnum originatur ab alio, & per productionem procedit, quæ deſcriptio ſufficientior mihi eſt, quàm alia tradita à Mairone in 1. diſt. 12. quæſtione 2. vbi etiam inter ipſas origines ordinem originis admittit, quę tamen re vera talem ordinem non important: nam cum talis ordo ſit, pœnes productionem realem, neceſſario ſupponit diſtinctionẽ realem eorum, quæ ordinem originis dicunt: at origines ipſæ non omnes realiter diſtinguuntur, vt patet de generatione, & ſpiratione actiua. Nec debet admitti expoſitio illa P. Herrera, quod videlicet intelligendus ſit Maironius de originibus, quæ ſe mutuo reſpiciunt: vt generatio actiua, & paſsiua, ſpiratio actiua, & paſsiua: nã quamuis eiuſmodi originesrealiter diſtinguantur, & vna ad aliam conſequatur, non tamen ab alia habet eſſe per productionem: & ideò generatio paſsiua non procedit proprie ab actiua, licet Filius genitus à Patre generante procedat. Ordo igitur originis, non eſt niſi inter ea, quorum vnum ab alio à ſe realiter diſtincto procedit: qui ordo originis explicatur à Doctore per hoc, quod eſt, *eſſe ab alio*, & iſte ordo datur in Deo ſine diſtinctione formali, non tamen ſine reali: & hic eſt ordo dictus ab Scoto abſolutè, & ſimpliciter ordo originis in ſecũdo diſtinctione prima quæſtione 1. & alibi.

Alius nihilominus aſsignatur à Doctore ſecundus ordo originis, non abſolutè, ſed ſecundum quid: qui non reſpicit productionem vnius ab alio per ſe: ſed eſto quod ſint duo, ſeu plura producentia alicuius per idem principiũ: ita tamen in procedendo ſe habent, quod vnum habet ab alio, non tantùm principium productiuum, ſed etiam ipſum actum producendi: aliud tamen non ab alio, ſed à ſe habet principium, & ipſum producere: hic quidem ordo ſeruatur inter diuinas perſonas, non ſolũ in productionibus adintra, & adextra: ſed etiã in operationibus adintra, & adextra. Vnde eſt, quod licet Pater, & Filius per idem principium, & per eundem prorſus actum ſpirandi producant Spiritum ſanctum: talem nihilominus origines ordinem inter ſe ſeruant, vt Pater, & habeat voluntatem ſpiratiuam à ſe, & actũ ſpirandi à ſe: Filius vero eandem voluntatem ſpiratiuam, & actum ſpirandi, nõ habet à ſe, ſed à Patre. Cuius ratio aprior eſt: quia cum in Deo poſſe, & agere non diſtinguantur in ſe: ideò Filius habens à Patre principium proximum ſpiratiuum, habet quoque à Patre actũ ipſum ſpirandi. Quamobrem licet non ſit ordo inter actum, & actũ, quia eſt vnus, & indiuiſibilis actus: eſt tamẽ ordo originis inter agentia, ſeu producentia per talem actum.

18 *Alius ſecũdus ordo originis.*

Rurſus, omnes treſſimul diuinæ perſonæ, & intelligunt eſſentiam, & diligunt illam: & ſimiliter intelligũt creaturas, & diligunt illas, atque eas producunt per creationẽ. Talem attamen in illis operationibus, ſeu productionibus ordinem inter ſe ſeruant, quod Pater intelligit à ſe quodcunque obiectum diuinum, & creatũ: diligit à ſe, & creat à ſe: Filius vero nõ à ſe, ſed à Patre: at Spiritus ſanctus non à ſe, ſed à Patre, & Filio. Quæ hacte

19

nus de his ordinibus diximus, sunt iuxta expressam Scoti doctrinù, ex qua habetur ordines huiusmodi nullam connexionem, aut coexigentiam habere inter se, neque aliquo modo se inferre ad inuicem: sed in vno durationis instanti plura naturæ, & originis instantia dari posse, & in vno naturæ plura originis.

20 Sed dices, Doctorem in loco citato secundi libri posuisse in eodem naturæ instanti totum priorem ordinem originis: quare ergo nũc dicimus relationes, quæ in tali ordine sunt, esse posteriores natura, quàm essentia? iam igitur ibi nõ est idem instãs naturæ, sed plures. Respondeo, Doctorem ibi processum originis personæ, à persona tantummodo considerasse: & vt sic verè idem instans naturæ esse asseruit: quia inter personã producentem, & procedentem, nullus est ordo naturæ: quod autẽ relationes, seu origines, per quas personæ tales procedunt, & constituuntur, sint natura posterioriores essentia: hoc non obstat ordini originis, quem Doctor egregie in eodem naturæ instanti constituit.

§. 3.

Statuuntur conclusiones, & soluuntur argumẽta primæ sententiæ.

21. *Prima conclusio.* HIs ergo præhabitis difficultatem cõcludendo dico primò, in Deo esse verum ordinem naturæ, quo aliqua entitas dicitur prior altera. Conclusio est expressa Doctoris, & ex dictis facile patet: nam in eis est verus ordo naturæ, quorum vnum secundum distinctam quidditatem, & formalitatem, ab alio dimanat, vt patet de rationali, & risibilitate. In diuinis autem essentia, & attributa, seu relationes sunt distinctæ quidditates, & formalitates, & omnia ab essentia, tanquam à radice, quasi dimanant, & pullulant: ergo in eis datur verus ordo naturæ. Maior supponitur ex descriptione ordinis naturę

22. supra tradita: minor constat ex difficul-
Secunda cõclusio. tatibus 54. & 67.

Dico secundo, quod in diuinis datur ordo originis secundum prius, & posterius. Conclusio hæc est Scoti, & omniũ, quos pro eius sententia allegauimus: quæ ex eo probatur: quia vbi est processio realis vnius ab alio, est verus ordo originis secundum prius, & posterius, eo quod producens est origine prius producto: in diuinis autem datur huiusmodi processio, & productio: ergo, &c.

23. *Tertia conclusio.* Dico tertiò, quod inter diuinas personas non est ordo naturæ, benè tamen originis, quo Pater est prior origine Filio, & Pater, & Filius sunt priores origine Spiritu sancto. Conclusio quoad primam partem probatur, quia inter Patrem, & Filium non est distincta natura aut quidditas, aut formalitas, sed vna, & eadem formalitas, quidditas & natura est in tribus: ergo secundum naturam vnus non est alio prior: quia idem non est prior se ipso. Secunda pars patet, quia ibi est vera originatio, & processio realis, per quam vna persona procedit ab alia à se realiter distincta: sed vbi est talis processio, & originatio, est verus ordo originis: ergo, &c. Tertia tandem pars probatur: quia inintelligibilis est ordo aliquis, sine eo quod extrema, quæ talem ordinem seruant, inter se sic se habeant, quod vnum sequatur ad aliud, & quod illud aliud ante se supponat: sed quod supponitur ad aliud, nequit non intelligi prius illo, ad quod supponitur: ergo, &c.

24 *Ad argumẽta pro prima sententia, & ad primum.* Ad argumenta autem in oppositũ, & ad primum patet solutio per expositionem Patris Suarij, quod scilicet D. Augustinus nihil aliud ibi intellexit per ordinẽ naturæ, nisi tantùm ordinem originis, quod idem D. Thom. insinuat, dũ postquam ordinem originis statuit, ait esse illum, quem D. Augustin. vocat naturæ ordinem. Ad Symbolum vero Atanasij constat distinctionem realem ordinis originis tollere omnem confusionem personarum.

25 *Ad secundum.* Ad secundũ dico nõ prohiberi in eodem Symbolo Atanasij, in Deo esse aliquid prius, aut posterius origine vel natura, sed tẽpore, aut durationc, seu dignitate, & explicatur sequẽtibus verbis, *nihil maius aut minus*: benè igitur, absq; eo & prædicto Symbolo aduertatur, dicitur Pater

Pater prior origine Filio: sicut etiam essentia dicitur prior natura (modo exposito) attributis, & relationibus: & tunc benè concedo, quod pro eo instanti originis, quo Pater est prior Filio, ad Filium præsupponitur: non tamen inde sequitur, quod pro illo instanti, seu priori non est Filius: sed benè sequitur, quod pro tali priori non intelligitur Filius. Quod autem infertur Patrem aliquantulum esse antiquiorem Filio, nihil valet: quia antiquitas non prouenit ex prioritate originis, sed temporis & durationis.

25 Ad tertium fateor, diuinas personas esse relatiuas, etiam vt personæ sunt, & ex consequenti esse simul natura, & cognitione: tamen ex tali simultate naturæ, non tollitur ordo originis, nec vnam esse alia priorem origine: vt sic etenim etiam argumentum concluderet in creatis, vbi Pater, & Filius tanquam relatiui, sunt simul natura: & nihilominus Pater non solùm est prior origine Filio, sed etiam tempore. Vnde benè concluſit Scotus (vt patuit supra in difficultate 88.) quod hæc simultas naturæ, & cognitionis relatiuorum, necessario infert prioritatem, & posterioritatem originis: quia non essent Pater & Filius relatiui, & consequenter simul natura, & cognitione, nisi vnus ab alio procederet.

DISTINCTIO XXIX.

Est præterea, &c.

QVAESTIO Vnica.

De principio personali, notionali, & essentiali.

CIRCA distinctionem vigesimam nonam, quæro vnum, scilicet, vtrùm principiũ vno modo dicatur de principio sumpto personaliter, & sumpto notionaliter, & sumpto essentialiter? Circa quod quæruntur duo.

¶ Primò. Vtrùm principium sit vniuocum principio personali, & notionali?

¶ Secundò. Vtrùm principium sit vniuocum principio essentiali, & personali, siue notionali?

ARTICVLVS I.

Vtrùm principium sit vniuocum principio personali, & notionali?

A. AD primum sic proceditur, videtur, quod principium non sit vniuocũ principio personali, & notionali: quia si principium esset vnius rationis, hoc modo sumptum: ergo principiata essent vnius rationis: hoc est falsum: quia nec Filius, nec Spiritus sanctus principiatur vno modo.

B. Secundò præterea: quia tunc eſt vniuerſale in diuinis: ergo, &c.

C. Sed contra eſt, quia ſequitur: generans, igitur principians, & ſpirans: igitur principians, & non è conuerſo: ergo conſequens eſt commune ad antecedentia.

D. Reſpondeo dicendum ad iſtam *Concluſio.* quæſtionem, quod ſi loquamur de principio adintra, vt eſt perſonale, & notionale: videtur, quod eis poſſit eſſe ratio principij communis vniuocè, ſicut paternitati, & filiationi poteſt hoc, quod eſt relatio originis eſſe commune vniuocè, ſicut tactum eſt ſupra diſtinct. 23. de communi vniuoco perſonis, in quantum

E. perſonæ.

Ad argumentum, quod probat, quod non eſt principium vnius rationis ibi notionale, & perſonale. Reſpondeo, quod in creaturis aliqua duo diſtincta ſpecie, dicuntur eſſe alterius rationis, & tamen poteſt abſtrahi ab eis vnum commune vnius rationis, ſicut genus: ita in propoſito, iſtæ productiones generatio, & ſpiratio ſunt alterius rationis, loquendo de proprijs rationibus earum: tamen poteſt aliquod vnum commune abſtrahi ab eis: & eodem modo de hoc communi, quod eſt principium: ipſum poteſt eſſe commune vnius rationis, licet illa de quibus dicitur, ſint alterius rationis, loquendo de proprijs rationibus eorum.

Ad ſecundum, quod contra hoc

F. obijcitur, de hoc tactum eſt ſupra diſtinctione 23.

Expoſitio art. 1. quæſt. vnicæ. diſtinctionis 29.

VIDETVR in hoc articulo cõtradicere ſibi Doctor: nam dixerat ſupra in diſtinctione vigeſimatertia quæſtione vnica articulo ſecundo, quod à proprietatibus perſonalibus non poteſt abſtrahi aliquis conceptus communis vniuocè dictus de illis: modo vero dicit in corpore articuli, quod paternitati, & filiationi poteſt eſſe aliquid commune vniuocè: cũ expreſſe teneat in diſtinctione vigeſima ſexta quæſtione vnica articulo quarto, perſonas huiuſmodi relationibus eſſe formaliter cõſtitutas. Sed revera, nulla eſt in huiuſmodi locis cõtradictio: cum ibi agat, de relationibus, prout præciſe ſunt proprietates conſtitutiuæ: vt ſic autem concipiuntur tanquam hypoſtaſes, ſeu incommunicabiles ſubſiſtentiæ, quæ in nulla ratione communi conueniunt, niſi tantùm in incommunicabilitate, quæ eſt quædam negatio, prout reſoluimus ſupra in difficultate 82. hîc vero agit de ipſis relationibus, non vt conſtituunt, ſed vt ſunt, quædam origines: & vt ſic à generatione, & ſpiratione abſtrahitur quędam ratio originis in communi, quæ eis eſt vniuocè communis, communitate rationis, non vero communitate rei, vt dictum eſt ſupra in difficultat. 51. Si autem velis, quod intelligatur textus de ipſis relationibus, vt ſunt proprietates conſtitutiuæ perſonarum (quod meo videri eſt contra mentem Scoti) tunc vniuocatio erit alicuius negationis communicabilitatis, vt dixerat in dicto articulo primo quæſtionis vnicæ diſtinctionis 23. ad quam hic ſe remittit, non vero aliqua poſitiua. Eſt igitur principium vniuocè commune perſonali, & notionali, ſicut datur ratio communis generationi, & ſpirationi: quid autem intelligatur hîc nomine principij notionalis, perſonalis, & eſſentialis in commentario ſequentis articuli patefiet.

(.?.)

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm principium ſit vniuocum eſſentiali, & notionali, ſeu perſonali?

A. AD ſecundum ſic proceditur, videtur, quod principium ſit vniuocum eſſentiali, & notionali, ſeu perſonali: quia ſequitur creans: igitur principians: generans, igitur principians, & ſpirans: igitur principiãs, & non è conuerſo: ergo conſequens eſt cõmune ad omnia antecedentia.

B. Sed contra eſt: quia ſi principium eſſet vnius rationis hoc modo tripliciter ſumptum: ergo principiata eſſent vnius rationis: hoc eſt falſum: quia nec Filius, nec Spiritus Sanctus principiantur vno modo, nec creatura eodem modo cum eis: ergo, &c.

C. Reſpondeo dicendum, quod principium non dicitur vniuocè de principio eſſentialiter, & notionaliter, ſiue perſonaliter ſumpto, & hoc loquendo de relatione, quæ ſignificatur hoc nomine principium, & accipiendo principium principiatiue non pro eo quod principiat, ſiuè, pro principio, quod: ſed quo. Et ratio eſt: quia principium eſſentialiter ſumptum non dicit niſi relationem rationis, non realem: quia non eſt realis relatio Dei ad creaturam, vt ex diſtinctione ſequenti patebit. Vt autem accipitur adintra notionaliter, vel perſonaliter, dicit relationem realem: relationi autem reali, & rationis, non eſt commune aliquod idem, quod eſt in vno rei, & in alio rationis: quia ei, quod eſt ſecundum quod tale: & ei, quod eſt ſimpliciter tale, in quantum tale, non eſt commune vniuocum illud, quod accipitur in eis ſecundum quid, & ſimpliciter: relatio autem realis eſt ſimpliciter: relatio, & relatio rationis eſt ſecundum quid relatio: quia ſicut eſſe in ratione, eſt eſſe ſecundum quid: ita referri ſecundum rationem, ſiue cõparari à ratione, eſt referri, vel comparari ſecundum quid: ergo non eſt principium vniuocum iſtis.

D. Ad argumentum ad oppoſitum, quod probat communitatem huius, quod eſt principium ad tale, & tale principium, ſicut probat vniuocationem ad principium intra, & extra: & ideò poteſt reſponderi, quod non ſequitur: creans: ergo principians, & generans: ergo principians, accipiendo principians pro aliquo conceptu vniuoco ſimpliciter: quia principians, quod infertur ad hoc, quod eſt creans, vt dicitur de Deo, dicit tantùm relationem rationis: principians autem, quod infertur ex generante, dicit relationẽ realem.

Expoſitio art. 2. quæſt. vnicæ. diſtinctionis 29.

SVMITVR principium in hoc articulo, & in præcedenti pro principio productiuo, vt benè explicuit Lychetus, prout ſe extendit ad principium, *quod*, & ad principium *quo*: principium autem perſonale eſt principium *quod*: & ſic generans, ſeu ſpirans dicitur à Doctore principium perſonale, quod generat, ſeu ſpirat: generatio autem ipſa ſeu ſpiratio dicitur principium rationale, quod eſt actio notionalis, non omnibus perſonis conueniens: & hæc eſt principiũ *quo*. De his ergo reſoluit Doctor in præcedenti articulo, quod ſicut à generatio-

ne, & spiratione est abstrahibilis vna ratio communis vniuocà: sic à generante, & generatione, seu spirante, & spiratione in ea ratione præcisa, qua tàm generans, quàm generatio, seu tam spirans, quàm spiratio, vt sic eandem formalitatem important, abstrahibilis est vna ratio communis vniuoca. In hoc igitur sensu ait, quod ad principium personale, & notionale, datur vna ratio vniuocè communis: quia est eadem realis connenientia inter generationem, & generantem, seu spirationem, & spirantem. Vel secundo etiam potest intelligi, quod sicut datur vniuocatio inter generationem, & spirationem, quæ sunt principia notionalia, sic etiam inter generantè, & spirantem, quæ sunt principia personalia. Principium vero essentiale intelligitur de principio, *quod* productiuo, quod est ipsemet Deus, vt vnus, nulla enim actio essentialis, vt sic, competit personæ, vt persona est, sed personæ, vt Deus est, seu Deo, vt vno: & ideò non est principium essentiale, nisi respectu eorum, quæ Deus agit adextra. Et quia hoc principium non ponit in Deo aliquam relationem realem, sed tantum relationem rationis, vtpotè creatoris ad creaturam: principium vero notionale, seu personale, vt vidimus, relationem realem importat: & relatio rationis, & realis non conueniunt vniuocè: ideò egregiè Doctor concludit in hoc articulo, „quod principium essentiale, & principium personale, seu notionale non conueniunt vniuocè inter se.

DISTINCTIO XXX.

F. Sunt enim quædam, quæ ex tempore, &c.

CIRCA distinctionem trigesimam, quæro duo. Circa relationes, quæ competunt Deo ad extra.

QVAESTIO I.

De relatione, quæ conuenit Deo ex tempore.

CIRCA distinctionem trigesimam, primò quæro, qualiter de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore? Circa quod quærunturquatuor.

Primò.

¶ Primò. Vtrùm de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore?

¶ Secundò. Vtrùm propter terminationem relationum creaturarum ad Deum oporteat ponere aliquam relationem in Deo?

¶ Tertiò. Vtrùm possit poni in Deo respectu creaturarum aliqua relatio rationis noua causata per actum intellectus nostri, aut per actum intellectus diuini?

¶ Quatò. Vtrùm relatio noua creaturæ ad Deũ, necessariò coexigat relationem nouam Dei ad creaturam?

ARTICVLVS I.

Vtrùm de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore?

A. AD primum sic proceditur, videtur, quod de Deo non dicatur aliqua relatio ex tempore: quia quidquid de Deo dicitur, est Deus: igitur est æternum: non igitur nouum, nec percon sequens ex tempore.

B. Secundò præterea, nihil æternum dicitur de temporali: ergo nec è cõuerso.

C. Tertiò præterea, factio non videtur esse sine mutatione: ergo Deus qui est immutabilis, non fit aliquid: sed si aliqua relatio noua diceretur de eo, posset dici fieri secundũ istam relationem: ergo, &c.

D. Sed contra est per Augustinum quinto de Trinitate capite vltimo, & per rationem: quia relatiua sunt simul natura: ergo relationibus in creaturis ex tempore ad Deum, correspondent relationes in Deo ex tempore.

E. Respondeo dicendum, *quod circa istam difficultatem sunt duæ opiniones: de secunda agetur insequenti articulo, de prima autem hic.* Ad primam igitur quæstionem dicitur, quod nulla est in Deo noua relatio: quia sicut actio est eadem, licet diuersimodè considerata, vt in aptitudine, vt in potentia, vt præsens, vt præterita, vt futura: ita relatio fundata super actionem sic, & sic considerata, est eadem relatio. Ita quod dicit alibi, quod sunt eadem relatio secundum rationem, differentes secundum aliam, & aliam denominationem, quæ est differentia minor: & huius denominatio alia est propter nouam passionem in creatura: eandem igitur relationem dicit in Deo ipsum esse creatiuum, & creantem: sed æternaliter fuit creatiuus: ergo cum dicitur creans, non est in eo relatio noua, sed noua appellatio relatiua. Quod confirmatur per Augustin. quinto de Trinitate capit. vltimo, vbi potius videtur nouam appellationem dicere, quàm relationem. Contra istam opinionem quantum ad illud, quod dicit, si relatio actualis, & aptitudinalis sint eadem: & propter hoc non fit aliqua relatio noua actualis Dei ad creaturam: ergo pari ratione non est aliqua relatio noua creaturæ ad Deũ: quia aptitudinali in Deo, correspondebat aptitudinalis in creatura: sicut actuali actualis: & tunc si erant eadem in Deo aptitudinalis, & actualis, pari ratione aptitudinalis illa in creatura, erit eadem cum actuali: & ita nulla noua in vno extremo, sicut nec in alio: consequens videtur absurdum secundum veritatem: quia tunc nulla essentia esset noua, nec aliquid absolutum nouum: impossibile est enim fundamentum

Henr. quod lib. 7. q. 1. & quodlib. 9. quæst. 1.

esse nouum, & relationem esse æternam secundùm illud fundamentum. Et etiam sequitur impossibile secundùm eos: quia tunc cum omnia sint illud, quod sunt, per respectum ad Deum, vt ad causam exemplarem, vel ad causam efficientem, sequitur, quod omnia sunt æterna, & nihil nouum: quia si non respectus, nec absolutũ: quia nullus respectus potest esse æternus sine æternitate fundamenti, nec nouus sine nouitate fundamenti, specialiter etiam videtur consequens inconueniens secũdùm istos, qui dicunt esse existentiæ dicere respectum ad causam efficientem, vt efficiens est, & illud esse, vel respectus, erit nouum, vel nihil erit nouum per creationem: & tamen ille respectus in creatura est in comparatione ad Deum: ergo non obstante relatione aptitudinali præcedente (vt aptitudinalis est) potest actualis esse noua tanquam alia ab illa aptitudinali.

F. Præterea, non potest esse eadem relatio, nisi sit inter eadem extrema: nunc autem intellectus diuinus non tantùm ab æterno intellexit animam Antichristi, vt possibilem pro tanto tempore, ante quàm creetur: sed intellexit esse, vt actu existentem pro illo instanti creationis, pro quo existet: istud autem intelligibile videtur esse distinctum ab isto intelligibili in ratione intelligibilis: quia videtur aliud intelligibile esse potentiale, & actuale animæ: quia possunt esse duo actus intelligendi circa illa: quia vtrumque potest intelligi cum opposito alterius: ergo respectu intellectus diuini sunt duo intelligibilia secundùm duos actus, secundùm rationem: igitur intellectio diuina, quæ est vnica, potest habere ista pro obiectis distinctis vnici actus secundùm rem, distincti secundùm rationem: sicut possunt esse obiecta distincta duorum actuum intellectus nostri: & per consequens diuinus intellectus cõparans se ad primum extremum, vt creatiuum ad creabile, & ad aliud extremum, vt creans ad creatum, videtur in essentia sua quasi producere duas relationes rationis ad distincta extrema: & ita relatio creatiui, & creantis, non est vna relatio rationis, sicut nec extrema, ad quæ comparatur, sunt ibi idem. Confirmatur ista ratio: in quocunque genere, illud quod est in potentia tale, non est nisi secundum, quod tale: ergo non simpliciter est ei idem illud, quod est actu tale, & per consequens si intelligatur hoc, vt in potentia, & illud, vt in actu, erit aliud extremum intelligibile simpliciter.

Præterea, quod dicitur de noua appellatione, videtur irrationabile: quia in quocumque eadem forma habet idem esse, videtur eodem modo posse appellari ab illa: quia enim forma talis est, & in tali: ideò tale appellatur ab ipsa, & non è conuerso: ergo si relatio erit eadem, & vniformiter ad creaturam ex parte Dei, non videtur, quare non posset Deus semper vniformiter ab ea appellari: quod enim forma sit in aliquo, & tamen quod non possit denominari ab ea, vt dicatur habens formam, contradictio est: quia non differunt concretum, & abstractum formæ, nisi in sola denominatione subiecti: ergo quod creatio actio sit in Deo, & tamen quod non possit denominari ab ea, contradictio est. G.

Respondeo igitur ad quæstionem, quod relationes creaturarum ad Deum, sunt nouæ, & ex tempore, & sola relatione noua, quæ est in creatura ad ipsum, ipse denominatur dominus, & hæc videtur intentio H. Conclusio.

tio Magistri expresse in litera concludentis ex verbis Augustin. ait enim sic: appellatio, qua creatura relatiuè ad creatorem dicitur, relatiua est, & relationem notat, quæ est in ipsa creatura: appellatio autem ista, qua creator dicitur ad creaturam, relatio quædam est, sed nullam relationem connotat, quæ sit in creatore.

I. Ad primum argumentum concedo, quod quidquid est in Deo, est æternum per identitatem, sed non oportet, quod quidquid prædicatur de eo per hoc, quod aliud habet habitudinem ad ipsum, sit æternum formaliter: quia nihil aliud habet habitudinem æternam ad ipsum: sicut si Deus sit æternus, & diligitur temporaliter à voluntate creata, dicitur quidem dilectus á nobis, sed non dilectus æternaliter.

K. Ad secundum, consequentia nõ tenet, quando extrema sunt alterius rationis: propter hoc enim, quod vnum excedit alterum, non oportet similem esse coexigentiam vnius ad alterum, & è conuerso, sicut non sequitur, quodcunque æternum est cum toto tempore: ergo omne temporale est cum tota æternitate. Prima vera est ratione immensitatis æternitatis, & illud deficit in altero extremo: & ideò non oportet esse concomitantia è conuerso, qualis est hîc. Ita hoc æternum potest esse terminus nouæ habitudinis ad ipsum: quia æternaliter existens potest aliquid de nouo producere, & potest de eo aliqua appellatio dici ex tempore: sed temporale non potest ita habere habitudinem alicuius æterni ad ipsum. Vel potest cõcedi, quod temporale etiam potest denominari ab habitudine æterni ad ipsum, sicut lapis (non tantùm vt ideatum, sed vt existens) est æternaliter scitum à Deo.

Ad tertium fieri non determinatum per aliquid, putà quando prædicatur secundum adiacens, notat factionem simpliciter eius, de quo dicitur: vt si dicatur, homo fit, denotatur factio simpliciter inesse homini: si autẽ prædicatur tertiũ adiacẽs, sicut homo fit albus: non notat fieri, nisi secundũ quid eius, scilicet, quod specificat ipsum: & ita cõcederet forte aliquis de Deo, quod Deus fit Dominus notando factionem secundùm quid, putà factionem secũdùm aliquam relationem rationis, vel secundùm terminationem alicuius relationis. Magis tamẽ concederetur, quod incipit esse Dominus: quia hoc non significat imperfectionem, sicut fieri: nullo modo tamen conceditur, nec fieri, nec incipere absolutè. L.

Expositio art. 1. quæst. 1. distinctionis 30.

NON eget exponi litera huius articuli, in quo Doctor proponit opinionem Henrici dicentis in quodlibeto 1. quæstione 1. & quodlibeto 9. quæstione 1. in Deo nullam relationem esse de nouo, sed sicut ab æterno est potens creare, & actio creatiua non distinguitur ab ipsa potentia, seu aptitudine, ad creandum, nisi vt sic, & sic considerata: atque ideô actio talis non est in Deo in tempore, sed ab æterno: ita similiter relatio fundata super actionem, qualis est relatio creatoris ad creaturam, non est in tempore: sed sicut æternaliter fuit creatiuus, sic æternaliter est creans, & æternaliter sibi cõpetit relatio creationis. Hanc sententiã tribus rationibus principalibus acriter Doctor impugnat, & resoluit, relationẽ huiusmodi in tempore Deo conuenire. De quibus litera satis perspicua est, vt patet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm propter terminationẽ relationũ creaturarũ ad Deũ, oporteat ponere aliquam relationem in Deo.

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod propter terminationẽ relationum creaturarum ad Deum, oporteat ponere aliquam relationem in Deo: quia ad istud membrum videtur dubiũ, quomodo ponatur Deus esse Dominus secundum Augustin. quinto de Trinitate cap. vlt. *sine aliqua relatione in se ipso.*

B. Sed contra est, quod Augustin. videtur dicere quinto de Trinitate capite decimosexto, secũdum quod Magister adducit eum, quod temporaliter incipit dici Dominus, quod antea non dicebatur: manifestum est relatiuè dici: non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit: sed planè secundum accidens eius, ad quod incipit dici Dominus relatiuè.

C. Respondeo dicendum, *quod hic est opinio, secundũ quam* dicitur, quod in Deo non est aliqua relatio ex tempore ad creaturam, sed in sola creatura est relatio ex tempore ad Deum: & sic illa relatio, qua Deus dicitur ad creaturã, non est in Deo, nisi secundum quod est in creatura, quod videtur accipi ab Augustin. cap. præallegato, & à Magistro in litera. Confirmatur, actio est in patiente ex tertio Physicor. & tamen non denominat patiens, sed agens: sic Deus denominatur à relatione illa, quæ est in creatura.

D.Tho. 1. p.q. 13.a.7

Text. com. 16.

Contra *istud*: quia tunc relatio esset in eo, in quo non est fundamẽtũ: fundamentũ enim relationis, qua Deus dicitur ad creaturã, si dicatur ad eã, non est in creatura: quia potentia, quæ fundat relationẽ, non est in creatura: sed in Deo: ergo relatio illa non erit in creatura. Præterea, oppositæ relationes causæ, & causati non possunt esse in eodem: quia magis repugnant, quàm relatio producentis, & producti, quæ tamen non possunt esse in eodem supposito, licet sint in eadem natura.

D. Etsi dicatur, quod hîc sunt relationes oppositæ in eodem supposito, non tamen denominant ipsum: hoc videtur omninò irrationabile, quod aliqua forma sit in aliquo subiecto, & tamen subiectum non possit dici tale, quale natum est constitui per ipsam formam.

E. Respondeo igitur ad quæstionem, quod nec propter istas relationes, in quantum sunt ad vnum; vt ad terminum, necesse est ponere aliquas relationes in Deo ex tempore terminantes istas. Quod probo: quia secundum Philosoph. quinto Metaphys. capite de ad aliquid, tertio modo dicuntur relatiua, quæ dicuntur ad aliquid: quia alia sunt eorum: ita quod hæc est per se differentia duorum primorum modorum à tertio: quia in primis duobus modis est relatio mutua, in tertio autem, non est relatio mutua, sed alterum præcise refertur ad reliquum: sed reliquum non refertur, sed tantùm aliquid est eius: omnes autem relationes creaturæ ad Deum pertinent ad tertium modum relatiuorum: igitur qualescunque sint, illæ, quæ sunt in vno extremo, non oportet alterum extremum, secundum aliquam relationem in eo, terminare illas relationes: sed potest terminare præcise sub ratione absoluti. Et istud etiam probatur ex intentione Philoso-

Text. com. 20.

Tex.co. 13 losophi nono Metaphisic. capite septimo, vbi probat, quod actus est prior potentia diffinitione: quia potentia diffinitur per actum: si autem actus refertur ad potentiam, tunc etiam è conuerso actus diffiniretur per potentiam, sicut dicit Porphirius capite de specie, quod in relationibus mutuis necesse est in vtrorumque diffinitionibus vtrisque.

G. Tunc arguitur sic, actus diffinit potentiam, vt terminat relationem eius: aut ergo terminat relationem eius, vt absolutum, & habetur propositum, aut vt correlatiuum, & sic potentia diffinit actum: igitur vt actus est prior diffinitione, est etiam posterior diffinitione: ergo vel diffinit actus potentiam, sicut è conuerso: vel ita diffinit actus potentiam, quod è conuerso non diffinitur per ipsam, & perconsequens actus non refertur ad potentiam, sed est mere absolutum: & hoc sub ea ratione, sub qua diffinit potentiam: diffinit autem potentiam in quantum potentia est ad ipsum, vt relatio ad terminum: ergo actus, secundum quod merè absolutus, est huius relationis, qualiscunque sit illa relatio, siue simpliciter, siue secundum quid.

H. Hoc etiam probatur generalius per omnia relatiua: quia nullum relatiuum primo refertur ad correlatiuum, vt ad terminum in creaturis. Probo, relatiuum in quantum relatiuum primo diffinitur per terminum, ad quem refertur: ergo terminus, vt terminus prior est diffinitione relatiuo, vt relatiuum. Consequentia patet septimo Metaphysic. vbi comparat accidens ad substantiam, & per Philosophum quinto Metaphysic. vbi comparat potentiam ad actum: si è conuerso terminus in quantum terminus refertur ad relatum, in quantum fuit relatum: ergo in quantum terminus habet illud, quod fuit relatum ante ipsum pro diffiniente, & perconsequens pro priore, secundum diffinitionem: ergo Pater esset prior Filio secundum diffinitionem è conuerso: impossibile est autem circulum esse in prioritate essentiali quacunque: ergo impossibile est Patrem primo referri ad Filium, in quantum Filius primo refertur ad Patrem: ergo refertur primo ad illud absolutum, quod est proximum fundamentum relationis, & illud absolutum est prius Patre: & Pater est: & è conuerso Filius, vt Filius refertur ad absolutum, quod est proximum fundamentum paternitatis, & illud absolutum prius est filiatione, & Filio, in quantum Filius.

Text. com. 4. & deinde tex. com. 13.

I. Nec secundum hoc est circulus aliquis, scilicet, quod Pater in quantum Pater prius sit A. quod est absolutum, & proximum fundamentum filiationis: & quod filiatione, in quãtum filiatio est, prius sit B. quod est fundamentum proximum relationis paternitatis: non enim ex hoc sequitur, nisi quod ista duo absoluta sunt priora istis duabus relationibus, & hoc verum est: omninò ambo absoluta sunt priora vtraque relatione: quia quælibet relatio non tantùm præexigit fundamentum: sed etiam terminum, vt terminus est: si igitur quando sunt relationes mutuæ, termini mutuo referuntur: accidit, quod ibi terminus in quantum terminus est, & è contra, referatur: possibile est igitur aliquid referri ad absolutum: & ita videtur hoc rationabile ponere in Deo, qui maximè habet rationem absoluti, vt creaturæ sunt ad eum.

K. Præterea, licet intellectus possit negotiari circa terminum alicuius

ius relationes tertij modi, & in illo termino cauſare relationem rationis: tamen illa non eſt ratio terminandi, licet intellectus aliquis conferat quadraturam circuli ad ſcientiam, vt quoddam ſcibile cauſando in iſto abſoluto relationem rationis, quæ eſt ſcibilitas: tamen iſta non eſt ratio terminandi relationem ſcientiæ ad ipſum: iſta enim relatio rationis non eſt in hoc abſoluto, niſi dum actu conſideratur ab intellectu: ſcientia autem realiter refertur ad ſcibile, non tamen vt conſideratur ab intellectu: ergo illa relatio rationis in ſcibili, non fuit ratio terminandi relationem ſcientiæ.

L. Hoc etiam poteſt declarari in propoſito de Deo, quod eſſentia diuina, licet poſsit cõparari ad creaturam, & hoc tám per actum intellectus creati, quàm increati: & ſic in ea cauſare relationem rationis, tamen iſta relatio non eſt ratio terminandi relationem creaturæ ad ipſum: non quidem illa, quæ cauſatur per actum intellectus creati. Probo: quia nunc, nullo intellectu creato conſiderante, comparando Deum ad lapidem, ſi Deus produceret lapidem, non eſſet in lapide relatio realiter ad ipſum, quod eſt falſum: nec etiam illa, quam cauſat intellectus diuinus in eſſentia ſua. Probo: quia ſi per impoſsibile Deus non eſſet natura intellectualis (ſicut aliqui poſuerunt ſolem eſſe primum principium) & produceret lapidem: lapis refertur realiter ad eum, & tamen tunc non eſſet relatio rationis ad ipſum.

M. Concluſio. Abſolutè igitur dico, quod propter terminationem relationum creaturarum ex tempore ad Deum, non oportet ponere aliquam relationem in Deo, nec nouam, nec antiquam, quæ ſit ratio terminandi relationem creaturæ.

Ad argumentum reſpondeo, N. quod ſola relatione noua, quæ eſt in creaturis, denominatur dominus, non quidem, quod in creaturis ſint duæ relationes oppoſitæ, quarum altera ipſe denominetur: ſed vna tantùm, quæ eſt ad ipſum, vt ad abſolutum: & propter hoc, quod ſic abſolutum eſt terminus illius relationis, denominatur, quaſi eſſet in eo noua relatio correſpondens, quemadmodum opus factum ab homine dicitur humanum, non propter aliquid humanitatis, quod ſit formaliter in homine, ſed propter humanitatem, quæ eſt formaliter in homine, ad quem opus habet habitudinem.

Expoſitio art. 2. quæſt. 1. diſtinctionis 30.

POSQVAM in præcedenti articulo Doctor reſoluit relationes Dei ad creaturas eſſe de nouo, & ex tempore: modo in præſenti inueſtigat, an talis noua relatio Deo proueniat, ex eo quod terminat relationes creaturarum ad ſe? Circa quod proponit ſententiam Diui Thomæ prima parte quæſtione tertia articulo ſeptimo, partem affirmatiuam tenentis, quatenus nimirum cenſet relationem non alia ratione dicit eſſe in Deo, niſi quatenus eſt in creatura, & eſt ipſius creaturæ ad Deum. Hanc tamen ſententiam impugnat, eo quod tunc relatio eſſet in ſubiecto, vbi non eſt eius fundamentum: nam fundamentum talis relationis debet eſſe in illo ſubiecto, in quo eſt relatio. Si igitur relatio non eſt Dei ad creaturas, ſed dicitur eſſe Dei, eo quod Deus terminet relationem creaturæ ad ſe: conſequenter fundamentum talis relationis erit in creatura: atqui fundamentum, quod fundat talem relationem, eſt omnipotentia, quæ eſt in Deo, & non in creatura; ergo relatio

latio illa non erit in creatura, sed in Deo. Hæc ratio efficacissima est, nam relatio non minus præexigit fundamentum, quàm terminum, licet specificetur à termino. Plura præterea Doctor in hoc articulo tractat, & præclare resoluit de relationibus; quæ in difficultatibus sequentibus patefient. Conclusio tamen ad intentum est contra Diuum Thomam, quam latè, & subtiliter pluribus rationibus probat: quod autem ait Patrem terminari ad absolutum Filij, Filiumque ad absolutum Patris terminari, non loquitur de Patre, & Filio in diuinis, sed in creatis, de quibus loquitur comparans relationes mutuas, & non mutuas ad suos terminos: nam in diuinis neutiquam ad absolutum Filij Pater refertur: quia tunc referretur ad essentiã, cum in Filio vltra essentiam, non sit aliud absolutum, ad quod Pater terminaretur. Loquendo igitur de relationibus mutuis creaturarum, in relatione Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, exemplificat, vt ostendat relationes huiusmodi terminari ad absolutum.

DIFFICVLT. XCIIII.

Vtrùm relatio non minus essentialiter respiciat fundamentum, quam terminum?

§. 1.

Proponitur prima sententia affirmatiua.

1 OCCASIONE literæ textualis huius articuli secundi, mouetur hæc difficultas, & infra aliæ excitantur. Cum etenim hid dixerit Doctor relationem prærequirere fundamentum in eo, in quo est relatio: operè prætium erit, qualiter relatio fundamentum præexigit, inuestigare. Relationem etenim essentialiter respicere terminum, non est qui dubitet, ex diffinitione enim relatiuorum, id planè habetur, quia eorum tota vis, & natura in eo sita est, vt ad aliud referantur. Vnde communiter omnes concludunt, relationem esse habitudinem ad terminum, ipsumque formaliter respicere: vltra hoc tamen relationem habere habitudinem ad suum fundamentum tenuit Bargius in primo distinctione tertia quæstione quinta, quem postea secutus est Pater Herrera in eodem primo disputat. 8. quæstione prima, cuius sententiæ nullum alium sectatorem inueni probatur attamen ab eis auctoritate Scoti, & ratione. *Prima sententia.* *Bargius.* *Herrera.*

Nam Doctor in quarto distinctione duodecima quæstione prima conclusione secunda inquit, *quòd respectus sui esse, requirit, & ad quod sit, & cuius sit.* Ex quo sic arguunt, de intrinseca ratione relationis ad sui esse est ordo ad terminum: ergo & ad fundamentum: patet consequentia, quia ex Doctore non minus requiritur ad relationem fundamentum, quàm terminus. Quod idem patet ex eo in eadem distinctione duodecima quæstione secunda in solutione ad tertium, vbi ait, *quod dependentia relationis ad fundamentum, est sibi essentialissima: ità quod sine ea non potest esse ratio relationis.* Ex quibus inferunt relationem non minus respicere fundamentum, quàm terminum. 2

Secundò probatur: quia non minus implicat relationem esse sine fundamento, quàm sine termino: sed ordo ad terminum est de intrinseca ratione relationis: ergo & ordo ad fundamentum. Maior probatur, nam relatio pendet à fundamento, & termino: ergo fundamentum, & terminus ponuntur in eius diffinitione: ergo sicut implicat relationem esse sine termino, ita implicat esse sine fundamento. 3

Tertiò, quoniam sicuti non potest intelligi relatio sine termino, ita neque potest intelligi absque fundamento, 4

to, ſed vnaquæque res poteſt intelligi ſine illo, quod non eſt de intrinſeca, & formali ratione illius: ergo de intrinſeca, & formali ratione relationis eſt ordo, & fundamentum. Et confirmatur: nam ſi ordo ad fundamentum eſt paſſio relationis: ergo ſicut eſſentia cuiuſcunque rei poteſt intelligi, abſque propria paſsione, ita poſſet relatio abſque fundamento cognoſci. Hæc ſunt argumenta, quibus prædicti auctores ſuam probant ſententiam.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur.

5 IN oppoſitum autem eſt Doctor ſubtilis, qui ſupraper totam diſtinctionem vigeſimam ſextam, ponit totam habitudinem relationis eſſentialiter eſſe ad terminum: quod alibi ſæpiſsime affirmat: ſed præſertim in quodlibetis quæſtione tertia litera M. hæc profert: *Qui comparat paternitatem ad diuinitatem, excludendo Filium, vel non includendo Filium: non comparat paternitatem, niſi habeat duo contradictoria in ſuo intellectu: cum paternitas ſecundum illud, quod eſt, ſit per ſe ad Filium.* Quæ ſententia eſt omnium fere Scotiſtarum, & communis inter Metaphyſicos, & Theologos.

Vera ſententia Scoti.

6. Ad cuius intelligentiam primo obſeruare oportet, aliter loquendum eſſe de relatione in abſtracto, & aliter in concreto: id eſt, aliter concipitur relatio, & aliter concipitur relatum: nam relatum formaliter relatione refertur ad terminum, non vero ad fundamentum: quia Pater paternitate refertur ad Filium: non vero ad potentiam generandi, ſeu ad genuiſſe, quod eſt fundamentum proximum generationis: quæ doctrina certa, & indubitabilis eſt apud omnes. Vnde facile poſſent auctores prioris ſententiæ reſpondere ad illam deſcriptionem relationis, quæ in fronte difficultatis ponitur, ibi non diffinitam fuiſſe relationem, ſed relatiua: & ideò relatiuorum tota vis, & natura in eo ſita eſt, vt ad aliud referantur: atqui relatio in abſtracto eſt quidam ordo inter fundamentum, & terminum. Ex quo videtur intelligi poſſe eandem habitudinem dicere ad vtrunque, ſi quidem ab vtroque dependet: & ideò forſan teneri poſſet, quod etiam ſi relatiuum terminum tantummodo formaliter reſpiciat: relatio nihilominus non magis terminum, quàm fundamentum formaliter reſpicit.

Verum enimvero ſi relatiuum fundamentum non reſpicit, ex hoc ingens 7.
ſit argumentum, ad demonſtrandum, neque etiam relationem fundamentum reſpicere. Et ratio à priori eſt: quia forma denominans ſubiectum formaliter tale, dat ei totum eſſe ſuæ formalitatis: quia effectus formalis non ſequitur formam ſecundum partem ſuę quidditatis, ſed ſecundum integram formalitatem illius: hoc patet in exemplo albedinis, quæ dat ſubiecto formaliter eſſe album ſecundum omnimodam rationem ſuæ formalitatis, ita vt paries non ſolùm ſit albus albedine, ſed etiam ſimilis alteri albo, cuius albedini ſua albedo ſimilis eſt: atque ita ſi albedo parietis eſt ſimilis albedini ligni, etiam reddit parietem per albedinem, ſimilem ligno albo: nam licet albedo non ſit formalis ratio referendi parietem, ſed relatio ſimilitudinis: eſt nihilominus fundamentum talis relationis: & ſubiecto communicat ſuum eſſe abſolutum, & rationem, quam habet fundandi relationem. Si ergo relatio in ſuo conceptu formali, & quidditatiuo includit, eſſe habitudinem ad fundamentum, & terminum: & hæc relatio, vt forma denominans ſubiectum tale, neceſſario ei communicat, & dat totam ſuam formalitatem: procul omni dubio non magis reſpicit ſubiectum relatum terminum, ad quem refertur, quam fundamentum, quod eſſentialiter reſpicit relatio, qua formaliter tale ſubiectum denominatur relatum. Ex quo euidenter infertur, æqualiter omne relatum reſpicere fundamentum, & termi-

minum. Ex quo colligitur iterum paternitatem in Deo, cum sit formaliter relatio, æquè respicere essentialiter fundamentum, & terminum: & ex consequenti Patrem constitutum per illam, non minus se ipsum respicere, seu fundamentum paternitatis, quod in se habet, quàm Filium, ad quem terminatur: sed à Filio tanquam à termino realiter est distinctus, non alia ratione nisi quia formaliter refertur ad ipsum, & ipsum formaliter respicit: ergo si æquè essentialiter refertur ad fundamentum, & ipsum formaliter respicit, sicut respicit terminum, etiam à fundamẽto realiter est distinctus: quod absit.

8. Est ergo præterea obseruandum aliqua esse requisita ad esse alicuius, quæ tamen ab eo formaliter non respiciuntur, sed supponuntur: quod patet in pluribus exemplis, & præsertim in operatione voluntatis, & intellectus. Voluntas enim operationem non potest elicere, quin præcedat præcognitio intellectus: ita quod essentialiter pendet operatio voluntatis à præcognitione obiecti. Nihilominus tamen talis volitio elicita, non respicit præcognitionem intellectus tanquã causam, sed tanquam conditionem, quam naturaliter, & necessariò, imò & essentialiter præsupponit. In alijs autem etiam datur causalitas præsuppositа, quæ tamen ad formalitatem effectus non pertinent. Quibus exemplis omissis, dico quod relatio non minus præexigit fundamentum, quàm terminum: sed non propterea æqualiter respicit fundamentum, & terminum: nam terminum formaliter respicit tanquam id, à quo specificatur, & ad quod dicit formalem, & essentialem habitudinem: fundamentum vero non ita formaliter respicit, sed illud essentialiter præsupponit. Hoc euidenter patet, nam terminus relatione posita, adhuc existit: imò ad ipsum, vt realiter existentem, formaliter terminatur relatio, & propterea terminum formaliter respicit. At fundamentum in pluribus relationibus, stante relatione, non potest existere, præsertim si loquamur de fundamento proximo, quod est ipsa ratio fundandi: nam relatio quæ fundatur in actione, & passione, formaliter remanet, etiam actione, & passione destructis, Pater enim increatis, formaliter refertur ad Filium, etiam transacto genuisse, quod est proximum fundamentum paternitatis. Ex quibus deducitur, quod etsi relatio præexigat fundamentum, & illud essentialiter præsupponat: non tamen illud formaliter respicit, sicut respicit terminum. Nec valet si dicas, quod in motu locali datur vnus, & idem ordo ad terminum à quo, & ad quem: nam ibi terminus verus habitudinis motus illius, non est nisi terminus ad quem: quia illum dumtaxat formaliter respicit, & ad ipsum tendit: terminus vero à quo non habet rationem veri termini relationis: quia motus non tendit ad illud, sed ipsum supponit.

§. 3.

Statuuntur conclusiones, & soluuntur argumenta primæ opinionis.

HIS præhabitis difficultatem concludendo dico primò, quod relatio æqualiter postulat fundamẽtum, & terminum. Cõclusio est communis, & illam intendit Scotus in locis prælegatis pro prima opinione: quæ probatur primo auctoritate Doctoris ibidem, & præterea ratione, quia relatio est habitudo vnius ad aliud: ergo necessario prærequirit cuius sit, & ad quod sit: eiusdem enim ad se ipsum non est relatio, neque idem se ipsum potest respicere. 9. *Prima conclusio.*

Dico secundò, quod relatio est habitudo *Secunda conclusio.*

bitudo ad terminum, quem formaliter respicit, non vero ad fundamentum, sed ipsum necessario præsupponit. Conclusio hæc est expressa Doctoris, vt visum est in litera, & communis. Quæ vltra, quod constat ex notatis, probatur iterum ratione: nam relatio est tantummodo habitudo ad illud, ad quod formaliter tendit: non autem formaliter tendit ad fundamentum, sed tantum ad terminum: ergo, &c. Maior est manifesta ex diffinitione relationis, quæ tantum consistit in ordine ad aliud: minor vero probatur, quia relatio non tendit ad illud, cuius est, sed ad illud cuius non est: alias enim esset regressus in tendentia relationis, quod esset peruertere ordinem referendi, & respiciendi. Quod confirmatur: nam si relatio est habitudo respiciens fundamentum, iam terminaretur talis habitudo ad fundamentum: quia habitudo sine termino nequit intelligi: & tunc fundamentum transiret in terminum. Quæro ergo de habitudine illa ad fundamentum, in quo fundatur? non in fundamento ipso: quia idem in quantum idem non potest esse fundamentum, & terminus eiusdem habitudinis: quia tunc idem sibi metipsi opponeretur oppositione relatiua. Nec potest talis habitudo fundari in termino: quia vt eleganter probat Scotus in secundo articulo quæstionis 1. huius distinctionis trigesimæ, contra Diuum Thomam: ideò non refertur Deus ad creaturas, relatione existente in creaturis, quia relatio debet esse, vbi est eius fundamentum, & ex eo quod omnipotentia est in Deo, non vero in creaturis, & omnipotentia est fundamentum relationis creatoris ad creaturam, probat relationem huiusmodi necessario esse in Deo. Ex quo à simili patet non posse habitudinem illam (de qua procedimus) prout respicit fundamentum, fundari in termino. Cum ergo nec in termino, nec in fundamento fundetur, videtur habitudo confícta, & non realis, aut vera.

11 Probatur præterea: quia vt ex difficultate sequente patebit, secundum Scotum, nonnullę relationes sunt à suis fundamentis realiter indistinctæ. De his igitur inquiro, an respiciant æqualiter fundamentum, & terminum? Si negatiue respondeas, habetur intentum. Si autem affirmatiue: tunc tibi redarguo, igitur sicut habitudo relationis huiusmodi realiter refertur ad terminum, sic & realiter refertur ad fundamentum: sed vbi est relatio realis, necessario interuenit realis distinctio inter ipsam, & illud, quod ipsa respicit: ergo si huiusmodi habitudo ad fundamentum refertur, necessario à fundamento realiter distinguitur: atqui secundum Scotum inter relationes huiusmodi, & fundamentum (vt ex dicędis suppono) non interuenit realis distinctio: ergo vel necessario in hoc negas Scotum, vel debes concedere relationem non esse habitudinem ad fundamentum.

12. *Ad argumenta pro prima sentẽtia, & ad primum.* Ad argumenta vero, & primo ad auctoritates Scoti satis patet ex dictis, non ibi intendisse relationem esse habitudinem ad fundamentum, sed necessario præexigere fundamentum, & ab ipso pendere, modo exposito: imo quando inquit, relationem requirere id, cuius sit, potius de subiecto relationis, quam de fundamento ipsius loquutum fuisse debet intelligi.

13. *Ad secundum.* Ad secundum respondeo, quod licet implicet relationem esse sine fundamento, sicuti sine termino: quia vtrumque postulat ad sui esse: non tamen sequitur, quod sicut ordo ad terminum est de intrinseca ratione illius, sic ordo ad fundamentum: nam in diuerso genere causarum pendet à fundamento, & termino: sed à termino tanquam à causa formali, vel saltim in genere causæ formalis: quia habitudo, seu ordo ad terminum, est formalitas relationis: à fundamento vero pendet in genere causæ materialis: quia ipsum necessario præsupponit, tanquam id, cuius est: non tamen respicit illud, quia non terminatur ad ipsum.

Ad tertium negatur maior, quia 14

benè

bene potest intelligi relatio sine fundamento: licet non possit intelligi relatio, quin fundamentum supponat. At vero sine termino, intelligi nō potest: quia tunc intelligeretur relatio sine relatione: nam totum esse relationis est ordo ad terminum, & ideo si sine tali ordine ad terminum intelligeretur, sine formali esse relationis intelligeretur relatio, quod est contradictio in adiecto.

Ad 3.

DIFFICVLTAS XCV.

Vtrum omnis relatio realis realiter distinguatur à fundamento?

§. 1.

Proponitur status controuersiæ, cū quorundam opinionibus.

1. CVM ex præcedenti difficultate habeamus, relationē necessario pendere à fundamēto, tanquam ab eo, quod necessario præsupponit: videndum est, qualiter ab ipso fundamento distinguatur: & quia multiplex est genus relationis, multipliciter de hoc puncto loquuti sunt Metaphisici, & Theologi: licet etiam alij indistincte de illo loquantur. Quidam enim sic negant distinctionem realem inter relationē & fundamentum intercesse, vt opinētur non duas res esse, sed vnam tantū, sola ratione distinctam, ac proinde si similitudinem verbi gratia albedinis, & ipsam albedinem, nō distingui, sed eandem rem omnino esse affirmant. Hoius sententiæ sectatores sunt Ægidius Romanus Quotlibeto 1. quæst. 3. art. 4. Herbeus in 1. distin. 30. quæst. 1. Gregorius Ariminēsis eodem lib. dist. 28. q. 2. Paulus Soncinatis 5. Metap. q. 28. Iabellus ibid. q. 22. Soto q. 2. de prædicamento ad aliquid, Canariēsis 1. p. quæst. 28. art. 2. Zumel in commentarijs eiusdem loci quæst. 6. Augu. Nimphus 6. Metaph. q. 2. & alij: quam sententiam dicunt esse D. Thomæ opusculo 48. tractatu de relatione, c. 3. vbi ait, quod similitudo non est aliquid realiter distincta ab albedine: quæ sententia sequentibus argumentis suadetur.

1. Sententia.

Ægidius. Herbeus. Gregorius. Soncinas. Iabellus. Soto. Canariēsis. Zumel.

Nimphus D. Thom.

2. Primo: nā entitas realiter distincta ab alia entitate, potest illi aduenire, sine eius mutatione: sed relatio aduenit fundamento sine mutatione ipsius fundamēti: ergo non distinguitur realiter ab illo. Patet minor, quia fundamentū, v. g. relationis Patris ad Filiū, quod est genuisse, non mutatur per relationem paternitatis: ergo, &c.

2

3. Secundo: quia quæ habent easdem differentias essentiales, non differunt realiter: sed relatio, & fundamētū habent easdem differētias essentiales: nā sicut relatio diffinitur per esse ad aliud, sic fundamentū relationis: ergo, &c. Confirmatur argumentū: nā quando relatio fundatur in duabus relationibus, tunc eadem est essentia relationis, & fundamenti: ergo fundamentū, & relatio non differunt realiter.

3

4. Tertio: quoniam si relatio similitudinis distingueretur ab albedine: sequeretur in Petro albo, singulis diebus innumeras entitates reales oriri, cū relatio sit ens reale: nā si innumera alba nascerentur, ad omnia, quibus Petrus albus assimilaretur, referretur: & ideo innumeræ essēt in illo entitates relatiuæ: præsertim in via Scoti, vbi relatio multiplicatur, ad multiplicationem terminorū. Hoc tamen non est admittendum: ergo, &c.

4.

5. Quarto: quia ex oppositō sequeretur processus in infinitum: nam si duæ albedines assimilantur per relationem similitudinis: similiter, & ipsæ relationes similitudinis assimilantur in alia similitudine, & ista alia similitudo cū alijs, & sic fit processus in infinitum: talis tamen processus nequit admitti: ergo, &c.

5

6. Ex diametro opponitur præcedenti sententiæ alia secunda aliorū Thomistarum asserentiū, relationem omnem à suo fundamento realiter esse distinctam. Sic censent Capreolus in primo, distinct. 30. quæst. 1. Deza, ibi-

6.

2. Sentent. Capreolus. Deza.

ibidem notabili 2. Caietanus 1. parte, quæst. 28. artic. 2. Bañez ibidem, quæstion. 1. Ferrara 4. Contragentes cap. 14. & alij, quam plurimi: qui aiunt esse sententiam D. Thomæ 1. parte, quæstio. 28. artic. 2. vbi assignat differentiã inter relationes creatas, & increatas, ostendens istas nõ distingui à fundamento, bene tamen illas, quam sententiam probant primo ex Aristotele, qui 5. Metaph. textu 20. asserit relationem semper insequi aliquid absolutum: sed absolutum & respectiuum distinguuntur realiter: ergo, &c.

Caietan. Bañez. Ferrara. D. Thom. Aristotel.

7. Secundo id probant, quia quæ pertinent ad distincta prædicamẽta, realiter distinguuntur: sed fundamẽtum non pertinet ad prædicamentum relationis: ergo realiter distinguitur à relatione. Maior est certa in via Scoti, nam actio & passio, de quibus dubium esse poterat, secũdum eum realiter distinguuntur: cætera autem prædicamenta realiter distingui, ab omnibus conceditur. Minor vero probatur, nam fundamentum relationis tantum sunt substantia, quantitas, qualitas, actio, & passio: quia per substantiam dicimur idem, per quantitatem æquales, vel inæquales, per qualitatẽ similes, & dissimiles, &c. ista autẽ sunt distincta prædicamenta à prædicamẽto relationis: ergo, &c.

---

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

8 IN oppositum autem est Doctor subtilis, qui inter prædictas oppositas sententias mediat, in tertio, distinct. 1. quæstio. 1. littera. K. vbi hæc profert, *Tales sunt relationes creaturæ, in quantum creatura, ad Deum in quantum creator; huiusmodi relatio est idem realiter fundamento, &c.* Quibus & sequentibus verbis distinguit inter relationes, & tenet quasdam esse realiter à fundamento distinctas, alias vero esse realiter idem cum fundamento. Hoc ipsum tenet in distinct. 8. eiusdem tertij, & in secundo, distinct. 1. quæstio. 4. & 5. & in Quodlibetis quæstio. 13. & libro 5. Metaphysic. quæstio. 11. sequuntur Doctorem Bassolis, in citato loco tertij sententiarum ibidemque Tataretus, Lichetus, & reliqui omnes Scotistæ: ex recentioribus vero Dominus Rada 1. parte contro. 26. & P. Herrera in 1. disput. 8. quæstio. 5. & reliqui Scotistæ, ac plures Thomistæ.

Vera Scoti sentent.

Bassolis. Tataretus. Lichetus. Rada. Herrera.

9 Vt autem hæc Scoti sententia perpendatur, prænotat ipse in tertio distinctio. 1. quæstio. 1. littera K. triplicem esse modum relationis. Primus enim est ille, cuius fundamentum non potest poni in rerum natura sine relatione, absque contradictione ipsius. Quod contingit, quando fundamentum ex sua natura, & ratione prærequirit terminum existentem ad sui esse, ita quod sine eo esse non possit. Sic creatura dicit relationem ad Deum: quia implicat creaturam esse, non existente Deo: quia implicat aliquid esse in rerum natura, non existente eius creatore, & conservatore. Secundus modus relationum est, quarum fundamentum potest esse sine relationibus: quia absque implicatione aliqua, potest fundamentum existere sine termino: positis tamen fundamento, & termino, necessario absque alio extrinseco, consurgit relatio, & hæc relatio reperitur, verbi gratia in similitudine: nam albedo, quæ est fundamentum relationis similitudinis, bene datur sine termino existente, & consequenter sine relatione ad illum: quia non implicat vnum tantummodo album existere: at qui posito alio albo in rerum natura, necessario sine aliquo extrinseco in his duobus albis consurgit relatio similitudinis vnius ad aliud. Tertius tandem modus relationis est, cuius fundamentum non necessario coexigit terminum, neque habitudinem ad

Triplex modus relationis ab Scoto innẽtus.

ad terminum: quinimo etiã positis simul termino, & fundamẽto cum omnibus absolutis, sibi ab intrinseco cõuenientibus, adhuc non sequitur relatio: sed adhoc vt relatio consurgat, requiritur aliquod extrinsecum agens, seu applicãs vnum extremũ ad aliud. Ex prædictis ergo relationibus inquit Doctor, quod relationes primi, & secũdi modi sunt relationes intrinsecus aduenientes: relationes vero tertij modi sunt extrinsecus aduenientes. Et ratio huius differentiæ est: quia illæ ex positione extremorum, ab intrinseco habent consurgere: istæ vero, etiam extremis positis, adhuc egent aliquo extrinseco vt consurgant.

10 Est præterea obseruandum non minimam in modo loquendi circa fundamentum relationis, æquiuocationẽ esse. Quidam etenim, quod mere subiectum relationis est, vocant fundamentum remotum; & quod vere fundamẽtum remotum est, proximum esse dicunt. Est igitur fundamentum duplex (vt omnis æquiuocatio tollatur de medio) aliud enim est remotum, & aliud proximum. Fũdamentum remotũ est ipsa res illius generis, cui appropriatur relatio, videlicet, relatio æqualitatis habet pro fundamento remoto quãtitatem: relatio vero similitudinis habet pro fundamento remoto qualitatem: relatio vero identitatis habet pro fundamento remoto substantiam. Fũdamentum vero proximum talium relationum, idem est quod ratio fundandi: ratio autem fundãdi relationes huiusmodi est vnitas talis rei, vt subtiliter ex Aristotele notauit Sapientissimus Rada: inquit enim Aristoteles 5. Metaph. idem, simile, & æquale, fundari supra vnum, dum ait, quod illa sunt eadem, quorum substantia est eadem, & illa similia, quorum qualitas est vna, illa vero æqualia, quorum quantitas est vna. Cõstat igitur, quod relationes huiusmodi fundantur remote in substantia, qualitate, & quãtitate: proxime vero in vnitate illarum, & ista vnitas, vt subdit idem Rada, non est vnitas numerica: quia idẽ numero nõ potest esse commune pluribus: nec itẽ est vnitas generica, aut specifica: quia tales vnitates sunt secundæ intentiones, & secunda intentio non potest fundare primã: sed est illa vnitas celebris, quã inuenit Scotus, in 2. dist. 3. q. 1. & 1. Metaph. quæ. 6. & q. 18. quæ vocatur ab eo vnitas formalis naturæ, minor vnitate numerali: de qua celebri vnitate plura dicũt Dialectici, & Metaphisici, qui Scholam Stoicam profitentur. 11.

Ex his collige, quod in vna, & eadẽ re potest hæc triplex relatio reperiri, vt pote siduo homines habeant eundẽ gradum albedinis, & eandem quantitatem corporis, triplici relatione referuntur. Primo enim est in eis relatio identitatis, non tantum eo quod sunt eiusdem substantiæ, quatenus substantia idem est quod ens per se: sed quia sunt eiusdem specificæ quidditatis: quã vt bene notauit prædictus Rada, ibi sumitur substantia pro essentia: & sic relatio identitatis datur inter quæcunque individua eiusdem naturæ. Qua propter duo homines, eo quod sunt in diuidua eiusdem humanæ naturæ, relatione identitatis referuntur: quæ relatio fũdatur remote in ipsis individuis, seu in quidditatibus eorum numerice distinctis: proxime vero, in vnitate naturæ communis, & specificæ talium individuorum, vt pote in humanitate seu vnitate formali humanitatis. Relatio autem qualitatis fundatur remote in quantitate eorum, proxime vero in vnitate naturæ quantitatis. Relatiõ dem similitudinis fundatur remote in albedine, proxime tamẽ in vnitate albedinis. Subiectum autem istarum relationum, est ille homo qui refertur ad alium, & ideo lata est differentia inter subiectum, & fundamentum: nam fundamentum, & si requirat subiectũ, quinimo, & nonunquam identificetur realiter cum subiecto, formaliter tamen, saltim formalitate rationis, à subiecto distinguitur: & sic quidditas humanitatis, prout fundat relationẽ identitatis, saltim ratione ab homine distinguitur. 12.

Porro cognitis fundamentis relationum idẽtitatis, æqualitatis, & similitudinis: consequenter videndum est quæ nam sint fundamenta relationũ distinctionis, in æqualitatis, & dissimilitudinis? Pro quo obserua, quod sicut ratio formalis cuiuscunque rei, non

ſolum eſt conſtitutiua ipſius,ſed etiã diſtinguit eam ab alia non tali:ſic ratio vnitatis, ſeu vnitas cuiuſcunque naturæ,non ſolum dat naturæ eſſe vnam: ſed etiam facit illam differre ab omni re, quæ non identificatur cum illa: & per conſequens ſicut differentia eſſentialis vna, & eadem, habet duplicem reſpectum, vnum in ordine ad rem conſtituendam per illam,& alium in ordinẽ ad rẽ, à qua eã facit differre:ſic in vnitate: eſt conſiderandũ, quod vnitas habet alium reſpectum in ordine ad rem, quam identificat, & alium in ordine ad rem, à qua diſtinguit; vnde eadẽ vnitas duplicẽ relationem poteſt fundare: nam quatenus identificatiua,fundat relationem idẽtitatis,quatenus vero diſtinctiua fundat relationem diuerſitatis: quod pari paſſu dicendum eſt de fundamẽto relationis inæqualitatis, & relationis diſſimilitudinis. Quibus manet expoſitum, quid fundet remote, & proxime relationes huiuſmodi,quas Ariſtoteles in primo genere relationum conſtituit

13 Verum enim vero relationes, quæ fundãtur in actione,& paſsione,quas Phyloſophus in ſecundo genere collocat aliter ſe habent, nam duplex poteſt eſſe relatio huius ſecũdi generis, quare actio duplex eſſe poteſt,vel quidem præterita,vel futura (nam actio præſens, quæ inter iſtas mediat, quo ad vſque terminetur, non dum concipitur ſpecificata: quando autem ſpecificata concipitur, iam actio præterita cenſetur) actio ergo futura eſt idem, quod potentia ad aliquid faciẽdum: ſic dicimus ignem eſſe in potentia ad comburendã omnia combuſtibilia exiſtentia,& quæ exiſtere poſſunt. De hac tamen relatione non loquimur in præſenti, ſed de preterita actione, ratione cuius refertur ignis producens ad ignem productum, & Pater ad Filium. Sed tunc inſurgit dubium, quo modo relatio realis fundatur in actione præterita: nam relatio paternitatis in illo genuiſſe Patris fundatur: actio autem præterita non habet eſſe reale: & ex conſequenti videtur relationem realem in illa, non poſſe fundari. Ad huius tamen dubij ſolutionem ſatis acute prænotauit P. Herrera in 1. diſp. 7. q. 7. not. 5. quod in Patre duo conſiderantur, videlicet, potẽtia generãdi, quæ non eſt aliquod accidens, ſed idem realiter cum ipſa Patris ſubſtantia: & conſideratur actus generationis, ſeu ipſum genuiſſe Patris: potentia generãdi eſt fundamentũ remotũ, ipſum vero genuiſſe eſt ratio fundãdi, ſeu fundamẽtũ proximũ. Vnde ad dubiũ dico, quod ſufficit exiſtẽtia fundamenti remoti ad relationem realẽ, licet ratio fundandi, ſeu fundamentũ proximũ iã tranſierit: & ideo licet tanquã conditio requiſita, vt quidã dixerunt, ſeu ratio fundandi, actio requiratur: nihilominus ſufficit etiã actione tranſacta, quod maneat potentia generãdi in Patre, adhoc vt relatio, quę fundatur in actione, realis exiſtat. De relatione vero, quæ in paſſione fundatur, facilior habetur ſolutio, quia etiam ſi genuiſſe Patris tranſierit: paſsio tamẽ, quæ eſt in paſſo, & genitum eſſe Filij permanet. 14

Hactenus de relationibus intrinſecus aduenientibus diximus: ſed nunc reſtat relationẽ extrinſecus aduenientem, eiuſque fundamentũ exponere. Hãc ergo relationẽ primo Doctor inuenit in illa prima q. diſt. 1. 3. libri: quæ ideo extrinſecus aduenies appellatur ab eo: quia poſitis fundamento, & termino nõ cõſurgit ex præciſa poſitione eorũ, ſicut relatio intrinſecus aduenies: ſed vltra requiritur approximatio agentis ad paſſum, ſeu aliquod agens, quod ipſam relationem per ſe primo producat. Hoc patet in multis exẽplis, ſed præſertim in vnione materiæ, & formæ, & ſimiliũ: nã poſitis materia, & forma, nõdũ eſt relatio vnionis inter ipſas: ſed egẽt aliquo agẽte, & applicãte, à quo vnio inter ipſas fiat, & producatur. Hoc modo, inquit Scotus, relationẽ vnionis inter humanitatẽ, & Verbũ eſſe extrinſecus aduenientẽ: quia & in eſſe naturæ præſupponebatur humanitas, iã à Deo creata, & iã ab æterno Verbũ diuinũ ſubſiſtebat, abſq; eo, ꝙ reſultaret vnio humanitatis ad Verbũ: producta igitur fuit vnio hypoſtatica immediate à Deo, inter huiuſmodi extrema, vt eſſet relatio vnionis eorum, prout late diſputat Scotus ibidem, & omnes Scotiſtæ cum illo. Neque obſtat Ariſ-

totelis

Aristotelica authoritas ex 5. Metaph. quod ad relationem non est per se motus, ad hoc vt prædicta relatio primo, & per se producatur: nam bene illã soluit Doctor, dicens intelligendam esse de relatione intrinsecus adueniente, quæ non per se primo producitur, sed ad productionem consequitur: non vero de relatione extrinsecus aduenien-
15 te, quæ per se primo terminat productionem, & ad illam est formaliter per se motus.

Non etiã omittenda est relatio trãscendentalis, quæ, quia existentiam termini non requirit, à fundamento ita dependet, vt realitas vtriusque sit eadẽ. Patet in exemplo de specie ad obiectum, & etiam de scientia, & scibili, quas relationes Aristoteles in 3. genere constituit: nam etiam destructo obiecto, manet species, seu notitia, prout late Philosophi tradunt: mortuo enim Imperatore, manet notitia, & species eius: ex quo colligitur totam realitatem huius notitiæ, seu speciei, aut, inquam, relationis scientiæ ad scibile, seu speciei, aut notitiæ ad obiectum, sumi à fundamento independenter à termino: si quidem destructo fundamento, destruitur quoque relatio: destructo autem termino, adhuc manet relatio ad illum.

§. 3.

Statuuntur conclusiones, & soluuntur argumenta primæ, & secundæ opinionis.

16 HIS præhabitis difficultatem concludendo, dico primo, q̃ relationes transcendentales non distinguuntur realiter à
1. Conclus. suis fundamentis. Conclusio est cõmunis, & aperte constat: quia relationes huiusmodi non sunt habitudines fundatæ in rebus, quibus adueniunt: sed sunt respectus quidam intrinseci earũdem rerum, qui quatenus ad aliud referuntur, seu aliud respiciunt, respectus dicuntur: at vero quoad sui entitatẽ, neutiquam distinguũtur ab absolutis. Hoc manifestũ est in exemplo de specie: species nãque qualitas absoluta est sub genere qualitatis cõstituta: nihilominus, in quãtum species, nequit cõcipi, sine ordine ad obiectum. Vnde prouenit, vt supradixi, respectũ huius mundi non dependere ab existentia sui termini: quia manente entitate in qua fundatur, manet & respectus ipse independenter à termino, etiam si terminus nõ existat. Quod non ex alio prouenit, nisi quia talis respectus est eadẽ entitas sui fundamenti: & ideo tali entitate manente, manet, &, ipsa destructa, destruitur.

Dico secundo, quod relationes primi modi, videlicet illæ, quorum fundamenta nequeunt esse sine terminis absque contradictione, non distinguũ-
2. Conclus. tur realiter ab ipsis fundamentis, bene tamen formaliter. Cõclusio est Doctoris, & quoad primam partem habetur ex illo in locis citatis, quę probatur: nã illud, quod formaliter inest alicui, sine quo illud esse nõ potest, est idem realiter cum ipso: sed taliter se habet relatio creaturæ ad Deum, & quæcunque alia (si dabilis sit) cuius fundamentum sine cõtradictione nequit existere absque termino: ergo hæc, & similis quæcunque relatio, realiter à suo fundamento non distinguitur. Secunda autem pars est manifesta: quia quæ pertinent ad diuersa genera, & prædicamẽta, formaliter distinguũntur: relatio autem creaturæ ad creatorẽ pertinet ad prædicamentum relationis: creaturæ autem, in quibus talis relatio fundatur ad prædicamentum substantiæ, seu ad alia prædicamenta: ergo, &c.

Dico tertio, quod relationes extrinsecus aduenientes realiter à suis funda-
3. Conclus. mentis distinguuntur. Conclusio hæc est Scoti vbi supra, & ab eo probatur, quoniam quando duo sic se habẽt, quod vno destructo, aliud remanet, inter ea est realis distinctio: relationes autem extrinsecus aduenientes sic se habent respectu fundamentorum: fiat enim, quod ad sit fundamẽtum, imo & terminus, absque eo quod inter ea consurgat relatio: ergo relationes huiusmodi à suis fũdamẽtis realiter distinguũtur.

Dico quarto, quod omnis relatio intrinsecus adueniens illius secũdi modi, quẽ ex doctore notauimus, siue fundetur supra substantiã, siue supra quantitatem, aut qualitatẽ, siue supra actionẽ, & passionẽ, realiter distinguitur à

ſuo fundamento. Concluſio hæc eſt Scoti,& Authorum ſecundæ ſentẽtiæ, quæ probatur rationibus pro ipſa ſecũda ſententia adductis,pro ea parte,qua ei fauent.Probatur præterea primo ratione ſupra poſita: quia illa diſtinguntur realiter, quorum ſcilicet vno deſtructo,aliud remanet: ſic autem ſe habent relationes ſecundi modi, quià deficiente relatione, manet fundamẽtum illius: imo nonunquam deſtructo fundamento proximo, manet relatio: quod patet in relatione paternitatis,quæ remanet, iam ipſo genuiſſe trã ſacto:& relatio ſimilitudinis deſinit eſſe,manente ſuo fundamẽto:quia manente albedine,poteſt nõ eſſe relatio ſimilitudinis ad aliud album : ſeu manente potentia generandi,poteſt non ſequi generatio, nec relatio paternitatis.Hoc argumentum non nulli intẽdunt ſoluere,negãdo maiorẽ,ad quod adducunt inſtantiã de materia prima, quæ realiter à forma ſubſtãtiali diſtinguitur,licet ſine forma materia remanere non poſsit.Hæc tamen ſolutio facile ab Scotiſtis reijcitur,qui cum Doctore tenent,materiam primam habere ex ſe ipſa actum entitatiuum,& propriam exiſtentiam,qua ſine forma ſubſtantiali ſe ſola poteſt exiſtere. 20

Secundo probatur eadem cõcluſio: quoniam relatio realis eſt ens reale:& tamen non eſt fundamentũ:ergo realiter eſt diſtincta à fundamẽto:patet minor,quia hæc propoſitio eſt falſa,albedo realiter eſt ſimilitudo,aut ſimilitudo eſt albedo:nam vna tantum exiſtẽte albedine, hæc propoſitio eſt vera, hæc albedo eſt albedo: non tamen eſt vera iſta, hæc albedo eſt ſimilitudo: quia ſimilitudo eſt relatio inter duo extrema,& ideo non ſaluatur in vno: albedo autem in vno tantum formaliſſimo eſt,ſecundum formalem,& quid ditatiuã rationem albedinis:ergo realiter diſtinguitur ſimilitudo ab albedine:& ex conſequenti realiter diſtinguitur relatio à ſuo fundamento.

21 Ad argumenta autẽ pro prima ſententia adducta reſpondetur, & ad primum dico,quod relatio eſt diſtincta à fundamento: ſed ſubiectum eſt, quod relatiue mutatur,non vero fundamẽtum: mutatio enim eſt in ſubiecto recep-

Ad argumẽta pro 1. sẽten. & ad 1.

tiuo,quod per formam realem realiter tranſit de non eſſe ad eſſe, ſeu de vno eſſe ad aliud eſſe: fundamentum vero relationis non eſt ſubiectum illius,& ideo non eget mutari per illam: ſubiectum autem,cui relatio inhæret, realiter mutatur relatione: quia homo per paternitatem realiter tranſit de non eſſe Patris,ad eſſe Patrem, & ideo vere mutatur per formã realem relatiue. 22

Ad ſecundum negatur maior: nam indiuidua eiuſdem naturæ habent eandem differentiam eſſentialem ſpecificam,quo non obſtante,realiter diſtinguũtur tanquam res à re,vt patet de Petro,& Paulo. Sed ad huc eſto,quod maior eſſet vera: relatio,& fundamentum, non habent eandem differentiam eſſẽtialem: quia fundamentum eſt abſolutum,relatio vero non:& abſolutum,& reſpectiuum eſſentialiter differũt. Vnde licet relatio diffiniretur per fundamentũ,ſicut diffinitur per terminũ:nõ exinde ſequitur realiter eſſe idem cũ fundamento,ſicut non eſt realiter idẽ cum termino:quia fundamentũ,& terminus non in recto intrant diffinitionem relationis,ſed in obliquo,ſeu per additamẽtum,vt docet Scotus.Nec valet,quod adducitur de relatione fundata in relationibus:quia tunc relatio non minus diſtingueretur à relatione, quæ eſt eius fundamentum,quàm diſtinguitur ab abſoluto. *Ad 2.*

Ad tertiũ dico,nullum eſſe inconueniens tunc in Petro eſſe innumeras entitates relatiuas:relationes enim,licet entia realia ſint,ſunt tamen in ſuo genere ita minimæ entitatis,quod nõ inconuenit infinitas relationes eſſe in vno quoque ſubiecto:hoc tamen implicaret entitatibus abſolutis:&etiã aliũde implicaret,videlicet ex repugnãtia quæ eſt,vt adſint innumeri termini. 23 *Ad 3.* 24

Ad quartũ negatur,ibi fieri proceſſum,quia ſiſtendũ eſt in tertio:nã licet ſit verũ,quod duæ albedines aſsimilantur per relationem à ſe diſtinctã: & ipſæ ſimilitudines referũtur per relationẽ identitatis,ſeu etiã forſan ſimilitudinis,aut conformitatis: iſta tamẽ conformitas,iã non aſsimilatur alteri, per aliã cõformitatem à ſe diſtinctam :ſed per ſe ipſam cum omnibus alijs ſimilitudinibus æquiparatur. *Ad 4.*

Ad

25 *Ad argumenta pro 2. sent. & ad 2.*

Ad argumenta vero pro secunda sententia, & ad primum dico, nostra nō interesse D. Thomæ mentem exponere: & ideo dicimus illam, non esse adequatam differentiam inter relationes diuinas, & creatas: quia aliæ quam plurime differentiæ dantur: imo, & illa nō omnibus relationibus creatis conuenit, vt patet de relatione creaturæ ad Deum, vbi relatio non distinguitur à fundamento. Ad Aristotelem vero respondeo, dixisse omnem relationem consequi absolutum, quia fundamentum vere relatiuum non est: quia quidquid ad relationem supponitur, absolutum esse intelligitur: sicut tamen risibilitas consequitur rationale, & quælibet passio suum subiectum, sine eo quod distinguatur realiter ab ipso, sed tantum formaliter in via Scoti: sic stat, relationem consequi ad absolutum fundamentum, absque eo, quod à fundamento realiter distinguatur, sed tantum formaliter.

26 *Ad 2.*

Ad secundum dico, quod omnis relatio, quæ non distinguitur realiter à suo fundamento, vere est in prædicamento de ad aliquid, ad quod sufficit formalitas talis relationis: & ideo est relatio prædicamentalis. Distincta autem prædicamenta non eo realiter distinguūtur: quia distincta prædicamenta sunt: ad hoc namque sufficientissima est distinctio formalis eorum: sed realis eorum distinctio sumitur ex eo quod, vel separata possunt existere, vel vnum existere potest destructo alio. Quod actio, & passio secundum Scotum distinguantur realiter, non prouenit ex eo quod sint prædicamenta distincta: sed ex eo, quod actio est formaliter in agente, & passio formaliter est in passo, & quia agens, & passum separata realiter reperiuntur: ideo actio, & passio realiter distinguūtur. Quia ergo è contra fundamentum relationis creaturæ ad Deum, repugnat sine relatione tali existere: ideo talis relatio à suo fundamento realiter non distinguitur.

DIFFICVLTAS. XCV.

Vtrum relatio terminetur ad aliquod absolutum, vel respectiuum?

§ 1.

Proponitur status Controuersiæ, cū opinione Thomistarum quorundam.

NON minus cōtrouersa difficultas se offert circa litteram textualem, de ratione, qua terminus relationem terminat, quàm præcedentes: plura etenim Doctor tradit notatu digna, non tantum Philosophis, sed Theologis: & quia in relationibus tertij generis, quę sunt relationes non mutuæ, vt patet de scientia, & scibili, & consequenter non erit difficile ibi intelligere relationem terminari ad absolutum. Vrget specialius difficultas in relationibus mutuis eorum correlatiuorum, quæ se respiciūt mutuo: in his etenim videtur, vnum correlatiuum eadem ratione terminare relationem alterius, qua respicit ipsum. Si etenim Pater, ideo respicit filiū: quia genuit ipsum: proculdubio videtur, ideo Filiū terminare relationem Patris, quia ab eo genitus est: esse autem genitum à Patre, est ratio, ob quam filius respicit Patrē: ergo eadem ratione, qua refertur ad Patrem, terminat relationem ipsius.

Circa hanc difficultatem plures apud Thomistas sunt modi dicendi: sed prolixitati obuians eorum sententias ad vnam reducam, qua Doctori subtili aduersantur: in ea ergo conueniunt, quod scilicet, non omnis relatio creata terminatur ad absolutum. Sic tenet Capreolus in 1. distinction 30. quæstion. 1. art. solutione ad 3. Caietanus prima parte, quæst. 13. art. 7. Ferrara 2. contra gentes cap. 11. Paulus Soncinatis 5. metaph. quæstion 30. solutione ad secundum, & plures alij ex famīlia Thomistarum.

3 Quam ſententiam primo ſic probant: nam terminus cuiuslibet relationis, in tantum eſt terminus, in quantũ eſt correlatiuus: ſed in quãtum eſt correlatiuus, non eſt abſolutus, vt patuit in ſupra poſito exẽplo de Patre, & Filio: ergo in quantum terminus, non eſt abſolutus, ſed reſpectiuus.

4 Secundo, quoniam ad illud formaliter terminatur relatio, à quo ſpecificatur: ſed formaliter ſpecificatur à termino, quatenus terminus eſt relatiuus: Pater enim ita refertur ad Filium, vt paternitas à Filio ſpecificetur, nõ quatenus homo eſt, ſed quatenus filius eius eſt: alias enim nulla eſſet ratio, qui magis ſpecificaretur à Filio, quam a quocumque alio homine: ſed ratio Filij, quæ illũ à quocunque alio homine diſtinguit, eſt relatio: ergo filius ſub ratione relatiua terminat paternitatẽ, non vero ſub abſoluta.

5 Tertio, nam terminus formalis calefactionis, vt ſic, non eſt lignum, ſed calidum: ergo terminus relationis non eſt quid abſolutum: ſed reſpectiuum. Conſequentia patet à paritate rationis: quia ſicut calidum eſt id, quod per calefactionem in ligno reſultat: ſic relationis eſt, quæ in homine per generationem patris reſultat.

6 Quarto, quia ſeruitus formaliter refertur ad dominũ, in quãtũ dominũ: ergo ſeruus formaliter refertur ad dominũ, in quantum eſt dominus: ſed in quantũ eſt Dominus includit formaliter entitatem reſpectiuam, ſeu relationem: ergo relatio terminatur ad reſpectiuũ.

7 Quinto tandem: quia ſic ſe habent relationes creatæ in rebus creatis, ſicut relationes diuinæ in Deo: ſed relationes diuinæ terminantur ad reſpectiuũ, vt fatentur omnes Thoelogi: ergo ſimiliter relationes creatæ terminantur ad reſpectiuum.

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur.

8 IN oppoſitum autem eſt littera textualis in hac diſtinctione 30. q. 1. articulo 2. in corpore, vbi hæc profert. *Hoc etiam probatur generalius per omnia relatiua: quia nullum relatiuum primo refertur ad correlatiuum, vt adtermi nũ in creaturis.* Et infra hæc ſubdit, loquendo de Patre in creatis. *Impoſsibile eſt, Patrem primo referri ad filium, in quantum Filius primo refertur ad Patrem: ergo refertur primo ad illud abſolutum, quod eſt proximum fundamentum relationis.* Sequuntur Doctorem Baſolis in 1. diſt. 30. quæſt. 2. arti. 2. Vigerius, quæſt. 1. §. *reſpondeo igitur.* Tataretus ibidem, & eodem §. Rada 1. parte, controuerſia 19. art. 4. notabili. 4. Herrera in 1. diſp. 8. quæſt. 3. & omnes Scotiſtæ, dempto nemine: item Suarez 2. tomo ſuæ Metaphiſicę diſp. 47. ſect. 19. vbi aſſerit reuera ipſos Capreolum, & Soncinatem hanc Scoti ſententiam fuiſſe ſequutos, quam etiam tenet Vazquez 1. parte diſp. 156. cap. 6. nume. 24. & 25. & plures alij. *Baſsolis. Vigerius. Tataretus. Rada. Herrera. Suarez. Vazquez.*

9 Vt autem prædicta ſententia explanetur, & difficultas reſoluatur, opere prætium eſt, vt in primis certa ab incertis ſeparemus: certiſsimum eſt, de eſſentia relationis eſſe, habere terminum: & ſic implicat contradictionem relationem eſſe, & non habere terminum, ad quem referatur, nam idem ad ſe ipſum referri non poteſt. Item, eſt certum, terminos relationum mutuarum, eſſe correlatiuos eorum extremorum, quæ referuntur ad ipſos: quod patet de Patre, & Filio, qui mutuo ſe reſpiciunt: & non minus relatiuus eſt Filius, qui terminat relationem Patris, quam Pater, qui refertur ad filium. Eſt præterea certum, in termino correlatiuo duo reperiri, ſcilicet, eſſe abſolutum, & reſpectiuum: ſicut etiam in extremo ſuo correlatiuo vtrumque eſſe, abſolutum, & reſpectiuum inuenitur. Quod igitur vertitur in dubiũ in præſenti, eſt: an talis terminus terminet relationem ſui correlatiui ſub ratione relatiua, quam habet, an vero ſub ratione abſoluta? & quodnam ſit tale abſolutum, ſub cuius ratione relationem formaliter terminat? 10

Doctor ergo ad huius illuſtrationẽ prænotat vbi ſupra, termino, in quantum terminat ralationẽ, accidere, quod referatur ad ſuum correlatiuum: quia de ratione termini tantum eſt, dependentiam

dentiam,& tendentiam relationis terminare. Quare propter maiorē intelligentiam obseruat, relationi mutuæ accidere, quod sit mutua, vel non mutua: nam licet plerunque relationes prædicamentales mutuæ sint, præter illam, quæ est creaturæ ad Deum: nihilominus, hoc non habent, quatenus relationes sunt, sed quia termino aduenit ad fundamentū referri,& ipsum habere pro termino. Cuius ratio est manifesta: nam relatio realis de se essentialiter solum habet hoc, quod est esse quoddā accidēs reale creatum, respiciens formaliter terminum,& necessario supponens fundamentum. Cum autem hæc formalis ratio relationis non minus saluetur in relationibus non mutuis, dummodo termini talium relationum existāt (quod dico ad differentiam relationū mere transcendentalium, quæ etiam existunt, non existentibus terminis, vt in difficultate præcedenti notatū est) quam in relationibus mutuis: hinc manifestissime constat, relationes etiam non mutuas, vere relationes reales esse.

11 Demum est obseruandum, quod relatio,& relatiuum debent considerari, sicut albedo,& album: nam albedo solummodo dicit formam, qua aliquod subiectum est album: album vero dicit talem formam,& ipsum subiectum, quod tali forma album denominatur: huius instar modi dicendū est, quod relatio dicit formā, qua aliquod subiectum refertur: relatiuum vero dicit eandem formam,& etiam subiectū, quod tali forma relatiuum denominatur. Ex quo prouenit, quod licet relatio non habeat aliud esse, nisi esse relationis: relatiuū autem vltra esse relationi dicit illud esse absolutum, quod per relationem relatiuum denominatur. In relatiuo autem aliud est terminare,& aliud est referri: nā hoc quod est referri, dicit quandam dependentiam ad illud, ad quod refertur: ista autem dependentia quid respectiuum est: quia est habitudo ad aliud, sine qua intelligi non potest tale relatiuū. Terminare autem nullam dicit dependentiam: quinimo est esse terminum dependentiæ alterius: & per consequens terminus nullam dicit habitudinem, in quantum est terminus: & ex consequenti nullam relationem dicit, vt terminus. Quam ob rem concedimus Deum optime posse terminare relationem creaturæ ad se, absque eo quod referatur ad illas. Nam si non posset terminare relationes huiusmodi, nisi sub ratione relatiua: proculdubio sicut terminat relationes reales creaturarum, etiam referretur realiter ad creaturas: quod maximam imperfectionem inuoluit, & ideo à nemine conceditur.

Porrò est obseruandum secundo, quod in Patre, v.g. multa sunt considerāda. Primo enim concipitur homo, qui est Pater: demus, quod dicatur Petrus,& vt sic est subiectum relationis paternitatis. Secundo consideratur potentia generatiua, quæ est idē substantialiter cum illo:& hæc est fundamentū remotū relationis. Tertio cōsideratur actus præteritus generationis, qui dicitur genuisse: quodquidē genuisse est fundamentum proximū relationis paternitatis, seu ratio fundandi illam. Tunc dico cum Scoto, quod nec Petrus secundum quod est homo, nec secundum potentiam generatiuam præcisè, nec secundum talē potentiam adiunctam cū illo genuisse, dicitur relatiuus: quia ista omnia supponuntur ad relationem: sed in dicta potentia adiuncta cum illo genuisse, fundatur relatio paternitatis: quæ vt probatum est in difficultate præcedente, est quid distinctum à Petro, qui est eius subiectum, & à potentia generatiua, quæ est fundamentum remotū, & ab ipso genuisse, quod est fundamentū proximū. Ista & ergo relatio est quædam forma, quæ se sola formaliter, dat homini esse relatiuum: ita quod sicut subiectum, nondum est album, quod ad vsque informetur albedine: sic nec Petrus erit formaliter relatiuus, & Pater, quo ad vsque informatur relatione paternitatis. Constat igitur huiusmodi Petrum non esse formaliter Patrem, vt relatiuum secundum aliquam rationem fundamenti, sed sola relatione paternitatis, quæ in tali fundamento fundatur.

12

Hæc quidem, quæ de Patre sunt dicta

13

cta, sunt similiter considerandæ in filio: primo etenim ille homo, qui est Filius genitus à Petro, dicatur Paulus: iste secundum eam rationem, qua est homo præcise, non terminat relationem Petri: quia sic etiam quilibet homo illam terminaret. Secundo autem potest cõsiderari Paulus, quatenus est productus per generationem Patris, & ista generatio passiua, per quam genitus est, dicitur genitum esse Filij, & vt sic Paulus, non est quid respectiuum, sed absololutum: quia sicut potẽtia generatiua præcise, aut simul coniuncta cum genuisse, non dat Patri esse relatiuum: sed est fundamentum, in quo fundatur relatio: sic similiter substantia Pauli se sola, aut simul cum hoc, quod est genitum fuisse, non dat Filio formaliter esse respectiuum, sed absolutum. Vt sic igitur terminat Filius relationem Patris, non quatenus homo præcise est: sed quatenus homo genitus est per generationem Patris.

24 Ex quibus infertur, quod cum ista relatio, quæ est inter Patrem, & Filium, sit mutua: quando refertur Pater ad Filium, fundamentum istius relationis est potentia generatiua simul cum genuisse: terminus autem, ad quem talis relatio terminatur, est substãtia Filij, in quantum est genita à Patre: & tũc nec fundamentum ex parte Patris, nec terminus ex parte Filij dicunt relationẽ, nec rationem aliquam respectiuam, sed vtrumque est mere absolutũ. Quãdo autem è conuerso Filius refertur ad Patrem, iam refertur formaliter per relationem filiationis; fundamentũ autẽ istius relationis est substãtia filij, pro vt genita, seu cum hoc, quod est genitam fuisse à Patre: terminus autem, ad quem talis relatio terminatur, est potentia generatiua Patris, quatenus genuit Filium, seu simul cum hoc, quod est genuisse illum.

25 Ex quo secundo infertur quædam regula generalis in relatiuis mutuis, nimirũ, quod eadẽ est in vno relatiuo ratio fundandi relationem ad alterum, quæ est ratio terminandi relationem alterius ad se: & idem, quod est fundamentum, quatenus fundat relationem ad alterum correlatiuum, est etiam terminus, quatenus terminat relationem alterius correlatiui ad se: & hoc, quod in relationibus secundi generis, quæ videlicet fundantur in actione, & passione, clarius patent in relationibus primi generis, quæ fundantur in vnitate substẽtiæ, quantitatis, & qualitatis. Hæc subtiliter tradidit Doctor in citato artic. 2. his verbis, inferẽs illa pro conclusione. *Ergo in possibile est Patrẽ primo referri ad Filiũ, in quãtũ Filius primo refertur ad Patrẽ: ergo refertur primo ad illud absolutũ, quod est proximum fundamentũ relationis. Et illud absolutum est prius Patre, vt Pater est: & è cõuerso Filius, vt Filius refertur ad absolutum, quod est proximum fundamentum paternitatis, & illud absolutum prius est filiatione, & filio, in quantum Filius.* Ex quibus præclaris verbis Doctoris eandem illustrauit Doctrinam sapientissimus P. Suarez vbi supra.

Verum enim vero in relationibus nõ 26
mutuis, non potest hæc regula Scotica obseruari: quia in ipsis ratio terminandi nõ est ratio fundãdi, sicut in mutuis. Ideo enim non mutuæ dicuntur, quia scilicet, licet vnius ad aliud fit relatio: nõ tamen fit alterius ad ipsũ: vnde in relatione, qua creatura refertur ad Deũ, fundamentum est tota substantia creaturæ, prout est à Deo creata: terminus autem, qui terminat relationem huius modi, est ipsa potentia creatiua Dei, vt fuit, vel est actu creans. Quia tamẽ talis potentia est incapax fundandi aliam similem relationem in ordine ad creaturas, quia hoc derogaret summo pere infinitæ perfectioni Dei: ideo ibi est relatio non mutua: quod tamen si Deo non implicaret: tunc eadem prorsus ratio, secundum quam terminat relationes creaturarum ad se, esset ratio fundandi relationem sui ad ipsas. Itẽ scibile terminat relationem scientiæ sub ratione veri: quia cum verum sit obiectum formale nostri intellectus, hinc omnes habitus intellectuales referuntur ad sua obiecta sub ratione veri, sicut omnes habitus voluntatis respiciunt sua obiecta sub ratione boni: qui quidem terminus non iterum habet rationem fundandi aliam relationem sui ad habitum, seu ad scientiam: & ideo relatio non mutua est scientiæ ad scibilie.

Ex dictis infertur primo, quod rela 27
tio

relatio mutua nõ est vna,& eadem in vtroque extremo,sed duplex,quarum alterutra, vnum refertur ad alterum: & quælibet subiectatur, nõ in vtroq; extremo correlatiuo, sed in illo,ꝙ refertur,& prout refertur. Vnde relatio Patris ad Filiũ,nõ subiectatur in Filio, sed tantum in Patre:& itẽ relatio Filij ad Patrem, non subiectatur in Patre, sed tantum in Filio. Secundo infertur,quod illud relatiuum,quod est terminus,non est relatiuum intrinsece in quantum terminus:sed bene extrinsece,hoc est, sicut visio, quæ est forma de genere qualitatis,intrinsecè informat potentiam visiuam:extrinsece autem denominat obiectum visum:quia nihil ponit in illo,nisi quandam denominationem extrinsecã, ab hoc quod tale obiectum terminauit visionem: Sic similiter paternitas,v.g.intrinsece informat tantum modo hominem,qui est Pater,& illum formaliter Patrem intrinsece constituit in esse Patris,& relatiui:extrinsece vero denominat Filium,quatenus scilicet filius terminauit relationem Patris ad se. Constat igitur,quod ex duobus extremis, illud tantummodo, quod refertur,& prout refertur,est relatiuum intrinsece: illud autem,quod terminat & prout terminat,solum extrinsece relatiuum dici poterit. Infertur tertio, quod in relationibus mutuis,vtrunque extremum dicitur relatiuum intrinsece, non secundum eandem rationem,sed secundum diuersas:quia quod modo terminat,illico etiam refertur: in relationibus autem non mutuis, vnum tantum extremum intrinsece relatiuum dicitur,illud videlicet,quod refertur non tamen illud,quod terminat.

18 Tandem aduerte,ne terminos confundas,quod aliud est terminũ esse terminatiuum,& aliud est terminũ terminare:sicut aliud est parietem esse visibilem,& aliud est parietem terminare actum videndi:sicut enim aliud est parieti esse coloratum,& ex consequenti visibilem,& aliud actu videri:primũ quidem est illi intrinsecũ,secundũ autẽ est extrinsecum ei:sic similiter est intrinsecum termino relationis,esse terminatiuum illius, ideſt, habere aliquã rationẽ terminandi:extrinsecũ autem est illi,actu terminare relationẽ. Hoc patet in Filio,cui est intrinsecum esse substantiam genitam â Patre,secundũ quam rationem terminat relationẽ Patris ad se:quia huius modi ratio in Filio remanet,etiam mortuo Patre: extrinsecum vero est illi actualiter terminare:quia Patre defuncto,definit relatio Patris ad se,& consequenter terminatio eius.

§.3.

Statuuntur conclusiones,& soluuntur argumenta primæ sententiæ.

19 HIS præhabitis,difficultatem cõcludendo,dico primo,relationes diuinas terminari ad respectiuũ. Cõclusio est Scoti,& cõmunis,quæ probatur: nam illud terminat diuinã relationẽ, quod est realiter distinctum ab illa,& ab extremo,quod per eam realiter refertur: sed in diuinis nihil realiter est distinctum,à persona, quæ refertur, nisi alia persona relatiua,ei relatiue opposita, secundum formalissimam rationem relationis,vt constat:ergo,&c. 1.Conclus.

20 Dico secundo,quod relationes non mutuæ nõ terminãtur ad relatiuum, sed ad absolutũ.In hac conclusione nõ est magna vis controuersiæ:à pluribus enim etiam ex aduersarijs admittitur: cuius probatio est manifesta: nã relatio nõ subiectatur,nisi in extremo, ꝙ refertur: sed terminus relationis non mutuæ nõ refertur:alias enim esset relatio mutua ibi: ergo talis relatio non ad respectiuum, sed ad absolutum terminatur. 2.Conclus.

21 Dico tertio,quod omnis relatio mutua terminatur ad absolutũ, & non ad respectiuũ. Conclusio est expressa Scoti,vt visum est in litera, quæ probatur rationibus eiusdẽ :primo nãque : quia, omnis diffinitio est prior diffinito:sed relatio diffinitur per terminum: ergo terminus est prior relatione:ergo terminus,in quantũ terminus est,non est relatiuus.Consequẽtia prior patet ex Arist.7.metap.textu cõmen.4. vbi cõparat accidens ad substantiã,& 9. Metaph.textu cõm.13.vbi cõparat potentiam ad actũ;ergo si terminus,inquãtũ 3.Conclus.

ter-

terminus, refertur ad relatũ, in quantũ fuit relatum: conſequenter terminus habet illud, quod fuit relatum ante ipſum pro diffiniente, & per conſequens pro priore ſecundum diffinitionem: ergo Pater eſſet prior Filio ſecundum diffinitionem, & è conuerſo. Impoſsibile autem eſt circulũ eſſe in priritate eſſentiali quacũque: ergo impoſsibile eſt Patrem primo referri ad Filiũ, in quãtum Filius primo refertur ad Patrem: ergo refertur primo ad illud abſolutum, quod eſt proximũ fundamentum relationis: & illud abſolutum eſt prius Patre, vt Pater eſt: & è conuerſo Filius, vt Filius, refertur ad abſolutũ, quod eſt proximum fundamentum paternitatis, & illud abſolutum prius eſt filiatione, & Filio, in quantũ Filius. Hactenus Doctor verbis expreſsis, quibus efficacitèr probatur concluſio.

22. Secundo probatur ex eodem: quia in eſſentialiter ſubordinatis non poteſt eſſe circulus: non enim poteſt dici, quod animal ſit cauſa hominis, & homo cauſa animalis in eodẽ genere cauſæ: ſed ſi relatio ad relatiuum terminatur, daretur circulus in correlatiuis: ergo, &c. Probatur minor: quia tunc relatio eſſet prior relatione ſibi oppoſita: & cum relatio ſibi oppoſita diffiniatur per ſuam correlationem, erit poſterior ſua correlatione: ergo in eodẽ genere cauſæ, eſſet prior, & poſterior illa. Ad hoc argumẽtum reſpondent nõ nulli, quod in relatiuis, vnũ mutuo ab alio pendet, dependentia relatiua: & quia totũ eſſe relatiui eſt eſſe ad aliud, ideo non ſequitur inconueniens, quod detur ibi circulus: vnde Caietanus circulum in relationibus admittit.

23 Sed contra ſolutionem huiuſmodi obſtat, quod licet totum eſſe relationis ſit ad aliud tendere, non tamen requiritur, quod illud, ad quod tendit, ſecundum quod terminat eius tendentiam, etiam tendat in illud: ſaluatur enim, quod terminet ſecundum eſſe abſolutum tendentiam ſui correlatiui: quando igitur intelligi poteſt in eſſentialiter ſubordinatis, vera cauſalitas vnius ad aliud ſine circulo: profecto in omni philoſophia debet admitti. Præterea: quia omnis relatio pendet à fundamento, & à termino: ergo relatio paternitatis in creatis pendet à potentia generatiua, & à Filio. Tunc ſic, vel pendet à Filio ſecundum rationem relatiuam Filij, vel ſecundum rationem abſolutã illius. Si hoc ſecundum dixeris, intentum habetur. Si autem primum, contra: quà tunc prius intelligenda eſt ratio relatiua Filij, quam paternitas: & ex conſequenti nunquam poteſt intelligi paternitas, quin ad ipſam præintelligatur filiatio: quod eſt abſurdum. Cõſequentia autem eſt nota: quia relatio paternitatis eſſentialiter pendet à terminatione Filij, adhoc vt ſit relatio: ſed per ſe iſta ratio, qua Filius terminat paternitatem, eſt relatio: ergo ante quam relatio Patris ſit relatio, in Filio eſt relatio filiationis. Tũc ſic argumentor, & inquiro, illa relatio filiationis, quæ præconcipitur antecedẽter ad relationem Patris, ad quid terminatur? Dices, quod ad Patrem: contra, quia in Patre, vt probatũ eſt, nondum eſt relatio, per quam ſit Pater, cum relatio, per quam eſt Pater, per ſe ſit poſt filiationem: ergo Pater iam terminat relationem Filij, ſub aliqua ratione antecedẽte relationem paternitatis: quæcũque autem ratio præcedens relationem paternitatis, in homine qui eſt Pater, eſt ratio abſoluta: ergo Pater ſub ratione abſoluta terminat filiationem: ergo iã cogeris confiteri relationem mutuam ad abſolutum terminari.

Ad argumenta autem pro prima ſententia, & ad primum reſpondetur negando maiorem: nam terminus non ideo terminat, quia eſt correlatiuus, ſed quia habet rationem formalem terminandi: quæ ratio eſt abſoluta, vt dictum eſt. Ad exemplum autem de Patre, & Filio, concedo, quod Pater, ideo reſpicit Filium: quia genuit ipſum, & quod Filius ideo terminat relationem Patris: quia ab eo genitus eſt. Dico tamen, quod eſſe genitum à Patre nõ eſt ratio formalis, ob quam Filius reſpicit Patrem: licet bene ſit ratio fundamentalis relationis filiationis, qua formaliter reſpicit Patrem: & ideo non eadem ratione, qua formaliter refertur ad Patrem, terminat Patris relationem: ſed bene terminat talem relationem ſecũdum eandem rationem, quæ fundatur relationem ſui ad Patrem: quæ ratio nihi

24. *Ad argumẽta pro prima ſent. & ad 1.*

hil aliud est, quam genitum esse: quod quidem genitum esse est absolutum, & non respectiuum.

25 Ad secundū concessa maiori, minor negatur: nō enim relatio specificatur à termino, quatenus est relatiuus: nec paternitas specificatur à Filio, secūdū Ad 2. quod est formaliter Filius, nec secundum quod tantum est homo: sed specificatur à Filio, secundum eā dumtaxat rationē, qua est homo genitus ab eo. Esse autem genitum, præcise quid absolutum est, licet proxime fundet relationem: & hæc ratio satis distinguit hominem genitum à non genito, vt ille sufficienter terminet relationem paternitatis, non tamen iste.

26 Ad tertium dico, longe disparē esse rationem: nam calefactio terminatur ad calidum, tanquam ad suum effectū: Ad 3. quia terminus actionis est effectus illius. Relatio autem nihil influit in terminū: quinimo terminus est causa relationis, & quodammodo ad genus causæ formalis reducitur. Ex quo prouenit differentia vtriusque, quod calidū pendet à calefactione, relatio vero pendet à termino.

27. Ad quartum respondetur, seruitutem esse ipsam relationem serui ad Dominum, sicut paternitas est relatio Patris ad Filium. Vnde sicut paternitas Ad 4. non terminatur ad filiationem, sed ad Filium: quia formaliter vna relatio nō terminatur ad aliam: sic seruitus non terminatur ad dominium, sed ad Dominum habentem dominiū. Sicut igitur Filius præconcipitur habere rationem absolutam generationis passiuæ, qua antecedenter ad formalem filiationem terminat relationem paternitatis: sic Dominus, antecedēter ad formale dominium, præconcipitur habere rationem absolutam, qua terminat seruitutem.

28 Ad quintum respondeo, quod relationes creatæ, & diuinæ assimilantur in hoc, quod totum esse relationis est respicere terminum. Cæterum immultis alijs rationibus differunt, nimirum Ad 5. quod istæ sunt substantiæ, illæ vero accidentia. Sed esto quod assimilarentur in reliquis: etiam dicerem, quod secundum nostros conceptus possit intelligi relationes diuinas ad absolutū terminari. Ad quod suppono ex supra notatis in difficultate 86. & 87. quod hæc tria, potentia generādi, generatio actiua, & paternitas, sunt vna, & eadē formalitas ex natura rei in Patre, licet cōceptibus nostris inadæquatis à creaturis desumptis, ratione distinguantur. Similiter in Filio generatio passiua, & filiatio sunt vna, & eadem formalitas ex natura rei: licet etiam secūdum nostros conceptus inadæquatos ratione distinguātur. Dico ergo, quod secundum nostros cōceptus, prout generatio tam actiua, quam passiua distinguūtur à paternitate, & filiatione, non sunt formaliter relationes, vel saltim non concipiuntur, vt formaliter sunt relationes, sed tanquam origines à relationibus distinctæ. Hoc ergo supposito facillime posset solui hoc argumentum dicendo, paternitatem in Deo terminari ad Filium, non sub ea ratione, qua formaliter concipitur Filius: sed sub ea ratione, qua per originem præconcipitur, vt genitus à Patre: & similiter Filius formaliter refertur ad Patrem; non sub ea ratione, qua Pater est formaliter Pater, sed sub ea, qua per originem est formaliter generans. Vnde, quia origines, prout concipiuntur à relationibus distingui, concipiuntur vt absolutæ: ideò in hoc sensu posset concedi, etiam relationes diuinas terminari ad absolutū. Quia tamen origo in Deo non distinguitur formaliter à relatione: ideo communiter ab omnibus conceditur, quod relatio diuina in hoc à creata distinguitur, quod hæc ad absolutum, illa vero ad relatiuum terminatur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm possit poni in Deo respectu creaturarum aliqua ratio relationis noua causata per actum intellectus nostri, aut per actū intellectus diuini?

AD tertium sic proceditur. A
Videtur, quod sicut potest poni in Deo respectu creatu-

rā-

turarum, aliqua relatio rationis noua causata per actum intellectus nostri, sic posset per actū intellectus sui: quia si nulla potest esse relatio rationis noua in Deo per actum intellectus sui: igitur si intellectus nullius creatus esset possibilis, & Deus posset creare lapidem, non posset intelligere se creātem lapidem, sicut intellectus creatus potest intelligere ipsum createm lapidem, quando ipsum creat: consequens videtur incōueniens: quia quidquid est cognoscibile à nobis, multo magis, & ab ipso: *ergo, &c.*

B. Sed contra est: quia si in Deo posset esse noua relatio per actum intellectus sui: tunc alicuius contradictionis alterum extremum modo esset verū de aliquo, quod prius non erat verum, *vt infra patebit: ergo, &c.*

C Respondeo dicendum, quod potest in Deo poni aliqua relatio rationis, noua quidē, sicut illa, quæ causatur in eo per actum intellectus nostri considerantis ipsum: sed non noua aliqua per actum intellectus sui. *1. Conclus.* *2. Conclus.* Quod probo: quia nunquam est trānsitus à contradictorio ad contradictoriū sine mutatione, patet ex diffinitione mutationis: si enim nulla mutatio esset in aliquo, non esset ratio quare magis vnum contradictoriū posset modo esse verū, quā reliquū: nec quare magis vnum falsum, quam aliud: & ita vel ambo simul falsa, vel ambo simul vera. Sed si in Deo posset esse noua relatio per actum intellectus sui, tunc alicuius contradictionis alterum extremum modo esset verum de aliquo, quod prius non erat verum: quia modo consideratur sub aliqua ratione, sub qua prius non considerabatur ab intellectu diuino: igitur aliqua mutatio in aliquo est: non in essentia diuina, vt cognita, nec in obiecto considerato: quia nondum est. nec in aliquo, ad quod comparatur per intellectum suum, nisi ponatur mutatio in ipso intellecto comparante: quia sicut obiectū comparatum, & illud ad quod comparatur, in quantum talia, non habēt esse, nisi in intelligi: ita non possunt habere aliud esse, nec aliter esse, nisi fit aliud intelligi, vel aliter intelligi eorum: sed aliter intelligi eorum nō potest esse sine aliqua mutatione intellectus diuini: igitur nulla relatio noua potest esse in Deo per actū intellectus sui comparando essentiam suam ad aliquod tēporale. Sed istud non est propter hoc, quod relatio actualis, & potētialis sunt vna, sicut dicit prima opinio, *in primo art.* improbata: sed propter hoc, quod intellectus diuinus ad quodcumque comparat essentiam suam, in æternitate comparat, licet non pro æternitate. Vnde sicut in æternitate cōparat voluntatem suam, vt creatiuam ad animam Antichristi, vt possibilem pro aliquo tempore: ita cōparat in æternitate voluntatem suam, vt creantē, ad animam Antichristi, vt actualitet existentem pro illo nunc, pro quo vult creare illam animam: & istæ quidem sunt duæ relationes rationis, sicut duo extrema: sed vtraque æterna licet non pro æterno, & ex hoc patet responsio ad argumentum.

D Ad argumentum *igitur* respōdeo, *quod* Deus posset se cognoscere creātem lapidem pro A. sed nō posset noniter cognoscere se creantē lapidē: sed in æternitate cognoscit se pro A. creātē lapidē, sicut, in æternitate cognoscit se pro aliquo tēpore creatū lapidē: hoc est dictum, in æternitate cognoscit relationem actualem eius ad illud quod pro A. instanti erit: sicut cognoscit relationem sui quasi potentialem rationis, tamen pro aliquo tempore.

E. Breuiter ergo patet, quod nulla est relatio noua in Deo per se terminans

nans nouam relationem creaturæ, *vt art.2.dictum est*: est tamen aliqua noua per actum intellectus creati nulla autem noua per actū intellectus sui.

Expositio articuli 3. quæst. 1. distinctio.30.

POSTQVAM Doctor in ar. 2. probauerat rationes creatoris ad creaturam esse de nouo, & non tantum ex eo, quod Deus terminat relationē creaturæ ad se: hìc determinat vnde talis relatio (quæ est relatio rationis) Deo proueniat? Ad quod tria asserit in textu: primum est, talem relationem causari ab intellectu nostro: quod idē est de quocunque intellectu creato: quæ tamen causatio esse non potest, nisi per comparationem, seu actum collatiuum intellectus, vt si intellectus Angelicus cognoscat Deum creantem, & etiam cognoscat creaturam: & cognoscat Deum vt creantem, aut vt intelligentem, seu diligentem creaturam: tunc comparat Deum creantem ad rē creatam, vel Deum intelligentem ad creaturam intellectam, aut Deum amantē ad creaturam amatam. Duo igitur actus intellectus requiruntur ad causandam relationem rationis: primus est actus realis rectus, quo intellectus cognoscit vtrunque obiectum, scilicet Deum creantem, seu creatorem, & rē creatam. Secundus vero est actus collectiuus etiā realis, quo intellectus cōparit vnum ad aliud. Primus terminatur ad cognitionem passiuam, qua tā Deus, quam creatura dicūtur cognosci ab intellectu: secundus vero ad cōparationem passiuam, qua tam Deus, quam creatura dicuntur comparari, & Deus per actum intellectus creati est comparatus ad creaturas: & tā hæc comparatio passiua, quam illa passiua cognitiua sunt denominationes extrinsecæ reales, quibus Deus denominatur realiter extrinsece cognitus, realiter extrinsece cōparatus. Sed ad hæc hæc passiua cōparatio nō est relatio rationis, sed fundamētū proximū illius: nam remotum est ipsa potentia creatiua Dei: ad ipsam tamen comparationem passiuam consequitur relatio rationis: quæ quia est ens rationis, licet Deum relatione rationis ad creaturam relatum denominet: non tamē ei inhæret, sed est obiectiue in intellectu, & secundum intellectus considerationē est in Deo: & quia intellectus de nouo sic causat relationem Dei ad creaturas: ideo talis relatio de nouo dicitur esse in Deo. Secundum vero, quod dicit Doctor in textu, est, nō posse intellectum diuinum causare hanc relationem rationis. Cuius rationem reddit: quia scilicet, tunc in Deo esset mutatio, quæ ratio efficacissima est in textu, licet Lichetus §. *dico tamen*. non conuincatur ea, ad sentiendum cū Doctore, non posse intellectum diuinū huiusmodi relationem causare: quia non inconuenit (inquit ille) esse mutationem rationis in Deo. Sed re vera inconueniens esset, vt Doctor probat: eo quod ibi non tantum esset mutatio rationis, sed realis, quia diuinus intellectus de nouo cognosceret creaturā, vt ad eam suam omnipotentiam realiter compararet. Ratio ergo Doctoris maxime conuincit, vt habetur in textu. Tertium tandem quod ait, omnem scilicet, relationem causatam ab intellectu diuino, esse ab æterno, clare habetur ibi.

ARTICVLVS IIII.

Vtrū relatio noua creaturæ ad Deū necessario coexigat relationem nouam Dei ad creaturam?

AD quartum sic proceditur. A
Videtur, quod noua relatio creaturæ ad Deū necessario coexigat relationē nouā Dei ad creaturā: quia 5. de Trin. c. 19. sicut nō potest esse seruus, quin habeat dominū: sic nec dominus, quin habeat seruum: ergo.

Secundo præterea, quia correlatiua sunt simul natura. B

Tertio præterea: quia ibi. 27. si minus potest nulla mutatione toties dici tale: quanto facilius de illa substantia.

Sed

C Sed contra sunt argumenta pro improbatione, huius opinionis tertiæ.

D Respondeo dicendum, quod iste articulus satis resoluitur in secũdo, ibique solutiones argumentorum possunt sumi: nunc autem, quod solum modo secundum respectus distingũ tur, ista tria in Deo, & sunt respectus secundum rationem differentes solum modo nomine, creatiuus, creatu rus, creans: creatio illa terminans cõuenit ei ex tempore: quia creatura refertur ad ipsum: tamen creans actiuè potius est ratio creari passiue, quam è conuerso, scilicet principaliter prius. Relationes autem, quas cõsueuerunt dicere de Deo ex tempore, nõ sunt proprie relationes: sed nomi genes æternarum relationum.

Expositio articuli 4. quæstio. 1. distinct. 30.

ARTICVLVS iste est appendix secundi, in eoque resoluitur. Sed brebiter ad titulum eius respondetur, relationem creaturæ ad Deum, non pendere ex relatione Dei ad se, quod patet: nam vt ibi Doctor demonstrat, & nos de eius mente supra ostendimus in diffi. 96. terminus relationis non eam terminat sub ratione aliqua respectiua, sed sub absoluta, adhuc in relationibus mutuis. Non igitur postulat relatio creaturæ ad Deum relationẽ aliquam ex parte Dei, vt terminantis: & ex consequenti licet in Deo respectu creaturarũ, nulla relatio etiã rationis esset: proculdubio creaturæ realiter referentur ad illum.

QVÆSTIO SECVNDA.

De relatione reali, qualiter negetur conuenire Deo ad extra.

CIRCA distinctionem trigesimam, secundò quæro, si possit esse aliqua relatio realis Dei ad extra. Circa quod quæruntur tria.

¶ Primo. Vtrum Dei ad creaturam possit esse aliqua relatio realis?

¶ Secundo. Vtrum ratio ob quam negatur Dei ad creaturam relatio realis, accipiatur ex necessitate, & simplicitate Dei?

¶ Tertio. Vtrum relationes, quæ fundantur in actione, & passione, seu in quantitate, sint in Deo reales, sicut in creaturis, & quæ sit ratio disparitatis?

ARTICVLVS I.

Vtrum Dei ad creaturam possit esse aliqua relatio realis?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Dei ad creaturã possit esse aliqua relatio realis: quia Deus ex natura rei absque consideratione intellectus, est omnipotens, omniscienst *Ista enim ponuntur in Deo sicut attributa dicentia in Deo perfectionem simpliciter, & omne tale est ibi secundum naturam rei, secundum Anselmum Monol. cap. 15. ista autem dicunt respectum potentiæ, & scibilitatis ad creaturam possibilem, & scibilem: ergo, &c.* A

Secundo prætorea, Deus ab æterno voluit omne creandum esse pro eo tempore, pro quo postea creauit: & istud velle creaturam, includit B.

includit relationem, & tamen non rationis. Probo: quia prius potuit velle creaturam, quàm intelligere, se velle eam non enim: quia sciuit creaturam ideò voluit eam: sed quia voluit eam: ideò sciuit, eam se velle: igitur ista relatio æterna voluntatis Dei ad creaturam est realis: quia non est in voluntate per actum alicuius intellectus comparantis eam ad aliquid.

C. Tertiò præterea: sicut forma est in aliquo, ita denominat illud: ergo si non est aliqua relatio in Deo ad creaturam realiter, Deus non est realiter creator creaturæ, quod videtur absurdum.

D. Sed contra est: quia relatio realis est ad terminum secundum esse eius reale: sed terminus necessario exigitur ad relationem realem: ergo si Deus referatur realiter ad creaturam, creatura secundum esse reale fuisset æterna.

F. Respondeo dicendum, quod secũdum vnam viam ad istam quæstionem dicitur, quod nulla relatio realis potest esse realis: quia relatio realis non est sine ordine: Deus autem non habet ordinem realem ad creaturam: quia est supra ordinem. Ratio autem, quæ ponitur ad istam quæstionem, videtur petere principium, & peccare secundum consequens. Probatio primi: quia cum Deus sit prior creatura multiplici primitate, videtur habere ordinem ad ipsam extendendo nomen ordinis: non tantum, quod dicatur posterius ordinatum ad prius: sed etiam prius ad posterius: licèt alio modo, oporteret etiam probare, quod ista prioritas, quæ potest dici ordo, non sit relatio realis in Deo: hoc ergo petitur. Nec sequitur ex isto noto, quod Deus sit supra ordinem, accipiendo ordinem prout est posteriorum ordinatorum ad prius: ex hoc enim non sequitur, nisi quod non sit posterius: & ex hoc non sequitur, quod non habeat ordinem generaliter accipiendo ordinem. Quod autem ratio peccet, secundum consequens, probatur: quia ordo est quædam relatio, non autem omnis relatio est ordo: quia non relatio communis fundata super vnum (vt relationes æquiparantiæ) sed solæ relationes disquiparantiæ dicunt ordinem: arguendo igitur à negatione ordinis ad negationem relationis, est arguere, ac si primo negaretur antecedens, & postea consequenes.

D. Tho. 1. p. q. 12. a. 7.

Ad quæstionem *igitur*, respõdeo, quod in Deo non est aliqua relatio realis ad creaturam, cuius ratio *in sequenti articulo patefiet.* F. *Conclusio.* G.

Ad primum, & secundum argumentum, *scilicet* ad illa de omnipotentia, & omniscientia, & voluntate futurorum, dicetur in quæstionibus specialibus de eis. *Distin. 35. & 39.*

Ad tertium dico, quod realitas aliquando determinat compositionem: & tunc nihil aliud est, quàm illud, quod verè est: sicut ista propositio est realiter falsa, hoc est, verè est falsa. Si autem realitas accipiatur, prout determinat prædicatum, hoc est Deus est Dominus realiter, licèt possit negari ista: tamen potest concedi secũdum quod Dominus non notat relationem aliquam in Deo: sed quia Deus terminat relationem realem creaturarum, vt dictũ est in quæst. præced. artic. 2. H.

Expositio art. 1. quæst. 2. distinctionis 30.

ET si non desint, qui posuerint relationes reales in Deo (vt in difficultate sequenti patebit) in ordine ad creaturas: Doctor tamẽ hîc principaliter oppositum concludit, quæ cõclusio est communis, quam vt veram, & indubitabilẽ Doctor supponit: inuestigat tamen rationem quare relatio realis Deo conuenire non possit, quod quidem in tribus articulis huius quæstionis inquirit. Hic autem rationem D. Thomæ proponit, & confutat: nam D. Thomas prima parte quæst. 13. art. 7. inquit: ideò Dei ad creaturas, relationem realem non esse: quia relatio realis non est sine ordine: quia autem Deus supra ordinem est, ideò ordinem realem ad creaturas non habet. Huius ergo rationis insufficientiam Doctor ibi ostendit, & concludit tales relationes in Deo non esse, sed ad id probandum, ostẽsa insufficientia rationis prædictæ propriam differt ad sequentem articulum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ratio, ob quam negatur Dei ad creaturam relatio realis, accipiatur ex necessitate, & simplicitate Dei?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod ratio, ob quam negatur Dei ad creaturam relatio realis, non accipiatur ex necessitate, & simplicitate Dei: quia licet creatura non sit necessaria in esse actuali, tamen videtur, quod aliquid aliud à Deo, sit necessarium in esse possibili: quia ipsum possibile esse, est necessarium. Quod probatur ex hoc: quia prius videtur aliquid possibile possibilitate eius in se, quam sit relatio Dei ad ipsum: nam non est potentia in aliquo nisi respectu possibilis in se: quia ad impossibile non est potentia: ergo relatio Dei ad creaturam, in quantum possibilis, non coexigit aliquid, quod non sit sub illa ratione necessarium, sub qua terminat: relatio autem in Deo ad creaturam, vt possibilem, videtur esse eadem cum relatione eius ad creaturã, vt actualem: per illam deductionem positam pro prima opinione ad primã quæstionem articulo secundo: ergo aliqua relatio potest esse in Deo, stante necessitate eius, simpliciter ad creaturam, vt possibilem, & eadem etiã est cum illa, quæ est ad creaturam, vt actualem.

B. Secundò præterea: si creatura habet esse quidditatiuum, in quantum habet esse exemplatum, secundum vnam positionem, istud esse creaturæ est necessarium: igitur respectus ad istud, vt sic, videtur posse esse absque possibilitate cum eo, in quo est talis respectus.

C. Tertiò præterea: si Philosophi ponerent aliqua alia à Deo producta, esse formaliter necessaria, sicut dictum est de opinione Aristotel. & Auicen. distinct. tertia, tunc respectus ad illa posset esse in Deo: & tamen staret necessitas entitatis diuinæ: quia terminus illius relationis, secundum illam positionem, esset necessarius: ergo tenendo positionem Philosophorum, quæ tamen negabat in Deo relationem realem, ista ratio ex simplicitate, & necessitate Dei, non videtur sufficiens.

D. Quarto præterea: quia tunc in nulla creatura magis necessaria deberet poni respectus realis ad mi-

ad minus necessarium: & ita in corporibus cælestibus, non esset respectus realis ad generabilia, & corruptibilia.

E. Sed contra est: quia potest dici vna responsione generali ad omnes istas instantias, quod necessarium ex se (vt dictum est) non mutabitur secundum aliquid perfectè idem sibi quacunque positione possibili, vel impossibili, facta circa illud à se: quidquid autem est in perfectè simplici, est idem sibi perfectè: ergo necessarium ex se: igitur nihil in eo potest mutari, quocunque posito circa aliud: nihil autem aliud à Deo est ita formaliter necessarium, sicut Deus, secundum quamcunque positionem: quia si poneretur aliquid formaliter necessarium, non tamen sine omni dependentia ad primum necessarium: & ideò non esset ex se necessarium: igitur nulla realitas in primo mutabitur propter positionem quamcunque circa tale, quod non est ex se formaliter necessarium: fieret autem muratio in aliqua realitate in primo propter mutationem in alio à se, si aliqua realitas in ipso necessario exigeret aliquid aliud á se.

F. Respondeo dicendum, quod *secundum vnam viam* dicitur, quod illud, quod realiter est relatū, est realiter ordinatum: sicut albedo, quæ est ratio referendi realiter ad aliam albedinem, est naturaliter ordinata ad illam pro eo, quod aliquam perfectionem habet ista ab illa, in quantum in eis est natura perfectior simul, quàm in altera eorum: omne autem naturaliter ordinatum dependet ab illo, ad quod naturaliter ordinatur, pro quanto scilicet expectat illud, vt in ipso fundetur relatio ad illud. Etsi dependet: igitur est mutabile, quia dependentia non est sine potentialitate ad actum: etsi mutabile igitur imperfectum: quia carens illa perfectione ad quam mutatur: etsi imperfectum: igitur limitatum: ergo de primo ad vltimum, si realiter relatum, ergo limitatum. Et quia posset instari, quod tunc non esset relatio realis in diuinis: ideò videtur exponenda illa positio de relato ad aliud in natura, si enim realiter refertur ad aliquid, quod est idem realiter ei in natura, non oportet, quod dependeat: quia non expectat aliquid aliud á se in natura, vt in eo fundetur relatio. Tunc ad propositum: cum Deus non sit ens imperfectum, nec mutabile, & dependens, &c. ergo non est relatum ad aliquid aliud à se: igitur non relatum ad creaturam.

Henr. quod lib. 3. q. 4.

Contra istud, quod dicitur, videtur, quod illa quæ ponuntur ibi connexa, non sunt connexa? primo quidem si ponantur duo albissima, illa erunt perfectè similia, quod declaratur: quia modo perfecta similitudo, & æqualitas est in personis diuinis, non enim tollitur perfectio similitudinis propter infinitatem fundamenti: sed magis ponitur: etsi per impossibile essent ibi duo fundamenta, esset similitudo realis: quia modo non ponitur esse rationis, nisi propter intellectum comparantem illam magnitudinem vnam: igitur ibi esset perfectissima similitudo: & tamen neutrum ordinaretur ad alterum, vt à quo haberet perfectionem.

G.

Si dicas, quod natura specifica est perfectior in ambobus, quã in vno: hoc non est vnum ordinari ad alterum: quia vnum illorum nullam perfectionem dicit, vel habet per hoc, quod ad alterum est, siue natura sit perfectius in ambobus simul, quàm in altero, siue non. Nec sequitur,

H.

adinuicem ordinantur: ergo dependent adinuicem. Præterea, agens creatum naturale non agit in quantum est imperfectum: quia agere sibi competit, in quantum est in actu, & agere summe competit Deo, & tamen agens tale, in quantum sic agẽs, ponitur habere relationem realem ad creaturam: ergo non est necesse realiter omne relatum, in quantum tale, dependere ad aliud: licet enim agens creatum ad aliquid dependeat, non tamen videtur dependere ad aliquid, quod causat: nec in quantum potentiale, & mutabile, & imperfectum causat illud, sed in quantum est in actu: tunc sic agens agit in quantum perfectum: sed in quantum est agens refertur: ergo non omne relatum in quantum realiter relatum est imperfectum. Præterea, si A. in quantum refertur ad B. realiter dependet ad ipsum, pari ratione si relationes mutuæ sint, B. dependet ab A. in quantum refertur ad A. & ita erit dependentia circularis A. ad B. & è conuerso, quod videtur impossibile: quia in nullo ordine essentiali est circulus.

I. *Conclusio.* Ad quæstionem *ergo* respondeo, quod ratio, *qua* in Deo non est aliqua relatio realis ad creaturam, accipitur ex perfecta simplicitate, & ex perfecta necessitate Dei: quia enim Deus perfectè simplex est, nihil est in eo, quod non est ipsum secundum Augustinum vndecimo de ciuitate Dei, cap.te decimo, Deus simplex est: quia hoc est, quod habet. Perfecta eius necessitas est etiam ex se esse tale, quod non variabitur eius esse, quantumque hypotesi posita, siue possibili, siue impossibili circa aliud à se: quia alia non sunt necessaria, nisi secundario. Ex his sequitur, quod nulla est in eo realitas, quæ necessario coexigat aliud à se, tale enim necessario coexigens aliud à Deo, non esset, illo coexacto non existente, & perconsequens aliquid, quod perfectè esset idem Deo, non esset aliquo alio, quod non est necessarium ex se non existente: relatio autem realis, de necessitate coexigit ad suum esse, terminum illius relationis: ergo in Deo non est relatio realis ad aliud à se. Contra istam rationem instatur *per argumenta posita in principio articuli*, ad quæ quã uis ad duo prima posset responderi quasi vno modo, *tamen seorsum ad singulum respondetur.*

Ad primum argumentum, per hoc, quod esse possibile non est, nisi esse secundum quid: quia hoc esse non est simpliciter esse creaturæ, sicut nec esse hominem mortuum, est esse hominis: nec plus ponit ista possibilitas in re, quàm cæcitas in oculo: & ideò ad ipsum non est aliqua relatio simpliciter, sed secundum quid. K.

Ad secundum simili modo, quod esse exemplatum, non est esse, nisi secundum quid: & ideò habitudo ad talem terminum, non esset realis, sicut, & terminus non est realis, tamen potest dici vna responsione generali ad omnes istas instantias, *quæ posita est supra §. sed contra*, & tunc ad duas instantias de possibili, & esse quidditatiuo secundum aliquos, respondeo primo, non est illud possibile esse ex se necessarium in tali esse, etiam necessarium formaliter possibile, sicut est Deus ex se actus necessarius. Secundo, nec illæ quidditates sunt ex se necessariæ in illo esse quidditatiuo, sed per participationem sunt sic necessariæ entitates. L.

Ad tertium respondeo, quod nec creaturæ si essent necessariæ (secundũ Philosophos) essẽt itanecessariæ sicut primum, sed haberent necessitatem tantum participatam: & ideò po- M.

nere

nere ista non esse, nõ esset ita impossibile, sicut aliquam realitatem in primo, nõ esse: quia nullum istorum est ita necessarium, sicut quæcũque realitas in primo est necessaria: & tunc ex hac positione minus impossibili videretur sequi impossibilius: non igitur ad aliquod istorum, licet aliquo modo necessarium, non tamen ex se necessarium, posset esse aliqua realitas in necessario ex se necessario.

N. Ad quartum dico, quod si aliquid magis necessarium esset etiam summe simplex, hoc est non compositum, nec componibile cum aliqua realitate non necessaria, magis necessarium non haberet relationem ex se ad minus necessarium. Sed istud suppositum est falsum: quia licet aliquod corpus cæleste poneretur in se esse necessarium: non tamen est sic in se simplex, quin possit recipere aliquam realitatem nõ necessariam aliam à se: Deus autem sicut non potest esse illud, quod est in ordine ad aliquod non ex se necessarium: ita non potest habere aliquã realitatem in ordine ad aliquid tale; quia illa realitas esset ipsum.

Expositio art. 2. quæst. 2. distinctionis 30.

SATIS late proponit Doctor in hoc articulo opinionem Henrici quodlibeto 3. quæst. 4. dicentis, rationẽ, ob quam negatur relationes reales ad creaturas esse in Deo, non aliam esse, nisi quia quod dicitur realiter esse relatum, debet esse realiter ordinatum, &c. quam rationem ibi triplici efficacissimo argumento improbat Doctor: & deinceps propriam rationem reddit, qua ostendit relationes reales Deo non posse competere, quæ non aliunde accipitur, nisi ex perfecta simplicitate, & ex perfecta necessitate Dei, & infra in difficultate sequenti amplius patefiet.

ARTICVLVS III.

Utrum relationes, quæ fundantur in actione, & passione, seu in quantitate, sint in Deo reales sicut in creaturis, & quæ sit ratio disparitatis?

AD tertium sic proceditur, videtur, quod relationes, quæ fundantur in actione, & passione, seu in quantitate sint in Deo reales, sicut in creaturis: quia *omnes* relationes secundi modi relativorũ, quæ scilicet fundantur super actionem, & passionem, sunt relationes reales: sed tales sunt relationes Dei ad creaturam, in quantũ causa, & effectus, *sicut etiam* relationes reales, quæ fundantur super actionem, & passionem in creaturis: igitur. Si dicas, non est verum, nisi in agentibus naturalibus. Contra, igitur voluntas creata non habebit habitudinem realem ad suum effectum. A.

Secũdo prẽterea, relationes fundatæ super quantitatẽ, sunt relationes reales, ex 5. Metaph. igitur inæquali tas Dei ad creaturã fũdata super quãtitatẽ virtutis in Deo, scilicet super infinitatẽ magnitudinis eius, & super magnitudinem virtutis in creatura, scilicet magnitudinem finitã creaturæ, erit relatio realis. B. *Text. com.* 20.

Tertio prætereа, & confirmatur *præcedens* ratio: quia magnitudo in Deo, est fundamentum æqualitatis, quę est realis relatio adintra: magnitudo etiam creaturæ est fundamentũ relationis realis in creatura: ergo comparando hãc magnitudinem ad illam, videtur, quod habitudo fundata super ista sit realis. C.

Sed contra est: quia Aug. lib. 1. de Trinitate cap. 16. sic ait, quod tem- D.

poraliter dici incipit Deus (quod antea non dicebatur) manifeſtum eſt relatiuè dici: non tamen ſecundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, &c.

E. Reſpondeo dicendum, quod quãuis ad hoc nõ oporteat dicere propter ſolutionem *primi* argumenti, ſed *quia* quæres, quare igitur ſunt relationes reales, quæ fundantur ſuper actionem, & paſsionem in creaturis, *& non in Deo? ideò* dicitur, quod hoc eſt verum in agente naturali: quia ipſum ex forma, quam habet, qua eſt actiuũ, naturaliter inclinatur ad effectus producendum: agens autem liberum non inclinatur naturaliter ex forma, quam habet ad effectum: & tunc cum Deus ſit agens libere: ſequitur, vt ſuper actionem eius non fundetur relatio realis.

F. Contra *iſtam opinionem ſic*, Philoſophi concedentes, Deum naturali neceſsitate producere res, negauerunt relationem realem eius ad iſtas: igitur iſta nõ eſt præciſe ratio. Similiter voluntas creata videtur habere relationem realem ad ſuum effectũ, licet ſit libera. Præterea, effectus ex ſua entitate abſoluta non neceſſario requirit cauſam proximam, poſſet enim eadẽ entitas abſoluta eſſe cauſa prima: & tamen quando producitur à cauſa proxima, habet relationẽ realem ad eam: igitur non requiritur ad relationem realem, quod natura illa abſoluta, in qua fundatur, neceſſariò inclinetur ex ſe ad alterum extremum. Item, ſimilitudo eſt relatio in duobus albis: & tamen vnum album præciſe conſideratum, in quantum eſt fundamentum relationis, non videtur inclinari ex entitate ſua, quæ eſt fundamentum ad alterum extremum: maximè ſumma albedo (ſi ponatur) ad aliam albedinem ſummam: ſicut argutum fuit contra primam opinionem ad iſtam quæſtionem *in ſecundo articulo*. Item ſi ante relationem realem ſemper oporteret ponere in fundamento inclinationem naturalem ad terminũ: ergo ante relationem realem ſemper eſſet relatio realis: quia illa inclinatio ad alterum eſt relatio realis.

G. Ideò breuiter, non videtur neceſſarium ad relationem realem, quod illud abſolutum, quod eſt fundamẽtum vnius relationis, ex ſe inclinetur ad reliquum: ſed quod ipſum ſit tale, quod poſito termino, ad ipſum, & ad terminum ſequatur talis habitudo ex natura extremorũ: ita quod quæcunque relatio, quæ conſequitur ad extrema ex natura rei, ſine conſideratione intellectus, eſt realis. Et tunc dico, quod omne agens creatum tale eſt, quod poſito aliquo effectu per ipſum, ad ipſum, vt ad fundamentum, & ad productum, vt ad terminum, conſequitur habitudo eorum. Ratio autẽ quare relatio actualiter conſequitur: non eſt niſi quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud: ſicut ratio quare albedine, & albedine poſitis, ſequitur relatio realis actualis, vt ſimilitudo? non eſt niſi hæc albedo, & illa albedo: & binarium, & ternarium poſita in eſſe: quare ſequitur maioritas, & minoritas realis? non eſt alia ratio, niſi quia hic eſt binarius, & ille ternarius. Sed tamẽ ratio potentialitatis in fundamento, & termino: quare ſcilicet poſsit ſequi habitudo realis? poſſet aſsignari generalis: quæcunque enim poſſunt eſſe partes alicuius totius, ſunt poſsibilia ad formam illius totius: & ſicut etiam ſi poſſunt eſſe partes alicuius totius vnius per ſe, poſſunt eſſe poſsibilia ad formam illam, qua illud eſt per ſe vnum: ſicut patet de partibus corporis organici, reſpectu animæ intellectiuæ: & etiam ſi poſſunt eſſe partes alicuius vnius, vnitate ordinis: poſſunt eſſe poſsibilia ad for-

formam vnius, à qua illud totum est vnum secundum ordinem.

H. Et generaliter patet propositio de potentialitate partium secundum Philosophum 5. Metaphys. vbi vult, quod partes sunt sicut materia respectu totius: omnia autem creata, quia limitata, nata sunt esse partes totius vniuersi, quod est vnum vnitate ordinis, sicut patet 12. Metaph. & ideò quodlibet illorum est potentiale ad istam formam, quæ est ordo, vt scilicet habeat ordinem ad aliam partē, & hoc vel secundum eminentiam, quæ est in naturis diuersis in vniuerso, vel secundum æqualitatem: quia ordo est partium, dispariuḿque rerum dispositio secundum Augustin. de ciuitate Dei, vel secundum actionem, & passionem, siue secundū causalitatem: & ideò quodcunque agēs creatum producens effectum, ita potentiale est: quia ad ipsum, & ad effectum productum potest consequi ordo inter ea: non sic inter agens illimitatum, & eius effectum: quia illud agens non est potentiale, nec ad formam absolutam, nec ad relationem, propter eius infinitatem: *qua etiam ratione*, nulla potest esse habitudo realis quanti infiniti ad quantum finitum.

Tex.com.3. & 4. & 30.

Tex. co. 19 & 13.

Lib. 19. ca. 13.

Conclusio.

I. Ad primum argumētum de actione, & passione per idem potest respōderi: sed quia ad hoc non oporteat dicere: propter solutionem argumēti *respondeo*, quod Philosophus non dicit, quod illæ relationes sunt reales, sed dicit, quod sunt mutuæ, & in hoc præcisè distinguuntur primus, & secundus modus relationis, à tertio modo relationis: sed quidquid sit de dicto Philosophi, propositio non est vniuersaliter vera, vel de se vera, quando agens est ex se necessarium, & perfectè simplex: sicut dictū fuit in soluendo *secundum art.*

K. Ad secundum argumentum de quantitate potest responderi per idē *quod dictum est*: quia omne creatum quantum siue mole, siue virtute ad aliud quātum creatum, etsi ponatur posse habere relationē realem, propter hoc, quod ordo à quo est vnitas vniuersi, potest attendi inter talia quanta: tamen quanti infiniti, nulla potest esse habitudo realis, ad quantum finitum.

Ad tertium, cum confirmatur *præcedens* ratio per æqualitatem, qui est respectus realis in diuinis, & in creaturis: respondeo, quod in diuinis est realis: quia est habitudo ex natura rei, & stat cum simplicitate, & necessitate relati in se: quia non refertur ad aliud, quod est minus necessariū formaliter, quam ipsum relatum: in creaturis est relatio realis, propter ipsam potentialitatem quantorū relatorum: comparando autem illam quantitatem infinitam ad istam finitam, vtraque ratio destruitur: quia iam tollitur simplicitas, & necessitas in vno extremo, & tollitur potentialitas, & limitatio in altero. L.

Expositio art. 3. quæst. 2. distinctionis 30.

ID, quod generaliter de relatione concluserat Doctor in duobus præcedentibus articulis, modo specialiter inuestigat, rationem videlicet inquirēdo, quare in creaturis, relationes quæ fundantur in actione, & passione, & in quantitate, sint reales, non verò in Deo? circa quod postquam alienā sententiam refert, & illam impugnat: propriam tradit ostendens primo, quare inter agens creatum & eius effectum, consurgat habitudo realis. Et secundo deducens, quare possit sequi talis habitudo. Et tertio probans in Deo competere nō posse: circa quæ omnia, quia satis perspicue habētur in textu: nō se offert aliqua specialis difficultas nobis hic exponenda: & si quæ est, in difficultate sequenti patet it.

DIFFICVLT. XCVII.

Vtrùm aliqua noua relatio ex natura rei conueniat Deo ex tempore?

§. 1.

Proponitur ſtatus controuerſia cum ſententia Nominalium.

I *Prima ſententia.*



TSi ætate Doctorum veterũ fuerit ita plana veritas huius difficultatis, vt nullus poſuerit relationem realem aliquam de nouo, Deo aduenire in tempore, in ordine ad creaturas, ſi quidem in præcedẽti quæſtione, in qua Scotus illam pertractat, nullius meminerit, qui á veritate communi dicederet, ſed tantummodo quorundam rationes, illam probantes, confutat: nihilominus Nominales plerique poſuerunt relationes reales in Deo, eíque aduenientes ex tempore, abſque aliqua ſui mutatione, quibus Deus ad creaturas refertur, illis videlicet, quibus dicitur realiter creator, & Dominus. Quæ ſententia patronos habet OKamum in 1. diſt. 30. quæſt. 5. Marſilium in 1. quæſt. 32. Gabrielem in eodem primo diſt. 30. quæſt. 5. & Gregorium diſt. 28. quæſt. 3. quos quaſi ſequitur Palacios in primo diſt. 30. diſput. 1. hanc autem ſententiã probant primo: quia relatio rationis nõ poteſt aliquid denominare realiter tale: ſed Deus eſt realiter creator, & realiter Dominus: ergo relatio dominij, & creationis ſunt reales in eo: non autem eſt talis relatio, niſi poſtquam in tempore creauit, & habuit ſeruos, reſpectu quorum diceretur creator, & Dominus: ergo ei in tempore aduenium relationes huiuſmodi reales.

Okam. Marſilius. Gabriel. Gregorius. Palacios.

2 Secundò probatur, quia illa eſt relatio realis, quæ habet extrema realia, & realiter diſtincta, & fundamentum reale, conſurgitque ſecluſa quacunque operatione intellectus: ſed relatio Dei ad creaturas eſt inter extrema realia, & cõſurgit ſecluſa operatione intellectus, & habet fundamentum reale: ergo eſt realis. Probatur minor: nam maior eſt certa, quia relatio dominij ex parte Dei fundatur in actione diuina creatiua nũdi, ex parte autem creaturæ, fundatur in creatione paſsiua, & vtrumque horum fundamentorum eſt reale, & vnum ab altero extremo realiter diſtinguitur: & ſecluſa quacunque operatione intellectus creatura habet eſſe à Deo per creationem, Deus autẽ tribuit eſſe per creationem, ex quibus cõſurgit relatio in Deo: ergo talis relatio eſt realis.

Tertiò: quia producentis ad productum eſt vera relatio realis, non enim aliunde capitur relationes diuinas eſſe reales, niſi quia ſunt relationes producentis ad productum: ſed Deus realiter eſt producens creaturas: & ipſæ creaturæ realiter producuntur à Deo: ergo Dei ad creaturas eſt vera relatio realis. 3

§. 2.

Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur.

IN oppoſitum autem eſt litera textualis in art. 1. quæſt. 2. huius diſt. 30. vbi Doctor hæc aſſerit, *ad quæſtionem igitur reſpondeo, quod in Deo non eſt aliqua relatio realis ad creaturam*, quem ſequuntur omnes Scotiſtæ, item eſt ſententia Diui Thomæ prima parte quæſt. 13. art. 7. quem etiam omnes Thomiſtæ ſequuntur, & præter citatos Nominales non eſt, qui inter catholicos ab hac ſententia dicedat, quæ eſt D. Bonauenturæ in 1. diſt. 30. quæſt. 3. & Ricardi quæſt. 4. & Henrici quodlib. 9. quæſt. 1. 4 *Vera Scoti ſententia.* *D. Thom.* *D. Bonau. Ricardus. Henricus.*

Vt autem præſens difficultas reſoluatur, operæprecium erit, qualiter relatio rationis reſultet, prænotare, & etiam qualiter relatio realis, etiam realiter terminum denominet, obſeruare: ad cuius intel- 5

intelligentiam, est maximè considerandum, quod vt supra tetigi in difficultate præcedente, etsi terminus non termi net sub ratione relatiui, eo quod non relatiuus præsupponitur ad suum correlatiuum, vt ibi probaui: nihilominus â relatione reali sui correlatiui, eo quod illam terminat, denominatur extrinsecè realiter talis. Hoc patet in exemplo de obiecto viso: quamuis etenim visio nihil reale ponat in re visa, quod realiter ei inhæreat: ponit nihilominus denominationem realem extrinsecam, qua realiter denominatur res visa. Hæc autem denominatio realis extrinseca ex eo oritur: quia ad esse reale in causa, sequitur esse reale in effectu. Vnde quia causa dupliciter potest dici causa, etiam duplex esse potest ad illam consequi in effectu: causa igitur (loquendo de effectiua) per duplicem actionem po test dici causa: vel quidem per actionē transeuntem, vel per immanētem, quæ potius dicitur operatio, quàm actio. Per primam igitur est causa principiū productiuum, per secundam vero operatiuum: ad principium autem productiuum ex parte causæ, sequitur in effectu, nouum esse reale productum, & hoc tale esse reale, vel est substantia, vel accidens: si primum, per se existit in rerum natura, respiciens illud principium à quo procedit: si vero secundum, necessario inhæret alicui subiecto, quod realiter intrinsecè denominat tale, & ipsum mutat realiter de non esse ad tale esse. Ratio autem quare ad principium productiuum reale, necessario sequitur, effectus realis, seu productum reale, est: quia cum tale principium agat per veram actionem realem, & actio realis no ua necessario terminetur ad terminum realem de nouo habentem esse per ipsam, hinc est, quod ad principium productiuum reale per actionem realem ex parte causæ, sequitur nouum esse reale productum ex parte effectus.

Realem productionē ex parte causæ cōsequitur reale productū ex parte effectus: sed ad realem operationem ex parte operātis, consequitur vera denominatio extrinseca ex parte obiecti.

6. Verum enim vero principium operatiuum, vt sic non est verè effectiuum, nec verè agit per veram actionem realem de genere actionis, sed per operationem tendit in obiectum, ad quod terminatur talis operatio: quia tamē huius modi operatio est realis, necessario ei correspondet ex parte obiecti aliquod esse reale: sed quia operatio realis, non est realis actio productiua: ideò non terminatur ad aliquod esse reale de nouo productum, quod sit substantia, vel accidens: & vt accidens reale realiter inhæreat obiecto, aut illud intrinsecè denominet, aut intrinsecè mutet: sed est quodam esse reale extrinsecum, quod extrinsecè denominat obiectum realiter tale. Dicitur autē esse reale, non eo quod sit substantia, vel accidens intra spheram entis realis: sed quia est quædam denominatio, quæ habet esse, cessante omni opere intellectus, & extrinsecè denominet obiectum, seu terminum: quia eadem prorsus ratione, & necessitate, qua intellectus, verbi gratia, per operationem realem, realiter intelligit obiectum, eadem prorsus denominatur obiectum realiter intellectum ab eo: quia sicut ad productionem realem, consequitur reale productum, sic ad operationem realem, consequitur realiter denominatum. Hæc tamen denominatio realis differt ab alijs denominationibus rationis: quia denominatio rationis est quid derelictum, & resultans ex operatione reali principij, & ex denominatione reali obiecti, seu termini, quod patet in secundis intentionibus, quæ secundo intentionaliter denominant primas.

7. Vt autem, hæc omnia per exemplum facilius perpendantur, pono v.g. intellectum fabricantem secundam intentionem, quæ est relatio rationis, & secundū rationem denominat: nam intellectus considerat Petrum, & Ioannem, quos actu suo directo, seu actu operatiuo intelligendi, directè intelligit: hic actus, seu hæc operatio ex parte intellectus, realis est: quia tamen operatio, vt operatio non est productiua: ideò nihil reale de nouo productum ponit in Petro, & Ioanne: sed tantùm in eis ponit denominationem realem extrinsecā, qua realiter extrinsecè denominantur intellecti, & cogniti: & hæc operatio intellectus pertinet ad primam, quæ â Dialecticis dicitur simplicium apprehensio, hæc ergo operatio sistit in simplici obiectorum cognitione. Rursus intellectus per secundam operationem, quæ

Qualiter intellectus fabricet secundam intentionē, quæ est relatio rationis.

dicitur cõpositio, seu diuisio: & ab Scoto vocatur actus collatiuus, seu comparatiuus, comparat obiecta hæc sic cognita adinuicem, distinguendo & componendo: quia in eis reperit rationes indiuiduales, per quas differunt, & rationem humanitatis, in qua conueniunt, & hîc sistit secunda operatio intellectus: cui quia etiam est operatio realis ex parte intellectus, similiter (sicut de prima dicebamus) ex parte obiecti correspondet denominatio realis, qua obiecta sic comparata realiter denominãtur: non enim minus realis est comparatio passiua, vt correspondens comparationi actiuæ: quàm cognitio passiua, vt cognitioni reali actiuæ correspondet. Ad hanc igitur comparationem passiuam, consequitur in natura comparata ad Petrum & Ioanem, quædam relatio, quæ resultat ex tali comparatione, qua talis natura vocatur species ad vtrumque: & hæc denominatio iam non est realis: quia non correspondet alicui operationi reali, sed est rationis, & dicitur secunda intentio, quæ licet non realiter obiectum denominet intrinsecè, nihilominus, saltim denominatione rationis, illud denominat.

8 Ex quibus colligo hanc relationem rationis, non pendere ab intellectus cõsideratione quoad conseruari, sicut ab ipso pependit quoad fieri, vt eleganter notauit P. Herrera in 1. dist. 8. quæst. 15. notabili primo. Nam sicut non pendet à conseruatione intellectus obiectum illud sic comparatũ fuisse, eo quod post comparationem actiuam, necessariò in obiecto cõparato, resultat passiua cõparatio: sic relatio rationis, quę ex tali cõparatione passiua resultat, nõ pendet in cõseruari ab intellectu: quia est quid derelictum in obiecto ex operatione illius. Vnde est, quod relationes rationis huiusmodi, in hoc distinguuntur ab alijs entibus rationis, quod cætera quæ fabricantur ab intellectu, ab eo pendẽt in fieri, & in conseruari: quæ vero ab eius operatione comparatiua, necessario resultant, & relinquuntur in obiecto comparato, non sic ab intellectus consideratione actualiter pendent, sed etiam omni intellectu cessante, in eo suo modo existunt.

Hoc magnopere illustratur quadam doctrina Scoti infra in distinctione 45. quæst. 1. vbi à nobis latius explanatur, videlicet quod etiam in voluntate datur huiusmodi relatio rationis: quæ sententia non solum nostratibus, sed etiam Vazquio 1. part. disput. 115. cap. 1. placũit: nam voluntas, quam Doctor supponit esse potentiam collatiuam, vel saltim adiuta ab intellectu, comparat vnum ad aliud, & ex tali cõparatione relinquit relationem huiusmodi: nam voluntas dupliciter potest diligere proximum v. g. vel præcisè propter se directè, vel propter Deum summe dilectũ: in hac autem secunda dilectione comparat obiectum ad Deum per actum collatiuum ipsiusmet voluntatis, & ad cõparationem passiuam proximi, resultat in eo relatio quædam, nimirum quatenus est dilectus propter aliud, videlicet propter Deum. Et quod sit relatio patet: quia non potest intelligi sine ordine ad aliud: cum igitur facta tali cõparatione, non possit intelligi illud quod resultat in proximo dilecto, sine ordine ad Deum, propter quem diligitur, consequenter erit relatiuum: & vt subtiliter ad notauit Balon de mente Scoti in suis formalitatibus fol. 18. columna 1. non solum in voluntate datur actus collatiuus, sed etiam in sensu communi, quam doctrinam confirmat ex Aristotele, qui in secundo de anima textu 146. probat, quod potentia ponens differentiam inter aliqua duo, perfectè cognoscit illa, & per consequẽs potest vnum ad aliud comparare: cum igitur sensus communis (inquit iste) ponat differentiam inter visibile, & audibile, hinc est, quod erit potentia collatiua. In sensu ergo communi, seu in voluntate, hæc relatio derelicta ex comparatione, non est realis, vt patet, nec proprie est relatio rationis, eo saltim, quod non consequitur ad comparationem intellectus: sed ab Scoto vocatur rationis, vt distinguitur contra realem. Si igitur relatio huiusmodi rationis, à comparatione alterius potẽtiæ derelicta, est in rebus, cessãte cõsideratione intellectus: cur quæso relatio similis, ex cõparatione intellectꝰ derelicta, ab ipsius intellectus actuali cõsideratione debet pẽdere in cõseruari?

6

Secunda intẽtio etiam datur in voluntate.

Balonis.

Aristotel.

Faci-

10 Facile ergo ex notatis difficultas præsens resoluetur: nam aliter loquendum est de relatione rationis, quam Deus dicit ad creaturas: aliter vero de denominatione reali extrinseca, qua ex relatione creaturarum ad se, denominatur realiter Creator, & Dominus. Si etenim de relatione rationis loquamur, iam patuit ex commentario ad tertium articulum quæstionis primæ huius distin. 30. qualiter per actum collatiuum intellectus creati, non vero diuini, fiat relatio rationis, qua Deus intrinsecè denominatur relatus, & ad creaturas refertur, quæ relatio non indiget consideratione ipsius intellectus comparantis, vt conseruetur in suo esse: sed semel facta prædicta comparatione, derelinquitur & resultat relatio: quæ etiam nullo intellectu considerante, conseruatur in Deo: & sicut comparatio cuiuslibet intellectus creati est in tempore, & ex tali comparatione huiusmodi relatio resultat: ideò talis relatio de nouo in tempore aduenit Deo. Quia vero terminus relationis realis denominatur extrinsecè talis realiter à relatione, quæ ipsum realiter respicit, vt exéplis positis patuit; ideò à relatione creaturæ ad Deum, qua ipsum realiter respicit, vt Creatorē, & Dominum, denominatur Deus extrinsecè, realiter Creator, & Dominus: quia vero huiusmodi relatio creaturæ ad Deum est in tempore: ideò prædicta denominatio realis extrinseca, in tempore aduenit Deo.

§. 3.

Statuuntur conclusiones, & soluuntur argumenta primæ sententiæ.

11. *Prima conclusio.* His præhabitis, difficultatē cōcludendo dico primo, quod Deus non refertur realiter, nec ratione ad creaturas, per relationes reales, quibus creaturæ realiter referantur ad ipsum. Prima pars huius conclusionis est Scoti, & Diui Thomæ, qui negant relationes reales respectu creaturarum, esse in Deo. Secunda autem pars est cōtra D. Thomam, quam eleganter confirmat Scotus in articulo secundo quæstionis primæ huius distinct. 30. Probatur igitur, quoad vtranque partem, primo: quia ex oppositō sequeretur, quod idem esset subiectum, & terminus eiusdem relationis, respectu eiusdem: hoc autem est contra naturam relationis, quæ petit subiectum, seu fundamentum à termino distincta: ergo, &c. sequella probatur, quoniā creatura est subiectum, & fundamētū seruitutis ad Deū. Et rursus, si Deus ab eadem relatione seruitutis existentis in creatura, denominaretur relatus, & referretur ad creaturam, esset ipsa creatura terminus suęmet relationis: ergo cum hoc fiat ab vna relatione seruitutis, quæ est in creatura, sequitur, quod eadē creatura esset subiectum, fundamentum, & terminus eiusdem relationis existentis in se.

12 Secundo probatur à priori: quia nulla causa formalis ponit suum effectum formalem, nisi in illo, in quo formaliter est: referri autem est effectus formalis relationis: ergo vbi formaliter fuerit relatio, ibi ponet suum effectum formalem: ergo relatio intrinsecè inhærens creaturæ, non potest ponere suum effectum formalem nisi in creatura: quia est causa formalis intrinseca, intrinsecè denominās subiectum, cui inhæret. Minor autem probatur: quia sicut effectus formalis formæ absolutæ, est dare effectum absolutum: sic effectus formalis formæ relatiuæ, seu relationis est dare esse relatiuum: ergo effectus formalis relationis est referri ad aliud.

13 *Secunda cōclusio.* Dico secundo, quod nulla relatio realis potest conuenire Deo ex tempore in ordine ad creaturas. Conclusio est expressa Scoti, vt patuit in litera, & communis cōtra Nominales, quos pro prima sententia allegauimus, & probatur rationibus, quas Doctor præbet in textu. Et præterea: quia ens actualissimum, quod est in vltima, & perfectissima actualitate, ex eo quod sic actualissimū est, excludit omnem potentialitatem, ita vt sibi repugnet esse in potentia ad aliquid reale, quod sibi de nouo adueniat: Deus autem est ens actualissimum: ergo sibi repugnat esse in potentia ad aliquid reale: sed

si

si Deo aduenirет aliqua relatio realis ex tempore, esset Deus in potentia ad aliquid reale, quia donec illam haberet, esset in potentia ad illam, & sic ab æterno esset in potentia ad relationem, quæ sibi aduenirет in tempore: ergo cum hoc implicet enti actualissimo, implicat quoque in Deo relationem aliquam realem admittere.

14 Ad hoc argumentum respondet Palacios, relationem illam realem, non esse nouam realem entitatem, sed nouũ modum realem. Sed cõtra quia vel ille modus est aliquid reale vel non. Si secundũ dicas, habetur intentum, quod scilicet nihil reale de nouo aduenit Deo ex tempore, nec ex consequenti relatio realis. Si vero primum asseras: idem fit argumentum quod prius, nam Deus ab æterno non habuit illum modum realem, & in tempore habet illum: ergo respectu istius realitatis modalis, ab æterno fuit in potentia, & modo est in actu: ergo transit de non esse talis realitatis, ad nouum esse reale, saltim modale: & ex cõsequẽti mutatur: quia etiam creatura, dum fit, transit de non esse reali, ad esse reale per existentiam, quæ est modus realis illius, & sufficit hæc modalis realitas, vt per eam dicatur transire de non esse reali ad esse reale: igitur, si Deus nouum modum realem haberet in tempore, proculdubio transiret, de non esse talis realitatis ad nouum esse reale illius.

15 *Tertia conclusio.* Dico tertio, quod Deus denominatur intrinsecè à relatione rationis derelictæ ex comparatione intellectus creati, qua actu refertur ad creaturas, relatione creationis, & dominij. Conclusio hæc est Doctoris, quæ satis patet ex notatis: estque communis, quoad illam partem, qua ponit huiusmodi relationem rationis in Deo: est attamen contra plures, quatenus hanc relationem ex comparatione intellectus creati in Deo derelictam esse affirmat, & quatenus excludit intellectum diuinum â fabricatione relationis huiusmodi. Quoad tres tamẽ huiusmodi partes probatur, & quoad primam: quia omnis denominatio intrinseca, eo modo quo denominat, est à forma intrinseca: sed Deus refertur ad creaturas, & denominatur intrinsecè Dominus & Creator illarum: ergo per aliquid, quo intrinsecè referatur ad illas: forma autẽ qua aliquid intrinsecè refertur, est relatio: ergo per relationem refertur: sed talis relatio in Deo nequit esse realis, vt patet ex conclusione secunda: ergo est relatio rationis. Aduerte tamen quod relatio huiusmodi, non ita intrinsecè denominat, sicut forma realis, quæ inhæret subiecto: sed eo modo quo relatio rationis existit in illo, quod refert: hoc autem tamen dicitur intrinsecè denominare, ad differentiam denominationis extrinsecæ, qua denominatur terminus, ex eo quod terminat relationem alterius ad se. *Nota.*

Secunda pars conclusionis satis ostenditur, ex eis, quæ numero septimo obseruauimus: nam si intellectui, vt realiter operatiuo correspondet ex parte obiecti realis denominatio talis operationis: tã non fit relatio rationis per talem operationem intellectus: quia quod ibi fit, nõ est quid rationis, sed realis denominatio saltim extrinseca. Ex his ergo habetur, quod cum duplex sit actus operatiuus intellectus nostri, nempê cognoscere, & comparare, nihil aliud illis correspondet ex parte obiecti, nisi esse cognitum, & esse comparatum, quæ sunt reales denominationes extrinsecæ obiecti: si ergo nec cognitio passiua obiecti, nec eius passiua comparatio est relatio rationis: necessariò sequitur, relationem rationis ex comparatione passiua resultare, & de relinqui in obiecto comparato: quia nõ est aliud, per quod intelligatur habere esse. 16

Tertia tandem pars nostræ conclusionis probatur â Doctore, ex eo quod non est transitus de contradictorio in cõtradictorium, absque mutatione sui: sed si in Deo posset esse noua relatio per actum intellectus sui: tunc alterum extremum esset sub contradictorio, sub quo antea non erat: ergo intellectus Diuinus mutaretur. Maior supponitur vera: quia si nulla esset mutatio in transitu de contradictorio in contradictorium: profecto non esset maior ratio, quare magis vna pars contradictionis sit vera, quàm altera: sed si in Deo posset esse noua relatio per actum intellectus sui: tunc alterum extremum modo esset verum de aliquo, quod prius non erat verum de illo: siquidem 17

dem diuinus intellectus nunc considera ret voluntatem diuinam sub aliqua comparatione, sub qua antea non considerabat: & ideò iam esset transitus de contradictorio in cõtradictorium. Nec valet solutio Lycheti, quam supra posuimus in commentario ad articulum, nimirum non inconuenire, Deum mutari relatione rationis: nam vt ibidem ipsum confutaui: non intendit argumentum Scoti improbare mutationem rationis, si quidem illam admittit, dum relationem rationis in tempore concedit in Deo, quæ sine mutatione rationis nequit intelligi: quod ergo Doctor infert, est in casu quo intellectus diuinus talem relationem causaret, necessariò sequi mutationem realem in Deo, non ex positione nouæ relationis rationis, sed ex comparatione reali, ad quam talis relatio sequeretur: quæ realis comparatio proculdubio mutaret intellectum diuinum, & per illam transiret realiter de contradictorio in contradictorium.

18. *Quarto conclusio.* Dico quarto, quod Deus denominatione extrinseca ex eo præcise, quod terminat relationes creaturarum ad se, denominatur realiter Creator, & Dominus antecedenter ad omnem considerationem intellectus. Hæc conclusio est expressa Scoti, vt habetur pluribus verbis eiusdem in art. 1. quæst. 1. huius distinctionis 30. vt ibi patet. Et probatur ex obseruatis supra, circa denominationes reales extrinsecas: si etenim paries denominatur extrinsecè realiter visus, à visione existente in oculis videntibus illum: cur non denominabitur Deus extrinsecè realiter Creator, & Dominus, ex relatione existente in creaturis, qua ipsum realiter respiciunt, tanquã Creatorem, & Dominum?

Ad argumenta ergo pro prima sententia, & ad primum respondeo, Deum denominari Creatorem, & Dominum à relatione rationis per comparationem intellectus fabricata: & vt sic à tali relatione non dici realiter Creatorem, & Dominum: quia relatio rationis non potest denominare realiter subiectum relatum: atqui ab eo, quod præcise terminat relationes reales creaturæ ad se, bene denominatur realiter Creator, & Dominus, denominatione quidem reali extrinseca. Vnde patet, quod Deus dupliciter denominatur Creator, & Dominus, primo scilicet realiter extrinsecè, ex eo præcise, quod terminat relationes reales creaturæ ad se: & secũdo relatione intrinsecè, ex eo præcise, quod in illo resultat relatio rationis ex comparatione intellectus creati, quæ duplex denominatio ita se habet in Deo, vt vna ex altera non pendeat, sed quælibet ex diuersa ratione proueniat. 19 *Ad argumenta pro prima sententia & ad primum.*

Ad secundum maiori concessa, minor negatur: nam etsi extrema sint realiter distincta, repugnat nihilominus potentiæ, seu actioni creatiuæ fundare relationem realem ad creaturas, sicut sibi repugnat ens actualissimum non esse. 20. *Ad secundum.*

Ad tertium eodem modo respondeo, repugnare quidem producenti diuino, fundare relationem realem ad productum creatum, propter datam rationẽ. Vnde relatio realis inter producens, & productum, postulat, vt vtrunque sit eiusdem ordinis: nam quamuis bene vbique inter producens, & productum sit realis distinctio, non tamẽ vbique est realis relatio. 21 *Ad tertiũ.*

(*)

DIS-

DISTINCTIO XXXI.

Præterea, &c.

QVAESTIO Vnica.

De relationibus identitatis, similitudinis, & æqualitatis in Deo.

CIRCA distinctionem trigesimam primam quæro vnum, vtrùm idẽtitas, & similitudo, & æqualitas sint relationes reales in Deo? & quia ad quæstionẽ videtur dicendũ, quod ad relationẽ realem tria sufficiunt: primo, quod fundamentum sit reale, & terminus realis. Secundo, quod extremorum sit distinctio realis. Tertiò, quod ex natura extremorum, scilicet fundamenti, & termini, sequitur ipsa talis relatio absque opere alterius potentiæ comparantis vnum extremum alteri: ideò circa hoc quæruntur sex.

¶ Primò. Vtrùm identitas similitudo, & æqualitas in diuinis habeant fundamentum reale?

¶ Secundò. Vtrùm in diuinis sit relatio realis æqualitatis?

¶ Tertiò. Vtrùm cum essentia sit fundamentum vtriusque relationis paternitatis, scilicet, & æqualitatis, sit prima persona, secundũ essentiam, Pater Filij, sicut est Filio secundum essentiam æqualis?

¶ Quartò. Vtrùm tot sint æqualitates in Deo, quot sunt in ipso perfectiones simpliciter?

¶ Quintò. Vtrùm relationes similitudinis, & identitatis sint reales?

¶ Sextò. Vtrùm relatio æqualitatis sit distincta â relationibus identitatis, & similitudinis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm identitas, similitudo, & æqualitas in diuinis habeant fundamentum reale?

A. AD primũ sic proceditur, videtur, quod identitas, similitudo, & æqualitas in diuinis, non habeant fundamẽtum reale, & terminum realem: quia magnitudo (quæ est fundamentum æqualitatis) transit in essentiam, secundum Augustin. quinto de Trinitate cap. 8. & alibi in multis locis, & ita non manet sub ratione magnitudinis, nisi secundum rationem.

B. Sed contra est: quia essentia diuina, vt est primum obiectum ipsius intellectus diuini, visa prima cognitione intuitiua ante omnem negociationem cuiuscunque intellectus, est obiectum beatificum illius intellectus

lectus: quia ille non beatificatur per actum negotiatiuum: igitur ex se absque omni negotiatione intellectus, est formaliter infinita: quia nihil beatificat, nisi formaliter infinitum: ergo est ibi magnitudo virtutis, imò infinitas virtutis, ex natura rei.

C. Respondeo dicendum, quod *quia* ad relationem realē (*vt visum est supra*) tria sufficiant: *nunc* quantum ad primam conditionem relationis, *scilicet*, quod fundamentum sit reale, & terminus realis, negatur hîc esse fundamentum reale: quia dicitur, quod magnitudo transit in essentiā, &c. *vt supra*. Sed contra istud, intellectus antequam intelligat aliquid intelligere, vel negotiari, est comprehensiuus illius essentiæ, vt primi obiecti, & ita ex hoc, vi negotiationis circa illud potens est reducere omnes relationes in actum, quę possunt circa illam essentiam considerari: igitur ex natura rei ille intellectus est infinitus: igitur & essentia in qua fundatur. Probatur generalius per omnes rationes, quę fiunt ad ostendendum essentiam primi, esse infinitam: quia omnes illæ concludūt, quod ex natura rei ipsi sit infinita: nam quæcunque via ad ipsam sumatur, siue in ratione principij effectiui, siue finalis, eminentis, & mensurantis, & participati (quæ viæ tactæ sunt dist. 2.) omnia, inquam, sunt ad ipsum, scilicet, quod ipsa est ibi ex natura rei, circunscripto omni actu intellectus: quia nulla dependentia effectus, infinite vt participantis, est ad aliquid sub ratione formali, sub ratione entis: sicut probari potest, per rationes distinct. 2. factas: est igitur hîc ex natura rei illud, quod ponitur fundamentum proximū æqualitatis, & ratio fundandi, scilicet vnitas: quia secundum Damasc. cap. 6. illic, scilicet in Deo, commune, & vnum re consideratur: nō sic in creaturis, sed commune ibi est in intellectu tantùm.

Dico igitur ad hoc, quod est fundamentum æqualitatis reale ex natura rei: non tantùm remotum, quod est essentia, sed propinquum, quod est magnitudo, siue (specialius) quod est infinitas. Consimiliter potest dici de similitudine, & tunc sicut ex natura rei est fundamentum æqualitatis, ita est de similitudine: & de identitate etiam dici potest, *quod* Patris ad Filium est identitas quantum ad fundamentum. D. I

Ad argumentum *respondeo*, quod ratio illorum non valet: quia licet quantitas accidentalis dicat aliquid additum naturæ subiecti: & ideò ipsa non possit manere sub ratione sua formali, & transire in essentiam secundum identitatem: tamen magnitudo virtutis in omni ente transit in illud, cuius est per idētitatem, etiam in creatura. Probo: si enim Angelus habet aliquam magnitudinem virtutis, de qua dicit Augustinus 6. de Trinitate cap. 7. in his enim, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod melius esse, si ista magnitudo perfectionalis non sit idem essentiæ, circunscribatur ab ipsa essentia, ipsa essentia remanente: quæro, quem gradum perfectionis tenet in ente, vel in entibus? nihil enim est, nisi aliquem gradum determinatum perfectionis habeat inter entia: ergo adhuc manet in ipsa essentia magnitudo virtutis, qua dicitur sic, vel sic perfectum ens: ista igitur quantitas in omnibus transit per identitatem, & cum hoc manet in omnibus secundum rationem propriam, in quantum est fundamentum æqualitatis, vel inæqualitatis perfectionalis in entibus: nam per istam vnum ens est æquale, vel inæquale alteri secundum perfectionē: quia ratio talis quantitatis est dicere modum intrinsecum E.

secum illius perfectionis, cuius est, & ex hoc, quod dicit modum, manet: ex hoc autem, quod dicit intrinsecum, per identitatem transit in essentiam cuius est.

Expositio art. 1. quæst. vnicæ distinctionis 31.

1 IN præambulis ad articulos huius quæstionis, tria supponit Doctor necessaria esse ad relationem realem: nimirum, quod fundamentum sit reale, & terminus realis: secundùm verò, quod extrema sint realiter distincta: & tandem tertio, quod ex natura extremorum, scilicet fundamenti, & termini consurgat relatio realis, sine opere alicuius potentiæ comparantis. Modo verò in hoc articulo, vt inquirat, an identitas, similitudo, & æqualitas sint relationes reales, prius inuestigat, an in diuinis habeant fundamentum reale, & terminum realem huiusmodi relationes? Et prius proponit sententiam Henrici in quotlibeto 5. quæst. 5. negantis ibi esse fundamentum reale: quia magnitudo transit in essentiam, & ita non manet secundùm rationem magnitudinis. Hanc tamen sententiam ibi clare impugnat Doctor, & explicat locum Augustini, quem pro se adduxerat Henricus. Litera clara est, qua cõcludit primã conditionem realis relationis benè reperiri in relatione æqualitatis in Deo.

2 Est tamen maximè ponderanda solutio argumenti, in qua probat Doctor ex D. Augustino in omni ente etiam creato hoc esse generale, quod est quantitatem virtutis, in entitatem essentialem transire: non quidem secundùm propriam rationem, sed secundùm identitatem. In quo magnitudo à cæteris attributis differt, quod videlicet neutrum transit in aliud, neque in essentiam: quia sapientia nec transit in bonitatem, neque in essentiam: licèt etenim identificetur cum illis non minus, quàm magnitudo: quia tamen quodlibet aliud attributum habet esse in genere determinato, hinc est, quod non potest transire in aliud. At verò magnitudo est quantitas, quæ in qualibet perfectione diuina, tàm quidditatiua, quàm attributali, necessariò reperitur: alias enim circunscripta magnitudine à sapientia, nec sapientia esset finita, nec infinita, neque perfecta, neque imperfecta: sicut relatio diuina, eo quod quanta non est, neque est finita, neque infinita.

Quia igitur attributa, & essentia sunt formaliter infinita: ideò necessariò magnitudo transit tàm in essentiam, quàm in attributa. In quo ergo consistat eius formalitas, prout ab essentia, & ab alijs attributis distinguitur, clare ostendit Doctor ibi, dum ait, quod quantitas dicit modum intrinsecum illius perfectionis, cuius est: & ideò in quantitate duo reperiuntur, primum scilicet quod dicat modum: & in hoc consistit eius formalitas, vt ab alijs condistincta, & vt sic manet secundùm propriam formalitatem. Secundùm verò, quod dicit intrinsecum, & vt sic per identitatem transit in essentiam. 3

ARTICVLVS II.

Vtrùm in diuinis sit relatio realis æqualitatis?

AD secundum sic proceditur, videtur, quod in diuinis non sit relatio realis æqualitatis: quia Augustin. 5. de Trinitate cap. 6. cum quæritur, secundũ quid æqualis sit Patri Filius? respondet, non secundùm hoc, quod ad Patrem dicitur Filius, est æqualis Patri: restat igitur, vt secũdùm illud, quod ad se dicitur, dicatur æqualis. Et infert, restat igitur, vt secundùm substantiam sit æqualis: igitur æqualitas non dicitur ibi secundum relationem. A.

Secundò præterea: forma eiusdẽ speciei non numeratur, nisi per materiam. Probo: omnis forma separata à B.

ta à materia, habet totam ſpeciem (ſecundum aliquos) ergo æqualitas in diuinis, cum ſit forma eiuſdem rationis,& ſine materia, non pluralicatur, nec diſtinguitur: ergo non eſt alia æqualitas in Patre,& Filio:& per conſequens non eſt realis in Patre: quia tunc requireret relationem diſtinctam correſpondentem, in Filio.

C. Tertiò prærerea: ſi in Patre eſt alia æqualitas ab ea, quæ eſt in Filio:pari ratione, & alia ab æqualitate,quæ eſt in Spiritu Sancto: & tunc æqualitati in Filio, & æqualitati in Spiritu Sancto correſpondebit alia, & alia æqualitas in Patre: quia correlatiua commultiplicantur: igitur in Patre erũt duæ æqualitates, quod videtur inconueniens.

D. Sed contra eſt: quia Auguſtin. ſexto de Trinitate capite nono ait, quod in Filio eſt prima æqualitas, quod non eſt verum,ſi aliqua perſona poſſet dici æqualis ad ſe, tunc enim Pater prius eſſet æqualis.

E. Reſpondeo dicẽdu, *ſuppoſito ex præcedenti articulo*, quod eſt fundamentum æqualitatis reale, *reſtat inquirendum de alijs duabus conditionibus*, & ſecundum principale, ſcilicet quod iſta relatio requirat extrema realiter diſtincta, patet per Auguſt. vt dictum eſt in opponendo, quod in Filio eſt prima æqualitas, &c. Sed quia æqualitas non poteſt intelligi ſine diſtinctione: & prima diſtinctio eſt inter Patrem, & Filium,producto Filio: ideò eſt in eo prima æqualitas terminatiuè, & quaſi ſubiectiuè accipiendo illam æqualitatem, qua Filius eſt æqualis Patri. Quãtum autem ad tertiam conditionem, videtur, quod iſta relatio conſequatur perſonas ex natura rei ſine omni comparatione per aliquam potentiam extrinſecam cõparantem: quia enim Pater generando communicat Filio perfectè ſuam eſſentiam: ideò communicat ſibi eandem magnitudinem infinitam, ſicut dicit Auguſtin.lib.3.cap.10.19.&20.Si dicas (inquit) eo ipſo Pater maior eſt Filio, quia Pater genuit, cito reſpondeo, imò ideò Pater non eſt maior Filio:quia æqualem genuit: non videtur igitur eſſe aliqua ratio, quare æqualitas Patris ad Filium,non debeat poni relatio realis. *Concluſio.*

F. Ad primum argumentum dico quod album, & album dicuntur ſimilia ſecundum albedinem, & hoc prout ly,ſecundum, notat ſuum determinabile eſſe fundamentũ proximum relationis ſimilitudinis:dicuntur etiam ſimilitudine eſſeſimilia formaliter:ita dico quod Pater, & Filius ſunt æquales ſecundum eſſentiam, vt ly,ſecundum,notat fundamentum proprium æqualitatis: quia iſtæ relationes communes fundãtur ſuper aliquid, quod eſt commune, vt eſt commune: nihil autem commune vnum,eſt in perſonis, niſi eſſentia, vt eſſentiale.

G. Ad ſecundum dico, quod maior propoſitio eſt falſa, imò vbi forma diſtinguitur in materia, & cum materia:materia non eſt ratio principalis huius diſtinctionis: quia in quacunque diſtinctione, illud eſt ratio principalis diſtinguendi hoc, quod eſt ratio principalis eſſendi in illo eſſe.De hoc alias in quæſtione de indiuiduatione. *In 2. diſt. 3.& 7. Metaph.*

H. Ad tertium conceditur, quod in Patre ſit alia æqualitas ad Filium, & alia ad Spiritum Sanctum:ſicut ſi Pater genuiſſet Spiritum Sanctum, eſſet in eo alia paternitas ad Filium, & alia ad Spiritum Sanctum. Et de iſto dicto generaliter erit ſermo in 3. lib. vtrùm in vno relato ad plures, ſint plures relationes?

(.?.)

Expositio art. 2. quæst. vnica distinctionis 31.

ALIAS duas conditiones ad relationem realem requisitas, investigat Doctor in litera huius articuli, quas probat in diuina æqualitate reperiri. Ex quo, & ex resolutione primi articuli, in quo primam conditionem probauerat: concludit hîc clare ex Diuo Augustino relationem æqualitatis inter diuinas personas realem esse, & tandem tria argumenta oppositum suadentia, facillime soluit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm, cum essentia sit fundamentum vtriusque relationis, paternitatis, scilicet, & æqualitatis, sit prima persona secundum essentiam Pater Filij, sicut est Filio secundum essentiam æqualis?

A. AD tertiũ sic proceditur, videtur, quod cum essentia sit fundamentum vtriusque relationis, paternitatis, scilicet, & æqualitatis, sit prima persona secundùm essentiam Pater Filij, sicut est Filio secundùm essentiam æqualis. Tùm, quia pari ratione videretur in Deo vnica æqualitas: tùm quia posset dici Pater secundùm essentiam: quia essentia est fundamentum paternitatis: tùm, quia æquè adęquatur vtraque relatio suo fundamento.

B. Secundò præterea: quia quodlibet in Deo vnius rationis est vnicũ, alioquin non erit Deus summè vnũ, licet alio ens secũdùm quidditatem, & alio hoc ens, & ita potentialitas, & compositio.

C. Tertiò præterea: quia eodem modo videtur sequi infinitas in omnibus: quia non esset dare per quid plurificabile determinetur ad certã pluralitatem: tùm quia habens causam vnius rationis, & vnicam rationem receptiuam, est vnicũ: quia nec distinguitur ab agente, nec à materia 8. Metaph. similitudo est huiusmodi.

D. Quartò præterea: non tantùm sequitur, quod sint sex æqualitates in tribus personis: imò quælibet persona est æqualis duabus, & è conuerso: & non eadem æqualitate, qua vni tantùm: quia non idem extremũ, imo quælibet est æqualis tribus: quia octauo Trinitate cap. 1. non maius aliquid sunt tres, quàm vna, nec minus: patet igitur æquale. Et istud vltimum videtur satis ostendere, quod nõ est realis, quia est eiusdẽ ad se, dũ modo non ad se, sed cũ alijs, nunquã est realis ad se: sed in quantũ realis, habet quod cõnumeretur alijs. Quare autẽ non est ad se præcisè? Potest dici, quod nõ significat relationem: sed tantùm significat vnitatem quantitatis, connotat tamen distinctionem suppositorum: & ideò non est ad alterum.

E. Quintò præterea: hæc æqualitas est æqualis illi æqualitati, & sic in infinitum: hæc etiam est similis illi, & eadem illi specie, & sic iterum in infinitum.

F. Sed contra est, qui Augustin. quinto de Trinitate capite sexto, cum quæritur, secundùm quod æqualis sit Patri Filius? Respondetur non secundùm hoc, quod ad Patrem dicitur Filius, est æqualis Patri: restat igitur, quod secundùm illud, quod ad se dicitur, dicatur æqualis. Et infert, restat igitur, vt secundùm substantiam sit æqualis.

Res-

G. *Prima conclusio.*

Respondeo dicendum, quod Pater, & Filius sunt æquales secundum essentiam, vt ly secundum, notat fundamentum proprium æqualitatis. Etsi obijcias: tunc posset dici Pater secundum essentiam: quia essentia est fundamentum paternitatis: quod tamen non conceditur. Istud argumentum, licet alias fecerim ad probandum, quod relationes originis non sint actus essentiæ: quia vbicunque relatio est actus fundamenti, ibi suppositum potest dici ad alterum, secundum illud fundamentum: sicut Sortes secundum albedinem est similis: ignis calore calefacit: lapis secundum quidditatem lapidis, est mensura notitiæ lapidis: hæc non conceditur, Pater Deitate est Pater, vel secundum Deitatem: ergo, &c.

H. Sed videtur, ita posse argui, quod nec secundùm Deitatem est æqualis: quia ista relatio non est actus fundamenti. Respondeo, quod vbi relatio est actus fundamenti, ibi secundum fundamentum dicitur aliquid ad alterum: hanc enim accepi: sed non concedo è conuerso, quod vbicunque aliquid dicitur ad alterum secundum fundamentum, quod ibi relatio sit actus fundamenti: quia vniuersaliter tale secundum, est nota causæ inhærentiæ per se secundo modo, non primo modo: & bene actiuo fundamenti per relationem concludit fundamentum esse causam inhærentiæ relationis ipsi supposito. Causam inquam per se secundo modo, non primo modo: non autem è conuerso: quia esse per se fundamentum, quandoque sufficit ad esse per se causam inhærentiæ relationis ipsi supposito absque hoc, quod relatio actuet, licèt quandoque non sufficiat: quia tunc Pater secundum essentiam esset Pater: sed saltem, quæ est ratio dissimilitudinis hic, quod relatio communis dicitur inesse secundum essentiam, relatio vero propria, siue originis, nõ? cum neutra sit magis actus, quam alia in creaturis, vtraque est actus, & vtraque dicitur inesse secundum fundamentum: tam enim calidum secundum calorem est calefactum, quàm secundum calorem est simile.

I. *Secunda cõclusio.*

Tamen tenendo communem viã potest assignari ratio, quare secundum essentiam dicitur Pater æqualis Filio, & non Pater Filij: quia licet essentia sit fundamentum vtriusque non distinctum in tribus, nec per istam, nec per illam: est tamen fundamentum proximum relationis communis, in quantum vnum in tribus: non autem in quantum sic vnum, est fundamentum relationis originis, licèt se sit vna. Cum autem dico, secundum essentiam sunt æquales: ibi essentia, vt essentia, non accipitur, nisi prout est vna forma in tribus: ideò dicitur Pater æqualis esse secundum essentiam: propter hoc quod essentia, vt vna, est proximum fundamentum huius relationis: non autem dicitur secundum Deitatem esse Pater: quia Deitas vt vna non est fundamentum huius, ita vt vnitas sit ratio fundandi, sicut notaretur, si diceretur, secundum Deitatem est Pater.

K. Ad primum argumentum dicitur, quod nulla relatio ibi adæquat fundamentum: quia essentia est immediatum fundamentum omnium. Cum enim relatio non fundet relationem, & non est ibi, nisi essentia, & relatio: sequitur igitur, &c. Dicitur ad hoc, quod distincta attributa sunt fundamenta proxima relationum originis, sicut memoria generationis actiuæ, & notitia actualis generationis passiuæ: isti fundamento proximo, correspondet essentialiter vna relatio originis. Aliter dicitur ad primum, quod

in creaturis relationes diſquiparantiæ requirunt diſtincta fundamenta: quia illæ differunt ſpecie: relationes communes non: ideò illa diſquiparantiæ ſic adæquat, quod non eſt idem fundamentum oppoſitæ relationis: non ſic autem in communibus. Ad propoſitum patet ex dicta reſponſione, quare eſt vnica paternitas tantùm: quia fundamentum eius proximum non eſt oppoſitæ relationis, quæ quaſi differunt ſpecie.

L. Tamen quæritur, quare hæc paternitas adæquat, & hæc æqualitas non adæquat ſuum fundamentum? Reſpondeo, quod nulla relatio communis vnica, poteſt adæquare: quia oportet, eius oppoſitam idem fundamentum habere: alia vero diſquiparantiæ, benè poteſt, vt dictum eſt. Iterum quæritur, an neceſſariò adæquet hoc paternitas? Reſpondeo. Probatur, quod ſic: per quod A. diſtinguitur, vel eſt illud A.B. ſi per aliud alterius rationis in eis, vel cauſalitate: habetur propoſitum. Si non, ſed tantùm per alia eiuſdem rationis: quære iterum per quid illa diſtinguuntur? & ſic in infinitum. Quidquid tamen ſit de iſta probatione generali, eſt ſpecialis probatio, quare in Deo alias eſſet infinitas? quia nihil ibi determinatur ad certam multitudinem per aliquam cauſam priorem: igitur tantùm per aliqua alterius rationis: quia quidquid vnius rationis ſe habet ad plura, non determinatur ad talia ex ſe: quære hoc diſtinct. 2. quæſt. 7. in ſolutione extra. Nihil vnius rationis plurificatur, niſi quia præintelliguntur alia alterius rationis, quæ neceſſariò requiruntur ad eius plurificationem: ideò paternitas nō poteſt plurificari: quia non præexigit alia alterius rationis, quæ ſint quaſi cauſa plurificationis eius: æqualitas vero poteſt: quia præexigit relationes conſtituentes perſonas, ex quarum perſonarum diſtinctione, diſtinguitur æqualitas. Per iſtud patet ad tertium, quare eſt iſta pluralitas æqualitatum, ſed non paternitatum ſic erit?

Ad ſecundū concedo, quod quod libet in Deo vnius rationis eſt commune realiter in re: non tantùm in cōceptu eſt vnicum. Ad probationē dico, quod in conceptu, nō eſt æqualitas hæc; & hæc: ſed quælibet in re eſt eadem æqualitas, & hoc ſic patet diſt. 8. de conceptu communi Deo, & creaturæ, ſiue re communi, vt dictum eſt etiam diſt. 29. de principio, & de relationibus pluribus conſtitutiuis, habentibus conceptum communem. M.

Ad tertium, illa propoſitio poteſt concedi vera, quando vna forma receptibilis eſt tantùm in vno recipiēte, & eſt forma abſoluta: in relationibus autem, plures ſunt in eodem, & neceſſariò plures in extremis oppoſitis. N.

Ad quartum conceditur ſex eſſe æqualitates alias inter quālibet perſonam, & duas alias: ſed inter vnam, & tres, vel etiam duas conceditur, quaſi partis numeralis ad quaſi totū numerale: & tunc negatur, quod nūquam ſit realis: aut negatur eſſe realis: vt eadem perſona eſt in vtroque extremo: non enim ſequitur, non eſt maius, nec minus: igitur æquale, quia prima non eſt vera de Patre reſpectu Patris. O.

Ad quintum, de infinitate æqualitatum, reſpondetur lib. ſecundo diſt. 1. quæſt. 4. & 5. quæ relationes referuntur aliis, quæ etiam ſe ipſis. P.

Expositio art. 3. quæst. vni. distinctionis 31.

EX eo quod essentia est fundamẽtum, tàm relationis originis Patris ad Filium, quàm etiam relationis æqualitatis vtriusque: quærit Doctor in præsenti, an sicut dicitur Pater referri ad Filium secundum essentiam relatione æqualitatis: sic dici possit referri ad Filium secundum essentiam, relatione paternitatis? Cuius dubij partẽ affirmatiuam suadent quinque argumẽta in principio articuli posita. Sed Doctor oppositum tenet, & duplici cõclusione difficultatem resoluit. Prima est, *quod Pater, & Filius sunt æquales secundum essentiam.* Quæ conclusio debet intelligi, non quod sit ibi æqualitas secundum præcisam essentiam: quia si ab essentia circunscriberetur quantitas, seu magnitudo: nec secundum illam possent esse æquales, neque inæquales: quia relatio æqualitatis necessario fundatur super quantitatem: esse tamen ibi relationẽ identitatis, quæ fundatur præcise in quidditate essentiæ, vt quidditas vna est in eis. Sed quia vt patuit in commentario articuli primi, quantitas transit in essentiam, eo quod est modus intrinsecus omnis perfectionis quidditatiuæ, & attributalis: ideò inquit Doctor, quod Pater, & Filius sunt æquales secundum essentiam: hoc est, quia fundatur æqualitas in essentia, vt quanta.

Secunda autem conclusio est, quod potest assignari ratio, quare secundum essentiam dicitur Pater æqualis Filio, & non Pater Filij: quia nimirum, *licet essentia sit fundamentum vtriusque, non distinctum in tribus, nec per istam relationem, nec per illam: est tamen fundamentum proximum relationis communis, in quantum vnum in tribus; non autem in quantum sic vnum, est fundamentum relationis originis, licet se sit vna.* Ad cuius conclusionis intelligentiam recolenda sunt plura, quæ supra diximus circa essentiam, qualiter est fundamentum relationum originis. Quæ breuiter reducuntur ad hoc, quod cum essentia sit pluribus modis communicabilis diuinis personis, scilicet per plures origines formaliter ex natura rei distinctas: hinc est, quod relationes talium originũ fundat, non vno & eodem modo, sed vt determinat sibi subsistentiam paternitatis per generationem actiuam, fundat relationem paternitatis: vt est communicabilis per generationem passiuam, fundat relationem filiationis: vt denique est communicabilis per modum vo luntatis, fundat relationem spirationis. Ex quibus patet, quod licet sit essentia vna in se: non tamen vno, & eodem modo fundat relationes originis, eo quod relationes originis sunt relationes disquiparantiæ, & non communes, sed propriæ. At vero relationem æqualitatis, quæ est cõmunis, & relationẽ æquiparãtiæ, fundat secundum vnitatem: quia vt dictum est in difficultate 95. fundamentum proximum relationis æqualitatis, est vnitas quantitatis, & magnitudinis, quæ est vna in vtroque extremo relato. Ex his ergo concluditur ratio differentialis, quare etiam si essentia sit fundamentum vtriusque relationis, non dicatur Pater referri ad Filium secũdum essentiam, relatione originis, sicut refertur ad illum secundum essentiam, relatione æqualitatis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm, tot sint æqualitates in Deo, quot sunt in ipso perfectiones simpliciter?

AD quartũ sic proceditur, videtur, quod nõ sint tot æqualitates in Deo, quot sunt perfectiones simpliciter, & hoc sine argumentis.

Sed contra est: quia Magister bene assignat distinct. decimanona

æqualitatem perfectam in tribus, ſecundùm Auguſt. de fide ad Petrum, cap.1.ſcilicet, magnitudine, poteſtate, & æternitate.

C. Reſpondeo dicendum, quod ad hoc, quod aſſumitur: ſi etiam quodlibet attributum habet ſuam magnitudinem propriam, ſupra quam videtur fundari æqualitas: igitur tot erunt æqualitates perſonarum quot ſunt attributa: poteſt concedi, quod quot ſunt perfectiones in Deo ſimpliciter: tot ſunt etiam magnitudines, & tot æqualitates: ſicut tamen illæ omnes ſunt ſimpliciter vna res: ita & æqualitates ſecundum eos, ſunt ſimpliciter vna res, & hoc patet in tribus *ſupra aſſignatis* ſecundum Diuum Auguſtinum: per magnitudinem quidem, intelligitur fundamentum omnis æqualitatis ad intra, ſecundùm quam cumque perfectionem ſimpliciter in omnibus attributis: accipiendo magnitudinem, non pro aliquo attributo diſtincto: ſed vt eſt commune magnitudini cuiuslibet attributi: & per poteſtatem, notantur perſonæ eſſe æquales ad obiecta extra: & per æternitatem, notatur æqualitas eſſe in eis, quaſi ſecundum durationem.

D. AEqualitas autem ſecundum quantitatem diſcretam, non quæritur ibi: quantitatibus autem continuis in creaturis, quæ ſunt quantitas permanens, & ſucceſsiua, correſpondet ibi magnitudo, & æternitas: poteſtas autem ſiue potentia, non eſt

A tertia quantitas, ſed reſpectus magnitudinis adextra, vt prædictum eſt ſtatim.

Expoſitio art.4.quæſt.vnic. diſtinctionis 31.

CLARA eſt litera huius articuli in priori puncto, circa quod Doctor concludit, tot poſſe cõcedi æqualitates inter diuinas perſonas: quot ſunt in eis perfectiones attributales. Cuius ratio euidens eſt, nam ſi eo Filius eſt Patri æqualis in eſſentia: quia in vtroque eſt eadem magnitudo eſſentiæ: & aliàs quodlibet attributum, eo quod eſt perfectio ſimpliciter, eſt formalitas quanta, quæ dicit magnitudinem infiniti gradus perfectionis; conſequẽter, ſi eadem magnitudo talis perfectionis in diuinis perſonis, in eis erunt æquales. Si ergo habent eandem prorſus magnitudinem cuiuslibet attributi: proculdubio in quolibet attributo erunt æquales: & ideò tot erunt æqualitates in eis, quot attributa. 1

In ſecundo verò puncto, an ſcilicet relationes huiuſmodi ſint reales, non minus, quam relatio æqualitatis eſſentiæ non dubito. Quod autem circa hoc pũctum aduertit Doctor in textu, eſt, huiuſmodi æqualitates fundatas in pluribus magnitudinibus attributorum eſſe relationes reales, non tamen realiter diſtinctas in ea perſona, in qua ſunt: *Quia ſicut illæ omnes* (perfectiones, & magnitudines) *ſunt ſimpliciter vna res, ita æqualitates, ſecundum eas, ſunt ſimpliciter vna res.* Quod manifeſtum eſt, nam licet ſpiratio actiua ſit relatio realis, ipſa tamen, & paternitas ſunt vna & eadem res, ſi quidẽ realiter non diſtinguuntur, ſed tantum formaliter ex natura rei: quod idem in præſenti de relationibus æqualitatis diuinarum perfectionum erit dicendum. 2

Sed dices, quod quia ſpiratio actiua eſt vna in Patre, & Filio, non diſtinguũtur ſecundũ illam Pater à Filio: & ideò non ſunt æquales in illa: ergo ſicut attributum, verbi gratia ſapientia, eſt vnum, & idem in Patre, & Filio, non diſtinguitur realiter æqualitas Patris fundata in magnitudine ſapientiæ, ab æqualitate Filij ibi etiam fundata: & conſequenti non videtur eſſe realiter æqualis in ſapientia. Reſpondeo quod 3

Pater

Pater non est æqualis Filio in spiratione, bene tamen est æqualis Filio in sapientia, quod non prouenit, nisi ex eo quod æqualitas nō fundatur nisi in magnitudine: relatio autem cum sit entitas non quanta, non est magnitudinis capax: atque ideò relatio spirationis actiuæ non est magna, nec propterea non est formaliter finita, neque infinita: nequit igitur esse fundamentum æqualitatis: attributa vero sunt formaliter quanta, & infinite magna: & vnitas magnitudinis cuiuslibet attributi est eadem in tribus suppositis: & ipsa suppositа realiter distinguuntur. Sed vnitas magnitudinis realis existens in pluribus realiter distinctis, fundat relationem realem æqualitatis eorum: ergo, &c.

ARTICVLVS V.

Vtrùm relationes similitudinis, & identitatis sint reales?

A. AD quintū sic proceditur, videtur, quod relationes similitudinis, & identitatis non sint reales. Quia si istæ sunt relationes reales: igitur æquè realiter sunt distinctæ sicut relationes originis, & perconsequens, ita possunt constituere diuinas personas, sicut & illæ originis: etsi possunt constituere: igitur constituūt, quia non est ibi potentia sine actu.

B. Sed contra est: quia Hylarius 5. de Trinitate ait: similitudo sibi ipsi non est.

C. Respondeo dicendum, quod *sicut de æqualitate dictum est in 1. & 2. articulis*: consimiliter potest dici de similitudine, & de identitate, sicut in creaturis est duplex similitudo, scilicet essentialis, secundùm differentiam specificam: & accidentalis, secundùm aliquam qualitatem accidentalem: licet prima negetur in proposito: quia Deus non habet aliquam differentiam specificam: tamen quia si illud, quod est differentia specifica in creatura, esset tota essentia individui, nihil minus esset forma respectu individui: ideò nihil minus esset respectus similitudinis tunc, quam modo: ideò videtur ibi proprie posse concedi similitudo secundùm essentiam, non in quā tum quid, sed in quantum est actus, & quasi forma, qua personæ sunt Deus: & etiam similitudo, secundùm attributa omnia, quæ sunt quasi proprietates huius naturæ, sicut dicit Damascen. capit. 5. non naturam, sed quæ circa naturam sunt, dicunt: & tunc sicut ex natura rei, est fundamentum æqualitatis, & distinctio realis extremorum, & ista relatio est ibi, sine opere intellectus: ita est de similitudine.

D. *Prima conclusio.* De identitate etiam dici potest, quod ipsa dupliciter accipitur in diuinis, vno modo eiusdem personæ ad se, sicut Pater est idem sibi: alio modo vnius personæ ad aliam, sicut Pater est idem Filio, & è conuerso. De prima identitate alias: de secūda potest dici, sicut de alijs, quod est realis: quia ibi est vera vnitas ex natura rei, & sufficiens distinctio extremorum, nec videtur necessaria comparatio intellectus ad esse huius idēntitatis, etsi identitas eiusdem suppositi ad se, in creaturis, sit relatio rationis tantùm, quantum ad fundamentum: tamen nunquam est vera, & perfecta identitas, nisi in Deo tantùm: nam Sortis ad se non est perfecta idē titas: quia rationis tantùm, & ita omnis talis est ens secūdū quid: nec Sortis ad Platonē, est perfecta identitas: quia nō fūdatur in perfecta vnitate, hîc autē, Patris ad Filū identitas est

perfecta, quantum ad fundamẽtum, quia Patris ad Filium est perfecta vnitas, & perfecta realis idẽtitas: quia realis distinctio est, & sufficiens extremorum.

Secunda cõclusio.

E. Hoc etiam generaliter probatur per hoc: quia relationes originis ponuntur reales, & tamen non præexigunt distinctionem extremorum, sed quasi formaliter causant eam: istæ autem relationes, illam distinctionem quasi causatam per relationes originis præsuppo nunt, sicut cõmuniter ponitur, quod istę non possunt pullulare in essentia, nisi iam præexistentibus relationibus originis in ea: igitur istæ videntur magis requirere distincta extrema, quam relationes originis, vel saltem non minus.

F. Etsi obijcias, quod istæ non sunt alterius rationis, sicut illæ originis: hoc modo non concludit, nisi quod non distinguuntur specie: in creaturis autem non tãtùm relationes suppositionis, & super positionis sũt reales, vbi extrema differunt specie: sed etiam relationes communes sunt reales in extremis, vbi extrema differunt numero: ergo hic sufficit distinctio realis numeralis in extremis, ad realitatem relationum communium, sicut ad distinctionem relationum originis, quæ quasi specie differunt.

G. Ad argumentum principale, videtur difficile argumentum illis, qui ponunt personas esse relatiuas, sicut fuit argutum contra eos dist. 26. pro opinione tertia: tamen tenendo cõmunem viam: oportet dicere, quod priuspullulant in essentia relationes originis, quàm communes, & istæ primo pullulantes, distinguunt, & constituunt personas: non autem illæ communes: quia sunt quasi aduẽtitiæ personis, sicut ponitur, quod spiratio actiua nullam personam cõstituit: quia intelligitur quasi aduenire Patri, & Filio iam constitutis in esse personali: prima enim ibi pullulantia, quæ possunt personaliter distinguere: distinguunt personaliter, & constituunt.

Expositio art 5. quæst. vnic. distinctionis 31.

CONCLVSIO est affirmatiua, quam Doctor clarè probat, & exponit in textu, quia tamen latius in sequenti difficultate discutitur, hîc non in eius expositione amplius immorabor.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm relatio æqualitatis sit distincta à relationibus identitatis, & similitudinis?

AD sextum sic procedi- A.
ditur, videtur, quod æqualitas non est relatio distincta à relationibus identitatis, & similitudinis. Quia (sicut dictum est aliâs) infinitas non est speciale attributum: sed dicit modum intrinsecũ cuiuslibet attributi, & pari ratione magnum, quod quasi dicit in distincte, quod infinitum dicit distincte: ergo magnitudo essentiæ non distinguitur ab essentia, nec etiam illa distinctione, quæ est inter attributa, & perconsequens, qualitas secundùm illam magnitudinem, non distinguitur ab identitate, quæ est secundùm essentiam. Similiter magnitudo sapientiæ non distinguitur à sapientia, illa distinctione, quæ est inter attributa: ergo æqualitas secundum

dum magnitudinem ſapientiæ non diſtinguitur â ſimilitudine ſecũdũm ſapientiam: omnis autem magnitudo eſt, vel eſſentiæ, ſecundùm quam proprie eſt identitas: vel attributi, ſecundùm quam alicuius eſt ſimilitudo: ergo nulla videtur propriè æqualitas eſse in diuinis, diſtincta ab identitate, & ſimilitudine.

B. Sed contra: quia in creaturis poteſt eſſe ſimilitudo ſine æqualitate: ergo, &c.

C. Reſpondeo dicendum, quod poteſt concedi, quod ſicut in creaturis poteſt eſſe ſimilitudo ſine æqualitate, ſicut remiſſum album eſt ſimile intenſo albo; ſed non perfectè: non autem è conuerſo poteſt eſſe ſine ſimilitudine æqualitas, & hoc in forma illa, in qua aliqua nata ſunt aſſimilari: ideò comparando aliqua in forma, ſecundùm quam nata eſt eſſe ſimilitudo, æqualitas videtur quaſi determinare ſimilitudinem, & fundamentum ſimilitudinis: ita poteſt concedi hic, quod æqualitas non ita diſtinguitur ab identitate, & ſimilitudine, ſicut illa inter ſe: ſed quod ipſa dicat proprium modum fundamenti vtriuſque illarum duarum relationum, & quaſi etiam modum proprium vtriuſque relationis, ſcilicet quod tàm identitas, quàm ſimilitudo ſit perfecta: quia ſi per impoſsibile, Pater haberet Deitatem maiorem, & Filius minorem, eſſet aliqua identitas: ſed quia fundamentum identitatis non haberet eandem magnitudinem, non eſſet identitas perfecta: quia nec cum æqualitate. Similiter ſi per impoſsibile Pater haberet maiorem ſcientiam, & Filius minorem, eſſent aliquo modo ſimiles: ſed quia deficeret modus ille fundamenti, ſcilicet magnitudo perfecta: ideò non eſſet ſimilitudo perfecta.

Concluſio.

D. Ad argumentum *per hoc patet*, nunc autem magnitudo, quæ eſt quaſi modus fundamenti identitatis, & ſimilitudinis, fundat æqualitatem, quæ eſt quaſi modus ſimilitudinis, & identitatis: quia dicit vtramq; illarum, vt perfectam.

Expoſitio art. 6. quæſt. vni. diſtinctionis 31.

SVBTILITER reſoluit Doctor huius articuli materiam, conſtituens differentiam inter æqualitatem, & identitatem, ſeu ſimilitudinem: nam identitas ſaluatur in vnitate quidditatis: quæ ſi ſuſciperet magis, & minus: adhuc duo habentia inæquales quidditates eiuſdem ſpeciei, referrentur relatione identitatis: quia tamẽ nulla ſubſtantia, ſeu quidditas ſuſcipit magis, aut minus in indiuiduis: ideò quæ ſunt vnius naturæ referuntur ſimul relatione identitatis, & æqualitatis fundatæ in eadem quantitate virtutis talis naturæ. Ex quo infert Doctor, quod ſi per impoſsibile Pater in diuinis haberet maiorem Deitatem, quàm Filius, ibi non eſſet æqualitas in Deitate: ſed benè identitas, quia hæc abſtrahit à magnitudine; & ſolum fundatur in vnitate quidditatiua. Imò dico, quod circunſcripta per impoſsibile magnitudine à Deitate, maneret in diuinis perſonis eadem relatio identitatis, quæ nunc eſt: non tamen in eis eſſet æqualitas, aut inæqualitas. Cæterum ſimilitudo datur de facto increatis ſine æqualitate: quia cum qualitas ſuſcipiat magis & minus, datur vnum album intenſius alio, ſecundum intenſiores gradus albedinis, adhuc tamen ſalua ſimilitudine eorum: quia album intenſum, & remiſſum, ſunt verè ſimilia, licèt non æqualia in quantitate albedinis. Ex hoc colligit Doctor in textu, quod ſi per impoſsibile ſapientia Patris intenſior eſſet, quàm ſapientia Filij: adhuc tamẽ Pater, & Filius eſſent ſimiles, in qualitate ſapientiæ; licèt non eſſent æquales in magnitudine illius. Ex quibus concludit Doctor rationem differentialem relationum huiuſmodi.

DIFFICVLT. XCVIII.

Vtrùm relationes communes, identitatis videlicet, æqualitatis, & similitudinis sint reales in Deo?

§. 1.

Proponitur prima sententia cum suis argumentis.

1 *Prima opinio.*

DE relationibus his communibus identitatis, æqualitatis, & similitudinis, exactè pertractat Doctor per totius huius distinctionis 31. discursum: in qua quidquid ad huiusmodi difficultatem resoluendam requiritur, subtiliter prælibatum habetur: quam ob rem hæc difficultas poterat hîc nõ denuo excitari. Quia tamen recentiorum quorũdam ex acie contraria rationes aliquantulum vrgere videntur: opere pretium duxi, vt eis satisfacerem, iuxta doctrinam Scoticã, vltra ea, quæ in commentarijs sex præcedentium articulorum prænotaui, hãc difficultatẽ mouere. In ea ergo est opinio Diui Thomæ prima parte quæst. 42. art. 1. & in primo distinctione 19. quẽ sequuntur Caietanus dicta prima parte, & Canarienſis ibidem, cum fere omnibus Thomistis, qui tenent relationes huiusmodi, vel in Deo non esse, vel si ibi sunt, non esse reales. Tenuit Henricus quotlibeto 5. quæst. 1. Durandus in primo dist. 31. quæst. 1. Capreolus quæst. 1. art. 1. conclusione 3. in quam inclinare videntur Marsilius in 1. quæst. 33. art. 2. concluſ. 2. Gabriel ibidem, quæst. 1. & plerumque recentiores Thomistæ, & Iesuitæ, sic Vazquez prima parte disp. 166. cap. 2. & 3. quæ sententia varijs prædictorum Doctorum argumentis probatur, vltra ea, quæ in articulis textualibus habentur.

D. Thom. *Caietan.* *Canarienſ.* *Henricus.* *Durandus.* *Capreolus.* *Marsilius.* *Gabriel.* *Vazquez.*

2 Primò igitur probat Henricus hanc sententiam, quia sine fundamento reali, nõ est dabilis relatio realis: nam relatio realitatem sumit à fundamento: atqui in Deo non est qualitas, aut quantitas ex ipsa natura rei, sed tantùm secundum nostrum modum intelligendi: ergo relationes æqualitatis, & similitudinis in Deo, reales esse nequeunt.

3 Secundò arguit Durandus, quæstione citata num. 9. quia relationes huiusmodi in Deo fundantur in substantia: substantia autem Dei non petit pluralitatẽ, quatenus substantia est, sed secundum originem in personis: ergo secundùm se non potest esse fundamentum relationis realis, quæ postulat pluralitatem relatorum.

4 Tertiò arguit Canarienſis: nam relationes huiusmodi, ideò sunt communes diuinis personis, quia fundantur in vna essentia, quæ est vna in eis: sed eiusdem ad se ipsum non est relatio realis: igitur ratione vnius essentiæ, quam in se habẽt diuinæ personæ, non possunt realiter referri adinuicem. Nec potest esse fundamentum talium relationum, distinctio personarum, eo scilicet quod personæ realiter distinguũtur per origines: quia vna relatio non potest esse fundamentum, & causa alterius relationis realis.

5 Quartò tandem arguit Caietanus, cuius rationem, tanquam optimam, reiectis alijs, amplectitur Vazquez. Nam in eo genere relationis in quo fundamenta primo referuntur, & subiecta, ratione fundamentorum, necesse est fundamenta realiter distingui: quia non tantùm sunt fundamenta, sed ipsa extrema primaria relationum: extrema autem realiter debent differre: sed fundamenta relationum, quæ dicuntur primi generis, nempe identitatis, æqualitatis, & similitudinis, primo referuntur: nam quantitas primo dicitur alteri æqualis, qualitas alteri similis, substantia alteri eadem: ergo ipsa quoque debent distingui, vt sit relatio realis. Cum autem diuinæ personæ dicantur æquales, similes, & eædem ratione eiusdem numero naturæ, quam habent communem: ergo prædictæ relationes non sunt reales, sed rationis.

§. 2.

§. 2.

Ponitur vera Scoti sententia, & eius fundamenta explanantur.

6 *Vera Scoti sententia.*

IN oppositum autem est litera textualis in articulo 1. quæstionis vnicæ huius distinct. 31. vbi Doctor in corpore articuli hæc profert: *Non videtur igitur esse aliqua ratio, quare æqualitas Patris ad Filium, non debeat poni relatio realis.* Sequuntur Doctorem Basolis ibidem, quæst. 1. art. 2. & 3. Tataretus quæst. vnica per totam, Lichetus ibidem, Viguerius ibi §. *ad quæstionem*, Maironis ibidē, Antonius Andreas ibi, Bargius ibi, Ioannes de Colonia quæst. 343. dominus Rada prima parte controuersia 26. per totam, sed præsertim artic. 3. & omnes Scotistæ recentiores, & veteres demptо vno Rubione, qui solus inter cęteros à Doctore discedit.

Basolis. *Tataretus.* *Lichetus.* *Viguerius.* *Maironis.* *Ant. And.* *Bargius.* *Colonia.* *Rada.* *Rubion.*

7 Pro huius sententiæ intelligētia supponendum est illud, quod Doctor in præambulis ad articulos huius quæstionis supponit: videlicet tria ad relationem realem prærequiri. Primum est, quod fundamentum sit reale, & terminus realis. Quia tamen fundamentum reale, & terminus realis, in eodem subiecto poterant reperiri: siquidem vt diximus supra in difficultate 96. eadem est ratio fundandi, & terminandi in relationibus mutuis, quia secūdum idem, quo Pater fundat relationem ad Filium, terminat relationem Filij ad se, quod maximè tenet in relationibus primi generis, quæ fundantur in vnitate communi vtrique relato, & terminātur ad ipsam: ideò secundam conditionem, addidit Doctor, nimirum quod extrema relata realiter sint distincta. Quæ conditio nō est intelligenda de distinctione reali inter fundamentum, & terminum, sed de distinctione reali, inter extrema, in quibus sunt fundamentum, & terminus, seu ratio fundandi, & terminādi. Quod manifestè ostendo: nam ratio conuenię tiæ opponitur rationi distinctionis: si igitur rationes fundandi, & terminandi relationes primi generis, sunt vnitates conuenientiæ inter relata: ob idque relationes huiusmodi, à Doctore, & ab omnibus, vocantur relationes æquiparantiæ: profectò non requiritur distinctio illius rationis, in qua conueniunt relata: sed benè requiritur distinctio relatorum, quæ in ipsis rationibus conueniunt.

Hoc manifesto amplius, nam si relatio fundatur in vnitate, vt est vnitas eiusdem substantiæ, seu quantitatis, aut qualitatis: quanto intimior fuerit vnitas ista, tanto perfectior erit relatio fundata in tali vnitate. Vnde perfectius assimilantur duo alba, quàm album, & nigrum: hæc etenim assimilantur tātummodo similitudine fundata in vnitate generica coloris: illa autem assimilantur in intimiore vnitate specifica albedinis: quinimo, & vnitas gradualis, quia intra eandem speciem est intimior, fundat perfectiorē similitudinem inter duo alba eiusdē gradus intensionis: quam inter duo albā, quorū vnū est remissius, & aliud intēsius, in maiori, aut minori gradu albedinis. Quod si in distinctis numero albedinibus, hæc perfectior similitudo in intimiori vnitate fūdatur, procul dubio si eadem met albedo numero in pluribus subiectis realiter distinctis existeret, perfectissimam similitudinem illorum fundaret. Demus ergo, quod Deus eandem albedinem numero poneret in duobus subiectis, sicut potest ponere duas albedines numero distinctas in eodem subiecto: quod possibile esse tenet Scotus, supra in dist. 3. quæst. 6. art. 1. & de formis relatiuis; plures alij vltra Nostrates, qui admittūt in eodem numero subiecto posse esse plures relationes solo numero distinctas, id etiam de absolutis tenēt Doctores grauissimi, inter quos est sapientissimus Doctor Suarez tomo 1. Metaphysicæ disput. 5. sect. 8. à num. 20. vbi hoc esse possibile eleganter ostendit. Ad quod supponitur posse, non minori, iure ponere eandem albedinē numero in duobus subiectis, quod de facto fecisse cōstat in egressu Verbi incarnati de vtero Virginis Deiparæ: tunc enim idem accidens numero, nempe idem vbi, fuit in duobus corporibus. Quod etiam patet, quando clausis ianuis ingressus est ad discipulos, &

8

& licet negaretur hoc eſſe poſsibile, tamen debet admitti ex impoſsibili, ſicut admittitur hypoteſis, quod ſi Spiritus Sanctus à Filio nõ procederet, &c. hac ergo hypoteſi admiſſa, quod vna numero albedo eſſet in pluribus ſubiectis, ſine dubio omnia eſſent formaliter alba. Hac ergo vnica albedine, tam vnũ ſubiectum, quàm aliud denominaretur intrinſecè formaliter album: & ex conſequenti hoc eſſet formaliter album, ſicut illud: ergo aſsimilaretur illi in albedine, ſi quidem eſt verum dicere, quod verè ſunt duo formaliter alba, & realiter diſtincta inter ſe: imò & perfectius aſsimilãtur, quàm ſi duas diſtinctas numero albedines haberent: quia intimior vnitas, qualis eſt numerica, perfectius fundat relationem conuenientiæ, quàm vnitas ſpecifica. Non igitur obſtat maxima vnitas fundamenti, perfectiſsimæ relationi, eorum quæ referuntur, dummodo tamen ipſa relata inter ſe realiter diſtinguantur.

9 Ex his ergo ad propoſitũ patet, quod cum in diuinis perſonis ſit verè eadem ſubſtantia, eadem magnitudo, & eadem qualitas (voco attributa qualitates, ſicut ea vocauit Diuus Auguſtinus, quia ſunt quaſi qualitates reſpectu eſſentiæ) dum modo tamen ipſæ perſonæ realiter diſtinguantur: non officit identitas ſubſtãtiæ, magnitudinis, & qualitatis, relationibus realibus eorum: quia vnitas numerica fundamenti in relationibus primi generis, longè perfectius fundat relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis, quàm ſi talis vnitas eſſet ſpecifica. Si etenim duo alba habentia eandẽ numero albedinem, perfectius aſsimilarẽtur reali relatione ſimilitudinis, quàm ſi duas numero diſtinctas albedines haberent: cur diuinę perſonæ non perfectius aſsimilabuntur reali ſimilitudine, & idẽ tificabũtur reali relatione identitatis, & erũt æquales reali relatione æqualitatis, eo quod habent eandem numero eſſentiam, & eandem numero magnitudinẽ, & eandem numero ſapientiam? Profecto ſubtiliter inuenit Scotus has relationes communes eſſe reales ex prædictis duabus conditionibus, quarum prima eſt, quod ibi fundamentum, & ratio fundandi eſt realis: & inſuper, quia terminus, & ratio terminandi eſt realis. Et ſecunda cõditio eſt: quia ſcilicet extrema relata ſunt realiter diſtincta, non obſtãte quod in eis ratio fundandi, & terminandi, eſt vna, & eadem numero.

Verum inſurget Thomiſta ex Diuo Auguſtino 5. de Trinitate cap. 6. dicente, quod Pater & Filius ſunt æquales ſecundum eſſentiam: eſſentia autem eſt vna, & indiuiſibilis in vtroq;: ergo ſunt æquales ſecundum idem: ergo non ſecundum relationes diſtinctas æqualitatis, quarum vna ſit in Patre, & altera in Filio. Hanc tamen obiectionem egregie ſoluit Doctor in articulo ſecundo huius diſtinctionis, ſolutione ad primũ, quod duo alba dupliciter dicuntur aſsimilari, vel quidem fundamentaliter, vel ſecundo, formaliter. Priori modo dicũtur eſſe ſimilia ſecundum albedinem: quia albedo eſt fundamentum ſimilitudinis: formaliter vero, non per albedinem, ſed per formalem relationem ſimilitudinis, dicuntur referri & aſsimilari. Vnde duo alba habentia eandem numero albedinem, non dicerentur referri formaliter ſecundum albedinem, ſed bene fundamentaliter: quia albedo eadem numero eſt, & idem non refert ad idem. Similitudo tamen in tali albedine fundata, eſt realiter diſtincta à ſimilitudine alterius albi: & ideò formaliter aſsimilantur alba diſtinctis realiter ſimilitudinibus, quibus formaliter referuntur ad inuicẽ. Hoc modo (inquit Doctor) intelligẽdus eſt D. Aug. videlicet, quod in primo ſenſu, hoc eſt fundamentaliter, verum eſt dicere, quod Pater, & Filius ſunt æquales ſecundum eſſentiam: at verò formaliter non ſunt æquales ſecundum eſſentiam, ſed relationibus æqualitatis realiter diſtinctis, fundatis tamen in eadem eſſentia, quibus Pater refertur ad Filium, & Filius ad Patrem: quia relatio æqualitatis, quæ eſt in Patre, realiter diſtinguitur à relatione æqualitatis, quæ eſt in Filio: licet relatio æqualitatis, quæ eſt Patre, non realiter, ſed tantùm formaliter ex natura rei, diſtinguatur à relatione paternitatis, & ab alijs relationibus realibus, quæ ſunt in Patre. 10.

Tertia tandem conditio relationis realis ab Scoto aſsignata, eſt quod ex na- 11.

tura

tura extremorum, positis fundamento, & termino, sequatur ipsa talis relatio, *absque opere alterius potentiæ comparantis vnũ extremum alteri.* Quæ conditio non est intelligenda, ita vt excludat â ratione relationis realis, relationem extrinsecus aduenientem, de qua loquuti sumus supra in difficultate 95. quæ scilicet non consurgit ab intrinseco, positis fundamento, & termino: sed indiget aliquo applicante, seu producente. Nam Doctor in præsenti solum excludit relationes, quæ indigent ope alicuius potentiæ comparantis per actum comparatiuum, seu collatiuum: quia tãtummodo relationes, quæ ad comparationem huiusmodi consequuntur, sunt relationes rationis, prout visum est supra in difficultate 97. Quia igitur absque omni cõparatione intellectus, seu cuiuslibet alterius potentiæ comparantis, positis in diuinis personis, fundamento & termino, ex natura extremorum, est Pater æqualis Filio, & similis Filio, & idem Filio: consequenter Doctor concludit, relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis Patris ad Filium, esse reales: & similiter easdem Filij ad Patrem, reales esse.

12 Tandem est obseruandum relationes huiusmodi reales non omnes indigere distinctione reali, nisi tantum in extremis realiter distinctis, quæ referuntur per eas: respectu tamen aliarum relationum, quæ sunt sibi compossibiles, tanta distinctio reperitur, quanta est distinctio inter fundamenta earum. Ponamus enim in Patre essentiã, magnitudinẽ, sapientiã, & cætera attributa, hæc omnia distinguuntur in eo, & à paternitate, & inter se ad inuicem, distinctione formali, & ex natura rei, non vero realiter: quia in eis, quæ compossibilia sunt in vno supposito diuino, non datur realis distinctio, sed formalis ex eorũdẽ formalitatibus desumpta: hac ergo eadem distinctione, distinguuntur relationes reales fundatæ in huiusmodi formalitatibus, ita quod paternitas, & relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis, & tot, quot relationes æqualitatis & similitudinis sunt in Patre, in eo formaliter distinguuntur: non tamen realiter, quia vt dicit Scotus in art. 6. & in art. 4. sunt vna, & eadem res. At vero relationes huiusmodi non sunt eadem res cum relationibus sibi correspondentibus, quæ sunt in Filio, sed realiter distinctæ. Vnde enim ad inuicem Pater, & Filius realiter sunt æquales, & similes, & idem relatione identitatis, & se respiciunt relationibus originis: ex inde prouenit, quod sicut in Patre est vna relatio originis distincta realiter â relatione originis, quæ est in Filio: sic etiam æqualitatis relatio, seu relatio identitatis, aut similitudinis, quibus Pater est idem, æqualis, & similis Filio, distinguuntur realiter, à relationibus, quibus Filius est idem, & similis, & æqualis Patri. Quod egregie ex Doctore concluſit doctissimus Rada art. 3. concluſ. 8. Ex quibus fit manifestum, non obstare identitatis rationis, fundandi, & terminandi, realitati relationum, quæ fundantur in ea, & terminantur ad ipsam.

§. 3.

Statuuntur conclusiones huius difficultatis.

HIs præhabitis difficultatem cõcludẽdo dico primo, quod in diuinis est perfectissima æqualitas inter diuinas personas, fundata in magnitudine essentiæ, & attributorũ & in omnibus alijs, quæ in Deo sunt capacia magnitudinis. Concluſionem hãc statuo, quoad vltimam sui partem, vt excludam â ratione fundamenti relationum huiusmodi, diuinas relationes originis, quæ vt habetur ex difficultate 68. ideò non dicunt perfectionem, aut imperfectionem, nec sunt finitæ, aut infinitæ: quia entitates non quantæ sunt. Priorem vero partem cõcluſionis, quæ non minus procedit de similitudine, & identitate, quàm de æqualitate, sic probo, & primo ibi esse æqualitatem: quod de fide esse probatur, nam ex Symbolo Atanasij habetur, quod omnes tres personæ *Coæternæ sibi sunt, & coæquales*, & patet ex illo Apostoli ad Philipenses 2. *Nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, &c.* Ex quibus, & ex alijs pluribus locis

13. *Primaconclusio.*

Symb. Atanasij. Philip. 2.

Scrip-

Scripturæ infertur, Filium Dei Patri fuiſſe æqualem: imò ipſius æqualitatis fundamentum, in ipſo Athanaſij Symbolo aſsignatur, dum inquit, *quod eſt æqualis Patri ſecundum diuinitatem.* Nihil autem poteſt intelligi æquale alteri, ſine æqualitate: ergo ſi diuinæ perſonæ ſunt ſibi coæquales, & vna eſt æqualis alteri, ſecundum aliquid: neceſſariò eſt in eis vera æqualitas. Quod cõfirmatur auctoritate D. Auguſtin. 15. de Trinitate cap. 10. vbi ſic ait: *Quanta hic ſit diſimilitudo ab illo Dei verbo, quod in forma Dei ſic eſt, vt non antea fuerit formabile, priuſquam formatum, nec aliquando eſſe poſsit informe, ſed ſit forma ſimplex, & ſimpliciter æqualis ei, de quo eſt, & cui mirabiliter coæterna eſt.* Quæ præclara Auguſtini verba, indicant differentiam inter verbum creatum, & diuinum: & diuinum, Patri eſſe æquale oſtendunt.

D. Auguſt.

14 Quod autem æqualitas prædicta inter diuinas perſonas ſit perfectiſsima, manifeſtum eſt ex eo, quod æqualitas attẽditur pœnes conuenientiam perfectam in eadem vnitate magnitudinis: & quanto intimior fuerit vnitas, vt ſupra oſtendimus, tanto perfectior erit æqualitas: ſed vnitas magnitudinis, eſſentiæ ſeu attributi, in qua diuinæ perſonæ cõueniunt, eſt vnitas numerica, quæ eſt intimior omnibus vnitatibus: igitur æqualitas diuinarum perſonarum eſt perfectiſsima omnium æqualitatum: & ſimiliter relatio identitatis eſt perfectiſsima omnium identitatum, & tandem ſimilitudo eſt perfectiſsima omnium ſimilitudinum.

15 *Secunda cõcluſio.* Dico ſecundò, quod æqualitas, identitas, & ſimilitudo, ſunt ex natura rei in diuinis perſonis. Concluſio probatur ex eo, quod diuina æqualitas non pendet ex opere alicuius intellectus: circunſcripta etenim omni conſideratione, eſt Filius æqualis Patri: ergo ex natura rei eſt in eo æqualitas ad Patrem, & identitas ad Patrem, & ſimilitudo ad Patrem. Quod confirmatur, quia ſi dato per impoſsibile eſſet alia magnitudo in Patre, & alia minor in Filio, ita quod iſtæ duæ magnitudines differrent ſicut maius & minus à parte rei: procul omni dubio Filius eſſet ex natura rei Patri inæqualis; quia ex natura rei ſuppo-

nitur habere minorem magnitudinem magnitudine Patris: ergo ex oppoſito, eo quod habet eandem magnitudinem, quam habet Pater, & illam habet ex natura rei, eſt Patri æqualis ex natura rei independenter ab omni opere intellectus.

Dico tertiò, quod identitas, æqualitas, & ſimilitudo, quæ eſt inter diuinas perſonas, ſunt in eis relationes reales. Concluſio hæc eſt Doctoris, quæ ſatis ex ſupra notatis conſtat, ſed ex eis in forma probatur: nam ad relationem realem ſufficiunt illa tria, quæ Doctor in præambulis ad articulos huius quæſtionis ſuppoſuit, videlicet, quod fundamẽtum ſit reale, & terminus realis: item quod extrema relata ſint realiter diſtincta inter ſe, & tandẽ, quod relatio oriatur ex natura fundamenti, & termini ſine aliqua operatione potentiæ comparantis. Hæc autem tria reperiuntur in diuina æqualitate, ſimilitudine, & identitate, vt ſupra oſtendi: ergo ſunt relationes reales. 16 *Tertia cõcluſio.*

Hoc argumentum ſoluere laborant Thomiſtæ autumantes illas tres conditiones ad relationem realem non ſufficere, niſi fundamentum reale multiplicetur, & re ipſa in extremis relatis diſtinguatur: quia ergo diuina magnitudo eſſentia, & ſapientia, ſeu quodlibet attributum, non pluralificatur in diuinis perſonis, ſed in eis remanet vna, & eadem quidditas, vna magnitudo, & vna numero ſapientia, in quibus fundantur ſimilitudo, identitas, & æqualitas: ideò relationes reales non ſunt. Et ſolutio eſt totum fundamentum auctorum ſententiæ contrariæ. 17

Verumtamen ſolutio hæc ſatis deſtruitur ex ſupra obſeruatis numero 8. vbi manifeſtè oſtendimus futuros eſſe ſimiles duos homines habentes eandem numero albedinem. Et prætereà ad idem inſurgit Doctor, nam relatio quæ fundatur in aliquo fundamento, quatenus eſt vnum, non requirit maiorem diſtinctionem in fundamento, ad hoc vt realis ſit, quam relatio, quæ fundatur in aliquo, non vt vno: ſed relationes originis in diuinis fundantur in eſſentia, non vt vna: relatio vero æqualitatis fundatur in eſſentia, vt vna: ergo relatio æqualita- 18.

tis vt sit realis, non magis, imò multo minus requirit distinctionem seu plurificationem in fundamento, quàm relationes originis. Tunc sic, sed relationes originis, stante vnitate fundamenti, sunt relationes reales: ergo maiori iure dicitur relatio æqualitatis realis. Huius argumenti minorem negat Caietanus dicens, quod relationes originis fundantur supra actionem, & passionem, non vero supra essentiam.

19 Sed contra Caietanum sic arguo, & suppono ex supradictis in difficultate 86. relationem, originem, & potentiã generandi esse idem formaliter ex natura rei indistinctum, quinimo nec secundum scholã D. Thomæ distinguũtur hæc inter se, distinctione rationis ratiocinatæ, aut virtuali seu fundamentali, sicut distinguitur relatio ab essentia, sed tantummodo secundũ nostros conceptus inadæquatos à creaturis desumptos. Ex quibus sic arguo, relatio originis per vos est relatio realis: quia à nemine, hoc negatur. Rursus ad relationem realem requiritur fundamentũ reale aliquo modo ex natura rei, vel saltim fundamentaliter, ab ipsa relatione distinctum: sed inter actionem generãdi, seu originem, & relationem paternitatis, non est aliqua distinctio formalis ex natura rei, aut fundamentalis, aut virtualis, aut rationis ratiocinatæ: sed tantùm mera distinctio rationis ratiocinantis ex conceptibus creaturarum inadæquate desumpta: ergo relatio Paternitatis nequit fundari in origine relationis actiuæ. Consequentiam probo: quia tunc relatio fundaretur in se ipsa, si quidem omni identitate opposita nostræ considerationi distinguenti, sunt idem: nostra autem consideratio distinguens, nihil ponit in re. Vnde hac nostra consideratione circumscripta, proculdubio nulla in diuinis esset ratio fundandi relationem, nec relatio fundata in fundamento: quia igitur inter paternitatem, & essentiam, interuenit formalis distinctio, vel saltim rationis ratiocinatæ, quæ sufficit interesse inter fundamentum reale, & relationem realem, in ipso fundatam: ideò Scotus subtiliter posuit relationes originis in diuina essentia fundari.

§. 4.

Soluuntur argumenta prioris sententiæ.

IAM ergo ad argumenta oppositæ classis oportet respondeamus, & ad primum Henrici dico, maiorem esse veram, sed minorem falsam: quia licet in Deo non sit quantitas molis, est tamen in eo vera quantitas virtutis, infinita, secundum quam dixit Propheta de illo, *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnæ virtutis eius*: & in quantitate virtutis reali, optime fundatur realis æqualitas, secundum talem quantitatẽ. Item, licet ibi non sit qualitas, de prædicamento qualitatis, est tamen perfectio quasi qualitatiua, quæ ideò ab Augustino, vocatur qualitas Dei, quia non est de essentia Dei, sed ad modũ qualitatis est in illo. Ista autem quantitas, & qualitas, sunt in Deo ex natura rei, & non solùm secundum nostrum modum intelligendi, quia attributa Dei ex natura rei in Deo esse, ibique ex natura rei formaliter esse distincta, late in difficultate 67. supra ostendi. 20 *Ad argumẽta prioris sẽtentiæ, & ad primum*

Ad secundum Durandi respondeo, quod licet diuina substantia, secundum quod fundat æqualitatem, non petat pluralitatem: bene tamen pluralitatem supponit. Vnde ipsa, secũdum quod est vna in personis, fundat æqualitatem realem earum: sed necessariò supponit secundum origines personas esse realiter distinctas. Ex quo infertur, quod relatio æqualitatis (& idem dico de alijs communibus) supponit relationes originis, eadem ratione, qua necessariò supponit relata extrema realiter distinguì. Vnde essentia prius fundat relationes originis, quàm relationes æqualitatis, identitatis, & similitudinis. 21. *Ad secundum.*

Ad tertium argumentum Canariensis dico, relationes istas ideò communes esse diuinis personis, quia fundantur in vnitate essentiæ, magnitudinis, & sapiẽtiæ, &c. Et concedo, quod tàm essentia, quam magnitudo, quàm sapientia est vna, & eadem in ipsis personis. Et etiam admitto, quod eiusdem ad se ipsum, nõ 22 *Ad tertiũ.*

est

est relatio realis : & ideò non refertur essentia ad se ipsam, nec magnitudo ad se ipsam, nec sapientia ad se ipsam. Sed ex his vnde locus, vt impediatur relatio distinctæ personæ, ad personam distinctam, dummodo relatio sit realiter distincta à relatione, quæ est in altero extremo relato? Nam licet fundamentum vtriusque relationis, sit eadem numero essentia existens in vtraque persona: ad summum exinde infertur, quod personæ non referuntur æqualitate formali secundum essentiam, sed tantùm æqualitate fundamentali: quod Doctor subtiliter docuit, vt visum est supra. At qui loquendo de æqualitate formali, de qua hîc procedimus, non verum dicit Canarienſis, quod ibi est æqualitas secũdum essentiam : nam Pater est Filio æqualis formaliter, per relationem realé æqualitatis, quam in se habet realiter distinctam à relatione æqualitatis, qua Filius ex aduerso est formaliter æqualis Patri: & ideò licet ratione vnius essentiæ non referantur adinuicem Pater, & Filius formaliter : referuntur nihilominus ratione vnius essentiæ fundamentaliter. Quod autem ait Canarienſis distinctionem personarum, non posse esse fundamentum istarum relationum, libenter admitto : sed non ea ratione, quam Canariẽsis adducit : nam relatio bene potest fundari super aliam relationem, vt egregie ex Doctore, probat Pater Herrera in primo disputatione 8. quæst.4.cõclusione 3.quod euidẽs est: nam duæ paternitates, seu aliæ duæ relationes eiusdem speciei, non minus referuntur relatione identitatis, quàm duo alia entia eiusdem naturæ specificæ: hæc tamen relatio identitatis immediate in ipsis relationibus paternitatis fundatur. Non ergo ex hoc, quod diuinæ origines, seu principia constitutiua personarum, relationes sunt, inconuenit esse fundamenta relationum communium: sed ex eo inconuenit: quia cũ relationes disquiparantiæ sint, non possunt fundare relationes æquiparantiæ, quæ necessariò in vnitate substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, immediate fundantur.

23 *Ad quartũ* Ad quartum Caietani, quo Vazquius credit suam sententiam demonstrari, respondeo, primam propositionem esse falsam, nam fundamenta relationum æquiparantiæ, non necessario primo referuntur; nec subiecta talium relationũ, referuntur ratione fundamentorum, nec talia fundamenta realiter distinguũtur, nec sunt primaria extrema relationum. Omnes istas quatuor propositiones, quas simul pro maiori propositione assumit, falsas esse ostendo. Primo: nam fundamenta non primo referuntur: quia natura humana Petri, non refertur ad naturam humanam Pauli: licet bene Petrus relatione identitatis fundatæ in vnitate specifica humanæ naturæ communis vtrique realiter referatur ad Paulum. Et hoc euidenter potest deduci: ex eo quod omnis relatio essentialiter postulat fundamentum: & ex consequenti si fundamenta talium relationum primo referuntur ad inuicem: cõsequenter relationes, quibus referũtur, in alijs fundamentis realibus fundãtur, & tunc de illis fundamentis, si etiam primo referantur, eodem modo inquiro in quo fundentur, & tunc in infinitum proceditur. Quo manet prima propositio prædictarum improbata. Sed esto quod esset vera: iam secunda est falsa, quia subiecta non ratione fundamentorum formaliter referuntur, vt subtiliter notauit Scotus: sed ratione realium relationum, quæ fundantur in ipsis, vt supra explicui. Item tertiæ propositionis falsitas ostenditur, quia non requiritur distinctio realis fundamenti, ad realitatem relationum, vt probatum est in exẽplo de duobus similibus habentibus eandem numero albedinem. Quarta tãdem propositio ex improbatione primæ cõfutatur: si quidem ibi ostendimus, fundamenta ipsa non esse primo relata, ex cuius consequenti habetur, non esse prĩmaria extrema relationum. Vnde licet extrema realiter debeant differre (hæc enim est secunda conditio relationis realis ab Scoto assignata) non ob id requiritur realis distinctio fundamentorum. Ex his ergo minorem etiam prædicti argumenti absolute negamus, videlicet fundamenta relationum primi generis primo referri, nam quantitas non necessario dicitur alteri æqualis, quatenus fundat relationem æqualita-

tis: quia quatenus fundat relationem huiusmodi, concipitur vt vna, eo quod talis relatio proxime in vnitate quãtitatis fundatur, & vnitas, vt vnitas ad se ipsam referri non potest. Quod idem de relationibus identitatis & similitudinis dicendum est. Quinimo possem contra Vazquem argumentũ retorquere: nã si quantitas, vt fundat relationem, est alteri æqualis, cõsequeter vt fũdat, distinguitur ab æquali: ergo vt fũdat, fundat relationẽ distinctionis & non vnitatis. Sed relatio æqualitatis in hoc differt à relatione inæqualitatis, quod hæc est per diuersitatem, illa vero per vnitatem: ergo, &c.

DISCTINTIO XXXII.

Hic oritur quæstio, &c.

IRCA distinctionem trigesimam secundã, quæro duo. Primò, vtrùm Pater, & Filius diligant se, Spiritu sancto? Secundo, vtrùm Pater sit sapiens sapientia genita? Et quia illa, quæ sunt in intellectu, sunt manifestiora: primò respondendum est ad secundam quæstionem.

QVAESTIO I.

De sapientia Patris.

AD istam quæstionẽ soluendam, in qua quæritur de sapientia Patris, quæruntur quatuor.

¶ Primò. Vtrùm Verbum diuinum sit declaratiuum omnis declarabilis, ex vi suæ productionis?

¶ Secundò. Vtrùm in aliquo sensu verum sit, quod Pater dicit Verbo?

¶ Tertiò. Vtrùm declarare formaliter omne declarabile sit proprium Verbi?

¶ Quartò. Vtrùm Pater sit sapiens sapientia genita?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Verbum diuinum sit declaratiuum omnis declarabilis ex vi productionis suæ?

AD primum sic proceditur, videtur, quod Verbũ diuinũ nõ sit declaratiuum omnis declarabilis ex vi productionis suę. Quia Pater declarat: ergo, &c. A.

Sed contra est: quia Augustin. septimo de Trinitate capite decimotertio, ait: si enim hoc verbum, quod nos proferimus, temporale, & transitorium, & se ipsum ostendit, & illud de quo loquimur: quanto magis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, &c.

C. Respondeo dicendum ad istam quæstionem soluendam, & primo videamus de intellectu nostro: ibi enim memoria gignit notitiam actualem, quæ ad memoriam habet duplicem habitudinem, vel relationem: videlicet geniti, ad gignẽs: & hæc est de secundo modo relatiuorum, & mutua: & alia est declarantis ad declaratum: & hæc tertij modi, & non mutua. Sicut autem notitia genita declarat formaliter obiectum latens in memoria: ita illud quod producit notitiam actualem, & dat illi istam vim declarandi, potest dici declarare ista notia, quasi effectiuè: si enim aliquis producat speculum, & in eo imagines relucentes: hoc speculum formaliter declarat illa relucentia, & tamen illud producens speculum effectiuè declarat.

D. & istud magis apparet, si actus animæ, qui non sunt veræ factiones, significarentur per verba neutra, non actiua: nunc autẽ significantur per verba actiua propter illam habitudinem, quam habent ad obiecta, in quæ transeunt, quasi in terminum: licet nihil causent in illis obiectis: tunc enim si essent neutra, significarent formaliter illam realitatem, à qua imponuntur inesse subiecto: & tunc possent alia verba actiua imponi ab eisdem formis, quæ significarent productionem talium: & tunc notitia genita formaliter esset declaratiua obiecti: sed producens diceretur effectiuè causare formam, sicut alias dictum est, quod similitudo potest esse illud, in quo fundatur relatio actiui, & passiui: ita quod sicut assimilans est dans similitudinem: ita tunc declarans, actiuè sumptum, esset efficiens ipsam declarationem formalem in ipso actu animæ, siue in subiecto illius actus.

E. Ad propositum applicando: Verbum diuinum à Patre exprimitur, & hæc expressio est relatio originis: huic enim expresso communicatur ex vi productionis suæ notitia infinita, quæ ex hoc est declaratiua omnis declarabilis: habet igitur relationem realem ad exprimentem, à quo gignitur: sed aliam, scilicet declarantis habet, non tantùm ad ipsum: sed quia est infinitum habet respectum declaratiui ad se, & ad ipsum, & ad omnia alia: & ista est tantùm relatio rationis: quia non tantùm est ad creaturam, sed ad se ipsum, etsi nulla relatio realis est ipsius ad creaturam, ex dist. 30. multo magis igitur non eiusdem ad se est relatio realis.

Ad argumentum dico, quod istud F. declarare competit formaliter Verbo: producenti autem competit principiatiuè: sicut in nobis competebat memoriæ effectiuè: & tunc Verbum formaliter declarat omne declarabile; Pater autem Verbo declarat: non formaliter: sed principiatiuè, in quãtum sibi communicat notitiam actualem infinitam, quam Verbum actualiter declarat.

Expositio art. 1. quæst. 1. distinctionis 32.

NON eget litera huius textus exponi: ibi enim clare ostẽdit Doctor ex cõparatione verbi creati, ad increatum, Verbum dicere vnam relationem realem ad Patrem, tanquam ad gignentem, quæ est vera relatio originis, qua in esse Filij constituitur: & aliam relationem rationis ad ipsum Patrem, qua tenus procedit ab illo, vt habens notitiam ingenitam, sibi ab eo communicatam: qua est formaliter declaratiuum obiecti intellecti per illam: nam licet Pater per productionem Verbi, non declaret formaliter tale obiectum: est tamen quasi effectiue declarans, quatenus scilicet producit Verbum sic formaliter declaratiuum illius.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in aliquo sensu verum sit, quod Pater dicit Verbo?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod in nullo sensu verũ sit, quod Pater dicit Verbo. Quia Ricard. 6. de Trinitate cap. 2. *ait*, quod solus Pater dicit: & August. *quod Pater* dixit Verbum, in quo omnia disposuit: *ergo* nõ dicit Verbo, sed Verbum.

B. Sed contra est, quia August. 7. de Trinitate cap. 1. & 2. *ait*, quod Pater dicit Verbo: hoc etiam modo loquitur 15. de Trinitate cap. 14.

C. Respondeo dicendum, quod applicando istam realitatem (*de qua in præcedenti articulo*) ad illud vocabulum, quod est dicere: dico, quod dicere, vno modo essentialiter accipitur, vt patet per Anselm. Monol. 63. & sic non loquitur Augustin. quia secundum ipsum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum dicens, & quælibet persona formaliter dicit, & nulla dicit alia ablatiuè. Alio modo accipitur personaliter, & sic denotatur significare illam relationem originis, quæ est gignentis ad genitum, & hoc modo solus Pater dicit, non quidem Verbo: sed Verbum alio modo potest significare istam habitudinem rationis, quæ est declarare: & hoc prout declarare conuenit alicui formaliter, & sic Verbum dicit omnia declarabilia, & se ipsum se ipso formaliter. De hoc loquitur August. septimo de Trinitate capit. 3. si enim hoc verbum, quod nos proferimus temporale, & transitorium, & se ipsum ostendit, &c. *vt §. sed contra patuit in primo articulo*: & sic est essentiale, & appropriatur vni personæ: nam quælibet persona declarat sua intelligentia, quæ in ipsa est: appropriatur tamen Filio, vt patebit ex dubitatione sequente. Quarto significare potest istam eandem habitudinem declarantis, prout conuenit alicui, non formaliter, sed principiatiuè, & hoc modo dicitur de Patre, quod dicit Verbo, & isto modo loquitur D. Augustin. septimo de Trinitate cap. 1. & 2. & decimoquinto de Trinitate cap. 14. quod Pater se ipsum dicens genuit Filium sibi æqualem per omnia: vbi accipit dicere pro eo, quod est principiatiuè declarare: licet non addat ibi illud principiatiuum, quo Pater dicit: & sic principale significatum eius est essentiale: cõnotat tamen notionale, vt supra dictum est de dono.

D. In qua igitur habitudine constituitur? dico, quod etsi dicere sic sumptum, esset idem quod causare, denotaretur habere rationem principij actiui subauctoritatiui: sed quia non sunt idem: ideò dico, quod denotatur habere rationem formalem principij subauctoritatiui, & in habitudine talis principij constituitur.

E. Ad argumentum ex dictis patet, quod dicere accipitur alio modo personaliter, & sic denotatur significare illam relationem originis, quæ est gignentis, & hoc modo solus Pater dicit, non Verbo, sed Verbum: & hoc modo loquitur Ricardus, & Augustinus.

Expositio art. 2. quæst. 1. distinctionis 32.

QVALITER posit intelligi, Patrẽ dicere Verbo, Doctor ostendit, facta prius diuisione modorũ, quibus dicere, potest intelligi: in qua litera nihil difficile explanandum se offert, eo quod omnia hîc breuiter, & clare habentur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm declarare formaliter omne declarabile, sit proprium Verbi?

A. AD tertium sic proceditur, videtur, quod declarare formaliter omne declarabile, sit proprium Verbi. Quia dicunt aliqui, quod ex vi processionis suæ hoc sibi soli competit.

B. Sed contra est, quod de hoc dictũ est supra dist.27.quæst.3.de dono generaliter.

C. Respondeo dicendum, quod cum istud verbum, declarare, dicat relationem rationis: & nulla talis relatio est propria alicui personę, nec includitur in proprio alicuius personæ (sicut probatum est dist. 18. de dono) hoc manifestare non est proprium Verbo, nec includitur in eius proprio: sed tantùm est ei appropriatum, pro eo quod Verbũ ex vi productionis suæ, habet notitiam actualem sibi communicatam. Pater autem, licet habeat eandem notitiam, tamen ex ea vi, qua producit, est memoria, & non producit in quantum actualis notitia: notitiæ enim actuali, vnde actualis est, cõuenit declarare: & ideò declarare magis conuenit cum proprio Filij, quam cũ proprio aliarũ personarũ, & ita magis sibi appropriatur: verè tamẽ est in omni alia persona: quia quælibet habet actualem declarationẽ, in quantũ est actualis notitia, & æquè declaratiua realiter: sicut est illa notitia actualis, quæ est Verbum. Declarat igitur formaliter Pater omnia in se ipso, sicut Filius formaliter declarat omnia se ipso, & Spiritus sanctus formaliter omnia se ipso declarat. Declarant etiã Pater, & Filius Spiritu sancto principiatiue, licet isti modi accipiendi declarare formaliter, & principiatiuè non sint ita vsitati, sicut illi quibus Verbum dicitur declarare formaliter, & Pater principiatiuè Verbo.

Ad argumentum ex dictis patet, quod etiam declarat formaliter Pater omnia in se ipso, sicut Filius, &c. ratio autem maioris vsitationis istorũ verborum, quibus Verbum dicitur declarare formaliter, & Pater principatiuè: est propter appropriationem notitiæ actualis ad Verbum. D.

Expositio art. 3. quæst. 1. distinctionis 32.

CONCLVSIO huius articuli in duobus consistit, primum videlicet, quod declarare, dicit relationem rationis, & quod nulla talis relatio est propria alicuius personæ. Secundum vero est, quod declarare æquè competit tribus personis, licet appropriate tantùm conueniat Verbo. Cuius rationẽ redit Doctor: quia scilicet declarare cõpetit notitiæ actuali, vt actualis est: hæc tamen notitia actualis æque reperitur in tribus. Ex cuius contextu colligitur, non hic loquutũ fuisse de notitia genita, sed de ingenita, hæc etenim æque competit tribus, quia est quid essentiale: illa vero, non nisi tantũmodo Verbo, quia est quid personale, & notionale. Quare autem appropriate competat Verbo, plusquam alijs personis, habetur clare in textu.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Pater sit sapiens sapientia genita?

A. AD quartum sic proceditur, videtur, quod Pater sit sapiens sapientia genita. Quia Pater dicit Verbo secundum Augustũ. 7. de Trinit. cap. 1. vel 2. sed secundum Anselmum Monol. 63. nihil aliud est summo spiritui dicere, quàm quasi cogitãdo intueri: igitur Pater intuetur Verbo, & ita sapit Verbo.

Secun-

B. Secũdò præterea: quia ſi hoc, quod eſt ſapere Verbo nõ conuenit alicui perſonæ, quomodo cõceditur, quod Spiritus ſanctus dicit Verbo?

Sed contra eſt, quod Auguſt. 7. de Trinitat. cap. 4. ait, Pater eo eſt, quo ſapit: quia idem eſt ſapere, & eſſe: ergo ſi ſaperet Verbo, eſſet etiam Verbo.

C. Reſpondeo dicendum ad quæſtionem, & concedo negatiuam partem quæſtionis propter rationem D. Auguſtini ſeptimo de Trinitate cap. 4. Cuius declaratio eſt iſta, actus eſſentialis non poteſt eſſe alicuius ſuppoſiti mediante aliquo principio vt quo, niſi illud ſit tali perſonæ principium eſſendi formale: vt Pater ſapit ſapientia ingenita: vel ſit principium ſibi eſſendi principiatiuum: quomodo Magiſter concedit, quod Filius ſapit ſapientia ingenita, à qua habet quod ſapiat: vel ſit principium ſubauctoritatiuum reſpectu talis actus: quomodo conceditur, quod Pater creat Verbo: ſed Filius, ſiue ſapientia genita, non eſt Patri principium eſſendi formale, nec principiatiuum, nec principium actiuum ſubauctoritatiuum reſpectu actus eſſentialis: quia Verbum non producit iſtum actum in ſe, ſed cõmunicatur ſibi â Patre: & principium actiuum ſubauctoritatiuum habet rationem producentis actus, reſpectu cuius dicitur principium tale, quomodo conceditur, quod Pater creat Verbo: ſapere autem eſt actus eſſentialis: ergo Pater non ſapit ſapientia genita. Concedit autem Magiſter, & benè, quod Pater eſt ſapiens ſapientia ingenita, ſicut formali principio: Filius autem ſapit ſapientia ingenita ſicut principio principiatiuo.

D. Ad primum argumentum in oppoſitum dico, quod D. Anſelm. accipit ibi dicere mere eſſentialiter, ſcilicet pro actualiter intelligere, ſicut expreſſe vult capite eodem, vbi vult, quod ſunt vnus dicens, ſicut vnus intelligens. Et licet quilibet dicat etiam quemlibet: tamen ſunt vnus in ratione dicentis: & dicti ſic ſunt vnus intelligens, & vnum intellectum. Et iſte modus eſt valde extenſiuus huius nominis, quod eſt dicere: quia nec ſignificat illam relationem originis, nec connotat eam: ſicut nec intelligere, vel ſapere: & hoc modo non dicit D. Auguſt. quod Pater dicit Verbo.

Ad ſecundum reſpondeo, quod dicit Verbo, ſicut intelligit Verbo: ſed non pro exprimere, nec pro declarare, niſi accipiatur formaliter: quia Spiritus ſanctus formaliter declarat omne declarabile: non autem pro declarare principiatiuè, niſi forte reſpectu creaturæ: quia loquendo de manifeſtatione creaturæ, illã efficit tota Trinitas: & quia abſolutè ſuper manifeſtationem formalem Verbi, non comparando ad creaturã, Spiritus ſanctus non habet aliquam rationẽ principij: quia non dat Verbo illud quo formaliter Verbum eſt manifeſtatiuũ: ideò non videtur aliquo modo concedendũ. Nec Anſelm. dicit, quod Spiritus ſanctus dicit Verbo, licet videat omnia in Verbo: ita etiã quilibet beatus videt omnia in Verbo, & quilibet perſona videt in qualibet ſecundum D. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 14. ſed dicere Verbo, videtur importare aliquã auctoritatem dicentis Verbo, reſpectu Verbi, in quantum eſt declaratiuũ formaliter. E.

Expoſitio art. 4. quæſt. 1. diſtinctionis 32.

SATIS præclare explicat Doctor auctoritatem Auguſtini, & concludit Patrem non eſſe ſapientem ſapientia genita. Quæ litera expoſitione non eget. Ex argumento autem eiuſdem Auguſtini, quod ponit pro ratione concluſionis in §. *ſed contra*, videtur ſequi, ſapientiam non diſtingui ab eſſentia, neq;

paternitate, & ex consequenti distinctionem relationum, & attributorum cõfundi: sed quia hæc, & aliæ similes auctoritates Sanctorum Patruum, manent expositæ supra in difficultate 54. & difficultate 67. à numero 86. ideò hîc non exponitur, sed illud remittitur.

QVAESTIO II.

De dilectione Patris, & Filij in Spiritu Sancto.

CIRCA quæstionem secundam de dilectione qua Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, quæruntur tria.

¶ Primò. Vtrùm propositio hæc, Pater, & Filius diligunt se Spiritus sancto, fuerit retractata a D. Augustino?

¶ Secundò. Vtrùm Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto, sit Patrem, & Filium spirare amorem?

¶ Tertiò. Vtrùm Pater, & Filius diligãt se Spiritu sancto, & in quo sensu propositio sit vera.

ARTICVLVS I.

Vtrùm propositio hæc Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, fuerit retractata à D. August.

A. AD primum sic proceditur, videtur, quod propositio hæc, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, fuerit retractata ab Augustino. Quia Augustin. in simili, primo Retratationũ capite vigesimo sexto, vbi retractat istam, Pater est sapiens sapientia genita, cui ista videtur assimilari, istam videtur ab eo retractatam esse in illa: ergo, &c.

Sed contra est: quia August. non retractat dicta aliorum Sanctorum, qui videntur istam propositionem concedere. B.

Respondeo dicendum, quod aliqui negauerunt istam propositionnẽ, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, & dixerunt ab Augustino retractatam. Sed contra, quia non solùm diuersas materias retractandas Augustin. seorsum retractat, sed etiã eandem materiam, quæ in diuersis libris ponitur, quæ tamen est retractanda, Augustin. pluries retractat, quando scilicet facit mentionem de illis libris diuersis: ergo multomagis istã retractaret seorsum, si esse retractanda. C.

Ad argumentum in oppositum D. ex dictis patet solutio.

Expositio art. 1. quæst. 2. distinctionis 32.

CONCLVSIO est aperte clara in textu, quæ non agit de veritate propositionis istius, *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*: sed de retractatione D. Augustini, quæ ibi patet ab eo retractata non esse.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto, sit Patrem, & Filium spirare amorem?

A. AD secundum sic proceditur, videtur, quod Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto, nihil aliud sit, quàm Patrẽ & Filium spirare amorem. Quia sicut dicere, est Verbum producere, & florere, est flores producere: sic diligere est spirare amorẽ, sicut igitur arbor dicitur florẽs floribus: ita Pater dicitur dicens Verbo, vel Filio, se, & creaturam, & Pater & Filius dicuntur diligentes se, & nos Spiritu sancto, vel amore procedente.

B. Sed cõtra est: quia sicut ædificare distincte importat terminũ, qui est ędificiũ, non tamen conceditur, quod ædificatur ędificat ędificio: ita in proposito, etiã spirare distinctius importat spiritũ, quã diligere: & tamẽ non cõceditur, quod Pater, & Filius spirẽt Spiritu sancto. Itẽ, etsi talis prædicatio cõcederetur: non tamẽ vt est cõuersiua super agẽs: quia nõ concederetur, de igne dici aliquid, quod terminaretur ad ipsum ignem, vt aliquo producto à se.

C. Respõdeo dicẽdũ, quod istã quæstionẽ, vtrũ scilicet Pater, & Filius diligãt se Spiritu sancto, Magister reputat difficilẽ, & dimitit eã insolutã. Aliter tamẽ dicitur, quod ablatiuus iste, cõstruitur in ratione effectus causæ formalis. Quod declaratur primo sic, licet nõ omnis res sit forma: tamẽ omne illud, à quo aliquid denominatur, quãtũ ad hoc habet habitudinẽ formæ, vt dicatur, iste est inductus in dumẽto: iste ablatiuus, indumẽto, cõstruitur in habitudine causę formalis licet nõ sit forma hominis: cõtingit autẽ aliquid denominari per illud, q ab ipso procedit: nõ solũ sicut agens ab actione, sed etiã sicut termino actionis, qui est effectº, quãdo ipse effectus in intellectu actionis includitur: dicimus enim, quod ignis est calefaciẽs calefactione, quãuis calefactio nõ sit calor, qui est forma ignis, sed actio quæ ab igne procedit: & dicimus, quod arbor est florẽs floribus, quãvis flores nõ sint forma arboris, sed quidã effectus ab ipsa procedentes. Secundũ hoc igitur dicendũ (*inquit hæc opinio*) quod cũ diligere in diuinis dupliciter sumatur, scilicet essẽtialiter, & notionaliter: secundum q essentialiter sumitur, sic Pater, & Filius nõ diligunt se Spiritu sancto, sed essentia sua. Vnde August. 15. de Trinit. cap. 7. vel 15. at vero (inquit) in illa Trinitate quis audeat dicere Patrẽ nec se ipsum, nec Filiũ, nec Spiritum sanctũ intelligere, nisi per Filium, vel diligere, nisi per Spiritum sanctũ? Secundũ autẽ quod notionaliter sumitur, sic diligere nihil aliud est, quàm spirare amorem, sicut dicere est Verbum producere, & Pater, & Filius dicuntur diligentes se Spiritu sancto, vel amore procedente.

Senten. D. Thom. 1. p. q. 37. a. 2.

D. Sed cõtra: quia in cõstructione trãsitiua nunquã effectus cõstruitur cũ ablatiuo: diligere autẽ est verbũ trãsitiuũ. Præterea, exẽplũ, cui innitũtur nõ est ad propositũ, sed ad oppositũ: florere enim est verbũ neutrum, & nõ significat formaliter propositionem alicuius: omne quippe verbum neutrũ, vnũ & idem significat cum nomine adiectiuo, si esset nomẽ impositũ, nisi quod nomẽ significat per modũ habitus, & quietis: verbum autẽ quasi significat infieri, sicut idẽ significat calidum esse quasi inquiete, & calore quasi infieri: & sicut tale nomen denominatiuum posset dici de aliquo cum ablatiuo denotante illud, à quo subiectum denominatur tali denominatione: ita verbum neutrum posset construi cum ablati-

uo in eadem habitudine formæ denominãtis: ita enim cõceditur, quod ignis calet calore, ſicut eſt calidus calore: & vtrumque eſt in ratione formæ, à qua eſt iſta denominatio per modum quietis in vno, & per modũ fieri in altero: iſta autẽ forma in aliquo aliquando eſt inhærens, vt qualitas, aliquando ſe habet per modum formæ ab extra denominantis, ſicut eſt de genere habitus, vel ad modũ illius, & vtroq; modo poteſt fieri denominatio: & ſicut aliquid denominatur non tantùm a forma, ſed ab aliquo extrinſeco quãdoque: ita denominatiuum poſſet dici de eo cum illo extrinſeco ablatiue sũpto, & hoc ſiue illud ablatiuum ſignificetur nominaliter, ſiue verbaliter: ſicut enim poſſet dici iſte ornatus veſtimento, prout ornatus ſignificat aliquid de genere habitus: ita poſſet dici, iſte nitet veſtimento, vel aliquo alio verbo neutro, quod ſignificaret idem cum iſto denominatiuo, ſcilicet eſſe ornatum. Et ita eſt in propoſito: quia arborem florere non ſignificat formaliter, arborem producere florem. Ita in propoſito etiã ſpirare diſtinctius (vt dictum eſt) importat Spiritũ ſanctum, quam diligere.

Concluſio.

E. Ad argumentum patet, quod exẽplum eſt ad oppoſitum, ſi enim ponatur verbum actiuum, quod ſic ſignificet, putà florificare (ſi eſſet in vſu) hæc eſſet falſa, arbor florificat floribus: hæc autem eſſet vera arbor floret floribus: quia per iſtud verbũ neutrum ſignificatur aliquid denominãs ſubiectum, quaſi per modũ habitus: quia licet non ſit proprie habitus in inanimatis (quia proprie habitus eſt tantùm in animatis) poſſunt tamen denominari ab aliquo adiacente, q̃ in quantũ eſt aliquo modo ornamentum, vel tegumentum eorum: poteſt reduci ad genus habitus. Et tũc ſicut diceretur arbor eſt florida floribus, & ablatiuus cõſtrueretur in ratione illius, a quo ſubiectum denominatur ſecundum talem denominationem: ita etiam conſtruitur ly floribus, cũ hoc verbo florere. Exemplum igitur eſt ad oppoſitum, loquẽdo de verbo actiuo, & nihil ad propoſitum, vt verum eſt de verbo neutro.

Expoſitio art. 2. quæſt. 2. diſtinctionis 32.

SVPPOSITO ex præcedenti articulo, propoſitionem prædictam, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*, eſſe D. Auguſt. & non retractatã ab eo: procedit Doctor in præſenti, inquirẽdo in quo ſenſu poſsit eſſe vera? quod facit, non ſolum quia ob communẽ reuerentiam ſanctiſsimo Patri Auguſtino, in vniuerſa Theologorum ſchola, iure optimo debitam, nulla eius doctrina ſane negari poteſt: verum ob ſpeciale obſequium, quo Scotus, tanquam Auguſtinianæ ſapientiæ pediſſecus ab illa nunquam dicedit: hîc mentem huius præclariſsimi Theologiæ Protoparentis in veſtigat, & in quo ſenſu loquutus fuerit, ſubtiliter ſcrutatur. Duplicem ergo hic proponit ſententiam, prima eſt Magiſtri in hac diſtinctione, qui hanc difficultatem, vt nimis difficilem, indiſſolutam reliquit: ſecunda vero eſt D. Thomæ 1. p. q. 37. art. 2. qui poſtquam plura præmiſit, concludit Patrem, & Filium diligere ſe Spiritu Sancto, dilectione notionali, non vero eſſentiali, quã ſententiã Doctor impugnat. Circa quod litera eſt clara, & amplius impugnata habetur prædicta opinio in ſchola Doctoris, vbi nõ admittitur aliquod diligere notionale. Dato enim quod Pater, & Filius non producant Spiritum Sanctum per aliquem actum dilectionis, non habet locum diſtinctio D. Thomæ de dilectione eſſentiali, & notionali: & ex eo conſequenti nõ poteſt D. Auguſt. de dilectione notionali intelligi. Qualiter ergo intelligenda ſit dicta propoſitio iuxta mentem D. Auguſtini in ſequẽti articulo concludit.

Magiſter.

D. Thom.

ART.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Pater, & Filius diligãt se Spiritu Sancto, & in quo sensu propositio sit vera?

A. AD tertiũ sic proceditur, videtur, q; Pater, & Filius non diligunt se Spiritu Sancto: quia aut diligere sumitur essentialiter, aut notionaliter: non essentialiter: quia quodlibet essentiale inest formaliter cuilibet personę per alteram: si notionaliter: igitur Pater & Filius, spirant Spiritu sancto, quod est falsũ.

B. Secundo præterea: quia nullus actus notionalis est conuersiuus in idẽ agens à quo est, vel procedit, propter distinctionem, quam talis actus requirit inter agens, & terminum: ergo si iste actus est conuersiuus, non sumitur notionaliter.

C. Tertio præterea: si Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto: ergo Pater diligit se Spiritu sancto: quia eodem videtur Pater diligere se, & Filium: sed conclusio videtur inconueniens: quia Pater diligit se in primo signo originis, in quo Spiritus sanctus non intelligitur spiritus: ergo, &c.

D. Quarto præterea: eodem diligunt se & creaturam: sed Spiritus sanctus non videtur esse, quo diligunt creaturam: quia tunc sicut Spiritus sanctus ex necessitate productionis suæ est amor: ita ex necessitate esset amor creaturarum, & ita necessario Deus

E. amaret creaturas.

Sed contra est, quod 6. de Trinitate cap. 5. *dicitur*, Spiritus sanctus est, quo genitus à generante diligitur, ge

F. nitoremque suum diligit.

Respondeo dicendum, *quod vltra opiniones in præcedentibus articulis relatas*, alij dixerunt, quod propositio est exponẽda, ita quod ly Spiritu sancto accipiatur ratione signi, ita quod Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto vt signo dilectionis communis. Cõtra quia ita potest dici, quod diligunt se creatura: quia creatura est signum dilectionis eorum. Alij dicunt, quod diligunt se amore appropriato Spiritui sancto: & ideò dicuntur diligere se Spíritu sancto per appropriationem: non per proprietatẽ. Cõtra, igitur ita esset boni Spiritu sancto: quia bonitas appropriatur Spiritui sancto. *Opin. Alẽs. 1. p. sum.*

G. Ad quæstionẽ ergo de Spiritu sancto procedendum est eodem modo, quo in præcedenti quæstione processum est, & primo de voluntate nostra, vbi dico, quod amor in nobis, vt productus, habet ad voluntatem, vt producentem, relationem secundi modi: & illa forte est mutua: habet etiam aliam relationem ad obiectũ, pertinentem ad tertium modũ relatiuorum: & illa non est mutua: quia sicut scientia refertur ad scibile, & non è conuerso: ita amor ad amabile, & non è conuerso: & sicut amor habet formaliter habitudinem aliquam ad obiectum: ita illud, quod producit amorem, posset denominari ab illa habitudine, si esset verbum impositum, hoc significans actiue. Ita dico in diuinis, quod Spiritus sanctus ex vi productionis suæ (non quidem proprie, sed appropriate) est omnis amati necessariò: & ideò habet aliquam relationẽ rationis formaliter ad sic amatum: producens autem ipsum potest denominari ab eadem habitudine quasi principiatiue: & ista habitudo, vt principiatiue denominans, importatur per hoc verbũ, diligere, quando dicuntur Pater, & Filius diligere se Spiritu sancto: hoc quippe est, Patrem, & Filium producere amorem, qui est Patris, & Filij, sicut Patrem dicere se Verbo, est producere Verbum, quod est declarans ipsum Patrem.

H. Ad primum argumentũ dico, quod nec mere eſſentialiter, nec mere notionaliter tenetur, ſed cõnotat notionem, ſcilicet productionem Spiritus ſancti, & ſignificat illam habitudinem conſequentem Spiritum ſanctum, ad amatum: non quidem formaliter, ſed principiatiuè: & ratione iſtius habitudinis conſequentis, eſſentiale eſt quãtum ad terminum habitudinis illius: quia terminus ille non tantùm eſt Spiritus ſanctus: ſed etiam omne neceſſariò amabile: & quoad illud fit conuerſio: non autem quoad notionale cõnotatum.

I. Ad ſecundum per hoc patet, & iſtud poſſet manifeſtari in exemplo de dicere: quia eo modo, quo conceditur, Patrem dicere Verbo: dicere non eſt mere eſſentiale, neque mere notionale: ſed connotat notionale, ſcilicet gignitionẽ, & importat in genito habitudinem declaratiui, quæ eſt ad omne declarabile. Simile huius (licet nõ ita perfectè) poteſt haberi in hoc ꝙ eſt mitti, ꝙ cõnotat in diuinis proceſſionẽ æternã paſsiuam, licet ſignificet principaliter effectũ temporalem: & quãtum ad illud, ꝙ ſignificat, tota Trinitas operatur effectum illũ: ſed quãtum ad notionem illam, non reſpicit totam Trinitatẽ, in ratione principij: Filius enim poteſt mitti à Spiritu ſancto, licet non ſit á Spiritu ſancto.

K. Ad tertium, licet poſſet fieri vis in iſta propoſitione, ꝙ ly ſe, poſſet cõſtrui tranſitiue, vel reciproce (de qua duplici conſtructione habetur ab illo Petro Heliæ ſuper Priſcianũ de conſtructione: & patet in illo ſophiſmate, iſti pugnant, vt vincant ſe: & videtur ſecundum aliquos magis concedenda propoſitio, prout ly ſe, conſtruitur trãſitiue, quam reciprocè: pro eo Spiritus ſanctus, ſecundũ eos ſpiratur â Patre, & Filio, voluntate concordi, in quantum ſcilicet Pater impẽdit amorem Filio, & Filius rependit ſecundũ Ricard. de Trinit. Tamen dicendo cõſequenter his, quæ dicta ſunt diſt. 12. de iſta materia, quod Pater, & Filius ſpirant formaliter voluntate, in quãtum vna eſt: non autẽ ipſa relatio concordiæ Patris ad Filium, & è conuerſo, eſt formalis ratio ſpirandi: quia nõ videtur, quod Pater, & Filius, in quãtum habẽt reſpectũ originis ad Spiritũ ſanctũ, habeant mutuã relationem adinuicẽ: tunc enim non haberent tãtùm mutuam relationẽ originis paternitatis, & filiationis. Hoc (inquam) dicendo, quod licet habentes vnam voluntatem concordent in ea formaliter: tamen concordia non eſt per ſe ratio: ſed voluntas vna, & quod fœcunditas plena ſit ita in vna, ſicut in duabus: ideò tamen duo ſpirant, quia præintelligitur illa fœcunditas vna eſſe in duobus, antequam habeat terminum. Poteſt tamen concedi conſequentia: quia eadem eſt veritas accipiendo, ly ſe, ſic, vel ſic: & tunc concedo conſequens, quod Pater ſe diligit Spiritu ſancto. Et cum dicit, diligit ſe in primo ſigno originis: concedo, ſed tunc diligit ſe voluntate, vt in ipſo eſt formaliter, ſpirãdo autem Spiritum ſanctum, qui neceſſariò eſt amor eius, diligit ſe Spiritu ſancto quaſi principiatiuè, quomodo etiam diligit Filium Spiritu ſancto.

Ad quartum dico, quod non oportet concedere, Patrem, & Filiũ diligere creaturam Spiritu ſanto, ſicut diligunt ſe Spiritu ſancto: quia iſte modus diligendi, vt ſumitur principiatiue, videtur eſſe primo illius termini dilectionis, cuius ipſa dilectio eſt formaliter, ex hoc quod eſt principiata. Sic enim diligere obiectum, eſt principiare amorem, qui vt principiatus, eſt formaliter illius obiecti: Spiritus ſanctus autẽ ex vi principiationis ſuę, neque primo, neque concomitanter eſt amor creaturæ: quia creatura tantùm contingẽter amatur à Deo: licet L.

autem

autem ex vi productionis ſuæ, primò ſit amor eſſentiæ: tamen concomitanter poteſt dici amor Filij: quia illę perſonæ ſunt in natura primo amata ex neceſsitate illius naturæ: & ita poſſet concedi, quod Pater non diligit creaturam Spiritu ſancto, eo modo, quo Filium: quia non producit amorem, qui ex vi productionis ſuæ ſit amor creaturæ: imò completa productione neceſſaria illius amoris, adhuc eſt contingentia, vt iſte amor ſit creaturæ: & hoc eſt in poteſtate non tantum producentis hunc amorem: ſed etiam iſtius amoris producti: quia ita cõtingenter amat Spiritus ſanctus creaturam, ſicut Pater, & Filius.

Expoſitio art. 3. quæſt. 2. diſtinctionis 32.

DVplicem etiam hîc opinionem Doctor proponit: primam ſine auctore: ſed eſt cuiuſdam Simonis de Torcato: ſecundam vero, quæ eſt Alexandri Alenſ. 1. p. ſummæ, prout habetur in margine textus. Vtranque breuiter confutat, & ad propriam ſententiã accedens prænotat, eodem prorſus modo ſe habere Spiritum ſanctum reſpectu Patris, & Filij, quo ſe habet Verbum reſpectu Patris: & ex conſequẽti in eodem ſenſu hanc eſſe veram, Pater & Filius diligũt ſe Spiritu ſancto, quo eſt vera iſta, Pater dicit Verbo. Vnde cõcludit in hoc ſenſu, eſſe veram propoſitionem iuxta mentem D. Auguſt. *Quod quando dicuntur Pater, & Filius diligere ſe Spiritu ſancto, hoc quippe eſt, Patrem, & Filium producere amorẽ qui eſt Patris, & Filij, ſicut Patrem dicere Verbo, eſt producere Verbum, quod eſt declarans ipſum Patrem.* In reliquis eſt litera clara: ſed ſi quæ circa illam deſiderantur amplius, in difficultate centeſima prælibantur.

Alexand. Alenſ.

DIFFICVLT. XCIX.

Vtrùm Pater dilectione voluntatis genuerit Filium?

ANtequam ad vltimã huius primæ partis difficultatem perueniamus, in qua inueſtigatur, an Patri generanti, & Filio genito, ſit Spiritus ſanctus? dilectio, qua ipſi ſe diligunt, neceſſe eſt videre, an alia dilectione antecedenti, Pater genuerit Filium? Circa quam difficultatem variæ ſunt ſententiæ. Prima aſſerit omnem actum voluntatis diuinæ cõſequi ad actus notionales. Quæ quidem ſententia non de actu voluntatis notionali loquitur: alias enim ſibi met contradiceret, quia actus ſpirationis voluntatis eſt notionalis, & ſic eſſet ſe ipſo poſterior. 1

Intelligitur ergo de actu eſſentiali voluntatis diuinæ, quem, dicit hæc opinio, conſequi ad omnes actus notionales. Sic cenſent Henricus in ſumma art. 58. q. 2. & quotlibeto 5. quæſt. 4. Gotfredus quot libeto 5. quæſt. 5. in quam ſententiam inclinat Gregorius in 1. diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. & nouiſsime ſequitur Vazquez in 1. p. diſp. 160. cap. 3. 2 *Prima ſententia. Henricus. Gotfredus. Gregorius. Vazquez.*

Probatur hæc ſententia ab Henrico, quia intellectio notionalis, quatenus Patris, vera intellectio eſt: ſed prior eſt in Patre intellectio, quàm actus voluntatis: ergo prior eſt actus notionalis generationis, quàm actus volũtatis circa illam. Cui rationi addit Vazquez, quod actus volũtatis non eſt in Deo circa actum generationis, aut ſpirationis futurum, aut poſsibilem tantùm: ergo talis actus nõ poteſt eſſe prior, aut origine, aut ratione, quàm act' notionalis. Ex quo ſic, in Patre prior eſt intellectio notionalis, qua Filium generat, quàm dilectio, ſeu quicũque actus voluntatis circa illã, etiãvt futuram, aut poſsibilem: ſed Filius eſt genitus intellectione notionali: ergo Filius nulla dilectione, ſeu actu voluntatis procedit à Patre, non ſolùm in ratione principij, verũ nec dum materialiter ſe habente, antecedenter ad generationem illius. 3

Secunda ſententia tribuitur Doctori in 1. diſt. 6. quæſt. 1. §. *in iſta quæſtione*, dicẽti dilectionem voluntatis in Patre præcedere omnes actus notionales, & ipſam Filij generationem. Quæ ſententia probatur ex quodam ſæpe repetito axiomate eiuſdem, nimirũ, quod Pater eſt prius beatus, quàm generet: ſed ſecũdum Scotum beatitudo formaliter conſiſtit in voluntate: ergo actus voluntatis præcedit 4 *Secũda ſententia. Scoto impoſita.*

Filij

Filij generationem: & per conſequens, ſaltim cõcomitanter, ſeu materialiter dilectio Patris præcedit productionem Filij: ergo ſaltim in hoc ſenſu, Pater dilectione voluntatis generat filium.

5 *Vera Scoti ententia.* In oppoſitum autem eſt Doctor ſubtilis, qui mediat inter has extremas ſententias, & plane oſtendit, actum eſſentialem voluntatis, nec quidem præcedere omnem actum notionalem, nec propterea è conuerſo omnem actum notionalem ſupponere: ſed actum eſſentialẽ voluntatis aliquos actus notionales ſupponere, & aliquem præcedere. Hæc nãque ſunt verba illius in Quotlibet is quæſtione 14. littera R. *Sic igitur completa eſt actio mere naturalis, & ad terminum omnino primum, ſcilicet infinitum, vbi motio omnino prima eſt elicere, vel quaſi elicere intellectionem intelligentia paterna: & huic proxime eſt gignere verbum. Hanc ſequitur actio, quæ nata eſt eſſe ad terminum omnino primum, puta ad eſſentiam primam communicandam; quæ licet nõ ſit naturalis, tamen eſt omnino neceſſaria: & hæc eſt motio voluntatis: & hæc quaſi eſt duplex, ſcilicet ad amare ſimplex, & etiam ad amorem procedentem; & hæc duplex motio voluntatis correſpondet duplici motioni naturali, quæ dicta eſt eſſe in intellectu ad intelligere & dicere.* Sequuntur Doctorem Tataretus in ſecundo diſt.1. quæſt.1.§. *ſexto dico*, P. Herrera in primo diſp.10. quæſt.14. notabili 3. & fere omnes Scotiſtæ: idem expreſſe tenet Doctor in 2. diſt.1. quæſt.1. littera H. qualiter vero intelligendus ſit in illa citata diſt.6. quæſt. vnica art.1. vbi citatur à Vazquio & ab alijs: & qualiter ſibi non contradicat Doctor ibi & illic, videnda ſunt quæ late diximus ſupra in difficultate 88. à num. 23. vſque ad 27. ibiq́ue cætera, quæ ad huius difficultatis reſolutionem pertinent, explanantur.

Tataret. *Herrera.*

6 *Concluſio.* Quibus præhabitis, difficultatem concludendo, dico, quod licet Deus Pater dilectione voluntatis genuerit Deum Filium: non tamen Pater, vt Pater voluntate aliqua genuit Filium. Concluſio ex ibi obſeruatis ſatis probatur.

7 Ad argumenta vero in oppoſitum, & ad primũ pro prima ſententia dico, verũ eſſe dilectionem voluntatis Diuinæ non præcedere generationẽ, nec aliquẽ actũ voluntatis circa illam in Patre præcedere: non tamen exinde ſequitur, quod non præcedit alium actum notionalem, quia dilectio eſſentialis prius eſt in Patre, & Filio, quàm notionalis ſpiratio amoris.

Ad ſecundum pro ſecunda ſententia dico, quod ibi loquitur Doctor de beatitudine, pro ea tantùm parte, qua eſt viſio beata. Nam cum actus eſſentialis ad notionalem eiuſdem potentiæ ſupponatur: prius Pater intelliget eſſentiam, quã generet Filium. Et quia in intelligenda eſſentia, viſio beata conſiſtit, ideò pro ea parte, qua beatitudo eſt viſio beata, ait, quod Pater prius origine eſt beatus quã generet Filium. Non vero loquitur ibi de adæquata beatitudine, quæ & viſionẽ beatam, & actum fruitionis voluntatis includit: vt ſic etenim in citato loco 2. libri diſt.1. quæſt.1. litera H. tenet expreſſe actum fruitionis voluntatis non eſſe in Patre, niſi poſtquam intelligitur voluntatem Filio per generationem communicaſſe, tuncque eſſe perfectè, & adæquatè beatum. 8

DIFFICVLT. C.

Vtrùm in eodem ſenſu ſit verũ, Patrem eſſe ſapientem ſapiẽtia genita, quo eſt verum, Patrem, & Filium diligere ſe Spiritu Sãcto?

§. 1.

Proponuntur ſtatus controuerſiæ, cum fundamentis Scoti.

EX ſecundo art. quæſt.1. huius difficultatis 32. habemus ex Doctore in aliquo ſenſu eſſe veram hanc propoſitionem, *Pater dicit Verbo*, quæ eſt propoſitio Diui Auguſtini 7. de Trinitate cap. 1. & 2. & qualiter ſit vera ibi à Doctore exponitur. Habemus inſuper ex articulo 4. eiuſdem quæſtionis, hanc non eſſe veram, *Pater eſt ſapiens, ſeu ſapit ſapientia genita*: quæ ſumitur ex ipſo Diuo Auguſtino ibidem cap. 4. & I *D. Auguſt.*

4.& tandem ex artic. 3. quæſt.2.eiuſdem diſtinct. 32. ex Doctore reſolutum habemus hanc eſſe veram, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*, ſicuti iſtam, *Pater dicit Verbo*: & ſumit primam ex eodem Auguſtino 6.de Trinitate cap.5.Ex his ergo oritur ratio dubitandi, nam ſapientia genita non eſt aliud,quàm Verbum: ergo ſi eodē modo eſt vera iſta,Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto,ſicuti iſta, Pater dicit Verbo:etiam erit vera iſta,Pater eſt ſapiens ſapientia genita, ſicut iſta Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto: ſi quidem iſta Pater eſt ſapiens ſapientia geni ta, non eſt minus vera, quam iſta, Pater dicit Verbo.

2 *Vera ſentē tia Scoti.*

In oppoſitum autem eſt litera textualis in art.4. quæſt. 1. huius diſtin. 32. vbi quærenti titulo articuli, an Pater ſit ſapiens ſapientia genita? hæc reſpondendo profert Doctor: *concedo negatiuam partē quæſtionis propter rationem Auguſtini 7.de Trinitate cap.4.* & in art. 3. quæſt. 2. eiuſdem diſtinctionis hæc ait:*Quando dicuntur Pater & Filius diligere ſe Spiritu ſancto, hoc quippe eſt, Patrem, & Filium producere amorem,qui eſt Patris & filij: ſicut Patrem dicere ſe Verbo: eſt producere Verbum, quod eſt declarans ipſum Patrem.* In quibus duobus locis apparet ſententia Scoti.

3

In difficultate attamen iſta plura ſe vē tilanda offerebant circa intelligentiam huius propoſitionis,Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto : quam multiplex opinionum varietas ancipitem reduntquia tamen Doctor in primo,& ſecundo, & tertio articulis huius 2. quæſtionis omnium talium opinionum commemorat,illaſque clare refert, & ſubtiliter improbat, non eſt cur in eis iterum referendis,aliquid temporis conſumamus.Neq; item neceſſum eſt recolere, qualiter vtriuſque propoſitionis (quas in ſecundo loco relatæ litteræ aſsimilat)ſit legitimus ſenſus,ibi etenim,& in ſecundo articulo quæſt. 1.clare, atque præclare omnem difficultatem enucleat, & ſatis reſoluit. Quæ litera,quia eſt ita perſpicua,expoſitione non eget: & quia ita proxime hic habetur, repetenda non eſt.

4

Quod igitur hic vertitur in dubium, iam ratio dubitandi in principio poſita, illud indicauit. Ob eius tamen reſolutionem obſeruare oportet, qualiter Doctor negauerit propoſitionem iſtam, *Pater ſapientia genita ſapit*,& qua ratione: vt exinde videamus,an in aliquo ſenſu poſsit etiam ſecundum Doctorem eſſe veram? Ad quod me Hercle dico, non alio motiuo Doctorem hanc propoſitionem ne negaſſe,niſi propter auctoritatem, & rationem D. Auguſtini, vt ipſe in litera affirmat. In eo igitur ſenſu, ſecundum Doctorem,tantum modo falſa eſt propoſitio prædicta,in quo illam D. Auguſtin. veram eſſe negauit, & quatenus eius declaratione,&ratione in textu poſita,eius falſitas conuincitur. Si attamen aliunde, iuxta doctrinam Scoti , tanquam vera, potuerit explicari : procul omni dubio, ſecundum ipſum Scotum,erit in eo ſenſu vera, & non contra D. Auguſtinum.

5 *Ratio ob quam negatur à Doctore,hæc propoſitio Pater eſt ſapiens ſapiētia genita.*

Ratio igitur,ob quam exD. Auguſtino ab Scoto dicta propoſitio negatur,eſt iſta,prout habetur in textu in art.4.quæſt. 1. præallegatæ,actus eſſentialis non poteſt eſſe alicuius ſuppoſiti, mediante aliquo principio, vt quo, niſi illud ſit tali perſonæ principium eſſendi formale: vt Pater ſapit ſapiētia ingenita:vel ſit principium ſibi eſſendi principiatiuum: quo modo Magiſter concedit, quod Filius ſapit ſapientia ingenita, âqua habet quod ſapiat: vel ſit principium ſubauctoritatiuum reſpectu talis actus, quomodo cō ceditur,quod Pater creat Verbo.Sed Filius, ſiue ſapientia genita non eſt Patri principium eſſendi formale, nec principiatiuum, nec principium actiuum ſub auctoritatiuum reſpectu actus eſſentialis: quia Verbum non producit iſtum actum in ſe ,ſed communicatur ſibi à Patre: & principium actiuum ſubauctoritatiuum habet rationem producētis actus, reſpectu cuius dicitur principium tale, quomodo conceditur , quod Pater creat Verbo:ſapere autem eſt actus eſſentialis: ergo Pater non ſapit ſapientia genita. Hactenus Doctor.

6

Hæc ergo ratio euidentiſsima eſt ſuppoſitis fundamentis doctrinæ Scoti,nimirum de diſtinctione actus eſſentialis à notionali,& ideò illa optime probat ſententiam ſuam Doctor, iſtam videlicet propoſitionem,*Pater ſapit ſapientia genita*, veram non eſſe. Vnde licet Gabriel Vazquez 1.p.diſp.151.cap.6. in hoc contradicat Scoto ; non tamen verè, nec bene

hanc

hanc rationem impugnat: quia dicere diuinum ex natura rei formaliter distat à diuino intelligere: & ideò optime potest concedi, quod Pater dicit se Verbo, non vero quod sapit sapientia genita: cuius ratio differentialis est euidēs: nam dicere est notionale, sapere vero seu intelligere, est essentiale. Notionale autem egregrie à Doctore exponitur in illo art. 2. quæst. 1. per illam duplicem relationē videlicet expressi ad exprimentem, & declarantis ad declarabile, &c. quæ duplex relatio nequit actui essentiali accōmodari.

§. 2.

Ostenditur etiam secūdum Scotum posse concedi, quod Pater sapit sapientia genita.

1 Ratio ob quam potest concedi secundū Doctorem hāc propositionem, Pater sapiens sapientia genita.

AT qui iuxta ipsam Scoti doctrinam, potest optime saluari veritas dictæ propositionis, *Pater sapit sapientia genita*, in alio sensu, in quo quidem bene Vazquio concedo non esse rationem aliquam, cur magis Pater dicatur dicere Verbo, quàm genita sapiēntia sapere. Ratio autem desumpta est ab eodem sensu, quo Doctor intelligit hāc, *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*: nam cum diligere non sit actus minus essentialis, quam sapere: nec minus formaliter ex natura rei abspirare distinguatur, quā sapere formaliter distinguitur à dicere: quia nihilominus D. August. hanc propositionem concessit, & illam negauit: ideò Doctor similiter ob reuerētiam debitam Augustino illam negauit, cum istam concederet. Nos vero eiusdem Scoti doctrina enixi, illam, nimirum, Pater sapientia genita sapit, sicut istam exponimus, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, de actu videlicet notionali producendi: ita vt dicamus cum Scoto, quod sicut quando dicuntur Pater, & Filius diligere se Spiritu sancto, hoc quippe est, Patrem, & Filium procedere amorem, qui est Patris & Filij: sic similiter quando dicitur Pater sapere sapientia genita: nihil aliud est, quàm Patrem producere sapientiam, quæ est declaratiua Patris, sicut dicere Verbo, est producere Verbū, quod est declaratiuum Patris.

His præhabitis difficultatem concludendo dico primo, quod ista propositio, Pater sapit sapientia genita, in sensu quo illam D. Augustinus, & Scotus intelligunt, non est vera sicut ista, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. Conclusio hæc est manifesta ex dictis, ibique satis probata, ex obseruatis supra numero quinto. 8 *Prima conclusio.*

Dico secundò: quod ista propositio Pater sapit sapientia genita, summendo ly sapere, pro productione notionali, modo expolito, est ita vera sicut ista, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. Conclusio, neque est contra Diuum Augustinum, nec contra Scotum: imò ex eiusdem doctrina clare infertur, vt patet ex supra obseruatis num. 1. quę eius ratione probatur: nam ideò ista est vera, Pater dicit se Verbo, sicut ista, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto: quia sicut quādo dicuntur Pater, & Filius diligere se Spiritu sancto; hoc quippe est Patrem, & Filium producere amorem, qui est Patris & Filij: sic Patrem dicere se Verbo, est producere Verbum, quod est declarans ipsum Patrem: sed similiter potest intelligi ista propositio, Pater sapit se sapientia genita, sicut ista Pater dicit se Verbo, quia potest intelligi Patrem producere sapientiam genitam, quæ est declarans ipsum Patrem, sicut intelligitur producere Verbum, quod est declarans illū, ergo, &c. Neque obstat differentia inter sapere, & dicere: nā sicut diligere, quod est quid essentiale, assimilatur dicere, quod est notionale: sic, & multo magis, potest assimilari diligere ad sapere: cum vtrumque sit essentiale: ergo sicut non obstante, quod diligere est essentiale, notionaliter capitur à Doctore: sic etiam sapere, licet sit essentiale, eodem modo notionaliter potest intelligi. 9 *Secunda cōclusio.*

Ad rationem dubitandi ex dictis respondeo, quod sapere essentialiter sumptum, non conuenit Patri sicut dicere: & ideò bene conceditur, Patrem se dicere Verbo, non tamen se sapere sapientia genita. Atqui sumendo ly sapere notionali 10 *Adrationē dubitandi.*

ter

ter eodem modo, quo Doctor interpretatur ly diligere: non est magis vera ista Pater dicit se Verbo, quàm ista, Pater sapit se sapientia genita: & vtraque est ita vera, sicut ista, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto.

DISCTINTIO 33.& 34.

Post prædictam autem, &c. Prædictis autem, &c.

CIRCA distinctionem trigesimam tertiam, & circa distinctionem trigesimam quartã, quæro tria sine argumentis.

¶ Primò. Vtrùm proptietas sit idẽ cum persona?

¶ Secundò. Vtrùm proprietas sit idem cum essentia?

¶ Tertiò. Vtrùm persona sit idem cum essentia?

CIRCA istas tres quæstiones nõ oportet immorari: quia earum solutio patet ex dictis alibi supra, dist. 2. quæst. illa: vtrùm cũ vnitate essentiæ, stet pluralitas personarũ, vbi ostensum est qualiter proprietas personalis non est idem formaliter cum essentia, dist. etiam 26. contra Præpositiuum, ostensum est qualiter proprietas non est idem formaliter cum persona: illud etiã quod dictum est de non identitate formali proprietatis cum essentia, concludit, quod persona nõ est idem primo formaliter cum essentia: & quod aliqui distinguunt inter omnia ista, quod tantùm differant ratione, improbatũ est distinct. 2. & distinct. 8. in consimili de attributis, & distinct. 13. de distinctione emanationum in diuinis, & aliàs: & tamen cum hoc quod istud non est idem formaliter illi, stat, quod verè, & simpliciter sit idem sibi: imò hoc est necessarium propter perfectã simplicitatem diuinam, quæ sequitur ex perfecta infinitate illius essentiæ: propterquam simplicitatem, & infinitatem, non potest illa essentia esse in aliquo, cum aliqua realitate in eodem, nisi illa realitas sit perfectè eadem sibi: & istud est confirmatum per commune dictum antiquorum, qui concesserunt multas prædicationes esse veras in diuinis per identitatem, non formaliter, quod non videtur intelligibile, nisi per hoc, quod prædicatum erat verè idem cum subiecto, & ex hoc erat propositio affirmatiua vera per identitatem, & tamen prædicatum non erat idem formaliter cum subiecto, & propter hoc non erat ibi prædicatio formalis. Et quæ sit distinctio identitatis formalis ab identitate simpliciter, tactum est. Dist. 8. quæst. de attributis, & aliâs frequenter: & ideò nunc transeo.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Tertia concludit.

Expositio Distinctionum 33. & 34.

HIC breuiter, & sũmarie resoluit Doctor sub ista duplici distinctione trium quæstionum difficultates: quas brebiter tangit, non quia non sint satis profundæ, & nimis controuersæ: sed quia de eis alibi latissime egerat: nam proprietatem personalem non esse idem quod persona, quod prima quæstio inuestigat, ostendit supra in distinctione 26. quæstione vnica art. 1. vbi contra Præpositiuum ostendit, personam esse

eſſe conſtitutam ex proprietate & eſſentia: quod nos in difficultate, 95. reſolvimus. Proprietatem vero perſonalem nō eſſe idem formaliter cum eſſentia, quæ erat ſecunda quæſtio, Doctor concludit ſupra diſtinctionē 2. quæſt. 7. articulo 3. & nos in difficultate. 54. longo ſermone probavimus. Et tandem perſonam non eſſe idem formaliter cum eſſentia, ibidem patet: quia quod dictum eſt de diſtinctione formali proprietatis ab eſſentia: etiam de diſtinctione perſonæ ab eſſentia (vt probat Doctor in præſenti) concludit.

.?.

Finis operis.

INDEX PRIMVS

ADDITIONVM, QVAE CONTINENTVR IN HOC SECVNDO TOMO, IVXTA EA QVAE NOTATA SVNT IN PRIMO INDICE TOMI PRIMI.

Additiones ad quæſt. 4. diſtinct. 2.

IN articulo 1. pag. 4. col. 1. lin. 32. litera F. ponitur additio, quæ incipit, *aliter poteſt argui*, & finitur in lin. 8. col. 2. ante lit. G. his verbis, *declarantur conſequenter.*

Ibidem linea 9. litera G. ponitur additio, quæ incipit, *vlterius conſequenter*, & continuatur vſq; ad pag. 5. columna 2. linea 3. vbi finitur his verbis, *notitiæ genitæ.*

Addit. ad quæſt. 5. diſt. 2.

In artic. 1. pag. 49. col. 1. lin. 13. lit. E. ponitur additio, quæ incipit: *quia contradicit Auerroi*, & finitur lin. 24. his verbis, *diſſimiliter nata ſint.*

Ibidem ſub lit. F. linea 45. ponitur additio quæ incipit, *contradicit etiam*. & finitur ſequẽti linea his verbis, *ad Deo gratias.*

In art. 2. pag. 55. colum. 1. lin. 25. ſub lit. H. ponitur additio, quæ incipit, *nota quod pro ſolutione*, & finitur li. 40. his verbis, *productiuũ diſtinguntur.*

In art. 5. pag. 68. col. 1. lin. 4. lite. H. ponitur additio, quæ incipit, *confirmaturque aperte*, & finitur ante lite. I. his verbis, *ad intelligentiam Patris.*

In articulo 6. pagina 88. columna 1. linea 28. litera L. ponitur additio, quæ incipit, *ſi per conuerſionem*, & finitur ante litera M. his verbis, *productiua alicuius.*

Additiones ad quæſt. 6. diſt. 2.

In art. 2. pag. 93. col. 2. lin. 3. lit. B. ponitur additio, quæ incipit, *ſecundo præterea quodlib.* 55. & continuatur vſque ad lineam 16. & finitur ante lite. D. his verbis, *habet ia ſe omne poſſe.*

In eodem art. pag. 94. colum. 1. linea 44. lit. H. ponitur additio, quæ incipit, *ad ſecundum, quod negationes*, & finitur col. 2. lin. 8. ante litera L. his verbis, *patet quare non, &c.*

Additiones ad quæſt. 7. diſt. 2.

In art. 7. pag. 222. col. 1. lin. 40. lit. H. ponitur additio, quæ incipit, *alia reſponſio ibi*, & finitur col. 2. lin. 4. ante lit. I. his verbis, *hic intra habetur.*

Addit. ad quæſt. 1. diſt. 3.

In eodem art. 2. pag. 338. col. 2. lin. 41. lite. B. ponitur additio, quæ incipit, *inſtatur contra reſponſionẽ*, & continuatur in p. 239. vſque ad col. 2. lin. 1. vbi finitur ante lit. E. his verbis, *de obiecto concepto.*

In eodem articulo 2. pagina 238. columna 2. linea 28. ſub litera A. ponitur additio, quæ incipit, *ſed videtur contra vniuocationem*, & finitur ante litera B. his verbis, *in cognitione naturali Dei.*

In art. 2. pag. 240. col. 2. lin. 14. lit. H. ponitur additio, quæ incipit, *illi duo conceptus ſunt ſimpliciter*, & finitur ante lit. I. his verbis, *quæ negat maiorem.*

In eodem art. pag. 241. col. 1. lin. 27. lit. K. ponitur additio, quæ incipit, *& formetur ſic ratio*, & finitur ante lit. L. his verbis, *attribuitur ad illam.*

Ibidem columna 2. linea 21. litera N. ponitur additio, quæ incipit, *tertio argno ſic*, quæ continuatur vſque ad pag. 242. col. 1. lin. 27. vbi finitur ante literã P. his verbis, *Analogica poneretur in Deo.*

In eodem articulo 2. pagina 242. columna 2. linea 9. ſub litera Q. ponitur additio, quæ incipit, *arguitur etiã aliter*, & continuatur per totam columnam vſque ad pag. 243. col. 2. lin. 32. vbi finitur ante literã T. his verbis, *in cognitione Dei ex 10. Ethicor.*

In eodem art. 2. pag. 243. columna 2. linea 33. litera T. ponitur additio, quæ incipit, *reſpondeo, quod quilibet conceptus.*

In eodem articulo 2. pagin. 244. columna 1. linea 3. lit. V. ponitur additio, quæ incipit, *ad ſecundum quod ad iſtas inſtantias*, & continuatur vſque ad colum. 2. linea 19. vbi finitur ante literam Y. his verbis, *eſſet in infinito tempore.*

Additiones ad quæſt. 2. diſt. 3.

In articulo 1. pag. 263. colum. 2. linea 43. ſub litera E. ponitur additio, quæ incipit, *quodcunque enim indiuiduum fortius*, & cõtinuatur vſque ad pag. 264. col. 1. linea 30. ſub lit. F. vbi finitur his verbis, *& probo concluſionem poſitam ſic.*

Additiones ad quæſt. 3. diſt. 3.

In articulo 3. pag. 283. columna 1. linea 9. lit. I. ponitur additio, quæ incipit, *reſpondeo, quod probatio improbat*, & continuatur per totam columnam, & vſque ad col. 2. linea 16. ſub lite. K. vbi finitur his verbis, *priuatione actus in viſu pro præſentia.*

In articulo 4. pag. 286. columna 2. lin. 6. ſub lit. D. ponitur additio, quæ incipit, *nam differentia vltima*, & finitur ibi lin. 14. his verbis, *conceptum quidditatiuum.*

In articulo 9. pag. 307. columna 2. lin. 4. litera C. ponitur additio, quæ incipit, *tertio præterea, quia voluntas*, & finitur ibi ante literã D. his verbis, *propriam ſibi.*

Ibidem linea 31. litera E. ponitur additio, quæ incipit, *reſpondeo dicendum, quod primis*, & finitur ibi lin. 44. his verbis, *obiectum ſibi oſtenſum.*

In eodem articulo pag. 308. columna 2. linea 4. litera H. ponitur additio, quæ incipit, *ad illam metaphoram*, & finitur ibi in fine articuli his verbis, *& ita hæc inſtitia huic.*

Addit. ad quæſt. 4. diſt. 3.

In articulo 1. pag. 312. columna 1. lin. vlt. ſub litera H. ponitur additio, quæ incipit, *nota igitur*, & finitur columna 2. lin. 29. Paulo ante lit. I. his verbis, *iunguntur aliæ ex pluribus ſenſibus.*

In articulo 4. pag. 313 columna 1. linea 10. ſub liter. I. ponitur additio, quæ incipit. *contra quamuis obiectum*, quæ cõtinuatur ibi vſque ad lin. 35. ſub litera K. vbi finitur his verbis, *niſi in illo eſſe intellecto.*

In art. 4 pag. 321. col. 1. lin. 28. ſub lite. E. ponitur additio, quæ incipit, *nota ergo quod notitia*, & finitur ibi lin. 42. ante literã F. his verbis, *conformem entitati ſuæ.*

Ibidem col. 2. linea 5. ſub litera F. ponitur additio, quæ incipit, *ſic intelligendũ eſt*, & finitur in fine art. his verbis, *determinetur abalio.*

In eodem articulo 4. pag. 321. columna 1. linea 43. ſub litera E. ponitur additio, quæ incipit, *intellige in ratione veritatis*, & finitur col 2. lin. 5. his verbis, *& improbetur.*

In eodem articulo 4. pagina 319. columna 2. linea 9. ſub litera A. ponitur additio, quæ incipit, *quia verum*, & finitur lin. 7. his verbis, *ſupra mentem, ergo, &c.*

Additiones ad quæſt. 5. diſt. 3.

In articulo 1. pagina 332. columna 1. lin. 10. ſub lit. D. ponitur additio, quæ incipit, *dicetur quod ſic, ſicut modo*, & finitur linea 37. vbi finitur ante litera E. his verbis, *ſpecies, vel non ſpecies.*

In articulo 3. pagina 336. columna 2. lin. 36. ſub lite. E. ponitur additio, quæ incipit: *& Auguſtinus ſupra Geneſim*, & finitur pa. 337. col. 1. lin. 2. his verbis, *leuitate, & granitate.*

Additiones ad quæſt. 6. diſt. 3.

In articulo 1. pag. 362. columna 2. lin. 37. litera C. ponitur additio, quæ incipit, *quod Ariſtot. 3. Phyſicorum*, & continuatur, vſque ad pag. 363. columna 1. lin. 7. ante lit. H. vbi finitur his verbis, *intellectus, & ſcientia.*

In art. 1. pa. 367 col. 1. lin. 45. ſub lit. O. ponitur additio, quæ incipit, *item 15. de Trinitate cap. 27. quando loquitur*, & finitur col. 2. lin. 2. his verbis, *hæc ille.*

In eodem art. 1. pag. 367. col. 2. lin. 27. ſub lit. Q. ponitur additio, quæ incipit, *hæc ſpecies eſt illa ſcientia*, & finitur ibi linea. 44. his verbis, *diſponens ipſum ad actum.*

In

In articulo 2. pag. 370. columna 1. linea 21. ſub litera D. ponitur additio, quæ incipit, *vel poteſt ſic formari ratio*, & finitur ibi lin. 44. his verbis, *rationibus obiectiuis oppoſitis.*

Ibidem columna 2. linea 21. ſub eadem litera D. ponitur additio, quæ incipit, *vel forma ſic rationem, lumen non*, & continuatur vſq; ad pag. 371. columna 1. linea 4. ante litera E. vbi finitur his verbis, *quod repræſentatiuum repræſentat.*

In artic. 3. pag. 372. col. 2. lin. 14. ſub lit. A. ponitur additio, quæ incipit: *quia dicetur forſan, quod terminus*, & finitur ibi ante lit. B. his verbis, *in Phantaſmate.*

In articulo 3. pag. 373. columna 2. lin. 24. litera F. ponitur aduitio, quæ incipit, *vniuerſale obiectum ſub ratione*, & finitur ibi linea 45. ante litera G. his verbis, *quod habet in ſpecie.*

In art. 4. pag. 375. colum. 1. lin. 47. ſub lit. D. ponitur additio, quæ incipit, *item poſſet cõſeruari*, & finitur col. 2. lin. 9. ante lit. E. his verbis, *& Phantaſmate.*

Ibidem pag. 2. linea 29. ſub lit. E. ponitur additio, quæ incipit, *aliter deducitur*, & finitur linea 40. ante litera F. his verbis, *non voco niſi ſpeciem.*

In eodem articulo 4. pagina 375. columna 2. linea 41. litera F. ponitur additio, quæ incipit, *dicendũ quoad euidentiam*, & continuatur vſque ad paginam 376. linea 11. ſub eadem litera F. vbi finitur his verbis, *dicetur in quæſtione ſequenti.*

Ibidem linea 29. ponitur additio, quæ incipit, *videtur eſſe intentio Philoſophi*, & finitur in columna 2. linea 4. his verbis: *quia iſta poſtea firmatur per actum.*

In art. 4. pag. 376. col. 1. lin. 11. ſub. lite. F. ponitur additio, quæ incipit, *ad hanc quæſtionem ergo dico*, & finitur ibi lin. 25. his verbis, *in prætedenti quæſtione.*

In articulo 4. pagina 377. columna 2. linea 9. ſub litera G. ponitur additio, quæ incipit, *item (& eſt prorſus idem) ſecundũ iſtos*, & finitur ibi linea 47. ante litera H. his verbis, *per ſpeciem intelligibilem.*

Addit. ad quæſt. 7. diſt. 3.

In art. 1. pag. 395. col. 1. lin. 36. ſub lite. H. ponitur additio, quæ incipit, *item omnes cauſæ*, & finitur ibi lin. 46. ante lit. I. his verbis, *per demonſtratiuam ſufficientiam.*

Ibidem col. 2. lin. 12. ponitur additio, quæ incipit, *ſpecialiter etiam illud*, & continuatur, vſque ad pag. 396. colun. 2. lin. 20. ante lit. L. vbi finitur his verbis, *vel cauſæ neceſſario priùs cauſanti.*

In art. 2. pag. 399. col. 2. lin. 23. ſub. lit. C. ponitur additio, quæ incipit, *hæc etiam non euadit*, & finitur ibi lin. 38. ante lit. H. his verbis, *in diſtinctum ſubiectum a paſſo.*

In eodem art. 2. pag. 403. col. 1. lin. 30. ſub lit. Q. ponitur additio, quæ incipit, *tertio ſequitur, quod non.*

In eodem art. 2. pag. 402. col. 1. lin. 13. lit. N. ponitur additio, quæ incipit, *iſtarum ſecundationum*, & continuatur vſque colum. 2. linea 28. ante litera D. vbi finitur his verbis, *cauſatur relatio rationis.*

In art. 4. pag. 413. col. 1. lin. 6. lit. H. ponitur additio, quæ incipit, *ad iſta tria media*, & finitur ibi lin. 33. his verbis, *non agat ad illum ſecundum actum.*

In art. 5. pag. 416. col. 2. lin. 22. ſub lit. E. ponitur additio, quæ incipit. *ſi dicatur vbi eſt ſpecies*, & finitur ibi lin. 35. his verbis, *cuiuſcunque alterius obiecti.*

In art. 2. pag. 406. col. 1. lin. 28. ſub lit. CC. ponitur additio, quæ incipit, *ad reſponſionem Achilis*, & continuatur vſque ad finem, col. 2. ante lit. EE. vbi finitur his verbis, *eſt operatio eius, & aliqualis perfectio.*

In art. 6. pag. 417. col. 2. lin. 16. lit. D. ponitur additio, quæ incipit, *dicendum, quod intellectionis ad obiectum*, & continuatur vſque ad pag. 418. col. 1. lin. 9. vbi finitur his verbis, *ſiue in qua, ſiue ex qua.*

Addit. ad quæſt. 2. diſt. 4.

In art. 1. pag. 473. col. 1. lin. 6. ſub lit. D. ponitur additio, quæ incipit, *verum eſt tamen*, & finitur ibi ante lite. E. his verbis, *quam e contra.*

Additiones ad quæſt. 1. diſt. 5.

In art. 3. pag. 482. col. 1. linea 46. ſub litera F. ponitur aditio, quæ incipit, *iſtud tamẽ, quod dictum eſt*, & finitur in columna ſecunda in fine articuli his verbis, *quaſi quoddam ſuppoſitum animalis.*

Additiones ad quæſt. 2. diſt. 5.

In art. 1. pag. 509. col. 1. lin. 34. lit. K. ponitur additio, quæ incipit, *ſi arguatur, quod omnis cauſa*, & continuatur vſque ad col. 2. lin. 2. ante lit. M. vbi finitur his verbis, *Commentatorem 1. Phyſic. com. 1.*

Index additionum.

In art. 1. pag. 507. columna 2. linea 20. litera E. ponitur additio, quę incipit, *quia Filium eſſe de ſubſtantia Patris*, & finitur ibi lin. 38. ante lit. F. his verbis, *realis ad materiam.*

In eodem articulo 1. pagina 509. columna 2. linea 36. litera N. ponitur additio, quæ incipit, *item nihil conuenit*, & continuatur vſque ad paginam 510. columna 1. linea 27. ante litera P. vbi finitur, his verbis, *formaliter diſtincta ſecundum te.*

In articulo 3. pag. 516. columna 1. linea 8. ſub litera K. ponitur additio, quæ incipit, *item iſti reſpectus*, & finitur ibi linea 19. his verbis, *in ratione concauſantis.*

In articulo 3. pag. 517. columna 1. linea 3. ponitur additio, quæ incipit, *ſed obijcitur eo modo*, & finitur ibi linea 25. ante litera L. his verbis, *gramaticaliter concepta.*

In articulo 5. pagina 522. columna 2. lin. 45. ſub literã A. ponitur additio, quę incipit, *oportet enim*, & continuatur, vſque ad pag. 523. columna 1. lin. 4. ante lit. C. vbi finitur his verbis, *per rationem actus, & potentiæ.*

In eodem art. 5. pag. 524. columna 1. linea 5. litera G. ponitur additio, quæ incipit, *ſcilicet, quod additur*, & finitur ibi lin. penult. ante lit. H. his verbis, *in ſe ipſam relationem.*

Additiones ad quæſt. vnic. diſt. 6.

In articulo 1. pagina 539. columna 2. linea 24. ſub litera H. ponitur additio, quæ incipit, *quod ſi intelligo*, & continuatur vſque ad pag. 540. columna 1. linea 18. ante litera I. vbi finitur his verbis, *aliquo modo ſcilicet ordine originis.*

Additiones ad quæſt. vnicam diſt. 7.

In articulo 6. pag. 565. columna 2. lin. 28. litera E. ponitur additio, quæ incipit, *dicendum quod tripliciter poteſt*, & finitur ibi lin. 35. his verbis, *duobus primis.*

In articulo 6. pag. 565. columna 1. lin. 25. ſub litera A. ponitur additio, quæ incipit, *probo maiorem*, & continuatur vſque ad col. 2. linea 4. ſub litera B. vbi finitur his verbis, *propter defectum ordinis.*

Ibidem linea 8. litera C. ponitur additio, quæ incipit, *quia ſi Deitas*, & finitur ibi ante literam D. his verbis, *modo prius prima perſona.*

In eodem articulo 6. pagin. 566. columna 2. linea 31. lit. H. ponitur additio, quæ incipit, *quod hoc argumentum requirit*, & finitur in fine art. his verbis, *potentiam propinquam ad extra.*

In eodem articulo 6. pag. 566. columna 2. linea 10. ſub litera G. ponitur additio, quæ incipit, *contra quod conuenit primo*, & finitur ibi ante lite. H. his verbis, *ex ratione formali.*

Ibidem linea 40. ſub litera F. ponitur additio, quæ incipit: *ideò reſponderi poteſt aliter*, & finitur columna 2. linea 7 his verbis, *à forma qua producitur.*

Additiones ad quæſt. 3. diſt. 8.

In articulo 3. pagina 589. columna 2. lin. penultima litera E. ponitur additio, quæ incipit, *reſpondetur ſicut dicitur*, & finitur pagina 599. columna 1. linea 21. his verbis, *perfectionem, ſicut alia.*

In articulo 4. pag. 595. columna 1. linea 4. ſub liter. K. ponitur additio, quæ incipit. *ſed hæc ratio probat*, & finitur ibi ante litera L. his verbis, *primi argumenti principalis.*

In articulo 6. pagina 599. columna 1. lin. 45. lite. B. ponitur additio, quæ incipit: *quia conceptus ille non eſt infinitus*, & continuatur, vſque ad colum. 2. lin. 8. ante lit. D. vbi finitur, his verbis, *eſt aliquid potentiale.*

In eodem articulo 6. pag. 601. columna 1. linea 11. litera G. ponitur additio, quæ incipit, *vltima conſequentia eſt neganda*, & continuatur vſque ad colum. 2. lin. 17. ante lit. I. vbi finitur his verbis, *qui ſunt formalia obiecta.*

Additiones ad quæſt. 4. diſt. 8.

In articulo 6. pag. 683. columna 1. lin. 26. litera C. ponitur additio, quæ incipit, *quod pelagus perfectionum*, quæ continuatur vſque ad finem art. qui habetur pag. 684. columna 1. vbi finitur his verbis, *non ponit illimitationẽ.*

Additiones ad quæſt. 5. diſt. 8.

In art. 4 pag. 702. col. 2. lin. 27. ſub lite. E. ponitur additio, quæ incipit, *bene probat, quod non ponendo*, & continuatur vſque ad pa. 703. col. 1. lin. 31. ſub lit. F. vbi finitur his verbis, *& dans eſſe monenti proximo.*

Ibidem lin. 43. lit. G. ponitur additio, quæ incipit, *ad inconueniens, quod primum tranſferat*, & finitur col. 2. lin. 12. ante lit. H. his verbis, *nec omnino mutare.*

Additi-

Addit. ad quæſt. vnicam diſt. 10.

In artic. 1. pag. 716. col. 2. lin. 34. ſub litera A. ponitur additio, quæ incipit, *quia quod non competit alicui*, & continuatur vſque ad pag. 714. col. 1. lin. 22. ante lite. D. vbi finitur his verbis, *ex principijs formalibus.*

In eodem artic. 1. pag. 716. col. 1. linea 25. litera G. ponitur additio, quæ incipit, *ſi promedio accipiatur repugnantia*, & continuatur vſque ad finem artic. vbi finitur his verbis: *ergo communicatiua naturæ.*

Addit. ad quæſt. 1. diſt. 11.

In articulo 1. pag. 753. columna 1. linea 3. litera E. ponitur additio, quæ incipit, *voluntas ponitur*, & finitur ibi his verbis, *ſed productum.*

In eodem articulo pag. 754. columna 1. linea 50. lit. M. ponitur additio, quæ incipit, *reſpondeo quod dilectio*, & finitur ibi his verbis, *fœcunditas in Patre.*

Additiones ad quæſt. 2. diſt. 11.

In artic. 2. pag. 761. col. 1. lin. 5. ſub litera K. ponitur additio, quæ incipit, *pro hac concluſione*, & finitur ante litera L. his verbis, *ſed procedendo.*

In eodem articulo, pag. 762. columna 1. linea 21. litera P. ponitur additio, quæ incipit, *lib. de proceſſione Spiritus Sancti*, & finitur ibi lin. 36. his verbis, *eſt ponderanda.*

Additiones ad quæſt. 1. diſt. 12.

In articulo 1. pag. 784. columna 1. linea 5. litera D. ponitur additio, quæ incipit, *amor notitiæ genitæ*, & finitur ibi his verbis, *per Auguſtinum.*

In eodem articulo pagina 785. columna 2. linea 16. litera M. ponitur additio, quæ incipit, *quia tres ſunt actus*, & finitur ibi linea 30. his verbis, *obiecti diligibilis.*

In articulo 5. pag. 800. colum. 2. linea 26. lit. C. ponitur additio, quæ incipit, *quia adiectiuum eſt*, & finitur linea 36. his verbis, *niſi propoſitio ſit falſa.*

Additiones ad quæſt. vnicam diſt. 13.

In articulo decimo, pagina 834. columna ſecunda linea 17. ſub litera C. ponitur additio, quæ incipit, *probatur etiam minor*, & finitur linea 40. his verbis ante litera D. *ibi relatio realis.*

In articulo vndecimo, pagina 836. columna ſecunda linea duodecima, litera L. ponitur additio, quæ incipit, *dico quod antecedens*, & continuatur vſque ad pag. 837. per totam, & finitur in pag. 838. col. 1. lin. 5. his verbis, *& è conuerſo.*

In articulo vndecimo, pagina 840. columna ſecunda linea 22. ſub litera K. ponitur additio, quæ incipit, *exemplum huius*, & finitur linea 46. ante litera L. his verbis, *ingeneratione.*

In eodem articulo, pagina 841. colum. 2. linea decimatertia litera N. ponitur additio, quæ incipit, *dico quod non eſt ad propoſitum*, & finitur linea 25. his verbis, *in producente.*

Addit. ad quæſt. vnic. diſt. 15.

In articulo ſecundo, pagina 845. columna prima linea 46. ſub litera C. ponitur additio, quæ incipit, *conſequentia patet*, & finitur columna 2. linea 6. his verbis, *mittere eſt producere.*

Additiones ad quæſt. vnicam diſt. 23.

In articulo primo, pagina 942. columna prima linea 48. ſub litera F. ponitur additio, quæ incipit, *ad quod reſpondeo*, & finitur columna ſecunda linea 12. his verbis, *in natura intellectuali.*

In articulo tertio, pagina 943. columna ſecunda linea vigeſimatertia, ſub litera I. ponitur additio, quæ incipit, *dicat tantum formaliter*, & continuatur vſque ad pag. 944. vbi finitur columna 1. lin. 17. ante lit. K. his verbis, *produtio realis.*

Addit. ad quæſt. vnica diſt. 24.

In art. 1. p. 948. colum. 1. linea. 24. litera A. ponitur additio, quæ incipit: *quia 10. Metaphyſic.* & finitur linea 34. his verbis, *Auguſt. de tempore.*

Ibidem pag. 949. columna 1. linea 11. ſub litera D. ponitur additio quæ incipit, *contra eſt*, & finitur linea 14. his verbis, *quantum diſtinctum.*

In art. 2. pag. 949. col. 2. lin. 10. lit. A. ponitur additio, quæ incipit, *Boetius primo de Trinitate*, & finitur lin. 26. ante lit. E. his verbis, *& attributorum.*

In eodem art.p.949.col.2. lin.27.lit.E.ponitur additio,quæ incipit, *tenendo communem viam*,& finitur pag.950.col.1.lin.40.ſub litera I.his verbis,*concordaret vtrobique*.

In eodem art.p.950.col.1.lin. 41.ſub litera I.ponitur additio, quæ incipit, *vnum duplex synonimum*, & continuatur in col.2. vbi finitur lin.17.ſub litera K. his verbis, *eſt numerus formalis*, & ibi ſequitur eadem lin. alia additio,quæ incipit,*ita quod ſi vnius ſpeciei*,& finitur lin.30. ante lit. L. his verbis, *hic vero non*.

In eodem art.pag.951.col.1.lin.2.litera L ponitur additio,quæ incipit, *quod non eſt vnũ numero*,& finitur ſub lit.N.lin.16.his verbis, *vera eſſe non poteſt*.

Addit.ad quæſt. vnic.diſt.26.

In art. 2.pag.972.col.1.lin.6.ſub lit.X.ponitur additio, quæ incipit ,*ſed quandoque diſtinctio*,& finitur lin.41.ante lit.Y.his verbis, *præcedentem relationem*.

Addit.ad quæſt.3. diſt.27.

Articulus tertius totus eſt additio.pag. 1080.

Additiones ad quæſt. 1.diſt.28.

In art.2.pag. 1089.col.2.lin.4.lit.F.ponitur additio,quæ incipit,*pro opinione prima*, & finitur pag. 1090.ſub eadem litera line. 28. his verbis,*ratio ordinis ad prius*.

In eadem quæſt.art.4.p.1097.col.2.lit.H li.27.ponitur additio,quæ incipit,*nota, quod ſicut relationes*,& finitur p. 1098.ſub eadem litera,lin.5. his verbis, *multo modo eſſe ab alio*.

In art.3.eiuſdem quæſt.1092.col.1.ſub litera H.lin.45.ponitur additio, quæ incipit, *& exponitur* , ingenitum , & finitur in fine articuli.

In art.3.col.2.lit. C.ponit additio,quæ incipit,*tertio præterea*,&finitur ibi,ſexta notio.

Additiones ad quæſt.2.eiuſdem diſt.

In art.1.p.1099.col.2.ſub. lit.F.lin.39.ponitur additio,quæ incipit,*itẽ eſſentia*, *vt prior relatione*,& finitur p.1100. ſub eadem lit.linea 17.ſub his verbis, *qui eſt vnum extremum*.

In eodem art.pa. 1100.col. 2.lit.H. lin.1. ponitur additio,quæ incipit , *reſpondeo* , *quod negatio*,& finitur ibid.lin.26.his verbis,*determinatiua eſſentiæ*.

In eodem art.p.1101.col.2.ſub lit.M.lin. 26.ponitur additio,quæ incipit, *vel ſic*, & finitur ibid.ſub his verbis, *niſi relatio*.

In art.2.p. 1102 , ponitur additio titulus articuli,& primum,& ſecundum argumentũ, & col.2 ſub lit.E. linea 27.ponitur additio, quæ incipit , *eſſentia illimitationem determinat*, & finitur in fine literæ.

Additiones ad quæſt.3.eiuſdem diſt.

In art.3.p.1112.col.1. lit. O.lin.21. ponitur additio,quæ incipit, *cõfirmatur*, & finitur in eodem lit.his verbis, *relatio diſquiparantiæ*.

In art.4.p.1113.col.2.lit.F.lin.40.ponitur additio,quæ incipit,*quamuis in diuinis*, & finitur,p.1114.col.1.lin.21.his verbis, *& immediationis*.

In eodem art.4.p.1113. col.1.lit. A. lin.5. ponitur additio, quæ incipit ,*reſtat enim dubium*.& finitur lit.B.in fine,his verbis,*proprie loquendo*.

In eodem art.p. 1115.col. 1.lit.N.line.33. ponitur additio , quæ incipit , *fiunt tres rationes*, & finitur col. 2. in fine lit. P. his verbis, *primo ſuppoſito*.

In art.4.p.1113.col.2.lit.C.lin.4.ponitur additio,quæ incipit,*tertio præterea* , & finitur his verbis , cuiuſcunque ſecundi.

In eodem art.p.1114.col.1.lit.G.linea 22. ponitur additio,quæ incipit, *ſi quis vellet dicere*,& finitur p.1115.col.1.lit.N. lin. 24. his verbis, *tam diſſona dictis Sanctorum*.

Additiones ad quæſt.1.diſt. 30.

In art.1.p.1128.col.2.lit.G.lin.33. ponitur additio,quæ incipit,*quod enim forma*,& finitur lin.42.his verbis,*contradictio eſt*.

In art.3.p.1151. col.2. totus articulus eſt additio.

Additiones ad quæſt.vnicam diſt.31.

In art.1.p.1167.col.2.ſub lit.C.lin.26.ponitur additio,quæ incipit,*probatur generaliter*, & finitur col.2. lin. 2. his verbis , *in intellectu tantum*.

In art.3.p.1171.col.1.lit.G.lin. 12.ponitur additio,quæ incipit,*quia vbicumque*,& finitur col.2.in fine lit.H.lin.9. his verbis,*ſecundum calorem eſt ſimile*.

In artic.3.p.1170.col.1.lit.A.lin.11.ponitur additio,quæ incipit,*quia pari ratione*,videretur,& finitur ibid.col.2.lin. 38. his verbis,*in infinitum*.

In eodem art.p.1171.col.2. lit. K. lin.34. ponitur additio,quæ incipit,ad primum argumentum dicitur, & finitur in fine art. his verbis,*quia etiam ſe ipſis*.

INDEX SECVNDVS

DISTINCTIONVM, QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM TEXTVALIVM SCOTI, QVAE IN HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

DISTINCTIO SECVNDA.

Textus Scoti.

QVÆSTIO IIII.

De diuinis productionibus.

ARTICVLVS 1. Vtrûm in diuinis posit esse aliqua productio? pag. 3.

Art. 2. Vtrûm productum in diuinis sit ex se necessariũ, & sine mutatione? p. 8.

Art. 3. Vtrûm à quibusdam recte probetur dari productionem intrinsecam in diuinis? pag. 23.

Art. 4. Vtrûm intellectus prout est principium productiuum, sit in Deo, secundum veram rationem sui? pag. 35.

Art. 5. Vtrûm rationes, quibus probatum est, in diuinis dari productionem ad intra, sint demonstrationes? pag. 40.

QVÆSTIO V.

De numero productionum.

ARtic. 1. Vtrûm sit plusquam vnica productio in diuinis? pag. 48.

Art. 2. Vtrûm in diuinis sint tantum duæ productiones? pag. 53.

Art. 3. Vtrûm in diuinis præter intellectum, & voluntatem, habeat essentia rationem principij productiui? pag. 57.

Art. 4. Vtrûm eidem principio possint competere actus essentiales, & notionales? pag. 64.

Art. 5. Vtrûm intelligere Patris, sit ratio producendi Verbum? pag. 66.

Art. 6. Vtrûm dualitas diuinarum productionum, rectè à quibusdam probetur? p. 84.

QVÆSTIO VI.

De Trinitate diuinarum personarum.

ARtic. 1. Vtrûm in diuinis sint tantum tres personæ? pag. 91.

Art. 2. Vtrûm possit ostendi vnam trium personarum esse improductam, sicut ostenditur vnitas Dei? pag. 93.

QVÆSTIO VII.

De compossibilitate vnius essentiæ cum pluralitate personarum.

ARtic. 1. Vtrûm cum vnitate essentiæ stet pluralitas personarum? pag. 121.

Art. 2. Vtrûm ponatur aliqua distinctio inter rationem essentiæ, & rationem personæ? pag. 145.

Art. 3. Vtrûm distinctio, quæ reperitur inter rationem essentiæ, & rationem suppositi, sit realis? pag. 148.

Art. 4. Vtrûm ratio personæ sit per se essentia? pag. 197.

Artic. 5. Vtrûm proprietas personalis sit formaliter necesse esse? pag. 200.

Art. 6. Vtrûm aliqua sophismata concludant non stare pluralitatem personarum, cum vnitate essentiæ? pag. 221.

Index Quæstionum, & articulorum.

DISTINCTIO III.

QVÆSTIO I.

De naturali cognoſcibilitate Dei reſpectu intellectus viatoris.

ARtic.1. Vtrûm poſsit naturaliter haberi ab intellectu viatoris aliquis conceptus, in quo perſe, & quidditatiuè concipiatur Deus? pag. 232.

Art.2. Vtrûm poſsit haberi conceptus de Deo, qui ſit vniuocus ſibi, & creaturis? pag. 238.

Art.3. Vtrûm cognoſcatur Deus naturaliter à viatore in particulari? pag.257.

Art.4. Vtrûm poſsimus peruenire ad aliquos conceptus de Deo, qui non conueniãt creaturis? pag.259.

Art.5. Vtrûm quæ cognoſcuntur de Deo cognoſcantur per ſpecies creaturarum? p. 260.

QVÆSTIO II.

De primo cognito a nobis naturaliter pro ſtatu iſto.

ARtic.1. Vtrûm via originis primo cognitum à noſtro intellectu, cognitione actuali confuſa, ſit ſpecies ſpecialiſsima? pag.263.

Art.2. Vtrûm via originis primo cognitũ à noſtro intellectu cognitione actuali diſtincta, ſit communiſsimum? pag.267.

Art.3. Vtrûm via originis primo cognitum à noſtro intellectu, cognitione habituali, ſeu virtuali, ſit communius? pa.269.

Art.4. Vtrûm Deus ſit primo cognitum à nobis naturaliter pro iſto ſtatu? p.270.

QVÆSTIO III.

De obiecto adæquato in intellectus viatoris.

ARtic.1. Vtrûm obiectum adæquatum noſtri intellectus, ſit quidditas rei materialis? pag.274.

Art.2. Vtrûm Deus ſit obiectum naturale primum, hoc eſt adæquatum, reſpectu intellectus viatoris? pag.278.

Art.3. Vtrûm ens ſit vniuocum dictum in quid, de omnibus decem prædicamentis? pag.281.

Art.4. Vtrûm ens ſit vniuocum dictum in quid, de omnibus per ſe intelligibilibus? pag.286.

Art.5. Vtrûm ens prædicetur in quid, de aliquibus differentijs? pag.288.

Art.6. Vtrûm ens ſit obiectum adæquatũ noſtri intellectus? pag.298.

Art.7. Vtrûm poſsit poni, quod verum ſit obiectum adæquatum noſtri intellectus? pag.300.

Art.8. Vtrûm eo ipſa, quod ens ſecũdum ſuam communiſsimam rationem, eſt obiectum adæquatum noſtri intellectus, Deus naturaliter â nobis poſsit cognoſci? p.303.

Art.9. Vtrûm ſummum bonum ſit obiectum primum, ſiue adæquatum noſtræ voluntatis? pag.307.

QVÆSTIO IIII.

De cognitione naturali intellectus viatoris.

ARtic.1. Vtrûm per exemplar adquiſitũ in nobis habeatur omnino certa, & infallibilis notitia veritatis de re? p.309.

Art.2. Vtrûm de principijs per ſe notis, & de concluſionibus poſsit naturaliter haberi certitudo infallibilis? pag.316.

Art.3. Vtrûm de cognitis per experientiam, poſsit naturaliter haberi certitudo infallibilis? pag.318.

Art.4. Vtrûm de actibus noſtris poſsit naturaliter haberi certitudo infallibilis? p.319

Art.5. Vtrûm aliqua veritas certa, & ſincera poſsit naturaliter cognoſci ab intellectu viatoris, abſque lucis increatæ ſpeciali illuſtratione? pag.321.

Art.6. Vtrum poſsit concedi, quod veritates infallibiles videntur in regulis æternis? pag.328.

Art.7. Vtrum tres rationes pro opinione oppoſita in primo articulo relata aliquid veri concludant? pag. 330.

QVÆSTIO V.

De cognoſcibilitate Dei per veſtigium.

ARtic.1. Vtrûm ratio veſtigij in præciſa ſimilitudine partis, an in ſolo reſpectu conſiſtat? pag.331.

Art.2. Vtrûm omnis relatio veſtigij creaturæ ad Deum, in ſolo tertio genere relationum conſiſtat? pag.333.

Art.3. Vtrûm in omni creatura ſit veſtigium Trinitatis? pag.336.

Art.4. Vtrûm reſpectus veſtigij in creatura, fundetur in aliquitate tantùm, an vero in ratitudine rei, & hæc an ſit relatio? pag. 355.

QVÆSTIO VI.

De memoria..

ARtic.1. Vtrum neceſſario ſit ponenda ſpecies intelligibilis? pag.361.

Art.2. Vtrum eadem ſpecies, quæ de ſe repræſentat obiectum ſub ratione ſingularis, poſsit ipſum repræſentare ſub ratione vniuerſalis? pag.369.

Art.3.

Art.3. Vtrùm terminus intellectus agentis, ſit aliqua forma realis? pag.372.

Art.4. Vtrùm in parte intellectiua proprie, ſit memoria proprie? p.374.

Art.5. Vtrùm memoria intellectiua ſit cõſeruatiua ſpeciei intelligibilis, ceſſante actu intelligendi? p.379.

Art.6. Vtrùm oporteat intellectum in actu intelligendi, conuerti ad phantaſmata? pag.383.

Art.7. Vtrùm in intellectu noſtro ſit actualis notitia genita, vel producta? p.385.

Art.8. Vtrùm intellectio, & volitio ſint in genere qualitatis? p.387.

Art.9. Vtrùm operationum immanentiũ, ſit per ſe productio, & generatio, an vero compoſiti? p.391.

QVÆSTIO VII.

De cauſa, & ratione gignendi notitiam.

Art.1. Vtrũ cauſa totalis intellectionis ſit ipſamet anima? pa.393.

Art.2. Vtrùm anima intellectiua habeat aliquid actiuitatis reſpectui intellectionis? pag.398.

Art.3. Vtrùm intelligibile, vt ſimpliciter præſens intellectui, non per ſpeciem intelligibilem, ſed per phantaſmata, cauſet intellectionem? pa.407.

Art.4. Vtrùm ſpecies inrelligibilis, ſeu obiectum ipſum in ſe præſens intellectui, ita ſit gignens, vel ratio gignendi notitiam actualem in intellectu, vt ipſe intellectus tantummodo ſe habeat tanquam materiale? pag.411.

Art.5. Vtrùm ſpecies intelligibilis ſit ipſa actualis notitia genita? p.415.

Art.6. Vtrùm intellectionis ad obiectum ſit relatio? pa.417.

Art.7. Vtrùm intellectus, & obiectum ſint vna integra, & totalis cauſa intellectionis? pag.419.

Art.8. Vtrùm intellectus, & obiectũ ſint cauſæ eſſentialiter ordinatæ, in ordine ad intellectionem? pa.422.

QVÆSTIO VIII.

De comparatione cauſarum notitiæ inter ſe.

Art. vnicus. Vtrùm principalior cauſa notitiæ genitæ, ſit obiectum in ſe, vel in ſpecie præſens, vel ipſa pars intellectiua animæ? pag.426.

QVÆSTIO IX.

De imagine Trinitatis.

Art.1. Vtrũ ratio imaginis requirat, quod imago nata ſit imitari illud, cuius eſt imago, & reſpectu cuius in Trinitate ſit imago? pagina.431.

Art.2. Vtrùm in mente ſit diſtinctè imago Trinitatis? pa.432.

Art.3. Vtrùm ſolum in actibus primis, vel in ſecundis animæ, reperiatur imago Trinitatis? pa.438.

Art.4. Vtrùm ex concluſione præcedentis articuli, inferatur quaternitas in imagine? pa.440.

Art.5. Vtrùm in hoc, quod eſt tertiam perſonam orignari à prima, & ſecunda, ſit ſimilitudo imaginis in nobis? pa.442.

Art.6. Vtrùm in parte ſenſitiua ſit imago Trinitatis? pa.443.

DISTINCTIO IV.

QVÆSTIO I.

De veritate iſtius propoſitionis, Deus generauit alium Deum.

ARtic.1. Vtrùm Deus genuerit alium Deum? pag.454.

Art.2. Vtrùm hæc ſit vera logice loquendo: Deus generauit alium Deum? p.456.

QVÆSTIO II.

De veritate iſtius propoſitionis, Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

Art.1. Vtrùm iſta ſit vera Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus? pa.472.

Art.2. Vtrùm hæc ſit vera, Deitas eſt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus? pa.474.

Art.3. Vtrùm in hac propoſitione, Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſubiectũ ſupponat pro hoc Deo, in diuina natura exiſtente, non includente rationem perſonalem? pag.475.

DISTINCTIO V.

QVÆSTIO I.

De generatione in comparatione ad eſſentiam.

ARtic.1. Vtrùm eſſentia diuina generet, vel generetur? pag.477.

Art.2. Vtrùm Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint res vna? pa.480.

Art.3. Vtrùm, quæ nam ſit vltimata abſtractio? pa.481.

Art.4. Vtrùm logice, hæc propoſitio poſſit eſſe vera, eſſentia generat, vel generatur? pag.483.

Art. 5. Vtrum ista propositio sit vera, essentia est Pater Filij? p. 485.

Art. 6. Vtrum essentia sit communicans, vel communicata? p. 488.

QVÆSTIO II.

De generatione Filij, si fit de substantia Patris.

Art. 1. Vtrum Filius sit genitus de substantia Patris, quasi de materia? p. 507.

Art. 2. Vtrum essentia diuina sit formalis terminus generationis? p. 512.

Art. 3. Vtrum essentia diuina sit subiectū generationis? p. 513.

Art. 4. Vtrum Filius generetur de substātia Patris? p. 518.

Art. 5. Vtrum in persona diuina, relatio habeat rationem actuantis essentiam. p. 522.

Art. 6. Vtrum ex eo, quod essentia sit fundamentum relationum, aliquid potentiale inferatur in ea? p. 527.

DISTINCTIO VI.

QVÆSTIO VNICA.

De generatione Filij per voluntatem.

ARtic. 1. Vtrum Pater genuerit Filiū voluntate consequente, non vero antecedente generationem? p. 538.

Art. 2. Vtrum Deus Pater genuerit Filiū voluntate, veluti principio productiuo generationis? p. 541.

Art. 3. Vtrum auctoritates D. Augustini, concludant Patrem genuisse Filium voluntate, tanquam principio productiuo? p. 544.

DISTINCTIO VII.

QVÆSTIO VNICA.

De potentia generandi Patris.

ARtic. 1. Vtrum in diuinis necessario debeat constitui aliquod principium, quo Pater formaliter sit potens generare? pag. 547.

Art. 2. Vtrum potentia seu principium, quo Pater formaliter est potens generare, sit relatio, seu proprietas Patris? p. 551.

Art. 3. Vtrum relatio sit principium determinatiuum generationis? p. 554.

Art. 4. Vtrum potentia generandi, seu principium generationis sit aliquod absolutum? p. 557.

Art. 5. Vtrum principium generationis sit diuina essentia? p. 561.

Art. 6. Vtrum ex eo quod diuina essentia sit principium generationis habens esse per se, sine eo quod est in supposito, possit per se generare? p. 565.

Art. 7. Vtrum generatio (cuius principiū est diuina essentia) sit æquiuoca? p. 567.

DISTINCTIO VIII.

QVÆSTIO I.

De simplicitate Dei.

ARtic. 1. Vtrum simplicitas sit perfectio simpliciter? p. 572.

Art. 2. Vtrum conueniat Deo summa simplicitas? p. 574.

Art. 3. Vtrum per exclusionem triplicis compositionis, cōcludatur Deum esse summe simplicem? p. 576.

QVÆSTIO II.

De simplititate creaturæ.

Art. 1. Vtrum quælibet creatura sit composita ex re, & re? p. 578.

Art. 2. Vtrum aliqua creatura sit perfectè simplex? p. 580.

QVÆSTIO III.

De simplicitate Dei, in ordine ad poni sub genere.

Art. 1. Vtrum de Deo, & creatura dentur duo conceptus, ita propinqui, vt videantur esse vnus? p. 581.

Art. 2. Vtrum cum simplicitate Dei stet, quod aliquis sit conceptus communis vniuocus Deo, & creaturæ? p. 583.

Art. 3. Vtrum attributa dicant conceptū communem Deo, & creaturæ? p. 588.

Art. 4. Vtrum cū simplicitate diuina stet, quod Deus sit in genere? p. 592.

Art. 5. Vtrum cum simplicitate diuina, stet quod aliquid formaliter dictum de Deo sit in genere? p. 596.

Art. 6. Vtrum conceptus communis Deo, & creaturæ realis possit accipi, nisi ab aliqua realitate eiusdem generis? p. 599.

Art. 7. Vtrum melius probetur, Deum non esse in genere per hoc, quod continet in se perfectiones omnium generum, quām per rationes infinitatis? p. 602.

Art. 8. Vtrum cum hoc, quod est conceptum communem dictū esse in quid de Deo, & creatura secundum Philosophum, stet negare Deum esse in genere? p. 604.

QVÆST.

QVÆSTIO IIII.
De distinctione attributorum.

ARtic.1. Vtrùm distinctio attributorum sit tantum per respectum adextra? pag. 606.

Art.2. Vtrùm distinctio attributorum sit tantum rationis per diuersos respectus fundatos in essentia? p.613.

Art.3. Vtrùm perfectiones simpliciter, ante omne opus intellectus formaliter sint in re ex natura rei? p.618.

Art.4. Vtrùm distinctio attributorum sit ante omne opus intellectus formaliter ex natura rei? p.620.

Art.5. Vtrùm in diuinis sit vera prædicatio formalis in abstracto, vnius attributi de alio? p.653.

Art.6. Vtrum si non esset distinctio ex natura rei, diuina essentia esset pelagus infinitæ substantiæ? p.683.

Art.7. Vtrum distinctio seu non identitas formalis stet cum simplicitate Dei? p.684.

QVÆSTIO V.
De immutabilitate Dei.

ARtic.1. Vtrum prima causa necessariò, & naturaliter causet primum causatũ? pag.686.

Art.2. Vtrum Deus sit simpliciter immutabilis? p.695,

Art.3. Vtrùm secundum Philosophos detur aliquid, quod ex se formaliter sit necesse esse, & tamen habeat esse causaliter ab alio? pag.697.

Art.4. Vtrùm secundum Philosophos, necessario producat Deus aliud immutabile necessarium à se, quo mediante moueat? pag.701.

Art.5. Vtrùm aliquid aliud â Deo sit mutabile? pag.704.

DISTINCTIO IX.

QVÆSTIO VNICA.
De æternitate generationis Filij.

ARtic.1. Vtrùm generatio Filij in diuinis sit æterna? pag.705.

Art.2. Vtrùm verba omnium temporum vere dicantur de Deo? pag.715.

DISTINCTIO X.

QVÆSTIO VNICA.
De productione Spiritus sancti in ordine ad principium, quo, suæ productionis.

ARtic.1. Vtrùm voluntas diuina possit esse principium communicandi naturam? pag.716.

Art.2. Vtrùm Spiritus sanctus producatur per modum voluntatis? p.718.

Art.3. Vtrùm voluntas, eo quod infinita, sit principium necessario producendi in diuinis? pag.721.

Art.4. Vtrùm necessitas productionis spiritus sancti proueniat tantum ex infinitate, & rectitudine voluntatis producentis? pagina 724.

Art.5. Vtrùm obiectũ finitum possit esse comprincipium voluntatis infinitæ ad productionem? pag.726.

Art.6. Vtrùm voluntas infinita eadẽ productione, qua producit amorem obiecti infiniti, producat etiam amorem obiecti finiti? pag.733.

Art.7. Vtrùm Spiritus sanctus procedat per modum naturæ? pag.737.

DISTINCTIO XI.

QVÆSTIO I.
De processione Spiritus sancti, in ordine ad principium, quod, suæ processionis.

ARtic.1. Vtrùm Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio? pag.752.

Art.2. Vtrùm ex ordine diuinarum productionum inferatur idem principium productiuum amoris esse in Filio, quod est in Patre? pag.755.

QVÆSTIO II.
De distinctione Spiritus sancti a Filio, data hypotesi, quod ab illo non procederet.

Art.1. Vtrùm ita repugnet Spiritum sanctum à Filio non procedere, vt nullo modo possit sub hypotesi quæri, an si à Filio non procederet, hoc vel illud sequererur? pag. 757.

Art.2. Vtrùm admissa hypotesi, quod Spiritus sanctus non procederet à Filio, realiter distingueretur ab illo? p.759.

DISTINCTIO XII.

QVÆSTIO I.
De vnitate principij Spiritus sancti.

ARtic.1. Vtrùm Pater, & Filius sint principium Spiritus sancti? pa.783.

Art.2. Vtrùm Pater, & Filius per se magis

gis ſpirent voluntate, in quantum vna, vel in quantum concors? p.786.

Art. 3. Vtrùm Spiritus ſanctus ſpiretur per mutuam dilectionem? pa.789.

Art.4. Vtrùm fœcunditas diuinæ voluntatis in ordine ad productionem Spiritus ſancti, ita de ratione ſua requirat eſſe in duobus, vt non poſsit eſſe in vno? p.792.

Art.5. Vtrùm Pater, & Filius poſsint dici vnus ſpirator, vel duo ſpiratores? pagina 800.

QVÆSTIO II.

De vniformitate ſpirandi Patris, & Filij.

Art.1. Vtrùm Pater, & Filius ſpirent vniformiter Spiritum ſanctum? pa.813.

Art.2. Vtrùm ſecundum prioritatem originis, prius ſpiret Pater Spiritum ſanctum, quàm Filius? pag.815.

DISTINCTIO XIII.

QVÆSTIO VNICA.

De proceſsione Spiritus ſancti, prout diſtinguitur à generatione Filij.

ARtic.1. Vtrùm generatio, & ſpiratio diſtinguantur per ſuos terminos? p.817.

Art.2. Vtrùm ex eo quod ſpiratio actiua ſtat cum generatione actiua, & paſsiua, diſtinguatur ab vtraquè? p.818.

Art.3. Vtrùm generatio, & ſpiratio diſtinguãtur per relationes oppoſitas prioris, & poſterioris? pa.820.

Art.4. Vtrùm generatio, & ſpiratio diſtinguãtur penes principia, diſtincta Secundum rationem? pag.821.

Art.5. Vtrùm eſſentia diuina ſub ratione Vna omnino indiſtincta, ſit principium generationis, & ſpirationis? pag.825.

Art.6. Vtrùm principia generationis, & ſpirationis, quę ſunt intellectus, & voluntas, ſint in diuinis ex natura rei? pag.828.

Art.7. Vtrùm intellectus diuinus (& idem eſt de voluntate) ſit formaliter infinitus? pagina 829.

Art.8. Vtrùm, naturalitas, & libertas dicãt reſpectũ ad actus principij naturalis, & liberi? pag.830.

Art.9. Vtrùm Volũtas ſit potentia indeterminata ex ſe, & ipſa ſe determinet? p.832.

Art.10. Vtrùm productio Spiritus ſancti ſit generatio; vel qualiter diſtinguatur ab ea? pag.834.

Art.11. Vtrùm productiones filij, & Spiritus ſancti, ſint vniuocæ inter ſe? pag.838.

DISTINCTIO XIIII. & XV.

QVÆSTIO VNICA.

De miſsione temporali Spiritus ſancti.

ARtic.1. Vtrùm quælibet perſona diuina mittat quamlibet perſonam, & mittatur? pag.843.

Art.2. Vtrùm poſsit teneri, quod licet miti non ſit commune, mittere tamen commune ſit tribus perſonis? pag.844.

DISTINCTIO XVI.

QVÆSTIO VNICA.

De miſsione viſibili Spiritus ſancti.

ARtic. vnic. Vtrùm Spiritus ſanctus poſsit viſibiliter mitti? pag.851.

DISTINCTIO XVIII.

QVÆSTIO VNICA.

De proprietate Spiritus ſancti, in quantum donum.

ARtic.1. Vtrùm donũ ſit proprietas perſonalis Spiritus ſancti? pag.857.

Art.2. Vtrùm donum, eſſe proprietatem perſonalem Spiritus ſancti, ſit contra intentionem Auguſtini? pag.861.

DISTINCTIO XIX.

QVÆSTIO I.

De æqualitate perſonarum.

ARtic.1. Vtrùm poſsit reperiri æqualitas, non fundata in quantitate molis? pag.867.

Art.2. Vtrùm inter diuinas perſonas ſit æqualitas? pag.869.

Art.3. Vtrùm negata quantitate de Deo, poſsit concedi magnitudo de ipſo? p.872.

Art.4. Vtrùm æqualitas perſonarum dicat perfectionem in diuinis? p.873.

QVÆSTIO II.

De circumince ſione perſonarum diuinarum.

ARtic.1. Vtrùm vna diuina perſona ſit in alia? pag.875.

Art.2. Vtrùm Pater ſit in Filio ſecundum totum, an vero ſecundum partem? p.876.

Art.3. Vtrùm ſola diuina eſſentia ſit ratio inexiſtentiæ, qua Filius eſt in Patre? pagina 880.

Art.

Art. 4. Vtrùm in rebus creatis ſit aliquis modus inexiſtendi ſimilis illi, quo vna diuina perſona eſt in alia? p. 882.

Art. 5. Vtrùm ex eo, quod Pater eſt in Filio, & Filius in Patre, inferatur, quod Pater eſt in ſe? p. 884.

DISTINCTIO XX.

QVÆSTIO VNICA.

De æqualitate perſonarum, quoad poteſtatem.

ARtic. 1. Vtrum ſub omnipotentia contineatur potentia generâdi Patris: ita vt pater, & non Filius, ſit omnipotens? pag. 892.

Art. 2. Vtrùm potentia actiua Patris reſpiciat filium, vt poſsibilem? pag. 895.

Art. 3. Vtrùm, inferatur per locum intrinſecum, ex eo, quod Pater non poſſet generare ſibi filium à qualem, quod eſſet impotens? pag. 897.

Art. 4. Vtrùm, treſ perſonæ ſint æquales in potentia ad extra? pag. 897.

DISTINCTIO XXI.

QVÆSTIO VNICA.

De veritate iſtius propoſitionis, ſolus Pater eſt Deus.

ARtic. 1. Vtrum ſolus Pater eſt Deus, ſit propoſitio vera? pag. 898.

Art. 2. Vtrùm, iſta ſit bona conſequentia, ſolus Deus, qui eſt Pater, eſt Deus? 912.

Art. 3. Vtrùm, hæc propoſitio, ſolus Pater eſt Deus, ſit conuerſa iſtius, ſolus Deus eſt Pater? pag. 913.

DISTINCTIO XXII.

QVÆSTIO VNICA.

De nomine, quo Deus eſt à nobis nominabilis.

ARtic. 1. Vtrùm Deus ſit nominabilis à viatoribus, ſecundum quod tãtum intelligitur ab eis? pag. 916.

Art. 2. Vtrùm Deus ſit nominabilis à viatore, nominibus ſignificantibus ipſum in communi? pag. 919.

Art. 3. Vtrùm Deus ſit nominabilis ab homine viatore, aliquo nomine proprio? pag. 921.

Art. 4. Vtrùm Deus ſit nominabilis à viatore, ſecundum rationẽ immẽſitatis? p. 925.

DISTINCTIO XXIII.

QVÆSTIO VNICA.

De perſona, vt eſt communis Patri, & Filio, & Spiritui ſancto

ARtic. 1. Vtrùm perſona pro formali ſignificet negationem? p. 937.

Art. 2. Vtrùm à diuinis perſonis, ſeu cõſtitutiuis earum, poſsit abſtrahi aliquis conceptus communis, poſitiuus, vel negatiuus? pag. 944.

Art. 3. Vtrùm perſona, prout dicit quid commune, in diuinis dicat præciſe aliquid ſecundæ intentionis? pag. 945.

DISTINCTIO XXIIII.

QVÆSTIO VNICA.

De numero, qui reperiri poſsit in diuinis.

ARtic. 1. Vtrùm numerus ſimpliciter, & in re, reperiatur in diuinis? p. 948.

Art. 2. Vtrùm in diuinis poſsit cõcedi numerus ſecundum quid? pag. 949.

DISTINCTIO XXV.

QVÆSTIO VNICA.

De diuina perſona, vt abſtrahit a tribus ſuppoſitis.

ARtic. 1. Vtrum perſona in diuinis dicat relationem propriam, aut communẽ? pag. 952.

Art. 2. Vtrùm perſona ſignificet ſubſtantiam ſecundam, & quidditatem, in diuinis? pag. 953.

DISTINCTIO XXVI.

QVÆSTIO VNICA.

De conſtitutione diuinarum perſonarum.

ARtic. 1. Vtrùm perſonæ diuinæ ſe ipſis diſtinguantur? pag. 963.

Art. 2. Vtrum diuinæ perſonæ ſint abſolutæ, & per abſoluta conſtituantur? p. 965.

Art. 3. Vtrum diuinæ perſonæ conſtituãtur per origines? p. 973.

Art. 4. Vtrum ponere, diuinas perſonas conſtitui proprietatibus abſolutis contrarietur fidei? pag. 976.

Art. 5. Vtrum diuinas perſonas conſtitui proprietatibus abſolutis, ſit improbabile? pag. 980.

Art.

Art.6. Vtrum diuinæ personæ constituantur relationibus originis, in esse personali? pag.987.

Art.7. Vtrum personas diuinas constitui relationibus originis, contrarietur auctoritati Sanctorum Patrum? p.989.

Art.8. Vtrum omnes relationes diuinæ, etiam quæ sunt communes, sint constitutiuæ personarum? pag.992.

Art.9. Vtrum relatio constitutiua personæ, vt putà, paternitas, sit formaliter incommunicabilis de se: an vero, quia diuina? pa. 995.

Art. 10. Vtrum aliquis conceptus communis quidditatiuæ dicatur de proprietatibus constitutiuis diuinarum personarum? pag.1000.

Art.11. Vtrum persona, vt constituta ex relatione & essentia, sit vnum ens per se? pag.1002.

Art.12. Vtrum diuinæ personæ, per relationem constitutæ, competat ratio primæ substantiæ, vel esse per se? p.1006.

DISTINCTIO XXVII.

QVÆSTIO I.

De Verbo intellectus creati.

ARtic.1. Vtrum Verbū intellectus creati sit intellectio declaratiua, supponens aliam simplicem intellectionem? p.1035.

Art.2. Vtrùm Verbum creatum sit terminus productus per intellectionem? p.1037.

Art.3. Vtrùm Verbum creatum sit intellectio actualis? pag. 1038.

Art. 4. Vtrûm quælibet intellectio actualis sit Verbum? pag.1041.

Art.5. Vtrùm de ratione Verbi perfecti, quod scilicet repræsentat Verbum diuinū, sit, quod inquisitiue gignatur? p.1042.

Art. 6. Vtrùm ad rationem Verbi perfecti concurrat voluntas? pag.1044.

QVÆSTIO II.

De Verbo diuino.

ARtic.1. Vtrûm Verbum diuinum sit notitia declaratiua intellectus Patris, virtute notitiæ actualis simplicis? p.1045.

Art.2. Vtrùm Verbum diuinum sit de intellectu genitum tanquam de materia, seu quasi materia? p.1047.

Art.3. Vtrùm Verbum in diuinis significet proprietatem personalem secundæ personæ? pag.1050.

QVÆSTIO III.

De respectu Verbi ad creaturas.

ARtic.1. Vtrûm Verbum diuinum dicat respectum realem ad creaturā? p.1052.

Art.2. Vtrùm respectus, quem dicit Verbum ad creaturas, sit prius sibi? p.1078.

Art.3. Vtrùm per rationem naturalem possit cognosci, Verbum non esse essentiale in diuinis? pag.1080.

DISTINCTIO XXVIII.

QVÆSTIO I.

De ingenito, prout est proprietas.

ARtic. 1. Vtrùm ingenitum importet in diuinis priuationem? pag.1081.

Art.2. Vtrùm ingenitum soli Patris conueniat, & sit eius proprietas? p.1089.

Art.3. Vtrùm conspirabile sit notio diuina, sicut ingenitum? p.1091.

Art. 4. Vtrùm ingenitum sit proprietas Patris, secundum præcisam rationem priuationis? pag. 1095.

QVÆSTIO II.

De ingenito in ordine ad constitutionem primæ personæ.

ARtic. 1. Vtrùm ingenitum sit proprietas constitutiua Patris? pag.1098.

Art.2. Vtrùm essentia diuina ex se determinet sibi generationem actiuam, seu primam substantiam? pag. 1102.

QVÆSTIO III.

De constitutione primæ personæ.

ARtic.1. Vtrûm prima persona in diuinis cōstituatur in esse personali aliqua realitate absoluta? pag.1105.

Art.2. Vtrùm prima persona constituatur in esse personali, aliqua relatione positiua ad secundam personam? p.1107.

Art.3. Vtrûm relatio, secundum quod relatio est, constituat personam Patris? pag. 1109.

Art. 4. Vtrûm prima persona habeat esse per productionem ab essentia? p.1113.

DISTINCTIO XXIX.

QVÆSTIO VNICA.

De principio personali, notionali, & essentiali.

ARtic.1. Vtrùm principium sit vnum cū principio personali, & notionali? 1123.

Art.

Art. 2. Vtrûm principium ſit vniuocum eſſentiali, & notionali, ſeu perſonali. pag. 1125.

DISTINCTIO XXX.

QVÆSTIO I.

De relatione, quæ conuenit Deo ex tempore.

ARtic. 1. Vtrûm de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore? pag. 1127.

Art. 2. Vtrûm propter terminationem relationum creaturarum ad Deum, oporteat ponere aliquam relationem in Deo? pagina 1130.

Art. 3. Vtrûm poſsit poni in Deo, reſpectu creaturarum, aliqua ratio relationis noua, cauſata per actum intellectus noſtri, aut per actum intellectus diuini? p. 1149.

Art. 4. Vtrûm relatio noua creaturæ ad Deum neceſſariò coexigat relationem nouam Dei ad creaturam? pag. 1151.

QVÆSTIO II.

De relatione reali, qualiter negetur conuenire Deo ad extra.

ARtic. 1. Vtrûm Dei ad creaturam poſsit eſſe aliqua relatio realis? pag. 1152.

Art. 2. Vtrûm ratio, ob quam negatur Dei ad creaturam relatio realis, accipiatur ex neceſsitate, & ſimplicitate Dei. p. 1154.

Art. 3. Vtrûm relationes, quæ fundantur in actione, & paſsione, ſeu in quantitate, ſint in Deo reales, ſicut in creaturis, & quæ ſit ratio diſparitatis? pag. 1157.

DISTINCTIO XXXI.

QVÆSTIO VNICA.

De relationibus identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis in Deo.

ARtic. 1. Vtrûm identitas, ſimilitudo, & æqualitas in diuinis habeãt fundamentum reale? pag. 1166.

Art. 2. Vtrûm in diuinis ſit relatio realis æqualitatis? pag. 1168.

Art. 3. Vtrûm cum eſſentia ſit fundamentum vtriuſque relationis, paternitatis, ſcilicet, & æqualitatis, ſit prima perſona ſecundum eſſentiam Pater, Filij, ſicut eſt Filio ſecundum eſſentiam æqualis? pag. 1170.

Art. 4. Vtrûm tot ſint æqualitates in Deo, quot ſunt in ipſo perfectiones ſimpliciter? pag. 1173.

Art. 5. Vtrûm relationes ſimilitudinis, & identitatis ſint reales? p. 1175.

Art. 6. Vtrûm relatio æqualitatis ſit diſtincta à relationibus identitatis, & ſimilitudinis? pag. 1176.

DISTINCTIO XXXII.

QVÆSTIO I.

De ſapientia Patris.

ARtic. 1. Vtrûm Verbum diuinum ſit declaratiuũ omnis declarabilis, ex vi productionis ſuæ? pag. 1185.

Art. 2. Vtrûm in aliquo ſenſu verum ſit, quod Pater dicit Verbo? p. 1187.

Art. 3. Vtrûm declarare formaliter omne declarabile, ſit proprium Verbi? pagina 1188.

Art. 4. Vtrûm Pater ſit ſapiens ſapientia genita? ibidem.

QVÆSTIO II.

De dilectione Patris, & Filij in Spiritu Sancto.

ARtic. 1. Vtrûm propoſitio hæc, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, fuerit retractata à D. Auguſtino? p. 1190.

Art. 2. Vtrûm Patrem, & Filium diligere ſe Spiritu ſancto, ſit, Patrem, & Filium ſpirare amorem? pag. 1191.

Art. 3. Vtrûm Pater, & Filius diligant ſe Spiritu ſancto, & in quo ſenſu propoſitio ſit vera? pag. 1193.

DISTINCTIO XXXIII. & XXXIIII.

AGITVR in iſtis diſtinctionibus de diſtinctione, & identitate eſſentiæ, & proprietatum diuinarum. pag. 1199.

FINIS.

TER-

INDEX TERTIVS

DIFFICVLTATVM, QVAE EXCITANTVR EX TEXTV SCOTICO CVM SVIS DIVISIONIBVS PER §§.

DIFFICVLTAS 46.

VTRVM in Deo ſit pluralitas perſonarum? pag. 11.

§. 1. Referuntur errores, & hæreſes infidelium. p. 11.

§. 2. De fide concluditur Trinitas perſonarum, & vnitas in Deo. p. 14.

§. 3. De fide concluditur, Filium Dei eſſe conſubſtantialem Patri, & ei coæternum: non creatum, ſed genitum. pag. 16.

§. 4. De fide concluditur, Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, Patri, & Filio conſubſtantialem. pag. 19.

§. 5. Soluuntur argumẽta Hæreticorum. pag. 20.

DIFFICVLTAS 47.

VTrùm in diuinis pluralitas perſonarum ex intrinſeca productione proueniat. pag. 24.

§. 1. Proponitur ſtatus cõtrouerſiæ, & ratio dubitandi argumentis ſuadetur. p. 24.

§. 2. Ponitur vera Scoti, & omnium Catholicorum doctrina. pag. 25.

§. 3. Qualiter differant principium, & cauſa. pag. 27.

§. 4. Semel admiſſo, in diuinis eſſe productionem, ratione oſtenditur, neceſſario vnã perſonam eſſe ab alia. pag. 29.

§. 5. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 31.

§. 6. Soluuntur argumenta in oppoſitum. pag. 33.

DIFFICVLTAS 48.

VTrùm perſonę productę immediatè procedant per naturam diuinam: an vero per intellectum, & voluntatem? p. 58.

§. 1. Proponuntur ſententiæ Richardi, & Durandi. ibid.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, quæ eſt communis, & eius fundamenta explanantur. pag. 59.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 62.

§. 4. Soluuntur argumenta in oppoſitum. pag. 33.

DIFFICVLTAS 49.

AN Verbum diuinum procedat per actũ intellectus, qui eſt dicere, ab actu intelligendi formaliter diſtinctum? p. 70.

§. 1. Proponuntur ſententiæ Aureoli, Durandi, & D. Thomæ. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & non nulla eius fundamenta explanantur. p. 71.

§. 3. Reſoluitur, prius competere Patri, vt Pater eſt, dicere quàm intelligere: & ſtatuuntur alia fundamenta pro ſententia Scoti. pag. 75.

§. 4. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 78.

§. 5. Soluuntur argumẽta Thomiſtarum. pag. 81.

DIFFICVLTAS 50.

VTrùm, ſecunda diuinarum proceſſionum, per quam procedit Spiritus ſanctus, & eius productio ſit actus voluntatis, nullum actum volendi, ſeu diligendi includens? pag. 82.

§. 1. Ponitur prima ſententia D. Thomæ, & ſecunda Scoti, cũ fundamentis illius. ibidem.

§. 2. Aliud ponitur fundamentum, & reſoluitur difficultas. pag. 84.

DIFFICVLTAS 51.

VTrùm proceſſio Verbi diuini ſit generatio? pag. 94.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, & ratio

ratio dubitandi probatur. pag. 91.

§. 2. Ponitur vera, & catholica ſententia cum ſuis fundamentis. pag. 96.

§. 3. Concluditur difficultas, & ſoluuntur argumenta in oppoſitum. pag. 97.

DIFFICVLTAS 52.

VTrùm proceſsio Spiritus ſancti ſit generatio, & qualiter diſtinguũtur iſtæ proceſsiones? pag. 99.

§. 1. Proponitur ſtatus cõtrouerſię, ibidem.

§. 2. Referuntur nonnullę rationes Sanctorum Patrum, quibus indicare intendũt differentiam generationis, & ſpirationis, ibidem.

§. 3. Examinantur prædictę rationes Patrum. pag. 101.

§. 4. Proponuntur quatuor opiniones Scholaſticorum. pag. 102.

§. 5. Ponitur vera Scoti ſententia, & nonnulla eius fundamenta explanantur. pag. 105,

§. 6. Aſsignatur triplex differentia iſtarũ proceſsionum, ſcilicet, ex rationibus earum formalibus, & per ordinẽ ad ſua principia, & per ordinem ad terminos. p. 108.

§. 7. Tres poſteriores ſententias non diſcedere à ſententia Scoti, oſtenditur. p. 111.

§. 8. Quæ ratio imaginis ad rationem generationis requiratur, exponitur. p. 114.

§. 9. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 116.

§. 10. Soluuntur argumenta in oppoſitũ. pag. 119.

DIFFICVLTAS 53.

VTrùm ſuppoſitum, ſeu perſona conſiſtat in aliquo poſitiuo? pag. 129.

§. 1. Referuntur prima ſententia Henrici, & ſecunda Thomiſtarum. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & nonnulla eius fundamenta explanantur. pag. 130.

§. 3. Expenditur, in quo conſiſtat rigoroſa ſubſiſtentia, in quo ve hypoſtaſis, ſeu ſuppoſitum. p. 133.

§. 4. Oſtenditur, quid ſit perſona, & quid prima ſubſtantia. pag. 136.

§. 5. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 140.

§. 6. Soluuntur argumenta primæ, & ſecundæ opinionum. pag. 143.

DIFFICVLTAS 54.

VTrùm inter eſſentiam, & relationes diuinas detur aliquia diſtinctio formalis actualis ex natura rei? pag. 151.

§. 1. Reiecto errore Gerſonis, & Porretani, refertur prima opinio Durandi. ibid.

§. 2. Refertur opinio Thomiſtarum, & aliorum, cum quatuor argumentis eorum. pag. 152.

§. 3. Formantur alia quinque argumenta Gregorij de Valentia, & inſuper tria Thomiſtarum. pag. 153.

§. 4. Ponitur vera Scoti ſententia, quam non poſſe intelligi de diſtinctione virtuali, oſtenditur. pag. 157.

§. 5. Radicitus explanatur formalis diſtinctio, quam Scotus inuenit. pag. 160.

§. 6. Expenditur elegans modus Rubionis exponendi diſtinctionem formalem. pag. 163.

§. 7. Traditior, vnde proueniat, diſtinctas quidditates formales neceſſariò identificari realiter. pag. 165.

§. 8. Proponitur, & reſoluitur, quæ relationes realiter diſtinguuntur adinuicem, cum tamen omnes ſint idem realiter cum eſſentia. pag. 167.

§. 9. Qualiter in diuinis, prædicentur relationes de eſſentia, & è contra, & quid ſit formalis identitas, explicatur. p. 169.

§. 10. Statuuntur tres concluſiones vtrique ſcholæ communes. p. 170.

§. 11. Statuuntur aliæ tres concluſiones pro ſententia Scoti, contra Thomiſtas, & alios. pag. 172.

§. 12. Oſtenditur diſtinctio ex natura rei inter eſſentiam, & relationes, octo ingentibus auctoritatibus Diui Auguſtini probata. pag. 174.

§. 13. Solutiones quarundam prædictarum auctoritatum confutantur. p. 178.

§. 14. Ex Eccleſia, & Concilijs, probatur formalis diſtinctio. pag. 180.

§. 15. Ratione probatur formalis diſtinctio. pag. 182.

§. 16. Probatur eadem diſtinctio formalis alijs rationibus, & ſtatuitur ſeptima cõcluſio. pag. 185.

§. 17. Soluuntur argumenta Durandi. pagina 186.

§. 18. Soluuntur argumenta adducta ex Cõcilio Florentino, pro ſecunda ſententia. p. 187.

§.19. Satis fit alijs duobus argumentis aduerſariorum.pag.190.

§.20. Suadetur, quis fuerit error Gilberti; & oſtenditur nequitia imponentis illum Scoto.pag.191.

§.21. Reſpondetur argumentis Gregorij de Valentia. pag.193.

§.22. Soluuntur reliqua argumenta Thomiſtarum ab auctoritate, & ratione. pagina 195.

DIFFICVLTAS 55.

Vtrùm, vltra quod in Deo eſt vna exiſtẽtia abſoluta, ſint etiam concedẽdæ aliæ tres exiſtentiæ relatiuæ? pag.202.

§.1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum duplici ſententia diuerſorum Doctorum. ibidem.

§.2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. pa.203.

§.3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis.pag.207.

§.4. Soluuntur argumenta primæ, & ſecundæ opinionum.pag.209.

DIFFICVLTAS 56.

Vtrùm vltra quod in Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, ſit etiam concedenda vna ſubſiſtentia abſoluta? pag.211.

§.1. Proponitur prima ſententia Durandi, ac ſecunda Alexandri, & plurimorũ. ibid.

§.2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. pag.212.

§.3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis.pag.217.

§.4. Soluuntur argumenta oppoſitarum opinionum.pag.219.

DIFFICVLTAS 57.

Vtrùm ex aliquo naturali principio repugnet, Trinitatem perſonarum ſimul ſtare cum vnitate eſſentiæ? pag.223.

§.1. Proponitur ſtatus cõtrouerſiæ, cum tribus ſententijs diuerſorum Doctorum. pag.224.

§.2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur.pag.226.

§.3. Exponitur illud principium, *quæ ſunt eadem vnitertio, &c.* & concluditur difficultas.pag.227.

§.4. Soluuntur argumenta in oppoſitum. pag.230.

DIFFICVLTAS 58.

Vtrùm detur aliquis conceptus obiectiuus communis vniuocus Deo, & creaturis? pag.245.

§.1. Duplex ſententia refertur.ibid.

§.2. Ponitur vera Scoti ſententia, & aliqua fundamenta illius explanantur.p.246.

§.3. Subtilis differentia inter vniuocè prædicari, & vniuocum prædicatum, cum quatuor vniuocationis gradibus, oſtenditur. pag.249.

§.4. Qualiter modus intrinſecus differat à differentia conſtitutiua, & alia notabilia expenduntur. pag.251.

§.5. Statuuntur concluſiones huius difficultatis.pag.253.

§.6. Soluuntur argumẽta in oppoſitum. pag.255.

DIFFICVLTAS 59.

Vtrùm ens prædicetur in quid de Deo, & de omnibus, quæ ſunt intelligibilia extra Deum? pag.290.

§.1. Status controuerſiæ proponitur, cũ ſententia Thomiſtarum.ibidem.

§.2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. pag.291.

§.3. Reſoluitur dubium, vtrùm ens habeat poſitiuas, & reales proprietates.p.293.

§.4. Statuuntur concluſiones huius difficultatis.pag.295.

§.5. Soluuntur argumenta in oppoſitum. p.297.

DIFFICVLTAS 60.

Vtrùm ex eo, quod in creaturis eſt veſtigium Trinitatis, poſsit intellectus viatoris, naturæ viribus, conſequi cognitionem huius myſterij? pag.338.

§.1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum ſententia Richardi de Sancto Victore. ibi.

§.2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p.339.

§.3. Statuuntur concluſiones.p.242.

§.4. Soluuntur argumenta primæ ſententiæ.pag.343.

DIFFICVLTAS 61.

Vtrùm intellectus creatus viatoris poſsit, ex reuelatione diuina, habere claram, & euidentem cognitionem huius myſterij. 345.

§.1.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum prima ſententia Vazquij, & aliorum. pag. 345.

§. 2. Ponitur vera Sceti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 347.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 352.

§. 4. Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. pag. 353.

DIFFICVLTAS 62.

Vtrûm, ratio imaginis conueniat Spiritui ſancto, ſicut conuenit Filio? pagina 444.

§. 1. Prima ſententia Durandi, cum ſecunda quorundam Patrum, refertur. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti, & fere omniũ ſententia, cum ſuis fundamentis. p. 446.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 449.

§. 4. Referuntur rationes quorundam ad probandum, Spiritum ſanctum non eſſe imaginem. pag. 450.

§. 5. Traditur ratio Scoti ad probandum, Spiritum ſanctum non eſſe imaginem, & argumentis in oppoſitum reſpondetur. pag. 453.

DIFFICVLTAS 63.

Vtrûm Deitati in abſtracto ſumptæ, correſpondeat in concreto hic Deus, indiuiduum Deitatis? pag. 458.

§. 1. Proponitur ſtatus cõtrouerſiæ, cum prima ſententia Henrici, Durandi, & aliorum. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. pag. 459.

§. 3. Etiam humanitati, & cuilibet naturæ creatæ, corrreſpondere ſuum *quod*, diſtinctum à ſuppoſito, oſtenditur. p. 462.

§. 4. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 466.

§. 5. Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. p. 469.

DIFFICVLTAS 64.

Vtrûm, in aliquo ſenſu poſsit concedi, quod diuina eſſentia generat, vel generatur: ſicut conceditur, quod Deus generat, & generatur? pag. 489.

§. 1. Refertur error Ioachimi, & quorundam ſententiæ. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, quæ eſt etiam D. Thomæ, & communis. p. 491.

§. 3. Referuntur ſex modi dicendi, quos adducit Maironis, circa hanc propoſitionẽ, eſſentia generat. pag. 492.

§. 4. Fieri poſſe triplicem abſtractionem, ſcilicet, à fundamento, à ſubiecto, & ſuppoſito, oſtenditur: ex quibus plura concludun tur. pag. 494.

§. 5. Inueſtigatur ſubtilitas quorundam prædicationum, qualiter ſcilicet quædam prædicata enuntiantur de eſſentia. p. 496.

§. 6. Inueſtigatur ratio, quare eſſentia intelligitur, & amatur, non tamen generatur, & ſpiratur. pag. 498.

§. 7. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 500.

§. 8. Soluuntur argumenta in oppoſitum. p. 501.

DIFFICVLTAS 65.

Vtrûm iſta propoſito, Deus non generat, ſit vera? pag. 502.

§. 1. Referuntur duæ ſententiæ Caietani, & Durandi. ibidem.

§. 2. Ponitur vera, & tenenda ſententia Diui Bonauenturæ, cum ſuis fundamentis. ibidem.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta. pag. 505.

DIFFICVLTAS 66.

Vtrûm generationis diuinæ detur aliquis terminus formalis vltra totalem, & an eſſentia ſic talis terminus? pag. 529.

§. 1. Referuntur ſententiæ Ochami, Gregorij, & aliorum. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. pag. 530.

§. 3. Accommodatur doctrina ſuper tradita de termino totali, & formali, diuinis productionibus. pag. 533.

§. 4. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 535.

§. 5. Soluuntur argumenta in oppoſitum. p. 537.

DIFFICVLTAS 67.

Vtrûm inter diuinam eſſentiam, & attributa, adinuicem comparata, detur actualis diſtinctio ex natura rei formalis, ante omnem operationem intellectus? pag. 624.

§. 1. Reijcitur error Gilberti, & proponitur prima ſententia Diui Thomæ, & plurium, cum ſecunda Aureoli. p. 624.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia. pagina 627.

§. 3. Oſtenditur, quid attributi nomine intelligatur à Theologis. p. 628.

§. 4. An attributa conueniant Deo in primo, & ſecundo modo dicendi per ſe, reſoluitur. p. 629.

§. 5. Qua ſunt attributa diuina, reſolutione traditur. 630.

§. 6. Fundamenta ſententiæ Scoti explanantur. pag. 631.

§. 7. Deſtruuntur variæ quorundam obiectiones inferentes aliqua abſurda. pagina 634.

§. 8. Diſtinctionem formalem attributorum non deſtruere diuinam ſimplicitatem manifeſtatur. pag. 636.

§. 9. Statuuntur quatuor concluſiones, in quibus plerumque omnes Doctores conueniunt. pag. 639.

§. 10. Statuitur quinta concluſio pro ſententia Scoti, quæ probatur auctoritatem. pag. 614.

§. 11. Probatur ratione eadem concluſio quinta. pag. 643.

§. 12. Concluditur pro Scoto, attributa diuina, inter ſe inuicem, eſſe actu formaliter diſtincta ex natura rei: quod probatur auctoritate, & ratione. pag. 646.

§. 4. Soluuntur argumenta pro prima ſententia. pag. 649.

DIFFICVLTAS 68.

Vtrùm relationes diuinæ ſint perfectiones formaliter infinitæ? pag. 657.

§. 1. Ponitur ſtatus controuerſiæ, cum prima ſententia Gabrielis, & aliorum. p. 658.

§. 2. Refertur ſecunda ſententia Caietani, & aliorum Thomiſtarum. pag. 659.

§. 3. Ponitur vera, & tenenda ſentẽtia Scoti, & quid ſit perfectio ſimpliciter, quid vero ſecundum quid? oſtenditur. p. 661.

§. 4. Qualiter perfectio, & qualis perfectio in Deo eſſe poſsit, oſtenditur. p. 663.

§. 5. Quid ſit infinitum, ſeu infinitas, declaratur. pag. 664.

§. 6. Licet relationes ſint idem realiter cum eſſentia, ſicuti attributa, non tamen ab ea accipiunt infinitatem formalem, ſicuti attributa. pag. 666.

§. 7. Entitatem aliquam non eſſe finitam, nec infinitam, vnde ſibi proueniat, declaratur. pag. 668.

§. 8. Statuuntur concluſiones pro ſolutione difficultatis. pag. 671.

§. 9. Ratione tertia, iterum probatur tertia concluſio, cuius ſolutiones quorundam improbantur. pag. 673.

§. 10. Concluditur, relationes diuinas nõ eſſe formaliter infinitas. pag. 677.

§. 11. Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. pag. 679.

§. 12. Soluuntur argumenta ſecundæ ſententiæ. pag. 681.

DIFFICVLTAS 69.

Vtrùm Filius æternaliter generetur à Patre? pag. 708.

§. 1. Proponitur ratio dubitandi. ibid.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſentẽtia, & communis cum ſuis fundamentis. ibid.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 710.

§. 4. Soluuntur argumẽta in oppoſitum. pag. 713.

DIFFICVLTAS 70.

Vtrûm, Spiritus ſanctus formaliter exemore creaturarum procedat? p. 728.

§. 1. Proponitur prima ſententia, quæ affertur pro D. Thoma. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſentẽtia cum ſuis fundamentis. p. 729.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & argumẽta ſoluuntur. pag. 731.

DIFFICVLTAS 71.

Vtrûm Spiritus ſanctus procedat libere? pag. 738.

§. 1. Refertur prima ſententia D. Thomæ. ibidem.

§. 2. Ponitur vera, & tenenda Scoti ſententia, cum expoſitionibus quorũdam Scotiſtarum. pag. 739.

§. 3. Explicatur, quid, & quotuplex ſit libertas. pag. 741.

§. 4. Vnde proueniat libertatis neceſsitas aut contingentia, exponitur. p. 744.

§. 5. Oſtenditur, qua neceſsitate, & libertate, Spiritus ſanctus procedat. p. 746.

§. 6. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 747.

§. 4. Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. pag. 750.

DIF-

DIFFICVLTAS 72.

Vtrùm ex hypotheſi, quod Spiritus ſanctus à Filio non procederet, adhuc perſonaliter realiter diſtingueretur ab illo? pag. 762.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum prima ſententia Gotfredi, & Gregorij. ibidem.

§. 2. Refertur ſecunda ſententia Thomiſtarum. pag. 763.

§. 3. Ponitur vera Scoti ſententia, & exponitur D. Bonauentura, & ſenſus difficultatis. pag. 766.

§. 4. Examinatur, qualiter principium conſtitutiuum ſit inſimul diſtinctiuum. p. 767.

§. 5. Referuntur quorundam ſententiæ, circa conſtitutionem perſonæ Filij, quæ impugnantur. pag. 768.

§. 6. Oſtenditur, filiationem præſſe conſideratam eſſe formaliſsimum principium conſtitutiuum Filij, & conſequenter diſtinctiuum illius ab Spiritu ſancto, in eſſe perſonali. pag. 772.

§. 7. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 777

§. 8. Soluuntur argumenta ſecundæ ſententiæ. p. 780.

DIFFICVLTAS 73.

Vtrùm, Spiritus ſanctus procedat, vt amor Patris, & Filij? pag. 795.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum prima ſententia D. Thomæ. pag. 795.

§. 2. Proponitur vera Scoti ſententia, cum fundamentis. pag. 796.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis, & ſoluitur argumentum. p. 798.

DIFFICVLTAS 74.

Vtrùm Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti, ita vt dicatur ſimpliciter vnus ſpirator illius? pag. 803.

§. 1. Proponitur ſtatus cõtrouerſiæ, cum prima ſententia Durandi, & aliorum. ibid.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & cum ſuis fundamentis. pag. 804.

§. 3. Statuuntur concluſiones, atque ſolutiones argumentorum. pag. 806.

DIFFICVLTAS 75.

Vtrũ, Spiritus ſanctus, ita neceſſario procedat à Patre, & Filio, vt ab altero illorum non poſſet procedere, ſecundum eandem proprietatem, & rationem, qua nunc à duobus procedit? pag. 807.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum prima ſententia Henrici, & ſecunda Thomiſtarum. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſentẽtia cum ſuis fundamentis. pag. 808.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis, & ſoluuntur argumenta. pag. 811.

DIFFICVLTAS 76.

Vtrùm eidem perſonæ diuinæ poſsit cõpetere ſe ipſam mittere? p. 847.

§. 1. Proponitur ſtatus difficultatis, cum vera ſententia Diui Bonauenturę, & Scoti, & ſuis fundamentis. ibidem.

§. 2. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta. pag. 849.

DIFFICVLTAS 77.

Vtrùm perſonæ procedentes, nõ ſolum viſibiliter, ſed etiam inuiſibiliter mittantur? pag. 852.

§. 1. Proponitur ratio dubitandi, cum vera Scoti ſententia, & eius fundamentis. ibidem.

§. 2. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta. pag. 855.

DIFFICVLTAS 88.

Vtrùm eadem ratione, qua Spiritus ſanctus procedit, vt amor Spiritus, procedat, vt donum? pag. 863.

§. 1. Proponitur ſententia D. Thomæ, & ponitur ſententia Scoti cum ſuis fundamẽtis. ibidem.

§. 2. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta. pag. 866.

DIFFICVLTAS 79.

Vtrùm, vna diuina perſona per circumincеſsionem ſit in alia, ſecundum ſe totam, aut tantum ſecundum eſſentiam? pagina 885.

§. 1. Proponitur opinio Henrici, & Aureoli. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, cum ſuis fundamentis. ibidem.

§. 3. Quamlibet perſonam eſſe in alia, per præſentiam, potentiam, & eſſentiam, oſtenditur. pag. 898.

§. 4. Statuuntur concluſiones huius difficultatis, & ſoluuntur argumenta. pagina 900.

DIFFICVLTAS 80.

Vtrûm, per potentiam generandi, ſit ſolus Pater omnipotens? pag. 910.

§. Referuntur prima ſententia Ægidij, & ſecunda Marſilij. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & aliqua fundamenta illius explanantur. pagina 911.

§. 3. Qualiter principium generandi dicatur eſſe in Filio, aut Spiritu ſancto, exponitur. pag. 914.

§. 4. Statuuntur concluſiones, & ſolutiones argumentorum. pag. 916.

DIFFICVLTAS 81.

Vtrûm, Deus ſit à viatore nominabilis pluribus nominibus diſtincte, eius eſſentiã ſignificantibus? pag. 929.

§. 1. Refertur prima opinio Diui Thomę. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia. p. 930.

§. 3. Inueſtigatur, qui nam poſsit nomen rebus imponere? & circa id proponitur triplex opinio, & dubium reſoluitur. p. 931.

§. 4. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta. pag. 935.

DIFFICVLTAS 82.

Vtrûm, perſonalitas, ſecũdum quod hoc nomine exprimitur, ſit diuinis perſonis, quid primo, aut ſecundo intentionaliter cõmune? pag. 944.

§. 1. Referuntur tres opiniones circa difficultatem. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia cũ fundamentis, & concluſione. pag. 946.

DIFFICVLTAS 83.

Vtrûm, perſona, prout dicitur de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, in relatione formaliter conſiſtat? pag. 955.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum quorundam opinionibus. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia cum ſuis fundamentis, concluſionibus, & ſolutionibus argumentorum. pag. 957.

DIFFICVLTAS 84.

Vtrûm, hoc nomen, *perſona*, in Deo ſignificet aliquem conceptum, à parte rei communem vniuocum Patri, & Filio, & Spiritui ſancto? pag. 959.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cũ quorundam opinionibus. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia cũ ſuis fundamentis. pag. 961.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluitur ratio dubitandi. pag. 962.

DIFFICVLTAS 85.

Vtrûm, diuina perſona, ex natura rei, ſit verè conſtituta ex eſſentia, & proprietate perſonali? pag. 1008.

§. 1. Proponuntur quorundam ſententiæ. pag. 1009.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. pa. 1010.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 1011.

§. 4. Soluuntur argumenta primæ, & ſecundæ ſententiæ. pag. 1013.

DIFFICVLTAS 86.

Vtrûm, proprietas conſtitutiua diuinæ perſonę ſit entitas abſoluta, an verò relatio? pag. 1014.

§. 1. Proponitur triplex Doctorum ſentẽtia. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, à qua nõ diſcedit D. Bonauentura, & eius fundamenta explanantur. pag. 1016.

§. 3. Exponitur diſtinctè modus conſtituuus primæ perſonæ, & aliarum. pagina 1019.

§. 4. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 1022.

§. 5. Soluuntur argumenta opinionum, primæ, & tertiæ. pag. 1023.

DIFFICVLTAS 87.

Vtrûm, relationes diuinæ conſtituant perſonas, ſub expreſſa, & formali ratione relationis? pag. 1024.

§. 1.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cũ quorundam ſententijs. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 1026.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 1030.

§. 4. Soluuntur rationes dubitandi. pag. 1033.

DIFFICVLTAS 88.

Vtrûm Verbum diuinum formaliter ex cognitione creaturarum procedat? pagina 1054.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum varijs Doctorum opinionibus. pagina 1054.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & nonnulla eius fundamenta explanantur. pagina 1055.

§. 3. Exponitur triplex ordo, videlicet, durationis, naturæ, & originis, & qui nam eorum habeant eſſe in Deo. p. 1058.

§. 4. Oſtenditur, primum eſſe creaturarũ fieri per actum intelligendi trium perſonarum. pag. 1062.

§. 5. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 1063.

§. 6. Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. pag. 1068.

DIFFICVLTAS 89.

Vtrûm, Verbum formaliter procedat ex cognitione diuinarum perſonarum, ſeu relationum? pag. 1070.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum quorundam opinionibus. ibid.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 1072.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 1074.

§. 4. Soluuntur rationes dubitandi, & fundamenta prioris ſententiæ, & aliarum. pag. 1076.

DIFFICVLTAS 90.

Vtrûm, Verbum diuinum procedat ex cognitione attributorum, ſimul & eſſentiæ? pag. 1077.

DIFFICVLTAS 91.

Vtrûm, Pater conſtituatur in eſſe primæ perſonæ per paternitatem, an vero per hoc nomen, *ingenitum*, ſeu per innaſcibilitatem? pag. 1083.

§. 1. Proponitur ſententia affirmatiua. ibidem.

§. 2. Proponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 1084.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. p. 1087.

DIFFICVLTAS 92.

Vtrûm in diuinis ſint plures notiones, ac relationes, & quot ſint? p. 1093.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum quorundam opinionibus. ibid.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, cum ſuis fundamentis. ibid.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur fundamenta oppoſitarum opinionum. ibid.

DIFFICVLTAS 93.

Vtrûm, in Deo detur ordo originis, & naturæ, ita, vt ibi aliquid prius, aut poſterius natura, ſeu origine, dici poſsit? p. 1117.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum prima ſententia Diui Thomæ, & aliorum. ibidem.

§. 2. Proponitur Scoti vera ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 1118.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. p. 1122.

DIFFICVLTAS 94.

Vtrûm relatio, non minus eſſentialiter reſpiciat fundamentum, quàm terminum? pag. 1133.

§. 1. Proponitur prima ſententia affirmatiua. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 1134.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta primæ opinionis. pagina 1135.

DIFFICVLTAS 95.

Vtrûm, omnis relatio realis realiter diſtinguatur à fundamento? pag. 1137.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum quorundam opinionibus. ibid.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 1138.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta primæ, & ſecundæ opinionis. pag. 1141.

DIFFICVLTAS 96.

VTrûm relatio terminetur ad aliquod abſolutum, vel reſpectiuum? p. 1143.

§. 1 Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum opinione Thomiſtarum quorundam. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 1144.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. p. 1147.

DIFFICVLTAS 97.

VTrûm aliqua noua relatio, ex natura rei, conueniat Deo ex tempore? pagina 1160.

§. 1. Proponitur ſtatus controuerſiæ, cum ſententia Nominalium. ibid.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. ibid.

§. 3. Statuuntur concluſiones, & ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. p. 1163.

DIFFICVLTAS 98.

VTrûm relationes communes, identitatis, videlicet, æqualitatis, & ſimilitudinis, ſint reales in Deo? pag. 1178.

§. 1. Proponitur prima ſententia cum ſuis argumentis. ibidem.

§. 2. Ponitur vera Scoti ſententia, & eius fundamenta explanantur. p. 1179.

§. 3. Statuuntur concluſiones huius difficultatis. pag. 1181.

§. 4. Soluuntur argumenta prioris ſententiæ. pag. 1183.

DIFFICVLTAS 99.

Vtrùm Pater dilectione voluntatis genuerit Filium? pag. 1195.

DIFFICVLTAS 100.

Vtrùm in eodem ſenſu ſit verum, Patrem eſſe ſapientem ſapientia genita, quo eſt verum, Patrem, & Filium diligere ſe Spiritu ſancto? pag. 1196.

§. 1. Proponitur ſtatus cõtrouerſiæ, cum fundamentis Scoti. ibidem.

§. 2. Oſtenditur, etiam ſecundum Scotũ, poſſe concedi, quod Pater ſapit ſapientia genita. pag. 1198.

FINIS.



INDEX

INDEX QVARTVS

LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO ALLEGANTVR.

Ex Geneſi.

Capit. 1. FACIAMVS hominem ad imaginem, & ſimilitudinē noſtram. Diſſi. 46. nu. 12.

Ibidem. In principio creauit Deus cœlū, & terrā. dif. 62. n. 35.

Capit. 2. Et vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt. dif. 81. nu. 7.

Capit. 3. Et vocauit Adam nomen vxoris Eua, eo quod eſſet mater cunctorum viuentium. ibidem.

Capit. 5. Adam genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſui. dif. 62. num. 12.

Cap. 18. Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas, dif. 46. num. 14.

Capit. 20. Pluit Dominus à Domino. difficult. 47. num. 30.

Capit. 32. Cur quæris nomen meum? difficult. 81. num. 3.

Ex Exodo.

Capit. 3. Hæc dices filijs Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum. diſt. 22. quæſt. vnic. art. 2. lit. D. & dif. 81. num. 19.

Capit. 6. Ego Dominus, qui apparuit Abraham, & nomen meum Adonai non indicaui ei. ibid.

Capit. 20. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. difficultat. 46. num. 19.

Ex Numeris.

Capit. 21. Cur eduxiſti nos de Ægypto, &c. dif. 46. n. 19.

Ex Deuteronomio.

Capit. 6. Audi Iſrael, Deus tuus vnus eſt. diſt. 4. q. 1. art. 1. lit. D. & art. 2. lit. D.

Dominus ſolus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. dif. 46. n. 19. *Capit.* 32.

Ex 2. Regum.

Hæc ſunt verba nouiſſima, quæ dixit Dauid: ſpiritus Domini loquutus eſt per me, &c. dif. 46. n. 28. *Capit.* 23.

Ex Iob.

Vbi eras, quando me laudabant aſtra matutina, & iubilabant omnes filij Dei. dif. 46. n. 8. *Capit.* 36.

Ex Pſalterio.

Filius meus es tu, ego hodie genui te. dif. 51. n. 12. & dif. 69. n. 12. *Pſalm.* 2.

Dominus in eis, in Sina, in ſancto, aſcendiſti in altum, &c. dif. 46. n. 19. *Pſalm.* 27.

Deus Deorū Dominus loquutus eſt. dif. 81. num. 5. *Pſalm.* 49.

In Iſrael magnum nomē eius. diſt. 22. q. vnic. art. 2. lit. D. & dif. 81. n. 19. *Pſalm.* 75.

Ego dixi, Dij eſtis vos. ibid. *Pſalm.* 81.

Tu Domine, initio terram fundaſti, dif. 46. num. 19. *Pſal.* 101.

Ex vtero ante luciferum genui te. dif. 51. num. 12. & dif. 69. num. 12. *Pſal.* 109.

Ex Prouerbijs.

Ego ſapientia habito in concilio. dif. 48. num. 16. *Capit.* 8.

Quod eſt nomē eius, aut quod eſt nomen filij eius, ſi noſti? dif. 81. num. 3. & diſt. 26. quæſt. vnic. art. 4. lit. F. & diffic. 86. num. 2. *Capit.* 30.

Ex Sapientia.

In maleuolam animam non introibit ſapientia. dif. 77. num. 8. *Capit.* 1.

Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius. dif. 62. num. 19. *Capit.* 7.

Capit. 9. Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ. dif. 77. n. 14.

Capit. 11. In numero, pondere, & menſura. diſt. 3. q. 5. art. 3. lit. E.

Ex Eccelſiaſtico.

Capit. 24. Ego ex ore altiſſimi prodiui. diſſi. 48. num. 16.

Ex Iſaia.

Capite 4. Vox clamantis in deſerto, parate viã Domini. dif. 46. num. 20.

Capit. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabahot. ibid. num. 14.

Ibidem. Dixit Dominus exercituum Iſaiæ, vade, dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere. ibid. num. 28.

Capit. 9. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, &c. ibid. num. 21.

Capit. 41. Ait Dominus, ego ſum primus, ego nouiſsimus. ibid. num. 20.

Cap. 45. Ego Dominus, & non eſt alius: in me met ipſo iuraui, &c. ibid. num. 20.

Cap. 53. Generationem eius quis enarrabit? dif. 51. n. 2. & 12. & dif. 68. n. 17.

Ex Amos.

Capit. 4. Ego Dominus formans tonitruum, & creans ſpiritum. dif. 46. n. 11. & 37.

Ex Baruch.

Capit. 3. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur ad eum, hic adinuenit omnem viam diſciplinæ. dif. 46. n. 21.

Ex Zacharia.

Cap. 12. Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem, ſpiritum gratiæ, &c. dif. 46. num. 21.

Ex Malachia.

Cap. 3. Ecce, ego mitto Angelum meũ, & præparabit viam ante faciem meam. dif. 46. num. 20.

Ex Matthæo.

Capit. 5. Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. diſt. 5. quæſt. 1. art. 2. lit. E.

Capit. 11. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. dif. 47. num. 30.

Ibidem. Nemo nouit Filium, niſi Pater, nec Patrem quis nouit, niſi Filius? diſſic. 60. num. 19.

Capit. 16. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi. ibid.

Capit. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. exp. art. 5. q. 4. diſt. 2. n. 18.

Capit. 27. Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? dif. 46. num. 35.

Ibidem. Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, ſed non, ſicut ego volo, ſed ſicut tu. ibidem.

Docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. dif. 46. num. 16. & num. 29. & dif. 81. num. 24. & diſt. 28. q. 3. art. 1. lit. C. & dif. 80. num. 18. Capit. 28.

Ex Luca.

Et tu puer, Propheta altiſsimi vocaberis. dif. 46. num. 20. Capit. 1.

Ex Ioanne.

In principio erat Verbum, &c. diſſic. 46. num. 22. & dif. 48. num. 16. & dif. 69. num. 12. Capit. 1.

Omnia per ipſum facta ſunt. ibidem num. 37. Ibidem.

Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. dif. 51. num. 12. & dif. 52. num. 45. Ibidem.

Vnigenitum, qui eſt in ſinu Patris. ibi. Ibidem.

Sicut Pater vitam habet in ſemetipſo ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo. dif. 69. n. 12. & dif. 47. n. 30. Ibidem.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. dif. 46. n. 24. Capit. 3.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. dif. 52. nu. 45. Ibidem.

Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibet de me. ibid. n. 16. Capit. 5.

Vt ſimus in vero Filio eius, hic eſt verus Filius eius, & vita æterna. ibi. n. 22. Ibidem.

Adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. diſt. 11. q. 1. art. 1. lit. I. Capit. 6.

Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum. diſſic. 47. num. 30. Capit. 7.

Vt ſint vnum, ſicut & nos. diſt. 5. q. 1. a. 2. lit. D. & dif. 64. num. 3. Ibidem.

Solus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater, &c. dif. 46. num. 16. Capit. 8.

Ego ex Deo proceſsi. dif. 47. n. 30. Ibidem.

Quia Filius omnia habet à Patre. & audit à Patre. dif. 46. n. 9. & 33. Capit. 10.

Ego, & Pater vnum ſumus. dif. 48. nu. 16. & dif. 46. num. 22. & dif. 55. n. 26. Ibidem.

Quod dedit mihi Pater, maius eſt omnibus. dif. 47. n. 30. Ibidem.

Pater in me manens ipſe facit opera. dif. 46. num. 6. & 32. Capit. 14.

Qui videt me, videt & Patrem meũ. ibidem. Ibidem.

Pater maior me eſt. ibidem nume. 9. & 33. Ibidem.

Ibidem. Creditis in Deum, & in me credite. ibid.num.22.& dif.48.num.16.

Ibidem. Cum venerit ille Paracletus, ſi enim ablero, mittam vobis eum. dif. 16. quæſt. vnic.art.vnic.lit.C.

Ibidem. Ego in Patre, & Pater in me eſt. diſt. 19.quæſt.2.art.1.lit.E.& in expoſ.eiuſdē art.& dif.19. num. 16.

Capite 15. Quia Filius omnia habet à Patre, & audit à Patre.dif.46.num.9. & 33.

Capit.16. Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur. dif.9. q.vnic.art.2. lit.C.

Ibidem. Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt.d. 20.q.vnic.art.4.lit.D.

Capit.17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum, Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.dif.46.num.9. & 33.

Ibidem. Spiritus, qui à Patre procedit. dif.47. num.30.

Cap. 19. Spiritus veritatis, quem Pater mittet in nomine meo, docebit vos omnem veritatem.dif.77.num.11.

Capit.20. Dominus meus, & Deus meus. dif.48. num.16.& 32.

Ibidem. Pater meus, quod dedit mihi, &c. dif. 5.q.1.art.6.lit.C.& q.2.art.2.lit. B.

Ibidem. Accipite Spiritum ſanctum. diſſi.77. num.10.

Capit. vlt. Vt maneatis in vero Filio eius, hic eſt verè Deus.dif.46.num. 22.

Ibidem. Multa opera, & ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. dif. 26. q. vnic.art.4.lit.E.

Ex Actis Apoſtolorum.

Capit.5. Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto.dif.46.n.29.

Capit. vlt. Bene Spiritus ſanctus loquutus eſt per Iſaiam dicens, vade ad populum iſtum, &c.ibid.num.28.

Ex epiſt.ad Romanos.

Capit.1. Inuiſibilia Dei, à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.dif.77.num.8.& diſt.3.quæſt.4.art. 5.lit.E.

Ibidem. Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecūdùm carnem, qui prædeſtinatus eſt eſſe Filius Dei in virtute.dif. 63. n.21.

Capit.8. Conformes fieri imaginis Filij ſui. dif.62.num.19.

Ibidem. Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.dif.46.n.11.

Exquibus Chriſtus eſt ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus, benedictus in ſæcula.ibid.num.22. *Capit.9.*

Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. diſt. 22. q. vnic.art.2.lit.F. *Capit.10.*

Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim, viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu. dif.46.num.20. *Capit.14.*

Ex 1.ad Chorintios.

Vnus eſt Pater, ex quo omnia, vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.dif.46. num.37. *Capit.8.*

Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt. ibid. num. 19. *Capit.10.*

Omnia operatur vnus, atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. diſſi. 77.num.2. *Capit.12.*

Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.diſt.27.quæſt.1.ar. 6.lit.D. *Ibidem.*

Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia.ibid. num.3. *Capit.13.*

Ex 2.ad Chorintios.

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. dif. 46.num.9.& 34. *Capit.1.*

Illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.dif.62.num.19. *Capit.4.*

Ex epiſt.ad Galatas.

Miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantia Abba, Pater. diffic. 46.num.11. *Capit.4.*

Ex epiſt. ad Epheſios.

Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. dif.46. num.19. *Capit.4.*

Ex epiſt. ad Philippenſes.

Qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, &c.dif.46.num.22.& dif.47.n.3. *Capit.2.*

Ex epiſt. ad Coloſenſes.

Primogenitus omnis creaturæ. diffic. 52.num.45. *Capit.1.*

Qui eſt imago Dei inuiſibilis. dif.62. num.19. *Ibidem.*

Tranſtulit nos in regnum Filij claritatis ſuæ.diſt.5.q.2.art.4.lit.D. *Ibidem.*

Ex epist. ad Titum.

Capit. 2. Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei. dif. 46. num. 22.

Ibidem. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi. ibid.

Capit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. ibid. num. 29.

Ex epist. ad Hebræos.

Capit. 1. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eũ, &c. dif. 46. num. 19.

Ibidem. Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. ibid. num. 22.

Ibidem. Et figura substantiæ eius. difficul. 62. num. 19.

Fides est argumentum non apparentium. dif. 60. num. 19. *Capit.* 11.

Ex epist. 1. Ioannis.

Filium suum vnigenitum misit. diffi. 52. num. 45. *Capit.* 4.

Deus charitas est, dif. 73. num. 13. *Ibidem.*

Tres sunt, qui testimonium dãt in cælo. dif. 46. n. 16. & n. 29. *Capit.* 5.

Ex epist. Iudæ Apost.

Iesus populum de Ægypto saluans, secundũ eos, qui non crediderunt, perdidit. dif. 46. n. 19.

Ex Apocalypsi.

Ego sum Alpha, & Omega: ego sum primus, & nouissimus. dif. 46. n. 20. *Capit.* 1.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, &c. ibid. num. 16. *Capit.* 4.

IN-

INDEX QVINTVS

RERVM NOTABILIVM SCOTICI TEXTVS.

A.

Ablatiuus.

ABLATIVVS constructus cũ verbo significat principium agendi, cum adiectiuo, autem nomine, vel concreto, significat principium formale concernens. dist. 7. q. vnic. art. 4. lit. D.

Ablatiuus dupliciter potest construi. dis. 18. q. vnic. art. 1. lit. I.

Absolutum.

Absolutum in diuinis est formaliter infinitum. dis. 7. q. vnic. art. 4. lit. B. & C.

Absolutum, sub ratione absoluti, est terminus relationis. dis. 26. q. vnic. art. 2. lit. Y.

Abstractio.

Abstractio duplex, præcisiua, & negatiua, & quid vtraque sit. d. 2. q. 4. art. 2. lit. L.

Abstractio vltimata quid sit. dis. 5. q. 1. art. 3. lit. B.

Abstractio in substantijs tantùm est à supposito propriæ naturæ. ibid. lit. C.

Abstractio in accidentibus absolutis fit à subiecto, & ab indiuiduo propriæ naturæ. ibid. lit. D.

Abstractio in relatiuis fit à subiecto, à fundamento, & à proprio indiuiduo. ibi. lit. E.

Abstractum.

Abstracto cuilibet correspondet suũ proprium concretum. dis. 4. q. 2. art. 3. lit. C.

Abstractum vltimatum de nullo alio prædicatur. dis. 5. q. 1. art. 3. lit. E.

Vide verbum *concretum.*

Accidens.

Accidens dicitur singulare, sed non dicitur suppositum. dis. 2. q. 7. art. 1. lit. F.

Accidens non habet materiam ex qua, sed in qua. dis. 3. q. 6. art. 9. lit. D.

Accidens non habet proprie rationẽ suppositi. dis. 4. q. 2. art. 3. lit. C.

Accidens sine subiecto existens potest esse principium operationis realis. ibid.

Accidens sumitur proprie, & large. dis. 5. quæst. 1. art. 4. lit. H.

Accidens dicit attributionem ad substantiam. dis. 3. q. 3. art. 3. lit. M.

Accidens separatum denominatur vltima te ab actione sua. dis. 12. q. 1. art. 1. lit. I.

Accidentale.

Accidentale sumitur dupliciter. dist. 2. q. 7. art. 1. lit. K.

Accidentale, in quo sensu concedatur in diuinis. ibid.

Actio.

Actio prima intellectus agentis est ad vniuersale in actu. d. 3. q. 6. art. 3. lit. C. & D.

Actio omnis realis habet terminum realem, & vnum. ibid. lit. D.

Actio alia est immanens, alia transiens, & quælibet explicatur. ibid. art. 7. lit. F.

Actionis diuisio in immanentem, & transeuntem potest dici vniuoca, & æquiuoca. ibid. & q. 7. art. 7. lit. H.

Actio proprie sumpta tres habet proprietates. dis. 3. q. 6. art. 7. lit. F.

Actio, & passio sunt alicuius termini accipientis esse per ipsas. ibid. q. 7. art. 8. lit. B.

Actio propria nõ potest intelligi sine termino. ibid. lit. D.

Actio proprie est ad formam, cuius pars post partem acquiritur. d. 3. q. 9. art. 2. lit. I.

Actio proprie dicta trãsit in aliquid, vt in terminum. ibid.

Actiones proprie non sunt eiusdem rationis, nisi termini sint eiusdem rationis. ibid. lit. K.

Actio eadem est, quæ causat actum, & habitum. ibid.

Actio non est terminus actionis. ibi. lit. I.

Actio increatis distinguitur à factione formaliter. dis. 6. q. vnic. art. 1. lit. E.

Actio in creaturis sumitur pro actione de genere actionis, & pro actu secundo, qui est qualitas. ibid. lit. L.

Actio est singularis per se existentis, licet non sit per se existens incommunicabile. dist. 12. q. 1. art. 1. lit. H.

Actio non denominat vltimate nisi suppositum, vel habens modum suppositi. ibid. litera. I.

Actio in diuinis est suppositorum, vt relatiua sunt. dist. 26. q. vnic. art. 8. lit. H.

Actio, & factio sunt actiones distinctæ, habentque diuersa principia. distin. 3. quæst. 7. art. 2. lit. L.

Actiuum.

Actiuum simmum est summe sui diffusiuum, quomodo intelligatur. d. 2. q. 4. a. 3. l. H.

Actiuum, & factiuum sunt differentiæ accidentales potentiæ productiuæ. ibid. art. 4. lit. H.

Actualitas.

Actualitas est perfectio simpliciter. dist. 8. quæst. 1. art. 1. lit. E.

Actualitas est perfectio perfectior simplicitate. ibid.

Actus.

Actus primus est prior, prioritate originis quàm actus secundus. d. 2. q. 5. art. 4. lit. C.

Actus productiuus in diuinis præsupponit operatiuum. ibid.

Actus intelligendi formaliter non est productiuus. ibid. art. 5. lit. F.

Actus secundus intelligendi generatur à memoria in actu primo. ibid. art. 6. lit. N.

Actus finitus potest tendere in obiectum simpliciter infinitum. d. 3. q. 1. art. 1. lit. O.

Actus comprehensiuus obiecti infiniti debet esse infinitus. ibid.

Actus creatus non potest esse comprehẽsiuus Dei. ibidem.

Actus quicunque non auget habitum. di. 3. quæst. 6. art. 6. lit. F.

Actus generant, & intendunt habitum: quia ipsum virtualiter continent. ibid. art. 8. lit. D.

Actus imperfectior non causat perfectiorem. dist. 3. quæst. 7. art. 3. lit. F.

Actus intellectus est duplex, nempe species, & intellectio. ibid. q. 8. art. 1. lit. H.

Actus non generat habitum vt actio, sed vt forma. ibid. q. 9. art. 2. lit. K.

Actus generat habitũ, sicut forma est causa, vel ratio causandi aliam formam. ibid.

Actus intelligendi, & gignendi, in nobis, non sunt idem actus. dis. 6. q. vnic. ar. 3. lit. D.

Actus voluntatis nostræ, quo diligit obiectum, differt ab actu, quo diligit notitiam obiecti. ibid. lit. G.

Actus proprius est à propria forma agẽdi, quomodo sit verum. d. 7. q. vni. art. 2. lit. G.

Actus elicitus à voluntate non est liber, sed est qualitas naturalis. dis. 12. quæst. 1. ar. 3. lit. F. & dis. 13. q. vni. art. 5. lit. D. & ar. 8. lit. H.

Actus consideratur tripliciter, scilicet, in se, vt est termini, & vt comparatur ad suppositum agens. ibid. q. 2. art. 1. lit. G.

Actus sumitur dupliciter. dis. 26. q. vnic. art. 5. lit. M.

Actus rectus intellectus perfectior est actu reflexo. dis. 27. q. 1. art. 1. lit. B.

Actus intellectus quomodo dicatur esse in potestate voluntatis. d. 3. q. 6. art. 4. lit. K.

Adam.

Adam imposuit nomina propria diuersis animalium speciebus, sine eorum comprehensione. d. 22. q. vnic. art. 4. lit. F.

Adam non cognouit rerũ species, ita perfectè, sicut anima Christi Domini. ibid.

Adiectiuum.

Adiectiuum semper de necessitate formaliter prædicatur. d. 5. q. 1. art. 4. lit. G.

Adiectiuum significat formam per modũ informantis. ibidem.

Adiectiuum non substantiuatũ non supponit congrue pro subiecto. ibid. a. 5. lit. F.

Adiectiuum est in adiacentia essentiali ad suppositum terminans eius dependentiam. dis. 12. q. 1. art. 5. lit. C.

Adiectiuum non potest multiplicari, nisi multiplicetur substantiuum. ibid.

Adiectiuum, & substantiuum idem significatum habent. ibid. lit. F.

Adiectiuum, & substãtiuum solũm in modo significandi differunt. ibid.

Adiectiua duo, mutuo sibi addita, neutrũ terminat alterius dependentiam, sed vtrumque ad tertium terminatur. ibid. lit. G. & dis. 23. q. vnic. art. 3. lit. H,

Æqualitas.

Æqualitas sumitur dupliciter. dis. 19. q. 1. art. 1. lit. C.

Æqualitas secundum magnitudinem perfectè reperitur in Deo. ibid. art. 2. lit. F.

Æqualitas in diuinis non præintelligitur relationibus originis, nec est ad se. ibid.

Æqualitas, vt præsupponit relationes originis, non est perfectio simpliciter, bene tamen, vt comparata ad aliquid eiusdem naturæ. ibid.

Æqualitas est respectus realis in Deo, & in creaturis, diuersimodè tamen. dis. 30. q. 2. art. 3. lit. L. & dis. 31. q. vnic. art. 2. lit. E.

Æqualitas Patris ad Filium est alia ab æquali-

qualitate ad Spiritum ſanctum. diſtin. 31.q. vnic.art.2.lit.F.

Æqualitas inter Patrem, & Filium, in diuinis, attenditur ſecundùm fundamentū proprium, quod eſt eſſentia. ibid. art.3.lit.G.

Æqualitates in Deo ſex numerari poſſunt ibid. litera O.

Æqualitas in Deo attenditur penes magnitudinem, poteſtatem, & æternitatem. ibi. art.4.lit.B.& C.

Æqualitates in diuinis multæ ſunt. ibid.

Æqualitas eſt relatio perfectior in æqualitate, diſt.26.quæſt.vnic.art.5.lit.O.& P.

Æquiuocatio.

Æquiuocationes in genere tollunt comparationem ſecundum genus. diſt.3.q.3.art. 3.lit.M.

Æquiuocatio non datur apud Logicum, ibidem.

Æquiuocatio datur apud Philoſophum realem. ibid.

Æquiuocum.

Æquiuocum eſt, cuius ratio eſt alia. diſt.8. quæſt.3.art.2.lit.K.

Æquiuocum non numeratur in æquiuocatis. diſt.25.q. vnic.art.1.lit. C.

Æternum.

Æternum, & neceſſarium, fortè non dicunt, niſi negationem imperfectionis. diſt. 3.quæſt.1.art.2.lit. X.

Æternum dicit quoddam infinitum. ibid.

Agens.

Agens ſimpliciter perfectum dicitur agēs ex liberalitate, diſt.2.q.4.art.4. lit.E. & diſt. 8.q.5.art.1.lit.G.

Agens naturale, etſi ſit oppoſitorum, ea tamen naturaliter, & neceſſario producit. diſt.2.quæſt.5.art.2.lit.P.

Agens eſt, præſtantius patiente, non eſt propoſitio immediata, ſed dependet à tribus. diſt.3.quæſt.7.art.1.lit.M.

Agens eſt præſtantius effectu, non eſt propoſitio vera, niſi de cauſa æquiuoca totale. ibidem.

Agens vniuocū non datur in genere quantitatis, nec in genere vb. diſt.3.q.7.ar.2.lit.S.

Agens vniuocum non agit in ſe. ibid.

Agens æquiuocum agit in ſe. ibid.

Agens eſt duplex, vniuocum, & æquiuocum, ibid.

Agens principalius cōmuniter eſt æquiuocum, continens eminentius effectum, quā vniuocum. diſt.3.q.8. art.1.lit.K.

Agens æquiuocum in quo ſenſu dicitur aſſimilare ſibi effectum. ibid.

Agens primū non agit propter aliud, ſed propter ſe, vt propter finē. d.8.q.5.a.1.lit.G.

Agens creatum eſt perfectum in agendo, & non dependet ab effectu, quem cauſat. d. 30.quæſt.2.art.2.lit.H.

Alteratio.

Alteratio eſt per ſe alterabilis. diſt.3.q.6. art.9.lit.F.

Alteratio ponitur in genere qualitatis. d. 5.quæſt.2.art.2.lit.E.

Alietas.

Alietas quomodo ſumatur, vt verum neget, vel affirmet, exponitur. d.4.q.1.a.2.li.E.

Amor.

Amor non petit eſſe præcognitum, licet bene obiectum amoris. d.10.q.vni.a.2.lit.L.

Amor mutuus nō eſt iucundior, niſi ſciatur. diſt.12.q.1.art.2.lit.F.

Amor noſter duplicem reſpectum dicit, alterum ad voluntatem, & alterum ad obiectum. diſt.32.quæſt.2.art.3.lit.G.

Analogia.

Analogia includit eſſentialiter cōparationem vnius ad alterum. d.8.q.3.art.1.lit.C.

Analogia ſola non ponit vnitatem vniuocationis. ibid. art.2. lit.P.

Angelus.

Angelus multa ſcit de nouo, & eſt beatus ſua operatione. diſt.3.q.7.art.2.lit.G.

Angelus non habuit à Deo immediatè primum velle malum, quod habuit. ibid.

Angelus eſt compoſitus, & compoſibilis alteri. diſt.8.q.2.art.2.lit.C.

Anima.

Anima rationalis ſolùm dicitur forma illimitata. diſt.2.q.7.art.1.lit.H.

Anima eadem eſt in corde generante, & parte genita. diſt.5.q.2.art.1.lit.N.

Anima rationalis, cur, imperficiendo, imperfecta dicatur. ibid.

Anima dupliciter poteſt dici mutabilis. diſt.3.q.4.art.1.lit.L.

Anima circa, quæ errare non poteſt. ibid.

Anima eſt mutabilis ab vno actu in alium, ſecundum diuerſitatem obiectorum. ibidē, art.7.lit.B.

Anima reſpectu primorum principiorū, & ipſorum concluſionum, non eſt mutabilis à contrario in contrarium, ſed à vero in falſum. ibidem.

Anima eſt quodammodo omnia. diſt.3.q. 6.art.1.lit.M.

Anima eſt quoddammodo omnia intelligibilia per intellectum, & omnia ſenſibilia per ſenſum. ibid. art.4.lit.F.

Anima non eſt totalis cauſa intellectionis. diſt. 3. quæſt. 7. art. 1. lit. K. & M.

Anima naturaliter format in ſe ſenſationem. ibidem lit. M.

Anima ex natura ſua ordinatur ad totum ens, in ſufficienter tamen. ibid. lit. O.

Anima eſt cauſa partialis intellectionis. ibid. art. 2. lit. R. & art. 7. lit. G.

Anima eſt cauſa totalis intellectionis ſui ipſius. ibid. art. 7. lit. M.

Anima eſt receptiua cuiuslibet intellectionis, & etiam actiua partialis intellectionis cuiuslibet alterius obiecti. ibid.

Anima pro hoc ſtatu non ſe cognoſcit. ibidem.

Anima in cauſando intellectionẽ eſt cauſa principalior, quàm obiectum. diſt. 3. q. 8. art. vnic. lit. D. & ſequentibus.

Anima noſtra eſt imago Trinitatis. diſt. 3. q. 9. art. 2. lit. F. & ſequentibus.

Anima eſt perfectiſsima Trinitatis imago, quando attingit Deum, vt obiectum, ſecus, quando ſe habet pro obiecto. ibid.

Anima eſt imago Trinitatis, ſolùm Trinitatem credenti. ibid. lit. G.

Anima ſeparata vltimate denominatur ab actione ſua. diſt. 12. q. 1. art. 1. lit. I.

Anima ſeparata non eſt perſona. diſt. 23. quæſt. vnica art. 1. lit. E.

Anima habet tres perfectiones, ſcilicet, memoriam, intelligentiam, & voluntatem. diſt. 3. q. 9. art. 3. lit. D.

Animal.

Animalia ex terra genita ſine parentibus, coeundo poſtea, pariunt ſibi ſimilia. diſt. 2. quæſt. 5. art. 1. lit. E. & F.

Animalia per putrefactionẽ propagata, & generata ſunt vniuoca. ibid.

Appetitus.

Appetitus ſenſitiuus eſt compoſitus ex anima, & ex parte corporis. diſt. 3. q. 9. art. 6. litera C.

Apes.

Apes generantur ex corporibus vaccarũ. diſt. 2. q. 5. art. 1. lit. G.

Attributum.

Attributa dicunt cõceptum communem Deo, & creaturis. diſt. 8. q. 3. art. 3. per totum.

Attributum in creatura eſt perfectio ſimpliciter, ibid. q. 4. art. 1. lit K.

Attributum non ſumitur ab aliquo limitato in creatura. ibid.

Attributum in creatura ſumitur ab aliqua perfectione accidentali. ibid.

Attributum in Deo non notat perfectionem eſſentialem, ſed quaſi accidẽtalem. ibid.

Attributorum diſtinctio eſt fundamentũ diſtinctionis emanationum perſonalium. ibidem.

Attributa in Deo non ſumuntur per reſpectus ad extra. ibid.

Attributa diuina non diſtinguuntur ratione per intellectum. ibid. lit. L.

Attributa diſtinguuntur ex natura rei. ibid. art. 2. per totum.

Attributa diuina ſunt in Deo â parte rei. ibid. art. 3. lit. C. & ſequentibus.

Attributa diuina ſunt idem realiter, non vero formaliter. ibid. art. 4. lit. G.

Attributa non faciunt compoſitionem cũ eſſentia. diſt. 26. q. vnic. art. 5. lit. V.

Attributa Dei non ſunt proprie principiata ab eſſentia. diſt. 13. quæſt. vnica art. 5. litera H.

Augmentatio.

Augmentatio fit per corruptionum alimenti, cuius materia informatur forma carnis. diſt. 5. q. 2. art. 6. lit. F.

B.

Beatitudo.

BEATITVDO diuina conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis. diſt. 8. quæſt. 4. art. 1. lit. G.

Beatitudo Dei non dependet ab aliquo reſpectu ad extra. ibid.

Beatitudo Dei non eſt ſine voluntate. diſt. 10. quæſt. vnic. art. 2. lit. F.

Beatitudo Dei conſiſtit in intellectione, & volitione. diſt. 13. quæſt. vnic. art. 6. lit. B.

Beatitudo humana, ſecundum Ariſt. conſiſtit in actuali conſideratione ſubſtantiarũ ſeparatarum. d. 3. quæſt. 1. art. 1 lit. E.

Bonum.

Bonum incommuni habet ſui notitiam, naturaliter intellectui impreſſam. diſt. 3. q. 3. art. 2. lit. K.

Bonum poteſt intelligi in Vniuerſali; & voluntas poteſt illud velle. ibid. art. 9. lit. E.

Bonum ſummum non eſt primum amatũ primitate adæquationis. ibid.

Bonum ſummum magis eſt amandũ, quã bonum participatum. ibid. lit. F.

Bonum participatum dicit relationem ad primum bonum. diſt. 3. quæſt. 5. art. 4. lit. Q.

Bonum dicit perfectionem abſolutam. ibidem.

Bonum, cuius participatione alia bona ſunt, quid ſit, & quomodo intelligatur. diſt. 8. quæſt. 3. art. 2. lit. S.

Bruta.

Bruta.

Bruta non agunt, ſed aguntur. diſt.3.q.9. art.6.lit.B.

C.

Caſualia.

CASVALIA quæ ſint, & quare ſic fieri dicantur. diſt.2.q.5.art.1.lit.N.

Caſualia, quare monſtruoſa dicuntur. ibidem.

Cauſa.

Cauſa naturalis agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ. diſt.3.q.2.art.1.lit. F.& diſt.8. quæſt.5.art.1.lit. F.

Cauſa naturalis ordinatur ad producendum oppoſitum effectus caſualis. diſt.3.q.4. art.3.lit.C.

Cauſarum genus eſt tantùm quadruplex. diſt.3.q.7.art.1.lit.G.& H.

Cauſa naturalis, non impedita, producit effectum. ibidem.

Cauſa eſt nobilior effectu, in quo ſenſu ſit verum. ibidem lit.M.

Cauſa, & cauſatum repugnant in eadem natura. ibid. art.2.lit.Z.

Cauſa totalis naturalis eſt, quæ ſemper habet actum. ibid. lit. Aa.

Cauſæ duę non dicuntur partiales, quando altera habet totum effectum in virtute ſua vniuocè vel æquiuocè. ibid.

Cauſa actiua effectus perfectioris, neceſſario eſt actiua imperfectioris eiuſdem rationis. ibid. art.3.lit.F.

Cauſa inferior, eſſentialiter ſubordinata, non inclinat ſuperiorem; ſed è contra. ibid.

Cauſa ſuperior determinatur ad agendū, cōcurrēte cauſa particulari. ibi. art.4.lit.O.

Cauſę concurrentes ad eundem effectū ſunt in multiplici differētia. ibi. art.8.lit.D.

Cauſę eſſentialiter ordinatę ſunt in dupli ci differentia. ibidem.

Cauſa ſuperior, & inferior, quo pacto cō currāt ad eundem effectum. ibid.

Cauſa totalis, amplectens duas partiales, non petit habere vnam rationem cauſandi ibid. lit.G.

Cauſa illimitata ad plures effectus perfectior eſt, quàm cauſa limitata. diſt.3.q.8. art. 1.lit.F.

Cauſa principalior, quæ dicatur. ibi. lit.G

Cauſa perfectior magis aſsimilat effectū, quàm cauſa imperfectior. ibid. lit. K.

Cauſæ partiales alicuius, priusſe reſpiciūt quàm reſpiciant effectum. diſt. 5. quæſt. 2. art.3.litera I.

Cauſa vna poteſt habere multos effectus æquiuocos. diſt.8.quæſt. 4.art.1.lit. Q.

Cauſa prima prius reſpicit cauſatum, quàm cauſa ſecunda. diſt.8.q.5. art.1.lit.F.

Cauſa prima habet cauſalitatem cuiuſcū que cauſæ ſecundæ. ibid.

Cauſa efficiens in cauſando dicit perfectionem ſimpliciter. ibid.

Cauſa prima contingenter cauſat. ibid. lit. M.& ſequentibus.

Cauſa prima neceſſario agente, non eſſet contingentia in rebus ibidem.

Cauſa ſecūda, & effectus non dicunt ſimpliciter connexionem neceſſariam. ibidem. litera S.

Cauſa ſecunda non cauſat, non cauſante prima. ibidem.

Cauſa ſecunda non cauſat, niſi contingēter. ibidem.

Cauſa aliqua ſecunda cauſat neceſſario ſecundum quid. ibidem.

Cauſæ ordinatæ habent diuerſas virtutes cauſandi. diſt. 12.q.2.art.1.lit.M.

Cauſa ſuperior principalior eſt in cauſando. ibidem.

Cauſa, vt cauſet, debet realiter exiſtere. diſt.13.quæſt.vnic.art.4. lit.D.

Cauſa vna, in ſuo ordine cauſandi, tantū habet vnam per ſe rationem cauſandi. ibidem litera I.

Cauſa, & effectus ſibi inuicem correſpondent. diſt.7.q.vnic.art.1.lit.A.

Cauſalitas.

Cauſalitas cauſæ materialis nō dicit perfectionem ſimpliciter. diſt.5.q.2.a.1.lit.I.

Cauſalitas materiæ, vel formæ, non eſt ſimpliciter prima cauſalitas. diſt.8. quæſt.1. art.3.lit.C.

Cauſalitas, tâm materiæ, quàm formæ, imperfectionem includunt. ibidem.

Cauſalitas efficientis, & finis nullam includunt imperfactionem, ſed perfectionem ibidem.

Cauſare.

Cauſare ſemper dicit contingentiam, & diuerſitatem, ſiue alietatem inter cauſam, & effectum. diſt.8.q.5.art.1.lit.R.

Certitudo.

Certitudo quid ſit, & in quo conſiſtat. diſt.3.quæſt.4. art.1.lit. G.

Certitudo de quatuor rebus eſt nobis neceſſaria. ibidem lit.H.

Certitudo de quibus rebus poſsit haberi à nobis. bidem.

Certitudo concluſionis tantum dependet à certitudine principiorum, & ex eui-

dentia illationis. ibid. art. 2. lit. D.

Certitudo infallibilis habetur de cognitis per experientiam. ibid. art. 3. lit. C.

Christiani.

Christiani non vident ea, quæ credunt, in regulis æternis. dist. 3. q. 4. art. 5. lit. H.

Circuminsessio.

Circuminsessio quid sit, optime, & diffuse explicatur. dist. 19. q. 2. art. 1. & seq.

Circuminsessionis ratio non est sola essentia, nec sola relatio, sed vtraque simul. ibidem. art. 3. lit. D.

Circuminsessionis datur exemplum. ibi. art. 4. lit. D.

Cognitio.

Cognitio abstractiua, quantumuis suprema, non potest causare infimam intuitiuam de Deo. dist. 3. q. 1. art. 2. lit. Q.

Cognitio Dei, in ratione infiniti, est perfectior cognitione eius in esse simplicitatis. ibidem art. 4. lit. E.

Cognitio, quam habemus de Deo, est per species creaturarum. ibid. art. 5. lit. C.

Cognitio distincta, & cognitio confusa, quid sint, & quomodo differant. dist. 3. q. 2. art. 1. lit. E. & art. 2. lit. C.

Cognitio distincta, siue distincte cognoscere, habetur per definitionē. ibi. a. 2. lit. C.

Cognitio naturalis procedit ab indeterminato ad determinatum. ibid. art. 4. lit. E.

Cognitio abstractiua non est prima cognitio abstracti. ibid. lit. F.

Cognitio minimæ immaterialium desiderabilior est, quàm magna materialium. ibid.

Cognitio vera, & infallibilis potest haberi naturaliter à nobis de actibus nostris. dist. 3. quæst. 4. art. 4. lit. G.

Cognitio perfectissima causatur, ex perfectione potentiæ, & perfectione obiecti. ibi.

Cognitio abstractiua necessario præsupponit præsentiam obiecti, à quo ipsa derelinquitur. ibid. q. 3. art. 3. lit. K.

Cognitio quidditatiua obiecti est prima, & perfectior cognitio de eo. ibi. art. 7. lit. E.

Cognitio sinceræ veritatis est actus nobilissimus nostri intellectus. ibid. q. 4. a. 5. lit. F.

Cognitio omnium rerum habita per principia lucis æternæ perfectior est ea, quæ habetur per principia in genere proprio. ibid. art. 6. lit. F.

Cognitio omnium, habita per principia sumpta à luce æterna, pertinet ad Theologum. ibidem.

Cognitio sensus est circa ens per accidēs. ibid. art. 7. lit. B.

Cognitio comparationis præsupponit necessario notitiam distinctam comparatorū. dist. 8. quæst. 3. art. 1. lit. C.

Cognitio abstractiua est æque rei existentis, & non existentis. dist. 3. q. 3. art. 9. lit. H.

Cognitio intuitiua non datur de re sine suo modo intrinseco: bene tamen datur abstractiua. dist. 8. quæst. 3. art. 6. lit. I.

Vide verbum, *conceptus, notitia, verbum.*

Color.

Color in alio, & alio homine causat diuersa repræsentatiua. dist. 3. q. 6. art. 2. lit. E.

Color quodammodo continet lucem. ibidem.

Commune, communissimum.

Cōmune increatis se habet, vt quale quid dist. 2. quæst. 7. art. 6. lit. G.

Communiora via originis sunt prius nota cognitione habituali, & virtuali, quam minus communia. dist. 3. q. 2. art. 3. lit. C.

Communissima sunt primo cognita cognitione actuali distincta. ibid. art. 2. lit. C.

Communicabile.

Communicabile dicitur aliquid dupliciter. dist. 2. q. 7. art. 1. lit. E.

Communicabile, & incommunicabile quot modis sumantur. dist. 23. quæst. vnic. art. 1. lit. E.

Comparatio.

Comparatio omnis fit in aliqualiter vnioco. dist. 8. q. 3. art. 1. lit. P.

Compositibilitas.

Compositibilitas prouenit ex proprijs rationibus compositibilium. dist. 2. quæst. 7. art. 1. lit. F.

Compositio.

Compositio est triplex, essentialis, quantitatiua, & ex subiecto, & accidente. dist. 8. q. 1. art. 3. per totum.

Compositio ex positiuo, & priuatiuo datur in omnibus rebus creatis. ibid. quæst. 2. art. 1. lit. D.

Compositio ex actu, & potentia datur in omni creatura. ibid.

Compositio realitatum est minima compositio. ibid. q. 3. art. 4. lit. I.

Compositio conceptuum est in intellectu, supponens compositionem in re extra. ibidem art. 6. lit. H.

Compositio semper est conceptuum. ibi.

Compositum.

Compositum est, quod generatur in qualibet generatione. dist. 3. q. 6. art. 9. lit. C. & D.

Compositum generatum est diuisibile in materiam, & formam. ibid.

Com-

Compoſitum conſtituitur, quia potentiale actuatur, & determinatur per formam. diſ. 5. q. 2. art. 1. lit. O.

Compoſitum perfectius eſt, quàm materia, etſi materia ſit ſimplicior. diſt. 8. q. 1. art. 1. litera E.

Compoſitum eſt, quod generat, & generatur. diſ. 5. q. 1. art. 1. lit. F.

Conceptus.

Conceptus confuſus in aliquibus definibilibus eſt primus, & conceptus diſtinctus eſt ſecundus. diſ. 3. q. 1. art. 1. lit. F.

Conceptus paſſionis præſupponit cõceptum naturæ, ſiue ſubiecti, ibid. lit. L.

Conceptus eſſentiæ diuinæ, in ratione entis, eſt imperfectior conceptu eſſentiæ, vt hæc eſſentia eſt, ibid. art. 1. lit. P.

Conceptus communis poteſt abſtrahi ab aliquo ſingulari. ibid. lit. Q.

Conceptus communis vniuocus datur Deo, & creaturis. ibid. art. 2. lit. F. & ſeq.

Conceptus vniuocus quid ſit? ibid.

Conceptus quem habemus de Deo, per creaturas, non eſt perfectior conceptu proprio, quem habemus de ipſa creatura. ibidẽ litera S.

Conceptus imperfectior poteſt haberi de obiecto perfectiori, quàm de obiecto imperfectiori. ibidem.

Conceptus ſimpliciter ſimplex eſt imperfectior, quàm verbum albi, v. g. licet ſit perfectior permiſiue. ibid. lit. T.

Conceptus ſimpliciter ſimplex de Deo eſt perfectior, quàm Verbum cuiuslibet entis creati. ibid.

Conceptus ſimplex abſtractus à creatura eſt proprius Deo: non tamen conceptus ſimpliciter ſimplex. ibid.

Conceptus eſt duplex, alter ſimplex, alter ſimpliciter ſimplex, & quid vterque ſit. diſ. 3. q. 2. art. 1. lit. E.

Conceptus definitiuus eſt conceptus explicatiuus plurium partialium. ibid. lit. F.

Conceptus compoſitus componitur ex potentiali, & actuali, in illoſque reſoluitur. diſ. 3. q. 3. art. 4. lit. D.

Conceptus entis, & vltimæ differentiæ, ſunt primo diuerſi. ibid.

Conceptus ſimpliciter ſimplex, vel totaliter ſcitur, vel totaliter ignoratur. ibid. art. 4. lit. F. & diſ. 8. q. 3. art. 1. lit. C.

Conceptus ſimplex non patitur certitudinem, aut dubitationem. ibid.

Conceptus proprius eſt conceptus alij re pugnans. diſ. 8. q. 3. art. 1. lit. C.

Conceptus vocantur obiecta formalia. ibidem.

Conceptus vnus cõmunis Deo, & creaturis, ſtat cum Dei ſimplicitate. ibid. art. 2. lit. G. & ſequentibus.

Conceptus entis eſt communis vniuocus neuter ad Deum, & creaturas. ibi. lit. N.

Conceptus dictus de Deo, & creaturis, eſt indifferens ad finitum, & infinitum. ibidem litera H.

Conceptus ex re, & modo, eſt ſimplicior conceptu compoſito ex re, & differentia. ibid. art. 4. lit. I.

Conceptus dictus de Deo, & creaturis in quid, contrahitur per conceptus dicentes quale. ibid. lit. L.

Conceptus realitatis cũ ſuo modo intrinſeco non eſt ſimpliciter ſimplex. ibid. art. 6. lit. F.

Conceptus realitatis ſine ſuo modo imperfectior eſt, quàm cum modo. ibid.

Conceptus rei ſine modo intrinſeco eſt communis, & cum tali modo eſt proprius talis rei. ibid.

Conceptus generis, & differentiæ requirunt diſtinctionem realitatum. ibid.

Conceptus modi intrinſeci non eſt conceptus realitatis. ibid.

Conceptus entis, communis Deo, & creaturis, nec eſt ex ſe poſitiuè finitus, nec infinitus. ibid. lit. F.

Conceptus qualitatiuus ſemper requirit conceptum quidditatiuum. diſ. 22. q. vnica art. 4. lit. G.

Conceptus aliquando accipitur pro obiecto terminante actum. ibid.

Concretum.

Concretum, & abſtractum idem ſignificant, licet in modo ſignificandi differant. diſ. 4. q. 1. art. 2. lit. H. & diſ. 26. q. vnic. art. 1. litera G.

Concretum pro formali ſolùm importat formam. ibid.

Concretum eſt duplex, adiectiuum, & ſubſtantiuum. diſ. 26. q. vnic. art. 1. lit. G.

Concluſio.

Concluſio demonſtrata ex principijs per ſe notis, cognoſcitur naturaliter infallibiliter. diſ. 3. q. 4. art. 2. lit. D.

Concluſione deſtructa, deſtruitur principium. diſ. 8. q. 5. art. 1. lit. L.

Concluſio eſt quædam partialis veritas principij. ibid.

Conformitas.

Conformitas compoſitionis terminorum ſequi-

sequitur necessario rationem terminorum, quàm habent in diuino intellectu. dist. 3. q. 4 art. 5. lit. H.

Confusum. Confuse.

Confusum intelligere, & intelligere confuse, valde differunt. dis. 3. q. 2. art. 1. lit. E.

Confusum, idem est, ac indistinctum. ibi.

Confusum est duplex, nempe totum essentiale, & totum vniuersale. ibi. lit. G.

Confuse cognoscere, mediat inter ignorare, & cognoscere distinctè. ibid.

Contemplatio.

Contemplatio, de communi lege, consistit in aliquo conceptu communi Dei. dis. 3. q. 1. art. 1. lit. P.

Continens.

Continens aliquid, cõtinet illud per modum sui. dis. 8. q. 3. art. 7. lit. D.

Continentia.

Continentia est duplex, formalis, & virtualis, siue eminentialis. d. 8. q. 4. art. 6. lit. C.

Continentia per identitatem realem nõ tollerationem formalem contentorum, nec prædicatam primo modo. dis. 2. quæst. 7. art. 2. lit. G.

Contingentia.

Contingentia datur in rebus. dist. 8. q. 5. art. 1. lit. M.

Contradictio.

Contradictio est secundum idem. dis. 2. q. 7. art. 1. lit. E.

Contradictio est tàm in complexis, quàm in incomplexis. dist. 4. q. 1. art. 1. lit. H.

Contradictoria.

Contradictoria absolutè non habent medium: bene tamen cum ly *per se*. dist. 2. q. 7. ar. 4. lit. D. & F.

Contradictoria, cum ly *in quantum*, vel alia reduplicatione, non sunt immediate opposita. ibid. art. 3. lit. E. & F. & dist. 5. q. 1. art. 4. lit. F.

Contradictoriæ, alia semper est vera, & altera falsa. dist. 4. q. 1. art. 1. lit. H.

Contraria.

Contraria, licet in esse reali non sint simul in eodem subiecto: bene tamen in esse intentionali. dist. 3. q. 6. art. 5. lit. G.

Conuenientia.

Conuenientia maior, magis sæpe facit distinguere, quàm repugnantia maior. dist. 7. quæst. vnic. art. 7. lit. F. & G.

Conuersio.

Conuersio propositionum, de qua Summulistæ, late traditur. dist. 21. q. vnic. fere per omnes articulos. Vide ibi multa logicalia.

Corpus.

Corpus dicitur animatum, quasi denominatiue. dist. 8. q. 4. art. 7. lit. E.

Creatio.

Creatio est productio sine mutatione. d. 5 q. 2. art. 1. lit. P.

Creatura.

Creatura, etsi à Deo necessario produceretur, adhuc non esset tàm necessaria, sicut verbum. dist. 2. q. 4. art. 2. lit. F.

Creaturæ, per suas species intelligibiles, faciunt in Dei cognitionem deuenire. dist. 3. q. 1. art. 5. lit. C.

Creaturæ Deum imperfectè imitantur. ibid. art. 3. lit. D.

Creatura nunquam ita perfectè cognoscitur in se, sicut cognoscitur in essentia diuina. dist. 3. q. 2. art. 4. lit. I.

Creaturæ solùm repræsentant secũdum conceptus communes. dist. 3. q. 5. art. 2. li. D.

Creaturæ, secundum tria, quæ dicunt repræsentant alia tria in Deo. ibid.

Creaturæ, secundum multa, repræsentant Trinitatem. ibid. art. 3. lit. E.

Creatura quomodo sit vestigium Trinitatis. ibid. lit. F. & G.

Creatura est post nihil, id est, post non esse sui. ibid. art. 1. lit. S.

Creatura genita non est de nihilo. dist. 5. q. 2. art. 4. lit. H.

Creatura simplex non est semper perfectior creatura non simplici. dist. 8. q. 1. art. 1. lit. E.

Creatura aliqua est simplex, hoc est, non composita ex rebus. ibid. q. 2. art. 1. lit. D.

Creatura omnis est composita ex positiuo, & priuatione. ibid.

Creatura omnis est composita ex actu, & potentia. ibid.

Creatura nulla est verè simplex. ibidem litera E.

Creatura omnis est alij creaturæ componibilis. ibid.

Creatura omnis est composita, aut componibilis, ibid. art. 2. lit. C.

Creaturæ non concurrunt, tanquam obiectum, ad producendum Spiritum sanctum. dist. 10. q. vnic. art. 5. lit. E.

Creatura causatur à tribus personis, non vt sunt distinctæ, sed vt sunt vnum. dist. 12. q. 1. art. 1. lit. E.

Creatura non est ens ex se necessarium. dist. 18. q. vnic. art. 1. lit. C.

Creatura in quocunque esse præsupponit Trinitatem. ibid. lit. H.

Creaturæ aliquid habẽt neceſſariũ, quod non eſt perfectio ſimpliciter. diſ. 19. quæſt. 1.art.4.lit.E.

Creatura,quoad omne eſſe, eſt poſterior omni eſſe adintra.d.27.q.3.art.2.lit.C.

Creatura omnis dicitur imperfecta.diſtin. 28.q.1.art.1.lit.E.

Cum.

Cum, præpoſitio aſſociationem importat. diſ.12.q.1.art.4.lit.B.

D.

De.

De,in hac propoſitione,Filius eſt de ſubſtantia *P*atris, quomodo accipiatur.diſ.5.q.2 art.4. lit. F.

Definitio.

Definitio quid rei eſt,quæ dicitur per nomen,& eſt includens, *ſi eſt*. diſt. 3. q.1.art.1. litera F.

Definitio inquiritur per viam diuiſionis. ibid.q.2.art.2.lit.C.

Definitio datur,tâm de ſubſtantia, quàm de accidente.ibid.q.3.art.3.lit.N.

Definitio eſt oratio indicans,quid eſt eſſe rei.diſ.25.q.vnic.art.2.lit.F.

Definitioeſt cognitio perfectiſsima intellectus ſimplicis.diſ.3.q.4.art.5.lit.F.

Demonſtratio.

Demonſtratio non datur de demonſtratione principij.diſ. 3.q.4. art.4.lit.C.

Deſiderium.

Deſiderium naturale non eſt ad impoſsibile,ex natura deſiderantis.d.3.q.3.a.1.lit.D.

Deſiderium æque eſt rei exiſtentis,& non exiſtentis.ibid. art.9.lit. H.

Deſiderium mouet effectiuè ad rem, quæ eſt inſieri.ibid.

Dependens.

Dependens quodlibet, dependet ad aliquid omnino independens.d.12.q.1.a.5.l.G

Dependens, quod dependet, non poteſt alterius dependentiam terminare. ibid.

Dependens non dicitur omne, quod eſt ab alio.diſ.2.q.4.art.2.lit.N.

Dependentia.

Dependentia dicit præexigentiam. diſ.2. q.4.art.2.lit.N.

Dependentia eſſentialis datur inter effectum,& cauſam primam.diſt.7. quæſt. vnic. art.5.lit.L.

Deitas.

Deitas eſt ſe tota entitas formalis, cui correſpondet Deus adæquate. diſtinct. 4.quæſt. 1.art.1.lit.E.& quæſt.2.art. 1.lit. G. & art.3. lit.C.

Deitas de ſe eſt hæc, & vltima actualitas, diſ.5.q.2.art.5.lit.F.

Deitas eſt in Patre ſine informatione. ibi. litera G.

Vide verbum *eſſentiam*, *& naturam.*

Determinatio.

Determinatio eſt duplex,ſicut & in determinatio.diſ.28.q.2.art.2. lit.H.

Deus.

Deus non cognoſcitur à nobis negatiue, niſi per affirmationes. diſ.3.q.1.art.1.lit.F.

Deus,ſecundùm nullum conceptum poſsibilem viatori,poteſt eſſe primum ſubiectũ Metaphyſicæ.ibid.lit.G.

Deus poteſt naturaliter à nobis concipi per ſe,& quidditatiuè.ibid. lit.L.

Deus intelligetur à nobis ſincere in conceptu communi à creaturis abſtracto, & nõ in particulari.diſ.3.q.3.art.2.lit.L.

Deus concipitur conceptu vniuoco ſibi,& creaturis.ibid.art.2.lit.F.

Deo tribuendum eſt, quidquid imperfectionem non dicit.ibid.lit. O.

Deus ſub ratione huius eſſentiæ, vt hæc, non cognoſcitur naturaliter à viatore. ibid. art.3.lit.C.

Deus,reſpectu intellectus noſtri eſt obiectum voluntarium: & reſpectu ſui,eſt naturale.ibidem.

Deus poteſt à nobis cognoſci naturaliter ſecundùm multos conceptus,qui non conueniunt creaturis,ibid.art.4.lit.C.

Dei conceptus perfectior, quẽ poſſumus de eo habere naturaliter,eſt conceptus entis infiniti.ibidem.

Deus cognoſcitur à viatore per ſpecies creaturarum.ibid.art.5.lit.C.

Deus eſt primum obiectum, naturaliter à nobis cognoſcibile ex creaturis. diſ.3. q.2. art.4.lit.E.

Deus, cognitione rationali aſt obiectum poſterius cognitum,quàm creatura, ſecundum tres gradus. ibid.

Deus eſt obiectum perfectiſsimum â nobis cognoſcibile ſimpliciter, ordine perfectionis.ibid.lit. G.

Deus eſt primum cognitum perfectiſsimum,ſed non adęquatum. ibid.

Deus non genuit alium Deum. diſ.4.q.1. art.1.lit.F.

Deus Pater genuit Filium,eſt vera propoſitio. ibidem.

Deus non genuit ſe Deum,aut alium Deũ eſt falſa propoſitio, etiã Logicè loquendo. ibid.& art.2.per totum.

Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. ibid. q. 2. art. 1. lit. C. & ſequentib.

Deo, vt ſic, conueniunt omnes perfectiones antecedenter ad perſonas. ibid. lit. G.

Deus, vt ſic, nec eſt incommunicabilis, nec perſona. ibid. art. 3. lit. C.

Deo, vt ſic, conueniunt aliqua prædicata realia. quæ ei non conueniunt, prout includitur in perſonis. ibid.

Deus, in hac propoſitione, Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſupponit pro Deo exiſtente Deitate. ibid.

Deus, relationibus præintellectus, eſt primogenerans. diſ. 7. q. vnic. art. 5. lit. K.

Deus, prius intelligit, quàm ſit Trinus, & prius eſt trinus, quàm habeat potentiam propinquam ad creaturas. ibid. art. 6. lit. H.

Deus eſt ſummè ſimplex, & nullo modo compoſitus, aut componibilis. diſ. 8. q. 1. art. 2. lit. E. & art. 3. lit. C.

Deus eſt primũ obiectum cognoſcibile à nobis naturaliter ex creaturis. diſt. 3. q. 2. art. 4. lit. E.

Deus non eſt accidentium capax. ibidem art. 3. lit. G.

Deus, & creatura ſunt primo diuerſa in realitate, ſed non in conceptu entis. diſ. 8. q. 3. art. 2. lit. O.

Deus cognoſcitur â nobis per negationẽ. ibidem. art. 3. lit. D.

Deus abſtiue dicitur ſubſtantia. ibid. art. 4. lit. H.

Deus non poteſt accidentibus ſubſtare. ibidem.

Deus non eſt in genere: & quando dicitur eſſe in genere, quomodo intelligatur. ibid. art. 5. per totum, maxime lit. H.

Deus non eſt in genere, ex eo, quod continet omnium generum perfectiones. ibid. art. 7. lit. D.

Deus eſt ens quomodo ſit propoſitio vera. ibid. art. 6. lit. H.

Deus non habet aliquod prædicatum, dictum de eo in quid, tanquam genus. ibidem art. 8. lit. D.

Deus eſt eſſentia, ſed non eſt ſubſtantia proprie. ibid. lit. F.

Deus tripliciter eodẽ eſt ſapiens, & magnus: & tamen non eodem eſt Deus, & Pater diſ. 8. q. 4. art. 4. lit. K.

Deus non continet actu, & formaliter omnes perfectiones: ſed eminenter. ibid.

Deus eſt â ſe ſumme neceſſarium. diſt. 8. quæſt. 5. art. 1. lit. K.

Deus ſimpliciter eſt immutabilis. ibid.

Deum eſſe immutabilem, probatur à Scoto. ibidem.

Deus ab æterno voluit, aliquid aliud à ſe fieri in tempore. ibid. lit. G.

Deus eſt agens indeterminatum actiuè ad contradictoria. ibid. lit. I.

Deo neceſſario agente, aliquis effectus eſſet neceſſarius. ibid. art. 3. lit. G.

Deus, ſecundum Philoſophos, producit neceſſario aliud ens neceſſarium immutabile, quo mediante mouet. ibid. art. 4. lit. E. & ſequentibus.

Deus, ſecundùm Theologos, poteſt immediatè cauſare omnem effectũ, quem cauſa ſecunda cauſare poteſt. ibid. lit. F.

Deus non poteſt mouere in inſtanti. ibid.

Deus ſolus eſt immutabilis. ibi. ar. 5. lit. O.

Deus habet principia productiua. diſ. 10. q. vnic. art. 2. lit. F.

Deus habet ex natura rei intellectum ſorlem, & voluntatem. diſ. 13. q. vnic. a. 6. lit. C.

Deus eſt formaliter intelligens, & volens. ibidem.

Deus poteſt à viatore nominari nomine ſignificante hanc eſſentiam, licet de Deo non poſsit habere Viator conceptum proprium quidditatiuum diſt. 22. quæſt. vnic. art. 1. per totum.

Deus verius cogitatur, quàm dicitur, in quo ſenſu ſit verum. ibid. lit. I.

Deus poteſt à viatore nominari nominibus ſignificantibus eſſentiam in communi. ibid. art. 2. lit. E.

Deus cur ineffabilis dicatur. ibid. lit. G.

Deus non eſt obiectum motiuum naturale intellectus noſtri. diſ. 3. q. 3 art. 2. lit. E.

Deus intelligitur â nobis, vt bonum indeterminatũ, negatiue. ibid. art. 2. lit. K.

Deus eſt nominabilis à viatore nomine proprio ſignificãte ſuam eſſentiam. ibidem art. 3. lit. D. & ſequentibus.

Deus non eſt comprehenſibilis à creatura. ibid. lit. O.

Deus eſt nominabilis à creatura, ſub ratione immenſitatis. ibid. art. 4. lit. F.

Deus non poteſt ſe nominare nomine excedente illud, quo Beatus eum nominare poteſt. ibid.

Deus, cur dicatur ſolus ſuam cognoſcere immenſitatem. ibid. lit. H.

Deus non connumeratur cum creatura. diſ. 24. q. vnic. art. 2. lit. F.

Deus dicitur creator, & Dominus, ſola relatione, quæ eſt de nouo in creatura. diſ. 30. quæſt. 1. art. 1.

Deus eſt in Deo, & nõ diſtinguitur à Deo. diſt. 19. q. 2. art. 1. lit. L.

Deus non terminat relationes creaturarum per alias relationes in ipſo exiſtentes. ibid. art. 2. lit. E.

Deus poteſt ſupponere pro perſona. diſt. 5. q. 1. art. 4. lit. G.

Dicere.

Dicere non eſt actus intelligendi, ſed bene eſt actus intellectus. diſt. 2. q. 5. a. 5. lit. F.

Dicere in nobis, eſt actio de genere actionis. diſt. 3. q. 6. art. 7. lit. E.

Dicere in Patre, eſt poſterius actu intelligendi, & volendi. ibid. lit. H.

Dicere in Deo ſumitur eſſentialiter, & notionaliter. diſt. 32. q. 1. art. 2. lit. C.

Dictio.

Dictio compoſita ex aliquo multiplici, & ex particula priuatiua, eſt dupliciter multiplex. diſt. 28. q. 1. art. 1. lit. D.

Differentia.

Differentia inter Verbum, & creaturas, quoad neceſſario produci, aſsignatur. diſt. 2. q. 4. art. 2. lit. F.

Differentia maior eſt manifeſta: & minor quæ ex illo concluditur, eſt immanifeſta. d. 2. q. 7. art. 3. lit. C.

Differentia creaturarum concludit differentiam idæarum in diuino intellectu. ibid.

Differentia rerum in re manifeſta eſt duplex naturarum, & ſuppoſitorum. ibid.

Differentia manifeſta in intellectu eſt duplex, modorum concipiendi, & obiectorum formalium. ibidem.

Differentia inter eſſentiam diuinam, & relationes eſt manifeſta: quia minima omniũ diſtinctionum realium. ibid.

Differentiæ ſpecificæ non ſunt à ſe effectiue, & tamen ſunt ſe ipſis primo diſtinctæ formaliter. diſt. 13. q. vnic. art. 10. lit. E.

Differentia vltima eſt, quæ non habet alteram differentiam. diſt. 3. q. 3. art. 4. lit. D.

Differentia vltima non reſoluitur in duplicem conceptum, quidditatiuum, & qualificatiuum. ibidem.

Differentiæ vltimæ ſunt primo diuerſæ. ibidem.

Differentia vltima eſt in duplici modo. ibidem art. 5. lit. C.

Differentia eſt determinatiua generis, & illi non repugnans. diſt. 3. q. 5. art. 4. lit. L.

Differentiæ indiuiduales ſunt primo diuerſæ. diſt. 7. q. vnic. art. 7. lit. K.

Differentia ſpecifica non eſt perfectior identitate ſpecifica in diuinis. ibi. lit. O.

Differentia ſpecifica diuerſum habet modum prædicandi à differentia generica. diſt. 8. q. 3. art. 8. lit. E.

Vide verbum *diſtinctio.*

Dilectio.

Dilectio eſt motus animæ ad res, eſt verũ cauſaliter. diſt. 3. q. 3. art. 9. lit. H.

Vide verbum *amor.*

Diſcurſus.

Diſcurſus præſupponit aliũ conceptũ de termino ad quem eſt. diſt. 3. quæſt. 2. art. 4. litera F.

Diſtinctio.

Diſtinctio per intellectum eſt penes diuerſum modum cõcipiendi idem obiectum formale. diſt. 2. q. 7. art. 2. lit. D.

Diſtinctio maior eſt manifeſta, & minor, quæ ex illa concluditur, eſt immanifeſta. diſt. 2. q. 7. art. 3. lit. C.

Diſtinctio inter eſſentiam, & relationes non eſt proprie realis actualis, nec potentialis. ibidem.

Diſtinctio inter eſſentiam, & relationes poteſt dici rationalis, ſumpta ratione pro quidditate. ibid.

Diſtinctio inter eſſentiam, & relationes poteſt dici virtualis, vel melius non identitas formalis. ibidem & lit. D.

Diſtinctio formalis in diuinis non arguit eſſentialem. diſt. 4. q. 1. art. 1. lit. G.

Diſtinctio conſtituentium facit æqualem diſtinctionem diſtinctorum. diſt. 7. q. vnica art. 7. lit. F.

Diſtinctio emanationum in Deo eſt realis. diſt. 8. q. 4. art. 2. lit. G.

Diſtinctio realis non præexigit diſtinctionem rationis. ibid. & diſt. 13. quæſt. vnic. art. 4. litera C.

Diſtinctio attributorum in Deo eſt à parte rei. ibidem.

Diſtinctio formalis ſtat cum ſimplicitate Dei. ibid. lit. K. & art. 7. lit. C.

Diſtinctio formalis datur inter duas proprietates diuinas. ibid.

Diſtinctio tertia inter realem, & rationis datur in Deo. ibid. art. 4. lit. G.

Diſtinctio rationis in cauſa non eſt propria ratio diſtinctionis realis in effectu. diſt. 13. q. vnic. art. 4. lit. B.

Diſtinctio ſe totis obiectiuè quid ſit. ibid. art. 10. lit. F.

Diſtributio.

Diſtributio præciſe reſpicit ſuppoſita naturæ, quæ diſtribuitur. diſt. 4. quæſt. 2. artic. 1. litera F.

Index rerum notabilium Scotici textus.

Diuerſitas.

Diuerſitas importat negationem in genere. diſt. 23. q. vnic. art. 1. lit. H.

Diuiſio.

Diuiſio prius datur per conceptus communiores. deinde per genera, & differentias. diſt. 3. q. 2. art. 2. lit. C.

Donum.

Donum eſt proprietas Spiritus ſancti, quia à Patre, Filioque procedit. diſt. 18. q. vnic. art. 1. lit. E. & ſequentibus.

Donum accipitur tripliciter. ibid. lit. F.

Donum dicit reſpectum ad creaturas. ibi. lit. H.

Donum non conſtituit Spiritum ſanctũ. ibidem.

Donum dicit proprietatem perſonalem Spiritus ſancti per commitationem tantum. ibidem.

Donum multipliciter accipitur. ibid. art. 2. lit. E.

Donum poteſt dici proprietas perſonalis Spiritus ſancti. ibid.

Donum, in quo ſenſu, ſit proprietas perſonalis Spiritus ſancti, ſecundum Auguſt. ibidem.

E.

Eccleſia.

ECCLESIA maximam habet auctoritatem. diſ. 5. q. 1. art. 1. lit. G.

Effectus.

Effectus non excedit cauſam ſuam. diſt. 2. q. 5. art. 1. lit. H.

Effectus eueniens, vt in pluribus, à cauſa non libera, eſt effectus naturalis. diſt. 3. q. 4. art. 3. lit. C.

Effectus caſualis, non producitur à cauſa naturali determinata ad producendum. ibi.

Effectus æquiuocus non excedit cauſam ſuam totalem in perfectione. diſt. 3. q. 7. art. 3. lit. F. & art. 4. lit. G.

Effectus formalis arguit limitationem in cauſa dante eſſe. diſt. 8. q. 1. art. 2. lit. G.

Effectus non eſt entitas cauſæ, ſed alia ab entitate cauſæ. ibid. q. 5. art. 1. lit. L.

Effectus non poteſt eſſe neceſſarius, & poſſibilis. ibid. lit. R.

Effectus propinquior cauſæ, quomodo poſſit dici cauſa effectus remotioris. diſt. 27. q. 1. art. 3. lit. I.

Effectus æquiuocus eſt perfectior, qui eſt ſimilimus ſuæ cauſæ. diſt. 3. q. 1. art. 2. lit. R.

Effectus formalis magis aſsimilatur cauſæ proximæ inferiori, quàm remotæ, & inferiori. ibid. quæſt. 8. art. 1. lit. I.

Ens.

Ens cur dicatur perfectum, ſeu imperfectum. diſt. 2. q. 4. art. 1. lit. K.

Entia imperfecta poſſunt vniuocè, & æquiuocè generari. diſt. 2. q. 5. art. 1. lit. L.

Ens infinitum non cauſat conceptum vnum per accidens, ſed conceptum ſubiecti in certo gradu perfectionis. diſt. 3. q. 1. art. 4. litera B.

Ens infinitum includit omnem perfectionem ſimpliciter ſub ratione infiniti. ibidem litera C.

Ens includitur quidditatiuè in omni conceptu quidditatiuo inferiorum. ibid. q. 2. art. 2. lit. C.

Ens eſt primo cognitum cognitione diſtincta. ibidem.

Enti propinquiora ſunt primo cognita diſtinctè, quàm remotiora. ibid.

Ens participatum cognoſcitur per ens imparticipatum, tanquam per cauſam, non tãquam per obiectum cognitum. diſt. 3. q. 3. ar. 2. litera I.

Ens eſt vnum vniuocum incluſum quidditatiuè, in generibus, ſpeciebus, & in partibus eſſentialibus generum. ibid. art. 3. lit. H.

Ens non eſt genus ad ſua inferiora. ibidem litera L.

Ens dicitur in quid, tâm de ſubſtantia, quã de accidente, licet non æque primo. ibidem lit. N.

Ens dicitur multipliciter, quomodo intelligatur. ibid. lit. P.

Ens non eſt prædicatum vniuocũ in quid de proprijs paſsionibus, nec de vltimis differentijs. ibid. art. 4. lit. D.

Ens ſufficienter diuiditur in increatum, & in decem genera, & in partes eſſentiales decem generum. ibid. lit. E.

Ens non eſt genus ad Deum, & creaturas. ibid. lit. H.

Ens non eſt genus ad ea, de quibus in quid prædicatur. ibid. art. 5. lit. C.

Ens in quo ſenſu, prædicetur in quid de vltimis differentijs. ibid.

Ens duplicem habet primitatem, communitatis, & virtualitatis. ibid. art. 6. lit. B.

Ens eſt obiectum primum intellectus noſtri. ibidem.

Ens includitur in omnibus entibus, eſſentialiter, vel virtualiter. ibid. lit. D.

Ens, abſtrahens à ſenſibili, vel intelligibili, dicitur abſolutè intelligibile. ibi. art. 7. lit. I.

Ens eſt actiuum formaliter per ſuam ratitudinem. diſt. 3. q. 5. art. 4. lit. F.

Ens formaliter, & in actu, est formaliter per ratitudinem. ibidem.

Ens secundùm quid est simpliciter per accidens. dist. 3. q. 6. art. 9. lit. E.

Ens verum non potest habere esse, nisi ab ente vero. dist. 5. q. 2. art. 3. lit. G.

Ens dictum de Deo, & creaturis, non dicit duos conceptus. dist. 8. q. 3. art. 1. per totum.

Ens prædicatur in quid de Deo, & creaturis. ibid. art. 2. lit. K.

Ens prius diuiditur in infinitum, & finitum, quàm in decem genera. ibidem artic. 5. lit. E.

Ens finitum est commune ad decem genera. ibidem.

Ens habet passiones simplicices, & disiunctas. ibidem lit. E.

Ens conueniens Deo, est ens per essentiã, scilicet ens infinitum. ibidem.

Ens infinitum est de se primo tale; & etiam est ens per essentiam, & singulare. ibidem.

Ens infinitum, non solùm dicit summam perfectionem, sed non posse excedi. ibidem art. 7. lit. D.

Ens dicitur de Deo in quid, secundùm Aristot. ibid art. 8. lit. E.

Ens non prædicatur de Deo, tanquam genus, secundùm Arist. ibid. per totum.

Ens in se non habet principium. ibid.

Ens reale est id, quod habet esse, circunscripto omni opere intellectus, vt intellectus est. dist. 8. q. 4. art. 2. lit. G.

Ens nullum aliud à Deo est immutabile. dist. 8. q. 5. art. 5. lit. C.

Ens omne, aliud à Deo est mutabile subiectiue, præter vltimum accidens. ibid.

Ens rationis tantùm habet esse diminutũ in intellectu. dist. 13. q. vnic art. 4. lit. B.

Ens rationis non est propria ratio entis realis. ibidem.

Ens rationis non potest esse formaliter infinitum. ibid. lit. I.

Ens rationis non potest esse ratio formalis producendi suppositum infinitum. ibid.

Ens quodlibet habet determinatum gradum in entibus. dist. 19. q. 1. art. 1. lit. D.

Ens dicitur formaliter de Deo, ac etiam passiones entis. ibid. art. 2. lit. E.

Ens per accidens aliter sumitur à Logico, & aliter à Metaphysico. d. 29. q. vn. a. 1. lit. H

Enti reali, & rationis non datur cõceptus cõmunis vniuocus. dist. 29. q. vn. art. 2. lit. C.

Ens necessarium, ab alio habens esse, datur secundum Arist. dist. 8. q. 9. art. 3. lit. G.

Entitas.

Entitas formalis habet ens pro suo adequato correspondente. d. 4. q. 1. art. 1. lit. E.

Equinitas.

Equinitas est tantùm equinitas, quomodo intelligatur. dist. 3. q. 5. art. 4. lit. N.

Esse.

Esse, & id quod est, differunt in quolibet ente. dist. 3. q. 5. art. 4. lit. H.

Esse est nomen Dei proprissimum. dist. 8. q. 4. art. 4. lit. G. & art. 6. lit. B.

Esse Dei est pelagus infinitæ substantiæ. ibidem.

Essentia.

Essentia diuina fundat oppositas relationes. dist. 2. q. 4. art. 1. lit. L.

Essentia diuina ex se non habet immediatè plures modus essendi. dist. 2. q. 6. art. 2. li. F.

Essentia diuina admittit cum sui vnitate pluralitatem personarum. dist. 2. q. 7. art. 1. litera F.

Essentia diuina identificat sibi omnia realiter, non tamen formaliter. ibid. lit. L.

Essentia diuina non habet vnicam identitatem realem. ibid.

Essentia, quæ relatiuè dicitur, est aliquid, excepto relatiuo. ibid. art. 2. lit. C.

Essentia diuina est ad se, & non ad aliquid ibidem.

Essentia diuina, & relationes distinguuntur distinctione, præcedente actum intellectus. ibid. lit. D.

Essentia diuina identificans sibi relationes non se identificat inter se. ibid. art. 6. lit. F.

Essentia diuina, vt est mediũ concludendi identitatẽ, se habet vt quale quid. ibid. lit. G.

Essentia diuina non mouet naturaliter intellectum nostrum, primo ad se; & secundo ad cognoscenda alia. dist. 3. q. 3. art. 2. lit. F.

Essentia diuina est primum obiectum naturale intellectus diuini. ibid.

Essentia diuina, in visione beata, est causa principalior, quàm intellectus beati. dist. 3. q. 8. art. 1. lit. G.

Essentia nulla creata repræsentat Deũ, vt trinum, sed vt vnum. dist. 3. q. 9. art. 2. lit. G.

Essentia diuina, nec generat, nec generatur. dist. 5 q. 1. art. 1. lit. F.

Essentia diuina est indiuisibilis. ibid. art. 2. lit. C.

Essentia diuina tota est in tribus personis. ibidem.

Essentia diuina non prædicatur de Patre formaliter, nec per se primo modo. ibid. art. 4. lit. H.

Essentia diuina est Pater, est propositio distinguibilis. ibid. lit. I. & art. 5. lit. F.

Essetia est Pater, est vera propositio, sumpto Patre substantiuè, non adiectiuè. ibidem art. 5. lit. F.

Essentia diuina nō est quasi materia in generatione Verbi. dist. 5. q. 2. art. 1. lit. H.

Essentia diuina est forma relationis. ibidē art. 2. lit. C. & art. 5. lit. F.

Essentia diuina est terminus formalis generationis. ibidem.

Essentia diuina non est subiectum generationis diuinæ. ibid. art. 3. lit. G.

Essentia est actus quidditatiuus, & quidditatiue distinguens. ibid. art. 5. lit. I.

Essentia diuina est qua Pater est, non tamen, qua Pater est Pater. ibid. art. 6. lit. D.

Essentiæ diuinæ, abstractæ à personis, conuenit esse per se. ibid.

Essentia diuina est fundamentum relationum, non tamen potentiale. ibid. lit. E. & I.

Essentia diuina non est indeterminata, sicuti potentia passiua. distin. 7. q. vnic. art. 3. lit. D.

Essentia diuina non est ex æquo indeterminata ad duas productiones, sed secundū ordinem. ibid. lit E.

Essentia diuina est communis tribus personis vnitate numerali. ibid, art. 5. lit. M.

Essentia diuina non potest per se generare, nisi in suppositō. ibid. art. 6. lit. D.

Essentia diuina nunquam per se est, nisi in suppositō. ibid. lit. G.

Essentia diuina dicitur pelagus omnium perfectionum, & in quo sensu. dist. 8. q. 4. art. 6. lit. C.

Essentia diuina est infinita infinitate primaria. ibidem.

Essentia diuina non diceretur pelagus infinitū, nisi esset distinctio ex natura rei. ibid.

Essentia diuina non potest vni personæ pluribus productionibus communicari. dis. 11. q. 1. art. 1. lit. L.

Essentia diuina est formaliter infinita. dis. 12. q. 1. art. 3. lit. D.

Essentia diuina, vt omninò indistincta, non est principium diuinarum productionum. dist. 13. quæst. vnic. art. 5. litera C. & sequentibus.

Essentia diuina habet ex natura rei omnes perfectiones attributales. ibid. lit. H.

Essentia creata est quidditas, & est quanta, & qualis, & prius est quidditas, quàm quanta, & qualis. dist. 26. q. vnic. art. 8. lit. F.

Essentia creata prius fundat relationem identitatis, quàm æqualitatis, & similitudinis ad alteram naturam. ibid.

Essentia diuina, vt quid, est ratio communicandi se, & omnia, quæ communicantur. ibid.

Essentia diuina prius intelligitur esse ratio operandi, quàm intelligatur quanta, & qualis. ibid.

Essentia diuina prius intelligitur, vt intellectus, & voluntas, quàm quanta, vel qualis. ibid.

Essentia diuina est intellectualis, & volitiua essentia. ibid.

Essentia diuina est actus vltimus, non potens per aliud determinari. ibid. art. 9. lit. I.

Essentia diuina est radix totius diuinæ perfectionis. ibid. lit. K.

Essentia diuina est ex se hæc, & ex se subsistit sine relationibus. ibid. art. 12. lit. G.

Essentia diuina, licet sit ex se singularis, est tamen communicabilis, quia illimitata. ibidem.

Essentia diuina determinat ex se primam personalitatem. dist. 28. q. 2. art. 2. lit. H. & q. 3. art. 4. lit. N.

Essentia diuina non habet aliquam subsistentiam primam sibi adæquatam. ibi. lit. G.

Essentia diuina est illimitata, habens tres subsistentias primitate adæquationis, sed nō ordinis. ibid.

Essentia diuina, ante omnem actum negotiatiuum intellectus, est obiectum beatificum, & infinitum. dist. 31, quæst. vnic. art. 1. lit. B. & C.

Essentiale.

Essentiale, & accidentale habent inter se medium. dist. 2. q. 7. art. 1. lit. K.

Euangelium.

Euangelium non continet expresse omnia, quæ Ecclesia credit. dist. 11. q. 1. a. 1. lit. I.

Exemplar.

Exemplar non dicit ad exemplatum similitudinē vniuocationis, sed imitationis. dist. 3. q. 5. art. 2. lit. D.

Exemplar ad exemplatum dicit relationē tertij modi. ibid. lit. E.

Experientia.

Experientia non habetur de omnibus singularibus, sed de pluribus. d. 3. q. 4. a. 3. lit. C.

Experientia accipitur de conclusione dupliciter. ibid. lit. D.

Extimatiua.

Extimatiua in brutis, quomodo percipit obiectum, in quantum nociuum, seu conueniens. dist. 3. q. 1. art. 5. lit. D.

F.

Fallacia.

FALLACIA figuræ dictionis in quo cõsistat, exponitur. dist. 2. q. 7. art. 6. lit. I.

Fides.

Fidei auctoritas non repugnat naturali veritati. dist. 3. q. 7. art. 2. lit. G.

Figmentum.

Figmentum non habet genus, nec differentiam. dist. 3. q. 5. art. 4. lit. L.

Filius.

Filius in diuinis non potest non esse. dist. 2. q. 4. art. 2. lit. F.

Filius in diuinis est ens à se formaliter necessarium, & tamen ab alio habet esse. ibidē litera G.

Filius Dei non est Filius essentiæ. dist. 5. q. 1. art. 5. lit. H.

Filius Dei non generatur de essentia, tanquam de quasi materia. ibid. q. 2. art. 1. lit. P.

Filius Dei est producibilis. ibidem art. 3. litera N.

Filius Dei est de substantia Patris, absolutè, & sine glossa. ibid. art. 4. lit. G. & dist. 5. q. 2. art. 1. lit. E. & P.

Filius est de essentia diuina, non est proprie concedendum. ibid. lit. L.

Filius est Filius substantiæ Patris, non est proprie concedendum. ibid. lit. M.

Filius habet scientiam, vel voluntatem generandi, est falsa propositio. dist. 7. q. vnica art. 4. lit. C.

Filius scit generationem, vel voluntatem Patris, est verum: secus autem, Filius scit generare, vel vult generare. ibid.

Filius Dei distinguitur realiter à Spiritu sancto, per proprietatem, qua in esse Filij cõstituitur. dist. 11. q. 2. art. 2. lit. G. & H.

Filius Dei non dicitur ita proprie spirare sicut Pater. dist. 12. q. 2. art. 1. lit. I.

Filius Dei potest dici possibilis, melius tamen principiatus. dist. 20. q. vnic. art. 2. litera D. & E.

Filius Dei dicitur ars, sapientia, & virtus Patris. dist. 27. q. 3. art. 1. lit. E.

Vide verbum, *Pater*, & dictionem, *Verbum*.

Finis.

Finis sequitur productionem rei in esse: etsi præcedit, est, in quantū mouet efficiens. dist. 3. q. 7. art. 1. lit. G.

Forma.

Forma illimitata potest sine sui extensione plures materiæ partes informare. dist. 2. q. 7. art. 1. lit. H.

Formæ omnes, præter rationalem, sunt limitatę in perficiendo plures partes, nec perficiunt sine extensione per accidens. ibid.

Forma cõtinens omnes virtualiter, prius perficit materiam in ratione substantiæ, quā sub ratione corporis. dist. 3. q. 2. art. 3. lit. B. & C.

Forma hominis in communi quid sit, & in quo sensu ab Augustō concedatur. dist. 3. quæst. 3. art. 9. lit. G.

Forma per se non generatur, sed compositum. dist. 3. q. 6. art. 9. lit. D.

Forma est proprie terminus mutationis, sed non mutatur. ibid. lit. F.

Forma habet esse aliquo modo per productionem. dist. 3. q. 7. art. 1. lit. G.

Forma imperfecta potest esse causa totalis suæ operationis, non tamen perfecta: & quare. ibid. lit. O.

Forma facientis est ratio faciendi. ibidem art. 4. lit. M.

Forma est principiū agēdi, & formalis terminus actionis. ibid. art. 7. lit. N.

Forma, alia habet esse permanens non dependens: alia non, sed continuę dependet. dist. 3. q. 9. art. 2. lit. I.

Forma non generat, nec generatur, sed compositum. dist. 5. q. 1. art. 1. lit. F.

Forma est terminus formalis generationis ibid. art. 6. lit. D.

Forma dicitur finis generationis. ibid.

Forma communicatur dupliciter. dist. 7. q. vnic. art. 2. lit. G.

Forma communis est principium operationis communis. ibid.

Forma dat esse: ergo & agere: non valet. ibidem.

Formæ, quare aliæ sunt actiuæ, & aliæ nō. ibidem.

Forma, in qua assimilantur generans, & genitum, habet vnitatem formalem. ibidem art. 5. lit. M.

Formam, per se esse, tripliciter intelligi potest. ibid. art. 6. lit. E.

Forma est, quo producens producit, non tamen est, quod producit. ibid. lit. F.

Forma, actuando materiam, reducit eam de potentia ad actum. dist. 8. quæst. 1. artic. 3. litera C.

Formæ ratio non dicit imperfectionem in Deo. dist. 8. q. 4. art. 7. lit. C. & D.

Forma in creaturis aliquid habet perfectionis, & imperfectionis ibid. lit. C.

Forma non informat totum. ibidem litera E.

Forma in ſuppoſito non denominatur vltimate ab actione ſua. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. litera I.

Forma eſt terminus mutationis, ſeu alterationis, non generationis. diſt. 3. quæſt. 6. art. 9. lit. F.

G.

Gaudium.

GAVDIVM, & triſtitia ſunt paſsiones naturales, conſequentes actus voluntatis. diſt. 15. q. vnic. art. 5. lit. D.

Gaudium, & triſtitia non ſunt per ſe in poteſtate voluntatis. ibid.

Generabile.

Generabile vniuocè, non poteſt generari æquiuocè, niſi ſit valde imperfectum. diſt. 2. q. 5. art. 1. lit. L.

Generans.

Generans generat rem aliam à ſe ipſo realiter diſtinctam. diſt. 5. q. 1. art. 1. lit. F.

Generatio.

Generatio eſt perfectior alijs mutationibus, & quare. diſt. 2. q. 4. art. 1. lit. O.

Generatio ad diuina transfertur, & quomodo. ibid.

Generatio in creatis, & eſt mutatio, & eſt productio. ibid. art. 2. lit. L. & diſt. 5. q. 2. art. 1. lit. P.

Generatio, vt eſt productio, reperitur in diuinis. ibid.

Generatio æquiuoca datur in accidentibus, & ſubſtantijs. ibid. quæſt. 5. art. 1. litera F. & G.

Generatio eſt via de non eſſe ad eſſe. diſt. 3. q. 6. art. 9. lit. D.

Generatio ſimpliciter eſt in ſubſtantia, ſecundum quid in accidentibus. ibid. lit. E.

Generatio, vt eſt productio, terminatur ad productum. diſt. 5. q. 2. art. 1. lit. L.

Generationi accidit, vt fiat cum mutatione. ibid.

Generatio datur in Deo ſine imperfectione. ibid. lit. Q.

Generatio in diuinis tantùm petit terminum totalem, vel formalem. ibid. & art. 2. lit. C. & art. 3. lit. I.

Generatio in diuinis, nec petit materiam, nec quaſi materiam. ibi. art. 2. lit. C. & art. 3. per totum.

Generationis diuinæ termini, ſunt ſolùm producens, & productum. ibidem articul. 3. litera I.

Generationis termini, vt eſt priuatio, ſunt priuatio, & forma. ibid. lit. L.

Generatio eſt opus naturæ. diſt. 6. q. vnic. art. 2. lit. D.

Generatio in diuinis dicitur medium inter extrema. diſt. 7. q. vnic. art. 2. lit. K.

Generatio prius diſtingit, quàm aſsimilet quomodo intelligatur. ibid. art. 5. lit. N.

Generatio perfectiùs aſsimilat, quàm diſtinguat. ibid. art. 7. lit. E.

Generatio æquiuoca petit principiũ perfectiùs, quàm forma terminans eam. ibidem lit. D. & E.

Generatio diuina eſt vniuoca. ibid.

Generatio diuina eſt æterna. diſt. 9. q. vnic. art. 1. lit. D.

Generatio diuina non eſt mutatio. ibid.

Generatio creata non poteſt eſſe æterna. ibidem.

Generatio ſucceſsiuorum dicit perfectionem, & imperfectionem. ibid.

Generatio permanentium dicit perfectionem, & imperfectionem. ibid.

Generatio actiua, & paſsiua, & ſpiratio actiua ſtant ſimul: non vero generatio actiua, & paſsiua. diſt. 13. q. vnic. art. 2. lit. F.

Generatio increatis dicitur naturalis ex principio paſsiuo. ibid. art. 10. lit. H.

Generatio Verbi diuini non eſt mutatio. ibidem.

Generatio diuina, an ſit diuina. ibid. artic. 11. lit. K.

Generatio eſt talis, vel talis, ex termino formali. diſt. 26. q. vnic. art. 3. lit. M.

Generatio diuina non poteſt eſſe ſecunda productio. ibid. art. 9. lit. P.

Generatio in creatis petit tria inſtantia naturæ. diſt. 27. q. 2. art. 2. lit. D.

Generatio in creatis, formaliter eſt mutatio. ibid. lit. F.

Generatio Verbi diuini non eſt involuntaria, & tamen Verbum non elicitur à voluntate. diſt. 6. q. vnic. art. 2. lit. H.

Genitum.

Genitum ſumitur triplicitor. diſt. 28. q. 1. art. 1. lit. D.

Genus.

Genus dicit conceptum alium à conceptibus ſpecierum. diſt. 3. q. 3. art. 3. lit. M.

Genus non prædicatur in quid de vltimis differentijs. ibid. art. 5. lit. C.

Genus nullum poteſt eſſe indifferens ad finitum, & infinitum. diſt. 8. quæſt. 3. art. 4. lit. H.

Genus ſumitur à realitate potentiali ad realitatem, à qua ſumitur differentia. ibid.

genus

Genus & differentia accipiuntur ab alia, & alia re, vel ab alia, & alia realitate. ibidem lit. I.

Genus generaliſsimum ex ſe non petit habere ſub ſe plures ſpecies; ſed non habere aliud ſuperueniens genus. ibidem articulo 5. lit. E.

Geometria.

Geometria, vt ſic, non vtitur pro principijs per ſe notis; niſi illis, quæ ſunt euidentia ex confuſo conceptu terminorum. diſt. 3. quæſt. 2. art. 2. lit. F.

Geometria nō curat, ad quod genus pertinerit ea de quibus agit. ibidem.

Gerundium.

Gerundium, conſtructum cum potentia, notat actum. diſt. 7. quæſ. Vnic. art. 4. lit. C.

H.

Habitus.

Habitus præſupponit naturaliter potentiam. diſ. 3. quæſ. 3. art. 1. lit. D.

Habitus ſcientiæ, reducens intellectum de potentia eſſentiali ad accidentalem, præcedit actum. diſ. 3. q. 6. art. 4. lit F. & G.

Habitus nō omnis dicitur ſpecies intelligibilis. ibidem.

Habitus eſt habilita ex actibus acquiſita. ibid. art. 5. lit. H.

Habitus non eſt terminus intrinſecus actuum, ſed quaſi extrinſecus, & accidentalis. diſ. 3. quæſ. 6. art. 8. lit. D.

Habitus non ponitur præciſè ad patiendū diſ. 3. quæſ. 7. art. 2. lit. L.

Habitus eſt, quo vtimur, cum volumus. ibid.

Habitus habentem perficit, & eius opus bonum reddit. ibidem.

Habitus diuerſorum obiectorum differūt ſpecie. diſ. 3. q. 7. art. 7. lit. N.

Habitus generatur ex actibus. ibidem art. 3. litera K.

Habitus vnius ſpeciei ſpecialiſsimæ poteſt eſſe plurium ſpecierum, quas virtualiter continet. ibidem.

Habitus appetitiui naturaliter generantur, ſicut & intellectuales. diſt. 13. q. vnic. ar. 5. lit. D.

Hypoſtaſis.

Hypoſtaſis nec dat eſſe quidditatiuum, nec entitatiuum. diſtinct. 26. q. vnic. artic. 5. litera M.

poſitum.

I.

Idea.

IDEAE diſtinguuntur ſecundum gradus diuerſos limitationem creaturarum. diſt. 8. q. 4. art. 1. lit. K.

Idea habet eſſe prius, eſſe reali ideati. diſ. 13. q. vnic. art. 4. lit. L.

Idea dicitur idea, & ideata dicuntur artificialia reſpectu Dei. ibidem.

Idem.

Idem, & aliud, etſi ſint oppoſita, non prædicantur de quolibet cum reduplicatione. diſt. 2. q. 7. art. 2. lit. F.

Idem, & diuerſum non ſunt immediata circa quodcunque prædicatum, dictum per ſe de ſubiecto. ibid. art. 4. lit. F.

Identitas.

Identitas formalis quid ſit. diſt. 2. q. 7. art. 3. lit. C.

Identitas realis eſſentiæ, & relationum, non facit relationes eſſe idem inter ſe. ibid. art. 6. lit. F.

Identitas vera aliquorum facit ea prædicari de alijs ſecundùm aliquam realitatem, non vero ſecundùm omnes, quas habent. ibidem lit. K.

Identitas perfecta excludit compoſitionem, & quaſi compoſitionem. diſ. 5. q. 2. art. 5. litera H.

Illuſio.

Illuſio, quomodo, & in quo fiat, declaratur. diſt. 3. q. 4. art. 4. lit. C.

Imaginatiua.

Imaginatiua vtitur ſpeciebus diuerſorū ſenſibilium. diſ. 3. q. 1. art. 5. lit. C.

Imaginatiua, conſeruans ſpecies ſenſibiles ſecundùm diuerſitatem humorum capitis, apprehendit res, quarum ſunt ſimilitudines. diſ. 3. q. 4. art. 7. lit. C.

Imago.

Imago eſt ſimilitudo totius. diſt. 3. q. 5. art. 1. lit. D.

Imago diuerſimodè vſurpatur ab Auguſt. diſ. 3. q. 7. art. 1. lit. M.

Imago eſt repræſentatiuum totius imaginati, per quod diſtinguitur â veſtigio. diſ. 3. q. 9. art. 1. lit. C.

Imago debet imitari id, cuius eſt imago. ibidem.

Imago Trinitatis quid de ea repræſentat. ibidem.

Imago Trinitatis eſt anima noſtra. ibidem art. 2. lit. F. & ſequentibus.

Imago perfectiſsima Trinitatis eſt in anima noſtra, quādo attingit Deū, vt obiectū. ibi

Imago Trinitatis minus perfecta est in anima, quando se habet, vt obiectum. ibid.

Imago Trinitatis, non est anima, quando respicit temporalia. ibid.

Imago Trinitatis non consistit solùm in intellectu, & voluntate nostra, nec solùm in intellectione, & volitione. ibidem artic. 3. litera D.

Imago Trinitatis consistit in intellectu, & voluntate, & in actionibus suis simul. ibid. & lit. D. & E.

Imago dupliciter assignari potest, secundum August. ibid. art. 4. lit. C.

Imago in anima non includit quaternitatem. ibid. & lit. D.

Imago Trinitatis non est in nobis, quatenus vna persona originatur ab alia. ibid. art. 5. lit. C.

Imago Trinitatis quoad originationem saluatur in anima, secundum ordinem tantum. ibid. lit. C. & D.

Imago Trinitatis in nobis non datur in parte sensitiua. ibid. art. lit. C.

Imperfectio.

Imperfectio nunquam est ratio producẽdi. dist. 2. q. 4. art. 1. lit. H.

Imperfectius.

Imperfectius, via generationis, est prius, quàm perfectius. distinct. 3. quæst. 2. artic. 3. lit. B. & C.

Imperfectum.

Imperfectum non est immediatè producibile, nisi ab imperfecto. dist. 2. quæst. 4. art. 5. lit. D.

In.

In præpositio capitur quadrupliciter. dist. 3. q. 4. art. 6. lit. E.

Incommunicabile.

Incommunicabile abstrahit ab absoluto, & respectiuo. dist. 26. quæst. vnic. art. 7. lit. I.

Independentia.

Independentia arguit perfectionem. dist. 3. q. 6. art. 5. lit. E.

Indeterminatio.

Indeterminatio negatiua est repugnantia ad determinari, & est aliquo modo maior, quam priuatiua. dist. 3. q. 2. art. 4. lit. F.

Indeterminatio est duplex. dist. 3. q. 7. art. 4. lit. N.

Indeterminatio alia est potentiæ actiuæ, alia potentię passiuæ. d. 7. q. vnic. art. 3. lit. D.

Indeterminatio potentiæ actiuæ non est ad contradictoria, bene tamen ad disparata. ibidem.

Indeterminatio est duplex. d. 8. q. 5. a. 2. l. I.

Indeterminatum.

Indeterminatum determinatur se ipso. dist. 7. q. vnic. art. 3. lit. D.

Indeterminatum ad duos effectus naturaliter, est ex se determinatum ad primum illorum. ibid. lit. E.

In diuiduum.

In diuiduum eiusdem speciei non requirunt causam totalem, diuersam specie. dist. 3. q. 7. art. 7. lit. N.

Indiuiduum includit aliquam perfectionem, quàm non includit commune. dist. 8. q. 3. art. 6. lit. E.

Infinitas.

Infinitas obiectorum cognitorum arguit infinitatem potentiæ. dist. 3. q. 1. art. 1. lit. O.

Infinitas Dei non est cõmunicabilis creaturis. ibid. art. 4. lit. E.

Infinitas non tollit distinctionem formalem in Deo. dist. 5. q. 2. art. 5. lit. H.

Infinitas in Deo est ratio identitatis. dist. 8. q. 4. art. 5. lit. D.

Infinitas addita alicui, non variat eius rationem formalem. dist. 13. quæst. vnic. art. 10 litera F.

Infinitas addita enti limitato, est infinitas secundum quid. ibid. lit. P.

Infinitas addita perfectioni simpliciter, est infinitas simpliciter. ibid.

Infinitas est modus intrinsecus Dei, & non eius passio. distinct. 3. quæstione 1. art. 4. lit. C.

Infinitum.

Infinitum potentia est ignotum. dist. 3. q. 1 art. 1. lit. O.

Infinitum potentiale potest ab intellectu infinito cognosci. ibid.

Infinitum intensiuum cognitum, non arguit infinitatem actus, seu potentiæ cognoscentis. ibidem.

Infinitum potest repræsentari per finitũ, sicut, & immutabile permutabile: & è contra. dist. 3. q. 4. art. 1. lit. K.

Infinitum non datur in aliquo genere, & qua re. dist. 8. q. 3. art. 7. lit. D.

Infinitum, aliud est à se, & in se tale, aliud in se, sed non à se tale. dist. 13. q. vnic. art. 7. lit. F. & G.

Iefinitum non potest esse possibile, seu non necessarium. dist. 10. q. vnic. art. 3. lit. F.

Ingenitum.

Ingenitum esse, est ex se necesse esse. dist. 2. q. 6. art. 2. lit. F.

Ingenitum dicit priuationem in diuinis. dist. 28. q. 1. art. 1. lit. C. & sequentib.

Inge-

Ingenitum est dictio multiplex. ibid.
Ingenitum capitur quadrupliciter. ibid. litera G.
Ingenitum quomodo dicitur de Patre æterno. ibidem.
Ingenitum est proprietas solius Patris. ibid. art. 2. lit. F.
Ingenitum est notio diuina. ibid.
Ingenitum non clare importat relationē. ibid. lit. I.
Ingenitum, & inspirabile sunt eadem notio. ibid. art. 3. lit. E.
Ingenitum consideratur dupliciter. ibid. litera H.
Ingenitum, vt priuationem dicit, est proprietas Patris. ibid. art. 4. lit. G.
Ingenitum, sicut & relatio, fundatur in essentia diuina ex natura rei. ibid. lit. H.
Ingenitum dicit dignitatem. ibidem litera K. & L.
Ingenitum cōnotat duplicem affirmationem. ibidem lit. I.
Ingenitum non constituit personam Patris. ibid. q. 2. art. 1. lit. E. & I.

Innascibilitas.

Innascibilitas nō dicit aliquam perfectionem simpliciter. dist. 2. q. 6. art. 2. lit. F.
Innascibilitas negationem importat. ibid. litera H.

Intellectio.

Intellectio dicitur voluntaria per participationem. dist. 3. q. 6. art. 5. lit. E.
Intellectio, & volitio non sunt actiones, nec passiones. ibid. art. 7. lit. E.
Intellectio in nobis non est substantia, sed qualitas. ibid. art. 8. lit. C.
Intellectio manet in anima, & non transit extra. dist. 3. q. 7. art. 1. lit. P.
Intellectio est forma, qua recepta in intellectu formaliter intelligimus. ibidem artic 4. litera I.
Intellectio duplicem relationem dicit ad obiectum, nempe, vt ad motiuum, & vt ad determinatiuum. ibid. art. 6. lit. D.
Intellegio respicit obiectum, vt motiuū, relatione secundi modi. ibid.
Intellectio potest respicere obiectum, vt terminatiuum, quin respiciat illud, vt causam. ibidem.
Intellectionis relatio ad obiectum, vt ad causam, non est illi essentialis. ibid.
Intellectionis relatio ad obiectum terminatiuum est ei essentialis, & tertij modi. ibidem.
Intellectio est forma absoluta. ibidem litera E.
Intellectio potest immediatè causari à Deo. ibidem.
Intellectio solùm ad Deum dicit ordinem essentialem, vt ad causam. ibid.
intellectio paritur ab obiecto, & potentia secundum August. ibid. art. 7. lit. F. & art. 8. per totum.
Intellectio actualis in nobis est aliquid habens esse post non esse. ibid. lit. G.
Intellectiones obiectorum specie differētium differunt specie. ibid. art. 7. lit. N.
Intellectio causatur ab obiecto, & intellectu, vt à duabus causis ordinem habentibus. dist. 3. q. 7. art. 7. lit. E.
Intellectio, vt operatio, est actio immanens. ibid. art. 8. lit. H.
Intellectionis causa principalior est intellectus, minus principalis est obiectum. dist. 3. q. 8. art. 1. lit. H.
Intellectio, & volitio aliquo modo sunt in potestate nostra. dist. 3. q. 9. art. 1. lit. C.
Intellectio, & volitio requirunt in nobis principia distincta. ibid.
Intellectio Patris æterni præcedit aliquo modo volitionem ipsius. dist. 6. q. vnic. art. 1. lit. A.
Intellectio, & volitio in Deo seruant inter se ordinem propter duo. dist. 11. quæst. 1. art. 2. lit. E.
Intellectio non est actio alicuius termini productiua. ibid.
Intellectio actualis in Patre æterno, est quasi genita à memoria. dist. 27. quæst. 2. art. 3. lit. H.

Intellectus.

Intellectus habens obiectum actu intelligibile est principium productiuum Verbi. dist. 2. q. 4. art. 1. lit. E.
Intellectus noster, respectu notitiæ genitæ, est in potentia passiua, quæ imperfectionem dicit. ibid. art. 4. lit. D.
Intellectus noster, respectu notitiæ genitæ, est principium productiuum, quod perfectionem dicit. ibid.
Intellectus possibilis est respectiuus notitiæ genitæ. ibid.
Intellectus ponitur in Deo, secundū omnem rationem, quæ imperfectionem non dicit. ibidem.
Intellectus, & voluntas increatis possunt producere operationes sibi adæquatas in ratione operationis: non tamen quoad esse. dist. 2. q. 5. art. 1. lit. I.

Intellectus, & voluntas in diuinis habent operationes ſibi adæquatas quoad eſſe. ibid.

Intellectus, & voluntas habent diuerſos modos principiandi. ibid. art. 2. lit. E.

Intellectus inclinatur ex ſe, dererminate, ad agendum naturaliter. ibid.

Intellectus, & voluntas, vt ſunt principia productiua, poni debent in Deo. ibi. lit. F.

Intellectus comparatur ad ſuas operationes elicitas, & ad operationes aliarum potentiarum, quas dirigit. ibid. lit. O.

Intellectus ſuas operationes naturaliter elicit. ibid.

Intellectus diuinus ſimul cum eſſentia, eſt totale principium immediatum notitiæ genitæ. ibid. art. 3. lit. C.

Intellectus diuinus, & eſſentia ſunt vnum principium per modum naturæ. ibi. lit. D.

Intellectus diuinus non cognoſcit, niſi in tuitiue. diſ. 2. q. 7. art. 2. lit. D.

Intellectus poteſt vnum ab alio abſtrahere, quantumuis ſit commune. diſt. 3. q. 1. art. 1. lit. N.

Intellectus creatus cognoſcit quidditatē ſubſtantias immateriales. diſt. 3. q. 3. art. 1. lit. C. & *D.* & E.

Intellectus cognoſcens naturaliter effectum, naturaliter deſiderat cognoſcere cauſam. ibid. lit. D.

Intellectus non poteſt ſiſtere diu, in conceptu vniuerſali à ſingularibus abſtracto. ibid. art. 2. lit. L.

Intellectus cognoſcit omne, quod præſentat voluntati, ſub illa ratione, qua illud repræſentat. ibid. art. 7. lit. G.

Intellectus ponit differentiam inter bonum, & verum. ibid.

Intellectus intelligit, tàm ſenſibile, quàm intelligibile. ibid. lit. I.

Intellectus cognoſcit bonum ſub ratione boni. ibid. lit. G.

Intellectus noſter pro hoc ſtatu ſolùm intelligit ea, quorum ſpecies relucent in phãtaſmate. ibid. art. & lit. C.

Intellectus inter dormiendum, non vtitur ſpecie intelligibili pro obiecto. diſt. 3. q. 4. art. 1. lit. M.

Intellectus non errat, quando eſt error in phantaſia. ibid.

Intellectus in ſæneticis nullum habet actum. ibidem.

Intellectus, quomodo ſcit ſe non errare in actibus ſuis. ibidem.

Intellectus non poteſt habere ſimul de eodem notitias contrarias. ibid. art. 2. lit. C.

Intellectus, in cognoſcendis primis principijs, non habet ſenſum pro cauſa, ſed pro occaſione. ibid. lit. E.

Intellectus in aliquibus non fallitur, etiã ſi omnes ſenſus fallantur. ibid. art. 4. lit. E.

Intellectus ſimplex, quod intelligit confuſe, poteſt definitiuè cognoſcere. ibid. art. 5. litera F.

Intellectus agentis eſt, omnia facere, & poſsibilis, omnia fieri. ibid.

Intellectus agens, in ratione actiui, non reſpondet poſsibili, in ratione paſsiui. ibid.

Intellectus diuinus producit in actu omnia intelligibilia, & dat eis eſſe tale. diſt. 5. q. 4. art. 5. lit. E. F. & H.

Intellectus, intelligens obiecta producta ab intellectu diuino, intelligit veritates neceſſarias. ibidem.

Intellectus diuinus continet, quaſi liber, veritates neceſſarias. ibid. lit. F.

Intellectus noſter, quomodo dicatur videre in luce æterna. ibid.

Intellectus diuinus eſt cauſa naturalis, reſpectu obiectorum, quæ in eſſe intelligibili producit. ibid. art. 6. lit. H.

Intellectus diuinus prius eſt cauſa, quam voluntas ad cognoſcendas veritates ſinceras. ibidem.

Intellectus agens eſt participatio lucis increatæ, illuſtrans phantaſmata. ibi. art. 7. li. B.

Intellectus in acquirenda ſcientia, reducitur de potentia eſſentiali ad accidẽtalem. diſt. 3. q. 6. art. 1. lit. G. & art. 4. lit. E.

Intellectus per quæ à ſenſibus diſtinguatur. ibidem lit. H.

Intellectus ad intelligendum vniuerſale prius habet ſpeciem intelligibilem. ibi.

Intellectus in ſua operatione non dependet à phantaſia. ibid. lit. L.

Intellectus nõ eſt potẽtia organica, quòd eſt perfectio in illo. ibid. lit. N.

Intellectus eſt locus ſpecierum, quomodo intelligatur. ibid. lit. O.

Intellectus eſt conſeruatiuus ſpecierum. ibidem.

Intellectus, & phantaſia ſunt connexa pro hoc ſtatu, vt oporteat, intelligentem phantaſmata ſpeculari. ibid. lit. P.

Intellectus agens, vt actiuus, non excedit poſsibilem, vt paſsiuum. ibid. art. 3. lit. C.

Intellectus agens agit vniuerſale in actu. ibidem & lit. D.

Intellectus agens eſt potentia mere actiua. ibid.

Intellectus agens facit de non vniuerſali vni-

vniuerſale: & de intellecto in potentia intellectum in actu. ibid. lit. D.

Intellectus ſimul cum ſpecie dicitur memoriã. ibid. art. 4. lit. F.

Intellectus dicitur pati paſsione reali, & intentionali. ibid. lit. L.

Intellectus eſt motus rei ad animam. ibid.

Intellectus eſt in potentia accidentali, ex eo quod non habet ſpeciem intelligibilem. ibid. art. 5. lit. D.

Intellectus ſpecie informatus dicitur potentia eſſentialis. ibid. lit. E.

Intellectus ex duplici neceſsitate conuertitur ad phantaſmata, vt ſuum intelligat obiectum. ibid. art. 6. lit. D.

Intellectus, phantaſia impedita, impeditur ab actione ſua. ibid.

Intellectus, & voluntas creata, per ſe proprie mutantur. ibid. art. 7. lit. E.

Intellectus eſt ſumme diſpoſitus ad quãcunque intellectionem recipiendam. diſt. 3. quæſt. 7. art. 2. lit. L.

Intellectus eſt cauſa ſuperior intellectionis, quam ſpecies obiecti. ibid. art. 3. lit. F.

Intellectus, & eſt actiuus, & paſsiuus: & hoc ſecundo modo, dicitur intelligere actualiter, & habitualiter. ibid. art. 4. lit. I.

Intellectus, quare dicatur eſſe in potentia eſſentiali, & accidentali. ibid. lit. K.

Intellectus paſsibilis nihil eſt eorum, quæ ſunt ante intelligere, quomodo intelligatur. ibidem.

Intellectus, vt cauſa ſuperior, æquiuocè, & virtualiter aſsimilatur intellectioni. ibid. litera M.

Intellectus eſt indeterminatus ad intelligendum, & determinatur per præſentiam obiecti. ibidem lit. N.

Intellectus poſsibilis eſt, quo formaliter ſumus intelligentes. ibid. art. 7. lit. K.

Intellectus eſt cauſa illimitata ad plures intellectiones. diſ. 3. q. 8. art. 1. lit. F.

Intellectus non mouet, niſi motus, quomodo intelligitur. ibid. lit. H.

Intellectus mouet, non motus. ibid.

Intellectus diuinus eſt perfectio ſimpliciter. diſt. 8. q. 4. art. 3. lit. D.

Intellectus eſt in Deo ex natura rei. ibid.

Intellectus diuinus cognoſcit intuitiuè eſſentiam, & omnia, quæ ſunt in ea. ibi. lit. G.

Intellectus actu ſuo non cauſat, niſi relationem rationis. ibid.

Intellectus diuinus aliter ſe habet ad ſua obiecta, quam voluntas ad ſua. ibid. q. 5. art. 1. lit. I.

Intellectus, & voluntas diuina ſunt formaliter infinita. diſt. 13. p. vnic. art. 7. lit C.

Intellectus in quo ordine agendi eſt paſsiuus. ibid. art. 9. lit. C.

Intellectus eſt potentia operatiua, & productiua: primo modo præciſe non fundat relationem realem, niſi in nobis: bene tamẽ ſecundo modo. ibid. art. 10. lit. L.

Intellectus intelligit: quia eſt intellectus. ibid. lit. M.

Intellectus, & intelligere in Deo ſunt idẽ realiter. ibidem.

Intellectus, & intelligere in Deo ſunt æqualiter infinita. ibid. lit. O.

Intellectus quando dicitur diſtrahi, & nõ diſtrahi. diſt. 16. q. vnic. art. vnic. lit. G.

Intellectus, & voluntas in Deo non ſunt attributa, nec intelligere, & velle. diſt. 26. q. vnic. art. 8. lit. H.

Intellectus cognoſcens concluſionem, cognoſcit etiam principia. diſt. 10. q. vnic. art. 4. lit. C.

Intelligere.

Intelligere Patris non eſt cauſa, vel principium elicitiuum actus dicendi Verbum. diſt. 2. q. 5. art. 4. lit. V.

Intelligere Patris eſt operari Patris, & nõ producere. ibid. art. 5. lit. F.

Intelligere eſt pati. diſt. 3. q. 6. art. 4. lit. L. & q. 7. art. 4. lit. I.

Intelligere in Deo eſt perfectio ſimpliciter. diſt. 6. q. vnic. art. 1. lit. E.

Intelligere in Deo diſtinguitur à dicere. ibidem.

Intellectualitas.

Intellectualitas eſt modus intrinſecus eſſentiæ diuinæ. diſt. 26. q. vnic. art. 8. lit. I.

Intentio.

Intentio realis cauſatur immediate à re, vel ab ſpecie repræſentante rem. diſt. 3. q. 7. art. 2. lit. M.

Intentio rationis cauſatur per collationẽ intellectus. ibid.

Intentio ſecunda eſt relatio rationis cauſata per intellectum negotiantem. diſt. 23. q. vnic. art. 3. lit. G.

Inuidia.

Inuidia, quid ſit, optime exponitur. d. 6. q. vnic. art. 2. lit. G.

Iuſtitia.

Iuſtitia, & bonitas idem ſunt. diſt. 3. q. 3. art. 9. lit. D.

Iuſtitia, quæ facit iuſtũ, debet diligi amore efficaci. ibid.

Iuſtitia debet diligi, tanquam regula vitæ humanæ. ibid.

L.

Liberalis.

LIBERALIS eſt ille, qui agit, non expectans reddítionem. diſt. 2. q. 4. art. 4. lit. E.

Libertas.

Libertas ſecum patitur determinationem ad operandum. diſt. 13. q. vnic. art. 9. lit. B.

Libertas, & naturalitas quid importent, & quomodo repugnent eidem. ibi. art. 8. lit. D.

Liberum.

Liberum per participationem eſt in eadem eſſentia cum voluntate. diſt. 3. q. 8. art. 1. lit. G.

Linea.

Linea non eſt infinita in genere quantitatis, & quare. diſt. 8. q. 3. art. 7. lit. D.

Linea recta eſt totum per accidens. ibid.

Linea recta eſt longitudo ſine latitudine, cuius extrema ſunt duo puncta æque protenſa. ibidem.

Linea recta duplicem habet definitionem. ibidem.

Locus.

Locus ab auctoritate nô tenet negatiuè. diſt. 3. q. 7. art. 4. lit. I.

Logica.

Logica nunquam fuit tradita in creaturis de prædicatione, alia formaliter vera, & alia per identitatem. diſt. 8. q. 4. art. 4. lit. K.

Logos.

Logos, Græce, potiûs ſignificat verbum, quâm rationem. diſt. 27. q. 3. art. 1. lit. G.

Lumen.

Lumen non repræſentat, nec eius diſtinctio cauſat diſtinctionem repræſentandi, aut repræſentati. diſt. 3. q. 6. art. 2. lit. D.

Lumen perfectius non repræſentat aliud, ſed repræſentat idem clarius. ibid.

Lumen non repræſentatur, nec repræſentat, ſed eſt, in quo aliquid repræſentatur. ibidem.

Lumen perfectius eſt, in quo repræſentatiuum perfectiùs repræſentat. ibid.

Lumen in medio non eſt actus ſecundus. diſt. 3. q. 9. art. 2. lit. I.

Lumen ſolis in medio eſt ratio gignendi calorem, non vt actio, ſed vt forma. ibidem. litera K.

Lux.

Lux increata eſt ratio cognoſcendi veritates ſinceras. diſt. 3. q. 4. art. 6. lit. F.

Lux increata eſt primum principium entium ſpeculabilium, & finis vltimus rerum practicarum. ibid.

M.

Materia.

MATERIA prima eſt infimum ens. diſt. 27. q. 2. art. 2. lit. I.

Materia prima eſt, ex qua fit res, cum in ſit. diſt. 2. q. 5. art. 1. lit. L.

Materia eſt propter formam: & non è contra. diſt. 3. q. 6. art. 1. lit. N.

Materia eſt pars illius, quod fit ex ipſa. ibid. art. 9. lit. C.

Materia in generatione eſt in potentia ad terminum formalem. diſt. 5. q. 2. art. 1. lit. H.

Materia ſemper includit imperfectionẽ. ibidem. lit. I.

Materia habet annexam priuationem. ibi.

Materia nunquam fuit poſita pro principio. ibidem.

Materia non eſt eadem in generante, & generato. ibid. lit. N.

Materia ſufficiẽter actuatur per vnicam formam. ibidem.

Materia eadem eſt generati, & corrupti, ſed non generantis, & geniti. ibid.

Materia prima habet eſſe aliud ab eſſe cõpoſiti. diſt. 5. q. 2. art. 3. lit. H.

Materia per generationem fit actu aliquid ſuppoſiti geniti. ibidem. lit. I.

Materia de ſe eſt in potentia contradictionis ad formam. diſt. 8. q. 1. art. 3. lit. C.

Materia, & forma nihil recipiunt ab inuicem ad cauſandum. diſtin. 26. q. vnic. art. 9. lit. F.

Materia, & efficiens non coincidunt. d. 3. q. 7. art. 2. lit. Y.

Maxima.

Maxima illa, *quæ ſunt eadem vnitertio, ſunt eadem inter ſe*, exponitur. diſt. 2. q. 7. art. 1. lit. L. & art. 6. lit. F. G. & H. & diſt. 13. q. vnic. ar. 10. lit. K.

Medium.

Medium eſt eiuſdem generis cum extremis. diſt. 7. q. vnic. art. 1. lit. B.

Medium inter extrema ſumitur dupliciter. ibi. art. 2. lit. K.

Memoria.

Memoria fœcunda infinita eſt productiua. diſt. 1. q. 4. art. 1. lit. F. & G.

Memoria in Patre æterno, habens productum adæquatum, non poteſt aliud producere. ibid. art. 4. lit. G.

Memoriæ, vt abſtrahit à finita, & infinita, non conuenit eſſe principium producendi. ibid. art. 5. lit. L.

Memo-

Memoriæ finitæ conuenit esse principiũ producendi. ibid.

Memoria in Patre est principium productiuum, quo in actu primo producit, vt in actu secundo, Filium. dist. 2. quæst. 5. art. 4. lit. C. & art. 5. lit. E.

Memoria, & intelligentia in Patre, aliquo modo distinguuntur. ibid. art. 5. lit. M.

Memoria sumitur tripliciter. distin. 3. q. 6. art. 4. lit. F.

Memoria cõtinet multa habitualiter cognita. ibid. lit. K.

Memoria magis repræsentat Patrem, quã Filium. dist. 3. q. 9. art. 2. lit. H.

Metaphysica.

Metaphysica quem ordinem seruat in inquisitione de Deo. dis. 3. q. 1. art. 2. lit. E.

Metaphysica est vltima in ordine doctrinæ. dis. 3. q. 2. art. 1. lit. D.

Metaphysica est prima scientia, secundũ ordinem sciendi distinctè. ibid. art. 2. litera B. & C.

Metaphysica est Theologia de Deo. dis. 3. q. 1. art. 1. lit. E. & G.

Metaphysica principalius est de substantia, quam de accidente. ibid. lit. G.

Missio.

Missio adextra connotat productionem adintra. dist. 14. q. vnic. art. 1. lit. E.

Missio, secundum August. quid sit. ibidem art. 2. lit. G.

Missio passiua visibilis, est cum signo sensibili cognosci. dist. 16. q. vnic. art. vnic. li. D.

Missio passiua non conuenit Patri. dist. 14. q. vnic. art. 1. lit. E.

Mittere.

Mittere tantũm conuenit personæ producenti, & mitti personæ productæ. d. 14. q. vnic. art. 1. lit. E.

Mittere, seu mitti non est commune tribus personis: benè tamen dare est eis commune. ibid. & lit. G.

Mittere quomodo conueniat Spiritui sancto. ibid. art. 2. lit. F.

Modus.

Modus intrinsecus non dicit realitatem perficientem. dis. 8. q. 3. art. 4. lit. L.

Modus prædicandi in diuinis est duplex. ibid. art. 5. lit. F.

Motus.

Motus est necessarius ad inducendam formam perfectam. dis. 27. q. 1. art. 5. lit. E.

Motus vnitas concludit naturæ vnitatem. dist. 2. q. 5. art. 1. lit. G.

Motus non est ens necessarium, licet necessario fiat. dis. 8. q. 5. art. 3. lit. I.

Motuum differentium specie sunt termini specie differentes, quomodo sit verum. ibid. lit. O. & dist. 13. quæst. vnic. art. 1. litera C. & D.

Motus est per se mobilis. dist. 3. q. 6. art. 9. litera F.

Motus, qui est ad formam non actiuam, non est ab agente vniuoco. dist. 3. q. 7. art. 2. litera S.

Motus dum est, non est terminus motus. dist. 5. q. 2. art. 3. lit. F.

Motus rectus, & circularis sunt alterius rationis, dis. 7. q. vnic. art. 7. lit. M.

Motus circularis non potest fieri in instanti. dis. 8. q. 5. art. 4. lit. G.

Mouens.

Mouens primum est infinitæ potentiæ. d. 8. q. 5. art. 4. lit. E.

Mouens, & motum, non repugnant esse in eadem natura, & in eodem supposito. dis. 3. q. 7. art. 2. lit. Z.

Mutabile.

Mutabile potest immutabile repræsentare. dis. 3. q. 4. art. 1. lit. I.

Mutatiõ.

Mutationis imperfectio vnde sumatur. d. 2. q. 4. art. 1. lit. O.

Mutatio quid requirat. ibid. art. 2. lit. L.

Mutatio datur proprie ad operationes intellectus, & voluntatis. dist. 3. q. 6. art. 7. lit. E.

Mutatio est per se mutabilis. ibidẽ. art. 9. litera F.

Mutatio formaliter est actus mutabilis, quod de priuatione transit ad formam. dist. 5. q. 2. art. 1. lit. P.

Mutatio concomitatur productionem in creaturis. ibidem.

Mutatio potest esse sine productione, & è contrà. ibidem.

Mutatio ex se dicit imperfectionem, & in agente, & inmutabili. ibid. lit. Q.

N.

Natura.

NATVRA creata non potest communicari, nisi communicatione vnius rationis, à supposito illius naturæ. dist. 2. q. 5. art. 1. lit. H.

Natura diuina, in quantum natura communis, non determinat sibi numerum suppositorum: nec etiam in quantum principiũ producendi. ibid. art. 2. lit. H.

Natura non se habet ad suppositum, sicut vniuersale ad singulare. d. 2. q. 7. art. 1. lit. F.

Natura non ſe habet ad ſuppoſitum ſicut *quo* ad *quod*. ibid.

Natura eſt *quo* habens propriũ *quod*, quod non eſt ſuppoſitum. ibid.

Natura diuina eſt ratio principiandi cõmunis multis. diſt.10.q.vnic.art.1.lit.F.

Natura quælibet eſt communicabilis pluribus, vt quod, & vt quo. ibid.lit.F.

Natura diuina eſt communicabilis pluribus, ſine diuiſione. ibid.lit.G.

Natura quælibet eſt perfectio ſimpliciter. ibidem.

Natura intellectualis non eſt veſtigium, & imago Dei ſicut aliæ creaturæ, diſ.3.q.5. art.1.lit.H. & I.

Natura intellectualis repræſentat Trinitatem. ibidem.

Natura nobilior ſemper dignificanda eſt dũm non adeſt repugnantia. diſt.3.q.6.art. 6.lit.S.

Natura, & proprietas indiuidualis ſunt adinuicem perfectiores, & imperfectiores. diſt.5.q.2.art.5.lit.E.

Natura diuina dicitur in diuinis quadrupliciter. diſ.10.q.vnic.art.1.lit.E.

Natura diuina determinatur per intellectum. ibid.lit.F.

Naturalitas.

Naturalitas, & libertas, quid importent, & quomodo eidem principio conuenire nequeant. diſ.13.q.vnic.art.8.lit.D.

Neceſſarium.

Neceſſarium eſt cõditio neceſſaria in quolibet ente. diſ.2.q.4.art.1.lit.K.

Neceſſarium, ex ſe, duplex genus cauſæ importare poteſt. ibid.art.2.lit.G.

Neceſſarium, ex ſe formaliter, non poteſt non eſſe. ibidem.

Neceſſarium, & æternum, forte non dicũt niſi negationem imperfectionis. diſt.3.q.1. art.2.lit.X.

Neceſſarium ex ſe non poteſt mutari. diſ. 30.q.2.art.2.lit.E.& I.

Neceſſe.

Neceſſe eſſe habet, ex ſe, eſſe actualiſsimũ diſ.2.q.7.art.1.lit.M.

Neceſſe eſſe eſt ex ſe indiuiſibile. ibid.art. 5.lit.D.

Neceſſe eſſe in diuinis eſt vnicum radicale, & à ſe. ibid.art.5.lit.F.

Neceſſe eſſe formaliter ſunt plura in Deo ex ſe, licet ab alio. ibid.

Neceſsitas.

Neceſsitas formalis pluribus conuenit in diuinis, quàm infinitas. diſ.2.q.7.art.5.lit.F.

Neceſsitas nõ eſt in Deo, quatenus Deus cauſa. diſt.8.q.5.art.1.lit.P.& ſeq.

Neceſsitas repugnat omni reſpectui ad poſterius. ibid.lit.Q.

Neceſsitas eſt conditio exiſtẽtiæ. ibidem art.3.lit.N.

Negatio.

Negatio non cognoſcitur, niſi per affirmationem. diſ.3.art.1.lit.F.

Negatio non eſt formaliter perfectio. d 8.q.1.art.1.lit.G.

Negatio eſt vnius rationis: quia opponitur affirmationi vnius rationis. d.23.q.vnic art.1.lit.G.& art.2.lit.C.

Negatio in genere differt à negatione extra genus, & à priuatione. ibid.lit.H.

Negatio extra genus non requirit ſubiectum. ibidem.

Negatio in genere requirit ſubiectum, nõ tamen aptum. ibidem.

Negatio eſt entitas negatiua ex natura rei & non ens rationis. ibid.art.3.lit.I.

Negatio eſt duplex, in genere, & extra genus. diſt.28.q.1.art.1.lit.E.

Negatio, & priuatio in quo differunt. ibid.lit.F.

Negatio penes affirmationem attẽditur. ibid.q.2.art.1.lit.G.

Nomen.

Nomen verbale non ſignificat principiũ agendi, niſi ſit natum denominare ſuppoſitum actiuum. diſ.12.q.1.art.5.lit.D.

Nomen ſignificans aliquid, quod alicui ſoli conuenit, dicitur propriſsime nomen huic. diſ.22.q.vnic.art.3.lit.E.

Nomen proprium quid ſit. ibid.

Nomen quadrupliciter vti poſſumus. ibi.

Nomen ab alia ratione habet imponi, & ab alia, cui imponitur. ibid.lit.L.

Nomen quodlibet eſt ſignum finitum. ibi. art.4.lit.F.

Nomen non cauſat notitiam intuitiuam ſui ſignificati. ibid.lit.K.

Nomen tantùm cauſat rememorationem rei prius notæ. ibid.

Nominari.

Nominari poteſt aliquid ab alio dupliciter, vel vt à nomen imponente, vel vt nomine vtente: & vtrunque adhuc dupliciter, perfectè, & imperfectè. diſt.22.q.vnic.art.3. lit.E.

Notio.

Notio in diuinis ſextuplex numerari poteſt. diſt.28.q.1.art.3.lit.E.

Notio non requirit dicere proprie dignita-

nitatem. ibidem litera G.

Notitia.

Notitia genita est de ratione Verbi, declarátiua vero, non solùm Verbi, sed notitiæ ingenitæ. dist. 2. q. 5. art. 5. lit. K.

Notitia confusa non potest esse principium elicitiuum notitiæ distinctæ. ibid. art. 6. litera N.

Notitia abstractiua est aliquo modo imperfecta: & ideò non reperitur in Deo. dist. 2. q. 7. art. 2. lit. D.

Notitia intuitiua est obiecti in se præsentis in existentia actuali, vel in alio eminente continente entitatem ipsius. ibid.

Notitia est duplex, habitualis, & virtualis & quid vtraque sit. dist. 3. q. 2. art. 3. lit. C.

Notitia principij est immutabilis à veritate in falsitatem. dist. 3. q. 4. art. 4. lit. E.

Notitia causatur à cognoscente, & cognito. dist. 3. q. 6. art. 7. lit. D.

Notitia non per se generatur, sed tantùm intellectus noscens. ibid. art. 9. lit. D.

Notitia est terminus alterationis, & mutationis. ibid. lit. F.

Notitia confusa, & distincta eiusdem obiecti, sunt eiusdem rationis. dist. 3. q. 7. artic. 3. litera F.

Notitia, & volitio, sunt qualitates absolutæ. ibid. q. 9. art. 2. lit. I.

Notitia, & volitio, non causantur per actionem, & passionem. ibid.

Notitia, & volitio sunt actus secundi. ibi.

Notitia genita in nobis est accidens, non habens fœcunditatem ad producendum amorem. ibid. art. 5. lit. C.

Notitia intuitiua distinguitur ab obiectis vt existentibus à parte rei. dist. 8. quæst. 4. art. 4. lit. G.

Vide verbum, *cognitio, verbum, conceptus, intellectio.*

Nullus.

Nullus, vt est signum, includit negationẽ, & distributionem. dist. 4. q. 2. art. 1. lit. F.

Numerus.

Numerus simpliciter non datur in diuinis. dist. 24. q. vnic. art. 1. lit. C.

Numerus pro conceptu potest poni in diuinis. ibid. lit. D.

Numerus tria requirit. ibid. art. 2. lit. E.

Numerus inter quæ reperiri potest, & inter quæ non, ibid. lit. F. & G.

Numerus secundùm quid, & cum aliqua additione, potest in Trinitate reperiri. ibid. & litera L.

Numerus est triplex. ibid. lit. I.

Numerus est in Angelis. ibid. lit. K.

O.

Obiectum.

OBIECTVM, vt est in memoria, producit se, vt est in intelligentia. dist. 2. q. 4. art. 1. lit. I.

Obiectum cum intellectu causat conceptum sui proprium, & omnium, quæ in se virtualiter includit. dist. 3. q. 1. art. 2. lit. I. & sequentibus.

Obiectum indeterminatum est duplex, negatiuè, & priuatiuè, & illud est magis determinatum, quàm istud. dist. 3. q. 2. art. 4. lit. E.

Obiectum indeterminatum negatiuè est singulare. ibid. lit. F.

Obiectum perfectiùs intelligibile potest intelligi à nobis, aut simpliciter, aut secundùm proportionem. ibid. lit. G.

Obiectum priùs cognoscibile â nobis secundùm proportionem, est perfectius sensibile efficacius mouens sensum. ibid. lit. G.

Obiectum primum habitus continetur sub obiecto primo potentiæ. dist. 3. q. 3. art. 1. lit. D.

Obiectum, & potentia non proportionãtur in modo essendi, sed vt motiuum, & mobile, & ita sunt dissimilia. ibid. lit. E.

Obiectum primum adæquatum recipit prædicationem omnium contentorum sub eo. ibid. art. 2. lit. D.

Obiectum naturale potentiæ habet naturalem ordinem ad illam. ibid. lit. E.

Obiectum primum intellectus nostri non potest esse substantia in communi. ibidem litera F.

Obiectum primum primitate virtualitatis non datur penes intellectum nostrum. ibid. art. 6. lit. C.

Obiectum primum intellectus nostri in communi non est vniuocum in quid omni contento sub ipso. ibid.

Obiectum primum intellectus nostri est ens, vt est primum primitate communitatis & virtualitatis. ibid. & lit. D.

Obiectum habitus naturaliter non præcedit obiectum potentiæ. ibid. art. 7. lit. C.

Obiectum primum intellectus nostri non est ens sub ratione veri. ibid. lit. E.

Obiectum potentiæ inferioris continetur sub obiecto potentiæ superioris. ibid. lit. H.

Obiectum intellectus, & voluntatis est idem sub eadem ratione formali. ibid.

Obiectum formale potentiæ non constituitur formaliter per respectum ad ipsam, sed

sed per rationem, qua formaliter dicitur motiuum illius. ibid. lit. K.

Obiectum adæquatum potentiæ adæquatur ei in ratione potentiæ, & nõ pro aliquo statu. ibid. art. 8. lit. C.

Obiectum motiuum intellectus nostri pro hoc statu est quidditas rei sensibilis. ibid.

Obiectum, etsi corruptibile, est immutabile à vera entitate in falsam. dist. 3. q. 4. art. 4. lit. E.

Obiectum immutabile continet notitiam infallibilem, & immutabilem. ibid.

Obiectum in intellectu non est capax alicuius accidentis realis, sed intentionalis tantùm. ibid. art. 5. lit. F.

Obiecta secundaria intellecta à diuino intellectu, sunt veritates necessariæ, immutabiles, & etiam sunt lux. ibid. art. 6. lit. E.

Obiecta secũdaria intellectus diuini sunt veritates æternæ secundum quid. ibidem, & litera G.

Obiectum est prius naturaliter actu intelligendi. dist. 3. q. 6. art. 1. lit. H. & art. 4. lit. E.

Obiectum non est totalis causa productiua speciei intelligibilis. ibid. lit. H.

Obiectum dupliciter est præsens potentiæ. ibidem.

Obiectum est partialis causa actiua intellectionis. dist. 3. q. 7. art. 2. lit. R. & art. 4. lit. H.

Obiectum est motiuum, & terminatiuum notitiæ. ibid. art. 6. lit. D.

Obiectum naturaliter cognitum est causa limitata ad vnam intellectionem. dist. 3. q. 8. art. 1. lit. F.

Obiectum mouens intellectum nostrum pro hoc statu, mouet ad sui cognitionem, & eorum, quæ essentialiter, & virtualiter continet. dist. 8. q. 3. art. 2. lit. G. & dist. 3. q. 8. art. 1. lit. H.

Obiectum primum intellectus diuini est etiam voluntatis diuinæ. dist. 13. q. vnic. art. 11. litera M.

Obiectum est mouens non motum. ibid.

Omnipotentia.

Omnipotentia Dei nõ potest habere obiectum possibile infinitum. dist. 2. q. 5. artic. 2. lit. F.

Omnipotentia actiua debet poni in Deo. dist. 2. q. vnic. art. 1. lit. F.

Omnipotentia Dei est æqualis tribus personis. ibidem.

Omnipotentia non continet potentiam generandi Patris, nisi largo modo. ibid. litera H. & I.

Operatio.

Operatio est finis, & perfectio operantis. dist. 2. q. 5. art. 5. lit. N.

Operatio perfectissima potentiæ tendit in obiectum primum potentiæ, non primũ primitate adæquationis, sed primitate perfectionis. dist. 3. q. 2. art. 4. lit. K.

Operatio realis non competit [illegible] secũdum quid, nisi virtute alicuius [illegible] simpliciter. dist. 3. q. 4. art. 6. lit. G.

Operatio immanens assimilatur actioni, sed non est actio. dist. 3. q. 6. art. 7. lit. F.

Operatio immanens est actus secundus, & terminus actionis. ibid.

Operatio immanens est qualitas de genere qualitatis. ibid. art. 8. lit. C.

Operatio immanens est vltima perfectio naturæ absolutè operantis. ibid.

Operatio vitalis non est à non viuo. dist. 3. q. 7. art. 1. lit. N.

Operatio vitalis partialiter est à non viuo ibid.

Operatio in Deo distinguitur à productione. dist. 6. q. vnic. art. 1. lit. E.

Operatio præsupponit obiectum suum. ibidem.

Oppositio.

Oppositio in relatiuis debet esse respectu eiusdem. dist. 18. q. vnic. art. 1. lit. I.

Ordo.

Ordo datur in intellectione diuinarũ personarum. dist. 2. q. 4. art. 2. lit. I.

Ordo confuse concipiendi est prior, ordine distinctè concipiendi. dist. 3. quæst. 2. art. 2. lit. D.

Ordo dicit respectum ad operationem. dist. 3. q. 5. art. 2. lit. D.

Ordo generationis, & perfectionis in creaturis, sunt contrarij. dist. 5. q. 2. art. 6. lit. C.

Ordo generationis, & perfectionis in diuinis simul concurrunt. ibid.

Ordo idem non seruatur inter Patrem generantem, & spirantem, & inter Patrem spirantem, & Filium spirantem. dist. 12. q. 2. art. 2. lit. D.

Ordo prioris, & posterioris datur in diuinis ad intra. dist. 13. q. vnic. art. 12. lit. H.

Ordo naturæ, perfectionis inæqualis, necessarius est ad maximam perfectionem cõposibilem, non tamen simpliciter. dist. 19. q. 1. art. 4. lit. E.

Ordo originis stat cum perfectione, non tamen ordo inæqualitatis. ibid. lit. F.

Ordo naturalis imperfecti ad perfectum est per medium. dist. 3 q. 1. art. 1. lit. F. & G.

Passio

P.

Paſsio.

PAssio quælibet includitur primo in ſubiecto. diſt. 3. q. 1. art. 1. lit. G.

Paſsio prædicatur de ſubiecto per ſe ſecundo modo. diſt. 3. q. 3. art. 4. lit. E.

Paſsiones entis, tã ſimplices, quãm diſiunctæ, ſunt tranſcendentes. diſ. 8. quæſt. 3. art. 5. litera E.

Pars.

Pars capitur tripliciter. diſ. 8. quæſt. 2. art. 1. lit. G.

Participare. Participatio.

Participare eſt, partem capere: & duplicem relationem dicit, nempe, partis ad totum, & capientis ad captum. diſ. 8. q. 2. art. 1. lit. F.

Participatio eſt relatio in ente participato. diſ. 3. q. 5. art. 4. lit. N.

Participium.

Participium ſignificat actum vt infieri, & conſignificat tempus. diſ. 12. q. 1. art. 5. lit. H.

Pater.

Pater æternus formaliter eſt memoria, intelligentia, & voluntas. diſ. 2. q. 5. art. 5. lit. K.

Pater in diuinis habet entitatem communicabilem, & entitatem incommunicabilẽ. diſ. 2. q. 7. art. 2. lit. D.

Pater æternus generat Filium, in quantũ habet rationem memoriæ, diſ. 1. q. 9. a. 2. li. G.

Pater æternus eſt fœcundus ad generandum, & ſpirandum. ibid. art. 4. lit. B.

Pater æternus nihil habet per productionem Filij, quod antea non habuerit. ibidem. litera C.

Pater æternus communicat Filio eandem fœcunditatem ad producendum Spiritum Sanctum. ibid.

Pater in Deitate eſt alius à Filio, eſt propoſitio falſa. diſ. 4. q. 1. art. 1. lit. E.

Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt Deitas, eſt verum identice, non veroformaliter. diſ. 4. q. 2. art. 2. lit. B.

Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt Deus, verum eſt formaliter. ibid.

Pater ſumitur ſubſtantiuè, & adiectiuè. diſ. 5. q. 1. art. 4. lit. I.

Pater increatis per actum decidendi ſemen, dicitur formaliter Pater. diſ. 5. q. 2. art. 4. lit. I.

Pater generat Filium de ſubſtantia ſua. ibid. lit. K.

Pater, quia generat, formaliter eſt Pater. diſ. 5. q. 1. art. 1. lit. F.

Pater æternus eſt beatus intellectione, & volitione. diſ. 6. q. vnic. art. 1. litera E.

Pater æternus gignit Filium volens. ibid. lit. G. & H.

Pater æternus in primo ſigno intelligit, & vult ibid.

Pater æternus generat volens, voluntate antecedente, & conſequente. ibid.

Pater per eſſentiam ſuã intelligit, & vult omnia. ibid.

Pater prius eſt beatus, quàm generet. ibi.

Pater non generat per voluntatem, tanquam per principium productiuum. ibidẽ. lit. E. & art. 3. lit. D.

Pater non producit paternitate. diſ. 7. q. vnic. art. 2. lit. F.

Pater eſt principium originatiuum æternitatis Filij. diſ. 9. q. vnic. art. 1. lit. E.

Pater, & Filius ſunt vnum principiũ Spiritus ſancti. diſ. 12. q. 1. art. 1. lit. F.

Pater communicat Filio voluntatem fœcundam. ibid.

Pater, & Filius nectuntur in Spiritu ſancto, tanquam in communi producto. ibidẽ litera G.

Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, in quantum ſunt vnum in vi ſpiratiua. ibid. litera L.

Pater eſt principium totius Deitatis. ibid. art. 4. lit. C.

Pater æternus omnem perfectionem habet à ſe, ante generationem Filij. ibid. lit. E.

Pater, & Filius non dicuntur duo ſpiratores, ſed vnus ſpirator. ibi. art. 5. lit. D.

Pater, & Filius ſunt duo creantes, & vnus creator. ibid. lit. H.

Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes, & vnus ſpirator. ibid.

Pater, & Filius vniformiter ſpirant Spiritum ſanctum. ibid. q. 2. art. 1. lit. G.

Pater ſpirat à ſe, & Filius à Patre. ibid.

Pater, quomodo dicatur principaliter ſpirare. ibid. lit. H.

Pater, & Filius in diuinis ſunt ſimul natura, & cum hoc ſeruant prioritatem originis. diſt. 26. q. vnic. art. 3. lit. L.

Pater excludit eſſentialia, ſed non notionalia. diſt. 28. q. 2. art. 1. lit. K.

Pater eſt in Filio per circuminſeſsionem, ſed non formaliter. ibid. art. 2. lit. I.

Pater æternus conſtituitur relatione paternitatis. ibid. q. 3. art. 1. lit. D. & art. 2. lit. D. & ſequentibus.

Pater conſtituitur per relationem, vt relatio eſt. ibid. art. 3. per totum.

Pater ſecundum eſſentiam dicitur æqualis

Filio

Filio, sed non Pater Filij. dist. 31. q. vnic. art. 3. litera I.

Pater dicit Verbo. dist. 32. q. 1. art. 2. lit. C.

Pater non sapit sapientia genita. ibid. art. 4. lit. C.

Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto principiative. ibid. q. 2. art. 3. lit. G.

Pater, & Filius non diligunt creaturam Spiritu sancto, sicut se diligunt illo. ibidem litera L.

Pater est in Deitate. dist. 5. q. 2. art. 5. lit. G.

Paternitas.

Paternitas est in Patre, sine informatione. dist. 5. q. 2. art. 5. lit. G.

Paternitas est in Deitate, sine informatione. ibidem.

Pelagus.

Pelagus perfectionum, quale est essentia diuina, sumitur dupliciter. dist. 8. quæst. 4. art. 6. lit. C.

Per.

Per præpositio, cum suo casu sumitur dupliciter. dist. 12. q. 2. art. 1. lit. K.

Perfectio.

Perfectio est ratio producendi, non tamē imperfectio. dist. 2. q. 4. art. 5.

Perfectio reperta in creatura principalius reperitur in Deo. dist. 8. q. 4. art. 1. lit. K.

Perfectio, vt est ratio producendi, non est communis finitæ, & infinitæ: sed est perfectio talis, quām necessario concomitatur alia imperfectio, ibid.

Perfectio simpliciter est per se vna. dist. 8. q. 4. art. 3. lit. G.

Perfectio quælibet simpliciter est communicabilis pluribus. dist. 2. q. 7. art. 1. lit. G.

Perfectio simpliciter quid sit. distin. 8. q. 1. art. 1. lit. G.

Perfectio simpliciter, quid sit, explicatur. ibid.

Perfectio aliqua simpliciter potest repugnare alicui creaturæ: & aliqua non. dist. 8. q. 1. art. 1. lit. F.

Perfectio simpliciter est formaliter infinita, & relationibus præintelligitur. dist. 19. q. 1. art. 2. lit. K.

Perfectio simpliciter non, nisi in absoluto consistit. dist. 19. q. 1. art. 4. lit. D.

Perfectio simpliciter non est esse infinita. dist. 8. q. 2. art. 1. lit. F.

Perfectius.

Perfectius non continetur in minus perfecto. dist. 8. q. 3. art. 2. lit. G.

Per se.

Per se, vt determinat propositionem, quo modo accipi potest. dist. 2. q. 7. art. 4. lit. F.

Per se tripliciter sumitur. distin. 7. q. vnic. art. 6. lit. E.

Persona.

Persona relatiua est aliquid, excepto relatiuo. dist. 2. q. 4. art. 2. lit. L.

Persona diuina nihil intrinsecum habet, quod in alia eminenter contineatur. dist. 2. q. 7. art. 2. lit. D.

Persona innascibilis tantùm est vna. dist. 2. q. 6. art. 2. lit. F.

Personæ diuinæ sunt idem cum essentia, & tamen non sunt idem inter se. ibid. art. 6. per totum.

Personæ diuinæ sunt vnum principium omnium rerum. dist. 2. q. 6. art. 2. lit. I.

Persona diuina est simpliciter simplex omnē quasi compositionem excludens. dist. 5. q. 2. art. 5. lit. H. & dist. 8. q. 4. art. 7 lit. C.

Personæ diuinæ includunt relationes, & naturam, in qua subsistunt. dist. 7. q. vnic. art. 7. litera K.

Persona diuina non potest pluribus productionibus produci. dist. 11. q. 2. art. 2. lit. I.

Personæ diuinæ dicuntur tres coæterni, non vero tres æterni. dist. 12. q. 1. art. 4. lit. B.

Persona diuina per nullum respectum ad creaturas constituitur in esse personali. dist. 18. q. vnic. art. 1. lit. C. & H.

Persona vna diuina est in alia. dist. 19. q. 2. art. 1. lit. E. & sequentibus.

Persona diuina, ex eo, quod sit in alia, non est in se. ibid. art. 5. lit. D.

Personæ diuinæ sunt æquales in potentia ad extra. dist. 20. q. vnic. art. 4. lit. E.

Persona quomodo definitur à Richardo. dist. 23. q. vnic. art. 1. lit. D.

Persona, non solùm dicit incommunicabilitatem, sed connotat naturam intellectualem. ibid. lit. F.

Personæ ratio dicit dignitatem, & quomodo. ibid. lit. H.

Personæ conceptus non est vniuocus positiue in quid ad personas diuinas. ibid. art. 2. lit. D.

Persona diuina est terminus produtionis realis, & adoratur. ibid. art. 3. lit. D.

Persona diuina non est secunda intentio, nec dicit aliquam relationem rationis, ibid. lit. G. & sequentibus.

Personæ diuinæ in quo sensu dicātur tres res. ibid. lit. K.

Persona diuina est infinita. dist. 24. q. vnī. art. 1. lit. B.

Persona diuina, vt sic, non dicit relationē pro-

propriam, nec communem. dist. 25. q. vnica art. 1. lit. C.

Persona diuina connotat multa. ibid.

Persona diuina non dicit substantiam secundam, id est, quidditatem. ibi. art. 2. lit. B.

Personæ diuinæ non distinguuntur se ipsis. dist. 26. q. vnic. art. 1. lit. D.

Persona diuina est ita simplex, sicut essentiam, non tamen ita indistincta. ibid. lit. F.

Personæ diuinæ, an constituantur per relationes, an per absoluta, late disputatur. ibi. art. 2. per totum.

Persona quælibet diuina tantùm vno modo habendi habet essentiam diuinam. dist. 5. q. 2. art. 3. lit. E.

Personæ diuinæ per relationes constituũtur. ibid. lit. P.

Persona diuina non dicitur proprie esse de essentia. dist. 5. q. 2. art. 4. lit. L.

Personæ diuinæ in quo sensu dicãtur per origines constitui. ibid. art. 3. lit. H.

Personas diuinas constitui per absoluta, non est fidei repugnans. ibid. art. 4. lit. E.

Personas diuinas constitui per absoluta, non est improbabile, nec vlla ratione improbari potest. ibid. art. 5. per totum.

Personæ diuinæ constituuntur relationibus. ibid, art. 6. lit. G.

Persona sumitur pro formali, & pro materiali. ibid. art. 7. lit. E.

Personas per relationes constitui, non cõtradicit dictis Sanctorum. ibid. lit. D. & E.

Persona abstrahit ab absoluto, & relatiuo. ibid. lit. I.

Persona diuina, Metaphysicè loquendo, non est ens per accidens: bene tamen Logicè. ibid. art. 11. lit. I.

Persona prima diuina non habet esse productum ab essentia. dist. 28. q. 3. art. 4. lit. M.

Persona diuina nullo modo est composita. ibid. lit. N.

Personæ omnes diuinæ declarant ea, quæ sunt in ipsis. dist. 32. q. 1. art. 3. lit. C.

Personæ diuinæ sunt quasi partes Trinitatis. dist. 3. q. 5. art. 3. lit. F.

Personalitas.

Personalitas diuina, reduplicatiuè, est ens, & res. dist. 2. q. 7. art. 2. lit. G.

Personalitas diuina quomodo sit per se essentia, & quomodo non. ibid. art. 4. lit. F. & sequentibus.

Personalitas diuina non est quasi vltima actualitas essentiæ. ibid. art. 5. lit. D.

Personalitas diuina non est formaliter ne necessitas essendi. ibid. & lit. E.

Personalitas diuina non est possibilis. ibi. litera F.

Personalitates diuinæ in nullo communi vniuoco conueniunt: bene tamen in negatiuo. dist. 23. q. vnic. art. 2. lit. D.

Personalitas diuina non dat aliquod esse positiuum. dist. 26. q. vnic. art. 5. lit. M.

Personalitas diuina non perficit essentiã. ibid. lit. O.

Person alitas diuina non facit compositionem cum essentia. ibid. lit. V.

Personalitas creata non facit compositionem cum natura. ibid.

Phantasia.

Phantasia per accidens, coniungitur intellectui ad intelligendum. dist. 3. quæst. 6. art. 1. lit. L.

Phantasia, & intellectus propter colligentiam, pro hoc statu faciũt, vt oporteat intelligentem phantasmata speculari. ibi. li. P.

Phantasma.

Phantasma cum intellectu agonte, habet vicem obiecti mouentis. dist. 3. q. 1. a. 1. li. M.

Phantasma phantasiatur singulare, quando eius vniuersale intelligit intellectus. dis. 3. q. 3. art. 2. lit. L.

Phantasma proprie est singularis speciei specialissime. dist. 3. q. 6. art. 1. lit. K.

Phantasma repræsentat phantasiæ obiectum singulare. ibid. art. 2. lit. C.

Phantasma non potest obiectum sub ratione vniuersalis repræsentare. ibid. lit. D.

Phantasma sensibile repræsentat tantùm confuse, & per accidens. distin. 3. q. 4. arti. 6. lit. H.

Phantasma non causat intellectionem in intellectu. dist. 3. q. 7. art. 2.

Philosophus.

Philosophi naturales multa vident in regulis æternis. dist. 3. q. 4. art. 5. lit. H.

Pluralitas.

Pluralitas omnis reducitur ad tantam paritatem, ad quantam reduci potest. distinct. 2. quæst. 5. artic. 2. litera E. & quæst. 6. artic. 1. litera F.

Pondus.

Pondus, ordo, & mensura, quid significét in creaturis. dist. 3. q. 5. art. 3. lit. E.

Posse.

Posse omne est respectu cuiuscunque possibilis. dist. 2. q. 6. art. 2. lit. K.

Possibile.

Possibile omne in Deo est necessarium. dist. 2. q. 4. art. 1. lit. G.

Posſibile logicum differt à poſsibili reali, ibid.art.2.lit.H.

Poſsibile eſt, quod non includit contradictionem.diſt.2.q.7.art.1.lit.E.

Poſsibile ſumitur multipliciter.diſt.20.q.vnic.art.2.lit.C.

Poſsibile eſt, cuius oppoſitum non eſt de neceſsitate verum.diſt.7.q.vni.art.1.lit.C.

Poſsibilitas.

Poſsibilitas non repugnat formaliter neceſſario.diſt.2.q.4.art.2.lit.H.

Poſsibilitas actiua,& paſsiua,ſecundū Philoſophos repugnat neceſſario ex ſe.ibid.

Potentia.

Potentia realis eſt principium tranſmutā di aliud, vel ab alio, in quantum aliud. diſti. 2. q.4.art.2. lit. H.

Potentia non eſt ad impoſsibile. ibid. art. 3.lit.G.

Potentia prima in quo conſiſtit. ibid.q.5. art.6.lit.I.

Potentia finita non poteſt ſimul habere duos terminos adæquatos in produci.diſt.2. q.6.art.1.lit.G.

Potentia non cognoſcit obiectum, quod ſub ſuo non continetur.diſ.3.q.3.a.1.li.D.

Potentia aliter conſideratur, prout in ſe, & aliter prout eſt ſub actu ſecundo.ibi.lit.F.

Potentiæ diſparatæ tripliciter ſe habent adinuicem.diſt.3. q.3. art.7.lit.H.

Poteptiæ exteriores ligantur in ſomno. diſt.3.q.4.art.7.lit.C.

Potentia cui dicatur habere obiectū præſens.diſt.3.q.6.art.1.lit.N.

Potentia apprehenſiua, vt talis, eſt in potentia ad apprehēdere primo primitate perfectionis, & aliquando primitate generationis.ibid lit.D.

Potentia quælibet apprehenſiua eſt in potentia ad duplicem actum. ibid.

Potentia intellectiua, & ſenſitiua ſunt eiuſdem rationis,licet illa ſit perfectior. ibid. art.5.lit.E.

Potentia neutra conceditur dari. diſt.3.q. 7.art.1.lit.M.

Potentia operatiua, non eſt abſtracta vlti mate.diſt.5.q.1.art.1.lit.G.

Potentia ad accidens fundatur in ſubſtantia actuali.ibid.art.4 lit.L.

Potentia creatiua per ſe ſolam producit. diſt.5.q.2.art.1.lit.I.

Potentia prima effectiua ſe ſola cauſat.ibi. lit.H.& I.

Potentia dicit reſpectum potentialem.di. 3.q.7.art.4.lit.L.

Potentiæ omni actiuæ correſpondet ſua paſsiua,in quo ſenſu ſit verum.ibi.ar.3.li.N.

Potentiæ diſtinguū ur per actus, quomodo ſit verum.diſt.6.q.vni.art.1.lit.I.& L.

Potentia multipliciter dicitur.diſtin.7.q. vnic.art.1.lit.C.

Potentia logica dicit non repugnantiam extremorum. ibidem.

Potentia eſt eiuſdem generis cum actu. ibid.art.2.lit.C.

Potentia ſumitur pro per ſe ſignificato,& pro denominato.ibid. lit.E.

Potentia definitur per actum. diſt. 30.q.1. art.2.lit.L.

Potentia generandi in diuinis dicit relationem.ibid.

Potentia pro denominato ſumitur dupliciter.ibid.

Potentia generandi in Deo,præciſe ſumpta pro fundamento,non eſt relatio.ibi.lit.F.

Potentia ſumitur æquiuocè.ibi.ar.2.lit.C.

Potentia generandi vnum ordinem dicit ad actum,& alterum ad ſuppoſitum. ibi.art. 3. lit.F.

Potentia generandi in Deo, pro fundamento eſt aliquid abſolutum. ibid. art.4.lit. C.& I.

Potentia propinqua requirit approximationem. bid.art.6.lit.E.

Potentia infinita non eſt in magnitudine ſecundūm Ariſtot.quomodo ſit verum.diſt. 8.q.1.art.3.lit.E.

Potentia productiua non habet pro differentijs actiuum,& factiuum.diſt.10. q.vnica art.2.lit.K.

Potentia libera eſt potentia actiua.diſ.13. q.vnic.art.9.lit.C.

Potentia quando dicitur diſtrahi,& adiuuari.diſt.16.q.vni.art.vnic.lit.G.

Potentia logica dicit compoſitionem rationis diſt.20.q.vni.art.1.lit.E.

Potentia ſumitur multipliciter. ibid.

Potentia generandi in Deo non continetur ſub omnipotentia, niſi ſumpta omnipotentia pro principio.ibid. lit.H.& I.

Potentia actiua, & poſsibile obiectiuum ſunt correlatiua, non vero poſsibile ſubiectiuum.ibid.art.2.lit.C.& art.4. lit.E.

Potētia ſumitur pro abſoluto, & pro reſpectu.ibid.

Potentia generādi in Deo dicit ordinem ad poſsibile, quod opponitur neceſſario eſſe à ſe. ibid.

Potententia adextra æqualis eſt in tribus perſonis.ibid.art.4.per totum.

Potentia eadem non eſt actiua ſui actus, & paſsiua reſpectu alterius. diſt. 27. q. 1. art. 1. lit. C.

Potentia paſsiua ſemper dicit imperfectionem, & ideo non ponitur in Deo. diſ. 27 q. 2. art. 2. lit. I.

Potentia ad actum formalem, & actus virtualis non repugnant eidem. diſt. 3. art. 2. litera S. & T.

Prædicatio.

Prædicationes per ſe non conuertuntur. diſt. 3. q. 3. art. 4. lit. E.

Prædicatio entis de ſuis inferioribus, quo modo fiat ſine nugatione. ibid. art. 5. lit. D.

Prædicatio vera in diuinis eſt duplex, formalis, & identica. diſt. 4. q. 2. art. 2. lit. B.

Prædicatio vltimate abſtracti quid requirit, vt ſit vera. diſt. 5. q. 1. art. 4. per totum.

Prædicatio increatis non omni eſt per ſe vel per accidens. ibid. lit. H.

Prædicatio in abſtracto per identitatem nulla datur in creaturis, quæ non ſit formalis diſt. 8. q. 4. art. 4. lit. I.

Prædicatio vera in abſtracto datur in diuinis, & inter quæ prædicata. ibid. art. 5. lit. D. & ſequentibus.

Prædicatio in abſtracto non datur in creaturis. ibid.

Prædicationis primitas eſt propter primitatem terminorum. diſt. 8. q. 5. art. 1. lit. L.

Prædicatio identica eſt prima prædicatio. diſt. 26. q. vnic. art. 1. lit. I. & M.

Prædicatum.

Prædicatū limitatum non dicitur de Deo. diſt. 8. q. 3. art. 5. lit. D. & E.

Prædicatum limitatum neceſſario eſt alicuius generis. ibid.

Prædicata diſtinguuntur ab Ariſtot. propter diuerſitatem problematum. ibidem art. 8. lit. E.

Prædicata omnia non numerantur ab Ariſtot. in 1. Priorum. ibid.

Prædicata, quæ non ſunt formaliter infinita, non prædicantur ad inuicem in abſtracto. diſt. 13. q. vnic. art. 7. lit. E.

Primitas.

Primitas qua aliquid dicitur alicui toti cõuenire ſtat dupliciter. diſ. 19. q. 2. art. 1. lit. I.

Vide verbum, *obiectum.*

Primo.

Primo cognitum actualiter cõfuſe eſt ſpecies ſpecialiſsima. diſt. 3. q. 2. art. 1. lit. E.

Vide verbum, *ens, & obiectum.*

Primo diuerſa quid ſint. diſt. 26. q. vnica art. 1. lit. C.

Principium.

Principium per modum naturæ neceſſario agit. diſt. 2. q. 4. art. 1. lit. G.

Principium neceſſarium, & contingens reducuntur ad vnum. ibid. q. 5. art. 2. lit. G.

Principium productiuũ nullam formaliter imperfectionem dicit. ibid. art. 4. lit. D.

Principia productiua in Deo ſunt tantũ duo. ibid. q. 5. art. 2. lit. E.

Principium producendi magis eſt tale, vbi eſt analogicè, quàm vbi eſt vniuocè. ibid.

Principium productiuum in Deo eſt tantum duplex. diſt. 2. q. 5. art. 2. lit. E.

Principijs practicis in intellectu correſpondet in voluntate volitio, quæ eſt principium bonitatis moralis. diſt. 3. q. 3. ar. 9. lit. E.

Principia prima ſunt omnibus nota, ſicut ianua in domo. diſt. 3. q. 4. art. 1. lit. D.

Principium in Deo eſt vniuocum principio perſonali, & notionali. d. 29. q. v. a. 1. l. D.

Principium *quo* dat perfectionem ſuppoſito. diſt. 12. q. 1. art. 4. lit. E.

Principium non eſt vniuocum eſſentiali, & notionali. ibid. art. 2. lit. C.

Principium agendi non requirit coexiſtẽtiam actionis. diſt. 3. q. 6. art. 5. lit. E.

Principium primum in nullo genere requirit aliud principium concauſans ad principiandum. diſt. 5. q. 2. art. 3. lit. O.

Principium vnius rationis, in diuinis, nõ poteſt habere duas productiones vnus rationis. diſt. 6. q. vnic. art. 2. lit. E.

Principia diſtinctiua non conueniunt tãtũm, quantum conſtituta per illa. diſt. 7. q. vnica art. 7. lit. F.

Principia ſempiternorum veriſsima ſunt, & ſunt cauſa veritatis aliꝭ principijs. diſt. 8. q. 5. art. 3. lit. E. & G.

Principium dicitur multipliciter. diſt. 9. q. vnic. art. 1. lit. E.

Principia per ſe nota cognoſcuntur euidenter, cognitis terminis. d. 2. q. 4. art. 2. li. C.

Principium productiuum eſt duplex, liberum, & naturale, & non datur medium. diſt. 10. q. vnic. art. 2. lit. F. & art. 4. lit. C.

Principium habet quaſi totalem, veritatẽ reſpectu concluſionum. diſt. 8. q. 5. art. 1. li. L.

Principium productiuum Spiritus ſancti eſt idem in Patre, & Filio. diſt. 11. q. 1. art. 2. lit. C. & ſequentib.

Principium conſtitutiuum, eſt etiam diſtinctiuum, ibid. lit. G. & H.

Principium naturale, & liberum quomodo diſtinguuntur. diſt. 13. quæſt. vnic. art. 8. lit. D. & E.

Principium essentiale in diuinis dicit relationem rationis: & personale, realem. dist. 29. q. vnic. art. 2. lit. C.

Prioritas.

Prioritas originis stat cum simultate relatiuorum. dis. 28. q. 3. art. 3. lit. M. & N.

Prioritas originis datur in diuinis, & dicitur prioritas secundum naturalem intelligentiam. ibid. art. 4. lit. F.

Prius.

Prius natura, vt sic, quomodo intelligatur posse esse sine posteriori. dist. 3. quæst. 6. art. 5. lit. E.

Prius secundùm consequentiam, nõ semper est prius secundùm causalitatem. dist. 7. q. vnic. art. 5. lit. O.

Priuatio.

Priuatio non est de essentia alicuius positiui. dist. 8. q. 2. art. 1. lit. D.

Priuatio requirit subiectum aptum natũ. dis. 23. q. vnic. art. 1. lit. H.

Priuatio est duplex, vel secundùm se, vel secundùm genus. ibid.

Priuatio potest multipliciter diuidi. dist. 28. q. 1. art. 1. lit. D.

Priuatio, siue negatio secundùm genus, quomodo detur in diuinis. ibid. lit. G.

Priuatio aliquando non connotat affirmationem, licet non insit sine positiuo. ibid. q. 2. art. 1. lit. L.

Problema.

Problemata diuersa diuersum habent modum, ex diuersitate prædicatorum. dist. 8. q. 3. art. 8. lit. E.

Problema præsupponit aliquid certum, & dubium quærit. ibid.

Producens.

Producens, vt sic, non dicit imperfectionem. dist. 2. q. 4. art. 1. lit. K.

Producens perfectum necessario producit. ibidem.

Producens primum, solùm producit necessario adintra. ibid.

Producens, & productum non se inferũt quoad numerum. ibid. q. 6. art. 1. lit. G.

Producens creatum dicit relationem realem ad formam, & ad totale productum. dis. 5. q. 1. art. 6. lit. D.

Producẽs in diuinis dicit relationem realem ad terminũ realem, non ad formalẽ. ibid.

Producens, & communicans in diuinis non dicunt formaliter eandem relationem. ibid. lit. E.

Producens, & productum non repugnãt in eadem natura. dis. 3. q. 7. art. 2. lit. Z.

Productio.

Productio datur in diuinis adintra. dist. 2. q. 4. art. 1. lit. E.

Productio naturalis est prima productio. ibid. lit. K.

Productionem dari adintra in Deo est de fide. ibid. art. 3. lit. G.

Productiones diuinæ sunt tantùm duæ. d. 2. q. 5. art. 1. lit. F & art. 2. lit. E.

Productio magis conuenit actui primo, quàm secundo. ibid. art. 5. lit. F.

Productio, vt sic, non est perfectio producentis. ibid. lit. N.

Productio diuina probatur esse duplex ab Henrico. ibid. art. 6. lit. E.

Productio diuina probatur esse duplex alio modo. ibid. q. 6. art. 1. lit. E.

Productio increatis non potest dare esse totale termino producto. dist. 5. q. 2. a. 1. li. P.

Productio ponitur in genere, vel in specie ex suo termino formali. ibid. art. 2. lit. E.

Productio diuina manifestatur exemplis. ibid. art. 6. lit. F. & G.

Productiones diuinæ distinguuntur per principia *quo*. dis. 7. q. vnic. art. 2. lit. F.

Productio personarum diuinarũ ad nihil extra comparatur. dist. 8. q. 4. art. 1. lit. K.

Productiones diuinæ seruant ordinem inter se. dist. 11. q. 1. art. 2. lit. C.

Productiones diuinæ inter se distinguũtur. ibid. q. 2. art. 2. lit. I.

Productiones actiuæ in Deo non tanta distinctione distinguuntur, quanta passiuæ. ibid. lit. O.

Productiones diuinæ non sunt motus. di. 13. q. vnic. art. 1. lit. C.

Productiones diuinæ non distinguuntur, per suos terminos. ibid.

Productiones diuinæ per quid â priori distinguantur, ostenditur. ibid. lit. F. & artic. 5. lit. G.

Productiones diuinæ non distinguuntur per relationes. ibid. art. 3. lit. D.

Productiones diuinæ non distinguuntur per relationes rationis. ibid. art. 4. lit. C. & sequentibus.

Productio Spiritus sancti, in re posita non est libera. ibid. art. 5. lit. D.

Productiones diuinæ se ipsis formaliter distinguuntur. ibid. art. 10. lit. E.

Productiones diuinæ non sunt vniuocæ inter se. ibid. art. 11. lit. D.

Productio vniuoca, & equiuoca quid sint. ibid. lit. K.

Pro-

Productio proprie est solius compositi. dist.3.q.6.art.9.lit.F.& art.6.lit.D.

Productum.

Productum idem non potest duabus productionibus totalibus produci.distin. 2.q.6. art.1.lit.E.

Productum,& productiuum in communi possunt abstrahi à pluribus relationibus productis,& productiui.ibid.lit.F.

Propheta.

Prophetæ erant distracti à sensibus in suis reuelationibus.dist.16.q.vnic.art.vnic. lit.G.

Propositio.

Propositio necessaria datur simpliciter in intellectu diuino.dist.3.q.4.art.1.lit.K.

Propositio necessaria secundùm quid datur in intellectu nostro.ibid.

Propositiones contingentes habent ordinem, ita vt vna sit prima,& immediata.ibid. art.4.lit.C.

Propositio est falsa, in qua additur alietas determinabili, quod non est commune suis extremis.dist.4.q.1.art.1.lit.E.

Propositio hæc,*Deus est alius à Deo*, differt ab his, *Deus est alius Deitate*, *Deus est alius in Deitate*.ibid.art.2.lit. E.

Propositio vniuersalis negatiua non contradicit termino supponenti simpliciter,bene tamen supponenti personaliter. dist.4.q. 2.art.1.lit.F.

Proprietas.

Proprietas indiuidualis, vel hypostatica creata non est formalis terminus generationis.dist.5.q.2.art.2.lit.D.

Proprietas indiuidualis est formale respectu naturæ contractæ.ibid.art.5.lit.E.

Proprietas indiuidualis est perfectior natura aliquo modo,& aliquo modo non.ibid.

Proprietas personalis in diuinis est positiua, vel negatiua.dist.28.q.1.art.2.lit.F.

Vide verbum,*personalitas.*

Proprietarius.

Proprietarius est,qui in habendo rem,nullo modo dependet ab alio. dist.12.q.2.art.1. litera H.

Q.

Qualitas.

QVALITAS non est actus, nisi secundū quod per eam actuatum est quale.dist. 5.q.2.art.1.lit.O.

Quantitas.

Quantitas virtutis proprie datur in diuinis.dist.19.q.1.art.2.lit. G.& I.

Quantitas virtutis in Deo est fundamentum æqualitatis.ibidem.

Quantitas molis, & virtutis differunt,ratione identitatis cum subiecto.dist.31.q.vnic. art.1.lit.E.

Quantitas est fundamentum relationis æqualitatis,tàm in Deo,quàm in creaturis.ibi.

Quaternitas.

Quaternitas non datur in diuinis.dist.5.q. 1.art.1.lit. F.

Quaternitas non datur, nisi quartum sit à tribus distinctum.ibid.

Quæstio.

Quæstio *si est* potest fieri de quacunque ente,cuius conceptus nō sit simpliciter simplex.dist.3.q.1.art.1.lit.G.

Quid.

Quid interrogatiuū duo interrogat in quæstionibus.dist.25.q.vnic.art.2. lit. F.

Quid nominis communius est,quàm quid rei. dist.3.q.1.art.1.lit.E.

Quid rei est, quod dicitur per nomen, & includit *si est*.ibidem.

Quidditas.

Quidditas rei cognoscitur virtute intellectus agentis.dist.3.q.4.art.7.lit.B.

Quidditas in phantasmate habet esse secūdum quid,& repræsentatum, & non agit actione reali. dist.3.q.7.art.3.lit. D.

Quidditas creata est, quo aliquid est ens quidditatiuè. dist.5.q.2.art.5.lit.E.

Quidditas,vt quidditas,non dicit imperfectionem.ibid.

Quidditas creata est perfectæ actualitatis, & est d uisibilis,ac contrahibilis per proprietates indiuiduales.ibid.

R.

Raro.

RARO, & vt pluribus fieri, quod fit, exponitur.dist.2.q.5.art.1.lit. M.

Vide verbum,*casualia.*

Ratio.

Ratio agendi,& ratio agentis, inter se differunt.dist.3.q.6.art.4.lit.H.

Ratitudo.

Ratitudo entis non est relatio. dist. 3.q.5. art.4 lit. F.

Ratitudo est id,quo aliquid est ibid.lit.G.

Regulæ æternæ ad cognoscendum, quæ sint.dist.3.q.4.art.6.lit.E.

Reduplicatio.

Reduplicatio quot modis accipitur.dist.3. q.5.art.4. lit. N.

Reduplicatio quomodo sit sumenda.dist. 2.q.7.art.2.lit.E.

Relatio.

Relationes ſecundi modi eidem naturæ limitatæ competere poſſunt. diſt. 2. q. 4. art. 1. litera E.

Relationes producentis, & producti ſunt eiuſdem modi. ibid.

Relationes producentis, & producti non ſe inferunt quoad multitudinem. diſt. 2. q. 6. art. 1. lit. G.

Relatio non cognoſcitur, non cognitis extremis. diſt. 3. q. 4 art. 5. lit. F.

Relatio habet aliquod abſolutum, in quo fundetur. diſ. 3. q. 5. art. 4. lit. M.

Relatio cauſati ad cauſam non eſt de eſſentia cauſati. ibid. lit. O.

Relationes ordinis eſſentialis in aliquo, nõ dicunt aliam, & aliam dependentiam. diſ. 3. q. 6. art. 2. lit. F.

Relationes aliquæ reales oppoſitæ incompoſsibiles ſunt in eadem natura, & ſuppoſito. diſt. 3. q. 7. art. 2. lit. Z.

Relationes aliquæ oppoſitæ incompoſsibiles ſunt in eodem ſuppoſito, ſed non in eadem natura. ibid.

Relationum incompoſsibilitas debet reduci ad aliam priorem. ibid.

Relatio menſurati, & menſuræ non ſola conſtituit tertium modum, ſed alia quæcunque ſimilis. ibid. art. 6. lit. D.

Relationes primi, & ſecũdi modi ſunt penes mutuum, & non mutuum. ibid. lit. F.

Relatio primi, & ſecundi modi poteſt eſſe quandoque realis, quandoque rationis. ibi.

Relatio non eſt de conceptu abſoluti. diſ. 5. q. 1. art. 4. lit. F.

Relatio Spiritus ſancti eſt in Deitate, ſicut, & relatio Filij. diſ. 5. q. 2. art. 1. lit. M.

Relatio non eſt actus, niſi quia per eam aliquid refertur. ibid. lit. O.

Relatio diuina non eſt formaliter infinitæ ibid. art. 2. lit. C. & diſt. 12. q. 1. art. 3. lit. D.

Relatio diuina non facit compoſitionem cum eſſentia, & quare. ibid. art. 5. lit. H.

Relatio diuina eſt actus perſonalis, non quidditatiuus. ibid. lit. I. & art. 6. lit. H.

Relatio diuina eſt per ſe ſubſiſtens, & nata eſſe Deus Deitate. ibid. lit. D.

Relatio æque naturaliter reſpicit ſuum proprium correlatiuum. diſt. 7. quæſt. vnica art. 2. lit. F.

Relatio diuina nõ eſt actus naturę, ſed perſonæ. diſt. 5. q. 2. art. 5. lit. D.

Relationes diuinæ dant eſſe, & tamen nõ dant agere. ibid. lit. G.

Relatio diuina eſt forma ſuppoſiti agentis. ibidem. articulo 3. litera F.

Relatio diuina non continet virtualiter eſſentiam diuinam. ibid. art. 7. lit. E.

Relationes diuinæ non diſtinguuntur proprie genere, aut ſpecie, licet ſint alterius, & alterius rationis. ibid. lit. F.

Relationes diuinæ ſunt ſubſiſtentes. ibid. lit. K.

Relationes diuinæ non includunt formaliter naturam diuinam. ibid.

Relatio non includit in ſe conceptum abſolutum, in quo fundetur. diſ. 8. q. 3. a. 2. li. H.

Relatio Dei ad creaturas eſt tantùm relatio rationis. ibid.

Relatio non poteſt cauſare conceptum abſoluti. ibidem.

Relatio diuina, nec eſt finita, nec infinita. ibid. art. 4. lit. H.

Relationes diuinæ non diuerſificant modum producendi perſonas. diſt. 8. q 4. art. 2. lit. G.

Relatio nulla eſt perfectio ſimpliciter, ibid. art. 3. lit. G.

Relatio non facit per ſe vnum cum abſoluto. ibidem.

Relatio rationis non includitur in Deo. ibidem.

Relatio nulla realis datur communis tribus perſonis. ibidem.

Relatio rationis non facit vnum per ſe cũ ente reali. ibid. art. 4. lit. G.

Relationes diuinæ non prædicantur ad inuicem, & quare. ibid. art. 5. lit. E.

Relatio diuina multiplicat Trinitatem. di. 11. q. 2. art. 2. lit. L.

Relatio diuina diſtinguit à relatione oppoſita, & â diſparata. ibid.

Relatio non intelligitur relatio ſine ordine ad aliud. ibid. lit. N.

Relatio diuina eſt idem realiter cum eſſentia, non vero formaliter. ibi. q. 16. art. 6. li. G.

Relatio nulla rationis præexigitur productionibus diuinis. diſt. 12. q. 1. art. 4. lit. F.

Relatio non diſtinguitur primo, & per ſe à relatione per relationem. diſt. 13. q. vnica art. 3. lit. D.

Relatio realis non eſt perfectio infinita. ibid. art. 4. lit. I.

Relationes, quæ fundantur ſuper vnum, ſunt tres. diſt. 19. q. 1. art. 1. lit. C.

Relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis, in quibus fundentur. ibid.

Relationes oppoſitæ diſquiparantiæ fundantur ſuper relationem communem. ibid. art. 2. lit. L.

Relatio infra ſuum genus non diſtinguitur, niſi per fundamentum. diſt. 25. q. vnica art. 1. lit. D.

Relatio poteſt eſſe terminus formalis generationis. diſt. 26. q. vnic. art. 3. lit. L.

Relatio dicit perfectionem. ibi. art. 5. li. O.

Relatio facit compoſitionem cum fundamento. ibid. lit. V.

Relatio non eſt ad ſe, ſed ad aliud, vt ad terminum. ibid. art. 6. lit. H.

Relationis ſecundi modi aliæ ſunt cõpoſſibiles in eodem ſuppoſitõ, aliæ non. ibidem litera L.

Relationes communes in diuinis ſuppoſunt iam perſonas conſtitutas. ibi. a. 8. li. D.

Relationes diuinæ ſunt ex ſe formaliter incommunicabiles, circunſcripta diuinitate. ibid. art. 9. lit. F.

Relationes oppoſitæ non ſunt æque incõmunicabiles. ibid. lit. O.

Relationes diuinæ conueniunt in conceptu communi reali, licet ſint primo diuerſæ. ibid. art. 10. lit. D. & E.

Relationi reali, & rationis non datur cõceptus communis vniuocus, & quare. diſt. 29. q. vnic. art. 2. lit. C.

Relationes creaturarum ad Deũ ſunt nouæ, & ex tempore. diſt. 30. q. 1. art. 1. lit. H.

Relationes creaturarum non terminantur ad Deum per alias relationes. ibid. art. 2. lit. E. & M.

Relationes creaturæ ad Deum pertinent ad tertium modum. ibid. & d. 9. q. 5. a. 2. li. D.

Relatio creata terminatur ad abſolutum ſui termini. ibid. lit. G. & H. & diſt. 28. q. 3. art. 1. lit. F.

Relatio rationis noua cauſata per noſtrũ intellectum poteſt poni in Deo, non tamen cauſata per intellectum diuinum. ibid. art. 3. lit. C.

Relatio creaturæ ad Deum non pẽdet ex relatione Dei ad ſe. ibid. art. 4. lit. D.

Relatio realis eſt ad terminum realem. ibid. q. 2. art. 1. lit. D. & F.

Relatio Dei ad creaturas in eſſe poſsibili eſt relatio ſecundum quid. ibid. lit. K.

Relatio realis conſurgit ex extremis, ex natura rei. ibid. art. 3. lit. G.

Relatio realis non conſurgit inter Deum, & creaturas. ibid. lit. H.

Relationes ſecundi modi nõ dicuntur ab Ariſt. reales, ſed mutuę, & per hoc diſtinguũtur à relationibus tertij modi. ibid. lit. L.

Relatio realis tria requirit. diſt. 31. q. vnic. in principio.

Relatio diuina eſt in eſſentia, ſicut proprietas ſuppoſiti in natura. diſt. 5. q. 2. art. 3. litera M.

Relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis habent fundamentum reale in diuinis. ibid. art. 1. lit. D.

Relatio quando dicitur actus fundamenti & quando non. ibid. art. 9. lit. H.

Relationes ſimilitudinis, & identitatis in Deo ſunt reales. ibid. art. 4. lit. C.

Relatio, tam ſimilitudinis, quàm identitatis, dupliciter accipitur. ibid.

Relationes originis prius pullulant in eſſentia, quàm relationes communes. ibid.

Relatio diuina eſt in eſſentia veluti in fundamento. diſt. 5. q. 2. art. 5. lit. G.

Relatio ſimilitudinis poteſt eſſe ſine relatione æqualitatis, non è conuerſo. ibi. art. 6. lit. C.

Relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis differunt inter ſe, & quomodo. ibidem.

Relatio realis non datur ſine diſtinctione reali. diſt. 5. q. 1. art. 6. lit. D.

Relatio Dei ad creaturas cõmunis eſt tribus perſonis. diſt. 27. q. 3. art. 2. lit. E.

Relatio rationis cauſatur ex ſola operatione intellectus. diſt. 3. q. 7. art. 2. lit. M.

Relatiuum.

Relatiuum non poteſt ſine termino concipi. diſt. 5. q. 1. art. 5. lit. F.

Relatiua æquiparantiæ quomodo referri dicantur. diſt. 21. q. vnic. art. 1. lit. H. & I.

Relatiua mutua eſſe ſimul, eſt non poſſe eſſe ſine ſe inuicem abſque contradictione. diſt. 28. q. 3. art. 3. lit. M.

Relatiua poſſunt dupliciter referri formaliter, & fundamentaliter. diſt. 31. q. vnic. art. 2. lit. F.

Relatiua oppoſita æqualiter contradictionem includunt. diſt. 2. q. 4. art. 1. lit. L.

Reminiſcentia.

Reminiſcentia mala, cur in pueris, & ſenibus reperiatur. diſt. 3. q. 6. art. 1. lit. O.

Repræſentatio.

Repræſentatio proportionalis in quo cõſiſtat. diſt. 3. q. 5. art. 3. lit. E.

Repræſentatiuum.

Repræſentatiuum repræſentans aliquod obiectum ſub vna ratione, non poteſt illud, nec aliud ſub alia repræſentare. diſt. 3. q. 6. a. 2. lit. C.

Repræſentatiuum eſt priũs in ſe, quàm in tali, vel tali lumine repræſentet. ibidem lit. D.

Repugnantia.

Repugnantia repugnant ex ſuis propriis rationibus. diſt. 2. q. 7. art. 1. lit. F.

Repugnantia maior non facit ſæpe magis diſtinguere, quàm conuenientia maior. diſt. 7. q. vnic. art. 7. lit. F. & G.

Res.

Res abſolutè non ſic ſe habet ad intelligi, ſicut ſe habet ad entitatem. diſt. 3. q. 2. art. 4. lit. H. & q. 3. art. 2. lit. I.

Res vnde dicatur. diſt. 3. q. 5. art. 4. lit. H.

Reuelatio.

Reuelatio exterior non prodeſt ſine reuelatione interiori. diſt. 16. q. vn. art. vn. lit. F.

Reuelatio eſt de ijs, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. ibid. lit. G.

S.

Sapientia.

SAPIENTIA in diuinis dicitur potentia operatiua. diſt. 5. q. 1. art. 1. lit. G.

Sapientia diuina dicitur nata. ibid.

Sapientia in Deo ſtat pro ſuppoſito, non autem eſſentia. ibid.

Sapientia in nobis non eſt eiuſdem rationis cum ſapientia diuina. diſ. 8. q. 1. ar. 2. li. H.

Sapientia creata eſt participatio increatæ. diſt. 8. q. 3. art. 3. lit. E.

Sapientia in nobis eſt perfectio ſimpliciter. ibid.

Sapientia, vt ſic, non eſt ſpecies alicuius generis. ibid. lit. G.

Saturnus.

Saturnus eſt virtualiter frigidus, & tamen non poteſt eſſe formaliter calidus. diſt. 3. q. 7. art. 2. lit. T.

Scientia.

Scientia eſt forma habitualis memoriam perficiens, ſecundum Auguſt. diſt. 2. q. 5. art. 5. lit. L.

Scientia nulla naturalis oſtendit nobis ſufficienter eſſentiam diuinam. diſt. 3. q. 1. art. 3. litera B.

Scientia de Sole eſt vniuerſalis. diſt. 3. q. 5. art. 1. lit. D.

Scientia ſumitur dupliciter. diſt. 3. q. 6. ar. 1. lit. Q.

Scientia eſt vna, quæ eſt vnius obiecti primi. diſt. 3. q. 8. art. 1. lit. L.

Scientia cum gerundio conſtructa notat actum. diſt. 7. q. vnic. art. 4. lit. C. & diſt. 3. q. 6. art. 1. lit. Q.

Scientia non inquirit principia entis abſolutè, ſed alicuius entis. diſt. 8. quæſt. 3. art. 8. lit. F.

Se.

Se poteſt diuerſimodè conſtrui. diſt. 32. q. 2. art. 3. lit. K.

Semen.

Semen à Patre deciſſum per accidens dicitur materia generationis. diſt. 5. q. 2. art. 4 litera L.

Senſatio.

Senſatio non recipitur niſi in toto organo, cuius receptionis ratio formalis eſt quidditas ipſius organi. diſt. 3. q. 9. art. 6. lit. D.

Senſibile.

Senſibile in re cauſat Phantaſma confuſum, & vnum per accidens. diſt. 3. q. 4. art. 6. lit. H.

Senſus.

Senſus non eſt abſtractiuus. diſt. 3. q. 1. art. 1. lit. M.

Senſus non eſt totalis cauſa ſenſationis. diſt. 3. q. 7. art. 7. lit. I.

Senſus corporei naturaliter agunt. diſ. 3. q. 9. art. 6. lit. B.

Senſus componitur ex anima, & ex parte corporis. ibid. lit. C.

Senſus, & appetitus ſenſitiuus ſunt in eadem eſſentia animæ, & forte idem realiter cum illa. ibidem.

Senſus communis dicitur talis per differentiam albi, & dulcis. diſt. 8. q. 3. art. 1. lit. F.

Senſus habet obiecta ſibi præſentia ad ſentiendum. diſ. 3. q. 6. art. 1. lit. L.

Significatio.

Significatio alicuius rei diſtinctiùs poteſt haberi, quàm conceptus proprius talis rei. diſt. 22. q. vnic. art. 1. lit. I.

Signum.

Signum naturale verius ſignificat, quam vocale, ſiue ad placitum. diſt. 22. q. vnic. art. 1. lit. I. & art. 4. lit. F.

Similitudo.

Similitudo partis nō eſt ſimilitudo totius, niſi arguitiuè. diſ. 3. q. 5. art. 1. lit. E.

Simplicitas.

Simplicitas Dei communicatur creaturis diſ. 3. q. 1. art. 4. lit. E.

Simplicitas eſt perfectio ſimpliciter. diſt. 8. q. 1. art. 1. lit. E.

Simplicitas ſumma probatur eſſe in Deo. ibid. art. 2. lit. E.

Simplicitas Dei ſtat cum non identitate formali. diſ. 8. q. 4. art. 7. lit. C.

Singulare.

Singulare increatis ſe habet, vt hoc aliquid. diſ. 2. q. 7. art. 6. lit. G.

Singulare, & vniuerſale requirunt duas rationes

rationes repræsentandi.dis.3.q.6.art.2.lit.D.
Singulare infert singulare,& plurale,plurale.dis.12.q.1.art.5.lit.H.
Vide verbum, *individuum.*

Singularitas.

Singularitas est conditio agentis, non tamen ratio agendi,dis.3.q.6.art.4.lit.H.
Vide verbum, *proprietas.*

Sol.

Sol est calidus virtualiter, & non potest esse formaliter calidus.dis.3.q.7.ar.2.lit.T.
Sol est causa multorum effectuum, propter distinctas virtutes in ipso.ibi.ar.7.lit.L.
Sol est obiectum scientiæ vniuersalis.dis.3.q.5.art.1,lit.D.

Solu.

Solus sumitur cathegorematicè, & sincathegorematice.dis.21.q.vnic.art.lit.E.
Solus Pater est Deus, non est propositio vera. ibid. per totum. vbi plura de exclusiuis reperies.
Solus Deus,qui est Pater,est Deus,est vera propositio in sensu diuiso,non in composito.ibid.art.2.
Solus Pater est Deus, infert istam, omnis Deus, vel omnis persona diuina est Pater. ibid.art.1.& 3. lit.E.
Solus Pater est Deus,non est conuersa istius,solus Deus est Pater. ibid.

Species.

Species intelligibilis minus vniuersalis potest causare cognitionem magis vniuersalis.dis.3.q.1. art.5.lit. C.
Species specialissima est primo cognitũ cognitione actuali confusa.d.3.q.2.a.1.li.E.
Species intelligibilis vniuersalioris,& minus vniuersalis causatur ab eodem phantasmate.ibid.lit. H. & I.
Species specialissima perfectior, est primo cognitum à nobis simpliciter,via perfectionis;quàm minus perfecta. ibi.art.4.li.G.
Species eiusdem generis habent inter se ordinem essentialem.dis.3.q.3.art.3.lit.M.
Species, repræsentans se in somnijs tanquam obiectum,est ipsum phantasma,& nõ species intelligibilis. dis.3.q.4.art.1.lit.M.
Species intelligibilis est delebilis, immutabilis tamen à vera repræsentatione in falsam.dis.3.q.4.art.4.lit. E.
Species intelligibilis in lumine intellectus agentis, immutabilis est in repræsentando. ibid.art.7. lit. B.
Species sensibiles veraciter repræsentãt, si potentiæ non sint impeditæ. ibid. lit.C.
Species, siue forma, est aliquid absolutum.dist.3.quæs.5.art.2.lit. D.
Species intelligibilis probatur dari in intellectu.dis.3.q.6. art.1. & sequentib.
Species intelligibilis dicitur scientia,qua intellectus mutatur de potentia essentiali in accidentalem.ibid.art.1.lit.G. & Q.
Species intelligibilis facit obiectum præsens intellectui ad cognitionem abstractiuam.ibid.art.1.lit.I.
Species sensibiles non sunt delebiles, sicut sunt sensibiles.ibid.lit. O.
Species intelligibilis dicitur scientia,non solùm virtualiter,sed formaliter est habitus cognitiuus.ibid.lit.Q.& art.4.lit.F.
Species intelligibilis non est ratio recipiẽdi intellectionem. ibid.lit.R.
Species intelligibilis est prior intellectione, quando obiectum non est natum esse in se præsens. ibid.art.4.lit. E.
Species, vt est ratio repræsentandi obiectum, non habet duas rationes repræsentatiuas.ibid.art.2.lit.D.
Species repræsentat obiectum sub ratione,qua mensuratur ab obiecto. ibid.
Species intelligibilis non dicitur habitus radicatus in intellectu,ibid.art.4.lit.F.& art.5.lit.H.
Species ab aliquo totaliter producta, repræsentat ipsum sub illa ratione, qua gignitur, & concomitanter sub ratione agentis. ibid.art.4.lit.H.
Species facit obiectum præsens sub ratione cognoscibilis.ibid.lit. I.
Species obiecti mouentis fortius intellectum,impedit aliam minus fortem, ne producat intellectionem.ibid.lit.K.
Species intelligibilis non requirit coexistentiam actionis, vt habeat esse permanens. ibid.art.5.lit.E.
Species intelligibilis manet in memoria, actu intelligendi non manente.ibid.lit.F.
Species obiectorum contrariorum sunt simul in anima.ibid.lit.G.
Speciei intelligibili accidit esse accidens, vt sit actiua.dis.3.q.7.art.8. lit. F.
Species vna specialissima potest multas alias species includere.ibid.art.7.lit.N.
Species intelligibilis obiecti naturalis dicitur instrumentum intellectus nostri. dist. in 3. q. 8. art.1.lit. G.
Species intelligibilis causatur ab intellectu agente,vt à causa principaliori,& à phãtasmate,vt à minus principali.ibid. lit. H.
Species intelligibilis magis phãtasmati assimilatur,quã intellectui agenti. ibid. lit.I.

Species eiusdem generis habeat essentialem ordinem, & attributionem ad primum illius generis. dist. 8. q. 3. art. 2. lit. P.

Species intelligibilis vniuoce, & formaliter assimilatur intellectioni. d. 3. q. 7. a. 4. l. M.

Species est, quę prædicatur de pluribus in quid, quo modo intelligatur. ibid. ar. 4. lit. N.

Species aliter, quàm definitio prędicatur. ibid. art. 8. lit. E.

Species intelligibilis differt à visione, & est prior illa. dist. 3. q. 7. art. 5. lit. E.

Spirare.

Spirare in nobis est actio. dist. 3. q. 6. art. 7. lit. E.

Spirare in Patre sequitur ad dicere. dis. 6. q. vnic. art. 1. lit. H.

Spirare distinctius significat spiritum, quã diligere. dist. 32. q. 2. art. 2. lit. D. & E.

Spiratio.

Spiratio actiua non constituit personam. dist. 2. q. 4. art. 3. lit. G.

Spiratio actiua est communicabilis, & passiua incommunicabiles. dist. 26. q. vnic. art. 9. litera P.

Spirator.

Spirator significat vim spirandi, vt cõcernit suppositum. dist. 12. q. 1. art. 5. lit. D.

Spiritus Sanctus.

Spiritus sanctus non est denihilo. dist. 5. q. 2. art. 1. lit. M.

Spiritus sanctus est de substantia Patris, & Filij. ibidem.

Spiritus sanctus procedit per modum voluntatis liberæ, non per modum naturæ. dis. 6. q. vnic. art. 2. lit. F. & dist. 10. q. vnic. art. 2. & sequentibus.

Spiritus sanctus dicitur amor productus. ibid. art. 3. lit. G.

Spiritus sanctus, ex vi productionis, non procedit vt similis, nec vt imago sicut Filius dist. 10. q. vnic. art. 2. lit. H.

Spiritus sanctus non est præcognitus Patri, & Filio, antequam producatur. ibi. lit. L.

Spiritus sanctus potest dici intuitiuè cognosci, antequam producatur. ibid. lit. M.

Spiritus sanctus proportionatur, tàm potentiæ, quàm obiecto, quibus producitur. ibidem art. 4. lit. D.

Spiritus sanctus procedit ex amore creaturarum concomitanter. ibid. art. 6. per totũ.

Spiritus sanctus procedit libere, & necessario simul. ibid. art. 7. lit. D.

Spiritus sancti processio controuersa fuit inter Patres Græcos, & Latinos. dist. 11. q. 1. art. 1. lit. G.

Spiritus sanctus à Patre, & Filio procedit. ibidem.

Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio, etsi ab eo non procederet. ibid. q. 2. art. 2. per totum.

Spiritus sanctus procedit per voluntatem vt vnam, sed non, vt concordem. dist. 12. q. 1. art. 2. lit. F.

Spiritus sanctus magis procedit à voluntate, vt habet essentiam pro obiecto, quàm vt habet Patrem, & Filium pro obiecto. ibid. art. 3. lit. D.

Spiritus sanctus non procedit à voluntate amante. ibid. lit. F.

Spiritus sanctus procedet à Patre, & Filio habentibus essentiam diuinam præsentem, sed non amatam. ibid. lit. H.

Spiritus sanctus dicitur procedere dilectione mutua, id est, voluntate nata, vt Pater, & Filius mutuo se diligant. ibid. lit. K.

Spiritus sanctus est à Patre per Filiũ, quo modo sit verum. dist. 12. q. 2. art. 1. lit. K.

Spiritus sanctus nõ prius à Patre spiratur, quam à Filio. ibid. art. 2. lit. D.

Spiritus sanctus potest visibiliter mitti. di. 16. q. vnic. art. vnic. lit. D.

Spiritus sanctus non vnicus sibi hypostaticè signa sensibilia, in quibus dicitur mitti. ibid. lit. E.

Spiritus sanctus est nomen tertiæ personæ. dist. 18. q. vnic. art. 1. lit. K.

Spiritus est nomen commune, & particulare. ibid.

Spiritus sanctus se ipsum dat ad extra. ibi. lit. M.

Spiritus sanctus dicitur donum creaturæ, & spiritus noster. ibid. art. 2. lit. K.

Spiritus sanctus appropriate est amore amati necessario. dist. 32. q. 2. art. 3. lit. G.

Spiritus sanctus, ex vi suæ processionis, nec primo, nec cõcomitanter, est amor creaturæ. ibid. lit. L.

Spiritus sanctus ex vi processionis, primo est amor essentiæ, & cõcomitanter Filij. ibid.

Status.

Status datur in ordine agentium per intellectum, & voluntatem. distin. 2. q. 4. art. 4. lit. E. & F.

Status est stabilis permanentia legibus diuinæ sapientiæ firmata. dis. 3. q. 3. art. 8. lit. C.

Stella.

Stellæ de die multiplicant radios suos, sed non videntur, & quare. dist. 3. q. 6. art. 2. li. E.

Subiectum.

Subiectum primum scientiæ prænoscitur

citur ſimul quoad quid dicitur per nomen, etſi eſt, & quid eſt. diſt. 3. q. 1. art. 1. lit. G.

Subiectum ponitur, ſicut additum, in definitione paſsionis. diſt. 3. q. 3. art. 4. lit. E.

Subiectum accidentium ſecundùm quid, eſt materia. diſt. 3. q. 7. art. 2. lit. Y.

Subiectum dicitur materia, & ſimul efficiens. ibidem.

Subiectū, quod primo ſignificat, hoc primo ponit in oratione, vt ſit vera. diſt. 7. q. 2. art. 1. lit. D.

Subſiſtere.

Subſiſtere incommunicabiliter cōuenit perſonæ per ſe primo. diſt. 19. q. 2. art. 2. li. L.

Subſtantia.

Subſtantia ſingularis datur, quæ nō ſit ſuppoſitum. diſt. 2. q. 7. art. 1. lit. F.

Subſtantia in communi non poteſt eſſe primum obiectum intellectus noſtri. diſt. 3. q. 3. art. 2. lit. F.

Subſtantia non immutat immediate intellectum noſtrum ad ſui cognitionem, ſed medio accidente ſenſibili. ibid. art. 3. lit. H.

Subſtantia quælibet limitata eſt capax accidentium. diſt. 8. q. 3. art. 4. lit. H.

Subſtantia in quo ſenſu dicatur genus ad Deum, ſecundum Damaſcenum. ibid. artic. 5. litera G.

Subſtantia, quæ eſt generaliſsimum, continet virtualiter omnia accidentia. ibid. art. 7, litera D.

Subſtantia non intelligitur â nobis, niſi in conceptu communi entis. diſt. 22. q. vni. art. 1. lit. D. & ſequentibus.

Subſtantia prima creata eſt perfecta, quia eſt indiuiſibilis. diſt. 26. q. vnic. art. 2. lit. G.

Subſtantia ſecunda, nec eſt indiuiſibilis, nec habet eſſe per ſe. ibid.

Subſtantia non conſtituitur ex non ſubſtantia. ibid. lit. I.

Subſtantia dicta de Deo, & creatura, non eſt genus generaliſsimum. diſt. 8. q. 3. a. 4. l. P.

Subſtātia diuerſimodè accipitur. diſ. 26. q. vnic. art. 7. lit. F. & H.

Subſtantiua.

Subſtantiua dupliciter prædicari poſſunt in diuinis. diſt. 5. q. 1. art. 4. lit. G.

Summum.

Summum dupliciter ſumitur, vel comparatiuè, vel abſolutè. diſ. 3. q. 1. art. 4. lit. D.

Suppoſitum.

Suppoſitum eſt, *quod*, habens proprium, *quo*. diſt. 2. q. 7. art. 1. lit. F.

Suppoſitum non poteſt eſſe *quo*, reſpectu alterius ſubſiſtentis. ibid.

Suppoſitum conſiſtit in duplici incommunicabilitate. ibid.

Suppoſiti ratio non eſt perfectio ſimpliciter. ibid. lit. H.

Vide verbum, *perſona*.

Syllogiſmus.

Syllogiſmus omnis tenet per hanc regulam, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. diſ. 2. q. 7. art. 1. lit. I.

T.

Tempus.

TEMPVS dicitur de Deo, ſecundum præſens, præteritum, & futurū. diſt. 9. q. vni. art. 2. lit. C.

Terminus.

Termini compoſiti, naturaliter cauſant euidentiam conformitatis compoſitionis ad ipſos. diſ. 3. q. 4. art. 5. lit. H.

Terminus relationis naturaliter præintelligitur relationi, ſicut & fundamentum. diſ. 8. q. 3. art. 2. lit. H.

Terminus numeralis, appoſitus alicui de terminabili, ponit ſuum ſignificatum circa illud. diſt. 12. q. 1. art. 5. lit. D. & F.

Terminus numeralis apponitur terminis adiectiuis, & non ſubſtantiuis. ibid.

Terminus numeralis additus ſubſtantiuo denotat, ſignificatum ſubſtantiui numerari. ibid. lit. G.

Totum.

Totum eſt duplex, eſſentiale, & vniuerſale. diſt. 3. q. 2. art. 1. lit. E.

Totum dupliciter eſt diuiſibile, vel in partes eſſentiales, vel in partes ſubiectiuas. ibid. lit. E.

Tranſcendens.

Tranſcendens eſt perfectio ſimpliciter, & dicitur de Deo in ſummo. diſ. 3. q. 3. a. 4. lit. E.

Tranſcendens, nullum habet genus, ſub quo contineatur. diſt. 8. q. 3. art. 4. lit. E.

Tranſcendentia non ſunt prædicata problematum. ibid. art. 8. lit. E.

Trinitas.

Trinitatis myſteriū oſtenditur rationibus validiſsimis. diſt. 2. q. 6. art. 1. per totum.

Trinitas eſt quoddam totum numerale. d. 3. q. 5. art. 3. lit. F.

Trinitas, ſecundum Auguſtin. ponitur in memoria, intelligentia, & voluntate, vt habent actum circa obiectum. diſt. 6. q. vnica art. 3. lit. F.

Trinitas diuina non eſt conceptuum, ſed rerum. diſt. 23. q. vnic. art. 3. lit. D.

Trinitas prius intelligitur in eſſe perſonali,

nali, quàm creaturæ intelligantur in aliquo esse. dist. 27. q. 3. art. 2. lit. C.

V.

Velle.

VELLE Dei est duplex, efficax, & complacentiæ. dist. 8. q. 5. art. 1. lit. I.

Velle Dei est sua essentia, ibi. art. 2. lit. L.

Vide verbum, *intelligere.*

Verbum.

Verbum non gignitur ab intelligentia, sed à memoria. dist. 2. q. 5. art. 5. lit. E.

Verbum est immediatè declarativum illius, ex quo immediatè exprimitur. ibi. lit. I.

Verbum immediatè est declarativum essentiæ. ibidem.

Verbum divinum est notitia genita. ibid. litera K.

Verbum creatum perfectissimum erit in patria. ibid. ar. 6. lit. P.

Verbum creatum in patria non producitur per actum reflexum. ibid.

Verbum assumpsit humanitatem singularem, sed non suppositum. dist. 2. q. 7. ar. 1. l. F.

Verbum nostrum dupliciter est infieri. dist. 9. q. vnic. art. 1. lit. F.

Verbum nostrum, & dicit perfectionem, & imperfectionem. ibid.

Verbum æternum semper nascitur, & semper est natus. ibid. art. 2. l t. C.

Verbum non dat esse formale humanitati. d. 8. q. 1. art. 2. lit. G.

Verbum creatum non includit actum reflexum. dist. 27. q. 1. art. 1. li. B.

Verbum creatum non est notitia declarativa, supponens aliam apprehensionem simplicem. ibid. lit. C.

Verbum creatum non producitur per intellectionem. ibid. art. 2. lit. C.

Verbum est vera proles, & verè genitum à memoria. ibid. per totum.

Verbum creatum intelligatur ex mente Augustini. ibid. art. 3. lit. D.

Verbum creatum quid sit. ibid. lit. E.

Verbum creatum non pertinet ad voluntatem, nec ad memoriam, sed ad intelligentiam. ibidem.

Verbum creatum est actualis intellectio, ibid. lit. G.

Verbum creatum est in memoria causaliter. ibid. lit. H.

Verbum divinum est Patris declarativū, & sui ipsius. ibid. art. 4. lit. C.

Verbum creatum non est quælibet actualis intellectio, sed tantùm ea, quæ est genita. ibid. lit. D.

Verbum perfectum nostrum gignitur ex inquisitione, à cognitione confusa ad distinctam. ibid. art. 5. lit. D.

Verbum creatum, vt divinum repræsentet, non petit gigni per inquisitionem. ibid.

Verbum nostrum perfectum quo ordine inquiratur, & gignatur. ibid. lit. E.

Verbum non petit gigni ab amore obiecti cogniti, nec ab amore notitiæ talis obiecti. ibid. art. 6. lit. C.

Verbum perfectum commitatur duplex actus voluntatis. ibid.

Verbum divinum generatur à Patre, vt habet memoriam fœcundam, non autem, vt actu intelligit. dist. 27. q. 2. art. 1. lit. D.

Verbum divinum non producitur ex aliquo, tanquam ex materia, seu quasi materia. ibid. art. 2. lit. H.

Verbum significat proprietatem personalem secundæ personæ. ibid. art. 3. lit. E.

Verbum nostrum cur dicatur esse cum amore. ibid. lit. F.

Verbum divinum non dicit respectum ad creaturas, sicut nec Filius. ibid. q. 3. art. 1. lit. C. & sequentib. & art. 2. lit. C.

Verbum non esse essentiale in divinis, potest naturaliter cognosci. ibi. ar. 3. lit. C. & D.

Verbum nostrum duplicem respectum dicit ad memoriam, geniti ad gignentem, & declarātis ad declaratum, qui respectus sunt diuersi generis. dist. 32. q. 1. art. 1. lit. C.

Verbum divinum duplicem respectum dicit ad Patrem, alterum originis realem, & alterum declarantis, rationis. ibid. lit. E.

Verbum divinum declarat formaliter, & Pater principiative. ibid. lit. F.

Verbum divinum dicit omnia declarabilia, & seipsum, se ipso formaliter. ibid. art. 2. lit. C.

Verbum divinum dicitur declarare omne declarabile, non proprie, sed appropriate. ibid. art. 3. lit. C.

Verbum dicitur Filius charitatis Dei, id est subsitātiæ Dei. dist. 5. q. 2. art. 4. lit. D. & M.

Veritas.

Veritas, aut falsitas, non est in intellectione simplici. dist. 3. q. 3. art. 4. lit. F.

Veritas compositionis in intellectu est cōformitas compositionis ad terminos. dist. 3. q. 4. art. 2. lit. C.

Veritas sincera in quo sensu cognoscatur in regulis æternis. ibid. art. 5. lit. H.

Veritas infallibilis videtur in regulis æternis. ibid. per totum, & art. 6. lit. E.

Veritates necessariæ sunt obiecta secunda-

ria intellecta ab intellectu diuino. ibidē. art. 6. lit. E.

Veritates sinceræ sunt tales ex propria per se ratione terminorum. ibid. lit. H.

Veritas sincera nō sumitur à sensibilibus, sicut à per se causa. ibid. art. 7. lit. B.

Veritas dicitur de Deo, & creaturis. dist. 8. q. 3. art. 8. lit. D. & E.

Verum.

Verum non est obiectum primum intellectus nostri. dist. 3. q. 3. art. 7. lit. E.

Verum non prædicatur de omni per se intelligibili. ibid.

Verum est passio entis, & cuiuslibet inferioris ad ens. ibid.

Verum potest naturaliter cognosci, sicut & ens. dist. 3. q. 4. art. 5. lit. F.

Vestigium.

Vestigium est vestigiati similitudo. dist. 3. q. 5. art. 1. lit. B.

Vestigium realiter non consistit in respectu tantùm. ibid. lit. F. & art. 2. lit. D.

Vestigium facit distinctè in vestigare id, cuius est imago. ibid. art. 3. lit. F.

Vide verbum, *imago.*

Visio.

Visio intuitiua, & fruitio sunt rei existētis, vt existens est. dist. 3. q. 3. art. 9. lit. H.

Visio potest dici imago. dist. 3. q. 7. arti. 1. lit. M.

Vide verbum, *cognitio, & intellectio, & notitia.*

Visus.

Visus est tenebræ perceptiuus, quo modo sit intelligendum. dist. 3. q. 3. ar. 3. lit. K.

Visus videt per species illusiuas. ibid. q. 4. art. 4. lit. C.

Visus videt reliquias visorum, remanentes in oculo, clausis oculis. ibid.

Vnitas.

Vnitas principij admittit pluralitatē principiatorum. dist. 2. q. 6. art. 1. lit. F.

Vnitas habet multos gradus. dist. 2. q. 7. ar. 3. lit. C.

Vnitas est perfectio absoluta. dist. 3. q. 5. art. 2. lit. D.

Vnitas scientiæ sumitur ab obiecto, & nō ab intellectu. dis. 3. q. 8. art. 1. lit. L.

Vnitas attributionis minor est vnitate vniuocationis. dis. 8. q. 3. art. 2. lit. P.

Vnitas minor non cōcludit maiorem. ibi.

Vnitas generis est minor vnitate speciei. ibidem.

Vnitas non dicit secundam intentionem. dist. 23. q. vnic. art. 3. lit. L.

Vniuersale.

Vniuersale potest intelligi ab intellectu. dist. 3. q. 6. art. 1. lit. H.

Vniuersale ad intelligi debet esse præsens in specie intelligibili. ibid. lit I.

Vniuersalis indifferentia, quatenus commune est, in quo consistat, exponitur. ibidē lit. K.

Vniuersale, vt vniuersale, non concipitur in phantasmate. ibid.

Vniuersale, & singulare requirunt duas rationes repræsentatiuas. ibid. art. 2. lit. D.

Vniuersale est primus terminus intellectus agentis. ibid. art. 3. lit. D.

Vniuersale, vt vniuersale, nihil est existēs sed tantùm in aliquo repræsentante ipsum. ibidem.

Vniuersale in phantasmate habet esse diminutum. ibid. lit. E.

Vniuersale secundùm totam suam indifferentiam, non potest in inferiori cognosci. ibid. art. 6. lit. C.

Vniuersalitas.

Vniuersalitas est conditio obiecti, in quātum obiectum. dist. 3. q. 6. art. 1. lit. H.

Vniuersalitas est prior actu intelligendi. ibidem.

Vniuocatio.

Vniuocatio solùm est in rationibus generalibus. dist. 3. q. 1. art. 3. lit. D.

Vniuocum.

Vniuocum, & æquiuocum dicuntur habere, & non habere medium. dist. 8. q. 3. art. 2. litera K.

Vniuocū est, cuius ratio est in se vna. ibid.

Vnum.

Vnum non includit præcise ens, sed aliquid aliud. dist. 3. q. 3. art. 4. lit. C.

Vnum, sicut se habet ad esse, sic & ad veritatem dist. 8. q. 3. art. 8. lit. E.

Vnum fundat tres relationes, identitatis, similitudinis, & æqualitatis. dis. 19. q. 1. art. 1. lit. C.

Vnum, vt principium est numeri, addit rationem mensuræ, & est de genere quantitatis. dist. 24. q. vni. art. 2. lit. I.

Vnus

Vnus absolutè positus significat adiectiuè. dist. 12. q. 1. art. 5. lit. G.

Voluntas.

Voluntas diuina, habens obiectum actu cognitum, est ex se productiua Spiritus sancti. dist. 2. q. 4. art. 1. lit. H.

Voluntas creata fundat relationes mouētis, & moti. ibid. lit. L.

Volun-

Voluntas fundans relationes oppositas dicitur quodammodo illimitata. ibid.

Voluntas ex se non naturaliter, & determinatiuè inclinatur ad agendum. dist. 2. q. 5. art. 2. lit. E.

Voluntas suas operationes libere elicit. ibid. art. 2. lit. G. & P.

Voluntas diuina prius est productiua alicuius termini infiniti, quàm creaturarum. ibid. lit. Q.

Voluntas non fertur in ignotum. dist. 3. q. 3. art. 7. lit. G.

Voluntas potest habere actum circa bonum in vniuersali. ibid. art. 9. lit. E.

Voluntas non potest ab alio pati, nisi à Deo. dist. 3. q. 7. art. 2. lit. Dd.

Voluntas mouet se ad velle, vel nolle. ibidem.

Voluntas nostra mouet intellectum ad actum cognoscendi, & tenet eum in cognitione. dist. 6 q. vnic. art. 3. lit. D.

Voluntas diuina in Patre non producit Filium, nec mouet ad intellectionem essentialem. ibid.

Voluntas nostra amans obiectum, amat etiam notitiam obiecti. ibid. lit. F.

Voluntas nostra copulat intelligentiam cum prole. ibid.

Voluntas nostra, secundum actum productiuum, repræsentat diuinam, in productione Spiritus sancti. ibid. lit. G.

Voluntas in omni actione sua est posterior intellectu. dist. 6. q. vnic. art. 2. lit. E. & ar. 3. lit. D.

Voluntas complacet in intellectione intellectus. ibid. art. 1. lit. F.

Voluntas constructa cum gerundio notat actum. dist. 7. q. vnic. art. 4. lit. C.

Voluntas determinata ad finem non determinatur ad media, nisi ex necessitate finis. dist. 8. q. 5. art. 1. lit. I.

Voluntas est immediatum principium volendi. ibid. art. 2. lit. K.

Voluntas ideo vult, quia est voluntas, & nulla est alia causa. ibid.

Voluntas diuina est productiua amoris infiniti. dist. 10. q. vni. art. 1. lit. D. & sequentib. & art. 2. lit. F.

Voluntas communis ad creatã, & increatam, non est principium communicandi naturam, sed voluntas, vt increata. ibi. artic. 2. lit. F.

Voluntas infinita est ita perfecta, sicut natura diuina. ibid.

Voluntati cõmuni ad creatam, & increatam non repugnat communicare naturam, sed voluntati, vt limitata est. ibid. lit. G.

Voluntas diuina est principium necessarium producendi Spiritum sanctum. ibidẽ. art. 3. lit. F.

Voluntati diuinæ non repugnat necessitas. ibidem.

Voluntas diuina est principium producẽdi, quatenus habet essentiam sibi præsentẽ. ibid. & lit. I.

Voluntas infinita simul cum obiecto infinito, est principium necessarium amandi & producendi amorem infinitum. ibid. art. 4. lit. B. & sequentibus.

Voluntas eodem modo se habet ad finem, & ad media. ibid.

Voluntas libere appetit beatitudinẽ. ibi.

Voluntas nullum finem vult necessariò, sed liberè. ibid.

Voluntas infinita non potest non esse recta. ibid. lit. D.

Voluntas diuina cum obiecto finito præsente non est principium producendi Spiritum sanctum. ibid. art. 5. lit. E.

Voluntas diuina in ratione principij producendi solũm communicatur Filio. dis. 11 q. 1. ar. 1. lit. H.

Voluntas aliquando dicitur dilectio, aliquando potentia. ibid. lit. M.

Voluntas circa obiectum habet tres actus nempe elicitum, complacentiæ, & imperij. dist. 12. q. 1. art. 1. lit. M.

Voluntas diuina, vt concors, non est principium *quo* Spiritus sancti. ibid. art. 2. lit. F.

Voluntas concors multipliciter sumitur. ibidem. lit. G.

Voluntas proprie fœcunda non potest esse in duobus, nisi propter ordinem fœcunditatum. ibid. art. 4. lit. H. & I.

Voluntas se determinat ad agendum, nullo alio ipsam determinante ad agere. dis. 13. q. vnic. art. 9. lit. C.

Voluntas finita libere se determinat circa obiectum infinitum. ibid. lit. D.

Vox.

Vox significat rem. dist. 27. q. 1. art. 3. lit. I.

Vsuarius.

Vsuarius, qui in vtendo dependet ab alio non est proprietarius. dis. 12. q. 2. ar. 1. lit. H.

FINIS.

INDEX

INDEX SEXTVS

OMNIVM FERE NOTABILIVM RERVM, QVAE IN ARTICVLORVM EXPOSITIONIBVS, ET SVPER DIFFICVLTATES IN HOC TOMO SECVNDO AGITATAS, CONTINENTVR.

A.

A.

APRAEPOSITIO, & *ex* differunt. exposit. art. 4. q. vni. dist. 20. & diff. 47. num. 37.

Abaylardus.

Abaylardus negabat consubstantialitatem Spiritus sancti. dif. 52. n. 2.

Absolutum.

Absolutum, & relatiuum magis inter se differunt, quàm relatiua interse. dif. 54. n. 50.

Absolutum nõ est de conceptu formali relatiui. diff. 68. num. 57.

Absolutum in Deo est perfectius relatione. exp. art. 4. q. vnic. dist. 7. num. 1.

Abstractio.

Abstractio non impedit identitatem inter essentiam, & relationes diuinas. expos. art. 2. q. 2. dist. 4. num. 2.

Abstractio aliter fit in absolutis, & aliter in relatiuis. dif. 64. num. 19.

Abstractio in relatiuis fit tripliciter. ibid.

Abstractio in accidẽtibus absolutis fit dupliciter. ibid. num. 20.

Abstractio in substantia fit tantũm vno modo. ibid. num. 21.

Abstractio in naturis substantialibus est duplex. ibid.

Abstractum.

Abstractum formaliter, & *quo* sunt synonima. diff. 63. num. 8.

Abstracto cuilibet suum correspondet concretum. ibid.

Abstractum quodlibet completum duplex habet concretum. diff. 63. num. 15.

Accidens.

Accidens non prius percipitur per se ipsum à sensu, quàm substantia. expos. art. 4. q. 2. dist. 3. num. 3.

Actio.

Actio habet speciem à termino, distinctionem tamen à principio agente. diff 48. n. 24.

Actio terminatur ad aliquem terminum, per ipsam productum. diff. 49. num. 27.

Actio vitalis differt ab operatione vitali. expos. art. 8. q. 6. dist. 3. num. 3.

Actiones sunt suppositorũ, quomodo intelligatur. diff. 63. num. 35. & seq.

Actio dicitur adæquata termino, & principio, proportionaliter, sed non entitatiuè. diff. 68. num. 85.

Actio duo respicit, & suppositum agens, & virtutem, qua agit. exp. art. 1. q. 1. dist. 11. num. 3.

Actio ad extra in diuinis communis est toti Trinitati. diff. 76. num. 12.

Actio realis de necessitate terminatur ad terminum realem. diff. 97. num. 5.

Actio necessario terminatur ad ens. diff. 53. num. 27.

Actiuum.

Actiuum, & factiuum sunt differentiæ accidentales potentiæ productiuo. difficul. 47. num. 9.

Actualitas.

Actualitas est maior perfectio, quàm simplicitas. expos. art. 1. q. 1. dist. 8.

Actus.

Actus primus, & secundus in Deo nõ distinguũtur formaliter. ex. art. 5. q. 4. d. 2. n. 10.

Actus intelligendi, & dicendi seruant inter se ordinem. diff. 49. num. 8. & expos. art. 1. 1. q. vnic. dist. 6. num. 2.

Actus intelligendi in Deo dicitur quasi productus. ibid. num. 9.

Actus dicendi, & intelligendi realiter distinguuntur in creatis. ibid. num. 14.

Actus dicendi, & intelligendi non se includunt. ibidem.

Actus generandi distinguit in re Patrem, & Filium. ibid. num. 26.

Actus secundus vbique præsupponit actum primum. ibid. num. 37.

Actus productiuus, & operatiuus increatis differunt à productiuis, & operatiuis in diuinis. exp. art. 1. q. vnic. dist. 6. num. 2.

Actus interior voluntatis est causa exterioris. exp. art. 2. q. vnic. dist. 6. num. 2.

Actus liber, & naturalis differunt inter se. ibidem num. 3.

Actus diuini, alij sunt essentiales, alij notionales. exp. art. 6. q. vnic. dist. 10. num. 2.

Actus intellectus causans relationem rationis est duplex. exp. art. 3. q. 1. dist. 30.

Actus intellectus est multiplex in causando secundas intentiones. diff. 97. num. 7.

Adiectiuum.

Adiectiuum, & substantiuum idem significant, diuerso tamen modo. diff. 74. n. 5.

Adiectiuum aliter significat seorsum, aliter additum supposito in oratione. ibi. n. 7.

Adiectiuum pendet à substantiuo, non vero ab alio adiectiuo. ibi. n. 9.

Æqualitas.

Æqualitas non est perfectio simpliciter, nec quid essentiale, nec merum notionale. exp. art. 4. q. 1. dist. 19. num. 2.

Æqualitas est inter Patrem, & Filium, ratione essentiæ, vt est quanta quantitate virtutis. exp. art. 3. q. vnic. dist. 31. num. 1.

Æqualitates inter diuinas personas tot sunt, quot perfectiones attributales. ibid.

Æqualitates in diuinis sunt reales, non tamē realiter distinctæ in persona, in quasunt. ibid. num. 2.

Æqualitas perfectissima reperitur in diuinis. diff. 98. num. 13.

Æqualitas in Deo supponit personas productas. ibid. num. 21.

Æquiuocum.

Æquiuocum, quid, & quotuplex sit. diff. 58. num. 16.

Æternitas.

Æternitas quid sit. diff. 69. num. 4.

Æternitas est attributum, & modus intrinsecus Dei, ibidem.

Æternitas patitur ab intrinseco multa instantia originis, & naturæ, non vero temporis. ibid. num. 7.

Æternitas respicit existentiam Dei, & est tantùm vnica respectu omnium entitatum. diff. 55. num. 36.

Agens.

Agens naturale est, quod est ex se determinatum ad vnam determinatam operationē. diff. 48. num. 13.

Agens liberum est, quod est ex se indeterminatum ad agendum. ibid.

Aliud, Alius.

Aliud, & aliud non conceditur in diuinis, bene tamen, alius, & alius. diff. 47. n. 16.

Aliud est, aliquid esse prius alio, & aliud est, aliquid præintelligi prius alio. ibidem num. 40.

Aliud denotat distinctionem realem. diff. 67. num. 98.

Aliud, & alius, diuersa important in diuinis. diff. 54. num. 123.

Amor.

Amor producitur ab obiecto, & à voluntate. dif. 73. num. 2.

Amor essenti alis vnicus est in Deo. ibidē num. 6.

Analogia.

Analogia quando compatitur cum vniuocatione. diff. 58. num. 25.

Analogum.

Analogum non est medium inter vniuocum, & æquiuocum. diff. 58. num. 15.

Analogum quid, & quotuplex sit. ibidem num. 18.

Angelus.

Angelus, & homo producūt verbum per intellectum, & amorem per voluntatē. diff. 47. num. 9.

Angelus potest sui notitiam causare in intellectu alterius Angeli. expos. art. 4. q. 4. dist. 2. num. 7.

Anima.

Anima rationalis, tàm coniuncta, quàm separata, verè independenter subsistit. diff. 53. num. 15.

Anima rationalis non generatur, licet, verè producatur. exp. art. 9. q. 6. dist. 3. n. 1.

Argumentum.

Argumentum ab auctoritate nō tenet negatiuè. exp. art. 3. q. 1. dist. 28.

Aristoteles.

Aristoteles mysteria fidei ignorauit, & ideò

ideo non debet imitari in doctrina contradicente illis.dif.53.n.45.

Attributum.

Attributa sunt communia vniuocè Deo, & creaturis.exp.art.3.q. 3. dist.8.n.4.

Attributum quid significet.dif.67.n.18.

Attributum prædicatur in secundo modo dicendi per se.ibid. num.21.

Attributa in Deo alia sunt positiua, alia negatiua.ibid.num.27.

Attributa aliter inter se, & aliter ab essentia distinguuntur.ibid.n.33.& 84.

Attributa diuina prædicantur inter se, & quare.ibid.

Attributa verè, & actualiter ex natura rei distinguuntur in Deo.ibid.numer. 53. & sequentibus.

Attributa diuina, inter se, & cum essentia sunt summe idem.ibid.num.55.

Attributa in genere attributorum sunt infinita, non tamen in genere entis ibi.n.81.

Attributa in Deo sunt aliquid, sed non aliud ab essentia.ibid.n. 98.

Attributa diuina adinuicem prædicantur.exp.art.5.q.4.dist.8.num.1.

Attributa diuina sunt infinita.ibi.n.9.

Attributa diuina vnde sint formaliter infinita.diff.68. num.34.

Attributa diuina præcedunt relationes. dif.89.num.16.

Attributorũ cognitio præcedit Verbi productionem.diff.90. num.4.

Attributa non sunt principium formale *quo* producendi Verbum. ibid.num.6.

Attributa diuina nõ informant essentiam. exp.art.7.q.4.dist.8.

B.

Beatitudo.

BEATITVDO est duplex, adæquata, & inadæquata.dif.99.num.8.

Beatus.

Beatus potest imponere nomen propriũ Deo, respectu suæ immensitatis.exp.art.4.q. vnic.dist.22.num.3.

Bonitas.

Bonitas est duplex, transcendentalis, & quantitatiua.diff.68.num.72.

Bonitas transcendentalis est perfectio formalis, & dicitur quanta.ibi.n.73.

Bonitas est ratio formalis obiecti voluntatis. ibid.

Bonum.

Bonum, verum, & vnum, sunt tãtùm passiones entis.diff.67. num.25.

Bruta.

Bruta non appetunt libere. difficult.71. num.52.

C.

Causa.

CAVSA, & principium sæpissime pro eodem vsurpantur.dif.47.n.12.

Causa quid sit.ibid. num.14.

Causa infert independentiam effectus ad se ipsam.ibid.num.15.& 16.

Causa æquiuoca dicitur vniuoce de Deo. dif.58.num.37.

Causa, vt sic, abstrahit à prima, & secunda. ibidem.

Causa principalior est, qũa agente, alia coagit, & non è contra.exp.art.vnic.q.8.dist. 3.num.3.

Causæ perfectio in causando sumitur à perfectiori modo causandi. ibid.

Causa effectiua est duplex, productiua, & operatiua.dif.97 num.5.

Christus.

Christus, in quantum Deus, est à Patre, habens omnia à Patre.diff.46. n. 33.

Christus cur dicatur inferior Patre. ibidẽ num.35.

Christus, vt Deus, est causa efficiens nostræ salutis: vt homo autem, est causa meritoria illius.ibid.num.36.

Circuminsessio.

Circuminsessio quid sit, & quid requirat. diff.79.num.2.& sequentib.

Circuminsessio est relatio realis.ibi.n.15.

Cognitio.

Cognitio abstractiua Dei non est præcisè impossibilis viatori. exp. art.3.q.1.dist.3. n.3.

Cognitio Dei, nec via vniuocationis, nec imitationis, est nobis naturaliter possibilis. ibid.num.4.

Cognitio est duplex, confusa, & distincta. exp.art.1.q.2.dist.3.num.1.

Cognitio confusa est duplex, actualis, & potentialis.ibid.num.3.

Cognitio distincta est duplex, actualis, & potentialis.ibid.

Cognitio triplex consideratur in Deo. exp.art.6.q.4.dist.3.num.3.

Cognitio vnius per aliud, multipliciter contingit.dif.60.num.13.

Cognitio naturalis, alia est per se nota, & alia demonstrata, & hæc, alia à priori, & alia à posteriori.ibid.num.9.

Cognitio euidens Trinitatis, quoad an est, non est per propriam speciẽ Trinitatis. diff. 61.num.1.

Cognitio abſtractiua diſtincta Dei, qua quidditatiuè cognoſcatur, dabilis eſt. ib. n. 28

Cognoſcere.

Cognoſcere rem diſtinctè, & cognoſcere confuſe, differunt interſe. exp. a. 1. q. 1. diſt. 3. num. 1.

Cognoſcere Deum abſtractiuè, eſt eius eſſentiam contemplari. exp. ar. 3. q. 1. di. 3.

Cognoſcere confuſum, & cognoſcere cõfuſe, differunt. exp. art. 1. q. 2. diſt. 3. n. 2.

Cognoſcere diſtinctum, & cognoſcere diſtinctè differunt. ibi.

Commune.

Commune ſumitur tripliciter. diſſic. 58. num. 28.

Compoſitio.

Compoſitio oppomitur ſimplicitati. diſſi. 54. num. 62.

Compoſitio realis eſt vnio, & coniunctio entis ad ens. ibid.

Compoſitio quæcunque conſtat ex actu, & potentia. ibid. num. 109.

Compoſitio eſt triplex. exp. ar. 3. q. 1. d. 8.

Compoſitio cur non detur in Deo. diſſi. 67. num. 45.

Compoſitio, & conſtitutio differunt. dif. 5. 10. & 22.

Compoſitum.

Compoſitum differt à conſtituto. exp. art. 5. q. 2. diſt. 5. num. 6.

Conceptus.

Conceptus communis in quid datur ad productiones diuinas, & ad relationes increatas, & creatas. diff. 52. nu. 22.

Conceptus ſumitur quadrupliciter. diſſi. 58. num. 13.

Conceptus entis eſt abſtrahibilis à Deo, & creaturis. ibid. num. 28.

Conceptus Dei non eſt ſimpliciter ſimplex, & tamen non eſt compoſitus. ibi. n. 30.

Conceptus ſimplex, & conceptus ſimpliciter ſimplex, differunt inter ſe. ibi. n. 43.

Cõceptus entis eſt ſimpliciter ſimplex. ib.

Conceptus Dei, vt infinitus, ſimplicior eſt, quam conceptus Dei. vt bonus. exp. art. 4. q. 1. diſt. 3.

Conceptus generis eſt conceptus determinabilis, & conceptus differentiæ eſt conceptus determinans. dif 59. n. 8.

Concordia.

Concordia demonſtratiuè infert pluralitatem. diff. 61. n. 36.

Concordia eſt relatio inter cõcordes. ibi.

Concordia non datur in bonitate diuina, quæ eſt attributum. ibid.

Concretum.

Concretum ſupponit pro ſuppoſito, vt in hac, Deus genuit Deum. exp. ar. 1. q. 1. diſt. 4.

Concretum materiale, & *quod* ſunt termini ſynonimi. dif. 63. num. 8.

Conformitas.

Conformitas eſt duplex. exp. art. 1. quæſt. 4. diſt. 3. num. 3.

Continentia.

Continentia creaturarum in Deo eſt duplex, virtualis, & eminentialis. dif. 88. n. 42.

Contradictio.

Contradictio non datur in propoſitionibus cum hoc modo *per ſe*, & ſimilibus. dif. 67. num. 39.

Contradictoria.

Contradictoria, cum ly *per ſe* habent medium. exp. art. 4. q. 7. diſt. 2. num. 3. & diſſi. 60. num. 26.

Contradictoria nullibi poſſunt eſſe ſimul vera. dif. 57. num. 19.

Contradictoria conueniunt in vno cõceptu communi vniuoco. dif. 58. n. 40.

Conuenientia.

Conuenientia eſt duplex, alia à parte rei, alia per intellectum. dif. 52. n. 21.

Conuenientia per intellectum dicitur cõceptus formalis. ibid.

Conuenientia realis dicitur conceptus obiectiuus. ibid.

Conuerſio.

Conuerſio ſimplex, & conuerſio per accidens, quid ſint. exp. art. 3. q. vn. diſt. 21.

Conuerſio propoſitionis vniuerſalis negatiuæ, & excluſiuæ affirmatiuæ, quomodo fiãt. ibidem.

Corruptio.

Corruptio quomodo cauſetur. di. 53. n. 47.

Creatura.

Creatura non poteſt intelligi, non intellecto Deo. exp. art. 2. q. 4. diſt. 2. n. 1.

Creatura neceſſario à Deo producta, adhuc non eſſet, ita neceſſaria, ſicut Verbũ ibi.

Creatura, alia corporea, alia ſpiritualis. diff. 48. num. 8.

Creaturæ corporeæ producunt tantùm per generationem, ſpirituales vero per intellectum, & voluntatem. ibid.

Creaturæ ſpirituales in producendos ſuperant corporeas. ibid.

Creaturæ corporeæ ſunt fœcundæ immediatè per naturam. ibid. n. 22.

Creaturæ ſpirituales non ſunt immediatè fœcundæ per naturam, ſed mediatè per intellectum, & voluntatem. ibid.

Crea-

Creaturæ habẽt ſimilitudinem cum Deo, & in conceptu obiectiuo entis conueniunt. diſſ.58.num.38.

Creaturæ ſunt Deo diſsimiles, etſi in cõceptu entis conueniant. ibid.n.39.

Creaturarum primum eſſe, eſt eſſe cognitum ab intellectu diuino. expoſit. art. 6.q.4. diſt.3.num.2.

Creaturæ dicuntur intelligibiles ab intellectu diuino. ibid.num.1.

Creaturæ cognitę à Deo, dicuntur lux, ſinceræ veritates, neceſſariæ, immutabiles, & æternæ ſecundum quid. ibid.num.4.

Creatura repræſentat Deum, ſolùm in cõceptu communi. exp.art.2.q.5.diſt. 3.n.2.

Creatura in quantũ effectus, reſpicit Deũ, vt vnum. diſſ.61.num.31.

Creatura reſpiciẽs Deum, vt trinum, reſpicit eum, vt purum terminum. ibid.

Creatura nulla eſt perfecta, aut ſumme ſimplex. exp.art.1.q.2.diſt. 8.

Creatura omnis eſt compoſita expoſitiuo & priuatione, & ex actu, & potentia. ibi.

Creatura non auget perfectionem Dei. diſſ.68.num.69.

Creatura eſt obiectum ſecundarium intellectus diuini, & eſſentia diuina eſt primarium. ibi.n.84. & diſ.70. n.12.

Creatura videtur in verbo ratione eſſentiæ diuinæ. ibid.

Creaturæ tripliciter in mente diuina conſiderantur. diſſ.70.num.5.

Creaturæ nõ ſunt obiectum motiuum diuini intellectus: bene tamen terminatiuum. diſt.70.num.12.

Creaturæ non concurrunt, vt obiectum, ad producendum Spiritum Sanctum. ibidẽ num.13.

Creaturæ non ſunt in Deo, tanquam obiectum in ſpecie intelligibili. ibi.n.16.

Creaturæ habuerunt primum eſſe ab æterno per actum intelligendi trium perſonarũ. diſ.88.num.29.

Creaturæ intelliguntur à Deo eodẽ actu, quo in primo ſui eſſe producuntur. ibi.

Creaturæ repræſentantur in eſſentia diuina eminẽter, vt in eſſe cognito produci poſſint. ibid.

Creaturæ nullo modo concurrũt ad productionem Verbi diuini. ibi.nu.32.

Creaturæ non cognoſcuntur eadem cognitione, qua Pater cognoſcit eſſentiam, ante Verbi productionem. ibid.n.53.

Creaturæ non intelligũtur pro illo ſigno, quo Verbum producitur. ibid.n.56.

Credibile.

Credibile poteſt eſſe aliquid, quod nõ eſt poſsibile. diſ.60.num.23.

D.

De.

De præpoſitio, in hac præpoſitione, Filius eſt de ſubſtantia Patris, originationem, & conſubſtantialitatem dicit, expoſit. art.4.q.2.diſt.5.num.4.

Definitio.

Definitio quidditatiua habet eſſe obiectiuum à Patre rei. diſ. 54.n.78.

Demonſtratio.

Demonſtratio facta de Deo eſt tantũm à poſteriori. diſſ.60. num.11.

Demonſtratio non omnis generat ſcientiam. diſſ.61.n.17.

Denominatio.

Denominatio realis extrinſeca, vnde proueniat. diſſ.97.n.5.& 6.

Dependens.

Dependens quodcunque neceſſario terminatur ad aliquod omnino independens. diſ.74.num.8.

Dependentia.

Dependentia vnius ab alio quid ſit. exp. art.2.q.4.diſt.2.num.1.

Dependentia vnius ab alio, requirit realẽ diſtinctionem inter ea. ibid.

Dependentia eſt triplex, actualis, aptitudinalis, & potentialis. diſſ.53.n.29.

Dependentia potentialis, & obedientialis conuertuntur. ibid.

Dependentia dicit cauſalitatem, & independente aliud eſſe à cauſa. diſ.47.n.15.

Deitas.

Deitas habet Deum pro ſuo adæquato correſpondente. diſ.63.n.12.

Deitas, & quodlibet abſtractum completum, habet duplex concretum. ibid.n.15.

Deitas eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eſt propoſitio vera identicè, & è contra: ſed non formaliter. expoſi.art.2.quæſt.2. diſt.4. num.1.

Deitas abſtracta ab hoc Deo concipitur diſtincta ab ipſo. ibid.

Deitas in quacunque abſtractione abſtracta, identificat ſibi relationes. ibi.n.2.

Deitas eſt forma, qua relationes exiſtunt. exp.art.5.q.2. diſt.5. n.3.

Vide verbum, *eſſentia.*

Deus.

Deus eſt primum principium ad extra, Pater autem ad intra. diſ.47.n.36.

Deus producendo, assimilatur Angelis, & non creaturis corporeis. dif. 48. n. 8.

Deus continet in se principium naturale, & liberum. ibid. num. 15.

Deus ad intra non producit immediatè per naturam, sed per intellectum, & voluntatem. ibid. num. 16.

Deus dicitur prima substãtia. dif. 53. n. 25.

Deus non subest suis relationibus, & attributis. dif. 56. num. 23.

Deus dicitur substantia, vt substantia dicit subsistere. ibid.

Deus est prima substantia, à se, & per se subsistens. ibid.

Deus prædicatur de personis directè, estque illis communis. diff. 57. n. 22.

Deus, vt Deus, non est productus. ib. n. 23.

Deus differt quidditatiuè, & formaliter à creatura, & non solùm per modum intrinsecum. dif. 58. num. 27.

Deus non componitur ex conceptu entis, & propriæ quidditatis. ibid. n. 30.

Deus est summe simplex. ibid. n. 43.

Deus simplicior est, quam ens. ibi.

Deus concurrit ad visionem beatam, vt obiectũ, & vt causa prima. exp. a. 8. q. 7. d. 3. n. 3.

Deus necessario diligit creaturas. diffi. 88. num. 48.

Deus, & creatura sunt primo diuersa, & in quo sensu, ibid. num. 44.

Deus, secundùm omnem prioritatem, est primum ens reale. ibid. num. 46.

Deus, vt hic Deus, nequit naturaliter à viatore cognosci. exp. art. 3. q. 1. dist. 3. n. 1.

Deus naturaliter tantùm cognoscitur per species intelligibiles creaturarum. exp. art. 5. q. 1. dist. 3. num. 1.

Deus est primo cognitum à nobis, ordine perfectionis. exp. art. 4. q. 2. dist. 3. n. 2.

Deus non cognoscitur à nobis naturaliter pro hoc statu, & quare. exp. ar. 8. q. 3. d. 3. n. 8.

Deus creat, est propositio immediata. dif. 60. num. 11.

Deum esse summũ bonum, possumus naturaliter cognoscere, non tamè modos, quibus est communicabilis. ibid. n. 24.

Deum non posse mentiri, est euidèter notum. dif. 61. num. 20.

Deum esse summum bonum, & veracem, est euidenter notum. ibid.

Dei attestatio est extrinseca ad cognoscẽdum Trinitatis mysterium, quoad quid est, non quoad an est. ibid.

Deus potest quidditatiuè cognosci à viatore, cognitione abstractiua distincta. ib. n. 28

Deus est obiectũ beans, quatenus est præsens obiectiuè. ibid. n. 32.

Deus improprie dicitur imago hominis. diff. 62. num. 35.

Deus genuit alium Deum, est propositio falsa. exp. art. 1. q. 1. dist. 4.

Deus correspondet adæquatè Deitati. dif. 62. num. 12.

Deus habet actiones essentiales, & notionales. dif. 63. num. 23.

Deus per se primo habet actiones essentiales, & notionales per se secundo. ibid.

Deus genuit Deum, est vera propositio, non vero Deus genuit alium Deum. ibid.

Deus, vt sic, distinguitur formaliter à personis. ibid. num. 24.

Deus aliquando significat vnam personã, aliquando duas, aliquãdo essentiam. ibidem num. 28.

Deus creat, est propositio immediata. ibi. num. 29.

Deus generat eundem Deum, est vera propositio. ibid. num. 30.

Deus indiuiduum Deitatis, est communicabilis tribus personis. ibid. n. 33.

Deus est singularis, quia essentia diuina est singularis. ibid. num. 43.

Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, est verum formaliter, & è conuerso. exp. art. 2. q. 2. dist. 4. num. 1.

Deus, secundum aliquid, idem prorsus, quod essentia significat. diff. 64. n. 4.

Deus est resolubilis in plures conceptus. exp. art. 6. q. 3. dist. 8. num. 1.

Deus generat, est vera propositio, non tamen essentia generat. ibid. num. 38.

Deus, personis præintellectus, nec generat, nec generatur, logicè loquendo. ib. n. 47.

Deus genitus non generat, est propositio vera. diff. 65. num. 15.

Deus non generat, est absolutè falsum. ibi. num. 16.

Deus personis præintellectus, est vera propositio, & hæc est falsa, Deus generat. ibi.

Deus est summe simplex, & nullo modo compositus, aut componibilis. exp. art. 2. q. 1 dist. 8.

Deus non concipitur perfectè sine infinitate. exp. art. 6. q. 3. dist. 8. num. 2.

Deus, & creatura conueniunt in realitate entis. ibid. num. 5.

Deus non est vnus personaliter, nec attributaliter. diff. 67. num. 43.

Deus non est compositus, & quare. ibidẽ num. 45.

Deus

Deus eſt immutabilis, & quare. expo. art. 2.q.5.diſt.8.

Deus poteſt à viatore diuerſis nominibus nominari. diſt.81.num.19.

Deus quare dicitur inefabilis. ibi.n.26.

Deus non refertur realiter, nec ratione ad creaturas per relationes, quibus creaturæ referuntur ad ipſum. diſſ. 97. n. 11.

Deus intrinſecè denominatur dominus, & creator per relationem rationis ab intellectu creato derelictam. ibid.num.15.

Deus denominatur realiter creator, & Dominus, ex eo quod terminat relationes creaturarum. ibid.num.18.

Deus eſt quantus quantitate virtutis. diſ. 58 num.20.

Deus Pater dilectione voluntatis genuit Deum Filium. diſſ.99.num.5.& 6.

Deus dicitur ſummè ſimplex, etiamſi in eo detur diſtinctio formalis. diſ.54.n.62.

Dicere.

Dicere, & intelligere in Patre diſtinguuntur ex natura rei formaliter. expo. art.5.q.4. diſt.2.num.10.

Dicere, nõ diſtinguitur formaliter à principio formali dicendi. ibid.

Dicere in actu primo, eſt memoria fœcunda Patris. ibid.

Dicere, non eſt verum productum formaliter, ſed cauſatiuè. diſſ.49. num.9.

Dicere, eſt productio: & intelligere, operatio. ibid.num.23.

Dicere in nobis, eſt actio de genere actionis. exp.art.7.q.6.diſt.3. num.2.

Dicere in nobis, dicitur generare. exp.art, 5.q.6.diſt.3.num.3.

Dicere, & ſpirare in Deo, non ſe habent, ſicut intelligere, & velle. exp. art.2.q.1. diſt. 11.num.1.

Differre.

Differre, & diuerſificari, cauenda ſunt in myſterio Trinitatis. diſ. 47.n.35.

Differentia.

Differentia eſſentialis eſt in eadem ſpecie prædicamentali cum ſuo genere. diſſ.47.n.11

Differentia formarum importat diſtinctionem. ibid.num.35.

Differentia vltima dupliciter dicitur. diſſ. 59.num.10.

Differentia conſtituẽs compoſitum metaphyſicũ cum genere non dicitur vltima. ibi.

Differentia vltima propriè, eſt ſimpliciter ſimplex. ibid. num. 12.

Differentia ſuperior non prædicatur de inferiore. ibid. num.30.

Diſputatio.

Diſputatio de re impoſsibili, aliquãdo eſt vtilis. diſ.72.num.2.

Diſtinctio.

Diſtinctio, differentia, & diuerſitas, non idem ſignificant. diſ.47. n.35.

Diſtinctio præciſe eſt inter duo poſitiua, quorum vnum non eſt aliud. ibid.

Diſtinctio datur inter tres diuinas perſonas, non tamen differentia, aut diuerſitas. ibidem.

Diſtinctio inter eſſentiam, & relationes diuinas, non eſt virtualis, ſed formalis actualis. diſ.54.n.22. & ſequentib.

Diſtinctio, & non identitas formalis pro eodem vſurpantur in diuinis. ibi.n.27.

Diſtinctio, & non identitas differunt. ibidem.

Diſtinctio ſequitur ens. ibi. n.30.

Diſtinctio non diuiditur primo in realẽ, & rationis, ſed in diſtinctionem rationis, & ex natura rei. ibid.num.96.

Diſtintio rationis, quid, & quotuplex ſit. ibidem. num.31.

Diſtinctio ex natura rei, quid, & quotuplex ſit. ibid.num.32.

Diſtinctio pure formalis quid ſit. ibidem num.33.

Diſtinctionis formalis inuentor fuit Scotus. ibidem.

Diſtinctio formalis non datur inter plures formas, ſed formalitates. ibid.n.34.

Diſtinctio formalis, & diſtinctio formarum differunt. ibidem.

Diſtinctio ex natura rei modalis, quid ſit, ibid.num.35.

Diſtinctio ex natura rei potentialis, quid ſit. ibid. num.36.

Diſtinctio formalis eſt quædam non identitas in primo modo dicendi per ſe. ibidem num.38.

Diſtinctio formalis optimè à Rubione explicatur. ibid. cũ ſequentib.

Diſtinctio rationis, quam Concilia concedunt inter eſſentiam, & relationes, quamodo intelligatur. ibid.num.56.

Diſtinctio formalis non opponitur ſimpliciter. ibidem. num.62.

Diſtinctio formalis actualis datur inter eſſentiam, & relationes. ibidem nu.66.cum ſequentibus.

Diſtinctio rationis non ſufficit ad deſtruẽdam contradictionem prædicatorũ. ib.n.76.

Diſtinctio inter eſſentia, & relationes non eſt ſpecifica, ſed pure formalis. ibi.n.95.

Distinctio formalis in diuinis probatur auctoritatibus, etiam eam impugnantibus. nu. 66. & 100.

Distinctionem realē inter Deum, & Deitatem, relationes, & attributa posuit Gilbertus, & hanc damnat Concilium Remense. ibid. & sequentib.

Distinctio formalis in diuinis datur inter distinctas quidditates, non vero inter distinctas res. ibid. num. 117. & 118.

Distinctio entium requirit existentias reales. ibid.

Distinctio quidditatiua datur inter essentiam, & relationes. ibid. num. 120.

Distinctio realis non petit fundari super actualem oppositionem. ibid. num. 124.

Distinctio dicitur maior alia, quia aliam infert. ibid. num. 125.

Distinctio realis infert distinctionem formalem numericam, non tamen è contra. ibi.

Distinctio formalis specifica non infert realem specificam, nec è conuerso. ibid.

Distinctio formalis specifica maior est distinctione pure formali. diff. 67. n. 34.

Distinctio nulla est relatio, nisi præsuppositiuè. ibid. num. 95.

Distinctio maior, quoad esse in eodem, minorem repugnantiam dicit, quàm distinctio minor. diff. 78. num. 31.

Donum.

Donum quid sit. exp. art. 1. q. vnic. dist. 18. num. 1.

Donum dicitur tripliciter. ibi. num. 2.

Donum, & datum inter se differunt. diff. 78. num. 5.

Donum duplicem respectum importat. ibid. num. 6. 10. & 11.

Donum est ens per se. ibid. num. 8.

Donum est proprietas personalis solius Spiritus Sancti, sed non constitutiua. ibidem num. 9. & 12.

Duratio.

Duratio est conditio existentiæ, inferentis necessitatem, vel contingentiam. diff. 55. num. 35.

Duratio æterna est existentiæ necessariæ, & non possibilis. ibid.

Duratio temporalis est existentiæ possibilis, seu contingentis. ibid.

E.

Effectus.

EFFECTVS aliquis est formaliter necesse esse, si Deus necessario ageret. exp. ar. 8. q. 5. dist. 88.

Effectus nullus, vt effectus, representat Trinitatem. dif. 60. num. 11.

Effectus naturaliter à nobis notus, nō procedit à Deo, vt trino, sed vt vno. ibid.

Effectus non sunt à Deo, vt generāte, sed vt creante. ibid.

Eleuatio.

Eleuatio non extrahit potentiam à ratione potentiæ. exp. art. 1. q. 3. dist. 3. n. 5.

Ens.

Entis conditiones, aliæ dicunt perfectionem, aliæ imperfectionem. expos. art. 5. q. 4. dist. 2. num. 21.

Ens quodlibet à se ipso habet vnitatem intrinsecam, & distinctionem. dif. 52. n. 50.

Ens diuiditur in ens in anima, & in ens extra animam. dif. 54. num. 28.

Ens extra animam est ens reale, & ens in anima ens rationis, secundùm Arist. ibi.

Ens extra animam comprehendit omnes entitates reales. ibid.

Ens non est æquiuocum Deo, & creaturis. dif. 58. num. 31.

Ens non est analogum Deo, & creaturis primo, & secundo modo. bene tamen tertio modo. ibidem.

Ens est vniuocum obiectiuè Deo, & creaturis, de quibus vniuocè prædicatur. ib. n. 34.

Ens dicitur prius Deo, & in quo sensu. ibidem num. 45.

Ens prædicatur de multis, quæ in indiuiduo speciei continentur. exp. a. 4. q. 3. dist. 3.

Ens dicitur simplicius Deo. dif. 58. n. 43.

Ens includitur in omni ente reali. dif. 59. num. 8.

Ens non prædicatur de differentia vltima proprie dicta. ibid. num. 10. & seq.

Ens non est genus ad ea, de quibus prædicatur. ibid. num. 13.

Ens habet passiones distinctas ab ipso ex natura rei positiuè. ibid. num. 14.

Ens sub ratione veri est obiectum intellectus, & sub ratione boni, voluntatis. ib. n. 16.

Ens non prædicatur in quid de suis passionibus, & quare. ibid. num. 17.

Ens realiter cum suis passionibus identificatur. ibid. num. 18.

Ens prædicatur in quid de Deo, generibus speciebus, & de indiuiduis creaturarum. ibid. num. 19.

Ens non prædicatur in quid de suis passionibus, modis intrinsecis, ac vltimis differentijs. ibid. num. 22. & 23.

Ens prædicatur in quid de Deo. diffic. 59. num. 1.

Ens est vniuocum prædicatum, quod de omni ente prædicatur. ibi. num. 24.

Ens prædicatur de omni per se intelligibi di, identicè, & denominatiuè. ibid. n. 26.

Ens, res, & aliquid idem omninò sunt. ibi. num. 16. & 26.

Ens est obiectum primum adæquatum nostri intellectus. expo. art. 6. q. 3. dist. 3.

Ens est primum obiectum primitate communitatis & virtualitatis. ibid.

Ens reale in mente diuina dicitur ens ratum, & firmum. exp. art. 4. q. 5. dist. 3. n. 1.

Ens rationis non dicitur ens ratum. ibid.

Ens singulare resoluitur in plures cõceptus. exp. art. 6. q. 3. dist. 8. n. 1.

Ens singulare creatum componitur ex genere, & differentia. ibid.

Ens, res, & aliquid, synonime conuertuntur. diff. 67. num. 24.

Ens primo diuiditur per quantum, & non quantum. diff. 68. num. 42.

Error.

Error Abbatis Ioachim proponitur, & refutatur. diff. 64. num. 3. & seq.

Essentia.

Essentia diuina tantùm est ex se suum esse, & existere absolutum. dif. 47. n. 34.

Essentia diuina quatuor quidditatiuè includit. diff. 48. num. 9.

Essentia diuina constituit memoriam fœcundam, & etiam intelligentiam, & sub qua ratione. diff. 49. num. 19.

Essentia diuina nequit sub eadem ratione formali esse intellectus, & obiectum. ibidem num. 32.

Essentia quid sit, & quid importet. dif. 53. num. 12.

Essentia, vt sic, non includit existentiam, aut subsistentiam. ibid.

Essentia diuina, & relationes mutuà ad inuicem prædicantur. diff. 54. n. 53.

Essentia diuina, & personæ realiter identificantur. ibid. num. 56.

Essentia, & relatio sunt nomina substantiua. ibid. num. 74.

Essentia diuina dicitur summè infinita, & quare. ibid. 108.

Essentia, & esse, habent se, vt concretum, & abstractum. diff. 55. num. 10.

Essentia diuina, personis præintellecta est in vltima actualitate perfectè subsistés. diff. 56. num. 18. & 25.

Essentia diuina, ob sui fœcunditatem, est communicabilis tribus. ibid. num. 29.

Essentia diuina nullum esse accipit à relationibus, imo eis dat esse. ibid. n. 30.

Essentia diuina propter identitatem cum personis dicitur subsistere in illis. ibid.

Essentia diuina est obiectum volũtarium intellectus creati. exposit. artic. 3. q. 1. dist. 3. num. 3.

Essentia diuina perfectius causat visionẽ beatam, quàm intellectus creatus. expos. art. vnic. q. 8. dist. 3. n. 2. 4. & 6.

Essentia diuina, nec generat, nec generatur. exp. art. 1. q. 1. dist. 5. & diff. 64. num. 25. & sequentibus.

Essentia est Pater Filij, est verum, sumpto Patre substantiuè. exp. art. 5. q. 1. dist. 5.

Essentia diuina quæ prædicata habeat, & quomodo de ea prædicentur. difficult. 64. num. 32.

Essentia est paternitas, est vera propositio. ibid. num. 34.

Essentia, & hic Deus sunt omnino idem, & in quo sensu. ibid. num. 38.

Essentia est magis abstracta, quàm Deitas. ibid. num. 17.

Essentia diuina est terminus formalis in vtraque productione diuina. expos. art. 2. q. 2. dist. 5.

Essentia diuina non dicitur subiectum diuinæ generationis. exposit. artic. 3. quæst. 2. dist. 5.

Essentia dicitur proprie de Deo. exp. arti. 4. quæst. 2. dist. 5. num. 6.

Essentia diuina dicitur fundamentum diuinarum relationum. exposit. art. 6. quæst. 2. dist. 5.

Essentia diuina est proprie terminus formalis diuinæ productionis. diff. 66. n. 19.

Essentia diuina est principium formale generandi. exp. art. 5. q. vnic. dist. 7.

Essentia diuina non est principium per se generationis diuinæ. exposit. artic. 6. quæst. vnic. dist. 7.

Essentia diuina, nec est per se sapiens, nec non sapiens. diff. 67. num. 40.

Essentia diuina identificat relationes. ibi. num. 32.

Essentia diuina non est ex natura rei principium productiuum. ibid. num. 74.

Essentia diuina est pelagus omnium perfectionum, & causa omnium rerum. diff. 68. num. 32.

Essentia diuina ad agendum non determinatur per relationem. exp. ar. 3. q. vnic. dist. 7.

Essentia diuina dicitur pelagus. exp. art. 6. q. 4. dist. 8. num. 1. & 2.

Essentia diuina non potest esse principiũ naturale, & liberum. expo. art. 5. q. vnic. dist. 13.

Essentia diuina est à se, & in se formaliter infinita, non vero attributa. exp. art. 7. q. vni. dist. 13.

Essentia diuina est prima entitas communicabilis, & proprietas personalis prima incommunicabilis. diff. 86. num. 17.

Essentia diuina mouet diuinum intellectum ad intelligere, & producere: diuersimodè tamen. diff. 88. num. 11.

Essentia diuina seruat ordinem in mouendo diuinum intellectum. ibid.

Essentia diuina mouet diuinum intellectum ad sui, & creaturarum cognitionem. ibid. num. 31.

Essentia diuina fundat relationes originis diuerso tamen modo. expos. art. 3. q. vnica dist. 31. num. 2.

Essentia diuina fundat relationem æqualitatis secundùm vnitatem. ibid.

Essentia diuina includit attributa specificatiuè, non reduplicatiuè. diff. 67. n. 93.

Essentiale.

Essentiale, sumptum contra accidentale, prædicatur de omni entitate diuina. diffic. num. 89.

Euidentia.

Euidentia datur sine demonstratione dialectica. diff. 61. num. 15.

Ex.

Ex, & à, præpositiones, differunt. exp. art. 4. q. vnic. dist. 20.

Ex, & à, gramatice idem significant, sed nõ logicè. diff. 47. n. 37.

Exemplar.

Exemplar est duplex, creatum, & increatum. exp. art. 1. q. 4. dist. 3. num. 3.

Existentia.

Existentia quid sit, exponitur. dif. 53. n. 13.

Existentia creata, licet sit prædicatum accidentale essentiæ, ex tamen de eius quidditate in esse reali. ibid.

Existentia increata est de quidditate essentiæ diuinæ, vt essentia est. ibid.

Existentia conuenit, tàm substãtiæ, quàm accidenti. ibid. num. 14.

Existentiæ multæ in vno supposito reperiuntur. ibid.

Existentia vnica solùm datur in diuinis. diff. 54. num. 117.

Existentia est modus intrinsecus entitatis. diff. 55.

Existentia distinguitur, & idẽtificatur eo modo, quo entitates, ad quas sequitur. ibid.

Existentia Dei dat esse, & durare. diff. 69. num. 5.

Existentiæ tot sunt in Deo, quot in eo sunt entitates. ibid. num. 12. & 25.

Existentiæ relatiuæ in Deo sunt plures, quàm tres. ibid. num. 12. & 13.

Existentia non prædicatur de subsistentia tanquam superius de inferiori. ibid.

Existentiæ in Deo qualiter numerari debent. ibid. num. 16. & 24.

Existentiæ relatiuæ in Deo constituunt numerum inter se, non vero cum absoluta comparata. ibi. & diff. 56. num. 26.

Existentia creata accidit essentiæ creaturæ, diuina vero est de quidditate Dei. expos. art. 5. q. 7. dist. 2. n. 2. & diff. 55. n. 28.

Existentia, & esse idem significant. ibidem num. 4.

Existentia absolutè non multiplicatur in Deo. ibid. & num. 20. & 26.

Existentia proprie quid sit, & cui conueniat. diff. 55. num. 10.

Existentia est duplex; necessaria, & contingens. ibid. num. 17.

Existentia relatiua spirationis actiuæ datur in Deo. ibid. num. 21.

Existentiæ relatiuæ in Deo sunt tres, quæ realiter distinguuntur. ibid.

Existẽtia creata est modus intrinsecus essentiæ, ab ea negatiuè distinctus. difficul. 53. num. 22.

Existere.

Existere in se, & existere à se differunt. dif. 53. num. 27.

Experientia.

Experientia facit habere infallibilem certitudinẽ veritatis in intellectu viatoris. exp. art. 3. q. 4. dist. 3.

F.

Factiuum.

FACTIVVM, & actiuum sunt differentiæ accidentales potentiæ productiuæ. diff. 47. num. 9.

Fides.

Fidei mysteria sunt supra naturam, sed natura non repugnant. dif. 57. n. 18.

Fidei mysteria, ex eo quod sunt credibilia sunt possibilia. ibid.

Fidei assensus supponit veritatem credibilem esse possibilem. ibid.

Filius.

Filius Dei non dependet à Patre, & quare. exp. art. 2. q. 4. dist. 2. n. 1.

Filius, etsi producat Spiritum sanctũ, non tamen

tamen est primum principium productiuũ. diff.47.num.36.

Filius Dei non potest alium Filium producere.exp.art.5.q.4.dist.2.n.9.& 10.

Filius Dei non est genitus de substantia Patris,vt de quasi materia.exp. art. 1.q.2.dis. 1.num.1.

Filius Dei assimilatur Patri in natura, sed non in relatione.diff.51.num.17.

Filius in diuinis magis dicitur similis Patri,quâm Filius in creatis.ibid.

Filius vnus non est magis imago Patris, quam alter.diff.52.num.42.

Filius in creatis dicitur imago,sed nõ Verbum Patris.ibid.num.43.

Filius est imago,sed non è contra. diff.62. num.10.

Filius est imago Patris.ibi.n.19.& 34.

Filius est genitus de substantia Patris.exp. art.4.q.2.dist.5. per totam.

Filius Dei non est productus ex nihilo. ibid. num.5.

Filius Dei non est in potentia subiectiua, vt generetur.exp. art. 1.q.vnic.dis.7.n.9.

Filius Dei nullatenus dicitur generare se ipsum.diff.69. num. 17.

Filius Dei non verè dicitur generari in quauis temporis differentia. ibid.n.18.

Filius Dei generabitur, est falsa propositio. ibidem.

Filius in diuinis cõstituitur filiatione præcise,abstracta â virtute spiratiua.difficul.72. num.21.

Filius spirat Spiritum sanctum, sed non à se.exp.art.2.q.2.dist. 12.n.2.

Vide verbum,*Pater.*

Forma.

Forma,prout in composito,est prior materia, licet absolutè materia sit forma prior. diff.49.num.17.

Forma accidentalis,quæcunque sit, componit cum substantia vnum per accidens. exp.art.9.q.6.dist.3.num.2.

Forma est terminus actionis, sed non generationis.exp.art.9.q.6. dist.3.n.1.

Forma partis,& forma totius,quid sint, exponitur.diff.66.num.7.

Forma creata dicit perfectionem, & imperfectionem.exp.art.7.q.4.dist.8.

Forma dat subiecto totum suum esse formale.diff. 30. num.7.

Formalitas.

Formalitas est ratio quidditatiua â parte rei,quæ habetur per definitionem. diffic.54. num.40.

Formalitas appellatur ab Scoto realitas. ibidem.

Frustra.

Frustra,quæ dicantur,secundùm Aristot. exp.art.4.q.4.dist.2.num.4.

G.

Generatio.

GENERATIO sumitur dupliciter. diff. 51.num.7.

Generatio proprie conuenit viuentibus, & non viuentibus.ibid.

Generatio late dicitur productio viuentis,à viuente. ibid.

Generationis definitio ponitur, & explicatur. ibid.nu.10.

Generatio dicit naturalem habitudinem, inter producens,& productum.diff.52.n.49.

Generatio sumitur rigorose, vel prout â creatione distinguitur.exp. art.9.q.6. dist.3. num.3.

Generatio à creatione distincta, omnibus productionibus conuenit. ibid.

Generatio nostræ notitiæ triplicem relationem dicit.ibid. num.4.

Generatio est productio vniuoca. dif. 66. num.15.

Generatio diuina habet terminum formalem,&totalem.ibid.num.22.

Generatio increatis aliquid imperfectionis continet.diff.86.num.14.

Generatio diuina constituit suppositum patris.ibid.num.38.

Genus.

Genus est extra rationem differentiarum. dif.59.num.8.

Genus non prædicatur in quid de differentijs.ibid. num.30.

Genus aliter concipitur, quàm ens.expo. art.6.q.3.dist.8.num.1.

Gradus.

Gradus intrinsecus optimè explicatur, & est duplex.dif.67.num.28.& 29.

Vide verbum,*modus.*

Gratia.

Gratia gratum faciens appellatur quilibet habitus supernaturalis, quomodolibet sanctificans.dif.77.n.17.

H.

Hæcceitas.

HÆCCEITAS non reddit naturam suppositatam.dif.53.num.20.

Hæretici.

Hæretici omnes, qui mysterium Trinita-

tis negauerunt, cum ſuis erroribus numerãtur. diſſ. 46. num. 2. & ſequentib.

Hæreticorum obcæcatio tradidit eos in reprobum ſenſum. ibid. num. 35.

Heloim.

Heloim ſignificat pluralitatem perſonarum. diſ. 46. num. 15.

Homo.

Homo producit Verbum per intellectum & amorem per voluntatem. diſ. 47. n. 9.

Homo hic, nõ ſupponit pro perſona, ſed pro individuo. diſſ. 63. num. 31.

Humanitas.

Humanitas Domini non per ſe independenter ſubſiſtit. diſſ. 53. num. 15. & diſſ. 56. num. 18.

Humanitas eſt tertia entitas à ſuis partibus reſultans. ibid. num. 16.

Humanitas dependet à proprio, ſeu alieno ſuppoſito. ibid.

Humanitas, nec de potentia Dei, poteſt ſine propria, aut aliena ſubſiſtentia ſubſiſtere. ibid.

Humanitas Chriſti per ſe exiſtit in Verbo. ibid. num. 21.

Humanitas Chriſti non dicitur prima ſubſtantia. ibid. num. 26.

Humanitas Chriſti naturaliter appetit propriam ſubſiſtentiam. ibid. num. 27.

Humanitas Chriſti non eſt ita completa ſubſtantia, ſicut humanitas Patri. ibi. n. 50.

Hypoſtaſis.

Hypoſtaſis quid ſit, & quomodo cum ſubſiſtentia conuertatur. diſſ. 53. n. 20.

Hypoſtaſes non conceduntur quatuor in diuinis, licet bene quatuor ſubſiſtentiæ. ibi.

Hypoſtaſis duo dicit. ibid.

Hypoſtaſis, & ſuppoſitalitas ſunt idem. Vide verbum, *perſona, ſubſiſtentia, ſuppoſitum.*

I.

Idem.

IDEM eſſe prius, & poſterius ſe ipſo, dupliciter intelligi poteſt. diſſ. 66. n. 33.

Idem, & diuerſum ſunt paſsiones entis. diſſ. 54. num. 30.

Identitas.

Identitas formalis quid ſit, & eius definitio explanatur. diſſ. 54. n. 55.

Identitas perfectiſsima excludit compoſitionem. ibid. num. 62.

Identitas ſumma realis ſolũm excludit cõpoſitionem. diſſ. 67. n. 48.

Identitas realis eſt duplex. ibid. num. 49. & exp. art. 5. q. 4. diſt. 8. num. 7.

Identitas realis aliquorum dupliciter intelligi poteſt. ibid. num. 51.

Imaginatiua.

Imaginatiua componit compoſitum ex diuerſis rebus. exp. art. 5. q. 1. diſt. 3. n. 2.

Imago.

Imago ad generationem diuinam requiſita in quo conſiſtat. diſſ. 52. n. 39.

Imago ex parte termini infert generationem à poſteriori. ibid. num. 40.

Imaginis ratio in quodam reſpectu conſiſtit. ibid. num. 41.

Imaginis ratio fundatur in origine paſsiua producti. ibid.

Imago differt à veſtigio in ratione repræſentandi. expo. art. 1. q. 9. diſt. 3. num. 1. & ſequentibus.

Imago Trinitatis eſt in anima noſtra. ibi. exp. art. 7. num. 1.

Imago Dei perfectius reperitur aliqualiter in Angelo, quàm in homine, & perfectius etiam in homine, & perfectius etiam in homine, quàm in Angelo. ibid.

Imago trinitatis eſt perfecta, & perfectiſsima. ibid. num. 4.

Imago, & veſtigium Dei ex triplici obiecto inueſtigantur. ibid. num. 6.

Imago Trinitatis eſt in potentijs animæ noſtræ, prout ſunt ſub actibus ſecundis. ibid. exp. art. 3. n. 3.

Imago Trinitatis non eſt in anima noſtra quoad originationem vnius perſonæ ab alia, ſed ſolùm ſecundum ordinem. ibid. expoſ. art. 5.

Imago, & Filius habent ſe, vt ſuperius, & inferius. diſſ. 62. n. 10.

Imago aliter dicitur de Filio, & aliter de homine, vt eſt imago Dei. ibi. n. 11.

Imago imitatur exemplar dupliciter. ibi. num. 12.

Imago hominis non reperitur in vermo ab ipſo genito, nec in vno ouo reſpectu alterius. ibid. num. 13.

Imago exprimitur per exemplar, & qualiter. ibid. num. 14.

Imago dicit relationem ad exemplar, & ad producens. ibid.

Imago omnis conuenit in relatione prototypi, non vero in relatione ad producens. ibid. num. 15.

Imago, & verbum differunt. diſſ. 60. n. 14.

Imago, & veſtigium conueniunt, & differunt. ibid.

Imago non cognoſcitur, niſi prius cognito imaginato. ibid.

Imago qualiter in Verbo creato reperitur ibid.num.16.

Imago diuina, & humana inter se differunt.ibid.num.17.

Imago proprie reperitur in Deo. ibidem num.19.

Imago conuenit Verbo diuino notionaliter, & non essentialiter.ibid.nu.24.

Imaginis ratio non conuenit Spiritui sancto.ibidem num.25.

Imago non dicit relationem ad intelligentem.ibid.num.33.

Imago proprie conuenit vni personæ diuinæ respectu alterius, & improprie, respectu creaturæ. ibid. num.35.

Imago dicit similitudinem ad illud, cuius est imago.ibid.

Imago sæpe cum similitudine confunditur â Patribus.ibid.n.36.

Incarnatio.

Incarnatio est opus adextra dicens respectum ad totam Trinitatem.dif.76.n.7.

Indeterminatio.

Indeterminatio, alia est potentiæ actiuæ, alia potentiæ passiuæ.exposit. art. 3.q.vnic. dist.7.

Indiuiduum.

Indiuiduum Deitatis est, quod operatur ad extra.diff.56.num.24.

Indiuiduum Deitatis datur antecedenter ad personas. ibid.

Indiuiduum creatum dupliciter intelligitur antecedere suppositum.dif.93.n.17.

Indiuiduum totale plura partialia indiuidua continet. ibidem.

Indiuiduum datur sine subsistere. ibid.

Indiuiduum multiplicatur solûm, ad multiplicationem termini formalis.ibi.n.32.

Indiuiduum Deitatis requirit necessariò subsistentiam absolutam.ibid.num.38.

Indiuiduum speciei plura cõtinet, de quibus ens prædicari potest. exposit. art.4.q.3. dist.3.

Infinitas.

Infinitas est modus intrinsecus Dei, non varians eius quidditates, sed eas identificans diff.54.num.42.44. & 47.

Infinitas identificat sibi omne compossibile.ibidem num.44.

Infinitas Dei non competit creaturis.exp. art.4.q.1.dist.3.

Infinitas Dei cognoscitur naturaliter à viatore.ibidem.

Infinitas Dei non facit cum essentia vnũ conceptum per accidens. ibid.

Infinitas, & finitas sunt quantitas virtutis.diff.68.num.42.

Infinitas essentiæ non multiplicatur ad multiplicationem relationum.ibid.num.51.

Infinitas est gradus intrinsecus, tàm essentiæ, quàm attributorum.dif.67.n.30.& 78.

Infinitas excludit distinctionem realem, non vero formalem.ibi.n.80.

Infinitas identificat omnia realiter, non vero formaliter. ibid. num.92.

Infinitates plures formaliter distinctæ dãtur in Deo.dif.68.num.81.

Infinitum.

Infinitum est duplex, aliud formale, & aliud per identitatem.dif.67.n.92.

Infinitum quid sit, secundùm Scotum.dif. 68.num.29. & sequentibus.

Infinitum in proprio genere quid sit. ibi.

Infinitum intensiuum duo habet. ibid.

Infinitum entitatiue, & in proprio genere differunt, & conueniunt.ibid.n.33.

Infinita formaliter non possunt dari plura distincta.ibid. num.66.

Infinitum formaliter, identificat sibi omne compossibile.ibid.n.70.

Ingenitum.

Ingenitum in diuinis non admittebant Patres Græci, & quare.diff.91.num.6.

Ingenitum diuersimodè sumitur à Theologis.ibid.num.7.

Ingenitum est nomen connotatiuum.ibi. num.8.

Ingenitum multipliciter considerari potest.ibid.num.9.

Ingenitum est proprium æterni Patris.ib. num.15. & sequentib.

Ingenitum non constituit Patrem. ibid. num.17.& seq.

Intellectio.

Intellectio, & volitio creatæ sunt qualitates productæ.exp.art.7.q.6.dist.n.2.

Intellectio dicit ad obiectum relationem transmutati ad transmutans, quæ est extrinsecus aduenies.exp art.6.q.7.dist.1.

Intellectio dicit ad obiectum relationem secundi modi, quæ est intrinsecus aduenies. ibidem.

Intellectio in Deo non est actus productus.diff.88.num.13.& 14.

Intellectio dicit ad obiectum relationem tertij modi, quæ est transcendentalis. ibidem.

Intellectio essentialiter supponit obiectum.dif.62.num.32.

Vide verbum *cognitio, notitia.*

Index rerum notabilium operis Auctoris.

Intellectus.

Intellectus diuinus est formalissime intelligens actu essentiali. exp. art. 4. q. 4. dist. 2. num. 1.

Intellectus diuinus non perficitur notitia genita. ibidem.

Intellectus diuinus vnica productione sapiat. ibid. num. 4.

Intellectus noster, vt agens, & vt possibilis, est productiuus. ibid. n. 6.

Intellectus paternus est productiuus. ibi.

Intellectus in Deo sumitur duplicitèr. dist. 48. num. 10.

Intellectus in Deo non est attributum. ibidem.

Intellectus, & voluntas diuinæ, sunt potentiæ operatiuæ, & productiuæ. exp. art. 4 q. 5. dist. 2. num. 1. & dist. 49. num. 19. & 34. & dist. 64. num. 37.

Intellectus diuinus, vt productiuus, dicit, vt operatiuus, intelligit: primo modo est solius Patris, secundo modo totius Trinitatis. ibidem.

Intellectus diuinus, simul cum essentia sic vel sic vnita, dicitur memoria, & intelligentia. ibidem num. 4.

Intellectus creatus, ideo intelligit, quia dicit, sed non è contra. dist. 49. num. 35.

Intellectus diuinus dicit, quia intelligit, non è conuerso. ibid.

Intellectus diuinus, est simul potentia, & purissimus actus. ibid. num. 37.

Intellectus duplicitèr assimilat Verbum obiecto. dist. 51. num. 18.

Intellectus dicitur potentia naturalis, & assimilatiua. ibid.

Intellectus creatus tantùm assimilat Verbum obiecto, in esse intelligibili. ibid.

Intellectus diuinus assimilat Verbum obiecto, in esse reali, & in esse intelligibili simul. ibidem.

Intellectus diuinus cur dicatur generare, & non voluntas. dist. 52. num. 27. & 28.

Intellectus creatus non dicitur generare, & quare. ibid. num. 29.

Intellectus noster pro hoc statu solùm intelligit ea, quæ in phantasmate relucent, & quare. exp. art. 8 q. 3. dist. 3. num. 7.

Intellectus viatoris potest habere notitiã certam, & infallibilem primorum principiorum. exp. art. 5. q. 4. dist. 3.

Intellectus diuinus appellatur liber. exp. art. 6. q. 4. dist. 3. num. 7.

Intellectus pro nunc intelligit, medijs sensibus. exp. art. 4. q. 4. dist. 3. num. 30.

Intellectus creatus non potest naturaliter cognoscere distinctè aliquo modo mysterium Trinitatis. dist. 60. num. 19.

Intellectus viatoris est quicunque intellectus creatus non videns Deum. dist. 61. n. 1.

Intellectus agens, & phantasma producũt speciem intelligibilem, tàm singularis, quã vniuersalis. exp. art. 3. q. 6. dist. 3.

Intellectus est causa principalior notitiæ. exp. ar. 8. q. 7. dist. 3. num. 5.

Intellectus est conseruatiuus specierum intelligibilium. exp. art. 5. q. 6. dist. 3. q. 1.

Intellectus ad intelligendum phantasmata speculatur. exp. art. 6. q. 6. dist. 3. n. 3.

Intellectus, & est memoria, & est intelligentia. exp. art. 2. q. 9. dist. 3. n. 3.

Intellectus paternus non prius intelligit, quàm producat Filium. dist. 88. n. 27.

Intellectus causat secundas intentiones, & quomodo. dist. 97. num. 7.

Intellectus diuinus est ex naturâ rei productiuus. dist. 67. num. 74.

Intellectus diuinus cognoscit essentiam, & attributa intuitiuè. ibid.

Intellectualitas.

Intellectualitas est de quidditate Dei, non tamen intellectus, nec voluntas, difficul. 48. num. 9.

Intelligentia.

Intelligẽtia sumitur pluribus modis. exp. art. 5. q. 4. dist. 2. num. 18.

Intelligentia est in tribus personis. dist. 49. num. 19.

Intelligentia, & memoria in Patre habẽt se, sicut commune, & speciale. ibid.

Intelligentia in diuinis nullatenus pertinet ad principium producendi. ibid.

Intelligentiæ mutantur. exp. art. 5. quæst. 3. dist. 8.

Intelligere.

Intelligere in Deo est duplex, essentiale, & notionale. dist. 48. num. 21.

Intelligere essentiale conuenit tribus personis, notionale autem soli Patri. ibid.

Intelligere immediatius est Patri, quàm dicere. dist. 49. num. 8.

Intelligere, & dicere dicunt ordinem, conuenientiæ, licet sint diuersæ rationis. ibi.

Intelligere est concretum intellectionis. ibid. num. 9.

Intelligere est operatio vitalis. ibid.

Intelligere creatum non est productio, sed effectus formalis intellectionis. ibid.

Intelligere diuinum non est productum. ibidem.

Intelligere formaliter quid ſit. ibi.n.10.
Intelligere noſtrum,& diuinum, maxime inter ſe differunt.ibid.num.15.
Intelligere noſtrum non poteſt fieri ſine verbo mentis. ibid.
Intelligere noſtrum pendet â verbo, tanquam â cauſa formali. ibid.
Intelligere noſtrum præſupponit dicere. ibidem.
Intelligere Dei non præſupponit dicere, nec ab eo dependet. ibid.
Intelligere,nec in Deo,nec in nobis præſupponitur formaliter ad dicere.ibi.nu.6.
Intelligere diuinum non conuenit Patri, vt Pater eſt. ibid.
Intelligere diuinũ in Patre eſt poſterius ad dicere,licet oppoſitum ſit probabile. ibi. num.17.& 18.
Intelligere diuinum eſt ab intelligentia, dicere autem â memoria.ibi.n.19.& 20.
Intelligere,& dicere, in Deo ſunt idẽ realiter;& formaliter diſtinguuntur. ibi.n.23.
Intelligere notionale excogitatum à Thomiſtis;refellitur.ibid.num.29.
Intelligere eſſentiale poſtulat eſſentialiter principium,& obiectum. ibid.n.32.
Intelligere ſumitur, vel pro intellectione formali,vel actuali.exp.art.8.q.6. d.3.n.3.
Intelligere eſt effectusformalis verbi mẽtis.ibid.num.5.

Intentio.

Intentio ſecunda prædicabilis, præſuppõnit primam.diff.82. num.3.
Intentio ſecunda cauſatur ab intellectu, & quomodo. diff. 97.n.7.vide multa.
Intentio ſecunda cauſatur à voluntate. ibid.num.9.

L.

Libertas.

LIBERTAS eſt triplex.dif.48.num.14.& dif.52.n.56.& dif.71.n.17. & ſeq.
Libertas contradictionis, & contrarietatis differunt dupliciter.ibid.
Libertas ſolũm in creaturis ſpiritualibus reperitur.ibid.num.15.
Libertas eſſentialis ſaluatur cum neceſſitate,non tamen aliæ.dif.52.n.56.
Libertas non conſiſtit in amore complacentiæ.diff.71. num.12.
Libertas dicitur multipliciter. ibi. n.17.
Libertas contingentiæ non datur in Deo ad intra,ſed ad extra tantùm. dif.71. n.20.
Libertas eſſentialis in omni libertate includitur,tanquam quid præſuppoſitum.ibi.

Lumen.

Lumen gloriæ non extrahit intellectum â ratione potentiæ verè intellectiuæ. exp. art. 1.q.3.diſt.3.n. 6.

M.

Macedoniani.

MACEDONIANI negabant æqualitatem diuinarum perſonarum. diffic. 52. num.2.

Materia.

Materia prima non eſt vna poſitiue in Petro,& Paulo,ſed vna priuatiuè.exp. art. 1. q. 7.diſt.2.num.2.
Materia prima nõ componitur ex rebus. exp.art.1.q.2.diſt.8.

Mathematica.

Mathematica differt â Theologia in ſuis rationibus abſtrahendis. dif.54.n.116.

Maxima.

Maxima, quæ ſunt eadem vnitertio, ſunt eadem inter ſe,exponitur.diff.52.num.25.& exp.art.6.q.7.diſt.2.& dif.57.n.5.

Medium.

Medij illimitati vnitas non infert identitatem extremorum inter ſe. dif.57.n.25.

Memoria.

Memoria fœcunda formaliter,eſt quid notionale,& non eſſentiale. exp.art.5.q.4.diſt. 2.num. 10.
Memoria fœcunda formaliter non eſt in Verbo.ibid.
Memoria eadem fœcunda,quæ eſt in Patre,eſt etiam in Filio,remotè ſumpta.ibidem num. 12.
Memoria fœcunda eſt principium formale *quo*.ibid.num.19.
Memoria fœcunda in Deo diſtinguitur ab intelligentia.exp.art.4.q.5. diſt.2.n.3.
Memoria eadem quomodo dicatur principium intelligendi, & producendi.ibid.& diff.49.num.21.
Memoria, & intelligentia in Patre habẽt ſe,ſicut commune,& ſpeciale. dif.49.n.20.
Memoria eſt intellectus cum ſpecie intelligibili.exp.art.4.q.6.diſt.3.
Memoria ſolùm eſt in Patre.ibid.n.19.
Memoria fœcunda dicitur actus primus. ibid.num.22.
Memoria etiam in tribus perſonis reperitur.ibid.num.21.
Memoria fœcunda eſt principium generandi in Patre. diff.69.num.9.
Memoria fœcunda dupliciter ſumitur. ibidem.

Memo

Memoria fœcunda in Filio non eſt principium, ſed terminus. ibid.

Metaphyſica.

Metaphyſica appellatur Theologia finaliter, & principialiter. exp. art. 1. quæſt. 1. diſ. 3. num. 4.

Miſsio.

Miſsio in diuinis non dicit inferioritatem diff. 46. num. 37.

Miſsio de ſe duo importat, proceſsionem & manifeſtationem, & hoc ſecundum principialiter. diff. 76. num. 6.

Miſsio paſsiua duo requirit. ibi. n. 13.

Miſsio eſt duplex, viſibilis, & inuiſibilis. ibid. num. 10.

Miſsio Filij, & Spiritus ſancti, comparantur ad inuicem. ibid. num. 12.

Miſsio Spiritus ſancti eſt duplex, viſibilis & inuiſibilis. ibid. n. 10.

Mittere.

Mittere, ſeu mitti, non conuenit tribus perſonis. exp. art. 1. q. vnic. diſt. 14.

Mittere ſumitur aliquando pro manifeſtare. ibid. exp. art. 2.

Mittere conuenit perſonis producentibus, mitti autem perſonis productis. dif. 76. num. 6.

Mittere, non conuenit Trinitati. ibid.

Modus.

Modus rei nõn eſt res, nec entitas, nec aliquid. dif. 53. num. 22.

Modus rei reducitur ad rem, cum illaque identificatur. ibid.

Modus rei non eſt ens, ſed modus entis. ibidem.

Modus rei nullam formalitatem dicit, nec eſt conceptibilis. ibidem.

Modus rei diſtinguitur tantũm negatiuè à re, cuius eſt modus. ibidem.

Modus intrinſecus differt à differentia vltima. diff. 58. num. 26. & dif. 59. n. 8.

Modus intrinſecus dicitur conceptus determinans. diff. 59. num. 8.

Modus intrinſecus non dicit realitatem perficientem eſſentiam. expoſi. art. 6. q. 3. diſ. 8. num. 2.

Motus.

Motus diſtinguuntur ex terminis, quomodo ſit verum. diff. 52. n. 30.

Motus eſt actus entis in potentia, ſecundũm quod in potentia. ibid. & expoſit. art. 5. q. 7. diſt. 8.

Motus eſt per ſe ad notitiam intellectus. exp. art. 7. q. 6. diſt. 3. num. 2.

Motus non eſt per ſe ad actionem. ibidem num. 1.

Motus non eſt ad relationem intrinſecus aduenientem. ibid.

Mutatio.

Moratio dicitur verſio, & opponitur neceſsitati. exp. art. 5. q. 5. diſt. 8.

Mutatio habet rationem motus. ibid.

Mutatio ſubiectiua eſt duplex. ibi.

N.

Natura.

NATVRA viuentium nunquam in producendo ſatiatur. exp. art. 4. quæſ. 4. diſt. 2. num. 3.

Natura viuentium eſt ex ſe communicabilis. ibidem.

Natura quælibet eſt pluribus communicabilis per identitatem ſpecificam, ſeu formalem. exp. art. 1. q. 7 diſt. 2. n. 1. & 2.

Natura diuina eſt pluribus communicabilis, ſine ſui diuiſione. ibid. n. 11.

Natura creata eſt vna vnitate formali. ibidem.

Natura creata eſt idem realiter poſitiuè cum indiuiduo. ibidem.

Natura creata non eſt eadem poſitiuè in pluribus indiuiduis: bene tamen priuatiuè. ibidem.

Natura ſolis, eſt pluribus communicabilis. ibidem num. 4.

Natura diuina ex duplici capite determinatur ad certum numerum ſuppoſitorum. ibidem num. 5.

Natura diuina non poteſt eſſe in perſona producta, niſi ſit in perſona improducta. ibidem.

Natura diuina ex ſe determinatur ſic in perſona improducta. ibidem.

Natura diuina non poteſt eſſe in pluribus ſuppoſitis, quam in tribus. ibi. n. 6.

Natura omnis creata includit imperfectionem. ibidem num. 8.

Natura, & ſuppoſitum diſtinguuntur realiter negatiuè. dif. 53. num. 31.

Natura indiuidua, & ſingularis nõ eſt perſona. dif. 56. n. 34.

Neceſsitas.

Neceſsitas, altera opponitur contingentiæ, & altera libertati. diff. 52. n. 55.

Neceſsitas oppoſita libertati conuertitur cum natura. ibidem.

Neceſsitas quomodo dicatur eſſe conditio exiſtentiæ. diff. 55. n. 17.

Neceſ-

Necessitas non multiplicatur in Deo, ni si existentia multiplicetur. ibi. n. 18.

Necessitas est quadruplex. dis. 71. n. 34.

Necessitas tantùm est conditio existentiæ Dei. exp. art. 5. q. 7. dist. 2. n. 2.

Negatio.

Negatio non conuenit alicui, nisi ratione alicuius affirmationis. dis. 51. n. 20.

Negatio communicabilitatis in supposito, quid sit, exponitur. ibi. n. 29.

Negatio in quo sensu constituat personã. ibidem. num. 30.

Negatio quomodo debeat terminis anteponi, & postponi. dis. 65. num. 10.

Negatio præcindit ex parte intellectionis, non vero ex parte intellectus. diffic. 67. num. 41.

Negatio non est formaliter ens rationis. diff. 82. num. 10.

Negatio est duplex, in genere, & extra genus. diff. 91. n. 12.

Negatio differt à priuatione. ibidem numero 13.

Nihil.

Nihil, quid sit, formaliter loquendo. diff. 59. num. 27.

Nomen.

Nomine vti possumus quadrupliciter. expos. art. 3. q. vnic. dist. 22. n. 3.

Nomen quid sit, & quibus de causis imponitur rebus. dis. 81. num. 7.

Nomina, quibus Deus nominatur, declarantur. ibid. num. 12.

Nomen *Deus* distinctè significat essentiam, & cur de Sacerdotibus dicatur. ibidem num. 28.

Nominare. Nominari.

Nominari aliquid contingit tripliciter. exp. art. 3. q. vni. dist. 22. n. 2.

Nominare abstrahit ab imponere nomẽ, & nomine vti. dis. 81. num. 10.

Notio.

Notio, quæ datur in Patre est incommunicabilis Filio. exp. art. 1. q. 1. dist. 12. n. 1.

Notio quid sit. dis. 92. n. 4.

Notio differt à proprietate personale. ibid.

Notiones sunt quinque. ibid. & n. 12.

Notio differt ab actu notionali. ibidem numero 5.

Notiones, & attributa adinuicem prædicantur. ibid. num. 6.

Notionibus non tribuuntur actus essentiales, siue notionales, qui dãtur in Deo. ibi.

Notiones inuentæ sunt à Patribus, propter hæreticos. ibid. num. 8.

Notiones differunt à relationibus, & quare. ibid. num. 9.

Notiones possunt numerari sex. ibidem num. 11.

Notitia.

Notitia genita in diuinis non est in supposito producente. expos. art. 4. quæs. 4. dis. 2. num. 7.

Notitia intuitiua est cognitio euidens. diff. 61. num. 1.

Notitia euidens dari potest sine demonstratione. ibid. num. 15.

Notitia intuitiua, & abstractiua inter se differunt. ibid. num. 32.

Notitia abstractiua datur de re existente, vt existens est. ibidem.

Notitia intuitiua, quid sit formaliter, rectè exponitur. ibidem num. 33.

Notitia intuitiua terminatur ad rem, vt existens est. diff. 67. num. 73.

Notitia intuitiua præsupponit suum obiectum existens. diff. 89. num. 27.

Notitia intuitiua, & abstractiua differunt quoad obiectorum præsuppositionem. ibi.

Notitia componit vnum per accidens cum potentia. exp. art. 9. q. 6. dist. 3. n. 2.

Numerus.

Numerus constat ex pluribus vnitatibus, & eas sequitur. diff. 55. num. 16.

Numerus absolute importat vnitates realiter distinctas. ibid.

Numerus non augetur, nisi per vnitatem eiusdem rationis cum præcedentibus. ibidẽ num. 24. & diff. 56. num. 26.

Numerus proprie non reperitur in diuinis. exp. art. 2. q. vnic. diff. 24.

O.

Obiectum.

OBIECTVM relucens in specie producit sei ipsum in intelligentia. expos. art. 5 q. 4. dist. 2. num. 19.

Obiectum cognitum est duplex, vt *quod*, & vt *quo*. exp. art. 4. q. 2. dist. 3. n. 3.

Obiectũ sensus, vt *quod* est singulare substantiæ, vt *quo*, est accidens. ibid.

Obiectum adæquatum intellectus nostri non est quidditas rei materialis. exp. art. 1. q. 3. dist. 3. num. 4.

Obiectum habitus continetur sub obiecto adæquato potentiæ. ibid. n. 5.

Obiectum adæquationis dicitur obiectũ præ-

prædicationis.ibidem. expoſit. art.2.

Obiectum intellectus, ex natura intellectus,eſt ens,vt ens.ibi.exp.art.8.n.3.

Obiectum adæquatum potentiæ reſpicit eam, in ratione potentiæ abſolute. ibidem num.4.

Obiectum motiuũ intellectus noſtri pro hoc ſtatu eſt quidditas rei ſenſibilis. ibidem num.5.

Obiectum eſt cauſa actiua intellectionis. exp.art.6.q.7.diſt.3.

Obiectum nullam actiuitatem tribuit intellectui.ibid.exp.art.8. num.1.

Obiectum,& potentia ſunt cauſæ ordinatæ,ſed nõ ſubordinatæ, in cauſanda notitia. ibid.num.5.

Obiectum noſtri intellectus eſt triplex, exp.art.vnic.q.8.diſt.3.n.1.

Obiectum intellectus diuini eſt duplex, primarium,& ſecundarium.dif.70.n.11.

Obiectum motiuum,& terminatiuum diuini intellectus,declaratur.ibid.n.12. & dif. 89.num.15.

Obiecta ſecundaria diuini intellectus ſeruant ordinem inter ſe.dif.89. n.15.

Obiectum primarium prius eſt præſens diuinæ voluntatis, quàm ſecundarium. diff. 73.num.14.

Omnipotentia.

Omnipotentia eſt æqualis in tribus perſonis.exp.art.1.q. vni.diſt.20.

Omnipotentia non continet potentiam generandi. ibidem.

Omnipotentia,quid ſignificet,exponitur. dif.80.num.18.

Omnipotentia,& omniſcientia differũt. ibidem num.28.

Omnipotentia in ſe eſt forma abſoluta, nullatenus reſpiciens creaturas. difficul.88. num.55.

Operatio.

Operatio potentię non terminatur ad terminum,ſed ad obiectum.diff.49.n.27.

Operatio vitalis differt ab actione vitali. exp.art.8.q.6.diſt.3.num.3.

Operatio vitalis dicit ordinem tranſcendentalem ad obiectum.ibid.n.4.

Oppoſitio.

Oppoſitio non cauſat ſemper rerum in compoſsibilitatem, ſed interdum eſt cauſa naturæ ipſarum rerum.diff. 72.n.32.

Oppoſitio relatiua ſolùm inter relationes oppoſitas reperitur.ibid.n.54.

Ordo.

Ordo eſt duplex,alius ſuperioris,& inferioris,& alius ordo conuenientiæ. difficil.49. num.8.

Ordo perfectionis eſt duplex. exp.art.4. q.2.diſt.3.num.2.

Ordo ſeruatus in generatione compoſiti, declaratur.diff.66.num.7.

Ordo non datur ſine priori, & poſteriori diſſ.93.num.9.

Ordo ex duplex,realis,& rationis.ibidem num.10.

Ordo realis eſt triplex, durationis, naturæ,& originis.ibidem num. 11. & difficil. 88. num.16.

Ordo naturæ quid ſit, & inter quæ datur in diuinis.ibid. nu. 14.

Ordo originis quid,& quotuplex ſit. ibid. num.17.

Ordo naturæ, & originis reperiuntur in Deo.ibid.num.21. & 22.

Ordo naturæ non datur inter diuinas perſonas:bene tamen ordo originis. ibidem numero 23.

Origo.

Origo per voluntatem præſupponit Patrem,& Filium.dif.75.num.5.

P.

Paſsio.

PAssio entis eſt triplex,verum,bonum & vnum.diff.59.num.16.

Paſsiones entis ſunt ex natura rei poſitiue diſtinctæ.ibidem.

Paſsiones entis ſunt tranſcendentales dupliciter. exp. art.3.q.3.diſt.8.num.6.

Paſsiones entis quot ſint.dif.67.n.25.

Paſsio propria in creatis, quomodo dicatur idem realiter cum ſubiecto.ibi.n.34.

Pater.

Pater æternus dicitur cauſa Filij.diff.47. num.12.

Pater eſt prior Filio abſolutè. ibid. n.40.

Pater in creatis non perficitur Filio genito.exp.art.4.q.4.diſt.2.n.2.

Pater increatis non producit præciſe propter conſeruationem ſuæ naturæ. ibid.

Pater æternus prius eſt beatus, quàm generet. diff. 49.num. 18. & exp.art.1.q.vnic. diſt.6.num.4.& diff.88.n.20.

Pater æternus conſtituitur in eſſe tali per generare actiuè, & Filius per generari paſſiue.ibidem.

Pater non intelligit, non repugnat per locum

cum intrinſecum: bene tamẽ, Pater non dicit. ibidem.

Pater æternus produceret, etiam ſi non intelligeret. ibid. num. 28.

Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator Spiritus Sancti. diff. 50. num. 6. & expoſ. art. 5. q. 1. diſt. 12. & diff. 54. num. 5.

Pater, & Filius poſſunt dici adiectiuè, duo ſpirantes. ibidem.

Pater voluntate antecedente genuit Filium. exp. art. 1. q. vnic. diſt. 6. n. 1.

Pater, & Filius in eodem inſtanti originis ſpirant Spiritum Sanctum. difficult. 69. num. 17.

Pater æternus prius intelligitur eſſe, quã generet. ibid. num. 8.

Pater producit Spiritum Sanctum per Filium, quomodo ſit verum. exp. art. 1. q. 1. diſ. 11. num. 3.

Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti. exp. art. 1. q. 1. diſt. 12. n. 1.

Pater æternus idem habet obiectum in intelligendo, ac in producendo. difficult. 73. num. 7.

Pater, & Filius idem habent obiectum in intelligendo, ac in ſpirando. ibid.

Pater, & Filius ſunt vnum principiũ Spiritus Sancti. dif. 74. n. 11. & 15.

Pater non conſtituitur in eſſe perſonæ per ingenitum. diff. 87. num. 30.

Pater æternus inter intelligere, & dicere, nullum habet actum voluntatis. difficul. 88. num. 22.

Pater Generat Filium voluntate, quomodo ſit verum. ibid. num. 24.

Pater conſtituitur in eſſe perſonæ per paternitatem. diff. 91. num. 20.

Pater dicitur ſecundùm eſſentiam æqualis Filio, ſed non Pater Filij. exp. art. 3. q. vni. diſt. 31. num. 2.

Pater, vt Pater, non genuit Filium voluntate. diff. 99. num. 5. & 6.

Pater non ſapit ſapientia genita, quomodo ſit verum. diff. 100. num. 4. & 5.

Pater, & Filius diligũt ſe Spiritu Sancto. ibid. num. 9.

Paternitas.

Paternitas dupliciter conſiderari poteſt. diff. 85. num. 23.

Paternitas, generatio, & aptitudo generãdi increatis aliquid perfectionis, & imperfectionis continent. diff. 86. n. 14.

Pelagus.

Pelagus ſumitur tripliciter. expoſit. art. 6. quæſt. 4. diſt. 8. num. 1.

Perfectio.

Perfectio ſimpliciter quid ſit, exponitur. exp. art. 1. q. 7. diſt. 2. num. 8. & ſequentib. & diff. 68. num. 21.

Perfectio ſecundum quid in quo conſiſtat. ibidem.

Perfectio ſimpliciter excludit imperfectionẽ, ſecundùm quid vero eam includit. ibidem.

Perfectio eſt duplex. diff. 68. num. 23.

Perfectio in Deo, alia eſt formalis, alia eminentiæ. ibid. num. 25.

Perfectio quælibet in Deo eſt perfectio ſimpliciter. ibid. num. 27.

Perfectiones ſimpliciter ſunt inter ſe cõpoſsibiles. ibidem.

Perfectionis carentia non dicitur ſemper imperfectio. ibid. num. 75.

Perfectio ſimpliciter non, niſi in abſoluto conſiſtit. exp. art. 4. q. 1. diſt. 19. n. 1.

Perſona.

Perſonæ diuinę totam ſuam neceſsitatem habent à natura diuina. exp. artic. 2. quæſt. 4. diſt. 2. num. 1.

Perſonæ diuinæ dupliciter poſſunt concipi eſſe in Deo. diff. 47. num. 1.

Perſona in producto probatur dari in Trinitate. ibid. num. 17.

Perſonarum pluralitas in Deo prouenit à productionibus. ibid. num. 30.

Perſona quid ſit, & quomodo à ſuppoſito diſtinguatur. diff. 53. num. 23.

Perſona conuenit cum ſuppoſito in conceptu formali, & differt in materiali. ibi.

Perſona creata non eſt in potentia obedientiali, vt poſsit aſſumi à Verbo. ibidem num. 29.

Perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia. ibid. num. 30.

Perſona in quo ſenſu dicatur conſtitui per negationem. ibid.

Perſona creata poteſt dici conſtitui per poſitiuum, aut per negationem. ibid. nume. 34. & 35.

Perſona creata per quid conſtituitur formaliter, ſecundùm Scotum. ibid. n. 42.

Perſonæ ratio conuenit perſonæ creatæ, & increatæ. ibid. n. 44. & 49.

Perſona diuina tria dicit de materiali, & vnum de formali. ibid. num. 49.

Perſona diuina dicitur ſumme ſimplex. diſ. 54. num. 62. & ſequentib.

Persona diuina habet essentiam, & relationem, quæ à parte rei eam constituũt. ibid. num. 74. & sequentibus.

Persona diuina nullo modo dicitur composita. ibid. num. 109.

Persona diuina est simpliciter infinita: ibid. num. 121.

Personæ diuinæ non distinguuntur realiter, quia existentiæ relatiuę realiter differũt. sed quia sunt incommunicabiles. diffic. 55. num. 30.

Personæ diuinæ, vt realiter existant, non indigent existentijs relatiuis. ibid.

Personæ diuinæ in quo sensu possint dici tres res. ibid. num 31.

Persona creata, est propositio mediata. dif. 63. num. 29.

Personæ diuinæ sunt tres res personaliter, & vna res essentialiter. exp. art. 2. quæst. vnica. dist. 5.

Persona diuina continet duos actus. exp. art. 5. q. 2. dist. 5. num. 1.

Persona diuina nõ est cõposita, sed summe simplex. ibid. num. 6.

Personæ diuinæ distinguuntur per personalitates, quasi materialiter. dif. 66. n. 17.

Personæ diuinæ sunt perfectissimæ, perfectione sibi ab essentia communicata. diff. 68. num. 77.

Personæ diuinæ sunt infinitè amabiles, ratione essentiæ diuinæ. ibid. num. 78.

Persona vna nõ potest produci per intellectum, & voluntatem. dif. 72. n. 50.

Personam eandem, esse Filium, & Spiritum Sanctum, est implicatorium. ibi. n. 71.

Persona Patris concurrit ad productionẽ Verbi, formaliter, vel naturaliter. diffic. 73. num. 7.

Persona missa non requirit procedere à persona mittente. dif. 76. num. 8.

Persona vna diuina tripliciter est in alia. diff. 79. num. 9. & sequentibus.

Persona quid sit. exp. art. 1. q. vnic. dist. 23. & diff. 82. num. 7.

Personæ ratio in positiuo consistit. ibid.

Persona non dicit secundam intentionẽ, sed primam. diff. 82. num. 12.

Personis diuinis nulla datur ratio communis positiua. ibid. num. 13.

Persona diuina, vt sic, nec dicit relationẽ propriam, nec communem. exposit. art. 1. q. vnic. dist. 25.

Persona diuina, vt sic, nec dicit, nec relationẽ substantiam. exp. art. 1. q. vni. dist. 25.

Persona creata, & increata, conueniunt, & differunt. diff. 83. num. 11.

Persona abstrahensâ creata, & increata, quid importet. ibid. num. 12.

Persona creata quatuor dicit. ibi. n. 13.

Persona, vt sic, nec dicit absolutum, nec respectiuum. ibid. num. 14.

Persona diuina aliud dicit de formali, & aliud de materiali. ibid. num. 15.

Personis diuinis datur vna communis ratio vniuoca. diff. 84. num. 7.

Persona diuina, vt talis, quid significet. ibid. num. 9.

Personę significatum commune est tribus personis. ibid. num. 10.

Personæ aliter relationibus constituuntur, & aliter in relationibus conueniunt. ibi. num. 11.

Persona diuina est prima substantia, aliter tamen, quàm prima substantia creata. exp. art. 12. q. vnic. dist. 26.

Personæ diuinæ, nec se totis distinguuntur, nec se totis constituuntur. diff. 82. num. 8. & 13.

Persona diuina est verè, & propriè constitura. ibid. num. 7. & sequentib.

Persona diuina quomodo constituatur. diff. 86. num. 21. & sequentib.

Personæ diuinæ non constituuntur absolutis, sed relationibus. ibi. n. 26. & seq.

Personæ diuinæ constituũtur originibus principiatiue, & relationibus formaliter. diff 87. num. 21. & sequentib.

Persona diuina non concurrit ad productionem alterius personæ per modum obiecti, vt principium *quo*: bene tamen concurrit aliqua concomitanter. diff. 89. n. 11.

Persona diuina non cognoscitur abstractiuè, vt persona, vel vt talis persona. ibi. n. 25.

Persona Patris non habet esse productio immediatè ab essentia. expos. art. 4. quæst. 3. dist. 28.

Personis diuinis conuenit declarare, licet appropriatè tribuatur Verbo. exposi. art. 3. q. 1. dist. 32.

Personalitas.

Personalitas potest esse de nouo sine aliqua actione, quia non est ens producibile. diff. 53. num. 27.

Personalitas non est assumptibilis à Verbo. ibid. num. 28.

Personalitates diuinæ aliter distinguuntur inter se ad inuicem, & aliter inter se ab inuicem. diff. 54. n. 119.

Perso-

Personalitates diuinæ sunt identicæ idem cum essentia. ibid.

Personalitas non dicit realitatem communem omnibus personis. exp. art. 2. quæst. vnic. dist. 23.

Personalitas diuina non est per se essentia; nec per se alia res ab essentia. exp. art. 7. quæst 7. dist. 2. num. 7.

Personalitas diuina nõ est per se essentia, nec essentia est per se personalitas diuina. ibid.

Personalitas diuina, vt ab existentia formaliter distincte, non sunt necessitates essendi, sed solum identice. exp. art. 5. quæst. 7. dist. 2. num. 1. vide verbum *proprietas*.

Phantasma.

Phantasma est species sensibilis residens in phantasia. exp. art. 6. quæst. 6. dist. 3. n. 3.

Phantasma repræsentat obiectum intelligibile, quod pro statu cognoscimus. ibid.

Possibile.

Possibile sumitur tripliciter. diff. 47. n. 38.

Possibile dicitur de creaturis, & de personis diuinis productis diff. 80. num. 20.

Possibile sumitur multipliciter. exp. art. 4. quæst. vnica dist. 20.

Potentia.

Potentia productiua abstrahit ab actiua, & factiua. diff. 47. num. 9.

Potẽtia productiua solum dicit posse producere. ibid.

Potentia non fertur in aliquod obiectum, quod sub suo obiecto adæquato non contineatur. exp. art. 1. quæst. 3. dist. 3. num. 4.

Potentia consideratur, vel secundum se, vel pro aliquo statu. exp. art. 8. quæst. 3. dist. 3. num. 3.

Potentia ab actu condistincta non est in Deo. exp. art. 1. quæst. vnic. dist. 7. nu. 1.

Potentia pro fundamento est aliquid in Deo. ibid.

Potentia in rebus est triplex, logica, obiectiua, & realis. ibid. n. 2.

Potentia realis est duplex, subiectiua, & actiua. ibid.

Potentia logica est duplex, positiua, & negatiua. ibid. n. 4.

Potentia logica quid sit. ibid. n. 3.

Potentia obiectiua quid sit. ibid. n. 5.

Potẽtia vere subiectiua est realis. ibid. n. 6.

Potentia realis actiua sumitur dupliciter. ibid. n. 7.

Potentiã distingui ab actu, aliud est, quam diuidi ab actu, ibid. num. 8.

Potentia subiectiua non datur in Deo. ibid. n. 10.

Potentia actiua ad generandum, tàm pro per se significato, quàm pro denominato, datur in Deo. ibid. n. 11.

Potentia logica ad generandum conceditur in Patre, non tamẽ in alijs personis. ibid. num. 9.

Potentia sumitur, vel pro formali, vel pro fundamento, & hoc secundo modo, adhuc dupliciter exp. art. 2. quæst. vnic. dist. 7.

Potentia generandi est quid nominale, & relatiuum. ibid. exp. art. 4. num. 8.

Potentiæ diuinæ nequeunt habere eundẽ actum productiuum. diff. 72. n. 4.

Potentia in Deo tripliciter considerari potest. diff. 80. n. 8. & 9.

Potentia generandi in Deo non est conceptus simpliciter simplex. ibid. n. 11.

Potentia realis productiua dupliciter cõsideratur ibid. n. 12.

Potentia generandi fundatur in memoria fœcunda Patris. ibid. n. 13.

Potentia generandi sumitur dupliciter, & dicitur esse in tribus. ibid. n. 16.

Potentia Dei est formaliter singularis. ibid. n. 18.

Potentia generandi pro formali est relatio, & vt sic non est tribus. ibid. n. 21.

Potentia generandi fundamentaliter est absolutum, & est in tribus. ibid. n. 22.

Potentia generandi creata est idem realiter cum substantia Patris. diff. 95. n. 13.

Potentia generandi in Deo est idem formaliter cum generatione actiua, & paternitate. diff. 96. n. 28.

Potentialitas.

Potentialitas passiua semper imperfectionem inuoluit. exp. art. 5. q. 4. d. 2. n. 7.

Prædicamenta.

Prædicamenta differunt inter se, non solùm per modos intrinsecos, sed per propias quidditates. diff. 58. n. 27.

Prædicamenta absoluta sunt tantùm tria, reliqua sunt relatiua. exp. art. 1. q. 1. dist. 19.

Prædicatio.

Prædicatio in primo modo quid sit. diff. 54. num. 38.

Prædicatio in secundo modo, quid sit. ibi.

Prædicatio de vltimate abstractis, est tantùm in primo modo. diff. 64. n. 25.

Prædicationes in diuinis, aliæ sunt vere in abstracto, & in concreto, aliæ minime. diffic. 54. num. 53.

Prædicationes aliquæ in diuinis sunt veræ inconcreto, non tamen in abstracto. ibi.

Prædicatio est duplex, identica, & formalis. diff. 59. num. 18.

Prædicatio identica est duplex. ibid.

Prædicatio in abstracto datur in diuinis, & quare. exp. art. 5. q. 4. dist. 8. num. 1.

Prædicatum.

Prædicata, quæ prædicantur in quale de Deo, & creaturis, non prædicãtur vniuocè. diff. 58. num. 20.

Prædicatum adiectiuum est duplex. diffi. 64. num. 28.

Prædicata, quæ de essentia diuina prædicantur, alia sunt substantiua, alia adiectiua, & quomodo de ea prædicentur. ibi. n. 32.

Prædicata aliqua conueniũt Deo, & huic Deo, quæ tamen essentiæ non conueniunt. ibid. num. 41.

Primo diuersa.

Primo diuersa sunt in duplici differentia. diff. 58. num. 44.

Primo diuersa sunt Deus, & creatura. ibidem.

Primo diuersa quid sint. exp. art. 2. q. vni. dist. 23.

Principium.

Principium quid, & quotuplex sit. dif. 47. num. 13.

Principium est quid superius ad causam. ibidem num. 14.

Principium datur in productionibus diuinis, non tamen causa. ibid.

Principium non infert dependentiam effectus ad se ipsum. ibid. num. 15.

Principium primum non præsupponit aliud primum ad producendum. ibi. n. 36.

Principium formale est tota ratio producendi. exp. art. 5. q. 4. dist. 2. num. 6.

Principium formale generandi in Patre æterno non distinguitur ex natura rei à generatione, & paternitate. ibid. n. 10.

Principium productiuum, à se est productiuum, si nõ habeat terminum adæquatum. ibidem num. 16.

Principium productiuum in Deo est duplex, alterum naturale, & alterum liberum. dif. 48. num. 13.

Principium naturale, & liberum, non habent inter se aliud medium. ibi. n. 15.

Principium productiuum est duplex, vt *quod*, & vt *quo*. diff. 49. n. 22. & diff. 74. n. 15. & exp. art. 2. q. vnic. dist. 29.

Principium productiuum, vt *quo* totale, includit intellectum, & essentiam, id est, memoriam fœcundam. ibid.

Principium, quo aliquis in diuinis sit potens generare, non oportet dari. exp. art. 1. q. vnic. dist. 7. num. 1.

Principium *quod*, & *quo*, Spiritus Sancti, quæ sint, & quomodo nominentur. diffi. 50. num. 5.

Principium, *quod* spirandi Spiritum Sanctum, est vnum. ibid. num. 6.

Principium naturale non differt à libero, per necessario agere. diff. 52. n. 56. & diff. 71. num. 26. & sequentib.

Principium illud, dici de omni, & dici de nullo, exponitur. dif. 57. num. 2.

Principium, dici de nullo, nõ verificatur de mera negatione, sed de negatione repugnante affirmationi. ibid. num. 23.

Principium primum, per se primo est euidens. dif. 61. num. 15.

Principium adæquatum generandi differt à principio formali generandi. exp. art. 4. q. vnic. dist. 7. num. 7.

Principium adæquatum generandi solùm est in Patre æterno. ibid.

Principium formale agendi non est minus perfectum, quàm eius terminus formalis. ibid. num. 1.

Principium idem, est constitutiuum, & distinctiuum. dif. 72. num. 16.

Principium agens multiplicatur, ad multiplicationem rationis agendi. exp. art. 1. q. 1. dist. 12. n. 1.

Principium significat proprietatem per modum substantiui. ibid. num. 2.

Principium non petit habere terminũ adæquatum, sed esse in se perfectum. ibid.

Principium in diuinis est vniuocum principio personali, & notionali. exp. artic. 1. q. vnic. dist. 29.

Principium productiuum producit effectum realem, non vero principium operatiuum. dif. 97. n. 5. & 6.

Prioritas.

Prioritas est triplex, originis, perfectionis, & adæquationis. exp. art. 4. q. 2. dist. 3. n. 1.

Prioritas originis dupliciter sumitur. ex. art. 11. q. vnic. dist. 13. num. 3.

Priuatio.

Priuatio, alia est absoluta, alia relatiua. diff. 91. num. 14.

Vide verbum *negatio.*

Processio.

Processio est relatio procedentis à proceden-

cedente.difficultate 47. numero 2.

Processio Verbi diuini est proprie generatio.dif.51. num.12.

Processio Spiritus Sancti,cur non dicatur generatio.dif.52.n.3. & sequentib.

Vide verbum,*productio.*

Producens.

Producens in diuinis in nullo instanti reali est priusproducto,licet intelligaturprius. diff.47.num.40.

Produci.

Produci non est fieri, nec productio est factio.dif.47.num.40.

Producibile.

Producibile perfectionẽ, & imperfectionem dicit.exp.art.5.q.4.dist.2.n.23.

Producibile in diuinis nullam imperfectionem dicit,quia nec dependentiam.ibid. num. 24.

Productio.

Productiones diuinas dari, efficacissime probatur.exp.art.1.q.4.dist.2.n.3. & diff.47. â num.18.

Productiones diuinæ instar productionũ hominum, & Angelorum speculantur. dif. 47.num.8.

Productio,vt sic,solùm terminatur ad productum.ibid.num.9.

Productio dicitur factio, & actio, & quare.ibidem.

Productio diuina, nec est actio, nec factio.ibidem.

Productiones diuinæ non dicunt dependentiam.ibid. num. 16.

Productiones diuinæ non communicant per se primo aliquod esse relatiuum,sed absolutum.ibid.

Productio personæ non potest huic Deo competere.ibi.num.18.

Productio perfecta est,quę terminatur ad productum subsistens.exp.art.5. q.2. dist. 2. num. 7.

Productiones diuinæ â creaturis spiritualibus inuestigantur.dif.48. num. 8.

Productiones diuinæ sunt tantùm duæ. ibid.num.19.& 20.

Productio dicitur actus secundus. dif.49. num.22.

Productio nulla diuina dicitur visio.ibid. num.36.

Productio Verbi diuini supponit intellectum Patris intelligentem,suppositione materiali ibid.num. 37.

Productiones diuinæ differunt inter se, & re.difficult. 50.numero 4.

Productio viuentis à viuente, sumitur tripliciter.diff.51.num.9.

Productiones diuinæ tripliciter considerantur.dif.52.num.20.

Productiones diuinæ, se totis, formaliter distinguuntur.ibid.num. 21. & 50.

Productiones diuinæ formaliter sumptæ, in nulla communi realitate conueniunt. ibid.num.22.

Productiones diuinæ conueniunt in aliquo conceptu formali illis communi.ibi.

Productiones diuinæ formaliter,nec sunt finitæ,nec infinitæ.ibid.n.24.

Productiones diuinæ dicuntur diuinæ idẽticè,sed non formaliter.ibid.

Productiones diuinæ dupliciter inter se conuenire dicuntur.ibid. n.22.

Productiones diuinæ præcisè sumptæ, altera est generatio,& alteraspiratio.ibi.n.25.

Productionesspecie distinctæ,possunt habere terminos eiusdem speciei.ibid.n.39.

Productiones diuinæ non distinguuntur per terminos,ad quos terminantur. ibid.nu. 30.& 31.

Productiones diuinæ realiter distinguuntur.diff.67.num.82.

Productio Spiritus Sancti præsupponit amorem essentialem.diff.75.n.6.

Productiones diuinæ non distinguuntur per relationes.exp.art.3.q.vnic.dist.13.

Productiones diuinæ distinguuntur per sua principia originatiuè, non formaliter. ibid.exp.art.4. num. 1.

Productio Verbi diuini non est scientia, & si in sua productione intelligatur. dif. 89. num. 27.

Productum.

Productum in diuinis ad intra non est diuersum à producente; bene tamen productum ad extra.dif.47.num.35.

Productum in diuinis est ens ex se necessarium,non tamen à se. ibid.n.37.

Productum in diuinis potest dici possibile produci.ibid. num.38.

Productum, & producibile diuidunt ens. exp.art.5.q.4.dist.2.n.22.

Propositio.

Propositio credita est in duplici differentia.diff.60.num.10.

Propositiones veritas duo requirit. exp. art.1.q.2.dist.4.n.1. & exp.art. 2.n.1.

Propositio vera est dupleſt, formali, & identica.ibid. num.3.

Propoſitio formalis, alia eſt quidditatiua, alia denominatiua. ibid.

Propoſitio formalis, alia directa, alia indirecta. ibid.

Proportio.

Proportio inter obiectum, & potentiam non ſimilitudinem, ſed diſſimilitudinem requirit. exp. art. 1. q. 3. diſt. 3. n. 7.

Proportio inter obiectum, & potentiam, eſt mouentis, & mobilis. ibid.

Proprietas.

Proprietates diuinæ ordinate dimanant ab eſſentia, & quare. diff. 68. n. 37.

Proprietas perſonalis in Deo eſt prima entitas incommunicabilis. dif. 86. n. 17.

Proprietates perſonales in Deo ſunt tres. diff. 92. num. 4.

Proprietas perſonalis differt à proprietate perſonæ. ibid.

Q.

Quantitas.

QVANTITAS virtutis in Deo tranſit in entitatem eſſentiæ, & attributorum. exp. art. 1. q. vnic. diſt. 31. n. 2.

Quantitas virtutis differt à reliquis attributis. ibid.

Quantitas virtutis eſt modus intrinſecus omnis perfectionis diuinæ. ibid.

Quidditas.

Quidditas ſumitur dupliciter. diffic. 54. num. 120.

Quidditas conuertitur cum formalitate. ibidem.

Quidditas quæcunque in Deo non eſt formaliter finita. ib. num. 122.

Quidditas creata, & increata differunt penes perfectum, & imperfectum. exp. art. 5. q. 2. diſt 5. num. 3.

R.

Ratitudo.

RATITVDO eſt firmitas, qua res habet eſſe independenter ab intellectu. exp. a. 4. q. 5. diſt. 3. num. 1.

Ratitudo non poteſt eſſe relatio. ibidem num. 4.

Realitas.

Realitas ſumitur dupliciter. exp. art. 4. q. 5. diſt. 3. num. 3.

Vide verbum, *formalitas.*

Regula.

Regula, quidquid prædicatur de ſuperiori, prædicatur de inferiori, intelligitur de ſuperiori actuali, non vero de potentiali. diff. 57. num. 21.

Regula, à ſuperiori ad inferius, negatiuè valet conſequentia, quomodo ſit vera. ibidē numero 23.

Regula prædicamentalis etiam in diuinis eſt vera. ibid. n. 21.

Relatio.

Relationes oppoſitæ ſecundi modi poſſunt eidem naturæ competere. exp. art. 5. q. 4. diſt. 2. num. 25.

Relatio diſſimilitudinis eſt relatio diuerſitatis. diff. 47. num. 35.

Relationes diuinæ à fortiori diſtinguuntur formaliter ab eſſentia, quàm attributa. di. 54. num. 43.

Relationes diuinæ perſonales, non omnes opponuntur adinuicem. ibid. n. 50.

Relatio diſtinguit, tàm à relatiuo, quàm ab abſoluto. ibid.

Relationes diuinæ ſunt incompoſsibiles, & quare. ibid. num. 51.

Relationes diuinæ realiter diſtinguuntur, quis ex ſe ſunt adinuicem incompoſsibiles. ibid. num. 52.

Relationes diuinæ non prædicantur adinuicem de ſe ipſis. ibid. num. 53.

Relationes diuinæ eſſentialiter, & ſpecificè diſtinguuntur. ibid. num. 95.

Relationes diuinæ non dimanant aliæ ab alijs. ibidem.

Relationes diuinæ præciſe conſideratæ, non ſunt formaliter Deus, aut creatura: bene tamen ſunt Deus per identitatem. ibidē num. 97.

Relationes dicuntur modi eſſentiæ diuinæ. ibid. num. 99.

Relatio diuina ſemper concipitur eſſe Deus. ibid. num. 120.

Relatio diuina perſonalis formaliter, nec eſt infinita, nec infinita: bene tamen identicè. ibid. num. 121.

Relationes diuinæ identicè ſunt entitates neceſſariæ, non tamen formaliter ſecundùm ſe conſideratæ. diff. 55. num. 18.

Relationes diuinæ ab eſſentia diſtinctæ non ſunt contingentes, aut poſsibiles. ibi.

Relationes diuinæ ab eſſentia diſtinctæ ſunt neceſſariæ negatiuè. ibid.

Relationes diuinæ ſunt eadem inter ſe, prout in eſſentia identificantur. diff. 57. nu. 13. & 14.

Relationes diuinæ aliter comparantur ad eſſentiam, & aliter inter ſe. ibid. num. 15.

Relatio non definitur per terminum, niſi in obliquo. diff. 61. num. 21.

Rela-

Relatio non continet terminum in se. bi.
Relatio cognoscitur distincte, quin terminus distincte cognoscatur. ibid.
Relatio diuina est actus, non tamen actus essentiam. exp. art. 5. q. 2. dist. 5. n. 1.
Relatio est actus personæ, non essentiæ. ibid. num. 4.
Relatio diuina nullam facit cum essentia compositionem. ibid. num. 8.
Relatio filiationis non est terminus formalis diuinæ generationis. dis. 66. n. 16.
Relatio diuina non determinat essentiam ad agendum. exp. art. 3. q. vnic. dist. 7.
Relationes diuinæ præcisè consideratæ, nullam inter se identitatem dicunt. diff. 67. num. 31.
Relationes diuinæ nec identicè ad inuicè prædicantur. exp. art. 5. q. 4. dist. 8. n. 1.
Relationes diuinæ habent absolutè infinitam perfectionem. diff. 68. num. 2.
Relationes diuinæ præcisè sumptæ non possunt esse perfectiones simpliciter. ibidē num. 27.
Relationes diuinæ, cur non sint infinitæ. ibid. num. 38. & 43.
Relationes diuinæ sunt identicè infinitæ, & perfectiones simpliciter. ibid. n. 50.
Relationes diuinæ formaliter non dicunt perfectionem. ibid. n. 52. & sequentib.
Relationes diuinæ dicuntur bone. ibidem num. 74.
Relatio diuina est incomprehensibilis ab intellectu finito. ibid. num. 84.
Relatio filiationis tâm incōpossibilis est passiuæ spirationis, quâm paternitati. diffic. 72. num. 32.
Relatio diuina constituit personam, quia est incommunicabiliter subsistens. ibi. n. 36.
Relatio filiationis, & spirationis passiuæ, cur sint incompossibiles in eodem. ibid.
Ad relationem intrinsecus aduenientem non est per se motus. ibid. num. 39. & diff. 53. num. 27.
Relatio diuina constituit personam in ratione personæ relatiuæ. ibid. n. 60.
Relationes identitatis, similitudinis, & æqualitatis stricte, solùm in substantia, quantitate, & qualitate fundantur: late autem in omni ente. exp. art. 1. q. 1. dist. 19.
Relatio realis est duplex, altera inhærens, & altera subsistens: prima supponit extrema, non autem secunda. dif. 86. n. 40.
Relatio diuina non est inhærens, sed subsistens. ibid.
Relatio diuina distincta, ac distincto modo concipitur à nobis. ibid. n. 15.
Relationes diuinæ in quo conceptu constituant personas, secūdum Scotum. ibidem à nu. 9.
Relationes aliquæ diuinæ præcedunt diuinas productiones, sed non omnes. dif. 89. num. 17.
Relationes diuinæ dicuntur conuenire, & non conuenire in vno vniuoco conceptu. exp. art. 1. q. vnic. dist. 29.
Relationes diuinæ sunt tantùm quatuor. diff. 92. num. 10
Relatio aliter sumitur in abstracto, & aliter in concreto. dif. 94. num. 6.
Relatio est præcisè habitudo ad terminū. ibid. num. 1. & 10.
Relatio respicit fundamentum, & terminum, sed non æqualiter. ibid. n. 8. 9.
Relatio aliter pendet à fundamento, & aliter à termino. ibid. num. 13.
Relationes sunt in triplici differentia. dif. 95. num. 9.
Relationum fundamentum est duplex. ibid. num. 10.
Relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis diuersa habent fundamenta, & si in eadem re fundari possint. ibi. n. 11.
Relationes secundi generis in quo fundantur. ibid. num. 13.
Relationes intrinsecus, & extrinsecus aduenientes quid sint. ibid. per totam.
Relatio transcendentalis non distinguitur realiter à suo fundamento. ibi. n. 15. & 16.
Relationes primi modi, quarum fundamenta nequeunt sine terminis esse non distinguuntur realiter à fundamentis. ibi. n. 17.
Relationes extrinsecus aduenientes distinguuntur realiter à suis fundamentis. ibid. num. 19.
Relatio mutat subiectum, non vero fundamentum. ibid. num. 21.
Relationes innumeræ possunt esse in eodem. ibid. n. 23.
Relationes non procedunt in infinitum. ibidem num. 24.
Relatio duplex, mutua, & non mutua. dif. 96. num. 1. 25. & 26.
Relatio non potest esse sine termino. ibi. num. 9.
Relationi accidit esse mutuam, vel non mutuam. ibid. num. 10.
Relatio habet pro concreto relatiuum. ibid. num. 11.

Relatio eſt forma, quę dat eſſe relatiuum. ibid. num. 12.

Relatio mutua, & non mutua differunt in ratione fundandi, & terminandi. ibid. num. 15. & 16.

Relatio mutua non eſt eadem in vtroque extremo. ibid. num. 17.

Relationes diuinæ terminantur ad alias relationes. ibid. num. 19.

Relationes non mutuæ terminantur ad abſolutum. ibid. n. 20.

Relatio omnis mutua terminatur ad abſolutum. ibid. num. 21.

Relationes creatæ, & increatæ aſſimilantur in reſpiciendo terminum, ſed non in terminando. ibid. num. 28.

Relatio rationis cauſata à noſtro intellectu poteſt dari de nouo in Deo, ſed non cauſata ab intellectu diuino. exp. art. 3. quæſt. 1. diſt. 30.

Relatio rationis non eſt comparatio paſſiua. ibidem.

Relatio rationis non inhæret Deo. ibid.

Relatio creaturæ ad Deum, non pendet ex relatione Dei ad ſe. ibi. exp. art. 4.

Relatio realis dicitur talis extrinſecè à termino reali, terminante eam. diff. 97. n. 5.

Relatio rationis quomodo cauſetur. ibidē num. 7.

Relatio rationis dependet ab intellectu in fieri, ſed non in conſeruari. ibi. n. 8.

Relatio rationis differt ab alijs entibus rationis. ibid.

Relatio nulla realis aduenit Deo de nouo nec aduenire poteſt. ibid. n. 13.

Relatio realis tria requirit. exp. art. 1. q. v. diſt. 31. num. 1. & diſt. 98. n. 7.

Relationes identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis, quomodo differant inter ſe. ibid. exp. art. 6.

Relationis perfectio, vnde ſumatur. diff. 98. num. 8.

Relationes identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis ſunt ex natura rei in diuinis. ibidē num. 15.

Relationes identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis in perſonis diuinis ſunt reales. ibi. num. 16.

Relationes communes in Deo fundātur in vnitate, & magnitudine eſſentiæ, & attributorum. ibid. num. 22.

Relationes diuinæ non poſſunt fundare relationes communes. ibid.

Relationum æquiparantiæ fundamenta non referuntur adinuicem. ibid. num. 23.

Relatio creaturæ ad creatorem eſt tertij modi. exp. art. 2. q. 1. diſt. 3. num. 3.

Relatiuum.

Relatiua eſſe ſimul natura, quomodo intelligatur. diff. 87. n. 20.

Relatiuum non poteſt cognoſci ſine ordine ad terminum: bene tamen, non cognito termino. ibid. num. 39.

Repræſentatiuum.

Repræſentatiuum eſt duplex, limitatum, & illimitatum. exp. art. 2. q. 6. diſt. 3. n. 3.

Repræſentatiuum limitatum non poteſt plura repræſentare. ibid.

Repræſentatiuum illimitatum repræſentat plura diuerſa. ibid.

Res.

Res dicitur à ratitudine. exp. art. 4. quæſt. 5. diſt. 3. num. 1.

Res plures conceduntur in Deo. diff. 67. num. 24.

Res, & ens ſynonimè conuertuntur. ibi.

Reſolutio.

Reſolutio conceptuum aliter fit in rem, & ſuum modum, & alter in genus, & differētiam. exp. art. 6. q. 3. diſt. 8. n. 2.

S.

Sapientia.

SAPIENTIA tranſcendens communis eſt vniuocè creatæ, & increatæ. exp. art. 3. q. 3. diſt. 8. num. 4.

Sapientia ſumitur dupliciter. ibi. n. 7.

Scotus.

Scotus non intendit demonſtrare myſterium Trinitatis, vt multi ei imponunt. diff. 47. num. 26.

Scotus liberatur à calumnia ſibi impoſita de demonſtrando myſterio Trinitatis. exp. art. 5. q. 4. diſt. 2. n. 1. & ſequentib.

Scotus fuit primus inuentor diſtinctionis formalis. diff. 54. num. 33.

Scotus fuit maximus D. Auguſt. ſectator. exp. art. 2. q. 2. diſt. 32.

Senſus.

Senſus percipit, medio aliquo accidente. exp. art. 4. q. 2. diſt. 3. n. 3.

Senſus non percipit omne accidens in abſtracto, ſed in concreto. ibid.

Senſus exteriores nō conſeruant ſpecies ſenſibiles. exp. art. 5. q. 6. diſt. 3. n. 1.

Significatio.

Significatio rei, diſtinctius nominatur, quàm intelligatur. exp. art. 1. q. vn. diſt. 22.

Significatio nominum quomodo ordinetur. ibi. exp. art. 3. n. 2. & 3.

Signum.

Signum distributiuum vniuersale non apponitur termino singulari. diff. 80. n. 17.

Similitudo.

Similitudo reperitur in diuinis. d. 51. n. 17

Similitudo fundatur potius in vnitate numerica, quàm in specifica. ibid.

Similitudo est relatio realis, & datur inter diuinas personas. diff. 62. n. 35.

Similitudo fundata in vnitate numerica perfectior est, quàm quæ fundatur in specifica. ibidem.

Simplicitas.

Simplicitas opponitur compositioni. diff. 54. n. 62. & dif. 58. n. 43.

Simplicitas duo requirit. ibid.

Simplicitas non opponitur cõstitutioni, sed compositioni. ibi. n. 109. & dif. 67. n. 43.

Simplicitas est perfectio simpliciter. exp. art. 1. q. 1. diff. 8.

Simplicitas in rigore opponitur compositioni. diff. 85. n. 22.

Singulare.

Singulare, in diu duum, & vnum numero, inter se differunt, & cõueniunt. diff. 53. n. 24.

Singulare est communicabile in diuinis, non vero increatis diff. 63. n. 31.

Singulare prius sumitur ab abstractis, quã à concretis. diff. 63. num. 42.

Singulare potest dici principium, *quod.* diff. 74. num. 15.

Vide verbum *individuum.*

Species.

Species intelligibilis est veluti semen, in generatione prolis. diff. 49. n. 10.

Species intelligibilis Dei nõ datur aliqua, quæ sit naturalis. exp. art. 1. q. 1. dist. 3. n. 1.

Species athomæ, inter vniuersalia, est primo cognitũ, via originis, cognitione actuali confusa. exp. art. 1. q. 2. dist. 3. num. 4.

Species sensibilis delectur facile, & quare. exp. art. 5. q. 6. dist. 3. n. 2.

Species intelligibiles sæpe non repræsentant obiecta, habentibus eas, & quare. ib. n. 4.

Species intelligibilis, alia est impressa, alia expressa. exp. art. 5 q. 7. dist. 3.

Species intelligibili, in causando notitiã, accidit esse accidens, & informare. ibid. exp. art. 8. num. 4.

Spirare.

Spirare in nobis est actio de genere actionis. exp. art. 7. q. 6. dist. 13. n. 2.

Spirare in Deo, non se habet, sicut intelligere, & velle. exp. art. 2. q. 1. dist. 11. n. 1.

Spiratio.

Spiratio actiua in Patre, & Filio præsupponit velle essentiale. dif. 50. n. 4.

Spiratio passiua est incompossibilis in Patre, & Filio, etiam si actiuè non spirant. diff. 54. num. 51. & 52.

Spiratio actiua nullo modo distinguitur, ex natura rei à paternitate, & filiatione. ibid. num. 68.

Spiratio actiua supponit personas iam cõstitutas. diff. 63. num. 43.

Spiratio identificatur cum paternitate, & quare. exp. art. 5. q. 4. dist. 8. n. 12.

Spiratio actiua non est perfectio simpliciter. diff. 68. num. 47.

Spiratio actiua in Filio habet rationẽ principij productiui. diff. 69. n. 10.

Spiratio actiua in diuinis dicitur libera. diff. 71. num. 52.

Spiratio non petit pluralitatem suppositorum. diff. 72. num. 52.

Spiratio, & paternitas non se mutuo respiciunt. ibid. num. 54.

Spiratio actiua prius origine est in Patre, quàm in Filio. exp. art. 1. q. 1. dist. 12. n. 1.

Spiratio actiua nullam personam constituit. diff. 86. n. 34.

Spirator.

Spirator in diuinis supponit pro Patre, & Filio. diff. 63. num. 42.

Spiritus.

Spiritus sanctus probatur esse verus Deus. dif. 46. n. 28. & sequentib.

Spiritus significat ventum. ibi. n. 37.

Spiritus sumitur pro gratia, in scriptura. ibi.

Spiritus sanctus dicitur spirare, vbi vult. ibidem.

Spiritus sanctus non est principium productiuum ad intra. dif. 47. num. 36.

Spiritus sanctus producitur per actũ spirandi. dif. 48. num. 21.

Spiritus sanctus producitur à Patre, & Filio per productionem voluntatis, quæ dicitur spiratio actiua. dif. 50. num. 6.

Spiritus sanctus non dicitur generari, & si procedat similis. dif. 52. n 35.

Spiritus sanctus procedit à duobus, vt ab vno principio. ibid. n. 54.

Spiritus sanctus procedit libere, & necessario. ibid. num. 55.

Spiritus sanctus procedit per modum volũtatis. exp. a. 2. q. v. dist. 10. & exp. ar. 4. n. 1.

Spi-

Spiritus Sanctus necessario procedit. ibid. art. 3. num. 1.

Spiritus Sanctus non procedit ex amore creaturarum, etiam possibilium. dis. 70. n. 14.

Spiritus Sanctus procedit ex amore creaturarum concomitanter. exp. art. 6. q. vnica dist. 10. num 1.

Spiritus sanctus summa necessitate procedit, necessitate simpliciter. dis. 71. n. 37.

Spiritus sanctus non procedit libere libertate contingentiæ. ibid. num. 40.

Spiritus sanctus nō procedit per modum naturæ. ibid. num. 41.

Spiritus sanctus, secundum fidem, procedit à Patre, & Filio. exp. art. 1. q. 1. d. 11. n. 1.

Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio, & si ab eo non procederet. dis. 72. pert.

Spiritus sanctus non procedit per actum amandi, sed per actum spirandi. exp. art. 3. q. 1. dist. 12. num. 1.

Spiritus sanctus in sua productione sequitur Verbi productionem. dis. 73 n. 9.

Spiritus sanctus non procedit per dilectionem. ibid. num. 10.

Spiritus sanctus procedit, vt amor. ib. n. 11.

Spiritus sanctus, attento ordine originis, præsupponit Verbum productū. dis. 75. n. 13.

Spiritus sanctus, attento ordine originis, non potest à solo Patre procedere: bene tamen à solo Filio. ibid. num. 14.

Spiritus sanctus, attenta ratione formali producendi, non postulat necessario procedere à duobus. ibid. num. 15.

Spiritui sancto attribuuntur dona gratiæ, & quare. dist. 77. num. 16.

Spiritus sanctus, procedens vt amor, procedit vt donum. diff. 78. num. 7.

Spiritus sanctus, non ex eo quod procedit vt amor, procedit vt donum. ibi. num. 14.

Spiritus sanctus solus est donum. ibi. n. 9.

Spiritus sanctus non procedit ex se ipso, aut ex sui cognitione formaliter, aut concomitanter. diff. 89. num. 14.

Spiritus sanctus non est imago Patris, & Filij. diff. 62. n. 25.

Status.

Status est stabilis permanentia, legibus diuinæ sapientiæ firmata. expos. art. 8. quæst. 3. dist. 3. num. 6.

Subsistentia.

Subsistentia dicitur per se existentia. diff. 53. num. 15.

Subsistentia in rigore, in quo consistat. ibi. num. 17.

Subsistentia rigorosa supponit naturam singularem completam, eamque vltimate complet. ibid.

Subsistentia rigorosa est modus positiuus realis, abstrahens à subsistere communicabiliter, vel incommunicabiliter. ibid.

Subsistentia cōmunicabilis datur in Deo. ibid. num. 18. & diff. 56. num. 21.

Subsistentia absoluta Dei distinguitur ab omnibus subsistentijs creatis, & increatis. ib.

Subsistentia absoluta Dei est communicabilis, quia est infinita, reliquæ non, quia non sunt infinitæ. ibid.

Subsistentia creata est modus naturæ, ab ea realiter negatiue distinctius. ibi. n. 22.

Subsistentia in diuinis infert existentiam, & quomodo. diff. 55. n. 12. 13. & 32.

Subsistentia absoluta Dei addit aliquid vltra existentiam absolutam. diff. 56. n. 15 & 16

Subsistentia absoluta Dei solùm ratione distinguitur ab existentia absoluta. ibi. n. 17.

Subsistentia absoluta est vltima perfectio natur diuinæ. ibid. num. 18.

Subsistentiæ relatiuæ sunt tres in diuinis. ibid. num. 19.

Subsistentia absoluta Dei conuenit essentiæ sumptæ in concreto, & in abstracto. ibid. num. 31.

Subsistentia creata conuenit indiuiduo in concreto tantùm. ibid.

Subsistentia absoluta Dei non est conditio supponi, sed naturæ. ibid.

Subsistentia absoluta Dei non constituit suppositum. ibi. n. 33.

Subsistere.

Subsistere accipitur tribus modis. diff. 53. num. 53.

Subsistere in communi dicitur vniuocè, & quiuocè. diff. 56. num. 14.

Subsistere communicabile, & incommunicabile conueniunt, & differunt. ibid. num. 13. & 14.

Subsistere sumitur adhuc dupliciter. diff. 68. num. 49.

Subsistere absolutum dicit in Deo perfectionem simpliciter: nō vero relatiuum. diff. 56. num. 27.

Substantia

Substantia quælibet dicitur per se subsistere. diff. 53. num. 15.

Substantia prima, suppositum, & persona diuersos conceptus important. ibi. n. 25.

Substātia prima, quid sit, & quomodo perfectionem, & imperfectionem inuoluat. ibi.

Subs-

Subſtantia prima includit ſubſiſtentiam. ibidem num.26.

Subſtantia, ſecundum Auguſt. dicit ſubſiſtere, & ſubeſſe. diff.56.num.23.

Subſtantia dicitur abuſiue de Deo. ibid. & exp.art.4.q.4.diſt.5.num.6.

Subſtantia prima prædicatur de Deo, & creaturis. diff.53.num.25.

Superius.

Superius, & inferius ſunt idē formaliter. diff.54.num.55.

Superius dicitur prius inferiori. diffic.58. numero 45.

Superius, & eſt totum actuale, & totum potentiale. dif.57.n.21.

Suppoſitalitas.

Suppoſitalitas in diuinis non dicit perfectionem ſimpliciter. expoſit. arti. 1.q.7.diſt. 2.num.12.

Suppoſitalitas in diuinis non identificat ſibi omnem entitatem. ibid.

Suppoſitalitas ſolùm in natura ſubſtantiali reperitur. diff.53.num.21.

Suppoſitalitas non eſt entitas, ſed modus entitatis. ibidem.

Suppoſitalitas non dat ſuppoſito eſſe formale, ſed materiale. diff.66.n.16.

Suppoſitum.

Suppoſitum producens non dicitur actus primus, aut ſecundus. dif.49.n.22.

Suppoſitum dupliciter conſideratur. exp. art.1.q.7.diſt.2.num.9.

Suppoſita omnia conueniunt in ratione ſuppoſiti, & differunt ſuis rationibus ſpecialibus. ibidem.

Suppoſiti ratio formalis in quo conſiſtat, exponitur. diff.53.num.21.

Suppoſitum ſupra naturam tantùm addet modum quendam poſitiuum. ibi.n.27.

Suppoſitum creatum minus adæquat naturæ creatæ, quàm ſuppoſita diuina Deitati. dif.62.num.14.

T.

Tempus.

TEMPVS ſecundum ſuas differentias verè dicitur de Deo. exp.art.2.q.vn.d.9.

Terminus.

Terminus totalis, & formalis generationis differunt. diff.66.n.8.& ſequentib.

Terminus formalis eſt triplex. ibi.n.11.

Termini formalis ratio in tribus conſiſtit. ibidem num.14.

Terminus formalis dupliciter dicitur accipere eſſe per eandē actionē, qua totalis. ibid.

Terminus formalis correſpondet principio formali agendi. exp.art.4.q.vnic.diſt.7. num.1.

Terminus relationis duo habet. diffic.96 num.9.

Termino accidit eſſe correlatiuum. ibid. num.10.& 11.

Terminus dicitur eſſe terminatiuus, & terminare. ibid.n.18.

Theologia.

Theologia in abſtracto differt à Mathematica. diff.54.n.116.

Theologus.

Theologus debet principia naturalia admittere, & ſane exponere. dif.57.n.19.

Totum.

Totum actuale eſt ſubiectum, de quo partes in primo modo prædicātur, & paſſiones in ſecundo. diff.57.num.21.

Totum potentiale habet partes ſubiectiuas. ibidem.

Totum ex duplex, actuale, & potentiale. exp.art.1.q.2.diſt.3.n.3.

Trinitas.

Trinitatis myſterium, à quibus negatur, refertur. diff.46.num.2.& ſequentib.

Trinitatis myſterium oſtenditur ex locis Sacræ Scripturæ. ibid.

Trinitatis myſterium non demonſtratur ab Scoto. exp.art.2.quæſt.4.diſt.2.num.1.& ſequentibus.

Trinitas perſonarum, ex nullo principio naturali repugnat, eſſe ſimul cum eſſentia. diff.57.num.20.

Trinitas demonſtrari poteſt, ſuppoſita fide. diff.60.n.8.& dif.61.n.27.

Trinitas creat, eſt propoſitio mediata. ibi. num.11.

Trinitas non poteſt naturaliter cognoſci per veſtigium creaturarum. ibid.n.16.

Trinitatis euidentia, quoad an eſt, multipliciter probatur. diff.61.num.18.

Trinitas, ſuppoſita fide, adhuc non demōſtratiuè probatur, ſed tātùm perſuaſiue. ibid. num.30.

Trinitas dicitur perfectiſsima, propter eſſentiæ perfectionem, non relationum. diffi. 68.num.75.

V.

Vazquez.

VAZQVEZ merito invehitur, dum aſſerit, diſtinctionem formalem inter eſſentiam, & relationes eſſe damnatam. diff.54.n. 110.cum ſequentib.

Vazquez falſum imponit Scoto circa ſub ſiſtentiam abſolutam Dei.dif. 56.n.11.

Velle.

Velle diuinum eſt duplex, eſſentiale, & notionale.diff.48.n. 21.

Velle notionale tantùm conuenit *Patri*, & Filio.ibidem.

Veſtigium.

Veſtigium quid ſit ſecundùm Scotũ. exp. art. 1.q 5.diſt.3. num.3.

Veſtigium includit abſolutum,& relationem.ibid.

Veſtigium conuenit cum imagine,& differe etiam ab ea.diff.60.num. 14.

Veſtigiũ non cognoſcitur, niſi prius cognito veſtigiato.ibid.num. 15.

Veſtigium creaturarum non poteſt naturaliter facere cognoſcere Trinitatem. ibidẽ nnm.16.& 22.

Veſtigium, & imago differunt in ratione repræſentandi.exp.art.2.quæſt.9. diſt.3.n.1. & ſequentib.

Verbum.

Verbi diuini conſubſtantialitas cum Patre,probatur contra Arrium. diff.46. nu. 19. & ſequentib.

Verbum diuinum producitur per actum dicendi.dif.48.num.21.

Verbum creatum eſt productum ab intellectio,& obiecto.diff.49.n.10.

Verbum creatum quomodo producitur. ibidem.

Verbum creatum multis nominibus appellatur.ibid.

Verbum creatum multos reſpectus dicit. ibid.num.11.

Verbum creatum aliquas inuoluit imperfectiones.ibid.num.12.

Verbum diuinum inueſtigatur per creatum,imperfectionibus ſe clauſis.ibid.

Verbum diuinum nõ dicit eos reſpectus, quos creatum.ibid.num. 13.

Verbum diuinum non producitur per actum intelligendi.ibid.num.27.

Verbum creatum eſt viſio.ibi.n. 36.

Verbum creatum eſt viſio formalis, de viſione cauſatiuê, ibid.

Verbum diuinum non eſt viſio, ſeu intellectio.ibid.

Verbum creatum non dicitur genitum, & quare.diffic.51.numero 18. & difficul. 52. num.29.

Verbum diuinum eſt verè Verbum, & verè genitum.ibid.

Verbum cur dicatur genitum, & non Spiritus Sanctus,varie exponitur, diff.52. nu.2. & ſequentibus.

Verbum diuinum eadem ratione eſt Verbum,& Filius.ibid.n.43.

Verbum diuinum aliter eſt imago Patris, quàm Filius in humanis. ibid.

Verbum diuinum dupliciter intelligitur ſupplere vicem perſonalitatis creatę.dif.53. num.48.

Verbum, & imago inter ſe differunt. diff. 60.num.14.

Verbum menti eſt ratio intelligendi.exp. art.8.q.6.diſt.3.num.7.

Verbum,& amor, verè producuntur.exp. art.9.q.6.diſt.3.num.1.

Verbum noſtrum dicitur notitia genita. ibid.num.3.

Verbum creatum qualiter dicatur imago. diff.62. num. 16.

Verbum incarnatum eſt perſona compoſita.exp.art.2.q.1. diſt.8.

Verbum non informat humanitatem aſſumptam.ibid.

Verbum diuinum non producitur ab obiecto ſecundario.diff.73. num.8.

Verbum diuinum procedit ex cognitione iutuitiua perſonarum. ibid.n.16.

Verbum diuinum,non formaliter, ſed appropriate dicitur notitia actualis.exp.ar.11. quæſt.vnic.diſt.13. num. 2.

Verbum mẽtis eſt actualis intellectio.exp. art.3.q.1.idſt.27.

Verbum,& Filius, idem perſonaliter ſignificant.ibid. exp.art.4.q.2.

Verbum diuinum non procedit ex cognitione creaturarum poſsibilium. difficul.88. per totum.

Verbum diuinum dicit reſpectum rationis ad creaturas,tanquam ad ea, quæ per ipſum facta ſunt.ibid.num.54.

Verbum diuinum eſt repræſentatiuũ eſſentiæ,& creaturarum.ibid. n.56.

Verbum diuinum non repræſentat creaturas pro illo ſigno,quo producitur.ibi.

Verbum diuinum non concurrit ad ſui productionem concomitanter.difficult.89. num.12.

Verbum diuinum procedit ex cognitione Patris concomitanter.ibi.n.13.

Ver-

Verbum diuinum non procedit formaliter ex cognitione alicuius diuinæ personæ. ibid.num.18.& sequentib.

Verbum diuinum dicitur concomitãter Verbum attributorum.dif.90.n.5.

Verbum diuinũ solũm procedit ab essentia, vt fœcundante intellectum paternum in ratione obiecti intelligibilis.ibi.n.7.

Verbum diuinum (sicut & nostrum) duplicem respectum dicit ad Patrem, alterum realem originis, & alterum rationis declatãtis ad declaratum.exp.art.3.q.1.dist.32.

Verbum in nobis est ratio intelligendi, non tamen in Deo.expos.art.6.q.vnic.dist. 10.num.3.

Verbum diuinum appropriate dicitur declarare.exp. art.3.q.1.dist.32.

Veritas.

Veritas fidei non pendet ex probabili opinione.dif.54.num.49.

Veritas compositionis est conformitas cõpositionis ad terminos.exp. art.2.q.4.dis.3.

Veritas sincera cognoscitur in luce æterna, sicut in obiecto remoto.ibid.exp.art.5.

Veritas sincera, necessaria, immutabiles, & æterna, est res cognita ab intellectu diuino.ibid.exp.art.6.num.4.

Viator.

Viator potest Deo nomina imponere, & quæ sint talia nomina. dif. 81.n.14.

Visio.

Visio beata est qualitas includens respectum transcendentalem ad Deum trinum, & vnum.dif.61.num.21.

Visio beata est visio intuitiua. ibid.n.33.

Visio beata causatur à Deo, vt ab obiecto, & vt à causa prima. exp.art.8.q.7.dif.3.n.3.

Visio beata sumitur, vel pro absoluto, vel pro respectu.exp.art. vnic.q.8.dist.3.n.6.

Vnio.

Vnio hypostatica cur sit dicatur, exponitur.diff.53.num.20.

Vnio hypostatica est terminus formalis actionis vnitiuè.diff. 66.n.11.

Vnitas.

Vnitas Deitatis sufficit, vt opera trium personarum dicantur in diuisa, & eadem. diff.46.num.32.

Vnita. diuina excludit omnem aliam Deitatem.ibid.num.33.

Vnitas principij *quod*, sumitur ab vnitate principij *quo*.diff.50.num 6.

Vnitas priuatiua quid sit.exp. art.1.quæs. 7.dist.2.num.2.

Vnitas communis est triplex. difficul.58. num.28.

Vnitas creata semper est composita. ibid. num. 29.

Vnitas entis est simpliciter simplex. ibi.

Vnitas in Deo est duplex, essentialis, & personalis.dif.67.num.26.

Vnitas naturæ fundat identitatem, & distinctionem.diff.95.num.12.

Vnitas rationis obiectiuæ sufficit ad vniuocam prædicationem.diff. 58. n.41.

Vniuersale.

Vniuersale sumitur, vel pro materiali, vel pro formali.exp.art.2.q.6.dist.3.n. 1.

Vniuersale pro materiale est obiectum cognitionis, & præcedit eam, non vero pro formali.ibid.

Vniuocatio.

Vniuocatio habet quatuor gradus, qui optimè, & diffuse explicantur. dif.58.n.21.

Vniuocum.

Vniuocum est triplex. dif.58.n.18.

Vniuocum prædicatum, & vniuocè prædicari differunt. ibid. num.19.

Vniuocum prædicatum, & vniuocè prædicari non requirunt vnitatem communem naturæ, sed sufficit eis vnitas rationis communis obiectiuæ.ibid.n.41.

Voluntas.

Voluntas est potentia productiua, & operatiua.diff.50.num.3.

Voluntas diuina prius vult, quàm producat Spiritum Sanctum, ibid. num.4.

Voluntas non producit amorem, vt principium naturale.diff.52.n.48.

Voluntas producendi Filium in diuinis, præcedit in Patre productionem Filij, & tamen non est principium producendi.expo. art.2.q.vnic.dist.6.n.1. & sequentib.

Voluntas in nobis, præcedens actionem, est causa illius.ibid.num.2.

Volũtas infinita est principium communicandi naturam diuinã.exp.art.1.q.v.d.10.

Voluntas, secundum Henricum, tres habet actiones.ibid.exp.art.3. n.1.

Voluntas infinita est principium necessarium producendi Spiritum Sanctũ.ibi.n.2.

Voluntas diuina, vt recta, non est principium producendi.ibid.n.3.

Voluntas diuina, simul cum essentia in ratione obiecti, est necessarium principiũ producendi Spiritum sanctum.ibi.exp.a.4.n.1.

Voluntas diuina sola est perfectè recta. dif.71.num.32.

Voluntas creata est contingens, & indifferens. ibid. num. 33.

Volũtas diuina necessario operatur adintra, & contingenter adextra. ibid.

Voluntas diuina, vt concors, non est principium Spiritus Sancti, sed quatenus est vna. expos. articulo 2. quæstione 1. dist. 12. num. 3.

Voluntas fœcunda perfectè est in Patre, & ex ordine originis, est etiam in Filio. ibid exp. art. 4.

Voluntas fœcunda dicit voluntatem, & obiectum. diff. 75. num. 8.

Voluntas diuina non fœcundatur, nisi prius intellectus fœcundetur, non tamen necessario. ibid. num. 9.

FINIS.

PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL PALENCIA

REGISTRO DE LA PROPIED

SALMANTICAE.
Ex Officina Didaci á Cuſio.
Anno M. DC. XXIX.

SALMANTICAE.

Ex Officina Didaci à Cuſſo.

Anno M. DC. XXIX.





1.630